9961

Cap. 11


TOMVS PRIMVS,

COMMENTARIA SVPER PRIMAM SECVNDAE

D. THO. PER FRATREM GREGORIVM MARTINEZ SEGOVIENSEM,

ORDINIS PRAEDICATORVM, MAGISTRVM THEOlogiæ, & Regentem primarium ſtudiorum inſignis, cœnobij Sancti Pauli Valliſoletani, & ſanctæ Inquiſitionis conſultorem.

ILLVSTRISSIMO DOMINO, DOMINO IOANNI DE Cuñiga Yrequeſens, Marchioni del Billar.



Es de la Casa de — S.ta Domingo de Silos

CVM PRIVILEGIO.

Valliſoleti. Apud Franciſcum Fernandez de Cordoua.
Anno MDCXVII.

Fr. Manuel de Paredes adorn.





EVERENDI per doctique Patris Fratris Gregorij Martinez ex Prædicatorum familia, Regentis studiorum insignis cœnobij sancti Pauli Vallisoletani disputationes, & commentaria in primam secundæ, D. Thomæ, à Quæstione prima, vsque ad vigesimam primam inclusiuè. Sedula qua potuimus diligentia, de mandato Reuerendissimi Patris nostri Magistri fratris Antonij de Soto mayor eiusdem Ordinis, Prioris Prouincialis, ac nostri serenissimi Principis Hispaniarum à sacris confessionibus euoluimus, & nimis accuratè considerauimus, nihilque orthodoxæ fidei contrarium, sed potius subtiles Quæstiones Theologicas, maxima facilitate dicendi, & claritate (quod proprium est authoris) enodatas inuenimus, vnde & fore magnæ vtilitatis, & dignum esse vt typis mandetur censemus. Datis in Collegio Diui Gregorij, Vallisoletani vigesima septima Iulij, anno 1616.

Frater Dominicus de Pimentel magister.

Frater Bernardinus de Ayala, magister.



AS disputationes, & commentarios super primæ secundæ Diui Thomæ viginti & vnam Quæstionem accutissimè scriptos per eruditissimum Patrem Fratrem Gregorium Martinez Ordinis sancti Dominici, & Regentem in celeberrimo Conuentu Vallisoletani sancti Pauli, vidi: supremi Regij Consilij mandato, ego frater Petrus de Perea, Ordinis Eremitarum sancti Augustini absolutus assistens, & Sanctæ Inquisitionis Officij calificator, & quantum consequi possum, in omnibus supradictis Quæstionibus Author explanat germanam, & veram sententiam sancti Thomæ, quapropter omnibus Theologis liber hic vtilissimus est, & æquissimum vt typis mandetur. Madriti in Conuentu sancti Philippi, die 13. Octobris, anno 1616.

Frater Petrus de Perea, sacræ Theologiæ magister.

EL REY.

POR quanto por parte deuos el presentado fray Pedro Benero Procurador general de la Orden de santo Domingo, en nuestra Corte nos asido fecha relacion, que el presentado fray Gregorio Martinez lector de Theologia del Conuento de san Pablo de la ciudad de Valladolid, y Consultor del santo Officio auia compuesto vn libro, sobre las primeras veynte y vna Questiones de la prima secunda de santo Thomas, el qual por comission, y mãdato del padre maestro fray Antonio de Soto mayor Prouincial de la Prouincia de España de la dicha orden de santo Domingo auian visto, y aprouado el maestro fray Domingo Pimentel, y el presentado fray Bernardino de Aya la Regentes del Colegio de san Gregorio de la dicha ciudad de Valladolid, como constaua de su aprouacion, que representauades suplicandonos os mandasemos dar licencia, para que el dicho libro se imprimiesse atento era muy vtil, y prouechoso, ò como la nuestra merce fuesse, lo qual visto por los de nuestro Consejo, por quanto en el dicho libro se hizieron las diligencias, que la pregmatica por nos vltimamente fecha, sobre la impression de los libros dispone fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula, para vos en la dicha razon, y nos tuuimos lo por bien. Por la qual por vos hazer bien y merced, os damos licencia, y facultad para que por tiempo de diez años primeros siguientes, que corren, y se quentan desde el dia de la data desta cedula en adelante, vos ò la persona que vuestro poder tuuiere, y no otra alguna podais imprimir, y vender el dicho libro que de suso se haze mencion por el original que va rubricado è firmado alcaue de Iuan de Xerez nuestro escriuano de Camara de los que en el nuestro Consejo residen en estos nuestros Reynos de Castilla, con que antes que se venda lo traigais ante ellos iuntamente con el original, para que se vea si la dicha impression esta conforme a el, o traigais fe en publica forma en como por corrector por nos nõbrado se vio, y corrigio la dicha impressiõ por el original, y mãdamos a limpressor que assi imprimiere el dicho libro no imprima el principio, y primer pliego ni entriegue mas de vn solo libro con el original a lautor, o persona a cuya costa le imprimiere, y no a otro alguno, para efecto de la dicha correction y tasa, hasta que primero el dicho libro este corregido, y tasado por los del nuestro Consejo, y estando assi y no de otra manera pueda imprimir el dicho principio, y primer pliego, y en el liquidamente ponga esta nuestra cedula, y licencia, y la aprouacion, tasa, y erratas so pena de caer è incurrir en las penas contenidas en la pregmatica, y leyes destos nuestros Reynos, q̃ cerca dello disponen, y mãdamos q̃ durante el dicho tiempo persona alguna sin vuestra licencia no pueda imprimir, y vender el dicho libro so pena que el que lo imprimiere, y vendiere, aya perdido, y pierda todos los libros moldes, y aparejos q̃ de el dicho libro tuuiere, y mas incurra en pena de cinquenta mil marauedis por cada vez que lo contrario hiziere, la qual dicha pena sea la tercia parte para nuestra Camara, y la otra tercia parte para el Iuez que lo sentenciare, y la otra tercia parte para la persona que lo denunciare, y mandamos a los del nuestro Consejo Presidente, y Oydores de las nuestras audiencias alcaldes alguaziles de la nuestra casa, Corte y Chancillerias. Y a todos los Corregidores, Assistente, Gouernadores, Alcaldes mayores, y ordinarios, y otros juezes, y justicias qualesquier de todas las Ciudades, villas, y lugares de los nuestros Reynos, y Señorios assi a los que a hora son, como a los que seran de aqui adelante, que vos guarden, y cumplan esta nuestra cedula y merced que assi os hazemos, y contra ella no vayan ni passen en manera alguna, so pena de la nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra Camara. Fecha en Madrid a veynte y quatro dias del mes de Octubre de mil y seiscientos y diez y seis años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro Señor.
Pedro de Contreras.

TASSA.

FVE tassado este libro por los Señores del Consejo á quatro marauedis cada pliego en papel, y á este precio mandaron se venda y no mas, fecho en Madrid en 7. de Iulio de 1617.

Juan de Gerez.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pagina.	Columna.	Linea.	Erratum.	Corrige.
4.	2.	50.	coũr	eorum
9.	2.	2.	explicitam	explicatam
14.	1.	36.	conclusio	conclusioni
14.	1.	37.	comunicat	communicant
19.	2.	33.	tomo quinto	tomo primo
19.	1.	3.	argumẽto tertio	articulo tertio
26.	1.	43.	extrinsecam	intrinsecam
32.	1.	1.	gaudet prędicto	deleatur
35.	2.	45.	pro ductũ adextra,	adde sit
39.	2.	39.	præcedat	procedat
ibidem.	eadem.	50.	quæstionis,	conclusionis
45.	1.	8.	si ergo	sic ergo
182.	1.	41.	de est	est de
ibidem.	1.	54.	quæni	quæ in
194.	2.	22.	essentiali	essentialis
299.	2.	21.	prȩcepto suppositã	prȩcepto supoositõ
296.	2.	29.	ne	nec
322.	1.	20.	fuisse resolutam	fuisse irresolutam
467.	2.	5.	quod illo	quod ille
776.	2.	46.	tiertio	tertio
492.	2.	28.	reliquat	relinquat
514.	1.	24.	de comuni	de omni
557.	1.	51.	modo	medio
566.	1.	31.	illi	ibi
734.	2.	32.	ordieationem	ordinationem
749.	1.	49.	rex	res
753.	2.	6.	acto	actu
833.	2.	18.	pollico	politico
365.	1.	48.	hac vita	in hac vitã
601.	2.	23.	voro	vero
736.	1.	10.	conuenit	conueniat
818.	2.	31.	vusæs	vsus
803.	2.	29.	in tali actum	talem actum
1146.	2.	40.	diagatur	dibagatur

Con estas Erratas concuerda con su original fecho en Valladolid a 30. Mayo de 1617.

El Doctor Agustin de Vergara.

ILLVSTRISSIMO D. D. IOANNI DE ZVNIGA, & Requeſens Marchioni del Billar. Frater Gregorius Martinez Theologiæ, & ordinis Prædicatorum profeſſor florentiſsimam felicitatem.

NEC arma, & togam ingenuum conſtituere virum antiquior protulit ætas, probat recentior, ſcriptores prædicant, inconfeſſo eſt apud omnes. Hinc tanta inter hæc duo connexio interuenit, hinc tam arctuus. Amicitię nexus eſt ortus, hinc adeò intima facta eſt familiaritas, vt perpetuam, mutuamque vouerint pacem, imò vt & inſeparabili æternaque ſeſe vnione, ac vinculo copularint. Nec mirum: nonne enim quæ affinitatem inter ſe, atque ſimilitudinem agnoſcunt inter ſe quoque cohærere, & in amore permanere, atque vnum, alterum aſsiduè quæritare conſpicimus? Nonne flagranti feruet abſque igne ſanguis? & mitis agnus dum inter tot vaſti gregis oues matrem diſcernere, minime poſſe videtur ſola eius audita voce, nonne accurrit; nonneq; ad ipſam properat? cum itaque mirum in modum (inuictiſsime princeps) armorum, ac belli illuſtrium reſulſerit familia tua geſtorum ſplendore, cui non modicam quoque ſemper tam alta progenies lucem adiunxit, ita vt ſi non primum, nullam tamen (regia excepta) quę ſublimiorem obtineat locum fœlix ſortita ſit Hiſpania; altera vero ex parte cum ſanctiſsimi Patris noſtri Dominici ordo, adeo ſapientia enituerit, ſplendiduſque factus ſit, vt in eo habitationem ſuam eam collocaſſe videatur, vnde tanta ex eo populis omnibus, qui interioris commorabantur lux orta eſt, ita vt ſi non præ cæteris omnibus eximior, atque præſtantior, non tamen reliquis inferior, ſed is vt nullum ſuperiorem atq; excellentiorem agnoſcat æſtimandus ſit; quis non videt domui noſtræ, tuam domum peculiare, quadam ratione copulatam eſſe, atque adeo in numera nobis collaturam beneficia, tuæ vero tam illuſtri familiæ noſtram perpetuam ſeruitutem, perpetuum cultum, honorem, obſequium, amorem exibituram? & hac profecto de cauſa tam varia lepidoque arte conſcripti, atque tam ſolida, profunda, firmiſsimaque doctrina cõſpicui ex ordine noſtro egregiis familiæ tuæ viris dicati, tot ad hoc temporis prodiere libri, quibus, ex eo quod eorum in fronte nomen appareret, non parum acceſsit venuſtatis, non parum muniminis, non parum patrocinij, non parum contra maledicos, & aduerſarios firmitatis aduenit. Quamuis autem hac tantummodo de cauſa lucubrationes, has meas in primam ſecundæ D. Thomæ Aquin. Doctoris Angelici ad pedes tuos collocare, recuſare non valeam, alia tamen ad hoc peculiaris me impellit cauſa, ne videlicet duorum fraterna intercidatur filiorum vnio, cum potius naturæ lege affectus inter eos, atque opitulatio intercedere debeat, dum maiori minor ſedulo ſeruire audet, maior autem minorem fouere, atque amplecti, cum patris vices gerat, ſummopere curat. Quod quidem propterea dictum ſit, quoniam ſi, & tu (Domine mi) & libet hic meus ſpirituales filij, cum tu ad tuas me admittas (quæ tua eſt benignitas) confeſsiones audiendas, liber autem ſpiritualis parentis ingenij, ſcilicet mei fętus ſit extimandus te maioris, hunc vero minoris munus exercere æquum eſt. Non ſecus ac itaque maior natu labores hos meos protegere, ac defenſare, me autem tanquam presbiterum tuum habere debes, quem quidem gloriam tuam, profectum, exaltationem non meritis tuis, non tuæ præſtantiæ imparia, ſed omni ex parte quæ tantum deceant virum, cuius ſi perfectè hominibus eximia innoteſcerent ornamenta virtutum debita non deeſſent ornamenta præmiorum, quoad fieri poteſt feruentius, quam cæteri omnes, atque intenſius exoptare pro comperto tibi eſſe velim, & explorato. Qui igitur iamdiu meipſum tibi dicaui, atque ſacraui labores hos meos tibi dicatos, atque ſacratos ſicut præteritis exoptaui temporibus nunc libens, volenſque in lucẽ prodire permitto. Pacato opus quæſo excipias, vir inclitè) vultu, quique gratiis virtutibuſque omnibus affluere ſolis benignitate, atque humanitate excellere ne dedigneris. Sic enim fiet vt qui te merito ob eximias admirari, ac venerari perpetuo in animum induxi virtutes feruentiori quoque amore, atque affectu proſequi recuſare non valeam. Vale.

Prologus

Prologus ad Lectorem.

IN iudic um duodecimo capite libris pulcherrima recitatur historia, tanta, sacra refert scriptura, inter Galaaditas, & Ephraim indignatio, atque seditio orta est, eo quod illos Ephraim fugitiuos appellaret, vt prælium committere constituerint. Iordanis itaque vada Galaaditæ occuparunt, per quæ Ephraim reuersurus erat. Cumque de Ephraim numero ad ea fugientes venissent, quamuis aduersi exercitus hostilia arma euadere conarentur, cum per pontem eis transire necesse esset, hostiũ tamen manus atque versutias nõ euasere. Cum etenim lingua eis non bene esset soluta cum pontem pertransire tentarent, Galaaditæ vero occurrentes nunquid Ephratei estis? Percontarentur, metu autem illi mortis qui pauore percussi ne in hostium inciderent manus ex tali segente esse inficiarentur verbum subiungebant illi proferatis schibboleth, quod spica interpretatur, quod cũ isti dicere conarentur nihil aliud proferre valentes, quam sibboleth, quod spicam non significat, mendacij pœnas inopinata, ac repentina morte luebant. O quanta historiæ huius cum Thomistarum, eorumque aduersariorum eucntibus similitudo reperitur. Quid etenim communius in sacra Scriptura, quod passim in ea inuenitur quam aquarum, potissimumque Iordanis nomine sapientiam significare? Quinimo tali seipsa nomine vocandam insinuauit dicens, ego quasi Iordanis in tempore messis. Tam altæ fluuij huius aquæ, tam inundantes, tam profundæ, tam vastæ censendæ sunt, vt in pertransibiles dici possent nisi pontem ad flumen pertransiẽdum, quo facilis, tutusque transitus fieret omnipotentia, atque sapientia diuina construxerit. Pons iste non alius quam qui Theologicas, ac penè inaccessibiles tam faciles, tamque perspicuas nobis veritates, atque difficultates reliquit, diuus, inquam, vereque Angelicus Doctor. S. Thom. Aquinas vt quicumque per hunc pontem transire respuerit à veritatis tramite merito ab erraße per inuia iter flexisse, atque ingenioli sui nauiculam in scopulos, syrtes, ac naufragas impulisse vndas, in quibus nulla salus, nullaque salutis spes inueniri certum est, censendus sit. O securus, ô tutus, ô sapientiam exquirentibus gratissimus pons, quippe qui non humana, sed diuina arte ad cœli, fluctuumque inclementiam, ad cæcorum videlicet. E vitanda errorum pericula compactus fuit. Senserunt id quidem quotquot ante actis temporibus hoc spreto ponte conflictantibus nauiculam ventis, atque resilientibus exponere vndis, infirmoque freti auxilio fluminis huius vastos absque luce, & absque duce gurgites, non tamen absque naufragio tentare non curarunt. Hinc fit vt iam scriptores omnes ventorum committere prudentissime cymbam inconstantiæ metuentes Thomistas se esse profiteantur. Sed heudolor; Thomistarum nonnulli nomine gloriantur, cum tamen non nisi nomine cum Thomistis conueniant, cum eorum firmissimis proterue reluctentur sententiis. Nonne Ephrateos istos, Thomistas vero Galaaditas merito appellabimus? Assidue enim hi cum illis certamen ineunt, dum vnusquisque pontem occupare, hostemque ab eo deturbare conatur, dum quilibet ipsum suum esse affirmans sicco vestigio pertransire intendit, dum verum Angelici Doctoris

doctrinæ

doctrinæ sensum se quisque assequutum existimat, sed quidnam hoc eis prodesse poterit? Ipsa etenim pronunciatio quisnam vnusquisque sit palam faciet quamuis etenim haud dissimiles specie tenus simus omnes re ipsa tamen valde dissentimus; simulatis namque Thomistis linguam Deus, atque ingenium adeo hæbetauit, vt neque spicam proferre, nec scire Doctoris huius intelligentiæ spicam, ac triticum inuenire, aut agnoscere valeant. Dominicani ij sunt, qui veri sancti Doctoris sectatores spicam optime pronuntiare valent, quique largè sapientiæ vereque intelligentiæ triticum sedulo colligentes distribuunt, populosque omnes, atque nationes firmo, solidoque tantæ doctrinæ cibo assiduis disputationibus, lectionibus, lucubrationibus cibare, satiare, ac recreare non desinunt. Absistant, absistant, confusique recedant à mensa hac qui alios, at frustrà; solidos requirunt cibos absint, abscedant, alienos gestientes apparatus, hic enim serius apparatus, hic verè substantialis mira perfusus dulcedine, miroque sapore cibus est. Si quem impetum in nos facere, ac conflictare constituant illud sibi pro explorato habeant, ruborem, exitiũ, neum, atque interitum ipsos sibi parare, nobis vero ad sublimiorem gloriã, ad præstantiores victorias, ac triũphos, ad ampliora sternere viã trophæa. Cum igitur indignus exercitii huius miles pontis, huius custos sim constitutus iniunctum, & pontem custodiendo, & spicam bene pronunciando, & triticum accuratè colligendo dignè præstare munus exoptans commentarios hos in primam secundæ Diui Thomæ in lucem prodire permittens veræ intelligentiæ sensum sicut summopere concupitum, ita & accuratissime exquisitum in medium proferam, simulque aduersariorum cateruas argumentorum acerrimè confringendo vires, efficacissimisque occurrendo rationibus, atque demonstrationibus & propugnando, & oppugnando quantum fieri poterit enitar prosternere, vt paleis reiectis boni palati viris saluberrimum propinam veritatis triticum: nam de cæteris qui semper veritatem spernere sueuerunt, fa sasque amplecti pro solatio sibi statuerunt doctrinas veras amaritudine replentes opiniones, quibus cum ægri sint oculi odiosa lux est, quæ puris est amabilis nulla è habenda ratio. Viris, viris, vereque viris, & sapitiam amantibus, atque exquirentibus ista conscribuntur, iis oleum, operamque impendi, ipsos à dolosis linguis omnique gladio penetrabilioribus, à momis, ab inuidis me defensare, ac protegere velint, & rogo, & obsecro.

COMMENTARIA

SVPER PRIMAM SECVNDÆ DIVI THOMÆ ANGELICI DOCTORIS.

PROOEMIVM.

TRACTATVS istius Partis vtilissimus est; vtile enim ad finem dicitur: vnde id quod ad meliorem finem conducit, vtilius est: finis autem hîc intētus, omnium est præstantissimus; agitur enim de fine omnium vltimo, scilicet de beatitudine & fine huius vitæ, quæ in virtutibus consistit, & de fine polytico Reipublicæ, qui per leges consequitur. Ex quo sequitur, etiam hunc tractatum præstantissimū esse: præstantia enim scientiæ vel artis ex obiecto desumenda est: cùm ergo obiectū & finis huius scientiæ præstantissimus sit, & ipsa scientia talis debet esse; nō quidem facta comparatione ad omnes alias partes Theologiæ; nam præstantius est agere de Deo absolutè & secundùm se, vt in prima Parte agitur, quàm agere de illo vt habet rationem finis hominis: habet tamen præstantiam respectu cuiuscunque alterius scientiæ: tractatus enim moralis præcipuus est in homine, de quo videatur Seneca epistola ad Lucillum, & Augustinus 8. de Trinitate, cap. 30. & Lactantius libr. 3. de falsa sapientia. Et si quidem tractatus moralis omnibus præstat, à fortiori iste: nam moralis Philosophia solùm respicit mores ad finem naturalem: iste verò tractatus ad finē supernaturalē: vnde non est idē iste tractatus, quod Philosophia moralis, licèt multa ad Philosophiā moralē pertinētia hîc tractētur: quia hoc est vt præsupposita, quatenus videlicet gratia præsupponit naturā quā perficit: sicut & Logica multoties agit de ente reali, quatenus supponitur ad ens rationis. Ex quo sequitur, tractatum istum, licèt eminenter sit practicus & speculatiuus, sicut & Theologia: esse tamen formaliter speculatiuum; speculatiuè enim agit de moribus, indagando illorum naturam, & non prout in exercitio & praxi fiunt.

Circa ordinem verò & seriē Diui Thomæ in procedendo, non omnium est cōsensus, & idem modus explicandi: quidā enim sic aiunt, quòd cùm Deus sit obiectū adæquatum Theologiæ in singulis partibus, de illo secundum singularem rationē debet agi, vt sic partes eiusdem scientiæ ad inuicem distinguantur. Postquàm ergo in prima Parte actum est de Deo secundū se, & etiam vt Creator, hîc agitur de illo vt Iustificator: quod fit per actiones humanas, & virtutes, & leges, & gratiam etiam, de quibus hîc agitur: & posteà in tertia Parte agitur de illo vt Reparator; quod fit per Incarnationem & Sacramenta, &c. Alij aliter explicant, attendentes ad verbū Diui Thomæ in procœmio huius Partis,

vbi ait, quòd postquàm actum est in prima Parte de exemplari, hìc restat agere de exemplato & imagine, nempe de homine, qui Dei est imago per rationem & liberum arbitrium, de cuius actibus hìc agitur. Et si contrà dicas, rectum ordinẽ procedendi esse, priùs agere de imagine, quã de prototypo; quia per imaginem deuenitur in agnitionem prototypi: quod attendentes Philosophi naturales priùs de creaturis agunt, quàm de Deo: quia iuxta Diuum Paulum, inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt conspici debent: Respondetur secundùm D. Thomam, 2. contr. Gent. c. 4. quòd cùm in alijs scientijs sit obiectum præcipuum & adæquatum ens creatum, & solum agant de Deo in obliquo, primò debent agere de creaturis: Theologia verò per se & principaliter agit de Deo, secũdario autẽ de creaturis vt ad Deũ pertinẽtibus; quapropter priusdebet agere de Deo, postmodùm autem de imagine illius.

Alij autem aliter explicant prædictam dispositionem per illud Apocalyps. Ego sum Alpha & O. initium & finis: cũ ergo in prima parte actũ sit de Deo, vt habente rationẽ principij creaturarũper creationẽ; restat hìc agere de illo, vt habet rationem finis: vnde ab vltimo fine exordium sumitur: & si in tertia Parte agitur de Incarnatione, de Sacramentis, &c. hoc est, quatenus media sunt ad huius finis consequutionem. Quem etiam ordinem videtur seruare D. Ioannes, cùm priùs egerit de Deo, vt Creator est, post generationem æternã, postmodùm autem processerit ad Incarnationis mysterium, dicens: Et Verbum caro factum est, &c.

Optimus tamen modus explicãdi prædictam seriem Diui Thomæ est, dicere, ipsum procedere secundùm ordinem Articulorum Fidei; qui quidem in hac scientia sunt principia prima, ex quibus Theologia scientificè deducit suas conclusiones: vnde in prima Parte à principio, vsque ad quæstionem vigesimamseptimam, agit de his quæ pertinẽt ad Dei vnitatem; à vigesimaseptima vsque ad quadragesimãquartã, agit de his quæ pertinent ad eius trinitatem: à quadragesimaquarta vsque ad finẽ primæ Partis, agit de quinto Articulo creationis: nunc ergo in hac secunda Parte agit de sexto Articulo, videlicet quòd sit Saluator; & in tertia Parte suo ordine agit de alijs pertinentibus ad humanitatem: circa septimum verò Articulum diuinitatis consultò non seruant ordinem, sed egit de Deo in principio huius Partis, antequã agat de Deo vt Saluator; & rursus in fine tertiæ Partis: quia finis qui in exequutione est vltimus, in intentione est primus. Sequẽdo ergo ordinẽ intẽtionis, prius egit de Glorificatore, quàm de Saluatore; quia glorificatio est fini iustificationis: sequendo verò ordinẽ exequutionis, reiecit in finem Theologiæ, de glorificatione agere.

QVAESTIO PRIMA,

DE VLTIMO FINE HVIVS VITÆ IN COMMVNI.

ARTICVLVS PRIMVS,

Vtrùm homini conueniat agere propter finem.

Inf. art. 2. in corp. & q. 6. art. 1. cor. & q. 28. art. 6. corp. & q. 94. art. 2. cor. & q. 109. art. 6. cor.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd homini nõ cõueniat agere propter finem. Causa enim naturaliter prior est: sed finis habet rationem vltimi, vt ipsum nomen sonat: ergo finis non habet rationem causæ: sed propter illud agit homo, quod est causa actionis; cùm hæc præpositio, Propter, designet habitudinem causæ: ergo homini non cõuenit agere propter finem. & 3. cont. gent. cap. 2 & opus. 3. 6. & 100.

2. Præterea. Illud quod est vltimus finis, non est propter finem: sed in quibusdam actiones sunt vltimus

mus finis, vt patet per Philosophũ in primo Ethicorum: * ergo nõ omnia homo agit propter finem.

Cap. 1. to. 5.

3. Præterea. Tunc videtur homo agere propter finem, quando deliberat: sed multa homo agit absque deliberatione, de quibus etiam quando que nihil cogitat; sicut cùm aliquis mouet pedem, vel manum, aliis intentus, vel fricat barbam. Nõ ergo omnia agit homo propter finem.

SED contra. Omnia quæ sunt in aliquo genere, deriuantur à principio illius generis: sed finis est principium in operabilibus ab homine, vt patet per Philosophum in secundo Physicorum, ergò homini conuenit omnia agere propter finem.

Tex. 85. tomo 2. text. 89. tom. 1.

RESPONDEO dicendum, quod actionum quæ ab homine agũtur, illæ solæ propriè dicuntur humanæ, quæ sunt propriè hominis, in quãtum est homo. Differt autem homo ab aliis irrationalibus creaturis in hoc, quòd est suorum actuum dominus. Vnde illæ solæ actiones vocantur propriè humanæ, quarum homo est dominus. Est autem homo dominus suorum actuum per rationem, & voluntatem: vnde & liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis & rationis. Illæ ergo actiones propriè humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt: si quæ autẽ aliæ actiones homini cõueniant, possunt dici quidem hominis actiones, sed non propriè humanæ, cùm non sint hominis, in quantum est homo. Manifestum est autẽ, quòd omnes actiones, quæ procedunt ab aliqua potentia, causantur ab ea secundum rationem sui obiecti: obiectum autem voluntatis est finis & bonum; vnde oportet quod omnes actiones humanæ propter finem sint.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd finis etsi sit postrem⁹ in exequutione, est tamen primus in intentione agentis: & hoc modo habet rationem causæ.

AD secundum dicendum, quòd si qua actio humana sit vltimus finis, oportet eam esse voluntariam, aliàs non esset humana, vt dictum est. Actio autem aliqua dupliciter dicitur voluntaria. Vno modo, quia imperatur à voluntate, sicut ambulare, vel loqui; alio modo quia elicitur à voluntate, sicut ipsum velle. Impossibile autẽ est, quòd ipse actus à voluntate elicitus, sit vltimus finis, nam obiectum voluntatis est finis: sicut obiectum visus est color. Vnde sicut impossibile est, quòd primum visibile sit ipsum videre, quia omne videre est alicuius obiecti visibilis; ita impossibile est quòd primũ appetibile, quod est finis, sit ipsum velle. Vnde relinquitur, quòd si aliqua actio humana, sit vltimus finis, quòd ipsa sit imperata à voluntate, & ita ibi aliqua actio hominis, ad minus ipsum velle, est propter finẽ. Quidquid ergo homo faciat, verum est dicere, quod homo agat propter finẽ, etiam agendo actionem quæ est vltimus finis.

In corp. artic.

AD tertium dicendum, quod huiusmodi actiones non sunt propriè

humanæ, quia non procedunt ex deliberatione Rationis, quæ est propriũ principium humanorum actuum; & ideò habent quasi finem imaginatum, non autem per Rationem præstitutum.

Prima conclusio. Illę sunt actiones humanæ, quæ à deliberata voluntate procedunt: quæ autem à deliberata voluntate non procedunt, humanæ non sunt.

Secunda conclusio. In omni actione humana conuenit homini agere propter finem.

DVBIVM PRIMVM,

Vtrùm solùm illæ actiones sint humanæ, quæ ex deliberata voluntate procedunt.

1. *Arg.* PARS negatiua probatur primò. Sũt multi actus humani non deliberati: ergo non est idem esse humanum & deliberatum. Antecedens patet in prima intellectione, & in primo actu Voluntatis, qualis est intentio finis, de quo D. Th. infrà quæst. 10. art. 1. dicit, quòd ad vltimum finem naturaliter inclinatur & mouetur Voluntas hominis, & homo: quod etiam repetit 1. par. quæst. 1. artic. 2. & quæst. 82. art. 1. ad 3. dicens, quòd appetitus vltimi finis, non est de his quorum domini sumus. Similiter patet antecedens in multis actibus amentium & puerorum, similiter in actu ridendi, qui omnes actus in nullo alio quàm in homine reperiri possunt, & consequenter videntur humani: cùm tamen (vt dictum est) non deliberati, sed naturales sint.

2. *Arg.* Secundò arguitur. Sunt multi actus culpabiles non deliberati: ergo sunt multi actus humani non deliberati. Patet consequentia: nam actus humani debent esse, ad hoc quòd sint culpabiles. Antecedẽs probatur: tùm in actibus ebriorum, qui multoties peccata sunt, in quibus tamen manet ligatus vsus Rationis, vt deliberare nõ possint: tùm etiam in actibus secundò primis, qui peccata sunt, non tamen deliberati, quia subiti.

3. *Arg.* Tertiò arguitur. Nam visio & fruitio beatifica actiones humanæ sunt, quia nulla alia in homine his excellentior esse potest: de quibus tamen patet non esse deliberationem, cùm sint actiones necessariæ: ergo.

4. *Arg.* Quartò arguitur. Actio humana potest esse in instanti; quia quælibet actio Voluntatis instantanea esse potest: deliberatio autem non est nisi in tempore, cùm requirat consultationem, inquisitionem, &c. non ergo ad actionem humanam deliberatio requiritur.

1. *Nota.* Pro intelligentia notãdum primò, hoc nomen Finis, multipliciter accipi. Primò, pro consumptione rei: vt mors dicitur finis. Sic Psal. 118. Omnis consummationis vidi finem. *Ps. 118.* Et Iob 7. Sicut mercenarius præstolatur finem operis sui. *Iob. 7.* Secundò, pro termino terminante, verbi gratia, quãtitatem, vt punctum. Tertiò sumitur pro vltimo perfectionis alicuius rei, vbi eius perfectio completur. Quartò sumitur pro fine intentionis; qualiter accipitur ab Aristot. cùm ait, finẽ esse, cuius gratia aliquid fit. 2. Phys. cap. 3. & 2. Methaphys. cap. 2. & 5. Ethic. cap. 7. immò & ab Augustin. 8. de Ciuitat. cap. 8. & à Greg. Nysseno libr. de vita Moys. circa finem. Qui adhuc diuiditur in vltimum & mediatum ex vna parte, & proximum & immediatum ex altera. Rursus diuiditur in naturalem & supernaturalẽ: & tandẽ diuiditur in finẽ qui, & in finẽ cui. Finis qui, est res amata, & bonũ ipsũ desideratum; finis cui, est cui per desideriũ applicatur tale bonum amatum: vt amicus cui volumus bonum quod intendimus. Si autem interroges, quod nam istorum habeat principalius rationem finis, Heruæus quodlib. 2. quæst. 1. Gabriel, 2. dist. 1. q. 5. art. 1. Ocham. 2. quæst. 3. art. 1. ait, quòd finis cui: quia si appetitur finis qui, tandem est gratia finis cui: sed certè non potest fieri comparatio inter vtrumque, quia nõ ponunt in numero in ordine ad appetentem: respicit enim finem cui, vt ei placeat; finem autem qui, vt illum consequatur, nõ vt cunque, sed fini cui: si autem finis sumatur in ratione causæ physicæ, præcipuè stat pro fine qui: nã causalitas finis, est in ordine ad [illegible] quæ finis qui respicit, vt ratio formalis eoũr in appetibilitate. Rursus finis qui, & res quæ appetitur, diuiditur in rem ipsam amatam, & in adeptionẽ eius: quod aliter solet appellari finis qui, & finis quo; vt Deus est finis qui, in patria: finis quo est visio eius: & pecunia est finis qui auari; adeptio pecuniæ, est finis quo; *Heruæus. Gabriel. Ocham.*

quia

quia nec desideratur Deus nisi vt visus, neque pecunia nisi adepta; quā diuisionē tradat D.Th.art.8.& q.11.art.3.ad 3.& Aristot.5.Meth.& 1.magnorū mor.c.3. Alias diuisiones finis ponit hic Salas sect.2.disput.1.quæ in illo videātur,& in Lorca disput.1. In præsenti ergo sōlū agitur de fine in hac quarta acceptione. Videatur de his Petrus Greg.in 1.par.suæ artis mirab.

Petr. Gre.

2.Not. Secūdo notandū, ꝙ esse dominū suæ operationis, consistit in eo quod est habere potestatē ad facere, vel nō facere; quia hic nō agitur de dominio, vt importat ius ad faciendū, & disponēdū tanquā de re propria, sic enim sumitur dominiū in materia restitutionis: qua propter seruus in hac secunda acceptione non est dominus suarū actionū, sed tantū seruus: in prima autē acceptione dominus est: si quidē potestatē habet ad eliciendā vel nō eliciēdā operationē. Similiter patet in eo qui peccat; nō enim est dominus in secūda acceptione, quia nō habet ius ad peccandū: bene tamen est dominus primo modo, quatenus in sua potestate est, peccare vel nō peccare. Verū est tamen, primā acceptionē esse fundamētū secūdæ, ex eo enim bruta dominiū rerū nō habēt, quia libertate nō gaudent: & ideò homo rationis est dominus, quia per libertatē, sui est cōpos. Vnde in Genes. postquā dictū est, hominem fuisse cōstitutū, vt præesset piscibus maris, &c. superadditur, ad imaginē quippe Dei factus est homo: ac si reddēdo rationem, diceret; quia factus est ad imaginem Dei, vtiq; per rationē, & libertatē, ideò cōstitutus est dominus, vt præsit piscibus, &c. Vnde in hac parte nō est audiēdus Lutherus, asserens, locutionē istā, ꝙ homo habeat libertatem, sit pernicios⁹ error, assumens pro fundamēto illud Rom.6. Fuistis serui peccati, liberi autē à peccato, serui facti estis iustitiæ. Vnde in quocūq; statu dicitur ab Apost. esse seruitutē, siue cupiditatis, siue charitatis. Quod & Christus Dñs docuerat dicēs Ioan.8. qui facit peccatū, seruus est peccati; quia, vt dicitur 2.Pet.2. A quo quis superatus est, huius & seruus est. Et Caluinus cōsentit cū Luthero, asserens illud Ioann. Sine me nihil potestis facere: per quod destruitur, hominē esse sui cōpotē, & dominū suarū actionū per libertatē. Sed certè isti nō solū hęreticē, sed etiā impudēter, & cū iniuria humanæ naturæ loquuntur; habetur enim Genes.4. Subter te erit tuus appetitus, & tu dominaberis illius. Et Eccles. 15: Ab initio cōstituit Deus hominē, & reliquit eum in manu cōsilij sui. Et c.3. Qui potuit trāsgredi, & nō est trāsgressus, facere mala, & nō fecit. Et Ioann.19. Nescis ꝙ potestatē habeo crucifigere te, & potestatē habeo dimittere te? Non ergo ita ponamus dominiū suarū actionū in homine, ꝙ negemus ei operationes naturales, neque per hoc solū ꝙ in illo aliquæ operationes propriè reperiātur, quæ nō in alijs animalibus possint reperiri (prima enim intellectio, & volitio anteuertens rationē, soli homini cōuenire possunt, & nō ideò dicitur dominus suarū actionū) sed per hoc ꝙ ex deliberatione, & cū indifferētia ad vtrā que partē potest operari: licèt nō per hoc destruatur auxiliū diuinū, requisitū ad operationē; quia auxilium nō destruit, sed perficit libertatē, vt alibi latiùs ostēdetur. Locus autē Pauli adductus â Luthero, nihil probat cōtra hoc; quia, vt ait D.Bernar. opus. de libero arbitrio, triplex est libertas; à peccato, à miseria, à coactione: & licèt prima nō reperiatur in peccatore, tertia tamen nunquam tollitur per quodcunque peccatum.

Lutherus. *Caluinus.* *Roman.6.* *Ioan.8.* *2. Petri.2.* *Genes.4.* *Eccles.15.* *Ioan.19.* *Bernar.*

3.Notand. Tertiò notandū, ꝙ libertas formaliter cōsistit in volūtate; radicaliter tamē, in intellectu considerāte plures rationes bonitatis in eodē obiecto, secundū quas potest fugere, vel prosequi illud: qua ratione in animātibus libertas nō est, quia apprehensio potētiæ illorū determinata est tantū ad vnū; per hoc enim volūtas libera est, quia forma per quā operatur, nēpe bonū apprehēsum per rationē, nō est determinata ad vnū, sicut est forma naturalis, sed indifferens, vt dictū est: quaproter actus volūtatis cōsequentes ad iudiciū rationis determinatū, vt motus subiti, & qui fiūt in amētibus, & furiosis, liberi nō sunt. Hoc supposito, tota difficultas præsens consistit in explicatione illius propositionis D.Tho. quòd esse actionem humanā, est esse actionem hominis vt homo est; quod, inquit, est, esse actionem deliberatam.

Prima explicatio. Caiet. Prima ergo explicatio est Caietani, ꝙ in homine est duplex actio; altera, in qua mouetur, vt prima intellectio, vel prima volitio: altera verò, in qua se mouet; & ista tantū est actio deliberata: vnde idē est, esse actionē humanā, & esse actionē qua homo se moueat. Neque valet impugnatio Vazquez, quia tūc omnis actio hominis, esset humana, quia in omni actione homo se mouet, cū omnis illius actio sit vitalis, & efficiēter ab ipso (nō, inquam, valet) plus enim requiritur ad se mouere, quàm ad ef-

Impugnatio Vazquez. *Solutio.*

ficienter cõcurrere: ad hoc enim sufficit esse formã in agente, quæ sit principiũ actionis, ad illud verò, vltra requiritur, aliquid præsupponi ex parte operãtis, ratione cuius operatio ipsi tribuatur; nam si immediatè tantũ â forma procedat, non ipsi, sed generãti tribuitur; nã qui dat formam, dat cõsequentia ad illã: quapropter D. Tho. in opus. de motu cordis, dixit, cor nõ se mouere, licèt in ipso sit forma effectiua motꝰ, quia nõ se tenet ex parte illius, sed ex parte generãtis. Licèt ergo homo efficiẽter & vitaliter ad omnẽ actionẽ suã cõcurrat, nõ tamen se mouet in omni illa, sed in primo actu intellectꝰ, vel volũtatis, v.g. mouetur ab authore naturę per formã sibi inditã, & naturaliẽ: in alijs autẽ actionibus deliberatis mouet se, quia vltra formã habet intentionẽ finis præcedentẽ, ratione cuius possit se mouere, & determinare ad electionẽ mediorum: quod alia via clarius explicari potest, dicẽdo, qꝺ se mouere, stat dupliciter; physicè, & moraliter: physicè quidẽ in omni actione vitali homo se mouet, quia in omni actione vitali est principiũ intrinsecũ physicũ, à quo talis actio procedat: moraliter autem solũ in his quæ ex intẽtione operatur, se mouet; quia cũ intentio sit prima forma moralis, ante ipsam moraliter se mouere nõ potest, quia ante intentionem nõ potest assignari qꝺ actio ab aliqua forma intrinseca morali procedat: cũ ergo ipsa prima volitio nõ sit ex intentione, sed tantũ electio; solũ in electione homo moraliter se mouebit. Caiet. ergo sumit, se mouere, moraliter, nõ physicè: vnde bene inquit, idem esse mouere se in aliqua operatione, & illam esse humanam.

D. Thom.

2. Explicatio.

Secunda explicatio est aliorum, qꝺ esse actionem humanã, stat dupliciter, physicè vel moraliter. Physicè est, procedere ab homine constituto in sua specie physica per genus & differentiã: moraliter verò, vt procedit ab illo subdito legi, & potenti operari meritoriè vel demeritoriè. Inquiunt ergo, qꝺ esse actionẽ humanã moralẽ, idẽ est, qꝺ esse deliberatã, non autẽ esse humanã, physicè sumptam. Sumit ergo D. Tho. actionẽ humanã moraliter, quando inquit, esse idẽ quod deliberatã: vnde quando subdit qꝺ actio humana est hominis in quantũ homo, ly In quantum, non reduplicat rationẽ physicã, sed moralem. Neque valet impugnatio aliquorũ, qꝺ esse morale, supponit esse physicũ, immò vnũ per alterũ videtur explicare D. Tho. quasi diceret, illud esse morale, quod ad propriã formam hominis reducitur (non, inquam, valet) quia licèt morale in physico radicetur, nõ potest negari, quin propria differẽtia cõstitutiua hominis, sit principiũ & radix operationis, tam physicę & naturalis, quã etiã moralis: esse tamen distinctionẽ operationis procedẽtis à tali radice, quòd alia sit naturalis, alia moralis.

Tertia explicatio est aliorũ, & Medinæ hic, quẽ sequitur Vazquez, quòd actio humana dupliciter potest esse humana. Primò, quantũ ad substãtiã: secũdò, quãtum ad modũ. Quantũ ad substantiã quidem, dicitur humana, quæ non solũ cõuenit ratione generica, in qua cũ alijs brutis est cõueniẽtia, sed etiã ratione differentiali, qua ab alijs distinguitur. & quæ in alijs reperiri non valet. Quantũ ad modũ autẽ, dicitur humana, in qua proprius modus hominis, nẽpe indifferentia & libertas (quæ solũ in homine esse potest, vt infrà ostendetur) reperitur: licèt substãtia talis actus etiã in animalibus posset reperiri: sicut dici solet de opere miraculoso, quod potest esse quantũ ad substantiã, & quantũ ad modũ: quantũ ad substantiã est illud, cuius substãtia nõ est ordinis naturalis, sed supernaturalis, vt suscitatio mortui: quantũ ad modũ, est illud cuius substãtia licèt sit ordinis naturæ, modus tamen vires naturę superexcedit: vt quòd subitò febris relinqueret socrum Petri. Loquitur ergo D. Tho. de actione humana, quantum ad modum, quam constat requirere libertatem.

3. Explicatio. Medina. Vazquez.

Quarta explicatio est, qꝺ voluntas potest dupliciter considerari. Primò, vt natura: secundò, vt libera: vnde vtriusque potest esse actus. Loquitur ergo D. Tho. de actibus voluntatis vt libera, qui sine deliberatione esse non possunt.

4. Explicatio.

Quinta explicatio est, quòd vltima, & proprijssima differentia hominis, est intellectualitas, prout radix indifferentiæ, & libertatis: illæ ergo dicuntur actiones humanæ, & hominis, in quantum homo, quæ ab illo illa peculiari ratione constituto procedunt: quæ vtique sine deliberatione esse non possunt.

5. Explicatio.

Vltima explicatio est, hic agere D. Th. de actibus humanis, prout conducunt ad vitã æternã, vtique vt merentur laudem, vel vituperium, quos constat necesse fore deliberatos: quia naturalibus neque meremur, neque demeremur.

6. Explicatio.

Omnes prædictæ explicationes inter se contrariæ non sunt, sed meo videri, diuersis terminis idem explicant. Idẽ enim est, esse

est,esse actionem,in qua se moueat moraliter,& esse actionem moralem, & esse humanam,quantum ad modum libertatis, & procedere à voluntate vt libera, & non vt natura:& procedere à particulari cõstitutiuo hominis,vt radix indifferẽtiæ, & esse actionẽ dignã laude,vel vituperio:quæcũque enim actio,in qua vna explicatio reperitur;reliquascõtineat necesse est.Vnde ad hoc deueniunt omnes,q̃ vt actio sit humana,prout hìc moraliter loquimur, debet esse deliberata,& propter finem: nam actio precedens deliberationem, non habet modũ humanũ,cõsistentẽ in deliberatione,vt dictũ est:neque potest mereri laudẽ,vel vituperiũ;cũ sit merè naturalis:neque in illa potest dici,agere propter finẽ, quia hoc dicit mouere se in finẽ: in actionibus autẽ precedẽtibus deliberationem, potiùs mouetur,quàm se moueat:in actibus autem deliberatis prædicta omnia reperiuntur,vt dicantur humani.

Nota.

Pro pleniori intelligentia notandũ, q̃ deliberatio sumitur dupliciter. Vno modo strictè,vt importat ordinẽ mediorũ in finẽ: vnde deliberatio isto modo, solum in actu electionis reperitur.Alio modo sumitur pro actu indifferẽti & libero,quod etiã in actu intẽtionis reperitur: intentio enim(vt hìc notat Conradus) licèt quoad specificationẽ sit naturalis, & necessaria: quoad exercitiũ tamen libera est. Dicit ergo S.Tho.ad actionẽ humanã non requiri deliberationẽ strictè dictã,sed vt tãtum dicit liberã: vnde & intentio quoad exercitiũ,actio humana est.Et si dicas:Qualiter potest esse humana? quia non potest esse propter finem, quia ipsa versatur circa finem,& solùm actiones circa media, propter finẽ dicuntur:ad esse autem actiones humanas, requiritur esse propter finem: Respondetur primò, ex Conrado, quòd actus intentionis,licèt terminetur ad finẽ, prout tamẽ in exercitio fit,liberè potest in aliũ finẽ ordinari,vt in vitam æternã:quia prout in exercitio libera,meritoria potest esse vitæ æternæ. Secundò resp. quòd ly Propter,aliquãdo significat rationem extrinsecã:vt cũ dicitur Medicinã diligi propter sanitatem, ly Propter, rationem extrinsecã importat.quia non est formaliter in ipsa Medicina sanitas:aliquando autem ly Propter dicit rationem intrinsecã: vt cũ dicitur,cibũ diligi propter suauitatem, quæ vtique in ipso cibo formaliter reperitur. Potest ergo dici,actus intentionis esse propter finem, si ly Propter, dicat rationem intrinsecã,quia tendit in finem, quia finis est:sicut & actus amoris dicitur finis, propter bonitatem eius.Dicit ergo D. Th. ad esse actionem humanam,requiri,esse liberam, & propter finem, si ly Propter dicat actionem extrinsecã, siue intrinsecã.

Conrad.

Obiectio.

Solutio.1.

Solutio.2.

Ad 1.arg.

Ad primũ arg. resp. per explicationes supra positas : omnes enim illi actus sunt hominis materialiter, vel quoad substantiam &c.non autem formaliter, & quoad modũ,prout hìc accipitur actio humana.

Ad 2.arg.

Ad secundũ arg.resp.illos actus esse liberos,& deliberatos,licèt nõ in se, tamen in sua causa, quia tenebantur deliberare. Idem dicendũ est de illo,qui versatur circa malũ ex inaduertentia culpabili, cùm teneretur aduertere:tunc enim virtualiter est deliberatio, licèt non formaliter; hoc tamen sufficit ad actionem humanam.

Ad 3 arg.

Ad tertium resp. ex Medina hìc, illos actus esse humanos,& deliberatos antecedẽter,licèt in se formaliter sint necessarij: quod clariùs dicitur,illos actus esse humanos in termino, & similiter deliberatos. Neque valet impugnatio aliquorũ,nã visio beatifica Christi Dñi,& puerorũ decedentiũ ante vsum rationis,est eiusdẽ ratio nis cũ visione adultorũ:cùm tamen visio Christi Dñi,& puerorũ,nõ sit humana,neque libera antecedẽter,vel in termino(nõ inquã,valet)quia licèt in ratione visionis, & hæreditatis correspondentis gratiæ,sint eiusdẽ rationis:in ratione tamẽ præmij & coronæ distinguuntur:adultorũ enim visio habet rationem præmij & coronæ, in pueris autẽ minimè:vnde in ratione termini aliã considerationẽ moralem potest habere visio adultorũ,qua ratione terminati uè dicatur actio humana, & libera, quod in pueris habere non potest.Vel secundò faciliùs respondetur, quòd D.Tho.hìc loquitur de viatoribus.

Impugna.

Solutio.

Ad 4. arg.

Ad vltimum argumentum resp. quòd actio humana præcisè, vt importat actum voluntatis, potest esse in instanti: quoad actus verò quos requirit antecedẽtes ad deliberationem, requiritur tempus in nobis,ratione imperfectionis:nã si deliberatio perfecta est,vt in Christo Dño,nõ requirens inquisitionem,sed tantùm iudicium practicum, cum indifferentia in instãti,etiam deliberatio esse potest;in nobis autem, quia præter iudicium practicum, inquisitionem supponit, quæ in instanti esse non potest,requirit tempus : ex quo quidem sequitur, esse terminos synonomos, Actio humana, Actio hominis in

quantum homo, & actio libera, & actio cuius homo habet dominium.

DVBIVM II.

Vtrùm sit vera illa propositio Diui Thomæ, quòd bonum & finis sunt idem.

1. Arg. PRobatur quòd nō. Primò: Vna diuina persona amatur ab alia vt bona; & tamen non vt finis: ergo non est eadem ratio boni & finis.

2. Argu. Secūdò: Bonū est quid superius ad finē & ad media: ergo nō coincidunt bonū & finis. Patet cōsequētia: quia superius cū inferiori conuerti nō potest. Antecedens verò probatur, quia ens est superius ad finē & media: ergo bonū est superius ad illa. Patet ista cōsequentia: nā italatè patet bonū, sicut ens. Secūdò probatur principale antecedens: nā possumus apprehēdere aliquid vt bonū, & nescire an sit propter se, an propter aliud amabile: ergo ratio boni superius quid est ad finem & media.

3. Arg. Tertiò arguitur: Bonū est causa efficiens volitionis: ergo nō cōuertitur cū fine. Patet consequentia; nā licèt finis & efficiens sint vnū specie (vt patet in generatione, in qua producens & productū conueniunt in forma specifica) nō tamē sunt idē numero: alia enim est forma producentis, & alia producti, quæ habet rationē finis. Antecedens verò probatur: Bonū est obiectū potētiæ passiuæ: ergo habet rationē efficiētis. Patet ista cōsequentia ex D. Thom. 1. p. q. 77. art. 3. vbi ait, obiectum potentiæ passiuæ agere in illam.

4. Arg. Quartò arguitur: Bonū & finis distinguuntur definitione: ergo distinguuntur formaliter: ergo formaliter non sunt idē. Antecedens patet, nam finis est cuius gratia aliquid fit: bonum autem secundùm Aristot. est quod omnia appetunt: diuersa est ergo definitio vtriusque.

Durand. Scot. Ferr. Caiet. In hac re est multiplex sentētia. Durād. in 2. dist. 54. q. 7. ait, nullo pacto bonum & finem esse idem. Scot. in 1. dist. 1. q. 3. dicit nō esse idem vniuersaliter, sed aliquando, quia datur aliquod bonū quod nullo modo est finis. Ferra. 1. cont. Gent. c. 37. & 3. cont. Gent. c. 17. dicit, esse idē fundamētaliter, nō verò formaliter; quod etiā videtur sequi Caiet. 1. p. q. 5. art. 4. Alij verò dicūt esse idem secundū significationem implicitā; non verò explicitā: ad rationem enim perfectā finis duo requiruntur. Primū, esse propter se appetibilem: secundū, quòd alia propter ipsum appetantur. Primū quidem dicit rationem boni: secundū autem rationem cōpletā finis. Vtrunq; ergo coniunxit D. Tho. in eadē quasi ratione obiecti voluntatis: vnde implicitè vtrunq; continetur, licèt explicitè ab inuicem vtrunque distinguatur.

Not. Pro explicatione notādū, quòd bonū quatuor includit. Primum, quòd habeat quæ sibi debentur, secūdum exigentiā suę naturæ. Secūdò habet relationem conuenientię, in ordine ad propriam naturā subiecti. Tertiò habet esse perfectiuum alicuius extrinseci. Quartò dicit ordinem ad potentiā extrinsecam appetentem quam perficit. Ratio ergo essentialis boni nō cōsistit in omnibus istis simul: ratio enim essentialis cùm debeat esse vna, ex multis cōflari non potest. Eo vel maximè, quia ex his rationibus aliquæ sunt absolutæ, aliquæ verò relatiuæ: ex absoluto autē & relatiuo, vna essentia cōstare non potest: solūm ergo consistit essentia boni in primo istorū quatuor, illud enim est absolutū, reliqua verò important relationem: cū ergo ratio boni sit ratio absoluta secundùm D. Thom. q. 21. de verit. artic. 6. quia bonum & perfectum idem sunt, vt ait D. Th. 1. p. *D. Thom.* quæst. 5. relatio autē minimæ sit perfectionis; inde fit, in absoluto, & non in relatiuo bonū debere consistere, & consequenter in illorum quatuor primo, & nō in conuenientia alicuius, vt dixit Suar. tom. 1. Met. disp. 10. sect. 1. Neque etiā sustinendus est *Suarez.* Vazquez hìc disp. 1. cap. 2. & 1. p. disp. 23 *Vazquez.* cap. 4. & cap. 5. asserens, bonū esse duplex: alterum bonū in se, & hoc cōstitui per absolutū prædictū; alterum verò bonum per respectum ad aliquod cui dicitur bonum, quia illi conueniens; & hoc cōstitui per relatiuum; nō, inquam, hoc est verum, quia ratio boni eadem est in omnibus, vnde per idem debet constitui. Sed de constitutiuo essentiali boni latiùs agitur 1. p. quæst. 5. art. 4. Videatur ibi Caiet. Ferrar. 3. cont. gent. cap. 17. & alij Thomistæ, Halens. 1. *Cai. Ferr. Halensis.* p. quæstion. 17. memb. 3. Item Caiet. 1. 2. quæstion. 1. articu. 1. & si placet, videantur etiā extra Scholā D. Th. cū cautela tamē, Suarez, tom. 1. Meth. disp. 10. sect. 2. n. 1. Vazquez hic, art. 2. disp. 3. c. 3. Ex quo sequitur, quòd quādo Caiet. dicit, bonū esse appetibile fundamētaliter, nō debet intelligi de appetibilitate proxima, sed de remota, hoc enim quod est habere debitas suę naturæ, est fundamentū radicale, & remo-

tum

tũ appetibilitatis, & in illo cõsistit ratio boni, non autẽ in ipsa appetibilitate, quæ est fundamentũ proximũ appetitus. Explicata ergo ratione boni, restat explicare rationẽ finis, vt sic videatur, vtrũ ratio vnius, sit ratio alterius. Ratio ergo finis supra prędictã rationẽ boni superaddit respectũ ad media, &, vt alij dicunt, ad ipsam voluntatem, quod quidem patet ipsa definitione, cùm dicitur: Finis est, cuius gratia aliquid fit: in hoc enim importatur habitudo ad volũtatem exequentem, & ad media, quæ ad finis consequutionem apponuntur.

1. Concl. D. Tho. Prima conclusio: Bonum & finis non solùm sunt idem fundamentaliter (vt volebat Ferrara) sed neque etiam sunt idem omnino formaliter. Prima pars probatur: quia D. Thom. 3. cont gent. cap. 17. dicit, quod bonum, in quantum bonum, est finis; ista autem reduplicatio non solùm debet importare identitatem fundamentalem. Secundo probatur: Identitas fundamentalis non sufficit ad verificãdum vnũ de altero; sed finis verificatur de bono: ergo maiorem identitatem habet quàm fundamentalem. Antecedens probatur, nam vnum & verum, bonum & pulchrum, habent identitatem fundamentalem, non tamen alterum de altero verificari potest in prædicatione formali; licèt enim fundamentaliter idem sint, si formaliter distinguantur, ad inuicem non prædicantur: distinctio enim formalis (immò & rationis ratiocinatæ) sufficit falsificare propositionem. Secunda pars antecedentis probatur ex vltimo argumento à principio posito, nam bonum & finis habent distinctas definitiones, &, vt dictum est in notabili, finis superaddit ad bonum: ergo non sunt omnino formaliter idem.

2. Conc. Secunda conclusio; Bonum & finis absolutè possunt dici formaliter idem si sumantur in actu exercito: eadem enim quę prædicantur de bono, affirmantur etiam de fine: sicut enim bonum est quod omnia appetunt, ita & finis est quod primò mouet appetitum, quod insinuatur in eius definitione, quòd finis sit cuius gratia aliquid fit, & sicut bonum habet ex se quòd ametur, ita & finis quòd propter se diligatur: vnde *Arist.* Aristot. 1. Ethicor cùm dixisset: Bonum est quod omnia appetunt, statim subiunxit; finium alij sunt operationes etiam; quasi idem esset diuidere finem, ac diuidere bonum; existimans vtrunque esse idem.

Not. Pro cuius explicatione notandum, in qualibet causa duò reperiri. Et rationem quæ, explicatã per definitionem: & rationem qua, habentem se vt principium agẽdi, vt est forma vel potentia ipsius agentis: in fine ergo ratio quæ, est ipse finis; ratio vero qua, seu forma vel principium causandi, est bonitas. Dicimus ergo, quod licèt bonitas & finalitas, definitione, & formaliter, & in actu signato, & prout proprijs conceptibus explicantur, habeant distinctionem; tamen in actu exercito finalizandi, sic sunt coniunctæ, quod bonitas est ratio qua finis mouet: vnde hac ratione dicuntur idem, quia ex vtroque, vt ex ratione quæ, & subqua, constituitur finis vnus in ratione mouentis. Et si contrà *Obiectio.* arguas: quia si in actu signato distinguuntur, etiam in actu exercito distinguentur; nam ratio exercita non est alia à signata: Respondetur, quòd in actu signato considerantur in ordine ad proprios conceptus, vnde possunt habere distinctionem; *1. Solutio.* in actu vero exercito, & vt est consideratio rei prout in re se habet, possunt esse idem; vnde ex eo quòd in actu signato distinguantur, non sequitur, in actu exercito habere distinctionem. Vel secundò respondetur, probare etiam in exercitio habere aliqualem formalem distinctionem explicatam per distinctam definitionem: non autem probare, quòd altera ratio, nempe boni, non sit ratio agendi finis: quod nos asserimus in conclusione. Per *Obiectio.* hoc etiam patet ad argumentum quod solet fieri: nam in fine, prout terminat simplicem amorem, est ratio boni, non autem ratio finis; nam hoc habet vt terminat actum intentionis per ordinem ad media: ergo ratio boni & finis non sunt idem, siquidem ab inuicem separantur. Responderi posset ad hoc argumentum, in obiecto *1. Solutio* simplicis volitionis reperiri rationem primariam finis, quod est diligi propter se: secundariam, quod est alia diligi propter ipsum, non reperiri, hoc autem sufficere, vt bonum & finis idem sint, quia secundùm primarias rationes inseparabiles sunt. Sed hoc non multum placet, quia formaliter etiam ad rationem formalem finis pertinet, alia diligi propter ipsum: vnde si hæc ratio separatur, absolutè dicendum est, rationem boni reperiri separatam à ratione finis formaliter considerata, nam radicaliter tunc etiam finis est, quia finis radicaliter conuertitur cum ratione boni. Melius ergo dicendum est ad argumentum, secũdùm prędicta pro- *2. Solutio*

bare,bonū & finem distingui formaliter: siquidē ratio vnius sine ratione alterius reperitur;nō autem probare,non conuerti, & esse idē in exercitio,quanuis ratio finis actu finalizare nō possit, nisi media ratione boni:quo quidē modo diximus intelligēdā esse propositionem Diui Thomæ.

3.Concluſ. Tertia cōclusio:Idētitas prędicta inter bonū & finē,nō solū intelligitur de bono perfecto propter se amabili,quod reperitur in fine vltimo,sed etiā de bono amabili propter aliud,quod reperitur in medijs: itaq; præcipue intelligitur de bono propter se,& nihilominus extēditur ad bonū propter aliud.Prima pars probatur: nam D.Th.loquitur præcipuè de bono quod est obiectū volūtatis: sed hoc est bonum propter se amabile:ergo.Probaturminor, quia illud est per se obiectūpotētię,quod per se mouet illā: sed quod per se mouet volūtatē,est bonū propter se,nā huiusmodi est per se appetibile:ergo bonūpropter se,est per se obiectum volūtatis. Cōfirmatur:nā bonū de quo præcipuè D. Tho.dicit conuerti cū fine,habet se advoluntatē, vt color ad potētiā visiuā,vt asserit idē D. Tho.in corpore:color autē respectu potētiæ visiuæ est obiectū per se illius: ergo bonū de quo loquitur, est bonū quod est obiectū per se volūtatis: huiusmodi autē est bonū propter se amabile: ergo de hoc præcipuè loquitur D. Tho. Secūda pars conclusionis probatur:Medijū habet etiā rationē finis,licet nō perfecti & vltimi,tamē imperfecti & intermedij; ergo bonū medij est idē cū hac ratione finis reperta in medio:itaq;,sicut ratio boni perfecti & propter se appetibilis,est ratio qua,mouēdi in finē vltimū,ita ratio boni imperfecti appetibilispropter aliud est ratio qua,mouēdi in medio. Videatur D.Tho. 1.p.q.5. ar.6.& Capr.in 1.dist.3.q.3.art. primo.

Confirm.

D.Thom. Capreo.

Ad 1.arg. Ad 1. arg. à principio respōdetur, hic loqui D.Tho. de bono quod est obiectū volūtatis creatæ,hoc enim cū fine conuertitur, quia vt infrà dicetur, omnis actio creata humana,est propter finē. Vel Secūdò respōdetur,personā diuinā habere rationē finis primariā, nō verò secūdariam: primaria enim est,quòd propter se sit amabilis, secūdaria verò quod alia propter se diligantur: quælibet ergo diuina persona respectu alterius habet primū,nō secūdū. Vel tertiò respondetur, quòd omnis finis est bonū,nō autē omne bonū est finis; quia,vt dictū est,bonū est ratio qua, mouendi finis;vnde in exercitio cōuertūtur: nō autē intendit D.Thom.bonum reperiri non posse sine ratione finis.

Ad 2.arg. Ad 2.resp.bonū esse quoddā superius ad finē vltimū,non autē ad finē,vt finis se extēdit ad vltimū & intermedium; vnde bonū conuertitur cūfine in tota sua latitudine. Vel secūdò respōdetur,bonū non esse superius ad finē vltimū,quia, vt infrà dicetur,mediū nō habēt aliā bonitatē quā à fine participatā,vel si quā habet,illa non attingitur nisi sub bonitate finis; vnde formaliter loquendo,vt avolūtate attingitur, idem est bonitas,& finis bonitas.

Ad 3.arg. Ad 3.resp.esse inconuenies,idē numero esse finē & efficiens respectu eiusdē;nō tamē si sit secundùm diuersam rationem: obiectum ergo voluntatis in mouendo, est bonum;in terminando verò, finis.

Ad 4.arg. Ad 4.arg.resp.ex dictis,nos nō negare, esse diuersam rationē formalem vtriusq;, sed dicimus in exercitio conuerti, quatenus vnū est ratio agendi alterius.

DVBIVM. III.

Virum finis ſit volūtatis obiectum.

1. Arg. PRobatur quòd nō.Primò:Finis est circunstātia actuū humanorū : ergo non est obiectū. Antecedens habetur infrà q.7. Cōsequentia verò probatur,quia circunstantia est accidens;obiectum est substantia & specificans.

2. Arg. Secūdo arguitur:Nā sequeretur,omnē actūvolūtatis esse intentionē;consequens est falsum:ergo.Probatur minor,nam, vt infra videbitur, actus volūtatis diuiditur in intentionē,& electionē, & vsum, &c. Sequella probatur:Omnis actus voluntatis,sicut & cuiuslibet potētiæ,vel habitus, debet ferri immediatè in rationē formalē sui obiecti,vt patet in actu vidēdi,qui immediatius attingit lucē,quācoloratū:ergo si finis est obiectū volūtatis,erit quod immediatius attingitur in actu eius, & consequenter omnis actus voluntatis erit intentio:siquidē intentio est quæ finem immediate attingit.

3. Arg. Tertiò arguitur:quia etiāsequeretur,intentionē & electionē non differre specie: quod etiā est falsum,vt patebit infra q.12. Sequella probatur:nā illi actus sunt eiusdē speciei,qui sub eadē ratione formali tēdunt: sed si finis est obiectū volūtatis,tam intentio,quā electio,debent tēdere sub ratione formali finis, quia nō possunt nō tēdere sub ratione formali proprij obiecti: ergo tam intentio, quàm electio, erunt eiusdem speciei.

Quartò

4. Argu. Quartò arg. Prima principia non sunt obiectū intellectus: ergo finis nō est obiectū volūtatis. Patet cōsequentia: quia sic se habet finis in practicis secūdū Arist. sicut principia in speculabilibus. Confirmatur, & explicatur: nā si propter aliquā rationē finis esset obiectum, maximè quia omnia quæ vult volūtas, vult in ordine ad finem; sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor; nam etiā intellectus omnia quę intelligit, vel sunt principia, vel deducuntur ex principijs; & nihilominus principia non sunt obiectū intellectus: ergo similiter neque finis obiectum voluntatis.

Confirm.

5. Argum. Quintò arg. Bonū & finis formaliter distinguūtur, vt dictū est: sed bonū, est obiectū volūtatis; ergo nō finis. Patet cōsequētia; nā distinctio formalis, vel rationis ratiocinatę sufficit falsificare propositionē; qua propter verū, non dicitur obiectū volūtatis, quia formaliter distinguitur à bono.

6. Argum. Sextò arg. Media nō sūt obiecta per accidēs, sed per se volūtatis: ergo obiectū adæquatū nō est finis. Cōsequētia patet, nā extra obiectū adæquatū nō est exire nisi per accidens, vt patet in visu, qui solū per accidens ratione coloris attingit substantiā: ergo si volūtas nō solū per accidens ratione finis, sed etiā per se attingit, media illa cōtinentur intra obiectū adæquatū, & consequenter finis nō est obiectū adæquatum. Antecedens verò probatur: Media habēt ex se aliquā bonitatē: ergo habent per se, pertinere ad obiectū volūtatis. Patet cōsequentia, nā quod ex se habet rationē obiecti, per se pertinet ad obiectum: istud verò vltimū antecedens probatur ex D. Tho. 1. p. q. 5. ar. 6. vbi diuidit bonū, in honestū, vtile, & delectabile, quorū secūdū mēbrū ad media pertinet. Si respōdeatur, quòd licèt in medijs sit bonitas, illa tamē nō est distincta à bonitate finis, vel si est distincta, nō tamē mouet nisi formaliter sub bonitate finis; vnde nō ponit in numero cū bonitate finis: Cōtrà arguitur, quia inde sequeretur, quòd bonitas vnius medij non sit maior quā bonitas alterius; hoc autē est falsum: ergo. Sequella probatur, nā si bonitas mediorū tantū cōsideratur formaliter vt bonitas, vel sub bonitate finis, cū bonitas finis sit eadē, cōsequēter & bonitas mediorū eadē erit. Si respōdeatur, media esse inequalia propter maiorē proportionem ad finē: Cōtrà, quia hoc inquirimus, vnde habent media maiorē proportionē cū fine: non ex fine, qui vnus est respectu omniū mediorū; ergo ex parte ipsorum, & ab intrinseco, & ex propria bonitate; ergo mediū condistinctū à fine ex se ipso habet rationē formalē obiecti voluntatis, & cōsequēter finis nō est obiectū adęquatū illius.

Solutio.

Impugnatio.

Solutio.

Impugnatio.

In hac re prima sentētia est Conradi asserētis, finē esse obiectū volūtatis, si finis sumatur in larga quadā acceptione, vt se extēdit, tā ad finē intermediū, quā advltimum. *1. Sent. Conr.*

Secūda sentētia est Vazquez asserētis, obiectū adæquatū, nō esse finē in tota sua latitudine: nihilominus finis in particulari, qui est obiectū intētionis, esse obiectum principalitatis, propter quē cætera attinguntur, vt patet in Logica: obiectum adæquatū est ens rationis, principale verò est demonstratio, ad quod cætera ordinātur; & sic inquit intelligi D. Tho. dicentē, obiectū voluntatis, esse finē; & hanc etiā sequitur Salas hic disp. 6. sect. 2. per quā intēdit conciliare Conradū & Caietanū, immò & cū illis extraneos à Schola D. Tho. vt Valentiā, Suarez, tanquā si de ipso scriptum esset, quòd faceret habitare lupū cū agno, & vitulum cum leone simul cohabitare. *2. Sent. Vazquez. Salas.*

Tertia sentētia est Caietani hic, finē proprie dictū, vt est obiectū intentionis, esse obiectū formale, adæquatū volūtatis: quia ratio finis, est ratio volēdi cętera, in quo cōsistit ratio obiecti formalis: ideò enim quidditas rei materialis secūdū ipsum, est obiectū adæquatū intellectus; quia quicquid intelligit, etiā immaterialia, per ordinē ad quidditatē rei materialis intelligit. In modo tamē defendendi prædictā sentētiam, quæ cōmunis est inter Thomistas, adhuc est differentia. Quidā enim dicunt, finem proprie & strictè dictū, esse obiectū adæquatū motiuū; quia semper quis mouetur â fine ad operandū, nō verò esse adæquatū terminatiuū; siquidē ad alia quā adfinē terminatur, nēpe ad media. Alij verò dicunt, non solū esse motiuū, sed etiā terminatiui adæquatū; nā si alia attingit, est materialiter; formaliter enim omnia attingit sub ratione finis, vnde formaliter finis est terminans in omni actione voluntatis. *3. Sent. Caiet.*

Prima conclusio: Finis, de quo D. Th. dicit esse obiectū voluntatis, nō debet accipi in tota latitudine, vt dicebat Cōrad. Probatur; nā D. Th. intēdit probare, hominē in omni actione agere propter finem proprie dictum, vt est obiectum intentionis, & ad hoc assumit hanc propositionem, quòd finis est obiectum volūtatis: ergo in hac propositione loquitur de fine strictè dicto; nā aliàs nō probaret intentū; ex eo enim quòd finis strictè dictus, sit obiectū, *1. Conc.*

bene

bene probat, quòd in omni actione agit propter finem; quia in omni actione agit propter obiectũ: Si autẽ sumeret finẽ cõmuniter, nulla esset probatio; quid enim valet cõsequentia, finis cõmuniter sumptus, est obiectũ voluntatis: ergo in omni actione agit propter finẽ strictè dictũ, vt est obiectũ intẽtionis: argueret enim à superiori ad inferius affirmatiuè. *Obiectio.* Et si cõtrà arguas, nã finis est obiectũ volũtatis, vt cõuertitur cum bono specificãte ipsam: sed bonũ specificans voluntatẽ, est bonũ cõmuniter sumptũ, vt distinguitur cõtra malũ, vt reperitur tã in medio, quã in fine: ergo finis similiter in eadẽ ampla acceptione debet sumi. *Solutio.* Respondetur, bonũ, quod est obiectum volnutatis, esse bonum per se bonum; hoc autem non est nisi bonum finis strictè dicti, nã si voluntas in aliquod bonũ tẽdit, est vt reducitur adbonũper se.

2. Concl. Secũda cõclusio: Finis strictè dictus, vt est obiectũ intẽtionis, est obiectũ adęquatũ, non solũ motiuũ, sed etiã terminatiuũ volũtatis. Prima pars, quæ est cõtra Vazquez (cõmunis tamen Thomistarũ) probatur primò; nã D. Tho. absolutè dicit, finẽ, esse obiectũ voluntatis: ergo loquitur de obiecto adæquato, & non solũ principali. Patet consequentia, quia nullus dicet absolute, demõstrationẽ esse obiectũ Logicæ, quia est obiectũ principale. Secũdò probatur: nã dicit etiã D. Thom. finẽ esse obiectũ voluntatis, sicut color est obiectũ visus; ergo intelligit de adęquato, sic enim se habet color ad visum. Tertiò probatur: nã etiã dicit D. Tho. finẽ esse obiectum, quia omnis actio voluntatis, est secundũ rationẽ finis: omnis autẽ actio potẽtię debet esse secundũ rationẽ sui obiecti: ergo intelligit, esse finem adęquatũ, quia solùm secundũ rationẽ adæquatie st omnis actus potẽtiæ, & non secundũ rationẽ obiecti principalis. Quartò probatur ratione: Finis est specificatiuũ voluntatis: ergo obiectũ adæquatũ. Cõsequentia patet. Antecedens probatur: Est motiuũ: ergo specificatiuũ; quia tantũ mouetur â quo specificatur. Istud antecedens probatur, nã in omni operatione operatur propter finẽ: ergo in omni operatione mouetur à fine. Quinto probatur; Obiectũ principale debet conuenire cũ alijs obiectis partialibus in aliqua ratione cõmuni omnibus, subqua tã ipsum, quã reliqua attingat: sed nulla talis ratio potest assignari respectu finis & mediorũ: ergo finis non est obiectũ principale respectualiorum. Maior patet in Logica: datur enim ratio formalis entis rationis cõmunis, sub qua tã demonstratio, quã reliqua attingãtur, licèt alia ad demonstrationẽ ordinentur: Similiter in Fide, in qua datur ratio formalis primæ veritatis, sub qua attingitur Deus, & alia quę ad Deũ ordinantur. Minor verò probatur, quia nulla talis ratio communis fini & alijs potest assignari; vt enim inquit D. Tho. infrà, q. 8. ar. 3. in nihil tẽdit volũtas, nisi sub ratione finis; in finẽ autẽ propter se ipsum; ergo finis nõ est partiale, sed adęquatum obiectũ, quia nõ tendit in ipsum propter aliã rationẽ, sed propter rationẽ suimet. Nec dicas, quòd tendit in finẽ sub ratione boni, quę cõmunis est: quia, vt dictũ est, bonũ conuertitur cũ fine: vnde idẽ est, tẽdere sub ratione boni, quã sub ratione finis. Cõfirmatur & explicatur: Media nõ appetuntur nisi sub ratione finis: ergo ratio finis, est ratio obiectiua adęquata. Patet cõsequentia, nã illa est ratio adæquata formalis, subqua reliqua attinguntur; ita que sicut motus in imaginẽ est idẽ atq; in rẽ imaginatã, nec est in imaginẽ, nisi propter rẽ imaginatã, nec imago terminat secũdũ aliquid sui propriũ, sed secũdũ rationẽ imaginati in ipsa repræsentati: sic mediũ nõ mouet secundũ aliquid sui, sed vt in ipso bonitas finis participatur, nec volũtas tẽdit in ipsum nisi propter finẽ, & vt ad illũ ordinatur. Nec valet replica Vazquez, nõ esse eãdẽ rationẽ imaginis, & medij: quia in imagine nihil est propriũ, ex quo possit mouere, bene tamẽ in medio, in quo est aliqua bonitas sibi propria vltra participatã â fine: nõ, inquã, valet, tùm quia supponit falsũ, nẽpe mediũhabereali quãbonitatẽ, vltraparticipatã âfine: sed dato haberet illã, nõ habet nisi subordinatã; sicvt materialiter se habeatrespectubonitatis finis, ad cuius mẽsurã bonitas medij regulatur; semper ergo remanet, rationẽ finis esse rationẽformalẽ obiectiuã, subqua cætera attinguntur. Secũda pars cõclusionis probatur, nãformaliter idẽ est obiectũ motiuũ & terminatiuũ: si ergo sẽper mouetur à fine, semper terminatur formaliter ad finem. Antecedens patet in ente, quod quia est obiectũmotiuũ intellectus, ad nihil formaliter terminatur intellectus nisi ad ens; quia quicquid attingit, est sub ratione entis. Similiter in colore; quia est â quo mouetur visus, nihil terminat visionẽ, nisi sub ratione coloris. Similiter ergo erit in obiecto voluntatis, si obiectum motiuum est finis, similiter erit & terminatiuum formaliter,

D. Thom.

Impugnatio Vazquez.

Solutio.

formaliter,ita vt nihil attingatur nisi sub ratione finis. Dixi,formaliter, quia materialiter multoties attingit potentia extra obiectum motiuum,vt Intellectus intelligit nō entia, formaliter tamen non attingit nisi ens,quia non ens intelligit sub ratione entis:similiter materialiter ad amplius terminatur Voluntas,quàm ad finem,quia & ad media, formaliter tamen tātū ad finē,quia media non attingit nisi sub ratione finis.

1. Arg. Nihilominus contra istam conclusionem sunt aliqua argumenta, nam simplex volitio finis, non est propter finem : licèt enim intentio finis, sit causa volendi media,non tamen volendi ipsum finem simplici volitione:simplex enim volitio finis præsupponitur,& est prior, quàm intentio finis:prius autem non dependet à posteriori:ergo ratio finis non est ratio obiectiua adæquata,si quidem datur aliquis actus Voluntatis tendens non sub ratione finis.

2. Arg. Secundò arguitur:nā si ratio finis est ratio obiectiua adæquata, quia omnia sunt propter ipsum finem,sequitur,potiùs ponendam esse rationem fruitionis pro obiecto adæquato,quia illa est omniū vltima, & sicut media sunt propter finem, ita & media & finis sunt propter fruitionē finis.

3. Arg. Tertiò arg. In nullo habitu obiectum alicuius actus particularis illius,potest esse obiectum adæquatum talis habitus : ergo similiter in Voluntate obiectū particularis actus,qualis est intētio, non poterit esse obiectum adæquatum totius potentiæ. Antecedens patet,verbi gratia,in iustitia: emptio enim,vel vēditio,quę est obiectū actus particularis Iustitiæ,non potest esse obiectum adæquatum Iustitiæ.

Ad 1. arg. Nihilominus ad primū horū respondetur, q licèt simplex volitio finis, sit prior ad intentionē;quia tamen præsupponitur ad ipsam,& est radix intendendi finem, reducitur ad ipsam intentionē, & ex participatione finis, saltim radicaliter, specificatur ille actus.

Ad 2. arg. Ad secūdum respondetur,q licèt fruitio in exequutione sit vltima, non tamen est potissima nec prima in intentione: sed talis est ratio finis. Itaque sicut in naturalibus potissimū & intentū naturæ est introductio formę,& ad illā ordinātur,tam quę præuia sunt,vt dispositiones, quā illa quæ subsequuntur,vt passiones: ita similiter in præsēti potissimū est adeptio finis, & propter ipsā sunt tā prę uia,scilicet media, quā quę cōsequūtur,scilicet fruitio:sic enim docuit Arist.finē naturæ nō esse fruitionē & delectationē,sed operationē:immò adhoc posuit natura delectationē consequentem operationē,vt operatio exerceatur: vnde quod operationem subsequitur, ad operationem ordinatur. *Ad 3. arg.*

Ad tertiū respondetur, q cùm habitus moralis dirigatur à prudentia,quę respicit singularia, nunquā potest habere actum nisi circa obiectum singulare;quapropter nullū obiectū alicuius actus,cùm omne sit singulare,potest esse obiectū adæquatū toti⁹ habitus:in potētijs autē vel in habitibus speculatiuis nō ita se habet;quia cū possit actus aliquis particularis illius terminari ad cōmune obiectū alicuius act⁹ singularis, potest esse obiectū adæquatū totius potētiæ vel habitus. Hoc patet manifestè in intellectione primi cogniti:quādo Intellectus intelligit ens,certū est, obiectū illius actus,esse obiectū totius potentiæ : cū ergo Voluntas sit potentia spiritualis,potest per actū singularem attingere obiectū cōmune adæquans totā potentiam. Et si contrà dicas, q,vt patet ex D. Th.q.8.sequēte, & specialiter ex Caiet.infrà q.66,art.3. & 1.par.q.80.art.2.ad 2.bonū essentialiter respicit existentiā,in quo distinguitur à vero abstrahēte ab illa:qua ratione Intellect⁹ dicitur potentia abstractior:ergo Volūtas respicit singularia,sicut potētia materialis, vel habitus moralis; quia existētia non est nisi singulariū:Respōdetur,tendentiā Volūtatis,esse mediam inter tendentiā potentiæ purè materialis,& tendentiam Intellectus:non enim Volūtas appetit abstracta, quę respicit Intellectus,sed concreta & in re existētia,quia vt sic sunt bona,vt probat argumētū; nō tamē sic in singulari tendit, sicut potentia moralis;quia enim spiritualis potētia est, potest tēdere in obiectū cōmune,non cōmunitate Logica abstractionis, sed communitate indeterminationis: appetit enim naturaliter beatitudinē, sine determinatione in quo beatitudo cōsistat: ecce ergo qualiter Volūtas per actū particularē potest tēdere in obiectū sufficiēter cōmune, vt sit adæquatū totius potentiæ. Vel dicitur,q bonū respicit existentiam: sed bonū in cōmuni,quod per actū singularē Volūtatis potest attingi,respicit existētiā in cōmuni,hoc est,signatā, & nō exercitā,vt hic & nunc;quapropter obiectum vnius actus potest esse obiectum adequatum potentiæ. *Obiectio.* *Solutio.*

Ad

Ad 1. arg. Ad primum argumentū à principio respondetur, finem esse in duplici differentia; alium operis, alium vero operātis: ille est circunstantia: ille verò substantia, quia est obiectum specificans; non ergo loquimur de isto fine, sed de illo.

Ad 2. arg. Ad secundū respōdetur, q̄ licèt omnis actus volūtatis terminetur formaliter ad finē, nō tamen omnis actus terminatur ad finē vt volitū, sed aliqui vt ad rationē volendi tantū: vt ergo sit intētio, nō sufficit, vt cunque terminari ad finē, sed requiritur terminari ad ipsum vt immediatè volitū: electio ergo differt ab intētione, quia licèt formaliter attingat finē, immediatè tamen terminatur ad mediū, licèt sub ratione finis; quod clarius dicitur, intētio terminatur ad finē vt in se, electio ad rationē finis vt participata in medio: hoc ergo sufficit ad distinctionē horū actuū, & similiter ad differentiā specificā illorum. Per quod patet ad tertium argumentum.

Ad 4. arg. Ad quartū argumentū respōdetur, nō esse eandē rationem de fine respectu mediorū, atq; de primis principijs respectu cōclusionū: cōclusio enim habet specialē veritatē vltra veritatē principij, ex qua possit attingi ab intellectu: mediū verò nō habet aliā bonitatē, quā bonitatē finis participatā in ipso: vnde ratio finis potest esse adequata ratio obiectiua, quia nihil est extra ipsam, nō autē ratio principij, extra quod est aliquid attingibile in cōclusione. Secūdò respōdetur, principia nō esse obiectū, quia vltra rationē quā cōclusio cōmunicat, est ratio tertia, nēpe entis, sub qua vtrūque, tā principiū, quā cōclusio attingitur; vnde ista ratio habet rationē obiecti adæquati, in fine autē respectu mediorū non ita, sed ratio finis est sub qua attingitur mediū, nec est alia ratio distincta sub qua finis & mediū attingi possint, siqua enim esset, maxime ratio boni: hęc autem, vt dictū est, à fine nō distinguitur. Illa autē maxima, Quòd sic se habet finis, &c. nō tenet quoad omnia cōparatio, sed tantū in eo, q̄ sicuc veritates cognoscūtur tantū propter principia, sic media tantū appetūtur propter finē: sicut enim finis, est principiū appetēdi media, sic principia prima, cognoscendi conclusiones. Et per hoc patet ad confirmationem.

2. Solutio.

Ad 5. arg. Ad quintū arg. resp. q̄ licèt formaliter nō omnino sint idē, bonū & finis, in exequutione tamē idē sunt, vt dictū est. Vel aliter dicitur, q̄ quādo dicitur, finē, esse obiectū volūtatis, nō loquimur de ratione formali specificatiua, sed de ratione formali exercita, quæ rationē formalē specificantē cōcomitatur in exercitio. Exēplum est in vero, dicitur enim obiectū intellectus; quod nō debet intelligi de ratione formali specificāte; hæc enim est ratio entis: sed intelligitur de ratione exercita: eo enim ipso q̄ ratio entis obijciatur intellectui cū adæquatione illius, resultat verū. Ecce ergo qualiter verū est cōditio exercita in obiecto. Similiter contingit in obiecto voluntatis, hoc enim est bonū, sed eo ipso q̄ bonū, vt obiectū volūtatis, appetatur ab illa, sequitur, in exercitio esse finē illi?: vnde ratio finis, est conditio exercita, & sic dicitur, esse obiectum voluntatis, sicut verum intellectus.

Ad 6. arg. Ad sextū arg. resp. vtibi, & vltra dicitur, media nō esse obiectū per accidēs, sed per se, vt distinguitur cōtra per accidēs; quod nō tollit terminare actū volūtatis per aliud, nempe per bonitatē finis, quā participant, vel per ordinē ad finē cui subordinātur. Ad replicā ibi factā respondetur, q̄ licèt in medijs nō sit bonitas propria & intrinseca, potest esse inæqualitas mediorū penes diuersam participationē bonitatis finis, quæ licèt in se sit eadē, in medijs potest diuersō modo participari. dato enim, q̄ media nō habeant bonitatē intrinsecā inæqualem, per quā inæqualiter fini possint deseruire, potest intelligi in medijs inęqualis aptitudo ad recipiendā bonitatē finis, sicut in instrumentis respectu causæ efficientis: licèt enim instrumenta nō habeāt aliquā actiuitatē propriā, & intrinsecā respectu effectus causæ principalis, sed omnis actiuitas sit ab extrinseco participata ex causa principali, nō tamen ideò sequitur, instrumēta non esse inæqualia, licèt actio agētis principalis sit eadē, quia est inæqualis aptitudo in diuersis instrumentis ad inæqualiter recipiēdū influxum causæ principalis agētis: sic ergo de medijs, quæ respectu finis sic se habent, sicut instrumēta respectu causæ efficientis: vnde diuisio boni in honestum & vtile, analoga est, nō analogia proportionalitatis, sed attributionis, sicut sanū, quod formaliter tantū est in animali, extrinsece in vrina: sic vtile, est bonum ab extrinseca ratione finis, quatenus ad illā ordinatur. Vtrùm autē detur actus medius, qui nec sit circa finem, nec circa media, vt volebat Scot⁹, ex quo facilè probaretur, nō esse adęquatū obiectū, finē qui terminat intētionē; non est prȩsentis loci;

sed

sed de hoc agetur infrà q. 8. art. 2. & 1. p. q. 5. vbi definitur, talem actum non esse possibilem.

DVBIVM IIII.

Vtrùm illa cõsequentia D. Tho. sit bona, Finis est obiectũ formale Voluntatis: ergo omnes actiones humanæ sunt propter finem.

1. *Arg.* PROBATVR quòd non. Ista cõsequẽtia nihil valet: Color est obiectũ visus: ergo omnis actio visus est propter colorẽ: licèt bene sequatur, ꝙ omnis actus videndi, sit in ordine ad colorem, vel terminetur ad colorem: ergo similiter cõsequentia D. Tho. nulla erit.

2. *Argu* Secũdò arg. nã alias sequeretur, actiones brutorũ esse propter finem, quia etiã terminantur ad sua obiecta.

3 *Argu.* Tertiò arg. nã etiã sequeretur, actiones naturales volũtatis esse propter finẽ, quia respiciũt vt obiectũ, finẽ, & bonum: consequens autẽ est contra D. Tho. nam illi actus non sunt humani, & consequenter nec propter finem.

Not. Nihilominus cõsequẽtia facta à D. Th. optima est. Pro cuius intelligẽtia notãdũ, ꝙ agere propter finẽ, sumitur dupliciter. Primò, largè, vt idem sit, quod tendere, vel terminari ad finẽ, & sic generaliter sequitur, ꝙ si finis est obiectũ Volũtatis, in omnibus actibus debeat Volũtas agere propter finẽ; quia in omnibus actibus debet potẽtia tendere in suũ obiectũ. Secũdo modo sumitur agere propter finẽ, vt idem sit quod agere deliberatè in ordine ad finem, & sic ex eo ꝙ finis sit obiectũ Voluntatis, nõ sequitur, ꝙ volũtas in omnibus actib⁹ debeat agere propter finẽ, sed ꝙ ei cõpetat agere propter finẽ, vtique in aliquib⁹ actibus, sicut cõtingit in actibus circa media, in quæ tẽdit ex deliberatione: vnde D. Thom. non absolutè intulit: Ergo omnes actiones Volũtatis sunt propter finẽ; sed sic intulit: Ergo omnes actiones humanæ, sunt propter finẽ: actiones autẽ humanæ, vt diximus, solũ sunt illæ quæ sunt hominis vt homo, secundũ propriũ modũ hominis, scilicet libertatis; vnde actiones naturales procedentes à Volũtate vt natura est, nõ sunt humanę, nec propter finem. Si autẽ interroges de actu qui est circa finẽ, dico, ꝙ ille nõ est propter finẽ formaliter, quia nõ ex deliberatione est; de fine enim nõ est consultatio, vt docuit Arist. 3. Ethi. c. 3. & D. Tho. infrà q. 14. art. 2. radicaliter autẽ humanus, vel deliberat⁹ dicitur, quia est principiũ totius deliberationis incipiẽtis ab ipso: si autẽ aliquando etiam de fine est cõsultatio, est per accidẽs, quatenus nõ constat de ipso certò esse finẽ: sicut & de principijs, nõ est discurs⁹ circa illa per se loquẽdo, sed solũ circa cõclusiones: per accidẽs autẽ potest esse discursus ex ignorãtia alicuius circa illa: quæ autẽ sunt per accidens, extra artem sunt secũdũ Philosophũ. vnde sicut absolutè dicitur, principia non probari, ita dicendum est, circa finem non esse deliberationem. *Arist.* *D. Tho.*

Ad 1. arg. Vnde ad primũ arg. resp. hanc esse differẽtiam inter volũtatẽ & reliquas potentias, ꝙ Volũtas est appetitus totius hominis, nõ autẽ aliæ potẽtiæ: quapropter obiectũ Volũtatis, qua ratione est finis volũtatis, est finis hominis: obiectũ verò alteri⁹ potẽtiæ licèt sit finis illius, nõ est finis hominis: in actibus ergo circa obiectũ Volũtatis dicitur agere propter finem, quia tale obiectũ est hominis finis, nõ autẽ in actib⁹ aliarũ potentiarũ, secluso cõcursu Voluntatis. Vel secũdò clariùs respõdetur, quòd agere propter finẽ, denotat agere ex ratione & deliberatione: hoc autẽ solũ cõpetit Volũtati in ordine ad suũ obiectũ: vnde in illa solũ sequitur, tẽdere in finẽ, esse agere propter finẽ: reliquæ autẽ licet in finẽ tẽdãt, nõ dicũtur agere propter finẽ, quia nõ ex deliberatione tendũt in finẽ. Et per hoc patet ad secũdũ, bruta enim licèt tendant in finẽ, nõ ex deliberatione: vnde nõ propter ipsum, nisi forsan materialiter: hîc autẽ formaliter loquimur. Similiter patet ad tertiũ, Volũtatem in actibus naturalib⁹ nõ agere propter finẽ, licèt attingat finẽ, quia nõ ex deliberatione procedit: in illis enim actibus procedit vt natura, non vt libera. *2. Solutio.* *Ad 2, arg.* *Ad 3. arg.*

DVBIVM V.

In quo consistat causalitas finis. *1. Senten.*

PRIMA sententia est Ioan. de Gandauo, vt refert Flandria 1. Meth. q. 9. art. 3. ꝙ finis exerceat munus causæ finalis, vt habet esse in exequutione: quia de ratione finis est, esse vltimũ: quod solũ habet vt in exequutione; quatenus autem est in apprehensione, habet efficere, non autẽ finalizare. Hæc tamen sententia improbabilis *Reijcitur 1. sent.*

bilis est:nã finis,vt in exequutione,potius est effectus,non solũ causæ efficientis,sed etiam mediorum, quorum finis est causa: non ergo est causa finalis vt in exequutione habet esse.Nec fundamentũ huius authoris aliquid valet,nam finis,vt habet rationem causę,non est vltimum,sed potiùs primum;prima enim causa est finalis, est autem vltimum in ratione effectus.

Sent. Secunda sententia est aliorũ, quòd causalitas finis nihil aliud est,quàm ordinatio actus voluntatis in finem: itaque quòd actus voluntatis sit, est ab efficiente, sed quòd in talem finem tendat,est effectus finis.Fundamentum illorum est, nam vt dicit definitio,Finis est,cuius gratia aliquid fit:in quo denotatur, proprium effectum finis esse, actum in ipsum ordinari. Item quia non potest intelligi aliquid aliud,nisi prædicta ordinatio:ante operationẽ enim nihil est,nisi apprehensio intellectus, quæ non potest dici quòd sit effectus finis;posita autem operatione voluntatis, non est nisi ipsa operatio, & ordinatio eius in finem:sed ipsa operatio est effectus agentis;ergo solùm remanet, vt effectus finis, ordinatio operationis in finem. Hæc tamen sententia falsa est,nam influxus causæ finalis prior est, quàm influxus causæ efficientis:ergo non potest esse ordinatio actus,quę posterius se habet ad actum,qui quidem est effectus agentis. Nec fundamentum illorum aliquid valet, quando enim dicitur, quòd finis est, cuius gratia aliquid fit,est dicere,ex cuius motione voluntas aliquid operatur;moueri autem à fine,est allici ab illo; quod priùs intelligitur esse,quàm operatio; cùm ideo operetur,quia allecta,vt amplius infrà explicabitur.Per quod patet ad secundam rationem illorum.

2.Sent.reijcitur.

3.Sent.vera. Tertia sententia vera & tenenda est, ꝙ causalitas finis consistit in quadam motione metaphorica,prius se habẽte, quàm voluntas operetur:metaphorica inquam, cõparatione ad motionem efficiẽtis; efficiẽs enim cùm sit secundùm existentiam,propriè saluatur,concursum eius esse motionem;finis autem,cum causet antequàm sit concursus eius,est motio metaphorica,cõparatione ad motionem agentis: nam in proprio genere causalitas eius propriè est motio;nam propriè est causalitas.Hãc sententiam puto esse Arist. 1. de generatione,cap.7.tex.55.& D. Thom.in præsenti,& de potentia,quæst.5.art.1.& Scot. in 1.distin.4.ad finem.Auicennę 6.Meth. tract. 5. cap.5. & cum D. Thom. Ferr. 1. cont.Gent.cap.75.Henric. 1. parte summæ,artic.46.quæst.6.Halen.1.par.quæst. 17.membro 3. Alberti 5.Meth.tract.1.c. 13.Soncin.5.Meth.quest.2.Caiet.1.part. quæst.5.artic.4.in principio,& 2.2.quest. 17.art.5.Lorca in præsenti disp. 1. immo & hãc tenet Suarez in Meth.disp.33.sect. 4.& Salas in præsenti,tractatu primo,disput.3.sect.2.& hanc sententiam intendũt docere generaliter omnes qui recipiunt definitionem optimam finis, quam tradit Arist.2.Phys.cap.2.& lib.5.cap.12.&lib. de anima,cap.4.tex.37. & 2. Meth.cap. 2.& 3.Meth. cap.2. & 1. de generatione, cap.7.tex.55.& 1.Ethic.cap.7.& 2.Ethic. ad Eudemum, quòd finis sit cuius gratia aliquid fit. Hãc esse legitimam, docet Medina in præsenti, & Valentia in præsenti disput.quæst.1.puncto 1.quæ non solùm habetur ex Aristot.locis citatis,sed ex August. 8.de Ciuitate, cap. 8. & ex Nysseno lib.de vita Moysi ad finem,& Paul.Ephe. 3.cuius rei gratia flecto genua mea. Adhuc tamen in explicatione huius sententiæ,quæ communis est, & vera, authores sunt diuersi.Aliqui enim dicunt, motionem finis,tempore præcedere actum voluntatis: quia stat, quòd finis moueat, & quòd voluntas non operetur: functus enim est officio suo finis, si proponatur vt conueniens,licèt voluntas illum non prosequatur,est enim libera; quapropter etiã stante motione finis,potest non prosequi. Et si contra illos dicas, qualiter potest esse finis, cuius gratia nihil fit, & ad quẽ nihil terminatur? Respõdetur, aliud esse finẽ, aliud verò esse causam finalẽ:nõ est actu finis,si ad ipsum actu aliquis actus nõ terminatur;est tamẽ causa finalis, si sufficienter vt finis proponitur.Alij autẽ dicũt,motionem finis tantùm natura præcedere, quia non stat concursus vnius causæ sine concursu omnium simul tempore: non enim stat, materiam materializare, nisi quando forma formalizat; neque efficientem agere, nisi quando mouetur à fine. Verum est, quòd concursus causæ potest dupliciter considerari: vel in actu primo, vel in actu secundo. In actu quidem primo, prius est concursus finis quàm concursus efficientis: in actu secundo non stat motio finis sine motione efficientis: nam inquiro, si tempore præcederet motus finis ad motum efficientis, non aliter se haberet

Ferr.Henrie⁹,Halẽ. Alber.Soncii.Cai.Lorca,Suarez. Salas.

Arist. Medina. Valentia.

D.Aug. Nyssenus. Ad Ephes. 3.

Obiectio.

Solutio.

Arist. D. Tho. Scot. Auicena.

beret voluntas per talem motionem? Vtique. Sed nihil potest assignari ante actum voluntatis & concursum efficientis, per quod voluntas aliter se habeat: ergo ante motum efficientis non potest esse motus finis. Dicunt contrarij, præcedere quidem ad motum efficientis & actum voluntatis quandam allicentiam & complacentiã in voluntate, ex qua oritur, vt postmodùm operetur: & hæc allicientia & complacentia præcedens fuit motio finis. Sed hoc non est intelligibile, nam illa complacentia, vel producitur à voluntate, vel ab alio in volũtate, & tunc iam assignatur efficiens illius, vnde iam non fuit motio finis sine motione efficientis. Restat ergo dicendum, tantùm natura præcedere, non autem tempore; vnde actualis operatio voluntatis ratione distinguitur, & quatenus causatur ab efficienti, & quatenus causatur à fine; ab efficienti secundùm esse, à fine secundùm commensurationem ad ipsum, & prius intelligitur commensuratio ad finem, quàm progressus ab efficienti; quia efficiens, vt dictum est, ex motione finis agit: vnde in exercitio falsum assumit contraria sententia, quòd stante motione finis, stat, voluntatem non operari; licèt enim absolutè sit libera, tamen in sensu composito, & vt supponitur motio finis in actu secundo, non stat non operari: quia supponere motionem actualem finis, est supponere operationẽ, quę est effectus efficientis. Hæc tamen intelligenda sunt de actu interiori voluntatis, non verò de actu exteriori: nam respectu actus exterioris, non solùm natura, sed etiam tempore potest præcedere, immò potest esse motio finis, & non actus exterior: quia stante actu voluntatis, actus exterior potest impediri, vel per desitionem actus voluntatis, vel aliunde. Quapropter actus exteriores non sunt effectus causæ finalis, nisi extrinsecè, quatenus ab actu interiori voluntatis allectæ ad finem ordinantur; & effectus immediatè à Deo producti ad extra, similiter non possunt esse propter Deum, vt causam finalẽ, licèt sint propter ipsum vt finem: quia vt infrà dicetur, Deus potest esse finis sui ipsius, non autem causa finalis: quia cùm causa finalis habeat suum officium per influxũ in operantem, alliciendo ipsum ad opus, si respectu Dei efficientis non potest habere finis istum influxum causę finalis, nec effectus immediatè à Deo producti, erũt propriè loquendo effectus causæ finalis.

Vera solutio.

Restat ergo nunc tandem videre, secũdum istum vltimum modum dicendi verum, quem sequimur, quid sit illa motio naturâ præcedens ipsam operationẽ voluntatis. Aliqui enim procedunt ad similitudinem causę efficientis, & quia tenent, actionem agentis subiectari in passo, dicunt similiter de fine, motionem eius esse aliquid subiectum in voluntate mota, solumque distinctum formaliter ab actu illius, quatenus proportionatur fini, & ab illo allecta circa ipsum operatur. Alij verò, qui tenent, actionẽ subiectari in agente, dicunt, motionem finis esse aliquid tenens se ex parte finis propositi per intellectũ, applicatiq; volũtati. Melius tamen dicitur media via, quòd sicut actio entitatiuè & formaliter subiectatur in passo, originaliter tamẽ & denominatiuè se tenet ex parte agentis: ita similiter motio finis realiter est in voluntate mota, originaliter tamen est in ipso fine proposito per intellectum, à talique motione denominatur finis bonum apprehensum. Vbi nota, quòd quando dicitur, bonum apprehensum esse finem, mouereque voluntatem, per ly, apprehensum, nõ intelligitur simplex apprehensio; ista enim insufficiens est admouendam voluntatem: sed intelligitur de apprehensione iudicatiua, qua iudicatur aliquid vt bonum & conueniens, non solum iudicio speculatiuo, sed iudicio practico: nec tamen solùm iudicio practico inefficaci, cum quo stat, voluntatẽm non operari: sed iudicio efficaci includente imperium, cum quo non stat, voluntatem non operari in sensu composito. Motio ergo finalis ex parte intellectus consistit in illa applicatione efficaci intellectus iudicantis bonum & conueniens hic & nũc, quæ motio oritur ex intellectu & bono sic proposito, recipiturque in ipsa voluntate. Quid autem sit hoc receptum, dicimus esse quid identificatum cum ipso actu voluntatis, qui cùm sit vna qualitas, formaliter tamen & ex natura rei habet diuersam rationem effectus in ordine ad diuersam causam: vnde & secundùm vnam rationem est effectus causæ efficientis, & secundùm aliam iam prædictam est effectus causæ finalis, vt optimè docet Suarez tom. 1. Meth. disput. 23. sect. 4. & Salas in præsenti. Et si quæras, quid sit ista ratio formalis superaddita ad actum voluntatis, per quam dicitur effectus causæ finalis:

Nota.

Suarez. Salas.

lis: Respondetur, non esse sustinendos aliquos asserentes esse aliquid negatiuum: sicut enim esse finalem causam, est aliquid reale; ita & formaliter esse effectum illius. Nec etiam sustinendi sunt asserentes, vt *Salas.* Salas in præsenti, esse relationem prædicamentalem; quia licèt ista possit fundari supra rationem effectus, ratio tamen effectus non consistit in tali relatione prædicamentali, sed in aliquo absoluto, vt *Caiet.* docet Caietanus, relatiuo tamen secundùm dici & transcendentali; quod explicari nequit, nisi per respectum ad finem, quatenus finis per illam qualitatem actionis voluntatis allicit ipsam voluntatem, priùs enim intelligitur voluntas allecta per illam, quàm operari per ipsam: quia primum pertinet ad finem, secundum verò ad efficiens: & prius intelligitur concursus finis, quàm efficientis: si quidem efficiens operatur propter finem, & ab illo iam motum: vnde hac ratione causa finalis dicitur prima.

DVBIVM VI.

Vtrùm finis moueat voluntatem secundùm esse apprehensum, ita vt apprehensio sit ratio formalis mouendi.

Prima sen. Med. Cai. Ferra. Alber. Capre. Soncin. Flandr. IN hac re est prima sententia, quam tenet Medina hic, & Caietan. infrà quæstione 30. articul. 3. Ferra. 1. contra Gent. cap. 19. Capreol. in secunda, distinctione 25. quæstione 1. ad primam. Albertus Magnus secundo Phys. tractatu de causis. Flandr. primo Meth. quæstione 9. Soncin. quinto Meth. quæstione 3. Isti enim dicunt, quòd apprehensio non solùm est conditio, sed etiam ratio formalis sub qua finis mouet. Pro cuius intelligentia notant, quòd in obiecto duo sunt; ratio quæ, & ratio sub qua: & rursus ista duplex: altera, quæ se tenet ex parte potentiæ; altera verò, quæ se tenet ex parte obiecti, licet & quæ se tenet ex parte potentiæ, refundatur etiam in ipsum obiectum: qnod patet in obiecto Philosophiæ: ratio enim quæ, est mobilitas, sub qua, ex parte obiecti est abstrahibilitas â materia singulari; sub qua ex parte potentiæ est actualis abstractio, quæ in ipsum obiectum etiam refunditur, vt actus vltimus faciens proportionem obiecti: quæ quidem ordinatè se habent, nam abstractio supponit abstrahibilitatem, & abstrahibilitas mobilitatem. Sic ergo (inquiunt) contingit in obiecto voluntatis & fine; ratio verò enim formalis quæ, est bonitas, ratio sub qua, ex parte obiecti, est apprehensibilitas per modum conuenientis; ratio sub qua, ex parte potentiæ, est actualis apprehensio, quæ in obiectum refunditur, quatenus illud facit proportionatum potentiæ. Ad hanc sententiam reducitur quod in præsenti docet Salas tractatu 1. disputatione *Salas.* 5. sectione 4. quòd licèt ratio quæ, tam materialis, quàm formalis, finalizandi sit bonitas prout in re; apprehensio tamen est ratio sub qua, & sufficit variare speciem actus appetitus; quia specificatio non solùm sumitur ex ratione quæ, etiam formali, sed etiam ex ratione sub qua. Verum est (inquit) quòd non quæcunque apprehensio, vel cognitio variat speciem actus appetitus, sed diuersa cognitio secundùm diuersitatem potentiæ specificam, vt est cognitio intellectus, & appetitus varians specie actum voluntatis, & appetitus sensitiui: & similiter apprehensio per potentias exteriores, vel interiores, vel etiam apprehensiones diuersi ordinis, vt cognitio supernaturalis, vel naturalis actus: appetitus enim per se petens cognitionem supernaturalem, specie distinguitur ab eo qui per se non petit nisi naturalem. Dicit, per se, nam etiam si adsit cognitio supernaturalis per accidens ad actum appetitus, qui non requirebat ex se talem cognitionem; nihilominus talis actus appetitus non distinguitur specie: ex quibus infert, quòd charitas viæ & patriæ non distinguitur specie, quia charitas non per se petit cognitionem diuersæ rationis, nempe fidei, & claræ visionis, sed accidentaliter fit respectu charitatis talis variatio.

Hæc sententia sit explicata probatur *Probae sen. ten. 1. arg.* primò, ex Diuo Thoma hic ad primum: posuerat enim in argumento, quòd causa est prior, finis est vltimus: ergo finis non est causa. Et respondetur, quòd licèt finis sit vltimus in exequutio-

quutione & in re : tamen est prior in intentione ; & hoc modo est causa. Item argumento tertio sequenti ad 2. expresse dicit, quòd finis specificat actum voluntatis secundùm quod est in apprehensione ; specificatio autem ad rationem formalem pertinet. Item infrà quæstione 30. & 31. passim dicit, quòd aliquæ passiones appetitus distinguuntur per diuersas apprehensiones. Item prima part. quæstione 80. artic. 2. ad primum, distinguit appetitum rationalem & appetitum sensitiuum, per hoc, quòd obiectum primi est apprehensum per rationem ; obiectum verò secundi est bonum apprehensum per sensum ; quia apprehensiones diuersæ (inquit D. Thom.) non se habent per accidens, sed pertinent ad operationem.

2. *Argu.* Secundò probatur : obiectum voluntatis est bonum, verum, vel apparens, vt patet ex Aristotele 2. Physic. text. 31. sed esse apparens bonum, habet formaliter ab apprehensione : ergo apprehensio est ratio formalis finalizandi.

3. *Arg.* Tertiò probatur : Illa est ratio formalis quæ specificat actus : sed apprehensio facit actus diuersæ speciei : ergo est ratio formalis. Minor probatur : nam si aliquis apprehendat modò comedere, esse intemperantiam, comedere est actus intemperantiæ ; & si apprehendat, non esse intemperantiam comedere, non erit actus intemperantiæ : ergo apprehensio mutat speciem illorum actuum. Confirmatur : nam illa est ratio formalis, qua posita, ponitur species, & qua ablata, aufertur : sed talis est apprehensio in actibus humanis : ergo. Minor probatur : nam posita apprehensione quòd actus sit vitiosus, actus erit vitiosus, & ablata tali apprehensione, actus desinit esse vitiosus : ergo.

4. *Arg.* Quartò probatur : Perfectiori modo tendit homo in finem, quàm bruta, non solùm perfectiori modo accidentali, sed essentiali : sed hoc non est aliter, nisi quia homo tendit in finem cognoscendo finem & media, quatenus inter se habent proportionem ; ergo cognitio & apprehensio pertinet ad rationem formalem & essentialem specificatiuam finis.

5. *Arg.* Quintò probatur : Illud est ratio formalis obiecti, per quod obiectum proportionatur potentiæ : sed per apprehensionem proportionatur bonum voluntati : ergo aprehensio est ratio formalis. Maior patet in luce proportionante colorem visui, & in abstractione proportionante ens intellectui. Minor probatur : nam ideò dicitur, non posse appetere incognitum, quia incognitum non est proportionatum : item ideò dicitur, quòd qualis vnusquisque est, talia operatur & appetit ; quod est dicere, taliter vnumquemque appetere, qualiter apprehendit : apprehensio ergo proportionat obiectum voluntati. Sextò probatur : nam si apprehensio tantùm esset conditio, sequitur, saltem per diuinam potentiam posse hominem appetere non cognitum, vel cognitum tantùm per sensum : consequens est falsum : ergo. Sequella probatur : nam ideò dicitur, posse ex diuina potentia ignem cõburere non applicatum, quia applicatio solùm est conditio. 6. *Arg.*

Secunda sententia est Caiet. hic ad 1. & prima parte, quæstione 5. artic. 4. & Conrad. hic, & Ferrar. 1. contra Gent. cap. 44. Soto 2. Physic. quæst. 3. Gabr. 2. distin. 1. quæstione quinta, artic. 1. notabil. 3. Scot. in tertia distin. 15. quæstione vnica, §. aliter potest dici, & Valentię disputatione 1. puncto 1. & disputatione secunda, quæstione 4. puncto primo, Suarez tomo quinto. Metaph. disputatione 23. sectione 8. Hispalensis secundo, distinctione 25. quæstione vnica, Ocham secundo, quæstione 3. articulo secundo ad secundum, quòd videlicet ratio formalis finis, est esse reale : apprehensio autem solum est conditio, non quidem extrinseca, vt applicatio ignis, sed intrinseca & insupplebilis : nihil enim potest esse volitum per quamcunque potentiam, quin sit prius cognitum. 2. *Sentent.* *Caiet. Conrad. & Ferrar. Soto. Gabr. Scot. Valent. Suarez. Hispalen. Ocham.*

Hæc probatur primò ex Diuo Thoma secunda secnndæ, quæstione 26. articulo secundo ad quintum, vbi dicit : Magis diligendus Deus, quàm proximus, quia Deus melior, licèt proximus notior ; quia ratio formalis diligendi, est bonum ; cognitio autem est via ad diligendum bonum. Item quæstione 25. de veritate, articulo 1. ad sextum, expresse docet, diuersitatem apprehensionum per accidens se habere ad obiectum voluntatis, nisi ei coniungatur 1. *Arg.*

tur diuersitas apprehensorum. Item infrà quæstione 67. articulo 6. ad secundum, docens, qualiter Charitas viæ & patriæ non differat specie, licèt cognitio qua vtraque regulatur, sit diuersæ speciei, dicit, quia apprehensio non comparatur ad actum voluntatis, vt obiectum, sed tantùm ipsa res amata: hęc autem cùm sit eadem, nempe Deus, respectu Charitatis viæ & patriæ, eiusdem speciei sunt propter conuenientiam obiecti, licèt cognitio sit diuersa. Ecce ergo qualiter D. Thom. apprehensionem reijcit â ratione specificante actum voluntatis. Nec valet solutio Medinæ hic, quia licèt apprehensio sit ratio formalis sub qua, Charitatis viæ & patriæ, sunt eiusdem speciei, quia obiectum est idem, licèt cognitio sit diuersa: quia vltra diuersitatem cognitionis, diuersitas obiecti debet poni (hæc, inquam, solutio nihil valet) quia licèt obiectum materialiter sit idem, si ratio sub qua, sit diuersa absolutè, diuersificatur species; vt patet in hac propositione, Deus est; quæ vna cùm sit, secundùm diuersam abstractionem pertinet ad Physicam, vel Methaphysicam, vel Theologiam, quæ specie differunt: ergo etiamsi Charitatis viæ & patriæ sit idem obiectum, si ratio sub qua, nempe apprehensio, posita à contrarijs, esset diuersa, actus esset diuersæ speciei: vnde si diuersitas specifica in tali actu non reperitur, ideò erit, quia apprehensio non est ratio sub qua. Nec etiam valet solutio aliorum, quòd illæ duæ apprehensiones, nempe Fidei & visionis beatificæ, quibus Charitas viæ & patriæ regulatur, potest considerari dupliciter: primò Methaphysicè & speculatiuè: secundò practicè, in ordine ad voluntatem. Primo modo distinguuntur specie, non autem secundo modo. Cùm ergo actus voluntatis non respiciat apprehensionem speculatiuè sumptam, sed practicè, ideò Charitas viæ & patriæ eiusdem rationis est, quia ratio sub qua, nempe vtraque apprehensio, practicè non est distincta: hæc inquam solutio non valet: nam Diuum Thomam hæc distinctio non lateret; & respondens ad argumentum, non dicit, Charitatem esse eiusdem speciei, quia vtriusque apprehensionis sit conuenientia; sed quia specificatio non sumitur ex apprehensione, sed ex obiecto dilecto.

Probatur secundò hæc sententia: Bonum secundùm esse reale intelligitur proportionari voluntati, nec apprehensio ponit proportionem in illo: ergo apprehensio non est ratio sub qua. Patet consequentia, quia ratio sub qua, pertinet ad proportionem obiecti. Antecedens verò probatur; tùm, quia obiectum secundùm esse reale est conueniens & connaturale: tùm etiam, quia hæc ponitur distinctio à Diuo Thoma & discipulis eius inter intellectum & voluntatem, quòd obiectum intellectus est intra intellectum, voluntatis verò extra ipsam. Quod aliter solet dici, quòd intellectus trahit ad se res, voluntas verò fertur in ipsas res, prout in se sunt: ergo licèt obiectum intellectus non intelligatur proportionatum nisi intra intellectum per abstractionem, nihilominus tamen voluntatis erit proportionatum prout in re. Confirmatur; nam si apprehensio esset ratio formalis sub qua, tunc obiectum voluntatis non est aliquid reale formaliter, quia apprehensio nihil ponit in obiecto nisi denominationem rationis. *2. Arg.* *Confirm.*

Tertiò arguitur: Omnia quæ dicuntur de fine, non verificantur de illo prout apprehenso, sed prout in re: ergo ratio formalis finis non est prout in apprehensione, sed prout in re. Antecedens probatur; nam de fine dicitur, quod est optimum & perfectum, & quòd defraudamur, si illum non consequimur: omnia autem ista de fine prout in re verificantur; licèt enim infirmus apprehendat sanitatem, frustrabitur, si illam in re non consequatur. Item dicitur, quòd finis est cuius gratia aliquid fit: certum est autem, quòd infirmus non sumit potionem amaram vt consequatur sanitatem in apprehensione, sed in re: ergo si gratia illius prout in re, applicantur media; prout in re habet rationem formalem finis. *3. Arg.*

Vltimò probatur, nam Diuus Thomas prima parte, quæstione quinta, articulo primo, dicit; Bonum est idem quod appetibile: & appetibile est idem quod perfectum: vnumquodque enim suam perfectionem appetit: perfectum autem est illud quod est in actu: nam *4. Arg.*

vnum-

vnumquodque in tantum est perfectum, in quantum est in actu : actualitas autem est ens , nam prima actualitas est entitas: ergo de primo ad vltimum,obiectum voluntatis , quod est bonum & finis , habet esse tale , prout est in re ens . Confirmatur ; nam hæc differentia solet poni inter verum & bonum, quòd verum abstrahit ab existentia, bonum autem concernit illam:ergo bonum habet esse prout in re, & consequenter finis ; nam finis & bonum sunt idem. Inter has duas sententias positas existimat Vazquez se aliam mediam assignare,dicens, quòd conceptus est duplex: alius formalis ; alius verò obiectiuus. Bonum ergo secundùm conceptum obiectiuum est ratio formalis motiua voluntatis : at verò secundùm conceptum formalem tantùm importat conditionem . Hanc ponit in præsenti disputatione 2. cap. 2. Sed certè Vazquez nihil noui affert ; nam si loquatur de conceptu obiectiuo formaliter , idem est ac dicere , quòd bonum vt apprehensum mouet , & quod apprehensio est ratio formalis ; sicut asserit prima sententia . Si autem loquitur de conceptu obiectiuo materialiter , est idem ac dicere , quòd bonum prout in re, terminat & mouet formaliter , & quòd apprehensio , quam ipse significat per conceptum formalem , est solùm conditio.

Confir.

Vazquez.

3.Sent. Tertia sententia est media , quòd finis dupliciter consideratur: vel concurrit ad actum voluntatis primò formaliter specificando actum & determinando ad illum ; quod fit mouendo voluntatem ad operandum. Secundo concurrit terminando ; actus enim voluntatis respicit vt terminum , finem quem intendit. Dicit ergo hæc sententia, quòd ad primum concursum requiritur vt ratio formalis , apprehensio ; quatenus enim bonum apprehenditur & applicatur voluntati per iudicium practicum, mouetur & determinatur voluntas ad operandum actus huius vel illius speciei . Secundo autem modo concurrit per esse reale ; & apprehensio solùm se habet vt conditio. Sed hæc sententia non est vera ; obiectum enim cuiuscumque potentiæ per id formaliter & essentialiter mouet , per quod formaliter terminat actum talis potentiæ : si ergo finis terminat formaliter actum voluntatis per bonitatem realem & prout in re,per illam formaliter habet mouere potentiam ad operandum.

Quarta sententia est aliorum, qui distinguunt de apprehensione actualiter, & de apprehensibilitate obiecti. Dicunt ergo, quòd apprehensio tantùm est conditio applicans; apprehensibilitas autem est ratio formalis , sub qua distinguitur obiectum appetitus sensitiui , & obiectum voluntatis . Apponunt exemplum in scientijs ; actualis enim abstractio non est ratio formalis sub qua , bene tamen apprehensibilitas. Hæc etiam sententia falsa est , & supponit vnum falsum secundùm opinionem probabiliorem , quòd videlicèt in scientijs abstrahibilitas sit ratio sub qua ; non enim est nisi aliquid consequens rationem formalem , & per quod ratio formalis cognoscitur : vnde per abstrahibilitatem distinguuntur obiecta scientiarum à posteriori ; quia vbi est diuersa abstrahibilitas , est diuersa ratio formalis specificans , ex qua diuersa abstrahibilitas consequatur: sic ergo in bono ratio formalis distinguens obiectum appetitus & voluntatis , est aliquid reale ipsius bonitatis , ad quod consequitur diuersa apprehensibilitas, & per diuersam apprehensibilitatem diuersitas obiecti à posteriori cognoscitur , quatenus obiectum appetitus est apprehensibile per sensum ; voluntatis verò per rationem : & hæc videtur doctrina Diui Thomæ, nam secunda secundæ,quæstione prima , articulo primo, dicit, rationem formalem obiecti Fidei esse primam veritatem reuelantem , quia sic se habet prima veritas in Fide, vt medium demonstrationis in scientijs : sicut enim in scientia per medium ostenditur quæcumque veritas illius scientiæ , ita per primam veritatem reuelantem ostenditur omnis veritas Fidei : certum est autem , medium demonstrationis in scientia non esse abstrahibilitatem , sed mobilitatem , verbi gratia in Philosophia; ergo ratio formalis ex mente Diui Thomæ , non est abstrahibilitas , sed, verbi gratia , mobilitas : & de obiecto quidem voluntatis etiam videtur expresse docere Diuus Thomas infrà quæstione quarta , articulo secundo ad secundum , dicens , obiectum voluntatis es-

4.Sen.

se bonum vniuersale ; appetitus verò bonum particulare : ad esse autem bonum vniuersale vel particulare, sequuntur diuersæ apprehensibilitates , scilicet per intellectum vel per sensum : ergo ex mente Diui Thomæ ratio bonitatis distinguitur , ratio verò apprehensibilitatis consequitur . Dato tamen quòd in scientia abstrahibilitas sit ratio formalis sub qua, non tamen sequitur, in obiecto voluntatis esse rationem sub qua apprehensibilitatem; quia in scientia abstrahibilitas licet non attingatur per actum scientiæ, res tamen attacta attingitur vt stat sub abstrahibilitate: quia abstrahibilitas ponit perfectionem in obiecto , & secundùm diuersam abstrahibilitatem obiectum intelligitur magis vel minus perfectum : apprehensibilitas autem non sic se habet respectu obiecti voluntatis: non enim bonum attingitur vt stat sub apprehensibilitate , quia apprehensibilitas non facit bonum perfectum , nec ex diuersa apprehensibilitate sequitur esse magis vel minus bonum: immò ex opposito , ex esse magis vel minus bonum , sequitur esse magis vel minus apprehensibile . Licèt ergo abstrahibilitas consistens in immaterialitate , sit ratio sub qua formalis in obiecto scientiæ; non tamen apprehensibilitas in obiecto voluntatis.

5. *Sentent. Bañez.* Quinta sententia est Magistri Bañez prima parte, quæstione 80. artic. 2. dubio 1. distinguentis de agentibus naturalibus , & de agentibus per cognitionem: priorum quidem finis non mouet vt apprehensus : vnde apprehensio respectu talis finis non solùm non est ratio formalis , sed neque conditio; vt patet in centro respectu lapidis descendentis. De fine autem agentium per cognitionem, etiam distinguit, quòd alius est habens bonitatem per conformitatem ad iudicium rectum, vt patet in fine temperantiæ & aliarum virtùm moralium ; alius autem est finis habens suam bonitatem prout in re , vt patet in sanitate , quæ est finis infirmi desiderantis illam . Dicit ergo , quòd finis primo modo mouet formaliter per apprehensibilitatem , quia sic habet suam bonitatem : finis verò secundo modo mouet formaliter per esse reale , quia realiter habet suam bonitatem: vnde apprehensio respectu talis finis tantùm se habet vt conditio, nisi forsan ex parte potentiæ : ex parte enim illius apprehensio formaliter concurrit: idem enim est ordo (inquit ille) inter actus potentiarum , atque inter ipsas potentias. Cùm ergo intellectus & voluntas sic se habeant, quòd intellectus supponitur formaliter ad voluntatem , quia voluntas non dimanat ab anima nisi medio intellectu ; sic actus intellectus supponitur formaliter ad actum voluntatis; quia actus voluntatis nequit esse, nisi prius posito actu intellectus : sed hoc tantùm ex parte ipsius agentis , non autem ex parte obiectorum Hæc sententia clara , facilis & vera est, præterquàm in hoc vltimo : dependentia enim actus voluntatis ab actu intellectus, non est formalis , sed vt à conditione intrinseca insupplebili, quatenus non potest esse volitum, nisi sit præcognitum.

Nota. Pro intelligentia quæstionis nota, quòd bonitas est duplex : alia moralis; alia physica . Prima consistit in conformitate ad regulam rationis : secunda in conformitate ad propriam naturam, secundùm quòd habet quæ sibi debentur . Rursus hæc bonitas potest esse vt actu existens , vel futura & in exequutione ponenda ; vel possibilis , vel apprehensa vt possibilis , licèt in re sit impossibilis.

1. *Conclu.* Prima conclusio : Bonum morale mouet secundùm esse apprehensibile. Probatur : nam , vt suprà dictum est, finis mouet secundùm bonitatem quam habet : ergo eodem modo mouet, quo habet bonitatem : sed finis moralis non habet bonitatem nisi per apprehensibilitatem & conformitatem ad rationem: ergo talis apprehensibilitas est ratio formalis mouendi . *Nota.* Nota tamen , quòd ratio humana dupliciter potest comparari ad obiectum morale . Vno modo, vt terminus extrinsecus terminans habitudinem obiecti, quatenus per conformitatem ad ipsam rationem tale obiectum dicitur morale & bonum . Alio modo sumitur ratio humana, vt apprehendens , proponendo voluntati ad operandum . Primo modo concurrit ratio formaliter : secundo modo tantùm vt conditio : propositio enim rationis voluntati, siue in physicis, siue in moralibus, æqualiter se habet.

2. *Concl.* Secunda conclusio : Licèt probabi-

lis sit prima sententia, quòd in bono physico, vt mouet finaliter, concurrit, vt ratio formalis, apprehensio: probabilior tamen est secunda sententia, quòd apprehensio tantùm est conditio, licèt intrinseca; ratio verò formalis est ipsa bonitas realis, quam ex se habet obiectum, secluſa apprehensione intellectus. Prima pars conclusionis patet argumentis pro prima sententia factis. Secunda verò pars patet ex argumentis factis pro secunda, quæ efficaciora sunt, & quia hæc sententia communiter ab omnibus recipitur. Et vltra probatur; nam, vt dictum est, ratio formalis mouendi finis, est bonitas: sed bonitas, verbi gratia, sanitatis, non consistit formaliter in apprehensione, sed in conformitate reali humorum: ergo secundùm esse reale mouet formaliter, & non secundùm esse apprehensum, nisi vt per conditionem applicantem bonum. Et si contrà dicas, quòd vltra rationem formalem quæ, debet assignari ratio sub qua nulla autem talis assignabilis est, nisi apprehensio: nã bonitas est ratio formalis quę: ergo. Respondetur, non semper esse necessariam rationem formalem sub qua, sed tantùm quando est improportio inter obiectum & potentiam; vt contingit in scientijs: quando autem obiectum est proportionatum, talis ratio sub qua, non requiritur; vt patet in luce: est enim ratio formalis quæ, visionis; cuius tamen non est assignabilis ratio sub qua, quia ipsa lux proportionata est visui; similiter ergo dè bono, cùm sit proportionatum voluntati, quia ex se est appetibile, non indiget ratione sub qua, sed sufficit conditio applicans, nempe apprehensio. Notandum tamen, quòd apprehensio dupliciter se potest habere ad actum voluntatis. Primò ex parte principij, quatenus volitum supponitur esse præcognitum. Secundo verò modo, ex parte termini & finis ipsius actus voluntatis; vt quando voluntas appetit aliquid apprehendere: vt, verbi gratia, respectu actus spei, duæ apprehensiones interueniunt; altera ex parte principij, nempe apprehensio Fidei præsuppositа ad actum spei: altera verò se tenet ex parte finis & termini ipsius spei, nempe clara Dei visio; quod enim sperat, non est Deus vt cumque, sed Deus visus; sicut in quolibet alio fine desiderato, non res quæ est finis vtcumque desideratur, sed vt possessa: vnde integer finis desiderij consurgit ex fine qui & fine quo, hoc est ex re desiderata, & ex adeptione eius: hoc enim adæquatè desiderat, rem talem adipisci. Dicimus ergo, quòd apprehensio tenens se ex parte principij actus voluntatis, solùm se habet vt conditio: nam quæ se tenet ex parte termini, & est finis quo, non solùm est conditio, sed etiam ratio formalis: quapropter clara Dei visio & potest esse sola conditio, & etiam ratio formalis respectu diuersorum actuum voluntatis: respectu quidem actus voluntatis viatoris sperantis beatitudinem, clara Dei visio est ratio formalis, quia respectu talis actus consideratur ex parte fini; & tamen respectu termini actus voluntatis circa Deum in patria, qui consequitur claram Dei visionem, ipsa clara Dei visio solùm se habet vt conditio, quia respectu illius actus, clara visio solùm se tenet ex parte principij. Et si contrà facias argumentum, nam adeptio rei desideratæ est effectus agentis; ad hoc enim agentis actio terminatur, vt res desiderata in exequutione ponatur, quod est ipsam adipisci: ergo adeptio rei non est ratio formalis finis, quia nõ potest habere rationem formalem causę, quod formaliter habet rationem effectus: Primò potest responderi, non esse inconueniens, in diuersis genere idem habere rationẽ causæ & effectus: in genere ergo efficientis, rei adeptio est effectus; in genere tamen finalis, adeptio est causa; quia rei adeptio est quæ mouet agentem ad operandum. Secundò tamen respondetur melius, quòd adeptio rei potest considerari dupliciter. Primò in actu exercito: secundò in actu signato. Primo modo habet rationem effectus; tunc enim cessat actio agentis, quãdo consequutio rei ponitur in exercitio. Secundo modo habet rationem causæ: cõsequutio enim præcõcepta, antequã sit in exercitio (quã tamen in exercitio ponendam sperat) est quę mouet ad operandum.

Obiectio. *Solutio.* *Not.* *Obiectio.* *1. Solutio.* *2. Solutio.*

Tertia cõclusio. Vt bonum moueat ad fruitionem vel delectationem, non requiritur, bonum actu existere; immò neque futurum esse, sed sufficit esse possibile: immò quòd apprehẽdatur vt possibile, licèt in re sit impossibile. Dico quòd apprehendatur vt possibile; nam si cognoscatur vt impossibile, non potest terminare actum voluntatis, nisi inefficacem forsan & con

3. Conclus.

ditionatum : quod explicatur per ly, vellem . Terminare autem huiusmodi actum , non est habere rationem finis, sed quando comparatur ad actum efficacem : vnde respectu istius actus dicitur re quiri esse possibile, vel apprehendi vt possibile. Prima pars conclusionis patet: nam fruitio & delectatio & quies, non est nisi præsentium , & eorum quæ obtenta sunt ; quandiu enim res non obtinetur, manet appetitus inquietus, mouetur que ad illam acquirendam, vt contingit in lapide , qui non quiescit quovsque obtineat centrum : quandiu autem non obtinet illud, manet inquietus per motum. Secunda pars conclusionis patet in infirmo , qui multoties intendit salutem quam non habet, nec vn quam habebit. Et similiter patet in præscito , dum est in gratia; intendit enim & desiderat beatitudinem, quam tamen in re nunquam habiturus est. Sufficit ergo, bonum esse possibile, licet neque existens , nec futurum , vt moueat voluntatem. Et si contrà arguas, *Obiectio.* Quia causa requirit prioritatem , vt sit causa; & simul existentiam, vt sit realiter causa : qualiter ergo finis potest modò realiter esse causa per bonitatem realem tantùm possibilem , quæ modò non est: *Solutio.* Respondetur, hanc esse differentiam inter causam efficientem, materialem & formalem ex vna parte, & finalem ex altera, quòd cum causa materialis sit causa suscipiendo formam , & formalis informando materiam , & efficiens mouendo vere & proprie ad esse , requiritur in illis prioritas, & actualis existentia ; finis autem, vt dictum est, tantùm mouet metaphorice , alliciendo ad desiderium & intentionem consequendi rem : ad hoc autem nec causa debet præsupponi, nec existere; quia ad hoc potiùs tendit Voluntas per intentionem & desiderium , tanquam per effectum ipsius finis, vt ipsa causa finalis in re habeatur : quapropter existentia non se tenet ex parte causalitatis, quia vt sic potiùs est effectus in genere causæ efficientis suorum effectuum; suorum inquam , in genere causæ finalis . Ex quo sequitur, quòd licet relatio causæ ad effectum in reliquis causis sit relatio realis; relatio tamen causæ finalis realis non est, quia non supponit existentiam in fine, vt dictum est: ad esse autem relationem realem , existentia realis in vtroque extremo requiritur , & debet præsupponi.

Tertia pars conclusionis patet etiam ex Aristotele sexto Metaphysic. textu octauo, vbi ait, obiectum voluntatis esse bonum verum , vel apparens bonum : licèt ergo aliquid sit in re impossibile , si tamen apprehendatur vt possibile , est apparens bonum : ergo sufficienter est obiectum voluntatis , vt moueat illam ad desiderium vel intentionem . Et si contrà facias argumentum ; nam impossibile apparens possibile, non habet aliam bonitatem nisi apprehensam , quam fingit Intellectus : ergo in tali obiecto apprehensio est ratio formalis : Respondetur, quòd Intellectus circa impossibile quod existimatur possibile , & vt tale proponitur voluntati , duo facit : primum , fingere possibilitatem obiecti ; secundum , applicare voluntati bonitatem confictam . Ratio ergo formalis , est bonitas conficta obiectiuè se habens , quam Intellectus existimat esse ex parte rei; applicatio autem huiusmodi bonitatis confictæ , tantum est conditio . Nota tamen circa primam partem conclusionis, quòd delectatio est duplex : alia de re obiectiua Intellectus, alia de cogitatione ipsius rei obiectiuæ : vt quando quis non intendens rei consequutionem , in cogitatione illius delectatur . Dico ergo, quòd delectatio de re non potest esse, nisi res sit habita & obtenta : delectatio autem de cogitatione potest esse , etiamsi res sit futura , vel tantùm possibilis; immò impossibilis, etiam cognita impossibilis : potest enim quis delectari in cogitatione quòd si esset Angelus, faceret hoc vel illud. Verum est , quòd huiusmodi delectatio rei præsentis est , nempe cogitationis : vnde formaliter semper est vera prima pars conclusionis , quòd delectatio semper est de re præsenti : in quo distinguitur à desiderio vel intentione, quod respiciunt futurum , vel apprehensum possibile.

Aristo.

Obiectio.

Solut.

Ad argumenta posita in principio respondetur. Ad primum , Diuũ Thomam in hoc articulo tantùm designare completam rationem finis , prout includit non solùm rationem formalem , sed etiam conditionem: sicut & solet dici efficiens operari in quantum est in actu; vbi ly , In quantum , non dicit rationem formalem efficientis , sed tantùm conditionem:

Ad 1. arg.

tionem : existentia enim tantùm est conditio efficientis, licèt intrinseca. Sic ergo dicit define, qui mouet vt apprehensus; non vt ly, Vt, reduplicet rationem formalem, sed tantùm conditionem. Ad locum autem articuli tertij respondetur, loqui à posteriori, vt dictum est; quia vbi sunt diuersæ apprehensibilitates, sunt diuersæ rationes formales, nempe diuersæ bonitates: vnde dicit specificari per apprehensibilitates, quia per illas dignoscitur species. Similiter patet ad aliam authoritatem; appetitus enim prorumpit in diuersas passiones secundùm diuersam rationem boni, quam consequuntur diuersæ apprehensiones: vnde à posteriori rectè diuiduntur per apprehensionem diuersam, vt quando apprehenditur vt futurum bonum, tendit per desiderium: si vt futurum malum, per timorem: si verò apprehenditur vt præsens, per complacentiam, sicut malum per tristitiam. Itaque diuersitas non sumitur ex diuersa apprehensione, sed ex diuersa bonitate: aliter enim se habet bonum vel malum futurum vel præsens; licèt hæc diuersitas non nisi per apprehensionem explicari possit. Ad aliam authoritatem similiter patet: appetitus enim sensitiuus, & voluntas, ex diuersa ratione obiectiua boni distinguuntur; quia obiectum voluntatis est bonum vniuersale: appetitus verò particulare: ad hoc tamen, vt dictum est, diuersa apprehensio consequitur: quia bonum vniuersale tantùm est apprehensibile per rationem; particulare verò per sensum. Illud autem quod ibi superaddit Diuus Thomas, Apprehensio non accidit appetitui; tantùm insinuat, non esse conditionem extrinsecam; vt applicatio ignis: non autem intendit, esse rationem formalem. Ad secundum patet ex secunda conclusione, qualiter bonum apparens est obiectum voluntatis, vt ly Apparens importat, non apprehensionē ex parte potentiæ; sed vt importat bonitatem confictam ex parte obiecti.

Ad tertium respondetur, quòd in moralibus ita verum est, constitui finem ex habitudine ad Intellectum & Rationem, non vt proponentem, vt dictum est, quia in istis etiam propositio tantùm est conditio; sed in ordine ad Rationem dictantem. Quando autem Ratio deprauata vel cæca malè iudicat, iuxta illud Esaiæ: *Ad 3. arg.*

Qui dicitis bonum malum, & malum bonum; tunc idem dicendum est: sed de bono physico impossibili, dictato possibili: quia formale obiecti mouentis non est propositio intellectus Voluntati, sed illa bonitas iudicata in obiecto (licèt falsò iudicetur.) Et si arguas, quia quando Iudicatur vt bonum, quod in rei veritate est malum, ratione cuius (si ignorantia est inuincibilis) talis actus voluntatis reponitur in specie boni, talis bonitas & ratio specificatiua non prouenit ex apprehensione quasi habituali dictaminis, per cuius conformitatem constituitur moralitas; quia potius in ordine ad rectam rationem & dictamen, illud obiectum erat malum: ergo solùm efficitur bonum in ordine ad actualem apprehensionem hic & nunc: ergo & propositio in tali casu est ratio formalis motiua obiecti: Respondetur, quòd in Intellectu tria sunt. Primum, synderesis, quæ vocatur recta ratio; quæ consideratio est quasi in habitu. Secundum est iudicium actuale, quo hic & nunc Iudicat obiectum esse bonum vel malum: quod quidem iudicium potest esse erroneum & discordans à synderesi & recta ratione. Tertium est propositio Intellectus, qua proponitur Voluntati obiectum iudicatum vt bonum. *Obiectio.* *Solut.*

Dico ergo, quòd bonitas specifica & essentialis obiecti in moralibus desumitur ex conformitate ad synderesim & rectam rationem in habitu; bonitas verò moralis in indiuiduo, & vt hic & nunc habet rationem imputabilis ad meritum, desumitur ex conformitate ad iudicium actuale, licèt erroneum (si tamen ignorantia sit inuincibilis) ex conformitate enim ad ipsam talis actus est bonus, sicut si tendat in obiectum bonum ex sua specie; propositio autem Voluntati tantùm se habet vt conditio. Dicimus ergo, quòd in prædicto casu quælibet ratio motiua in illo obiecto, licèt non sit ex dictamine habituali, non tamen est ex applicatione Voluntati, sed ex dictamine & iudicio actuali.

Ad confirmationem respondetur, quòd si loquamur de bono morali, concedimus, quòd posita apprehensione ad modum explicatum, ponitur *Ad conf.*

ratio formalis, & ablata, aufertur : quia ex tali apprehenſione conſtituitur bonitas moralis, vt dictum eſt. Si verò loquamur de bono phyſico, dico, quòd poſita apprehenſione boni, ponitur ratio finis : non quia apprehenſio ſit ratio formalis, ſed quia poſita conditione requiſita, ratio formalis præſuppoſita conditione exercet quod ſine poſitione illius conditionis non poterat exercere; vt patet in applicatione ignis. Et ſi ratio formalis boni non præſupponitur, ſed confingitur, iam dictum eſt, etiam illam rationem obiectiuam, eſſe confictam rationem formalem dependentem ab applicatione, vt à conditione, ablata etiam apprehenſione, dicimus non auferri rationem formalem, ſed exercitium; manet enim bonitas in obiecto, & ceſſat motio defectu conditionis : quod alijs verbis dicitur, quòd manet cauſa finalis in actu primo, non autem in actu ſecundo, vt quando aufertur applicatio ignis : in bono autem conficto, ceſſante apprehenſione, ceſſat bonitas obiectiuè apprehenſa, ſi enim per poſsibile vel impoſsibile, ceſſante apprehenſione, maneret bonitas obiectiuè apprehenſa in re impoſsibili, dicendum eſſet, ſicut de re poſsibili, quòd manebat ratio formalis motiua in actu primo, non autem in actu ſecundo, defectu conditionis requiſitæ.

Ad 4. arg. Ad quartum reſpondetur, maiorem perfectionem eſſentialem non deſumi ex apprehenſione meliori, licèt per illam cognoſcatur à poſteriori; ſed deſumitur ex perfectiori ratione obiecti ; quia appetitus hominis tendit in bonum commune ; brutum verò in bonum particulare.

Ad 5. arg. Ad quintum reſpondetur, apprehenſionem requiri ad completam perfectionem, tanquam conditionē extrinſecā; vnde illa ſecluſa, voluntas non poteſt ferri in obiectum : non autem facit proportionem vt ratio formalis; formaliter enim per bonitatem obiectiuam eſt proportionatum.

Ad 6. arg. Ad ſextum patet ex dictis : vt enim non poſsit ferri in incognitum, etiam per diuinam potentiam, ſufficit, apprehenſionem eſſe conditionem intrinſecam : ſed quoniam diximus, oppoſitam ſententiam eſſe probabilem, quòd videlicet apprehenſio ſit ratio formalis ſub qua, reſpondendum eſt ad argumenta pro noſtra ſententia, vt qui voluerit, ſciat illam defendere.

Ad 1. arg. 2. Sent. Ad primum argumentum pro ſecunda ſententia reſpondetur, quòd Diuus Thomas in illo primo loco duo dicit: primum, quòd apprehenſio eſt via ad appetendum ; ſecundum, quòd vnumquodque non eſt appetibile, &c. in nullo autem iſtorum aliquid aſſerit contra nos: bene enim ſtat, eſſe viam, & vt ad terminum, & non ſe habere per accidens, ſed refundi in ipſum obiectum; conceptus enim via eſt ad obiectum exterius; nihilominus tamen habet rationem obiecti & termini formalis: immò & in motu locali dicunt Philoſophi, viam refundi in terminum motus : vnde terminus materialiter idem acquiſitus per diuerſam viam, eſt formaliter diuerſus ſpecie, quatenus acquiritur per motus diſtinctos ſpecie ; quia via in terminum refunditur. Dicere autem, quòd non eſt appetibile in quantum viſibile, tantùm eſt excludere apprehenſionem à ratione formali quæ appetitur, non autem à ratione formali ſub qua : & ſi Diuus Thomas ſuprà dicit, quòd tantùm eſt via, & non ratio formalis ; loquitur de ratione formali, ſiue quæ, ſiue ſub qua, ex parte obiecti; non autem de ratione ſub qua ex parte potentiæ.

Ad ſecundam authoritatem, vbi dicit, quòd diuerſitas apprehenſionis per accidens ſe habet ad obiectum voluntatis, niſi ei coniungatur diuerſitas apprehenſorum : Reſpondetur, quòd apprehenſio habet ſe per ſe, &c. & eſt dicere, vtrumque requiri, & apprehenſionem & rem apprehenſam ; quia obiectum ex vtroque reſultat, & ex ratione quæ, & ſub qua, tam ex parte obiecti, quàm ex parte potentiæ. Ad tertiam authoritatem, vbi dicit Diuus Thomas, Charitatem viæ & patriæ eſſe eiuſdem rationis ; quia res dilecta, eſt eadem, licèt apprehenſio ſit diuerſa : reſpondetur, omiſsis ſolutionibus datis inter arguendum, non quamcunque apprehenſionem eſſe rationem formalem diuerſificantem dilectionem, ſed tantùm apprehenſionem illam, qua per ſe actus dilectionis regulatur: Charitas ergo per ſe & ex natura ſua tantùm regulatur viſione beatifica; per accidens autem ex parte ſubiecti regulatur per Fidem in viatore : eſt ergo Charitas viæ & patriæ, eiuſdem rationis;

quia

quia apprehensio per se regulans Charitatem, est eadem; & nihil ad rem, quòd apprehensio per accidens regulans diuersificetur. Vnde non est audiendus in hac parte quidam modernus concedens, Charitatem viæ & patriæ non esse eiusdem rationis, quia per diuersam cognitionem obiectum propositum non potest dici formaliter idem: nam per claram visionem applicatur Deus secundùm omnes suas perfectiones: per fidem autem applicatur secundùm aliqua attributa, vel secundùm omnia confusè: quia ex hoc etiam sequitur, dilectiones beatorum specie differre; quia non est æqualis cognitio attributorum quantum admodos illorum: & certè nullus dicet, quòd amor naturalis Dei, vel hominis, vel Angeli, sit distinctus specie, quando ipsum intuitiuè vel abstractiuè cognosco.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum respondetur, quòd licèt bonum à parte rei habeat aliqualem proportionem, non tamen vltimam & completam: apprehensio enim quia illuminat & proponit obiectum voluntati, vltimatè facit ipsum proportionatum Voluntati: & hoc nihilominus posito, saluatur differentia Intellectus & Voluntatis; quia Intellectus tendit in obiectum, vt intra se; Voluntas autem exit ad extra, saltem ad Intellectum: apprehensio autem ex parte Intellectus se tenet: vnde vt appetat obiectum vt apprehensum à se ipsa, ad Intellectum debet exire; vel prædicta doctrina debet intelligi quantum ad præcipuam rationem obiecti, quæ est bonitas; ista enim ad extra exisht, & illam voluntas in rebus inquirit: non autem intelligitur quoad omnem rationem, etiam minus principalem, qualis est ratio sub qua ex parte potentiæ; ista enim est apprehensio tenens se ex parte Intellectus, & non in re ipsa.

Ad conf. Ad confirmationem respondetur, quòd licèt apprehensio nihil ponat reale in obiecto Voluntatis, potest nihilominus esse ratio formalis sub qua illius, propter coniunctionem Intellectus ad voluntatem: sicut etiam de actu Intellectus dicitur, physicè & realiter influere in actum Voluntatis, sine eo quòd ponat aliquid reale in actu voluntatis solùm, propter maximam coniunctionem vtriusque potentiæ. Vel aliter dicitur, rationem formalem sub qua, ex parte potentiæ non necesse habere ponere aliquid reale in ipso obiecto; vt patet in abstractione, quæ nihil ponit in obiecto scientiæ, nisi denominationem rationis.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum respondetur, omnia illa verificari de obiecto voluntatis prout in re; quia vt sic adderet rationem formalem quæ, & de ista debet verificari quod intenditur, quòd est perfecta & optima, &c. & quòd gratia illius omnia fiant: hoc autem non tollit, apprehensionem esse rationem sub qua, ex parte potentiæ; non enim est de ratione talis rationis sub qua, quòd ad ipsam actus terminetur: vt patet etiam in abstractione scientiæ: non enim demonstrationes & actus scientifici ad abstractionem, sed ad rationem quæ & sub sub qua, ex parte obiecti terminantur.

Ad 4. arg. Ad vltimum patet ex dictis: tantùm enim probat de appetibili secundùm rationē quę & sub qua ex parte obiecti, hæc enim iam diximus esse in re; sed non obuiat, apprehensionem esse rationem sub qua, ex parte potentiæ: ratio autem formalis ex parte potentiæ, ex parte Intellectus se tenet. Et per hoc patet ad confirmationem.

DVBITATVR VII.

Vtrùm actus voluntatis possit esse vltimus finis.

1. Arg. PRobatur quòd sic. Si propter aliquam rationem non posset esse, maximè quia actus potentiæ non potest esse obiectum ipsius potentiæ: cùm ergo finis sit obiectum voluntatis, actus voluntatis non potest esse vltimus finis: sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor, nam ex hac ratione sequeretur, quòd nec etiam actus Intellectus posset esse finis: consequens est falsum, cùm beatitudo consistat in operatione intellectus: ergo.

2. Arg. Secundò arguitur: Voluntas est potentia immaterialis: ergo potest reflectere supra suos actus; hoc enim est proprium potentiæ immaterialis: quapropter D. Thomas secunda secundæ quæst.

quæstio. 25. articulo secundo, dicit etiam actum Charitatis posse diligi ex Charitate : ergo poterit vnus actus esse obiectum alterius ; & sic actus voluntatis, poterit esse obiectum & finis voluntatis.

2. *Arg.* Tertiò arguitur : Delectatio est actus voluntatis : & tamen multi constituunt vltimum finem in delectatione : ergo actus &c.

Not. Notandum est ex Diuo Thom. infrà articulo octauo, & quæstione secunda articulo septimo, & ex Aristotele quinto Methaphysic. textu 22. quòd finis sumitur dupliciter. Vno modo, pro fine qui, scilicet pro re desiderata & dilecta. Alio modo, pro finè quo, scilicet pro adeptione talis rei desideratæ ; vt verbi gratia, in auaro finis qui, est pecunia ; finis quo, est obtentio pecuniæ : & ista duo non ponunt in numero, sed ex vtroque fit vnum, non enim tendit in pecuniã vtcumque, sed in pecuniam adeptam. Hoc supposito,

Med. Cai. Medina & Caietanus hìc dicunt, intelligendum esse Diuũ Thomam de vtroque fine, quòd videlicet actus voluntatis, nec potest esse finis qui, nec finis quo. Hæc tamen non potest esse legitima intelligentia ; versatur enim in opinione, vtrùm beatitudo formalis qua, & assequtio, & finis quo, sit actus Intellectus vel voluntatis ; vnde non debebat Diuus Thomas supponere tanquâm certum, actum voluntatis non posse esse finem, si loqueretur de fine quo. Item etiam, quòd tantùm negat, actum elicitum voluntatis posse esse finem : dicit autem, actum imperatum, finem esse posse : ergo non loquitur de fine quo ; nam apud ipsum nec actus elicitus, nec actus imperatus voluntatis, est finis quo, sed tantùm hoc habet actus Intellectus.

Resolutio. Dicendum ergo, quòd loquatur de fine qui, de hoc enim currit ratio, quòd cùm obiectum debeat præcedere actum primum potentiæ, actus primus, qualis est elicitus, non potest esse finis qui, & obiectum voluntatis ; sicut & actus Intellectus non potest esse primum verum ; quia hoc supponitur vt obiectum cuicumque actui Intellectus, etiam primo. Quod autem asserit, actum imperatum posse esse finem, loquitur permissiuè, quia de illo non currit ratio proposita : actus enim, verbi gratia, Intellectus, licèt non possit esse primum verum, potest tamen esse primum appetibile ; quia licèt nullus actus Intellectus supponatur vt primum obiectum respectu Intellectus ; potest tamen supponi vt primum obiectum voluntatis, circa quod omnis actus voluntatis vltimo versatur.

Et si contrà arguas, quia verum & bonum conuertuntur : ergo si nullus actus Intellectus potest esse primum verum, nec etiam primum bonum, nec primum appetibile : Respondetur, quòd secundùm rationem rectam conuertuntur, & sic probat argumentum, non posse esse primum appetibile, & primum bonum, quod in re non est primum Verum ; ex peruersione tamen operantis potest proponi vt primum bonum & primum appetibile, quod non est primum verum.

Obiectio. *Solutio.*

Et si rursus arguas, quia etiam ex peruersione poterit constituere primum appetibile & vltimum finem in actu voluntatis, vt in delectatione appetitionis mulieris : Respondetur, quòd si constituit finem vltimum in tali delectatione, primum appetibile non est ipsa delectatio, sed obiectum eius, nempe mulier appetita. Et si rursus contrà arguas, supponendo quòd odio habeat talem mulierem, & solùm constituat vltimum finem in delectatione appetitus eius : Respondetur, casum esse impossibilem : si enim appetit illam appetitu causante delectationem, quomodò odio habet illam. Fallitur ergo in prædicto casu, nam forsan abhorret illam secundùm aliam rationem, sed tamen diligit hìc & nunc secundùm quòd ad ipsam prædictus actus appetitus terminatur. Et si rursus arguas ; nam suppono quòd sit delectatio de actu circa mulierem, & non de ipsa mulierre, ita vt actus circa mulierem sit speculatiuus, & solùm terminetur ad ipsam speculatiuè ; praxis autem solum sit reflexa per delectationem circa ipsum actum ; tunc enim non erit vltimus finis mulier, sed prædictus actus : Respondetur, quòd actus Intellectus per prædictam considerationem potest terminare actum voluntatis per modum vltimi finis ; actus autem voluntatis minimè id potest habere, quia non potest considerari merè speculatiuè ex parte obiecti, sed semper appetitus habet rationem

Obiectio. *Solutio.* *Obiectio.* *Solutio.* *Obiectio.* *Solutio.*

tionem practici, & moraliter semper consideratur ex parte obiecti : vnde si delectatur de appetitu, delectatur etiam de obiecto ; & sic obiectum erit vltimus finis, & non ipse appetitus obiecti. Itaque actus Intellectus in prædicto casu, qui quidem est actus imperatus voluntatis, erit vltimus finis, non solùm quo, sed etiam qui, secundùm diuersam rationem finis ; quia secundùm quòd terminat actum voluntatis, est finis qui; finis verò quo, secundùm quòd per se ipsum habetur : actionis enim non est actio, ne detur processus in infinitum: vnde si proponitur vt finis qui, actio, tunc finis qui & quo, coincidunt secundùm rationem, licèt formaliter distinguantur ratione prædicta : vt clariùs patet in fine citharœdi, qui est citharizatio, illa enim est finis qui, vt res intenta, & finis quo, vt est consequutio rei intentæ ; per se ipsam enim citharizatio ob-

Obiectio. tinetur. Et si rursus arguas, quia talis actus Intellectus est deliberatus & propter finem : ergo non potest esse vltimus finis ; nam vltimus finis non potest esse

Solutio. propter finem, quia non esset vltimus: Respondetur, quòd dictus actus intellectus dupliciter consideratur : primò in ratione termini voluntatis : secundò vt subiacet imperio, & motioni voluntatis. Primo modo est finis vltimus : secundo verò modo est propter finem ; & primo modo est propter se ipsum consideratum : secundo modo, sicut de actu exteriori dicitur, quòd secundùm quòd est obiectum actus interioris, habet bonitatem vel malitiam priorem, & præsuppositam, à quo specificatur actus interior: vt autem actus exterior subiacet motioni & imperio actus interioris, habet bonitatem vel malitiam posteriorem, & consequentem : & hæc secunda bonitas vel malitia est propter bonitatem vel malitiam eiusdem actus exterioris considera-

Obiectio. ti primo modo. Et si rursus arguas, Quare hoc non potest dici de actu imperato voluntatis, aliàs elicito ab illa, quòd sit obiectum alterius actus eliciti, & illi subijciatur ; quia sicut actus intellectus imperatus à voluntate, potest esse vltimus finis illius, ita imperatus, aliàs elicitus à

Solutio. voluntate, posset etiam esse vltimus finis eius : Respondetur, quòd actus voluntatis, siue elicitus, siue imperatus, non potest intelligi habere bonitatem vel malitiam nisi ex obiecto, quod moraliter necessariò respicit, vt dictum est: quapropter semper in obiectum eius reducitur ratio finis, & non potest sisti in ipsa actione ; sed in actu Intellectus sistitur moraliter, quia potest talis actus ex parte obiecti non moraliter considerari.

Ad primum argumentum à principio respondetur, actum Intellectus pos- *Ad 1. arg.* se esse finem quo, qualis est visio Dei; immò, vt diximus, actus Intellectus non solùm posset esse finis quo, sed etiam qui; quia potest esse primum obiectum voluntatis, quod nullus actus voluntatis potest habere ; quapropter nec esse voluntatis finis. Itaque cùm finis debeat esse obiectum voluntatis, non verò Intellectus ; ideò actus Intellectus, licèt non possit esse primum obiectum Intellectus, potest tamen esse primum obiectum voluntatis ; quod nullus actus voluntatis habere potest ; & ideò dicimus, prædictam rationem concludere de actu voluntatis, non verò de actu Intellectus : vnde ad argumentum, negatur sequella.

Ad secundum respondent aliqui, quòd reflexio est circa actum imperatum, & ille potest esse finis. Vel quòd hic loquimur de actu directo non reflexo. Melius tamen respondetur, quòd nullus actus voluntatis potest esse finis vltimus, quia nullus potest non esse propter sui obiectum ; cùm omnis actus appetitus versetur moraliter circa suum obiectum ; & sic iam obiectum erit vltimus finis. Vel respondetur, quòd non *2. Solut.* negamus, aliquem actum voluntatis posse esse obiectum & finem alterius actus: negamus tamen, posse esse finem vltimum; & sic quando ex Charitate diligitur actus Charitatis, tunc actus dilectus tantùm est finis intermedius ; nam tandem tenditur per Charitatem in obiectum illius actus dilecti, nempe in Deum.

Ad tertium, aliqui respondent, hic *Ad 3. arg* loqui de actu primario voluntatis, non autem de secundario, qualis est delectatio : primarius enim actus est amor; delectatio verò consequitur. Secundò ta- *2. Solut.* men melius respondetur, quòd delectatio multoties dicitur ab Aristotele, &

D. Tho.

D. Thom. habere rationem vltimi finis, quatenus delectatio ad aliam operationem non ordinatur, quia est vltima: si tamen ipse comparetur ad proprium obiectum, non ipsa delectatio, sed obiectum de quo est delectatio, est quod ponitur vt vltimus finis.

DVBITATVR OCTAVO,

Vtrùm finis semper sit excellentior quàm media.

1. *Sent.* *Soto.* IN hac re Soto 2. Physic. dicit, quòd res minus perfecta potest esse finis rei
1. *Arg.* perfectioris, non vltimus, sed intermedius. Hæc sententia probatur primò: nam Incarnatio Christi Domini fuit ordinata in nostram salutem, vt in finem intermedium; vltimus enim est gloria Dei, in quam & Incarnatio & nostra salus ordinantur: & tamen Incarnatio quid melius est nostra salute: ergo.

2. *Argu.* Secundò arguitur: Vnunquodque est propter suam operationem, & illam respicit tanquam finem intermedium: certum est autem, operationem esse minus perfectam operante; cùm illud sit substantia, illa verò accidens.

3. *Arg.* Tertiò arguitur: Nam actus virtutis excellentioris ordinatur ad virtutem minus perfectam, tanquam ad finem: ergo. Probatur antecedens; nam actus orationis, qui est actus religionis, quæ quidem inter virtutes morales est perfectissima, ordinatur multoties ad obtinendam temperantiam, vel bona temporalia.

2. *Sent.* *Caiet.* Oppositam sententiam tenet Caietanus 3. part. quæstione prima articulo 3. dicit enim, quòd finis semper est quid excellentius: vnde quod perfectius est, non potest ordinari, vt ad finem, ad ra-
1. *Arg.* tionem imperfectiorem. Hæc sententia probatur primò ex Diuo Thoma 1. parte quæstion. 50. articul. 3. vbi dicit, quòd Angeli non ordinantur ad homines, tanquam ad finem, quia sunt perfectiores Angeli: sentit ergo, quòd magis perfectum non potest ordinari adminus perfectum, vt ad finem.

2. *Arg.* Secundò probatur: Finis, vt finis, est optimum & perfectum, qua ratione est primum intentum ab operante: ergo debet esse finis quid perfectius quàm medium. Patet consequentia: nam aliàs non quæreret quis per media, sed è conuerso. Confirmatur; nam causa *Conf.* perfectior est suo effectu: finis est causa, medium est effectus: ergo finis est perfectior medio.

Tertiò probatur: Nam finis, vt dictum est, habet bonitatem intrinsecam; 3. *Arg.* medium verò tantùm ab extrinseco participatam à fine: ergo finis est perfectior. Patet consequentia, nam melius est esse intrinsecè, quam extrinsecè.

Vtraque sententia probabilis est, & forsan possent conciliari per distinctionem, quod esse melius, stat dupliciter: vel simpliciter, vel secundùm quid: finis ergo vltimus, quia simpliciter est finis, simpliciter est melior omni medio: finis verò intermedius, cùm sit finis secundùm quid, erit melior secundùm quid: vnde cùm res absolutè imperfectior possit esse melior secundùm quid; hinc est, quòd res imperfectior poterit esse finis intermedius respectu rei absolutè perfectioris: sed sustinendo absolutè vtramq; sententiam, ad argumēta vtriusque respondetur.

Ad primum primæ sententiæ respon- *Ad 1. arg. 1. Sent.* tur, quòd Incarnatio non ordinatur ad nostram salutem, vt ad finem, sed vt ad effectum; finis enim tantùm est gloria Dei, iuxta illud Pauli: Omnia vestra sunt, vos autem Christi; Christus autem Dei. Ecce ordinationem finium; in qua nullo modo posuit hominem vt finem Christi, sed e contra. Si autem dicitur in Symbolo, quòd propter nos homines, &c. Ly, Propter non dicit ordinationem finis, sed ordinationem causæ ad effectum: sicut & illud Pauli loquendo ad Angelos: Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis: ly Propter, non dicit finem, vt dictum est ex Diuo Thoma, sed dicit effectum custodiæ Angelorum.

Ad secundum respondetur similiter, quòd operans non est propter ope- *Ad 2. arg.* rationem, vt propter finem; sed ly Propter, dicit effectum, vel, vt alij volunt, non respicit vt finem operationem vtcumque, sed operationem in termino; quod est, operantem esse perfe-

perfectiorem per operationem; vnde est esse propter se ipsum in esse perfectiori; verùm non ponitur vt finis aliquid imperfectius.

Ad 3. arg. Ad tertium respondetur similiter, actum orationis non respicere temperantiam, vel bona temporalia postulata, vt finem, sed vt effectum; comparatur enim ad illa actus orationis, vt meritorius, vel impetratorius: res autem merita vel impetrata, effectus est meriti vel impetrationis.

Ad 1. arg. sent. Ad argumenta secundæ sententiæ respondetur. Ad primum, tantùm intendere D. Thom. Angelum non posse respicere vt finem simpliciter hominem; non autem negauit, posse respicere illum vt finem secundùm quid.

Ad 2. arg. Ad secundum respondetur, probare, finem debere esse perfectiorem ea ratione qua finis est; vnde si tantùm est finis secùndùm quid, & intermedius, tunc probat, debere esse perfectiorem secundùm quid; quod non repugnat rei inferiori respectu

Ad 3. arg. rei superioris. Et per hoc etiam patet ad tertium: concedimus enim, quòd bonitas finis est intrinseca in fine; extrinseca autem in medio: sed bene potest esse, quòd res simpliciter perfectior habeat aliquam bonitatem extrinsecam participatam ab inferiori, in qua reperiatur intrinsecè talis bonitas minor, & aliàs imperfectior, quàm ea quæ intrinsece reperiebatur in medio secundùm se & absolutè considerato.

DVBITATVR VLTIMO,

Vtrùm sit vera illa propositio Diui Thomæ in argumento, Sed contrà; quòd primum in vnoquoque genere, est à quo deriuantur omnia quæ continentur in illo genere.

Sent. Dur. IN hac re Durandus in primo distinction. 15. quæstion. 2. artic. 2. & quæstion. 5. dicit, prædictam propositionem non esse vniuersaliter veram, sed intelligendam esse in causis subordinatis: prima enim causa sic se habet respectu aliarum, quòd cessante prima, reliquæ cessent ab operando. Vniuersaliter autem vera esse non potest prædicta propositio; quia albedo est prima in genere coloris; & tamen aliorum colorum non est causa: similiter primus dies non est causa aliorum dierum; nec motus primi mobilis, qui est primus, est causa aliorum motuum: nec punctum, quod est primum in linea, est causa lineæ. Vazquez *Vazquez.* hic dicit, prædictam propositionem esse vulgarem, videlicet quòd primum in vnoquoque genere, sit causa aliorum; quia in Aristot. non ita inuenitur, sed 2. Methap. & 5. tantùm dicit in summa, licèt obscuris verbis, illud esse maximum, quod aliorum vniuocationis est causa: quod quidem idem est ac si diceret, illud principaliter remanere cum aliqua determinatione, ex quo alia habent esse illius naturæ participatum: quod alijs verbis solet dici, quòd propter quod vnum quodque tale, & illud magis: vt patet in exemplo ipsius Aristot. de præmissis & conclusione; dicit enim, principia esse maxima vera, quia sunt causæ veritatis conclusionis. Quæ doctrina, inquit Vazquez, etiam ad analoga extendi potest, siquidem animal, quod est causa denominationis vrinæ in esse sani, est magis sanum, quàm vrina. Fallitur tamen Vazquez appellando prædictam propositionem vulgarem, quia illa vtitur Diuus Thom. 1. part. quæstion. 56. *D. Thom.* articul. 1. & illam acceptant omnes Theologi, in hoc sensu intelligentes verba obscura Aristot. & tanquàm ex mente illius proferunt prædictam propositionem, & idem Capreolus in 2. distinct. 14. quæ- *Capreolus.* stion. prima ad quintum, & Conra- *Conradus.* dus hic; quòd primum in vnoquoque genere, sit causa & principium omnium illius generis; nam aliàs esset impertinens loquutio, dicere quòd prima causa est causa aliarum causarum illius generis, siue subordinatarum. Aduertendum est tamen, quòd quando dicitur, primum in vnoquoque genere, esse causam, debere sumi communiter ad omnem causam, ita vt sit causa efficiens, vel formalis, vel materialis, vel finalis; & frequentiùs primum in quolibet genere, est causa formalis; hoc est, mensura aliarum. Item etiam intelligenda est prædicta propositio formaliter, quòd primum in vnoquoque genere, &c. quòd primum (inquam) quod est natura sua primum; nam si sit primum per accidens, non gaudet prædicto

gaudet

gaudet prædicto priuilegio. Quapropter D. Tho. non semper eodem tenore profert prædictam propositionem, hic enim dicit, quòd primum in vnoquoque genere, est à quo deriuantur omnia quæ in illo genere continentur: sub alijs autem verbis protulit 2. 2. quæst. 163. articul. 3. ad tertium, dicens, quòd maximum in vnoquoque genere, est aliorum mensura: quo modo etiam loquitur Aristot. 1. Methap. cap. 2. & 2. de cœlo textu 28. & 3. Metheor. textu 2. & 3. Tertia autem parte loco citato dicit, primum in vnoquoque genere, esse causam omnium illius generis: quæ quidem loquutiones diuersæ in idem redeunt, admittentes explicationem assignatam. Ex quo quidem, pro solutione ad argumenta Durandi, cõsultò, vbi priùs dixerat, primum in vnoquoque genere; modò dicit, maximum in vnoquoque genere, explicans qualiter debeat esse primum, vt sit aliorum causa: nõ enim sufficit esse primum duratione & tẽpore, vt primus dies respectu aliorum; nec sufficit esse solùm positione & situ, sicut punctum est primum in quantitate: sed debet esse primum excellentia & dignitate, & hoc vocat maximum in illo genere: sic autem non habet instantiam; nam de motu primi mobilis falsò asserit, non esse causam omnium aliorum: vnde cessante motu primi mobilis, omnis alius cessaret, etiam motus cordis. Albedo autem causa est exemplaris & mensura omnium colorũ, per accessum enim vel recessum ab albedine, habent colores esse perfectiores vel imperfectiores: sicut in genere animalis per accessum vel recessum ab homine, qui est maximum in illo genere, animalia dicuntur perfectiora vel imperfectiora.

ARTICVLVS II.

Vtrùm agere propter finem, sit proprium rationalis naturæ.

1. 2. q. 50. art. 2. con. & 2. cõtra c. 46. & li. 3. c. 1. fi. 16. 24. 109. 110. fi. & 113. Et v-

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quòd agere propter finem, sit propriũ Rationalis naturæ. Homo enim, cuius est agere propter finem, nunquam agit propter finem ignotum: sed multa sunt quæ non cognoscunt finem, vel quia omnino carent cognitione, sicut creaturæ insensibiles: vel quia non apprehendunt rationem finis, sicut bruta animalia: videtur ergo proprium esse Rationalis creaturæ, agere propter finem

ni. ar. 5. cor por. & 2. Phy. lec. 4. c. 2. princi. & lect. 10. priu.

Præterea: Agere propter finem, est ordinare suam actionem ad finem: sed hoc est Rationis opus, ergo non conuenit ijs quæ Ratione carent.

Præterea: Bonum & finis est obiectum voluntatis: sed Voluntas in Ratione est, vt dicitur in tertio de Anima: ergo agere propter finem, non est nisi Rationalis naturæ.

Text. 42. tom. 2.

Sed contrà est, quòd Philosophus probat in 2. Physi. quòd non solùm intellectus, sed etiam Natura agit propter finem.

Tex. 49. tom. 2.

Respondeo, dicendum, quòd omnia agentia necesse est agere propter finẽ: causarũ enim adinuicem ordinatarũ si prima subtrahatur, necesse est alias subtrahi. Prima autẽ inter omnes causas est causa finalis. Cuius ratio est, quia materia non sequitur formam, nisi secundùm quòd mouetur ab agente: nihil enim reducit se de potentia in actum: agens autem non mouet, nisi ex intentione finis: si enim agens non esset determinatum ad aliquem effectum, non magis ageret hoc, quam illud: ad hoc ergo quòd determinatum effectum producat, necesse est quòd determinetur ad aliquid certum, quod habet rationem finis:

hæc

Hæc autem determinatio sicut in rationali natura per rationalem fit appetitum, qui dicitur voluntas, ita in alijs fit per inclinationem naturalẽ, quæ dicitur appetitus naturalis. Tamen considerandum est quod aliquid sua actione, vel motu tendit ad finem dupliciter. Vno modo, sicut se ipsum ad finem mouens vt homo: alio modo sicut ab alio motum ad finem, sicut sagitta tendit ad determinatum finem ex hoc, quòd mouetur à sagittante, qui suam actionem dirigit in finem. Illa ergo quæ rationem habent se ipsa mouent ad finem, quia habent dominium suorum actuum per liberum arbitrium, quod est facultas voluntatis, & rationis. Illa vero quæ ratione carent, tendunt in finem propter naturalem inclinationem, quasi ab alio mota, non autem à se ipsis, cum non cognoscant rationẽ finis, & ideò nihil in finem ordinare possunt, sed solum in finem ab alio ordinantur. Nam tota irrationalis natura comparatur ad Deum, sicut instrumentum ad agẽs principale, vt supra habitum est, & ideò proprium est naturæ rationalis, vt tendat in finem quasi se agens, vel ducens ad finem. Naturæ verò irrationalis quasi ab alio acta, vel ducta siue in finem apprehensum, sicut bruta animalia, siue in finem non aprehensum, sicut ea quæ omnino cognitione carent.*

Ad primum ergo dicindum, quod quando homo per se ipsum agit propter finem, cognoscit finem, sed quando ab alio agitur, vel ducitur, puta cum agit ad imperium alterius, vel cum mouetur altero impellente, non est necessarium quod cognoscat finem: & ita est in creaturis irrationalibus.

Ad secundum dicendnm, quod ordinare in finem, est eius quod se ipsum agit in finem. Eius verò quod ab alio agitur in finem est ordinari in finem, quod potest esse irrationalis naturæ, sed ab aliquo rationem habente.

Ad tertium dicendum, quod obiectum voluntatis est finis, & bonum in vniuersali. Vnde non potest esse voluntatis in his quæ carent ratione, & intellectu, cum non possint apprehendere vniuersale, sed est in eis appetitus naturalis, vel sensitiuus determinatus ad aliquod bonum particulare. Manifestum autem est, quod particulares causæ mouentur à causa vniuersali: sicut cũ rector ciuitatis, qui intẽdit bonum commune, mouet suo imperio omnia sua particularia officia ciuitatis, & ideo necesse est, quod omnia quæ carent ratione mouentur in fines particulares ab aliqua voluntate rationali, quæ se extẽdit in bonum vniuersale, scilicet voluntate diuina.

* 1. p. q. 22. art. 2. & q. 105. art. 5.

Prima conclusio. Omnia agentia agũt propter finem. 1. Concl.

Secunda cõclusio. Agentia libera agũt propter finem mouendo se in finem. 2. Concl.

Tertia conclusio. Agentia irrationalia agunt propter finem mota, & non mouendo se in finem. 3. Concl.

DVBITATVR I.

Vtrùm prima conclusio D. Thomæ, verum habeat.

PRobatur quòd non. Primò: Deus non agit propter finem: ergo non omnia agentia agunt propter finem. Antecedens probatur. Primò: nam agere propter finem, dicit aliquam potentialitatem in agente: nam quod agit, vel agit se agens vel actum: vtrumque importat motum, & consequenter potentialitatem, & consequenter Deo conuenire non potest. *1. Arg.*

Secundò probatur idem antecedens. Deus nec agit propter finem in opere ad intra nec ad extra: ergo in nullo; quia nō est in Deo alia actio. Quòd non ad intra, probatur ex Diuo Thoma 1. p. quæst. 39. art. 8. vbi dicit, quòd licèt Pater in diuinis sit principiū, non tamen causa finalis aliarum personarum. Tùm etiam ratione, nam quælibet persona diuina, est vltimus finis: ergo nulla illarum potest procedere vt ad finem: hoc enim vltimo fini repugnat. Tùm etiam, quia vt supradictum est, finis semper est excellentior, quā id quòd est ad finem: quod quidē inter personas diuinas nō habet locū. Tùm denique, quia agere propter finem, dicit actionem liberam: processio autem ad intra, est necessaria: non ergo propter finē esse potest. *D. Thom.*

Quòd non etiam in opere ad extra, probatur: nam in operatione ad extra, non intendit Deus propriam perfectionem, quia nullam de nouo potest recipere: sed tantùm intendit perfectionem creaturæ, quæ quidem finis Dei esse non potest: ergo in tali actione nullomodo agit propter finem; eo vel maximè, quòd etiam actio ad extra, vt se tenet ex parte Dei, est ipsa substantia Dei: sed Dei substantia non propter finem potest esse: ergo nec etiam actio Dei ad extra. Tertiò probatur idem antecedens: Nam si aliquis finis deberet assignari Deo operanti, maximè ipsemet: sed hoc non; quia cùm respectu propriæ operationis, vt se tenet ex parte illius, non sit causa efficiens; cōsequēter nec potest esse finalis: quorum enim Deus est finis, est primum efficiēs, iuxta illud: Ego sum Alpha & O. principium & finis. Vltimo probatur idem antecedens: Nam quod est ad finem, dicit subordinationem ad finem per relationē realem ad illum: sed actio Dei vt se tenet ex parte Dei, nec potest subordinari ipsi Deo, cùm sit ipse Deus, & subordinari, dicat inferioritatem, & imperfectionem, nec realiter potest referri, cùm hoc importet realem distinctionem ergo.

Secundò & principaliter arguitur. Cùm aliquis eligit media improportionata fini, tunc finis non causat: ergo tunc agens non agit propter finem. Consequentia patet, quia non stat agere propter finem, & quòd finis non causet. Antecedens verò probatur. Ratio causandi finis, est proportio mediorum ad ipsum: ergo vbi de est proportio, deest ratio, causandi in fine: Confirmatur: Quoniam vt dictum est, sic se habet finis ad media, sicut principia ad conclusiones; sed quando infertur conclusio disparata, principium non concurrit ad illam: ergo quando apponitur medium non proportionatum, finis non concurit ad talem electionem. *2. Arg.* *Confirm.*

Tertiò arguitur: Quando homo agit fine intentione, non agit propter finem, nec formaliter, nec virtualiter ergo non omne agens, &c. Antecedens probatur pro prima parte, quia tunc nō est aliqua relatio formalis ad finem; ergo non agit propter finem formaliter. Secunda pars antecedētis probatur: Quia nulla præcesset relatio: ergo non refertur modò virtualiter, referri enim virtualiter, est in virtute alicuius actus præcedentis. Confirmatur in actionibus iocosis, quæ sine aliquo fine fiunt, & fortiùs in actionibus ociosis; ideo enim dicuntur ociosæ, quia fine carent. *3. Arg.* *Confirm.*

Quartò arguitur: Nā multa fiunt in rerum natura, à casu & fortuna: sed hoc est fieri præter intentionem: ergo est fieri non propter finem. Confirmatur in monstris, quæ potiùs sunt contra finem naturæ, & debitam eius pulchritudinem. *4. Arg.* *Confirm.*

Quintò arguitur: Nam peccatum non est propter finem: ergo non omnis actio est propter finem. Antecedens est Diui Thomæ 3. contragent cap. 4. desumptū ex Diuo Dionysio cap. 4. de diuinis nominibus, asserente, quod nemo intendēs ad malum operatur. Confirmatur in peccato veniali, quod nullo modo potest esse propter finem: quia nec propter Deum; siquidem esset blasphemia maxima, *5. Arg.* *D. Thom.* *D. Dion.* *Confirm.*

ma, malum etiam veniale, in Deum referre, quasi sibi malum placere posset: nec etiam propter creaturam, vt finem potest esse: quia tunc iam esset peccatũ mortale; cuius ratio in eo consistit, quòd per ipsum ponatur vltimus finis in creatura.

6. Arg. Sextò arguitur: Quando homo appetit finem, non operatur propter finem: ergo non omnis actio est propter finem. Antecedens probatur. Nam finis est, cuius gratia aliquid fit: ergo tunc tantùm agit propter finem, quando versatur circa media, quę appetit gratia finis: non enim potest dici, propriè loquẽdo, quòd *Confirm.* gratia finis appetat ipsum finem. Confirmatur, nam si quando appetit finem, propriè agat propter finem sequitur, similiter brutum appetendo finẽ propriſsimè agere propter finẽ; nam etiam cognoscit & apprehendit finem, quem appetit. Nec valet solutio, quòd brutum apprehendit finem materialiter; non (inquam) valet: nam per ly Materialiter; vel intelligitur, quòd non cognoscitur proportio inter media & finem, vel quòd nõ cognoscitur ratio formalis finis mouentis, sub qua formaliter mouet. Secundum dici non potest; nam brutum etiam apprehendit delectationem, sub qua finis formaliter mouet ipsum brutum: nulla enim potentia potest tendere in suum obiectum, nisi sub ratione formali illius. Si verò dicatur primũ; ergo agere propter finem formaliter est in ordine ad media respectu finis, qua propter tendere in finem absolutè, quando non tenditur in media, non erit formaliter agere propter finem, vel brutum formaliter tendit in illum.

7. Arg. Septimo arguitur, quia agentia naturalia sine cognitione non possunt dici agere propter finem: ergo. Probatur antecedens; quia nullo modo apprehendunt finem. Si respondeatur, quòd apprehenditur ab Authore naturæ dirigente agentia naturalia in proprios fi- *Confirm.* nes: Contra arguitur, quia hoc erit agi, non verò agere propter finem. Confirmatur, quia nulla potentia potest extrahi, etiam â Deo, extra proprium obiectum ad alienum, vt visus ad sonum, v. g. sed secundum D. Thomam finis est obiectum voluntatis: ergo agentia naturalia etiam à Deo ad finem duci non possunt, ita vt ipsa dicantur agere propter finem; nam hoc esset mittere falcem in messem alienam, si attingerent obiectũ voluntatis.

Octauo arguitur: Non omnis entitas est propter finem: ergo nec omnis actio. Patet consequentia ex paritate rationis. Antecedens verò probatur. In hac veritate necessaria, homo est animal rationale; cuiusquidem non datur causa, nec efficiens, nec finalis, cùm vt dictum est, sit necessaria & perpetua. *8. Arg.*

Vltimo arguitur: Ignis cùm producit ignem, non agit propter finem: ergo. Probatur antecedens: Non mouetur à forma ignis geniti, nec realiter (cùm nondum sit, quando ignis causat) nec intentionaliter, quia ignis generans non apprehendit ignem generandum: ergo nullo modo, &c. Si respondeatur, quòd sicut agens per cognitionem determinatur à cognitione ad prosecutionem finis: ita agens sine cognitione, vt ignis, determinatur sua forma naturaliter ad prosequutionem sui finis: Contra arguitur: Nam ignis per suam formam tantùm determinatur ad generandum ignem, non tamen ad generandum hunc ignem: ergo in generatione huius ignis casualiter & non propter finem, quia non est in singulari per quòd determinetur vt agat propter hunc finem. *9. Arg.* *Solutio.* *Empugnatio.*

In hac re est prima sententia omnium hæreticorum qui negabant prouiden tiam diuinam; consequenter enim dicebant, omnia fieri à casu, & non propter finem: cuius insaniæ primus author fuit Democritus, & alij antiqui Philosophi, qui cum illo deliraverunt. *1. Sent.*

Secunda sententia est Molinæ 1. part. quæst. 19. articul. 2. quòd licèt actio Dei secundùm quòd dicit effectum productum ad extra, propter finem: tamen actio Dei, vt se tenet ex parte Dei, non est propter finem: quia cùm vt se tenet ex parte Dei sit Deus, illius nulla potest esse causa, & consequenter nec finis, qui prima causa est. *2. Sent. Molina.*

Tertia sententia est Gabrielis in 1. dist. 1. quæst. 1. artic. 2. & Herbæi quodlibeto 1. quæst. 8. & quodlibeto 2. quęst. 1. licèt non ita clare loquantur, & Gregorij in 1. distinct. 1. quæst. 1. quàm sequitur Vazquez in hoc articulo, quòd *3. Sent. Gabriel. Herbæus. Gregorius. Vazquez.*

homo in appetitione finis nõ agit propter finem, & oppositum, inquit, est populare, cõueniunt ergo omnes isti, quòd illa propositio non vniuersaliter est vera, quòd omne agens agit propter finem.

1. Conc. Not. Prima conclusio: Omne agens, licèt non eodem modo, agit propter finem. Pro cuius intelligentia. Nota, agentia esse in triplici differentia. Alia, quæ cognoscunt finem & proportionem mediorum, vnde liberè mouentur in finem; qualis est homo. Alia verò, quæ cognoscunt finem, non tamen proportionem mediorum: vnde non liberè mouentur, qualia sunt bruta. Alia denique sunt, quæ nec cognoscunt finem, nec proportionem mediorum; re tamen exequuntur media, & tendunt ad finem; qualia sunt inanimata & plantæ. Itaque vt aliqua agentia agant propter finem, requiritur deliberatio, & cognitio proportionis mediorum ad finem; sed non necessariò in eodem agente propter finem, sed vel in ipso, vel in alio ipsum dirigente, licèt perfectius sit, quòd in ipso agente hoc reperiatur. In agente ergo libero, vt homo reperitur perfectius agere propter finem, quia in illo reperitur cognitio finis & proportionis mediorum: in brutis verò, vel inanimatis non sic perfectè reperitur agere propter finem; quia in eis vel cognitio finis, vel cognitio proportionis mediorum, non habetur: sed hæc tantùm precedit in Deo ipsa in proprios fines dirigente. Conclusio ergo, abstrahendo à perfectè vel imperfectè, vniuersaliter est vera, quam docet Aristot. 2. Physico à textu 75. vsque ad finem libri, vbi octo rationibus hoc demonstrat, & Cicero lib. 1. de Achademicis quæstionibus D. Thom. 3. contra Gent. cap. 2. & 3. Marsilius Ficinus, lib. 2. suæ Theologiæ, cap. 12. contra Lucretium & Epicurum, vbi eleganter disserit de diuina prouidentia respiciente finem in omnibus suis operibus: immò nostra conclusio videtur de fide, ex illo sapientiæ 11. vbi dicitur. Omnia Deum fecisse in pondere, numero & mensura. Nomine autem ponderis intelligitur inclinatio cuiuscumque rei in proprium finem; vt explicat August. lib. 4. de Genesi ad litteram cap. 3. & 4. & qui ad longũ voluerit præsentem conclusionem discussam inspicere, videat Soto 2. Physico. quæst. 6. hoc vberrimè disputãtem, & modó sufficiat pro probatione, quòd si agentia non agerent propter finem, nõ potiùs hũc, quàm aliùm effectum producerent: nec potius hæc, quàm alia media adhiberent.

Aristot. Cicero. D. Thom. Marsilius. Sap. 11. D. Aug. Soto.

Secunda conclusio: Deus in operatione ad extra, vt operatio se tenet ex parte effectus, operatur propter finem. Probatur Prouer. 16. Omnia propter semetipsum operatus est Deus. Vbi ly. Propter designat rationem finis, & Apocalyps. 2. Ego sum Alpha & O. initium & finis vtique omnium rerum, & ad Roman. 11. ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Quem locum explicans D. Thomas 1. part. quæst. 3. art. 6. dicit, quòd ly, Ex quo, designat efficientem: Per quem verò, causam exemplarem; In quo, finalem. Et ratione patet, nã Deus eo modo producit & vult creaturas, qualiter ipsæ inter se se habent: sed sic est, quòd aliæ creaturæ in alias ordinantur, & tandem omnes in ipsum Deũ: ergo sic sunt volitæ ab ipso Deo: ergo & operatio Dei, vt se tenet ex parte ipsorum effectuum, est propter finem. Itaque Dei operatio prædicto modo considerata, & habet finem intermedium & vltimum; sicut & ipsè effectus, inter medius quidem, est aliquid in ipsis effectibus ad quod ipsi effectus ex se, ipsis ordinantur extra Deum: finis enim, v. g. vltimi effectus, est penultimus, & sic retrocedendo vsque ad manifestationem gloriæ Dei, quæ etiam est aliquid extra Deum, nempe communicatio suæ bonitatis ipsis creaturis: vltimus autem finis est ipse Deus, vel bonitas diuina in se, ad quam vltimo omnis creatura terminatur. Doctrina est D. Thom. 1. part. quæst. 19. artic. 1. ad 1. & quæst. 22. vbi docet, in hoc consistere prouidentiam Dei, quòd Deus ordinet creaturas ad suos fines. Videatur quæst. 3. de potentia, artic. 15. ad 14. Videatur etiam Ferrara. 3. contra Gentes, cap. 24.

Prou. 16. Apoc. 2. Rom. 11. D. Thom. D. Thom. Ferrara.

3. Concl. Tertia conclusio: Operatio Dei ad extra, vt se tenet ex parte ipsius Dei, nõ est propter aliquem finem extrinsecum, etiam intermedium & non vltimum: bene tamen est propter finem intrinsecum manentem in ipso Deo. Prima pars conclusionis est D. Thomæ 1. part. quæst. 44. art. 4 & ibi tenent illam Caietanus & Bañez, estque communis Tho-

D. Thom.

Thomistarum. Probatur, nam finis dicit perfectionem agentis propter finem: sed nihil extra Deum potest esse perfectio Dei, quia vt sic est ipse Deus. Vtrùm autem aliquid extra Deum, possit esse ratio formalis actionis diuinæ, vt ex parte Dei, licèt finis esse non possit, disputatur 1. part. quæst. 19. artic. 5. & 3. par. quæst. 61. Secunda verò pars conclusionis etiam videtur Diui Thomæ 1. part. quæst. 44. & in 2. dist. 1. quæst. 1. artic. 1. & in 1. dist. 41. quæst. 1. artic. 3. de veritate, quæst. 22. artic. 1. & quæst. 24. artic. 3. & quæst. 1. de potentia artic. 5. & quæst. 2. artic. 3. & quæst. 3. artic. 26. & quæst. 7 artic. 10. & 1. contra Gent. cap. 74. & 80. estque communis inter Scholasticos in 2. sentent. dist. 1. præcipuè videatur Caietan. & Bañez 1. part. quæst. 44. arti. 4. citato. Et si respondeatur, in prædictis locis tantùm intendere D. Thom. actionem Dei esse propter finem, prout ponit aliquid in creaturis, vt dictum est prima parte conclusionis: non autem exprimit D. Thom. vtrùm idem sit dicendum de actione Dei, vt se tenet ex parte Dei: immò contrarium videtur asserere. 1. part. quæst. 19. artic. 1. ad 1. vbi arguendo intendebat, Deum non posse esse finem voluntatis diuinæ: & respondet, quòd est finis rerum productarum per diuinam voluntatem, vbi videtur intenderere, quòd tantùm vt se tenet ex parte creaturarum, habeat finem diuina voluntas, non autem vt se tenet ex parte Dei: quod etiam insinuat quæstio 23. de veritate, artic. 4. vbi dicit, quòd bonitas diuina est quasi finis operationis diuinæ; in quo insinuat, propriè non esse finem illius. Contrà arguitur; quia aliud est requisitum ad causam finalem; aliud verò sufficiens ad finem: causa enim finalis dicit, quòd sit vltimum & perfectum, & per se appetibile & perfectum potentiæ tendentis in ipsum, in quo vltimo causalitas eius consistit, & illo se cluso, potest manere finis, & non causa finalis. Dicimus ergo, quòd diuina bonitas est finis diuinæ volitionis, etiam vt se tenet ex parte Dei, non tamen causa finalis; hoc enim intendit excludere D. Thom. & non quòd diuina bonites non sit finis suæ volitionis, etiam vt se tenet exparte illius; licèt hoc sit contra Molinam, 1. part. quæst. 5. disput. vnica in fine, & quæst. 19. art. 2. disput. 3. & contra Suarez tomo 1. methaph. disp. 23. sect. 9. qui non solùm causam finalem, sed etiam finem negant. Nostra tamen doctrina est vera, & similis differentia tradi solet de causa formali, qxòd reperiatur in Deo, secluſa imperfectione, dicitur enim, quòd immutabilitas est ratio formalis æternitatis: ratio autem formalis idemest quod causa formalis, secluſa imperfectione causæ. Sic ergo dicimus, quòd in Deo, etiam respectu propriæ operationis, reperitur ratio finis, sed non causa finalis. Nec potest eadem distinctio tradi de efficienti & materiali; nam efficiens non potest præscindere ab imperfectione eius quod efficitur; nec materia potest præscindere ab imperfectione ipsius materiæ. Illa ergo quæ sunt in Deo ad inuicem comparata, licèt vnũ respectu alterius possit esse ratio formalis: vel ratio finalis: nõ tamen ratio efficiens vel materialis, quia esset ponere imperfectionem in ratione effecta, & in ipsa ratione materializante. Si autem quæras, iam quòd actio Dei, vt se tenet ex parte illius, non habet causam finalem, sumpta actio quoad substantiam, vtrum habeat causam finalem secundùm respectum rationis, quem talis actus importat ad creaturas: Ad hoc respondet Bañez 1. part. quæst. 44. artic. 4. affirmatiuè. Sed melius potest negari; quia ens rationis sicut non habet causam efficientẽ propriè, ita nec finalem: & cùm ens rationis non habeat veram existentiam nec bonitatem, ita nec propriè potest dici ordinari ad Deum, vt finem vltimum & summum bonum. Secundò probatur conclusio ratione: Bonum & finis sunt idem, & vtrũque est obiectum voltntatis: sed voluntas Dei operans respicit bonitatem propriam vt obiectum: ergo etiam vt finem.

Quarta conclusio: Probabile est quòd actio Dei ad intra, sit propter finem: probabilius tamen est oppositum. Prima pars est aliquorum Thomistarum, quam probant ex D. Thom. 1. par. quæst. 44. artic. 4. vbi absolutè & sine exceptione asserit, quòd omne agens agit propter finem; & subinfert, hanc esse differentiam inter Deum & creaturam agentem propter finem, quòd creatura agit propter finem consequendum, à quo participet perfectionem; Deus autem agit propter finem, potius communicando suam

D. Thom.

Caiet. Bañez. Solutio.

Obiectio.

Solutio. Bañez.

Impugnatio.

Contra Molinam & Suarez.

4. Conc.

bonitatem alijs. Cum ergo in actione ad intra vere communicet suam bonitatem, dicitur agere propter finem, qualiter Deo competit diuersimodè â creatura. Secundò probatur; quia operari propter finem, est perfectio simpliciter: ergo competit Deo ab æterno; ergo ratione actionis adintra, hæc enim est æterna ipsi Deo; nam actio ad extra, temporalis est. Secunda pars est communior & conformior Diuo Thomæ, 1. part. quæstio. 19. artic. 8. vbi ait, quòd actiones ad intra non sunt ad finem, quia vna persona non est finis alterius. Secundo probatur ratione efficaci. Agere propter finem requirit necessario libertatem, siue in agente proximo, siue in aliquo alio superiori dirigente ipsum agens proximum: sed hoc non reperitur respectu actionis adintra: ergo nullo modo est propter finem. Probatur minor, quia persona producens producit necessario, & non liberè; nec potest assignari aliquod agens liberum, cui formaliter talis productio sub ordinetur, cùm sit prior ipsa libertate diuina, quæ omnium est prima & superior. Vnde ratio contraria imbecillis est; licèt enim D. Thomas absolutè asserat, omne agens agere proter finem, intelligendus est de omni agente libero, vel subdito alicui libero; quod non currit de actione ad intra (vt dictum est.) Ad illud autem quod sub infert D. Thom. quòd Deus operatur propter finem, communicando suam bonitatem; debet intelligi tanquàm ratio inadæquata: semel enim posito quòd Deus operatur liberè, agit propter finem communicãdo & non recipiendo à creatura. Communicare autem bonitatem non posita libertate, non sufficit vt agat propter finem: & cùm in actione ad intra, reperiatur communicatio, sed non libertas, non reperitur agere propter finem in tali actione. Ad secundam probationem respondetur, agere propter finem, esse perfectionem simpliciter, repeririquè in Deo ab æterno per actionem ad extra: quia licèt ex parte effectus sit temporalis, formaliter tamen est æterna, solùm secluso respectu rationis ad effectum temporalem: ab æterno enim Deus statuit, v creaturæ in tempore sic fierent.

5. Concl. Quinta conclusio: Homo in omni actione libera imperata vel habente rationem electionis, verè & propriè agit propter finem. Pro cuius intelligentia Notandum, quòd actiones hominis sunt in duplici differentia: aliæ humanæ: aliæ verò non humanæ, sed indeliberatæ. Rursus indeliberatæ sunt in duplici differentia: aliæ pertinentes ad partem superiorem rationis: aliæ verò ad partem inferiorem appetitus, Si quidem loquamur de humanis & deliberatis, nulli dubium, quin sint propter finem; cùm in illis procedat homo mouendo se in finem ex præcedenti intentione ipsius finis: si autem de indeliberatis pertinentibus ad appetitum sensitiuum loquamur, non sunt propriè propter finem, sed loquendum est de illis sicut de actionibus brutorum. Si vero loquamur de indeliberatis, vel actionibus necessarijs residentibus in parte superiori rationis; tunc loquendum est sub distinctione: quòd si loquamur moraliter, non sunt propriè propter finem, quia non se mouet homo, sed mouetur: si autem loquamur physicè, bene possunt fieri propriè propter finem; quia potest stare aduertentia ad finem & medium, & tendentia mediorum ad finem, etiam si non adsit iudicium indifferens, quod requiritur ad libertatem: immò & idem dici potest de actionibus appetitus, si non præcisè ex cognitione sensitiua, sed etiam intellectiua non libera fiant. *Not.*

6. Concl. Sexta conclusio Etiam homo in appetitione finis verè & propriè agit propter finem: Hæc est communis Thomistarum, & Salas hîc tract. 1. disp. 4. sect. 2. & Suarez tomo. 1. Methaph. disp. 23. sect. 3. & Molinæ 1. part. quæst. 5. dispu. vnica in fine, & quæst. 19. art. 2. dispu. 3. est tamen contra Vazquez, sed expressa D. Thomæ articulo præcedenti ad secundum, vbi ait, quòd homo in omni actu voluntatis, etiam in ipso qui est circa finem, operatur propter finem, & quæst. 22. de veritate artic. 2. vbi dicit, quòd sicut causalitas efficientis consistit in influere, sic causalitas finis consistit in appetitu eius. Certum est autem, non solum appetiri finem in electione mediorum, sed etiam in desiderio ipsius finis: ergo etiam in isto reperitur causalitas finis. Si respondeatur cum Vazquez quòd actus qui est circa finem, est propter finem initia- *Salas. Suarez. Molina. D. Thom. Contra Vazquez.* *Solutio Vazquez.*

initiatiuè in actu primo, non autem in actu secundo: ille enim actus est initium electionis, in qua in actu secundo reperitur agere propter finem: qua propter agere propter finem initiatiuè, non est proprium voluntatis, sed agere propter finem in actu secundò. Contrà, quia ille Author contradictoria inuoluit. Si enim actus circa finem initiatiuè est propter finem, quia est causa electionis, & sic proprium erit hominis, agere propter finem; quia in alijs ab homine, nempe brutis, licèt reperiatur appetitus finis, non tamen qui sit initium electionis mediorum ad ipsum finem: agere ergo propter finem initiatiuè, proprium est hominis: dicere autem, illum actum circa finem tantùm esse propter finem initiatiuè & in actu primo, falsum est: nam licèt ita sit, quòd ille actus respectu electionis sit actus primus; ipsum autem desiderium finis, est actus secundus: ergo causalitas finis licèt sit in actu primo respectu electionis, est tamen in actu secundo respectu desiderij, ac perconsequens quando desiderat finem in actu secundo agit propter finem; siquidem in actu secundo est causalitas finis. Deliramentum etiam est quod respondet Vazquez ad secundum locum D. Thomæ, ex quæstionibus de veritate, quòd causalitas finis est in eo quòd appetatur in medio, non autem in eo quòd appetatur in seipso: deliramentum (in quam) est; nam si causalitas finis est per appetitū eius, vbi melius saluatur quòd appetatur, melius etiam reperietur quòd sit causa: sed sic est, quòd melius appetitur finis, quando appetitur in se, quàm quando appetitur in medio, quia quòd appetitur in medio prouenit ex eo, quòd appetatur in se, & propter quod vnumquodque tale, & illud magis: melius ergo causalitas finis reperitur in appetitione finis in se, quàm in medio. Secundò probatur conclusio: nam in definitione finis dicitur, cuius gratia aliquid fit; in qua duo denotantur: primum, quòd alia appetantur propter finem: secundum, quòd finis appetatur propter se: ergo non solùm pertinet ad causalitatem finis electio mediorum, sed etiam ipsius finis; si quidem vtrumque importatur in eius definitione. Si respondeatur cum Vazquez, vtrumque requiri, & appetitum finis, & mediorum, quia vtrumque importatur in eius definitione; vnde si solùm sit appetitus finis, & non mediorum, non est causalitas finis: Contrà, quia non requiritur vtrumque complexiuè, sed diuisiuè, vt patet ex ipso Vazquez: nam secundùm ipsum, quando est appetitus medij, & non finis, est causalitas finis; ergo è contra & melius, quando est appetitus finis, etiam si non sit appetitus medij, erit causalitas finis, vt tunc dicatur agere propter finem. Si rursus respondeatur, quòd in appetitu medij virtualiter reperitur appetitus finis, quia ex appetitu finis appetitur medium; vnde hoc sufficit, vt tunc dicatur finem causare; Contra arguitur, quia etiam in appetitu finis claudit virtualiter appetitus mediorum; quia vt sic Vazquez ait, ille actus est propter finem initiatiuè, quia est principium eligendi, & qua ratione in medio reperitur virtus finis, vt virtus causæ in effectu: similiter & medium virtualiter reperitur in fine vt effectus in causa. Sicut ergo appetere medium, est appetere propter finem, etiā si finis solùm virtualiter appetatur in medio: Ita appetitus finis erit propter finē, etiam si in fine medium solùm virtualiter appetatur. Tertiò probatur conclusio: Causalitas finis non consistit in eo quod ex actu electionis nascatur electio mediorum, sed in eo quòd voluntas afficiatur fini, ex quo postmodum sequitur vt ad acquisitionem mediorum præeedat: ergo antecedenter ad electionem reperitur causalitas finis, & consequenter agere propter finem. Antecedens probatur, nam concursus intentionis ad electionem, est concursus efficientis: ergo antè intelligitur concursus finalis. Finis enim agenti præsupponitur. Si respondeatur cum Vazquez, in illo priori non agere propter finem, nisi tantùm initiatiuè: hæc solutio iam est impugnata in principio huius quæstionis. Quartò probatur conclusio. In intentione finis homo agit liberè & efficienter: ergo propter finem. Patet consequentia: nam omni agenti præsupponitur finis vt causa prima. Si respondeatur cum Vazquez, non esse necessarium quòd omni

Impugna. *Solutio.* *Impugnat.* *Solutio.* *Impugnat.* *Solutio.* *Impugnat.* *Solutio.* *Impugnat.*

ni agenti præsupponatur finis: Contrà, nam omnia genera causarum necessariò coniunguntur, vt ait D. Tho. in principio articuli: non enim potest esse quòd forma introducatur nisi in materia, neq; materia potest recipere formã, nisi ex motione agẽtis, neque agens plus hanc formam quam aliam introducere potest nisi ex motione finis: & hac ratione finis dicitur prima omnium causa, & ex consequenti illa cessante, nulla alia influere potest. Et instantia quam ipse adducit de amore in Patria, nulla est; nam etiam iste amor, est propter finem vltimum in quem tendit: maxima enim & perfectissima entitas non potest non esse propter finem vltimum; hoc enim ad perfectionem creaturarum pertinet, vt ad vltimum finem, nempe ad Deum, ordinentur, & propter ipsum fiant. Si autem interroges de actu voluntatis, quæ est pia affectio præcedens infusionem fidei, tanquam quid præ requisitum ad illam: qualiter huiusmodi actus sit propter finem etiam supernaturalem, videtur enim esse non posse, quia tunc nondum cognoscitur finis, ostenditur enim postmodum per fidem consequentem talem piam affectionem: Respondetur, huiusmodi actum esse propter finem supernaturalem, quia licèt non præcedat Fides talem actum, præcedit tamen auxilium ex parte intellectus illustrans de credulitate supernaturalium, quibus afficitur, & postmodùm credit per fidem consequentem. Ad huiusmodi autem actum imperfectum, sufficit illa imperfecta cognitio finis supernaturalis per tale auxilium.

Quæstio.

Solutio.

Corolar. Ex hac conclusione sequitur primò, quòd quando D. Thom. ait articulo 1. ad 2. quòd actio quæ est finis vltimus, non est propter finem, intelligitur ea ratione qua ponitur vt vltimus finis: si enim tantùm ponatur vt vltimus finis quo, potest esse propter finem qui, quia & assecutio finis propter finem est: si autem poneretur actio vt terminus & finis qui, non posset esse propter finem, quia omnia propter ipsum, & ipse non potest dici propriè propter se, quia y Propter, distinctionem importat.

2. Corol. Secundò sequitur, quòd etiam simplex volitio finis, propriè est propter finem, & currunt omnes rationes propositæ de intentione.

Tertiò sequitur, quòd effectus per accidens subsecuti ad actus, etiam liberos, non sunt propriè propter finem, vt quòd calefiat citharedus citharizando ad finem persuasionis puellæ, quia huiusmodi effectus non sunt ab operante, prout formaliter tendente in illum finem. *3 Corol.*

Quarto sequitur, quid sit respondendum ad quæsitum, vtrùm delectatio & quies in fine adepto, sit propter finem. Duo enim sunt consideranda; primum, desiderium quo desideramus delectari in fine & bono consequendo: secundum, ipsa delectatio & quies in fine & bono adepto. Siquidem loquamur de desiderio delectationis, illud est propter finem; quia cùm finis consequutus, & quies in illo, non ponant in numero; nam pro eodem rẽ putantur, tendere ad consequutionem finis; & ad quietem in illo; sicut tendentia in finem per intentionem, est propter finem: ita & desiderium quo cupimus in fine consequuto delectari: vtrunque enim est tendentia ad finem ex appetitu ipsius finis. Si autem loquamur de ipsa quiete & delectatione in fine consequuto, aliqui dicunt, illam esse propter finem, quia delectatio non est aliquid receptum in voluntate mærè passiuè se habente, vt volebat Scotus; sed actus elicitus à voluntate: vnde non apparet, quare non sit propter finem: quòd enim finis iam sit adeptus, & in re consequutus, non impedit vt fiat propter ipsum; nam est per accidens existentia & consequutio finis facta: nam si imaginaretur consequutus, etiam si consequutus non esset, nihilominus delectatio sequeretur. Sic procedit Salas hîc tractat. 1. disp. 4. sect. 2. & Suarez loco citato in hac conclusione. Nihilominus verius respondetur cum Diuo Thoma quæst. 2. artic. 6. ad 1. quod delectatio non ponit in numero cum fine & bono: vnde sicut finis in ratione finis non est propter finem, sic nec delectatio in fine est propter finem, sed propter se, sicut ipse finis. Et si instes distinguendo ipsum finem à delectatione in illo; dicit D. Thom. quòd delectatio est propter ipsum finem, si y, Propter, dicat

4. Corol.

Solutio Suarez & Salas

Verior solutio.

D. Thom.

cat causam formalem, non finalem, bonum enim adeptum, est principium, tribuitque formam ipsi delectationi; cùm tamen iam non sit processus & via ad finem, quia iam est consequutus: ideò delectatio non est propter finem, quia hoc denotat viam ad finem. Nec valet argumentum contrariorum, quia est peraccidens, finem esse consequutum ad delectationem quæ potest haberi per imaginationem consequutionis. Non (inquam) valet quia sicut diximus, finem imaginatum possibilem mouere finaliter per bonitatem realem imaginatam; ita dicimus de consequutione finis respectu delectationis: consequutio enim etiam apprehensa terminat viam ad finem, vt quod sequitur ad consequutionem etiam apprehensam, non sit propter finem. De simplici autem volitione finis dicendum est etiam esse propter finem; nam illa est prima ratio totius progressus voluntatis, cùm ex illa procedatur ad intentionem, & postea ex intentione ad electionem, &c. De volitionibus autem conditionatis dicendum est, reducendas esse ad absolutas: si enim absolutæ sunt propter finem, similiter & conditionatæ, licèt imperfectè; siquidem & ipsæ sunt imperfecti appetitus sui obiecti.

Ad 1. arg. Ad argumenta in principio respondetur. Ad primum, negatur antecedens. Ad primam probationem respondetur, quòd agere propter finem increaturis importat imperfectionem, nempe motionem & causalitatem finis; quod vtique imperfectionem ponit in eo qui agit propter finem: in Deo autem (vt dictum est) reperitur ratio finalis, non autem causa finalis: vnde in Deo reperitur agere propter finem, secluſa imperfectione. Ad secundam probationem respondetur, de actionibus ad intra, iam dixisse qualiter vtrumque sit probabile; probabilius autem esse, in illis non agere propter finem, neque propterea falsificari propositionem vniuersalem, quòd omne agens, &c. quia illa intelligitur de agentibus liberis, vel ab aliquo libero motis, vt dictum est. De actionibus autem ad extra respondetur, quòd si loquamur de illa vt se tenet ex parte effectus, bene esse propter finem, & ordinari ad vlteriorem perfectionem; quia hoc non est ponere nisi quòd creatura ad vlteriorem perfectionem ordinetur: actio enim Dei ex parte effectus, est ipse effectus: loquendo autem de actione Dei ex parte Dei, iam diximus esse propter finem, non autem propter causam finalem; qua propter non requiritur secundùm illam actionem accipere aliquam perfectionem: hoc enim tantùm inuenitur in agentibus circa finem habentem rationem causæ. Ad tertiam probationem respondetur, quòd actio Dei considerata formaliter vt actio, non respicit Deum vt propriè agentem, sed vt agens importat principium motus. Licèt ergo respectu actionis Dei, vt se tenet ex parte Dei, non possit assignari propriè agens quod importet causam; bene tamen principium; principium enim Deo etiam ad intra non repugnat, sicut repugnat causa: qua propter sicut ex parte principij actionis, vt se tenet ex parte Dei, aufertur ratio causæ & ponitur solùm ratio principij; ita ex parte finis aufertur causalitas finis, & solùm relinquitur ratio finalis. Ad quartam probationem respondetur, illud habere verum in his quæ ordinantur ad finem vt media; illa enim subordinantur fini; actio autem Dei, vt se tenet ex parte Dei, non habet rationem medij, vnde nec subordinationem ad finem: habere enim rationem medij id quod est ad finem, est esse effectum finis: vbi ergo finis non est causa, quod est ad finem, non est medium, quia non est effectus finis. Cùm ergo bonitas Dei, vt dictum est, sit finis, & non causa finalis, actio Dei, quæ tendit ad bonitatem & ad finem, non habet rationem medij: vel aliter respondetur, quòd licèt bonitas sit finis; actio tamen Dei non est medium: quia esse finem, est perfectio; esse autem medium, imperfectio: vnde licèt in Deo ponatur finis, non tamen medium. Sicut Pater dicitur principium Filij, quia hoc dicit perfectionem: Filius autem non dicitur principiatus, quia hoc diceret imperfectionem, sicut ergo datur principium sine principiato; ita finis sine medio. Ad illud autem

de relatione reali dicimus, non esset necessariam vt aliquid sit ad finem, sed vt sit medium: actio autem Dei, vt se tenet ex parte Dei (vt dictum est) non est medium: vnde sola relatione rationis refertur ad Dei bonitatem, vt ad finem.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum respondetur, quòd quando quis appetit media improportionata, agit propter finem vltimum & in communi; licèt non propter finem particularem, respectu cuius talia media sunt improportionata. *2. Solutio.* Secundò melius respondetur, quòd cùm obiectum voluntatis sit bonum verum vel apparens, ille potest habere rationem finis, cui apparent proportionata media, licèt in re improportionata sint. Et per hoc patet ad confirmationem: non enim est eadem ratio de principijs respectu conclusionis: non enim est aliquod principium in communi, à quo deducatur conclusio, sicut â principio (â particulari enim deducitur) sicut est finis in communi, à quo electio medij deriuetur, licèt fini in particulari sit improportionatum, & ab illo deriuari non possit vel iuxta secundam solutionem dicitur, quòd principium influit in conclusionem secundùm rei veritatem, & non solùm secundùm existimationem, finis (vt dictum est) non secundùm id quòd habet in rei veritate solùm mouet, sed etiam secundùm quòd est in existimatione: vnde etiam si in re improportionata sint media, deriuantur à fine cui existimantur proportionata. *3. Solutio.*

Ad 3. arg. Ad tertium respondetur, quòd tunc licèt sit in aduertentia ex parte rationis sufficit apprehensio per imaginatiuam, vt talis finis moueat, sicut in bruto, & si fortè sit actio, neque etiam ex imaginatione procedens, sed tantùm ex aliquo principio naturali; vt quando ex abũdantia humorum excitatur pruritus, cuius causa fricatur barba; tunc idem agit propter finem ex intentione Authoris naturæ; vt lapis descendens ad centrum. *Ad confir.* Ad confirmationem respondetur, quòd actiones iocosæ aliquando fiunt propter vlteriorem finem, vt propter acquirendas vires, vt fortiùs in virtute laboretur: aliquando autem solùm propter delectationem ipsius ludi, & tunc ipsa delectatio habet rationem finis; & ea ratione talis actio est propter finem; sicut dici solet de actionibus contemplatiuis, quòd sunt propter se ipsas, & nihilominus sunt propter finem, tanquam actio ad finem; licèt non ad vlteriorem finem ordinentur. Vtrùm autem tunc sit ratio finis vltimi vel inter medij, facilè respondetur, vtrúmque posse contingere: potest enim per peccatum indelectatione ioci vltimò permanere, & habet rationem finis vltimi, & post illum finem tanquàm inter medium ad alium superiorem & vltimum ordinari, sicut Caietanus infra quæst. 8. art. 1. ad 1. vbi loquens de actionibus speculatiuis quæ amantur propter se vt propter finem, dicit, non repugnare fieri propter finem superioris ordinis; vt verbi gratia, propter Deum. De actionibus autem otiosis dicitur fieri propter finem; si autem dicitur actio otiosa, non ideò est quia fine caret, sed quia debito, & honesto fine caret. Doctrina est Origenis super Psalmum 38. & D. Gregorij homil. 6. super Euangelia, circa finem. Otiosum quippe verbum est (inquit) quòd aut vtilitate rectitudinis, aut ratione iustæ necessitudinis caret. *Caiet.* *Origenis.* *D. Gregor.*

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur, quòd effectus fortuitus nunquàm sit se orsum, sed coniungitur alicui effectui per se intento, vt casus tegulæ super caput, coniungitur ambulationi in forum ad aliquem destinatum finem: nunquàm ergo reperitur quòd agens nõ agat propter finem, quia in illa actione propter finem agit, licèt non secundùm omnem effectum coniunctum actioni.

Ad 5. arg. Ad quintum respondetur, quòd etiam peccatum fit propter finem; neque hoc negat Dionysius, sed tantùm affirmat, quod peccans tendens in malum, non intendit malum, sed bonum; quia & ipsum malum appetit sub ratione boni: vnde peccans non dicitur quòd non intendit, sed quòd non intendit malum. Ad illud autem de peccato veniali, dicetur infrà in materia de peccatis, qualiter sit propter Deum habitualiter, sed non actualiter; vnde etiam habet vltimum finem. Videatur ibi.

Ad

Ad 6. arg. Ad sextum patet ex vltima conclusione, qualiter etiam in appetitione finis homo agat propter finem, & quòd nô solùm gratia finis sit electio, sed etiam intentio, motio enim finis antecedenter se habet etiam ad intentionem finis: priùs enim intelligitur motio obiecti, quàm potentia intelligatur operari circa obiectum. Vt ergo Voluntas per desiderium tendat in finem præintelligitur mota ab ipso fine: in qua motione præuia (vt dictum est) consistit causalitas finis. Itaque concursus desiderij vel intentionis ad electionem mediorum, non est concursus finalis, sed efficiens: concursus autem finalis præcedit ex parte obiecti omnem actum voluntatis: vnde omnis actus Voluntatis, etiam ipsa intentio, est ex causalitate finis, & *Ad Confir.* consequenter propter finem. Ad confirmationem bene responsum est. Ad replicam dicitur, brutum apprehendere materialiter finem, non stare in hoc quòd non apprehendat rationem motiuam finis, nempe delectationem eius; sed in eo quôd non apprehendat conuenientiam finis respectu subiecti, vel quia taliter apprehendit, quod ex ipso ad electionem procedere non potest. Itaque ad agere propter finem, non requiritur electio; requiritur tamen sic tendere in finem, vt ex eo possit ad electionem procedere, si velit & sic requiritur constitui in actu primo ad electionem, vt in actu secundo & formaliter dicatur agere propter finem: intentio enim, quæ actus secundus est, est propter finem, tanquàm actus primus ad eligendum: bene enim potest esse, quòd actus secundus respectu vnius, sit actus primus; respectu alterius vlterioris: vt per vnam intellectionem, quæ actus secundus est, potest constitui Intellectus in actu primo ad aliam intellectionem.

Ad 7. arg. Ad septimum respondetur vt ibi. Ad replicam dicitur, quôd ad agere propter finem, sufficit tendere ad finem, siue actiuè, siue passiuè, siue se mouens, siue mota: aliqua enim tendunt in finem se mouendo in finem vt agentia libera; alia verô merè passiuè sunt mota in finem, vt lapis ad centrum: omnia tamen dicuntur agere propter finem, quia ly agere, non sumitur strictè, vt opponitur pati, sed solùm vt dicit tendere ad finem. Ad confirmationem respondetur, quòd animata vel bruta non attingunt finem formaliter, vt dictum est; sed solùm materialiter rem quæ est finis, sed non subratione finis, qualiter est obiectum voluntatis, sed attingunt finem sub ratione obiectiua proprij sensus vel potentiæ: sic visus attingit finem, non formaliter subratione finis, sed subratione coloris: vnde vna potentia non extenditur ad obiectum alterius, nisi solùm materialiter: quòd nullum est in conueniens. *Ad confir.*

Ad octauum respondetur, quod illa veritas, ante productionem rei non est aliquid extra Deum, nisi solùm in potentia, & hac ratione etiam est propter finem: sicut enim in potentia est ens, ita in potentia est ad finem: & sicut in actu non habet causam efficientem, ita nec in actu habet finalem. Distinguitur ergo essentia realis & vera ante sui productionem, ab essentia fictitia, quòd prima ex natura sua & in potentia est ordinabilis ad finem: secunda tamen nullo modo, nec in actu, nec in potentia. *Ad 8. arg.*

Ad vltimum respondetur ex Magistro Soto 2. Physicorum, quæstione 6. quôd ignis mouetur realiter & intentionaliter, licèt nô immediatè, mediâte tamen cognitione Authoris naturæ; sicut fagita media apprehensione iacientis tendit in finem; tendit autem realiter per propriam formam. Ad illud autem, qualiter tendat in finem particularem, respondetur, quòd sicut agens per cognitionem respicit finem particularem ex duplici capite: primò, ex iudicio v.g. quo iudicat artifex bonum esse ædificare, & ex determinatione voluntatis applicantis hîc & nunc ad ædificandum potiùs hoc quàm illud ædifitium; ita similiter in naturalibus, ad producendum hûc ignem potiùs quàm adalium, duo cõ currunt ex parte ignis generantis: Primum naturalis forma secundùm, hæc applicatio in hoc loco & in hoc tempore & huic passo. *Advlt. arg. Ex Soto.*

(t)

DV-

DVBITATVR II.

Vtrùm brutataliter operentur propter finem, vt moueantſe in finem.

1. *Arg.* PROBATVR Quòd ſic. Primò Brutum in ſua operatione mouet ſe ad terminum operationis: ergo mouet ſe ad finem. Patet conſequentia; nam terminus operationis & obiectum, idem ſunt ac finis. Antecedens probatur; nam hæc eſt differentia ſecundùm *Ariſtot.* Ariſtotelem 8. Phyſic. textu 27. inter viuentia & non viuentia, quòd illa mouent ſe in ſuis operationibus; iſta verò tãtùm ſunt mota: nã ad ſe mouere, requiritur operari per formam ſuperadditam ad illam quæ recepta eſt ab Authore naturæ: cùm ergo non viuentia tantùm concurrant per formam receptam ab Authore naturæ: verbi gratia, lapis per ſuam grauitatem; viuentia autem per formam apprehenſam quãm ab Authore naturæ non recepernnt, ſed modo nouiter acquiſierunt illam, hinc eſt, quòd viuentia ſe moueant, non verò non viuentia.

2. *Arg.* Secundò arguitur: Vt agens dicatur ſe mouere in finem, quòd requiritur & ſufficit, eſt cognitio finis & mediorum, & proportionis inter illa: ſed hoc reperitur in brutis: ergo. Probatur minor, nam ouis fugit illud quod eſt ſibi noxium, proſequiturque ſibi conueniens; diſcernit inter proficuam & noxiam herbam, receptamque noxiam reſpuit, retinetque proficuam. Præterea hirundines, apes, vermes ſerici, formicæ, canes venatici, tanta arte operantur, texunt & congregant grana, feras inueſtigant, oſtenduntque ſignis & nutibus venatoribus: ergo cognoſcunt finem, proportionemque mediorum ad ipſum; nam aliàs qualiter hæc ita ordinate facere poſſent?

3. *Arg.* Præterea; Si in brutis ſe mouere in finem non reperiretur, maximè quia in illis nullum eſt veſtigium diſcurſus: ſed hoc eſt falſum; ergo. Probatur minor, nam inter bruta videmus alia alijs aptiora, in quibus eſt maior capacitas vt ab homine gubernentur: vt patet in elephante & ſimia, &c. & aliqua ita nutibus exterioribus gubernantur, vt alijs obediant, alijs verò non; vt patet in canẽ ſaltante pro Rege Hiſpaniæ, non verò Galliæ; & in cane vocato ſimul à duobus, qui per manet velut anceps, quaſi deliberans quem ſequatur, & poſtmodùm hunc ſequitur, & alium relinquit: ergo in his animantibus aliqualis (licèt imperfectus) diſcurſus reperitur, ratione cuius poſſunt ſufficienter comparare media ad finem, & ſic dicentur mouere ſe in illum.

Pro intelligentia notandum ex doctrina D. Thomæ 1. part. quæſt. 59. artic. 3. quòd agentia propter finem, ſunt in quadruplici differentia. Aliqua, quæ in ſe tantùm habent principium paſſiuum motus, vt grauia & leuia, quæ nullo modo dicuntur ſe mouere, ſed moueri ab alio tantùm. Alia verò ſunt viuentia vita tantùm vegetatiua, vt plantæ, in quibus licèt non ſit cognitio nec ſenſus, eſt tamen forma intrinſeca ſui motus; ab intrinſeco enim mouentur & augentur, & ſic ſecundùm D. Thomam 1. part. quæſt. 18. artic. 1. ad 2. dicuntur ſe mouere tali actione. Alia verò ſunt viuentia, in quibus non tantùm eſt vita vegetatiua, ſed etiam ſenſitiua, vt ſunt animantia, in quibus quidem eſt cognitio, licèt imperfecta, qua apprehendunt finem propter quem operantur; hoc tamen tantùm materialiter, non cognita conuenientia illius ad ſubiectum, neque proportione ad media. Alia verò ſunt agentia intellectualia & libera, in quibus cùm ſit perfecta cognitio, apprehendunt finem & conuenientiam eius, & proportionem ad media, eſtque poteſtas in illis diiudicandi inter media, vt poſsint hæc eligere vt meliora, illa verò reſpuere vt minus apta; agentia ergo ſecundi & tertij generis, cùm locum medium obtineant, ad diuerſum extremum poſſunt comparari; & quando ad vnum comparantur, induunt rationẽ alterius, & ẽ contra: *Not.*

vt in

vt in omnibus medijs contingit: color enim medius comparatus ad nigredinẽ, habet rationem albi; comparatus verò ad albedinem, habet rationem nigri. Similiter etiam in virtutibus, vt liberalitas respectu Auaritiæ, est prodiga, respectu verò Prodigalitatis, est tenax & parca. Si ergo prædicta agentia inter extrema constituta, comparata quidem ad libera, dicuntur nec se mouere, nec propriè agere propter finem: comparata tamen ad grauia & leuia, se mouere dicuntur. Restat tamen absolutè quid sit dicendum, vtrùm se moueant, vel tantùm moueantur.

Not. 2. Secundo notandum, quòd mouere se, stat dupliciter. Primò physicè: quod in eo consistit, vt agens agat vt causa principalis per formam intrinsecam, superadditam ad eam quam recipit ab Authore naturæ; qua ratione se mouent & animalia per cognitionem, & plantæ per humorem nouiter intus susceptum: quod quidem in lapide vt descendat, non reperitur. Secundo modo stat se mouere moraliter, quod in eo consistit, vt quis per media libera acceptata, & cognita vt aptiora fini, tendat in ipsum finem. Iste modus tendendi, nulli dubium, quin in brutis non reperiatur, cùm in eis nulla sit libertas, vt infrà amplius explicabitur. Controuertitur autem, vtrùm sufficiat se mouere physicè, vt dicantur absolutè se mouere in finem: an verò requiratur se mouere moraliter, vt dicantur se mouere in finem, & consequenter tantùm in agentibus liberis reperiatur hoc quod est in finem se mouere.

Concl. Conclusio ergo sit: Quòd licèt bruta moueant se physicè ad actum, & hac ratione, comparatione ad non viuentia, aliqualiter dici possit, largè loquendo, se mouere in finem, loquendo tamen cum rigore & proprietate & absolutè, non dicuntur se mouere in finem; quia ad hoc requiritur mouere se moraliter: itaque mouere se in finem, non est tendere in finem vtcumque in ratione termini vel obiecti, sed formaliter sub ratione finis: tendere autem formaliter sub ratione finis, est tendere per deliberationem, cognita proportione finis ad media: quod quidem est tendere moraliter: qua propter vbi non est tendentia moralis, non est tendentia in finem formaliter, & consequenter nec est se mouere in finem, quia illud verbum, In finem, denotat tendere in finem formaliter. Hoc est quod alijs verbis docet Caietanus. 1.2. quæstio. 100. artic. 2. & Ferrara 1. contra Gent. capi. 44. quod ad se mouere in finem, non solùm requiritur operari propter finem exequutiuè, apponendo media & deueniendo ad finem; sed requiritur operari propter finem directiuè, cognoscendo proportionem mediorum ad finem; quod nos vocamus agere propter finem formaliter. Est ergo differentia inter bruta & agentia libera, quòd bruta exequuntur media, & consequuntur finem, non tamen cognoscunt proportionem medij ad finem: agentia verò libera vtrumque habent: sicut verbi gratia, faber ferrarius faciens cultellum, assumit medium proportionatum, nempe ferrum, & consequitur finem artis cultellum fabricandi, & simul cognoscit proportionem illius materiæ ad finem artis: discipulus verò licèt assumat materiam, & ex documento magistri attingat finem artis, non tamen cognoscit proportionem materiæ illius ad finem artis, quia discipulus est non habens artem: exequitur ergo magister finem artis, & exequutiuè & directiuè; discipulus tamen tantùm executiuè, non verò directiuè. *Caiet. Ferrara.*

Corolariũ contra Salas. Ex quo sequitur falsò docere Salas hîc tractatu 1. disput. 4. sect. 4. bruta aliquãdo cognoscere proportionem medij cum fine, nec ad hoc semper requiri discursum, nisi quando proportio est difficilis. Fallitur (inquam) quia proportio & habitudo, quantumcunque facilis, non potest cognosci nisi per discursum vel aliquid superius, vt est cognitio Angelica. Nec posset esse euasio, quòd tunc in prosequutione talis medij ad finem, verè & propriè brutum moueret se in finem: Nullius enim est momenti recurrere ad hoc, quòd à bruto relatio formaliter sumpta ad finem non cognoscatur, sed omnino sufficit cognoscere proportionem medij ad finem: & quando dicimus, requiri formaliter cognitionem finis, secundum habitudinem ad media; nõ intelligitur in actu signato: multoties enim qui liberè tendit in finem

finem, nihil actu cõsiderat de proportione & conuenientia mediorum ad finem; sufficit ergo talis cognitio in actu exercito.

Conr. Med. Caiet. Val. Vazq. In hac conclusione sic explicata non solùm conueniunt communiter Thomistæ, vt Conradus, Medina hic, & Caietanus: sed etiam Valentia disput. 1. quæstio. 1. puncto 2. Vazquez artic. 2. disput. 3. cap. 2. Suarez tomo. 1. Methaph. disput. 23. sect. 10. num. 12. immò *D. Aug.* & D. Augustin. lib. 83. quæstionum dicit, quod frui cibo, & qualibet voluptate corporali, non adeò absurdè existimantur & bestiæ; vti autem aliqua re non potest nisi animal qnod rationis est particeps: scire namque quò quid referendum sit, non datur rationis expertibus.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum à principio respondetur, probare, bruta mouere se physicè, non autem moraliter, & consequenter non probat, mouere se in finem absolutè, quia ly In finem, vt dictũ est, importat mouere se moraliter per deliberationem mediorum, si strictè loquamur; & sic concordantur diuersa loca D. Thom. multoties enim de animantibus ait, mouere se in finem; in illis autem locis intelligendus est demotione physica, in alijs verò locis, vt hîc, dicit oppositũ, quia hîc loquitur strictè vt phylosophus moralis, & sic quod moraliter non se mouet in finem, absolutè dicitur non se mouere in illum.

Ad 2. arg. Soto. Ad secundum respondetur, in omnibus illis prædicta agentia dirigi & ordinari ab Authore naturæ, vt docet Soto 2. Physic. quæst. 6. ad 4. qua propter dicitur, quòd opus naturæ, est opus intelligentiæ: vnde in tali operatione bruta omnino sunt determinata, nec possunt aliter facere quàm faciunt: in quo ab homine distinguuntur, qui solum respectu beatitudinis in communi necessitatur quo ad specificationem, quo ad exercitium autem etiam respectu boni in communi manet liber; respectu autem aliorum finium in particulari, tam quoad exercitium, quàm quo ad specificationem, libertatem habet; qua propter potest hunc vel illum acceptare vel respuere, prout sibi placuerit. *Expugnatio.* Et si dicas, quia non apparet appetitum bruti esse determinatum ad hoc in particulari: verbi gratia ouis vt hanc numero herbam pascat, posset enim illam non offendere, si à pastore alia via duceretur. *Solutio.* Respondetur, non esse determinatum appetitum bruti ad hoc in particulari absolutè loquendo: bene tamen ex suppositione quod ei offeratur: oblato enim hoc in particulari, applicatoque appetitui, non potest non ferri in illud, vt patet etiam in visu nostro; non enim determinata est potentia nostra visiua ad videndum hunc parietem absolutè loquendo, bene tamen ex suppositione, si oculis apertis offeratur. *Obiectio.* Et si rursus dicas, nam contingit multoties duo simul offerri appetitui bruti, quorum non est maior ratio vt vnum quàm alterum assumatur; & nihilominus assumit vnum relicto altero: ergo. *Solutio.* Respondetur, quòd duobus simul oblatis, determinatur ab Authore naturæ in melius, nec potest assumere minus bonum: qua propter dato casu quòd duo offerrentur æqualiter bona & conuenientia, & in distantia æquali, dico quòd nõ plus in vnum quàm in aliud moueretur: vt dicitur de asino Buridani: casus tamen est metaphysicus. Ad illud autem quod tangitur in argumento principali, si bruta debeant dici habere aliquem discursum saltim imperfectum: *Valles;* Respondetur, quòd Valles in sua sacra Physica capit. 55. tenet partem affirmatiuam, cui videtur fauere Plutarchus *Plutarcus; D. Basil. Porphyr.* in opusculo. & D. Basilius homil. 7. 8. & 9. in Hexameron. & Porphyrius lib. 3. de sacrificijs vbi asserit aliquos esse homines percipientes loquellam animalium: vnde secundùm istos, esse discursiuum, non est proprium hominis. Hæc tamen sententia omnino est improbabilis & ridicula, & præter sensum omnium Philosophorum, qui vltimam differentiam hominis, assignant rationalitatem, & primam passionem, discursum; qua propter ei conuenit discursus quarto modo, vt proprium: illud autem quod in prædictis animantibus apparet discursus, non est nisi quædam sagacitas, qua quidem redduntur aptiora ab Authore naturæ vt signis externis gubernari possint: neque Deus istam sagacitatem pro libito confert, sed iuxta naturam & compositionem physicam ipsorum animalium; sic enim in homine magis participante humorem colericum, est maior aptitudo ad discursum,

cursum, quam in phlegmatico: ita animantia quæ magis prædictum humorē participant, aptiora sunt vt gubernentur, & prædicta sagacitas, in talibus reperitur, ex sua naturali, & physica compositione proueniens. Doctrina est D. Thomæ infra quæst. 3. artic. 6. & 1. part. quæst. 55. art. 3. ad 3. & 2. 2. q. 43. ar. 12. & quæst. 49. artic. 3. ad 3. Vbi quidem animantibus negat prudentiam, & inquit, quòd prudentia strictè dicta solùm ingubernantibus reperitur, ad quos pertinet disputatio eorum quæ per subditum debent operari: in gubernato autē dicitur esse prudentiam per liberam subiectionem, vt exequatur ea quæ à gubernante sunt disposita; quæ prudentia docibilitatis nuncupatur: in brutis ergo neutro modo prudentia reperitur, quia nec ipsam dispositionem rerum habent, neque liberè se subijciunt exequutioni illorum quæ ab Authore naturæ sunt disposita, sed omnino necessariò ordinata operantur.

D. Thom.

Corolario. Ex dictis sequitur, motionem causæ finalis, solùm reperiri respectu agentis liberi: brutum enim â fine non mouetur finaliter, sed solùm efficienter per immissionem specierum: semel enim brutum motum à fine, vt ab obiecto, tendit ad illum, non ex aliqua allicientia finis circa brutum, quia hæc non est nisi per cognitionem conuenientiæ ipsius finis, quam brutum non habet, sed tendit in illum finem, & motione & directione actiua Authoris naturæ circa brutum.

In explicatione tamen huius instinctus animalium variæ sunt sententiæ Doctorum. Quidam enim dicunt, ad æstimatiuam pertinere per species insensatas residētes in illa elicitas â sensatis, quas quidem ponit D. Thom. in 3. dist. 26. quæst. 1. art. 1. ad 4. & art. 2. in corpore: sed hoc non apparet verum, quia brutum ante species sensatas, oblato sibi noxio, respuit illud, & tunc non per species insensatas elicitas à sensatis.

D. Thom.

Alij ergo dicunt, recipere ab Authore naturæ â principio huiusmodi species, per quas noxia à proficuis possint distinguere. Et videntur sibi assumere fundamentum ex D. Thoma quæst. 13. de veritate, art. 7. asserente, bruta accipere à principio naturalem æstimationem ad noxia, salutariaq; dignoscenda; quia sola inuestigatione assequi non poterant. Sed isti etiam falluntur, quia tribuunt brutis quod hominibus denegatur, cum asserat Aristot. 3. de anima, cap. 4. textu 14. pueros à principio habere huiusmodi instinctum, sicut bruta, cùm tamen intellectus eorum, à principio sint tanquam tabula rasa. Etiam alij dicunt, instinctum in eo consistere, quòd Deus sit paratus mouere bruta, vt fugiant vel accedant ad noxia vel proficua: & hoc in exercitio poni aliquando per species iam habitas & aliquando per infusionē illarum, si nunquam sunt habitæ. Sed hoc etiam voluntariè dicitur, cùm non ponatur instinctus in aliquo intrinseco in ipsis brutis. Sed certè melius asserit Gerson 4. parte tract. de definitionibus terminorum ad Theologiam pertinentium, quòd instinctus nihil aliud est, quàm quædam naturalis inclinatio insita ab Authore naturæ, per quam bruta statim oblato obiecto per speciem immissam ab illo statim apprehendunt vt noxium vel proficuum, ad quod etiam Deus concurrit suo speciali auxilio ordinis naturæ, sicut & nobiscum, multoties concurrit ad opera eximia, etiam ordinis naturalis. Sed de electione vel fuga brutorum, ampliùs dicetur infrà q. 13. art. 2. ibi videatur ad complementum huius dubij.

Aristot.

Gerson.

In calce huius articuli, circa solutionem ad tertium D. Thom. notandum, quòd quando dicit, Bonū & finis in vniuersali sunt obiectum voluntatis, non intendit, quòd etiam voluntas in particulari non possit tendere in hoc vel illud bonum; sed tantum intendit ponere differentiam inter voluntatem & appetitū sensitiuum, siue hominis, siue brutorum quòd voluntas, quia spiritualis est, potest tendere in aliquod in communi; appetitus autem sensitiuus, quia corporalis vtens organo corporeo in sua operatione non potest tēdere nisi in particulari, quia corporale non potest attingere vniuersale. Etsi dicas, quòd etiam voluntas pro isto statu est immersa materiæ: Respondetur, hoc solùm inferre dependentiam corporalem antecedentem; ipsa tamen operatio voluntatis spiritualis est, nec organo corporeo fit, sed ab illo est independens: eo vel maximè, quòd voluntas dirigitur à ratione abstrahente species, respicienteque vniuersalia: appetitus

Not. D. Thom.

Obiectio. Solutio.

tus verò sensitiuus dirigitur ab imaginatiua, quæ solùm versatur circa singularia. Alio etiam modo potest considerari bonum & finis in communi, hoc est, secundùm quòd continet omnem differentiam boni, scilicet honesti, vtilis, & delectabilis: & hac etiam ratione conuenit solùm voluntati tendere in bonum & finem in communi: appetitui autem, solũ tendere in bonum in particulari, hoc est, in delectabile; nulloverò modo in honestum, & vtile. Alio etiam modo dicitur bonum in communi, prout omnia ad ipsum diriguntur, referuntur & ordinãtur, licèt ipsum in essendo sit aliquid singulare: sicut solet dici in Logica, quòd est vniuersale in causando, quòd in re est singulare, vt Sol: qua ratione Deus est bonum vniuersale & finis communis. In hac etiam acceptione solùm conuenit voluntati tendere in bonum & finem vniuersalem & communem: appetitui autem solùm in fines particulares; nõ enim appetitus media imaginatione potest apprehendere nisi bonum in particulari, & consequenter nec appetere. Quomodocunque ergo bonum vniuersale in cõmuni accipiatur, habet verum doctrina Diui Thomæ, quòd solùm respicitur à voluntate: appetitus autem sensitiuus solùm tendit in bonum & finem particularem. Itaque appetitus ab aliquo bono in communi specificatur nempe à delectabili in communi: in exercitio tamen operationis solùm potest tendere in aliquod delectabile in singulari: sicut potẽtia visiua à colore in communi specificatur: in exercitio tamen operationis non potest nisi colorem in particulari respicere; voluntas autem non solùm specificatur à bono in communi, sed etiam in exercitio potest tendere in bonum in communi, quia dirigitur à ratione potente apprehendere bonum in communi. Et ex hac ratione oritur, voluntatem esse indifferentem adhunc vel illum finem singularem: appetitum autem omnino esse determinatum adhunc vel ad illum. Oritur etiam ex hoc (*D. Thom.* 1. part. quæst. 82. art. 4.) quòd voluntas possit regere & gubernare appetitũ, illumque voluntati esse subiectum: & ex hoc (inquit D. Thom.) quòd motus primi mobilis superior est ad alios motus illi subordinatos; & ex eo etiam gubernatori alij ministri subordinantur, quia ad gubernatorem pertinet respicere bonum commune, particularibus autem ministris, solùm particularia bona. Et hæc de hoc articulo.

D. Thom.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm actus humani recipiant speciem à fine.

Infra art. 4 & q. 18. ar. 2. & 3. & q. 72. art. 1 & 3. & 2. d. 4. art. 2. cor & mas. q. 2. art. 4. ad 6.

AD *Tertium sic proceditur. Videtur, quòd actus humani non recipiant speciẽ à fine: finis enim est causa extrinseca, sed vnumquodque habet speciem ab aliquo principio intrinseco: ergo actus humani non recipiunt speciem à fine.*

Præterea: illud quod dat speciẽ, oportet esse prius: sed finis est posterior in esse: ergo actus humanus non habet speciem a fine.

Præterea: Idem non potest esse nisi in vna specie: sed eundem numero actum conuenit ordinari ad diuersos fines: ergo finis non dat speciem actibus humanis.

Sed cõtra est quod dicit * *Aug. in lib. de moribus Ecclesiæ & Manichæorum, Secundùm quod finis est culpabilis, vel laudabilis, secundũ hoc sunt opera nostra culpabilia, vel laudabilia.*

* *Lib. 2. c. 13. circa principium tom. 1.*

Respondeo dicendũ, quod vnũquodque sortitur speciem secundùm actum & non secundùm potentiam: vnde ea quæ sunt composita ex materia & forma, constituuntur in suis speciebus per proprias formas: & hoc etiam considerandum est in motibus proprijs. Cum enim motus quodammodo distinguatur per actionem, & passionẽ, vtrumque horũ ab actu speciem D. 61.

ciem sortitur: actio quidem ab actu qui est principium agendi: passio verò ab actu qui est terminus motus nostri: vnde calefactio actio nihil aliud est quàm motio quædamà calore procedens: calefactio verò passio, nihil aliud est quàm motus ad calorem. Definitio autem manifestat rationem speciei, & vtroque modo actus humani, siue considerentur per modum actionum, siue per modum passionum, speciem à fine sortiuntur: vtroque enim modo possunt considerari actus humani, eo quòd homo mouet se ipsum, & mouetur à se ipso. Dictum est autem * suprà, quòd actus dicuntur humani, in quantum procedunt à voluntate deliberata; obiectum autem voluntatis est bonum & finis: & ideò manifestum est, quòd principium humanorum actuum, in quantum sunt humani, est finis, & similiter est terminus eorundem: nam id ad quod terminantur actus humani est id quod voluntas intendit tanquam finem: sicut in agentibus naturalibus forma generati, est conformis formæ generantis, & quia, vt Ambrosius dicit super Lucam, mores propriè dicuntur humani; actus morales proprie speciem sortiuntur ex fine; nam idem sunt actus morales & actus humani.

Art. 1. huius quæst.

** In præfatione in Lucam, nõ procul â fine tomo 5.*

Ad primum ergo dicendum, quòd finis non est omnino aliquid extrinsecum ab actu, quia comparatur ad actum vt principium vel terminus; & hoc idem ipsum est de ratione actus, vt scilicet sit ab aliquo quantum ad actionem, & vt sit ad aliquid quantum ad passionem.

Ad secundum dicendum, quòd finis secundùm quod est prior in intentione, vt dictum est, secundùm hoc pertinet ad voluntatem: & hoc modo dat speciem actui humano, siue morali.

Ad tertium dicendum, quòd idem actus numero, secundùm quòd semel egreditur ab agente non ordinatur nisi ad vnum finem proximum, à quo habet speciem, sed potest ordinari ad plures fines remotos, quorum vnus est finis alterius. Possibile tamen est, quòd vnus actus secundùm speciem naturæ ordinetur ad diuersos fines voluntatis: sicut hoc ipsum quod est occidere hominem, quod est idem secundùm speciem naturæ, potest ordinari, sicut in finem, ad conseruationem iustitiæ, & ad satisfactionem iræ: & ex hoc erunt diuersi actus secundùm speciem moris; quia vno modo erit actus virtutis, alio modo erit actus vitij: non enim motus recipit speciem ab eo quod est terminus per accidens, sed solùm ab eo quod est terminus per se. Fines autem morales accidunt rei naturali; & è conuerso, ratio naturalis finis, accidit morali: & ideò nihil prohibet actus qui sunt idem secundùm speciẽ naturæ, esse diuersos secundùm speciem moris & è conuerso.

Conclusio est affirmatiua.

DVBITATVR. I.

Vtrûm conclusio D. Thom. verum habeat.

PRobatur quòd non. Primô, si propter aliquam rationem esset vera, maximè quia vt docet D. Thom. actio humana, si vt actio consideretur, respicit finem vt principium eius: si verò consideretur vt passio, respicit finem vt terminum, ac per consequens quomodocunque consideretur respicit finem vt actum, & consequenter vt specificatiuum; quia specificatio ab actu desumitur: sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor. Suppo nit vnum falsum, videlicet, quòd actio specificatur à principio: ergo. Probatur istud antecedens, quia calefactio, quæ est actio Solis, non specificatur à principio talis actionis, quia nihil potest in Sole assignari à quo talis actio specificetur; si quidem Sol non est formaliter calidus. Secundò ptohatur idem antecedens; quia ab eodem principio possunt esse actiones distinctæ speciei: ergo actio non specificatur à principio. Antecedēs probatur; nam ignis, mediante eodem principio, scilicet calore, producit mollitiem in cera, & duritiem in luto. *1. Arg.*

Secundò arguitur. Electio est actus humanus; & tamen non specificatur à fine: ergo. Probatur antecedens, quia in eo differt electio ab intentione, quòd electio specificatur à medio intentio verò à fine. *2. Arg.*

Tertio arguitur. Actus specie distincti possunt tendere in eundem finem; ergo specificatio non est à fine. Antecedēs probatur; nam si quis ieiunet ad dandam eleemosynam, alius verò furetur ad eam conferendam, illi actus specie distinguũtur, cùm alter sit bonus, alter verò malus; finis tamen idem est, scilicet eleemosyna conferenda: ergo. *3. Arg.*

Quartò arguitur. Actus humanus nec specificatur à fine operis, nec à fine operantis: ergo non specificatur à fine. Patet consequentia, quia non est alius finis, quàm operis, vel operantis. Antecedens verò probatur; nam si quis det elemosynam propter inanem gloriam, finis operis bonus est, & tamen actus malus: non ergo specificatio sumitur à fine operis. Quòd nō sumatur à fine operātis, probatur. Quãdo quis furatur ad dandam eleemosynam, finis operantis bonus est, & tamen actus est malus: ergo specificatio non sumitur à fine operantis. *4. Arg.*

Quintò arguitur. Actus humanus aliquando sumit speciem ex circunstantia, vt sacrilegium ex loco sacro, vel ex persona sacra: ergo non semper species sumitur à fine; nam circunstantia non est finis. *5. Arg.*

Sextò arguitur. Finis est extrinsecus actui: ergo specificatio actus non sumitur à fine. Patet consequentia; nam specificans debet esse intra specificatum. Si respondeatur cum Diuo Thoma, finem non omnino esse extrinsecum, quia intrinsece pertinet ad actum humanum, & à fine procedere, & ad illum tendere. Cō tra arguitur; nam hæc est petitio principij; nam procedere à fine, & tendere in finem; non tollit, finem esse extrinsecum actui: ergo adhuc non dicitur qualiter finis possit specificare. Si respondeatur, quòd in verbis prædictis, est ac si D. Thomas diceret, finem esse intrinsecum, idest ordinem ad finem; vnde licèt finis vt extrinsecus specificare non possit, ordo tamen ad finem potest specificare: vnde nō dicitur, quòd finis specificat, sed quod ex fine sumitur species: vt denotetur, habitudinem ad finem, esse specificantem: Contrà arguitur; nam inde sequitur, actum humanũ esse quid relatiuum, si specificans est relatio, vel si est quid absolutum, specificans relatio esse non potest; quia specificans & specificatum eiusdē generis debent esse. *6. Arg.* *Solutio.* *Impugnat.* *Solutio.* *Impugnat.*

Septimò arguitur, nam si quis intendat occidere omnes qui sunt in foro, in quo sunt clerici & seculares: vel si quis intendat esse vitiosum in omni materia sibi oblata; iste talis ad diuersos fines tēdit nempe ad simplex homicidium, & ad sacrilegium, & ad fornicationem & furtũ: & tamen actus est vnus & vnius speciei ergo specificatio non desumitur à fine. Patet consequentia, quia multiplicata ratione specificante, similiter & species deberet multiplicari: si ergo in casu prædicto multiplicato fine non multiplicatur species, non desumitur species à fine. *7. Arg.*

Octauo arguitur: Fides, Spes, & Charitas, respiciunt eundem finē immediatũ nēpe Deũ, quia hoc est propriũ virtutũ Theologicarũ, quòd immediatè Deũ respiciant: & tamen inter se specie distingun- *8. Arg.*

guuntur : ergo species non sumitur à fine.

1. *Not.* Pro intelligentia notandum primò, hîc non differere Diuum Thomam de specificatione actus humani in ratione boni vel mali, hoc enim pertinet infrà ad quæstionem 18. sed hîc agitur in cõmuni de specificatione vt abstrahit à bonitate & malitia, vnde conuertitur cum illa quæstione quæ solet disputari 1. part. quæst. 77. articul. 3. vtrùm potentiæ distinguantur & specificentur per actus & obiecta. Dictum est enim, obiectum voluntatis esse finem: vnde idem est vtrùm specificatio actus humani specificentur à fine, & vtrùm specificentur ex proprio obiecto voluntatis, licèt vltra requisita ad hanc quæstionem, alia particularia in præsenti sint dicenda.

2. *Not.* Secundò notandum, quòd principium operationis potest considerari dupliciter. Primò, in ordine ad effectum proprium quem per se respicit; vt intelligere, est effectus primarius Intellectus, & velle, voluntatis. Secundo verò modo in ordine ad effectum secundarium, vt exsiccare effectus secundarius est ignis. In præsenti ergo supponendum est, Diuum Thomam intelligendum esse de actione primaria, non de secundaria: intellectio enim ab Intellectu specificatur, sed exsiccatio non specificatur ab igne: quia potest à Sole vel ab aere prouenire.

3. *Not.* Tertiò notandum, fundamentum esse ab omnibus receptum, & in Philosophia demonstratum, & experientia compertum, quòd vnaquæque res sumit speciem ab actu, & non à potentia: homo enim speciem habet ab anima, & ignis à sua forma, & sic de omnibus: cùm ergo actus humanus habeat rationem motus, & dupliciter possit considerari, & in ratione passionis, & actionis inquirenda est forma illius secundùm vtranque rationem: in ratione ergo actionis dicit D. Thom. eius formam esse finem præconceptum; illo enim determinatur voluntas ad operandum: si autem in ratione passionis consideretur, forma eius est terminus acquisitus, videlicet finis actione voluntatis intentus & obtentus: finis enim vtrumque habet respectu voluntatis, & mouere & quietare: præconceptus mouet vt voluntas tendat: obtentus autem quietat, & in illo quiescit voluntas; sicut centrum habet mouere lapidem vt descendat, adeptum autem, habet lapidem quietare, itaque sicut in causa efficienti præcedit forma, quæ sit principium agendi, subsequiturque in passo forma, quam intendit introducere agens, quæ quidem forma introducta eiusdem rationis est cum forma agentis à qua motus incepit: vt patet in calido, cuius quidem principium agendi est calor: similiter & forma introducta, ad quam motus terminatur, calor est: ita dicimus in voluntate, formam præcedentem vt principium agendi, eandem esse cum illa ad quam motus & tendentia voluntatis terminatur: cùm ergo terminus voluntatis sit finis, consequenter & ipse est qui habet rationem formæ determinantis voluntatem ad operandum. Est tamen differentia inter agentia physica & moralia, quòd in physicis forma agentis & passi realiter est distincta, licèt sit eiusdem rationis & speciei: in moralibus autem idem realiter finis & habet rationem principij respectu actus voluntatis, & habet rationem termini, licèt modo diuerso: habet enim rationem principij apprehensus per Intellectum; rationem termini, in re obtentus. Si autem dicas, qualiter finis qui nondum est in re, potest specificare ex parte principij actum voluntatis, quia specificatiuum debet esse prius quàm specificatum: Respondetur, quòd de ratione finis non est existentia, sed essentia præconcepta, vt in futurum possibiliter existens: ante ergo quàm sit, isto modo præcedens potest specificare. Et si dicas, non esse sufficientem annumerationem D. Thom. actus voluntatis, vel in ratione actionis, vel possionis; quia potest amplius considerari (inquit Valentia hîc, disputatione 1. puncto 3.) in ratione qualitatis, quatenus est in specie dispositionis, quæ est medium inter potentiam & actum: Respondetur, hanc considerationem esse impertinentem ad propositum quia nec ipsa ratio qualitatis actionis potest explicari nisi per rationẽ actionis ad principiũ, vel passionis ad terminũ, vnde semel explicato qualiter in ratione actionis

Obiectio. *Solutio.* *Obiectio.* *Valentia.* *Solutio.*

nis vel pasionis specificatur à fine, manet explicatum qualiter à fine absolutè specificatur.

4. Not. Quartò notandum est, hanc difficultatem esse omnino independentem ab ea quam infra quæstio. 9. tractabimus, vtrùm finis præconceptus concurrat actiuè ad actum voluntatis: siue enim concurrat actiuè, siue non, ab illo præconcepto specificatur actus humanus: quia in omni sententia finis præconceptus determinat voluntatem ad operandum, siue talis determinatio sit efficienter, siuè tantum formaliter, vel finaliter; bene enim potest esse, quòd concurrat ex parte principij determinando, nec tamen efficienter; vt patet in essentia diuina vnita per modum speciei intelligibilis cum intellectu creato, quæ in omnium sententia determinat intellectum ad hanc intellectionem: manet tamen sub opinione, vtrùm concurrat effectiuè, vel non, ad talem intellectionem: sic ergo in præsenti manet sub lite, si finis præconceptus concurrat actiuè, vel non. Hoc tamen habendum est pro certo in omnium sententia, quòd finis præconceptus determinat ad talem vel talem volitionem; & hanc determinationem dicimus sufficere, vt â fine sic se tenente ex parte principij actus humani procedentis à voluntate, sumat speciem talis actus humanus.

1. Concl. Prima conclusio. Actus humanus sumit speciem à fine. Hæc conclusio est Diui Thomæ hîc, & communis omnium. Cum illo tenet illam Duran

Durand. dus in 2. distinct. 38. quæstio. 1. insinua-

Oseæ. 9. turque Oseæ. 9. Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt, vbi ex fine & re dilecta desumit spem malitiæ. Et Matthæi 9. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini, &c. vnde ex fine vanæ gloriæ prauitatem operis ostendit.

Matth. 9.

Matth. 6. Et Matthæi 6. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, vbi nomine corporis intelligitur operatio, nomine autem oculi, intentio; vt explicat August. 4. contra Iulianum, capit. 3. & Gregor. 28. Moralium, capit. 13. ait. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lutidum erit: quia si rectè intendimus per simplicitatem cogitationis, bonum opus efficitur; & si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit; quia cum peruersa intentione quid vel rectum agitur, etiam si splendere coram hominibus cernitur, apud examen interni iudicis obscuratur. & August. 2. de *D. Aug.* moribus Ecclesiæ, capit. 13. finis quò referuntur ea quæ facimus, si non solùm inculpabilis, sed etiam laudabilis fuerit; tunc demum facta nostra laude aliqua digna sunt: si finis merito iureque culpatur quem spectamus & intuemur, cùm in aliquo versamur officio; id quoque officium nemo improbandum vituperandumque dubitauerit. Ponit ergo, opera esse bona, si intentio ex qua opera talia procedunt, bona sit. Hanc sententiam *Arist.* tenet Aristot. 5. Ethic. capit. 2. vbi dicit, quòd qui furatur ob auaritiam, magis est auarus, quàm fur; quia à fine sumitur species. Ratioque Diui Thomæ in articulo efficacissima est: nam vnumquodque sortitur speciem ab actu, & non à potentia: sed actus & forma actus humani, vt actio est, est finis determinans voluntatem ad operandum; & forma actus humani vt passio, est finis terminans talem operationem: ergo actus humani, siue considerentur vt actio, siue vt passio, à fine sortiuntur speciem.

Secundo probatur. Ab illo habetur species, à quo habetur & esse talis; sed actus humanus habet esse talis à fine: ergo ab illo habet speciem. Minor probatur: tùm ex eo quod dictum, est quòd actus humanus est propter finem: tum etiam, nam hoc est commune cuiuscumque motus, vt â fine & termino recipiat esse: actus autem humanus, consideratur vt quidam motus.

Tertiò probatur. Ab eo aliquid habet speciem, â quo habet definitionem essentialem: sed finis est à quo sumitur definitio essentialis actus humani, non enim ex alio capite, quàm ex fine essentialiter definiri potest: ergo ex fine desumit speciem actus humanus. Videte de hac conclusione Diuum Thomam quæstio. 15. de veritate, artic. 2. Tota tamen difficultas consistit inexplicando, qualiter ex fine, cùm

cùm sit extrinsecus ad actionem, desumi possit species. In cuius explicatione sunt varij modi dicendi.

Aliqui enim dicunt, finem esse constitutiuum essentiale actus humani, ita rigurosè, sicut rationale est constitutiuum hominis: sed hoc non potest esse verum, quia finis non potest considerari vt aliquid formaliter existens intra actionem, quòd requirebatur, vt illam sic posset specificare.

Alij verò dicunt, finem specificare â posteriori, quatenus ex fine ostenditur species tanquam à signo; sicut ex effectibus herbarum, cognoscitur illarum species. Sed hoc etiam falsum est; nam ratio & definitio quæ datur per finem in potentijs, & habitibus, & instrumentis, & actionibus, definitio est à priori, secundùm Aristotelẽ. Nulla definitio magis â priori assignari potest visui, quàm quôd sit sensatio colorum, & instrumenta non rectè definies per materiam & formam solùm, nisi etiam addas & finem talis instrumenti, vt docet Diuus Thomas 1. part. quæstione 77. articul. 3. Serra enim non sufficienter definitur quòd sit instrumentum ex ferro talem habens figuram, nisi addas, ad secandum lignum.

Alij ergo dicunt, quòd finis assignat speciem actui vt causa extrinseca; vt potest definiri homo, quòd est qui gignitur ab homine, vel quôd est, qui est capax beatitudinis; in quo ab equo distinguitur. Sed hoc etiam falsum est, nam potentiarum, habituum & actuum ponitur vt peculiare ab omnibus Philosophis, vt per obiecta & finem definiantur: ergo non sentiunt solùm finem esse causam extrinsecam: nam talis modus definiendi non est illis peculiaris, nam quæcunqueres sic per extrinseca posset definiri.

Alij ergo dicunt, quòd aliud est, loqui de essentia rei; aliud verò de definitione explicante rei essentiam. Licèt ergo finis non sit de essentia actus, quia non potest esse eius pars; bene tamen est de illius conceptu & definitione: nequit enim tradi definitio actus nisi in illa finis actionis collocetur. Sed hic modus dicendi non adæquat, quia eo modo pertinet aliquid ad definitionem, quo pertinet ad essentiam: vnde si finis non intrat necessariò essentiam, sed tenet se ad extra; consequenter nec necessariò pertinet ad definitionem, sed ponetur quasi aditamentum ex imperfectione nostræ cognitionis.

Vera ergo resolutio est communis D. Caietan. 1. part. quæst. 77. artic. 3. & colligitur ex Diuo Thoma 2. 2. quæst. 23. artic. 8. quòd specificatium essentiale & intrinsecum actus humani, est habitudo & ordo ad finem; qua propter finis dicitur specificare, quia in ordine ad ipsum sumitur specificatio. Itaque tria sunt genera entium (dicit Caietanus) alia pure absoluta, vt homo & æquus & in quibus forma omnino est intrinseca, & nullo modo species eius potest sumi ab aliquo extrinseco. Alia verò sunt purè relatiua, quorum totum esse est ad aliud, in quibus quidem specificatiuum est aliquid extrinsecum, videlicet relatiuum. Alia verò sunt nec purè relatiua, nec purè absoluta, sed quasi media, quæ solent appellari relatiua secundùm dici; verbi gratia, potentia habitus & operatio: ista quidem nec constituuntur per aliquid purè intrinsecum, nec per aliquid purè extrinsecum: sed per habitudinem ad aliquid extrinsecum, quæ habitudo, ipsi operationi vel potentiæ est intrinseca, diciturque habitudo & quasi relatio: sed quia non est prædicamentalis, sed transcendentalis, explicatur per extrinsecum; est tamen aliquid intrinsecum & absolutum in ipsa operatione.

Secunda conclusio. Si actus humanus consideretur vt actio, specificatur à fine, vt præconceptus, & vt est principium motiuum talis actus. 2. Concl.

Hæc est Diui Thomæ hîc, & probatur: Illud est principium specificatiuum in voluntate, quod determinat indifferentiam voluntatis respectu actuum: sicut in naturalibus illud est princium specificatiuum, quod determinat in differentiam & latitudinem materiæ, qualis est forma: sed finis præconceptus determinat voluntatem ad istum actum in particulari: ergo est specificatiuum talis actus. Mi-

nor probatur, tum ex Diuo Thoma infra quæst. 72. artic. 3. tùm etiam, quia sic se habet finis præconceptus respectu voluntatis, sicut species intelligibilis respectu Intellectus: certum est autem, quòd Intellectus ex se indifferens est ad plures intellectiones, & determinatur ad istam per speciem intelligibilem huius: ergo. Certum est etiam, quod voluntas ex se indifferens, determinatur ad istum potius quam ad alium actum ex hoc fine præconcepto; non enim aliud potest assignari, ex quo voluntas determinetur ad istum actum; & hoc quidem, siue finis præconceptus concurrat actiuè, siue non, ad actum voluntatis; sicut dictum est de specie intelligibili, quòd essentia diuina vnita in ratione speciei determinat Intellectum ad hanc intellectionem, etiam si actiuè ad illam non concurrat. *Obiectio.* Et si contra prædictam conclusionem facias argumentum, quòd res vnius prædicamenti, non potest specificari per rem alterius prædicamenti; tùm quia res vnius prædicamenti, est extrinseca rei alterius prædicamenti: tùm etiam quia res diuersi prædicamenti differunt genere, & cõsequenter in specie nõ possunt conuenire, qualiter conuenirent si vnum esset specificatiuum alterius: sed sic est, quòd actus humanus, vt actio, est de prædicamento actionis; finis præconceptus de genere qualitatis: ergo actus humanus vt actio, non potest specificari à fine præconcepto. *1. Solutio.* Respondetur, quòd actio spiritualis & methaphysica, cùm propriè & in rigore non sit actio, non pertinet ad prædicamentum actionis: sed intellectio & volitio verè & in rigore pertinent ad prædicamentum qualitatis; vnde specificari à fine præconcepto, non est à re alterius prædicamenti sumere speciem. *2. Solutio.* Vel secundò respondetur, dato quòd intellectio & volitio sint de prædicamento actionis, quod vt dictum est, actus humanus propriè loquendo, non specificatur à fine, sed per habitudinem ad finem: licèt ergo finis præconceptus, sit de prædicamento qualitatis, habitudo tamen actus ad finem, est de genere actionis; quia vt (vt dictum est) est intrinseca ipsi actioni, vnde intrinsecè specificatur per aliquid sui generis. *3. Solutio.* Tertiò respondetur, quòd quando res vnius prædicamenti ex se ordinatur ad rem alterius prædicamenti, tanquam imperfectum ad perfectum, non mirum quòd species rei vnius prædicamenti desumatur ex re alterius (vt dictum est) & quando dicit Aristot. specificatum esse quid perfectius specificante, quia perfectius est totum, quàm quælibet eius pars: debet intelligi de specificante intrinseco habente rationem differentiæ constitutiuæ: non autem de specificante extrinseco, à quo desumitur habitudo intrinsecè specificans: à perfectiori enim potest desumi habitudo intrinsecè specificans minus perfectum: ipsa tamen habitudo intrinsecè specificans, minus perfecta est ipso actu specificato.

Tertia conclusio. Actus humanus, in quantum passio, specificatur à fine habente rationem termini; aliquando quidem specificatur ab illo immediatè, aliquando tamen mediatè; vnde non omnis actus voluntatis specificatur eodem modo à fine terminante. *3. Concl.* Prima pars est cõmunis doctrina. 1. p. q. 77. art. 3. cum Diuo Thoma, vbi docet, quòd actus specificantur ab obiectis, quia ad obiecta terminantur: & dictum est, finem esse obiectũ ad quod omnes actus voluntatis terminantur: ergo. Secunda verò pars conclusionis patet; nam actus intentionis cùm immediatè attingat finem, immediatè specificatur ab illo; actus autem electionis siquidem non terminatur immediatè ad finẽ, sed ad medium, mediatè ad ipsum finem, prout participatur in ipso medio, non potest specificari immediatè à fine, sed solùm mediatè: vnde propositio D. Tho. quòd actus humanus, in quãtum motus, specificatur à fine terminante, debet intelligi, mediatè vel immediatè terminante.

Ad primũ in principio respondetur, prædicta debere intelligi de agentibus vniuocis; tunc enim habet verum, quòd actio specificatur à suo principio, nõ autem habet verum in agentibus æquiuocis, in quibus non potest assignari forma eiusdem speciei cum effectu. *Ad 1. arg.* Alij verò respondent, debere intelligi de actione primaria, non verò de secundaria: posita autem in argumento sunt actiones secundariæ, nec non & causæ æquiuocæ: vnde ex principio secundum vtranque solutionem specificari non debent, sed vtraque solutio non satisfacit, quia non potest assignari à quo illæ actiones specificentur, si ex parte principij

speci

specificatiuum non assignatur.

Dicendum ergo est, quòd in agente potest esse principium agendi, vel formaliter, vel eminenter. Primum, vt in vniuocis: secundum autem vt in æquiuocis. Actio ergo semper specificatur à principio, vel secundùm formam eminentem vel formalem illius: prædictæ ergo actiones, ex forma eminenti præhabita in sua causa sumunt speciem.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum aliqui respondent, quòd electio specificatur à fine, quia obiectum electionis, licèt sit medium respectu obiecti intentionis, est tamen finis ipsius actus electionis, electio enim sistit in medio, nec vltra progreditur. Sed hæc solutio nõ est bona, quia est loqui æquiuocè de fine, quatenus cõuertitur cum termino: hac enim ratione verum est, quòd obiectum electionis est finis, quia est terminus illius actionis: hîc autem nõ loquimur nisi de fine propriè, vt est terminus intentionis. Alij ergo respondẽt, quòd electio & est à prudentia, & est à voluntate. Vt à prudentia, est circa medium; quia prudentia circa media versatur. Vt à voluntate autem, est circa finem: vnde notanter adiecit D. Thom. quòd omnis actus voluntatis est circa finem. Sed hæc solutio non est bona, quia electio licèt directiuè sit à prudentia, elicitiuè tamen & formaliter non est nisi à voluntate: & quia à voluntate elicita formaliter est electio, etiam vt à voluntate circa medium debet versari: & sic restat soluendum argumentum. Alij ergo respondent, electionem specificari à fine, licèt non vltimo, tamen inter medio: medium enim finis est non vltimus, potens specificare actum electionis. Hæc etiam solutio non satisfacit, quia D. Thom. nõ loquitur de fine vt abstrahit ab vltimo & intermedio: sed de fine strictè & propriè loquendo, vt opponitur contra medium.

Dicendum ergo est ad argumentum per supradicta, quod etiam electio specificatur à fine participato in ipso medio; nam medium non habet ex quo possit mouere, nisi ex ratione finis in illo participata: & in hoc seruatur distinctio specifica inter electionem & intentionem; quòd intentio, specificatur à fine vt in se: electio verò à fine vt in medio participatur.

Ad tertium argumentum respondetur, tunc esse eundem finem remotum & peraccidens, finem verò proximum & per se esse diuersum, vnde ex illo sumitur diuersa species. Secundò respondetur, illum finem esse eundem formaliter, formaliter autem esse diuersum, quatenus per diuersa media acquiritur: vt dici solet in physicis de eodem termino per diuersa media acquisito.

Ad 3. arg.

Ad quartum respondebitur dubio sequenti. *Ad 4. arg.*

Ad quintum argumentum respondetur, circunstantiam non specificare: quãdo autem specificat, transit in rationem obiecti, & tunc habet rationem finis, & non habet rationem circunstantiæ & accidentis. *Ad 5. arg.*

Ad sextum bene ibi responsum est. *Ad 6. arg.*

Ad vltimam replicam dicitur, actum humanum esse relatiuum secundùm dici, non autem prædicamentale & secundùm esse: vnde licèt per habitudinem ad finem explicetur, aliquid absolutum est.

Ad septimum aliqui respondent & dicunt, vtrumque finem integrare vnam rationem specificantem. Sed hoc dici non potest: sicut enim non potest idem eodem actu assentiri huic propositioni, Terra est rotunda, & per medium Physicum & Mathematicum; neque idem habitus potest elicere duplicem actum, quorum alter sit iustitiæ, & alter temperantiæ; ita fieri non potest, vt ex æquo idem actus sit liberalitatis & charitatis simul, vt infrà amplius patebit: vnde ad argumentum negatur antecedens & casus. *Ad 7. arg.*

Ad octauum respondetur, quòd licèt virtutes Theologales versentur immediatè circa Deum: non tamen secundùm eandem rationem: Fides enim respicit illum in ratione primæ veritatis; Charitas verò in ratione boni secundùm se amabilis: Spes autem in ratione boni obtinendi: vnde ex hac parte suam retinent distinctionem specificam, quia non ad idem secundùm idem formaliter terminantur: quapropter Fides & Spes licèt materialiter finem vltimum attingant; non tamen in ratione finis, sed in ratione obiecti: in ratione autem finis, formaliter solùm attingitur à Charitate. *Ad arg. 8.*

DVBITATVR II.

Vtrùm verum sit quòd docet Diuus Thomas, quòd actio vt semel egreditur ab agente, tantùm habeat finem proximum â quo specificatur.

1. *Arg.* PRobatur quòd non. Primo: Quando quis furatur propter mœchiam, ille actus habet duos fines à quibus specificatur, scilicet furtũ & mœchiã: ergo doctrina Diui Thomæ, est falsa. Antecedens probatur; nam ille actus & habet malitiam furti, & mœchiæ: qua propter pœnas vtriusque delicti sine dubio incurret, & vtrumque tenetur confiteri.

2. *Arg.* Secundò arguitur argumento septimo dubij præcedentis. Si quis enim vnico actu intendat occidere omnes homines qui sunt in foro, in quo sunt laici & clerici: ille actus est in duplici specie, videlicet homicidij & sacrilegij, & hoc quidem ex æquo, quia neutrum ordinat ad aliud: ergo idem actus diuersos fines potest respicere, & exæquo ad diuersam speciem pertinere. *Confirm.* Confirmatur; nam quando quis habet istum actum, Volo studiosam vitam agere; talis actus non habet aliquem finem peculiarem à quo specificetur, sed communem omnium virtutum: ergo doctrina prædicta D. Thomæ falsa est. Et idem argumentum fieri potest de illo qui intendit peccare in omnibus quæ se obtulerint.

3. *Arg.* Tertiò arguitur argumẽto supra posito; nam actio vt semel egreditur ab agẽte, nec respicit finem operis, nec finem operantis, à quo specificetur: ergo. Antecedens probatur quoad primam partem; nam si quis det eleemosynam propter vanam gloriam, non est in specie misericordiæ: ergo non respicit determinatè finem operis vt specificatiuum. Secunda pars antecedentis probatur; nam quãdo quis furatur vt det eleemosynam, ille actus non est in specie misericordiæ, sed furti: ergo non respicit determinatè finem operantis, vt specificatiuum.

Conradus. In hac re est prima sententia Conradi super istum articulum, quem etiam sequitur *Vazq.* Vazquez, quòd actus humanus potest considerari dupliciter: primô, in esse naturæ; secundò, in esse moris. Primo modo habet verum doctrina Diui Thomæ, quòd actio vt semel egreditur ab agente, tantùm respicit vnum finem à quo specificetur, non autem loquitur secundo modo, nam sic idem actus plures fines potest respicere exæquo, & ad plures species exæquo pertinere. Hæc quidem sententia falsum imponit D. Thomæ: nam in isto articulo, de primo ad vltimum, non loquitur de actu humano in esse naturæ, sed in esse moris: & infrâ quæst. 18. art. 6. expresse docet, proprium specificatiuum actus interiorisvoluntatis, esse finem, quia est eius obiectum, vnde inquit, siue actus consideretur in esse naturæ, siue in esse moris, â fine sumit suam speciem: extra mentem: ergo D. Thomæ est prædicta distinctio actus in esse naturæ & in esse moris, vt secundùm vnam rationem specificetur à fine, & non secundùm aliam. Vtrùm autem extra mentem D. Thomæ ista sententia asserat verum, statim discutietur in conclusionibus. *D. Thom.*

Secunda sententia est Domini Caietani infrà quæst. 28. art. 4. quòd actus vt semel egreditur ab agente, siue in esse naturæ, siue in esse moris, tantùm respicit vnum finem à quo specificetur, non quidem determinatè, finem proximum, vel finem remotum, sed indifferenter illum finem, ex cuius determinatione hîc & nunc voluntas operatur. Ista quidem sententia est vera, & habeatur pro conclusione, *2. Sent. Caiet. q. 18. art. 4.*

Not. Pro cuius intelligenria notandum, hanc esse differentiam inter agens naturale, & agens liberum, quòd agens naturale omnino est determinatum, & ad actionem, & ad speciem actionis, quia forma per quam agit, omnino est determinata, & vnius speciei: forma enim ignis & potentia calefaciendi, determinata est tantùm ad calefaciendum & introducendam formam ignis; in agente autem libero potentia agendi, v. g voluntas, nõ est determinata, sed indifferens, quia forma quæ est principium agendi, non est determinata, est enim iudicium indifferens adinueniens in obiecto multiplicem rationem boni, secundùm quàm multipliciter in ipsum obiectum potest tendere: quapropter actus voluntatis non est determinatus, sed potest multipliciter in finem, vel in fines tendere, iam secundùm hanc, iam secundùm illam rationem tenden-

dendo: qua propter iste actus ad multiplicem speciem poterit pertinere. Dubium autem est, vtrùm tantùm ex vno debeat recipere speciem essentialem, ex alijs autem solùm accidentalem: an verò possit fines diuersos exæquo respicere, & ex eis exæquo substantialem speciē recipere: quod Caietanus in prædicta sententia asserit impossibile; sed quòd tantùm substantialiter, vt semel egreditur ab agente, respicit unum finem, à quo substantialiter specificetur.

Not. Pro quo secundo notandum, quòd quando quis furatur propter mœchiam, v.g. tunc dupliciter se potest habere voluntas. Primò sic, vt mœchia, quæ est vltimus finis illius actionis, sit totalis & adæquata ratio motiua voluntatis; furtū autem solùm habeat rationem medij. Secundo modo sic possunt se habere, quòd tam mœchia, quàm furtum appetantur propter se & vtrùmque sit ratio motiua voluntatis, licèt postmodum furtum in mœchiam ordinetur. Si quidē primo modo res se habeat, nulli dubiū, quin ille tantùm sit vnus actus respiciens tantùm vnum finem mœchiæ per modum intentionis, tanquam pertinens ad vnam speciem; quia, vt supra diximus, quando voluntas vnico actu tendit in medium & in finem, tantùm est in vnica specie proueniente à fine, nullo autem modo specificatur à medio; quia tunc illud medium consideratur tantùm materialiter; solùm autem se habet formaliter finis; specificatio autem à forma, & non à materia debet sumi. Tota autem difficultas procedit, si secundo modo res se habeat, vtrùm tunc idem actus possit in vtrùmque tendere, & communiter vtramque speciem substantialiter recipere: an verò requiratur duplex actus, quorum quilibet in quodlibet illorum tēdat, vnus actus recipiens vnam speciem ab vno, & alius actus speciem ab alio. *Zumel.* Zumel infrà quæstione 72. artic. 6. ad quartum, conclusione 6. dicit, quòd etiamsi vtraque ratio sit motiua, & principaliter se habens, potest eodem actu ferri in vtrùmque, & tūc talis actus ad vtramque speciem pertinet essentialiter. Hæc tamen sententia aliena est à Diuo Thoma hìc dicente, eūdem actum tantùm vnum finem posse respicere essentialiter: & ratione conuincitur, nam actus specificatur ab agēte vt progreditur ab illo: ergo vt semel progreditur, tantùm habet vnicam specificationem, & consequenter tantùm respicit vnum finem. Si autem consideretur vt ad duos fines, & vt diuersam habens specificationem, iam non consideratur vt semel, sed vt bis procedit ab agente. Alij autem dicunt, posse quidem eundem numero actum ferri in furtum, & mœchiā, vt in rationem principalem motiuam; erit tamen talis actus multiplex virtualiter, licet formaliter idem. Diuus autem Thomas quando dicit, quòd idem actus non potest essentialiter & principaliter respicere duos fines, intelligitur de actu qui est idē tam formaliter, quàm virtualiter. Iste etiam modus dicendi est falsus; nam si talis actus respicit formaliter, & principaliter illos duos fines, non solùm ille actus erit virtualiter, sed etiam formaliter multiplex: ita sicut specificatio, ita & distinctio à fine debet prouenire. Vnde si formaliter ab vtroque sumit speciem, formaliter etiam ab vtroque sumit distinctionem.

Omissis ergo his modis dicendi; asserendum est, quòd quando ratio furti & mœchiæ vtraque se habet vt motiua & principalis, necessario debet tendere per duos actus; alterum, qui terminetur ad furtum; alterum verò, qui terminetur ad mœchiam. Verum est tamen, quod actus semel terminatus ad furtum, potest per alium actum referri in mœchiam. Sed tunc actus prior imperatus essentialiter respicit furtum, accidentaliter verò mœchiam ad quàm refertur ex imperio alterius actus; quia, vt inquit Caietanus, per accidens est mouenti vt moueatur: cùm ergo voluntas in priori actu se moueat ad furtum, per accidens est, vt sic se mouens, quòd ab alio superuenienti actu ad alium vlteriorem finem moueatur: actus autem secundus imperatus & dirigens primum in finem mœchiæ, è contrà se habet, respicit enim formaliter & essentialiter, & principaliter mœchiam; furtum autem solùm materialiter; & nō dico materialiter, quia solùm virtualiter respiciat furtum; formaliter enim, vt ly, Formaliter, opponitur ad virtualiter, ille actus secundus respicit furtum, sed non respicit illud formaliter, hoc est, tanquā formam specificantem, sed solùm vt materiam: furtum enim cùm dirigitur ad mœchiam, determinatur à mœchia, & trahitur ad speciem eius, qua propter *Caiet.*

mœchia habet se vt forma quia vt determinans furtum. Exemplum est in numero quaternario, in quo numerus ternarius non solùm reperitur virtualiter, sed etiam formaliter, vt ly Formaliter, opponitur contra Eminenter; non tamen reperitur formaliter vt ly Formaliter, importat formam specificantem, sed tantũ est materialiter respectu quartæ vnitatis quæ se habet vt forma & determinans; ternitas verò solùm se habet vt materia, & determinata. Idem reperitur in gradu sensitiuo coniuncto cum rationali. Doctrina hæc colligitur ex Diuo Thoma infrà quæstione 19. artic. 2. ad primum, & quæst. 18. vbi dicit, quòd actus imperatus exterior specificatur ab obiecto; interior verò imperans specificatur à fine per se loquendo: nam per accidens contingit, quòd finis nõ sit obiectum actus interioris, videlicet quando finis pendet ex fine, & voluntas ex voluntate; quasi expresse insinuet nostram sententiam, quòd cùm voluntas sit potentia reflexiua, potest vnus actus reflecti super aliũ, imperareque illum, & trahere ad proprium finem, & tunc finis qui per se respicitur ab actu imperante, non respicitur vt obiectum ab actu imperato, sed habet se per accidens talis finis ad obiectum quòd per se respiciebat actus imperans. Sic ergo explicata nostra sententia probatur. Primò: Sic se habet finis in moralibus, sicut se habet principium in speculabilibus; sed in speculabilibus impossibile est eandem conclusionẽ in ferri ex diuersis principijs non subordinatis; ergo in moralibus impossibile est vnum numero actum ferri in diuersos fines adæquatos non subordinatos & per se specificantes. Secundò probatur. Impossibile est, quòd idem motus tendat in diuersos terminos distinctos, & disparatos interse: ergo similiter impossibile erit, eundem actum voluntatis, qui simpliciorem habet rationem motus, terminetur ad diuersos fines adæquatos & non subordinatos. Tertio probatur. Voluntas agit ex determinatione finis tenentis se ex parte principij agentis: ergo vt actio dicatur semel egrediens ab agente debet egredi ab illo detetminato tantùm per vnam formam, quæ, vt dictum est, est finis se tenens ex parte agẽtis; ergo ex parte termini tantùm attingitur per illam actionem vnus finis. Patet consequẽtia,

D. Thom.

nam ex parte termini tantùm attingitur finis qui ex parte principij erat determinans voluntatem ad operandum: ergo si voluntas vt semel agat, tantùm determinatur ex parte principij vno fine, vel pluribus vni subordinatis, etiam ex parte termini tantùm poterit attingere vnũ finem, vel plures vni subordinatos, quẽ per se respiciat; alios verò per accidens in ordine ad illum vnum. Vltimo probatur conclusio; nam intellectus non potest vti diuersis speciebus non subordinatis in ordine ad eandem numero intellectionẽ, neque eadem numero intellectio potest terminari ad diuersa obiecta disparata; nam hoc esset æquiuocatio in mente: ergo similiter voluntas non potest vti ex parte principij diuersis finibus disparatis ad eundem actum, qui terminetur ad diuersos fines disparatos, nam sic se habet finis ex parte principij in voluntate, sicut species intelligibilis ex parte intellectus: & sic se habet finis quem attingit voluntas per actum, sicut verum quod Intellectus attingit vt obiectum. Etsi cõtra arguas; nam esse morale habet se vt accidens respectu esse naturæ, vt hîc ait, D. Thomas: ergo si idem subiectum potest habere diuersa accidentia disparata physica, ita idem actus in esse naturæ poterit habere diuersas rationes morales disparatas; quòd erit tẽdere in fines diuersos disparatos: Respondetur, quòd sicut idẽ subiectum substantiale potest habere accidentia disparata diuersæ speciei, sic idẽ subiectum moralitatis potest habere diuersa accidentia moralia disparata; nempe eadem voluntas potest habere diuersos actus ad species disparatas pertinentes: sicut autem idem accidens physicum non potest ex æquo pertinere ad duas species disparatas, sed necessariò ad vnam essentialiter, ad aliam verò accidentaliter & minus principaliter; vt calor, v.g. essentialiter & principaliter pertinet ad passibilem qualitatem, accidentaliter verò & minus principaliter ad habitum vel dispositionem; accidit enim calori, bene vel male se habere subiecto in ordine ad naturam: ita & vnum accidens morale, quale est idem actus, ex æquo ad duas species principaliter pertinere non potest. Vel secundo respondetur, quòd cũ moralitas actus sit ex determinatione finis tenentis se ex parte principij operantis, vt dictum est, & simul à duobus finibus

Obiectio.

Solutio.

2. Solutio.

bus disparatis determinari non possit; hinc est, eundem numero actum nō posse pertinere ad duas species morales exæquo, licèt moralitas accidat actui. Hæc autem ratio non currit de accidentibus physicis respectu substantiæ cui accidunt; vnde licèt eidem subiecto physico accidentia physica disparata conuenire possint; non tamen possunt conuenire moralitates disparatæ eidem numero actui, cui moralitas accidit.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum à principio respondetur, quòd si vnaquæque ratio est motiua & principalis, iam dictum est intendi per duplicem actum, quorū quilibet ad vnum illorum finium terminatur: si autem eodem actu intenduntur dictum est, rationem furti se habere materialiter, rationem verò mœchiæ formaliter; vnde tantùm respicit vnum finem, & si quæ alia respicit, ad hunc vnum finem respicit; & vbi sunt multa propter vnum, tantùm censetur vnum. Verum est, quòd in confessione vtramque malitiam tenetur explicare; quia siue materialiter, siue formaliter, vtraque tamen ibi malitia reperitur, & explicatio confessionis debet fieri moraliter independenter à quæstionibus metaphysicis.

Ad 2. arg. Medina. Sed reijcitur Ad secundum respondet Medina hic, illum actum ex quo esse in specie homicidij & sacrilegij. Sed hæc solutio est cōtra Diuum Thomam expresse, & ratione patet eius falsitas; nam inde sequeretur, per illum actum multiplicatum generari eundem habitum diuersæ speciei quòd est manifestè falsum; non enim potest dici, quòd per vnum actum diuersi habitus generentur: vnde necessum erat dicere, generare eundem habitum, qui simul esset speciei in iustitiæ, & speciei irreligionis. Secundam solutionem adhibet Medina, illum actum essentialiter esse homicidium, solùm autem esse sacrilegium. Sed hæc etiam solutio stare nō potest, quia non explicat, quare potius ille actus sit homicidium, quàm sacrilegiū; si quidem æqualiter vtrumque intendit, & occidere laicos, & clericos: & præterea, quia ab illo actu, manēte eodem substantialiter, non potest auferri malitia sacrilegij; cùm sit pars obiecti à quo sumitur substantia actus: circunstantia autē, cùm sit accidens, potest auferri, manente actu substantialiter eodem. Tertiò alij

2. *Respōdet Medina.*

Reficitur.

3. *Solutio.*

respondent, illum actum esse principaliter sacrilegij, quia quando coniunguntur duæ malitiæ, à potiori & principalio rideſumenda est species; malitia autem sacrilegij maior est, quàm homicidij. Sed *Reijcitur.*

hęc etiam solutio est insufficiens, quia actus virtutis ad duo obiecta terminatus nō collocatur essentialiter in specie principaliori, & accidentaliter in minus principali, vt si quis velit iuuare & crare: ergo pariter erit dicendum in malitia vitiorum.

Quarta ergo solutio & verissima est, ibi esse duplicem actum distinctum, alterum, quo vult occidere laicos, & alterū, quo clericos; licèt in apparentia videatur idem propter subitanem coniunctionem vtriusque actus. Ad confirmationē respondetur ex Medina, illum actum pertinere ad iustitiam legalem, & consequēter tenetur dicere, actum oppositū, quo quis vult peccare in omnibus quæ se obtulerint, pertinere ad iustitiam legalem. Sed hæc solutio falsa est, quia iustitia legalis est quædam virtus ordinās cines ad bonum commune virtutis: ergo actus quo quis proponit studiosè viuere, non pertinet ad iustitiam legalem: quia alia est ratio boni viri, & alia boni ciuis. Alij respondent, prædictum actū procedere à syndęresi. Sed hoc etiam nihil est, quia non esset assignare peculiarē speciem illi actui: syndęresis enim cōmuniter se habet ad omnes species virtutū, tanquàm radix & principium omnium illarum dicendum ergo, quòd ille actus iudicandus est ex motiuo habito ad habendum illum; vt si v.g. ex odio Dei moueatur vt proponat male in omnibus viuere; ille actus est in specie odij Dei; & si ex beneficio à Deo recepto proponit bene in omnibus viuere, ille actus est in specie gratitudinis.

Ad confir. *Solutio.* *Medina.* *Reijcitur.* *2. Solutio reijcitur.* *3. Solutio vera.*

Ad 3 arg. Ad tertium argumentum respondetur, actum humanum neque determinatè specificari à fine proximo neque remoto, sed, vt infrà dicetur, actus exterior à proximo qui est finis operis; interior verò à remoto, qui est finis operantis: vnde quādo quis dat eleemosynam propter vanam gloriam dicitur, illum actum tantùm esse in specie vanæ gloriæ; nullo autem modo in specie misericordiæ; nam ille actus vitiatur à fine, vnde non potest retinere speciem virtutis. Et si dicas, probabile esse cùm Caietano infrà *Obiectio.*

quæsti-

quæstione 55. actum semel à virtute productum, posse vlterius ordinari in malum finem: Respondetur, hoc etiam dato, nihil esse contra nos, quia tunc obiectum virtutis habebit se tantùm materialiter; finis autem vanæ gloriæ formaliter, & ex illo desumetur species essentialis, vt dictum est de reliquis. Quando autem quis furatur ad dandam eleemosynã, in omnium opinione ille actus tantùm est in specie furti, & nullo modo misericordiæ; nam ille finis vitiatur ab illo medio. Itaque licèt probabile sit, actũ semel repositum in specie virtutis, posse vlterius ordinari in malum finem: nõ tamen est probabile, finem virtutis intentum per mala media, retinere suam speciem; quia licèt prius non dependeat à posteriori; bene tamenècontrà; vnde si malitia se habeat vt prius in medio, ille finis non potest esse bonus: vnde in illo actu tantùm remanet vnica species. Quę autem sit illa, non æqualiter ab omnibus designatur. Aliqui enim dicunt, quòd sicut Liberalitati opponuntur duo vitia; alterum per excessum; alterum per defectum, vt prodigalitas & miseria; ita misericordiæ alia duo opponuntur, & per defectum nihil tribuendo, & per excessum: vt quando etiam ad furtum procedit, vt eleemosynam conferat, sed meliùs dicitur, in illo actu tantùm esse vnã speciem furti refusam in illum finem ipsum vitiantem, illumque trahentem ab specie virtutis ad speciem propriam vitij furti. Secundò clariùs respondetur ad argumentum principale, quòd quando quis tendit in duos fines, proximum & remotum, hoc est, in vnum propter aliud; tunc illud medium & finis diuersi modè se possunt habere. Primò, quòd medium & finis vtrumque sit bonum; vt cùm quis ieiunat ad dandam eleemosynam. Secundò sic, quòd vtrumque sit malum; vt cùm quis furatur ad mœchandum. Tertiò sic possunt se habere, quòd alterum sit bonum, altarum verò malum; vt si medium sit bonum, finis verò malus: verbi gratia, quando dat eleemosynam propter vanam gloriam, vel ècontra, quòd finis sit bonus, medium verò malum; vt verbi gratia, si furetur ad dandam eleemosynam, dico ergo, quòd quando vtrumque est malum vel bonum, remanet in actu vtraque species, nempe vtraque bonitas, vel vtraque malitia, licèt altera essentialiter & formaliter, altera verò materialiter & accidentaliter; vtraque (inquam) manet in actu, quia bonum medij non destruit bonum finis, neque è contra: neque similiter malum finis, destruit malum medij, neque è contra. Sed quando permiscentur sic, vt medium sit malum, finis verò bonus, vel é contra; cùm malum consurgat ex quocunque defectu, dissoluitur species boni per adiunctum malum, vnde tantùm est in specie mali ille actus, & nullo modo ponitur in specie boni, neque per se, neque per accidens, neque formaliter, neque materialiter: actus ergo præiecti in argumento huiusmodi sunt; vnde dare eleemosynam propter vanamgloriam, tantùm habet speciem vanæg oriæ, non autem misericordiæ, quia hæc species dissoluitur per vanamgloriam. Similiter quando furatur propter eleemosynam, tantùm est in specie furti, non autem misericordiæ; quia per malum illius medij, dissoluitur species misericordiæ quæ tantùm est apparenter ex parte finis.

olutio.

2. Solutio ad 3.

DVBIVM TERTIVM & vltimum.

Vtrùm actus humanus sumat speciem essentialem â fine proximo; an verò à fine remoto; vt cùm quis furatur propter mœchiam, species essentialis sit furti, an verò mœchiæ.

IN Hac re Caietanus infrà quæstione 18. articulo 4. dicit, speciem essentialem desumi ex fine vltimo & remoto. Hæc sententia probatur. Primò ex Aristotele 5. Ethicorum capit. 2. vbi dicit, quòd qui furatur propter mœchiam, magis est mœchus, quàm fur: & idem ait Diuus Thomas quæstione 18. artic. 6. ergo species essentialis desumitur ex fine vltimo; nam hoc denotat illud verbum, Magis. Secundò argumentor: Finis in quantum finis, specificat actum voluntatis, vt supradictum est; sed quòd princi-

1. Sent. Caiet.

1. Arg.

2. Arg.

principaliùs habet rationem finis, est vltimus: ergo quòd principaliùs specificat.

Tertio argumentor: Illud specificat essentialiter, quòd habet rationem finis determinans voluntatem ad operandum, sed voluntas in prædicto actu ex affectu mœchiæ determinatur ad furandum: ergo mœchia est finis specificans essentialiter illum actum.

2. *Sentent. Medin., Soto.* Secunda sententia est Medinæ eadem quæstione 18. artic. 4. quàm etiam habuit magister Soto, quòd species essentialis desumitur ex fine proximo; ex remoto verò & vltimo, tantùm sumitur species accidentalis.

1. *Arg.* Hæc sententia probatur primò ex Diuo Thoma hîc ad tertium, dicente, quòd actus vt semel egreditur ab agente, tantùm habet vnicum finẽ proximum, à quo sumit speciem, & 2.2. quæst. 11. artic. 1. ad secundum, dicit, quod vitia habent speciem ex fine proximo; ex fine verò remoto habent genus vel causam; vt quando quis mœchatur vt furetur, est ibi species mœchiæ ex proximo fine; ex fine verò vltimo furti ostenditur causa mœchiæ. Item 2.2. q. 32. artic. 1. dicit, quòd quando quis facit opera misericordiæ propter Deum, ille actus elicitur à Misericordia; imperatur verò à Charitate; & quæstione 124. art. 2. dicit, quòd actus fortitudinis propter Deum, vt martyrium, elicitur à virtute fortitudinis, & imperatur à Charitate; in quo insinuat, esse in specie proximi finis essentialiter; nam actus essentialiter pertinet ad speciem virtutis elicientis, accidentaliter verò solùm ad speciem imperantis.

2. *Arg.* Secundo probatur sententia ista; Species essentialis sumitur ab inuariabili: ab eo autem quòd variari potest, sumitur species accidentalis: sed quando quis furatur propter mœchiam, mœchia variabilis est ab illo actu; potest enim referri & non referri ad mœchiam; res autem aliena variari non potest ab illo actu, quia non potest non esse furtum: ergo à furto, quòd est finis proximus sumitur species essentialis; à mœchia verò & remoto tantùm, species accidentalis.

3. *Arg.* Tertiò probatur sententia ista. Actus interior & exterior sunt eiusdem speciei in esse moris, quia bonitas vel malitia vtriusque est eadem: ergo ab eodem sumunt speciem. Sed actus exterior sumit speciem essentialem ab obiecto proximo, à fine verò remoto tantùm circunstantiam: ergo idem dicendum est de actu interiori.

4. *Arg.* Quartò argumentor: Actus diuersæ speciei essentialis, possunt terminari ad eundem finem remotum, non verò ad eũdem proximum: ergo species essentialis non desumitur à fine remoto, sed à proximo. Patet consequentia; nã ab eodem specificatiuo non potest desumi diuersitas specierum. Antecedens verò probatur. Quando quis ieiunat ad dãdam eleemosynam, alius verò furatur vt conferat illam; illi actus diuersæ speciei sunt; alius enim est actus virtutis, alius verò vitij: finis autem remotus vtriusque idem est, nempe eleemosyna.

5. *Arg.* Quinto argumẽtor: Qui furatur propter mœchiam, in recto respicit furtum, mœchia verò solùm importatur in obliquo: ergo à furto, & non à mœchia, specificatur ille actus. Patet consequentia, nam quòd importatur in recto, principalius se habet.

3. *Sentent. vera. D. Thom.* Tertia sententia est media, quæ habenda est vt conclusio vera, quã existimo esse D. Thomæ quæstio. 18. artic. 6. quòd videlicet possumus loqui vel de actu exteriori vel de actu interiori: actus quidem exterior sumit speciem essentialem ab obiecto proximo, à fine verò remoto tantùm circunstantiam, & speciẽ accidentalem, actus verò interior è contrà, speciem essentialem desumit â fine remoto, qui est finis operantis, materialiter verò solùm est in specie obiecti proximi. Itaque furari propter mœchiã, essentialiter est furtum, accidentaliter verò mœchia: velle autem furari propter mœchiam, qui est actus interior, essentialiter & formaliter est in specie mœchiæ, materialiter verò solùm in specie furti. Ratio huius est, nã species essentialis sumitur ab obiecto per se ipsius actus, & si finis specificat, est in quantũ habet rationẽ obiecti actus: sedsic est quòd respectu actus exterioris, obiectũ per se est finis proximus, finis autẽ remotus non est obiectũ per se, sed circunstantia obiecti: ergo in actu exteriori à fine proximo sumitur species essentialis, à remoto verò tantũ accidentalis: in actu verò interiorî contrâ contingit; obiectũ enim est finis remotus, scilicet mœchia, proximus autẽ, scilicet furtũ, solùm attingitur materialiter, vt medium ad consequutionẽ illius

illius finis intenti: ergo in actu interiori à fine remoto sumitur species essentialis.

Obiectio. Et si contra facias argumentũ ex supradictis, quòd quando quis vult furari ad dandam eleemosynam, ille actus est in specie furti, & non eleemosynæ: ergo etiam actus interior à fine proximo sumit speciem essentialem:

Solutio. Respondetur, quòd etiam ille actus specificatur à fine remoto; sed finis remotus non est eleemosyna absolutè vt obiectum est misericordiæ, sed eleemosyna ex alieno acepto & rapto, quia illud medium furti refunditur in illum finem, quapropter ille actus est in specie vitij, quia finis remotus vitiosus est, licèt ex medio per quod intenditur, sit vitiatus.

1. Not. Notandum tamen proclariori intelligentia, prędicta debere intelligi, quando voluntas eodem actu tendit in furtum & mœchiam subordinatè, in vnum propter aliud; tunc enim cùm primò & per se respiciatur finis remotus, proximus autẽ solùm materialiter & vt medium, non à proximo, sed à remoto essentialiter specificatur: quando verò duplici actu procedit, alio in furtum, alio verò in mœchiam, licèt prior actus ordinatur ad secundum, species tamen essentialis prioris actus non sumitur ab obiecto actus secundi; id est, à mœchia, sed ab obiecto actus prioris, id est, à furto; & tunc obiectum actus secundi etiam se habet vt accidens vel circunstantia obiecti actus prioris. Itaque propositio nostra, quòd actus interior specificatur essentialiter à fine remoto, intelligitur formalissimè & cum omni rigore loquendo de actu interiori, prout apud Diuum Thomam actus interior appellatur actus imperans, actus verò exterior appellatur actus imperatus, siue sit actus potentiæ exterioris; siue etiam sit actus voluntatis, essentialiter respicit proprium obiectum, accidentaliter autem ordinatur ad

2. Not. obiectum actus imperantis. Similiter notandum est, dicta de actu exteriori intelligenda formaliter, videlicet quòd actus exterior specificatur essentialiter ab obiecto proximo: Intelligendum est (in quam) de actu exteriori, prout effectus actus interioris volũtatis imperãtis; nempe volitionis furti, nam si considerẽtur prout subditur actui interiori mœchiæ imperanti, vt sic per se respicit finem remotum: nam malitia vel bonitas actus exterioris, est eadem atque actus interioris à quo procedit. Verum est tamen, quòd illa consideratio in actu exteriori est secundùm quid; nam absolutè solùm habet esse effectum actus interioris imperantis ad proprium obiectum; est autem consideratio secundùm quid consideratio actus exterioris, prout subijcitur actui interiori imperanti ad finem remotum, videlicet mœchiæ: vnde licèt prout sic actus exterior per se respiciat finem remotum, absolutè non respicit illum, nisi secundùm quid & accidentaliter, si quidem accidit actui exteriori furti (de hoc enim loquimur) subordinari actui interiori mœchiæ imperanti. Et si

Obiectio. contra prędictam doctrinam facias argumentum: Quando aliquis assentitur conclusioni propter principia, vnico actu simul assentiendo conclusioni & principio, ille actus per se specificatur à cõclusione, & non à principio, quia per se est actus scientiæ, quæ quidem per se respicit conclusiones ex principijs: ergo similiter quando eodem actu attingitur medium propter finem, videlicet furtum propter mœchiam, talis actus per se specificabitur á medio, scilicet furto, & non à fine remoto, scilicet mœchia. Patet consequentia; nam sic se habet finis in moralibus, sicut principium in speculabilibus; & conclusio in speculabilibus correspõdet medio in morabilibus. Respondetur,

Solutio. potiùs exposito argumento corroborari nostram doctrinam, quia licèt præmissæ sint causæ conclusionis in genere causæ efficientis, in genere tamen causæ finalis conclusio est causa principij: principium enim est propter conclusionem, vt propter finem: quapropter quia genus causæ finalis præeminet causæ efficienti, quando eodem actu attingitur principium & conclusio, talis actus per se specificatur à conclusione habẽte rationem eminentiorem causæ respectu principij, quàm habeat principium respectu conclusionis: quod clariùs dicitur: Ex eo quòd in illo actu attingitur principium propter conclusionem vt propter finem, specificatio sumitur à conclusione: cùm ergo in nostro casu actus qui fertur in furtum & mœchiam, feratur in furtum propter mœchiam habentem rationem finis respectu furti, nõ à furto, sed à mœchia debet essentialiter specificari. Illud autem axioma, quod sic se habet: Finis in moralibus sicut principium in speculabilibus,

labilibus, quo ad alia intelligitur iam suprà explicata; quoad præsens verò reperitur distinctio posita principiũ enim non est finis conclusionis, sed potius medium ad illam.

Per hoc patet solutio ad argumenta vtriusque sententiæ posita â principio: prima enim sententia probat, quòd actus interior specificatur â fine remoto: secũda verò sententia tantùm probat, quòd actus exterior specificatur essentialiter ab obiecto proximo. In quantum tamen ex parte quælibet illarum militat cõtra nostram tertiam sententiam, sigillatim ad argumenta illarum respondetur.

Ad 1. arg. resp. Medinæ. Ad primum primæ sententiæ respondet Medina, quod quando dicit Aristoteles & Diuus Thomas, quòd ille magis est mœchus, non ideò dixit, quia species essentialis sumatur à mœchia, sed quia ly Magis, potiùs attenditur ex accidentibus, quàm ex substantia rei, vt docet Diuus Thomas 1. part. quæstio. 5. artic. 1. ad primum. & Ferrara 3. contra Gent. cap. 20. Hæc tamen solutio non est ad propositum, non enim intendebat Diuus Thomas in præsenti assignare ampliorem & maiorem malitiam actus, quæ sine dubio sumitur ex a iectione accidentium ad substantiam, vt propterea dixerit, esse magis mœchum, quàm furem; neque etiam intendebat Diuus Thomas docere, quòd ex parte operantis principaliùs se habeat mœchia; cùm compertum sit, illam esse finem operantis: sed de ipso actu & de specie eius intẽdit agere, & tũc dicit, quòd magis est mœchus. Secundò tamen melius respondetur, ibi Aristotelem loqui de actu interiori, respectu cuius furtum tãtùm se habet materialiter, mœchia verò vt ratio principalis motiua: non autem loquitur respectu actus exterioris respicientis finem proximum vt obiectum, finem verò remotum, tantùm vt circunstantiam: quod patet ex ipso modo loquendi Aristotelis; non enim dixit, illum actum magis esse mœchiam, sed quòd operans magis est mœchus; vt insinuaret, loqui de operante & intendente per actum interiorẽ mœchiam vt finem.

D. Thom. Ferrara. Reijcitur solutio Medina.

2. Solutio. Vera.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum, respondetur quod vt dictum est finis non specificat nisi vt habet rationem obiecti cum ergo respectu actus exterioris finis proximus tantum habeat rationem obiecti non vero remotus licèt iuste in ratione finis sit principalior, nõ tamẽ tribuit speciem essentialem. Ad tertium argumentum respondetur, probare de actu interiori; cùm enim voluntas hîc & nunc determinetur â mœchia, illã respicit vt obiectum, & ab illa specificatur secundùm actum interiorem. *Ad 3. arg.*

Ad argumenta secundæ sententiæ, quatenus intendit, semper debere sumi â fine proximo, quod militat cõtra alteram partem nostræ sententiæ, quòd scilicet in actu interiori sumitur species essentialis à fine remoto: Respondetur, ad primum, quòd Diuus Thomas in illis locis loquitur de actibus exterioribus, vel de actibus interioribus imperatis, qui etiã apud Diuum Thomam, vt dictum est, exteriores solent appellari; quatenus ab imperante ad vlteriorem finem, sicut & actus exteriores ordinari possunt: in istis ergo sumitur species â fine proximo in interioribus autem, qui propriè sic appellantur, quales sunt imperantes, species sumitur à fine remoto habente se vt obiectum respectu talis actus. *Ad 1. arg. 2. sent.*

Ad secũdum argumentum respondetur, respectu actus exterioris esse quid variabile ordinationem ad vlteriorem finem, non autem respectu actus interioris imperantis: quapropter licèt respectu actus exterioris species sumatur â fine proximo habente se inuariabiliter respectu illius; tamen in interiori non sumitur nisi â remoto, qui respectu illius est inuariabilis. *Ad 2. argu.*

Ad tertium argumentum respondetur, actum interiorem & exteriorem esse eiusdem speciei; in adæquatè tamẽ; quia tota malitia exterioris continetur in interiori, non autem ê contra; quia interior nõ semper in totum se explicat per vnũ actum exteriorem, vt in præsenti non in totum se explicat per furtum factũ propter mœchiam, sed per furtum, & per mœchiam, quia vtraque malitia in interiori præhabetur; sic ergo cùm in quolibet actu exteriori tantùm sit malitia essentialiter, & vnius speciei, in quolibet assignatur vnum obiectum, â quo talis malitia desumatur: in furto quidem ablatio alieni; in mœchia autem accessus ad alienam. In actu verò interiori cùm vtraque malitia coniungatur, & vtraque ex æquo speciem dare non possit, vt dictum est, altera se habet materialiter, nempe quę desumi *Ad 3. arg.*

tur à

tur à fine proximo; altera se habet formaliter nempe quæ desumitur à fine remoto.

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur, quòd si loquamur de actibus exterioribus, bene contingit, quòd qui diuersę sunt speciei, ad eundem finem remotum ordinentur; quia in illis, vt dictum est, non sumitur species à fine remoto, sed à proximo: si ergo proximi distincti sint, licèt remotus sit idem, sufficit illis ad distinctionem essentialem; si verò loquamur de actibus interioribus terminatis ad eundem finem per media diuersa, vt qui vult furari ad dandam eleemosynam, & qui vult ieiunare ad illam conferendam; dicimus, illos actus diuersæ esse speciei; licèt essentialiter ex fine remoto specificentur: quia licèt materialiter finis remotus sit idem: formaliter tamen diuersificatur, quia idem terminus vt acquisibilis per diuersa media formaliter est diuersus, vt patet in eodem puncto, ad quem & motus sursum & motus deorsum terminatur, qui licèt materialiter idem sit, formaliter tamen est diuersus sufficiens constituere motum diuersæ speciei.

Ad 5. arg. Ad quintum argumentum respondetur, in actu interiori furti propter mœchiam, vt per vocem significatur & Grammaticaliter mœchia importatur in obliquo furtum verò in recto; moraliter tamè mœchia importatur in recto, quia principaliter & formaliter: hoc enim designat ly Propter; quia, vt inquit Aristoteles, propter quòd aliquid est tale, illud se habet principaliter: cùm ergo furtum sit propter mœchiam, moraliter & respectu intentionis agentis, videlicet voluntatis, principaliter se habet mœchia, licèt in voce in obliquo significetur. Amplior iterum redibit sermo de materia huius articuli infrà quęst. 18. artic. 6. ibi omnino videatur, vt hæc dicta completè intelligantur.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm sit aliquis vltimus finis vitæ humanæ.

3. dist. 3. q. 2. artic. 2. in corp.

AD *Quartum sic proceditur. Videtur quòd non sit aliquis vltimus finis humanæ vitæ, sed procedatur in finibus in infinitum. Bonum enim secundùm suam rationem est diffusiuum sui, vt patet per Dionys. 4. cap. de diui. nom. si ergo quod procedit ex bono ipsum etiam est bonum, oportet quòd illud bonum diffundat aliud bonũ, & sic processus boni est in infinitũ: sed bonum habet rationem finis ergo in finibus est processus in infinitum.* *De diu. nomin. c. 4. in princ.*

2. Præterea: Ea quæ sunt rationis, in infinitum multiplicari possunt; vnde & Mathematicæ quantitates in infinitum augentur, species etiam numerorum propter hoc possunt esse infinitæ, quia dato quolibet numero, aliud maiorem excogitare potes: sed desiderium finis, sequitur apprehensionem rationis: ergo videtur quòd in finibus proceditur in infinitum.

3. Præterea: Bonum & finis est obiectum voluntatis: sed voluntas infinities potest reflecti supra se ipsam; possum enim velle aliquid, & velle me velle illud, & sic in infinitum: ergo in finibus humanæ voluntatis proceditur in infinitum & non est aliquis vltimus finis humanæ voluntatis.

Text. 8. to. mo 2.

Sed contra est quod Philosophus dicit 2. Metaph. quod qui infinitum faciunt, auferunt naturam boni: sed bonum est quod habet rationem finis: ergo contra rationem finis est, quòd procedatur in infinitum: necesse est ergo ponere vnum vltimum finem.

Respondeo dicendum, quòd per se loquẽdo, impossibile est in finibus procedere in infinitum ex quacumq; parte:

parte: In omnibus enim quæ per se habent ordinem ad inuicem, oportet quôd remoto primo, remoueantur ea
Text. 34. tom. 2. quæ sunt ad primũ. Vnde * Philosophus probat in 8. Phys. quôd non est possibile in causis mouentibus procedere in infinitum, quia non esset primum mouens, quo subtracto alia mouere non possunt, cûm non moueant nisi per hoc quòd mouentur à primo mouente. In finibus autem inuenitur duplex ordo, scilicet ordo intentionis, & ordo exequutionis, & in vtroque ordine oportet esse aliquid primũ. Id enim quod est primũ in ordine intentionis, est quasi principiũ mouens appetitũ, vnde subtracto principio, appetitus à nullo moueretur. Id autem quod est principiũ in exequutione, est vnde incipit operatio; vnde isto principio subtracto nullus inciperet aliquid operari. Principiũ autem intentionis, est vltimus finis: principiũ autem exequutionis, est primum eorum quæ sunt ad finem. Sic ergo ex neutra parte possibile est in infinitũ procedere; quia si non esset vltimus finis, nihil appeteretur nec aliqua actio terminaretur, nec etiam quiesceret intentio agentis. Si autem non esset primũ in his quæ sunt ad finem, nullus inciperet aliquid operari, nec terminaretur cõsiliũ. Sed in infinitũ procederet. Ea verò quæ nõ habent ordinẽ per se, sed per accidens sibi inuicẽ coniunguntur nihil prohibet infinitatẽ habere; causæ enim per accidens indeterminatæ sunt. Et hoc etiã modo contingit esse infinitatem per accidens infinibus, & his quæ sunt ad finem.

Ad primum ergo dicẽdum, quôd de ratione boni est, quôd aliquid ab ipso effluat, non tamen quôd ipsum ab alio procedat: & ideò cûm bonum habeat rationẽ finis, & primum bonum sit vltimus finis; ratio ista non probat, quòd non sit vltimus finis, sed quòd â fine primo supposito, procedatur in infinitum inferius versus ea quæ sunt ad finem; & hoc quidem competeret, si consideraretur sola virtus primi boni, quæ est infinita. Sed quia primũ bonum habet diffusionem secundùm Intellectum, cuius est secundùm aliquam causam certam profluere in causata, aliquis certus modus adhibetur bonorũ effluxui à primo bono, à quo omnia alia bona participant virtutem diffusiuam, & ideô diffusio bonorum non procedit in infinitum; sed sicut dicitur Sapientiæ 11. Deus omnia disposuit in numero pondere, & mensura.

Ad secundum dicẽdum, quòd in his quæ sunt per se, ratio incipit à principijs naturaliter notis, & ad aliquem terminũ progreditur. Vnde
*Philosophus probat in 1. * Posterior.* Text. 6. to. 1.
quod in demonstrationibus non est processus in infinitum; quia in demõstrationibus attenditur ordo aliquorum per se ad inuicem connexorũ & non per accidens. In his autem quæ per accidens connectuntur, nihil prohibet rationem in infinitum procedere. Accidit autem quãtitati, aut numero præexistenti in quantum huiusmodi, quod ei addatur quantitas aut vnitas: vnde in huiusmodi nihil prohibet rationem procedere in infinitum.

Ad tertium dicendũ, quòd illa multiplicatio actuum voluntatis reflexa supra se ipsam, per accidens se habet ad ordinẽ finiũ: quod patet ex hoc, quòd circa vnũ & eundem actũ semel indifferenter vel plures supra se ipsam voluntas reflectitur.

1. *Concl.* Prima conclusio. In finibus per se & essentialiter subordinatis necessario datur vltimus.

2. *Concl.* Secunda conclusio. In finibus per accidens ordinatis nihil interest dari processum in infinitum.

DVBIVM I.

Vtrùm prima conclusio D. Thom. verum habeat.

1. *Arg.* PRobatur primo argumẽto D. Thom. Bonũ est diffusiuum sui, vt patet ex Dionys. cap. 7. de diuinis nominibus: ergo quocũque bono dato, aliud vlterius erit assignare, in quod prius diffundatur & consequenter nõ erit vltimum bonũ, neque vltimus finis: cũ bonũ & finis sint idẽ ac proinde erit processus in infinitũ.

2. *Arg.* Secundò argumentor. In numeris & in diuisione continui & incõbinatione figurarũ, & in demonstrationibus Mathematicis, nõ datur vltimum: ergo neq; in finibus. Patet cõsequentia, quia sic se habet finis in practicis, sicut principiũ, vel medium demonstrationis in speculatiuis: ergo si in speculatiuis est ad inuenire aliud & aliud mediũ ad conficiendam demonstrationẽ, similiter & in practicis erit ad inuenire alium & alium finem.

3. *Arg.* Tertiò argumẽtor. Si mundus fuisset ab æterno, fuisset processus in infinitum in causis perse ordinatis: ergo ordinatio per se, & essentialis non tollit processum in infinitũ: Antecedens patet; nam tunc non esset deuenire ad primum parẽtem, cùm tamen esset ordinatio per se inter filium & patrem, auum & proauum.

4. *Arg.* Quartò argumentor. In causis formalibus potest dari processus in infinitum: ergo & in finalibus: Cõsequentia patet; nam eadẽ est ratio in vtroq; genere causarũ. Antecedens verò probatur, nã inter vnã & alterã speciẽ, v.g. inter hominẽ & leonẽ, posstinueniri infinitę cõuenientiæ, secundũ quas alia & alia species inter media posset produci vsque in infinitũ: non ergo datur terminus in causa formali, per quam species constituitur.

5. *Arg.* Quinto argumentor. Conclusio D. Thom. neque potest intelligi de fine in cõmuni, quia iste indifferenter se habet ad finẽ per se & finem per accidens ordinatos: neque etiã potest intelligi de fine particulari; qui in re est vltimus, qualis est Deus, quia sæpissime homo operatur propter aliũ quàm istum vltimum finẽ; vt quando peccat mortaliter: neque etiá potest intelligi de fine particulari vltimo, quem sibi vnusquisq; constituit, nã talis finis, est finis per accidens nam operans illi tribuit rationem finis: ergo de nullo fine potest intelligi conclusio D. Thom. & sic non erit vera.

6. *Arg.* Vltimo argumentor, replicando contra solutionem ad secundũ D. Thom. nã eodẽ modo fit cõparatio in finibus, atque in numeris: ergo sicut in numeris non datur finis versus finẽ, licèt detur circa principiũ, similiter & in finibus, licèt detur primus finis & immediatus, non tamen vltimus. Ancedens probatur, quia sicut prima vnitas habet se perse ad binarium; binarius autem superuenit accidentaliter ad primam vnitatẽ, ita vlterior finis aduenit accidentaliter ad priorẽ, & prior supponitur per se ad posteriorem: ergo in additione finium nõ est terminus, sed potest ab ire in infinitum.

Caiet. In hac re primus modus explicandi D. Thom. est Cai. quòd debeat intelligi nõ de his quæ potentia sunt ad mixta; in talibus enim potest fieri processus in infinitũ; qualia sunt posita in secundo argumento; sed intelligẽdus est de his quę considerantur in actu, & sic dicit, nõ posse poni processum in infinitũ infinibus à quibus voluntas actualiter moueatur.

Med. Secundus modus explicandi est Medinæ, non dari processum in infinitũ in ordinatis per se ea parte qua ordinãtur per se, licẽt alia parte talẽ processum possint admittere; qua propter in numero, quia est ordinatio per seversus paruitatẽ, quia quinarius supponit quaternariũ, & quaternarius ternarium, &c. Inde est, versùs paruitatẽ nõ dari processum in infinitũ, sed tãdẽ deuenitur ad primam vnitatẽ: versùs magnitudinem autem est ordinatio per accidens; accidit enim quaternario, quòd ei supperaddatur vnitas & fiat quinarius, & quòd addatur quinario, & fiat senarius, &c. qua propter

ter versus magnitudinem in infinitum potest ab iri. Hæc quidem vera sunt, sed tamen nō ad plenā intelligentiā D. Tho. Vnde pro eius declaratione.

Not. Notandū est ex ipso D. Thom. infrà quæst. 12. quòd finis est duplex: alius in communi: alius verò in particulari. Conclusio ergo D. Thom. non intelligitur de fine in cōmuni, quia, vt probat quintu argumentū, talis indifferenter se habet ad finē per se, & finē per accidens, & quia etiā ex intentione finis in communi, non magis determinatur volūtas ad hoc, quā ad illud mediū: vnde vt efficaciter operetur finis, in particulari debet assignari. Intelligendus est ergo D. Thom. de fine in particulari, qui adhuc duplex est: alius est vltimus totius vitæ, ad quē omnia in vniuersum opera hominis ordinantur: alius verò est vltimus huius, vel illius operationis vel artis. Rursus finis vltimus particularis, siue totius vitæ, siue particularis actionis, adhuc est duplex: alius quidē verus, alius verò ab operāte confictus. De primo quidē certū est secūdū fidē, dari finē vltimū, dicēte Apostolo. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria,

Corinth. 7 &c. & 1. Corinth. 7. Vnusquisque propriā mercedē accipiet secundū suum la-

Eccles. 10. borem. Et Eccles. 10. Si ceciderit lignū, siue ad Austrū, siue ad Aquilonē, &c. Ecce ergo qualiter ponitur status & finis vltimus actionum humanarū. Et quòd iste finis vltimus verus ponatur in Deo, patet ex Psalmo, Ibunt de virtute, &c. &

Apocal. 21. Apocalypsis 21. ego sum Alpha & O. initiū & finis. Et hęc est natura ipsius Dei, cùm sit summū bonū & perfectū, quod plenè satiet, ita vt voluntas illo adepto aliū finē nequeat appetere. Quapropter optimè Augustinus loquebatur, cùm dixit: Fecisti nos, Domine, ad te & inquietum est cor nostrū, donec reuertatur ad te, in illo enim perfecta quies posidetur. Ratione autem exequutionis, quomodò ponatur primū mediū ad consequendū

Conc. Trid. hunc finem, declarat Concilium Tridentinū sess. 6. vbi dicit, motum iustificationis incipere ex fide, & timore, & sic deinceps totum progressum assignat.

De secundo autē fine, videlicet confecto & præfixo ab operante, quòd etiam sit assignandus vltimus, nec sit abire in

Arist. infinitum, probat Arist. 2. Meth. c. 2. hac ratione; nā tollere vltimum finē per processum in infinitum, est tollere finē: ergo necessariò ponendus est vltimus; sicut necessariò ponendus est finis. Antecedēs probatur, nam de ratione finis est, esse cuius gratia cætera fiunt: cætera (inquā) idest omnia vel omnia simpliciter, si est finis totius vitæ, vel omnia huius vel illius artis, vel actionis. Si huius vel illius artis vel actionis tantùm est finis: ergo consequenter de ratione finis est, ipsum vlterius non ordinari; & si vlterius non ordinatur, vltimus est necessario: ergo qui ponit finem, ponit vltimū. Si respondea- *Solutio.*
tur, de ratione finis esse, vt alia in ipsum ordinentur, non autē quòd ipse non ordinetur in aliud, vt patet in causa secunda efficiente de cujus ratione, vt sit causa, est vt ipsa influat in aliud, nō autē quòd aliud non influat in ipsam: & similiter in medio secundæ demonstrationis de cuius ratione est vt sit medium quod inferat conclusionem, non autē quòd ipsum ex alio principio non inferatur: nō ergo est tollere rationē finis, ponere vlteriorē ordinationem vsque in infinitū, dummodo precedentia ad ipsum ordinetur. Sed contrà argumentor, quia, vt inquit D. Thom. supra art. 2. causa secunda imper- *Impug.*
fectè, est causa per influxum in aliud; deficit enim à perfecta ratione causę, quatenus aliud influit in illam: quapropter inquit, causa secunda respectu primæ potiùs habet rationē instrumēti, quā causę: & similiter dicendū erit de medio secundæ demonstrationis, imperfectè habere rationē principij, solùm enim perfectè conuenit ratio principij primo principio, quòd ex alio vel simpliciter vel in tali arte nō infertur; idem ergo erit dicendū de fine; vt enim perfectè habeat huiusmodi rationē, non sufficit alia ordinari in ipsum sed quòd ipse vel simpliciter, si est finis totius vitæ, vel in tali arte, vel actione, vlterius non ordinetur; quapropter si finis alicuius actionis assumatur in alia actione, vel arte; ad alium finē, iā in arte assumente non est finis, sed mediū, quod alias in alia arte sistente in ipso erat finis.

Secundò probatur idē ab Arist. loco citato. nā eadem est ratio de causa finali & alijs causis: sed in alijs generibus causarū necessariò deuenitur ad primā, vt ibi demōstrat Arist. quod præcipuè apparet in efficienti, in quo si non daretur primum, nunquàm actio deueniret ad effe-

ctam, quia ordo causarum infinitarum esset impertransibilis: ergo similiter dicendum est de causa finali. Confirmatur; nã finis correspondet agẽti (si quidem agẽs agit propter finem) ergo si in agentibus deuenitur ad primum, etiam in finibus deuenitur ad vltimum correspondentẽ agenti primo.

Tertio probatur ratione D. Thom. nã voluntas ordine intentionis incipit à fine ipsum appetendo, sicut ordine exequutionis incipit à medio, ipsum applicando: ergo sicut est impossibile ponere in exequutione prosequutionem finis, si non assumeretur primum mediũ à quo inciperet (nam aliàs nũquàm inciperet) ita erit impossibile ordine intentionis incipere velle, & appetere, si non ponatur vltimum à quo incipiat appetere; à quo enim incipiet, si vltimum non est? Et si dederis à quo incipiat, ille est vltimus, si quidem post illum, alium non appetit, cum incipiat ab isto. Qui plura huius cõclusionis desiderat, videat D. Thom. 1. p. q. 2. art. 3. & 1. contra Gentes, cap. 13. & 42. conclusione 6. Arist. 2. Meth. text. 8. & 8. physic. text. 78. & 79. 1. Poster. & 1. Ethicorum c. 1. & 2. Durand. in 1. dist. 3. q. 1. p. imæ partis distinctionis Scotũ in primo, d. 2. q. 12. art. 1. §. iuxta tres cõclusiones. Platonem in Philebo, Ciceronem in libris de finibus, & Senecam libro de vita beata, & D. Ambros. 2. officiorum, Lactantium lib. 3. diuinarum institutionum, cap. 7. Augustinum lib. 1. contra Academicos, & lib. de vita beata, & 13. de Trinitate & 19. de ciuitate; Boet. lib. 3 de cõsolatione, & Scholasticos in 4. dist. 49. Omnes enim vnanimiter conueniũt, assignandum esse finem vltimum humanæ vitæ, vel cuiuscumque negotij particularis: quis autem sit huiusmodi finis verus & realis, infrà tractabitur articulo 6. & copiosius, cùm agatur de Beatitudine hominis quæ in Deo Optimo Maximo consistit.

D. Thom. Arist. Dur Scot. Plato, Cicero, Ambros. Aug. Boet. *Senecam* *Lactantiũ.*

Ad 1. arg. Ad primum argumẽtum à principio respondetur, prænotando ex D. Thom. 1. p. q. 19. art. 2. quòd in vnaquaque re triplex est inclinatio: prima ad propriam perfectionem: secunda ad quietem imperfectione adepta: tertia ad communicationẽ propriæ perfectionis: & tertia quidem supponit priores; non enim inclinatur ad se communicandum alijs, nisi priùs in se fuerit perfecta: quà propter Arist. 4. Meth. dicit signũ perfecti esse generare, quia quoad vsque sit perfectũ, nõ intendit generationem, per quã alteri propriam perfectionẽ communicet: Cũ ergo perfectum & bonũ sint idẽ; ideò optimè dixit Dionys. Bonũ esse diffusiuũ sui: qualiter autẽ hoc sit intelligẽdũ, multipliciter potest explicari. Primò quidẽ, esse diffusiuũ per amorẽ attrahendo & rapiendo ad se appetitũ; vt sic coincidat cũ alio dicto Arist. Bonũ est quod omnia appetunt. Explicatio est D. Thom. 1. p. q. 5 art. 4. ad 2. & 3. contra Gent. c. 24. & de veritate q. 21. art. 1. ad 4. in qua explicatione argumentũ propositũ nullã habet vim; etiã enim posito vltimo fine, saluator diffusio eius, non per progressum ad vlteriorem finẽ, sed per raptũ omnium aliorum ad se.

Arist. *D. Dioui.* *Arist.* *D. Thom.*

Secundò explicatur; Bonũ esse diffusiuũ, sui ex natura sua, neque ideò licet inferre. Deũ necessariò producere creaturas; sicut neque sequitur ex eo quòd homo ex natura sua sit volitiuus, necessariò velle, sed liberè vult quando vult; & hoc habet ex natura sua esse volitiuũ liberũ. Sic ergo Deus, cũ sit summum bonũ, habet ex natura sua esse diffusiuũ, & ad intra, & ad extra; habet tamen ex natura sua esse diffusiuum ad intra naturaliter; habet autem ex natura sua esse diffusiuũ ad extra liberè; quod alijs verbis solet dici. Bonum esse diffusiuum in potẽtia nõ autẽ esse de ratione eius actu se diffundere. Ex qua explicatione etiã argumentũ positũ non habet vires, ex potẽtialitate enim diffusionis nõ sequitur processus in infinitũ in finibus, quia actu debẽt moue revolũtatẽ, vt actu exerceát rationẽ finis.

Tertia explicatio est, quòd licèt finis, & bonũ sint idẽ materialiter, cùm tamen formaliter distinguantur (vt supradictũ est) quia bonũ est in ordine ad appetitũ, finis autẽ in ordine ad media; hinc est, finẽ debere se diffundere qua ratione finis est: Vnde communicatio finis non est ad vlteriorẽ finẽ, vt sic detur processus in infinitũ in finibus; sed est communicatio ad media ordinata ad ipsum finem; quod nõ tollit ipsum finẽ esse præfixũ & vltimũ.

Obiectio. Et si dicas, quòd saltẽ sequeretur processus in infinitũ in medijs, si quidẽ versus illam partẽ tendit communicatio & nunquã est deuenire ad medium non bonum vt vlterius ad aliud medium non diffundatur: Respõdetur, quòd quãtũ est ex na

Solutio.

tura

tura vltimi finis, qui est summum bonũ, qualis est Deus hoc non repugnaret; vnde respectu potentiæ Dei non datur terminus, sed est infinita productiua infinitorum effectum & mediorum ex parte ipsius potentiæ, vt dictum est: ex parte tamen ipsorum effectuum (cùm actu infiniti esse nõ possint, licèt syncathegorematicè potentia Dei semper vltra & vltra progredi possit pro sua libertate constituens omnia in pondere & mensura) sistit in effectu beneplacito sibi. Et si rursus dicas: Ergo iam ab illo vltimo effectu & primo medio in quo sistitur, aufertur natura boni, cùm amplius non communicetur: Respondetur, duplicem esse bonitatem in qualibet re, alteram absolutam in ordine ad se ipsam; alteram verò quasi respectiuam in ordine ad alia, cum quibus compositionem facit & totum integrat. Quod insinuatur in Genesi, vbi Deus se orsum quamlibet creaturam laudauit vt bonam; postmodùm autem subdit: Vidit cuncta quæ fecerat, & erãt valde bona, distinguit enim bonitatem resultantem ex omnibus componentibus vniuersum, à bonitate particulari cuiuscumque rei, & bonitatem illam communem vt meliorem approbauit. Dico ergo, quòd vltimus effectus, & primũ medium, licèt non habeant communicationem particularem in vlteriorem effectũ habet tamen meliorem ad antecedentia media; siquidem cum illis habet integritatem & compositionem vniuersi.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum respõdetur numerũ quidẽ versus magnitudinẽ posse multiplicari in infinitum, quia nõ est ordo per se, sed additio per accidens se habet, versus paruitatem autem, vbi ordo per se consideratur, advnitatem prima terminatur. De continuo dicitur posse diuidi in infinitũ; sed hoc est quid potentiale, neq; facit ad propositũ nostrũ. Cõbinationes etiã figurarũ per accidens sunt, neque inter se habent aliquem ordinem necessariũ. Similiter dicitur de demonstrationibus, quòd quæ ordinatæ sunt, ita vt conclusio vnius, sit principiũ alterius, finitæ sunt, & ad vltimam deuenitur: quæ autem per accidens se habent quarũ quælibet sine dependẽtia alterius immediate ex primo principio deduci potest, nihil obest quòd in infinitum multiplicentur, quia hîc tantùm loquimur de perse ordinatis.

Ad 3. arg. Ad tertiũ argumẽtũ respõdetur, quòd aliqua possunt inter se ordinari per se dupliciter: Primò, in ratione effectus; secũdò in ratione causæ. In ratione quidem effectus per se ordinatur alteri, quod sine illo in rerum natura esse non potest. In ratione verò causæ ordinatur per se vnũ alteri, quod sine altero operari non potest. Dico ergo, quòd Petrus v. g. ordinatur per se patri, & pater auo, &c. In ratione effectus, quatenus Petrus sine patre, aut pater sine auo, in rerũ natura esse non possent; non tamen ordinatur patri per se in ratione causæ, quia in operãdo non dependet à patre, sicut neque pater ab auo. Quod ergo asserunt Arist. & D. Thom. in causis subordinatis per se, nimirũ in ratione causarũ, non posse procedi in infinitum, taliter quòd iste operetur, requiratur concursus alterius, & ille alter alterius, & sic in infinitum; quia sic nunquam virtus agendi ad vltimum deueniret, cùm infinitum sit impertransibile: & hæc ratio facit ad generationẽ processus in infinitũ infinibus habentibus rationẽ causæ, quorum posterior influat in priorẽ; nã si sic procederetur in infinitũ, neque daretur vltimus influxus qui ad fines proximos deueniret. Doctrina est Capre. & Ferr. 1. contra Gent. c. 38 circa solutionẽ ad 5. & Conr. & Med. hîc

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur, quòd licèt genus posset multiplicari in infinitas species, hoc est secundũ potẽtiã metaphysicã eius; vnde nihil ad rẽ, quia non agimus de his quæ sunt in potentia: veritas tamen est, species cuiuscũque generis esse finitas & determinatas, & similiter prędicata quidditatiua, licèt indiuidua quæ per accidens se habent, in infinitum possent multiplicari.

Ad 5. arg. Ad quintũ argumentũ, patet ex dictis conclusionẽ D. Thom. debere intelligi de fine particulari, siue verò, siue ab operante confecto, & de medijs, siue habentibus cõnexionẽ cũ fine ex natura rei, siue ex ordinatione operantis, cùm neutrũ in infinitũ abire possit, quia operatio non esset.

Ad 6. arg. Ad vltimũ respondetur, non eodẽ modo se habere vlteriorem vnitatẽ respectu præcedentis numeri, sicut vlterior finis respectu præcedentium ad ipsum; licèt enim vlterior finis per accidẽs se habeat ad præcedẽtia, quatenus præcedẽtia possẽt ad vlteriorẽ nõ ordinari: supposita ta-

men ordinatione, necessaria est connexio, quatenus prȩcedẽtia appetere nõ potest, nisi ex appetitu vlterioris finis: Intentio enim est causa per se electionis: qua propter optimè infertur, quód in appetendo, præcedentia dependent à fine vlteriori per se; vnde vt ad appetitum medij deueniatur, debet necessario esse determinatus finis, à quo tanquàm ab vltimo, voluntas incipiat velle: hoc autem non currit de vlteriori vnitate, omnibus enim modis per accidens se habet ad vnitates præcedentes: vnde in infinitum versus vlteriorem vnitatẽ potest abiri.

DVBITATVR. II.

Vtrùm fines intermedij & proximi habeant veram rationemẽ finis.

1. Sent. Vazq. Gab. Greg. IN hac re est prima sententia quam tenet Vazquez cum Gabriele 2. dist. 1. q. 5. art. 1. & d. 38. q. 1. art. 1. & cum Gregor. quem ibi citat Gabr. fines intermedios nullo modo habere rationem finis, nisi forsan extenso vocabulo finis pro termino: quæ etiam media terminãt motum antecedentem; non autem sumendo

1. Arg. propriè finem pro causa finali: Quam sententiam probat primò authoritate Phi. 2. Physic. c. 3. text. 29. dicẽtis, quòd finis est, cuius gratia cætera ideſt omnia, vt supra explicatum est fiunt: quod quidem fini intermedio conuenire non potest, cùm ipsum sit propter aliud: & 2. Meth. text. 8. dicit, quòd qui tollit rationem vltimi; tollit rationem finis; vbi ad rationem finis exposcit esse vltimũ; ac per consequens medio conuenire non potest esse finem. Item 8. Ethicorum c. 2 quod etiam repetit, D. Thom. 1. p. q. 8. art. 6. dicens, bonum, honestum & delectabile, conuenire fini: vtile verò medio; vbi condistinguit medium à fine, & intendit medium nõ habere rationẽ finis.

2. Arg. Secundò probatur ratione; nam si medium potest habere rationem finis, ratio D. Thom. & Arist. est nulla, vbi asserit, quòd si non est vltimus finis, nõ est vnde incipiat voluntas velle; nam posset dici, quòd poterat incipere ab intermedio, si quidem est finis: ergo vt habeat verum prædicta ratio, solùm vltimus est finis, non autem intermedius; vt sic verificetur, quòd si non incipit ab vltimo; nõ habet vnde incipiat, quia debet incipere â fine; & non est finis nisi vltimus.

3. Arg. Tertiò probatur: si aliqua ratione secundum medium, v. g. potest habere rationem finis, licèt vlterius ordinetur ad tertium, maximè, quia primum ordinatur ad secundum; vnde respectu primi habet rationem termini: sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor; nam aliàs Deus ordinando vnam creaturam in aliã vsque ad suam bonitatem, non solùm haberet pro fine suam bonitatem, sed etiam secundam creaturam, v. g. in quam ordinat primam: hoc autem est falsum & contra D. Thom. 1. p. q. 19. art. 1. & 1. contra Gentes, cap. 86. & 87. dicentem, nullam creaturam esse posse finem vel rationẽ respectu voluntatis diuinæ: ergo non sufficit illud in istud ordinari, vt istud sit finis; sed requiritur, istud vltra non ordinari: quod vtique fini intermedio conuenire non potest.

2. Sent. Lorca. Secunda sententia est communis Thomistarum, quos etiam sequitur Lorca, finem intermedium & habere rationem finis, & medij; finis quidem respectu antecedentis ordinati ad ipsum; medij verò respectu vlterioris ad quem ipse ordinatur. Verum est tamen (inquit ista sententia) quòd licèt finis intermedius habeat veram rationem finis, non tamen vniuocam cum vltimo fine: sed ratio finis analogicè dicitur de vltimo & intermedio fine; nam si loquamur de vltimo verò fine qualis est Deus, nihil vniuocè potest dici de Deo & creaturis; quapropter ratio finis dicta de Deo & creaturis, analogicè dicetur, & si loquamur de vltimo fine ab operante confecto, etiam propriùs dicitur de illo, quàm de intermedio, si quidẽ de intermedio dicitur cũ dependentia ab vltimo, quatenus tandẽ intermediũ ad vltimum ordinatur. Analogia verò vel est secundũ attributionẽ, vel saltẽ secundñ proportionẽ. Sicut enim vltimus se habet respectu omniũ absolutè, sic & intermedius respectu priorũ ad ipsum. *Not.* No tandũ tamen, quòd cũ mediũ sit in duplici differentia, aliud tantũ vtile, nullã habens bonitatẽ propriã & intrinsecã vnde mouere possit, sed tantũ extrinsecam participatam à fine, aliud autẽ sit mediũ habens bonitatẽ secundũ propriã rationẽ, ratione cuius assumatur ad aliud, vt verbi gratia sanitas, quę respectu alterius assumi potest vt medium; prædicta sententia non asserit de medio

priori

priori modo, sed secundo modo; de isto enim dicit, propriam bonitatem inter medij esse finem, quatenus terminat præcedentia media ad ipsam; licèt & ipsa ad aliá vlterius bonitatem ordinetur. Imô & alij etiam asserunt, medium primi generis habere rationem finis respectu præcedentis actus terminati ad ipsum: sicut enim instrumentũ verè causat, licèt nõ per virtutem sibi propriam, sed participatam à causa principali; ita medium etiam si nullã bonitatẽ propriam habeat, sed solùm à fine participatam per illam, potest finalizare, licèt non ita perfectè sicut vltimus finis; quia media sunt velut quædam instrumenta causæ finalis.

1. *Arg.* Hæc sententia probatur primò, 1. ad Thimotheũ. 1. Finis præcepti est Charitas, & 1. Petri. 1. Reportantes finẽ Fidei vestrę salutẽ animarum vestrarum; Charitatem & salutem animarum nuncupat Apostoli finem; cùm tamen vtraque sit medium ad vitam æternam?

2. *Arg.* Secundò probatur ex Aristot. & D. Thom. in commentarijs eius, 2. Physicorum, cap. 3 & in 3. contra Gentes, cap. 2. dicente, quòd quæ mediant inter vltimũ finem, & inter causam efficientem, habẽt rationem finis. Et 2. Ethic. cap. 7. diuidit finem in vltimum & inter medium.

Solutio. Vazquez. Respondet Vazquez verba Aristot. hæc esse. Quæcumque enim alio mouente sunt inter medicum & sanitatẽ, vt purgatio, & extenuatio, finis sunt, & posteâ subdit; Omnia autẽ hęc sunt gratia finis. Dicit ergo, quòd in priori parte, quãdo dicit, Finis sunt, ly Finis, nõ est in Nominatiuo, sed in Genitiuo: vnde non est facere illa inter media finem, sed ad finem?

Impug. Hæc autem explicatio friuola est; vt quid enim idem bis repetebat, vlteriùs subdẽdo omnia autẽ hæc sũt gratia finis? Non ergo vtrobique intendit idem, sed in prioribus verbis intendit, huiusmodi inter media esse finem; in verbis autem subsequentibus intendit simul esse media, vt sic distinguantur à fine vltimo, qui tantùm absolutè & omnibus modis est finis.

3. *Arg.* Tertiò probatur ratione. Causa secunda efficiens verè habet rationem causæ, licèt alia prior supponatur ad ipsam: & similiter secundum principium in speculabilibus in secunda demonstratione verè habet rationem principij, licèt ipsum sit conclusio ex primo principio illata: ergo similiter inter medius finis verè erit finis, licèt vlteriùs ordinetur. Patet consequentia; nam sic se habet finis intermedius respectu vlterioris, sicut causa secunda, vel principium secundum respectu prioris. *Solutio.* Si respondeatur cum Vazquez, causam secundam habere ex se vnde possit influere, licèt aliàs sit influxus in ipsam; & similiter secundum principium ex se habet aliquam veritatem vnde possit inferre, licet ipsum aliàs inferatur, vnde possunt habere veram rationem causæ & principij; cæterùm finis inter medius non amplius habet, quàm proportionem ad finem, vnde non amplius habet quàm rationem medij? *Impug.* Contra argumentor: licèt hoc verum habeat de medio tantùm vtili non habente ex se aliquam bonitatem; non tamen habet verum de medijs habentibus bonitatem in trinsecã vnde possint mouere. *Solutio.* Et si rursus respondeas, supradictam bonitatem medij, non esse aliam, quàm bonitatem finis participatam in medio; vnde talis bonitas medij non extrahit ipsum â ratione medij; neque per illam bonitatem potest habere rationem finis: *Impug.* Contrâ argumentor, quia licèt formaliter bonitas medij sit bonitas finis participata in medio; non tamen negari potest, esse aliquid proprium ex parte ipsius medij, ratione cuius (licèt materialiter se habeat respectu bonitatis participatæ à fine) sit potius assumptibile hoc, quàm aliud medium: aliquid ergo est inuenire in tali medio, ratione cuius sit finis præcedentium, licèt subsequenter habeat rationem medij: videlicet illa bonitas quam de se habet, & quæ assumitur vt medium ad finem subsequentem. Hæc quidem sententia multum probabilis est; vnde secundùm ipsam ad argumenta proprima sententia respondetur. Ad primum locum Arist. *Ad 1. arg. sent.* dicitur, non eodem modo illam particulam, cætera omnia, debere intelligi; sed respectu finis vltimi cætera omnia absolutè, respectu tamen finis intermedij, cætera omnia illius artis, vel actionis; vnde quòd ipsum medium vlterius ordinetur, non tollit esse finem. Ad secundum locum dicitur, quòd qui tollit vltimũ, tollit finem, non quia tantum vltimus sit finis, sed quia ablato vltimo, consequenter tolluntur intermedia, vt habẽt etiam rationem finis: nam inter media ratione dependentiæ ab vltimo, habent esse finem?

Obiectio. nem. Et si contrà dicas, quòd Aristot. non adstruebat, necessario ponendum vltimum finem ex dependentia inter mediorum ab ipso; sed ex non ordinatione illius ad vlteriora: ergo sentit, de ratione finis esse, vlterius non ordinari. Respondetur, iuxta datam solutionem optimè inferri, ex dependentia mediorum à fine, debere poni vltimum: nam si in infinitum abiretur, inter media non consisterent, sed admissa interpretatione replicæ. *Solutio.* Respondetur, quòd Aristot. intendebat; ponere perfectam rationem finis, & ex hoc intulit, ponendum esse vltimum; nam de perfecta ratione finis est, vlterius non ordinari, & sic quòd detur vltimus qui sit perfectus: hoc autem non tollit, inter media esse finem imperfectè & secundùm quid. Ad tertium locum respondetur, probare de inter medio tantum vtili non habente aliquam propriam bonitatem, ratione cuius mouere possit.

Ad 2. argu. Ad secundū argumentū respondetur, rationem D. Tho. esse efficacē; quia etiā si inter medius finis sit, necessariò ab vltimo debet incipere; quia eo ipso quòd ab eo incipiat, est vltimus illius actionis, vel artis ad min⁹; vnde ab intermedio formaliter vt intermedius incipere nō potest.

Ad 3. arg. Ad tertium. Respondetur, tantùm probare, secundam creaturam, esse finem respectu primæ, ex eo quòd prima ordinetur ad secundam: non autem probat, habere rationem finis respectu diuinæ voluntatis; quia diuina voluntas non ordinatur ad talem secundam creaturam, nisi tantùm ex parte effectus.

3. Sent. vera. Tertia tamen sententia, quæ meo videri apparet verior, est, quòd finis inter medius, habens propriam & intrinsecam bonitatem, potest dupliciter considerari. Primò, respectu actionis vel artis quæ ad ipsum vltimò terminatur, licèt aliàs talis finis per aliam actionem vel artem vlterius ordinetur. Secundo modo potest considerari respectu artis transeūtis per tale medium ad vlteriorem finem, neque manentis in tali medio. Dico ergo, quòd inter medium habet veram rationem finis respectu actionis vel artis in ipso manentis, non autem respectu alterius transeuntis per tale intermedium. Itaque sicut in motu locali, non solùm concauum lunæ qui est vltimus, habet rationem termini, sed etiam verbi gratia, locus aëris motum sursum potest terminare: hoc tamen respectu motus sursum non transeuntis aeris sphæram; nam si motus vsque ad concauum lunæ continuetur, locus aeris nullo modo potest dici esse terminum, sed præcisè medium in illo motu: ita in hac singulari actione voluntatis transeunte vlterius, bonitas medij tantùm se habet materialiter, formaliter enim ad hanc actionem non conducit, nisi præcisè secundùm proportionem ad vlteriorem finem (quod in vltima replica concedit secunda sententia) quapropter respectu huius singularis actionis, bonitas illa medij non potest tali medio tribuere speciem finis, quia ex eo quod materialiter se habet, species nō desumitur. Neque valet, dicere, illam bonitatem intrinsecam medij habere se materialiter respectu vlterioris progressus; formaliter tamen respectu præcedentis motus ad ipsum: vnde licèt respectu vlterioris præcisè habeat rationā medij, respectu tamen anterioris potest habere rationē finis. Nō (inquā) valet hęc respō sio; quia etiā anterior pars motus, non attingit illā bonitatem medij, nisi vt vltra progrediatur, & vt ad vlteriorē finē conducit: ergo etiam respectu anterioris illa bonitas medij tantùm materialiter se habet. Eo vel maximè, quòd vt asserit secunda sententia in solutione ad primum Vazquez, vt aliquid sit finis, cætera omnia (omnia inquam absolutè, si est vltimus; vel cætera omnia, particularis actionis, vel artis, si est particularis finis) ad ipsum debent ordinari: hoc autem esse non potest in actione ista numerica vlterius transeunte per tale medium; tunc enim non verificatur, omnia illius actionis ordinari in illud inter medium; quia quod vlterius est ad inter medium, ad illam particularem actionem pertinet, & ad illud intermedium non ordinatur; solum autem verificatur, quando intermedium habet rationem vltimi in aliqua particulari actione; sic enim verificabitur de illo quòd sit finis, non autem respectu actionis particularis, in qua exercet rationem medij, quia vt sic solùm habet terminare electionem, & non intentionem: si autem haberet rationem finis, intentionem terminaret; finis enim est terminus intentionis & medium electionis, si ergo medium formaliter, prout vltra progreditur, nec perfectè nec imperfectè terminat intentio.

tionem, sed electionem, nullo modo est finis; quando autem ad ipsum terminatur, tunc consideratur vt vltimum respectu illius artis vel actionis.

Ad fũdam. 2. sent. Ad fundamentum autem secundę sententiæ respondetur, dicta Aristot. & D. Thom. quòd intermedia etiam sunt finis, verificantur materialiter; nam quod est medium in vna actione, est finis respectu alterius manentis & sistentis in tali intermedio: & in hoc ponunt distinctionem finis inter vltimum, & intermedium, quòd vltimus simpliciter in nulla actione potest habere rationem medij; intermedius autẽ & potest habere rationẽ finis, & medij, licẽt respectu diuersarũ actionũ. Ad illud autem de causa secũda, respondetur, verè habere rationẽ causæ quia vere influit in effectum, neque hoc (in quo consistit ratio causæ) tollitur per id quòd prima causa influat in ipsam: cęterùm quôd in hac peculiari actione intermedium ordinetur vlterius, tollit ab illo rationem finis, quæ consistit in eo vt vlterius non ordinetur, sed cætera omnia, ad minus illius actionis, ordinentur ad ipsum. Vnde exemplum de instrumento non est ad propositum, quia vel etiam instrumentum non ponit in numero cum causa principali cuius virtute agit, nec ab illa separatum & seorsum, causa potest appellari: vel quia, vt dictum est, non est eadem ratio atque de fine consistente in eo quòd formaliter vt finis vltra nõ ordinetur: quod destruitur per hoc quòd bonitas medij, siue propria, siue cõmunicata, cõparetur ad actionẽ vt vltra progredientẽ adfinẽ, ratione cuius attingitur bonitas medij.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm homo possit habere simul duos vltimos fines.

Inf. q. 12. a. 3. ad. 1. & q. 13. art. 3. ad 3. & dist. 24 ar. 3. Cor. & 3. di. 31. q. 1 ar. 1. cor. & Mal. q. 14. ar. 2. cor. fili. 19. c. 1. to. 5.

AD *Quintum sic proceditur. Videtur quôd possibile sit, voluntatem vnius hominis in plura ferri simul, sicut in vltimos fines. Dicit enim* ✻ *Augustin. 19. de Ciuitate Dei, quòd quidam vltimum hominis finem posuerunt in quatuor, scilicet in voluptate, inquiete, in bonis naturæ, & in virtute: hæc autem manifestè sunt plura: ergo vnus homo potest constituere vltimum finem suæ voluntatis in multis.*

2 *Præterea. Quæ non opponuntur ad inuicem, se inuicem non excludunt: sed multa inueniuntur in rebus, quæ sibi inuicem non opponuntur: ergo si vnum ponatur vltimus finis voluntatis, non propter hoc alia excluduntur.*

3. *Præterea voluntas per hoc quod constituit vltimum finem in aliquo, suam liberam potentiam non amittit: sed antequàm constitueret vltimum finem suum in illo, puta, in voluptate, poterat constituere finem suum vltimum in alio, puta in diuitijs: ergo etiam postquàm constituit aliquis vltimum finem suæ voluntatis in voluptate, potest simul constituere vltimum finem in diuitijs: ergo possibile est, vnius hominis voluntatem simul ferri in diuersa, sicut in vltimos fines.*

Sed contrà, Illud in quo quiescit aliquis, sicut in vltimo fine, hominis affectui dominatur, quia ex eo totius vitæ suæ regulas accipit: vnde de gulosis dicitur Phil. 3. Quorum Deus venter est; quia scilicet constituũt vltimum finem in delicijs ventris: sed sicut dicitur Matth. 7. nemo potest duobus dominis seruire, ad inuicem scilicet non ordinatis: ergo impossibile est esse plures vltimos fines vnius hominis ad inuicem non ordinatos.

Respõdeo dicendũ, quôd impossibile est quòd volũtas vnius hominis simul se habeat ad diuersa, sicut ad D. 624.

vltimos fines : cuius ratio potest triplex assignari. Prima est, quia cùm vnum quodque appetat suam perfectionem, illud appetit aliquis vt vltimum finem, quod appetit vt bonũ perfectum & completiuum sui ipsius. Vnde * Augustinus dicit 19. de ciuitate Dei, Finem hominum nũc dicimus, non quod consumitur vt non sit, sed quod perficitur vt plene sit: oportet igitur quôd vltimus finis ita impleat totum hominis appetitum, quòd nihil extra ipsum appetẽdum relinquatur : quod esse non potest, si aliquid extraneum ad ipsius perfectionem requiratur; vnde non potest esse quôd in duo sic tendat appetitus, ac si vtrumque sit bonum perfectiuum ipsius.

Cap. 1. non longe à princip. tom. 5.

Secunda ratio est : quia sicut in processu rationis, principium est id quod naturaliter cognoscitur : ita in processu rationalis appetitus, qui est voluntas, oportet esse principium id quod naturaliter desideratur; hoc autem oportet esse vnum, quia natura non tendit nisi ad vnum: principiũ autem in processu rationalis appetitus, est vltimus finis, vnde oportet id in quo tendit voluntas sub ratione vltimi finis, esse vnum.

Tertia ratio est, quia cùm actiones voluntariæ ex fine speciem sortiantur, sicut * suprà habitum est, oportet quòd à fine vltimo, qui est communis, sortiantur rationem generis: sicut & naturalia ponuntur in genere secundùm formalem rationem cõmunem: cùm igitur omnia appetibilia voluntatis, in quantum huiusmodi, sint vnius generis, oportet vltimũ finem esse vnum & præcipuè quia in quolibet genere est vnum primũ principium; vltimus autem finis habet rationem primi principij, vt * dictum est. Sicut autem se habet vltimus finis hominis simpliciter ad totum humanum genus, ita se habet vltimus finis huius hominis adhũc hominem: vnde oportet, quòd sicut omniũ hominũ est naturaliter vnus finis vltimus, ita huius hominis volũtas in vno vltimo fine statuatur.

Art. 3.

Artic. 1.

Ad primum ergo dicẽdum, quôd omnia illa plura accipiebantur in ratione vnius boni perfecti ex his constituti ab his qui in eis vltimum finem ponebant.

Ad secundum dicendum, quôd & si plura accipi possunt quæ ad inuicem oppositionem non habeãt: tamen bono perfecto opponitur quôd sit aliquid de perfectione rei extra ipsam.

Ad tertium dicendum, quôd potestas voluntatis non habet vt faciat opposita esse simul; quod contingeret, si tenderet in plura disparata, sicut in vltimos fines, vt ex * dictis patet.

In corp. ar.

Conclusio est. Impossibile est, quôd voluntas humana simul se habeat ad diuersa, tanquàm ad vltimos fines.

DVBIVM I.

Vtrùm conclusio D. Thomæ verum habeat.

PRobatur quòd non. Primò. Omnes rationes D. Thom. in articulo sunt insufficientes: ergo non habenda est conclusio vt vera. Antecedens probatur; nã prima ratio, quòd vltimus finis debeat esse plenè satiatiuus, ac per consequens excludit alium vltimum, licèt asserat verum

1. Arg.

rum de vltimo fine vero, qualis est Deus; non tamen de fine confecto ab operante, qualis est creatura; quia vt dicitur Prouerb. 13. Iustus comedet & satu rabitur; venter autem impiorum insatiabilis est. Secunda etiam ratio, quòd quia voluntas tẽdit naturaliter in vltimum finem, ideò tantùm debet respicere vnum; quia natura ad vnum est determinata; etiam insufficiens est; nam Intellectus naturaliter tẽdit in prima principia, & tamen non in vnum tantùm, sed in plura: & per illud verbum Arist. tantùm excluditur à naturali agente indeterminatio libertatis, nõ autem multiplicitas motus in diuersa, vt patet in brutis; licèt enim quodlibet illorum omnium determinatè (hoc est, non libere) tendat, simul tamen in plura possunt tẽdere; non ergo ex hac ratione multiplicitas vltimi finis est auferenda, sed vt plurimum libertas circa ipsum quantum ad specificationem, quatenus quidquid agit propter ipsum, necessariò debet agere. Tertia etiam ratio est, quòd quia actus humani habent rationem genericam ab vltimo fine, iste debet esse vnus; insufficiens est, quia ex eo tantùm concluditur, vltimum finem esse idẽ genere, non autem idem numero, quod clarius dicitur. Hæc ratio probat de vltimo fine in communi, non autem in particulari: sicut ex eo quòd ratio constitutiua hominis sit vna tantùm, concluditur vnitas formalis naturæ humanæ, non autem indiuidualis: bene enim stat cum vnitate formali speciei, multiplicatio singularis indiuiduorum. *Conf.* Confirmatur argumẽtum, nam D. Thom. in hoc articulo contradicit sibi infrà q. 12. art. 3. vbi ait, volũtatem posse simul intendere diuersa non habentia ordinem ad inuicem; intentio autem secundùm ipsum est de fine: sentit ergo ibi, posse operantem simul tendere in fines diuersos non subordinatos.

2. Argum. Principaliter argumentor. Probabilis sententia est in physicis, eundem effectũ posse dependere à pluribus causis totalibus nõ subordinatis; ergo probabile erit, eundem operantem posse respicere simul diuersos vltimos fines non subordinatos. Patet consequentia, quia hoc non est amplius quàm ponere diuersas causas totales non subordinatas respectu eiusdẽ effectus; finis enim causa & præcipua est inter omnes; immò minus est quàm ponere, eundem effectum dependere â pluribus causis efficientibus non subordinatis, quia qui ponit diuersos fines vltimos, non hoc asserit respectu eiusdem actionis, sed respectu diuersarum: ergo minus asserit quàm quod idem effectus dependeat â pluribus causis totalibus efficientibus.

3. Argum. Tertiò argumentor. Gentilitas pluralitatẽ Deorum ponebat; ergo & finium vltimorum. Patet consequentia; quia Deus, siue verus, siue falsus, respectu habentis illum vt Deum, habet rationem vltimi finis.

4. Argum. Quartò argumentor. Potest aliquis simul velle bonum, & malum; vt si simul habeat actum eleemosynæ & aspectum impudicum mulieris, neutrum ad inuicem ordinando: ergo potest habere simul duos vltimos fines. Patet consequentia, quia bonum & malum eundem vltimum finem respicere non possunt; & idem argumentum potest fieri, cùm existens in peccato mortali, tribuit eleemosynam ex affectu pietatis ille enim per peccatum habet pro vltimo fine creaturam; ad hunc autem finem vltimum non tendit eleemosynam, sed in Deum, cùm sit actus bonus; ergo iam respectu eiusdem operantis, diuersi vltimi fines possunt assignari.

5. Argu. Quintò argumentor, quia potest quis velut vltimum finem desiderare esse Regem, vel Papam disiunctiuè: ergo potest ex æquo respicere duos vltimos fines, quia illorum finium neuter alteri subordinatur.

6. Argum. Sextò argumentor. Potest quis simul habere vt finem vltimum delectationem veneream, & Deum: ergo. Probatur antecedens. In casu quo quis velit fornicari, sic tamen dispositus, quod si debeat mulieri soluere centum argenteos, non fornicabitur, pro Deo tamen, vt pro subleuanda miseria proximi, non vult consumere illa centum cum meretrice-que, v. g. paratus est centum aureos expendere: immò si opus fuerit, totam facultatem & vitam pro Dei fide periculo exponere. Tunc sic confirmo argumentum: Talis homo præfecit centum argenteos mulieri; præfert autem Deum mulieri: ergo habet Deum vt vltimum finem; nihil enim aliud est habere Deum vt vltimum finem, quàm omnibus alijs præferre; sic autem cõtingit in præsenti, quia

quia si aliquid præferretur Deo, maximè mulier cum qua paratus erat fornicari: hæc autem Deo non præfertur, vt probatum est in argumento: ergo omnibus est Deus prælatus, & ex alia parte supponimus, per fornicationem habere creaturam vt vltimum finem: ergo iam idem plures vltimos fines respicere potest simul.

7. Arg. Septimò argumentor. Potest quis plura peccata mortalia disparata, Neque ad inuicem ordinata committere; ergo potest simul diuersos vltimos fines habere. Antecedēs patet, quia licèt virtutes sint connexæ, non tamen vitia. Consequentia verò probatur, quia per peccatū mortale cōstituitur vltimus finis increatura: ergo si mortalia disparata sunt, similiter & vltimi fines intenti ab ipsis?

8. Arg. Octauo argumentor; nam Angelus malus habuit dos vltimos fines: ergo. Probatur antecedēs, nam per peccatum conuersus est ad creaturam velut ad vltimum finem, & ex alia parte mansit conuersus ad Authorem naturæ, velut ad finem vltimum; quia peccatum eius non fuit contra finem naturalem: ergo simul habuit duos vltimos fines.

9. Arg. Nono argumentor; nam qui est in charitate & peccat venialiter, habet diuersos fines vltimos: ergo. Probatur antecedens, nam ex vna parte habet Deum per Charitatem, & ex alia creaturam per veniale; siquidem veniale in Deum optimum maximum ordinari non potest (esset enim blasphemia, malum in obsequium eius facere) ergo sunt duo vltimi

10. Arg. fines. Vltimò arguitur, quia virtutes morales sunt plures, & obiecta illarum diuersa, & inter se multa, non subordinata, sed quodlibet est finis vltimus suæ virtutis, quia, vt ait Arist. 2. Ethic. cap. 4. de ratione virtutis est, vt propter honestatem sui obiecti appetatur, & non propter aliud.

Not. Pro intelligentia notandum, quòd in præsenti non loquimur de vltimo fine vero, de isto enim certum est, esse tātùm vnum Deum; sed loquimur de vero, vel confícto ab operante, Item non loquimur de finibus successiuè; certū est enim post vnum vltimum finem præfixū ab operante, posse intendere alium recedendo à primo; vt quando quis exijt à peccato & conuertitur in Deum. Item non loquimur de fine partiali, vel in adæquato: potest enim intendere adæquatè vnum vltimum finem compositum ex diuersis inadæquatis & partialibus.

Hoc ergo supposito; prima sententia *1. Sent.* est aliquorum modernorum, quòd licèt non possit aliquis simul intendere duos fines vltimos cōpletos & adæquatos formaliter; bene tamen potest intendere vnum formaliter; alium verò omnino diuersum tantùm virtualiter; quia inter tēdentiam formalē & virtualem nō est oppositio, sed tantùm inter tendentiam oppositam formalem, sicut dicit D. Tho. in frà q. 61. quod cum habitu tēperantię cōpatitur actus intemperantiæ; quia actus oppositi vitij tantùm virtualiter & indirectè opponitur virtuti temperantiæ, si multaneitas autē solùm excluditur per oppositionem formalem & directā, qualis inter duos habitus oppositos reperitur. Sic ergo dicūt de vltimo fine diuerso.

Secunda sententia est Mag. Medina, *2. Sent. Med. Soto.* & refertur etiam Mag. Soto, quòd licèt copulatiuè non possit aliquis simul intēdere diuersos fines vltimos: bene tamen disiunctiuè; nam per disiunctionē tollitur oppositio: nulla enim adeò opposita (etiam contradictoriè) sunt, vt disiuncti uè non verificentur. Licèt enim simul repugnet, esse album & nigrum; sedere & non sedere; disiunctiuè tamen nō habet repugnantiam, vt dicatur, quòd Petrus est albus vel niger; quod sedet vel non sedet. Licèt ergo duo vltimi fines sibi ad inuicem repugnēt incoexistendo; hæc repugnantia per disiunctionem auferetur, & verificabitur, posse simul diuersos vltimos fines disiunctiuè aliquem appetere.

Prima conclusio. Impossibile est, *1. Con.* posse aliquem intendere simul duos vltimos fines, non solùm copultatiuè, sed etiā disiunctiuè, neque solùm vtrūque formaliter, sed neque vnum formaliter, & alium virtualiter & indirectè. Ista cōclusio est *D. Thom.* D. Tho. qui absolutè negat duos vltimos fines; & prēter rationes illius, prima pars probatur efficaciter: nam illi duo vltimi fines vel ordinantur ad inuicem, vel neuter ad alterum dicit subordinationem: quodlibet istorum dicatur, tollitur ab eis ratio vltimi finis; ergo impossibile est esse vltimos & esse duos. Probatur minor; nam si dicatur primum, ratio finis vltimi abutroque tollitur; siquidem de ratione vltimi est, vlterius ad alium non ordinari: Si dicatur secundum, etiam ratio

vltimi

vltimi ab eis tollitur: siquidem de ratione vltimi finis est, quòd omnia in ipsum ordinentur: si ergo de quolibet illorum duorum verificatur, alium ad se non ordinari, de quolibet verificatur ipsum nō esse vltimum finem. Secunda pars conclusionis etiam probatur; nam illi duo vltimi fines sumpti disiunctiuè, vel iudicantur secundùm eandem rationem appetibilis; qua ratione disiunctiuè tendit in vtrumque; vt qui intendit honorem, intendit disiunctiuè esse Regem vel Papam, quia iudicat disiunctiuè, in quolibet illorum esse plenam rationem honoris; aut verò illos fines disiunctiuè sumptos iudicat secundùm diuersam rationem appetibilis inter se, & tunc ordinatam vel non ordinatam inter se, sed omnino disparatam. Siquidem dicatur iudicare illos duos fines secundùm eandem rationem appetibilis, non est illos facere vltimos adæquatè, sed partiales, quatenus in vna ratione appetibilis conueniunt: Vnde tunc solum est distinctio finium materialis, non verò formalis; nam tunc ratio formalis finalizandi in vtroque vna est: Si autem dicatur, rationem appetibilis iudicare in vtroque omnino diuersam, tunc redit argumentum factum pro prima parte, quòd scilicet vel ad inuicem ordinantur, vel non; & quodlibet dicatur, est tollere rationem vltimi ab vtroque, vnde repugnantia illorum duorum finium non tollitur per disiunctionem, sicut fit in alijs oppositis; quia illa disiunctio, licèt sit disiunctio ex parte obiectorum, importat tamen iudicium copulatiuum de vtroque, quòd videlicet vterque plenam rationem boni habeat, ratione cuius in quemlibet disiunctiuè omnia ordinentur, & de vtroque disiunctiuè verificetur vlteriùs non ordinari: cùm ergo hoc sit impossibile de vtroque Intellectum simul iudicare, impossibile etiam est, vtrumque etiam disiunctiuè assignare vt vltimum finem. Tertia pars conclusionis etiam est Diui Thomæ; nam articulo sequenti dicit, non requiri ad finem actualis intentio, sed quod sufficit virtualis: cū ergo modò dicat, nō posse esse plures vltimos fines, intelligit, siue formaliter, siue virtualiter intendantur. Confirmatur, quia regulariter finis non appetitur nisi tantùm virtualiter, nam aliàs non verificarentur plura quæ de peccatore dicuntur in sacra Scriptura, vt Ezechielis 28. dicitur de Rege Tyri: Dixisti, Deus ego sum, & dedisti cor tuum quasi cor Dei. Et Esaiæ. 14. de primo Angelo: Similis ero Altissimo: hæc autem non possunt intelligi de appetitu formali, quia tale iudicium esse non potuit in Angelo, vt dicit D. Thom. 1. part. quæstio. 63. sed solùm intelliguntur ex modo operandi, qua ratione virtualiter talem finem appetiuit: ergo appeti formaliter vel virtualiter, non facit vt plures vltimi fines habeantur magis, quàm si formaliter sint intenti. Secundò probatur ratione Diui Thomæ; nam siue intendantur formaliter, siue virtualiter, vel tenditur in vtrumque, vt in plenè satiatiuum; vel non: Primum est impossibile quòd duo distincti sint plenè satiatiui: Secundum verò tollit rationem finis: ergo siue formaliter, siue virtualiter appetantur, ratio Diui Thomæ retinet suas vires. Tertiò probatur, quia licèt oppositio inter habitum & actum sit indirecta, & non excludat coexistentiam, quando actus oppositus non infallibiliter infert habitum, vt in exemplo temperantiæ: tamen quando actus oppositus infallibiliter infert habitum, tunc tanta est incompossibilitas inter habitum & actum contrarium, sicut & inter ipsos habitus; vt patet in habitu erroris, & actu scientiæ; quia enim actus scientificus infallibiliter inducit habitum scientiæ ideò actus scientificus non potest esse simul cum habitu erroris contrario; sicut neque simul in illo esse potest habitus scientiæ; sed sic se habet tendentia formalis vel habitualis in vnum vltimum finem, & tendentia virtualis in alium, quia tendentia, etiam virtualis, infallibiliter inducit tendentiam habitualem: quando enim quis in aliquem vltimum finem conuertitur, etiam virtualiter, transacto actu manet habitualiter conuersus, quandiu per oppositum actum à tali fine non retrahitur: ergo sicut repugnat, simul formaliter vel habitualiter esse conuersum ad duos vltimos fines, ita repugnabit, simul esse conuersum ad illos, ad vnum formaliter, & ad alium virtualiter, vel ad vnum habitualiter, & ad alium actualiter.

Ezech. 28.

Esai. 14.

D. Thom.

Et si contrà facias argumentum; nam *Obiectio.* in pro-

in progressu iustificationis dantur duo vltimi finis simpliciter & absolutè respectu operantis: ergo conclusio præsuppo sita est falsa; Antecedens probatur, nam ex vna parte suppono, peccatorẽ qui iustificatur ante aduentum gratiæ habere pro vltimo fine creaturã, cui per peccatum conuersus est; ex alia verò parte probo, pro vltimo fine habere ipsum Deum, quia in illo priori naturæ, ante aduentum gratiæ, est contritio & dilectio; qui quidem actus sunt propter finem vltimum, non quidem creatum, quia essent peccata: ergo propter vltimum finem increatum, qui est Deus: ergo in illo priori iam assignantur duo vltimi fines respectu eiusdem operantis: *Solutio.* Respondetur, quòd possumus loqui vel de instanti temporis, vel naturæ: Si primo modo, tunc tantùm habet pro vltimo fine Deum; simul enim tempore est contritio & dilectio cum gratia & charitate, quæ respicit Deum vt vltimum finem, & tunc quidem nullo modo est peccatum, per quod sit conuersus ad creaturam: si autem de instanti naturæ loquamur, neque intelligitur conuersus ad Deum, neque etiam ad creaturam, sed intendentia in fieri ad Deum: itaque non potest in quocunque instanti temporis non esse conuersus ad aliquem finem, & tantùm vnum; bene tamen potest in aliquo signo rationis non intelligi conuersus ad aliquem finem, quia hoc non est illum non esse conuersum, sed me illum non considerare. Exemplum est de existentia materiæ primæ in instanti rationis præcedenti generationem; tunc enim non consideratur existens, cùm tamen nunquàm sit sine existentia.

2. Concl. Secunda conclusio. Bene potest aliquis tendere in duos vltimos fines adæquatos & non subordinatos, etiam formaliter & copulatiuè; si tamen tendat in vnum efficaciter & absolutè, in alium verò inefficaciter & secundùm quid. Hæc probatur in eo qui existens in peccato mortali, facit opus moraliter bonum; per illud enim tendit in Deum velut in vltimum finem, in efficaciter tamen & secundum quid; si quidem tali actione non relinquit neque auertitur à creatura, cui per peccatum est affectus; Similiter patet in eo qui existens in gratia, pecat venialiter; per peccatum enim veniale respicit creaturam, in efficaciter tamen, quia illa tendentia in creaturam, non sufficit illum auertere â Deo, quem respicit vt vltimum finem per Charitatem. Et ratio conclusionis est manifesta, quia nullæ duæ formæ adeò sunt oppositæ, vt non se compatiantur, altera simpliciter, & altera secundùm quid; vt patet in nigredine, & albedine: ergo licèt duo vltimi fines inter se habeant oppositionem, & completè & perfectè simul esse non possint; alter tamen simpliciter, alter verò secundùm quid, optimè compatiens tur.

Sed si contrà facias argumentum, *Obiectio.* nam cum fine vero & in re non compatitur alius vltimus finis, etiam secundùm quid in re existens: ergo cum vltimo fine apprehenso, & confícto non compatitur alius vltimus etiam in apprehensione, qui sit vltimus secundùm quid & imperfectè; Patet consequentia, nam sic se habet confictus vt vltimus in apprehensione, sicut se habet verus in existendo: Respondetur, quòd esse vltimum in re, est simpliciter & absolute *Solutio.* esse vltimum, & essentialiter esse fontem totius bonitatis, qua propter implicatio est ponere in re alium vltimum, etiam imperfectum & secundùm quid illi non subordinatum; esse autem vltimum confictum & ex apprehensione; est esse sumum bonum cum addito; quapropter apprehensio tribuens tali fini plenam rationem boni, non sic infallibiliter & inuariabiliter se habet, vt non possit aliqualiter non apprehendere alium vltimum in aliqua actione, licèt hoc sit imperfectè? itaque existentiæ vltimi finis repugnat existentia alterius vltimi, etiam imperfectè, quia esset destruere existentiam vltimi competentem illi essentialiter; apprehensioni autem vltimi non repugnat apprehensio alterius vltimi imperfecti; quia apprehensio non adeò efficax est, vt imperfectam contrariam secum non compaciatur. Et si contrà arguas, quia *Obiectio.* licèt hoc verùm habeat de apprehensione vltimi finis non veri, sed confícti, vt contingit in peccatore; non tamen habebit verum in apprehensone vltimi finis veri, vt contingit in iusto, qui apprehendit vt vltimum finem Deum;

in

in isto enim, cùm vltimus finis eius, sit vltimus, & secundùm rem, & secundùm apprehensionem, videtur, quòd extra ipsum, alium vltimum, etiam imperfectum, confingere non possit, & consequenter, quòd existens in gratia, peccare non possit venialiter, si peccatum veniale tendit, etiam imperfectè, in creaturam, velut in vltimum finem?

Solutio. Respondetur, quòd si quis apprehendit vltimum finem verum perfectè apprehendendo ipsum vt est in se, sic cum illo alius in re etiam imperfectus non compatitur, neque etiam in apprehensione: Vnde ex hac parte prouenit, Beatos in patria omnino esse impeccabiles, etiam venialiter; Viatores autem, etiam gratiam retinendo, venialiter possunt peccare; quia Beati non solùm respiciunt vltimum finem verum, sed etiam perfectè apprehendunt illum; quia vident illum sicut est in se; Viatores autem licèt finem verum respiciant apprehendunt tamen illum imperfectè, nempe per fidem & cognitionem obscuram & ænigmaticam: vnde etiam si gratiam retineant, aliqualiter & imperfectè in aliud, velut in vltimum finem secundùm quid, per venialia possunt declinare.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum à principio, respondetur rationes Diui Thomæ esse optimas & efficaces. Ad impugnationem primæ dicitur, quòd qua ratione probatur euidenter à D. Thoma, & Aristot. impossibile plures deos esse in re, quia de ratione Dei est esse summum bonum, quod pluribus & diuersis conuenire non potest; ita euidenter idem probatur de vltimo fine; nam vltimus finis vel est, vel apprehenditur vt Deus, saltem practicè, quia appehenditur vt summum & completum bonum, licèt in re falli possit. In loco autem Prouerbiorum loquitur de fine peccatoris prout in re; sic enim non satiat; quando tamen vt vltimus finis à peccatore præfigitur, vt plenè satiatiuum apprehenditur; quapropter vnum solùm potest intendere. Et

Impugn. si contrà dicas, quia non omnes cognoscunt istam rationem vltimi finis, quòd debeat esse plenè satiatiuus: ergo tales poterunt sibi præfigere diuersos

Solutio. vltimos fines: Respondetur, quòd licèt non omnis cognoscat id in actu signato, bene tamen in actu exercito; & hoc sufficit, vt plures vt vltimos sibi constituere non possit. Ad impugnationem secundæ rationis Diui Thomæ respondetur, quòd intellectus naturaliter tantùm fertur in vnum obiectum in communi, scilicet ens, & in particulari omnia prima principia, in quæ naturaliter tendit, ad vnum simpliciter primum reducit; vt verbi gratia, quodlibet est vel non est, de quo Sonci. 4. Metaphys. quæst. 31, Similiter & intellectus practicus omnia prima principia moralia ad vnum simpliciter primum reducit, quale est, Bonum est faciendum, malum verò fugiendum: sic ergo dititur de voluntate, quòd naturaliter fertur in vnum vltimum finem in communi; quale est beatitudo in communi; & in particulari similiter omnes fines singularium actionum ad vnum simpliciter vltimum reducit, in quem naturaliter tendit, si non absolutè (vt quando vltimus finis est confictus malitia operantis) ex suppositione tamen; suppositio enim quòd talis, vt vltimus finis, ab operante iudicatur, naturaliter in ipsum tendit quo ad specificationem, quatenus omnia quæ vult, necessariò in ordine ad illum debet velle. Ad impugnationem tertiæ rationis D. Thom. respondetur, quòd licèt immediatè illa ratione tantùm probetur de vnitate generica finis in communi, consequenter tamen probat de vnitate numerica; hoc est, quòd in singulari debeat constitui vnus vltimus finis tribuens rationem genericam omnibus actibus voluntatis terminatis ad fines particulares, ex quibus suam desumunt speciem: itaque sicut in communi ratio boni vt sic, est ratio generica respectu omnium quæ appetit voluntas; licèt etiam bonum vt sic, possit tribuere rationem specificam actui qui immediatè terminatur ad ipsum; vt cùm quis habet istum actum, Volo esse beatus; ita similiter define in singulari assignatur vnus vltimus, quem in re intendit voluntas consequi, à quo desumitur ratio generica omnium quæ in singulari voluntas appetit, licèt & rationem specificam possit tribuere actui qui immediatè ad ipsum vltimum finem terminetur, qualis est actus intentionis vltimi finis. Neque mirum,

quòd

quòd vna, & eadem ratio respectu diuersorum & tribuat genus & speciem; quia & vna ratio Angelica tribuit speciem, & rationem indiuidualem constituit.

Ad confir. Ad confirmationem respondetur, D. Thom. ibi loqui de intentione finium particularium; isto enim possunt esse diuersi; neque inter se ordinati, omnes tamen tendunt in vnum vltimum, vt probatum est.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum principale respondetur, Transeat antecedens, & negatur consequentia; & disparitas est, quia possunt dari duæ causæ tales efficientes subordinatæ alteri superiori & vniuersali, siquidem nulla causa efficiens, etiam si sit totalis, adæquat cum virtute causæ superioris & vniuersalis; vnde præter istam totalem, alia totalis esse poterit, in quam vniuersalis causa influat, sicut & in aliam præsuppositam; non autem sic potest dici de vltimo fine; posito enim vno fine vltimo, adæquat cum ratione superiori & vniuersalissima boni; quia, vt dictum est, requiritur quòd sit vel apprehendatur vt summum bonum, vt sit vltimus finis: vnde non restat ponere alium sub illa ratione vniuersalissima boni, quia non est quòd participet ab illa ratione superiori, quod iam in alio vltimo fine præsuppositò non sit expletum. Vnde licèt loquendo de finibus singularium actionum, possint constitui diuersi in ordine ad illum vltimum, quia nullus singularis adæquat cum vltimo; vltimus tamen multiplicari non potest, quia vnus semel positus adæquat cũ plena & vniuersalissima ratione boni: quod quidem etiam habet verum in efficientibus, licèt enim causæ secundæ multiplicari possint, quia nulla illarum adæquat virtuti primæ causæ; prima tamen causa vna tantùm esse potest, quia prima completè continet omnem rationem actiuitatis: itaque finis vltimus correspondet primæ causæ efficienti, fines verò particulares correspondent causis secundis. Probat ergo argumentum, quòd sicut possunt esse duæ causæ totales secundæ non subordinatæ inter se, ita similiter & duo fines particulares. Sicut autem prima causa efficiens multiplicari non potest, ita neque finis vltimus qui primo efficienti correspondet

2. Solut. Secundò tamen faciliùs respondetur, antecedens supponere falsum, vt ostenditur in Physicis esse impossibile dari plures causas totales non subordinatas eiusdem effectus?

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum respondetur, quòd appetitus hominis est duplex: alter naturalis; alter liber. Naturalis est prior; liber autem posterior, qui fundatur in naturali, & illum præsupponit. Prior appetitus est circa bonum in communi, quia in ratione boni in communi non apparet aliqua ratio mali, ex qua voluntas ab ipso possit diuertere: appetitus autem liber est circa bona singularia; quapropter in appetitu naturali circa bonum in communi, error esse non potest; in illo enim dirigitur ab Authore, naturæ; in appetitu autem libero, & applicatione vltimi finis particularis, potest esse error; hæc enim determinatio pendet ex discursu fallibili: sicut in scientia contingit quòd circa principia non sit error, bene tamen circa conclusiones, si non sit scientiæ dirigens discursum. Dico ergo, quòd etiam si appetitus naturalis vltimi finis in communi, sit rectus; in illo tamen qui fide non dirigitur, appetitus finis particularis vltimi erroneus esse potest: quapropter Gentiles Fide destituti rationem Deitatis increaturis ponebant: meliùs tamen instituti solùm vnum Deum adorabant, qualis fuit Socrates, de quo fertur, Athenis interisse causa negationis plurium Deorum: & Plato eius discipulus perpetuus fuit in hac sententia; solebat enim amicis suis, & maximè cuidam Dionysio scribere; Quando videris vel audieris in epistolis meis Deorum nomen, condescendo cum ignaro populo: at verò cùm nomen Dei videris, tecum sapienti, & mecum intelligenti loquor. Sed quia stultorum infinitus est numerus, diffusæ sunt Gentes in multiplicatione Deorum, de quibus vt soluatur argumentum propositum, dico, quòd illi colebant ex illis Dijs vnum præcipuum & maximum, vt Iouem; cæteros autem vt huic subordinatos, vt diuos quosdam, sicut nos Sanctos colimus, quibus tamen Deum præponimus superiorem: & secundùm hoc tantùm eis erat vnicus vltimus finis, nempe Deus cæteris omnibus præpositus: si autem neminem

præcel-

præcellebant, sed æqualiter omnes venerabantur, non vnumquemque vt vltimum existimabant, neque vt summum bonum, sed ex sua existimatione partita erat potestas inter tales Deos, vt alter dominaretur mari, alter esset Deus cœli; &c. Vnde omnes partialiter se habebant vt fines vltimi, ex quibus omnibus conflabatur vnum in ratione finis, & vltimi & plene boni. Dictum est autem, non esse inconueniens, plures vltimos fines partiales assignare.

Ad 4. arg. Ad quartum respondent aliqui, quòd quando existens in peccato, facit opus moraliter bonum, tale opus non est propter finem vltimum: sed hoc non potest stare cum Diuo Thoma asserente, omnem operationem esse propter vltimum finem. Alij dicunt, illud opus esse propter vltimum finem honestum ex parte ipsius operis; non verò ex parte operantis; cùm enim operans creaturæ per peccatum sit affectus, non curat dirigere illud opus in proprium vltimum finem honestum ipsius operis, neque in proprium prauum ipsius operantis; nam iam opus esset vitiosum, Sed hæc responsio etiam stare non potest cum D. Thom. non solùm dicente, omnem operationem esse propter vltimum finem, sed quòd operans in omni sua operatione agit propter vltimum finem. Vnde tertiò respondetur, operantem agere illud opus propter vltimum finem honestum, in efficaciter tamen; non enim sic in illum finem per tale opus conuertitur vt relinquat prauum cui erat affectus; quod requirebatur, vt in honestum efficaciter conuerteretur. Dictum est autem non esse inconueniens conuerti ad duo distincta, ad alterum efficaciter, ad alterum verò inefficaciter.

Ad 5. arg. Ad quintum argumentum, patet ex prima nostra conclusione.

Ad 6. arg. Ad sextum argumentum. Aliqui respondent, casum esse impossibilem, quòd iudicetur Deus practicè vt præpositus pecunijs, si pecuniæ sunt præpositæ mulieri; cùm aliàs mulier sit præposita Deo; si quidem ratione delectationis illius

Impugn. transgreditur diuinum præceptum: sed certè casus est possibilis, & quotidie contingit, vt qui affectus mulieri non vult tribuere centum argenteos, liberaliter illos tribuat in eleemosynam, verbi gratia alicuius pij ædificij: Vnde omissa hac non solutione, Magister Medina respon- 1. *Solut. Medinæ.*
det tripliciter. Primò, quòd licèt absolutè videatur per illam consequentiam inter mediam sequi, Deum esse plus dilectum quam mulierem, ex surreptione tamen liberi arbitrij & per accidens, bene stat, Deum esse præpositum pecunijs, & pecunias mulieri, non tamen Deum mulieri. Secundò respondet, quòd in illo ca- 2. *Solut.*
su non diligitur Deus efficaciter, sed inefficaciter; Si quidem ex amore eius mulierem non deseruit: vnde non sunt duo fines efficaciter intenti. Sed hæc solutio *Impug.*
non plenè soluit argumentum; quia non explicat, qualiter Deum non efficaciter diligat, qui Deum præponit his quæ mulieri præponuntur; quam tamen efficaciter intendit. Tertiò respondet, quòd 3. *Solut.*
tunc secundum diuersam rationem plus & minus Deus diligitur, secundùm quidem vnam rationem plus Deus diligitur; si quidem ratione illius tribuit pecunias præpositas mulieri; secundùm verò aliam rationem minus Deus diligitur; si quidem ratione mulieris transgreditur diuinum præceptum, quod est, Deum in ratione legislatoris contemnere non ergo facit ille talis Deum vltimum finem, quia non proponit Deum alijs secundùm omnem rationem; quod requiritur ad rationem vltimi finis. Hæc etiam so- *Impugn.*
lutio non adæquat argumento, nam eadem ratione neque delectatio venerea erit vltimus finis illius hominis, si quidem non est omnibus alijs præposita secundùm omnem rationem; si quidem, vt concedit solutio, secundùm aliquam rationem Deus mulieri est præpositus. Quartò alij respondent, quòd ille ope- 4. *Solut.*
rans potest habere illos actus, vel simul, vel successiue in diuerso tempore. Si quidem in diuerso tempore habeantur, argumentum non habet vires; postquàm enim quis prætulit istud alteri, potest alio tempore successiuo alterum præferre isti; quia diuerso tempore pro suo libito vltimum finem potest immutare; si autem simul omnes illi actus habeantur (inquit ista solutio) neque habet rationem vltimi finis Deus, neque pecunia, neque mulier, sed expletio propriè voluntatis, quam exercet in eo quòd modò præferat mulierem Deo, modò pecunias mulieri, modò verò Deum pecunijs. Sed certè hæc *Impugn.*
etiam solutio non satisfacit, quia pri-

ma pars solutionis haberet verum, si quando post modùm Deum præfert pecunijs, sic efficaciter præferret, quòd retraheretur à quocumque alio vltimo fine, & illum poneret in Deo, sic enim bene potest esse; si quidem vltimum finem prolibito potest mutare. Sed argumentum non currit, nisi supponendo à priori fine non retrahi. Secunda etiam pars solutionis stare non potest; dicere enim, quòd illa tria ordinantur vt ad vltimum finem in expletionem voluntatis, est dicere, largitionem illius eleemosynæ non esse bonam: vnde tollit hypothesin argumenti, supponimus enim, illum actum esse bonum & propter Deum, & tunc habet vires, & restat soluendum argumentum.

His ergo omissis, respondetur meo videri vera solutione, quòd ille qui intendit delectationem veneream, non habet illam pro vltimo fine simpliciter, sed datur alius vltimus totius vitæ, ad quem delectatio venerea, & obiectum cuiuscumque alterius peccati mortalis ordinatur, & qualis ille sit, monstrabitur in subsequentibus. Dico ergo, quòd facta comparatione Dei ad delectationem veneream, quæ finis tantùm est intermedius, non mirum quòd secundùm aliquam rationem Deus præponatur delectationi, & secundùm aliam rationem delectatio præponatur Deo; ex hoc enim tantùm sequitur, neutrum esse finem vltimum simpliciter loquendo; facta autem comparatione Dei ad vltimum finem simpliciter illius peccatoris, nullo modo præponitur Deus tali fini, sed talis finis omnibus alijs absolutè, etiam Deo, præponitur. Vt ergo argumentum probaret, respectu illius hominis Deum esse vltimum finem, deberet probare, Deum esse præpositum, non huic vel illi fini particulari, sed fini simpliciter vltimo illius hominis; quod non probatur, quia licèt retrahatur à fornicatione, vt faciat eleemosynam, non tamen retrahitur à fine vltimo, ad quem per peccatum est conuersus; quia vt supponimus, etiam si velit eleemosynam facere, manet in peccato, nec iustificatus.

Ad 7. arg. Ad septimum argumentum respondetur quod qui plura peccata mortalia committit tantum habet vnicum vltimum finem ad quem omnia alia ordinantur vt infra explicabitur licèt ex proprijs & immediatis obiectis talia peccata disparata sint neque habeant connexionem.

Ad 8. arg. Ad octauum argumentum respondetur, quòd, vt dicitur 1. part. quæst. 63. artic. 1. Angelus auertendo se à Deo vltimo fine supernaturali, auersus est etiam à Deo vltimo fine naturali: illi enim duo fines connexi sunt adinuicem propter subordinationem vnius ad alterum; vnde non potest à supernaturali auerti, manendo conuersus ad finem naturalem, vt infrà amplius disputabitur contra Caietanum.

Ad 9. arg. Ad nonum argumentum respondetur, quòd per peccatum veniale non ponitur vltimus finis in creatura; sed talis actus vel fit propter Deum habitualiter & non actualiter, vel refertur in Deum secundùm rationem communem delectabilis, licèt non secundùm rationem particularem secundùm quòd finis est Charitatis: vel si refertur in creaturam, est imperfectè & secundùm quid quapropter ex nullo capite probatur, peccantem venialiter, si aliàs existit in gratia, habere simpliciter vltimum finem extra Deum. Sed de hoc ad longum videatur infrà quæst. 88. vbi nos de hoc late agimus.

Ad 10. arg. Ad vltimum argumentum, aliqui moderni dicunt, quòd si obiectum alicuius virtutis ad finem vltimum totius vitæ referatur, perditur honestas virtutis, cùm sit de ratione eius, non fieri propter aliud. Sed certè isti nimis falluntur; quia obiecta virtutum à natura ipsa sunt ordinata ad vltimum finem: vnde mirum est, quòd homo dirigat obiectum virtutis ad finem vltimum ad quem natura dirigit, & per hoc auferat honestatem ipsius virtutis, quia conformatur naturæ illius: Respondetur ergo, quòd Arist. intelligit de alijs finibus particularibus; obiectum enim virtutis ad nullum finem particularem ordinari debet; non autem negauit, quòd ad finem vltimum debeant ordinari: Nec propter hoc falsificatur, quòd appetatur propter honestatem ipsius virtutis.

DVBIVM. II.

Vtrùm qui peccat mortaliter, constituat vltimum finem in creatura.

1. *Arg.* PRobatur quôd non. Primò, ex D. Thom. infrà artic. 6. & 7. dicente, quôd homo, etiam peccator, in omni sua operatione agit propter Deum vt propter vltimũ finem: cùm ergo aliàs dixerit, plurimos vltimos fines habere non posse, consequenter etiam in operatione mortali, in creatura vltimum finem non constituet.

2. *Arg.* Secundò: Si aliquis habeat amicum, & regulariter faciat eius voluntatem, si semel non faciat illam, sed exequatur voluntatem alterius, non soluit amicitiam: ergo similiter respectu Dei, qui seruat verbi gratia, nouem mandata, non adimplens decem semel, non amittet amicitiam & charitatem Dei: ergo retinet Deum vt vltimum finem, quatenus à charitate respicitur, & consequenter per illud peccatum non posuit vltimum finem in creatura: si quidem simul duos habere non potest. *Conf.* Confirmatur; nam si filius semper obediens Patri ad liberandum aliquem à morte quam pater vult inferre, inobediat patri, non dicetur plus diligere alium quàm patrem: ergo qui semper Deo est obediens, semel in obedientiam committens ratione alicuius creaturæ, non dicetur plus diligere creaturam, neque in illa constituere vltimum finem.

3. *Arg.* Tertiò arguitur: Qui habens Fidem paratus pro illa mori, committit fornicationem, propter quam vitam periculo non exponeret, non plus diligit creaturam, quàm Deum: ergo non ponit in creatura vltimum finem, de cuius ratione est plus esse dilectum omnibus. Antecedens probatur, nam in illo casu exponit vitam pro Deo, & non pro creatura: ergo non plus diligit creaturam, quàm Deum, quia maiorem charitatem quis non habet, quàm vt animam suam ponat, &c.

4. *Arg.* Quarto argumentor. Quando quis peccat ex ignorantia crassa & vincibili, existimans se obsequium præstare Deo, vt Paulus in persequutione Ecclesiæ; iste talis non plus diligit creaturam: ergo non ponit vltimum finem in illa. Antecedens probatur, quia non peccat ex amore creaturæ, sed potiùs ex amore Dei.

5. *Arg.* Quinto argumentor. Qui peccat mortaliter, non habet creaturam pro fine vltimo vero, neque apparenti: ergo nullo modo. Prima pars antecedentis patet, quia solus Deus est finis vltimus verus. Quòd etiam non sit apparens, probatur quia non potest esse apparens, nisi iudicetur esse summum bonum: hoc autem peccator non iudicat de creatura, nam esset hæreticus: ergo non etiam est apparens vltimus finis. *Solut.* Si respondeatur, quòd non iudicat creaturam esse summum bonum iudicio speculatiuo, bene tamẽ practico, quatenus in exercitio sic se habet tendendo in creaturam acsi esset vltimus finis; si quidem ratione illius omnia alia, etiam Deũ, derelinquit: *Impug.* Contrà argumentor, quia ad iudicium practicum supponitur speculatiuum, sicut intellectus speculatiuus supponitur ad practicum, extensione enim fit practicus: ergo si nõ est in peccatore iudicium speculatiuum de summa bonitate creaturæ (qua ratione eximitur ab hæresi) neque etiam erit iudicium practicum sufficiens constituere creaturam vltimum finem.

6. *Arg.* Sextò argumentor, quia cùm quis peccat cum spe venię, sperans quôd non moriatur sine Sacramentis; si enim existimaret oppositum, non peccaret; iste non habet vt vltimum finem creaturam, quia non derelinquit Deum nisi ad tempus: ergo nõ omnis qui peccat mortaliter, ponit vltimum finem in creatura absolutè.

7. *Arg.* Vltimò argumentor, nam ex opposita sententia sequeretur, quòd amor ordinatus amici, esset peccatum mortale: consequens est falsum: ergo. Sequella probatur, nam si quis sit affectus ad furtũ, quôd tamen omittat præcibus amici, cùm tamen non omitteret ex Dei præcepto, tũc quidem ille videtur plus diligere amicũ, quàm Deum, & consequenter mortaliter peccare in amicitia eius. Propter hæc argumenta tenuit hanc sententiam Adrianus quodlib. 7. art. 3. *Adrianus.*

1. *Concl.* Prima conclusio. Qui peccat mortaliter, ponit vltimum finem in creatura. Hæc conclusio non solùm est communis Thomistarum, sed omniũ scholasticorũ, quos citat hic Salas tract. 1. disp. 8 *Salas.*

sect. 3. qui quidem sequuntur D. Thom. quæst. 88. artic. 1. asserentem, peccatum mortale dici mortale, quia destruit principium vitæ spiritualis, videlicet ordinem ad finem vltimum, qui est Deus; & solutione ad 4. expresse asserit, poni per peccatum mortale finem in creatura: & idem ait quæstione 7. de malo, *Scot.* artic. 1. cum quo etiam tenet Scotus in 1. d. 1. quæst. vltim. artic. 3. & in 2. d. 6. quæst. 1. Vnde opposita sententia Adriani non caret temeritate. Probatur *Matth. 10.* primo Matthæi 10. Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus; vbi Ambrosius explicat, quòd per nimium amorem in ordinatum parentum, plus Deo diliguntur & consequenter in eis ponitur vltimus finis. *Ioann. 12.* Similiter Ioannis 12. dicitur, quòd multi ex principibus crediderũt in eum, sed tamen publicè non confitebantur eum propter Pharisæos, ne â synagoga eijcerentur; dilexerunt enim plus gloriam hominum, quàm gloriam Dei: Ecce quo modo de peccantibus dicitur plus diligere creaturam, quàm Deum, & consequenter creaturam habent vt vltimum finem: hoc enim est plus esse dilectum *ad Ephes. 5.* alijs, & clariùs ad Ephesios 5. dicitur de auaricia, quòd est idolorum seruitus, & cap. 3. dicit de intemperatis, Quorum Deus venter est. Si ergo prædicti peccatores habent vt Deum & idolum creaturam, respiciunt illam vt vltimum *Ierem. 2.* finem. Item Ieremiæ 2. dicitur de peccatoribus, Me derelinquerunt fontem viuum, & foderunt sibi cisternas veteres, quæ aquas non valent continere. Ecce qualiter clarè dicit, peccatorem recedere à Deo vt ab vltimo fine, illumque in creatura constituere: si quidem illa intendit satiari; quod est proprium vltimi finis: quod meliùs explicare nequiuit, quàm exemplo aquæ respectu sitientis. Dicere ergo, quòd peccator quærit creaturam quasi sitiens quærit aquas, idem est ac dicere, quòd quærit creaturam vt satiantem & vltimum finem. Videatur Chry- *D. Chrysl.* sostom. homil. 22. in Matth. Hiero- *D. Hieron.* nym. super capit. 14. Ieremiæ. Secundo probatur ratione conclusio. Qui peccat mortaliter, diligit creaturam & odit Deum: ergo habet pro fine creaturam & non Deum. Probatur antecedens, nam vt dicitur 1. Ioannis 5. Hęc est Charitas Dei, vt mandata eius custodiamus. Et rursus, Qui dicit se nosse Deum (hoc est diligere) & mandata eius non seruat, mendax est: ergo qui mortaliter peccat, non diligit Deum, sed creaturam. Tertiò probatur. Quando quis peccat mortaliter, ille actus est propter vltimum finem, non propter Deum: ergo propter creaturam: ergo in illa ponit vltimum finem. Probatur minor, quia malum non est referibile in Deum, cùm sit summa bonitas. Tandem hæc est doctrina Augustin. 14. de Ciuitate, cap. *Aug.* 28. & lib. 83. quæstionum quæst. 3. & 20. & 30. & 2. confessionum capit. 5. & 15. de Trinit. cap. 22. vbi in hoc ponit malitiam, quòd quis fruatur vtendis, & vtatur fruendis: sentit ergo, quòd peccator fruitur creatura, & vtitur Deo & consequenter quòd ponitur vltimus finis in creatura, in Deo verò ratio medij, si quidem fruitio est de fine, vsus verò de medio. Et nota, *Not.* quòd quando dicimus, creaturam esse vltimum finem peccatoris, non solùm intelligimus negatiuè, quatenus per illum actum non tendit in Deum vt in finem, sed loquimur positiuè; sic enim tendit in creaturam, vt ordinet in illam quid quid vult; neque ad hoc requiritur, quòd in actu signato apprehendatur creatura vt vltimus finis, vt dictũ est, sed sufficit in actu exercito, sicut bonum in communi certum est esse vltimum finem, cùm tamẽ nõ semper operans consideret de illo in actu signato: Immò sioperãs in actu signato cõsideraret creaturã vt vltimum finem, Gentilis esset, vel hæreticus. Quapropter in vanum laborat Salas *Impug. Salas.* hîc, curans concordare Adrianum cum alijs scholasticis, quòd Adrianus loquatur de fine vltimo propriè loquẽdo; cæteri verò loquantur metaphoricè: falsum enim asserit, nam omnes propriè loquendo asserunt, non solùm metaphoricè, sed propriè constituere peccatorem vltimũ finem in creatura, quia licèt non habeat illam in actu signato, & per iudicium speculatiuum, vt Deum bene tamen practicè ex modo operandi, vt dictum est: Vnde ex hac parte sententia Adriani est temeraria; nam si intenderet, quòd nõ ponit finem vltimum in creatura, ad hunc sensum quòd non derelinquit Deum soluendo amicitiã eius & recedẽs ab illo.

non

non solum temeraria, sed hæretica esset, vt probant loca sacræ Scripturæ adducta. Hæc doctrina communis est, & ab omnibus acceptatur; est tamen magna disidentia inter Doctores in assignando vltimum finem creatum, quem peccator in operando proponat.

1. Sent. Conrad. Prima quidem sententia est Conradi hîc, vltimum finem peccatoris esse aggregatum obiectorum omnium peccatorum mortalium, & quodlibet per se esse tantùm vltimum finem partialem & in adæquatum; cui sententiæ *Vazq.* adhæret Vazquez hic d. 5. cap. 1. & 3. Superaddit tamen, quòd licèt finis, cuius gratia peccator operatur, in omnibus peccatis sit illud aggregatum: tamen obiectum cuiuscumque peccati, est finis vltimus ipsius operis, & etiam operantis, quatenus ratione cuiuscumque obiecti mortalis Deum derelinquit, & amicitiam cum illo dis- *Impugn. Vazq.* soluit. Sed certè quod superaddit Vazquez, impertinens est, & falsum, etiam si approbetur à Salas; nam licèt obiectum sit finis proximus, & immediatus operis, non tamen semper est vltimus; nam & ipsum opus ex propria ratione vlterius potest ordinari. Dicere etiam, quòd obiectum cuiuscumque mortalis, sit finis vltimus operantis, quatenus ratione illius Deum derelinquit, est nuturam vltimi finis non intelligere, de cuius ratione est, vt sæpe diximus, quòd gratia illius cætera omnia fiant: si ergo gratia cuiuscumque obiecti mortalis in particulari non cætera omnia fiunt, impropriissimum est, obiectum cuiuscumque mortalis in particulari, alia ratione quàm prædicta finem vltimum appellare. Omisso ergo hoc authore, sen- *Impug Cõ rad.* tentia Conradi impugnatur; nam quando quis committit primum peccatum mortale, tunc vel operans habet vltimum finem, vel non. Necessario debet dici primum, quia omne operans propter vltimum finem operatur: tunc ergo inquiro; Vel habet pro vltimo fine obiectum immediatum illius peccati, vel aliquid aliud: non potest dici primum, nam adueniente secundo peccato, non operatur propter obiectum prioris, suppono enim secundum peccatum disparatè se habere ad primum: ergo obiectum prioris non erat vltimus finis. Patet consequentia, nam vltimus est, cuius gratia omnia, &c. neque potest dici, per aduentum secundi peccati mutasse finem vltimum; vnde licèt prius haberet pro fine vltimo obiectum primi peccati, modò tamen habet pro fine vltimo aggregatum vtriusque. Non (inquam) valet hoc dicere, quia semel propositus vltimus finis, non excluditur nisi per contrarium, vt patet in justo amittente gratiam, vel peccatore se conuertente; sed vt supponimus, secundum peccatum disparatè se habet ad primum: ergo per secundum peccatum non destruitur finis vltimus peccati prioris: restat ergo, finem vltimum prioris peccati, esse aliquid aliud quàm proprium eius obiectum, ad quod quidem tam primum, quàm secundum peccatum ordinentur. Et si hoc dicatur, sic argumentor. Finis vltimus primi & secundi peccati est idem: sed finis vltimus prioris peccati non erat aggregatum: ergo neque etiam finis vltimus primi & secundi simul. Probatur minor; nam quando patratum est primum peccatum, erat vltimus finis eius; cùm tamen aggregatum non esset; quia secundum peccatum non aduenerat: ergo finis vltimus omnium peccatorum non est aggregatum, neque proprium obiectũ cuiuscumque mortalis, sed debet assignari aliquid propositum in patratione primi peccati, in quod cætera superuenientia etiam ordinentur.

Secunda sententia vera & tenenda est *2. Sent. vera. Caiet.* Caiet. hîc & infrà q. 87. art. 4. quòd vltimus finis peccatoris in omnibus suis peccatis est ipsemet peccator; quam existimo etiam esse D. Thom. eodem loco di- *D. Thom.* centis, quòd omne peccatum mortale ortum habet ex proprio amore; quod etiã desumpsit ex Augustino 14. de Ciuitate c. 28. dicente, quod amor sui vsque ad cõtemptum Dei, ædificat Ciuitatem Babylonis. Hinc ergo sumitur argumentum: Omnes actus voluntatis originantur ex intentione finis; quia sicut finis est vltimus in exequutione, ita est prior in intentione: sed D. Thom. asserit, omnes actus peccaminosos originari ex amore proprio: ergo sentit, proprium amorem esse vltimum finem quem sibi peccator proponit in omnibus suis

peccatis. Confirmatur, nam ille est finis vltimus, cuius gratia cætera fiunt: sed omnes actiones peccaminosæ fiunt gratia ipsius peccantis, ordinando omnia illa in propriam delectationem & expletionem propriæ voluntatis: ergo in omnibus actionibus peccaminosis est propositus ipse peccator vt vltimus finis.

Obiectio. Sed arguunt Contrarij: nam alius est finis cui, & alius est finis qui: finis enim cui, vt nomen sonat, est subiectum cui vltimus finis desideratur obtinendus: Finis autem qui, est id quod desideratur obtinendum; sed peccator ipse est finis cui: ergo aliquid aliud debet assignari vt finis qui. *Solut.* Respondetur, non requiri, huiusmodi fines esse distinctos realiter, sed sufficit formaliter: Vnde peccator & est finis cui in ratione subiecti, & est finis qui in ratione intenti & terminantis actiones peccaminosas. *Obiectio.* Et si contrà arguas, nam peccator non potest habere rationem intenti, & desiderati: ergo non potest habere rationem finis vt qui. Antecedens probatur; nam intentum & desideratum nondum est obtentum, sed nititur obtinendum: ipse autem peccator cùm iam sit ante peccatum, non potest habere rationem obtinendi per peccatum. *Solut.* Respondetur, quòd licèt materialiter & in esse physico præsupponatur peccator; subsequitur tamen formaliter in ratione termini illorum peccatorum; formaliter (inquam) in exaltatione honoris vel diuitiarum, &c. quod clarius dicitur, restat obtinendus vt affectus passionibus apparentibus, quæ sunt in bonis commutabilibus, & obiectis illorum peccatorum, itaque sicut in Patria licèt obtineatur Deus per visionem beatificam potest tamen aliter vel alio modo obtineri per actiones liberas quæ sunt extra Verbum; ita similiter peccator semel possessus, vel existens, aliter vel alio modo per actum peccatorum potest obtineri. *Obiectio.* Et si rursus arguas, quia sequeretur, finem vltimum spei esse ipsum sperantem; si quidem est finis cui, & potest subsequi vt affectus visione beatifica; hac ergo ratione erit finis qui: hoc autem est falsum, si quidem finis virtutum Theologicarũ solus est Deus: ergo doctrina tradita est falsa: *Solut.* Respondetur, motum spei esse actum rectum; vnde licèt habeat ipsum hominem vt finem cui; non tamen vt qui; sed talis est Deus intentus & obtentus ab ipso homine, quia & visionem beatificam, & se ipsum beatificatum appetit propter Deum; motus autem peccati cùm sit motus obliquus & deprauatus non mirum vtrumque confundere, faciendo ex fine cui, finem qui. *Obiectio.* Etsi rursus arguas, Quia hoc non est assignare finem vltimum in particulari; sed in communi: ergo vltra peccantem alius finis vltimus debet assignari in particulari. Antecedens probatur, Quia velle sibi bonum in omnibus, non amplius est quam velle bonum absolutè & in communi: *Solut.* Respondetur, finem vltimum & bonum in communi continere non solùm delectabile vel vtile, sed etiam honestum, & ipsum Deum: peccator ergo tendendo in se ipsum, non tendit in bonum in communi, prout in communi, quia bonum honestum & ipsum Deum à sua operatione excludit, vnde ponit se ipsum vt finem vltimum in particulari, in quo falso existimat, prasticè rationem boni in communi reperiri.

Notandum tamen circa prædictam sententiam, quòd quando dicimus, ipsum peccantem esse finem vltimum sui ipsius, intelligitur, quando non formaliter & expressè, sed tantùm in exercitio & practicè de fine considerat; nam posita formali consideratione, in alio quàm in se ipso, potest ponere, immo & ponit rationem vltimi finis; hoc enim insinuat D. Thom. hîc, dum ait, peccatorem successiuè plures vltimos fines posse sibi constituere: quod non haberet verum, si per explicitam considerationem in alio quàm in se ipso rationem vltimi non posset contingere: & id etiam patet in eo qui adorat idòlum, & sibi vt Deum constituit; immò semper, si explicitè & formaliter consideret de fine, in alio quàm in se ipso debet collocare; quia formaliter non potest habere iudiciũ, quòd in ipsomet ratio pleni boni reperiatur. *Noi.*

Ad primum argumentũ à principio, respondetur, D. Thom. loqui de vltimo fine in re satiante; talis enim extra Deũ reperiri nõ potest; nõ autẽ loquitur de confecto & apparenti: aliud enim quàm *1. Arg.*

quàm Deum peccator velut vltimum finem potest quærere; mentietur tamen iniquitas sibi, & dum existimat illo satiandum, vacua apparebit anima eius.

2. *Arg.* Ad secundum argumentum respondetur, hanc esse differentiam inter amicitiam Dei & hominum, quòd illa consistit in indiuisibili, ista verò habet latitudinem; vnde licèt amicitia humana non amittatur per vnum actum, bene tamen diuina, iuxta illud Iacobi; Qui offendit in vno, factus est omnium reus: ac si dicetur, quòd ad amissionem diuinæ amicitiæ sufficit transgressio vnius præcepti; 2. *Sol.* ac si omnia transgrederetur. Secundò respondetur, quòd amicitia humana non perditur per vnum actum contrarium leuem; si autem sit grauis, etiam per vnum actum dissoluitur: sic ergo dicendum de amicitia diuina, quòd per actum contrarium leuem, qualis est veniale, non dissoluitur; bene tamen per actum grauem, qualis est transgressio mortalis, quodlibet enim, quantuncumque minimum, mortale, actus grauissimus est, si quidem ratione illius postponitur Deus creaturæ, & quantum est ex parte peccantis, tollitur à Deo Deitas, & ponitur in creatura; vnde non mirum, quòd per quodlibet mortale amicitia dissoluatur. Et per hoc patet ad Confirmationem, si enim filius, etiam vt alium à morte liberaret, grauiter offenderet patrem, non mereretur dilectionem patris.

1. *Solut.* Ad tertium argumentum respondet Medina, quod in illo casu diligitur plus Deus intensiuè, creatura verò plus appretiatiuè; sicut mulier plus intensiuè multoties diligit canem, quàm maritum appretiatiuè tamen plus maritum; nam occasione habita amittendi aliquid illorum, plus vellet amittere canem, quàm maritum; cùm ergo amor appretiatiuus sit maioris ponderis, absolutè dicendum est, illum plus diligere creaturam, quàm *Impug.* Deum. Sed hæc solutio licèt veram doctrinam contineat, non soluit argumentum, quod procedit intra idem genus amoris appretiatiui, quòd plus diligatur Deus, quàm mulier: si quidem pro Deo amittitur vita, quæ pro muliere 2. *Solut.* non amitteretur. Alij ergo respondent, quòd ille actus defensionis Fidei potest considerari dupliciter, primò, vt est bonum Dei; secundò, vt est bonum hominis: tunc ergo habetur talis defensio Fidei vt proprium bonum, non autem vt diuinum, vnde ex proprio amore ortum habet illa defensio, & consequenter non ponitur vltimus finis in Deo. Hæc solutio quæ non est tenenda, impugnatur ab aliquibus, quòd cùm propter illam defensionem Fidei amitta tur vita, non potest dici, oriri ex proprio amore, qui maximè consistit in eo quòd propria vita conseruetur. Sed hæc impugnatio nulla est, quia licèt per amissionem vitæ amittatur proprium bonum materialiter & realiter, bene tamen formaliter & in existimatione practica operantis, cum amissione vitæ prium bonum potest permanere; vt cùm quis indefensionem honoris vitam amittit. Vnde vera impugnatio solutio- *Impug.* nis prædictæ est, nam sequeretur, quòd tunc ille actus defensionis Fidei esset peccatum, si ex proprio amore oriebatur; quod vtique falsum est. Si respon- *Solut.* deatur, illum actum defensionis Fidei non esse malum, neque habere pro vltimo fine ipsum operantem, quia licèt oriatur ex proprio amore, hoc tamen non est per relationem actualem, sed per habitualem, quatenus operans habitua- *Impugn.* liter est affectus proprio bono: Contrà hæc responsio nulla est; tùm nam ille actus, vel refertur actualiter in Deum, vel solùm habitualiter in proprium bonum. Si primum, restat soluendum argumentum, quomodò in Deo non ponat vltimum finem, si actualiter in ipsum refertur cum contemptu etiam propriæ vitæ. Si autem dicatur secundum, non euaditur impugnatio, quòd ille actus malus erit; si quidem non habet aliam relationem quàm malam, habitualem in bonum commutabile & proprium commodum. Tùm etiam impugnatur responsio; nam cùm proprius amor exercitus in illa fornicatione, non ante ponat illam propriæ vitæ; qualiter defensio Fidei præpositæ propriæ vitæ, potest oriri ex proprio amore non contemnente vitam; maius enim ex minori originari non potest habitualiter vel virtualiter, illa autem Fidei defensio postponens vitam, maior est quàm amor fornicationis non vitam postponens: ex amore ergo proprio, Fidei defen sio oriri non potest. Tertio ergo alij res- 3. *Solut.* pondet principali argumento, huiusmodi

actum defensionis fidei dupliciter contingere; primô, in præparatione animi secundùm actum interiorem: secũdô autem in re, & secundũ actum exteriorem moriendi pro Fide. Si primo modo contingat, ille actus est inefficax, quia neq; oritur à fortitudine, neque dirigitur à Charitate, cùm supponamus, operantem esse in peccato mortali, sed est quædam veleitas, quæ adueniente occasione moriẽdi fortê deficeret. Si autem loquamur secundo modo, dicit ista solutio, quôd talis actus non cõpatitur secũ conuersionẽ ad bonũ commutabile; sed eo ipso quòd pro Fide moreretur recederet à creatura & conuerteretur in Deum; per actum enim martyrij iustificaretur in illo casu.

Impugn. Sed hæc etiã solutio non soluit argumentũ: licèt enim pie credatur, quòd qui subijt pro Fide mortẽ, recipit auxilium efficax vt conuertatur in Deũ; posset tamẽ cõtingere oppositũ, & quòd moreretur pro Fide, & nihilominus suo peccato in-

D. Paul. hæreret, iuxta illud Pauli: Si tradidero corpus meũ, ita vt ardeat charitatem autẽ non habuero, nihil sum, & tunc in illo casu currit argumentũ propositũ à principio. Vltimo ergo & verè respõdetur per

4. Solut. Vera. supradicta, quòd licèt tunc ille moriatur pro Deo secundũ rationẽ particularẽ boni, qualiter est obiectum Fidei, nihilominus non moritur pro illo secundũ omnẽ rationẽ boni, quatenus finis est Charitatis: Vnde per illum actũ nõ respicit Deũ vt finẽ vltimũ, quia vt sic non potest respici ab illo actu nisi Charitate directo: vnde ex hypothesi quòd ille actus Charitate nõ dirigatur, operans nõ Deo, sed creaturæ vt vltimo fini manet affectus; & si quæ tendentia est in Deũ per illũ actum deffensionis Fidei, est imperfecta, non retrahẽs peccatorẽ, neq; faciẽs quòd peccator creaturę vt vltimo fini nõ adhęreat.

Ad 4. arg. Ad quartũ respondetur, in illo casu habere pro vltimo fine creaturã, decipiturque existimans se tendere in Deum. Et si inquiras, quod nam sit cõmutabile bonũ, in quod tunc fit conuersus; Dico, esse illud, ex cuius affectu & occasione est negligens in inquirendo quæ teneba tur scire: si quidẽ, vt supponimus, est vincibilis & crassa ignorantia.

Ad 5. arg. Ad quintũ argumentum resdõdetur, quòd intellectus speculatiuus licè præsupponatur ad intellectum practicum, non tamen iudicium speculatiuum ad iudicium practicum, sed potest indifferenter in quodlibet immediatè exire. Et *Obiectio.* si dicas, quod ex eo præsupponitur intellectus speculatiuus, quia prius est cognitio rei, quàm bona vel mala existimatio eius, quæ pertinet ad practicum; sed idem currit de iudicio: ergo sicut supponitur intellectus speculatiuus, ita & iudicium speculatiuum: Respondetur, hoc *Solutio.* probare, ad iudicium practicum præsupponi apprehensionem speculatiuam; nõ tamen requiritur quòd de illa iudicet.

Ad sextum argumentum respondetur, probare, quòd si ille sciret non habere certitudinem vitæ, non peccaret, nec poneret vltimum finem in creatura; de facto tamẽ ponit illum in illa, plus enim çstimat creaturam ad quam certô cõuertitur, quàm Deum ad quem vt conuertatur, in tanta contingentia relinquit; cùm nec certus fit deuita, nec etiam de auxilio efficaci vt resurgat, etiam si vita duret: vnde ille licèt vanè sperat vt transacto tempore iterum reponet vltimum finem in Deo, modò tamen de facto reponit illum in creatura. *Ad 6. arg.*

Ad vltimum argumentum respondetur, quôd in illo casu diligit plus amicum quàm Deum, negatiuè, nõ positiue, quatenus non facit pro Deo quod facit pro amico. Vt autem plus diligeret positiuè, requirebatur, quòd ratione amici separatur à Deo, quod non facit: Vnde illa dilectio amici bona est, licèt ille actus quo ratione amici aliquid facit quod non faceret pro Deo, sit malus: itaque actus dilectionis amici bonus est; actus tamen ortus ex ista dilectione, vt quãdo facit pro amico quod non faceret pro Deo, malus est. *Ad 7. arg.*

ARTICVLVS VI.

Vtrùm omnia quę vult homo velit propter vltimum finẽ

AD sextum sic proceditur. Videtur, quôd non omnia quæcumque vult homo, propter vltimum finem velit. Ea enim quæ ad finem vltimum ordinantur, seriosa dicuntur, quasi vtilia: sed iocosa â serijs distinguuntur: *Inf. q. 60. artic. 2. col. & 4. dist. 49. q. 1. art. 3. q. 4. & 1. con. cap. 100.*

tur: ergo ea quæ homo iocosè agit, non ordinat in vltimum finem.

2. Prætereà Philosophus dicit in principio * Metaphysic. quòd scientiæ speculatiuæ propter se ipsas quæruntur: nec tamen potest dici quòd quælibet earum sit vltimus finis: ergo non omnia quæ homo appetit, appetit propter vltimum finem.

Cap. 2. non lõge â princ. tom. 3.

3. Prætereà. Quicumque ordinat aliquid in finem, cogitat de illo fine: sed non semper homo cogitat de vltimo fine in omni eo quod appetit aut facit: non ergo omnia homo appetit aut facit propter vltimum finem.

Sed contra est, quod dicit * August. 19. de ciuit. Dei. Illud est finis boni nostri propter quod amantur cætera, illud autem propter se ipsum.

Cap. 1. non multum â princ. to. 5.

Respondeo dicendum, quòd necesse est quòd omnia quæ homo appetit, appetat propter vltimum finem: & hoc apparet duplici ratione. Primo quidem, quia quicquid homo appetit, appetit sub ratione boni: quod quidem si non appetitur vt bonum perfectum, quod est vltimus finis, necesse est vt appetatur vt tendens in bonum perfectum: quia semper inchoatio alicuius, ordinatur ad consummationem ipsius: sicut patet tam in his quæ fiunt â natura, quàm in his quæ fiunt ab arte: & ita omnis inchoatio perfectionis ordinatur in perfectionem consummatam, quæ est per vltimum finem. Secundò, quia vltimus finis hoc modo se habet in mouendo appetitum, sicut se habet in alijs motionibus primum mouens: manifestum est autem, quòd causæ secundæ mouentes non mouent nisi secundùm quòd mouentur à primo mouente: vnde secunda appetibilia non mouent appetitum nisi in ordine ad primũ appetibile, quod est vltimus finis.

Ad primum ergo dicendum, quod actiones ludicræ non ordinantur ad aliquem finem extrinsecum, sed tantùm ordinantur ad bonum ipsius ludentis, prout sunt delectantes, vel requiem præstantes: bonum autem cõsummatum hominis, est vltimus finis eius.

Et similiter dicendum ad secundum de scientia speculatiua, quæ appetitur vt bonum quoddam speculãtis, quod comprehenditur sub bono cõpleto & perfecto, quod est vltimus finis.

Ad tertium dicendum, quòd nõ oportet vt semper aliquis cogitet de vltimo fine quandocumque aliquid appetit vel operatur: sed virtus primæ intentionis, quæ est respectu vltimi finis, manet in quolibet appetitu cuiuscumque rei, etiam si de vltimo fine actu non cogitetur, sicut non oportet quòd qui vadit per viam, in quolibet passu cogitet de fine.

Conclusio D. Thom. est affirmatiua.

DVBIVM. I.

Vtrùm conclusio D. Thomæ verum habeat.

PRobatur quòd non. Primò; Aliquando homo operatur contrariæ ad vltimum finem: ergo non semper operatur propter illum. Antecedens probatur. Primo

mo in eo qui peccat mortaliter, qui quidem sciens & videns auertitur ab vltimo fine, scilicet Deo. Secundò etiam patet in illo qui ad experiendam propriã libertatẽ, proposita sibi beatitudine, illam repudiat, & dicit se illam nolle, sed malũ appetere. Tertiò etiã probatur in dãnatis, qui appetunt nõ esse; quod quidem est velle contrariũ beatitudinis & vltimi finis; si quidem finis & bonum idem sunt: bonũ autem cum ente conuertitur: qui ergo appetit non esse, appetit malum & contrarium boni & vltimi finis. Confirmatur in eo qui operatur nihil considerando de beatitudine, & in eo qui appetit sciẽtias speculatiuas propter se ipsas solũm speculationis gratia.

Conf.

2. Arg. Secundò argumentor: In fidelis operatur multos actus bonos moraliter, vt dãdo eleemosynã pietate naturali, &c. Sed talis actus nõ est propter vltimum finẽ: ergo non omnis operatio, &c. Maior supponitur contra Gregorium Ariminensem, & habetur in Concilio Tridentino, vbi definitur contra Lutherum, non omnia opera peccatoris esse peccata, sed aliqua in illo posse esse bona moraliter, licèt non meritoria vitę eternæ; quod etiã videatur in D. Tho. infrà. q. 18. & 22. q. 10. ar. 4. Minor autem probatur ex D. Tho. loco modò citato, & in 2. sent. d. 42. q. 1. ar. 2. ad primum, vbi ait, quòd vt actus sit bonus bonitate politica, vel morali, nõ requiritur quòd referatur in vltimũ finẽ, sed sufficit quòd dirigatur in finem proximum. Et ratione etiam patet; nã si fierent huiusmodi opera propter vltimum finem, vtique fierent propter idòlum; nã Gentilis non habet alium vltimum finẽ, & consequenter essent peccata: si ergo supponimus non esse peccata, non debent fieri propter vltimum finem idòli & consequenter neque propter alium, quia illius operãtis alius vltimus nõ est.

D. Tho.

3. Arg. Tertiò argumẽtor. Actus otiosus ideò est malus, qui caret directione vltimi finis: ergo datur aliquis actus qui non sit propter vltimum finem. Antecedens est, D. Thom. infrà q. 18. art. 9. Immò idem D. Tho. in 4. d. 41. q. 1. ar. 1. & 4. dicit, posse dari actum bonum sine circunstantia vltimi finis.

In hac re Scotus in 4. d. 49. q. 10. solutione quæstionis se cundæ, quem etiam sequũtur alij iuniores, tenẽt, quòd si loquamur de appetitu naturali voluntatis, omnia quæ homo vult, propter vltimũ finẽ vult: si autẽ loquamur de appetitu elicito & deliberato, dicit nõ semper operari propter vltimũ finẽ, sed in quibusdã actibus, sic facere, in alijs verò non, pro suo libito.

1. Sent. Scotus.

Pro intelligentia notandũ, quòd finis vltimus est duplex alius formalis, alius verò materialis. Formalis quidẽ est ratio boni pleni & perfecti, quod est ratio boni vt sic, & beatitudinis in communi: materialis autẽ est, in quo talis plenitudo bonitatis reperitur, vt secundũ rei veritatẽ in solo Deo, secundùm existimationẽ autem operãtis multoties etiã in creaturis. In hac ergo quæstione non disputamus de vltimo fine materiali & in singulari sumpto; de hoc enim in alio dubio agendũ est; sed disputamus de vltimo fine formali, vtrum omnia fiant ab operãte propter vltimum finem & beatitudinem in communi & rationem pleni boni.

Not.

Conclusio D. Tho. est affirmatiua & uera, estque etiam D. Augustini. 19. de Ciuitate, c. 1. à principio, & in Enchiridione tomo 3. c. 24. in fine, & lib 13. de Trinit. c. 3. in fine, tomo 3. vbi postquãm dixit, omnes nos velle beatitudinem, inquit: Quidquid enim aliud quisquã latenter velit, ab hac voluntate, quæ omnibus hominibus satis nota est, non recedit. Idem tenet Boetius lib. 5. prosa 2. & Arist. 1. Ethicor. c. 4. & 1. Retho. c. 5. ait, omniũ operationum, siue priuatarum, siue communiũ, finis est felicitas. Et Cicero 1. Officiorum, & lib. de natura Deorum, & 2. de finibus, vbi ait: Bonorũ & malorũ ille est vltimus finis, ad quem cætera ordinantur vbi supponit, tam bona, quã mala, ad finẽ vltimũ ordinari. Ratione autẽ probatur cõclusio. Primò, Bonum vt sic, est obiectũ volũtatis: ergo in onmi operatione debet agere propter bonũ in cõmuni: Patet cõsequentia, nã potentia nõ potest non operari in ordine ad propriũ obiectum. Si respondeatur, voluntatem necessariò agere propter bonum, & consequenter propter finem, non tamen necessario propter summũ bonũ & vltimuum finem; poterit enim propter bonũ & finem proximum operari: Contrà argumentor ratione D. Tho. nam bonum quod appetit volũtas, vel est perfectum & cõsummatũ, vel imperfectũ, si primũ, est vltimus finis; vnde operari propter tale bonum, est operari propter vltimũ finem.

Concl. D. Aug. Boetius. Arist. Cicero. Solutio. Impug.

finem. Si dicas secundũ, tunc sic argumẽtor: Omne imperfectũ ordinatur ad perfectũ velut inchoatio eius tendens ad cõsummationẽ; vt patet tam in naturalib⁹, quàm in artificialibus: ergo qui operatur propter bonum imperfectum proximè, tandẽ operatur propter bonum perfectum & cõsummatũ vltimũ, quatenus proximum imperfectum, ad vltimũ consummatũ ordinatur. Secundò probatur Conclusio etiam ratione Diui Thomæ. Sic se habet vltimus finis in mouendo appetitum, sicut in alijs motibus primum mouens efficiens: sed omnia agentia secũda agunt in virtute primi mouentis: ergo omnis finis intermedius mouet appetitum in ordine ad vltimum finem. Tertiò probatur. Hæc est differentia inter finem vltimum formalem & materialẽ, quod respectu vltimi formalis & boni in cõmuni nulla apparet difficultas vel labor, vel admixtio alicuius mali: respectu autẽ vltimi finis materialis è contra contingit, nam siue sit materialis verus, qualis est Deus, siue confictus, vt honor vel diuitiæ, media consequutionis illorum sunt laboriosa: ergo licèt propter huiusmodi difficultates & labores prosequutio talis finis appareat disconueniens, & consequenter ab hoc in aliũ possit diuertere, non tamen poterit diuertere à bono in cõmuni, in quo nihil mali vel difficultatis apparet? Confirmatur; ná ex eo Beati in patria non possunt nõ operari propter Deũ clarè visum; quia in Deo clarè viso nulla ratio mali vel difficultatis appareret: ergo si sic se habet ratio boni in communi, non poterit voluntas propter bonum in cõmuni nõ operari. Quartò probatur. Obiectũ cuiuscũque actionis particularis, est quædam participatio boni in cõmuni: ergo quęlibet actio ad quodcumque obiectum particulare terminetur, est propter bonum in communi; vt propter rationem formalem participatã ab illo particulari bono quod proxime intendit. Consequentia patet, nam ex eo Artifex dolans lapidem, operatur propter domum, quia lapis est quædam pars domus: & similiter, inquit D. Tho. 3. cõtra Gentes, cap. 17. ratione 4. qui appetit medicinam, dicitur agere propter sanitatẽ; quia sanitas est quędam ratio in medicina participata: ergo si ratio boni vt sic, est participata in obiectis omnium singularium actionum, omnes singulares actiones erunt propter rationem boni in cõmuni; & vltimum finem formalem. Vltimò probatur, nam omnia alia agentia naturalia, siue animata, siué inanimata, agũt propter vltimum finem: ergo à fortiori homo, in quo perfectior est appetitus & tendentia in bonum & finem.

Ad primũ argumentum a principio respondetur, negando antecedens, loquẽdo de vltimo fine formali. *Ad 1. arg.* Ad primam probationẽ dicitur ab aliquibus, quòd peccatum potest considerari, vel quoad materiale & substantiã actus; vel quoad formale & malitiã. Secundùm priorem rationem bonum est, siquidem & à Deo causatur, & sic ab operante intẽditur, & propter vltimũ finem fit, etiam propter materialẽ & verum, nẽpe Deũ; quia sicut à Deo est, ita & ad Deũ potest in prædicta cõsideratione ordinari. Si autẽ consideretur quo ad formale & malitiã, sic ab operante non est intentum, vt infra in materia de peccatis dicit D. Thom. quia nemo tendens ad malum operatur: hac ergo ratione propter vltimum finẽ non est, sed potius illi contrariatur. Sed hoc nihil contra nos, quia si vt sic, ab operante non intenditur, nihil interest quòd vt sic, ad finem vltimum non ordinetur. Secundò tamen faciliùs respondetur, quòd operatur cõtrariè ad vltimum finẽ materialem & verum, scilicet Deũ; operatur tamen propter vltimum finẽ formalem & bonum in cõmuni; quia in eo quòd à Deo recedit, proprium bonum quærit. *2. Solut. D. D. Tho.* Solutio est D. Tho. in 4. dist. 49. q. 1. ar. 3 quæstiuncula 4. Ad secundam probationem respondetur similiter, quòd hoc ipsum quod est propriam libertatem experiri; & beatitudinem materialẽ sibi propositam repudiare, apprehẽdit vt bonũ, & propter illud operatur. Ad tertiã probationem respondetur similiter, quòd damnati in ipso non esse quod appetunt, quærunt bonum, quatenus euadunt malum, & supplicium coniunctum cum ipso esse.

Ad confirmationẽ respondetur, quòd etiam si aliquis actualiter, dum operatur, de bono in communi non consideret; in actu tamen exercito & virtualiter, & ex præcedenti affectione, ad bonum tendit. *Confir.* De inuestigante scientias speculationis gratia, dicitur, quòd etiam si operans nõ dirigat talem speculationem ad vlteriorem finem, ex parte tamen operis ipsa specula-

ſpeculatio ad vltimum finem ordinatur, tanquàm bonum imperfectum ad perfectum. Secundò meliùs reſpõdetur, quòd licèt ſpeculatio illa ſit vltimus finis in illo genere vel ordine; qua ratione dixit Ariſt. huiuſmodi ſcientias eſſe propter ſe ipſas; abſolutè tamen propter aliud ſunt, & tandem ad vltimum finem ordinantur, in quo ab alijs ſciẽtijs diſtinguũtur, quòd præter vltimum, etiam ad aliũ finem particularem ordinantur.

2. Solutio.

Ad 2. arg. Ad ſecundum reſpondetur, negando minorem. Ad probationẽ ex D. Tho. dicitur, tantùm intendere, illud opus ab infideli factũ, non eſſe propter aliũ finẽ ipſius infidelis, nempe propter idòlum; nõ autem quòd vltimũ finẽ non habeat abſolutè; qualis autem ſit iſte, aliqui dicunt eſſe Deum verũ, quia opus bonũ, quandiu mala circunſtantia ab operante nõ ponitur, ex ſe ipſo, pondere quaſi naturali, in ipſum tẽdit; omne enim bonũ deſurſum eſt deſcendẽs à Patre luminũ, & ad ipſum ordinatur: ſed quia non ſolùm aſsignandus eſt vltimus finis ex parte operis, ſed etiam ex parte operantis, vt hîc ait D. Tho. ideo hæc ſolutio, quæ cõmunis eſt, non multum placet, & argumentum reſtat ſoluendum; Dicitur ergo, per illud opus tendere operantem in vltimũ finẽ formalem, & ex intentione illius præcedenti, modò iſtud bonũ opus operatur.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentũ reſpondetur, opus otioſum non carere vltimo fine formali, ſed materiali, & propterea, vt inquit D. Gregorius, otioſum dicitur, quia caret pia vtilitate, aut iuſta neceſsitate.

DVBIVM II.

Vtrùm ad volitionem quamcunque particularem neceſſariò debeat præcedere tempore vel natura volitio vltimi finis formalis, & boni in communi.

1. Sent. Scot. & Medin. Cõrad. Soto.

IN hac re eſt prima ſentẽtia Scoti in 4. d. 49. q. 10. & Medinæ hic, & refertur pro illa Soto, & illam inſinuat hic Conradus, nullo modo eſſe neceſſarium, talẽ volitionem boni in communi præcedere, ſed poſſe à volitione quacumque particularis boni incipere, & vt dicatur tũc agere propter vltimum finem, ſufficere quòd attingat illum bonum particulare ſub ratione boni in communi. Hanc ſequitur Salas hic tractatu 1. diſp. 8. ſect. 5. *Salas.* Suarez tomo 1. Metha. diſput. 24. ſect. 2. *Suarez.* num. 16. Valentia hic diſp. 1. q. 1. puncto *Valentia.* 4. & puncto 5. & Vazquuez etiam hîc, *Vazquez.* dicunt enim iſti, poſſe præcedere talem intentionem & volitionem diſtinctam, boni in communi & vltimi finis formalis, ſed hoc non eſſe neceſſarium, immò ſuperaddunt, quòd etiã ſi huiuſmodi volitio finis vltimi præcedat, non tamen eſſe neceſſarium ex illa dimanare reliquas intentiones circa fines particulares.

Hæc ſententia probatur primò. Puero deueniẽti ad vſum rationis poteſt primò offerri aliquod bonum particulare: ergo poterit primò in illud ferri. Patet conſequentia, quia in illo puero non eſt tunc diſcurſus vt de alio cogitet quàm de ſibi tunc oblato. *1. Arg.*

Secundò argumentor. Nulla eſt neceſſitas ex parte intellectus, neque ex parte voluntatis, vt incipiatur à volitione vltimi finis: ergo poteſt illa non præcedere. Prima pars antedentis probatur. Primò, quia cùm cognitio ortum habeat â ſenſu, poteſt incipere à ſingulari, primò ſibi per ſenſum oblato. Secundò probatur, quia intellectus in cognitione ſimplicium poteſt priùs apprehẽdere hominem vel equum, quàm apprehendat ens, licèt omnium communiſsimum ſit ens: ergo ſimiliter licèt bonum vt ſic, ſit communiſsimum, â bono particulari, hoc vel illo, poterit incipere apprehenſio eius. Tertiò probatur idem antecedens, quia in cognitione complexorum poteſt priùs incipere ab hoc vel illo principio huius vel illius ſcientiæ, non priùs habita cognitione communiſsimi omniũ principij, videlicet, Quodlibet eſt vel non eſt: ergo ſimiliter in præſenti. Secunda pars antecedentis probatur, nam voluntas ſequitur intellectum: ergo qualiter fuerit apprehenſio ex parte intellectus, erit tendentia ex parte voluntatis. *2. Arg.*

Tertiò argumentor. Si propter aliquam rationem illa volitio vltimi finis neceſſariò præcederet, maximè vt per illam omnis alia volitio in finem vltimi dirigeretur; ſed hoc non requiritur: ergo non eſt neceſſaria. Probatur minor. Primò, nam illa volitio ſemel tranſacta nihil facit ad hanc volitionem particula- *3. Arg.*

rem;

rem; quia hæc volitio ab eo quod nõ est, dependere non potest: ergo etiam si illa non transierit, hæc particularis esse poterit. Secũdò probatur eadem minor; nam ex eo, solùm sequeretur esse necessarium præcedere talem volitionem vltimi finis in initio vitæ, sine ampliori repetitione, sicut sufficit semel à principio primo cognouisse ens ad omnem intellectionem subsequentem: hoc autem est ridiculum dicere, ex tali volitione vltimi finis tantùm semel posita & diu antiquata, omnem volitionem particularem in vltimũ finem esse directam: ergo nullo modo requiritur, illam volitionem vltimi finis præcessisse.

2. *Sent.* *Caiet.* *Capreo.* Secunda sententia est Cai. hìc, & 1. p. quæst. 82. art. 2. & Capreoli in 1. d. 2. q. 3 artic. 1. contra primam conclusionem, ratione 3. & communior inter Thomistas, omnino esse necessarium præcedere tempore vel natura volitionem finis vniuersalis, vt in alijs volitionibus particularibus dicatur agere propter finem. Itaque vtraque sententia in eo conuenit, quòd in omni volitione particulari debet agere propter finem vltimum, Dicit tamen prima sententia, ad hoc non esse necessarium vt præcedat volitio vltimi finis. Dicit autem hæc secunda, hanc volitionem particularem, non posse esse propter vltimum finẽ, nisi ad illum dirigatur ex aliqua volitione vltimi finis præcedente.

1. *Arg.* Hæc sententia probatur primò ex Diuo Tho. hìc, vbi intendit, quòd homo in omnibus actibus agit propter vltimũ finem, non solùm ex parte operis, sed etiã ex parte operantis; in quo insinuat, præcedere operationem circa vltimum finẽ, qua mediante, aliqua particularis volitio in ipsum vltimum finem ordinetur; quia si talis operatio non præcedat, dicetur ipsum opus esse directum, & ex parte operis tendere, non autem quòd ab operãte dirigatur. Item in secunda ratione dicit, vltimum finem se habere sicut primũ efficiens; certum est autem, motum primi efficientis præcedere quemcunque alium alterius causæ secundæ: ergo idem dicendum de motione vltimi finis & volitione ipsius respectu aliarum particularium volitionum. Item solutione ad tertium, cùm posuisset argumentum, quòd non semper aliquis cogitat de vltimo fine dũ operatur: ergo non semper operatur propter vltimum finem, respondit, quòd ad minus antecedit volitio finis, in cuius virtute modò operatur circa media: sentit ergo, necessariò debere præcedere volitionem finis; aliàs enim diceret, Transeat antecedens, & negaret consequentiam, si operatio circa ipsum finem non necessariò præcederet. Quapropter solutio Medinæ, quòd D. Thom. senserit, volitionẽ vltimi finis sufficere præcessisse, non autem esse necessarium quòd præcesserit, nulla est; quia, vt dictum est, si non esset necessaria, ad talem præcedentiam non recurreret vt solueret argumẽtum. Item videtur hæc doctrina expressa illius, quæst. 1. de virtutibus, artic. 11. ad 2. vbi ait, non posse proximum diligi propter Deũ, nisi priùs diligatur Deus: sicut bonum particulare non potest appeti nisi præsuppositа intentione finis: sentit ergo, eodem modo se habere dilectionem Dei respectu proximi; sicut intentionem finis respectu mediorum: certum est autem, ad dilectionem proximi, præcedere dilectionem Dei: ergo certũ debet esse, respectu mediorum præcedere intentionem finis; quia ex hoc tanquã principio probat illud.

2. *Arg.* Secundò argumentor ratione. Homo operatur propriè & formaliter propter finẽ: ergo operatur ex præexistente cognitione & intentione finis. Patet consequẽtia, nam hoc importat illa particula Propter sumpta formaliter; alias enim etia bruta propter finẽ operarẽtur formaliter, si cognitionẽ & intentionẽ finis nõ est necessarium præcedere in operante.

3. *Arg.* Tertiò argumẽtor. Idem est ordo voluntatis ad suũ obiectũ, atq; intellectus; siquidẽ voluntas tendit in obiectũ propositum ab intellectu; sed intellectus priùs cognoscit rationẽ entis vniuersalẽ, quàm entia particularia, vt docet D. Tho. c. 1. de ente & essentia, & 1. p. q. 85. ar. 3. Ergo eodẽ modo voluntas priùs appetit bonũ in cõmuni, quàm bona particularia.

4. *Arg.* Quartò argumentor. Intentio finis cõcurrit efficienter ad electionẽ mediorũ: ergo præsupponitur præcedere intẽtionẽ ad electionẽ. Antecedẽs ostenditur in frà, qualiter voluntas non potiùs ad hoc, quã ad illud bonũ particulare tenderet, nisi tali vel tali intentione esset affecta, & in actu cõstituta, vt potiùs hoc, quã aliud operetur, consequentia verò probatur, nam causa efficiẽs, & eius operatio necessariò debent præcedere effectum ipsius.

Quintò

5. *Arg.* Quintò argumētor. Idem est ordo finis particularis ad media ipsius, atq; finis vltimi ad omnes alios fines inter medios: sed intentio finis particularis necessariò prȩcedit ad electionē mediorū: ergo simi liter & intētio vltimi finis debet prȩcede re quācumq; aliam volitionē particularem. Minor probatur, nā si videmus hominem ędificantē, eo ipso supponimus præcessisse in illo cognitionem, & intentionē domus, & habitationis eius, & qui videt agricolam seminantem, pro certo habet præcessisse in illo intentionem & cognitionem messis futuræ.

6. *Arg.* Sextò argumentor. Vt docet Arist. 2 Phys. & 7. Ethic. sic se habet vltimus finis in appetibilibus, sicut primū principiū in speculabilibus: sed nō potest quis assentiri conclusioni propter principiū, nisi præcesserit formaliter cognitio principij, vt patet: ergo similiter non potest tendere in mediū propter finem, nisi prȩcesserit actus intentionis circa finem.

7. *Arg.* Septimò argumentor. Volitio omnis libera debet reduci ad aliquā volitionem naturalē: ergo omnis volitio particularis debet reduci ad volitionē vltimi finis in cōmuni. Antecedens patet, nā quod est variū, ad aliquid stabile & firmum debet reduci: quapropter voluntas vt natura, præsupponitur ad se ipsam vt liberam. Consequentia verò probatur; nā intentio vltimi finis in cōmuni quoad specificationē est necessaria & naturalis; aliȩ autē volitiones particulares sunt liberæ: ergo omnis alia volitio particularis in volitionē vltimi finis prȩcedētē debet reduci.

8. *Argu.* Octauò argumentor. Ad operandum propter vltimū finē supernaturalem, requiritur præcedere actualem relationē, in talem finem; aliàs enim opus meritoriū non erit, vt infrà dicetur quæstione vltima huius Partis: ergo ad operandū propter vltimū finem naturalē, requiritur quòd præcedat intentio vltimi finis naturalis. Patet cōsequentia, nā sic se habet finis naturalis, sicut supernaturalis respectu eorū quæ ordinātur ad ipsum.

9. *Argu.* Nonò argumentor. In actibus appetitus sensitiui, amor debet prȩcedere vt prima passio, propter quam quis desiderat bonū, prosequitur illud, timet amissionē eius, tristatur de oppositō, &c. ergo in actibus voluntatis similiter intētio necessariò præcedet quamcumque aliam operationem. Patet consequentia, nam sic se habet in actibus voluntatis intentio, sicut in actibus appetitus amor.

10. *Argu.* Decimò argumentor. Ordine exequutionis necessariò præcedit volitio medij: ergo ordine intentionis necessariò præcedit volitio vltimi finis. Patet consequentia, nam secundùm D. Thom. supra ar. 4. qualis est ordo primi medij ad vltimum finem ordine exequutionis, talis est etiā vltimi finis ad media ordine intentionis.

Not. D. Tho. Pro intelligentia notandum, quòd, vt dicit D. Thom infrà quæst. 8. art. 3. sicut intellectus potest dupliciter attingere principium: primò, in actu exercito, quā do attingit conclusionem propter principium: secundò in actu signato, per proprium actum terminatū ad ipsum principium, antecedenter se habēs ad actum scientiæ; ita similiter voluntas dupliciter potest appetere finē: primò, in exercitio, in appetitione medij propter finē; secundò formaliter & explicitè per proprium actum terminatum immediatè ad ipsum finem. De hoc secundo quȩrimus, vtrùm necessariò præcedere debeat ad actum electionis mediorum.

1. *Concl.* Prima conclusio. Probabile est, ad electionem mediorum sufficere volitionem finis exercitam in ipsa volitione mediorum: Probabilius tamen est, præ requiri tempore vel natura volitionem formalē & distinctam ab electione, terminatam immediatè ad ipsum finem, ratione cuius constituatur in actu ad electionem mediorum. Prima pars patet argumētis primo loco factis: secunda verò pars patet argumentis secundo loco, quæ vrgentiora sunt.

2. *Concl.* Secunda conclusio. Volitio finis quæ debet præcedere, non sufficit quòd sit habita in initio vitæ, sed necessariò requiritur quòd habeatur proximè moraliter loquēdo ad ipsam electionem. Itaq; supponimus in hac conclusione, in initio vitæ haberi huiusmodi volitionem boni in communi, quia, vt inquit D. Thom. infrà q. 9. ar. 4. in actibus voluntatis, ne detur processus in infinitum, deueniendū est ad vnā primā operationem ex instinctu naturę & authore eius, quæ cùm fit à causa vniuersali, circa aliquid vniuersale debet versari, iuxta doctrinā D. Tho. 1. p. q. 45. Eo vel maximè, quòd cū obiectū voluntatis sit bonum in cōmuni, primus eius actus circa propriū obiectū debet esse, sicut & primus actus intellectus circa

ens,

ens, quia est obiectum illius: Dicimus ergo in conclusione, quòd licèt ab initio vitæ iste actus circa bonũ in cõmuni habeatur, ille non sufficit, sed requiritur alius proximè se habens moraliter ad electiones mediorũ. Quod probatur. Talis actꝰ circa finẽ, ex eo requiritur, vt ex determinatione eius ad electionem mediorũ voluntas, posit exire; sed ex determinatione illius primi actus non manet voluntas determinata ad electionẽ totius vitæ: ergo illa prima nõ sufficit. Probatur minor, quia cùm tãto tẽpore præcesserit, nõ videtur, moraliter loquendo, habere aliquá connexionẽ cum operationibus modò factis; quia neque potest dici, illã primam operationem manere modò formaliter, vt patet, neque virtualiter, quia nõ potest assignari aliquod formale, in quo tanto tempore virtualiter perseuerauerit. Neque valet solutio contrariorum, quòd illa prima volitio multoties per subsequentem vitam est repetita; quia hoc iam est accedere ad nostram sententiam, siquidem iam ponunt, non sufficere primam, sed aliam proximiùs se habentem; quod nos dicimus, si proximitas sit moralis.

3. Concl. Tertia conclusio. Licèt homo semper operetur propter vltimum finem formalem, hoc est, propter bonum perfectum; non tamen est necessarium quôd præcedat volitio talis boni perfecta, sed sufficit imperfecta: sicut intellectus licèt necessariò prius debeat intelligere ens, non tamen necessariò præcedit cognitio perfecta & explicita entis, sed sufficit præcedat talis cognitio confusa, & implicita: qualis ergo est ordo intellectus ad ens, debet etiam esse voluntatis ad bonum; eo vel maximè, quôd Natura & quodcumque agens ab imperfectis debet incipere: sufficiet ergo, præcedere talem volitionẽ boni imperfectã, qualiter cõmuniter se habet ad bonum perfectũ vel imperfectũ, licèt, vt dictũ est, semper operetur propter bonũ perfectum, vt dicit D. Tho. hic; quia bonũ quod intẽdit voluntas, vel est perfectum, vel si est imperfectum, ad perfectum ordinatur.

Ad 1. argu. princ. Ad primũ argumentũ à principio respondetur, necessariò voluntatem debere incipere à bono in cõmuni, neque posse primò tendere in particulare, propter necessariã cõnexionẽ potentiæ ad propriũ obiectũ, â quo si primò non terminetur, circa cõtenta intra ipsum obiectũ tendere non potest; vt patet de intellectu respectu entis in cõmuni; â quo necessariò debet determinari, vt ad particularia entia tendere possit.

Ad 2. arg. Ad secundũ argumentũ, negatur antecedens. Ad probationẽ primę partis dicitur, quôd si loquamur de cognitione simpliciũ, iam dictum est, necessario debere incipere ab ente: si autem loquamur de cognitione complexorum vt sunt prima principia, respondetur, nõ necessariò debere incipere à cõmunissimo principio; sed potest primò intelligere principium non adeò vniuersale, & hoc quidem quia non sic se habent illa principia, vt primũ illorũ sit obiectũ intellectus, intra quod alia principia minus vniuersalia contineantur tanquam partes subiectiuæ talis obiecti: ergo cùm voluntas debeat sequi naturã ipsius intellectus, simili modo potest de ipsa voluntate dici; potest enim priùs tendere in aliquẽ finem particularem minus cõmunem, quàm alium etiam particularẽ; quia neutrum illorũ est obiectum voluntatis: facta autẽ comparatione omniũ particularium ad vltimum finẽ formaliẽ, scilicet bonum in cõmuni, necessariò debet incipere à bono in communi, propter necessariam dependentiam potentiæ ab obiecto, vt dictum est; & per hoc patet ad secundam probationem antecedentis.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum respondetur, quòd licèt volitio finis sit transacta formaliter, manet tamen virtualiter, cùm ab ipsa tali volitione prẽcedente maneat volũtas determinata: neq; inde sequitur, sufficere præcesisse in initio vitæ, quia cùm talis determinatio debeat esse moralis, non debet esse adeò longa & antiqua ta, vt dictum est in secunda conclusione.

Sed quia diximus, oppositum esse probabile, & sufficere, volitionem vltimi finis esse in exercitio ipsius volitionis boni particularis, neque requiri quòd per actum distinctum præcedat; hoc est, sufficit ad appetẽda bona particularia, quòd appetatur bonum in communi vt quo, non autem vt quod: ideô respondetur ad argumenta secundo loco facta.

Ad. 1. 2. sententi. Ad primum respondetur, quôd vt seruentur verba D. Tho. vt in appetitione particulariũ agat propter vltimũ; sufficit in exercitio appetitionis particularis attingere vltimum, vt ratio sub qua appetitur

titur illud particulare. Quod autem dicit in secunda ratione articuli, quòd sicut causa secunda non potest agere nisi præsuppositâ motione primæ; ita neque intermedius finis potest appeti nisi præsuppositò appetitu finis vltimi; debet intelligi iuxta naturam vniuscuiusque: causa enim efficiens prima præsupponitur secundùm propriam existentiam & concursum etiam vt quod: concursus autem finis, est concursus formæ vt ratio appetendi, vnde sufficit quòd formaliter attingatur per appetitum; quod fit etiam posita prima appetitione boni particularis, quatenus tale bonum particulare sub ratione boni in communi appetitur. Ad illud autem quod adducitur ex solutione ad tertium, respondetur similiter, D. Thom. præexigere volitionem finis, non per actum distinctum, sed quatenus ad ipsum formaliter debet terminari; quia, vt dictũ est, quidquid vult, sub ratione boni vult: vnde formaliter, licèt per eandem actionem, priùs intelligitur attingere ipsam rationem boni, tãquàm
2. Solut. rationem formalem attingendi aliud. Secundò respondetur, quòd bonum in cõmuni, potest comparari; vel ad vltimum finem in particulari, siue verum, siue existimatum, in quo siue secundùm rem, siue secundùm existimationem ratio perfecta boni reperitur. Vel secundò comparari potest ad media in ordine ad talem finem. Si primo modo consideretur, non præexigitur actus prior appetendi bonum in communi ad appetitionem finis vltimi particularis; quia bonum in communi tantùm concurrit formaliter ad appetendum hunc vltimum finem particularem: Vnde sufficit quòd eodem actu quo attingitur finis ille particularis, ratio etiam boni in communi formaliter attingatur. Si autem consideretur secundo modo, necessariò debet præcedere volitio vltimi finis particularis, ad electionem mediorum ad ipsum; cùm intentio talis finis concurrat efficienter ad talem electionem: si ergo intentio talis finis particularis præexigitur vt actus distinctus, & in tali intentione includitur volitio boni in communi, consequenter & volitio boni in cõmuni præcedit electionem mediorum: igitur Diuus Thomas in præsenti solutione loquitur de vltimo fine particulari respectu suorũ mediorum, non autẽ de bono in cõmuni respectu finis particularis; qua ratione nos hic loquimur, vbi interrogamus, vtrùm respectu cuiuscunque volitionis volitio boni in cõmuni debeat præcedere. Et per hoc patet ad alium locum ex illa quæstione secũda de virtutibus, dicimus enim, quòd Deus est vltimus finis particularis, proximus autem est medium ad illũ: Vnde nihil cõtra nos, quòd prę exigatur dilectio Dei ad dilectionẽ proximi: immò ex eo quòd ad hoc adducat doctrinã præsentis articuli, colligitur nostram explicationẽ esse veram, quòd sic loquatur de fine particulari respectu suorum mediorum.

Ad 2. argu. Ad secundum argumentũ principale respondetur, quòd etiã si homo nõ priùs velit bonum in cõmuni, nihilominus in omni actione agit propter finẽ vltimũ, quatenus in omni actione formaliter attingit vltimũ finem, tanquã rationẽ volẽdi, neq; inde sequitur, non amplius agere propter finẽ, quàm brutũ; quia brutum nõ solũ non prius cognoscit bonũ in cõmuni, sed neq; ipsum finẽ particularẽ ad quẽ tendit cognoscit formaliter vt finem secundùm proportionẽ ad media, qualiter cognoscit homo. Vel secũdò respõdetur, quòd homo licè in illa volitione attingat bonũ in communi formaliter & nõ per actũ priorem distinctũ; dicitur nihilominus præcedere bonũ in cõmuni, quatenus habitualiter appettit illud.

2. Solut.

Not. Pro cuius intelligentia notandum, aliquem habitum posse esse vel connaturalem subiecto, vel extrinsecum. Si sit connaturalis, non compatitur secum non solum habitum contrarium, sed neque etiam actum: determinatio enim habitus connaturalis excludit & habitum & actum contrarium; vt est videre in habitu primorum principiorum excludente non solùm habitum, sed actum cõtrarium, quatenus circa obiectum primarium talis habitus, error etiam in actu esse non potest: quãdo autem habitus est extrinsecus, licèt excludat habitũ cõtrario, non tamẽ actũ, nisi ipse habitus exeat in propriũ actũ contrariũ alterius actus quẽ debet excludere, quapropter vt plenè determinet subiectum nõ solùm in habitu, sed in actu etiam debet existere; vt patet in habitu scientiæ excludente habitum oppositum, non tamen actum oppositum, nisi quando exijt scientia in proprium actum contrarium alterius:

qua-

quapropter cùm determinatio habitus cō naturalis sit maior, ex sola determinatione talis habitus potest progredi adulterio res actus, ad quos non posset, si solū esset determinatio per habitū extrinsecum, nisi etiam actus tali habitui superadderetur. Hæc ergo differētia reperitur inter appetitionem boni in cōmuni; & boni particularis, etiamsi vt vltimus finis particularis proponatur; q̄ appetitio boni in communi est cōnaturalis, quatenus est necessaria quo ad specificationē, & nihil extra rationem boni potest appetere: bonum autē particulare etiā positū vt vltimus finis, nō est connaturale volūtati: potest enim ab illo diuertere, & vt dictū est suprà, rationem vltimi in alio collocare: hac ergo ratione maior determinatio est in volūtate ad bonū incommuni, quàm ad particulare, etiā positum vt vltimū: ex illa ergo determinatione habituali ad bonū in communi, etiā si formaliter & in actu illud non appetat, poterit prorrumpere in appetitum aliorū in quibus tantùm in actu exercito & formaliter attingat ipsum bonū in communi: sicut & ex determinatione habitus primorū principiorū, absq; eo quòd exeat in actum circa talia communissima principia, potest prorrumpere incognitionem aliorum, in quibus talia principia exercentur, & in quibus formaliter vt ratio assentiendi illis attinguntur: ex determinatione verò habituali finis particularis, in actū electionis mediorum prorrūpere nō potest, nisi etiam appetitus actualis talis finis præcedat, vt sic voluntas sit plenè determinata: quia cū talis habitualis tendentia nō sit connaturalis, non sic determinat, vt non egeat actu superaddito: & hac ratione appetitus finis particularis necessariò præcedit ad electionem, nō autē appetitus boni in communi ad appetitum finis particularis.

3. *Arg.* Ad tertiū argumentū respōdetur, quòd cū Intellectus sit potētia speculabilis primò & perse, solū autē ex tensione fiat practicus; inde est, primò & perse respicere vniuersalia, quia de singularibus, sicut non est scientia, ita neque primo speculatio: cùm autem vniuersalissimum sit ens, ab illo debet incipere. Voluntas autem cùm sit practica, & praxis versetur circa particularia; inde est quòd voluntas primò circa particularia versari possit. Quod aliter explicatur, nam obiectum Intellectus est verum, Voluntatis autem bonum: inter bonū autem & verū hæc versatur differētia; quòd verum abstrahit ab existentia; bonū autem illam importat; vnde verum, dicit quid abstractum & vniuersale; bonum autem, quid particulare contractum per existentiam: ex propria ergo natura obiectorum Intellectus habet primò incipere ab vniuersalioribus, Voluntas autem posse circa particularia immediatè versari. Nō dico quòd Voluntas, siquidem potentia est spiritualis, non possit tēdere in aliquid vniuersale & bonum in communi; sed quòd ad illud immediatè tendere non tenetur; immò quòd si bonum in communi quærit, est illud in particularibus appetitis in vestigando; & vt à bono in communi specificetur, sufficit quòd in particularibus formaliter attingatur.

4. *Arg.* Ad quartum argumentum respondetur, procedere de intētione finis particularis respectu electionis, quam diximus necessariò præcedere: non autem procedit de appetitu boni in communi respectu appetitus finis particularis; quia, vt dictum est, appetitus boni in communi, tantùm concurrit formaliter respectu particularis, vnde sufficit quòd in appetitu particularis boni, bonum in communi formaliter attingatur.

5. *Arg.* Ad quitum argumentum respondetur similiter, non esse eundem ordinem; quia vt dictum est, appetitus finis particularis cōcurrit efficienter ad electionem mediorum; Vnde præsupponitur; appetitus autem boni in communi ad particulare solùm formaliter: vnde sufficit vt formaliter præsupponatur in eodem actu appetitus finis particularis.

6. *Arg.* Ad sextum argumentum, patet etiam ex dictis, quòd si loquamur de principijs speculatiuis communissimis, non requiritur præcedere formaliter assensus illorū; bene tamen si principia sint particularis scientiæ: & sic dicimus de bono, quòd si sit in communi, nō prærequiritur q̄ præcedat actus eius; bene autem si sit finis particularis respectu mediorum ad ipsum.

7. *Arg.* Ad septimum argumentum respondetur, non necessariò debere reduci actionem liberam ad actionem naturalem distinctam; sed in eadem actione vtrumque potest reperiri, vnde illa actio; quatenus ad bonum particulare termininatur, libera est; quatenus autem terminatur formaliter ad rationem boni vt sic, est naturalis & necessaria quoad specificationem; quià

si vult, necessariò sub illa ratione boni debet velle.

Ad 8. arg. Ad octauum respondetur, quòd cùm opera moraliter bona, non naturaliter & ex se ipsis ad finem supernaturalem ordinentur, necessariò debet præcedere actus relationis talium actuum in finem supernaturalem, vt sint meritorij talis finis. Bona autem particularia ex se ipsis & naturaliter habent connexionem cum bono in communi; vnde non est necessarius actus distinctus referens, sed sufficit, vt dictum est, vt talis ratio boni formaliter attingatur in appetitu boni particularis. Et si contrà dicas, quòd actus Fidei est ordinis supernaturalis; & nihilominus ad rationem meriti requirit actum distinctum, nempe Charitatis referentem in finem supernaturalem: ergo similiter in naturalibus requiretur actus circa bonum in communi, referens quoscumque alios ad bonum in communi. Respondetur, non esse tantam connexionem etiam inter Fidem supernaturalem, & finem supernaturalem, sicut inter bona particularia & bonum in communi: Fides enim potest esse fine Charitate, & ad finem Charitatis non relata; quia licèt Fides ex propria natura ad finem Charitatis ordinetur; ex prauitate tamen operantis potest à tali fine diuertere: bonum autem particulare non solùm ex propria ratione, sed neque etiam ex parte operantis, rationem boni in communi potest subterfugere; nemo enim tendens ad malum operatur; quia bonum est proprium obiectum, finis autem Charitatis, licet in re sit summum bonum; est tamen particulare bonum, & sic non est proprium obiectum voluntatis; quapropter ab illo potest diuertere, etiam in his quæ ex propria ratione habent talem finem respicere, qualis est Fides; si vera est illa sententia, quòd etiam actum Fidei potest elicere operans propter finem vanæ gloriæ & creatum; & si opposita sententia teneatur, actus Fidei in peccatore tantùm est propter finem supernaturalem secundum quid, vnde non eget actu distincto dirigente, sed ex propria ratione licèt imperfectè tendit in finem supernaturalem; sicut dictum est de bono particulari respectu boni in communi; licet istud perfectè bonum in communi respiciat, quia in suo genere est perfectum; Fides autem mortua imperfecta.

Obiectio.

Solutio.

Ad nonum, respondetur, probare de appetitu finis particularis respectu mediorum; quia ille sic se habet respectu actuum voluntatis, sicut amor respectu actuum appetitus sensitiui; quia vterque concurrit efficienter, vt dictum est; vnde vterque præsupponitur, non autem probat de bono in communi quòd concurrit formaliter respectu boni particularis. *Ad 9. arg.*

Ad decimum respondetur similiter, procedere de fine particulari respectu mediorum: inter illa enim est ordo intentionis & exequutionis; vnde in illo diuerso genere adinuicem prærequiruntur: bonum autem in communi non habet ordinem intentionis ad media, nisi vt applicatur, & appetitur coniunctum alicui fini particulari, vnde appetitus eius non præsupponitur nisi in exercitio appetitus finis particularis. *Ad 10. ar.*

DVBIVM III.

Vtrùm homo in omnibus suis operationibus humanis operetur, non solùm propter vltimum finem formalem, scilicet, bonum in cõmuni, sed etiam propter vltimum finem materialem, scilicet, propter Deum.

IN hac re est prima sententia quam tenet Caietanus hic, & Capreolus in primo, distin. 1. qnæst. 3. in probationibus primę conclusionis, & Scotus in 4. distin. 49. quæst. 9. & 10. & illos sequitur Lorca hic disput. 8. quòd homo non operatur propter Deum in omnibus suis operationibus. Hæc sententia probatur primò; nam peccatum mortale non fit propter Deum: ergo non in omni operatione, &c. Antecedens probatur; nam peccatum respicit vt vltimum finem creaturam: ergo non Deum. Patet consequentia; nam aliàs essent duo vltimi fines illius actionis, scilicet Deus & creatura. Confirmatur, quia per peccatum mortale auertitur homo à Deo: ergo non tendit in ipsum vt in vltimum finem. Patet consequentia, nam terminus à quo, non potest *1. Sentent. Caiet. Capreol. Scotus. Lorca.*

test esse terminus ad quem eiusdem motus.

2. Sentent. Medina. Secunda sententia est aliorum affirmatiua cũ Magistro Medina hic, quòd in omni actione homo operatur propter Deũ. D. Thom. Hæc sententia videtur D. Tho. expressa, 1. Ethic. vbi asserit, quòd in omni bono appetitur summũ bonum, eo quòd sit quædam participatio summi boni, quod est Deus: & 3. contra Gentes à c. 17. copiosè demonstrat, quòd omnia operantur propter Deum, postquàm demonstrauerat quòd propter bonum & propter finem; & q. 22. de veritate, art. 2. probat expresse idem, ad hoc adducit authoritatem D. Au- D. Aug. gustin. in soliloquijs, & ex D. Dionys. c. 4. de D. Diony. diuinis nominibus, vbi ait, quòd etiam dæmones in eo quòd appetunt esse & viuere naturaliter, Deum appetunt & diligunt. Et ratione probatur hæc sententia. Quidquid agit supremum & primum agens, quod est Deus, agit propter se ipsum vt propter finem, iuxta illud Prouerbiorum Prouer. 16 16. Vniuersa propter semetipsum operatus est Deus: & Apocalypsis vltimo, Apoc. vlt. Ego sum Alpha & O. initium & finis Sed sic est, quòd Deus agit non solùm ea quæ per se & immediate agit, sed etiam ea quæ mediantibus causis secundis & inferioribus fiunt: ergo omnia fiunt propter Deũ ipsum. Minor patet, nam Deus mouet causas secũdas, & simul cũ illis concurrit ad actiones illarũ: ergo agit quidquid causa secunda agit. Tertiò probatur. Si aliquid non fieret propter Deum vt propter vltimum finem, maximè peccatum. Sed hoc etiam sit propter Deum: ergo omnis actio sit propter Deum. Minor probatur; nam ad materiale peccati Deus concurrit actiuè: ergo operatur illud propter aliquem finem, non nisi se ipsum: ergo, &c.

Nota. 1. Pro intelligentia huius quæstionis notandũ. Primò, quòd in peccato sunt duo; primum materiale, & substantia & entitas actus; secundum deformitas, & malitia ipsius actus. Secundùm primam rationem est à Deo: secundùm secundam tantùm est ab homine, sicut motus claudicationis, v. g. quoad substantiam motus, est etiam à cœlo; quantum ad deformitatem autem & imperfectionem motus, tantùm est à tibia claudi: cùm ergo optimus circulus in rebus sit, vt omnia primũ efficiens sui respiciunt vt finem vltimum, materiale peccati, quod Deum habet vt primũ efficiens habebit etiam & illum vt vltimum finem; quo ad malitiam autem, quia peccator est primum efficiens eius, ipsum etiam vt finem vltimũ habebit. Restabit autem examinare, vtrùm absolutè sit dicendum, peccatum fieri propter Deum vt propter vltimum finem, vt sic verificatur quod omnis actio, &c.

Secundò notandum, quòd Deus dupli- Not. 2. citer habet esse finem vltimum, & naturalem, & supernaturalem: finis naturalis est respectu eorum quæ pertinent ad ordinẽ naturæ, etiamsi moralia sint: finis autẽ supernaturalis est respectu eorum quæ pertinent ad ordinẽ gratiæ, incipiẽdo à prima vocatione vsque ad vltimũ effectũ prædestinationis, qualis est glorificatio. Quæritur ergo in præsenti, vtrùm omnia quæ ab homine fiunt moraliter, siue intra ordinem gratiæ, vt quæ fiunt à iusto, siue intra ordinem naturæ, vt quæ fiũt ab infideli, fiant propter Deum vt propter vltimum finem, siue naturalem, siue supernaturalem.

Tertiò notandum, quòd aliquid potest Not. 3. fieri multiplicitèr propter vltimũ finem. Primò expresse & formaliter, referendo actionẽ ad vltimũ finem per actualem cõsiderationem, & cognitionem ipsius finis. Secundo modo potest fieri propter finẽ virtualiter, quando videlicet præcessit aliqua consideratio, & relatio sui formalis ad vltimum finem, ratione cuius modò licèt actu nõ consideret, propter talem finẽ virtualiter dicitur operari, vt patet in iter agẽte ad D. Iacobum, licèt enim actu de fine non consideret, virtualiter propter illum agit, deambulando ex intẽtione præcedenti, ratione cuius à sua domo fuit egressus. Tertio modo dicitur agere propter finem vltimũ habitualiter, vt quãdo aliquis post acceptã gratiã ex opere operato per Sacramentũ, facit eleemosynã; cũ tamen nihil priùs de tali elemosyna cõsiderauerit; tũc dicitur habitualiter ex gratia recepta operari propter vltimũ finẽ supernaturalem. Quarto modo potest operari propter vltimũ finẽ interpretatiuè, quãdo licèt nulla relatio præcesserit, facit tamẽ opus bonũ, nulla mala circunstantia posita; tunc enim interpretatiuè propter vltimũ finem operatur, ad quem ipsum opus ex sui natura ordinatur, non enim apponere malam circunstantiam interpretatiuè, est velle finem ipsius operis, nec est opus alia multi-

plicare,ſicut hic multiplicat Valẽtia diſp. 1.q.1. puncto 5.vt explicet quibus modis poſsit quis agere propter finem.

1.Concluſ. Prima cõcluſio. Actiones bonæ, ſiue ſupernaturales gratiæ,ſiue naturales,vt opera moraliter bona facta ab infideli, qualia ſunt eleemoſyna,&c.omnes talesactiones ſunt propter vltimũ finẽ materialẽ,ſcilicet Deum. Probatur,nã omne bonum particulare eſt quædam participatio Dei: ergo omnis actio (ſemel poſito quòd bona ſit) in Deum debet ordinari,ſicut imperfectũ ad perfectũ. Difficultas autẽ ſolùm eſt in explicando qualiter illud opus in Deum poſsit referri ab infideli, qui nunquàm de Deo vero cogitauit,ſed potiùs ſemper ſe ipſum, & omnia ſua retulit in idôlum. In quo aliqui Thomiſtæ dicunt,quòd illa volitio, qua Gentilis retulit ſe & omnia ſua in idôlũ,poteſt conſiderari dupliciter: primò vt volitio idôli: ſecundò, vt volitio boni in cõmuni quod quærit in idôlo,in quo exiſtimat eſſe plenã rationẽ boni. Dicunt ergo,ꝙ ab illa volitione ſecundum priorẽ rationẽ referuntur omnia opera mala Gẽtilis in idolũ: ſecundùm pôſteriorem verò rationẽ referuntur omnia operamoraliter bona,ſaltem virtualiter,in Deum verũ,in quo ſolũ vere & realiter reperitur plena ratio boni quod inquirit Gentilis in idôlo. Sed hic modus explicandi non placet; quia volitio boni in communi,ſicut & ipſum bonum vniuerſale,indifferens eſt ad hoc vel illud bonũ: ab illa ergo volitione ſecundũ quòd volitio eſt boni in cõmuni, non poteſt determinatè hoc opus bonũ eleemoſynæ in Deum verum ordinari; & etiam quia actiones Gẽtilis,quæ ab illa volitione relationis in idôlũ referuntur ab illa, niſi prout actio quædam in particulari hic & nunc exercita: in hac autem conſideratione ſolũ eſt relatio in idôlum,& cõſequenter ab illa non ordinantur niſi quæ in idôlum ordinabilia ſunt. Secundus ergo modus explicandi verus & legitimus eſt,quòd opus eleemoſynæ factum ab infideli,eſt propter Deum,vel per relationẽ interpretatiuam, quatenus facit opus bonum ex obiecto, nulla poſita mala circũſtantia,interpretatiuè videtur illud facere propter finem connaturalem ipſius operis,qui eſt Deus verus. Aut verò ſecũdùm opinionem aliorum probabilem refertur in Deum per relationem virtualem, relationis,ſaltem habitæ à principio vitæ, qua ſe in Authorem naturæ retulit, antequàm de idôlo conſideraret: illa enim relatio ſufficit ad opera moraliter bona in tota vita facta, ex eo quòd talia opera ex propria natura ad talem finem ordinantur, niſi ab illo per contrariam volitionẽ operantis ſe parentur. Et ſi arguas,quòd illa prima relatio in Authorẽ naturæ,iam fuit retractata per ſuperueniẽtem cõuerſionem in idôlum: ergo non poterit hoc opus eleemoſynæ dirigi in Authorem naturę ab illa priori volitione. Reſpondetur,minus requiri, vt referatur in Authorẽ naturæ, ad quem ex ſe ipſo opus tendit, quàm vt referatur in idôlum; quandiu enim in particulari ad idôlum non refertur, ſuo põdere ad Authorem naturæ tendit: quandiu enim lapis actualiter per violentiam non ſurſum fertur,vel detinetur, ſuo pondere deſcendit ad cẽtrum: ſimiliter ergo in præſenti,quia tendentia in idôlum,eſt quaſi violentia, in Authorem naturæ, eſt naturalis.

Secunda concluſio. Abſolutè dicendũ èſt,peccata non fieri propter Deum. Hæc probatur argumento ſecũdo poſito à prin cipio,cũ ſua confirmatione,ſicut enim nõ dicitur ꝙ Deus ſit cauſa peccati,licèt ſit cauſa materialis peccati: quia malitia peccati non correſpondet Deo, ſed homini, ita è conuerſo,homo non dicitur referre & operari peccatum propter Deum; quia licèt materiale ſit ordinabile in ipſũ, non tamẽ formale,& malitia quæ ſe tenet ex parte hominis requirebatur: ergo quòd ſecundùm illud quod ſe tenet ex parte hominis eſſet referibili in Deum, vt diceretur peccator dum peccat, propter Deum operari. Et ſi quæras,iam quòd abſolutè non dicatur quòd peccator dum peccat,operatur propter Deum, ſi poterit concedi,quòd quatenus exercet ipſam actionem,& materiale peccati; operatur propter Deum,ſicut id cõceditur de Deo cauſante tale materiale. Reſpondetur, id de homine non poſſe concedi; quia licèt illa entitas vt â Deo,ſit bona,& ſic ad Deũ poſsit ordinari; vt tamẽ ab homine,ipſum materiale & ſubſtantia actus eſt mala, quia ipſum materiale non eſt volitum vtcumque ab operante,ſed vt illi cõiungitur malitia,vt docet Caietanus infrà,q. 72. art. 1. dub. 1. Quapropter tale materiale, vt hic & nunc volitum ab operante,non eſt dirigibile in Deum. Et ſi rurſus dicas, quia malitia illius actus nõ eſt volita ab operante, ſed ſolùm ipſum materiale; quia nemo tẽdens ad malũ operatur ergo vt hîc & nũc volitum

2.Conclu.

Obiectio.

Solutio.

Obiectio.

volitum ab operãte, est dirigibile in Deũ:

Solut. Respondetur, quòd illa malitia, licèt non sit volita primò & perse, & directè, secundariò verò & indirectè est volita, quatenus materiale est volitum, cui necessariò annectitur illa malitia, ac perconsequens vt hic & nunc volitum, non est dirigibile in Deum.

Ex dictis sequitur peccatorem non omnia operari propter vltimum finem particularem sibi confictum, licèt omnia operetur propter vltimum finem formalem; quia, vt dictum est, opera moraliter bona peccatoris non propter proprium particularem vltimum finem confictum, sed propter Deum fiunt, etiam ex parte operantis; nõ autẽ sequitur, habere plures vltimos fines particulares simpliciter, quia, vt dictum est suprà, illa tendẽtia in Deum per bona opera, est inefficax; quapropter nullus finis vltimus particularis potest assignari propter quem omnia fiant, sicut fiunt propter vltimum finem formalem; quia neq; omnia fiunt propter Deũ, vt patet in peccatis, neque omnia propter finẽ confictũ, vt patet in operibus moralibus.

Ex his facile patet solutio ad argumenta vtriusque sententiæ concedimus enim primæ, quòd si loquamur ex parte hominis, nõ omnis actio est propter Deum, vt probat illa sententia argumento de peccato: si autem loquamur absolutè, non omnem actionẽ fieri propter Deum, quia & ipsum peccatũ, quantũ ad substantiam, licèt non ex parte hominis, tamen ex parte Dei causantis illam, ad ipsum Deum ordinatur; & liet malitia in Deum nõ ordinetur, neque ex parte hominis, neq; ex parte Dei, nõ inde sequitur, nõ omnia ex parte Dei ad Deũ ordinari, quia illa malitia formalis nihil est extra ipsum materiale, quod ex parte hominis dicitur malum & inordinabile; ex parte tamen Dei bonum & ordinabile in ipsum.

Ad secundam autem sententiam respõdetur, omnia illa prædicta verificari, quòd peccator & dæmon etiam in suis peccatis Deũ quærant, considerando Deum secundùm rationem cõmunem boni: plenitudo enim bonitatis in nullo alio quàm in Deo reperitur: quærẽdo ergo bonũ in communi, dicuntur implicitè querere Deũ ratione iam dicta; hîc autẽ loquimur de Deo, vt finis particularis correspõdẽs cõceptui individualis boni & vt hîc; & hac ratione diximus, non omnia (vt etiam ad peccata sit extensio) fieri propter Deum ex parte hominis: de quo videatur Aug. lib. 2. Confes. c. 5. 6. & 7. immò fere per totũ libũ, vbi ostendit, quod omnis qui peccat, imitatur aliquid diuinum, dum concupiscit aliquid bonum, quod secundum veram & perfectam rationem in Deo solo est, & vt ostendat imitari secundùm rationem communem, & non secundùm particularem rationem finis, subdit: Peruersè te imitantur, qui à te longè se faciunt, & colunt se aduersum te; sed sic etiam imitãdo indicãt creatorem te esse omnium, & ideò non esse, quò à te omnimodo recedatur. *Aguſt.*

ARTICVLVS VII.

Vtrum omnium hominum sit vnus vltimus finis.

AD *septimũ sic proceditur. Videtur quòd nõ omnũ hominum sit vnus finis vltimus. Maximè enim videtur vltimus finis esse hominis incommutabile bonum: sed quidam auertuntur ab incommutabili bono, peccando: non ergo omnium hominũ vnus est vltimus finis.* *Sup. art. 5. 10. & 1. Ethi. lect. 9.*

2. Præterea: secundùm vltimũ finem tota vita hominis regulatur: si igitur esset vnus vltimus finis omnium hominum sequeretur, quòd in hominibus non essent diuersa studia viuẽdi: quod patet esse falsum.

3. Præterea: Finis est actionis terminus: actiones autem sunt singularium: homines autem etsi conueniant in natura speciei, tamen differunt secũdum ea quæ ad individua pertinent: non ergo omnium hominũ est vltimus finis.

Sed contra est quod Augustinus dicit. 15. de Trinit. quòd omnes homines conueniunt in appetendo vltimum finem, qui est beatitudo. *Cap. 3. & 4. tom. 3.*

Respondeo dicendum, quòd de vltimo fine possumus loqui dupliciter. Vno modo secundùm rationem vltimi finis. Alio modo secundùm id in quo finis vltimi ratio inuenitur. Quantũ igitur ad rationẽ vltimi finis, omnes cõueniũt in appetitu finis vltimi; quia omnes appetunt Art. 5. huius quæst. *suam perfectionem adimpleri, quæ est ratio vltimi finis, vt dictum est. Sed quantum ad id in quo ista ratio inuenitur, non omnes homines conueniunt in vltimo fine; nam quidam appetunt diuitias tanquàm consummatum bonum: quidam verò voluptatem: quidam verò quod cumque aliud; sicut & omni gustui delectabile est dulce, sed quibusdam maximè delectabilis est dulcedo vini, quibus dã dulcedo mellis, aut alicuius talium: illud tamen dulce oportet simpliciter esse melius delectabile, in quo maximè delectatur qui habet optimũ gustũ: & similiter illud bonum oportet esse completissimum, quod tanquam vltimũ finẽ appetit habens affectum bene dispositum.*

Ad primum ergo dicendũ, quòd illi qui peccant, auertuntur ab eo in quo verè inuenitur ratio vltimi finis, non autem abipsa vltimi finis intentione, quã quærũt falso in alijs rebus.

Ad secundum dicendù, quòd diuersa studia viuendi contingunt in hominibus, propter diuersas res in quibus quæritur ratio summi boni.

Ad tertium dicendum, quòd etsi actiones sint singularium, tamen primum principium agendi in eis, est natura, quæ tendit ad vnũ, vt dictum est. Art. 5. huius q.

Prima conclusio. Finis vltimus formalis est vnus omnium hominum. 1. Concl.

Secunda conclusio. Quãtum ad finem materialẽ, hoc est, quãtũ ad illud in quo ratio summi boni reperitur, nõ omnes homines conueniunt in eodem vltimo fine. 2. Concl.

Tertia conclusio. Quanuis secundùm varietatem hominum & affectuum, iuxta diuersam æstimationem, diuersi sint vltimi fines; illud tamẽ erit in re summum bonum, & vera felicitas, quod tanquàm summum bonum & finem vltimum iudicauerit & appetierit melius dispositus, aut habens affectum bene dispositum. 3. Concl.

Conclusiones huius articuli acceptæ sunt ex 1. Ethic. cap. 4. vbi dicitur, quòd omnes homines, tam sapiẽtes, quã insipiẽtes, conueniunt de felicitate in duobus: in voce, & in ratione: omnes enim vocant felicitatem beatitudinem, & summum bonũ nostrum, quod est conuenire in nomine: ratio autem siue definitio similiter est eadem apud omnes, nimirum quòd felicitas sit consummata & perfecta bonitas, qua omne desiderium expletur, & omnis miseria fugatur; quòd videlicet sit status omnium bonorum aggregatione perfectus. Differentia tamen fuit, in qua re singulari hæc omnia inuenirẽtur; de qua re legatur D. Aug. lib. 13, de Trinit. & 19. de Ciuit. Dei, & Cicero lib. de finibus bonorum & malorũ, & in Tusculanis quæstionibus, & Seneca de Vita beata, & Lactantius Firmianus lib. 3. de falsa sapientia, c. 7. de quibus nos longè agemus quæstione sequẽti. *D. Augus. Cicero. Seneca. Lactant.*

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm in vltimo fine hominis omnia alia conueniant.

Inf. q. 103. ar. 2. & 2. dist. 38. ar. 1. & 2. co. & 1. co. c. 75. & li. 3 c. 17. 25. & 27. fin. & 97. c. 2. & & ver q. 5 ar. 6. ad 4. cap. 10. cir. pri. & c. 4. 1. par. ante med.

AD octauũ sic proceditur. *Videtur quòd in vltimo fine hominis etiã omnia alia conueniant. Finis enim respondet principio: sed illud quod est principium hominum, scilicet, Deus, est etiam principium omnium aliorum: ergo in vltimo fine hominis omnia alia communicant.*

2. Præt. Dionys. de diui. no. dicit, quòd Deus cõuertit omnia ad se ipsum tanquã ad vltimũ finẽ: sed ipse est vltimus finis hominis, quia solo ipso fruendum est: ergo in fine vltimo hominis etiam alia conueniunt.

3. Præt. Finis vltimus hominis, est obiectum voluntatis: sed bonum voluntatis, est bonum vniuersale, quod est finis omnium; ergo necesse est quòd in vltimo fine hominis omnia conueniant.

SED contrà est, quòd vltimus finis hominum est beatitudo, quam omnes appetunt, vt Augustinus dicit: sed non cadit in animalia expertia rationis vt beata sint, sicut Augustinus dicit in lib. 83. q. 9 nõ ergo in vltimo fine hominis alia conueniunt.

Augu. 15. de Ciuitat. Dei, c. 1. & 13. de Trinit. c. 3. & 4. idem li. 83. q. 45. tom. 4.

Respon. dicendũ, quòd sicut Philosophus dicit in 5. Meth. finis dupliciter dicitur, scilicet cuius & quo; id est, ipsa res, in qua ratio boni inuenitur; & vsus, siue adeptio illius rei: sicut si dicamus, quòd motus corporis grauis, finis est, vel locus inferior, vt res, vel hoc quod est esse in loco inferiori; vt vsus; & finis auari est, vel pecunia vt res, vel possessio pecuniæ, vt vsus. Si ergo loquamur de vltimo fine hominis quantum ad ipsam rem, quæ est finis, sic in vltimo fine hominis omnia alia conueniunt, quia Deus est vltimus finis hominis & omniũ aliarũ rerum. Si autem loquamur de vltimo fine hominis, quantum ad consequutionẽ finis, sic in hoc fine hominis non communicant creaturæ irrationales; nam homo, & aliæ rationales creaturæ consequuntur vltimum finem, cognoscendo & amãdo Deum; quod non competit alijs creaturis, quæ adipiscuntur vltimum finem, inquantum participant aliquam similitudinẽ Dei, secũdùm quòd sunt, vel viuunt, vel etiam cognoscunt.

Tex. 22. tomo 3.

Dist. 707. 1113.

Et per hoc patet responsio ad obiecta; nam beatitudo nominat adeptionem vltimi finis.

Prima conclusio. Loquendo de re in qua est beatitudo & vltimus finis, omnia conueniunt in eodẽ vltimo fine hominis. 1. Concl.

Secunda conclusio. Loquendo de fine proadeptione sumpto, non omnia conueniunt in eodem vltimo fine hominis. 2. Concl.

Tertia conclusio. Quanuis secundùm varietatem hominũ & affectuum, iuxta diuersas æstimationes, diuersi sunt vltimi fines: illud tamen non erit in re summũ bonum, & vera felicitas, quod tanquam summum bonum & finem vltimum iudicauerit & appetierit habens. 3. Concl.

DVBIVM

Vtrùm in vniuersum omnis causa exerceat suam operationem, cuius cunque generis sit, propter Deum, tanquàm propter vltimum finẽ.

Probatur quòd nõ. Vt aliqua causa agat propter aliquem finem, debet attingere illum: sed causæ naturales non possunt attingere Deum: ergo non possunt agere propter illum. Minor probatur, nam causæ naturales sunt materiales; Deus verò aliquid spirituale: sed corporale non potest attingere spirituale: ergo, &c. 1. Arg.

Secũdò argumẽtor. Ex eo omnia agũt propter bonum incommuni, quia bonum incommuni clauditur formaliter in quocũque bono & fine particulari; vnde attingẽdo, & bonum particulare attingunt, & bonum in communi contẽtum in illo bono particulari. Sed hæc ratio nõ currit respectu Dei in ordine ad alios fines particulares: ergo nõ omnis causa agit propter Deũ. Probatur minor; nã Deus distinguitur realiter à quocũque alio fine particulari creato: ergo ex eo quòd causæ naturales, v. g. 2. Arg.

attingat fines particulares creatos, non sequitur, in ipsis attingere Deum. Si respondeatur, agentia naturalia, v.g. non attingere Deum formaliter, attingere tamen virtualiter & implicitè: Contrà argumentor; Quia non potest attingi virtualiter, quod est incapax attingendi formaliter; quia attingentia virtualis ad formalem reducitur: cùm ergo agentia naturalia formaliter Deum attingere non possint, neque, &c.

Solutio. Si respondeatur, non attingere Deum virtualiter, si ly Virtualiter, importet aliquid ex formali relictum: sed dicuntur virtualiter attingere, in quantum omnia creata, sunt quædam participationes perfectionis diuinæ; vnde attingere participatā rationem, est virtualiter attingere id à quo participatur: Contrà argumentor: Nam aliqua causa est, vt materialis, quæ nullam perfectionem participatam importat, cū nullius sit actualitatis prædicta causa: ergo propter illam rationē causalitas materialis propter Deum esse non poterit. Et secundò impugnatur eadem solutio, nam quòd finis particularis quem attingit quælibet causa sit participatio & effectus Dei, non sufficit, vt quod operatur propter talem finem, operetur etiam propter Deū: ergo talis solutio est insufficiens. Probatur minor; nam omnis res inferior, est effectus cœli & intelligentiæ mouentis illud, & nō propterea quod agit propter aliquā rem inferiorem, agit propter cœlum, aut intelligentiam.

Impug. — *Impug. 1.* — *Impug. 2.*

Confir. Confimatur; nam illa habitudo, & connexio requisita inter Deum & rem creatam, vt quod attingit rem creatam, dicatur attingere Deum; debet esse habitudo, & connexio formalis: aut verò solùm materialis: neutrum istorum: ergo. Probatur minor, nam connexio formalis importat cognitionem ex parte agentis circa talem rem; quod de agentibus naturalibus verificari non potest. Quod non etiam connexio materialis sufficiat, probatur in vidente colorem pomi & non saporem, licèt color & sapor materialiter connectantur.

Not. Pro intelligentia notandum, quòd hic possumus loqui dupliciter. Primò ex parte Dei creantis & producentis omnia. Secundò ex parte ipsarum rerum quas Deus creat, & producit. Primo modo, certum est in creatione & productione rerum nō esse, alium finem vltimum, quàm ipsum Deum; quod latè ostendit D. Tho. 1. p.q. 6. art. 1. & quæst. 44. art. 4. & q. 103. art. 2. & 3. contra Gentes, à cap. 17. & Scotus in 1. dist. 2. q. 2. & in 4. dist. 49. q. 8. immò in hoc videtur doctrina Fidei ex illo Prouerb. 16. Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, & Apoc. 1. & 22. Ego sum Alpha & O. initium & finis. Restat autem difficultas, vtrùm ex parte ipsarum rerum tendant omnia in Deum vt in vltimum finem. Pro quo etiam recolendum quod suprà diximus de fine qui, & fine quo, & adeptione ipsius finis.

D. Thom. — *Scot.* — *Prou. 16.* — *Apocal. 1. & 22.*

Prima conclusio. In vniuersum omnis causa physica agit propter Deum, vt propter vltimum finem. Hæc est D. Tho. hic, & expressiùs locis citatis in notab. q. 22. de veritate, art. 2. & 3. contra Gentes, c. 4. vbi omnino videatur Ferrara. Probatur primò. Supremum bonū est ad quod omnia bona particularia tanquàm imperfecta, & inchoationes, & participationes eius ordinantur: sed supremum bonum nullū est nisi Deus: ergo ad Deum quodcumque bonum ordinatur. Secundò probatur. Causa finalis est causa aliarum causarum, quia primum in vnoquoque genere, debet esse causa cæterorum: prima autē inter causas est finalis; inter causas autem finales suprema est Deus, ad quem omnes aliæ causæ finales ordinantur: ergo de primo ad vltimū, si omnis causa est propter finem, & omnis finis propter Deum, consequenter & omnis causa aget propter Deum. Tertiò probatur. Finis & causa efficiens debent se correspondere; sed prima causa efficiens omnium est Deus; ergo vltimus omnium finis erit etiam Deus. Vltimo probatur. Quælibet causa sic habet agere, sicut à Deo habet virtutem agēdi: sed Deus omnibus causis dedit virtutē agēdi propter se ipsum; ergo omnes causę sic operātur; sic enim causæ secūdæ operantur, sicut mouētur à prima. Probatur minor, ex Dionys. cap. 10. de diuin. nom. dicente, quòd Deus omnia conuertit in se ipsum. Et ex illo Trismegist. Monas genuit monadem, & in se suum reflexit ardorem, vt refert D. Tho. 1. par. q. 32. art. 1. & Halensis 1. par. q. 2. memb. 1. art. 3. Diximus autem in conclusione, quòd omnis causa physica propter Deum operatur, quia causa moralis non semper operatur propter Deū, vt diximus de peccatore; rationes enim prædictæ de illo non currunt, quia in actione peccaminosa, homo est peccati prima causa, & peccatum vt ab homine, in Deum nō est ordinabile, quapropter

1. Concluſ. — *D. Thom.* — *Ferra.* — *Dionyſ.* — *Triſmeg.* — *D. Thom.* — *Halenſis.*

propter neque ex motione prioris causæ, neque ex ordinatione rei intentæ ab operante, potest dici quod propter Deum in illa mala operatione operetur.

2.Conclus. Secunda conclusio. Deus nō solùm est finis qui, sed etiā circa ipsum est finis quo, licèt imperfectè, respectu omnium rerū, & actionum prædictarum, quatenus omnia suam vltimam perfectionem acquirūt in eo quòd ad Deum perueniant, & illum suo modo consequantur. Hæc etiam est

Nota. D.Tho. locis citatis in not. Pro cuius intelligentia notandum, quòd finis quo, seu adeptio vel possessio finis, est duplex: altera perfecta, quæ fit per intellectum & voluntatem Beatorum in patria: altera verò est imperfectissima adeptio, consistens in assimilatione ad ipsum Deum, non sumēdo assimilationem pro relatione, sed pro fundamento. Diuus ergo Thomas loquitur de fine quo in priori acceptione, & sic dicit, alia non conuenire in fine quo hominis, quia alia non perueniunt ad videndum Deum; non autem loquitur in secunda acceptione, quia sic omnis creatura cōsequitur Deum, quatenus omnis creatura, appetendo esse vel viuere, vel propriam perfectionē, assimilatur Deo, in hoc enim propria perfectio cuiuscunque rei consistit, vt aliqualem Dei similitudinē habeat: dum ergo prædictam similitudinem consequitur, aliqualiter Deum obtinet, eius perfectionem imitando; quapropter consequutio vltimi finis veri, qualis est Deus, quadrupliciter reperitur. In primo gradu est consequutio Beatorum per claram visionem. In secundo consequutio per Beatitudinem naturalem quā haberet homo in puris naturæ, per cognitionem abstractiuā perfectam tamen, Authoris naturę. In tertio adeptio brutorum, quæ etiamsi cognitionem Authoris naturæ non habeant, cognoscunt tamen finem proximū in quem tendunt. In quarto est consequutio inanimatorum per assimilationē prædictam ad Authorem naturæ, vt dictum est; & isti gradus consequutionis sunt magis & minus perfecti, incipiendo ordine posito: nam qualis est tendentia in finem sic est assequutio eius: inanimata ergo minus perfectè tendunt in finem; posteà bruta; posteà homo viribus naturæ; vltimò perfectè tendit homo per Fidem & Charitatem: & sic eodem ordine melius fit cōsequutio Dei, quia sic est peruenire ad finem, qualis est tendentia ad illum. Et si cōtra paædicta facias argumentum, nam damnati appetunt non esse, vt suprà dictū est; ergo istius appetitus Deus non erit vltimus finis. Patet consequentia; nam in tā tum dicitur quòd omnis actio est propter Deum, in quantum omni actione quæritur esse & perfectio, cuius Deus est causa:

Obiectio. Respondetur ex D.Tho. 1.par. q.5. & in 4.sent. dist.49.q.1. art.3. quæstiuncula 2. & Ferra.3. contra Gentes, c.19. quòd etiā ipsum non esse appetitur à damnatis vt bonum, ac per consequens etiam in non esse apparet eis aliqua participatio Dei summi boni. Et si contra arguas; nam bonum fundatur in ente, & supponit illud: ergo non ens non potest habere rationem boni: Respondet Ferra.3.contra Gentes, cap.20. quòd bonum non conuertitur cū ente, sed est superius ad illud; potest enim esse bonum ab extrinseco comparatione ad miseriam quam damnatus patitur in esse, & sic priuatio ipsius esse, in quantū est priuatio ipsius miseriæ, habet rationem boni, & consequenter bonum plus se extendit, quàm ens. Vel secundò melius potest respōderi, bonum posse sumi dupliciter: positiuè, vel negatiuè. Positiuè bonum dicitur positiuè perfectum; negatiuè autem potest dici bonum, quod priuat malo. Dicitur ergo, quòd non esse, non est bonum positiuè, quod quidem conuertitur cum ente; est autem bonum negatiuè, in quantum priuat malo quod patitur damnatus in essendo, & sic bonum non supponit ens. Vel tertiò dicitur bonum, vel supponere ens, vel sufficere quòd dicatur in ordine ad esse, quapropter ipsum non esse compararione ad esse, induit rationem boni prædictam. Et si arguas, quòd vnum cō trariū nō potest induere rationē alterius: ergo nō ens nō potest aliqualiter induere rationem entis, vt per ordinem ad illud dicatur aliqualiter bonum: Respondetur, quòd intranscendentibus id potest fieri, vt non solùm intelligatur superius ad oppositum, sed etiam ad se ipsum; vt patet in in intelligibili, quod communiter se habet etiam ad oppositum, siquidem nō intelligibile est intelligibile, ac perconsequens intelligibile est superius ad non intelligibile & ad intelligibile, & consequenter ad se ipsum: similiter ergo dicitur de ente, transfundi super non ens, vt ipsum non esse, per ordinem ad esse, habeat esse appetibile & bonum. Et si rursur arguas, plus distare contradictoria, quàm contra-

Solutio. D.Thom. Ferra.

Obiectio.

1.Solutio. Ferra.

2.Solutio.

3.Solut.

Obiectio.

Solutio.

Obiectio.

Obiectio.

ria,vt ens & non ens, bonum & non bonum,quàm distent verbi gratia,bonum & malum; sed in contrarijs vnum non potest aliud inducere,neque voluntas tendere in malum: ergo minus poterit tendere in non ens & non bonum, sub ratione entis & boni: Respondetur,physicè & in re plus distare contradictoria, moraliter tamen & in ordine ad appetitum,plus distare contraria; vt patet in odiente & diligente Petrum,plus esse repugnantiæ moralis & appetibilitatis respectu Petri, quã sit inter diligentem & non diligentem ipsum; facilius enim est Petro amare diligentem & non diligentem se, quàm amare odientem illum:sic in præsenti melius potest voluntas appetere non bonum ratione prædicta,quàm appetere malum. Et si adhuc instes, quòd appetere non esse & bonum negatiuè,non est quærere Deum, quia Deus non participatur vt summum bonum in bono negatiuo,sed in bono positiuo: ergo appetitus boni negatiui & nõ entis,non est appetitus Dei vt vltimi finis participati in ipso fine ab operante intento:Respondetur,quòd appetitus naturalis hominis primò & per se est ad felicitatem & bonum;secundariò autem ad esse, tanquàm in quo reperitur bonum & felicitas:si autem in esse felicitas deficiat,& miseria coniungatur,naturaliterfugit ab esse, vt fugiat miseriam illi coniũctam, & quærat felicitatem,qualiter reperiri potest extra ipsum esse.Dico ergo,quòd ex appetitu essendi perfectè, quale est esse felicem, oritur vt appetat non esse,quia felicitatem in esse inuenire non potest; sicut mater verbi gratia diligens, aut appetens honorem filij, videns ipsum condemnatum supplicio infami, appetit ipsum mori, & iste appetitus oritur ex appetitu honoris filij;sic in præsenti ex appetitu essendi felicem, oritur appetere non esse, & quia appetitus felicitatis tendit ad Deum,vt ad vltimũ finem, consequenter & appetitus non essendi,qui ex appetitu felicitatis oritur, etiam ad Deum vt ad vltimum finem habet terminari.

Solut. *Obiectio.* *Solutio.*

Ex dictis sequitur, quòd cùm Deus sit omnium finium vltimus & perfectus, terminans in vniuersum omnem actionem, necessariò in Deo præsupponitur esse omni actioni: itaque de ratione finis non est præcedere secundùm existentiã,quia multoties contingit,vt suprà dictum est,vt appetatur finis nondum existens;de ratione tamen vltimi finis perfecti terminantis omnem actionem,est præexistere, quia si omnem actionem terminat, & omni actioni præsupponitur,per nullam actionem potest produci,& sic in essendo omni actioni presupponitur. Itaque finis est duplex; alius qui nostris actibus & intenditur & producitur,de quo habet verum, quòd finis est prior in intentione, & vltimus in exequutione, vt v. g. sanitas: alius autem est finis qui â nobis intenditur & acquiritur,non tamen producitur;sicut v. g.centrum acquiritur à lapide,& non producitur ab illo:sic ergo est Deus respectu omnis actionis, licèt enim illa intendatur vel acquiratur;per nullam tamen producitur, immò neq; se habet sicut centrũ in lapide: licèt enim centrũ non producatur à lapide,perficitur tamen dum acquiritur à lapide:Deus autẽ acquisitus à creaturis, nullã perfectionem accipit ab illis, sed solùm resultat relatio rationis ad illas. Et si dicas, quòd respectus rationis resultans sufficit vt dicatur acquirere perfectionem, vt patet in Rege electo, in quo tantùm relatio rationis resultat:Respondetur, quòd licèt physicè in Rege tantùm ponatur relatio rationis; moraliter tamen ponitur dignitas realis in illo. In Deo autem neq; physicè,neq; moraliter ponitur aliquid reale.

Obiectio. *Solut.*

Ad primum argumentum à principio, respondetur, rem corporalem non posse attingere spiritualem vt obiectum: inter potentiam enim & obiectum debet esse proportio,vt probat argumentum; bene autem potest res corporalis attingere spiritualem vt finem, ad hoc enim sufficit, vnum esse participationem alterius, vt ad illud vt ad finem ordinetur.

Ad 1.arg.

Ad secundũ argumentum bene ibi respõsum est. Ad vltimam replicã de materia prima,respondetur,quòd licèt materia prima non sit ens in actu,& consequenter neque perfecta,neque bona in actu;est tamen ens in potentia; vnde in ordine ad formam,& habet esse & perfectionem, & suo modo causalitatem, nempe potentialem,& sic eius causalitas est propter Deũ; quia in ordine ad formam,est causalitas,& in ordine ad perfectionem participatam à Deo.

Ad 2.arg.

Ad secundã impugnationem respõdetur,q̃ licèt res inferiores habeant rationẽ effectus in fieri respectu cœli & intelligentiæ,nõ tamẽ incõseruari, sicut habẽt respectu Dei; vnde nõ est tãta cõnexio, vt qui opera-

Ad impu.

operatur propter rem inferiorem, operetur etiam propter cœlum: sicut qui operatur propter aliquod creatum, dicitur operari propter Deum. Sed hæc solutio non multum placet, nam etiam inferiora depẽdent in fieri & in conseruari à cœlo & intelligentia, cùm sint causæ æquiuocę. Vnde secundò melius respondetur, non sufficere esse causam vtcunque, vt qui operatur propter effectum, operetur propter causam; sed hoc habet eminentiæ causa prima propter essentialem dependentiam effectus ab illa; quicumque enim effectus essentialiter est participatio primæ causæ, non autem aliarum: vnde qui operatur propter effectum creatum, necessariò operatur propter Deum; non autem qui operatur propter corporalia, operatur propter cœlum. Ad confirmationem respondetur, non esse necessariam connexionem formalem importantem cognitionem; sed neque sufficere quamcunque connexionem materialem, sed requiritur connexio dependentiæ vnius ab alio in essendo, qualis reperitur inter creaturam & Deum, etiam si ab agente non cognoscatur; non autem reperitur inter colorem & saporem in pomo, quia neutrum ab altero habet dependenciam, sed omnino materialiter coniunguntur.

2. Solut.

Ad confir.

QVAESTIO II.

De his in quibus hominis Beatitudo consistit.

D. Tho. D. Aug. D. Amb. Arist. Cicero. Seneca, Lactan.

DE Hac materia agunt Doctores Scholastici in 4. distinct. 49. Diuus Thom. 3. contra gentes cap. 25. & capit. 27. vsque ad 40. D. August. libr. 13. de Trinitate à cap. 3. & lib. 19. de Ciuitate, & D. Ambrosius lib. 2. de officijs, cap 2. quorum insignem doctrinam affert D. Thom. in præsenti quæstione, agit etiam de hoc Aristot. 4. Ethicor. & 1. Et hic & 10. Et hic. Cicero etiam plurimis in locis in libro de finibus bonorum & malorum, & in Tusculanis quæstionibus, & in Paradoxis, atque in dialogo. Seneca libr. de Vita beata. Lactantius Firmianus libro de falsa sapientia, qui est tertius liber diuinarum institutionum, cap. 7.

Nota.

Pro intelligentia huius quæstionis notandum, quod postquàm Diuus Thom. in præcedenti quæstione egit de vltimo fine in communi, & dixit, necessariò constituendum respectu hominis; modò progreditur assignare in particulari, quis sit talis vltimus finis hominis, qui vocatur beatitudo; & ad hoc assignandum, cùm bonum & finis sint idem, discurrit per singula bona, vt videat in quo illorum beatitudo reperiatur. In discursu etiam ipsorũ bonorum debitum ordinem seruat; nam bonum formaliter diuiditur in honestum vtile & delectabile. ex parte autem subiecti diuiditur in bonum animæ, vt scientiæ & virtutes; & in bonum corporis, vt sanitas & pulchritudo, & in bonum externũ, vt pecuniæ, & abundantia rerum, vt possessiones vinearum, gregum, &c. Sequutus autem sermonum Christi exemplar, qui quando suum aperiens os, beatos ac felices, non diuites, sed pauperes resonauit, primo loco inquirit D. Thom. an in diuitijs sita sit hominis beatitudo, inter bona enim corporalia infimum locum tenent diuitiæ, quæ ad omnia alia hominis bona ordinantur. Secundum locum obtinent honores, propter quos rationabiliter homines diuitias paruipendunt. Tertiam sedem possident supra honores fama & gloria, quæ super honorem addit illustrem rumorem & quandam cum laude claram notitiam; quocumque enim in oppido plures sunt honorati, pauci verò famosi & glorioſi. Quartum locum possidet potestas & dignitas, eo quòd alia in particularibus inueniuntur, hoc autem nõ nisi in publica & quodam modo diuina persona. Quintum locum habent bona intrinseca, vt vita & salus, quæ omnibus externis præeminent; pellem namque pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua, scilicet pro vita sua. Sextum locum tenent voluptates & delectationes, abstrahendo à corporalibus & spiritualibus, à perfectis & imperfectis; propterea namque vniuersa præcedentia appetuntur, quia delectat ipsarum possessio. Supremum & septimum locum tenent bona animæ, vt scientiæ & virtutes. Per hæc ergo discurrit D. Tho. per septem articulos, incipiendo ab infimo, quod sunt diuitiæ, & in octauo generaliter concludit, in nulla re creata beatitudinem posse consistere.

ARTI-

ARTICVLVS I.

Vtrùm Beatitudo hominis consistat in diuitijs.



5. cõt. c. 30. & opus. 3. c. 108. 262 & 164. & op. 20. li. 1. c. 8. & Mat. 5. to. 3. 4. & 5. & 1. & hic lect. fin.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quòd beatitudo hominis in diuitijs consistat: cùm enim beatitudo sit vltimus finis hominis, in eo consistit quod maximè in hominis affectu dominatur: huiusmodi autem sunt propriè diuitiæ, dicitur enim Eccles. 10. Pecuniæ obediunt omnia; ergo in diuitijs beatitudo hominis consistit.

Prof. 2. circa prin. c. 5 & 1. Pol. c. 6. & 7. tomo 5.

2. Præterea. Secundùm Boetium in 3. de consol. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus: sed in pecunijs omnia possideri videntur quia, vt Philosophus dicit in 5. Ethic. ad hoc nummus est inuentus, vt sit quasi fide iussor habendi pro eo quodcumque homo voluerit: ergo in diuitijs beatitudo consistit.

3. Præterea. Desiderium summi boni cùm nunquam deficiat, videtur esse infinitum: sed hoc maximè in diuitijs inuenitur, quia auarus non implebitur pecunia, vt dicitur Eccles. 5. ergo in diuitijs beatitudo consistit.

Lib. 2. pros circa princ.

Sed contrà: Bonum hominis in retinendo beatitudinem magis consistit, quàm in emittendo ipsam; sed sicut Boetiũ in 3. de consolat. dicit diuitiæ effundendo magis quàm coaceruando meliùs nitent, si quidẽ auaritia semper odiosos, claros facit largitas: ergo in diuitijs beatitudo non consistit.

c. 6. à med. tom. 5.

Respondeo dicendum, quòd impossibile est beatitudinem hominis in diuitijs consistere; sunt enim duplices diuitiæ, vt Philosophus dicit in 1. Pol. scilicet, naturales & artificiales. Naturales quidem diuitiæ sunt, quibus homini subuenitur ad defectus naturales tollendos: sicut cibus & potus, vestimenta, vehicula & habitacula, & alia huiusmodi. Diuitiæ artificiales sunt, quibus secundùm se natura non iuuatur, vt denarij, sed ars humana eos adinuenit propter facilitatem commutationis, vt sint quasi mensura rerum venalium. Manifestum est autem, quòd in diuitijs naturalibus beatitudo hominis esse non potest; quærentur enim huiusmodi diuitiæ ad sustentandam naturam. Hominis, & ideò non possunt esse vltimus finis, sed magis ordinantur ad hominem, sicut ad finem: vnde in ordine naturæ omnia huiusmodi sunt infra hominem, & propter hominem facta, secundùm illud Psalm. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Diuitiæ autem artificiales non quæruntur, nisi propter naturales; non enim quærerentur, nisi quia per eas emuntur res ad vsum vitæ necessarias; vnde multo minus habent rationem vltimi finis: impossibile est igitur, beatitudinem, quæ est vltimus finis hominis, in diuitijs esse.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd omnia corporalia obediunt pecuniæ, quan-

quantum ad multitudinem stultorum, quia sola corporalia bona cognoscunt, quæ pecunia acquiriri possunt: iudicium autem de bonis humanis non debet sumi à stultis, sed à sapientibus, sicut & iudicium de saporibus, ab his qui habent gustum bene moderatum.

Ad secundum, dicendum, quòd pecunia possunt haberi omnia venalia, non autem spiritualia, quæ vendi non possunt: vnde dicitur Prouerb. 17. Quid prodest stulto diuitias habere, cùm sapientiam emere non possit?

Ad tertium, dicendum, quòd appetitus naturalium diuitiarum non est infinitus, quia secundùm certam mensuram sufficiunt naturæ: sed appetitus diuitiarum artificialium est infinitus, quia deseruit concupiscentiæ inordinatæ, quæ non modificatur, vt patet per Philosophum in c. 6. à medio tom. 5. *1. Polit. Aliter tamen est infinitum desiderium diuitiarum, & desiderium summi boni: nam summum bonum quanto perfectiùs possidetur, tanto ipsum magis amatur & alia contemnuntur; quia quanto magis habetur, magis cognoscitur, & ideo dicitur Eccles. 24. Qui edunt me, adhuc esurient; sed in appetitu diuitiarum & quorumcunque temporalium, est e conuerso, nam quando iam habentur, ipsa contemnuntur, & alia appetuntur, secundùm quod significatur Ioan. 4. cùm Dominus dicit: Qui bibit ex hac aqua per quã tẽporalia significãtur sitiet iterũ: & hoc ideò, quia eorũ insufficientia magis cognoscitur cũ habentur, & ideò hoc ipsum ostendit eorũ imperfectionem, & quòd in eis summum bonũ non consistit.*

Conclusio est negatiua.

DVBITATVR PRIMO.

Vtrùm secundùm fidem Catholicam asserendum sit, quòd nostra beatitudo non sit ponenda in diuitijs.

PRo intelligentia notandum, quòd de beatitudine hominis possumus loqui tripliciter. Primo de beatitudine hominis in hac vita, vt est quoddam animal inter omnia perfectissimum, ac si nihil aliud super esset in alia vita, sicut ipsum considerabat stultus ille relatus Eccles. 3. cùm aiebat: Vnus est interitus hominis & iumentorum, & æqua vtriusque conditio, & nihil habet homo iumento amplius. Secundo modo potest hominis beatitudo considerari, prout est in hac vita cum respectu ad aliam, eo quòd habeat animam immortalem; & hoc quidem secundùm quod per naturam potest cognosci; ratione enim naturali attigerunt Philosophi esse aliam vitam. Tertio denique modo consideratur beatitudo, vt est à Deo nobis reuelata per Christum, prænuntiata per Prophetas, prædicata per Apostolos, & à sanctis Doctoribus pi, ssimè ac sapientissimè exposita. *Nota.* *Eccles. 3.*

Prima conclusio (quæ fundamentum est totius nostræ Fidei) loquendo de beatitudine hominis, vt animæ est immortalis, & suppositа reuelatione diuina alterius vitæ, Heræsis manifesta esset, dicere, quòd nostra beatitudo consistit in diuitijs aut earum possessione. Hoc docet Christus Dominus in initio suorum verborum Matth. 5. dicens: Beati pauperes, & Marc. 10. & Matth. 19. & Lucæ 18. Quàm difficile (inquit) qui pecunias habent, in Regnum Dei introibunt. Quod explicans subdit, confidentes in pecunijs, &c. & Ecclesiastici 31. Beatus qui post aurum nõ abijt, neque sperauit in pecunia, & thesauris, & Prouerbiorum 11. Qui confidit in diuitijs suis, corruet. & capit. 23. Noli labo- *1. Conc.* *Matth. 5.* *Mar. 10.* *Matth. 19* *Lucæ. 18.* *Eccles. 31.* *Prob. 11. & 23.* *Psalm. 61.*

rare

rare vt literis. & Psal. 6. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.

Deinde probatur conclusio claris rationibus. Primò, ratione Diuui Thomæ, ad tertium, nam beatitudo debet plene satiare appetitum: sed diuitiæ non satiant: ergo. Probatur minor Ecclesiast. 5. Auarus non implebitur pecunia; quapropter inquit D. Thom. quòd appetitus diuitiarum est infinitus, propter sui imperfectionem & insufficientiam; quanto enim magis possidentur, tanto magis cognoscitur ac percipitur earum debilitas & insufficientia. Vnde quibuscunque habitis, aliæ quæruntur & appetuntur, quasi sufficientiores: quapropter appetitus pecuniarum aliter dicitur infinitus, atque desiderium beatitudinis; illud enim dicitur infinitum propter sui perfectionem, eo quòd quanto magis per amorem tenetur, tanto ipsius affluentia magis degustatur, iuxta illud Ecclesiastici 24. Qui edunt me, adhuc esurient. Quam etiam differentiam insinuauit Christus Dominus Ioan. 4. Qui bibit ex hac aqua (nempe quarumcumque rerum humanarum) sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei (videlicet ex beatitudine hic inchoata & percepta in spe per gratiam, & postea consummata in re per gloriam) non sitiet in æternũ. Secundo probatur conclusio. Beatitudo semel acquisita affert secum omnem delectationem, siquidem affert præsentiam cuiuscumque boni dilecti; sed qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis, vt dicitur capite prædicto 5. Ecclesiastes ergo. Tertiò: Beatitudo non consumitur vsu, sed vt dicitur eodem capite, vbi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas: ergo. Quartò argumentor. Possessio beatitudinis non affligit, neque solicitudinem & laborem ingerit; sed multitudo diuitiarum affligit, & solicitudinem & laborem ingerit, iuxta illud eiusdem capitis, Quòd saturitas diuitij non desinit eum dormire: ergo. Quintò probatur: Felicitas consummata, est bonum firmum & stabile & certum: diuitiæ non sunt huiusmodi, nam vt dicitur eodem capite, Diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui. Pereunt in afflictione pessima, &c. Sicut egressus est nudus ex vtero matris suæ, sic reuertetur, &c. Miserabilis prorsus infirmitas: quomodò venit, sic reuertetur. Et primæ ad Timotheum 6. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quia neque auferre quid possumus. Et rursus: Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli, quapropter dicit: Diuitibus huius sæculi præcipe, non sperare in incerto diuitiarum suarum: ergo. Sextò probatur: Beatitudo est status omnium bonorum (vt definit Boetius,) sed qui habet diuitias, non proinde habet sapientiam, nam vt dicitur Prouerbiorũ 17. Quid prodest stulto habere diuitias, cum sapientiam emere non possit? ergo. Septimò probatur. Beatitudo est summum bonum, sed sunt multa meliora quàm diuitiæ, nam vt dicitur Prouerbiorum 22. Melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ. Et Ecclesiastes 7. Sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia: hoc autem plus habet eruditio & sapientia, quòd vitam tribuit possessori suo: ergo. Aliæ etiam sunt demonstrationes D. Thomæ, quia beatitudo non ordinatur ad aliud vt ad finem, sicut diuitiæ ordinantur. Deinde diuitiæ inuoluntariè amittuntur, & temerariè acquiruntur. Item diuitiæ sunt communes bonis & malis, de quo passim reperietur in sacra Scriptura, Psalmo 72. Mei autem penè moti sunt pedes, &c. pacem peccatorum videns, & Ieremiæ 12. Quare via impiorum prosperatur, &c. Iacobi 5. Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miserijs vestris, quia aduenient vobis, &c. & Ecclesiastes 9. hoc est pessimum inter omnia quæ sub Sole fiũt, quia eadem cunctis eueniunt. Item, Beatitudo talis generis est, quòd neque eripi, neque auferri possit, neque naufragio neque incendio amitti, neque tempestatum neque temporum permutatione mutari: Sed hæc omnia deficiunt in diuitijs: ergo. Prædictæ rationes non solùm probant de Beetitudine supernaturali, sed etiam de naturali, siue in hac vita, siue in futura cognita à Philosophis, & similiter probant (de eadem repetantur) non consistere Beatitudinem in aliquo illorum, de quibus Diuus Thomas in 7. articulis sequentibus.

D. Thom.
Eccles. 5.
Eccles. 24.
Eccles. 5.
Eccles. 5.
Eccles. 5.
1. Ad Thimot. 6.
Prob. 17.
Prob. 22.
Eccles. 7.
Psal. 72.
Ierem. 12.
Iacob. 5.
Eccles. 9.

DVBIVM

DVBIVM II.

Iam quòd beatitudo non consistat in diuitijs, quod nam sit vtilius medium ad beatitudinem adipiscendam, sufficientia & abundantia rerum temporalium, an verò earundem indigentia & paupertas.

4. *Arg.* PRobatur primum. Primò, Prouerbiorum 30. Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, & ne egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei. Et Ecclesiastes. 7. Vtilior est sapientia cum diuitijs, & magis prodest videntibus solem: sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia: ergo meliores, & vtiliores sunt diuitiæ, quàm paupertas.

2. *Argu.* Secundò argumentor. Sanctissimis viris in lege Naturæ, & Scripta datæ & promissæ sunt à Deo diuitiæ pro præmio eximiarum virtutum, vt in Abraham & reliquis Patriarchis compertum est: ergo cõmodius medium sunt diuitiæ ad beate viuendum.

3. *Argu.* Tertiò argumentor. Opes & rerum abundantia reddũt hominem potẽtem ad dandum, per egestatem verò redditur aptus ad recipiendum, sed vt dicitur Actorum 20. ex verbis Domini relatis à Paulo, Beatus est dare, quàm accipere; quia dare est affluentiæ, accipere indigentiæ: in affluentia autem magis assimilamur summo bono, summè affluentè, & nullius indigente: ergo abundantia diuitiarum, quæ ad dandum facit aptum, & Deo similiorem, est melior & vtilior, quàm paupertas.

4. *Arg.* Quartò argumentor. Naturalis ratio docet, hominem vno tempore congregare, vt in alio habeat vnde viuat: Vnde Ecclesiastes 25. dicitur: Quæ in iuuentute tua non congregasti, quomodò in senectute tua inuenies. Et Prouerbiorum 6. mittuntur ad formicas pigri, dum dicitur. Vade ad formicam, ò piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cùm non habeat ducem neque præceptorem neque principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat: ergo contra dictamen luminis naturalis à Deo super nos signati est, & congregata à se abdicare, & in summa egestate se ipsum constituere. Confirmatur. Omnia à se abdicare, est contra Liberalitatem. ergo non est bonum; quia Liberalitas virtus est. Antecedens probatur, quia ad Liberalitatem pertinet dare, quando & quomodò, & ea quæ oportet, retentis illis quædanda non sunt: sed qui omnia tribuit, simul donat & quæ elargienda, & quæ retinenda sunt: ergo peccat contra Liberalitatem per excessum, existens prodigus. *Confi.*

5. *Arg.* Quintò argumentor: Homo ex natura sua est animal polyticum & sociabile, vt Arist. 1. Polyticorum, & omnes Philosophi etiam docent: sed societas & finis congregationis in eo consistit, vt alteralteri subueniat, sicut in corporis vnitate membrum deseruit membro & oculi subueniunt pedibus prospiciendo, pedes ambulando, & localiter mouendo, &c. Sed qui omnia abdicat à se, non potest alteri subuenire: ergo non bonum, sed malum facit contra propriam naturam hominis. Confirmatur. Paupertas perpetua occasio est multorum malorum, priuatque hominem multis virtutibus & officijs quæ ex Charitate posset exercere, vt actu liberalitatis & beneficentiæ, & eleemosynarum: ergo talis abdicatio bonorum non potest esse bona. *Confi.*

6. *Arg.* Vltimò argumentor. Si paupertas esset vtilior ad beatitudinem, maximè quia aufert solicitudinem & curam, quam temporalia in acquirendo, conseruando & dispensando exigunt, quæ quidem nimis retrahunt, & ab actu Charitatis, & ab vnione animę ad Deum: sed hęc ratio est nulla: ergo. Probatur minor; quia cùm in hoc tempore neque ipsi egentes satientur exiguis, neque ipsi elargientes liberales eleemosynas conferant, immò valde tenaces existant, maior debet esse solicitudo in pauperibus, & angor grauis adquærendũ victum & vestitum, ita vt fere omni tempore & se ipsos totos ad hoc impendant, maxima cum corporis & animi distractione. Confirmatur, nam sacri Doctores cõmuniter docent, quòd spiritualia non possunt diu durare sine his temporalibus: ergo abdicatio illorum non potest esse vtilior.

Propter hæc argumenta fuerunt antiqui multi hæretici tenentes hunc errorem, immò hæresim, vt Iouinianus & Vigilantius, vt refert D. Hieron. Epistol. 2. aduersus Vigilantium, quę incipit: Multa in *Iouinian.* *Vigilant.*

in orbe monstra, prope finem Epistolæ, tom. 2 fol. 125. vbi refert quòd inter alios errores tenuit Vigilantius, quòd seruare virginitatem, siue castitatem, erat malum. Similiter parui pendebat ieiunia, & vigilias circa corpora sanctorum damnabat, & elecmosynas quæ pauperibus Hierosolimitanis mittebâtur similiter, asserens, quòd melius faciunt qui vtuntur rebus suis, & paulatim pauperibus diuidunt, quàm qui possessionibus venundatis simul omnia largiuntur. Idem tenuit Vvicleph & Lutherus, & quidam Guillelmus de Sancto amore, tempore Ludouici Francorum Regis, contra quem scribit D. Thom. opusc. 29. fuitque damnatus ab Alexandro IIII. in Bulla quæ incipit, ecce videntes clamabunt foris: & in alia quæ incipit. Ex alto fuisse.

Vvicleph. Luther. Guillelm.

Not. 1. Pro intelligentia huius quæstionis notandum primò, tanquam fidei fundamentum, errorem esse, damnare alterum prædictorum statuum. De paupertate quidem, patet ex illo Christi Domini: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & veni, sequere me: accedente traditione, & vsu totius Ecclesiæ, & vniuersorum Patrum legitima interpretatione. Extant etiam decreta Pontificum, in Extrauaganti quæ incipit, Quorundam, de verborum significatione, & in Extrauaganti; Ad conditorem, eodem titulo, & in Clementina Exiui, de paradyso, titulo de verborum significatione, lib. 5. Clementinarum, & lib. 6. eodem titulo cap. Exijt qui seminat. Et in Concilio Constantiensi, sessione 8. damnatur Vvicleph articulo 21. vsque ad 24. & 34. & 35. vbi sciatis, hoc concilium habere robur quantum ad ea quæ contra hæreticos definierunt, & fuerunt confirmata per Bullam Martini Quinti indubitati Pontificis Romani. Similiter damnatur Lutherus in eadem sententia à Leone X. & Concilio Tridentino. Quòd etiam status diuitum sit bonus, & quòd possessiones licitè possideri possint à Christianis & à Clero, extat Epistola ad Italos Pij I. anno Domini 147. immò & D. Clementis, & plurimorum Pontificum decreta, vt est videre 12. quæst. 1. 2. & 3. Cuius erroris etiam fuit damnatus Vvicleph, vbi suprà, articul. 10. 32. & 36. & D. August. lib. de hæresibus capit. 40. refert quosdam hæreticos, qui dicebantur Apostolici, adeò extollentes paupertatem, vt assererent, sine illa nulli patere aditum salutis. Idem fuit error Pelagianorum, contra quos idem Diuus Augustinus Epistola 89. 4. part. Epistolæ tom. 2. cuius argumenta in summa sunt. Primò, quia Abraham & Isaac & Iacob habuerunt diuitias, & tamen consequuti sunt æternam salutem. Et in Nouo Testamento plurimi sunt sacri Martyres, & multi alij Cathalogo sanctorum adscripti, qui possessiones, & facultates habebant. Deinde Lucæ 16. diues ille qui induebatur purpura & byssо, sepultusque est in inferno, ad hoc adducitur in exemplum à Christo Domino, quòd si vlceroso Lazari misertus fuisset, misericordiam ipse esset consequutus: ergo non est contra diuinum præceptum habere diuitias. Item patet ex verbis Christi Domini Matth. 19. cùm interroganti iuueni, quid faciendo vitam æternam haberet, respondit: Serua mandata, & subiunxit ea: Non occides, Non furtum facies, &c. Et nihil dixit de diuitijs relinquendis. Postmodùm autem ad perfectionem illud subiunxit; quia cùm dixit, Hæc omnia semper seruaui; respondit Dominus: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, &c. Item Paulus 1. ad Timoth. 6. Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum suarum, sed in Deum viuum, &c. Non autem dicit, esse præcipiendum vt diuitias dimittant: ergo id non est necessarium ad æternam salutem, quia id Paulus non tacuisset. Et si obijcias, quòd abscedente iuuene, Christus Dominus dixit: Quàm difficilè qui pecunias habent, Regnum Dei possidebunt, respondit idem Dominus Apostolis pauidis: Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt, vbi explicuit, tantùm intendere difficultatem salutis diuitum, non autē impossibilitatem. Suppositо ergo quòd vtrumque est bonum, diuitiæ & paupertas, tantùm hic quæritur de meliori & vtiliori ad vitam æternam.

Luc. 16.

Matth. 19.

D. Paul. 1. ad Tim. 6.

Obiectio. Solutio.

Secundò ergo notandum est, quòd beatitudo est duplex, & naturalis, & supernaturalis. Loquendo de beatitudine naturali, Cicero Paradoxa 6. & Aristot. vltimo Ethicorum, & Socrates, & Plato habent, quòd mediocres diuitiæ sunt aptissimæ ad beatitudinem naturalem: nos autem loquimur in ordine ad beatitudinem supernaturalem nobis reuelatam per Fidem, quod illorum sit melius, perse loquendo, nam per accidens alicui erit nociua paupertas,

Cicero. Arist. Socrates. Plato.

pertas,alteri verò erit proficua, & similiter diuitiæ.

Conclusio ergo Christi Domini de Fide tenenda est,paupertatem esse præferendam diuitijs ad finem supernaturalem,iux-
Matth. 19 *Marc.* 10. *Luc.* 18. ta illud Matthæi 19.& Marci.10.& Lucæ 18.Si vis perfectus esse,vade & vende omma, &c. Deinde probatur, nam illud est perfectius medium ad vitam æternam, quod magis claruit in Christo Domino, cùm ipse sit totiùs perfectionis exemplar: sed Christus Dominus adeò pauper fuit, vt non solum non haberet vnde didrach-
*Matth.*17. ma solueret, vt dicitur Matth. 17. verum etiam non haberet foueam,aut nidum,neque vbi caput reclinaret , vt ipse testatur
Luc. 9. Lucæ 9.ergo paupertas est perfectius medium.Confirmatur,nam Apostoli ex consilio Christi Domini commodiora media ad vitam æternam seruauerunt: sed (Petro pro omnibus quęrente) ipsi Domino
*Matth.*14 dixerunt Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia & sequuti sumus te;quod in eis fuit
D. Hier. maxima perfectio , vt asserit D. Hieron. Epistol.ad Hediuiam,inquit enim: Vis esse perfecta,& in primo stare fastigio dignitatis?Fac quod fecerunt Apostoli; Vade & vende omnia quæ habes,& da pauperibus,& sequere Saluatorem , & nudam solamque crucem nuda sequeris & sola. In hoc quod dicit , nudam , paupertatem insinuat;in hoc vero quod dicit solam,castitatem declarat: ergo hoc est medium vtilius ad beatitudinem supernaturalem . Si verò rationem huius,quæ in nobis est,Fidei desideretis.

Not. 1. Aduertendum primò,quòd cùm secundùm Aristotel. & veram Philosophiam, omne priuatiuũ cognosci debeat per suũ positiuum ; cùm paupertas nihil aliud sit, quã carẽtia & abdicatio diuitiarũ,ex natura diuitiarũ oportet huius rationẽ reddere.

*Not.*2. Secundò notandum , quòd diuitiæ , vt docet Philosophus primo Polyticorum, c.5.& 6 non sunt secundùm se bonæ aut malæ,sed prout referuntur ad vsus humanos,adquos,tanquàm ad finem , ordinantur:ex vsu ergo humano sumenda est regula & mẽsura diuitiarum;nam in vniuersum finis est norma & regula eorum quæ sunt ad finem:vsus igiturhumanus,ad quẽ per se diuitiæ referuntur,duplex est:alter est necessitas tuendi ac sustentandi vitam, vt viuamus, alter verò est, vt bene rectèq; secundùm virtutẽ viuamus;quo fit , quòd diuitiæ in tantum sunt bonæ, in quantum conferunt ad vtrũque vsum:illæ verò sunt prauæ,quæ conferunt aut ad non viuendum,aut ad prauè viuendum secũdùm superfluitatem . Sic docet Cicero Paradoxa 6.& Arist.vltimo Ethic.& 3. Polyticorũ, *Cicero.* *Arist.*
sic ait: Videtur quòd Ciuitas sit constituta viuendi gratia , non tamen ita est; existit enim bene viuendi gratia;ac si diceret, gratia viuendi secundùm virtutem.

Tertiò notandũ ex Arist. 1. Polyt. c.4. *Not.* 3.
& ex D.Greg.hom.14.super Ezec. col.3. *Arist.*
in medio,& ex D.Th.2.2.q.179.quòd du- *D.Greg.*
plex est vita secundùm virtutẽ:altera actiua;altera contẽplatiua. Actiua est,quę prin- *D.Thom.*
cipaliter versatur circa actiones exteriores,& circa necessaria sibi & proximis.Cõtemplatiua verò consistit in hoc,quòd eius principale studiũ sit ad contemplationem veritatis; & cùm hęc sit melior,dicente Domino Luc.10.Martha Martha, solicita es, *Luc.* 10.
&c. Maria optimam partem elegit: quod ab omnibus explicatur de vita contẽplatiua;colligitur, quòd si copia & rerũ abundantia magis cõfert ad vitã contẽplatiuam & quietam, & sine cura & solicitudine ac distractione & turbatione viuere , vt animus magis quietus vacet Deo,quàm conferat paupertas & abdicatio rerũ, tunc apparebit,diuitias esse vtiliores : sin autẽ minimè,constat autẽ ad prædicta paupertatẽ aptiorẽ esse,quia minoris solicitudinis & curæ est paupertas quàm diuitiæ, quæ nõ sinunt dormire:ergo. Quòd si obijcias,so- *Obiectio.*
licitudinem esse etiã necessariam pauperibus: Respondetur,,hanc multo minorem *Solutio.*
esse ex natura sua,cùm natura paucis sit cõtenta;& vt ait Apostolus 1. ad Timoth. 6. *Apost. ad*
Habentes alimenta,& quibus tegamur,his *Timoth.*
cõtenti simus.Et vt aliquis his tẽporalibus nõ detineatur,sed ad superna anhelet,sine dubio melius est his omnibus esse priuatũ, quàm quòd eis occupetur: quia qui tangit piscẽ,inquinabitur ab ea.Deinde patet,nã ad vitam Christianam maximè necessaria est humilitas,omniũ virtutum mater , quã specialiter Christus Dominus dixit esse ad discendã.Discite(inquit) à me , quia mitis sum,& humilis corde.Sed nutrix huiꝰ dulcissimæ ac amabilis virtutis, quæ altissimis est defixa radicibus,est paupertas,quę cõmuniter despicitur, & exprobatur ; nã & proximo suo pauper odiosus erit,vt dicitur Prou.14.Et cũ obsecrationibus,loqui- *Prou.*14.
tur pauper,& diues effabitur rigidè,vt dicitur Prouerb. 18. ergo . Denique vt ho- *Prou.*18.
mo habeat cor purum,non infectum, sed liberum

liberum omnino,vt iuxta Apost.verbum
1.Corin.2. 1.Corinth.2.iudicare possit omnia, & ipse à nemine iudicetur, oportet ab omni prorsus affectu esse nudum: hoc autem facit paupertas:ergo. Maior probatur, nam
Arist. eàdem ratione probat Philosophus 2. & 3. de anima, quod visus debet esse omni colore nudus;aliàs nequiret omnes colores percipere;veluti lingua amaro humore infecta nequit sapores gustare, & eàdē ratione Intellectus probatur esse expers corporis, quia omnia cognoscit corpora. Qui ergo debet contemplari diuina, ab omni temporali debet esse nudus: quod
Aristot. & lumine naturali cognouit idem Arist. 10.Ethico.cap.7.vbi ait, paupertatem esse aptiorem ad vitam contemplatiuam. Et quidem Philosophi vt liberiùs Philosophię vacarent,laudabiliter mundi substantiam abiecerunt, vt dicit
D. Hier. D. Hieron. ad Paulinum presbyterum, de institutione Monachorum; & Crates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cùm ad philosophandum Athenas pergeret, magnū auri pondus abiecit, neque putauit se posse & virtutes & scientiam simul & diuitias possidere.

Nota. Pro solutione igitur argumentorum à principio, sunt annotandæ duæ distinctiones. Prior,quòd paupertas est duplex:quędam voluntaria voluntariè accepta,quam homo sibi elegit, vt liberiùs Deo vaçaret, nudusque nudum amplecteretur Crucifixum Christum, dicens cum Apostolo:
Ad Gal.2 Christò confixus sum cruci. Viuo autem, iam non ego, &c. ad Galatas 2. quæ quidem paupertas iugum suauissimum est & dulce;immò oneris grauis reiectio videlicet mundanarum diuitiarum. Alia est paupertas violenta,quam inuitus patitur homo, ex casu, vel fortuna;& hac nihil difficilius & grauius;quæ quidem miserabilis & miseranda est. Secunda distinctio est, quòd pauperes quidam sunt, qui neque habent exteriores diuitias,neque affectum ad illas:alij qui habent diuitias, non tamen affectum ad illas, sed vtuntur eis quasi non vtantur. Alij verò sunt, qui simul habent diuitias & affectum illarum. Alij denique, qui non habent illas,habent tamen affectum ad illas. Primus gradus est perfectio Euangelica secundus deficit à perfectione, non tamen à substantia religionis Christianæ. Tertius & quartus gradus damnabilis est.

Ad 1.arg. Ad primum argumentum à principio respondetur, quòd Salomon ibi loquitur de inuoluntaria egestate, quia superaddit; Ne egestate compulsus, &c. Secundò dicitur,quòd loquitur de egestate quę priuat necessarijs ad vitam, quæ non est bona. Ad illud autem quod adducitur
Eccles.7. Ecclesiastes 7. Vtilior est sapientia cum diuitijs, verum est,quia diuitiæ sunt aliquid bonum: vnde si sapientiæ coniungantur, melior est sapientia cum diuitijs, quàm sapientia sola, iuxta Philosophum
Philos. 1. Ethicorum, sed si coniungatur cum paupertate voluntaria, melius est; quia melior est talis paupertas, quàm diuitiæ.

Ad 2.arg. D. Hiero Ad secundum respondetur ex D. Hieron. super primum caput Esaiæ, tomo 5.super illa verba. Bona terræ comedetis, quòd ideò Dominus hæc illis promisit, quia populus ille propensus erat ad diuitias;& ideò tanquàm rudo & paruulo dedit illis lac, non solidum & perfectiorem cibum:at verò Christianis viris Euangelicis excellentiorem viam demonstrauit, paupertatem commendans,&beatificans. Et deinde id factum est, vt ostenderetur differentia inter vtramque legem, nempe quòd illa lex vetus,quæ neminem ad perfectum adduxit,habebat imperfectionem præmij expressi:at verò nouæ legi appositum est præmium perfectissimum, eo quòd ad consummatam perfectionem ducit. Quod aliter vel clariùs dicitur. Patribus antiquis non sic proximè proponebatur præmium futuræ vitæ,cùm non pateret aditus Regni cœlestis; vnde aliqualis consolatio bonorum operum erat necessaria in hac vita per possessionem temporalium:Christiani verò ex oppositа ratione non necesse habent hic habere suam consolationem. Vel aliter respondetur, quòd
2.Solutio. cùm omnis perfectio fidelis consistat in assimilatione filij Dei, iuxta illud; Quos prædestinauit conformes fieri,&c. in lege veteri etiā Sancti existebant diuites,quia& Deus sanctus dies existebat; cùm autem filius Dei propter nos egenus factus est,& nos egeni fieri debemus,vt illi simus conformes;Eo vel maximè, quòd etiam apud veteres Patres,viri contemplatiui & pauperes vt meliores sunt reputati, vt Helias, &Helisæus,&c. Neq, propter hoc auferetur perfectio à viris illis sanctissimis Patriarchis,propter eximiam ipsorū Charitatem & Fidem, licèt non omnino culmen perfectionis attingerent,vt si paupertatem amplexarentur.

Ad

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum ex illo Actuũ 20. Beatius est dare, quàm accipere, respondetur quòd cùm dare, sit causæ, accipere verò sit munus effectus, dare vt dare, est perfectius quàm recipere vt sic, quia primum est causæ, secundum autem pertinet ad effectum; causa autem vt causa, potior est suo effectu, ex hoc autem non sequitur, quòd creaturæ sit maior perfectio dare, nam facturæ summa perfectio est, coniungi suo factori & creatori; quod fit recipiendo ab eo, & retinendo eum per visionem & fruitionem; & similiores efficimur Deo per abdicationem diuitiarum; vnde licèt in Deo sit summa perfectio dare, quia omnino est prima causa; in creatura, cùm sit effectus, maior perfectio est recipere à sua causa: vt autem dictum est, melius disponitur per paupertatem, vt â Deo recipiat bona spiritualia, quàm per diuitias, quibus distrahitur.

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur (videlicet quòd inclinat natura ad congreganda necessaria, &c.) quòd illa inclinatio naturalis non est ad habendum requisita, per se ipsum, & per propriam solicitudinem, sed sufficit habere ea per se vel per alios: in quo completur appetitus ille naturalis; vt apparet in apibus, vel formicis, in quibus non omnes afferunt flosculas, sed quædam afferunt, aliæ verò recipiunt; aliæ verò fabricant domos & cellulas; & in naturali corpore, licèt omnia membra alimento indigeant, non omnia huic muneri incũbunt, sed dentes & stomachus, & vis nutritiua omnibus portiones mittit, etsi non omnes reseruauerint, & apud se condiderint cibum; nam oculis, & auribus alio negotio altiori præpeditis, æquum est vt inferiora membra ministrent: non autem aliter in Republica bene instituta contingere debet: alij debent occupari in mechanicis & officijs, in artificijs & agrorum cultura, &c. alij verò in gubernatione, alij autẽ in spiritualibus & virtutibus; & in doctrina vel in contẽplatione alios conuenit occupari, in bonum ipsius Reipublicæ: vnde ab alijs debent sustentari. Ad confirmationem quarti argumenti, negatur esse prodigalitatem omnia ab se abdicare. Vnde pro solutione dico, quòd modus seruandus in aliqua circunstantia, non est ex ipsa solum pensandus, sed simul ex alijs: id enim quod vni esset superfluum in comestione, alteri erit temperatissimum; immò eidem diuerso tẽpore. Similiter sumptus

Confirm.

factus à Rege, erit magnificus; qui ab alio factus, erit superfluus & prodigus. Si ergo in liberalitate consideremus quantum sit dandũ, & accipiamus summum & vltimũ huius circunstantiæ, quod est omnia dare vno tempore, quibusdam circunstantijs adhibitis, erit superfluum, & vitium prodigalitatis: alijs verò circunstantijs adiunctis, erit opus magnę liberalitatis. Sit exemplũ; Siquis omnia sua elargiretur, vt subueniret propriæ patriæ instante periculo subuersionis; opus esset Liberalitatis, quod in alio casu esset prodigalitas. Similiter ergo omnia dare propter Christum sequendũ ex ipsius consilio, est Liberalitas: quod ex alia causa esset prodigalitas. Et similiter dicendũ est in virginitate, & in alijs quæ excedunt cõmunia media virtutum. Neque illud est, dare danda & non danda, sed tantùm dare danda propter Christum, quę ob aliam causam essent non danda.

Ad 5. arg. Ad quintum, quia homo est animal polyticũ, &c. respondetur, quòd hac eàdem ratione dicetur quosdã abdicare omnia, vt in societate subuenire inuicem sibi possint, & mutuum augere amorem; vnde ab inuicem sibi subuenire, non debet esse in eodem genere bonorum: communicatio enim officiorum & obsequiorum non debet esse eorundem, sed alij communicant temporalia, alij verò spiritualia, vt orationes & doctrinam in concionibus & cõsilijs, &c. Digni autem sunt huiusmodi operarij sua mercede, vt patet Lucæ 10. & 1. Corinth. 9. Quis militat suis stipẽdijs vnquã? Quis plantat vineam? quis pascit gregem? &c. Vnde subdit: Si nos vobis spiritualia seminauimus, nõ magnum est, si nos carnalia vestra metamus. Ad confirmationẽ respondetur, quòd volũtaria paupertas nullius peccati est causa vel occasio per se, sed tantùm id habet inuoluntaria & coacta: & quamuis homo priuet se actibus aliquarum virtutum per egestatem voluntariam, locat tamen se in melioribus, vt contẽplatiuis, neque caret præcipua functione aliarum etiam virtutum, dum eas habet in præparatione animi, præsertim quòd & beneficentiam magnam & eleemosynas, immò & Liberalitatem potest exercere in communicatione rerũ spiritualium; sunt enim potiora opera misericordiæ spiritualia, vt est videre 2. 2. q. 31. art. 3.

Luc. 10. *1. Corin. 9.*

Confirm.

Ad vltimum posset dici, non ob id solùm paupertatem esse perfectiorem, quia curam & solicitudinem adimit; sed propter

pter plura alia iam suprà relata : sed illo admisso, negatur, quod sit maior solicitudo adquærendum victum & vestitum in pauperibus spontaneis, nam faciliter inuenitur alimentum tenue & tegumentum vile, & si primum propositum seruetur, non magnus est angor, si ei deficiant hæc, sed magis ex hoc coram Deo & hominibus se humiliant, magisque in Deo sperant, & ad illum accedunt, dum hæc deficere vident, præsertim quòd hæc non omnes exeunt quærere, sed aliqui, alijs in oratione & doctrina, vel exercitijs spiritualibus occupatis, & domi manentibus; vel quia vt in plurimum reditus sunt communes in conuentibus, ex quibus alantur; quod qualiter sit bonum, modò non definio. Ad confirmationem respondetur, ad conseruationem spiritualium sufficere temporalia solùm necessaria ad vitam, quæ, vt dictum est, faciliter obtinentur à seruantibus paupertatem voluntariam.

Nota. Tandem pro solutione multorum aliorum argumentorum, quæ ab hæreticis fiunt, notandæ sunt duæ distinctiones rerum temporalium. Prima, quòd quædam sunt necessaria ad vitam & sustentationem de præsenti; sicut vestis qua indutus sum, si aliam non habeo, neque diuidi, neque admutari potest pro duabus; & similiter cibus & potus quibus ad præsens vti debeo, neque alteri dare possum, nisi nudus aut sine cibo remaneam ipse, de his non est consilium renuntiationem facere, cum tenear me ipsum priùs alere & vestire. Quædam verò sunt alia bona, quæ reseruantur ad prouidendum necessitati corporis proprij vel aliorum in futurum; sicut pecuniæ & possessiones, diuersaque vestimenta; & de his dicimus esse melius, venditis omnibus, sequi Christum pauperem; nam in futurum per diuinam prouidentiam multipliciter subuenietur.

Rom. 12. Secunda distinctio est, quòd abdicatio omnium temporalium, & vsus eorum, dupliciter potest fieri. Primò sine ordine & ratione, contra verbum Apostoli ad Roman. 12. Rationabile sit obsequium vestrum; vt quando quis aufert à se cibum & potum, & somnum necessarium ad vitam, maceriando carnem nimis, vel se interimendo; hæc quidem vitiosa sunt. Secundo modo potest homo à se subtrahere supradicta cum modo & mensura, subtrahendo quædam alia quæ naturæ non sunt necessaria, vt vsus venereorum etiã in matrimonio, & dominium possessionum, &c. *Nota.* Et hæc quidem subtractio laudabilis est, si propter Deum fiat, neque propterea recedit à medio virtutis.

Notandum tamen, ea quæ diximus, debere intelligi ex suppositione malitiæ humanæ, non autem ex natura rei, nam isto modo aptiores sunt diuitiæ & delectabilia ad beatitudinem, tanquàm bona minora participata à beatitudine, vt à bono maiori; sunt enim quasi quædam scintillæ beatitudinis, diuitiæ, delectatio, salus, honor, &c. Vnde ad maius bonum, per se loquendo, & ex natura rei, melius peruenitur per minus bonum & participationem maioris boni: quàm perueniatur per malum, quod bono opponitur. Ex suppositione tamen malitiæ humanæ, per paupertatem & labores melius ad beatitudinem peruenitur, quod insinuatur 1. Corinth. 1. *1. Cor. 1.* Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deũ, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Ac si apertè dicat, Sic Deus cõdidit hominem conformiter ad naturã rerum in paradyso voluptatis, omnibus bonis naturæ & fortunæ preditum, vt ex his, post lõgam possessionem illorum, ad perfectum bonum beatitudinis euolaret: sed quia in ista sapienti ordinatione Dei homo ipsum non cognouit, peccando contra ipsum, ideò placuit Deo; per stultitiã nostræ prædicationis saluos facere credentes; vtique per labores & passiones; nã ipse Apostolus ait: Predicamus Iesum Christum, & hunc crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gẽtibus autem stultitiã, nobis autem Dei virtutem & Dei sapientiam. Per hanc ergo, quam Gentes stultitiam vocant, placuit ei saluos facere credentes, ex suppositione peccati; siquidem per sapientiã bonorum in statu innocentiæ mundus Deum non cognouit, licèt iam, ex suppositione peccati & malitiæ humanæ, ista sit etiam sapientia Dei, qua iumentum stimulo regit; & homo per peccatum comparatus est iumẽtis insipiẽtibus, & similis factus est illis.

DVBIVM VLTIMVM,

Vtrùm qui inordinabiliter appetit diuitias, peccet mortaliter ex genere suo.

AD hoc dubium respondetur, absque controuersia appetitum inordinatum diuitia-

diuitiarum esse malũ:nam diuitias inordinatè detinere, peccatum est cõtra Liberalitatem:erit ergo etiam appetitus inordinatus illarum malus, & peccatum contra Liberalitatem : quia actus interior & exterior non differunt specie. Non etiam est dubium,quominus inter peccata venialia sit graue huiusmodi appetitus, qui ianua est & dispositio multorum mortalium : vnde in sacra Scriptura huiusmodi appetitus nimis condemnatur, vt 1. ad Timotheũ 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt intentationem & in laqueum diaboli,& in desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in tentationem, & perditionem : radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt a Fide. Et ad Ephes. 5. dicitur,quòd auaritia est idolorum seruitus. Et Ecclesiast. 10. dicitur: Auaro nihil scelestius. Nihil est iniquius quàm amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet. Item patet ex Doctoribus sanctis rigidè loquentibus de Auaritia. Aug. lib. 83.quæstionum, q. 73. tomo 4. cupiditatem appellat venenum Charitatis. Chrysostomus hom. 25. super Marcum, comparat auarum dæmoniaco.

1. Ad Timot.6.

Ad Eph.5

Eccle. 10.

Auguſt.

Chryſoſt.

Conclu. His præsuppositis,conclusio responsiua sit, Quòd auaritia ex genere suo non est peccatum mortale. Pro cuius intelligentia notandum, quòd auaritia potest sumi dupliciter. Primò nudè in propria specie. Secundò, cum admixtione iniustitiæ,quæ propter acquirendas pecunias infertur proximo. Hic loquimur primo modo; nam secundo modo non dubium quin sit mortale, si nocumentum illatum sit graue; & si communiter septem vitia capitalia mortalia nuncupantur, est loquutio vulgaris; nam à Theologis non appellantur nisi capitalia,quia ex ipsis, velut ex capitibus,multa alia oriuntur etiam mortalia,vt dicit Greg. 31. moral. capit. 31. & D. Thom. 2. 2. quæstion. 118. art. 8. & Aristotel.4. Ethicorum cap. 1. Stando autem in præcisa ratione auaritiæ, vt opponitur liberalitati,tantum est veniale. Et si dicas, quòd D. Chrysost. hom. 6. in Matth.distinguit duplicem iustitiam,communem,& specialem,& huic secundæ dicit opponi auaritiã: ergo si in propria specie imbibit rationem iniustitiæ, ex proprio genere erit mortale: Respondetur, quòd iustitia tripliciter sumitur, Primò communissimè, vt dicit statum integrum omnium virtutum,prout Sancti,Iusti appellantur.Secundò specialiùs pro virtute Iustitiæ, vt etiam se extẽdit ad partes potentiales illius.Tertiò specialissimè pro iustitia rigurosè sumpta non includente partes potentiales. Liberalitas ergo includit rationem iustitiæ, non solùm primo, sed etiam secundo modo:quod respectu primi vocatur specialis ratio iustitiæ,non autem includit rationem iustitiæ tertio modo,quod requirebatur vt ex genere esset mortale:nam iustitia in secunda acceptione non obligat ad mortale ex genere suo. Et si rursus dicas,quòd à D.Thom.quæst. citata artic.3.in 2.2.quæst. 118.& Arist.5. Ethic.cap.1.& à D.Ambros.1. de officijs, cap.28.dicitur perfectior liberalis, quam iustus;quia iustus tantùm facit quod tenetur,liberalis autem etiam quod non tenetur:Respondetur,quòd liberalitas supponens iustitiam,& rursus ad ea quæ non tenetur, se extendens, laudem prædictam meretur:si tamen præcisè sumatur, non ita laudabilis est sicut iustitia. Itaque si semel soluens debitum, tribuat ex liberalitate quod non tenetur, melior est,quàm tantùm soluens debitum.Si autem vnus tantùm tribuat debitum, & alter non soluendo debitum, tribuat ex liberalitate quibus non tenetur dare, perfectior est primus per iustitiam,quàm secundus per liberalitatem.

Not.

D.Greg.

D. Thom.

Ariſtot.

Obiectio.

Solutio.

Obiectio. Ariſt. Ambr.

Solutio.

ARTICVLVS II.

Vtrùm beatitudo hominis consistat in honoribus.

Sic ad secundum proceditur. Videtur quòd beatitudo hominis in honoribus consistat. Beatitudo enim, siue felicitas, est præmium virtutis, vt Philosophus dicit in 1. Ethicorum. Sed honor, maximè videtur esse id, quod est virtutis præmium, vt Philosophus dicit in 4.Ethicorum : ergo in honore maximè consistit beatitudo.

3.cõt.c.28 & opuſ. 3. c.108.264 & Mat.5. & 1.Ethi. lect.5.

4.Eth.c.3. 10.5. & li. 8.c.14. 2. *Præterea. Illud quod conuenit Deo & excellentissimis, maximè videtur esse beatitudo, quæ est bonum perfectum: sed huiusmodi est honor, vt Philosophus dicit in 8. Ethicor. & 1. Tim. 2. dicit Apostolus: Soli Deo honor & gloria: ergo in honore consistit beatitudo.*

3. Præterea. Illud quod est maximè desideratum ab hominibus, est beatitudo: sed nihil videtur esse magis desiderabile ab hominibus, quàm honor; quia homines patiuntur iacturam in omnibus alijs rebus, ne patiantur aliquod detrimentum sui honoris: ergo in honore beatitudo consistit.

Sed contrà. Beatitudo est in beato: honor autem non est in eo qui honoratur, sed magis in honorante, qui reuerentiam exhibet honorato, vt c.5.to.5. *Philosophus dicit in 1. Ethic. ergo in honore beatitudo non consistit.*

Respondeo dicendum, quòd impossibile est, beatitudinem consistere in honore: honor enim exhibetur alicui propter aliquam eius excellentiam, & ita est signum & testimonium quoddam illius excellentiæ quæ est in honorato: excellentia autem hominis maximè attenditur circa beatitudinem, quæ est hominis bonum perfectum & secundùm partes eius, idest, secundùm illa bona, quibus aliquid beatitudinis participatur, & ideò honor potest quidem consequi beatitudinem; sed principaliter in eo beatitudo consistere non potest.

Ad primum ergo dicendum, quòd honor non est præmium virtutis, propter quod virtuosi operantur, sed accipiunt honorem ab hominibus loco præmij, quasi à non habentibus ad dandum maius. Verum autem præmium virtutis est ipsa beatitudo, propter quam virtuosi operantur: si autem propter honorem operarentur, iam non esset virtus, sed magis ambitio. d. 7 10.

Ad secundum dicendum, quòd honor debetur Deo & excellentissimis in signum vel testimonium excellentiæ præexistentis, non quòd ipse honor faciat eos excellentes.

Ad tertium dicendum, quòd ex naturali desiderio beatitudinis, quã consequitur honor, vt dictum est, contingit, quòd homines maximè honorem desiderant: vnde quærunt homines maximè honorari à sapientibus, quorum iudicio credunt se esse excellentes vel felices. incor. art.

Conclusio D.Thom. est negatiua.

De materia huius articuli, & articuli tertij & quarti, videatur D.Thom. tertio contra Gentes, cap.28. & deinceps, & 2.2.q.63.art.3. & quæst.103.artic.1. & 2. & quæstion.131. & 132. vbi assignat differentiã inter gloriam & honorem. Videatur etiam Aristotel. 1. Ethicorum cap.5. & 1. Reth. cap.5. & August. lib.83. quæstionum, quæstion.3.

DVBITATVR,

Vtrùm inordinatus appetitus honoris, qui est peccatum ambitionis, sit peccatum mortale ex genere suo.

PRo intelligentia notandum, non esse idem, formaliter loquendo, appetitum honoris, & appetitum dignitatis, licèt vnũ ad alterũ consequatur, & cõmuniter sint cõiũcta: appetitus enim dignitatis pertinet Not. 1.

pertinet ad præsumptionem, quæ quidem opponitur magnanimitati: appetitus autem honoris pertinet ad ambitionem: non ergo hic loquimur de appetitu honoris, prout coniungitur cum appetitu dignitatis, sed præcisè & ex propria specie.

Nota. 2. Secundò notandum, quòd de hac præcisa ratione ambitionis etiam possumus loqui dupliciter, sicut suprà dictum est. Primò, prout communiter includit rationem iniustitiæ, quatenus quis vt honorem quærat, alios deijcit & quasi conculcat. Secundò potest sumi præcisè ex proprio genere, sine adiunctione iniustitiæ. Hoc supposito, dicimus, quòd etiam si ambitio communiter coniungatur cum præsumptione, vel iniustitia, qua ratione efficitur mortale; ex proprio tamen genere, prescindendo ab omnibus alijs, non est nisi tantùm peccatum veniale, & sic debet intelligi

D. Thom. D. Thom. 2. 2. quæst. 63. art. 3. vbi dicit, quòd in exhibitione honoris reperitur acceptio personarum, quæ ex propria ratione est mortale; loquitur enim secundùm quòd coniungitur ratio iniustitiæ; quia tribuere honorem vni, cui non debebatur, non conferendo alteri cui debebatur, fit cum injustitia.

ARTICVLVS III.

Vtrùm beatitudo hominis consistat in fama & gloria.

3. cõt. c. 19 & opus. 3. ca. 108. & 264. & op. 20. lib. 1. c. 7. & 8.

AD Tertium sic proceditur. *Videtur, quòd beatitudo hominis consistat in gloria. In eo enim videtur beatitudo consistere, quod redditur Sanctis pro tribulationibus quas in mundo patiuntur: huiusmodi autem est gloria; dicit enim Apostol. Rom. 8. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis: ergo beatitudo consistit in gloria.*

c. 4. circa princ. 2. *Præterea: Bonum est diffusiuum sui, vt patet per Dionysium, 4. cap. de diuin. nominibus. Sed per gloriam bonum hominis maximè diffunditur in notitiam aliorũ, quia gloria, vt Ambr. dicit, nihil aliud est, quàm clara cũ laude notitia: ergo Beatitudo hominis consistit in gloria.*

Id habet Aug. in li. 83. q. q. 31 circa finẽ.

3. *Præterea: Beatitudo est stabilissimum bonorum: hoc autem esse videtur fama, vel gloria, quia per hanc quodammodò homines æternitatẽ sortiuntur; vnde Boetius dicit in lib. de consol. Vos immortalitatem vobis propagare videmini, cùm futuri famam temporis cogitatis: ergo beatitudo cõsistit in fama seu gloria.*

lib. 2. pros. 7. postmed.

Sed contrà, Beatitudo est verum hominis bonum: sed famam seu gloriã contingit esse falsam; vt enim dicit Boet. in lib. 3. de consolatione, plures magnum sæpe nomen falsis vulgi opinionibus attulerunt, quo quid turpius excogitari potest? Nam qui falso prædicantur, suis ipsi necesse est laudibus erubescant. Non ergo beatitudo hominis consistit in fama seu gloria.

Li. 3. de cõ so. prosa. 6. circa prin.

Resp. dicendum; quòd impossibile est, beatitudinem hominis in fama, seu gloria humana consistere: nã gloria nihil aliud est, quàm clara notitia cum laude, vt Ambr. dicit. Res autẽ cognita aliter cõparatur ad cognitionẽ diuinam, & aliter ad cognitionẽ humanã. Humana autẽ cognitio à rebus cognitis causatur: sed diuina cognitio est causa rerum cognitarum; vnde perfectio humani boni, quæ beatitudo dicitur, non potest causari à notitia humana: sed magis

Id habet Aug. in li. 83. q. q. 31 circa finem tom. 4.

gis notitia humana de beatitudine alicuius procedit, & quodammodò causatur ab ipsa humana beatitudine, vel inchoata, vel perfecta: & ideò in fama, vel in gloria non potest consistere hominis beatitudo: sed bonum hominis dependet, sicut ex causa, ex cognitione Dei: & ideò ex gloria, quæ est apud Deum, dependet beatitudo hominis, sicut ex causa sua, secundùm illud Psalm. 90. Eripiam eum, & glorificabo eum: longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum. Est etiam aliud considerandum, quòd humana notitia sæpe fallitur, & præcipuè in singularibus contingentibus, cuiusmodi sunt actus humani, & ideò frequenter humana gloria fallax est: sed quia Deus falli non potest, eius gloria semper vera est, propter quod dicitur 2. ad Corinth. 10. Ille probatus est, quem Deus commendat.

Ad primum ergo dicendum, quòd Apostolus non loquitur ibi de gloria quæ est ab hominibus, sed de gloria quæ est à Deo coram Angelis eius: vnde dicitur Mar. 8. Filius hominis confitebitur eum in gloria Patris sui, coram Angelis eius.

Ad secundum dicendum, quòd bonum alicuius hominis quod per famam vel gloriam est in cognitione multorum, si cognitio quidem vera sit, oportet quòd deriuetur à bono existente in ipso homine, & sic præsupponit perfectam beatitudinem, vel inchoatam: si autem cognitio falsa sit, non concordat rei, & sic bonũ non inuenitur in eo cuius fama celebris habetur; vnde patet, quòd fama nullo modo potest facere hominẽ bonum.

Ad tertium dicendum, quòd fama non habet stabilitatem, immò falsò rumore de facili perditur, & si stabilis aliquando perseueret, hoc est per accidens: sed beatitudo habet per se stabilitatem & semper.

Conclusio est negatiua.

De hac conclusione videatur Arist. 1. Ethic. c. 12. & Cic. 3. de finibus, num. 45. vbi refert, Diogenem dixisse nec digitum mouendum eius gratia: & in Tusculana. 1. *Arist.* *Cicero.*

DVBIVM.

Vtrùm inordinatus appetitus famæ & gloriæ, sit peccatum mortale ex genere suo.

PRo explicatione notandum, quòd iste inordinatus appetitus tripliciter potest contingere. Primò, ex parte rei, in qua quæritur fama & gloria: vt quia quæritur in re quæ non habetur; vt si idiota quærat honorem viri docti; vel si quærat talem honorem in re non laude digna. Secundo modo potest esse inordinatus talis appetitus ex parte illius apud quem quæritur haberi in honore; vt qui desiderat haberi honoratus apud omnes. Tertio modo est inordinatus ex parte finis, qui quidem non necessariò debet esse Deus immediatè; bene enim potest immediatus finis appetitus honoris esse aliquid creatum; vt quando quis vult se conseruare in honore acquisito, hoc enim ad virtutem pertinet, & peccatum est se ipsum diffamare. *Nota.*

Conclusio ergo sit, quòd appetitus inordinatus famæ & gloriæ ex genere suo, tantùm est peccatum veniale, contra virtutem magnanimitatis, vt docet D. Tho. 2.2.q.132.a.4. quia talis inordinatus appetitus, neque est contra Deum, neque proximum, neque notabiliter nocet sibi; & à posteriori colligitur, quia non multi habetur *Conc.* *D. Thom.*

habetur de aliquo dicere, etiam de fœmina, quòd sit vana. Verum est, quòd talis appetitus inordinatus multoties est causa peccatorum mortalium, vt docet D. Tho. 2. 2. q. 132. art. 5. & D. Greg. 31. moral c. 31. & multa propterea contra hoc vitium dicit Augustinus tomo 5. lib. 5. de Ciuitate Dei c. 13. & sic debet explicari illud Matth. 6. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem. Et Ioannis. 5. Quo modò vos potestis credere, gloriam abinuicem quærentes? insinuat occasionem mortalium in prædicto vitio, non autē quòd ipsum mortale sit. Et si contrà dicas, quòd per huiusmodi appetitum tollitur à Deo quod est proprium eius iuxta illud Pauli, soli Deo honor & gloria, & Esaiæ 42. Gloriā meam alteri non dabo: ergo est mortale: Respondetur, quòd honor & gloria Dei est in illo secundùm excellentiam & superioritatem super omnia: vnde qui sic appeteret honorē, non volēdo etiam Deo esse subiectus, mortaliter peccaret; non autem qui solum habet appetitum famæ & gloriæ particularis, quia sic non appetit illam secundum quod est propria ipsius Dei, & sic talis appetitus est præter Deum, non autem cōtra ipsum. Et si rursus dicas, quia talis appetitus est contra virtutē magnanimitatis, quæ vtique magna est, & ex genere suo obligans ad mortale: ergo talis appetitus est mortale: Respondetur, magnanimitatem obligare ad mortale in præcipuis actibus, vt posteà patebit de ambitione & præsumptione, non autem in actu minori contra ipsam, in his quæ sunt per excessū, qualis est vana gloria & appetitus inordinatus honoris.

D. Thom. *D. Greg.* *Aug.* *Matth. 6.* *Ioan. 5.* *Obiectio.* *Esai. 42.* *Solutio.* *Obiectio.* *Solutio.*

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm beatitudo hominis consistat in potestate.

3. cont. c. 31 & opus. 3. c. 108. & 264.

SIC ad quartum proceditur. *Videtur quòd beatitudo consistat in potestate. Omnia enim appetunt assimilari Deo, tanquam vltimo fini & primo principio; sed homines qui in potestatibus sunt, propter similitudinē potestatis maximè videntur esse Deo conformes; vnde in Scriptura Dij vocantur, vt patet Exod. 13. Dijs non detrahes: ergo in potestate beatitudo consistit.*

2. *Præterea. Beatitudo est bonū perfectum: sed perfectissimum est quòd homo etiam alios congruè possit regere, quod conuenit his qui in potestatibus sunt constituti: ergo beatitudo consistit in potestate.*

3. *Præterea. Beatitudo cū sit maximè appetibilis, opponitur ei quod maximè est fugiendum: sed homines maximè fugiunt seruitutem, cui contraponitur potestas: ergo in potestate beatitudo consistit.*

Sed contrà, Beatitudo est perfectum bonū: sed potestas est maximè imperfecta; vt enim dicit Boetius 3. de Consol. Potestas humana solicitudinē morsus expellere, formidinū aculeos vitare nequit. Et posteà: Potentē censes, cui satellites latus ambiunt: qui quos terret, ipse plus metuit: non igitur beatitudo consistit in potestate. *Prosa 5. circa med.*

Respond. dicendū, quòd impossibile est beatitudinē in potestate consistere, propter duo. Primò quidem, quia potestas habet rationē principij, vt patet in 5. Metaph. Beatitudo autē habet rationē vltimi finis. *Tex. 17. to mo 3.* *Secundò, quia potestas se habet ad bonū & ad malū: beatitudo autem est propriū & perfectū hominis bonū: vnde magis posset cōsistere beatitudo aliqua in bono vsu potestatis, qui est per virtutē, quā in ipsa potestate. Possūt autem quatuor generales*

rationes induci ad ostendendum, quòd in nullo præmissorum exteriorum bonorum beatitudo consistat, quarum prima est, quòd cùm beatitudo sit summum hominis bonum, non compatitur secum aliquod malum: omnia autem prædicta possunt inueniri, & in bonis & in malis. Secunda ratio est, quia cùm de ratione beatitudinis sit, quòd sit per se sufficiens, vt patet in 1. Ethicor. hoc necesse est, quòd beatitudine adepta, nullum bonum necessarium homini desit; adeptis autem singulis præmissorum, possunt adhuc multa bona homini necessaria deesse, puta sapientia, sanitas, corporis, & huiusmodi. Tertia, quia cùm beatitudo sit bonum perfectum, ex beatitudine non potest aliquod malum alicui prouenire; quod non conuenit præmissis: dicitur enim Eccles. 5. quinto, quòd diuitiæ interdum conseruantur in malum domini sui: & simile patet in alijs tribus. Quarta ratio est, quia ad beatitudinem homo ordinatur per principia interiora, cùm ad ipsam naturaliter ordinetur: præmissa autem quatuor bona magis sunt à causis exterioribus, & vt plurimum à fortuna, vnde & bona fortunæ dicuntur: vnde patet quòd in præmissis nullo modo beatitudo consistit. Cap. 7. to. 5

Ad primum ergo dicendum, quòd diuina potestas est sua bonitas, vnde vti sua potestate non potest nisi bene: sed hoc in hominibus non inuenitur; vnde non sufficit ad beatitudinem, quòd homo assimiletur Deo quantum ad potestatem, nisi assimiletur ei quantum ad bonitatem.

Ad secundum dicendum, quòd sicut optimum est quòd aliquis vtatur bene potestate in regimine multorum; ita pessimum est si male vtatur, & ita potestas se habet ad bonum & malum.

Ad tertium dicendum, quòd seruitus est impedimentum boni vsus potestatis, & ideò naturaliter homines eam fugiunt, & non quasi in potestate hominis sit summum bonum.

Conclusio est negatiua.

De potestatibus contemnendis videatur Valerius lib. 7. cap. 2. qui accipiēs purpuram Regiam, illamque attentè considerans, ait: O nobilem magis quàm felicem pannum, quem si quis penitus cognoscat, quā multis solicitudinibus & periculis sit refertus, nec humi quidem iacentem tollere velit. Videatur etiam Chrysost. hom. 41. super Matth. & hom. 25. & 43. ad populum, August. Psal. 63. Gregor. 18. Moral. c. 55. Ber. ser. 13. in Cant. Eusebius lib. 11. præparationis, c. 2. *Valerius. D. Chrisost. D. Aug. D. Greg. D. Ber. Eusebius.*

Pro intelligentia notandum, inordinatum appetitū potestatis, esse præsumptionem; de quo D. Tho. 2. 2. q. 133. vbi art. 1. dicit, huiusmodi vitium consistere in appetendo ea quæ suam facultatem excedunt, videlicet dignitates, quæ propriam facultatem excedunt; quapropter huiusmodi vitium magnam similitudinem habet cum magnanimitate, cui opponitur, sicut prodigalitas similitudinem habet cum liberalitate: versaturque eiusmodi vitium circa dignitatem docēdi & imperandi, vt est Cathedra, Iudicatura, vel Episcopatus, &c huiusmodique peccatum ex genere suo mortale est, quia, vt dictum est, est præcipuū inter ea quæ opponuntur per excessum magnanimitati ex se obligāti ad mortale; præsumptio enim est circa causam, scilicet circa dignitatem, alia verò circa effectum, *Not.*

ctum, vt circa honorem & famam, quæ ex dignitate oriuntur; & etiam quia huiusmodi vitium maximè assimilatur Superbiæ, & maximam etiam habet speciem Iniustitiæ communiter; reperiturque præcipuè huiusmodi peccatum, quando quis cognoscens suam insufficiētiam, superexcedentem dignitatem quærit. Et pro pleniori intelligentia aduerte differentiā quæ versatur inter hæc peccata, Superbiā, Præsumptionē, Ambitionē, & inanne gloriā; omnia enim illa conueniunt in appetendo superioritatem & excellētiam: distinguūtur tamen, quòd Superbia appetit excellentiā & superioritatem vt sic, supra omnē personā, vnde opponitur Humilitati, quę licèt virtus moralis sit, maximè tamē accedit ad Theologicas: cōsistit enim in eo quod est Deo se subijcere, & si etiā hominibus, hoc propter Deum; vnde & Superbia immediatiùs cōtra Deum versatur: alia verò tria prædicta opponūtur Magnanimitati per excessum, quæ secundū D. Tho. circa aliquod bonum creatum versatur: vnde & ipsa non adeò grauia sunt, sicut Superbia.

ARTICVLVS V.

Vtrùm beatitudo hominis consistat in aliquo corporis bono.

Inf. q. 3. ar 3. cor. & 4 dist. 49. q. 1. ar. 1. q. 1. & 3. cont. c. 32. & 37 princip. & opusc. 3. c. 264. ar. & Psam. 32. & 1. Ethi. lect. 10.

AD quintum sic proceditur. *Videtur quòd beatitudo hominis consistat in bonis corporis: dicitur enim Eccles. 30. Non est census supra census salutis corporis: sed in eo quod est optimum, consistit beatitudo: ergo consistit in corporis salute.*

c. 5. non longe à princi.

2. Præterea. Dio. dicit 5. c. de diui. nom. quòd esse est melius quàm viuere; & viuere, melius quàm alia quæ consequuntur: sed ad esse, vel viuere hominis, requiritur salus corporis: cùm ergo beatitudo sit summū bonum hominis, videtur quòd salus corporis maximè pertinet ad beatitudinem.

3. Præterea. Quāto aliquid est cōmunius, tāto ab altiori principio dependet; quia quāto est causa superior, tāto eius virtus ad plura se extēdit: sed sicut causalitas causæ efficientis cōsideratur secundū influentiam: ita causalitas finis attenditur secundū appetitū: ergo sicut prima causa efficiēs, est quæ in omnia influit, ita vltimus finis est quod ab omnibus desideratur: sed ipsum esse est quod maximè desideratur ab omnibus: ergo in his quæ pertinent ad esse hominis, sicut est salus corporis, maximè consistit beatitudo.

Sed contra est, quòd secundùm beatitudinem homo excellit omnia alia animalia; sed secundùm bona corporis à multis animalibus superatur, sicut ab Elephante in diuturnitate vitæ, à Leone in fortitudine, à Ceruo in cursu: ergo beatitudo hominis non consistit in bonis corporis.

Respondeo dicendum, quòd impossibile est beatitudinem hominis in bonis corporis consistere: propter duo. Primò quidem, quia impossibile est quòd illius rei quæ ordinatur ad aliud, sicut ad finem, vltimus finis sit eiusdem conseruatio in esse; vnde gubernator non intendit sicut vltimum finem conseruationem nauis sibi commissæ, eo quòd nauis ad aliud ordinatur sicut in finem, scilicet ad nauigandum: sicut autem nauis committitur gubernatori ad diri-

dirigendum, ita homo est suæ voluntati & rationi commissus, secundū illud quod dicitur Eccles. 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. Manifestum est autem, quòd homo ordinatur ad aliquid, sicut ad finem; nō enim homo est summum bonum, vnde impossibile est quòd vltimus finis rationis & voluntatis humanæ, sit conseruatio humani esse. Secundò, quia dato quòd finis rationis & voluntatis humanæ esset conseruatio humani esse, non tamen posset dici quòd finis hominis esset aliquod corporis bonum. Esse enim hominis consistit in anima & in corpore: & quamuis esse corporis dependeat ab anima, esse tamen humanæ animæ non dependet à corpore, vt suprà ostensum est; ipsumq; corpus est propter animam, sicut materia propter formam, & instrumēta propter motorem, vt per ea suas actiones exerceat: vnde omnia bona corporis ordinantur ad bona animæ, sicut ad finē; vnde impossibile est, quòd in bonis corporis beatitudo consistat, quæ est vltimus finis.

1.p.q.75. & 90.dist. 641.

Ad primum ergo dicēdum, quòd sicut corpus ordinatur ad animā sicut ad finē, ita bona exteriora ad ipsum corpus: & ideò rationabiliter bonū corporis præfertur bonis exterioribus, quæ per cē sum significantur, sicut & bonum animæ præfertur omnibus bonis corporis.

Ad secundum dicendum, quòd esse simpliciter acceptū, secundū quòd includit in se omnem perfectionem essendi, præeminet vitæ & omnibus perfectionibus subsequentibus: sic igitur ipsum esse præhabet in se omnia bona subsequentia, & hoc modo Dionys. loquitur. Sed si consideretur ipsum esse, prout participatur in hac re vel in illa, quæ non capiunt totā perfectionem essendi, sed habent esse imperfectum, sicut est esse cuiuslibet creaturæ: sic manifestum est, quòd ipsum esse cum perfectione superaddita est eminentius; vnde & Dionys. ibidē dicit, quòd viuentia sunt meliora existentibus, & intelligentia viuentibus.

dist. 559.

Eodem loco citato.

Ad tertium dicendum, quòd quia finis respōdet principio, & illa ratione probatur, quòd vltimus finis est primum principium essendi; in quo est omnis essendi perfectio: cuius similitudinem appetunt secundùm suam perfectionem, quædam quidem secundùm esse tantùm, quædam secundùm esse viuens; quædam secundùm esse viuens & intelligens, & beatum; & hoc paucorum est.

Conclusio est negatiua.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm beatitudo hominis consistat in voluptate.

AD sextum sic proceditur. Videtur quòd beatitudo hominis in voluptate consistat. Beatitudo enim cùm sit vltimus finis, non appetitur propter aliud, sed alia propter ipsam: sed hoc maximè conuenit delectationi (ridiculū est enim ab aliquo quære-

4. dist. 4. q. 1. ar. 3. q. 4 ad 3. & 4. & 3. contr. & 27. & 33. & lib. 4. c. 83. & opusc. 3. c. 108. & Matth. 5.

quærere, propter quid velit delectari, vt dicitur in 10. Ethic) ergo beatitudo maximè in voluptate & delectatione consistit.

& 1. Ethi. lect. 5. & lect. 10.

Cap. 2. to. 5 propos. 1. tom. 3.

2. Præterea. Causa prima vehementiùs imprimit, quã secunda, vt dicitur in lib. de causis: influẽtia autẽ finis attẽditur secundũ eius appetitũ. Illud ergo videtur habere rationẽ finis vltimi, quod maximè mouet appetitũ: hoc autẽ est voluptas, cuius signũ est, quòd delectatio in tãtũ absorbet hominis volũtatẽ & rationẽ, quòd alia bona cõtẽnere facit: ergo videtur quòd vltimus finis hominis, qui est beatitudo, maximè in voluptate consistat.

3. Præterea. Cũ appetitus sit boni, illud quod omnia appetũt, videtur esse bonũ optimum: sed delectationẽ omnia appetunt & sapientes & insipientes, & etiam ratione carentia: ergo delectatio est optimum: consistit ergo in voluptate beatitudo, quæ est summum bonum.

Prosa 7.

Sed cõtra est quod Boet. dicit in 3. de cõsol. Tristes exitus esse voluptatũ, quisquis reminisci libidinũ suarũ volet, intelliget; quæsi beatos efficere possent, nihil causæ esse, quin pecudes quoque beatæ esse dicantur.

Cap. 14. to. 5.

Respõd. dicẽdũ, quòd quia delectationes corporales pluribus notæ sunt, assumpserunt sibi nomẽ voluptatũ, vt dicitur 7. Ethic. in quibus tamẽ beatitudo principaliter non consistit, quia in vnaquaque re aliud est quod pertinet ad essentiam eius, aliud est propriũ accidens ipsius, sicut in homine aliud est quod est anima rationa-

le, mortale; aliud quod est risibile. Est igitur considerandũ, quòd omnis delectatio, est quoddã proprium accidens, quod consequitur beatitudinẽ, vel aliquã beatitudinis partẽ: ex hoc enim aliquis delectatur, quia habet bonũ aliquod sibi conueniens, vel in re, vel in spe, vel saltẽ in memoria. Bonũ autẽ conueniens, si quidẽ sit perfectũ, est ipsa hominis beatitudo: si autẽ sit imperfectũ, beatitudo est quædam participata, vel propinqua, vel remota, vel saltem apparens. Vnde manifestum est, quòd nec ipsa delectatio quæ sequitur bonum perfectũ, est ipsa essentia beatitudinis, sed quoddam consequens ad ipsam, sicut per se accidens. Voluptas autem corporalis non potest etiã modo prædicto sequi bonum perfectum: nam sequitur bonum quod apprehẽdit sensus, qui est virtus animæ corpore vtens. Bonum autem quod pertinet ad corpus, quod apprehenditur secundùm sensum, non potest esse perfectũ hominis bonũ: cùm enim anima rationalis excedat proportionẽ materiæ, corporalis pars animæ, quæ est ab organo corporeo absoluta, quandã habet infinitatem respectu ipsius corporis, & partiũ animæ corpori concretarum: sicut inuisibilia sunt quodammodò infinita respectu materialium, eo quòd forma per materiam quodammodò cõtrahitur & finitur; vnde forma à materia absoluta, est quodammodò infinita; & ideò sensus, qui est vis corporalis, cognoscit singulare, quod est determinatum per materiam; intellectus ve-

Dist. 437.

rò, qui

rò, qui est vis à materia absoluta, cognoscit vniuersale, quod est abstractũ à materia, & continet sub se infinita singularia: vnde patet, quòd bonũ conueniens corpori, quod per apprehensionẽ sensus delectationẽ corporalem causat, non est perfectũ bonum hominis, sed est minimũ quiddã in comparatione ad bonum animæ; Sap. 7. *vnde Sap. 7. dicitur, quòd omne aurum in comparatione sapientiæ, arena est exigua; sic igitur nec voluptas corporalis est ipsa beatitudo, nec est per se accidens beatitudinis.*

Ad primũ ergo dicendum, quòd eiusdẽ rationis est, quòd appetatur bonũ, & quòd appetatur delectatio, quæ nihil est aliud, quã quietatio appetitus in bono; sicut ex eadẽ virtute naturæ est, quòd graueferatur deorsum, & quòd ibi quiescat. Vnde sicut bonũ per se ipsum appetitur, ita delectatio propter se, & non propter aliud appetitur, si ly Propter, dicat causam finalẽ; si verò dicat causam formalẽ, vel potiùs causam motiuã, sic delectatio est appetibilis propter aliud, id est, propter bonũ quod est delectationis obiectum, & per consequens est principiũ eius, & dat ei formam. Ex hoc enim delectatio habet quòd appetatur, quia est quies in bono desiderato.

Ad secundũ dicendũ, quòd vehemens appetitus delectationis sensibilis cõtingit ex hoc, quòd operationes sensuum, quia sunt principia nostræ cognitionis, sunt magis perceptibiles; vnde etiam à pluribus delectationes sensibiles appetuntur.

Ad tertiũ dicendũ, quòd eo modo omnes appetunt delectationes, sicut & appetũt bonũ: & tamen delectatione appetũt ratione boni, & non è cõuerso, vt dictũ est. Vnde nõ sequitur, quòd delectatio sit maximũ & per se bonũ, sed quòd vnaquæque delectatio consequatur aliquod bonũ, & aliqua delectatio cõsequatur id, quod est per se & maximum bonũ. *In cor. ar.*

Prima conclusio. Beatitudo non potest consistere neque in voluptate spirituali, neque corporali. *1. Concluſ.*

Secunda conclusio. Licèt voluptas spiritualis possit esse consequens ad beatitudinem, non tamen corporalis. *2. Concluſ.*

Circa hunc articulum notandum est ex Cicer. lib. 1. & 2. de finibus, quòd licèt semper habitum sit, fuisse sententiam Epicuri, Beatitudinem consistere in voluptate corporali; non tamen fuit talis sententiæ, sed illam constituebat in voluptate animæ & spiritus, ex qua ad corpus deriuari poterat iocunditas & delectatio: vnde dicebat, neminem posse iocundè viuere, nisi qui honestè, prudenter & iustè viueret; atque ideò dicebat, omnes virtutes à natura destinari ad vitam delectabilem & iocundam transigendam; quapropter pluries erat abstinendum à venere, à cibo & potu, propter maiores delectationes Tẽperantiæ virtutis; & aliquando etiam esse subeundum periculũ graue & triste in bello, propter maiores dlectationes in Fortitudine repertas. Idẽ asserit Lactãtius Firmian. lib. 3. de falsa sapien. c. 7. q̃ Epicurus summũ bonũ cẽsebat cõstitutũ in voluptate animæ Aristippus verò discipulus Epicuri tenuit, quòd in voluptate corporis: Diodolus verò q̃ in priuatione doloris, scilicet in quadã indolentia. Idẽ docet Seneca libro de vita beata, c. 13. vbi inquit: Mea sentẽtia est, sancta Epicurũ & recta præcipere, & si propiùs accesseris, tristia & rursus eodẽ capite; Nõ dico quod plerique nostrorũ asserunt, Epicuri sectam flagitiorũ esse magistram; sed dico, quòd male audit, infamis est, & immeritò. Etiam Epistola ad Lucillũ, ferè semper aliquam sententiam Epicuri apponit satis dignam, & quæ nimis accedit ad veritatem Christianam. Diogenes etiam lib. 10. de vitis Philosophorum, à princi- *Not. Cicer.* *Lactant.* *Aristip.* *Diodol.* *Seneca.* *Diogen.*

principio, inquit, multa falsa imposita fuisse Epicuro, ipsumq; fuisse temperatissimum; vnde fortè diffamatus est, quia posuit finē vltimum in voluptate; ex quo alij intulerunt, quòd in voluptate corporis; vel fortè, quia Aristippus eius discipulus constituit beatitudinem in corporis voluptate, inde sequentes dicti sunt Epicurei, sicut & eius discipuli. Sic etiā eum liberat D. Th. 2. Ethic. lect. 5. Cęterum D. Augustſuper Psalmum 73. explicans illa verba: Exurge Domine, iudica causam tuā, dicit de Epicuro, quòd ipsi etiam Philosophi Porcum nominauerunt illum, quia voluptatē corporis, summum bonum asserebat, vnde de se ipso fatetur. D. Aug. lib. 6. confessionū, c. vltimo. Disputabam (inquit) cum amicis meis Alipio & Nebidrio, de finibus bonorum & malorum, dicebamque in animo meo Epicurum accepturum fuisse palmam, nisi ego credidissem, post mortem restare animæ vitam, quod Epicurus credere noluit, & quærebam, si essemus immortales & in perpetua corporis voluptate, sine vllo amissionis terrore viueremus, cur non essemus Beati; aut quid aliud quęreremus, nescies id ipsum ad magnam miseriam pertinere, quòd ita demersus & cæcus cogitare non possem lumen honestatis & gratiæ amplectendæ pulchritudinis, quam non vidit oculus carneus & videtur ex intimo, nec considerabam miser, ex qua vena mihi manaret, quòd ista ipsa fœda, tamen cum amicis dulciter conferebā, nec esse sine amicis poteram beatus, etiam secundùm sensum quem tunc habebam, in quantalibet affluentia carnaliū voluptatum. Hoc etiam sensisse Epicurum, tenet Orig. homil. 4. in Exod. Hieronym. super illud ad Ephes. 5. Fornicatio autem, & immunditia. Item Augustinus Epistol. 56. tractatu de Epicurejs & Stoicis, cap. 4. tomo 6. D. Tho. 3. contra Gentes. c. 27. Eusebius lib. 11. præparationis, c. 2. Seneca Epist. 4. & huiusmodi erant de quibus dicitur Eccles. 5. Hoc itaque visum est mihi bonum, vt comedat quis, & bibat, & fruatur letitia, & illi qui Sapientiæ 2. cogitantes apud se nō rectè dixerunt; venite ergo & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquā in iuuentute celeriter, vino precioso & vnguentis nos impleamus & non prętereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescāt; nullum sit pratum quod non pertranseat luxuria nostra; nemo vestrum exors sit luxuriæ nostræ, vbique relinquamus signa lętitiæ, quoniā hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra. Tales erant etiam quos refert Paulus. 1. ad Corinth. 15. dicentes; Mā ducemus, & bibamus, cras enim moriemur. Huius erroris primus author fuit in Ecclesia anno. 84. viuente Apostolo Ioāne, quidam Cherintus hęresiarcha dogmatizans & prædicans, Regnum Christi duraturū per mille annos, postmodūque homines iterum victuros in carne deuicta vitijs & concupiscentijs, & voluptatibus. Contra quem errorem Christus Dominus anteà dixerat Matth. 12. Nonne ideò erratis non sciētes Scripturas, neque virtutem Dei: cùm enim à mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubētur, sed sunt sicut Angeli Dei in cœlis. Sequaces huius hęretici appellantur Chiliastę, quod latinè dicitur Milliastæ, vt est videre. 24. q. 3. c. quidam, ex D. Isidoro lib. 8. Ethimologiarum c. 5. Hunc errorem sequuntur Mahumetici Sarraceni fabulantes, post hanc vitam manere aliam voluptuosam. Eundem sequuntur, si non intellectu, tamen volūtate & opere, multi Christianorū, qui his tęporibus ita voluptatibus sunt dediti, ac si in illis beatitudo illorū cōsisteret, & illorū vita potius bestialis est, quàm rationalis, & hoc nomine in sacra Scriptura nūcupātur, vt à D. Paulo, Animalis homo nō percipit, &c. Et Dauid: Homo cùm in honore esset nō intellexit; cōparatus est iumentis. Et alibi: Nolite fieri sicut equus & mulus.

D. Thom. *D. Aug.* *D. Aug.* *Orig.* *Hiero.* *Aug.* *D. Tho.* *Euseb.* *Seneca.* *Eccles. 5.* *Sap. 2.* *1. Ad Cor. 15.* *Cherintus.* *Matth. 12* *Luc. 6.* *Esai. 40.* *1. Ioan. 3*

Insania ergò istorum impugnatur primò à Christo Domino Lucæ 6. dicente: Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Ve vobis quiridetis nunc, quia luge bitis. Et per Matthæum contra dicet: Beati qui esuriunt, &c. Secundo ratione, nam beatitudo debet esse permanens, alias enim nō est perfectum bonum: sed huiusmodi voluptnosa permanentiam non dicunt: ergo in illis non consistit beatitudo. Minor patet experientia, & etiam Esaiæ. 40. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni, ex siccatum est fœnum, & cecidit flos. Et primæ Ionn. 3. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, quia omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ quæ non ex Patre, sed ex mundo est, & mundus transijt, & concupiscentia eius, qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Deni

que

que probatur, quia si in voluptate beatitudo consisteret, beatior esset qui plura huiusmodi possideret, & tũc sequeretur, bestias esse beatiores hominibus; nam cum bestiæ non habeant mortis & miseriarum huius vitæ memoriam, non cognitionẽ Dei, non timorem iudicij eius, non præcepta vetantia voluptates, non verecundiam, nõ pugnam inter carnem & spiritum, delecta biliùs huiusmodi voluptatibus fruuntur: itaque non dicimus voluptatem non esse bonam physicè, contrarium enim docet *Arist.* Arist. 10. Ethic. c. 2. & c. 4. & 3. Ethic. c. 2. & lib. 2. Magnorum moralium, cap. 7. & 1. Ethic. c. 7. vbi latè ostendit, delectationem esse bonam, & propter se amabilem: nihilo minus non potest in illa consistere beatitudo, quæ aliud est maius bonum illa, nẽpe operatio cum qua voluptas coniungitur, quia non est operatio propter delectationem, sed è conuerso: sicut enim sal nõ est propter se, sed propter cibos condiendos; ita delectatio posita est à natura vt operatio exequutioni mandetur, vnde beatitudo in ipsa non potest consistere, sicut neque miseria in dolore. Vtrùm autem delectatio sit melior quàm vita, & vita ordinetur ad delectationem, vel è cõtra, indecisum relinquit *Arist.* Arist. 10. Ethic. c. 2. licèt ex ipso bene inspecto colligatur, vitã esse meliorem, & ad ipsam ordinari delectationem ab Authore naturæ. Et si contra fa *Obiectio.* cias argumentum, nam *Eccles. 2.* Ecclesiastes 2. dicitur: Nonne est melius comedere & bibere, & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis: & infra: Visum est mihi bonũ, vt comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex *Et c. 3.* labore suo, & hæc est pars illius; & infra c. 3. dicitur: Deprehẽdi nihil esse melius quã lætari hominem in opere suo, & hanc esse *Et c. 8.* partẽ illius: & c. 8. Laudaui igitur lętitiã, quòd nõ esset sibi bonũ sub Sole, nisi quòd *Luc. 22.* comederet, & biberet, atque gauderet. Et Lucæ 22. dicitur: Ego dispono vobis regnum, vt edatis & bibatis super mẽsam meã in Regno meo. Et *Psal. 15.* Psal. 15. dicitur: Delectationes in dextera tua, vsque infinẽ *Psal. 35.* & Psal. 35. Torrẽte voluptatis tuæ potabis eos: ergo in voluptate & de lectatione *Solutio.* consistit beatitudo: Respondetur cum *D. Hiero.* D. Hiero. super Ecclesiast. in illis locis, & cum *D. Tho.* D. Th. 3. cõtra Gẽtes, c. 23. nõ loqui ibi in propria persona, sed in persona stultorũ asserẽtiũ. *Sap. 2.* Sap. 2. Vbiq; relinquamus signa lætitiæ nostræ; quoniã hæc est pars nostra. Posteà autẽ exprimit propriam sẽtẽtiã ç. vlt. Ecclesiastes, dicẽs, Finem docendi pari ter omnes audiamus. Deum time, & mandata eius obserua; hoc est enim omnis homò: id est tota hominis perfectio. *Eccles. & c. vlt.*

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm beatitudo hominis consistat in aliquo bono animæ.

SIC ad septimum proceditur. *Videtur quòd beatitudo cõsistat in aliquo bono animæ. Beatitudo enim est quoddã hominis bonum: hoc autẽ per tria diuiditur, quæ sunt, bona exteriora, bona corporis, & bona animæ; sed beatitudo non consistit in bonis exterioribus, nec in bonis corporis, sicut suprà ostensum est: ergo cõsistit in bonis animæ.* *Art. 5. & 6. huius q.*

2. Præt. Illud cui appetim° aliquod bonũ, magis amamus quã bonũ quod ei appetimus: sicut magis amamus amicũ, cui appetimus pecuniã, quã pecuniã: sed vnusquisq; quodcumq; bonũ sibi appetit: ergo se ipsum amat magis quã omnia alia bona: sed beatitudo est quod maximè amatur: quod patet ex hoc, quòd propter ipsam omnia amãtur, & desiderãtur: ergo beatitudo cõsistit in aliquo bono ipsius hominis: sednon in bonis corporis: ergo in bonis animæ.

3. Præterea. Perfectio est aliquid eius quod perficitur: sed beatitudo est quædam perfectio hominis: ergo beatitudo est aliquid hominis: sed nõ est aliquid corporis, vt ostẽsum est: ergo beatitudo est aliquid animæ, & ita consistit in bonis animæ. *Art. 5.*

Sed contra est, quòd sicut Augustinus dicit in lib. de doctrina Christiana, id *Lib. 1. c. 3. & 22. & tom. 3.*

id in quo constituitur beata vita, propter se diligendum est: sed homo non est propter se ipsum diligendus, sed quidquid est in homine est diligendum propter Deum: ergo in nullo bono animæ beatitudo consistit.

Respondeo dicendum, quòd, sicut supradictum est, * *finis dupliciter dicitur scilicet ipsa res quam adipisci desideramus, & usus seu adeptio vel possessio illius rei. Si ergo loquamur de vltimo fine hominis quantum ad ipsam rem quam appetimus sicut vltimum finem, impossibile est quòd vltimus finis hominis sit ipsa anima, vel aliquid eius; ipsa enim anima in se cõsiderata, est vt in potẽtia existens: fit enim de potentia sciente, actu sciens, & de potentia virtuosa, actu virtuosa: cùm autem potentia sit propter actum, sicut propter complementum, impossibile est quòd id quod est secundùm se in potentia existens, habeat rationem vltimi finis: vnde impossibile est quòd ipsa anima sit vltimus finis sui ipsius: similiter etiam neque aliquid eius siue sit potentia, siue actus, siue habitus; bonum enim quod est vltimus finis, est bonum perfectum complens boni appetitum; appetitus autem humanus, qui est voluntas, est boni vniuersalis, quodlibet bonum autem inhærens ipsi animæ, est bonum participatũ, & per cõsequens particulatum; vnde impossibile est quòd aliquod eorum sit vltimus finis hominis. Sed si loquamur de vltimo fine hominis, quantum ad ipsam adeptionem, vel possessionem seu quemcunque vsum ipsius rei quæ appetitur vt finis, sic ad vltimum finem pertinet aliquid hominis ex parte animæ, quia homo per animam beatitudinem consequitur. Res ergo ipsa quæ appetitur vt finis, est id in quo beatitudo consistit & quod beatum facit: sed huius rei adeptio vocatur beatitudo, vnde dicendum est, quod beatitudo est aliquid animæ; sed in quo consistit beatitudo, est aliquid extra animam.*

q. præced. ar. 8.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd secundum quod sub illa diuisione cõprehenduntur omnia bona quæ homini sunt apprehensibilia, sic bonum animæ dicitur, non solùm potentia aut habitus, aut actus, sed & obiectũ quod est extrinsecum, & hoc modo nihil prohibet dicere, id in quo beatitudo consistit, esse quoddam bonum animæ.

Ad secundum dicendum, quantum ad propositũ pertinet, quòd beatitudo maximè amatur tanquam bonum concupitum; amicus autem amatur tanquàm id, cui concupiscitur bonum, & sic etiã homo amat se ipsum; vnde non est eadem ratio amoris vtrobique. Vtrum autem amore amicitiæ aliquid homo supra se amet, erit locus considerandi, cum de Charitate agetur. 2. 2. q. 26. art. 3.

Ad tertium dicendum, quòd beatitudo ipsa cùm sit perfectio animæ, est quoddam animæ bonum inhærẽs: sed id in quo beatitudo cõsistit, quod scilicet beatum facit, est aliquid extra animam vt dictum est. In corp.

Prima conclusio. Si loquamur de re quæ est vltimus finis, & beatitudo obiecti- 1. Concl.

iectiua, non est anima vel aliquid illius.

2. Concl. Secunda conclusio. Si sumatur beatitudo pro actione qua consequitur vltimus finis, quæ appellatur beatitudo formalis, vel finis quo, in actione animæ cõ sistit.

Not. Circa solutionẽ ad secundũ D. Thom. notandum, qualiter Deus diligi possit, & amore amicitiæ, & amore concupiscentiæ. Amicitię quidem per Charitatẽ, quę respicit bonũ Dei, vt in se & vt bonũ est Dei, concupiscentiæ autem per Spẽ, per ipsam enim volumus bonum diuinũ nobis, respicit enim bonũ diuinũ nobis, quia respicit bonũ diuinum vt possidendum; neq; isti duo amores inter se sunt contrarij, vnus enim ad alterũ ordinatur, & hoc ipsum quod est videre Deum per claram visionem, refert in bonum ipsius Dei, vt bonũ est Dei, quatenus hoc ad gloriã & honorem ipsius Dei conducit, vt nos beatos efficiat: & vtrũmq; amorẽ respectu eiusdẽ se cõpati, fundatur in vniuersalitate bonitatis diuinæ potentis vtrumq; cõplecti propter sui immensitatẽ; quod quidẽ in bono particulari creato simul reperiri non posset, non enim amicus vtroq; modo amari potest, sed vnus alterũ amorem excludit. Sed de hoc latius, 2. 2. q. 23. art. 1.

ARTICVLVS. VIII.

Vtrùm beatitudo hominis cõsistat in aliquo bono creato

1. q. 12. ar. 1. c. & q. 82. a. 2. cor. & 2. q. 85. ar. 1. co rol. & cont. gent. c. 7. §. 17. & c. 54. & op. 3. cap. 108. & 264 & opu. 20. l. 1. c. 8. & 9. Psal. 32. * c. 4. p. 1. ali quantulũ an te finem. † q. 75. ar. 7 & 108. ar. 8 & q. 111.

AD Octauum sic proceditur. *Videtur quôd beatitudo hominis cõsistat in aliquo bono creato. Dicit enim Dionys. 4. c. de diu. nominibus,* * *quôd diuina sapientia coniungit fines primorum principijs secundorũ: ex quo potest accipi, quod summum inferioris naturę sit attingere infimum naturæ superioris: sed summum hominis bonum est beatitudo; cùm ergo Angelus; naturæ ordine, sit supra hominem, vt in primo habitum est,* † *videtur quòd beatitudo hominis consistat in hoc, quod aliquomodo attingit ad Angelum.*

2. Præterea. vltimus finis cuiuslibet rei est in suo opere perfecto, vnde pars est propter totum, sicut propter finem: sed tota vniuersitas creaturarũ, quæ dicitur maior mundus, comparatur ad hominem qui in 8. phys. * *dicitur minor mundus, sicut perfectum ad imperfectum: ergo beatitudo hominis consistit in tota vniuersitate creaturarum.* * li. 8. phys. tex. 17. to. 2

3. Præterea. Per hoc homo efficitur beatus, quòd eius naturale desiderium quietatur: sed desiderium hominis non extenditur ad maius bonum quàm ipse capere potest: cum ergo homo non sit capax boni, quod excedit limites totius creaturæ, videtur quôd per aliquod bonum creatum homo beatus fieri possit, & ita beatitudo hominis in aliquo bono creato consistit.

Sed contra est quod Augustinus dicit 19. de Ciuitate Dei. † *Vt vita carnis anima est; ita beata vita hominis, Deus est: de quo dicitur Ps. 143. Beatus populus cuius Dominus Deus eius est.* † cap. 26. in princ. tom. 5.

Respondeo dicendum, quòd impossibile est, beatitudinem hominis esse in aliquo bono creato. Beatitudo enim est bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitum, alioquin non esset vltimus finis, si adhuc restaret aliquid appetẽdum. Obiectum autem voluntatis, quæ est appetitus humanus est vniuersale bonum, sicut. d. obiectum intellectus est vniuersale verum: ex quo patet, quòd D. 75 2.

nihil

nihil potest quietare voluntatem hominis, nisi bonum vniuersale, quod non inuenitur in d aliquo creato, sed solum in Deo: quia omnis creatura habet bonitatem participatã: vnde solus Deus voluntatem hominis implere potest, secundùm quod dicitur in Psalm. 102. Qui replet in bonis desiderium, &c. in solo igitur Deo beatitudo hominis consistit.

D. 282. 293.

Ad primum ergo dicendũ, quòd superius hominis attingit quidem infimum Angelicæ naturæ per quandã similitudinem, non tamen ibi sistit sicut in vltimo fine, sed procedit vsque ad ipsum vniuersalem fontem boni, qui est vniuersale subiectum beatitudinis omnium bonorum, tanquàm infinitum & perfectum bonũ existens.

Ad secundum dicendum, quòd si totum aliquod non sit vltimus finis, sed ordinetur ad finem vlteriorem, vltimus finis partis non est ipsum totum, sed aliquid aliud. Vniuersitas autem creaturarum ad quam comparatur homo, vt pars ad totum, non est vltimus finis, sed ordinatur in Deum sicut in vltimum finem: vnde bonum vniuersi non est vltimus finis hominis, sed ipse Deus.

Ad tertium dicendum, quòd bonum creatum non est minus quàm bonum cuius est homo capax, vt rei intrinsecæ & inhærentis: est tamen minus quàm bonum cuius est capax, vt obiecti quod est infinitum; bonum autem quod participatur ab Angelo & à toto vniuerso, est bonum infinitũ & contractum.

Conclusio est negatiua.

Ista cõclusio est de Fide, vt patet Psal. 72. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram. Et Ecclesiastes, 1. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, &c. & omnia vanitas, & in vltimo capit, illius libri, omnibus prægustatis, inquit: Quis ita deuorauit, & delicijs affluet, vt ego, &c. & concludit: Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata eius obserua; hoc est omnis homo. Ac si dicat, hæc est pars nostra, & portio vestra, & totum hominis bonum, Deum timere, & mandata eius seruare. Et Ioannis 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Neque potest calumniari quòd loquatur de vita æterna initiatiuè, qualis habetur per Fidem, quia ex hoc ipso sequitur, quòd consummata in eodem debeat consistere; ad hoc enim tandit Fides, vt videat: visio enim Fidei correspondet, vt patet 1 Corinth. 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Item 1. Ioann. 2. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: quod suadet Apostolus, quia omnia quę in mũdo sunt, insufficientiam habent, vt satient; quod requiritur ad beatitudinem. Vnde Esaij 55. Omnes sitientes venite ad aquas, &c. & subdit: Quare appenditis argentum vestrum, non in panibus. Laborem vestrum, nõ in saturitate; quod ait Propheta, quia omnia quæ in mundo sunt creata, potius mẽdicitatem, quàm saturitatem afferunt animæ vnde Psalmista concludit: Satiabor, cùm apparuerit gloria tua; ac si dicat, antequàm appareat, famelicum esse necessarium erit. Videatur Nazianzenus oratione 21. in laudem Athanasij, vbi ait: Deus est intelligibilium omnium summus & vertex, in quo desiderium omnium consistit ac defigitur, nec supra eum vsquam fertur, nec enim quid quam sublimius habet, &c. & subdit: Hoc enim rerum omnium expetendarum extremum est; quò cùm peruenerimus, conquiescit omnis speculatio. Et Eusebius lib. 11. præparationis capit. 2. Postquam exclu-

Psalm. 72. *Eccleſiaſt. 1.* *Eccleſ. vlt.* *Ioann. 17.* *1. Corint. 13* *1. Ioann. 2.* *Eſaij 55.* *Nazianz.* *Euſeb.*

cluſit ſigillatim opiniones Philoſophorũ ponentium beatitudinem in rebus creatis, concludit, quia profecto cùm omniũ bonorum largtior Deus, vitæ fons, & origo virtutis ſit, ſolus, ad beatam vitam eis ſufficit, qui vera pietate adipſum tendunt. Videatur etiam Dionyſius cap. 10. de cœleſti Hierarchia, & Gregor. Nyſſenus oratione 1. de beatitudinibus, non lõge à principio, & oratione 6. explicans illud, Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, ait: Qui Deum videt, quid in bonis immoratur, pec hoc quod videt, adeptus eſt vitam ſine fine, æternã incorruptibilitatem immortalem, beatitudinem, Regnum ſine fine, lætitiam continentem verum lumen, ſpiritualem & dulcem vocem, gloriam inacceſſam, perpetuam exultationem, omne denique bonum. Videatur ad idem Irenæus libr. 3. capit. 22. Auguſt. 22. de Ciuitate, cap. 3. & 13. de Ciuitate cap. 7. & Epiſtol. 56. & lib. 2. Confeſsionum, cap. 1. vbi habetur illa cælebris ſententia: Feciſti nos, Domine, ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec reuertamur ad te. Et D. Cyprianus, lib. 2. aduerſus Iudæos, cap. 6. Tandem Aug. 19. de Ciuitate cap. 4. vbi impugnat ſententias omnium Philoſophorum ponentium beatitudinem in rebus diuerſis creatis.

D. Dion. *D. Gregor. Niſſen.* *Irenæus.* *D. Aug.* *D. Cyprian.* *D. Aug.*

DVBIVM EST,

Vtrùm ſi homines conderentur in puris naturalibus, haberent aliquã beatitudinem & vtrùm illa conſiſteret in aliquo bono creato.

1. *Arg.* PArs negatiua prioris membri quæſtionis probatur. Primò: In illo ſtatu homines non cognoſcerent omne verum, nec tunc poſſent ſeruare omnia mandata, & vitare omne malum: ergo non poſſent habere beatitudinem. Conſequentia patet; nam ad perfectam beatitudinem requiſita eſt perfectio, tam intellectus, quàm voluntatis, quæ non eſſet, niſi poſita cognitione totius veri, & rectitudine voluntatis per obſeruantiam omniũ mandatorum. Antecedens verò probatur, nam modò id non poteſt fieri, ſine auxilio gratiæ, vt dicitur infrà quæſtion. 109. ergo in illo ſtatu nullo modo poſſent quia ad illum ſtatum auxilium gratiæ nõ pertinebat, ſi quidem iam non eſſet naturam in puris conſiderare. Si reſpondeatur, quòd licèt in illo ſtatu peccarent; poſſent tamen à peccato reſurgere, & reſurgendo beatitudinem obtinere: Contrà argumentor, Quia reſurrectio à peccato fieri non poteſt niſi per gratiam, & virtutem Pœnitentiæ, vt infrà etiam dicetur: ſed neutrum pertinebat ad illum ſtatũ, quia vtrumque eſt ſupernaturale, vnde neque Philoſophi agnouere: ergo.

Solutio. *Impugn.*

Secundò argumentor, nam ſi in illo ſtatu eſſet aliqua beatitudo, omnes eſſent beati: quod quidem apparet falſum, ſi quidem neque Angeli in beatitudine naturali ſteterant. Sequela verò probatur, nã naturalia æqualia eſſent omnibus: ergo ſi beatitudo naturalis erat, omnibus eueniret. 2. *Arg.*

Tertiò argumentor. Illa beatitudo vel eſſet amiſsibilis, vel inamiſsibilis: neutrũ iſtorum: ergo non poteſt talis poni. Probatur minor; namſi poneretur amiſsibilis, non ponitur beatitudo, quæ cum ſit perfectum bonum, amitti non debet, neque etiam poteſt poni inamiſsibilis, quia ſolùm clara Dei viſio neceſsitat ad exercitium. 3. *Arg.*

Quartò argumentor. Beatitudo illa vel pertinet ad totum hominem in hac vita, vel ad ſolam animam in alia: neutrum iſtorum: ergo. Probatur minor. Quòd non primum, quia tunc homo eſſet mortalis, & conſequenter omnia bona huius vitæ finirẽtur: ergo in nullo illorum beatitudo conſiſtebat; quæ inamiſsibilis debet eſſe. Non etiam ſecundum dici poteſt, ſi quidem non poteſt aſsignari locus, in quo talẽ beatitudinem poſsideret; nõ enim cœlũ, cùm non eſſet ingreſſus, & extra illud non videtur locus aptus beatitudini. 4. *Arg.*

Quintò argumentor. In illo ſtatu omnes peccarent: ergo nullus eſſet beatus, ſed omnes perirent. Antecedens probatur. In ſtatu innocentiæ, etiam ſi permaneret, plura eſſent peccata quàm modò, ſi quidem duo qui in illo ſtatu fuerunt, ambo ceciderunt: ergo in puris naturæ omnes peccarent. Patet conſequentia, nam in hoc ſtatu, & in ſtatu innocentiæ quam plura ſunt auxilia ſupernaturalia, quæ in puris naturæ non eſſent, vt non debita tali ſtatui. 5. *Arg.*

Sextò argumentor. Beatitudo non poteſt 6. *Arg.*

test consistere in aliquo creato, quia nullum illorum plenè satiat, & tunc visio Dei non esset possibilis ergo nullum potest assignari in quo consisteret beatitudo. Si dicas, quòd etiam si tunc non posset Deus clarè videri, neque à priori cognosci, posset tamen à posteriori cognosci & per effectus: Contrà argumētor. Cognitio Dei à posteriori, primô & perse terminatur ad creaturas: ergo in tali cognitione non potest consistere beatitudo. Patet consequentia, nam ratio alicuius actionis ex obiecto primario debet pensari: ergo si illa cognitio ex obiecto primario, nempe ex creaturis, beatificare nō potest, absolutè non potest beatificare, quia ex obiecto secūdario beatitudo pro uenire non debet. Et secundò impugnatur, quia cognitio Dei per effectum non satiaret, sed potius causaret appetitum, videndi Deum, quia, vt inquit D. Thom. 1. p. q. 12. art. 1. naturale est homini visis effectibus, desiderare videre causam: ergo talis cognitio non posset beatificare, quia, vt dictū est, beatitudo satiare debet

Solutio. *Impugn. 1.* *Impugn. 2.* *D. Thom.*

1. Concl. Prima conclusio. Necessariô constituenda est aliqua beatitudo, quam homines in puris naturæ possent obtinere. Prima pars conclusionis probatur. Homo non est peioris conditionis quàm aliæ creaturæ, cùm sit illis perfectior; sed respectu cuiuscumque creaturæ datur aliquis vltimus finis, in quo quiescat & bene se habeat, vt centrum respectu lapidis, &c. ergo talis etiam finis homini debet assignari, & ille esset beatitudo. Secunda pars conclusionis probatur, quia nulla inclinatio debet esse frustranea: ergo si homo in puris naturæ haberet aliquem vltimum finem, quem naturaliter appeteret, possibile esset illum obtinere, nam alias talis appetitus esset frustraneus. Secundò in illo statu non omnes perirent; ergo aliqui assequerentur beatitudinem. Antecedens probatur à simili, sicut probat D. Thom. 1. p. q. 23. art. 1. quòd non omnes modo pereant, quia hoc non dicet cum diuina prouidentia: ergo idem dicendum est in illo statu, Deus enim de hominibus deberet prouidere, & hoc insinuatur Psalm. 88. Psalm. 88. Nunquid enim vanè cōstituisset omnes filios hominum.

Psalm. 88.

2. Concl. Secunda conclusio: Illa beatitudo nō cōsisteret in aliquo bono creato, vt in obiecto. Probatur. Beatitudo debet cōsistere in perfectissima operatione perfectissimæ potentiæ circa perfectissimum obiectum; sed talis non potest esse operatio circa aliquid creatum: ergo. Maior est Arist. 10. Ethic. c. 7. & 8. & 12. Meth. tex. 51. D. Aug. 14. de Ciuit. cap. 2. & 4. & D. Thom. in illa quæstione passim. Minor verò probatur, quia quodcumque creatū nō potest satiare, cùm intellectus habeat quandam infinitatem, quæ solùm per intellectionem entis infiniti cōpleri potest.

Arist. *Aug.* *D. Thom.*

3. Concl. Tertia conclusio. Beatitudo consisteret in illo statu in quadam eleuatissima contēplatione Dei, vt Authoris naturæ. Probatur. Actus virtutum ex natura sua sunt propter Deum, vt illi operans coniūgatur; sed talis coniunctio quæ præmiū esset actus virtutis, nō potest esse melior & perfectior, quàm coniunctio per intellectum, quæ præstantissima est potentia & actus eius perfectissimus: ergo in contēplatione Dei beatitudo tunc cōsisteret.

4. Concl. Quarta conclusio. Illa Dei contemplatio, in qua beatitudo consisteret, fieret per species à Deo infusas, aut per essentiam ipsius animæ, tanquam per Dei speciem & similitudinem. Hæc probatur. Illa contemplatio non esset quidditatiua & clara Dei cognitio in se: ergo per aliquas species inditas & creatas deberet fieri. Consequentia patet, nam solùm respectu claræ visionis Deus supplet vicem speciei, vniendo se ipsum immediatè cū intellectu. Antecedens verò probatur, nam clara Dei visio est supernaturalis & supra facultatem naturæ, ad quam, vt dicitur, 1. part. q. 12. requiritur lumen gloriæ eleuans potentiam: ergo sistendo in puris naturæ, Deus clarè videri non posset. Si respōdeatur, quòd videri Deus clarè, vt Author gratiæ & supernaturalis, est supra naturam: videri autem vt Author naturalis, ad naturam & facultatem eius pertinebit. Contrà argumētor, nā distinctio Authoris naturæ & gratiæ solùm est rationis: realiter autem & formaliter idem est Author naturalis & supernaturalis: ergo impossibile erit in re videri vnum, & non videri aliud, quia clara visio tendit ad rem vt in se, & nō prout in nostris conceptibus habet distinctionem; quapropter si vt Author supernaturalis per naturam videri non potest, neque etiam vt Author naturalis;

Solutio. *Impugn.*

5. Concl. Quinta conclusio. Illa contemplatio Dei, in qua beatitudo consisteret, non

haberetur in hac vita, sed in alia. Hoc docet Arist. 1. Ethic. cap. 8. & 9. Cicero lib. de somno Scipionis, sic tenuit Plato & Plotinus eius discipulus, & Marsilius Ficinus lib. 18. Theologiæ Platonicæ, cap. 8. & D. August. de correctione & gratia, cap. 11. & probatur. Beatitudo debet esse continua, perpetua, & omnino perfecta: sed hæc non possunt esse in præsenti vita, sed in alia: ergo. Probatur minor, nam in hac vita cùm tot sint solicitudines rerum, talis contemplatio interrumperetur attendẽdo ad alia necessaria, cùm tot sint errores & opiniones; & adeò exiguum lumẽ intellectus, ex immersione materię talis contemplatio perfecta esse nõ posset, & cùm homo esset mortalis, tandem talis contemplatio per mortem finiretur.

Arist. Cicero. Plato. Marsil. Ficinus. D. Aug.

6. Concl. Sexta conclusio. Etiam in illo statu non esset beatitudo ęqualis omnibus, sed maior, vel minor, pro meritis habitis in hac vita. Probatur, quia hoc pertineret ad Dei prouidentiam & iustitiam distributiuam, conferre inæquale præmium inæqualibus meritis; quod vtique fieret conferendo perfectiores, vel imperfectiores species, sicut modò confertur perfectius, vel non adeò perfectum lumen gloriæ, secundùm quòd beatitudo supernaturalis est inæqualis.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum à principio respondetur, quòd in illo statu conferretur auxilium naturale, quo rectè posset procedere intellectus in correctione, & voluntas in moribus, & quo quis posset pugnam carnis compescere, & etiam post peccatum commissum, esset auxilium naturale, quo quis posset à peccato resurgere; cùm enim peccatum tunc solùm esset contra Authorẽ naturæ, dolor naturalis per auxilium naturale tali fini naturali proportionatum sufficeret; neque est eadem ratio atque modò; peccatum enim in isto statu non potest præcisè esse contra Authorem naturæ, quin etiam consequenter sit contra Authorem gratiæ, propter subordinationẽ vtriusque finis, quapropter nec potest poni rectitudo naturalis, nisi posita rectitudine supernaturali. Vnde ad delendum quodcumque peccatum, gratia requiritur; tunc autem cùm non esset finis supernaturalis, rectitudo naturalis præcisa poni poterat, & ad hoc media naturalia sufficerent.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum respondetur, naturale sumi dupliciter; secundũ emanationem, vel secundùm inclinationem & consequutionem. Quod est primo modo, naturale, æqualiter omnibus contingit. Quod autem secundo modo, minimè, vt patet in scientijs, in quibus potest plus, minusve aliquis profice re; quia tantũ sunt naturales scientiæ, secundùm inclinationem, & consequutionem, non autem secundùm emanationẽ, vt propria passio. Beatitudo ergo esset naturalis secundo modo, non primo; vnde inęqualitas in beatitudine esse posset.

Ad 3. arg. Ad tertium respondent aliqui, quòd in illo statu illa beatitudo esset inamissibilis, quia talis cognitio esset necessaria ex parte obiecti cogniti, in quantum naturaliter erat cognoscibile; quia amplioris cognitionis appetitus non manebat. Sed hoc nõ est verum, quia licèt cognoscerent Deum quantum poterant naturaliter, & ex hac parte manerent satiati; cũ tamen Deus non clarè videtur, non poterat necessitare eos; eo enim necessitat in patria, quia clarè videtur vt summum bonum, & in quo nulla potest ratio mali apparere: dicendum ergo, tunc beatitudinem esse inamissibilẽ ex parte subiecti, & ratione status; anima enim separata sapit naturam Angelicam apprehendentẽ immobiliter, quia naturale est, & propriũ cuiuslibet rei, proprio fine & termino acquisito quiescere, nec ab illo desistere.

Ad 4. arg. Ad quartum argumentum respondetur, quòd beatitudo haberetur in alia vita, & in cœlo, sic enim posuerunt Philosophi antiqui cœlũ locum beatorũ, & terrã locum damnatorum; & licèt talis anima separata appetitum haberet reunionis ad corpus, qui nũquam impleretur, quia resurrectio supernaturalis est; nihilominus anima esset beata, licèt non omnino perfecta beatitudine; iste enim appetitus non satiatus non multum angeret, cùm cognosceretur id per naturã esse impossibile, nec tunc eis appareret alia potentia superior. Vel dicitur, quòd appetitus reunionis esset naturalis, vt põdus in anima, non autem vt actus elicitus voluntatis, quia iste non est impossibilium; vnde anima non premeretur defectu implectionis talis appetitus.

Ad 5. arg. Ioann. Vincent. Ad quintum argumentum, Ioannes Vincẽtius relectione de Christi gratia, dicit, quòd in statu innocentiæ, si perseuerasset,

rasset, plures peccarent, quia motiua pec cati essent vehementiora scilicet dotes ex cellentissimæ: quibus ille status esset præ ditus. Hoc tamen est contra communem sententiam Theologorum, & quam ipse olim tenuerat, & contra rationem; nam si in illo statu essent maiora motiua euaneſcendi, essent etiam maiora auxilia cõtinendi in rectitudine: vnde patet in An gelis, vbi cum maximis motiuis superbiæ, propter eorum maximam excellen tiam, quia auxilia etiam fuerunt superio ra, plures permanserunt, quàm ceciderint. Secundo tamen respondetur. Tran seat antecedens, & negatur consequentia; solùm enim infertur, quòd plures peccarent in illo statu, non quòd omnes: vnde alı qui obtinerent beatitudinem. Et idem dicendum est de pueris decedentibus ante vsum rationis, quòd illam beatitudinẽ ex magnificentia Authoris naturæ consequerentur.

2. Solut.

Ad. 6. arg. Ad sextum argumentum bene ibi respõnsum est. Ad duas vltimas replicas dicitur; ad primam quidem, quòd cognitio Dei â posteriori, non terminatur immediatè ad creaturas, sed ad Deum, licèt connotatiuè & per habitudinem ad creaturas: vnde in illa cognitione creaturæ non habẽt rationem obiecti, sed medij, & causæ alterius cognitionis terminatæ ad Deum. Ad aliam replicam dicitur, quòd appetitus videndi causam visis effectiuus, tantùm est absolutus in eo cui appa ret possibilis talis visio, vt respectu habentis Fidem; respectu autem naturæ pu ræ consideratæ, talis appetitus tantùm est conditionatus, & imperfectus: & sic intelligatur D. Thom. loco citato in argu mento. Cùm ergo in illo statu non appareret, visio possibilis, non haberent absolutum appetitum illius, & sic animæ satiatæ essent, cùm haberent cognitionem sibi possibilem pro illo statu.

QVÆSTIO III.

De Beatitudine, Quid sit.

ARTICVLVS I.

Vtrûm Beatitudo sit aliquid in creatum.

AD primum sic proceditur. *Videtur, quòd beatitudo sit aliquid in creatum. Dicit enim Boet. in 3 de consol.* * *Esse Deum ipsam beatitudinem, necesse est confiteri.* Inf. q. 26. art 3. & 4. di. 49. q. 1. artic. 2. q. 1. cor. Prosa 10. circa me.

Secundô. Beatitudo est summum bonum: sed esse summum bonum, conuenit Deo: cùm ergo non sint plura summo bona, videtur quòd Beatitudo sit idem quod Deus.

Tertiô. Beatitudo est vltimus finis in quem naturaliter humana voluntas tanquam in finem tendit: sed in nullum aliud voluntas tanquam in finem debet tendere nisi in Deum, quo solo fruendum est, vt Aug. dicit † *ergo beatitudo est idẽ quod Deus.* † Lib. 1. de doct. Christ. cap. 4. 5. & 22. tom. 3.

Sed contrâ. Nullum factum est increatum: sed beatitudo hominis est aliquid factum, quia secundùm Aug. 1. de doct. Christ. * *illis rebus fruẽdum est, quæ nos beatos faciunt: ergo beatitudo non est aliquid increatum.* † Lib. 1. c. 3. in princ. to. 3

Respondeo dicendum, quòd sicut supradictum est finis dicitur dupliciter. Vno modo ipsa res quam cũ pimus adipisci sicut auaro est finis pecunia. Alio modo ipsa adeptio, vel possessio seu vsus, aut fruitio eius rei quæ desideratur: sicut si dicatur, quòd possessio pecuniæ est finis auari; & frui re voluptuosa, est finis intemperati: Primo ergo modo vltimus finis hominis est bonũ increatũ scilicet Deus, qui solus sua infinita bonitate potest voluntatẽ hominis perfectè implere. Secundo autẽ modo vltimus finis hominis est creatum aliquid in ipso existẽs, quod nihil est aliud quã adeptio, vel fruitio finis vltimi: † q. 1. ar. 8. q. præc. ar. 7.

Vltimus autem finis vocatur beatitudo: Si ergo beatitudo hominis consideretur quantũ ad causam vel obiectum, sic est aliquid increatum: si autem consideretur quantum ad ipsam essentiam beatitudinis; sic est aliquid creatum.

Ad primum ergo dicendũ, quôd Deus est beatitudo per essentiam suam: non enim per adeptionem aut participationẽ alicuius alterius beatus est, sed per essentiã suã. Homines autem sunt beati, sicut ibidem dicit Boet. per participationem: sicut & Dij per participationem dicuntur: ipsa autem participatio beatitudinis secundùm quam homo dicitur beatus, aliquid creatum est.

* *Ea prosa 10 lib. 3. de consol.*

Ad secundùm dicendum, quôd beatitudo dicitur esse summum hominis bonum, quia est adeptio vel fruitio summi boni.

Ad tertium dicitur, quôd beatitudo dicitur vltimus finis per modum quo adeptio finis dicitur finis.

1. *Concl.* Prima conclusio. Si Beatitudo consideretur quantum ad causam & obiectum, est quid increatum.

2. *Concl.* Secunda conclusio. Si verò consideretur quantum ad essentiam beatitudinis, sic est aliquid creatum.

Not. 1. In hoc articulo notandum, D. Thom. inquirere genus, & differentiam beatitudinis in hac quæstione, vt sic perfectam eius definitionem tradat, & quia rectus ordo procedendi est à cõmunioribus & vniuersalioribus; Primò inquirit de genere remotissimo, Vtrùm sit aliquid creatũ, vel increatũ: & in sequẽti articulo quærit de genere proximiori; interrogando, Vtrũ beatitudo sit aliqua operatio: in 3. verò articulo progreditur ad inuestigandã differentiã, Vtrúm sit operatio alicuius potentiæ: postmodũ autem articulo 4. & 5. Vtrùm sit operatio sensitiua, an verò intellectiua. Et de intellectiua, an sit intellectus, an verò volũtatis, & Vtrũ sit operatio intellectus practici, an verò speculatiui. Et tandem in articulo 6. & sequentibus inquirit differentiam ex parte obiecti, Vtrùm beatitudo versetur circa substantias separatas, vel circa scientias speculatiuas, an verò circa Deum clarè visum.

Not. 2. Notandum secundò, quòd Beatitudo sumitur dupliciter. Primò per modum collectionis, vt importat statum continentem congregationem omnium bonorum, qualiter definita est à Boetio, quòd beatitudo est status omnium bonorum agregatione perfectus; qua acceptione sæpe vtitur sacra Scriptura, cùm nominat Regnum cœlorum vel gloriam, vel vitam æternam, & sic sæpe loquuntur Doctores Sancti. quæstio. 5. artic. 3. & 4. vbi dicitur, beatitudinem esse sufficiens & perfectum bonum, omne malum excludens, & omne desiderium complens. Secundo modo sumitur Beatitudo per modum simplicitatis, vt importat actionem qua homo coniungitur summo bono, & consequitur vltimum finem: Hæc acceptio frequens est apud Arist. & D. Thom. in hac quæstione, in qua agit, vtrùm consistat in hac vel in illa operatione.

Not. 3. Tertiò notandùm, quòd Beatitudo multipliciter diuiditur. Primò, in veram & falsam. Falsa quidem potest diuidi in infinitum secundùm quôd quilibet peccator pro suo libito in hoc vel in illo potest illam constituere: Sed de hac non est hic agendum. Secundò diuiditur beatitudo in obiectiuam & formalem, vt dicit D. Thom. in hoc articulo & in 8. quæstionis præcedentis. Verum est, hanc propriè non esse diuisionem beatitudinis, sed rationum ad integrantium beatitudinem; vtrumque enim beatitudo complectitur, & rem, quæ est finis vltimus, & consequutionem eius. Tertiò diuiditur beatitudo in essentialem & accidentalem. Essentialis est ipsa consequutio vltimi finis; accidentalis verò, quæ ad talem consequutionem & statum consequitur. Tandem beatitudo diuiditur in naturalem proportionatam naturæ, & supernaturalem facultatem naturæ excedentem. Quantum ad quæstionem, ad an est.

D V-

DVBIVM I. EST;

Vtrùm aliqua ratione ostendi possit Beatitudinem esse possibilem, aut futuram.

AD quod quidem respondetur, quòd si loquamur de beatitudine supernaturali, de Fide est, illam esse possibilem, nam in sacra Scriptura sæpe Deus illam promittit seruantibus eius mandata. Nō autem dicendum est, promittere impossibilia, nec etiam quod seruare mandata, sit aliquid impossibile, iuxta illud Deuteron. Præcepta quæ præcipit tibi Dominus hodie, non sunt super te; non quia viribus naturæ omnia impleri possint, sed quia ex diuino auxilio, quod præsto adest, possunt impleri, & quia non sunt impossibilia, dixit, Non sunt super te. Si autem loquamur de beatitudine naturali, etiam lumine naturæ cognoscitur de facto ab aliquibus fore obtinendam, quia non tota species humana vt tota periret, debebat formari: itaque aliquos perire, non est inconueniens, cùm homo sit liber, & possit prolibito in bonum vel malum tendere: esset autem maximum incōueniens, totum genus humanū perire.

Obiectio. Et si cōtra arguas, quia hoc nō est incōueniens in Angelis; ergo nec in hominibus. Antecedens probatur, nam cùm Angeli sint diuersæ speciei, & vniuscuiusq; speciei tātùm sit vnicum indiuiduū, cùm multi perierint, consequenter & multæ species in integrum perierunt.

Responsio. Respondetur tamen, quòd cùm in vnaquaque specie Angelorum tantum sit vnus, eo ipso quòd permittebatur, aliquos cadere permittebatur, & aliquas species perire. In specie autem humana cùm tot sint indiuidua, est locus & perditioni aliquorum, & aliorum saluti. Omnes autē simul perire, indecentissimum esset diuinæ misericordiæ.

2. Solutio. Vel aliter respondetur, quòd licèt omnes Angeli physicè specie distinguantur, moraliter tamen sunt quasi vnius speciei, propter eundē modum tendendi in finem vltimum, licèt ergo aliquæ species physicè pereant, quia tamen aliæ eiusdem modi operandi remanserunt; non dicitur absolutè, naturam Angelicam perijsse. Cùm autem genus humanum tantùm sit vna species, si hæc periret, totum humanum genus perijsset; quod quidem esset maximum inconueniens, sicut quod periret totum genus Angelicum.

DVBIVM II.

Vtrùm Deus, secluſis omnibus creaturis, sit sufficiens obiectum nostræ beatitudinis.

PRobatur quòd non. Primò: Homo non solùm eget Deo, sed multis alijs creatis. Vt bonis corporis & animæ, quibus commodè viuat: ergo non solū Deo beatificabitur, nisi etiam alia bona extra Deum consequatur. *1. Argui.* Si respondeatur, omnia bona creata in Deo contineri eminēter; vnde obtento Deo, omnia optenta sunt: Contra, quia homo non solùm indiget his prout eminenter sunt in Deo, sed etiam prout formaliter sunt in se ipsis. *Solutio. Impug.*

Secundo arguitur: Obiectum beatitudinis non solùm est Deus, sed etiam visio beatifica, & perpetua duratio. Itaque non solùm sufficit videre Deum, sed videre se videre perpetuò, vt sit quietus: ergo. *2. Arg.*

Tertiò arguitur. Secundum opinionem probabilem non potest Deus videri, non visis aliquibus creaturis in illo, si loquamur de beatitudine supernaturali, & si de naturali, nō potest Deus cognosci nisi ex præcognitis creaturis: ergo semper ad beatitudinem, siue naturalem, siue supernaturalem, non solùm Deus, sed alia extra ipsum requiruntur. *3. Arg.*

Propter hæc argumenta tenuit hanc sententiam Holcot. in 4. dist. 48. artic. 2. & Durand. in 4. dist. 49. quæst. 4. asserēs quòd ad beatitudinem requiritur cumulus multorum bonorum, licèt inter illa supremum & optimum sit Deus. *Holcot. Durand.*

Pro intelligentia notandum ex supradictis, certum esse omnia extra Deū, etiam collectiuè sumpta, non sufficere ad beatificandum hominem: modo autē quæritur, Vtrùm aliqua ex illis requirantur simul cum Deo ad beatificandū, an verò solus Deus per se ipsum sufficiat. *Not. 1.*

Secundò notandum est, quòd de beatitudine possumus loqui dupliciter. Primò secundum essentialia præcisè & ex *Not. 2.*

parte obiecti specificantis. Secundò, vt etiam complectitur illa quæ obiecto conectuntur, antecedunt, vel subsequuntur, tanquam necessaria ex parte nostra, vt tale obiectum possimus attingere.

1. Concl. Prima conclusio. Deus solus omnibus alijs seclusis, est sufficiens obiectum specificans beatitudinem essentialem. Hæc

Ioann. 17. insinuatur Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum, quod nō solum intelligitur à Sanctis Patribus de beatitudine viæ, sed etiam Patriæ con-

Exodi 33. summata. & Exodi 33. Ego ostendam tibi omne bonum, scilicet me ipsum: vnde Sancti Deum obtinētes, & si alijs omnibus careant, possunt dicere illud To-

Tobiæ 10. biæ 10. Simul in te vno omnia habentes, & Sap. 9. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa. Vnde optimè

Sap. 9. *August.* August. lib. 5. confessionum cap. 4. Infelix homo qui scit omnia illa, te autē nescit. Beatus autem qui te scit, etiam si illa nescit, qui verò te & illa nouit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus est. Si te sicuti Deū glorificet, & gratias agat, nec euanescat in cogitationibus suis. Et ratione probatur. Illud est obiectū essentialis beatitudinis, quod habet rationem summi boni complectentis & quietantis totum appetitum & desideriū voluntatis, huiusmodi est solus Deus:

Confirm. ergo. Confirmatur. Voluntas completur & quietatur per proprium obiectū, nempe bonum vniuersale in prædicando: ergo vbi illud fuerit repertum in essendo, omnino manebit quieta. Certum est autem, Deum esse in re infinitum & summum bonum: ergo.

Secundò probatur. Idem est beatitudo & vltimus finis, vt supra dictum est: sed Deus est vltimus finis: ergo est obiectum essentiæ beatitudinis. Probatur minor, quia eadem est ratio primi principij & vltimi finis, vt suprà dictum est, & ostenditur 1. part. quæst. 44. artic. 4. sed Deus est primum omnium principium: ergo & omniū vltimus finis. Tertiò probatur. Christus Dominus, etiam dū viator, erat essentialiter beatus & comprehensor; sed hoc tantùm erat visione Dei: ergo. Probatur minor, nam alijs extra Deum omnino carebat, nullam requiem

Confirm. habens, plenusque laboribus. Confirmatur, nam anima existens in cœlo sine corpore, essentialiter est beata, cùm tamen omnibus corporalibus sit destituta, quia hæc solùm ex coniūctione corporis possunt prouenire. Confirmatur secundò: Etiamsi esset tantùm vna anima inmundo, posset esse essentialiter beata videndo Deum; cùm tamen nullo alio extra Deum frueretur, quia in casu dicto nihil esset extra Deum:

2. Concl. Secunda conclusio. Deus est obiectū essentialis beatitudinis secundùm existētiam veram & realem à parte rei, & non solùm secundùm existentiam obiectiuā. Probatur. Deus est obiectum beatitudinis, vt actus purus & ipsum esse per essentiam: sed hoc non habet nisi prout in re: ergo. Etsi contrà arguas, nam si beatitudo consisteret in visione alicuius imaginis, etiam si propria existentia imaginis destrueretur, si maneret existentia obiectiua eius, maneret obiectum beatitudinis: ergo obiectum formaliter est secundùm existentiam obiectiuam, nō verò realem. Respondetur, casum esse impossibilem, quòd destructa existētia propria imaginis, maneat obiectiue sufficiens terminare notitiam intuitiuam: & dato impossibili, dico quòd tunc talis visio non esset beatifica: nam si beatitudo cōsistebat in visione imaginis, ad propriam existentiam imaginis debet terminari; nam alia visio ficta, non esset visio imaginis. Et rursua dicitur, quòd licét in imagine illa duo possent separari, in Deo tamen inseparabilia sunt, etiam per intellectum videntē ipsum; nam primum quod Deo competit, est ipsum esse: vnde non solùm repugnat separatio ex parte rei, sed etiam ex parte visionis.

Obiectio. *Responsio.*

Ad 1. arg. Ad primum argumentum à principio bene responsum est. Ad replicam dicitur, quòd non quælibet res eminens sufficit satiare; bene tamen in primo principio & prima causa; qui enim in illa per visionem claram attingit eminenter contenta, sic satiatur, ac si illa attingeret in se ipsis, immò meliùs, quia attingit, seclusis imperfectionibus; & sic explicatur Au-

August. gust. 13. de Trinit. cap. 5. beatum esse qui habet quidquid vult; & Boetius 2. de con-

Boetius. sol. prosa 2, quòd beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus: præter intelligentiam enim datam, potest dici, hoc verificari, quatenus in Deo omnia eminenter prædicto modo continentur.

Ad 2. argu. Ad secundum argumentum respon-

detur

pondetur ex secundo notabili, omnia illa pertinere ad beatitudinem concomitãter, antecedenter vel consequenter, non autem essentialiter; sed vt dictum est, solus Deus essentialiter beatificat.

Ad 3. arg. Ad tertium respondetur, quòd loquẽdo de beatitudine supernaturali, etiam si videndo Deum, necessario aliquam creaturam ex contentis in ipso eminenter de beat videre; hoc tamen non est aliquid extra Deum videre; nam creatura prout eminenter contenta in Deo, est Deus & creatrix essentia, vt inquit August. & si aliqualiter illam à Deo velis separare, ponestalem creaturam obiectum secundarium; primarium autem solus Deus remanebit.

DVBIVM III.

Vtrûm Deus sit obiectum essentialis beatitudinis secundûm totum illud quod reperitur in ipso Deo; an verô secundûm aliquod attributum vel rationem particularem.

Scotus. IN hac re Scotus in 1. dist. 8. quæstio. 4. cùm ponat distinctionem realem inter essentiam & relationes, consequenter dicit, obiectum essentiæ beatitudinis, esse essentiam relationibus seclusis. Hæc sentẽtia probatur. Beatitudo nostra, est participatio beatitudinis Dei: sed beatitudo Dei terminatur & intelligitur essentialiter per hoc solùm quòd terminetur ad essentiam; ergo & nostra. Probatur minor, nã Pater ex se ipso est beatus, & non à personis; ergo nondum intellectis personis, intelligitur beatus per hoc solum quòd eius cognitio terminetur ad essentiam. Secundò probatur eadem minor, quia illud se habet vt obiectum cognitionis, & ex parte termini, quod se tenet ex parte principij, & habet rationẽ speciei intelligibilis; sed relationes nõ se tenẽt ex parte principij & speciei intelligibilis in Patre: ergo non se tenent ex parte termini cognitionis paternæ beatificantis illum. Tertiô probatur eadẽ minor, quia prius origine quàm intelligatur Filius, intelligitur Pater beatus: ergo visio beatificans nõ debet intelligi attingere relationes. Antecedens probatur, nam illo priori intelligitur Deus: ergo beatus.

Secundò probatur hæc sententia. Essentia potest videri sine personis: sed vt sic visa sufficit beatificare: ergo relationes non essentialiter pertinent ad obiectum beatitudinis. Consequentia patet, nam quod essentialiter pertinet ad obiectum, est inseparabile à visione. Maior supponitur vt probabilis. Minor verô probatur, nam essentia diuina, etiam seclusis relationibus, est summum bonum infinitum continens formaliter & eminẽter omnem perfectionem, quia relationes vel non dicunt perfectionem, vel si aliquam dicunt, continetur in essentia, etiam non intellectis relationibus in illa; quia tota Trinitas non est quid perfectius, quàm sola essentia: ergo vt sic, abstracta essentia, potest beatificare, quia summum bonum est obiectum essentiæ beatitudinis, vt dictum est.

Secunda sententia est, ad obiectũ beatitudinis essentialis non solùm pertinere essentiam, sed etiam relationes, ita vt relationibus seclusis, essentia beatificare non possit. Ita Caietanus. 2. 2. quæst. 2 art. 8. & probatur primô. Deus est obiectũ beatitudinis secundùm quod est in se, iuxta illud 1. Ioann. 8. Videbimus eum sicuti est: sed essentialiter existit in tribus personis: vt continens ergo relationes, est obiectum essentiale beatitudinis.

2. Sen. tẽ est

Caiet.

1. Ioan. 8.

Secundò probatur. Cognitio Paterna non beatificat Patrem, prout præcise terminatur ad essentiam: ergo neq; nostra. Consequentia patet, quia nostra beatitudo est quædam participatio diuinæ. Antecedens verò probatur, nam visio Paterna non beatificat nisi vt comprehensiua ipsius Patris: sed non est comprehensiua, nisi prout etiam attingens relationes: ergo non beatificat nisi vt attingens relationes.

Tertiò probatur. Beatitudo debet quietare: visio solius essentiæ non quietaret: ergo non beatificaret. Maior patet ex supradictis. Minor verò probatur, nam cognita essentia, præcise intellectus maneret inquietus, vt videret suppositа in quibus talis natura subsisteret.

Quartò probatur. Mysterium Trinitatis est præcipuum & principale nostræ Fidei: ergo pertinet ad obiectum essentiale beatitudinis. Patet consequentia ex D. Thom. dicente, sibi correspondere Fidem

dem & lumen gloriæ;hoc enim illi succedit,& id speratur videri in Patria, quod obscurè per Fidem cognoscitur in via,& quod per sevt obiectũ primarium pertinet ad Fidem, vt obiectum primariũ debet pertinere ad beatitudenem.

Medina. Tertia sententia est Magistri Medina artic.5.essentialem beatitudinem consistere in iudicio, quo beatus iudicat, Deum esse summum bonum:iudicia verò de cœteris attributis, esse premia fidei,vel aliquid necessario coniunctũ, ac per consequens sententia eius est,Deum beatificare essentialiter,& esse obiectum beatitudinis essentialis secundùm particulare attributũ. Hæc primò probatur *Exodi* 33. ex illo Exodi. 33. vbi Moysi petenti visionem diuinæ essentiæ, responsum est: ego ostendam tibi omnia bonum,in quo insinuatur,visionem beatificantem, esse visionem Dei vt summum bonum.

Secundò probatur.Posito tali iudicio, ponitur necessarius amor & fruitio, ablato quocunque alio iudicio, & quocunq; posito,sine isto non ponitur talis necessitas amoris & fruitionis: ergo istud iudicium solùm beatificat essentialiter:Consequentia patet, nam hæc est natura essentialis beatitudinis, vt tanquàm proprius & vltimus status necessitet voluntatem & ipsam quietet. Antecedens verò probatur,quia cum iudicio summi boni,non stat voluntatem diuertere ab illo; cum enim debeat tendere sub ratione boni, vbi clarè videtur summa ratio boni, necessario debet sistere.

Tertiò probatur.Beatitudo essentialis consistit in consequutione summi boni, vt dicetur art.4.sed per tale iudiciũ summum bonum consequitur: ergo in tali iudicio beatitudo essentialis consistit.

Not.1. Pro intelligentia notandum ex sacris litteris,nihil horũ posse constare, vtrùm essentialis beatitudo consistat in iudicio vel cognitione vnius,vel alterius attributi,vel etiam in cognitione omnium illorum,quia aliquando dicitur consistere in *Matth.18.* visione diuinarum personarum. Matthæi 18.Angeli eorum semper vident fa- *Ioann.14.* ciem Patris mei,& Ioan.14. Ostende nobis Patrem,& sufficit nobis:quod intelligitur de sufficientia beatitudinis, vt ex- *Augusti.* plicat Augustt.tractatu. 101.super Ioan. & 1.de Trinit.cap.8.Aliquando verò dicitur consistere in contemplatione diui- *Psal.26.* næ delectationis.Psalm.26. Vnam petij à Domino,hanc requiram, vt videã delectationem Dei,vt legit Augustt.super illum locum. Aliquando verò dicitur consistere in contemplatione diuinæ veritatis,iuxta illud Ioan. 8. Cognoscetis veritatem,& veritas liberabit vos.& cap.17. Hæc est vita æterna,vt cognoscam te solum verum Deum, & quẽ misisti Iesum Christũ,quæ loca deuisione beatifica explicat Aug.lib.4.de Trinit.cap.18.Aliquando verò dicitur consistere incontẽplatione ipsius Dei,vt Ioan.14 Manifestauo ei me ipsam,quod etiam de manifestatione in beatitudine exponit Aug. tract.75.& lib.1.de Trinitate cap.13. *Ioan.8. & cap. 17. Augusti. Ioan.14. Aug.*

Secundò notandum, quòd si loquamur de facto,nulla est controuersia inter Doctores,omnes enim conueniunt,de facto beatitudinem consistere in visione absoluti & relatiui,& non vnius vel alterius,sed omnium attributorum, quæ formaliter sunt in Deo,siue inter illa sit distinctio formalis,vt vult Scotus, siue nõ sit,vt vult D.Thom.sic docet Doct. S.1. part.quæst.12.art.5.& 3.part.quæst.10 art.1. & 3.contra Gent. cap. 55. Caiet. super loca primæ & tertiæ partis. Durandus in 4.dist.49. quæst.3. Paludanus quæst.2.Capreolus, quæst.6. Soto q.3. art.13.& Scotus in 1.dist.1.quæst.2.ar. 4.Procedit autem quæstio de possibili, vtrùm dato quòd videretur vnum sine altero,quod illorum sufficeret beatificare nam illud modò dicetur esse formale & primarium obiectum beatitudinis. *Not.2. Scotus. D.Tho. Caieta. Durand. Paludan. Capreolus Soto. Scotus.*

Tertiò notandum,hîc non esse discutiendum,vtrùm possit videri essentia sine personis;hoc enim pertinet ad primã partem,quæstione 12.art.7.&.8. Neque etiam examinandum est,vtrùm relationes sint dequidditate& essentia essentiç: de hoc enim agitur 1.part.quæst.28.ar. 2.Sed inquirendum est, in quo formaliter consistat ratio obiectiua essentialis beatitudinis,Vtrùm in attingentia essentiæ præcisè,vel relationum simul, vel huius vel illius attributi, vel omnium illorum;licèt enim vnica visio ad omnia illa simul terminetur,manet locus inquirendi,ex cuius formali attingẽtia desumatur essentialis ratio beatitudinis.

Prima conclusio.Obiectum essentialis beatitudinis est essentia diuina non coarctata ad hoc vel illud attributum bonitatis vel veritatis,sed absolutè & simpliciter sicut est in se. Hæc probatur ex illo Ioan. *1.Concl.*

illo Ioann.3. Videbimus eum sicuti est, *Ioan.3.*
sed in se non solùm est bonus, sed etiam
verus: ergo in visione omnium illorum
essentialis beatitudo consistit. Videatur
Aug epist.112.ad Paulinum capit.8.vbi *Aug.*
dicit, Videbimus eum, quia videbimus
eum in substantia & natura in qua ipse
est. Secundò probatur. In Deo omnia at
tributa formaliter sunt vna simplicissi-
ma essentia: ergo non potest desumi ra-
tio essentialis ex vno & nō ex omnibus:
sed necessario qua ratione videt vnū, vi-
det omnia. Tertiò probatur. Quidquid
in Deo videtur, sub ratione essentiæ diui
næ videtur: ergo non terminat formali-
ter hoc vel illud attributū, sed essentia di
uina, prout omnia attributa includit.
Quartò probatur, quia vt appetitus ho-
minis satietur, omnia debet attingere, &
quocūque excluso, appetitus manet in-
quietus. Quintò probatur. Cognito bea
tificans debet esse intuitiua: sed impossi-
bile est intueri Deum, & non intueri om
nia illa quæ formaliter sunt in illo: ergo
non solùm in attingentia huius vel illius,
sed omnium attributorum in essentia, cō
sistit beatitudo. Vltimo probatur, quia
in beatitudine nō sunt plura iudicia plu-
rium attributorum, sed vnicū iudicium
est omniū illorum, sicut & ipsa in se vnū
sunt: ergo superfluum est ponere in hoc
vel in illo iudicio beatitudinem essentia
lem, quia tantùm est vnum.

Secunda conclusio. Obiectum esseñ- *2.Concl.*
tiale beatitudinis non solùm est essentia
secundùm essentialia & absoluta quæ in
illo formaliter continentur, sed etiam se-
cundùm relatiua: itaque Deus vt in se est
trinus & vnus, est obiectū essentialis bea
titudinis. Hæc probatur rationibus qui-
bus præcedens cōclusio & argumentis. 2.
sent. quam sequimur. Et si cōtrà arguas, *Obiectio.*
quia, vt dictum est, eadem est ratio vlti-
mi finis & primi principij: sed Deus non
est principium creaturarū secundùm re-
latiuum, sed secundùm absolutum: ergo
nō est vltimus finis beatificans secūdùm
relatiuum, sed secundùm absolutū: Res- *Responsio.*
pondetur, probare de beatitudine natu-
rali, quæ fit per notitiam abstractiuam
Dei & ex creaturis: solùm enim potest
pertingere talis cognitio ad absolutum,
quia vt sic tantùm erat creaturarum prin
cipium, per quas assurgit ad cognitionē
Dei. Cæterùm hoc non currit de beatitu
dine supernaturali: quia cùm hæc non sit
ex creaturis cognitio, sed intuitiua Dei,
vt est in se, non solùm attingit absolutū,
sed etiam relatiuum, cùm vtrumque in-
trinsicè claudatur in obiecto viso: immò
& in ordine supernaturali principalius
se habet mysterium Trinitatis, vt dictū
est. Doctrina est D. Thom. 2.2. quæstio. *Quæstio.*
2. artic. 8. ad 3. Et si quæras, quid dicen- *Solut.*
dum sit de creaturis eminenter conten-
tis in Deo: Respondetur, quòd vel non
necessariò videntur visa diuina essentia,
vel si videntur necessariò, videntur tan-
quam effectus eminenter contenti in sua
causa, vel tanquam obiectum omnipo-
tentiæ, & consequenter tanquam obiec-
tū secundarium & extrinsecum, vnde
non est eadē ratio de illis, atq; de attribu
tis & relationibus, quæ quidditatiuè &
formaliter sunt in Deo: Vnde hæc perti
nent ad obiectū primarium & essentiale; *Quæstio.*
illa verò ad secundariū. Et si rursus iter- *Solutio.*
roges, quid dicendum sit de ideis diuinis:
Respondetur, quòd idea cōsideratur du
pliciter. Primò ex parte Dei, vt est ali-
quid formaliter in illo, & suamet essen-
tia. Secundò, vt respicit creaturā, & vt di
cit relationē rationis. Primo modo, cùm
sit eadem essentia diuina, nō ponit in nu
mero cum illa. Secundo autē modo, cùm
sit aliquid extrinsecum Deo, non perti-
net ad obiectū primarium essentiale bea
titudinis. Idem dicendū est de actibus li
beris Dei, quòd si considerentur secun-
dùm id quod important formaliter in *Obiectio.*
Deo, cùm sint ipse Deus, pertinent ad ob
iectum primarium: si autem consideren-
tur secundùm respectum ad extrinseca *Solutio.*
cùm sint aliquid extrinsecum, immò &
temporale, ad obiectum primarium per-
tinere non possunt.

Ad argumenta à principio respondetur. *Ad 1.argu.*
Ad primum, quòd licèt Pater sit bea
tus ex cognitione essentiæ, prout inclu-
dit relationes, non ex eo non est beatus
ex seipso, quia essentia non distinguitur
ab ipso Patre. Vel dicitur, quòd esse bea
tū ex seipso, excludit vt principiū suæ
beatitudinis quidquid non est Pater; si
quidem est principium sine principio,
tam ipse, quàm sua beatitudo quæ identi
ficatur cum illo: non autem excludit, sua
beatitudine attingere vt obiectum ali-
quid quod non sit ipse in persona. Ad se-
cundam probationem respōdetur, quòd
relationes licèt non se teneant ex parte
principij intellectiopis Paternæ, sed so-

lùm

lùm essentia: nihilominus quia hæc à relationibus non distinguitur, cognitio attingens essentiam, attingit etiam relationes. Vel dicitur, quòd licèt relationes non præintelligantur ex parte principij subiectiuè & realiter, quia sic sunt posterius origine; præintelliguntur tamen obiectiuè: priùs enim intelligitur repræsentari relationes, immò & creaturas possibiles ex parte speciei, quàm intelligatur intellectio productiua Filij in esse reali, quatenus Filius procedit ex cognitione relationum & creaturarum possibilium. Ad tertiam probationem respondetur, quòd esse Patrem prius origine beatum, nõ est prioritas in quo, sed prioritas à quo; hoc est, non habet suam beatitudinem ab alio, nunquam tamen datur beatitudo Patris sine beatitudine Filij. Vel dicitur iuxta prædicta, talem priori tatem sufficere non præintelligi Filium subiectiuè & realiter, quatenus termin' productus, non autem tollit præintelligi vt obiectum repræsentatum.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum respondetur, quòd vt dicitur 1.p.q.12.art.7. impossibile est videri essentiam, non visis personis. Hoc tamen dato, dicitur, tũc illam visionem non perfectè beatificare, quia maneret suspensus intellectus & inquietus, desiderans videre inquibus personis talis natura subsisteret. Hoc autem, naturam beatitudinis destruit, de cuius ratione est, plenè appetitum satiare. Et si dicas, vt in argumento, quòd relationes non important aliquam perfectionem: ergo non requiritur visio illarum ad perfectam beatitudinem: Respõdetur, quòd licèt non importent perfectionem realem, quòd adhuc manet sub lite, important tamen perfectionem obiectiuam, quatenus illis secluſis, non intelligitur obiectum perfectum & cõpletum; quia (vt dictum est) illis excluſis, manet aliquid quod desideretur videndum.

Obiectio.

Solutio.

Ad 1. arg. 3. sent. Ad primum argumentum tertiæ sentiæ (nam secundam sequimur) respondetur, nomine summi boni intelligi essentiam facialiter visam; nam in eodem cap.33. petitioni annuens inquit Dominus: Ego ostendam tibi me ipsum. Responsio autem iuxta postulationem debet intelligi: nominat autem sacra Scriptura diuinam essentiam beatificantẽ summum bonum, non qnia solùm ad diuinã bonitatẽ alijs præcisis pertineat beatifica re: sed quia nomine summi boni, explicatur satiabilitas appetitus & desiderij; quod nomine iustitiæ vel alterius attributi non explicatur. Quia autem loquitur cum hominibus in hac vita imperfectis & tendentibus in beatitudinem vt satiatiuam, licèt non in tali satietate essentia beatitudinis consistat, nominat illam nomine importante talem satietatem, quale est nomen summi boni.

Ad 2. argu. Ad secundum arg. respondetur, cognitionẽ intuitiuã cuiuscunq; attributi ita sufficere beatificare, sicut visionem attributi bonitatis: quodlibet enim attributum, est ipse Deus, & quolibet viso, videntur in illo omnia quæ sunt in Deo. Dato autem per impossibile, quòd vnũ attributum sine alijs possit videri, dicitur, quòd sicut visa iustitia, non beatificaret, ita visa sola bonitas, quia adhuc, illa visa, maneret desiderium videndi alia.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentũ respondetur, quòd cùm dicitur, beatitudinem consistere in consequutione summi boni, intelligitur vt est in se intuitiuè & quidditatiuè cognitum. Summum autem bonum vt in se, non solùm dicit rationem boni, sed etiam iusti & sapientis: vnde in cognitione omnium illorum quæ sunt in Deo, siue absoluta siue relatiua sint, nostra beatituto consistit.

DVBIVM IIII.

Vtrùm beatitudo formalis sit aliquid increatum; quod alijs verbis solet quari; Vtrùm beati videant, Deum per visionem increatam ipsius Dei, qua Deus videt se ipsum.

Ad 1. argu. PRobatur quòd sic. Primò: Inter cognitionem & obiectum debet esse proportio: sed inter intellectionem creatã & Deum vt obiectum, non est proportio, quia finiti ad infinitũ nulla talis esse potest: ergo per visionẽ increatam & infinitam debet videri si videtur.

Ad 2. arg. Secũdò arguitur. Si id nõ fieret maximè ratione imperfectionis, quòd visio Dei vniatur in ratione visionis cùm intellectu beato: sed hęc non reperitur: ergo potest esse. Probatur minor, Dei vnitur cũ

natura

natura humana in ratione subsistentiæ & existentiæ: ergo potest etiam vniri in ratione intellectionis. Patet consequentia, quia non videtur maior ratio quare potius vnum quàm aliud possit supplere. *Solutio.* Si dicatur, subsistentiam in suo conceptu & ratione formali non includere imperfectionem, intellectionem verò sic, quia dicit produci à potentia; quod Deo repugnat: vnde licèt possit suppleri primum, non tamen secundum: *Impug.* Contrà arguitur, nam vel loquimur de subsistentia & existentia creata, vel de illa vt abstrahit à creata & increata. Si primo modo, sicut de ratione formali intellectionis creatæ est imperfectio, ita de ratione formali subsistentiæ. Si verò secundo modo, sicut de ratione formali subsistentię non est imperfectio, ita neque de ratione intellectionis, siquidem in Deo formaliter reperitur: ergo sicut potest suppleri vnum, poterit similiter & aliud. *Confirm.* Confirmatur, nam visio Dei intimiùs vnitur intellectui beato, quàm peopria intellectio: ergo si per propriam intellectionem potest intelligere, similiter & per diuinam. *Solutio.* Si respondeatur, quòd licèt visio diuina sit intimior, non tamen inhæret sicut propria intellectio: *Impug.* Contrà, nam inhærere vel produci, non est intrinsecum intellectioni, sed vnio: ergo si vnio est maior, &c. Istud antecedens probatur, nam de ratione speciei intelligibilis non est inhærere, vel ab obiecto produci, sed taliter vniri cũ intellectu, vt ex ipso & re cognita per speciem fiat vnum; quapropter à Deo suppletur: ergo similiter erit de ratione intellectionis vnio, & non inhæsio vel productio, quia id quod est species in actu primo, est intellectio in actu secundo.

3. Ar. Tertiò arguitur. Deus potest supplere, immòde facto suppletspeciẽ intelligibilẽ & verbũ in beatis: & ergo rationẽ intellectionis potest supplere. Probatur consequẽtia. Primò, nã probabilis sentẽtia est, quòd intellectio & verbũ sunt idẽ: ergo si Deus vnitur in ratione verbi, similiter & in ratione intellectionis. Secundò probatur. Ex eo supplet rationem speciei & verbi, quia cum de ratione speciei & verbi sit similitudo, & nulla similitudo creata possit dari quidditatiuè Deum repręsentans, vt ostenditur 1. part. quæst. 12. artic. 2. hinc est, necessariò Deum fore speciem & verbum beatorum: sed similiter intellectio est similitudo obiecti: ergo nulla creatura poterit esse Dei intellectio. Probatur ista minor ex D. August. 9. de Trinit. capit. 11. vbi ait, quòd notitia quam habemus de Deo, est aliqua Dei similitudo. Et infra dicit. Notitia habet similitudinem ad eam rem quam nouit. Et lib. 14. cap. 17. Tunc (ait) perfecta erit Dei similitudo in mente, quando Dei perfecta erit visio. Et Diuus Anselmus in monologio, Nulla (inquit) ratione negari potest, cognitionem rei esse imaginemeius: & ita tenet Magister Soto in 4. dist. 49. q. 2. art. 3.

Aug. *D. Anselm.* *Soto.*

Quartò arguitur. Essentia diuina & intellectio diuina sola ratione distinguuntur: ergo si essentia diuina, vnitur intellectui beato, similiter & diuina intellectio. *Solutio.* Si respondeatur, quòd cùm ratio sit diuersa, potest vniri in ratione essentiæ, & non in rarione intellectionis: *Impug.* Contrâ arguitur, nam si realiter sunt idem, posito vno realiter, ponitur & aliud. Tunc vltrà: Sed est implicatio, quòd realiter ponatur aliqua forma in subiecto, & non tribuat suum effectum formalem: ergo implicatio est quòd diuina intellectio ponatur realiter in intellectu beato, & non faciat illum intelligentem; nã hic est effectus formalis intellectionis, etiam diuinæ ac perconsequens erit intellectio diuina in beato in ratione intellectionis; quia hoc non dicit amplius quàm facere intelligentem in quo est.

4. Argu.

Quintò arguitur: Nam si visio Dei beatorum, est aliquid creatum, sequitur posse dari aliquam speciem creatam repræsentatiuam essentiæ diuinæ, sicut est in se, Consequens est contra D. Tho. 1. part. loco citato: ergo. Sequella probatur, nam si visio beata est creata, poterit dari aliqua species repræsentatiua illius: sed illa similiter repræsentabit essentiam diuinam cognitam: ergo. Probatur ista minor, nam impossibile est repræsentare quidditatiuè aliquam rem, & non repræsentare vltimam differentiam eius: cùm ergo vltima differentia intellectionis sit eius obiectum, impossibile erit, quòd species repræsentatiua intellectionis beatæ, non sit etiam repræsentatiua ipsius Dei.

5. Argu.

Sexto arguitur. Quod est proprium vnius poterit altero subiecto extraneo com-

6. Arg.

cõmunicari. Vt patet in calore, qui licèt sit proprius ignis, cõmunicatur aquæ: ergo intellectio diuina propria ipsius Dei poterit intellectui creato communicari; vt per ipsum intelligat, sicut & aqua per calorem communicatum calefacit. Si

Solutio. respondeatur, quòd etiam se intellectio diuina communicaretur intellectui creato, esset in esse rei, non tamen intellectus creatus per ipsam posset intelligere, quia

Impugn. non est actio vitalis eius: Contrà arguitur, nam si intellectio Petri poneretur in Paulo, Paulus intelligeret per intellectionem Petri: ergo posita in homine intellectione diuina, intelliget per illam, Cõsequentia patet à paritate rationis. Antecedens autem probatur, quia posita intellectione Petri in Paulo, aliter esset in illo, quàm si poneretur in lapide: ergo intelligeret per illam; nam alias nom amplius quàm vt lapis se haberet.

7. Argu. Septimô arguitur. De ratione beatitudinis etiam formalis, est perfectè satiare: hoc non potest facere, nisi sit infinita, & perconsequens diuina: ergo beatitudo formalis non est aliquid creatum, sed increatum.

8. Arg. Octauò arguitur. Christus Dominus videt essentiam diuinam, etiam in quantum homo per visionem increatam: ergo & alij beati. Consequentia patet, quia nõ est maior repugnãtia ex parte vnius, quàm alteriús. Antecedens verò probatur, nam meritum Christi Domini est infinitum; ergo & præmium eius debet esse infinitum; cùm debeat esse proportio inter vtrunque: nõ autem est infinitum præmium, nisi visio eius sit infinita & increata.

9. Arg. Vltimò arguitur. Quòd visio beatifica sit aliquid creatum, non colligitur ex sacra Scriptura, nec ex Concilijs: ergo non est fundamentum, vt hoc saltem diuinæ potentiæ denegetur. Prima pars antecedentis probatur, nam in sacra Scriptura solùm dicitur, beatos Deum videre; non autem dicitur, si visio sit creata, vel increata. Secunda pars etiam patet, nam in Concilio Ephesino & Constantinopolitano, quod est VI. generale, & in Concilio Viennensi, & in Toletano XIIII. quæ ad hoc adduci solent, tantùm definitur, quòd in Christo fuerit duplex intellectus, duplex voluntas, & duplex scientia: nulla autem fit mẽtio de visione beatifica. Item etiam in Clementina Ad nostrum, de Hæreticis, quæ etiam adduci solet, tantùm definitur, ad visionem beatificam requiri lumen gloriæ: ex hoc autem nõ sequitur, visionem esse creatam; nam etiam ad increatam requiretur lumen gloriæ, sicut requiritur etiam ad speciem impressam increatam. In Concilio autem Tridentino sess. 6. can. 4. tantum definitur; quòd homo operetur in sua iustificatione. Et can. 10. tantùm definitur, quòd homo sit iustus per iustitiam inhærentem, non autem fit mentio de visione beatifica. Sumere autem argumentum â consimili, non multum est roboris: nam vt plurimum probabit de facto, non autem de potentia absoluta: nam licèt de facto gratia iustificans sit inhærens; de potentia absoluta sine inhærenti potest iustificare: ergo idem de visione.

Propter argumenta posita fuerunt alij qui authores tenentes istam sententiam, quos refert Capreolus in 3. dist. 14. q. 1. *Capreolus.* & Caiet. 3. p. q. 9. art. 1. & Gregorius in *Caiet.* 2. dist. 7. q. 2. qui dicit, suis temporibus *Gregor.* hanc probabiliter defensari, & sic Parisijs defendebatur. Ab hac sententia non multum differt Henricus de Gandabo, *Henricus.* quem latiús confutabimus art. sequenti. Quidam autem Ioannes à Ripa asserebat *Ioan. à Ripa.* hoc de Christo Domino, quod ipse per visionem increatam videret diuinam essentiam. Immó Hugo de Sancto Victore *Hugo.* opusc. de animæ Christi scientia, dicit, Christũ per scientiam increatam solùm fuisse sapientem, & idem repetit lib. 2. de Sacramentis, §. 6. cap. 1.

Pro intelligentia supponendum; quòd vsque adhuc egimus de beatitudine obiectiua, modò autem ab isto dubio incipimus agere de beatitudine formali, seu adeptione, in quo consistit.

Prima conclusio. Euidens est lumine *1. Concl.* naturali, quãcumque visionem intellectus creati esse aliquid creatum. Hęc conclusio ab aliquibus Thomistis probatur; quia si visio beata esset increata, esset cõpræhensiua Dei: Vnde sicut repugnat secundum, similiter & primum. Sed hoc non multum vrget; possent enim contrarij respondere, quòd talis visio, etiam increata, vniebatur cum intellectu creato, iuxta mensuram luminis glorię illius: sicut dicitur de specie impressa increata vnita iuxta mensuram eiusdem luminis; ex quo non sequitur comprehensio. Alia ratione solet probari ab alijs, nam

nam esse videntem, est effectus formalis visionis creatæ; sicut esse album, albedinis: ergo sicut est impossibile esse album sine albedine, similiter neque videre sine propria visione creata. Sed hoc etiam non multum conuincit; posset enim responderi, esse effectum formalem visionis, siue creatæ, siue increatæ: vnde posita visione increata, per illam posset videre. Alij aliter probant, quia intelligere secundùm Arist. in libris de anima, est quoddam pati, in quo dicitur, notitiam inhærere intellectui: sed est impossibile diuinam essentiam inhærere, & gerere vicem causæ formalis: ergo impossibile est esse intellectionem & notitiam intellectus creati. Sed hæc etiam non placet, posset enim responderi, non esse de essentia intellectionis inhærere, sicut neque de ratione speciei intelligibilis quam Deus supplet: sed hoc tantùm est ratione intellectionis creatæ, diuina enim, & in creata intellectio non inhæret. Probatur ergo conclusio efficaciter. De ratione notitiæ & visionis est, quòd sit operatio vitalis, & consequenter quòd procedat à principio intrinseco vitali: sed est impossibile quòd diuina essentia sit operatio vitalis hominis, procedens à principio intrinseco illius: ergo est impossibile, diuinam essentiam esse intellectionem hominis. Maior est primum principium omnium Philosophorum, licèt Salas hîc tract. 2. disput. 2. sect. 1. & Valentia etiam hic, & 1. part. disput. 1. quæst. 12 punct. 3. dicant, non esse de ratione actionis vitalis, vt procedat ab eo in quo est; quia hoc est non penetrare rationem actionis vitalis, propterea enim posita visione in lapide, non esset vitaliter in illo, quia non eliceretur à principio intrinseco vitali illius, sed de hoc artic. 2. dub. 3. Minor autem nota est, nam esset ponere imperfectionem in Deo: & consequentia est euidens. Confirmatur & explicatur hæc ratio. Intellectus beati vel producit vel non producit illam notitiam. Si non producit, otiosus est, neque beatus per illam: si verò producit, talis notitia non est essentia diuina, quia diuina essentia improducibilis est, neque etiam diuina intellectio ab intellectu creato beati.

Salas. Valentia.

Confirm.

2. Concl. Secunda conclusio: Dicere quòd beati vident Deum per intellectionem increatam, est contra Fidem, & ad minus temerarium: est enim contra sententiam omnium Scholasticorum in 3. distinct. 14. & similiter contra sensum omnium Sanctorum, & rectam intelligentiam Conciliorum. In Concilio enim VI. Constantinopolitano, actione 8. & actione 18. & epist. Agathonis ad concilium missa, & ab omnibus approbata, contra Macharium Archiepiscopum Antiochiæ, diffinitur, quòd in Christo Domino sunt duæ naturæ, & duæ voluntates, & duæ operationes, diuina scilicet & humana, diuinam quidem voluntatem (inquit Agatho) habere operationem ab æterno coessentialem Patri, quia communem; humanam verò temporaliter ex nobis cum nostra natura susceptam & superiùs dicit: Vnamquamque eius naturam, proprietatem naturalem habere confitemur, & habere diuinam, & ea quæ diuina sunt, & humanam, & omnia quæ humana sunt, absque vllo peccato. Idem difinitur in alijs Concilijs generalibus, Ephesino & Lateranensi, & etiam in Concilio Toletano XIIII. & XVI. vbi dicitur: sicut illi homini Christo perfectionem adscribimus secundùm vtranque naturam, ita duas operationes credimus secundùm vtranque naturam. Et in Concilio Basilienſi sessione 22. (quantùm ad hanc partem confirmato à Martino V. in Bulla) damnatur cuiusdam Archiepiscopi nazareni liber, & errores, inter quos asserebat, quòd anima Christi tam clarè & manifestè, & tam intensè videbat Deum, sicut & ipse Deus, eo quòd existimabat, quòd erat eadem notitia. Item in Concilio Trident. can. 4. dicitur: Si quis dixerit liberum arbitrium hominis à Deo motum, & excitatum nihil cooperari ad iustificationis gratiam, neque posse dissentire, si velit, sed habere se sicut ex anime quoddam, mereque passiuè se habere, anathema sit. Ex hoc desumitur argumentum: Si ita est, quòd homo operatur in sua iustificatione: ergo etiam in glorificatione, debet enim proportionari infusio gratiæ collationi gloriæ: vnde si iustificatio est per operationem iustificati, etiam glorificatio est per operationem glorioſi, & per aliquid creatum; nam increatum operatio eius esse non potest Item in Clementina. Ad nostrum, de hæ reti-

Conci. Constantinopo. Agatho.

Conci. Ephesin. Lateranẽse. & Toletan. & Basilien se.

Cõcil. Trid.

Clementina

reticis, fol. 85. ex Concilio generali Viennensi, anathematizantur errores Beghardorum & Beghinarum, inter quos est quintus, quod quælibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodquè anima non indiget lumine gloriæ ad videndum Deum. Ex quo colligitur, quòd si proprijs viribus non potest videre Deum, sed indiget lumine gloriæ, quòd ipsa visio est operatio nostræ naturæ; aliàs non indigeret lumine eleuante.

Nec valet solutio, quòd datur lumen ad recipiendam talem visionem, non autem ad eliciendam; quia cum lumen sit vitale principium effectiuum, non est ad recipiendum, sed ad agendum vitaliter; vnde beatitudo vita appellatur, Matth. 19. si vis ad vitam ingredi; serua mandata, & Ioannis. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te & ad Rom. 6. Gratia Dei, vita æterna. Verum est, per hanc responsionem, licèt tam parum probabilem, esse fugam, vt oppositum nostræ conclusionis non sit expressa hæresis: semper tamen manet in robore, vt sit parum tutum in Fide, maximè accedente authoritate omnium scholasticorum pro nostra conclusione, & similiter Sanctorum: sic enim docet Gregor. Nyssenus oratione 1. circa principium. Amb. lib. 2. oficiorum, cap. 1. Aug. 12. de Ciuitate cap. 1. quapropter reijcienda est vt temeraria, periculosa, & errori proxima, sententia Magistri in 1. dist. 17. quòd Charitas qua Deum diligimus, est ipsemet Spiritus sanctus; siue loquatur de dilectione actuali, siue habituali: sicut enim iustificamur per gratiam inhærentem; ita Deum diligimus per charitatem inhærentem, quæ sit habitus, vel actus ipsius voluntatis; habitualiter vel actualiter diligentis.

Matth. 19. *Ioan. 17.* *Paul. ad Rom. 6.* *D. Gregor.* *D. Amb.* *Nisen.* *D. August.*

Ad primum argumentum respondetur, visionem beatificam esse infinitam secundùm quid ex parte obiecti; absolutè tamen esse finitam; quia intellectus & lumen sunt aliquid finitum, & licèt infra visionem beatificam, alia & alia minùs perfecta vsque in infinitum posset multiplicari; hoc non probat, ipsam visionem esse infinitam, sed esse superioris ordinis, quem attingere non possunt omnia ordinis inferioris, quantumcunque, perfecta & multiplicata sint sicut quòd infra speciè hominis in infinitum possit esse multiplicatio, non probat infinitatem speciei humanæ, sed superioritatem gradus, ad quem inferiora, quātūcumq; perfecta & multiplicata, attingere nō possunt, licèt ergo visio beatifica finita sit, & quid creatum, habet sufficientem proportionem cum Deo, vt ipsum attingere possit: proportio enim non dicit æqualitatem, sed ad eundē pertinere ordinē: cōstitui ergo intellectum per lumē glorię in ordine supernaturali, ratione cuius visio habet infinitatem secundùm quid, sufficit ad proportionem requisitam inter potentiā & obiectum.

Ad 1. arg.

Ad secundū responsum est ibi optimè. Ad replicā dicitur, quòd etiam si fiat cōparatio inter subsistentiam & visionem, vt abstrahūt à creato & in creato: est maxima differentia inter vtrunque: nam licèt subsistentia creata dicat duo, & terminare naturam, & esse formam inhærētē dimanantem ab illa. Quorū primū dicit perfectionē secundū verò imperfectionem; subsistētia tamē, vt abstrahit in sua ratione formali & essentialis, solū dicit esse terminum naturæ, in quo nulla claditur imperfectio, quapropter Deus potest supplere subsistentiā creatam per solam terminationem naturæ (subsistentię essentialē) secluſa imperfectione inhærēdi, quæ accidentaliter subsistentię adiungitur: visio verò non solùm creata, sed vt abstrahit in sua ratione formali & essentiali, dicit, quòd producatur à vidēte per talem visionem, quia vt dictum est, essentialiter dicit esse actionem vitalē: cùm ergo Deus non possit produci ab intellectu creato, neque potest habere essentialia visionis respectu eius: itaq; subsistentia dicit terminare naturam subsistentē, non tamen dicit essentialiter produci à natura subsistēte per illam: visio verò dicit, quòd producatur à vidente per talem visionem: vnde Deus potest esse subsistentia naturæ humanæ, non tamen potest esse visio intellectus creati.

Ad 2. Arg.

Ad confirmationem bene ibi responsum est. Ad vltimam replicam dicitur, quòd de ratione speciei intelligibilis tantùm est vnire obiectum cum potentia: quòd autem inhæreat intellectui, vel vlterius perficiatur ab actu secundo, accidit speciei intelligibili. Vnde secluſis his imperfectionibus, potest suppleri à Deo per vnionem immediata

Ad confir.

diatam sui ipsius ad intellectum: visio verò, vt dictum est, non solùm dicit vnionem, sed etiam procedere ab intelligente per ipsam; vnde nullius potest esse Deus intellectio, nisi sui ipsius. Itaque concursus essentialis speciei intelligibilis, est concursus quasi effectiuus: concursus autem intellectionis, est concursus formalis: cùm ergo possit Deus supplere efficientem, non autem formalem causam, potest habere rationem speciei, non verò intellectionis respectu hominis. Et si contrà dicas, quòd species impressa ex propria ratione importat actum primum ordinatum ad secundum: ergo ex propria ratione importat potentialitatem & imperfectionem: Respõdetur, quòd quãdo species est creata, importatur potentialitas, & in ipsa specie & in ipso intellectu cui vnitur: prima tamen potentialitas est accidentalis, secunda est necessaria; vnde prima potest suppleri, non secunda: quapropter cùm Deus supplet rationem speciei, non tollit potẽtialitatem ab intellectu; etiam enim vnitus cum essentia diuina in ratione speciei, est in potentia respectu actus secundi. Exemplũ est in suppposito diuino terminante naturam humanam; est enim quasi in actu primo ad operandum natura suppositata: & licèt nulla sit potentialitas ex parte suppositi, non tamen tollitur ex parte naturæ suppositatæ; illa enim est in potentia ad operationem qua perficitur.

Obiectio.

Solutio.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum patet ex dictis, & similiter dicitur de verbo, quòd de ratione eius tantùm est terminare intellectionem, non autem inhærere vel produci ab intelligente per tale verbum, sicut est de ratione intellectionis, quia est actio vitalis: cùm ergo in eo quod est terminare, nulla sit imperfectio, potest Deus habere rationem verbi respectu hominis, non tamen visionis. Ad secundam probationem respondetur, tangere illam difficultatem, vtrùm intellectio sit formalis similitudo, vel non. In quo Magister Soto in 4. distin. 49. quæstio. 2. artic. 3. tenet (suo videri) ex mente August. & Anselmi, partem affirmatiuam: quod videtur habere fundamentum 1. Ioann. 3. Cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. & hanc communiter sequuntur Summulistæ. Contrariam tamen sententiam tenet Capreolus in 4. distinct. 49.

1. Ioan. 3.

Capreol.

q. 5. ad 1. argumẽtum Aureoli, vbi dicit, quòd species impressa & expressa habẽt similitudinem obiecti, licèt diuersimode: impressa enim habet similitudinem quasi effectiuam, qua ratione est semen & principium intelligendi & assimilandi obiecto: verbum autem habet similitudinem formalem, qua propter & expressa species nuncupatur; notitia autem seu actus intelligendi, medium est inter vtranque speciem, & nullo modo habet rationem similitudinis, neque impressæ, neque expressæ. Hanc reputo probabiliorem quãtum ad vltimam partem actus intelligendi, quia locus Ioannis rectam habet intelligentiam sine eo quòd ponamus, visionem esse similitudinem: illud enim habet verum, quòd similes erimus ratione luminis gloriæ, nõ autem ratione similitudinis ipsius visionis. Vel, vt ait D. Thom. 3. contra Gent. cap. 51. in eo non intendit Apostolus similitudinem formalem ipsius visionis, sed proportionalem: similes (inquam) erimus, quia sicut Deus est beatus videndo seipsum, ita & nos beati erimus, quia videbimus eum sicuti est; non discutiendo vtrùm visio sit similitudo, vel non. Vnde stando in hac sententia, Capreoli argumentum propositum non habet vires. Sed quia sententia Magistri Soto probabilis est, respondetur adhuc, similitudinem speciei impressę & verbi ex vna parte, esse alterius rationis à similitudine ipsius visionis: similitudo enim speciei & verbi, est similitudo tenens se ex parte obiecti, vel vt principium, vel vt terminus: similitudo autem visionis tenet se ex parte intellectus, vnde dicit dependentiam intrinsecam ab illo. Potest ergo Deus supplere speciem & verbum, quę tenent se ex parte obiecti, cùm Deus in tali intellectione sit ipsum obiectum, & non est dicere ordinem ad aliud, quàm ad se ipsum; non autem potest supplere rationem visionis, quia esset dicere ordinem & dependentiam ab alio quàm à se, vtique ab intellectu creato, cuius esset visio.

D. Tho.

Ad 4. arg. Ad quartum bene ibi responsum est. Ad replicam dicitur, quòd vt forma denominet, non sufficit realiter esse in subiecto, sed debet esse formaliter secundùm rationem denominationis quam debet tribuere, vt verbi gratia, albedo & similitudo, realiter idem sunt;

si tamen non vnitur subiecto in ratione similitudinis, verbi gratia respectu nigri non tribuit denominationem similis, etiam si realitas similitudinis sit in subiecto: sic ergo dicitur in præsenti, quòd licèt diuina essentia & diuina intellectio idem sit, & consequenter vnita diuina essentia intellectui beato etiã realitas diuinæ intellectionis vniatur, quia tamẽ nõ vnitur in ratione intellectionis, quia nõ vnitur vt procedens ab intellectu beato, ideò non potest dare denominationem intelligentis tali intellectui.

Ad 5. arg. Ad quintum argumentũ aliqui Theologi Thomistæ tenent, esse impossibilile dari speciem, per quam quidditatiuè cognoscatur visio beatifica; immò neque habitus infusus virtutum Theologicarum; quia vt quidditatiuè ista repræsentẽtur, debebat & obiectum illorum repręsentari: cũ ergo obiectũ sit Deus, & illius species quidditatiua esse non possit, consequẽter neque talium habituum. Meliùs tamẽ dicitur, quòd cùm visio beatifica sit aliquid creatum & finitũ, potest specie creata repræsentari quidditatiuè; neque inde sequitur, talẽ speciem quidditatiuè repręsentare Deum, quia vt quidditatiuè cognoscatur visio, nõ requiritur quidditatiuè cognosci obiectum eius, sed ordinẽ intrinsecũ ad obiectũ: obiectum autẽ solum in ratione termini talis ordinis: sicut vt quidditatiuè cognoscatur habitus Logicæ, v.g. non requiritur quidditatiuè cognosci omne ens rationis, sed habitudinem ad illud, & ipsum sufficit cognosci in ratione termini talis habitudinis. Exemplũ clarius sit in cognitione reflexa conceptus hominis, v.g. talis cognitio est quidditatiua conceptus, sed non hominis repræsentati per talẽ conceptũ: quia ad hoc debebat esse cognitio directa immeditè terminata ad ipsum hominem: sic ergo in præsenti, vt species esset quidditatiua Dei, debebat immediatè Deum repræsentare: species autem immediatè repræsentatiua visionis beatificæ, Dei autẽ solùm vt termini talis visionis, non est quidditatiua ipsius Dei.

Ad 6. arg. Ad sextum argumentum bene ibi responsum est. Ad replicam dicitur, quòd si intellectio Petri ponetur in Paulo, esset in illo sicut in lapide, cũm non plus procederet ab illo, quàm à lapide, quod requirebatur vt esset vitaliter in illo.

Ad 7. arg. Ad septimum argumentum respondetur, quòd satiare vt quod, & vt obiectum requirit esse aliquid infinitum, qualis est Deus: satiare autem vt quo, & vt apprehensio, potest fieri per aliquid creatum; quia, vt dictum est, per visionem potest apprehẽdi aliquid increatum & plene satiatiuum. Et sic debet explicari Aug. 14. de Trinitat. cap. vltimo, dicens, nos esse beatos ipsa operatione qua Deus beatus est: loquitur enim ex parte obiecti, non autem formaliter de ipsa visione: & si superaddit, visionẽ Dei in Patria, esse summum bonum, intelligitur summum bonum nostrũ, quia per ipsam assequimur summum bonum.

Ad 8. arg. Ad octauum argumentum respondetur, quòd etiam si visio beatifica Christi Domini esset infinita in ratione præmij, non tamen in esse visionis; sic enim finita est & creata, iuxta mensurã luminis gloriæ finiti & creati; quantum ad hoc enim eadem ratio est atque de visione aliorum beatorum. Vel potest responderi, infinitatem præmij non esse in eo quòd visio beatifica sit infinita in Christo, quia hoc est impossibile; sed in eo quòd de rigore iustitiæ sit adepta, vnde est præmium infinitum quantum ad modum, licèt non quantum ad substantiam.

Ad 9. arg. Ad vltimum argumentum respondetur, quòd licèt ex prædictis definitionibus non euidenter colligatur nostra conclusio (sic enim esset de Fide expressa) colligitur tamen multo probabiliter secundùm sensum omnium Theologorum; quapropter temerarium est tenere contra sententiam nostram.

DVBIVM V.

Vtrùm absolutè dicendum sit, beatitudinem esse aliquid creatum, aut aliquid increatum.

Not. PRo intelligentia nocandum, quòd cũ beatitudo sumatur dupliciter; formaliter, vel obiectiue, & formalis sit aliquid creatũ, vt dictũ est dubio præcedenti, obiectiua autem sit aliquid increatum, nempe ipse Deus, controuertitur, absolutè loquendo, vtrùm debeat dici creata vel increata beatitudo: licèt melius sit distingure iuxta distinctionem propositam, vt facit D. Thom. in hoc articulo. Ad quod respondetur, quòd si loquamur more San-

Sanctorum, & modo loquendi sacræ Scripturæ, quod est loqui moraliter, dicendum est, quôd beatitudo nostra est aliquid increatum: nam apud Sanctos & in sacra Scriptura semper beatitudo accipitur pro obiecto beatitudinis, vt videre est in D. Augustin. 9. de Ciuitate cap. 26. & tract. 26. super Ioannem & in hymno vbi canitur: Tu esto nostrum gaudium, qui es futurus præmium. & Genes. 19. ad Abraham: Ego protector tuus & merces tua, &c. & 1. ad Corint. 1. Qui factus es nobis sapientia & iustitia, vbi non loquitur formaliter, sed causaliter. Similiter ergo Deus dicitur beatitudo nostra causaliter & obiectiuè. Si tamen loquamur in rigore methaphysico, & secundùm modum loquendi Theologorum, dicendum est absolutè, beatitudinem nostram esse aliquid creatum, quia in prædicto rigore & modo loquendi supponit beatitudo pro beatitudine formali. Sic tenet Durandus in 4. distin. 49. quæstio. 2. immò D. Thom. in 3. distin. 34. quæstio. 1. artic. 5. & in 4. distin. 49. quęst. 1. artic. 2. quæstiunc. 2. & quodlibet. 8. artic. 9. vbi absolutè dicit, totam substantiam beatitudinis esse operationem. Et ratione hoc patet; nam illud, simpliciter & absolutè & rigore methaphysico dicitur beatitudo, quo homo beatus dicitur: sed in rigore homo est beatus beatitudine formali potiùs quàm obiectiua, sicut sanum pôtius dicitur tale à sanitate intrinseca, quã extrinseca: ergo in rigore beatitudo supponit pro formali intrinseca, potiùs quã pro obiectiua extrinseca, & sic absolutè erit aliquid creatum. Nec est eadem ratio de vltimo fine, licèt enim absolutè dicatur quòd beatitudo est aliquid creatum; tamen absolutè dicendum est, quôd vltimus finis est aliquid increatum; nam beatitudo (vt dictum est) in rigore supponit pro formali intrinseco, vltimus verò finis conuertitur cum bono quod est in re, & sic supponit pro obiecto appetibili, quod quidem est Deus & aliquid increatum, Verum est tamen, quôd licèt absolutè dicatur quòd beatitudo est aliquid creatum, non tamen debet concedi, quòd beatitudo consistat in aliquo bono creato, nam illa particula, In, denotat obiectum beatitudinis, & facit sensum, quôd obiectum beatitudinis est aliquid creatum, & sic propositio est falsa. Et si aliquando D. Thom. dicit, quòd beatitudo consistit in visione, non loquitur ita rigorosè, sed ex antecedentibus & subsequentibus, loquitur de beatitudine formali.

D. Aug. *Genes. 19.* *1. Corin. 1.* *Durand.* *D. Thom.*

ARTICVLVS II.

Vtrûm nostra beatitudo sit operatio.

AD secundum sic proceditur. *Videtur, quôd beatitudo non sit operatio. Dicit enim Apostolus Rom. 6. Habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem verò vitam æternam: sed vita non est operatio, sed est ipsum esse viuentium; ergo vltimus finis, qui est beatitudo, non est operatio.*

2. *Præterea. Boetius dicit in 3. de consol. quòd beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus: sed status nõ nominat operationem: ergo beatitudo non est operatio.*

3. *Præterea. Beatitudo significat aliquid in bono existens, cum sit vltima perfectio hominis: sed operatio non significat vt aliquid existens in operante, sed magis vt ab ipso procedẽs: ergo beatitudo nõ est operatio.*

4. *Præterea. Beatitudo permanet in beato: operatio autẽ non permanet, sed transit: ergo beatitudo non est operatio.*

5. *Præterea Vnius hominis est vna beatitudo: operationes autẽ sunt multæ: ergo beatitudo nõ est operatio.*

6. *Præterea. Beatitudo ineſt beato absque interruptione: sed operatio humana frequenter interrumpitur, puta sõno, vel aliqua alia occupatione, vel*

* 1. d. 1. q. 1. ar. 1. Et 3. d. 34. q. 1. ar. 5. co. Et 4. di. 49. q. 1. a. 2 q. 2. & q. 4. a. 2. Et quod li. 8. art. 19 co. Et 1. Ethic. Le. 1. Et 9. Metap. le. 9 fin.

† Prosa 2. circa prin.

ve, vel quiete: ergo beatitudo non est operatio.

Sed contra est quod Philosophus dicit in primo Ethic. * quòd felicitas est operatio secundùm virtutem perfectam.

Cap. 7. post medium to. 9.

Respondeo dicendum, quòd secundum quòd beatitudo hominis est aliquid creatum in ipso existens, necesse est dicere, quòd beatitudo hominis sit operatio: est enim beatitudo vltima hominis perfectio, vnumquodque enim in tantum perfectum est, in quantum est actu, nam potentia sine actu imperfecta est: oportet ergo beatitudinem in vltimo actu hominis consistere: manifestum est autem, quòd operatio est vltimus actus operantis vnde & actus secundus à Philosopho nominatur in 2. de anima * nam habens formam, potest esse in potentia operans, sicut sciens est in potentia considerans: & inde est, quòd in alijs rebus, res vnaquæque dicitur esse propter suam operationem, vt dicitur in 2. de cœlo † necesse est ergo beatitudinem operationem esse.

*Text. 2. ad iunctio 3. & 6 tom. 2.

†Tex. 17. to. 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd vita dicitur dupliciter, vno modo ipsum esse viuentis, & sic beatitudo non est vita: * ostensum est enim quòd esse vnius, qualecunq; sit, non est hominis beatitudo: solius enim Dei beatitudo est suum esse. Alio modo dicitur vita, ipsa operatio viuentis secundum quam principium vitæ in actum reducitur: & sic nominamus vitam actiuam vel contemplatiuã, vel voluptuosam; & hoc modo vita æterna dicitur vltimus finis: quod patet per hoc quod dicitur Ioann. 7. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum & vnum.

D. 270.

* q. 2. ar. 5.

Ad secundum dicendum, quòd Boetius definiendo beatitudinem, considerauit ipsam communem beatitudinis rationem: est enim communis beatitudinis ratio, quòd sit bonum commune perfectum: & hoc significauit, cùm dixit, quòd est status omniũ bonorũ aggregatione perfectus, per quod nihil aliud significatur, nisi quod beatus est in statu boni perfecti: Sed Arist. expressit ipsam essentiã beatitudinis, ostendens per quod homo sit in huiusmodi statu: quia per operationẽ quãdã, & ideò in 1. Ethic. ipse etiam ostendit, quòd beatitudo est bonum perfectum.

Loco in art. citato.

Loco in arg. citato.

Cap. 7. to. 5.

Ad tertium dicendum, quòd sicut dicitur 9. Meth. duplex est actio, vna, quæ procedit ab operãte in exteriorẽ materiam, sicut vrere, secare; & talis operatio non potest esse beatitudo, nam talis operatio non est actio & perfectio agentis: sed magis patientis, vt ibidem dicitur. Alia est actio manens in ipso agente, vt sentire, intelligere, & velle; & huiusmodi actio est perfectio, & actus agentis, & talis operatio potest esse beatitudo.

Tex. 16. to. 3

eod. text. 16

Ad quartum dicendum, quòd cùm beatitudo dicat quandam vltimam perfectionem secundum quòd diuersæ res beatitudinis capaces ad diuersos gradus perfectionis pertingere possunt, secundùm hoc necesse est, quòd beatitudo diuersimo-

de-

de dicatur; nam in Deo est beatitudo per essentiam, quia ipsum esse eius, est operatio eius, quia non fruitur alio, sed se ipso. In Angelis autem beatitudo est vltima perfectio secundùm aliquam operationem, qua coniunguntur bono increato, & hæc operatio est in eis vnica & sempiterna. In hominibus autem secundùm statum præsentis vitæ, est vltima perfectio secundùm operationem qua homo coniungitur Deo. Sed hæc operatio nec continua potest esse, & per consequens nec vnica est, quia operatio intersicisione multiplicatur, & propter hoc in statu præsentis vitæ perfecta beatitudo ab homine haberi non
Cap. 10. in fine tom. 5. *potest. Vnde Philosophus in 1. Ethicor. ponens beatitudinem hominis in hac vita, dicit eam imperfectam, post multa concludens; Beatos autem dicimuus vt homines. Sed promittitur nobis â Deo beatitudo perfecta, quando erimus sicut Angeli in cœlo, sicut dicitur Matth. 22. Quantum ergo ad illam beatitudinem perfectam, cessat obiectio, quia vna & continua & sempiterna operatione in illo beatitudinis statu mens hominis Deo coniungitur, sed in præsenti vita quantum deficimus ab vnitate & continuitate talis operationis; tantum deficimus à beatitudinis perfectione. Est tamen aliqua participatio beatitudinis, & quanto operatio potest esse magis continua & vna, tanto plus habet rationem beatitudinis, & ideô in actiua vita, quæ circa multa occupatur, est minus de ratione beatitudinis, quàm in vita contemplatiua, quæ versatur circa vnum, ideſt, circa veritatis contemplationem, etsi aliquando homo actu non operetur huiusmodi operationem, tamen quia in promptu habet eam, semper potest operari; & quia etiam ipsam cessationem, puta somni, vel occupationis alicuius naturalis ad operationem prædictam ordinat, quasi videtur operatio continua esse: & per hoc patet solutio ad quintum & ad sextum.*

Conclusio sit. Beatitudo formalis existẽs in beato, est operatio.

DVBIVM. I.

Vtrùm conclusio D. Thom. sit vera.

PRobatur quòd non. Primò: Iustitificatio & glorificatio debent proportionari, si quidem vnum ad alterum ordinatur: sed iustificatio non consistit essentialiter in operatione: ergo neque glorificatio. Probatur minor, nam iustificatio cõsistit essentialiter in infusione gratiæ: operatio autem vel habet se antecedenter, vt dispositio, vel consequenter vt effectus: ergo similiter glorificatio consistet in aliquo illapsu & intima vnione Dei cum intellectu: operatio autem habebit se antecedenter vel consequenter, vt dispositio vel effectus. 1. *Arg.*

Secundò arguitur: Beatitudo est forma perfectissima omnium: ergo debet poni in subiecto perfectissimo: Istud autem est essentia animæ; non autem aliqua eius potentia: ergo beatitudo in essentia animæ debet existere. Tunc vltra. Ergo non est operatio. Patet consequentia, nam operatio est in potentia & non in essentia; nam essentia non est immediatè operatiua: ergo beatitudo in illapsu Dei in anima consistet. 2. *Arg.*

Tertiò arguitur: Beatitudo dicit perfectissimam vnionem cum Deo: sed perfectior 3. *Arg.*

fectior est vnio cum Deo per illapsum, quàm per operationem : ergo in illapsu & non in operatiane beatitudo consistet. Minor probatur. Primò, nam vnio per operationem, est vnio cum Deo in ratione obiecti: vnio verò per illapsum, est cum Deo intimè existente intra animam : ergo maior est vnio per illapsum nam obiectum habet se velut extrinsecè. Secundò probatur eadem minor in Christo Domino, in quo maior est vnio hypostatica secundùm esse, quàm vnio per operationem: ergo similiter in beato maior erit vnio per esse Dei intra essentiam animæ, quàm per operari animam circa Deum.

4. Arg. Quartò arguitur. Beatitudo consistit in perfectissimo bono : sed perfectius bonum est illapsus, quàm operatio circa Deum : ergo beatitudo consistit in illapsu, & non in operatione. Minor probatur. Primò, nam illapsus pertinet ad essentiam ; operatio autem est accidens pertinens ad potentiam : cùm ergo perfectius sit esse, quàm operari, perfectior erit illapsus. Secundò probatur eadem minor, Perfectius est nos diligi à Deo, quàm nos diligere Deum: sed per illapsum diligitur beatus à Deo, per operationem verò diligit Deum: ergo perfectior est illapsus. Hac enim ratione perfectior est gratia quàm Charitas, nam per gratiam diligimur à Deo, per charitatem autem nos diligimus Deum. Tertiò probatur eadem minor, nam perfectius est vniri Deum beato secundùm rationem deitatis absolutè, quàm secundùm aliquod attributum determinatè: sed in illapsu vnitur Deus animæ secundùm rationem deitatis absolutè ; per operationem verò vnitur secundùm determinatum attributum, verbi gratia, veri, si operatio est intellectus; vel boni si est voluntatis ergo perfectius bonum est illapsus, quàm operatio.

5. Arg. Quintò arguitur. Antequàm intelligatur operatio, intelligitur diuina essentia vnita intellectui in ratione speciei: ergo antequàm intelligatur operatio intelligitur beatus. Patet ista consequentia, nam diuina essentia intra intellectum, quare non beatificat ipsum.

6. Arg. Sextò arguitur. Esse præsupponitur ad operationem, siue de naturalibus, siue de supernaturalibus loquamur: ergo esse beatum, præsupponitur ad operationem beatificam: ergo consistit beatitudo in illapsu præuio ad operationem, & non in ipsa operatione.

7. Arg. Septimò arguitur. Non dicitur quòd homo beatificat se, sed quòd Deus beatificat illum: ergo beatitudo non consistit in operatione. Patet consequentia, nam operatio est ab homine: ergo si beatitudo est operatio, beatitudo etiam est ab homine, & sic dicetur, hominem se beatificare.

Henricus. *Scotus.* *Capreolus.* *Medina.* Propter argumenta posita Henricus de Gandauo quodlibeto 13. quæst. 12. & quodlibeto 1. & 3. vt refert Scotus in 4. dist. 49. quæst. 2. & Capreolus eadem distinctione, quæst. 1. articul. 2. & Medina hîc tenuit, beatitudinem cõsistere in quodam illapsu diuinæ essentiæ in animam beatorum; explicatque huiusmodi illapsum exemplo ferri candentis, vel aëris luminosi, sicut enim ferrum quasi transformatur in ignem, & aër in lucem ; sic anima beati per intimam vnionem essentiæ diuinæ cum illa manet deificata: vt enim constat ex D. Dionysio cap. 7. cœlestis Hierarch. & cap. 4. de diuinis nominibus amor est virtus transformatiua & maximè vnitiua : cùm ergo beati maximè à Deo diligantur, in ipsum transformantur: quod & consonat D. Thomæ 3. contra Gent. pluries dicenti, quòd beatitudo consistit inassimilatione ad Deum, & 1. Ioan. 3. Cùm apparuerit, similes ei erimus. Hæc autem similitudo non est nisi per illum illapsum & intimam vnionem & transformationem animæ in Deum. Si autem quæratur ab Henrico, si beatus operatur, vel non, respondet, quòd prius natura ad illapsum, habet actum intellectionis & amoris imperfectum disponentem quidem ad illapsum: facto autem illapsu & vnione, subsequitur cognitio & amor perfectus: beatitudo tamen non cõsistit in operatione antecedenti vel consequenti, sed in illapsu: operatio autem sequitur per redundantiam, sicut dotes corporis ad gloriam animæ. *D. Dionys.* *D. Thom.* *1. Ioann. 3.*

Not. Pro intelligentia huius quæstionis notandũ, quòd necessario ponendus est in beatudine illapsus & intima vnio diuinę essentiæ cum anima beati (contra Vazquez, qui hìc disput. 8. cap. 2. oppositum tenet: cum quo etiã consentit Lorca disp. 14. memb. 14.) licêt nõ vt ponitur ab Henrico. Sicut enim in via non est ope- *Contra Vazquez & Lorca.*

operatio iusti nisi præsupposita vnione Dei intima per gratiam, ita ad operari in beatitudine aliqua præuia, intima vnio debet præsupponi: hoc enim probat illud argumẽtum propositum, quòd ad operari præsupponitur esse: vnde ad visionem beatificam aliquod esse supernaturale debet præsupponi; quod non potest esse nisi per aliquam vnionem cum Deo. Dico, quòd visio supponit esse diuinum per talem vnionem, vt possit beatificare; nam vt solùm esset in ratione visionis, non requirebatur præcedere tale esse supernaturale per vnionem cum Deo; sufficeret enim ponere ex parte principij aliquid supernaturale, vt in peccato reponitur actus Fidei vel Spei, sine præuia vnione per gratiam, solùm posito habitu supernaturali ex parte principij. Sic ergo dicimus de visione, si quidem de potentia absoluta posset videns Deum, esse in peccato (vt aliqui opinantur) & consequenter non haberet intimam vnionem præuiam, neque esse diuinum: dicimus tamen, quòd illa visio non beatificaret non posito illapsu & intima vnione: quia esse beatum, est omni bono esse prædictum, & prætiosa dona habere donata; deficeret autẽ pretiosissimum donum, si talis vnio deficeret, per quam fit iustus consors diuinæ naturæ, & manet deificatus.

Restat autem difficultas in explicando, quæ nam vnio sit ista quæ vocatur illapsus. Certum enim debet esse, quòd nõ est intima vnio & assistentia diuinæ essentiæ quam habet in omnibus rebus, & solùm ipse potest habere, vtique per essentiam, præsentiam, & potẽtiam, quam explicat D. Thom. 1. part. quæst. 8 art. 3 Nec etiam est præcise vnio per gratiam, sicut vnitur cum iustis, etiam in hac vita faciens illos filios Dei participes suæ naturæ, vt in operationes supernaturales & meritorias possint exire. Nec etiam consistit in vnione diuinæ essentię cum intellectu beato in ratione speciei intelligibilis: hæc enim vnio est intentionalis & intelligibilis; vnio autem per illapsum, debet esse realis, per quam, vt dictum est, realiter & physicè sit particeps diuinæ naturæ. Nec etiam est aliqua vnio substantialis Dei cum homine, quia neque cum intellectu: cum enim intellectus sit accidens, & Deus substantia, non potest cum intellectu substantialiter vniri. Et si ponatur, vt ab aliquibus ponitur, intellectus non distinctus â substantia rei, non potest etiam vniri cum rei substantia, quia duæ substantiæ completè vniri nõ possunt interse vnione substantiali; hoc enim habent substantiæ incompletæ, vt materia & forma. Et si propter infinitatem diuinæ substantiæ velit aliquis ponere huiusmodi vnionem cum mutatione substantiæ creatæ, & sine mutatione diuinæ; tunc debet dici, esse vnionem in ordine ad aliquod tertium substantiale, & vt sit vnio hypostatica, quod nullus concedet. Certum debet esse, quòd prędictus illapsus & intima vnio non est aliquid extrinsecum in anima, sed necessariò ponit aliquid intrinsecum & reale in illa, vt insinuat D. Thom. quæst. 28. de veritate, artic. 2. ad 8. vbi dicit: Deum illabi animis nostris, non tollit, quin causet aliquas qualitates per tallem illapsum: & ratione id cõuincitur, nam vnio duorum impossibile est quòd fiat sine mutatione alicuius illorum; nam vnio est in ordine ad aliquod esse quod acquiritur per vnionem: vnde si esse acquiritur, in aliquo extremorum acquiritur, vel in vtroque: cùm ergo in altero extremo, nempe Deo, aliquod esse nouum acquiri non possit, necessariò hoc fit in anima vnita Deo; vt potest poni exemplum in materia Incarnationis.

Obiectio. Et si contrà fiat argumentum, quôd intellectus creatus vnitur cum essentia diuina in ratione speciei intelligibilis, neque tamen resultat aliqua qualitas, vel nouum esse: ergo non semper per vnionem acquiritur nouum esse in aliquo extremo vnionis:

Solutio. Respondetur, quòd illa vnio est intentionalis: doctrina autem posita procedit de vnione reali, quæ sine mutatione reali esse non potest. Vel meliùs dicitur, quòd etiá in illa vnione intẽtionali fit mutatio ex parte intellectus; non enim potest fieri talis vnio, nisi posita qualitate noua ex parte intellectus, nempe lumine glorię, sine quo talis vnio esse nõ potest: vt videre est 1. p. q. 12. ar. 2. & 3. contra Gent. cap. 54. vbi videatur Ferrara. Et hoc adeò verũ est, vt etiam de potentia Dei absoluta, sine lumine glorię, neque essentia diuina vniri, neque visio esse possit; quia lumen gloriæ non solùm est dispositio vnionis essentiæ diuinæ, sed constitutiuum ipsius potentię supernaturalis in ordine ad tale obiectum:

vnde non stante lumine, non est potentia proxima, & consequẽter neque actio circa tale obiectum, neque vnio speciei esse potest: quapropter non est eadem ratio atq; de iustificatione. Licèt enim possit Deus de potentia absoluta iustificare sine gratia inhærente, non potest beatificare sine lumine inhærente, ratione iam dicta: iustificatio enim importat amicabilitatem, quę de potentia absoluta extrinsicè fieri potest: glorificatio autem importat eleuationem & constitutionẽ potentiæ in ordine superiori; quod sine principio intrinseco esse non potest. Restat ergo, assignare in quo consistat prędictus illapsus, & quod sit huiusmodi intrinsecũ quod ponit in anima, per quod maneat immutata. Dico ergo, quòd illapsus & vnio prædicta fit per gratiam consummatam, quatenus ex illa oritur lumen gloriæ, specialissimus quidam effectus per quem constituitur in statu beatifico. Licèt enim gratia Viæ & Patrię sit eadem essentialiter; differunt tamen secũdùm statum & modum prædictum. Quapropter licèt gratia Viatoris (verbi gratia, beatæ Virginis) possit esse maior & intensior, quàm gratia alicuius beati: gratia tamen viatoris quantumcunque intensa, nunquam peruenit ad perfectionem & modum ratione status, quam habet quæcunque gratia minima beati; vt docet de Charitate D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 7. Si autem quæras, vtrùm possit esse beatitudo sine tali illapsu & vnione per gratiam consummatam; Dico, quòd posita opinione, quòd de potentia absoluta, sine gratia, immò etiam existẽs in peccato potest videre Deum, non necessariò requiritur illapsus per gratiam: quia tamen non potest esse visio sine lumine gloriæ, & vnione essentiæ diuinæ in ratione speciei, vt dictum est, ideò non potest esse beatitudo sine aliquo illapsu prę uio: nam & iste aliquis illapsus est, nõ discutiendo vtrùm sit eiusdem, vel diuersæ rationis: aliqui enim tenent, quòd diuersæ rationis esset, nam illapsus sicut modô, dicit vnionem immediatam ad essentiam animæ per gratiam, & mediatam ad intellectum per lumen: tunc autem, non posita gratia, sed tantùm lumine esset immediata vnio ad intellectum. Alij autem eiusdem rationis reputant huiusmodi illapsum, quia licèt sit differentia prædicta, vterque ad visionem & constitutionem status beatifici ordinatur: quæ consideratio est formalis, reliqua autem quasi materialiter se habent. His suppositis, sit.

Prima conclusio. Beatitudo formaliter & essentialiter non consistit in illapsu, sed in operatione. Hęc est adeò certa, vt sententia Henrici sit plus quam temeraria. Et probatur primò, nam de beatitudine & supernaturalibus super exceden tibus nostram facultatem, non aliter loquendum est, quàm vt nos docet sacra Scriptura: sed in illa semper insinuatur, beatitudinem esse operationem: ergo. *1. Concl.*

Probatur minor. Ioannis 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deũ, & quem misisti Iesum Christum, quod licèt ab aliquibus de inchoatione vitæ æternæ per Fidem; melius tamen explicatur de vita æterna consummata. Et admissa prædicta explicatione, adhuc concludimus nostrum intentum, quia clara Dei visio correspondet cognitioni Fidei: vnde si vita ęterna inchoatur in cognitione Fidei, consummatur in clara visione. *Ioann. 17.*

Item. 1. Ioan. 3. dicitur: Cùm apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est, vnde alij legunt, Quia videbimus eum. Item. 1. Corint. 13. Videbimus nũc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem, vbi comparat beatitudinem inchoatam præsentis vitæ, ad consummatam futuræ. Hanc etiam docent sacra Concilia, Florentinum, & Clementina Ad nostrum, de hæreticis, & in extrauaganti Benedicti XI. dicitur, beatitudinem nostram sitam esse in visione & fruitione Dei. Idem docent Doctores Sancti. Ambros. lib. 2 de officijs, cap. 2, & D. August. libr. 1. contra Academicos, cap. 3. vbi dicit, quòd beatitudo & felicitas consistit in veritatis inuentione. Et si aliquis explicet, quòd loquitur de beatitudine imperfecta; concludit argumentum, quòd beatitudo perfecta consistet in perfecta inuentione veritatis. Et lib. de vita beata, tomo 1. concludit: Illa est ergo plena satietas animorum, Hæc est beata vita, plenè perfectęque cognoscens à quo inducaris in veritatem, qua veritate perfruaris, per quid connectaris summo bono: quæ tria vnum Deum ostendunt. Idem docet 12. de Ciuitate, cap. 1. Hanc etiam docet Aristot. 1. & 2. Physicor. text. 58. vbi ait, quòd felicitas, actio quædam bona est, & id tanquam *1. Ioan. 3. 1. Chor. 13. Ambros. August. Arist.*

tanquam notum præsupponit, docens, quòd fortuna sit in actionibus, quia fortuna & felicitas sunt circa idem. Idem docet. 1. Rethoricorum. cap. 5. & 1. Ethic. cap. 7. & 8. vbi docet, quòd si homo habeat coniunctas omnes virtutes, & non operetur secundùm illas, nõ erit beatus. Item 10. Ethic. cap. 6. dicit: Nemo est bonus quia potest recta operari, sed quia rectè operatur. Esse autem beatum, est esse perfectè bonum. Item lib. 1. magnorum moralium, cap. 4. & lib. 2. cap. 10. & vbicunque loquitur. Eadẽ fuit sententia omnium Philosophorum, nam & illi qui errauerunt, alij inuoluptuosis actionibus, alij in actione virtutis constituerũt beatitudinem, omnes supponentes in actione consistere. Denique hæc est communis omnium scholasticorum in 4. distin. 49. vno Henrico solo excepto. Et ratione probatur. Primò, sicut à D. Thom. hic. beatitudo dicit vltimam perfectionem, & completam rationem boni; sed vltima & completa perfectio est operatio; quia vnum quodque est propter suam operationẽ: ergo beatitudo est operatio, & non illapsus, vltra quem alia perfectio restat, aduenire nempe operationẽ subsecutam. Secundò probatur: Si beatitudo consistit in illapsu, sequitur, quòd etiam si anima nõ haberet potentias, esset beata per illapsum. Consequens est falsum, nã (vt statim ostendemus) beatitudo nõ potest consistere in habitu, vel in actu. Primò, quia sic se habet velut dormiens, de quo dixit Arist. non posse esse beatum: ergo. Tertio probatur. Sic se habet beatitudo supernaturalis, sicut naturalis: sed beatitudo naturalis non potest consistere in illapsu & vnione intima Dei cum creatura, per essentiam, præsentiam, & potentiam; sed in operatione postmodũ adueniente: ergo beatitudo supernaturalis similiter non consistit in illapsu & vnione per gratiam consummatam, sed in operatione postmodùm adueniente. Quartò probatur. Perfectior & excellentior est vnio hypostatica Verbi diuini, quàm vnio per gratiam consummatam; nihilominus beatitudo Christi Domini non consistit in vnione hypostatica, sed in operatione, vt dicitur 3. p. q. 17. ergo neque beatitudo nostra consistit in vnione gratiæ consummatæ, sed in operatione. Quintò probatur. Beatitudo dicit obtentionem & possessionem summi boni; sed per gratiam consummatam non tenemus neque possidemus Deum, sed potius è conuerso: ergo beatitudo consistit in operatione, per quam nos Deum possidemus. Sextò probatur. Beatitudo nostra debet esse sicut & Dei; sed Deus non est beatus nostro modo intelligendi per esse, nisi per operari: ergo & nostra beatitudo in operatione consistit. Vltimo probatur. Beatitudo est ad quam delectatio consequitur; sed delectatio nõ sequitur ad esse, sed ad operari: ergo beatitudo nõ in esse grato, sed in operari cõsistit

Secunda conclusio. Omnis operatio beatitudinis subsequitur ad illapsum & vnionem per gratiam consummatã, nullaque operatio, etiam imperfecta, cognitionis vel amoris potest præcedere, vt fingebat Henricus. Hæc patet vnica ratione. Operatio omnis, beatitudinis intellectu & volũtatis, terminatur ad Deũ vt est in se; sed nulla operatio præcedens gratiam consummatam & lumen gloriæ inde procedens potest terminari ad Deum vt est in se: ergo nulla est talis operatio. Patet minor, quia in illo priori non est proportio intellectus & voluntatis ad Deum vt est in se: non ergo potest habere actum circa illum isto modo.

Ad primum argumẽtum à principio respondetur, alteram esse rationem iustificationis, & alterã glorificationis: iustificatio enim dicit participium diuinæ naturæ; glorificatio autem obtentionem & consequutionem illius. Hac ergo ratione iustificatio est per gratiam, quæ dat esse diuinum: glorificatio autẽ debet esse operatio; nam obtinere & consequi, operationem importat: vnde gratia dicitur radix & semen vitæ æternę, quia comparantur inter se, vt esse & operari, gratia huius vitę vt radix remota, gratia autem consummata in statu Patrię vt radix proxima. Et si dicas, quòd vita æterna nomi- *Obiectio.*
natur gratia consumata. Respondetur, *Solutio.*
quòd non intelligitur in sensu formali, quasi sint idem, sed in sensu causali: quia (vt dictum est) ad gratiam consummatam consequitur gloria. Vel dicitur quòd gloria est gratia consummata, vltima perfectione & consummatione, ad quam potest pertingere gratia: ista autem est operatio, ad hoc enim vltimo tanquam ad maximum, gratia potest peruenire, vt habens illam videat Deum, iuxta illud Ioannis: Fiet in eo fons aquę saliẽtis in vi-

Ad 1. arg.

Obiectio. in vitam æternam. Et si dicas, gratiam ad hoc posse peruenire ex merito, vt obtineret vnionem hypostaticã, quę perfectior est vnione beatifica: nõ ergo visio est vltima perfectio quam potest pertingere gratia, vt hac ratione dicatur cõsummata in illa: *Solutio.* Respondetur, quòd gratia non potest conaturaliter & ab intrinseco amplius mereri, quàm Dei visionem: vnionem autem hypostaticã solùm ab extrinseco & ex pacto Dei. Loquendo ergo ex intrinsecis gratiæ in hoc est consummata & vltimo perfecta substantialiter, si ad Dei visionem perueniat.

Ad 2. arg. Ad secundũ argumentũ, posset negari, perfectissmam formã esse in perfectissimo subiecto semper; forma enim substãtialis perfectior est accidentali; subiectũ autẽ accidẽtis perfectius est subiecto formæ substantialis; quia totũ cõpositũ, est subiectũ accidẽtis; materia autem prima formæ substantialis. *2. Solutio.* Secundò tamen melius respondetur, quòd perfectissima debet esse in subiecto perfectissimo illius generis: gratia ergo pertinet ad genus essendi, beatitudo verò ad genus operandi: debet ergo assignari beatitudini perfectissimũ subiectum in genere operationis, qualis est potentia intellectiua (vt infrà dicetur) nam essentia immediatè ante potentias non est operatiua. Quod clarius dicitur, quòd beatitudo, cũ sit adeptio, debet esse imperfectissimo subiecto potenti adipisci: hoc autem est potentia, & non essentia. Vel tertiò respondetur *3. Solut.* ad argumentum, quòd licèt beatitudo, vt includens & præsupponens gratiam, sit perfectissima forma, & perfectior etiã ipsa gratia, quia super addit ad illam: absolutè tamen ex proprijs, præcisè sumpta visione contra gratiam, excellẽtior est gratia Dei visione: vnde vt suprà dictum est, potiùs aliquis debebat eligere esse in gratia sine visione, quàm videre non existens in gratia: hac ergo ratione perfectius subiectum debet assignari gratiæ quam visioni.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum respondetur negando minorem. Ad primam probationem dicitur, quòd vnio in ratione obiecti, licèt in esse rei non sit adeò perfecta, intelligibiliter tamen, & prout conducit ad beatitudinem, est maior; quia, vt dictum est, beatitudo non dicit quamcunque vnionem, sed vnionem adeptiuam, quæ quidem non est vnio per gratiam consummatam, sed vnio intellectus cum Deo in ratione obiecti. Vel dicitur, *2. Solut.* quòd, vt dictum est, licèt vnio per visionem præcisè non sit adeò perfecta, sicut vnio per gratiam, vt à visione distinguitur: visio tamen vt includens & præsupponens gratiam cõsummatam, perfectiorem vnionem dicit; quia superaddit ad primam: cùm ergo visio sit beatitudo, nõ vt à gratia præscindit, sed potius vt illam includit, absolutè dicendum est, beatitudinem in perfectissima vnione cõsistere, dum consistit in visione includente gratiam. Ad secundam probationem respõdetur similiter, in esse rei esse perfectiorem vnionẽ hypostaticam, non tamen vt conducit ad beatitudinẽ per modũ adeptionis: quapropter si natura humana in Christo Dño tantùm esset vnita hypostaticè, & nõ videret Deum, nõ esset beata.

Ad 4. arg. Ad quartum argumentum respondetur similiter, in esse rei esse perfectiorem vnionem in essentia; vt conducit tamen ad beatitudinem, perfectior est quæ fit per potentiam: vel prima est melior quàm secunda, sine inclusione vnius in altera: perfectior tamen est vnio per potentiam superadditam vnioni per essentiam. Ad secundam probationem similiter respondetur, quòd melius est diligere simul essendo dilecti: quanuis esse dilectos, sit melius quàm diligere, si vnumquodque sumatur cum præcisione alterius. Nos ergo nõ ponimus beatitudinẽ in operatione cũ præcisione, sed vt includit vnionẽ per gratiam, vt dictũ est. Et si *Obiectio.* contrà dicas, quòd inde sequitur, beatitudinẽ consistere in operatione voluntatis: quia sicut operatio intellectus superaddit ad vnionem gratiæ, ita operatio voluntatis superaddit ad vnionem intellectus: si ergo non debet sumi cum præcisione operatio, sed vt supponit præcedentem vnionem; perfectissima vnio per operationẽ, non erit intellectus, sed volũtatis: Respondetur, quòd si vnio operatio *Solutio.* nis volũtatis supponeret reliquas, probaret argumentum: sed quia superaddit in genere alio, habet se cõsequenter ad beatitudinem, & non est essentialiter ipsa beatitudo, vnio autem per actum visionis superaddit & est vltimum in eodem genere, nempe intelligibili; vt enim dictum est, gratia consummata dicitur prout radix dimanandi ab illa lumen gloriæ: lumen autem gloriæ, dispo-

dispositio est intellectus, vel constitutiuum potētiæ ad vnionē essentiæ per modum speciei: vnio autē essentiæ in ratione speciei, actus primus est ad actualē visionem: hęc autē est actus secundus & vltimus in toto isto processu intelligibili; & consequenter vnio visionis vltima & perfectissima, & in qua essentialiter cōsistit beatitudo; transitus autem ad volūtatē est effectus, & habet se consequenter vt aliquid alterius generis. Ad tertiā probationem respōdetur, quòd licèt in vnione per intellectum, ratio veritatis sit ratio sub qua; absolutè tamen vnio est cum deitate, quia talis visio terminatur ad Deum sicut est absolutè, & non secundùm peculiare attributum vel rationem ex parte rationis quæ.

Ad 5. arg. Ad quintum argumentum respondetur, quòd in illo priori vnionis essentiæ in ratione speciei, antequàm intelligatur visio, non intelligitur beatus formaliter, sed tantùm radicaliter; quia, vt dictū est, beatudo dicit adeptionem, & consequenter actum secundum: vnio autem speciei tantùm est actus primus.

Ad 6. arg. Ad sextum respondetur, illud principium non debere intelligi (quod esse supponitur ad operationem) in his quorum essentia dicit actum secūdum; tunc enim non supponitur esse ad operari; sed esse illius generis est ipsum operari, vt esse intelligens, est ipsum intelligere; sic esse beatum, est ipsum videre: nā vt dictū est, essentia beatitudinis est, essentiu actus secūdi. Verū est, quòd ad esse actus secundi, quod est ipsa operatio, supponitur esse absolutè ipsius subiecti operantis; & consequenter ad esse visionis, supponitur esse grati & dilecti, & vnionis per illapsum; sed nō supponitur esse beatum ad esse videntem, quia esse beatum, est ipsum videre: nisi forsan ante visionem velis vocare beatum initiatiuè per vnionem prædictam præcedentem.

Ad 7. arg. Ad vltimum respondetur, aliqualiter posse concedi, hominem se beatificare, quia elicit operationem beatificantem; simpliciter tamen & absolutè non dicitur nisi quòd Deus nos beatificat, quia ipse præstat præ requisita & necessaria ad videndū ipsum, nempe lumen gloriæ, essentiam supplentem speciem intelligibilem, &c.

DVBIVM II.

Vtrùm formalis beatitudo consistat in operatione actuali, an verò in habituali.

PRobatur hoc secūdū. Primò: Naturalis beaitudo consistit in habitu, ergo & supernaturalis. Consequētia patet ex paritate rationis. Antecedens probatur, nam qui habet sapientiam, licèt actualiter non cōtempletur, est naturaliter beatus; quia nō dicendum est, dum dormit, amittere beatitudinem, & euigilando acquirere illam: hanc ergo vicissitudinem beatitudo non admittit. *1. Arg.*

Secundò arguitur. In alijs rebus denominatio est ab habitu: ergo etiā in beatitudine. Antecedēs probatur in dominio pecuniarum, & in possessione Regni, & in scientia, & temperantia etiam, ad quæ actus solus non sufficit. *2. Arg.*

Tertiò: Si aliquis haberet lumen gloriç, neq; tamen prorrūperet in actū videndi esset beatus: ergo beatitudo in habitu cōsistit. Antecedens probatur ex illo Augustini, quòd ille beatus est, qui habet quidquid vult, & nihil mali vult. Quòd autē casus antecedentis sit possibilis, probatur; nā actus beatificus est liber: ergo potest cessari ab illo. Istud antecedēs probatur, nā actus visionis & amoris, quantū ad hoc, sunt eiusdē rationis, & actus amoris liber est: vt patet in Christo Domino, siquidē meruit per talē actum; ad esse autē meritorium, requiritur esse liberum. *3. Arg.*

Quartò arguitur. Beati non semper formaliter & in actu vident quę pertinēt ad suum statum, sed vbi & quando oportet: ergo beatitudo non consistit in actu, sed in habitu & posse videre. *4. Arg.*

Quintò arguitur. Beatitudo est præmium: ergo principalius est à Deo, quàm ab homine; quia præmium est à præmiāte, sicut meritum à merente. Tunc vltra: Sed quod principaliter est à Deo, est lumen gloriæ; nam visio principaliter est ab homine, cùm sit actio vitalis eius: ergo in habitu luminis, & non in actu visionis, consistit beatitudo. *5. Arg.*

Sextò arguitur. Habitus est perfectior quàm actus: ergo in habitu & nō in actu consistit beatitudo. Consequentia patet, nā beatitudo in perfectissimo debet cōsistere. Antecedēs vero probatur, nam *6. Arg.*

nam actus est de prædicamento actionis, habitus verò de prædicamẽto qualitatis: istud autem est perfectius illo. Secundò probatur idem antecedens. Actus ex natura sua est trãsiens, habitus verò permanens: ergo perfectior est habitus, maximè iuxta naturam illius status requirendis permanentiam. Tertiò probatur idẽ antecedens. Habitus est causa productiua actus: ergo habitus est perfectior. Cõsequentia patet ex D. Tho. q. 4. de verita te, ar. 6. ad 3. dicente, quòd potẽtia perfectior est suo actu, siquidem in potentia actiua præhabetur tota perfectio sui actus. *Solutio.* Neq; valet dicere, quod habitus est causa instrumentalis; hæc autẽ non requiritur quòd sit perfectior effectu: *Impug.* Contrà enim arguitur, quia, vt dicit D. Tho. 1. p. q. 45. art. 5. ad actionem instrumentalem requiritur alia præuia disponens: hæc autem non potest assignari ad actionem habitus, & dato id haberet verum in habitibus naturalibus qui non dãtur ad simpliciter, sed ad melius operari: habitus tamẽ infusi & supernaturales dantur ad simpliciter operandum; vnde habent rationem potentiæ, & consequenter sunt causæ principales, ac proinde perfectiores suo effectu. Item quia illa est causa principalis, quæ agit secundùm formam proportionatam effectui; habitus autem infusus est forma proportionata: ergo per illam constituitur agens in esse causę principalis. Item etiam, quia ante virtutem instrumentariam debet assignari virtus & forma agentis principalis: hæc autem non potest assignari ante habitum infusum, vel lumen gloriæ: ergo ipsum est forma principalis agentis, & non virtus instrumentaria. Quartò probatur principale antecedens. Actus sumit suam speciem à potentia actiua: ergo potentia actiua, qualis est habitus, est perfectior. Antecedens est D. Thom. Consequentia verò probatur, nam specificãs perfectior est specificato, quia cõparatur ad illud, vt forma ad materiam. Vltimò probatur idem antecedens. Melius est habere potentiam intellectiuam, quàm vnum actũ intelligendi: & si daretur optio, primum deberet eligi: ergo perfectior est habitus vel potentia, quàm actus.

In hac re propter argumenta posita tenet istam sententiam, quòd beatitudo consistit in habitu, & non in actu, D. Bo- *D. Bonauẽ.* nauentura in 4. dist. 49. art. 1. quęst. 1. ita

que vtrunque dicit reperiri in beatitudine, & habitum & actum; principaliter tamen consistit in habitu, minus verò principaliter in actu.

Pro intelligẽtia huius quæstionis no- *Not.* tandum, resolutionem eius dependere ab eo quod priùs examinetur, vtrùm habitus sit perfectior actu. Circa quod sunt variæ sententię. Aliqui propter sextũ argumẽtum tenent, in vniuersum omnem habitum & potentiam esse perfectiorẽ. Alij verò, tenent sententiam mediam, quòd habitus naturales sunt imperfectiores actu; habitus verò supernaturales sunt perfectiores; quia habitus naturales (dicunt) sunt instrumentum; supernaturales verò causæ principales. Vera tamẽ sententia est, quòd in vniuersum potentia vel habitus non est adeò perfectus, sicut actus eius. Hæc est communis Thomistarum, immò & D. Thom. infrâ, *D. Tho.* quæst. 71. art. 3. ad 1. & 3. vbi dicit, quòd licèt habitus sit causa efficiens actus; tamen actus est finis habitus: vnde licèt secundùm quid habitus sit perfectior, simpliciter tamen & absolutè, actus est perfectior, & 1. part. quæstio. 29. artic. 1. ad 2. dicit, quòd quando actus distinguitur à potentia, est nobilior illa. Hanc tenet etiam Caietan. in prædicta quæstio. 71. *Caiet.* art. 3. Conradus hic, Capreolus in 4. dist. *Conrad.* 49. ad argumenta Scoti contra primam *Capreol.* conclusionem. Richardus eadem distin. *Ricard.* artic. 1. quæstio. 4. Ægidius quodlibet. 4 *Ægidius.* quæst. 19. Soto in illa distinctione 49. ci *Soto.* tata quæst. 1. artic. 2. Medina hic, & Le- *Medina.* desma de diuina perfectione, quæst. 12. *Ledesma.* art. 2. & patet clarè, nam habitus est medium inter potẽtiam & actum; vnde participat ex vtroque, & partim est potentia, & partim habet de actu: ergo non est adeò perfectus sicut actus, qui nihil habet de potentia, quia vnumquodque in tantum est perfectum, in quantum habet de actu. Item secundò, nam illud est perfectius, in quo magis Deo assimilamur: sed magis assimilamur per actum, quàm per habitum; Deus enim est actus purus, in quo neque est habitus, neque potentia: ergo. Item tertiò: Finis est perfectior his quæ sunt ad finem, secundùm Arist. 3. Ethic. cap. 1. & 2. sed (vt dictum est) actus est finis habitus: ergo actus est perfectior. Minor patet, nam potentia vel habitus est propter actum; vnde si posset haberi actus sine potentia vel habi-

tu, me-

tu, melius esset; & habere potentiam vel habitum, si non exeundum esset in actū, esset frustraneum: ergo finis potentiæ vel habitus, est actus. Et si contrà arguas, *Impug.* nam Incarnatio Christi Domini est propter salutem humanam, iuxta illud, Qui propter nos homines, &c. & tamen salus humana non est perfectior Incarnatione, quia non est finis vltimus eius, sed intermedius; Incarnatio enim & ipsa salus humana vlteriùs ordinantur vltimò in gloriam Dei: sed similiter habitus est propter actum, vt propter finem intermedium; habitus verò & actus vlterius ordinantur in ipsum operantem: ergo non concluditur, actum esse perfectiorem habitu: quia esse finem prę dicto modo, non est esse perfectiorē: *Solutio.* Respondetur, quòd, vt suprà dictum est, in vniuersum finis, siue vltimus, siue intermedius, ea ratione qua est finis, est perfectior his quæ sunt ad ipsum; Incarnatio autem non est propter salutem humanā vt propter finem etiā intermedium, sed comparatur ad ipsam vt causa superior ad effectum; vt dicitur 3. par. quęst. 1. ar. 3. sicut & Angeli ordinantur ad custodiam rerum inferiorum, non vt ad finē, sed vt ad effectum; vt dicitur. 1. par. q. 20 art. 4. ad 1. & quæst. 112. art. 3. ad 4. vnde ly Propter nostram salutem, non dicit causalitatem finis ex parte salutis ad Incarnationem, sed potiùs dicit causalitatē effectiuam ex parte Incarnationis, ad salutem humanam. Hoc suppositō, sit conclusio.

Beatitudo non consistit in habitu, sed in actu secundo. Hæc est communis inter Theologos. Videatur Capreolus in 4. distinct. 45. quęstio. 1. circa primam conclusionem. *Capreolus Soto. Medina. Arist.* Soto eàdem dist. quæstio. 1. artic. 2. & quæstio. 3. artic. 3. Medina hic, & Arist. 1. Ethic. cap. 7. & lib. 10. cap. 5. & 7. id docet de beatitudine naturali, quod melius debet habere verum de supernaturali, quia perfectior est. Hæc conclusio patet ex argumentis in præcedenti dubio positis, quibus probauimus, consistere in operatione; & modò hoc solùm sufficiat, nam vt præmisimus in hoc dubio, actus est perfectior habitu; sed constituenda est beatitudo in perfectiori: ergo in actu, & nō in habitu.

Ad 1. arg. Ad argumenta à principio respondetur. Ad primum dicitur, etiam beatitudinem naturalem consistere in actu; vnde dormiens vel cessans ab actu, non est beatus tēpore cessationis: neque mirū quòd sit hæc vicissitudo in beatitudine imperfecta huius vitæ. Verum est, quòd licèt hoc ita fit metaphysicè loquendo, moraliter tamen beatus vocatur retinens habitum, licèt cesset ab actu: itaque, vt suprà diximus, etiam beatitudo viæ perfecta, quæ posset esse in statu naturę nō haberetur in hac vita, sed post illam: durante autē hac vita, solùm potest esse beatitudo inchoatiuè & imperfectè: & hæc non mirum quòd interruptionem admittat.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum respondetur, quòd etiam in positis in argumento præcesserit aliquis actus ad possessionem vel dominium, & hoc sufficit, cùm huiusmodi sint imperfecta: beatitudo autem cùm sit perfectissimum omnium, non sufficit semel vel iterum præcessisse actum, sed semper durare; beatitudo enim non patitur huiusmodi transitum vel transmutationem, sed semper inuariabilis debet manere, si perfecta est: immò & scientia perfectior esset, si in actu semper maneret, quàm si in habitu; vt patet in scientia Dei omnium perfectissima.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentū respondetur, casum esse impossibilem: posito enim lumine gloriæ; visio & amor sunt actus necessarij (vt infra patebit.) Ad illud autem de amore Christi Dñi, respōdetur, quòd in eo fuit duplex amor; alter regulatus visione beatifica, alter regulatus scientia infusa. Primus neq; fuit meritorius, neq; liber; secundus habuit vtrunque. Vel dicitur, quòd si in Christo nō fuit nisi vnus amor, tunc cōparatur ad obiectū primarium, nēpe Deū, & secundarium, nempe creaturas, ex parte obiecti primarij erat necessarius, neq; meritorius: ex parte vero obiecti secundarij, meritorius & liber, qua ratione non erat amor beatificus. Sicut & in Deo reperitur huiusmodi distinctio; amor enim diuinus ex parte obiecti primarij, nempe Dei, necessarius est; in ordine tamen ad secundariū, nempe creaturas, est liber, de quo videatur 1. p. q. 19 Dato tamen possibili antecedenti, respō detur sicut ad primum, quòd moraliter esset beatus, non tamen in rigore metha physico loquendo.

Ad 4. arg. Ad quartū respondetur, quòd beatitudo non consistit in cognitione eorū quæ pertinent ad suū statū, sed in cognitione clara

clara Dei: quapropter quod nō semper in actu cognoscantur quæ pertinent ad suū statū, non tollit beatitudinē eorū qui semper durant in actu secundo videndi Deū. de quo videatur Caiet. 3. p. q. 10. art. 2.

Ad 5. arg. Ad quintū argumētū respōdetur, q̄ vt præmiū sit à Deo, sufficit quòd ab illo tribuantur necessaria ad visionē, licèt ipsa visio & præmiū efficiēter sit ab homine.

Ad 6. arg. Ad sextū argumentū respondetur negādo antecedens. Ad primā probationē respondebitur infra. Ad secundā probationē respondetur, actū visionis ex natura sua esse permanentē, quia, vt dictū est, est actꝰ necessarius; loquēdo autē generaliter, dicitur, quòd licèt habitus in aliquibus excedat, vt in permanentia, & quòd ad plura se extendat; absolutè tamē actus supereminet, vt patet ex dictis: vnde cætera nō sunt paria, vt per hunc excessum vel alterū habitus dicatur perfectior. Ad tertiā probationē respondetur, dato quòd habitus sit causa principalis, non inde sequitur, esse quid perfectius; quia actꝰ est causa finalis, quæ inter causas præcipua est. Itaq; licèt actus sit effectus in genere causæ efficiētis; habitus tamē est effectus in genere causa finalis: quapropter simpliciter actꝰ est perfectior, quia est causa

Obiectio. in genere nobiliori. Et si cōtrà dicas, nā finis est effectus efficientis: ergo tota eius perfectio præhabetur inefficienti, ac per cōsequēs in essēdo nulla maior perfectio potest esse in actu, qui est effectus, quàm sit in habitu, qui est causa efficiens eius:

1. Solutio. Respōdetur primò, quòd finis in eo quòd finis, non est effectus, sed causa; materialiter enim cōiungitur cū ratione causæ finalis ratio effectus, quatenus causæ sibi inuicē sunt causæ; & sicut efficientis est effectus finis, ita finis habet effectū in ipso efficienti quod finalizat. Respōdetur

2. Solutio. secundò, hoc habere verum de efficienti quod & cōpleto: nā loquendo de efficiēti quo, & incōpleto: non semper efficiens est magis vel æquè perfectū cum effectu. Exēplū est in forma equi generātis, quæ neq; æquè, neq; magis perfecta est cum equo genito: aliquid enim est in equo genito, nēpe subsistentia, quæ nō est in forma generātis: cùm ergo effectus qui, trāscendat efficiēs quo, inde sequitur, efficiēs quo, non necessariò æquari in perfectione cū effectu completo: habitus ergo est efficiens quo, vnde non sequitur, æquæ perfectionis esse cum actu. Ad quartam probationē respondetur, quòd specificās potest considerari ad duo; vel ad alteram cōpartem materialiter cōcurrentem, respectu cuius specificans habet rationē formæ; vel potest considerari in ordine ad specificatū totale. Dico ergo, quòd primo modo specificans est perfectius specificato, non vero secundo modo, v. g. rationalitas perfectior est animali habenti se materialiter respectu rationalitatis, nō vero rationalitas est perfectior homine. Habitus ergo non cōparatur ad actum, quasi specificans, vt forma respectu materiæ, sed actus est specificatū totale & ipsa species, quę ex habitu velut ex principio specificante resultat: eo vel maximè, quod specificatur ab habitu extrinsecè, & tūc non sequitur specificās esse perfectius. Ad vltimā respondetur, melius & eligibilius esse habere vnū actū, quā potentiā, vel habitū ad plures actus, si nunquā exijt in illos, vt enim dictum est, potentia vel habitus sunt propter actum, & frustra sunt, si ad actū non reducuntur.

Ex dictis sequitur primò idem dicēdū esse de habitu respectu potētię, quod diximus de actu respectu habitus. Nā cum habitus, vt dictū est, sit mediū inter potētiā & actū: sicut respectu actus habet rationē potentiæ, ita respectu potētiæ habet rationem actus: vnde sicut respectu actus est imperfectior, ita respectu potentiæ est perfectior. *1. Corollar.*

Secundò sequitur. Quod quādo diximus habitū esse minus perfectū quam actū, intelligitur respectu actus qui immediatè procedit à tali habitu. Nā si mediatè procedat, habitus potest esse perfectior, v. g. gratia perfectior est actibus virtutū etiā infusarū qui mediatè procedūt à gratia: nā tunc habitus gratiæ nō comparatur ad talē actū formaliter vt habitus, sed magis vt forma substantialis, quę mediante habitu operatur, & hæc de hoc dubio. *2. Corollar.*

DVBIVM III.

Vtrum beatitudo quæ est operatio, sit elicitiuè & efficienter ab intellectu beati; an verò à solo Deo, ipso intellectu solū passiuè se habēte.

1. Sent. IN hac re est prima sententia, quòd omnis intellectio siue naturalis, siue supernaturalis, non est effectiuè ab intellectu, sed quod ille tātū passiue se habet in intelle-

Godof. *Iand.* *Paul. Ven.* *EAgid.* intellectione. Hanc tenet Godof. quodlib. 5. q. 2. vt refert Capre. in 2. dist. 3. q. 2. Tenet etiam illam Iandunus in 2. de anima, q. 16. & in 3. de anima, q. 23. & 24. & Paulus Venetus in Summa de anima, cap. 10. & AEgidius tract. de cognitione Angelorum, q. 1. quæ sententia probatur vnico argumento. Secundum Arist. 2. & 8. Physicorum, idē non potest agens & patiens esse respectu eiusdē. Vnde subintulit, quòd omne quod mouetur, ab alio mouetur, & posuit distinctionē partis motæ, & partis per semouentis: sed intellectus secundum Arist. 1. de anima c. 3. & in 2. c. 4 patitur intelligēdo, quia intelligere (inquit) est quoddā pati: ergo nō agit, quia in intellectu nō est distinguere partē mouentē à parte mota: vnde si patitur, secundū se totū patitur, & non remanet vnde agere posit. Confirmatur. Inter agens & patiens est relatio realis, quæ quidē requirit distinctionē realē extremorum: sed talis distinctio nō est in intellectu: ergo in illo nō potest esse ratio agentis & patientis; sed tantum patientis, agentis verò erit in extrinseco mouente intellectum.

Conf.

2. Sent. Secunda sententia est, quòd licèt intellectio naturalis, sit efficienter ab intellectu, supernaturalis tamē, qualis est visio beata, passiuè tantū est in intellectu, efficiturq; solū à Deo. Hanc tenet Marsi in 3. dist. 10. art. 2. Gabr. in 2. dist 7. q. vnica, Ocham in 1. dist. 1. q. 2. Basol & Petrus de Aliac. & cōmuniter nominales in 4. dist. 49. immò & Palud. eadem dist. q. 1. ar. 2. Dur. in 2. dist. 3 1. q. 4. & alij quos refert Sot. in 4. dist. 49. q. 2. art. 3. & Medina hic.

Mar. Gab. *Och. Bas.* *Pet. Alia.* *Palu. Dur.*

1. Arg. Hæc sentētia probatur primò. Visio beatifica est omnino supernaturalis quantū ad substant ā & modū, actiuitas verò intellectus est omninò naturalis: ergo intellectus nō potest elicere talē visionem. Patet consequentia; nā inter potentiā, & actū elicitum ab illa, debet esse proportio: naturalis autem ad supernaturale nulla est talis. Si respōdeatur, quòd intellectus ex eleuatione luminis gloriæ proportionatur, & potest elicere: Cōtrà; nā tunc sequeretur, intellectū tantū instrumētaliter cōcurrere. Sequela probatur; nā actiuitas instrumēti in eo cōsistit, vt agat ex eleuatione superioris agētis; nam agens principale nō ex virtute superioris, sed ex propria virtute debet agere. Si ergo intellectus tantū agit ex lumine, cū illud nō sit propria virtus intellectus, sed superioris agētis, nēpè Dei, cuius quidē lumē est participatio, nō aget vt causa principalis intellectus, sed tantū vt instrumentū. Confirmatur; nā ex eo dicitur cōmuniter actus nostros nō posse principaliter physicè producere habitus supernaturales, neq; lumē gloriæ, sed omnia hæc à Deo produci, vt à causa principali: si ergo visio beatifica supernaturalis est & excellentior habitibus supernaturalibus, & etiam lumine gloriæ, nō poterit produci ab intellectu, vt â causa principali.

Solutio. *Impug.* *Conf.*

Secundò probatur. Tota vitalitas visionis est à lumine gloriæ: ergo ab illo est effectiuè visio, à quo est lumen: lumē autem, solū est à Deo effectiuè: ergo & tota vitalitas visionis. Primū antecedens docetur probabiliter à Thomistis 1. p. q. 12. art. 5. & ratione patet; nā vitalitas visionis, est vitalitas supernaturalis: ergo debet esse à principio vitali supernaturali. Huiusmodi autē tantū est lumen gloriæ: ergo ab illo est tota vitalitas ipsius visionis Cōfirmatur. Auxiliū quo Deus cōcurrit, vt intellectus videat Deum, est supernaturale: ergo principiū elicitiuum talis visionis est supernaturale. Cōsequentia patet, nā auxiliū datur secundū proportionē principij actiui: si ergo datur auxiliū supernaturale, ideo est, quia principiū elicitiuū est supernaturale: huiusmodi autē tantū est lumē: ergo tota vitalitas est à lumine vt à principio elicitiuo. Primum antecedens probatur, nā auxiliū naturale tantū est ad actionē naturalē: cū ergo visio sit actio supernaturalis, ad ipsā debet dari auxiliū supernaturale.

2. Arg. *Confi.*

Tertiò probatur. De potētia absoluta potest intellectus videre Deū sine lumine gloriæ per auxiliū tantū actuale, vt probabilis asserit opinio. 1. p. loco citato: ergo ideò est, quia intellectus nō cōcurrit actiuè ad visionē. Patet cōsequentia; nā intellectus secluso lumine est omninò naturalis, neq; habet formā proportionatam tali actui vt possit elicere illum: ergo si etiā secluso lumine dicitur quòd potest videre, ideò est, quia in videndo non se habet actiuè.

3. Arg.

Quartò probatur. Deus clarè visus nōcō tinetur intra obiectū adæquatū intellectus: ergo visio clara Dei nō potest esse effectiuè ab intellectu. Patet consequentia; nā potentia nō potest elicere actū extra suū obiectū. Antecedens verò probatur; nā si Deus clare visus cōtineretur intra obiectū intellectus, naturaliter posset videre ipsum; nā potētia specificatur & habet perfectionē essentialem ex obiecto, & cōsequenter naturaliter respicit ipsum, & naturaliter poterit habere actum circa ipsum.

4. Arg.

Quintò probatur. Sequitur ex opposita sentētia, quòd positis duobus intellectibus inæqualibus, cū lumine gloriæ æquali, inæqua-

5. Arg.

æqualiter videant Deū: consequens est falsum; nā tunc cū æquali merito esset excellentior gloria, & Angelus aliquis melius videret, quā B. Virgo Maria Domina nostra, quia intellectus Angeli supremi melior est, contra illud: Exaltata est super Choros Angelorū. Sequella verò probatur, nā si intellectus cōcurrit actiuè, quantitas visionis nō solū attenditur ex lumine, sed etiā ex intellectu: quia vt dicit contraria sentētia, ex vtroque fit vnū principiū: ergo posito ex vna parte æquali lumine, & ex altera inæquali intellectu, ex ista inæqualitate visio erit inæqualis. Cōfirmatur, nā hac ratione melior intellectus cū æquali habitu scientiæ potest habere actū meliorē, & subiectum excellentius, vt ferrum, verbi gratia, cum æquali calore magis comburit, quàm lignum.

1. Concl. Prima cōclusio. In via intellectio est efficiēter ab intellectu, & non tātū ab obiecto habēte se in intellectu passiuè. Hęc est adeò certa, vt prima sententia huic contraria sit omninò improbabilis. Probatur primò. Cognitio est operatio vitalis: ergo ex natura sua habet quod sit à principio intrinseco actiuo vitali. Patet cōsequentia, ex discrimine cōstituto ab Arist. 8. Physic. inter viuētia & non viuentia, quòd illa mouentur ab intrinseco, mouendo se in suis actionibus: ista verò mouentur ab extrinseco. Antecedens vero probatur, nā vita intellectiua est vere vita, & intelligere est viuere, vt probatur de Deo 1.p.q.18.artic.3. immo quod est perfectissimū viuere: vt patet ex Aristot. 2. Meth. Secūdò probatur cōclusio; nā vt refert D. Th. hic ad 3 ex Ari. 9. Meth. tex. 16. duplex est actio procedens ab operāte, alia transiens in exteriorē materiā, vt vrere & secare: alia immanens, vt sentire & intelligere. Intelligere ergo, actio est illius in quo manet, nempè intellectus in quo subiectatur. Cōfirmatur; nam si intellectio producitur ab obiecto, nō est immanens, sed transiens ab obiecto in potētiā. Tertiò probatur. Habitus intellectus, videlicèt prudētia, & ars, producūt effectiuè suas operationes: ergo & ipse intellectus. Patet cōsequentia, nā quod facit habitus, facit potētia. Antecedens verò est notū, sicut enim ignis per calorē effectiuè calefacit, sic & artifex per artē ædificat, & prudens gubernator per prudentiā gubernat. Quartò probatur. Vt aliquis dicatur ambulare, non sufficit, vt ab alio pedes moueātur, sed necessariò requiritur, q̄ ab eodē, vt docet D. Th. 1.p.q.51.art.3.ad 2.3.& 5. ergo vt dicatur intelligere, nō sufficit, obiectū, v.g. in illo intellectionem producere, sed necessariò requiritur, q̄ ab intellectu producatur. Quintò probatur; nā si intellectus passiuè se habet ab obiecto recipiens intellectionē, sequitur, quòd præsente obiecto in sua specie, necessariò intellectus intelligeret, sicut præsente igne, necessariò calefit aqua. Itē sequeretur nō esse necessaria species, ad hoc enim ponuntur, vt sint velut instrumēta quibus potētia operetur. Itē sequeretur, nō esse necessariā cōuersionē ad phātasmata ad intelligēdū, & alia absurda similia, quibus Physica destruitur, & qui nō percipit actiuè se intelligere, discurrere, ratiocinari, & reminisci, nō intelligit, neq; percipit se esse hominē. Vltimo prob. ex illo Aug. 2. de Doctrina Christiana, q̄ à cognoscēte & cognito paritur notitia. Sed quia posset aliquis dicere, potiùs in hoc denotari, obiectū cōcurrere actiuè, potētiā verò passiuè, sicut in generatione, pater actiuè cōcurrit, mater verò suscipiens semē, tātū passiuè: cū ergo intellectus in hoc partu, sit velut mater suscipiens ex obiecto speciē, quasi semē, potiùs videtur passiuè cōcurrere ad intellectionē; Ideò pro intelligētia huius notandū ex Cat. 1.p.q.79.ar.2. hanc esse differētiā inter cōpositionē physicā, & intētionalē; in cōpositione enim physica cōcurrit materia recipiens formā, ex quibus resultat tertiū cōpositū, in quo manet materia & forma, cū distinctione reali inter se; & operatio neq; sequitur ad materiā, neq; ad formā, sed ad totū cōpositū resultans ex illis: vnde etiā dicit, q̄ actiones sunt suppositorū: in cōpositione autē intentionali, ex intellectu & intelligibili, fit magis vnū, quā ex materia & forma, nimirū quia non resultat tertiū, in quo cū distinctione maneant potētia & obiectū, intellectus & intelligibile, ex quibus fuit facta cōpositio: sed hæc fit per transfusionē quandā potētiæ in obiectū, & obiecti in potētiā, ita vt verè dicatur cū Philosopho, q̄ intellectus in actu, est intelligibile in actu, & intelligibile in actu, est intellect⁹ in actu: qđ nō verificatur in cōpositione Physica, in qua etiā facta vnione non verificatur quòd materia sit forma, neque forma sit materia. Ex hoc ergo sequitur, q̄ sicut actiuitas in cōposito physico non est partiū cōponentiū, quia adhuc potētia manet materia; sed est ipsius cōpositi: ita in hac vnione intētionali, operatio est ipsius intellectus transfusi in obiectū, & obiecti transfusi in intellectum: quia nō est aliud tertium cōpositū, cuius sit operatio: quapropter idēmet intellect⁹, qui in recipiēdo speciem, habuit se passiuè per transfusionē in ipsum obiectū media specie

Ari. 8. Ph.

D. Thom.

Augusti.

Nota. Cait.

die manet principium actuum, quo dautē illorum melius actiuè concurrat, obiectum, vel potentia, tractatur infrà q. 9. ar. 1. Videa
Cait. Cap. tur Cai. 1. p. q. 80. art. 2. & Capreol. in 2. dist. 25. q. 1. Meo tamen videri, nō manet locus cōparationi, quia vt dictū est, facta vnione intelligibili, nō manet distinctio intellectus & intellecti, sed vtrūque omninò idem.

Secunda cōclusio. Visio beatifica est operatio effectiuè producta ab intellectu beati.
2. Conc. Hæc probatur primò, nā suauis dispositio rerū petit vt supernaturalia disponantur ad modū rerū naturaliū, & quòd de illis loquamur ad modū naturaliū, māximè cum sacra Scriptura sic loquatur, neq; aliud peculiare nobis reuelat: sed sacra Scriptura loquitur de visione per modū actionis vitalis: ergò dicendū est de illa sicut de alijs vitalibus actionibus, de quibus dictū est cōclusione præcedēti, necessariò debere esse à principio intrinseco vitali. Cōfirmatur; nā secundū Aug. li.
Consi. August. 1. quæstionū super Gene. c. 31. loquutio sacræ Scripturæ debet defensari secundū proprietatē, & rigorē sermoni, vbi nulla apparet absurditas, vel cōtrarietas: sed semper loquitur sacra Scriptura de visione tanquā de actione vitali: ergo loquēdū est rigorosè de illa, tanquā de procedēti à principio intrinseco; siquidē in hoc nulla apparet absurditas, vel cōtrarietas. Secūdò probatur. Volūtas cōcurrit actiuè ad amorē beatificū: ergo & intellectus ad visionē. Consequētia patet à paritate rationis. Antecedens verò probatur, quia actus amoris cōtinuatur ex Via in Patria, iuxta illud: Charitas nunquā excidit: sed in Via est effectiuè à volūtate: ergo & in Patria, nā aliàs nō esset idē actus cōtinuat⁹. Tertiò probat: Cognitioni Fidei correspōdet visio clara: sed ad cognitionē Fidei concurrit actiuè: ergo ad clarā visionē. Patet cōsequentia, nā obiectū vtriusq; actus & ipsi actus sunt supernaturalia, & sicut ad actum Fidei informatur intellectus lumine Fidei, ita ad clarā visionē informatur intellectus lumine gloriæ. Quartò probatur. Nostro modo intelligēdi Deus cōcurrit actiuè ad suā operationē, & visionē clarā sui ipsius: ergo etiā beatus. Patet cōsequentia, nā omnis natura intellectualis eodē modo debet procedere in operatione suæ beatitudinis.

His argumētis cōuicti Theologi cōmuniter tenēt prædictā conclusionē, solū autē
Medina. est dissensio inter illos in cēsurādo oppositā sententiā. M. enim Medina hic dicit, sententiā contrariā esse erroneā, & cōtra Fidem quod probat primo ex Clementina, Ad nostrū, de hæreticis vbi dicitur, esse necessariū lumen gloriæ ad videndū Deū. Videre autē, idē est quod producere actionē, aliàs enim nō requireretur lumē ad videre. Secūdò probat ex Cōcil. Trid. sess. 6. c. 4. vbi dānātur, qui dixerint, hominē in iustificatione mere passiuè se habere, sed quòd per liberū arbitriū cōcurrit ad illā: eū ergo sit eadē ratio de glorificatione, eodē modo dānabitur quioppositū dixerit de illa. Tertiò probatur. Nam illa propositio est de Fide, quę sequitur ex altera de Fide, & altera cognita lumine naturæ: talis est nostra cōclusio: ergo est de Fide. Minor probatur. Nā sequitur ex ista de Fide, Beatus videt Deū, definita in Clemen. citata, & 1. Ioan. 3. Videbimus eū, &c. & ex *1. Ioan. 3.* ista cognita lumine naturę, Visio est actio vitalis procedens effectiuè à principio intrinseco; tunc enim cōcluditur nostra cōclusio: ergo visio beatifica est effectiuè ab intellectu. Hæc sententia M. Medina probabilis est, nimis tamē rigorosa. Vnde sufficiat dicere, quòd oppositā sentētia est nimis periculosa & temeraria, quia est cōtra cōmunem sententiā Theologorū, & cōtra cōmunē cōsensum Physicorū quòd actio vitalis est effectiuè à viuente: vt enim nō sit error manifestus, sufficit qualitercūq; respōdere ad argumēta posita à M. Medina, posset enim respōderi Ad primū, requiri à Clemētina lumē in intellectu ad videndū, nō vt eliciat visionē, sed vt recipiat ipsam. Sicut & requiritur vt vniatur essentiæ diuinæ tanquā cū specie: sicut requiritur etiā lux in aēre, vt recipiat species intētionales causatas ab obiecto. Ad secundū posset responderi, nō esse eādē rationem de iustificatione & glorificatione; nam gratia per quā iustificamur, est ad merendū, gloria autē habet rationē præmij: cū ergo hęc sit differentia inter meritū & premiū, q̄ meritū est à merente, præmium à præmiāte: hinc est, in iustificatione nō debere se habere passiuè, vt determinat Cōciliū, benè autē in glorificatione habēte rationē præmij. Vel secūdò potest respōderi, cōcedēdo esse parē rationē, sed Cōciliū nō loquitur de iustificatione formaliter, sed dispositiue & antecedēter, cōcurrit enim homo actiuè ad act⁹ disponētes ad gratiā, ad ipsā autē iustificationē formaliter, & vnionē gratiæ cū subiecto tātū passiuè cōcurrit; gratia enim à solo Deo infūditur. Sic ergo cōceditur, in glorificatione cōcurrere hominē actiuè antecedēter & dispositiuè per act⁹ meritorios; ad ipsam autē glorificationē formaliter tātū passiuè cōcurrit. Ad 3. posset responderi, quòd licèt

sit de Fide beatos videre Deũ: non tamẽ esse cognitũ lumine naturæ, quod visio sit effectiuè ab intellectu; siquidem, vt diximus in prima sentẽtia, aliqui tenuerũt oppositũ: & etiã non est cognitũ lumine naturæ, quòd visio sit actio vitalis, sed qualitas inhærens intellectui, per quam obiectum attingitur. Vel posset præterea dici, non cõstare lumine naturę, quòd actio vitalis nõ possit infũdi à Deo, quia hoc tenet Sõc. 9. Meth. q. 20. ad quartũ. Cũ ergo illa secunda propositio lumine naturæ non cõstet, cõclusio non infertur de Fide; quia tamen adeò est vera, vt nullus bonæ mentis illã neget, & communiter ab omnibus recipiatur, sufficit inferre conclusionem adeò certam, vt opposita sit temeraria.

Ad 1. arg. 1. Sent. Ad primũ argumentũ primæ sententiæ respondetur, Illud principium, quòd inter agens & patiens debet esse distinctio, de agenti & passo simpliciter intelligi, quale est materia prima, materia enim prima cũ sit pura potentia, simpliciter est passum, & nullo modo agens, quia nullius est actiuitatis: passum autẽ secundũ quid, vt est subiectum accidentium, cũ efficiente coincidere potest, potest enim substãtia cõpleta agere quod in se recipiat. Vel aliter explicatur, debere intelligi de actione & passione physica, quæ in rigore est actio & passio, nõ autẽ de Methaphysica, vel intentionali, quę in rigore potiùs habet rationẽ qualitatis, quàm actionis, vel passionis. Vel aliter explicatur sufficere distinctionẽ formalẽ inter agens & patiens, & sic se habet intellectus; alia enim ratione agit, & alia patitur: patitur secũdùm se, & vt nudè consideratur: agit autẽ, vt actuatur specie iuxta modũ explicatũ in fine primæ cõclusionis. Per quod etiã patet intelligentia alterius principij assumpti etiã in argumento; q. intelligere est quoddã pati: nõ enim debet intelligi in sensu formali, sed causali, vel antecedenter, vel consequenter: antecedẽter, quatenus ad intelligere præsupponitur pati ab obiecto, recipiendo speciẽ eius: consequenter autẽ, quatenus intellectio ab intellectu producta, in intellectu recipitur manens in ipso; formaliter autẽ intelligere, agere est. *Confirm.* Ad cõfirmationẽ respondetur, sufficere distinctionẽ formalẽ agentis & patientis in intellectu, vt relatio sit realis. Vel sustinẽdo aliã explicationẽ, relatio agẽtis & passi in intellectu, tantũ est rationis: quia nõ est actio & passio rigorosa & physica, quæ sola fundamentũ est relationis realis, sed actio & passio Methaphysica & intentionalis, super quã non incõuenit, relationem fundatam esse rationis.

Ad 1. arg. 2. Sent. Ad primum argumentũ secundæ sentẽtiæ bene ibi respõsum est, principiũ actiuũ visionis nõ esse intellectũ vtcunque, sed vt illustratũ lumine, vnde propria actiuitas intellectus cõcurrit radicaliter & remotè, proximè autem vt illustrata: proportio autem actus non cõsideratur ex principio radicali, & remoto, sed ex proximo, vt in actionibus Christi Domini elicitis mediãte potentia creata, & naturali, illę enim operationes naturales sunt, licèt principiũ radicale & remotũ, supernatũrale sit, videlicet suppositũ diuinum. In præsenti ergo è cõtra actus visionis est supernaturalis, quia principium proximum est supernaturale, licèt radicale, sit naturale. Ad replicã respondetur, aliquã virtutẽ, vel formã agendi, dupliciter posse esse propriã alicuius: primò vt subiecti: dimanationis: secũdò vt subiecti inhęsionis dimanationis, quia ab alio fluere nõ potest: inhæsionis, quia in alio nõ potest recipi. Lumẽ ergo gloriæ nõ est propriũ intellectus creati vt subiecti dimanationis: quia nõ ex intellectu, sed a Deo extrinsecè cõmunicatur: est autẽ propriũ intellectus, vt subiecti inhæsionis, quia lumẽ gloriæ in alio nõ potest recipi, quã in intellectu creato: vt ergo sit causa principalis intellectus illustratus lumine, sufficit agere pervirtutẽ propriã in hæsiuè, licèt nõ dimanatiuè. *Confirm.* Ad cõfirmationẽ resp. cõcedẽdo, visionẽ esse excellentiorẽ lumine, qđ habet rationẽ principij quo, licèt nõsit excellẽtior, quã principiũ quod: vt enim suprà dictũ est, effectus excellẽtior potest esse principio quo, licèt non principio quod: negatur tamẽ, quòd si potest producere visionẽ, potest producere lumẽ: neque valet, q. qui potest maius, potest & minus, quia hoc intelligitur intra eãdẽ rationẽ, nõ autẽ aliàs: nã homo potest producere hominẽ, & nõ murẽ: sicut ergo ex habitibus infusis potest operari, licèt nõ ipsos habitus producere: vt ex Charitate recepta potest amare, nõ autẽ in se Charitatẽ potest producere, licèt actus taliũ virtutũ excellẽtiores sint ipsis virtutibus: ita ex lumine recepto potest videre, lumẽ autẽ producere nõ potest. Et si fundamẽtũ huius quæras, illud est primũ; nam visio est actio vitalis, vnde ex propria ratione expoſcit, ab intellectu produci; lumen autem non sic. Vel aliter dicitur, quòd licèt visio sit excellentior, potest producere illam, quia præhabetur per quid illi proportionetur in ratione agentis:

agentis; nã præhabetur lumẽ: lumẽ autẽ nõ potest producere, quia nõ præhabetur per quid proportionetur in ratione agentis ad producẽdũ lumen: quia totũ quod præhabetur est naturale: sicut & in naturalibus id cõtingit, perfectior enim est actus secũdus, quã actus primus intellectus, vel operatio, quã potẽtia: nihilominꝰ potest actũ secũdũ vel operationẽ producere, quia præhabetur per quid possit, nẽpe potẽtia ad actũ, & actus primus ad secũdũ; potẽtia autẽ, vel actũ primũ producere non potest, quia potẽtia nuda nõ habet per quid possit producere speciẽ constituentẽ actũ primũ, sed hæc debet ab obiecto prouenire, neq; subrectum ante potentiã potest producere potentiam, quia nõ prehabet per quid ipsam possit producere: vnde illã à generante debet recipere: qđ clariùs & altiùs explicatur in generatione physica, prestãtius enim bonũ est homo, quã materia prima; nihilominus potest homo producere hominẽ, & nõ materiã primam, quia est primũ subiectũ cuiusq; mutationis & ideò præsupponitur producta à Deo ad quãcũq; mutationẽ, vel operationẽ: sic ergo in processu iustificationis & glorificationis primũ aliquod debet præsupponi ex parte Dei receptũ, vt superuenientia à iustificato, vel glorificato producãtur: in iustificatione quidẽ assignatur gratia à Deo infusa, vt per subsequentia opera, iustificatus gratiæ coo peretur in glorificationẽ: ergo debet etiam assignari primũ à Deo, nẽpe lumen, subsequentia autem, vt visio & fruitio, quòd ab ipso glorificato producantur.

Ad 2. arg. Ad 2. arg. resp. vitalitatẽ prouenire totaliter â lumine gloriæ, vt à principio quo; vt à principio autẽ quod, prouenit ab intellectu, vt eleuato lumine; sic enim intellectus supernaturalis est, & vitalitatẽ omnino supernaturalem potest producere, & per hoc patet ad confirmationẽ, nõ enim ponimus intellectũ nudũ, sed vt eleuatũ, quo ratione est supernaturalis, egens auxilio supernaturali subiecto proportionato.

3. Arg. Ad 3. resp. nõ esse probabilẽ sententiam posse videri Deũ absq; aliquo lumine inhęrente, siue per modũ actus, siue per modum habitus, vt videre est 1. p. q. 12. art. 5.

4. Arg. Ad 4. resp. obiectũ intellectus esse duplex aliud proportionatũ, & aliud adæquatũ & extensiuũ, à quo autem specificetur, manet sub lite: aliqui enim dicũt specificari à proportionato, scilicet, ente naturali, non vero ab adæquato, quã propter solũ dicit naturalẽ inclinationẽ ad proportionatũ, non verò ad adæquatum, sed tantũ potentiã obediẽtialẽ: cũ ergo Deus non claudatur sub proportionato, sed sub adæquato, ad clarã Dei visionẽ, naturalẽ inclinationẽ nõ habet, sed obedientialem respectũ. Alij verò licèt teneant specificari ab adæquato, non tamen ponũt naturalẽ inclinationẽ ad ipsum, quia vltra esse specificatiuũ requiritur esse proportionatũ, vt ad ipsum inclinetur naturaliter. Sed de hoc latiùs, 1. p. q. 12. art. 1.

5. Arg. Ad 5. arg. resp. quòd cũ intellectus non producat visionẽ nisi formaliter, vt stat sub lumine, inde est, effectũ debere mensurari iuxta quantitatẽ luminis: vnde si lumen est æquale, etiã si intellectus sit inæqualis, visio erit æqualis: nec est eadem ratio de potentia inæquali cũ æquali habitu sciẽtiæ, quæ quidẽ inæqualiter cognoscit; nã cũ habitus nõ detur ad simpliciter, sed ad melius, quantitas effectus non solũ attenditur ex habitu, sed etiã ex potentia, quæ simpliciter potest ad talẽ actũ, lumen autẽ gloriæ non ad melius, sed ad simpliciter datur, tanquã cõstituens potentiã in esse supernaturalis, & in ordine ad obiectũ extensiuũ, vnde ex quantitate luminis prẽcisè sumitur quantitas actionis. Similiter de ferro ardenti dicitur, quod si fortiùs agit cũ æquali calore intẽsiuo, quã agat lignũ, ideò est, quia habet plus caloris quantũ ad multitudinẽ, propter multitudinẽ partiũ materiæ densioris, vnde ad inæqualitatẽ formę, inæqualitas effectus reducitur: & sic patet ad confirmationem.

DVBIVM QVARTVM,

Vtrùm de potentia Dei absoluta, visio beatifica à solo Deo possit produci, intellectu merè passiuè se habente.

1. Sent. IN hac re est prima sententia absolutè asserens nullã esse implicationem quòdsic visio à solo Deo producatur. Hanc tenet Veg. lib. 6. in Conc. Trid. c. 8. Scot. in 3. dist. 13. q. 3. & Vict. vt hic refert Med. & Sõcin. 9. Meth. q. 20. ad 4. & q. 21. immò videtur D. Th. q. 10. de veritate, ar. 11. vbi distinguit duplicẽ actionẽ, alterã naturalẽ à principio intrinseco, alterã verò miraculosam à principio extrinseco, & talẽ enumerat visionẽ beatificã. Ratione probatur primò hæc sentẽtia. Quidquid Deus potest facere cum causa secunda, potest facere se solo: sed mediãte intellectu Deus producit visionẽ: ergo & se solo poterit producere illã. Si respondeatur hoc debere intelligi de eo quod Deꝰ agit mediãte causa secũda efficiẽti, nõ verò

Vega. Scotus. Victoria. Soicinas. D. Thom.

Solutio.

formali,hāc enim supplere nō potest,nā po neretur in Deo imperfectio formæ. Visio ergo nō solū dicit dependentiā ab intellectu in genere causæ efficiētis, sed etiam formalis,cū sit actio vitalis dicens formalem & intrinsecū ordinē ad potentiā vitalē; Contra arguitur;nā intellectus producens visionē,nō est proprie causa formalis illius:quia nō est pars etiā formalis cōpositiua eius, in quo inuolueretur (si aliqua deberet inuolui)imperfectio, si autem aliqualiter dicitur causa formalis,est extrinseca, quatenus est principiū vitale:sed sic esse formalē causam, non ponit imperfectionē,quā Deus supplere nō possit,quia species intelligibilis producitur ab intellectu agente,& verbū ab intellectu possibili,vt à principio vitali. Nihilominus tamen vtrūque Deus supplet se solo immediatè in beatitudine. Confirmatur; nam eundem ordinē intrinsecū dicit calefactio ad potentiā calefactiuā,sicut intellectio ad intellectiuā:sicut ergo se solo potest producere calefactionem,sic & intellectionē.

Impug.

Confirm.

2. Sent. Secunda sententia est,quòd licèt intellectio in ratione intellectionis nō possit produci immediatè à Deo:bene tamen in ratione qualitatis. Hanc tenet Cap.in 2. dist.4.q. 1.art.2.Sot.in 4.dist.49.q.1.art.4. & aliqui qui dicunt hanc esse sententiam communē Thomistarū,& probatur primò hęc,nam si aliqua est dependentia intrinseca & formalis intellectionis ab intellectu, est in ratione intellectionis, non autē in ratione qualitatis:ergo etiā si in ratione intellectionis non possit,bene tamen in ratione qualitatis poterit immediatè à Deo produci.

Capreol. Soto.

1. Arg.

2. Arg. Secūdò probatur. Probabiliter dicitur aliā esse rationē actionis aliā, verò qualitatis,esse q,distinctionē inter vtranq,ergo poterit produci in esse qualitatis & nō in esse actionis.

3. Arg. Tertiò probatur. Secundū cōmunē sentētiā intellectio potest poni in lapide in esse qualitatis:ergo etiā intellectu non producēte illā,quia non est minus capax intellectus alicuius hominis,quàm lapis, & tunc certè difficile apparet,qualiter per talem intellectionem non intelligeret.

4. Arg. Vltimò probatur hæc sentētia,quia potētiæ nō videtur habere minorē dependentiā à principio vitali,quā actiones earū habeāt ab ipsis:sed potētię possunt poni in esse qualitatis in alieno subiecto,licèt nō in esse potētiæ:ergo similiter actiones vitales in alieno subiecto poterunt poni in esse qualitatis.

1. Concl. Prima cōcl. Impossibile est q intellectio in ratione intellectionis producatur immediatè à solo Deo. Hæc est *D. Thom.* D.Th.1.p.q.34. ar.1.& cōmunis Thomistarū,& patet cōmuni argumēto;nā actio vitalis dicit intrinsecā & necessariā dependentiā à principio vitali. Secūdò probatur,nā vt ait D.Th.2.2.q.23. ar.2.actus Charitatis nō potest produci à solo Deo,nā de ratione actus voluntatis est,q sit volūtarius(hoc est)à volūtate:sed eadem est ratio actionis intellectę:ergo. Tertiò probatur. Sicut de ratione motus est respectus ad terminum à quo & ad quē, ita de ratione actus intellectus, est habitudo ad intellectū & obiectū:ergo sicut impossibile est intelligere motū,qui nō sit à termino à quo & ad quē,itaerit impossibile intelligere actū intellectionis, qui nō sit ab intellectu in obiectū.

Secūda cōc. Etiā est impossibile q intellectio à solo Deo producatur in esse qualitatis nō medio intellectus. Pro cuius intelligētia notādū,quòd ratio intellectionis & qualitatis,non sunt quasi rationes disparatæ ad inuicē nō habētes dependētiā & subordinationē,vt possit corrūpi vna,manēte alia;sed habēt se sicut ratio generica&specifica:genę enim qualitatis cōtrahitur ad speciē intellectionis;nā vt infra patebit, intellectio de genere qualitatis est. Hoc ergo supposito,sic probatur cōclusio. Impossibile est destrui rationē specificā,nō destructa generica, quia sunt idē realiter:sicut est impossibile corrūpi hominē & nō corrūpi animal,sic enim se habet speciesrespectu generisquātū adhoc, sicut prima substātia respectu speciei. Vnde sicut corrupto Petro,v.g.nō potest manere homo qui erat Petrus,ita corrupto homine nō potest manere animal quod erat homo:ergo si ratio qualitatis & intellectionis habēt se sicut genus & species, impossibile est tollere rationē intellectionis,manēte ratione qualitatis. Si respōdeatur,quod quādo dicitur posse produci in esse qualitatis, & nō intellectionis,nō sic intelligitur, q ponatur entitas qualitatis,& nō entitas intellectionis; quia vt probat argumētū,hoc est impossibile,cū entitas vtriusq;sit eadē:sed debet intelligi ad hūc sensum,q licèt ponatur in re illa entitas,quę simul erat qualitas& intellectio; posita tamē in alieno subiecto, tribuit effectū qualitatis, nō verò intellectionis. Si respōdeatur,hoc debere intelligi,si subiectū sit capax talis effectus:si ergo nō tribuitur, nō est defectu formæ, sed capacitatis subiecti: Cōtra arguit.quia in hoc est impossibilitas, vt possit recipere formā & non effectum formalē eius,sicut impossibile est esse subiectū capax recipiendi albedinem, & non vt sit album:ergo impossibile est vt sit capax recipiendi formam veram intellectionis,

2. Concl.

Nota.

Solutio.

Impug.

nis,

nis, & non vt sit intelligens per illã. Hanc
Ferrara. sententiam tenet Ferrara 3. contra Gent.
Medina. cap. 54. & Medina hic, quos sequuntur alij
Quæstio. moderni. Sed potest aliquis dubitare, iam
quod Deus non potest se solo in alieno
Responsio. subiecto ponere intellectionem, propter
dependentiam prædictam, numquid pote
rit ponere terminum huius actionis, nem
pe verbum & speciem expressam. Qui te
nent intellectionem, & verbum esse idem
realiter, quia in intellectione clauditur ver
bum, & in verbo intellectio: nec sufficit
ad intelligere intellectio, si non sit termina
ta verbo, nec verbum, si non sit productũ
intellectione & terminans ipsam; conse-
Vazquez. quenter loquuntur (vt Vazquez hic) asse-
rentes Deum non posse etiam producere
se solo verbum & speciẽ expressam: quia
tamen verior est sententia, intellectionem
& verbum realiter distingui: ideò verius
dicitur, verbum à solo Deo posse produ-
ci, quòd tamen non faciet subiectum in-
telligens, quia ad hoc requiritur terminare
intellectionem obiecti repræsentati in ip-
so, quod non facit, si ab habente ipsum ver
bum, non producitur per intellectionem.
Obiectio. Et si dicas, quod posset Deus posita intelle
ctione elicita ab aliquo, suspendere pro-
ductionem verbi per illam & producere
ipsum Deus se solo & quod tunc illa inte-
llectio producta à tali subiecto, terminare
Solutio. tur ad verbũ productũ à solo Deo: Respõ
detur, quòd tũc illa intellectio & illud ver
bũ, sic essent simul in eodẽ subiecto, ac si
vnũ eorũ esset in vno subiecto, & alterum
Impug. in altero. Nec valet quod ait Vazq. quod
Vazquez. illud verbũ est præsens illi intellectui, qua
Solutio. re ergo non poterit intelligere per illud?
Respondetur enim, quod licet sit præsens
materialiter & entitatiuè, nõ tamẽ formali
ter & intelligibiliter, nisi sit vitaliter per in
tellectũ eiusdẽ productũ, & per hoc patet
Obiectio. ad aliã rationẽ quã facit ipse Vazq. inquit
enim: Illud verbũ quod Deus se solo pro-
ducit, vel est idẽ quod esset productũ à no
stra intellectione, vel nõ: si nõ est idẽ, iã nõ
ponitur casus quod Deus se solo produ-
cat verbũ producendũ nostra intellectio-
ne. Si est idẽ, quare intellectus nõ intelliget
per ipsum, sicut per verbũ à se productũ?
Solutio. Respõdetur enim nõ esse idẽ quãtũ ad en-
entitatem omnẽ quã haberet si producere
tur propria intellectione, nõ tamen est idẽ
quantũ ad illã formalitatẽ vitalitatis, quã ha
beret in esse producti per propriã intelle-
ctionẽ, vnde per illud intellectus intelli-
gere nõ posset. Itaq; intellectio cũ sit actio
vitalis, respicit principiũ intellectus & ter-
minũ obiecti, sine quibus intelligi nõ po-
test esse: verbũ autẽ nõ dicit huiusmodi or
dinẽ essentialẽ, sicut licet Deus se solo non
possit facere actũ vitalẽ nutritionis, potest
tamẽ se solo facere terminũ nutritionis: ita
licet se solo nõ possit facere intellectionẽ
etiã in esse qualitatis, in qua intimè claudi-
tur vitalitas potentiæ: tamẽ terminum in-
tellectionis & verbum, se solo in esse qua-
litatis producere potest.

Ad primũ argumẽtũ primæ sentẽtiæ be *Ad 1. arg.*
ne ibi respõsum est. Ad replicã dicitur q̃ *1. sent.*
licet intellectus nõ sit causa formalis intrin
seca cõpositionis intellectionis, est tamen
formalis extrinseca tãquã terminus à quo
specificatur & sine quo intelligi nõ potest.
Nec est eadẽ ratio de specie & verbo, spe-
cies enim essentialiter tãtũ dicit vnionẽ po
tẽtiæ cũ obiecto, & verbũ tãtũ dicit termi-
nare intellectionẽ: quòd autẽ producatur
ab eodẽ intelligẽte, vel species sit abstracta
per intellectũ agentẽ, est quid accidẽtale,
sine quo ita esse possunt: intellectio autẽ cũ
essentialiter sit tẽdẽtia potẽtiæ ad obiectũ,
sine habitudine ad potentiã nõ potest. Ad *Confirm.*
cõfirmationẽ cõceditur Deũ nõ posse cale
facere sine calore, quia similiter calefactio
dicit habitudinẽ formalẽ ad calorẽ, neq; op
positũ aliquis Philosophus docuit, sed q̃
dicitur, est, calorẽ productũ ab ignẽ, posse
sine igne immediatè causari à Deo, quia ca
lor nõ dicit necessariã habitudinẽ ab igne,
tãtũ naturalẽ supplebilẽ à Deo, D. autẽ Th.
qui in illa q. 10. de veritate videbatur faue-
re, huic sentẽtiæ, explicãdus est, tãtũ intẽde
re in actionibus miraculosis & in visione
beatifica principiũ operãdi nõ esse ab ipso
operãte, sed à superiori receptũ, & sic est ve
rũ, quod lumẽ gloriæ ab extrinseco reci-
pitur, nõ autẽ intendit, operationẽ subse-
quutam, non esse ipsius operantis.

Ad 1. 2. sent. resp. ex notabili posito in *Ad 1. arg.*
2. cõclu. rationẽ qualitatis & intellectionis *2. sent.*
nõ sic se habere, vt possit manere vna non *Ad 2. arg.*
manente alia, neq; vna produci quin pro-
ducatur alia, & similiter patet ad secundũ.

Ad 3. respõ. ex dictis, illud esse impossi- *3. Arg.*
bile, q̃ etiã in esse qualitatis ponatur intelle
ctio in alio, quã in producẽte ipsam, dato
tamẽ q̃ poneretur in intellectu nõ produ
cẽte illã perinde esset, ac si poneretur in la
pide; neque per illam posset intelligere.

Ad quartum & vltimum respondetur, *4. Arg.*
quòd potentia dicit aliquid permanens

neque dicit rationem tendentiæ sicut intellectio. Vnde non currit ratio sic efficaciter de potentia, sicut de intellectione, vt etiam si possit poni potentia in esse qualitatis in subiecto extraneo, possit etiã poni intellectio: cùm enim dicat tendentiam (vt dictum est) essentialiter dicit ordinem, & dependẽtiam a potentia tendente per ipsam.

DVBIVM QVINTVM,

Vtrùm visio beatifica, & in vniuersum actiones vitales & immanentes, sint adeò propriæ & in rigore actiones, vt reponãtur in prædicamento actionis.

1. *Arg.* PRobatur quod sic. Primò ex Aristotele 5. Methaphysi. vbi Commentatores illius, genus generalissimum illius prędicamenti diuidunt in actionem transeuntem & immanentem.

2. *Arg.* Secundò. In prædicamento qualitatis non solum ponuntur qualitates corporales, sed etiam spirituales, quia vtrisque cõuenit facere quale: ergo similiter in prædicamento actionis reponentur non solùm actiones transeuntes, vel corporeæ, sed etiam spirituales, & immanentes: quia non solùm actio transiens, sed etiam immanens, dicit aliquid cadens & fluens ab alio, in quo ratio actionis prædicamentalis consistit.

3. *Arg.* Tertiò. Si actio immanens est in prædicamento qualitatis, habebit rationem termini, & assignanda erit actio per quam talis terminus, & qualitas producatur. Et cum talis actio sit immanens, idem argumentum faciam de illa vsque in infinitum. Vt ergo talis processus euitetur, dicendum erit actionem immanentẽ esse actionem prædicamentalem & non qualitatẽ.

4. *Arg.* Quartò arguitur. Intellectio vere habet rationem viæ, verbum autem rationẽ termini terminantis intellectionem: ergo verbum habet rationem qualitatis, intellectio autem rationem actionis prædicamentalis. *Confirm.* Confirmatur. Intellectio est vt in fieri, verbum autem, vt in facto esse: ergò verbum habet rationem qualitatis intellectio autem rationem actionis.

5. *Arg.* Quintò. Actus immanens quo gignitur habitus transit permanente habitu: ergò habitus habet rationem qualitatis, actus autem generans ipsum, habet rationem actionis. Patet consequentia; nam hæc est natura actionis, vt cesset aduenìente termino illius.

6. *Arg.* Sextò arguitur. In actionibus immanentibus est verè passio: ergò & verè actio. Consequentia patet; nam actio, & passio dicuntur ad conuertentiam. Antecedens autem probatur, nam ibi est vera mutatio. Aliter enim se habet intellectus, verbi gratia, intelligens nunc, quàm antea. Tum etiam, quia intelligere secundùm Aristotelem, est quoddam pati. Item quia in intellectione interuenit receptio speciei, quæ veram passionem importat: vnde & intellectus possibilis, passibilis dicitur. Secundò probatur in appetitu sensitiuo vbi per anthonomasiã, actus illius, passiones nuncupãtur: verè ergo patitur per illos actus. Tertiò etiãpatet in sensibus exterioribus qui verè patiuntur ab obiecto, recipiendo speciem ab illo.

7. *Arg.* Vltimò arguitur. Ambulatio est actio immanens in ipso animali se mouẽte, & tamẽ propriè & in rigore est actio prædicamentalis: ergo. Probatur minor. Ambulatio verè est motus: ergo in ambulatione verè est actio & passio. Patet ista consequentia, nam actio & passio prædicamentalis diuidunt motum.

1. *Sent. Vazquez.* In hac re est prima sẽtentia quã tenet Vazq. hìc actiones immanentes, solũ esse actiones grammaticaliter, (hoc est, secũdũ nomen, & explicationẽ:) in re tamẽ & physicè loquendo, nõ esse actiones, neque pertinere ad prædicamentum actionis, sed ad prædicamentum qualitatis.

2. *Sent.* Secũda sentẽtia est aliorũ in alio extremo: huiusmodi actiones esse vere & proprie actiones, & ad prædicamentum actionis pertinere.

3. *Sent.* Tertia sententia est media. Huiusmodi actiones immanentes esse verè & realiter actiones, nõ tamẽ pertinere ad prædicamẽtũ actionis, quia immanens nõ propriè est secundũ genus actionis. Hanc tenet Scot. in 4.d.49.q.2. *Scotus.* Caie. 1.p.q.34.ar.1. & q.79. ar.3. *Caiet.* Sonc.9.Met.q.20. & 21. *Soncinas.* Iauell.q.7. *Iauell.*

Concl. Prima cõclusio. Actio immans verè & in re & physicè est actio, & nõ solũ grammaticaliter, & secũdũ nomẽ. Hæc patet cõtra Vaz. nã vt suprà dictũ est, ex eo etiãper potentiã Diuinã, nõ potest visio beatifica, vel quælibèt intellectio immediatè produci à Deo intellectu merè passiuè se habẽte; quia intellectio est actio vitalis intrinsecè & necessariò importans dimanationem

nem ab ipso intelligente: ergo non habet præcisè rationem qualitatis, sed veram rationem actionis. Nam si in re non dicit rationem fluentis ab ipso operante, nullum est inconueniens, vt à solo Deo producatur, quia qualitas in ratione qualitatis, solum dicit dependentiam passiuam à subiecto.

2. Concl. Secunda conclusio. Actio immanens non est in prædicamento actionis, sed in prædicamento qualitatis. Hæc probatur. Actio prædicamētalis dicit rationem viæ & tendentiæ, quia dicit rationem motus, & consequenter rationem imperfecti tendētis ad perfectum: sed actio immanens non dicit rationem viæ & imperfecti, sed potius rationem vltimi & perfecti: ergo non habet rationem prædicamenti actionis, sed qualitatis. Itaque actio prædicamentalis constituit subiectum, vt in potentia tēdens ad actum secundum perfectum & cōpletum. Cùm ergo actio immanens sit actus secundus & perfectus, non habet rationem actionis prædicamentalis, sed qualitatis, cuius est proprium vltimo & perfecte actuare subiectum: quapropter actio prædicamentalis non dicit fluens ab alio vtcumque, sed fluens per modum viæ & imperfecti ad perfectum. Defectu ergo huius secundi, immanens non est actio prædicamentalis. Secundò probatur conclusio. Sex vltima prædicamenta sunt imperfecta, quia non dicunt rem, sed modū rei, neque important inhærentiam distinctam ab accidentibus præcedentium prædicamentorum: ergo actio immanens nō est in prædicamento actionis. Patet ista cōsequentia. Nam si ponerentur in illo, esset excellentius prædicamentum, quàm prędicamentum qualitatis, quia intellectio, verbi gratia, excellentior est alijs qualitatibus.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum respōdetur, numquam Aristotelem fecisse talem diuisionem, sed illam esse aliquorum interpretum tenentium oppositam sententiam. Si autem in Arist. talis diuisio reperiatur: nō erit diuisio actionis prædicamentalis, sed actionis absolutè, quia & immanens verè est actio (vt dictum est) licet non prædicamentalis.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum respondetur, etiam in prædicamento actionis esse aliquas actiones spirituales transeuntes habentes rationem viæ & tendentiæ: actiones autem immanentes & perfectæ, ratione iam dicta, non sunt in tali prædicamento.

Ad 3. arg. Ad tertium respondetur, actiones immanentes de prædicamento qualitatis, in aliquo cōuenire cum prędicamentalibus, & vnum illorum est, quòd sicut ad actionē nō requiritur actio, sed per se ipsam est ipsa actio, & quod per actionem producitur: ita ad actionem immanentem (cum vere sit actio) non requiritur alia actio, sed per se ipsam est talis actio, & quod per ipsam producitur.

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur, quòd intellectio non est via ad verbum, neque verbum est finis intellectionis: immo è contra. Ad hoc enim formatur verbum, vt intelligamus, non autē intelligimus vt verbū producamus. Cū ergo verbum licèt sit terminus terminans intellectionem, nō tamē sit finis intellectionis: intellectio non habet rationem viæ, & imperfecti, & consequenter nec est actio prędicamentalis. *Confir.* Ad confirmationem respondetur, quòd licèt intelligere, sit vt in fieri: non tamen vt fieri dicit quod adhuc est in potentia tendens ad actum perfectum: sed est fieri quod habet rationem actus secundi, & finis ad quē cætera ordinantur: in hoc enim est vltima perfectio intellectus, quòd actu intelligat, quod vt in fieri significatur.

Ad 5. arg. Ad quintum argumentum respondetur similiter, quòd actus generans habitū, non est via ad habitum, neque ad illum cō paratur, vt imperfectum tendens ad perfectum: non enim actus est propter habitū, sed è contra, habitus est propter actum, ad hoc enim habitus generantur, vt per illos operemur: vnde habitus habet rationem imperfecti, & potentialis, actus verò rationem perfecti, & sic talis actio generans habitum non est prædicamentalis.

Ad 6. arg. Ad sextum argumentum negatur antecedens, & dicimus, quòd licèt ibi sit vera transmutatio methaphysica: non tamen passio physica, quia hæc importat motum & tendentiam ad aliud perfectius. Illud autem aliter se habere per intellectionem, non est per modum motus & tendentiæ ad perfectius (vt dictum est) sed in ipso transmutari, & aliter se habere, eius vltima perfectio consistit vt dictum est: si autem intelligere dicitur pati, est solum per inhærentiam & manētiam intellectionis ipsius in intellectu recipiente ipsam tanquam vltimum eius actum: vnde nō est passio prædicamentalis importans motū. Vel dicitur

vocari pati antecedenter per receptionem specierum, in qua primæ impugnationi concedimus, esse veram passionē & actionem prædicamentalem, nam actio immissiua specierum, est transiens vel ab obiecto, vel ab intellectu agēte ad possibilem; vnde nihil contra nos qui de immanentibus agimus. Ad secundam impugnationē dicitur, actum appetitus sensitiui vocari passionem ratione antecedentis transmutationis corporalis, quæ verè est alteratio & passio, & actio prædicamentalis. Formaliter autem ipse actus appetitus, actio immanens est, de prædicamento qualitatis, sicut dictum est de actione intellectus. Ad tertiam dicitur sicut de receptione speciei in intellectu esse actionem transeūtem, actum autem ipsius potentiæ esse immanentem, & de prædicamento qualitatis.

Ad 7. arg. Ad vltimum argumentum respondetur, quod licèt ambulatio sit actio vitalis, non tamen est actio immanens, sed transiens, quia non recipitur in ipsa potentia motiua eliciente, sed in membris motis ab illa. Vnde in alterum subiectum licèt inadæquatum transit, atque adeò ambulatio est actio verè prædicamētalis, habet enim rationem viæ, & ad hoc tenditur ambulatione, vt acquiratur locus.

DVBIVM VLTIMVM,

Vtrùm omnia quæ dixit Diuus Thomas in articulo, verum habeant.

1. Arg. PROBATVR quòd non. Primò nam propositio tertij argumenti est inepta, est enim huiusmodi. Beatitudo significat aliquid in bono existēs: sed operatio non est aliquid existens in operante, sed in ipso passo: ergo beatitudo non est operatio. Hæc enim argumentatio est in quatuor terminis, neque enim subsumitur sub maiori, & illa propositio maior, nō est propositio: ergo.

2. Arg. Secundo arguitur contra illud quod dicit ad tertium, quòd actio transiens non est actio & perfectio agentis; hoc enim falsum est. Actio enim licèt transiens, & in passo recepta, non est actio passi, sed est actio agentis, & passi passio: ergo.

3. Arg. Tertiò arguitur contra propositionem quam assumit in corpore articuli, ad probandam cōclusionem, nempe, quòd vnūquodque in tantum est perfectum, in quātum est in actu. Sic enim arguitur. Nā vel loquitur de actu primo, qualis est forma, vel de actu secundo, qualis est operatio. Si primo modo, non concludit, quòd vt homo sit perfectus beatitudine, debet operari. Si autem secundo modo loquitur, assumit propositionem falsam, nam multa perfecta sunt sine actu secundo operationis, solùm per actum primum, nempe per formā, vt patet in materia prima per formam substantialem.

4. Arg. Quartò arguitur contra illud quòd in solutione ad secundum adducit ex Boetio lib. 3. de consolatione, videlicet quòd beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Nam beatitudo pertinet ad intellectum, vt dicitur infra art. 4. bonum autem pertinet ad voluntatem: ergo malè dicitur quòd beatitudo est status bonorum.

5. Arg. Quintò arguitur, contra illam propositionem in fine articuli, quam desumpsit D. Thom. ex Arist. 2. de cœlo, text. 17. & 9. Methaph. tex. 15. & 16. & 1. Ethic. cap. 7. videlicet, quod vnumquodque est propter suam operationem. Et argumentum est huiusmodi. Finis excellentior est eo quod est ad finem, quia causa est excellentior suo effectu: vt dicit D. Tho. infra q. 4. & 1. p. q. 2. art. 4. ad 1. & q. 112. art. 13. ad 4. & in 2. dist. 15. art. 1. q. 1. ad 6. Si quidem effectum præhabetur in causa, vt actus secūdus in actu primo, vt dicit idem D. Thom. 1. p. q. 73. art. 1. sed accidens non est perfectior substantia: ergo accidens, qualis est operatio, non est causa finalis substantiæ operantis: & sic operans non erit propter suam operationem. Minor patet, quia accidens est ens secundùm quid; vnde solùm potest esse perfectior, quàm substantia secundùm quid, vt actus eius, & hoc etiamsi accidens comparetur ad materiam primā, vt docet Caietanus in principio, de ente & essentia, & D. Thom. infra q. 4 art. 2. & est communis doctrina Arist. quòd decor perficit iuuentutem, & est illa perfectior, tantùm secundùm quid: absolutè autem, substantia perfectior accidenti. Confirmatur, in agentibus actione transeunte, vt in secante, vel vrente, &c. in quibus cum operatio non maneat, sed in passo recipiatur, & consequenter tali operatione non perfician-

Caiet. D. Tho. Arist.

ficiantur, non possunt esse propter talem operationem, neque illam vt finem proponere. In contrarium tamen sufficiat authoritas D. Tho. Vnde

Ad 1. arg. Ad primum argumentum respõdetur, literam esse mendosam; vnde legendum est: Beatitudo significat aliquid in beato existens, vt constat ex manuscriptis D. Tho. vt notat Cõrradus hic, & sic optimè procedit argumentum.

Ad 2. arg. Ad secundum respondetur, etiam corrigendam esse literam, & legendum, quòd actio transiens, non est actus & perfectio agentis. Non enim idem sunt actus & actio; actio enim dicit emanationem, actus verò informationem: non ergo habet verum, quod actio transiens, non sit agentis, quia emanat ab illo: habet autem verum quòd non est actus illius, quia non subiectatur in illo. Dicit autem, quòd nec est perfectio agentis: non quia in agente actio non importet perfectionem, sed quia non principaliter importat perfectionem agentis, sed potiùs ipsius

Not. passi. Pro cuius intelligentia notandum ex D. Tho. 1.p.q.44.art.4. quòd inter omnia agentia solus Deus est liberalis, ac si dicat, omne agens, præter Deum, reportat commodum, & perfectionem aliquam in agendo; Deus autem solus est agens propter indigentiam effectus, nullam perfectionem reportando. Si autem quæras quam perfectionem reportet agens actione transeunte; dico triplicem reportare: primam, influxum à prima causa, vt operetur: secundam, assimilationem ad primam causam in operando: tertiam, propriam cõseruationem specificam in effectu producto. Si autem actio in agente subiectetur, vt vult Caiet. & hanc insuper perfectionem acquiret. Dicit autem D. Thom.

D. Tho. non esse perfectionem agẽtis, vtique principaliter, quia sic est perfectio passi.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum respõdetur, illam propositionem intelligendam esse de actu proportionato subiecto, siue sit primus, siue secũdus. Cum autẽ actus proportionatus creaturæ rationali, sit operatio & actus secundus, concludit D. Tho. beatitudinem (quæ perficere completè habet) consistere in operatione.

Ad 4. arg. Ad quartum argumentum respondetur, illam propositionem intelligendam esse non in sensu formali, sed causali, vt docet Caiet. infra art.4. & hoc insinuat D.

D. Tho. Tho. art.3. ad 1. & 2. & 3. cùm dicit, quod beatus habet congregationem omnium bonorum per coniunctionem ad fontem totius boni: cùm ergo per visionem coniungatur fonti bonitatis, ex visione, velut ex causa, prouenit status omnium bonorum. Nam, vt inquit D. Thom. 2.2.q.183. *D. Tho.* art.1. status est dispositio alicuius secundũ modum suæ naturæ cum quadam immobilitate: dispositio ergo propriæ naturę, & secundũ modũ eius immobiliter habita in beato, prouenit ex visione, qua summo bono coniungitur, & quæ æternitate participata mensuratur, vt docet D. Tho. 1.p. q.81.art.5. Quæ autem sit aggregatio bonorum, per quæ disponitur secũdùm modum suæ naturę beatus, videatur Ferrara 3. contra Gent. c.63.

Ad quintum argumentum vt respondeamus, notandum est, quòd possumus loqui vel de principio proximo operationis, quale est potentia operatiua; vel de ipso operante, quod est substantia operans. Si primo modo, absolutè est verum, vnũquodque esse propter suam operationem vt propter finem: finis enim potentiæ operatiuę est operatio, & perfectior est operatio, quàm potentia operatiua. Si autem loquamur secundo modo, Magister Medina 3.p.q.1.art.3.ad 3. Scoti, non reputat inconueniens, concedere, operationẽ esse finem substantiæ operantis, non quidem finem vltimum & præcipuum, sed finem intermedium & minùs principalem: ad sic enim esse finem, sufficit, inquit ipse, esse perfectiorem secundùm quid; quam perfectionem, accidens supra substantiam potest habere. Hæc tamen sententia non est vera, quia, vt suprà diximus, de ratione finis etiã intermedij est, esse absolutè perfectiorem, eo quòd est ad finem. Vera ergo solutio est Caietani infrà art.4. & Ferrarę 3. contra Gent. cap.25. circa secundã rationem D. Tho. operationem posse considerari dupliciter: vel præcisè consideratam ab operante, vel concretè cum illo. Operatio ergo præcisè, non est finis: bene tamen operatio inconcreto, quod est ipsum operans. Vnde idem est, vnumquodque esse propter suam operationẽ, ac esse propter se ipsum operantem. Ipse autem operans in actu secundo bene potest esse finis suimet considerati in actu primo; quia perfectius est ipsum in actu secundo operans, quàm ipsummet in actu primo potens operari. Quam veritatem aliqui adnotarũt ex illo Genes. 2. Cessauit

Ad 5. arg. *Not.* *Medina.* *Caiet.* *Ferra.* *Genes. 2.*

Deus

Deus ab omni opere quod creauit vt faceret, vel, vt alij legũt quod creauit ad faciendum; hoc est, quod creauit vt operaretur, vt explicat Caietanus, & Aloysius, & alij ibidem. Vnde qui non operantur secundùm proportionem suæ formæ, dicuntur accipere in vanum talem formam; vt patet Psalm. 23. Qui non accepit in vano animam suam: & 2. Corint. 6. Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Vnde quando D. Thom. ad Galatas 6. circa illa verba: Fructus autem spiritus, gaudium, pax, &c. docet, duplicem esse perfectionẽ rei, alterã primã, quæ est ipsum esse; alterã verò secundam, quæ est operatio; & hanc secundam esse perfectiorem prima: intelligendus est iuxta modũ explicatum, quòd secunda perfectio, quæ est operatio, secũdùm quòd etiam includit primam, est absolute perfectior, quàm prima secundũ se. Si tamen consideretur quæcunque secundùm quòd distinguitur ab alia, perfectior est prima. Per quod etiam patet ad aliud quod potest obijci: nam operans in actu secũdo, formaliter importat aliquod accidentale: ergo etiam operans in actu secundo nõ est finis, neque quid perfectius, quàm ipsummet absolutè & in actu primo; qua ratione est aliquid substantiale. Vnde etiam iuxta explicationem datam non poterit verificari, esse propter suam operationem. Respondetur enim, quòd si operatio in actu secũdo, prout distinguitur ab operante, consideretur, concludit argumentum: si autem consideretur in concreto, & prout includit etiam ipsam substantiã operantem, sic est finis, & quid perfectius quàm sola substantia, quia perfectio substantiæ secundùm Diuum Thomam desumitur ex ornatu accidentium. Licèt prædicta verum habeant de omnibus agentibus, propositio tamen assumpta à Diuo Thoma, specialiùs verificatur de operatione, quæ est consequutio vltimi finis supernaturalis in creatura rationali; sic enim absolutè habet verum esse propter operationem & consequutionem vlti finis: quia talis operatio absolutè est finis creaturæ rationalis; non finis qui, sed finis quo; vnde si homo est propter finem, consequenter & propter consequutionẽ talis finis; quia consequutio non ponit in numero cum ipso fine, cùm non sit finis vt cuuque, sed vt assequutus. Est etiam talis operatio quid perfectius operante, vt possit esse finis illius, non solùm secundũ quid, sed absolutè. Pro cuius intelligentia notandum, huiusmodi actionem triplicitèr posse considerari. Primò, in ratione entis: secundò in ratione actus & formæ informantis: tertiò, vt participatio diuini esse, & vt includit Deum, vt obiectum ad quod terminatur. Primo modo perfectior est homo, quàm visio beatifica: sicut substantia, quàm accidens. Secundo modo visio beatifica est perfectior secũdùm quid sicut omnis forma accidentalis respectu subiecti. Tertio autem modo visio beatifica absolutè & simpliciter est perfectior quàm homo; sicut dici solet infrà q. 110. art. 2. gratiam secundùm istam rationem esse perfectiorem substantia.

Psal. 23. *2. Cor.* 6.

Obiectio.

Solutio.

Not.

ARTIVCLVS III.

Vtrum beatitudo sit operatio sensitiuæ partis, an verò intellectiuæ tantùm.

AD tertium sic proceditur. *Videtur quòd beatitudo cõsistat etiam in operatione sẽsus. Nulla enim operatio inuenitur in homine nobilior operatione sensitiua, nisi intellectiua: sed operatio intellectiua dependet in nobis ab operatione sensitiua, quia non possumus intelligere sine phantasmate, vt dicitur in 3. de anima: ergo beatitudo consistit etiam in operatione sensitiua.*

Secundò Prætercà. Boetius dicit in 3. de consol. quòd beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus: sed quædam bona sunt sensitiua, quæ attingimus per sensus operationem: ergo videtur quòd operatio sensus requiratur ad beatitudinem.

3. *contra. c.* 33. & 37 *princi. Et opus.* 3. *c.* 264. & 1. *Ethic. lect.* 10.

Te. 30. *to.* 3

Prosa 2. *circa princ.*

Tertiò

Cap. 7. lo. 5 *Tertiò Præterea. Beatitudo est bonum perfectum, vt probatur in. 1. Ethic. quod non esset, nisi homo perficeretur per ipsam secundùm omnes partes suas: sed per operationes sensitiuas quædã partes animæ perficiuntur: ergo operatio sensitiua requiritur ad beatitudinem.*

Sed contrà. In operatione sensitiua communicant nobis bruta animalia, non autem in beatudine: ergo in operatione sensitiua non consistit beatitudo.

Respondeo dicẽdum, quòd ad beatitudinẽ potest aliquid pertinere tripliciter. Vno modo essentialer: alio modo antecedenter: tertio modo consequenter. Essentialiter quidem non potest pertinere operatio sensus ad beatitudinem, nam beatitudo hominis consistit essentialiter in coniũctione ipsius ad bonum increatũ, quod est vltimus finis, vt suprà ostẽsum est, cui homo coniungi non potest per sensus operationẽ. Similiter etiam, quia (sicut ostensum est) in corporalibus bonis beatitudo hominis non cõsistit; quæ tamen sola per sensus operationem attingimus: possũt autem operationes sensus pertinere ad beatitudinem antecedenter & cõsequẽter; antecedenter quidem secundùm beatitudinem imperfectam, qualis in præsenti vita haberi potest; nam operatio intellectus præexigit operationem sensus; consequenter tamẽ in illa perfecta beatitudine quæ expectatur in cælo, quia post resurrectionem ex ipsa beatitudine animæ (vt Aug. dicit in Epistola ad Dioscorum) fiet quædam refluentia in corpus & in sensus corporeos, vt in suis operationibus perficiantur, vt infra magis patebit, cùm de resurrectione agetur: nõ autem tunc operatio, qua mens humana Deo cõiungitur, à sensu dependebit.

Art. 1. huius q. q. 2. art. 5.

Aliquantulũ ante medium epist. est epist. 56 tom. 2. In 3. p. sed non completè.

Ad primum ergo dicendum, quòd obiectio illa probat, quòd operatio sensus requiritur antecedenter ad beatitudinem imperfectam, qualis in hac vita haberi potest.

Ad secundum dicendum, quòd beatitudo perfecta, qualem Angeli habent, habet congregationem omnium bonorũ per coniunctionẽ ad vniuersalem fontem totius boni; non quòd indigeat singulis particularibus bonis, sed in hac beatitudine imperfecta requiritur congregatio bonorum sufficientium ad perfectissimam operationem huius vitæ.

Ad tertium dicendum, quòd perfecta beatitudine perficitur totus homo, sed in inferiori parte per redundãtiã à superiori: in beatitudine autem imperfecta huius vitæ è conuerso, à perfectione inferioris partis, proceditur ad perfectionem superioris.

Prima cõclusio. Non potest beatitudo consistere essentialiter in operatione partis sensitiuæ.

Secunda conclusio. Antecedenter & consequenter bene potest consistere beatitudo in operatione sensitiua.

DVBIVM I.

De veritate primæ conclusionis.

ARGVITVR primò contra illam. Homo essentialiter constat ex corpore & anima: ergo vt essentialiter beatificetur, non solùm debet beatificari in anima, 1. Arg.

ma, sed etiam in corpore: sed corpus non beatificatur nisi per operationem sensus, sicut anima per operationem intellectus: ergo operatio sensus pertinet essentialiter ad beatitudinem.

2. Arg. Secundo arguitur. Beatitudo est operatio totius hominis; ergo debet esse operatio corporalis. Patet consequentia, nam totus homo est quid corporale, & in diuisione substantiæ in corporalem & spiritualem, ad corporalem pertinet, & non ad spiritualem.

Concl. D. Thom. Conclusio tamen D. Tho. habenda est tanquàm de Fide, si non primariò, tamen secundariò. Probatur. Anima baptizati exuta corpore, si peccato nō impediatur, est beata per visionem Dei; vt patet ex illo *Corint. 5.* Corint. 5. Audemus & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes fieri ad Deum: & definitur *Conc. Flo.* in Concilio Florent. decreto super vnionem Armenorum, institutione sacri Baptismi. Item Concilio Trident. & in extra- *Cōc. Trid.* uaganti Benedicti XI. Sed talis anima beata, cum sit separata à corpore, non habet operationes sensitiuas requirentes organa corporea: ergo sine operatione sensus cōstat essentia beatitudinis. Confirmatur, nam *Confir.* Angeli sunt beati, cùm tamen non habeāt corpora: ergo beatitudo non consistit essentialiter in operatione corporis. Secundò probatur. Obiectū beatitudinis est bonum vniuersale & spirituale, vt suprà dictum est: ergo operatio circa ipsum nō est operatio sensus, sed rationis. Patet consequētia, nā cum quælibet potentia non possit operari extra latitudinem sui obiecti, & obiectum sensus sit corporale, non poterit sensus operari circa spirituale.

Ad 1. arg. A primum argumentum respondetur, aliam esse rationem compositi physici, & aliam esse rationem beatitudinis. Compositum (vt nomen sonat) importat duo ex quibus componatur, nempe materiam & formam: beatitudo autem importat rationem spiritualem, nempe attingentiam boni infiniti & spiritualis, & consequenter importat actionem spiritualem & simplicem; quę cùm non possit esse à corpore, necessariò debet esse operatio partis rationalis.

Ad 2. arg. Ad secundum respondetur, concedendo, hominem simpliciter esse corporalem; tùm, quia ex parte imperfectiori sumitur denominatio; tum etiam, quia & ipsa anima habet eminenter gradum corporeum, quem formaliter tribuit toti composito: nihilominus tamē beatitudo est actio spiritualis, quia licet sit totius hominis, quatenus actiones sunt suppositorū, tamen secundùm omnem partem hominis, sed solùm secundùm partem superiorem rationalem; quod sufficit vt totus homo maneat beatus: nō enim requiritur in omnibus partibus inhærere, sed in superiori inhærendo, totum hominem beatificat, licèt respectu partis inferioris ex trinsecè se habeat: eo vel maximè, quod ex tali operatione superioris partis, redundat aliquid intrinsecum in inferioribus. *Obiectio.* Et si dicas, quòd tunc pars inferior erit beata intrinsece tantùm secundùm quid, non autem simpliciter; nam ad hoc requireretur, beatitudinem simpliciter illi inhærere: *Solutio.* Respondetur, beatitudinem requiri esse intrinsecā respectu compositi, vt simpliciter beatificetur: nō autem hoc requiritur respectu cuiuscunque partis suppositi. Vel dicitur, debere intrinsece inhærere in habente capacitatem illius; pars autem inferior non est capax recipiendi nisi tantùm redundātiam beatitudinis; quapropter hanc sufficit habere, vt simpliciter beatificetur.

DVBIVM II.

Vtrùm in aliqua potentia sensitiua possit esse notitia, saltem abstracti ua Dei, etiam per diuinam potentiam.

IN hac re est prima sententia, quam tenet Victoria, affirmatiua, quæ probatur ex Diuo Thoma 1. part. q. 12. art. 3. ad 3. vbi dicit, quòd in visione imaginaria Dei formatur aliqua similitudo & idōlum ipsius Dei. Et 2. 2. q. 174. art. 3. dicit, perfectissimum genus prophetiæ esse, quando Prophetæ in visione imaginaria repræsentatur aliqua similitudo Dei loquentis & reuelantis. Item infrà q. 31. art. 3. & q. 30. art. 3. ad primum, dicit, quod appetitus sensitiuus suo modo fertur in bonum spirituale, iuxta illud: Cor meum & caro mea, &c. quod qualiter fiat, explicat. 3. p. q. 21. art. 2. ad primum, vbi dicit, quòd caro exultat in Deum, non motu proprio quo accedat ad Deum, sed per redundantiam exultationis voluntatis. Ecce qualiter in sen- *1. Sent. Victoriæ. D. Thom.*

in sensu ponit aliqualem motum circa Deum, qui vtique esse non potest sine aliquali apprehensione ipsius Dei in ipso sensu: nam sicut voluntas non potest moueri sine apprehensione intellectus, ita neque
Confirm. appetitus sine apprehensione sensus. Confirmatur, nam sæpe in sacra Scriptura dicitur de aliquibus Sanctis, in somnis vidisse
Genes. 32. Deum; vt constat Genesis 32. de Iacob, &
Esai. 6. Esaiæ cap. 6. Vidi Dominum sedentē, &c. Et nos multoties in somnis de Deo cogitamus, ita vt repræsentatione peccatorum etiam prorumpamus in dolorem. Certū est autem, quòd in somnis nulla est actio intellectus, sed solùm imaginatiuæ: nam si esset actio intellectus, etiam posset esse voluntatis, & sic in somnis posset esse meritum vel demeritum; quod est falsum.

2. Arg. Secundò arguitur, nam experientia cōstat, quòd nos per sensum imaginamur nostram beatitudinē velut quādam quietem & societatem iucundissimam, solùm per potentiam imaginatiuam.

3. Arg. Tertiò probatur. In sensu potest dari aliqualis cognitio Dei imperfecta: ergo poterit etiam & perfecta reperiri. Consequentia patet, nam vbi actus imperfectus reperitur, poterit & perfectus reperiri. Vel rursus patet, quia si in sensu potest esse aliqualis, etiā imperfecta, cognitio Dei, nō est extra latitudinē obiecti sensus; quia quod est extra latitudinem obiecti, nec etiam imperfectè potest attingi à potētia: si ergo intra latitudinem obiecti sensus cōtinetur, saltem ex eleuatione & confortatione, illud poterit attingere perfectè, sicut intellectus attingit lumine gloriæ, qđ per se solùm tantùm imperfectissimè attingere poterat. Antecedens verò probatur, nam in appetitu sensitiuo potest esse gaudium vel dolor circa Deum (vt dictū est) ex illo, Cor meum & caro mea, &c. Et ex illo, Concupiscit anima mea in atria Domini, vbi concupiscentia appetitum sensitiuum sonat. Et licèt nomine Cordis intelligatur voluntas, nomine tamen Carnis intelligitur appetitus sensitiuus, & vtrunque dicitur exultasse in Deum viuum, hoc est, in Deum dominantem in terra viuentium, qui est beatitudinis obiectum.

4. Arg. Quartò arguitur. Cogitatiua potest recipere lumen gloriæ: ergo medio illo poterit videre Deum. Antecedens probatur, nam lumen gloriæ non producitur vitaliter ab intellectu, sed à Deo, ipso intellectu passiue se habente, vt suprà dictum est: ergo sicut causatur in intellectu, poterit & in cogitatiua causari. Si respondeatur, lumen gloriæ posse coaptari intellectui, vt per ipsum videat, quia Deus continetur intra obiectum intellectus: vnde in intellectu præsupponitur actiuitas quæ tali lumine possit iuuari: imaginatiuæ autem aptari non potest, cum Deus sit omnino extra obiectum eius, neque in imaginatiua aliqua actiuitas circa Deum præsupponatur:
Solutio. Contrà arguitur, nam tota actiuitas videndi Deum, prouenit à lumine: ergo posito
Impug. in imaginatiua tribuet illi actiuitatem, sicut tribuit intellectui.

5. Arg. Quintò arguitur. Bruta animalia per sensum cognoscunt aliquid excedens rationem sensibilis: ergo melius sensus nostler poterit aliquid cognoscere de Deo vindicatore vel præmiatore, etiamsi secundum rationem prædictam sensibile excedat. Antecedens probatur, nam ouis per æstimatiuam cognoscit amicitiam matris, & inimicitiam lupi; quæ quidem non sunt res sensatæ.

6. Arg. Sextò arguitur. In appetitu sensitiuo secundùm Diuum Thomam collocantur virtutes infusæ, videlicet Fortitudo, & Tēperantia: ergo in sensu est aliqua cognitio Dei. Patet consequentia, nam huiusmodi virtutes, cùm regulis diuinis regulentur, & in sua obiecta altiori modo tendant, quàm virtutes acquisitę, Deum attingunt: & circa Deum versantur.

7. Arg. Septimò arguitur. Multa corporalia eleuantur à Deo, vt agant circa spiritualia, vt patet in Sacramentis, quæ conferunt gratiam, & in igne inferni comburente animas: ergo cogitatiua, licèt sit corporalis, poterit tamē à Deo eleuari, vt spiritualia possit attingere. Cōfirmatur, nā si cogitatiua non potest attingere Deum, maximè propter distantiam infinitam inter vtrunque: sed hæc ratio est nulla. Probatur minor, quia etiam est distantia infinita inter intellectum & Deum: & nihilominus eleuatur vt ipsum attingat: ergo.

2. Sentent. Medin. Secunda sententia huic opposita est, quam tenet Medina in hoc articulo, quæ probatur. Primò, Deus & quodcunque spirituale non clauditur sub obiecto potentiæ sensitiuæ: ergo nullo modo potest attingi à potentia sensitiua. Patet consequentia, quia potentia nullo modo potest attingere quod est extra latitudinē sui obiecti; aliàs enim oculus corporalis Angelum attingere posset; quod est falsum.

Secun-

Secundò probatur, nam si potentia sensitiua nostra posset aliqualiter attingere Deum & spiritualia, sequitur, etiam potentias brutorum id posse: consequens est falsum: ergo. Sequela probatur, nam potentiæ sensitiuæ brutorum & nostræ, sunt eiusdem speciei in ratione potentiæ & ex parte obiecti: ergo ad quod potest extendi vna ex parte obiecti, potest extendi alia.

Tertiò probatur, nam alias nō esset differentia inter cogitatiuam & intellectum pro isto statu: consequens est falsum: ergo. Sequela probatur, nā intellectus pro isto statu non potest videre Deum in se & intuitiuè, sed solùm abstractiuè & connotatiuè ad corporalia, cùm obiectum eius proportionatum pro isto statu sit quidditas rei materialis: si ergo imaginatiua potest abstractiuè Deum attingere, etiamsi id solùm faciat connotatiuè ad modum rei corporalis, non distinguetur ab intellectu pro isto statu.

3. *Sentent.* Tertia sententia est media, quæ consistit in sequentibus conclusionibus.

1. *Concluſ.* Prima conclusio. In sensibus exterioribus nulla potest esse notitia Dei vel rerum spiritualium, neque intuitiua, neque abstractiua, perfecta, neque imperfecta. Prima pars probatur. In sensu exteriori non potest esse species propria rei spiritualis, neque ipsum obiectum spirituale potest vniri cum illo in ratione speciei, sicut Deus cum intellectu creato ad videndum illum: ergo nullo modo sensus exteriores possunt habere notitiam intuitiuam Dei, vel rei spiritualis. Consequentia patet, nā notitia intuitiua requirit propriam speciē, vel ipsum obiectum vnitū in ratione speciei. Antecedens verò probatur, nam cùm sensus exteriores sint corporales, nō possunt recipere speciem spiritualem, neque cum re spirituali vniri, cùm inter vnita requiratur proportio, & hæc inter corporalia & spiritualia non inueniatur.

Secundò probatur, nam cùm huiusmodi potētiæ sint omnino corporales & determinatæ, obiectum adæquatum illarum debet esse corporeum, & consequenter spiritualia attingere non poterunt, quia extra latitudinem obiecti potentia exire non valet. Secunda pars conclusionis probatur, quia in sensibus exterioribus etiam respectu proprij obiecti non potest esse notitia abstractiua: ergo à fortiori respectu Dei & rerū spiritualiū carentium proportione proprij obiecti. Secūdò probatur, nā si in sensib⁹ interioribus potest admitti notitia abstractiua (vt infrà dicam) id prouenit ex cōiūctione ad rationē & partem superiorem, ex qua participant aliquā vniuersalitatem: sed sensus exteriores non habent huiusmodi coniunctionem ad partem superiorem: ergo nullam habent vniuersalitatem, vt notitiam abstractiuam habere possint, sed necessariò ex determinatione talium potentiarum, notitia debet esse intuitiua circa præsentiam ipsius obiecti.

2. *Concluſ.* Secunda conclusio. Etiam in sensibus interioribus non potest esse notitia abstractiua perfecta. Probatur, quia huiusmodi notitia non potest esse nisi in potentia in qua præcessit, vel in qua potest esse notitia intuitiua (si obiectum est capax intuitiuæ notitiæ) sed in sensu interiori non potest esse notitia intuitiua rei spiritualis, ratione iam dicta in prima conclusione de sensu exteriori: ergo. Maior probatur, nā intuitiua & abstractiua perfecta solùm differunt accidentaliter, & species impressa vtriusque est eadem. Dixi in maiori, si obiectum est capax notitię intuitiuę, nā aliàs bene potest esse abstractiua, vbi non potest esse intuitiua ex incapacitate obiecti, vt patet in Chimera, cui⁹ est notitia abstractiua, cùm tamen nequeat esse intuitiua ex incapacitate obiecti non habentis existentiam requisitam necessariò ad intuitiuā notitiam.

3. *Concluſ.* Tertia conclusio. In sensibus interioribus potest esse notitia abstractiua Dei, nō absoluta, vt Deus est in se, sed connotatiua, concipiendo de illo ad modum rei corporalis; neque connotatiua perfecta, sed imperfecta. Hanc tenet Soto in 4. dist. 49. q. 1. art. 3. ante tertiam conclusionem; immò D. Tho. in primum & secundum capitulum Esaiæ, & super caput secundum Matthæi, & 3. contra Gent. cap. 47. & ibi Ferrara. Similiter etiam 1. p. q. 12. art. 3. ad 2. vbi adducit ex D. August. lib. vltimo de Ciuitate Dei, cap. 29. q̄ oculus glorioſus videbit Deū, sicut oculus noster videt vitā quæ non est visibilis per se, sed per accidens: quanto magis habet verum, quòd sensus interior possit imperfectè attingere Deum. Et probatur conclusio. Primò, nam, vt dicit D. Tho. infrà, q. 74. artic. 3. ad 1. & 1. p. q. 78. art. 4. ad 5. & 2. 2. q. 175. art. 2. ad 2. & quæst. 2. de malo, art. 3. potentiæ sensitiuæ interiores ex coniunctione ad

Soto. *D. Thom.* *D. Aug.* *D. Tho.*

rationem

rationem habent aliquam spiritualitem, vt aliqualiter extra corpus possint exire, & obiectum spirituale rationis possint attingere; sicut & appetitus sensitiuus ex coniunctione ad voluntatē, participat aliquā imperfectam libertatē, quā de se nō habet: ergo in huiusmodi sensibus aliqualis notitia abstractiua Dei poterit reperiri ex tali coniunctione. *Solutio.* Respondēt aliqui, talē cōiunctionem esse sufficientē, vt appetitus ex parte superiori excitari possit ad aliquem effectū gaudij vel doloris, &c. etiam circa spiritualia, non autem vt cogitatiua possit de huiusmodi habere apprehensionē: & tunc quidem apprehēsio intellectus (inquiunt) sufficit nō solùm ad effectum voluntatis, sed etiā appetitus, sine interuētu apprehensionis cogitatiuę. *Impug.* Cōtra tamē arguitur: tū, quia sicut volūtas regitur intellectu, ita appetitus cogitatiua: ergo sicut est impossibile moueri voluntatem sine apprehensione intellectus, ita similiter & moueri appetitum nisi ab apprehensione cogitatiuæ. Tùm etiam, quia eadem est cōiunctio cogitatiuæ ad rationē, sicut appetitus ad voluntatem, eademque distantia inter obiectum appetitus & voluntatis, atq; inter obiectum cogitatiuæ & intellectus: si ergo appetitus ex coniūctione ad volūtatem eleuatur aliqualiter ad obiectum voluntatis; quę ratio reddi potest, vt cogitatiua nō eleuetur, vt aliqualiter attingat obiectum Intellectus? *D. Thom.* Secundò probatur conclusio, nā, vt dicit D. Tho. 1. p. q. 84. art. 7. Intellectus pro isto statu intelligit per cōuersionē ad phantasmata: ergo si pro isto statu cognoscitur Deus ab Intellectu abstractiuè, aliquod idōlum illius formatur in cogitatiua, ad quod se conuertendo, Intellectus Deum intelligat. Tertiò probatur. Cæcus à natiuitate potest habere aliquā notitiam abstractitiuam imperfectam coloris, cōnotatiuè ad reliquos sensus: ergo similiter in cogitatiua potest esse aliqualis notitia abstractiua Dei. Antecedens est Magistri Soto vbi supra 1. post. cap. 14. q. 6. & consequentia probatur, nam color ita est extra latitudinē obiecti auditus vel gustus, &c. sicut Deus extra latitudinem obiecti cogitatiuæ: ergo sicut per speciem auditus, v. g. in sensu communi potest formari aliqualis similitudo coloris, ita per speciem corporalem aliqualis similitudo Dei, etiam si sit extra obiectum cogitatiuæ. *Solutio.* Si respondeatur, ex eo cæcum posse formare huiusmodi notitiam, quia licèt color sit extra obiectum auditus, non tamen extra obiectum sensus communis, in quo huiusmodi notitia formatur: Contrà arguitur, nam propterea non dicimus quòd imaginatiua secundùm se & secundùm suam cōtractionem, sed vt eleuata ex coniunctione ad rationem, potest habere huiusmodi notitiam: nam vt sic, aliqualiter est obiectum illius, obiectum intellectus: & exemplum in eo tenet, quòd sicut sensus communis, etiam non habita specie coloris, per speciem auditus potest aliqualiter apprehendere colorem; ita cogitatiua, etiam si speciem Dei habere non possit, per speciem corporalem ex eleuatione rationis potest aliqualiter Deum attingere. Denique hāc conclusionem probant omnia argumenta posita à principio. *Impug.* Dixi tamen in conclusione, huiusmodi notitiam cogitatiuæ nō esse absolutam, sed connotatiuam, quia abstractiua absoluta non habetur nisi per propriam speciem, & debet esse Dei vt in se, quæ vtique in imaginatiua esse nō potest, cùm obiectum eius sit corporale, & non nisi sub ratione corporis possit apprehendere. Dixi etiam, q; nec est cōnotatiua perfecta in suo genere, qualiter reperitur cōnotatiua Dei in Intellectu; quia Intellectus proisto statu licèt nō attingat Deū vt in se est, sed per modū corporalis, quia nō potest intelligere nisi per comparationem ad quidditatem materialē cui proportionatur; bene tamē attingit ipsum Deū spirituālē, cōcipiendo de illo, nō esse illius modi quo corporaliter cōcipitur ab ipso, sed potius modi oppositi, nēpe spiritualis: cogitatiua tamē crassiùs attingit, formādo de Deo effigiē corporalē, neque tamē attingēdo vtrū Deus sic vel aliter se habeat: neq; tamē falsa est in tali apprehēsione, quia nō aliter potest cōcipere, neq; ipsa determinat sic esse sicut cōcipit, sed notitiā formatā relinquit discutiendā intellectui potenti de huiusmodi iudicare, & solū cogitatiua sub ministrat idōlum, ex cuius intuitu intellectus abstractiuam perfectam possit formare.

Impug.

Ad primum argumentum primæ sententiæ, in quantum militare videtur contra secundam conclusionem, licèt probet tertiam, respondetur, concedendum cum D. Thoma illis in locis, in imaginatiua esse aliquam similitudinem & Dei apprehēsionem cōnotatiuam imperfectā (vt dictū est) non autem sentit D. Th. illam esse perfectā, vt diximus in secunda conclusione.

Ad 1. arg. 1. Sentent.

Et similiter patet ad confirmationem. Ad illud autem de apprehensione in somnis, dicitur, non solùm fieri per cogitatiuam, sed multoties per intellectum, impeditum tamen in suo discursu, quapropter non est fundamentum libertatis requisitum ad peccatum vel meritum.

Ad 2. etiã Ad secundum, patet si militer, huiusmodi imaginationes esse corporales & imperfectas, vt dictum est.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum, negatur consequentia. Ad primam probationem dicitur, quòd qui potest habere propria virtute actum imperfectum, ex eleuatione poterit habere perfectum: quando autem non habet imperfectum ex proprijs, sed ab extrinseca eleuatione, non qui potest imperfectum, potest habere perfectum. Ad secundam probationem respondetur, quòd licet spiritualia sint extra obiectum adæquatum sensus absolutè & secundùm se considerati, non tamen extra obiectum adæquatum illius, vt in homine coniuncti rationi. Et si torqueas argumentum contra secundam conclusionem, nam si illius, vt coniuncti, est adæquatum, vt etiam se extendit ad spiritualia: ergo ex eleuatione actum perfectum poterit habere circa illud: nam licèt detur quòd ex proprijs aliqua potentia non possit habere actum perfectũ circa omne contentum sub adæquato obiecto illius, vt patet in intellectu, qui proprijs viribus circa Deum contentum sub obiecto eius, actum perfectum habere non potest: tamen ex eleuatione id potest: ergo idem currit de imaginatiua: Respondetur, debere contineri sub adæquato potentiæ secundùm se & ex proprijs consideratæ, vt quæ secundùm se imperfectè attingebat, ex eleuatione perfectè attingere possit: si autem solùm est sub adæquato illius, vt coniũctæ superiori, non ex eo quòd imperfectum possit habere, sequitur, vt eleuata possit habere perfectum: nam (vt dictum est) ipsum actum imperfectum habet ex eleuatione.

Obiectio.

Solutio.

Ad 4. arg. Ad quartum bene ibi responsum est. Ad replicam dicitur, quòd licet tota actiuitas proxima proueniat à lumine; remotatamen & radicalis debet præsupponi ex parte potentiæ, vt illi talis proxima luminis possit adaptari: cùm ergo in cogitatiua nulla remota & radicalis virtus actiua ex proprijs consideretur in ordine ad spiritualia, non potest ei superuenire lumen gloriæ tanquàm potentia proxima, per quam perfectè possit attingere Deũ. Exemplum est in potentijs vitalibus, præbent enim subiecto totam virtutem actiuam proximam, si radicalis ex parte subiecti supponatur; alias enim (vt si ponantur in lapide) nullam virtutem actiuã cõferunt defectu radicalis virtutis requisitæ in subiecto: ponere ergo lumẽ in cogitatiua, esset quasi ponere potentiam in lapide.

Ad quintum argumentum respondetur, illud quod concipit brutum etiam per sensum interiorem, esse aliquid corporale & sensibile, licet inter corporalia supremum; quod à Philosopho nuncupatur sensibile, non sensatum; percipitur enim sensu interiori, licèt non fuerit exteriori sensatum: quod autem spiritualitatis est in tali amicitia vel inimicitia per modũ conuenientiæ vel disconuenientiæ, nõ attingitur à bruto, bene tamen aliqualiter à sensu interiori hominis ex coniunctione ad rationem, vt dictum est: vnde ouis amicitiam omnino materialiter apprehendit, quod non est transcendere rationem corporis. *Ad 5. arg.*

Ad sextum argumentum respondetur, quòd sicut virtutes morales acquisitæ existentes in potentijs sensitiuis, non attingunt sua obiecta per aliquam regulã existentem in cogitatiua, sed existentem in ratione, nempe per prudentiam & synderesim; quia cùm talis tendentia virtutum in obiecta, sit moralis, regula morali debent regulari: hæc autem in ratione debet esse tãquam in principio & radice moralitatis: ita dicendum est de virtutibus infusis, debere regulari regula infusa morali existente in ratione, nempe prudentia infusa & Fide: hæc autem ratio non currit de alijs motitibus ad appetitus, etiam circa Deum, possunt enim immediatè regulari apprehensione cogitatiuæ, licèt tandem reducantur ad partem rationalem; quia, vt dictum est, huiusmodi motus circa Deum, nõ possunt esse in appetitu secundùm se, sed vt coniuncto rationi. *Ad 6. arg.*

Ad septimum agumentum respondetur, corporalia prædicta eleuari ad spiritũ per modum instrumenti: hoc autem non habet locum in cogitatiua, quia si attingeret spiritum, deberet attingere vt causa principalis, quia deberet attingere vitaliter: ad hoc autem requiritur contineri, (vt dictum est) intra obiectum illius: cùm *Ad 7. arg.*

cùm autem spiritus intra obiectum cogitatiuæ secundùm se consideratę non contineatur, secundùm se spiritum non potest attingere: bene autem vt coniuncta rationi nam vt sic, sub obiecto eius aliqualiter continetur. Ad confirmationem respondetur, quòd licèt ex parte Dei sit æqualis distantia, vtique infinita; ex parte tamen intellectus & cogitatiuę, est inęqualis; nam intellectus habet rationem potentiæ eleuabilis respectu Dei contenti sub adęquato obiecto eius, non autem cogitatiua ratione suæ contractionis & materialitatis, vt dictum est.

Ad argumenta secundę sententię respondetur, probare secundam conclusionem in quantum verò militant contra tertiam, facilè respondetur ex dictis.

Ad 1. arg. 2. sent. Ad primum, quòd Deus non continetur intra obiectum sensus secundùm se, bene tamen vt coniuncti rationi; quod non currit de sensibus exterioribus (vt dictum est conclusione prima.)

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum, negatur sequella; nam sensus brutorum non habent prędictam coniunctionem ad rationem; dicuntur autem eiusdem speciei in ratione potentię, & ex parte obiecti sensus hominis & brutorum, quia consideratio specifica est illorum secundùm se, & non prout coniungitur vel non coniungitur; quia hæc est consideratio ex trinseca.

Ad 3. arg. Ad tertium patet ex dictis, esse discrimen quòd intellectus potest habere connotatiuam perfectam; quę autem ponitur à nobis in cogitatiua, etiam coniuncta rationi, est connotatiua crassa & nimis imperfecta (vt dictum est.)

DVBIVM TERTIVM,

Est circa secundam conclusionem,

Vtrùm in Patria post resurrectionem, omnes sensus sint habituri suas proprias operationes.

IN Hac reprę suponendum, non hic debere agi de omnibus his quę ad naturā sensuum pertinent, quomodo enim fiat sensatio, quale sit organū vniuscuiusq; sensus, quod obiectum, quale medium, & modus immittendi species, videatur ad lō-gum in Magistro Vañes prima parte quæ stione 78. articulo 3. per multa dubia. Hic autem solùm agemus de exercitio horum sensuum in Patria, & qualiter tunc in actum possint prorumpere, & à suis obiectis immutari. *Vañez.*

Prima conclusio. Post resurrectionem in corpore glorioso, erit exercitium sensuum, omniaque organa sensitiua integra & perfecta erunt. Hæc conclusio probatur. Anima tunc distinguitur à non anima to, sensu & motu; sed tunc erit verè motus, iuxta illud Sapientiæ; Tanquā scintillæ in arundineto discurrent: ergo erit corpus animatum, & consequenter integritas sensuum: anima enim importat actum corporis organici. Quòd autem huiusmodi sensus & organa non debeant esse quieta & absque operatione, probatur nam si essent otiosa, potiùs essent beati in somno, quā in vigilia: somnus enim nihil aliud est, quàm cessatio operationis sensuum. Secundò probatur conclusio. Vis sensitiua propinquior est animę, quàm corpus: sed ex redundantia gloriæ animæ, beatificabitur corpus delectatione, sicut & corpora damnatorum cruciabuntur dolore & tristitia; decet enim, quòd corpus quod fuit in adiutorium animæ, in merito vel de merito; sit etiam consors illius in præmio vel suplicio: ergo à fortiori sensus qui immediatius se habent ad animam, per redundantiam participābūt beatitudinem eius: hoc autē esse nō potest nisi per exercitium propriorum actuum: ergo. Vltimo probatur, nā tūc natura humana erit maxime perfecta plusquam modò: ergo. Sensus habebunt suas operationes. Patet consequentia, nam operatio sensuum, est de integritate & perfectione naturæ humanæ. *1. Concl.*

Sed contra prædictam conclusionem sunt aliqua argumenta. Primò, nam vt dicitur secūdo de anima; sētire est quoddā pati. Sed corpora glorioſa erunt impassibilia: ergo non sentient in actu. Et si dicas, quòd ad quid ponitur tunc potentia, si non debet exire in actum? poterit responderi, quod ad integritatem naturæ, & perfectionem eius, quam erit destruere, huiusmodi potentias in actum exire. *Arg. cōtra concluſ.*

Secundò arguitur. Actus sensus nō potest esse sine immutatione sensus; sed sensus non potest immutari ratione impassibilitatis: ergo neque in actum exire. Si *2. Arg.* *Solutio.*

Solutio. respondeatur, immutationem esse duplicem; alteram intentionalem; alteram verò naturalem & physicam: prima est per receptionem specierum, vel actus à potentia producti: secunda verò per receptionem qualitatum sensibilium: impassibilitas ergo excludit secundam immutationem, non verò primam: Contrà arguitur, nam immutatio intentionalis supponit immutationem animalem & realem, sicut esse intentionale supponit esse naturale: sed, vt dictum est, ratione impassibilitatis, est incapax immutationis naturalis & physicæ: ergo & immutationis intentionalis.

Impug.

3. Arg. Tertiò arguitur. Sensus in actu fit per nouum iudicium: sed ibi non erit nouum iudicium, quia secundùm Augustinum, cogitationes tunc non erunt volubiles: ergo nec erit sensatio in actu secundo.

4. Arg. Quartò arguitur. Quando anima est in actu vnius potentiæ, remittitur actus alterius potentiæ, iuxta illud, Pluribus intentus, minor est ad singula sensus: sed anima tunc summè erit intenta ad actum intellectus quo Deum contemplabitur: ergo non erit aliquo modo in actu virtutis sensitiuæ.

Ad 1. arg. Nihilominus ad primum horum respondetur, quòd impassibilitas excludit immutationem physicam & corporalem; non autem intentionalem & spiritualem. Per quod etiam manet responsum ad secundum argumentum.

Ad 2. etiã Ad replicam autem dicitur, omne passiuum recipere actionem agentis secundùm suum modum: si ergo sit aliquod passiuum aptum natum immutari ab agente naturali & spirituali, tunc immutatio naturalis præcedit immutationem spiritualem, sicut esse naturale præcedit esse intentionale. Si autem tantùm sit aptum immutandi spiritualiter, non oportet quòd immutetur naturaliter, vt patet in aêre, qui aptus non est immutari à colore secundùm esse naturale, sed tantùm secundùm esse intentionale & spirituale, & ideò hoc solùm modo immutatur: sicut è conuerso corpora inanimata immutantur per qualitates sensibiles solùm naturaliter. Cùm ergo in corporibus glorioſis non sit apitudo immutationis naturalis, ratione immutabilitatis; tantùm erit in illis immutatio intentionalis.

Ad 3. arg. Ad tertium respondetur, cogitationes intellectiuę partis nõ esse volubiles in beatis; bene autem cogitationes sensus communis: sensatio autem in actu non requirit iudicium partis intellectiuę, sed sufficit habere iudicium partis sensitiuæ.

Ad 4. arg. Ad quartum respõdetur, quòd quando vnum duorum, est ratio alterius, occupatio animę circa vnum, non impedit vel remittit actionem eius circa aliud. Sicut Medicus dum videt vrinam, consideratione coloris non distrahitur â consideratione artis Medicinæ, sed potiùs, iuuatur, quia ratio vnius cõducit ad aliud. Cùm ergo in beatis apprehendatur Deus vt ratio omnium agendorum â beatis, Dei cõtemplatio non distrahit ab alijs actibus ex Dei contemplatione. Vel secundò respondetur, quòd quando vna potentia ratione suę imperfectionis eget iuuamine virtutis alterius potentię, tunc altera potẽtia remittitur in suo actu, quia virtus operatiua eius quasi fugit & intenta est exercitio alterius potentiæ; qua ratione in Via fit extasis & suspensio sensuum per profundam Dei contemplationem: cùm autem in beatis vis intellectiua & omnes potentię sint perfectę, nõ est opus, vt aliqua perfectè operetur, vt alię cęssent à suis operationibus.

2. Solutio.

Sed licèt hęc conclusio communis sit, & ab omnibus recepta absolutè sumpta, quòd videlicet sensus debeant in Patria habere suos actus: sunt tamen aliqui, vt D. Bonauentura in 4. dist. 49. parte 2. art. 3. dicunt, hoc non habere verum de omnibus sensibus, sed de aliquibus, nẽpe de Visu & Tactu: immò Abulensis super c. 17. Matth. q. 116. dicit, esse probabile, solùm Visum ibi esse exercendũ: quod tamen falsum est, quia quod est medium in Visu & Tactu, est etiam medium in alijs sensibus: ergo si ponitur Visus & Tactus in actu secundo, non est quare & alij poni non debeant. Antecedens verò probatur, nam medium Visus, quod est aêr, est etiã medium Auditus & Odoratus, vt dicitur in. 2. de anima. & sicut medium Tactus est coniunctio sensus cum sensibili, ita & medium Gustus: ergo si est medium ad videndum & tangendum, est etiam & medium ad reliquos sensus. Quòd autem solus Visus sit futurus, etiam apparet falsum: nam minus requiritur ad Tactum, verbi gratia,

D. Bonau.

Abulensis.

gratia, quod fit per contrectationem tangibilis, quàm requiratur ad Visum egentem immissione specierum, & medio deferente illas: si ergo saluatur Visus in Patria, à fortiori & alij sensus, vt, verbi gratia, Tactus: ideò ergo, vt hæc veritas patefiat, specialiter de quolibet sensu ponantur sequentes conclusiones.

2. Conclu. Secunda conclusio. Certum est, quòd in Patria Visus suo fungetur officio, nō quidem circa spiritualia, quæ sub obiecto eius non cadunt: exercebit tamen in visione cœlorum, amœnissimi splendoris, corporumque Sanctorum refulgentię; immò & orbem inferiorum elementorum visus beatorum videbit: qua ratione forte speciali claritate post iudicium hic orbis est illustrandus: & precipuè beati videbunt Christum Dominum, vt patet in Apocalypsi, vbi dicitur: Videbit eum omnis oculus, vbi loquitur de aduentu Christi ad iudicium: ergo prępcipua felicitas accidentalis beatorum, erit per petuò Christum in cœlestibus aspicere. Quod autem habet difficultatem in hac conclusione, est, explicare modum quo tunc fiat visio. Vnde contra conclusionem

1. arg. contra conclu. Arguitur primò. Tunc non erit medium immissionis specierum visibilium: ergo non erit visio. Consequentia patet, nam visio non fit nisi per immissionem specierum & receptionem illarum. Antecedens verò probatur, nam medium, est aër, vel diaphanum transparens: sed tale ibi non est: ergo. Probatur ista minor quo ad secundam partem (nam de aëre certa est.) Cœleste corp⁹, intra quod erūt corpora Sanctorum, est densum & opacum, vt testantur stellę, quę nisi opacitatem haberent, non possent Solis radios cum reuerberatione recipere: aliud autem diaphanum vltra cœlum assignari nō poterit; ergo.

2. Arg. Secundò arguitur. Eximium lumen in speculo impedit ne obiectū in ipso videatur: ergo cum claritas cęli tanta futura sit, & oculus beati tanto fulgore illustratus, non poterit species percipere & in visionem exire: ergo.

Ad 1. arg. Ad primum tamen argumentum aliqui respondent, quòd tunc visio non erit per receptionem specierū, sed per extramissionem ipsius potentię ad obiectum: sed hoc stare non potest, nam visus ex natura sua est potentia passiua ab obiecto, vt dicitur. 2. de anima, ponere ergo extramissionem potentię, non est ponere illam passiuam, sed potius actiuā omnibus modis, & consequenter alterius rationis & speciei quàm sit visus beatorum. Alij respondent, quòd tunc fiet visio, immò & sensatio in omnibus sensibus, nō per receptionē specierum ab obiecto, sed per susceptionem illarum à potentijs superioribus; itaque sicut modò potentia superior recipit species ab inferiori, tunc è conuerso potentiæ inferiores suscipient species à potentijs superioribus. Sed hoc stare nō potest, quia tunc non esset in sensu verè sentire, sed imaginatio sensationis; sicut, verbi gratia, phrenitici & mentecapti, in quibus propter victoriam imaginatiuę virtutis, fit huiusmodi defluxus specierū ad organa sentiendi, non verè sentiunt, sed videtur eis quòd sentiant: quia vt verè sit sensatio, debet esse ab obiecto specierum receptio. Dicendum ergo est, sensationem tunc fore per veram immissionem specierum ab obiecto in sensus ipsos. Vnde ad argumentū dicitur, quòd medium immissionis specierum est ipsum corpus cœleste, quod quidem licet opacū esset (dicūt aliqui) penetraretur speciebus ratione status, licet aliàs non esset penetrabile. Veritas tamen est, cœlum Empyreum esse maximè transparens & lucidum, vt melius per ipsum, quàm per purissimam crystallum visibiles species diffundi possint; non enim habet opacitatem sicut astra ad reuerberationem lucis. Et si contra arguas, nam licèt per hoc saluetur mutua visio beatorum, non tamen visio corporis Christi Domini; nam cùm secundùm Diuum Thomam 3. part. q. 57. artic. 4. sit extra corpus cœleste, plantis & pedibus positis supra superficiem conuexam cœli, remanet difficultas, qualiter ab ipso species immittipossint vsque ad oculos beatorum. Aliqui enim respondent, multiplicari tūc species per vacuum supra ordinem naturalē. Sed hoc est multiplicare miracula. Primum quidem, quòd accidentia sint sine subiecto, nempe species visibiles in transitu vacui. Secundum verò, quòd de nouo creentur, cùm in medio nullum sit subiectum, ex cuius potentia tales species educantur. Alij ergo dicunt, vt Abulensis super caput. 17. Matth. q. 61. corpus Christi Domini esse intra cœlum Empyreum,

Obiectio.

Solutiones aliquorum

vnde visio eius fit sicut & aliorum beatorum. Sed hoc non est tenendum, cùm
D. Thom. Diuus Thomas asserat.3.p.q.57. corpus Christi Domini esse supra superficiem cō uexam cæli,iuxta illud Psalmi; Qui ascendit super omnes cœlos ad Orientē; quod & congruit dignitati illius corporis, est enim omnium dignissimum, vnde & supra omnia corpora debet collocari. Alij dicunt,supra cœlum aliquod esse corpus subtilissimū,intra quod Christus continetur,& per quod species diffundi possunt. Sed hoc est friuolum, & contra omnium sententiam, & contra Diuum Thomam loco citato asserentem, corpus Christi ab alio non contineri. Et patet,namillud corpus vel erat cœleste,vel aliud:aliud assignari non potest:si autem cœleste, iam Empyreum non erat vltimum cœlum,& quia super illud corpus tādem deueniendū est ad vacuum, cùm in infinitum extendi non
Vera solu. possit;quare immediatè post Empyreum vacuum non incipiet. His ergo relictis,respondetur ad argumentum. Primò, quòd species descendent per corpus Christi vsque ad plantam, & inde per cœlum vsque ad oculos beatorum. Nec est incōueniens,
2. Solutio. emissionem illam specierum esse sic indirectam,cùm aliter fieri non possit. Vel secundò respondetur cum Caietano in 3. part.quæst.57.art.4.quòd Christus Dominus immediatè causabit species in potētijs beatorum sine transitu medij ; sicut dicitur de motu Angelorum : quia licèt hoc sit extra naturam visionis pro isto statu;
Obiectio. non tamen pro statu illo. Et si contrà dicas,quòd tunc Christus Dominus in quacunque distantia poterit videri,si medium
Solutio. ad visionem non conducit : Respondetur primò,concedendo sequellam ; quia sicut mediū in calefactione, v.g.nō deest essentia illius,vnde à Deo potest suppleri ,& ignis cōburere in quacunque distantia : ita cū mediū nō sit essētiale, licèt sit naturale visioni, potest suppleri cōnaturaliter pro
S. Solutio. illo statu, & in quacunque distantia talis visio fieri. Secundò respondetur, quòd visio in tanta vel in tanta distantia , non solùm dependet à medio deferente species per modum anguli, qui tandem finitur, & in tanta distantia ad oculum peruenire non possunt,sed etiam dependet ex virtute actiua ipsius potentiæ quæ ni tanta distantia agere non potest. Licèt ergo oculus glorioſus à remotissimis videre possit, ratione suę maximę perfectionis & actiuitatis ; in tantum tamen elongari poterit,vt non videat.

Ad secundum argumentum respondetur,quòd visio nō impeditur per lumē, immò quo lucidius est obiectum , visibilius est ; reflexio tamen specierum visibilium impeditur per maximum lumen : ad hoc enim ponitur plumbū in parte posteriori speculi,vt aliqua vmbra in vitro causetur necessaria ad reflexionem specierū: posita ergo magna luce,cùm tollatur vmbra,tollitur & reflexio specierum : visio autē beatorum, cùm sit directa circa ipsa obiecta, luce impediri non potest,sed potius iuuari,cùm alias potentia sit maximè fortis. *Ad 2.arg*

Tertia conclusio. Auditus etiam in illo statu habebit etiam felicissimum vsum & actū. Hęc probatur. Apocalypsis quarto, quatuor illa animalia requiem non habebant dicentia , Sanctus , Sanctus, Sanctus. & Ecclesia orat, vt cum illis intali cantu admittatur: est ergo Auditus , nam aliàs ad quid loquebantur , si audienda non erant ? Secundò probatur,quia homo est animal polyticum & sociabile ; societas autem prępcipua est per alloquutionem & communicationem conceptuum:ergo est loquutio & auditus in Patria necessarius ad societatem fratrum habitantium in vnum. Tertiò probatur , quia auditus ita delectatur auditione sonora , sicut & visus visione pulchra : ergo ponenda est talis auditio ad delectationem auditus. *3. Concl.* *Apocal.4.*
Quod quidem adeò est verum, vt Pythagoras dixerit,orbes cœlestes suis motibus harmoniam suauissimam facere ad delectationem auditus beatorum:licèt falsum sit , quia sonus cùm sit secunda qualitas, supponit compositionem priorum:cùm ergo cœli non constent ex primis qualitatibus,quia incorruptibiles sunt ex natura sua,secūdā qualitatem,nempe sonum, habere nō possunt. Eo vel maximè, quòd si sonus esset adeò magnus,à nobis etiā perciperetur in terra. Dicere autē , vt Pythagorici,quòd assuefacti non percipimus talem sonum,sicut habitantes ripam magnorum fluminum,nō percipiunt, quod alijs molestissimum esset ; friuolum est. Colligitur tamen ex prędicta sentētia,quām situm sit in omnium animis,auditum in alia vita habiturum esse actū proprium . Vltimò probatur ex illo qđ Christus Dominꝰ dicet: Esuriui & dedistis mihi māducare. Venite benedicti Patris mei,&c.quod vti *Pythagor.*

que

que ad audientes dicet; nam aliàs impertinenter loqueretur.

Arg. 1. contra concluſ. Sed contra hanc concluſionem arguitur primò. Auditus deſeruit diſciplinæ, vt dicitur in libro de ſenſu: ſed in illo ſtatu non erit diſciplina per auditum, quia ex viſione Dei, omnes ſapientia replebuntur: ergo non eſt neceſſarius tunc auditus.

2. Arg. Secundò arguitur. Loquutio fit per aêris verberationem, qui ibi non eſt: ergo non erit loquutio: dicere autem, fieri verberatione corporis cæleſtis, ſtare non poteſt; nam illud corpus eſt maximè ſolidũ, & conſequenter neque verberari, neque lingua ſcindi poterit, vt ſic fiat motus neceſſarius ad auditum.

Ad 1. arg. Ad primum reſpondetur, quòd tunc erit auditio, non ad diſciplinam (vt probat argumentum) ſed ad perfectionem & delectationem ipſius auditus.

Ad 2. arg. D. Tho. Ad ſecundum reſpondet D. Tho. in 2. ſent. q. 2. diſt. 2. art. 2. Primò, quòd tũc multiplicabuntur ſpecies auditus ſine motu, ſed ſicut ſpecies viſibiles. Hæc ſolutio nõ videtur totaliter effugere vim argumenti, nam vt fiat loquutio, lingua moueridebet, quomodocunque ſpecies deferantur: manet ergo explicandum, qualiter cælum poſſit ſcindi, condenſari, vel rarefieri, ad motum ipſius linguę. Reſpondetur ergo ſecundò cum eodem Doctore ſancto, ſpecies ſoni multiplicari per inciſionem partium cœli, & ſimiliter linguam moueri: *Richard.* quod & amplectitur Richardus eadem diſtinctione, art. 4. q. 3. Quod autem habet difficultatẽ, eſt, quo mediante lingua moueatur; nam aêr tunc in pulmone videtur non eſſe, cùm ibi non ſit neceſſaria reſpiratio. Aliqui dicunt, quòd in pulmone reſeruabitur aliqua pars aêris neceſſaria ad loquendum. Sed hoc non videtur verum, nam conſumpta illa parte aêris, cùm non ſit vnde poſsit aliam attrahere, ceſſaret loquella. Niſi dicas, quòd ille aêr non diſtraheretur ab ore, ſed facto motu linguæ, iterũ retraheretur: cùm enim os eſſet circum amictum ſubſtantia cœli circunſtante, aêr linguam mouens non diſtraheretur. Sed melius dicitur, quòd ſicut ſubſtantia cœli eſt medium delatiuum ſonus, ita & officium aêris exercebit ad mouendum linguam: neque ex eo quod ex verberatione ſubſtantia cęli ſcindatnr, vel condenſetur, vel rarefiat, ſequitur, eſſe cœlum corruptibile; quia illa raritas vel condenſatio non erit eiuſdem rationis cum qualitatibus quæ ſunt apud nos cauſatis per alterationem, ſed â Deo diſpoſita in miniſterium beatorum, ad quorum finem omnia ſunt creata.

4. Concluſ. Quarta concluſio. Odoratus etiã exercebit ſuum actum in Patria, non quidem per ſuſceptionem fragrantię florum, aut fructuum, aut pigmentorum, nullũ enim tale ibi erit; ſed tantùm ibi erunt corpora beatorũ & cœleſtia: quocirca Apocalyp. 5. cùm de ſenioribus dicitur, habere phialas plenas odoramentorum; ſuperadditur, Quæ ſunt orationes Sanctorum, iuxta illud Pſalm. 140. Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo; quia ibi alia pigmenta non ſunt. Erit ergo odor dimanans ex ipſis corporibus beatorũ, ob tẽ peratiſsimam cõplexionem primarũ qualitatum. Neque mirum, quòd ſi corpora Sanctorum etiam in hac vita mortua manent odorifera; tunc maiorem odorem habeant in Patria ex complexione prędicta, & redundantia glorię, & cõiunctione ad animam beatam. Et ſi arguas, quòd odor *Obiectio.* emittitur per effumationem, quæ ibi non erit: Reſpondetur, effumationem non eſſe *Solutio.* neceſſariam, niſi propter humiditatem ſiccandam in qua odor imbibitur; non autem hoc eſt de eſſentia odoris, cùm vultures à longè odorentur in diſtantia quam effumatio pertingere non poteſt.

5. Concluſ. Quinta concluſio. Vſus Tactus erit in Patriâ: corpora enim Sanctorum cũ per cœleſtia tranſierint, tangent illa, ſe autem inuicẽ manu tangent, & amplexabuntur; immò & corpus non glorificatum, glorificatum tangere poterit, quia corpora glorioſa, & tãgibilia & palpabilia ſunt: vt patet in Chriſto Dño Lucæ vltimo dicẽte Apoſtolis; Palpate, &c. palpate enim, ſuperaddit ad tangere: tangitur enim aêr, vel ignis, & non palpatur: & huiuſmodi tactus & palpationes, iam dictum eſt fieri in beatis ſine prœuia impreſsione alicuius qualitatis ſenſibilis, frigoris vel caloris, cõducẽtis ad corruptionem.

6. Concluſ. Vltima cõcluſio. Etiã Guſtus in Patria ſuã exercebit operationẽ, non ex perceptione cibi, quia, vt dixit Chriſtus Dominus, ibi neque nubẽt neque nubẽtur. Erit ergo Guſtus ex eo, quòd ex optimo tẽperamẽto aliquis humor reſudabit in lingua perpetuò illã delectans ſuper omne guſtabile in hac vita. Et ſi dicas, delectationem *Obiectio.*

Gustus non esse propter se, sed propter sumptionem cibi necessarij ad vitã: ergo vbi non est cibus necessarius, neque delectatio gustus: Respõdetur, in hac vita ita esse, quod delectatio est propter operationem, & non è contra: ibi autem ponetur delectatio propter se, vt propriũ sensum perficiat, neque maneat Gustus non remuneratus in potione potus amari multoties ex pœnitentia sumpti. Ferè omnia dicta in hoc dubio sunt D. Tho. q. 82. artic. 3. & 4. Videte illum in additionibus.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm beatitudo formalis sit in operatione intellectus, an verò in actu voluntatis.

Inf. q. 26. art. 2. & artic. 3. cor. Et 2. cont. cap. 25. & 26. & 27. §. 2. Et in al. q. 16. art. 2. ad 6. Et ver. q. 1. art. 5. ad 8. Et quodli. 8. artic. 19. Et opus. 3. cap. 107.

AD quartum sic proceditur. *Videtur quòd beatitudo consistat in actu voluntatis. Dicit enim Augustinus 10. de Ciuitate Dei, quòd beatitudo hominis in pace consistit: vnde in Psalm. 147. Qui posuit fines tuos pacem. Sed pax ad voluntatem pertinet: ergo beatitudo hominis in voluntate consistit.*

Libr. 19. c. 10. & 11. tom. 5.

2. *Præterea. Beatitudo est summũ bonum: sed bonum est obiectum voluntatis: ergo beatitudo in voluntatis operatione consistit.*

3. *Præterea. Primo mouenti respondet vltimus finis; sicut vltimus finis totius exercitus est victoria, quæ est finis Ducis qui omnes mouet: Sed primum mouens ad operandum est voluntas, quia mouet alias vires (vt infra dicetur) ergo beatitudo ad voluntatem pertinet.*

4. *Præterea. Si beatitudo est aliqua operatio, oportet quòd sit nobilissima operatio hominis: sed nobilior est Dei dilectio, quæ est actus voluntatis, quàm cognitio, quæ est operatio intellectus, vt patet per Apostolum. 1. ad Corint. 13. ergo videtur quòd beatitudo consistat in actu voluntatis.*

5. *Præterea. Augustin. dicit in 13. de Trinit. quòd beatus est qui habet omnia quæ vult, & nihil vult male: & post pauca subdit: Et appropinquat beato, quia bene vult quod cunque vult: bona enim beatum faciunt, quorum bonorum iam habet aliquid, ipsam scilicet voluntatem bonam: ergo beatitudo in actu voluntatis consistit.*

Cap. 5. in fin. tom. 3.

Eod. libr. c. 6. cir. med. tom. 5.

Sed Contrà est, quod Dominus dicit Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deũ vnũ. Vita autem æterna est vltimus finis, vt dictum est: ergo beatitudo hominis in cognitione Dei consistit, quæ est actus intellectus.

q. 2. art. 6. D. 271.

Respondeo dicendum, quòd ad beatitudinem (sicut suprà dictum est) duo requiruntur. Vnum, quod est esse beatitudinis: aliud, quod est quasi per se accidẽs eius, scilicet delectatio ei adiuncta. Dico ergo, quòd quantum ad id quod est essentialiter ipsa beatitudo, impossibile est quòd consistat in actu voluntatis. Manifestum est enim ex præmissis, quòd beatitudo est consequutio finis vltimi: consequutio autem finis non consistit in ipso actu voluntatis. Voluntas autem fertur in finem, & absentẽ, cùm ipsum desiderat, & præsentem, cùm in ipso requiescens delectatur. Manifestũ est autẽ, quòd ipsum

Art. 1. huius quæst. & q. 2. D. 625.

ipsum desiderium finis, non est consequutio finis, sed est motus ad finem: delectatio autem advenit voluntati ex hoc, quòd finis est præsens, nō autem è converso ex hoc aliquid fit
D. 308. 621. *præsens, quia voluntas delectatur in ipso: oportet igitur aliquid aliud esse quàm actum voluntatis, per quod fit finis ipse præsens volūtati: & hoc manifestè apparet circa fines sensibiles. Si enim cōsequi pecuniā, esset per actum voluntatis, statim à principio cupidus consequutus esset pecuniam, quando vult eam habere: sed à principio quidē est absens ei; consequitur autem ipsam per hoc quòd manu ipsam apprehendit, vel aliquo huiusmodi, & tunc iam delectatur in pecunia habita. Sic igitur circa intelligibilem finem contingit; nam à principio volumus consequi finē intelligibilē; consequimur autē ipsum per hoc quòd fit præsens nobis per actū intellectus, & tūc volūtas delectata conquiescit in fine iā adepto. Sic igitur essentia beatitudinis in actu intellectus consistit: sed ad voluntatem pertinet delectatio beatitudinem consequens, secūdū quod*
Cap. 23. ante med. to. 1 & 2. *Aug. dicit. 10. Conf. quòd beatitudo est gaudium de veritate, quia scilicet ipsum gaudium ēst consummatio beatitudinis.*

Ad primum ergo dicēdum, quòd x pertinet ad vltimū hominis finem, non quasi essentialiter sit ipsa beatitudo, sed quia antecedenter & consequenter habet se ad ipsam. Antecedenter quidem, in quantum iam sunt remota omnia perturbantia & impedientia ab vltimo fine: consequenter verò, in quantum iam homo, adepto vltimo fine, remanet patus desiderio quietato.

Ad secundum dicendum, quòd primumm obiectum voluntatis nō est actus eius, sicut nec primum obiectum visus, est visio, sed visibile. Vnde ex hoc ipso quòd beatitudo pertinet ad voluntatem, tanquam primum obiectū eius, sequitur, quòd non pertineat ad ipsam tanquam actus ipsius.

Ad tertium dicendum, quòd finem primo apprehendit intellectus, quàm voluntas: tamen motus ad finem incipit in voluntate; & ideò voluntati debetur id quod vltimò consequitur consequutionem finis, scilicet delectatio vel fruitio.

Ad quartum dicendum, quòd delectatio præeminet cognitioni in mouendo; sed cognitio præuia est dilectioni in attingendo; non enim diligitur nisi cognitum, vt dicit Augustin. in. 10. de Trinit. & ideò intelligibilē Cap. 1. & 2. tom. 3. *finem primò attingimus per actionē intellectus, sicut & finem sensibilem primò attingimus per actionem sensus.*

Ad quintum dicendum, quòd ille qui habet omnia quæ vult, ex hoc est beatus, quia habet ea quæ vult: quod quidem est per aliud quàm per actum voluntatis: sed nihil male velle requiritur ad beatitudinē, sicut quædam debita dispositio ad ipsam: voluntas autem bona ponitur in numero bonorum quæ beatum faciunt, prout est inclinatio quædā

in ipsa, sicut motus reducitur ad genus sui termini, vt alteratio ad qualitatem.

1.Concluſ. Prima concluſio. Eſſentialis beatitudo noſtra conſiſtit in actu Intellectus, & non in actu Voluntatis.

2.Concluſ. Secũda cõcluſio. Actꝰ Volũtatis eſt velut accidẽs per ſe, cõſequẽs beatitudinem, quę eſſẽtialiter eſt in operatione intellectꝰ.

DVBIVM PRIMVM EST,

Vtrũ beatitudo ſit eſſentialiter vnica ſimplex operatio; an verò eſſentialiter conſtet ex multis operationibus.

1.Arg. PRobatur hoc ſecundũ. Primò, ex Clementina Ad noſtrum, de hereticis, vbi expreſſe dicitur, hominis beatitudinẽ conſiſtere in viſione & fruitione Dei: & clariùs in extrauaganti Benedicti XII. cõtra Ioannẽ XXII. vbi dicitur: Neque non quòd ex tali viſione & fruitione, eorũ animæ qui iam deceſſerunt, ſunt verè beatæ, & erunt eorum qui poſteà decedent, cum eandem videbunt eſſentiam, ipſaque perfruentur. Item probatur ex D. Tho. ſuprà q.1. art 8. vbi dicit, creaturam rationalem conſequi ſuum finem, cognoſcendo & amando Deum: & q. 4. ſequente art. 8. ad 3. dicit, quod perfectio Charitatis, eſt eſſẽtialis beatitudini, quãtum ad dilectionem Dei, non quantum ad dilectionem proximi. Quapropter non valet ſolutio, quòd loquatur de complemento & paſsione, quia ſic etiam dilectio proximi pertinet ad eſſentialem beatitudinem vt paſsio.

D.Tho.

2.Arg. Secundò arguitur. Si dicatur, eſſentiam beatitudinis componi ex actu Intellectus & Voluntatis, componuntur omnia dicta ſacræ Scripturæ & Sanctorum, qui aliquando nominant illam per actũ Intellectus, aliquando verò per actum Voluntatis; componuntur enim, ſi dicamus, quòd loquuntur inadæquatè, & ſic tam nomine Intellectus, quàm Volũtatis, poteſt nominari beatitudo, quia ex actu vtriuſque cõponitur: ergo ſic eſt dicendum.

3.Arg. Tertiò arguitur. Beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, vt inquit Boetius; quod alijs verbis explicuit Auguſt. 13. de Ciuitate, cap. 5. & 6. dicens: Beatus eſt, qui habet quidquid vult: ergo beatitudo dicit aggregationem actus vtriuſque potentiæ, tam Intellectus, quã Volũtatis. Patet iſta cõſequentia, nã in actu vnius potentiæ non ſeruatur illa particula, Aggregatione; immò neque illa particula, Perfectus; nam vt inquit D. Tho. 1. part. quæſt. 5. ad perfectionem plura concurrunt, ſcilicet eſſentia & exiſtentia; immò & accidentia. Confirmatur, nam licèt in alijs rebus perfectio ſupponat eſſentiam, & ſuperaddat ad illam; in beatitudine non ita: ſed perfectio bonitatis eſt ipſa eſſentia beatitudinis, quæ quidem dicit ſummum & perfectum bonum: ergo ſi actus volũtatis pertinet ad perfectionẽ beatitudinis, pertinet ſimiliter & ad eſſentiã eius.

Thom.

Confir.

4.Arg. Quartò arguitur. Beatitudo ſecundùm D. Thom. in præſenti, conſiſtit in conſequutione vel apprehenſione Dei: ſed per actum Intellectus ſolùm non conſequitur Deus perfectè & adæquatè: ergo in ſolò actu Intellectus non conſiſtit Beatitudo. Minor probatur, quia per actum Intellectus ſolùm apprehenditur & conſequitur in ratione veri; remanet autem conſequẽdus in ratione boni per Voluntatem: ergo non adæquatè conſequitur per Intellectum. Confirmatur, quia, vt inquit D. Th. infrà quæſt. 4. artic. 3. ad ſecundum, comprehenſio etiam pertinet ad Voluntatem: ergo ſi beatitudo dicit comprehẽſionem, non ſolùm dicit actum Intellectus, ſed etiam Voluntatis. Confirmatur ſecundo. Dotes quæ conſequuntur ad coniunctionem animæ, & matrimonium ſpirituale illius cum Deo, non ſolùm ſunt in Intellectu, ſed etiam in Voluntate: ergo coniunctio & matrimonium, in quo Beatitudo eſſentialis conſiſtit, non ſolùm eſt in Intellectu, ſed etiam in Voluntate.

Confirm.

Confirm.

5.Arg. Quintò arguitur. Beatitudo eſt plenè ſatiatiuum: ſed conſequutum per Intellectum ſolùm, plenè non ſatiat: ergo. Probatur minor, quia adhuc manet Voluntas in ſuo deſiderio, quandiu ipſa non poſſidet: ergo neceſſum eſt vt plenè ſatiet, vt etiam actu Voluntatis attingatur. Confirmatur. Eſt maxima diſſenſio, quænam ſit perfectior potentia, Intellectus, vel Voluntas: ergo non plenè manet homo ſatiatus, quandiu Voluntas deò excellens potentia intelligitur orphana poſſeſsionis talis boni. Confirmatur ſecundò, quia etiam Voluntas eſt beatificabilis, ſiquidẽ & ipſa tẽdit in Via per propriũ actũ circa vltimũ finẽ: ergo non eſt Beatitudo, quando Intellectus ſolus pertingit, ſed etiam quando Volũtas. Patet cõſequẽtia, nã ex beatitudine obiectiua debet penſari formalis: ſi ergo obiectiua beatitudo eſt Deus, vt vltimus

Confirm.1

Confirm.2

finis

finis & cognitus per Intellectum,& desideratus per Voluntatem,beatitudo formalis consistet tam in actu vnius, quàm alterius potentiæ consequente talem finem.

6.Arg. Sextò arguitur. Beatitudo dicit perfectissimā cōiunctionē animæ ad Deū: hæc fit per actū vtriusq; potētiæ prædictæ:ergo. Probatur minor,quia cōiunctio vnius nōest maxima, siquidē maior esse potest, si coniunctio alterius potentiæ adueniat.

7.Arg. Vltimò arg. Nostra eſeētialis beatitudo est quædā participatio beatitudinis Dei: sed ista cōsistit essentialiter in actu Intellectus & Volūtatis simul:ergo & illa. Probatur minor,nā si Deus nō haberet actū amoris,per quem producitur Spiritus sanctus, nō esset Deus: ergo nec beatus. Consequētia patet, nam idem est esse Deum, & esse essentialiter beatum, & per idem est Deus & beatus. Antecedens verò probatur,quia natura diuina non est nec intelligitur constituta,nisi sit intellectio & amor.

Not.1. Pro intelligentia huius quæstionis notandum. Primò,quòd aliqui Thomistæ in præsenti dicunt,hanc esse quæstionem de nomine; quia beatitudo potest sumi dupliciter. Primò pro statu beatifico. Secundò pro ipsa re constituente beatum. Si ergo beatitudo nominet statum,dicit aggregationem plurium actuum,tam Intellectus, quā Voluntatis. Si autem sumitur pro ipsa re faciente beatū,simplicissima quædā est operatio Intellectus,vt infrà dicetur. Sed certè isti falluntur; nā, vt bene impugnat Durādus in 4.d.49.q.4.si beatitudo nominet & sumatur pro statu,non solùm dicit intellectionē & amorē,sed etiā delectationem; & actus perfectos aliarū potentiarū, iuxta illud Psal. Qui replet in bonis desideriū tuū. Dum ergo discutitur,vtrū consistat in actu Intellectus & volūtatis simul, vel in sola vna operatione illarū,de re ipsa formaliter beatificāte essentialiter quæritur,vtrū in vna vel duabus operationibus essentialiter consistat.

2.Not. Secundò notandū,quòd in beatitudine defacto,& secundū lege ordinariā,& reperitur actus Intellectus visionis claræ Dei, & actus Volūtatis Charitatis illius, & etiā actus dilectionis in ipso Deo amato. De primo dicitur Matth.18. Angeli eorū semper vident faciē Patris mei; & 1.Ioann.3. Videbimus eū sicuti est. De amore autem habetur 1.ad Cor.13.quòd Charitas nunquā excidit,sed manet in Patria. Et Ioan. 13.orat Christus Dñs Patrem, vt dilectio qua dilexit ipsum,maneat in electis,& ipsi maneāt in Deo;qđ de dilectione beatifica exponit Cassia.Collat.10.c.7. De delectatione autē habetur Ioan.15. Vt gaudiū vestrū sit plenū,& gaudiū vestrum nemo tollet à vobis;quē locum de gaudio beatorū expo nit D.Aug.tract.101.& 102.super Ioann. Diximus autē,defacto & secundū legē ordinariā istos tres actus in beatitudine reperiri,quia infrà q.4.explicādū erit, vtrū secundū potētiā Dei absolutā posset saluari beatitudo sine aliquo ex his tribus actib⁹; Dixim⁹ etiā,præter visionē in Volūtate tātū esse amorē & delectationē,nō numerādo indiuidua, sed genera;nā amor Dei est duplex, sicut & delectatio. Primus quidē amor amicitię,quo diligitur Deus propter se ipsum,omnia illi appetēdo; quē amorē sua delectatio cōsequitur. Secūdus autem est amor cōcupiscentiæ, quo beatus amat Deū sibi, vt obiectū beatificū,quo ipse beatus debet beatificari;quē etiā amorē sua delectatio cōsequitur: modò autē in cōmuni quærimus, vtrū in visione & amore simul consistat beatitudo, an verò solū in aliquo istorum actuum.

Cassian. *Ioan.15.*

1.Sentent. In qua re est prima sentētia affirmatiua, quā probant argumēta proposita. Hāc tenet Albert.4.d.48.art.4. Basolis q.2. Altisiodor. in Sum.c.2.p.3. & lib.4.tract.12. Hugo de Sācto Victore lib.6.super Dionys.c.7.cœl.Hierar. Cordu.lib.1.q.42. Halens.3.p.q.23.mēb.1.& 4.p.q.92.mēbr.2. art.4.& Molin.1,p.q.26. Valētia hic disp. 2.q,3.pūcto 4. & Salas hic tract.2. disp.2. sect.5.§,4.& 5. D.Bonau.in 4.d.49. art.1. Richar.ibi q.6. Gab.in Supplem.q.2.ar.3. Marsil.in 4.q.vlt. Vega lib.7.super Cōcil. Trid.c.8. Cordu.lib.1.var.quæst.q.2. Ioā. Maior in 4.d.49.& ibi citat Olcolt. Solēt etiā citari pro hac sententia Palud.& Durand.sed obscurè loquuntur in hac parte, nec facilè cōstat eorū sentētia. Et licèt isti authores cōueniant,quod beatitudo cōsistit in pluribus operationibus,non tamen conuenjūt in assignatione illarū · nam D. Bonauēt.dicit,esse omnes illas tres positas in secūdo notabili. Richar.& Gab.& moderni citati dicūt,tantū esse visionē & amorem: Marsilius verò dicit consistere in visione & delectatione.

Aber. *Basolis.* *Altisiod.* *Hugo de S.Victore.* *Cordu.* *Halensis.* *Molina.* *Valentia.* *Salas.* *D.Bonau.* *Gabr.* *Richar.* *Marsil.* *Vega.* *Maior.* *Olcot.* *Palud.* *Duran.*

Secūda tamē sentētia est vera & tenēda, beatitudinē essentialiter tantū cōsistere in vna simplicissima operatione. Hęc est expressa D.Th.in hoc articulo, & omnium discipulorū eius,Caiet.Cōradi,& Medin. hic,Ferrarę 3.cōtra Gent.c.25.& 26.Sot.. in 4.d.49.q.1.art.3. Cano.12.de locis,c.14 immò

2.Senten. *Caietan.* *Conrad.* *Medina.* *Ferrar.* *Sot. Cano.* *Scotus.*

Scot. immò & illā tenet Sco. & illius schola. Est
Arist. etiam Arist. loquentis de beatitudine naturali (cuius eadē est ratio) 2. Ethic. c. 10. Et ratione probatur. Primò in illa operatione cōsistit beatitudo per quā Deū tenem⁹ & cōsequimur: sed Deū cōsequi & tenere, tantū est per vnicā operationē (nēpe intellectualē, vt infrà dicem⁹) ergo. Probatur minor, nā operationes Intellectus & Volūtatis non simul attingūt & ex æquo obiectum, sed suo ordine, vna prius altera: si quidē vna alteri præsupponitur. Tunc ergo sic arguitur; Vel obiectū consequitur per primā, vel nō: si cōsequitur, quādo aduenit secūda, iam adinuenit cōsequutum, & per ipsam nō consequitur: ergo in prima ante aduentū secundæ cōsistit essentialiter beatitudo: si autē primanō est assequuta, sed assequutio fit per secundā, in secūda cōsistit essentialiter; & nō in prima. Secundò probatur. Quāto res aliqua est excellētior & superior, tāto est magis vna & simplex: sed omniū excellētissimū & supremū est beatitudo: ergo simplex & vna. Maior patet, quia quæ in inferioribus sunt dispersa in superioribus adunantur, in illisq; eminenter cōtinentur; qua ratione Deus simplicissimus ponitur, in quo omnia eminēter cōtineantur, quia omniū est supremus. Tertiò probatur. Beatitudo est vna, nō per cōpositionē: ergo per simplicitatē. Minor probatur, nā operatio Intellectus & Volūtatis nō possunt facere cōpositionē, siquidē sunt in diuersis potētijs, neque potest assignari, quænā illarū sit materia, quæ autē forma, quod requiritur ad cōpositionē: nec potest dici, esse vnā aggregationē, sicut acernus, quia non esset perfecta vnitas decens beatitudini. Alijs rationibus probat Scot. 4.d.49 q.3. & Duran. q.4. n. 12. & Soto loco allegato, non tamen sunt multi roboris, & facilè soluuntur à Valēt. loco allegato, vnde solū istæ assignantur, quæ difficilē possunt habere solutionem.

Ad 1.arg. Ad primū arg. à principio resp. cū Magistro Cano lib. 12. de locis, c. 14. Pontificē dicere omnia quæ in beatitudine reperiuntur; nō autē curat de quæstione methaphysica, vtrū simul essentialiter in omnib⁹ illis cōsistat, an verò (vt veritas habet) essentialiter in vna, perfectè autē & cōpletiuè etiam in alijs: quod etiā patet ex intētione Pōtificis; definiebat enim cōtra quosdam hæreticos asserentes, animas nō beatificari ante diem iudicij: determinat ergo, quòd si statim sine impedimento decedāt, beatificātur: non erat autē intentū eius, determinare in quo essentialiter beatitudo cōsisteret. Ad D. Tho. resp. similiter, tantū ibi intendere ponere differentiā inter rationalia & nō rationalia, quòd illa beatificantur videndo & fruendo, ista verò non, quia huiusmodi beatitudinis nō sunt capacia; non autē determinat ibi, per quod illorū essentialiter homo beatificetur. Ad illud autem de dilectione resp. nō eodē modo pertinere ad beatitudinē, sicut dilectionē Dei; ista enim cōsequitur vt passio, sine qua forsan (vt infrà dicetur) beatitudo esse nō potest; quapropter dicitur à D. Tho pertinere ad essentiā: dilectio autē proximi non ita, sed omnino se habet extrinsecè, si enim proximus nō esset, neque talis dilectio reperiretur in beatitudine: si autē dilectio proximi sumatur vt necessaria ad dilectionem Dei, cōputātur cū illa vt passio; D. autē Tho loquutus est de illa absolutè & secundùm se.

Ad secundū arg. resp. non esse necessariā aliā cōpositionem Sāctorū, quā, vt dictum est, diuersimodè loqui, nō curādo de quæstione methaphysica, sed nominādo beatitudinē iam per actū Intellectus, iam verò Volūtatis, iā verò delectationis, quia omnia ista ibi reperiuntur, vt colligitur ex illo Cant. 2. Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me Charitatem; quē locū de amore beatifico explicat D. Greg. ibidē: & similiter explicat Homil. 21. in Ezechielē, illud Esaiæ 31. Hæc dicit Dñs, cuius ignis est in Siō, & caminus ignis in Ierusalē. Vbi nomine ignis in Ierusalē, intelligit Charitatem Patriæ, vt etiam explicat Glossa Interliniales ibidem.

Ad 2.arg. *D.Greg.* *Glo.Inter.*

Ad tertiū arg. resp. ibi definiri beatitudinē, vt nominat statū in quo omnia illa aggregantur, vt dictū est: nō autē vt nominat rē formaliter & essentialiter beatificantē. Vel dicitur secūdò, intelligēdā esse in sensu causali, vt suprà dictū est: licèt enim essentialiter importet vnicū actū, inde tamē plures dimanāt vt passiones, in quibus tota illa aggregatio bonorū reperitur. Ad illud autē, quòd beatitudo essentialiter dicit bonū perfectū, perfectū autē etiam includit passiones, immò & accidētia; quapropter beatitudo omnia illa cōplectitur: Respōdetur, verū esse, quādo in alijs rebus essentia est imperfecta, quoad vsq; tam existētia, quā proprietates aduenīāt, quia ante aduentū illorū, tantū intelligitur in potentia, & consequenter secundum quid, quia perfectissimus actus est existentia; beatitudo autem etiā secundū essentiā dicitur cōsistere in perfectissimo actu, non quia ad consti-

Ad 3.arg. *2. Solutio.* *Obiectio.* *1. Solutio.*

constitutionē essentiæ illius debeant intrare, quæ se habēt vt proprietates & accidētia illius, sed quia in sua ratione formali etiā ante aduentū passionū importat existentiā, cū cōsistat (vt dictū est) in actu secūdo. Vel clariùs dicitur, q beatitudo est
2. Solutio. summū & perfectū bonū causaliter, nō verò quòd formaliter in præciso cōceptu importet omnē perfectionē quā potest habere ab actibus superueniētibus accidētaliter: licèt, vt dictū est, etiā vt sic in proprio conceptu dicatur perfectior alijs essentijs, quæ in proprio cōceptu perfectionē non dicunt; quia vt sic, illæ cōsiderātur vt in potentia, beatitudo verò vt in actu secundo.
3. Solutio. Vel tertiò dicitur, beatitudinē cōsistere in vltimo actu, quia importat bonū perfectū in vltimo (inquā) actu ordine intētionis, nō verò ordine exequutionis. Licèt ergo quantū ad exequutionē amor sit vltimus, quantū ad intētionē verò visio est vltima; non enim est visio propter amorem, sed amor propter visionem. Et per hoc patet etiam ad confirmationem.

Ad 4. arg. Ad quartū arg. resp. Deum omnimodò cōsequi, dū per Intellectū consequitur, & in ratione veri attingitur, licèt tunc in ratione boni nō attingatur; quia attingi in ratione boni, nō est cōsequi, sed vel ad consequendū tēdere, vel in cōsequuto iam (per Intellectū) quiescere. Vnde negatur minor, quòd volūtas cōsequatur. Ad primam
cōfi. confir. resp. ibi cōprehensionē sumi latè, pro possessione; & quia Voluntas quasi possidet per adhęsionē, dicitur cōprēhendere, nō autem propriè: cū hæc sit differētia Intellectus & Voluntatis, quòd Intellectus trahit res ad se, & sic cōprehendit, Volutas verò fertur ad res, & sic nō cōprehendit, sed adhæret volito. Vel dicitur, Volūtatem cōprehendere per amorē præsuppositiuè, supponit enim bonū obtentū & cōprehensum, vt in illo maneat per amorem.
Ad 2. cōfi. Ad secundā confir. resp. matrimoniū substantialiter & essentialiter esse per vnionē Intellectus in Patria, immò & in Via, iuxta illud, Despōsabo te mihi in Fide. Cōsummatur autē hoc matrimoniū in Volūtate, vnde dotes nō solū sunt in Intellectu, sed etiam in Voluntate, licèt omnia illa ab Intellectu radicaliter proueniant.
Ad 5. arg. Ad quintū resp. beatitudinē essentialem non satiare formaliter appetitū omniū potentiarū, sed radicaliter, secundū quòd ab ipsa deriuatur in omnibus potentijs, per quod formaliter satiētur. Ad primā cōfir.
Ad 1. cōfi. quòd licet vtraq; potētia sit adeò perfecta, vt habeāt se sicut excedēs & excessum, nō tamen vtraque immediatè se habet ad essētiā, sed suo ordine, vna, mediāte alia: quapropter beatitudo non æqualiter & ex æquo in vtraq; debet esse, sed ad vnā ex altera debet redūdare, & sic in priori, ex qua *Ad 2. cōfi.* fit redundātia, essentialiter cōsistere. Ad secundā confir. resp. vtranque potentiā esse beatificabilē suo modò; alterā quidē essentialiter; alterā verò per redūdantiā, sicut & de corpore dicendum est, si de illo fiat argumentum.

Ad sextū resp. beatitudinē nō consistere *Ad 6. cōfi.* in maxima vnione vtcūque; omniū enim maxima vnio est hypostatica; si non esset beata: debet ergo consistere in maxima vnione per modū operationis cōsequentiuæ summi boni; hæc autē vna est, nō multiplex debet esse; vt enim optimè probat Durand. loco citato, n. 12. multiplex operatio, vel est eiusdē speciei, vel diuersę: primū dici nō potest; tū, quia fortè eiusdē speciei in eadē potētia esse nō potest; tū etiā, quia hoc dato, duæ operationes vel sunt æqualis vel inæqualis perfectionis; si æqualis, tantū vna potest sicut & alia: vnde altera superfluit: si inæqualis, vna est perfectior alia, & per illā fiet maxima vnio; vnde minùs perfecta redūdabit. Si autem dicas, huiusmodi operationes esse diuersæ speciei, fit idē argumentū; quia cū species sint sicut numeri, altera necessariò est perfectior, & sic illa erit maxima vnio, & mi- *Obiectio.* nus perfecta operatio nō erit necessaria. Et si cōtrà dicas, prædicta habere verū, cōparando alterā operationē ad alterā, nō autē cōparādo quālibet ad vtranq; simul, nā sic maior vnio est per vtrāque, quā per vnā solū, etiāsi ista assignetur ex illis perfectior alia: Respōdetur, quòd beatitudo nō con- *Solutio.* sistit in maxima vnione extēsiua: concedimus enim q extēsiuè maior est per duas operationes, intēsiuè tamē maxima debet esse per vnā operationē magis perfectā: q autē hæc maxima vnio debeat esse intensiua, & nō extēsiua, probatū est in cōclusione, ex impossibilitate cōpositionis vtriusq; operationis diuersæ potētiæ, scilicet, quia aliàs beatitudo esset vnū per accidēs, sicut aceruus lapidū; quod non est dicendum.

Ad septimum resp. q etiā beatitudo Dei *Ad 7. arg.* nō cōsistit in pluribus, sed in vnica tātùm operatione Intellectus; vnde si per impossibile deficeret amor, inde deficeret beatitudo Dei: nō quia beatitudo in amore cōsistat, sed quia cū amor Dei sit ipse Deus, deficiētę amore, deficeret Deus, & consequenter

quenter beatitudo eius,quæ cũ eo identificatur,sicut si deficeret misericordia Dei,deficeret etiam & beatitudo, quia deficeret Deus,qui est ipsa misericordia; nõ tamen quia beatitudo in misericordia cõsistat; ita similiterdicẽdũ de amore,illud prouenire ex reali idẽtitate,nõ autẽ quòd formaliter, vt à nobis concipitur,beatitudo in amore consistat.

DVBIVM II.

Vtrũ beatitutdo sit operatio Intellectus,an verò Voluntatis.

1.*Sentent. Aurcoli.* IN hac re est prima sentẽtia Aureoli in 4.d.49. quòd nostra beatitudo cõsistit in actu Volũtatis, quæ est delectatio, vel fruitio. Cuius etiam sententiæ fuit(loquẽdo de beatitudine naturali) Eudosius, quẽ refert Arist.1.Ethic.c.2. Hæc sentẽtia probatur. Primò Matth.25.vbi loquẽs de beatitudine dicit: Intra in gaudiũ Dñi tui; & Ioan.15.Vt gaudiũ meũ in vobis sit, & gaudiũ vestrũ sit plenũ. Et c.16.Gaudium vestrũ nemo tollet à vobis. Itẽ ex D.Aug. 8.de Ciuit.c.9.vbi expresse dicit, q̃ homo est beatus fruẽdo summo bono. Et similia verba habet 1.de doctr.Christ.c.32.& 10. Cõf c. 23. Immò & D. Th.infrà q.11.art. 3.ad 3.dicit, q̃ fruitio est adeptio vltimi finis,in quo vtique(dictũ est) beatitudinem cõsistere. Et q.34.art.3.docet, posse cõcedi de delectatione,quæ est fruitio,esse vltimũ finẽ;& cũ hoc non habeat verũ de fine qui,remanet vt verũ habeat de fine quo:est se autẽ finẽ quo,& assequutionẽ ipsius finis,idem est quod beatitudo formalis.

1. *Arg.*

2. *Arg.* Secũdò arg.rationẽ. Beatitudo formalis nihil aliud est quã quies vltima, & satietas beati in summo bono:sed vltima satietas & quies est per delectationẽ,& quidquid illã antecedit habet rationẽ motus,& tẽdentiæ ad talem quietem:ergo in huiusmodi delectatione beatitudo consistit.

3. *Arg.* Tertiò arg. Cruciatus damanatorũ sunt summa pœna: ergo gaudiũ beatorum est summũ prẽmiũ. Patet cõsequetia, nã sic se habet pœna indemeritò, sicut præmiũ in merito:ergo si pœna peccati est cruciatus, præmiũ meriti erit delectatio. Antecedens verò probatur ex.c.Maioris,de Baptismo & eius effectu,vbi dicitur,carentiã diuinæ visionis esse pœnã originalis;cruciatus verò pœnã actualis. Et secũdò probatur,nam si summa pœna est carẽtia diuinę visionis, & nõ cruciatus,qui in originali decedunt summã patiũtur pœnã: quod nõ est dicendum de peccato nõ cõmisso propria Voluntate,

4. *Arg.* Quartò arg. Delectatio est nobilior omni operatione ad quã cõsequitur:ergo in delectatione beatitudo cõsistit, & nõ in aliqua prẽuia operatione,ad quã delectatio cõsequatur. Antecedẽs probatur. Operatio appetitur propter dilectionẽ, & nõ è cõtra: ergo delectatio est nobilior. Ista cõsequentia patet,nã finis nobilior est illo quod est; ad illũ. Istud verò antecedẽs vltimũ probatur,nã vltimũ in exequutione, est primũ in intẽtione;cũ ergo delectatio in exequutione sit vltima,in intẽtione erit prima, & sic erit finis. Secũdò probatur idẽ antecedẽs,nã id quod posterius est,nõ potest assumi vt mediũ ad id quod est prius:si ergo delectatio est posterior & vltima non potest assumi, vt mediũ ad visionẽ vel amorem,sed è contra, & sic delectatio habebit rationem finis.

5. *Arg.* Quintò arg. Secundũ D.Th.in hac q.ar. 2. Beatitudo cõsistit in vltimo actu:sed vltimus actus est delectatio: ergo. Probatur minor,nã videns & amãs, adhuc est in potẽtia vt delectetur: posita autẽ delectatione,ad nihil manet potẽtia,sed est iã in vltimo in quo potest esse:ergo. Confirmatur ex Arist.10. Ethi.c.4.vbi dicit,q̃ delectatio perfecit operationẽ,sicut decor iuuentutẽ:ergo ex mẽte Arist. operatio, siue Intellectus,siue Volũtatis,habet rationẽ potentiæ,& perfectibilis; delectatio verò rationem actus & perfectionis.

Confir.

6. *Arg.* Sextò arg. Beatitudo cõsistit in perfectissima operatione ex omniũ consensu: talis autẽ est delectatio:ergo. Minor probatur. Illud est melius,cuius oppositũ est peius: sed peius est carere delectationes quã carere visione. Probatur ista minor, quia omnes refugiũt tristitiã, & dolorẽ, & si visio, vel alia operatio appetitur,est vt illa delectẽtur,aliàs si delectatio deficiat, nihil curant de operatione. Cõfirmãtur,quia si videmus hominẽ in tormẽtis & doloribus, etiã si sit Rex,appellamus eũ misserũ:ergo dolor est miseria, & delectatio oppositа erit beatitudo. Cõfirmatur secũdò. Si per potentiã absolutã Dei (quod fieri potest) videns Deũ,cõtristetur & tormẽtis inferni crucietur;aliùs verò nõ videns Deũ,magnis delectationibus perfruatur;certè iste secũdus erit primo beatior; ad quid enim primoprodest suavisio? ergo beatitudo ex delectatione attenditur.

Confir.

Confir.

7. *Arg.* Septimò arg. Si propter aliquã rationẽ delectatio nõ esset beatitudo, maximè ex ratione D.Th.quia delectatio supponit iã summũ bonũ adeptũ,& cõsequenter subiectum

iectũ beatũ, quia beatitudo assequutionẽ summi boni importat: sed hęc ratio suppo nit falsum: ergo. Probatur minor, nã licèt delectatio cõsequuta ad amorẽ cõcupiscẽtiæ, supponat adeptionẽ; delectatio tamẽ cõsequuta ad amorẽ amicitiæ, nõ supponit cõsequutionẽ; quia hæc est differentia secundũ D.Th. quòd amor cõcupiscẽtiæ fertur in Deũ vt habitũ & possessũ, & vt bonũ ipsius beati; amor verò amicitię respi cit vt in se bonũ, nõ curãdo de possessione ipsius, sed est diligere Deũ propter se ipsum: ergo delectatio ad huiusmodi amorẽ cõsequuta nõ supponit Dei consequutionẽ, & sic in illa beatitudo poterit cõsistere.

2. Sentent. Scoti. Secũda sentẽtia est Scot. in 4.d.49.q 4.& 5. vbi ait, beatitudinẽ cõsistere in actu volũ tatis qui est amor, nõ concupiscentiæ, sed amicitiæ; in amore (inquã) nõ vtcunq;, sed vt visione clara regulatur; quia licèt amor Viæ & Patriæ sint eiusdẽ rationis; amor tamẽ Viæ rationẽ beatitudinis non habet, quia nõ clara Dei visione, sed fide obscura regulatur. Iuuãt sententiã Scoti omnes au thores citati pro prima sentẽtia in præce dẽti dubio, quia licèt asserãt, beatitudinem cõponi ex actu Intellectus & Voluntatis, præcipuè tamen dicunt consistere in actu Volũtatis, quã in actu Intellectus. Senten tiã Scoti sequũtur Ægidius quodlib. 3. q. 19. Henricus in Sum. art. 49. q. 6. Hęc sententia probatur. Primò ex D. Aug. Epistola ad Macedoniũ, quæ est 52. vbi ait, quod in beatitudine & erit virtus & præmium: quod in sanctis eloquijs homo qui hoc amabat, dicebat: Mihi autẽ adhærere Deo, bonũ est: hæc ibi erit plena, & perpetua sapientia, eadẽq; veraciter vitabeata. Et sermo. 53. de tempore, ait Charitatẽ esse præmiũ Sanctorũ in cœlo, quia in illo perenni gaudio nihil gratius, nihil dulcius habent Sãcti perfecto amore Dei. Idem docet D. Chrysost. Hom. 64. ad Populum Antiochenum, vbi asserit incorporeas virtutes, ideò esse beatas quia diligunt Deum. Et D. Amb. li. 1. de Iacob, & vita beata, c. 7. docet, nostrã beatitudinẽ cõsistere in Charitate, immò & D. Th. 2.2.q.27.art.6.ad 3. docet, quòd actus Charitatis habet rationẽ finis, quia vltimũ bonũ hominis in hoc consistit, quòd Deo vniatur; quã vnionẽ perfectissimè facit actus Charitatis; vt etiã docet ipse infrà q.28.art.1.& 2. ex D. Dion. c.4. de diuin. nom. hunc esse effectũ amoris, quòd faciat vnionẽ perfectissimam inter amantẽ & amatũ. Idẽ docet q.1. de potentia, art.1. ad 5. arg. dicens, quòd fruitio est beatitudo rationalis creaturæ. Scotus autem etiam amorem prædictum nomine fruitionis appellat.

Ægid. Henric.

1. Arg.

Secundò arg. ratione. Beatitudo debet cõsistere in perfectissimo actu (vt dictum est) sed amor amicitiæ est perfectior, quã visio: ergo in amore, & nõ in visione beatitudo consistit. Minor probatur. Primò, ex D. Diony. 7. c. cœlest. Hierar. (quem in hac parte omnes Theologi sequuntur) disponẽte choros Angelorũ ordine dignitatis; vbi in supremo loco collocat Seraphinos, qui dicuntur accẽsi, & ardẽtes Charitate; in secũdo verò loco Cherubinos, qui dicũtur pleni sciẽtia: sentit ergo, quòd etiã in Patria primũ locũ obtinet amor, quàm cognitio. Secũdò probatur eadem minor. Volũtas est præstantior potẽtia quã Intellectus: ergo & actus illius. Cõsequentia patet, tũ quia potẽtiæ per actus distinguuntur; tũ etiã, quia quilibet actus perfectioris potẽtiæ debet esse perfectior quocunque actu potẽtiæ minus perfectę; sicut & quælibet species perfectioris generis, est perfectior quacunque specie generis imperfectioris; siquidẽ quæcunque differentia cõtractiua generis perfectioris, debet esse perfectior, cũ suo generi debeat proportionari; qua ratione dicitur, quòd etiã musca perfectior est cœlo, quia cõtinetur sub genere perfectiori, nẽpe viuẽtis. Antecedens verò probatur, quia Volũtas est formaliter libera, & per ipsam sumus domini nostrarũ actionũ, non autẽ per Intellectũ, qui tantũ radicaliter est liber, & ab extrinseca motione Volũtatis. Itẽ etiã, quia Volũtas est primũ monens omniũ potentiarũ quoad exercitiũ. Itẽ quia est subiectum perfectissimi habitus, nẽpe Charitatis, de qua Paulus: Maior horũ est Charitas. Itẽ quia à Volũtate dicitur homo simpliciter bonus vel malus, nõ autẽ ab Intellectu vel alia Potẽtia. Tertio probatur eadẽ minor principalis, quia illud simpliciter est perfectius & melius, quod est alteri præferendũ: sed huiusmodi est amor Dei: ergo iste est præstantissimus actus. Ista minor probatur; tũ ex D. Ansel. lib. 2. Cur Deus homo, c.1. dicẽte esse peruersum ordinẽ, amare ad intelligendũ; rectissimũ autẽ, intelligere ad amandũ. Si ergo cõstituit amorem finẽ intellectionis, dicit, amorẽ esse præferendũ intellectioni: tũ etiam, quia oppositũ amoris debet magis detestari, quàm oppositũ visionis: ergo amor præstantior est

2. Arg.

visione.

visione. Consequentia patet, quia illud est perfectius & eligibilius, cuius oppositum est peius & detestabilius. Antecedens verò probatur, quia odium Dei detestabilius est, quã error oppositus visioni Dei; & potiùs quis deberet eligere ex duobus malis, carere Dei visione, quàm Dei amore; & potiùs deberet eligere non esse beatum, & in Charitate, quàm videre Deum & in peccato mortali, si hoc esset possibile: quod & manifestum est in Moyse Exodi 33. qui ob delendum peccatũ non sui, sed aliorum, nẽpe populi, eligebat carere Dei visione, dicens: Aut dimitte illis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti; ac si diceret, Dimitte illis, etiam si ad hoc oporteat me tua clara visione priuari. Hoc etiam patet in D. Paulo ad Romanos 9. Cupiebam anathema esse pro fratribus meis; ac si diceret: Vt ipsi à delicto exeant, optabam anathema esse, (hoc est) separatus à Christo (si hoc est necessarium) non separatione amoris, quia hoc non licet eligere, in commodum aliorum, etiam totius mundi; sed separatione visionis ad tempus. Quartò probatur eadẽ minor principalis, quia quod est posterius generatione, est perfectius, vt docet Aristoteles 9. Meth. & constat experientia, quia natura in generatione semper procedit ab imperfectis; vnde primò confert vitam vegetabilem, posteà sensitiuam, & posteà rationalem, in generatione hominis; sed amor, etiam in Patria, est posterior generatione, quàm visio: ergo perfectior. Quintò probatur eadem minor. Actus amoris attingit Deum sub præstantiori ratione quàm visio: ergo actus amoris est perfectior. Consequentia patet, quia perfectio actus sumitur ex perfectione formalis obiecti. Antecedens verò probatur, nam actus amoris attingit Deum vt in se, visio verò attingit Deum, vt in cognoscente; siquidem hæc est differentia, quòd Voluntas fertur ad res, Intellectus trahit res ad se. Quapropter optimè dixit D. Thom. 1. part. quæstione 18. artic. 6. ad tertium, quòd respectu rerum excellentiorum & superiorum ad nostras potentias, perfectior est amor, quàm intellectio; qua ratione amor assurgit ad ipsam rem vt in se, intellectio verò manet inferior, quia obiectum cadit & descendit per proportionem ad potentiam, vt attingatur ab illa: quod alibi dixit D. Thom. quòd Intellectus in intellectione inferiorum vilescit, & res cognitæ dignificantur ad melius, vt fiat proportio: in cognitione verò superiorum dignificatur Intellectus, quia assurgit ad melius; quodammodò autem vilescit obiectum, quia descendit dum trahitur ab Intellectu: ergo. Tùm etiam, quia, vt dicit D. Thom. 1. part. quæst. 5. bonum est ens perfectum: verum autem tantùm dicit ens, quia bonum importat existentiam, verum autem minimè: vnde rosa in Hyeme est vera, sed non bona: ergo obiectum Volũtatis perfectius est quã obiectum Intellectus.

Tertiò principaliter arguitur. Beatitudo dicit consequutionem vltimi finis, vt patet ex D. Tho. hic: sed per actum voluntatis melius & perfectius fit huiusmodi cõsequutio: ergo in actu voluntatis consistit beatitudo formalis. Minor probatur. Primò, nam consequutio correspondet desiderio; cùm ergo in voluntate sit duplex desiderium summi boni, alterũ quod nascitur ex amore concupiscentiæ, alterum verò quod nascitur ex amore amicitiæ; consequenter duplex consequutio debet assignari, altera correspondens desiderio concupiscentiæ; altera correspondens desiderio amicitiæ. Visio quidem est consequutio desiderij concupiscentiæ: restat ergo assignanda consequutio desiderij amicitiæ; hæc in Intellectu assignari non potest: ergo in Voluntate. Quòd autem hæc sit perfectior consequutio, quàm consequutio Intellectus, patet, quia sicut amor & desiderium amicitiæ est perfectior, quàm amor & desiderium concupiscentiæ, ita & consequutio correspondens amicabili desiderio, debet esse perfectior. Secundò probatur eadem minor. Consequutio nihil aliud est quàm vnio cum ipso Deo; hæc sit melius per Voluntatem: ergo & consequutio. Ista minor probatur, quia, vt dictum est, ex Dionysio 7. cap. Cœlestis Hierarchiæ, amor est vis vnitiua & transformatiua amantis in amatum; in tantum, quòd, vt ait Augustinus tomo 9. in expositione 1. Ioannis, tractatu secundo prope finem, talis est quisque, qualis eius dilectio est. Terram diligis? Terra eris. Deum diligis? quid dicam? Deus eris. Non audeo dicere ex me; Scripturas audiamus. Ego dixi: Dij estis; quod prædicto modo debet dici & intelligi, per amorem. Tertiò probatur eadem minor. Principalis consequutio summi boni, vel est vnio

3. *Arg.*

D. Aug.

cum

cum Deo in ratione obiecti, vel secundum esse reale; primum dici non potest, quia auarus non se existimat beatum per vnionem cum pecunijs per modum obiecti; sed per realem vnionem per possessionem illarum; tùm etiam quòd vnionē per modum obiecti non minus importat Voluntas, quàm Intellectus: quilibet enim potentia hanc vnionem habet cum suo obiecto. Si ergo dicas secundum, tunc Voluntas melius vnitur cum Deo, quia, vt dictū est suprà, Voluntas habet pro obiecto bonum & Deum vt in re; Intellectus autem non vt in re, sed vt in ipso Intellectu. Vnde si per possibile, vel impossibile, Deus maneret in ratione obiecti, & non secundùm esse reale, maneret vnio Intellectus, non verò Voluntatis: ergo cum Deo secundùm esse reale perfectiùs vnitur Voluntas. Quartò probatur eadem minor. Consequutio dicit vnionem cum summo bono, vt bonum est vltimus finis, quia vt sic, est beatitudo obiectiua, & consequenter vt sic, debet esse vnio cum illo, vt talis dicatur consequutio & beatitudo formalis; sed vnio secundùm istam rationem fit per Voluntatem: ergo. Probatur ista minor, nam vt sic, bonum & finis sunt obiectum Voluntatis: ergo vniri cum illo vt sic, ad Voluntatem pertinet. Patet ista consequentia, nam vnio cum ratione formali obiectiua alicuius potentiæ solùm pertinet ad talem potentiam, vt vnio cum colore, vt color tantū pertinet ad visum. Quintò probatur eadem minor principalis. Tendentia ad consequendum summum bonum, pertinet ad Voluntatem: ergo & consequutio. Consequentia patet, quia eiusdem mobilis est, v.g. consequi centrū, cuius est tendere in ipsum. Antecedens verò probatur, quia tendentia illa est per meritum; meritum autem tantùm est in Voluntate, vel à Voluntate dimanans; nulla enim actio est meritoria nisi ex motione, directione, vel imperio Voluntatis.

4. *Arg.* Quartò principaliter arguitur. Quæ in beatitudine numerantur, vt annexa & propria illius status, potiùs pertinēt ad Voluntatem, quàm ad Intellectum: ergo beatitudo essentialis potiùs est in Volūtate. Consequentia patet, nam ex proprietatibus cognoscitur essentia; quia proprietatum fons est essentia; si ergo ex Voluntate tales proprietates dimanant, in Voluntate est essentia & fons illarum. Antecedens verò probatur, nam præcipua proprietas est impeccabilitas, quæ quidem ad Voluntatem pertinet: repugnat enim peccatum cum Charitate & amicitia pertinente ad Voluntatem, non autem repugnat cum visione in Intellectu, forte enim videns Deum, posset esse in peccato, non autem Dei amicus & in Charitate existens. Item altera proprietas est delectatio, quam ad Volūtatem pertinere dicit D. Thom. quæst. sequēti, artic. 1. in corpore, & artic. 2. ad 2. Item altera proprietas est quies, vt patet ex D. Thom. infrà quæst. 5. artic. 2. ad 3. hæc autem nascitur ex amore amicitiæ, quo redditur conformis beatus Deo manens in illo.

5. *Arg.* Quintò principaliter arguitur. Si propter aliquam rationem beatitudo non est actus Voluntatis, maximè quia, vt dicit D. Thomas ad 2. beatitudo est obiectum Voluntatis; actus autem alicuius potentiæ nō potest esse primum obiectum illius: sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor, quia hæc ratio tantùm concludit de beatitudine obiectiua, non autem de beatitudine formali: posita enim obiectiua, vt primum obiectum Voluntatis, posset poni formalis per actum ipsius Voluntatis tendentis in talem beatitudinem obiectiuam.

6. *Arg.* Sextò principaliter arguitur. Beatitudo est maximè amabilis, & desiderabilis, & in quod homo maxime inclinatur: sed maximè desiderabile & in quod maxime inclinatur homo, est actus amoris in Patria: ergo ille est beatitudo. Minor probatur. Inclinatio hominis, & appetitus eius, est per Voluntatem; quia ista est appetitus vniuersalis totius hominis: ergo magis inclinatur per Voluntatem ad propriam perfectionem ipsius Voluntatis, quàm ad perfectionem aliarum potentiarum. Patet ista consequentia; nam magis inclinatur aliqua potentia ad propriam perfectionem, quàm ad alienam aliarum potentiarum; ergo licèt Voluntas appetat Intellectui visionē, magis appetit sibi amorem, quia magis satiatur per proprium actum amoris, quàm per visionem Intellectus.

Pro intelligentia supponendum, quòd supposito iam ex dubio præcedenti, beatitudinem non debere consistere in multis operationibus, sed solùm in vna, procedimus inquirere in qua consistat; si in amore, vel invisione, vel delectatione; isti enim sunt præcipui actus Intellectus & Voluntatis; de quibus potest esse dubium: nam licèt alij sint actus Intellectus & Voluntatis,

tis,non debet controuerti,vtrùm in aliquo illorum consistat, cùm sint actus minus perfecti. Nec retulimus etiam sententiã Paludani distinguentis beatitudinem, quòd alia sit contemplatiua seu speculatiua,alia verò actiua seu practica. Prima dicit quòd consistit in Intellectus visione: secunda verò in amore & visione,quia praxis vtrũque importat, & ex parte Intellectus, & ex parte Voluntatis. Sed hoc certè super fluum est; vna enim debet esse beatitudo hominis, & sic vel debet assignari in pluribus actibus simul, vt assignat prima sententia dubij præcedentis, vel in vna solùm, quæ vel sit delectatio, cum Aureolo; vel amor amicitiæ, cum Scoto; vel visio, cum D. Thom. nam in hac sola vnica actione assignabitur & ratio speculatiua & practica,si non formaliter,tamẽ eminenter,vt infrà patebit articulo sequenti.

1. Conclu. Prima conclusio. Beatitudo essentialis non potest cõsistere in delectatione. Hæc est communis Theologorum,quæ probatur primò. Delectatio est propter operationem vt propter finem, vt ostenditur infrà quæst.4.ergo non potest delectatio esse consequutio vltimi finis, & consequenter neque esse beatitudo formalis; de qua ratione legatur Ferrara 3. contra Gentes, c.23.ratione.6. Secundò probatur. Beatitudo debet consistere in aliquo quod sit peculiare rationalis creaturæ: sed delectatio etiam conuenit irrationalibus: ergo. Tertiò probatur. Delectatio non est consequutio summi boni: ergo non consistit in illa beatitudo. Consequẽtia patet, nam, vt dictum est, beatitudo dicit consequutionem,vt patet Matthæi 25. Percipite regnum,& 2.Corinthiorum 9. Sic currite, vt comprehendatis. Antecedens verò probatur, nam delectatio est quies in bono adepto:ergo supponit adeptionem, & sic ipsa non erit adeptio. Hac ratione vtitur D. Thom.quæst.2.art.6.& in hoc artic. & q. 4.a.3.& doctrina eius desumpta est ex Aristote.10.Ethicorum,cap.2. Quartò probatur. Delectatio non est actus perfectissimus:ergo non consistit in illa beatitudo; hæc enim in actu perfectissimo debet consistere. Antecedens verò probatur,nam delectatio potius pertinet ad concupiscentiam,quàm ad amicitiam, dicit enim gaudium de bono,vt proprium illius,& ab illo possessum. Vltimò probatur,quia delectatio in Via & in Patria sunt eiusdem rationis:sed in Via nõ est essentialis beatitudo: ergo nec in Patria. Patet consequentia,nã ratio essentialis semper inuariata manet.

Obiectio. Et si contrà dicas, quòd gaudium & delectatio non solùm pertinent ad concupiscẽtiam,vt volebat Duran.in 4. d. 49. q. 4. & Caieta. 2. 2.q.26.art.1. sed pertinet ad amicitiam,vt docet D.Tho.quæst.28.art.1.ad 3.& art.2.vbi docet,posse aliquem delectari de bono diuino, etiam secundùm se, vt bonum Dei est:immò in Patria hoc habet primariò,secundariò autem beatus delectatur de bono diuino,vt est bonum propriũ beati: ergo licèt beatitudo non consistat in delectatione cõcupiscentiæ; bene tamẽ in delectatione amicitiæ: Respondetur, *Solutio* propterea nos dixisse, delectationem magis pertinere ad cõcupiscentiã,vt nõ excluderemus,posse etiã esse amicitiæ:sed de ista delectatione amicitiæ procedũt aliæ rationes,quòd etiam illa non est consequutio.

2.Conc. Secunda conclusio. Beatitudo essentialis non cõsistit in actu amoris qui habetur in Patria. Hæc est contra Scotum & eius sequaces,docet illam D. Thom. hic, & 3. contra Gent.cap.25.& 26. Quæ probatur primò ratione D.Thom.ad 2.hic,& 3.contra Gent.vbi suprà. Beatitudo est primum & principale obiectum Voluntatis: ergo non potest consistere in actu illius. Consequentia patet,nam actui potentiæ supponitur eius obiectum: ergo primum obiectum supponitur etiam primo actui: sed actus sibimet præsupponi non potest: ergo actus non potest esse primum obiectum. Sed arguit contrà Henricus vbi su- *Obiectio.* prà, d. 49. quæst. 6. quòd ex hac ratione etiam sequeretur, non etiam consistere in actu Intellectus; nam, cùm etiam debeat esse obiectum Intellectus,non poterit esse actus Intellectus. Respondetur tamen, *Solutio* quòd D.Thom.hic non solùm assumit beatitudinem obiectiuam, circa quam etiam Intellectus versatur;hæc enim etiam actus Intellectus esse non potest; sed est ipsa Deus;sed loquitur D.Thom.de beatitudine vt integratur ex obiectiua & formali; immò proprius de ipsa formali; illa enim est obiectum Voluntatis,appetitum & desideratum ab illa;non ergo beatitudo formalis potest esse actus ipsius Volũtatis;hęc autẽ beatitudo formalis,nõ est obiectũ Intellectus,vnde actus eius potest esse. Secũdò probatur cõclusio. Beatitudo dicit cõsequutionẽ;amor non consequitur:ergo in amore non cõsistit. Minor probatur,quia amor supponit bonũ iam consequutum.

Si

Solutio. Si reſpondeatur cum Scoto, etiam amorem eſſe conſequutionem, & perfectiorem quàm viſio; quia conſequutio dicit transformationem, quæ vtique melius fit per amorem, vt dicit Henricus vbi ſupra: immò & Albertus Magnus in prima, diſtin. 1. articul. 15. Contrà arguitur, *Impug.* nã obiectũ ſupponitur cõſequutũ per Intellectũ: ergo non cõſequitur per Volũtatẽ. *Solutio Scot.* Reſpondet Scot. quòd vtraque potẽtia cõſequitur, & melius per Voluntatẽ; quia licèt cõſequutio Intellectus ſit prior gene ratione, cõſequutio tamẽ Voluntatis eſt *Impug.* prior perfectione. Sed cõtrà arguitur, nã actus Voluntatis, vel eſt quies, vel deſideriũ: ſi quies, iã dicit conſequutũ bonum in quo quieſcit: ſi deſiderium, reſpicit bonũ *Solutio.* conſequendũ: ergo nullo modo poteſt poni conſequutio in actu Volũtatis. Si reſpõdeatur cũ Scoto, nõ ſufficiẽter enumeraſſe D. Tho. omnẽ actum Voluntatis, quia vltra delectationẽ & deſiderium, eſt actus amoris amicitiæ: licèt ergo probet de delectatione & deſiderio, nõ importari cõſequutionẽ, nõ tamẽ id probat de actu amo- *Impug.* ris: Contrà tamẽ arguitur, quia huiuſmodi tertij actus meminit D. Tho expreſſe quidem 3. cõt. Gentes, c. 26. ratione quinta, & eadẽ ratione excluſit illũ actum à ratione beatitudinis, quia non eſt cõſequutio, & etiã virtualiter in hoc articulo excludit prę dictum actum, dicens, quòd Voluntas abſtrahit â præſentia vel abſentia; vnde ex propria ratione non dicit conſequutio- *Solutio.* nem ſicut Intellectus. Si reſpondeatur cum Scoto, quòd etiam Intellectus abſtrahit à præſentia vel abſentia: dicere autem quòd non abſtrahit per notitiam intuitiuam, & in hac conſiſtere beatitudinem, non ſufficit, quia etiam Voluntas, licèt abſolutè & ſecundùm ſe, abſtrahat à præ ſentia vel abſentia, non tamen per actum amoris conſequutum ad viſionem: ergo in tali actu importante præſentiam, & con ſequenter aſſequutionem, poterit conſi- *Impug.* ſtere beatitudo: Contra tamen arguitur, quia actus amoris, ſiue antecedens, ſiue ſubſequens viſionem, eſt eiuſdem ſpeciei: ergo ſi antecedens viſionem, procedens tantùm ex Fide, non eſt conſequutio nec beatitudo, nec etiam vt conſequens. *Solutio.* Si reſpondeatur cum Scoto quę ſtio. 5. diſtinctionis citatæ. §. ad quæſtionem, duplici ſolutione, quòd licèt vterque amor ſit eiuſdem ſpeciei; qui conſequitur tamen ad viſionem, habet certum gradum, quem non habet amor procedens ex Fide, ratione cuius, qui conſequitur ad viſionem, eſt conſequutio & beatitudo formalis: Contrà tamen ar- *Impug.* guitur, nam ille gradus vel eſt eiuſdem ſpeciei cum amore ante viſionem, vel diuerſæ ſpeciei. Secundum dici non poteſt, nam omnis gradus alicuius formæ eſt intra ſpeciem talis formæ. Si autem dicas primum, amor ante viſionem poterit creſcere vſque ad illum gradum, & ſic eſſe conſequutio & beatitudo, quia quælibet forma eiuſdem ſpeciei poteſt augeri & *Solutio.* deuenire ad perfectionem alterius. Si reſpondeatur pro Scoto, quòd forma poteſt conſiderari tripliciter; vel ſecundùm ſpeciem, vel ſecundùm intenſionem; vel ſecundùm ſtatum, & ea quæ ſibi competunt quaſi ab extrinſeco ex coniunctione ad aliud; quælibet ergo forma licèt ſit eiuſdem ſpeciei cum altera, & ſecundùm intenſionem, ad ipſam poſsit peruenire; vna tamen ratione ſtatus aliquid poteſt habere, ratione cuius altera ad ipſam non poſsit pertingere, niſi mutando ſtatum: ſicut v. g. lux Auroræ licèt ſit eiuſdem ſpeciei cum luce meridiana, & abſolutè poſsit intendi vſque ad meridianam lucem, intra ſtatum tamẽ Auroræ non ſic poteſt perfici, vt perfectionem meridianæ lucis attingat. Idem patet de perfectione pueritiæ reſpectu perfectionis Iuuentutis; & clariùs in viſione Pauli in raptu; erat enim eiuſdem ſpeciei cum viſione beatorum, & fortè intenſior, quàm eſſet viſio illorum, & nihilominus non faciebat illum beatum defectu perfectionis ſtatus Patriæ, in qua haberet durationem & perſeuerantiam, quam tunc non habebat, ſic ergo in præſenti, amor Viæ, licèt ſit eiuſdem ſpeciei, & adeò intenſus, vt amor Patriæ, nunquàm tamen habebit illam perfectionem ſtatus, ratione cuius in Patria amor conſequens viſionem dicit ſuauitatem, continuationem, & perpetuam durationem, quam non *Impug.* dicit in Via. Contra tamen arguitur, quia licèt ita ſit, quòd ratione ſtatus habeat prædictam perfectionem, quam in Via habere non poteſt, nunquam tamen huiuſmodi perfectio ſufficit, vt amor etiam Patriæ ſit conſequutio: ergo non ſufficit vt ſit beatitudo. Antecedens probatur, quia illa perfectio ſuperaddita debet eſſe iuxta naturam ipſius amoris, & non extra ſpeciem illius: ſi ergo

amor ex sua specie nō dicit cōsequutionē, vt patet in Via, ex perfectione superueniē ti nō potest fieri vt amor sit consequutio. In exēplo autē visionis Pauli, posita dura tione perpetua in tali visione, esset beatitu do, cum aliàs defectu durationis id non ha beret, quia visio etiā non durans erat cōse- quutio, & tantū defectu durationis nō erat beatitudo: si autē ex se consequutio nō es- set, etiam si duratio adiungeretur, nō effi- ceretur beatitudo. Cōfirmatur, quia amor, *Confirm.* siue antecedat, siue sequatur visionem, ex propria ratione consistit in quadā inclina tione ad bonū, vt docet D. Tho. 1.p.q.80. art.1. & probat, in omni actu appetitus, si- ue naturalis, qui sequitur ad formā natura- lē, siue animalis, qui sequitur formā appre henſam per sensum, siue rationalis, qui se- quitur ad formam apprehensam per ratio nē, in omnibus illis appetitus dicit inclina tionem, in non animatis, per modū ponde res, vt in lapide, in animātibus, per modū actus eliciti: ergo si amor est actus appeti- tus, essentialiter dicit inclinationē & tendē tiam ad bonū, & consequenter nō dicit cō sequutionem, quia ad consequutū non tē ditur, sed ad consequendū. Si respondea- *Solutio.* tur cū Durando, q. citata, num. 10. hoc ha- bere verū in appetitu naturali & animali, non autē in rationali, quia appetitus natu- ralis & animalis, est cōcupiscētiæ, vnde di- cit tendentiā ad assequutionē boni, vnde talis appetitus nō potest esse consequutio, bene tamen appetitus rationalis, quia cùm possit esse amicitiæ, huiusmodi nō respicit bonū vt consequendū, sed vt in se: si ergo ex propria ratione nō dicit ordinem ad cō sequutionē, ipse amor amicitiæ erit conse quutio, quatenus sistitur in ipso amore bo ni amici: Contrà tamē arguitur, quia actus *Impug.* secundus necessariò debet esse iuxta natu- ram actus primi, neque potest habere ratio nem oppositam: sed actus secundus & po tētia volitiua, essentialiter est inclinatio & appetitus: ergo quilibet actus secundus & operatio eius necessariò habet rationē ap- petitus & inclinationis, siue sit actus amici tiæ, siue concupiscentiæ. Si respondeatur, *Solutio.* quòd amor amicitiæ dicit inclinationē & tendentiam ad consequutionem boni in amico, non autem respicit & tendit ad cō- sequutionem in subiecto talis amoris: po- test ergo respectu ipsius subiecti esse conse quutio, licèt respectu obiecti & amici sit tē dentia ad cōsequutionem: Contrà tamen *Impug.* arguitur, quia si talis amor est amicitiæ, nul lo modo respicit commodū & bonū ip- sius subiecti, sed tātum amici: ergo si respe ctu talis amoris tantùm est bonum amici, & ad illud est inclinatio, in ipso autem sub iecto per talem amorem formaliter nō re- portatur aliquod commodum, ratione cu ius sit consequutio, omnino manet extra rationē beatitudinis formalis, quæ necessa riò dicit reportationem commodi & boni respectu ipsius subiecti, hoc enim dicit cō sequutio, quæ est de ratione beatitudinis formalis. Tùm etiā impugnatur, nā ista cō sequutio quā ponit Scotus in actu amoris, vel est partialis cū consequutione Intelle- ctus, vel quælibet illarū est totalis. Secun- dū dici non potest, quia sicut duæ causæ eiusdē effectus esse nō possunt; ita nec duę cōsequutiones totales eiusdē rei. Si autē di cat primū, non defendit Scotus suā senten tiā, sed trāsijt in alienā; nēpe beatitudinem consistere in actu vtriusq; potentiæ, nam beatitudo totalem consequutionem de- bet importare.

His rationibus cōuictus Scotus relin- quit solutionē assignatā, videlicet quòd amor viæ & patriæ sint eiusdē speciei, & penes diuersum gradū, alter sit beatitudo, alter verò nō: vnde adhibet secundā solu- tionē, dicens, amorē Viæ & Patriæ distin gui specie, sicut & Fides & visio quibus re gulātur; vnde non sequitur, si amor in Pa- tria est beatitudo, quòd etiā in Via. Sed cō trà arguitur, quia cognitio, siue concurrat formaliter, siue efficiēter ad voluntatē, ta- men respectu obiecti voliti tantū est con- ditio vel approximatio: ergo ex diuersa cognitione nō diuersificatur species amo- ris, vt patet generaliter in omni cōditione, & applicatione: eo vel maximè, quòd, vt in fra dicetur, amor Dei nō expostulat, vt vo lebat Scotus, vt in Via sit à Fide, & in Pa- tria à visione, sed absolute, & per se postu- lat, ex visione procedere, per accidēs autē in Via procedit ex Fide: dicere autē, quòd vt in Via necessariò procedit ex Fide, est re duplicare rationē accidētariā tātū, quia di- stinctio status in amore, est distinctio acci- dentalis.

Tertia conclusio. Beatitudo forma- *Conc. 3.* lis consistit essentialiter in actu intellectus. *D. Thom.* Hęc est expressa D. Th. hic, & p.p.q.12. & *Vazquez.* 3.cōt.Gēt.c.25. & 26. & omniū Thomi & *Valentia.* ex alienis Vazq. hic; immò & Valē. & Sal. *Salas.* citati, q. prędcedēti, licèt asserāt beatitudinē cōsistere in actu Intellectus & Voluntā- tis, præcipuè tamē dicunt, quòd in actu In

tellectus:

tellectus: & quòd si debeat sustineri quòd in vna solũ operatione cõsistat essentialiter, dicendũ est cũ D. Th. cõsistere in actu Intellectus, & quòd ferè nullã probabilitatẽ habet, dicere cũ Scot. quòd in actu Voluntatis. Illã tenet Euseb. lib. 7. præparationis, c. 3. Hier. super Psal. 83. Amb. lib. 2. de officijs. c. 2. Naz. orat. 10. Dam. lib. 2. c. 12. & lib. 4. c. vlti. & multi quos refert Cath. in 4. d. 49. q. 1. & D. Cyri. lib. 3. cõtra Iulianũ. Irenæus lib. 4. cõtra hæreses c. 37. nu. 7. Basil. lib. In stitutionum monasticarum. c. 19. circa mediũ, & Ansel. in Monologio. c. 66 & 67. Et clarè sequitur ex præcedentibus, nã si in vna tãtùm operatione debet consistere, & ista nõ est delectatio, vel amor (vt manet probatũ) relinquitur quòd sit actus Intellectus. Sed specialiter probatur cõclusio. Primò, ex illo Ioã. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscãt te solũ Deum verũ, &c.

Euſebius. Hieron. Ambroſ. Nazian. Damaſ. Carthuſ. Cyrillus. Irenæus. Baſilius. Anſel.

Ioan. 17.

Nec valet solutio Scoti, q. citata. §. ad ratiõ principalẽ, quòd visio Dei dicitur vita æterna, quia vitalis est, & in æternum duratura, nõ autem quia beatitudo essentialis in visione cõsistat: Non (inquam) valet, quia etiã cognitio damnatorum posset dici vita æterna isto modo; cùm tamen nõ appelletur nisi mors æterna. Non etiam valet solutio Alfon. de Cast. lib. 3. aduersus hæreses, verbo Beatitudo, hæresi 4. quòd ibi nõ loquitur de cognitione in Patria, sed de Fide in Via; hanc enim vitã æternam vocat; nã per Fidem pergimus ad illã; & initium iustificationis, cui vita æterna correspondet, est ex Fide. Sic etiã explicat Cyril. lib. 11. in Ioã. c. 16. & Chrys. hom. 75. Euthy. ibidẽ. Aug. tract. 105. in Ioan. Amb. lib. 5. de Fide, c. 2. Hilar. lib. 9. de Trin. in medio, Cypr. Epist. ad Iuliã. de hæreticis baptizãdis, q. 37. & lib. de exhortatione martyris, ad Fortunatũ. c. 2. & denique omnes Sancti cõtra Arrianos vtuntur hoc testimonio ad probandã necessitatem Fidei Christi. Nec est aliena explicatio à loquella sacræ Scripturæ, vt patet Ioã. 3. Qui credit in Filiũ, habet vitã æternã. Et c. 5. Qui audit verbum meũ, & credit, habet vitã æternã. Et hac ratione Mat. 5. enumerãtur octo beatitudines. Hæc (inquã) explicatio licèt sufficiat vt oppositæ sententiæ nõ sit cõtra Fidẽ, nihilominus tamẽ nõ euaditur argumẽtũ: tùm, quia ille locus cõmunius à Doctoribus explicatur de visione Dei; vt est videre in Aug. tract. 105. sup. Ioã. & lib. de spiritu & litera. c. 22. & 33. & 1. de Trin. c. 8. & 13. & lib. 4. c. 18. & Psa. 85. in illa verba, Respice in me, &c. Et Ser. 112. de tẽp. Innoc. III. lib. 3. de offic. Mis. c. 8. & 29. Laur. Iusti. in fasciculo amoris, c. 26. & Rupe. & Lyr. super illũ locũ. Sic etiã Amb. lib. 5 de Fide. c. 2. & D. Bern. Epist. 18. & videtur legitima, quia in sacra Scriptura cõmunius est, vitã æternã beatitudinem appellare; & patet ex cõtextu, dixerat enim, Omne quod dedisti ei, det eis vitã æternã; hæc est autem vita æterna, &c. Tũ etiã, quia si secundũ explicationẽ oppositã Fides appellatur vita æterna, ideò est, quia vita æterna consistit in eo quòd Fidei correspõdet, vtiq; invisione clara Dei. Probatur etiã Ps. 15. Adimplebis me lętitia cũ vultu tuo. Et Ps. 16. Satiabor, cũ apparuerit gloria tua. Apparere, cognitionẽ dicit. Et Ps. 25. Inebriabũtur, &c. & subdit: Quia apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumẽ. Et Ps. 90. Lõgitudine dierũ replebo eũ, & ostẽdã illi salutare meũ; vbi ly Et, sumitur causaliter, pro Quia. Et Ioã. 14. pro cõperto habuit Philippus dicens: Ostẽde nobis P. trẽ, & sufficit nobis. Sola autẽ beatitudo sufficit; & ìtatim Christus subdit: Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligã eũ, & manifestabo ei me ipsum. Et c. 17. dicit: Et illi sint mecũ, vt videãt claritatẽ meã quam dedisti michi. Et 1. ad Corin. 13. cõparans substantiã Fidelis ad substãtiã & essentiã beati, dicit: Videmus nunc per speculũ in ęnigmate, tũc autẽ facie ad faciẽ. Et 1. Ioã. 3. cũ apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eũ sicuti est. Secũdo probatur cõclusio testimonio Sanctorũ: sic enim sentit Aug. to. 1. lib. 1. Retractationũ. c. 14. & lib. de vita beata, & lib. de Quãtitate animæ. c. 33. & lib. 3. de liber. arbit. c. 13. & lib. 1. de Trin. c. 7. & 8. & 9. & 10. & 15. & to. 5. lib. 22. de Ciuit. c. 29. & to. 8. Cõc. 2. super Ps. 90. & super Psa. 85. Idẽ sentit Iren. lib. 4. aduersus hæres. c. 37. Cyr. lib. 3. cõtra Iuli. in principio. D. Bas. in cõstit. monas. c. 19. Dam. lib. 2. Fidei. c. 12. Anse. in Monol. c. 66. & 67. & 68. & lib. 2. Cur Deus homo. c. 1. & in Dialogo de casu diaboli. c. 13. Tertiò probatur ratione D. Th. p. p. q. 12. a. 2. & 3. cõt. Gẽt. c. 26. ratione prima, & in 1. d. 1. q. 1. artic. 1. quæ est huiusmodi. Actus Intellectus est omnium perfectissimus: ergo in illo cõsistit beatitudo. Patet consequentia, nã beatitudo dicit præstantissimũ bonum. Antecedens verò probatur. Primò ex differentia Intellectus & Voluntatis, quòd Intellectus trahit res ad se, Voluntas fertur ad res: exire autem â se ad rem ad extra vt operetur

Scot. ſolu. impugna.

Caſtro ſolutio, quã colligit ex ſacris Doctoribus.

Cyril. Chryſoſt. Auguſt. Ambroſ. Hilarius. Cyprian.

Ioan. 3. & 5.

Matth. 5. Impug.

Auguſt.

Innoc. 3. Laur. Iuſt. Ambr. Rup. Lyr. D. Bern.

Pſal. 15. Pſal. 16.

Pſalm. 25.

Pſal. 90.

Ioan. 14.

Ioan. 17.

1. ad Cor. 13.

1. Ioã. 3.

Auguſ.

Irenæus. Ciril. Baſil. Damaſc. Anſelm.

D. Thom.

tur, minoris est perfectionis quàm in sema nendo, rem attractam posse attingere. Secũ do probatur idem antecedens, nam actus intellectus proximiùs accedit ad naturam intellectualem: ergo est perfectior. Conse quentia patet, nam homo per naturam in tellectualẽ omnibus præeminet: ergo ex cellentius est quod tali naturæ proximiùs accedit. Antecedens verò probatur, nam velle, si dicat tantùm pondus & propensio nem in bonum, commune est etiam inani matis: si autẽ dicat actum elicitum appeti tus prouenientem à forma apprehensa, cõ mune est etiã brutis: si autem dicat actum elicitum appetitus rationalis sequutũ ad formã apprehensam per rationem, suppo nit ipsam apprehensionem rationis: ergo quod proximiùs se habet ad naturã ratio nalem, est ipsa apprehensio rationis, & in tellectio. Confirmatur, nam licèt in antece dentibus essentiam & constitutionem rei, priora generatione, sint imperfectiora, es sentia tamen constituta, priora generatio ne, sunt perfectiora, vt prima passio perfe ctior est quàm secunda, & vtriusque eadẽ est ratio, nempe proximiùs accedere ad essentiam: quia ergo ex antecedẽtibus po steriora, & ex subsequentibus priora proximiùs accedũt ad essentiam; inde fit, quòd ex antecedẽtibus posteriora, ex subsequẽ tibus verò priora sint perfectiora: cùm ergo Intellectus sit prima potentia dimanãs, Volũtas verò mediante Intellectu, Intelle ctus & actus eius erit perfectior Volũtate & actu illius. Tertiò probat idẽ antecedẽs
D. Thom. etiam à D. Tho. p. p. q. 82. art. 3. nam obie ctum Intellectus est perfectius & simpli cius quàm obiectum Volũtatis: ergo actus Intellectus erit perfectior. Cõsequẽtia pa tet; nã potentiæ & actus per obiecta spe cificantur. Antecedens verò probatur, nam obiectũ Intellectus est ens secundũ essẽ tiã, & vt abstrahit ab existentia; obiectũ ve rò Voluntatis concernit illã: ergo abstra
Not. ctius est obiectũ Intellectus. Pro cuius in telligẽtia notãdũ, quòd licèt verũ & bonũ sint idẽ secundũ rẽ; tamen ratione ratiocinata distinguuntur: quatenus ergo cõsideratur ens vt fundamẽtũ maioris abstractio nis in ordine ad Intellectum, dicitur perfe ctius; non autẽ sumimus abstractionẽ pro abstractione actuali, quæ tantũ in obiecto dicit ens rationis, quãdo dictũ est, obiectũ Intellectus esse perfectius, quia abstracti?: sed sumitur formaliter pro ente, vt habet
Solutio. fundamentũ maioris abstractionis. Et si ad argumentũ propositũ respõdeatur, in naturalibus ita habere verum quòd actus Intellectus est perfectior, nõ autẽ in superna turalibus, nã perfectio actus supernaturalis sumitur ex eleuatione, ad quã potentiæ habent se vt instrumenta; instrumentũ autẽ minus perfectũ ex maiori eleuatione ad perfectiorẽ actũ potest assumi: Contrà ta- *Impug.* men arguitur, quia potentiæ etiã ad actus supernaturales nõ cõcurrunt vt instrumẽ ta, sed vt causæ principales (licèt ex eleuatione) quia vitaliter cõcurrunt. Eo vel maximè, q eleuatio est iuxta naturã, & intra genus vniuscuiusq, potentiæ: vnde si secũ dũ suã naturã Intellectus & actus eius est perfectior, similiter dicendũ est de Intelle ctu eleuato, & de actu supernaturali illius. Quartò principaliter probatur cõclusio ra tione etiã D. Th. 3. cõt. Gent. c. 26. ratione *D. Thom.* quinta, quæ est huiusmodi: Beatitudo di cit adeptionem & possessionẽ vltimi finis: hoc fit per actum Intellectus: ergo. Proba tur minor ex differẽtia posita à D. Tho. in *D. Thom.* 4. dist. 49. q. 1. ar. 1. in solutione 2. quæst. in ter Intellectũ & Voluntatẽ, quòd (vt dictũ est) Intellectus trahit res, Volũtas verò fer tur ad illas. Itẽ intellectio fit per assimilatio nẽ cũ obiecto, nõ autẽ volitio, sed per im petũ. Itẽ Intellectus ex his prædictis facit obiectũ præsens, Voluntas verò minimè, sed vel præsupponit præsens quod amat, & in quo delectatur, vel quærit per impe tũ vt fiat præsens. Si respõd. cũ Scot. in 4. *Solutio* dist. 49. q. 4. §. in ista q. & cũ Val. 1. 2. disp. 1. *Valentia* q. 3. pun. 4. cõsequutionẽ tãtũ cõfitere in attingẽtia obiecti; quod etiã facit Volũtas: Cõtrà arguitur, quia sic omnis potẽtia esset *Impug.* cõsequutiua per quẽlibet actum, quia per quẽlibet actũ attingit obiectũ. Et si rursus *Solutio.* dicas, quòd etiã Intellectus nõ cõsequitur obiectũ secũdũ rẽ, sed vt obiectũ & in esse intelligibili, quod etiã facit Volũtas in suo genere, nẽpe in esse voliti: Cõtrà arguitur, *Impug.* nã trahere Intellectũ suum obiectũ in esse obiecti, & sic intra se ipsum attingere illud, est cõsequi illud in aliquo esse reali: attinge re autẽ Voluntatẽ suũ obiectũ, in nullo ge nere est illud cõsequi, sed ad illud tendere, quia ad illud fertur; attingere ergo Volũtã tẽ suũ obiectũ, nõ est illud cõsequi; attingẽ re autẽ Intellectũ propriũ obiectum iuxta propriũ modum, etiã in ratione obiecti, est illud cõsequi. Quintò principaliter proba tur cõclusio. Regula per se, excellẽtior est regulato: actus intellectus est regula per se, actus volũtatis: ergo. Dixi q regula per se

sit

ſit excellentior,nã ſi per accidens eſt regula,regulatũ poterit eſſe perfectius; vt patet in Fide, cuius actus non eſt ita perfectus ſicut actus Charitatis,& cũ actu Fidei minus intẽſo poteſt eſſe actus Charitatis intẽſior: cæterùm cùm clara Dei viſio perfectio ſit regula amoris diuini,neceſſariò viſio eſt perfectior amore. Sextò probatur cõcluſio. Miſeria eſſentialis in damnatis conſiſtit in carentia viſionis:ergo felicitas eſſentialis in viſione conſiſtet. Conſequentia patet, nã contrariorum eadem eſt ratio. Antecedẽs verò probatur,nã qui ſunt in limbo, eſſentialiter ſunt miſeri & damnati ſolũ per carentiam viſionis, in quibus quidẽ nulla eſt pœna ſenſus. Vltimo probatur concluſio. Naturalis beatitudo conſiſtit in cõtemplatione:ergo & ſupernaturalis. Conſequentia patet ex paritate rationis. Antecedens verò probatur ab Ariſ. ſupra citato,octo rationibus, videlicet, quia talis operatio eſt optima,& continua,& delectabilior, ſuffi cientior, propter ſe diligenda,maximè vacans,& tranquilla,maximeq; homini propria,& Dei felicitati ſimillima.

4 Conc. Quarta concluſio. Beatitudo eſſentialis conſiſtit in actu Intellectus, non vt viſio eſt præciſe,ſed vt comprehenſio & conſequutio obiecti. Hæc concluſio probatur, nã ratio viſionis præciſè tantùm dicit perfectionem Intellectus: vt beatitudo autẽ debet importare perfectionem communẽ & vniuerſalem omnium potentiarum,ſaltẽ cauſaliter & radicaliter, vt dictum eſt: quod quidẽ habet viſio vt comprehenſio: Sic enim tenet obiectũ,& vt ab Intellectu videatur,& à volũtate ametur,& in illo delectetur. Confirmatur, quia beatitudo debet habere rationem præmij & mercedis copioſæ,iuxta illud Gene. Ego protector tuus,& merces tua magna nimis:ſed nõ intelligitur habere rationem præmij copioſi,niſi vt conſequitur ab Intellectu omnibus potentijs: ergo beatitudo conſiſtit in actu intellectus vt conſequutio. Confirmatur ſecundò, quia in hoc ſitum eſt fundamentũ noſtræ ſententiæ, beatitudinem cõſiſtere in actu Intellectus,quia in illo reperitur ratio conſequutionis,quæ in actu volũtatis non reperitur. Confirmatur tertiò, nã auarus ponens ſuam beatitudinẽ in diuitijs,nõ ſe exiſtimat beatũ, ſi illas intueatur, niſi conſequatur & poſſideat: ergo dũ in actu Intellectus vtraq; ratio coniungitur, & viſionis & cõſequutionis, nõ in ratione viſionis præciſè etiam. Sed conſequutionis,beatitudo conſiſtet. Videatur de hoc Ferr.3.cont.Gent.c.26.Qualiter autem ſe habeant in actu Intellectus ratio viſionis & cõſequutionis, vel qualiter diſtinguantur,tractabitur inf.à D.Tho.q.4.art.3. Et ſi contra prædictã concluſionẽ arguas,quòd D.Th.ar.ſequenti dicit,beatitudinẽ magis eſſe actũ Intellectus ſpeculatiui,quàm practici:ſed ratio cõſequutionis eſt ratio practica,quia eſt tentio obiecti etiã in ordine ad Voluntatẽ;ratio verò viſionis eſt purè ſpeculatiua,quia tantũ eſt in ordine ad Intellectũ:ergo in ratione viſionis & non conſequutionis beatitudo cõſiſtet: Aliqui reſpõdent,nõ abſolute dixiſſe D.Th. beatitudinem eſſe actũ Intellectus ſpeculatiui, ſed quòd magis eſt huiuſmodi;in quo inſinuatur,etiã reperiri rationem practici. Sed hoc non ſoluit argumentũ,quia ſaltem concludit,quòd præcipuè cõſiſtat in ratione viſionis,quæ eſt ratio ſpeculatiua, quã in ratione cõſequutionis,quę eſt ratio practica. Vnde ſecundò meliùs reſpõdetur,rationẽ cõſequutionis nõ eſſe praxim, ſed quid præuiũ ad illã: conſequutio enim dicit intellectionẽ cũ habitudine & relatione ad volũtatẽ,tenens illi obiectũ, vt ipſo poſſit frui, vel ipſum amare: praxis autẽ ſuperaddit ad hoc motionem actualẽ,& actũ Intellectus per iudiciũ,vel imperiũ reſpectu ipſi? Voluntatis: eſſentia ergo beatitudinis cõſiſtit in primo: ſecundũ autẽ,nẽpe praxis & motio Volũtatis,nõ pertinet niſi cõſequẽter,& cõpletiue ad beatitudinẽ,vt iam diximus. Quòd alijs verbis ſolet dici, actũ Intellectus eſſe practicũ,vt habet rationẽ regulæ in exercitio reſpectu voluntatis;hoc autẽ nõ dicit conſequutio eſſentialiter,ſed quid præuiũ & præſuppoſitũ ad rationẽ regulę in exercitio. Quapropter ſi per poſſibile vel impoſſibile ſepararetur volũtas, vel à volũtate amor in beato,actus intellectus illius haberet rationẽ conſequutionis ſolũ ex habitudine eſſentiali ad voluntatẽ, licèt nõ eſſet praxis defectu motionis & exercitij Volũtatis. Et ſi rurſus arguas, nã vt docet D.Th.in 4.d.49.q.4.ar.5.quæſtiũcula 1.cõprehenſio eſt vna ex dotibus gloriæ:ergo non eſſentia beatitudinis; dotes enim aliquid accidentariũ & conſequutũ importãt: Reſpõ.ex D.Th. ibidẽ,q̃ dotes nõ ſunt ipſæ operationes beatificę,ſed quidã ornatus conſequuti,quibus anima congruè diſponitur ad perfectiſsimam vnionem cum Deo, quæ fit media operatione beatifica: cùm ergo huiuſmodi ornatus

Ferr. *D. Thom.* *Obiectio.* *D. Thom.* *1. Solutio.* *2. Solutio.* *Obiect. ex D. Thom.* *Solutio.*

tus & dotes consequutæ multoties peculiaria nomina non habeant, significantur nomine ipsius operationis, cuius sunt ornatus: comprehensio ergo,quæ habet rationem dotis,nõ est ipse actus Intellectus, quem dicimus beatitudinem essentialem, sed est quidam ornatus consequutus,nempe quædam claritas animæ, habitualis & permanens, iuxta illud Cantic. 2. Inueni quem diligit anima mea;tenui eum, nec dimittam: vnde de diuersa comprehensione loquitur D.Thom.loco citato, & nos hic.

Cant. 2.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum à principio respondetur,quòd sicut Christo Domino erat mos loqui in parabolis , vt doctrina eius facilius perciperetur;ita & vitam æternam nomine delectationis & gaudij explicuit , tanquam per nobis notius & iocundius ,licèt non sit essentialis beatitudo, sed effectus eius. Eodem modo respondetur ad D. Augustinum,explicuisse essentiam per passionem, quia (vt dictum est) Sancti non curabant de disputationibus Methaphysicis,sed tantùm numerare quæ in beatitudine reperiuntur,siue essentialia, siue accidentalia sint. Eodem modo debet explicari D. Thom.locis citatis, explicuisse essentiam beatitudinis per eius passionem, vnde illa propositio,quòd fruitio est vltimus finis(& aliæ huiusmodi)intelligẽda est in sensu causali,& non in sensu formali.

Ad 2. arg. Ad secundum respondetur;quòd quies sumitur dupliciter: negatiuè, & positiuè; & vtroque modo dupliciter. Positiuè primo modo,pro cõsequutione termini motus:secundo modo,pro fruitione & delectatione termini acquisiti. Sumpta etiam negatiuè quies pro priuatione motus,primo modo sumitur pro negatione tendentiæ in terminum;secundo modo pro negatione vlterioris appetibilis . Primo modo quies,siue negatiuè,siue positiuè, conuenit visioni;est enim consequutio termini, & terminus motus huius viæ:quies autem secũdo modo,siue negatiuè,siue positiuè, conuenit delectationi: quando ergo dicitur,quòd beatitudo est quies,si fiat loquutio essentialiter , intelligitur de quiete primo modo:si autem completiuè, intelligitur secundo modo:vnde essentialiter beatitudo consistet in visione: completiuè autem in delectatione, vltra quam non remanet vlterius appetibile. Quod clariùs dicitur,beatitudinem esse quietem,non formaliter,sed causaliter,nimirum illud ex cuius adeptione quies consequitur; sicut finis lapidis nõ est quies,sed centrum, ad cuius adeptionem quies consequitur: centrum autem,ad quod quies animæ sequitur , est clara Dei visio.

Ad 3. arg. Ad tertium respondetur,summam pœnam damnatorum non consistere in cruciatu & pœna sensus, sed in carentia diuinæ visionis, quę est pœna damni. Ad illud autem ex cap. Maiores, respondetur, intendere ponere differentiam inter peccatum originale & actuale, quòd primi pœna tantùm est carentia visionis;secundi autem est carentia visionis & cruciatus sensus;horum tamen primum tanquàm essentialis damnatio; secundum autem vt quid accidentarium: vnde qui in originali tantùm decedunt,essentialiter conueniunt in damnatione cum his qui in actuali decesserunt,istis autem superadditur pœna sensus, & sic habent maiorem damnationem & miseriam.

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur , negando antecedens. Ad primam probationem dicitur,non esse operationem propter delectationem,sed è contra.Quando autem dicitur, quòd vltimum in exequutione , est primum in intentione,intelligitur , si tale vltimum non sit effectus prioris:quod clariùs diximus intelligendum esse de antecedentibus generationem,nam quę formam genitam subsequuntur,licèt exequutione sint vltimũ,non tamen intentione primũ, quia habent rationem effectus ipsius formæ,à qua dimanant . Et sic etiam patet ad secũdam probationem, qualiter posterius habens rationem effectus,possit habere rationem medij respectu prioris.

Ad 5. arg. Ad quintum respondetur,beatitudinẽ consistere in vltimo actu . In vltimo (in quam)secundùm perfectionem,non secũdùm exequutionem, vt dictum est. Vltimus autem perfectione est visio,non delectatio. Ad illud autem,quòd videns adhuc est in potentia ad delectationem,respondetur,esse in potentia secundùm quid , velut ad accidens,quod nõ tollit, illud quod est in tali potentia,esse perfectius simpliciter, & in illo essentiam cõsistere. Per quod patet ad confirmationem; quod & ipse Aris. explicuit exemplo ibi posito,dicens enim quòd delectatio perficit operationem , sicut decor iuuentutem,ponunt essentiam in operatione , accidens in delectatione , & quòd delectatio solùm perficiat secundùm quid ; nam decor ita comparatur ad iuuen-

iuuentutem, vt perfectio secundùm quid & accidens eius.

Ad 6. arg. Ad sextum respondetur, negando mirem. Ad probationem dicitur, peius esse carere visione, quàm delectatione: vnde si daretur optio per possibile vel impossibile, potiùs quis deberet eligere videre non fruendo, quàm frui non videndo. Si autē communiter maior fuga est à dolore & tristitia, & magis appetitur delectatio, ex eo est, nam communiter & in hac vita actiones parui momenti sunt, nisi eis delectatio

Ad 1. cōf. adiungatur: in Patria autem, cùm tantæ sit excellentiæ Deū videre, eligibilior est visio. Et per hoc patet ad primam confirmationem, dicitur enim miser existens in tormentis & doloribus, quia actio aliàs remanens parui ponderis est: qui autem videret

Ad 2. cōf. Deum, etiam in tormentis, esset beatus essentialiter; quia actio remanens est excellētissima. Per hoc etiam patet ad secundam confirmationem, qualiter potiùs deberet eligi videre non fruendo, quàm è contra.

Ad vlt. ar. Ad vltimum respondetur, non esse necessariam illam distinctionem delectationis consequutæ ad amorem amicitiæ vel concupiscentiæ; quęcumque enim illa sit, non est consequutio, & ita in neutra illarum beatitudo essentialiter potest consistere.

Ad 1. 2. sent. Ad primum secundæ sententiæ respondetur (non discutiendo, vtrum fruitio sit actus Intellectus, vel Voluntatis, de quo infrà quæstion. 12. artic. 2. vbi dicetur, esse actum Voluntatis, contra Scotum in 4. d. 49. quæst. 1.) quòd Augustinus ponit beatitudinem in fruitione, tanquàm in vltimo complemento, præsupponens omnia antecedentia ad ipsam, non curando de essentiali vel accidentali beatitudine, vt dictum est, & sic interpretandi sunt cæteri sancti. D. autem Thom. ponens Charitatem vltimum finem, loquitur respectu aliarum virtutum, quibus Charitas finem præfigit, non autem loquitur comparatiuè ad visionem. D. autem Dionys. loquitur causaliter, amor enim tendit ad vnionem, vel est effectus vnionis, non autem formaliter est ipsa vnio, nisi forsan largè, per modum affectus. In quæstione autem de potentia, ponit D. Thom. fruitionem finem rationalis creaturæ, vt explicet, bruta fruitionis esse expertia, non autem distinguit ibi, vtrùm rationalis creaturæ in fruitione essentialiter beatitudo debeat consistere.

Ad 2. arg. Ad secundum posset responderi negādo consequentiam, quia beatitudo formalis non in perfectissima operatione vtcūque debet consistere, sed in perfectissima, quæ habet rationem consequutionis: talis autem est actus Intellectus, non Voluntatis. Secundò tamen respondetur negando minorem. Ad primam probationem dicitur, quòd chori & nomina Angelorum dispositа & imposita sunt eis in Via, in qua (vt dictum est) præeminet Charitas; in Patria autem, sicut Seraphin præeminent Charitate, ita & Dei visione. Hæc solutio patet Ezechie. 28. Tu Cherub extentus & protegens, &c. qui locus intelligitur de Angelo peccante, vt exponit Hiero. ibidem, & lib. 6. in Ioan. c. 6. & Greg. 32. Moral. cap. 24. & refertur de pœnitentia d. 2. cap. principium. Ecce ergo qualiter nomina Cherubin & Seraphin, imposita sunt Angelis Viatoribus; siquidem diabolus nunquàm fuit comprehensor, sed viator, & appellatur Cherub. Ad secundam probationem eiusdem minoris respondetur, illam doctrinam debere intelligi in substātijs, & in his quæ specificantur ab intrinseco, in his enim verum habet, quodlibet contentum sub genere perfectiori, esse perfectius contento in genere minus perfecto; & sic dicunt, qui dicunt muscam esse perfectiorem cœlo. Cæterùm in his quæ specificantur per ordinem ad extrinsecū, potest contingere, indiuiduum generis minus perfecti, esse perfectius indiuiduo contento sub genere perfectiori: huiusmodi sunt habitus & actus potentiarum; certum est enim, Charitatem esse perfectiorē Fide, licèt genus intelligibile perfectius sit genere amoris sub quo est Charitas. Item Iustitia ex sua specie perfectior est Temperantia, in indiuiduo tamen aliquis actus Temperantiæ maximus perfectior est aliquo minimo Iustitiæ. Licèt ergo in Via assignetur aliquis actus Volūtatis, nempe Charitatis, præstantior aliquo actu Intellectus, nempe Fidei, nō sequitur, quòd actus Voluntatis absolutè sit perfectior actu Intellectus. Ad illud autem, quòd quodlibet indiuiduum continet perfectionem suæ speciei, vel generis: ergo contentum sub specie perfectiori, debet esse perfectius; respondetur, hoc habere verum, si perfectè continet rationem & perfectionem sui generis: quapropter supremum indiuiduum perfectioris generis, perfectius est quocunque indiuiduo generis minus perfecti: si autem indiuiduum perfectioris generis

non perfectè continet perfectionem sui generis, potest esse minus perfectum, quã contentum sub genere minus perfecto, in quo tamen ratio sui generis perfectè reperiatur. Ad probationes autem antecedentis respondetur. Ad illud de libertate, dicitur, quòd licèt libertas sit formaliter in voluntate, in alijs autem etiam in Intellectu, tantùm participatiuè; tamen ipsa libertas, quæ formaliter est in Voluntate, radicatur in Intellectu: vnde licèt Intellectus in libertate formali dependeat à voluntate; in libertate tamen radicali, è contrà; & considerando proprium vnius cuiusque, perfectius est esse principium radicale libertatis, quàm formale illius, vnde perfectior est Intellectus. Ad illud autem, quòd voluntas est primum mouens, respondetur, esse primum in genere causæ efficientis; in genere autem causæ finalis, primum mouens est Intellectus; vnde indiuerso genere causę habent se vt excedens, & excessum; quia tamen absolutè causa finalis est præstantior, ideò Intellectus absolutè est perfectior. Ad illud autem, quòd voluntas est subiectum præstantissimi habitus, nempe Charitatis, respondetur, esse habitum præstantissimum in via, vt dictum est; nam in Patria præstantior est visio, cuius subiectum est Intellectus. Ad illud, quòd ex voluntate dicimur boni vel mali, non autem ex intellectu, respondetur (& sit secunda solutio omnium prædictorum) illud probare, voluntatem esse perfectiorem in genere moris, non autem in genere physico: primum enim principium moralitatis est Voluntas, & ideò in illo genere melior; perfectio autem physica potentiarum ex obiecto & abstractione pensanda est (vt dictum est suprà) qua ratione: præeminet Intellectus. Ad tertiã probationem minoris principalis argumẽti respondet primò Caiet. prima p. q. 26. art. 2. infine, Durandus & Soto locis citatis suprà, visionem quidem potiùs debere eligi, quàm amorem; si quidẽ visio est maius bonum. Et si contrà dicas, hoc habere verum de electione proueniente ex amore concupiscentiæ, non autem ex amore amicitiæ; visio enim respicit maximum bonũ proprium; amor autem amicitiæ maius bonum respicit in amico; & ita si electio fiat ex concupiscentia, debet anteponi visio; si autem ex amicitia, debet anteponi Charitas: Respondetur tamen, quòd etiam si ita sit, quòd ex amore amicitiæ multoties possit deseri visio, vt si beato ostenderetur Deo placere vt non videret, nihilominus tamen comparatio sic debet fieri obiecti visionis ad obiectum amoris, vel actus visionis ad actum amoris, non autem obiecti vnius ad alterum actum; Cuiuscunque enim obiectum perfectius est quocumque altero actu: cæterùm obiectum visionis perfectius & abstractius est obiecto amoris, & actus visionis perfectior est actu amoris, & eligibilior, etiam electione amicitiæ; nam ex amicitia debet eligi maius bonum amici; Dei autẽ maius bonum est visio, quàm amor, eo modo quo nostra dicuntur esse bonũ Dei; amor enim est bonum Dei, quatenus per ipsum homo subijcitur Deo, vt Authori suo, & vltimo fini: visio autem, Dei est bonum, quatenus est quædam manifestatio diuinę excellentiæ cedens in laudem & gloriam illius; ad hoc enim vniuersa sunt condita; vt in eis Dei excellentia & gloria manifestetur: maius ergo bonum & eligibilius, etiã amore amicitiæ, est visio, quàm amor. D. autem Anselm. loquutus est de visione & amore prout in via. Ad impugnationem autem in argumento factam, quòd illud est melius, cuius oppositũ est peius, &c. multiplex est modus respondẽdi. Prima solutio est Capreol. in 4. dist. 49. q. 2. art. 3. ad 5. & insinuatur à Caiet. infrà q. 73. ar. 4. & Ferr. 3. contra Gent. c. 23. quòd illa maxima habet verum, quando seruatur idẽ genus oppositionis; quod non sit hic, nam odium opponitur Charitati contrariè, sed non visio; visioni solùm priuatiuè; vnde si sumeretur contrariè, nempe pro errore, tunc peius est quàm odium. Et si contrà dicas, nam D. Thom. 2. 2. q. 24. ar. 2. in argumẽto sed contrà, dicit, odium Dei esse pessimum omnium peccatorum; respõdetur, habere verũ per comparationem ad vitia opposita virtutibus etiã Theologalibus, cõparatione autẽ ad oppositũ contrariæ Dei visioni, odiũ non est pessimum. Secunda solutio est M. Bañ. p. p. q. 82. ar. 3. illã maximã debere intelligi de oppositis disparatis, non habentibus ordinẽ inter se, nam si hunc habeant, oppositũ minus perfectipotest esse peius, vt nõ esse animal, peius quã nõ esse hominẽ, licèt homo melior sit quã animal: & hoc ideò, quia qui excludit animal, excludit etiã hominẽ, & nõ è contra: visio autẽ & amor ordinata sunt inter se, & oppositũ Charitatis excludit etiã visionẽ, qua propter est peius quã oppositũ visionis,

Obiectio.

Solutio.

1. Solutio. Capreol. Caiet. Ferrar.

Obiectio. D. Thom.

Solutio.

2 Sol. Bañ.

nis, quod solum excludit visionem, licèt visio sit melior quã Charitas. Tertia solu-
3 Sol. Bañ. tio est M. Bañ. loco citato, quòd odiũ Dei est maius malum in esse moris, non autem in esse physico; sicut & Charitas in esse moris, optimum est, tãquã principium omnis meriti; nõ autem in esse physico: cùm ergo in Patria cesset ratio meriti vel demeriti, præeminet cõsideratio physica, & sic absolutè visio est melior, quàm amor. Quarta so-
4 Solutio. lutio est, illã maximã esse intelligendam, quãdo minus bonum nõ est in præcepto, tunc enim oppositum minoris boni peius est. V. g. licèt intrare religionem, sit melius quã ieiunare; si tamen ieiunium est in præcepto, peius est nõ ieuinare, quàm ingredi
5 Solutio. religionem. Quinta solutio insinuatur à D. Th. 2. 2. q. 142 art. 3. ad 1. quòd illa maxima debet intelligi de oppositis sumptis formaliter, nam ex aliquo adiuncto potest deficere, & nõ verificari. Verbi gratia, Visio perfectior est Tactu; ratione vero adiũcti peior est priuatio Tactus, quã priuatio Visus, quia priuationi Tactus adiungitur priuatio temperamenti necessarij ad conseruationem vitæ. In præsenti ergo licèt formaliter odium non sit peius, ex adiuncto tamen peius est; nã odium non solùm excludit amorem, sed etiã visionem præsuppositã amori. Sexta solutio est, illã ma-
6 Solutio.ximam esse intelligendam in adæquatè oppositis, vnde licèt odium Dei sit peius quã oppositum etiã contrariæ visioni, nempe peius quàm error; non sequitur, amorem esse meliorem quã visionem, quia nõ opponitur adæquatè visioni error, quia error opponitur visioni ratione veritatis & certitudinis, quæ vtiq; cõmunis est Fidei, odiũ autẽ adæquatè opponitur amori. Ad illud autem D. Pauli & Moysi, respõdetur iuxta prædicta, elegisse carentiam visionis, ad euitãdum Dei odium, quia, vt dictum est rationibus assignatis, odium est peius, nõ visione, licèt visio sit melior amore, & ex duobus malis minus est eligendũ, vel quia in esse physico licèt nõ visio sit peior, quia tamen in esse moris odiũ est pessimum, vt dictum est, bene eligebant qui viatores erãt, & ad genus moris debebant attendere, & in omnibus peccatũ fugere, etiã cum detrimento maiorũ bonorum in esse physico. Eo vel maximè, quòd non eligebant carentiã visionis in perpetuum, sed ad tempus, secũdum explicationem Sanctorum. Licèt ergo absoluta & perpetua nõ visio sit maius malum, neque diligibile vel eligibile, priuatio tamen visionis ad tempus, minùs mala erat, & propterea optimè electa. Ad quartã probationem minoris principalis argumenti respõdetur ex supra dictis, ante formã substantialem, posteriora generatione, esse perfectiora; post formã autem è cõtra: amor ergo nõ est ex his quę antecedunt, sed ex his quæ cõsequuntur. Ad quintã probationẽ respondetur, quòd qui tenent beatos in Patria formare verbũ, cum Fer. 3. cõt. Gent. c. 26. & Cai. p. p. *Ferra.* q. 82. ar. 3. §. ad obiectiones Scoti, in fine, te- *Caiet.* nẽtur dicere, quòd in obiecto Intellectus vel Voluntatis duo sunt; alterum vt cõditio, alterum verò vt ratio formalis. Quòd obiectum sit intra potentiã, vel extra, tantùm est conditio cogniti & voliti: ratio autem formalis, est ratio veri & boni: obiectum ergo Voluntatis excedit, quantũ ad cõditionem, quia attingitur vt in se: obiectum autem Intellectus excedit in ratione formali, quia vt dictum est, ratio veri est præstãtior, quia abstractior, vt dictũ est ex D. Th. p. p. q. 82. ar. 3. vbi videatur Caie. Se- *D. Thom.* cũdò respõdetur, quòd quando cognitio superiorum est cõnotatiua, à potentia inferiori nõ eleuata, tunc cũ cognoscat per similitudinem ad inferiora, quibus potentia proportionatur, Intellectio nõ est ita perfecta, sicut amor: quando verò potentia eleuatur, vt quidditatiuè & clarè attingat obiectũ, tũc cognitio perfectior est amore, quia tunc non cadit obiectum, cùm videatur vt in se est, sed potiùs ascendit potentia per eleuationem. Qui autem tenent, in Patria non formari verbum, faciliùs respondent, ibi nõ solùm amorem, sed etiam cognitionem terminari ad Deum secundùm esse reale quod habet in esse rei. Et si cõtra vtrã- *Obiectio.* que solutionem dicas, quòd visio beatorũ, siue formetur, siue non formetur verbum, attingit Deum finito & limitato modo, iuxta mensuram luminis & vnionis essentiæ diuinæ in ratione speciei, Voluntas autem videtur quòd absque mensura tendat, & per affectum se proijciat in infinitũ pelagus bonitatis diuinæ: Respõdetur, quòd *Solutio.* sicut visio, ita & amor tẽdit modo finito & limitato; sicut enim visio est iuxta mẽsurã luminis, ita & amor iuxta mẽsurã visionis.

Ad tertiũ argumentũ principale respõ- *Ad 1. arg.* detur negãdo minorẽ. Ad primã probationẽ dicitur, cõsequutionẽ sumi dupliciter: primò, largè, pro impletione desiderati: secũdo, stricte, pro tẽtione & tractione rei ad se. Primo modo cõsequutio pertinet etiã

ad

ad Voluntatem,& tam ad amorem amicitiæ,quàm concupiscentiæ, dum desideriũ vtriusq; cõpletur: consequutio autem stricte dicta solùm pertinet ad Intellectum tra hentem ad se obiectum;quia talis cõsequutio ad desiderium cõcupiscentiæ pertinet, & nõ amicitiæ;si quidem est bonum habẽtis . Eo vel maximè, quòd ex supra dictis potest dici,etiã amore amicitię maximum desideratum esse visionem, quia & illa est maximum bonum amici , quatenus cedit in maiorem gloriam eius (vt dictum est:) Ad secundam probationem respondetur, actum Voluntatis aliter esse vnitiuum atq; actum Intellectus;dicitur enim actus Volũtatis vnitiuus solùm causaliter,quatenus amans quærit semper vniri cum re amata. Vel dicitur magis vnitiuus per affectum, quærit enim amans adhærere rei amatæ. Vel tandem dicitur , amorem esse magis vnitiuum, quatenus iam ex parte Intellectus præsupponit visionem. Si autem ad inuicem comparentur,prout neutrum alterum includit,magis vnitiua est visio,quia trahit obiectum ad se secundùm esse reale, saltem imaginis,& hoc importat cõsequutio, non quancumque vnionem, sed vnionem attractiuam. Ad tertiam probationẽ respondetur,consequutionem consistere in vnione ad summum bonum , non per modum obiecti vtcumque, sed in vnione ad obiectum,trahendo ipsum ad potentiã. Voluntas ergo licet attingat bonum,& in ratione obiecti,& in ratione rei, non sicut Intellectus,nam hoc facit tendendo in rẽ; Intellectus autem attingit summum bonũ in ratione obiecti intellectualis, quod est attingere illud,trahendo ad se, saltem per modum imaginis,quod est secundùm aliquod esse reale ad se trahere . Vnde licèt obiectum visum possit manere in ratione obiecti , etiam si realitas quam in se habet, destruatur (quod non potest esse in obiecto Voluntatis)non tamen potest manere in ratione obiecti,omni realitate destructa; quia,vt dictum est, vnio, etiam per imaginem,est secundùm aliquod esse reale. Ad quartam probationem respondetur, prænotando,quòd bonum & verum in re idẽ sunt,& licèt formaliter ad inuicem distinguantur,prout specificant diuersas potentias,nihilominus adeò transcendit vtraque ratio,vt ad inuicem se includant ; bonum enim sub ratione veri, & verum sub ratione boni cõtinetur: est enim verum,quoddam bonum; & bonum , quoddam verũ: ex quo sequitur,quòd Intellectus attingat bonum,non solùm materialiter, sed etiam formaliter , quãtuncumque reduplicetur ratio boni. Verum est,quòd quantuncumque reduplicetur ratio boni , dum attingitur ab Intellectu,habet rationem quæ, ratio autem sub qua , est ratio veri , quia sub illa attingitur ratio boni: similiter Voluntas attingit verum sub quacunq; reduplicatione,tanquam rationem quæ,habendo se ratio boni, tamquam ratio sub qua; vnde ratio boni formalissima pertinet ad Intellectum , licèt inadæquatè ; sicut ratio veri ad Voluntatem. Hoc ergo supposito, dicitur,quòd licèt beatitudo sit summum bonum & vltimus finis,non tollit quominus ad Intellectum pertineat , quia non vtcũque est summum bonum & finis, sed in ratione finis & boni consequuti,quod ad Intellectum pertinet. Vnde si formaliùs loquamur,potiùs dicendum esset beatitudinem esse summum verum,quàm esse summum bonũ; quia licèt ita sit,quòd illæ duæ rationes adinuicem habent transcendentiam,nihilominus tamen absolutè ratio veri est vniuersalior & magis abstracta;vnde beatitudo si appellatur summum bonum & vltimus finis,est cõparatione ad alia quę habent rationem particularis finis & boni, nõ autem comparatione ad rationem veri, quæ quidem,vt dictum est,excedit. Et si dicas,quòd obiectum beatitudinis debet cõsequi nõ solùm vt bonũ Intellectus, quod est ratio veri,sed etiam vt bonum Voluntatis: Respondetur, quòd dum cõsequitur in ratione veri, consequitur in ratione boni aliarum potentiarum;quia si bonum aliarum potentiarum debet consequi,hoc debet esse per consequutionẽ veri,quia nulla alia ratio est consequibilis formaliter, nisi ratio veri,& in consequutione illius,consequutio aliorum continetur;sicut qui amphoram vult apprehendere,per ansam debet apprehendere,quia nulla alia parte apprehẽsibilis est,& dum per ansam tenetur, tota tenetur:sic dicitur de ratione veri,quę respectu aliarum rationum est velut ansa, siquidem consequutio solùm pertinet ad Intellectum; per consequutionem autem veri, obtinetur & bonum, nõ autem è contrà, quia ratio boni non est consequibilis perse , quia consequutio non pertinet ad Voluntatem;vnde per bonum non potest consequi verum,sicut è contra. Ad quintã probationem minoris principalis respõdetur,quòd quando in eodẽ supposito sunt

Obiectio.

Solutio.

distinctæ

distinctæ potentiæ, per alteram potest tẽdere, & per alteram consequi intentum, vt v.g. auarus per appetitum tendit ad pecunias, manu tamen consequitur illas; præcipuè cùm tendẽtia est per modũ meriti; alia enim potentia potest mereri, & alia præmiũ obtinere: miles quidẽ manibus pugnat, & in capite recipit coronam. Cùm ergo tendentia Viatoris sit per meritũ, licèt hoc sit per Voluntatem præcipuè & radicaliter, obtentio tamen præmij potest esse per Intellectũ, quod non contingit vbi diuersitas potentiarum non reperitur, lapis enim grauitate qua tendit, obtinet centrũ.

Ad 4. arg. Ad quartũ argumentũ principale respõdetur, quòd quæ immediatius pertinẽt ad beatitudinem, originantur ex visione: non autem est inconueniens, quòd aliqua non immediatè à visione procedant, quia in his quæ ad essentiam pertinẽt, est ordo, & alia, alijs mediantibus, consequuntur, omnia tamen ad essentiam, vt ad radicẽ primam reducuntur: quapropter impeccabilitas, vel quies, vel alia huiusmodi, licèt ad Voluntatem pertineant, in visione tamen radicantur, & primò procedunt ab illa.

Ad 5. arg. Ad quintum argumentum principale respondetur, quòd, vt patet ex prima probatione secundæ conclusionis, primũ obiectum Voluntatis non solùm est beatitudo obiectiua, sed etiam formalis, quia, vt dictũ est suprà ex Arist. & ex Angelico Doctore, finis vltimus, qui rationẽ habet primi obiecti, diuiditur in finem qui, & finẽ quo; imò diximus nõ ponere in numero, quia qđ appetitur, non est finis vt cũq;, sed finis consequutus: vt auarus nõ cupit pecunias vtcunque, sed possessas: intrat ergo possessio rationem primi obiecti Voluntatis, & sic impossibile est esse actũ eius: quod quidem non currit de Intellectu, cuius obiectum tantùm est finis qui, in ratione veri, non autẽ vt possessus; vnde possessio potest esse actus Intellectus, ex quo & ipsa re intellecta quasi conflatur vnum totale obiectum primum Voluntatis. Et si cõtrà dicas cum Greg. de Valentia. 1. 2. q. 3. d. 1. pũcto 4. quòd aliquid potest esse primum obiectum dupliciter, vel in executione, vel dignitate: executione primum, est à quo omnis motus voluntatis incipit: dignitate verò primum est quod inter omnia præcipuum locum obtinet. Dicit ergo, quòd licèt beatitudo formalis, sit primum obiectum Voluntatis dignitate, nõ tamen exequutione, istud enim tantùm est beatitudo

Obiect. ex Valentia.

obiectiua: hac ergò posita, ab illa potest prima motio procedere, & Voluntas circa ipsam versari, & talis actus Voluntatis circa beatitudinem obiectiuam, erit beatitudo formalis, supra quam postmodum Voluntas potest reflecti, & ad talem actum cætera omnia ordinare. Nec est eadem ratio de visu; cùm enim non possit reflecti supra proprium actũ, nullus proprius actus potest esse obiectum illius, sed tantùm color: Respondetur, prædicta nihil valere, *Solutio.* quia consequutio vltimi finis non solùm est primum obiectum Voluntatis dignitate, sed etiam exequutione, quia, vt dictum est, quod primò intendit Voluntas, non tãtùm est finis qui, sed etiam quo, nẽpe summum bonum obtentum: intrat ergo adeptio in rationem obiectiuam primò mouentem Voluntatem, vnde actus eius esse non potest, quia ad quemlibet actum mouetur nõ solùm ex fine qui, sed etiam quo: quod clarius dicitur. Ad quãcumque operationem mouetur Voluntas, ex adeptione vltimi finis: præsupponitur ergo adeptio ad omnem actum eius, & sic etiã adeptio est primum exequutione, & consequenter impossibile est esse actum illius, Ex quo manet etiam confutata distinctio *Scot.* Scoti in 4. d. 49. q. 4. §. in ista quæstione, vbi dicit, quòd actus Voluntatis nõ potest esse primum volitum vt quod; quia hoc tantũ habet obiectum extrinsecum, bene tamen potest esse primum volitum vt quo, & sic esse beatitudo formalis. Manet ergo confutatum; quia primum volitum vt quod, non est res extrinseca vtcunque, sed obtẽta, vnde obtẽtio supponitur etiam primo actui Voluntatis.

Ad 6. Ad sextum argumentum respondetur, quòd cùm actus Voluntatis sit appetitus totius hominis, magis inclinatur in bonũ totius, quàm in bonum particulare ipsius Voluntatis, vnde magis appetit rationem summi veri, quæ bonum est totius, quàm rationem summi boni, quæ bonum est ipsius Voluntatis. Et si cõtrà dicas, quòd Voluntas tendit in rationem veri sub ratione boni: ergo respectu appetitionis Voluntatis, præcipua est ratio boni, quia præcipua est ratio sub qua: Respondetur, quòd ex parte modi tendẽdi Volũtatis, & secundũ propriã rationem obiectiuam, præcipua est ratio boni, ex parte tamen rei amatæ, tãquàm ratio quæ diligitur, præcipua est ratio veri: itaq; magis cupit obtinere verum, quàm obtinere bonũ, licèt ex parte modi

Obiectio.

Respond.

Volun-

Voluntatis appetat illud verum sub ratione boni: mota enim Voluntas à ratione boni, plus cupit verum, quàm bonum ex parte rei amatæ: quia, vt dictum est, verum est bonum totius. *Nota.* Notandum tamē, quòd visio & amor, possunt cōsiderari dupliciter. Primò, vt sunt bonum amicti. Secundo vt per amicitiam ordinantur ad bonum Dei & gloriam eius. Primo modo visio est maius bonū, & magis debet eligi, iuxta dicta in hac solutione. Secundo autē modo magis debet appeti amare Deum quàm videre illum; quia & visio per amorem amicitiæ, in Dei gloriam ordinatur, vt infrà dicemus: itaque in hac vita amor præeminet vtroque modo: in Patria autem solum secundo modo, vnde in Via vtroque modo, *D. Ansel.* in Patria autem solùm secundo modo habet verum illud D. Anse. lib. Cur Deus homo, dicētis: Peruersus ordo est amare vt intelligas, rectissimē verò, intelligere vt ames.

DVBIVM III.

Vtrùm visio beatifica habeat rationem essentiæ beatitudinis, secundū quòd præcedit actum amoris prioritate naturæ: an verò secundùm quòd natura subsequitur actum amoris. Dixi prioritate naturæ, nā tempore simul sunt visio, amor, & fruitio; siquidem, vt docet D. Tho. *D. Thom.* *1.p.q.10.a.5.ad 1. & optimè explicat Ferr. 3. cōt Gent. c. 61. omnia prædicta mensurantur æternitate.* *Ferrar.*

Arg. 1. PRobatur ergo primò, quòd vt subsequitur amorē. Nam, vt dictū est suprà, beatitudo formalis non est visio vteūque, sed visio vt consequutio & cōprehensio vltimi finis & summi boni: sed hoc nō intelligitur nisi præsupposito amore volūtatis: ergo visio vt subsequitur amorem habet rationem essentialis beatitudinis. Probatur minor, nam consequutio summi boni præsupponit tendentiā ad ipsum bonū quod consequitur: tendentia autem ad bonū, est per amorē Voluntatis: ergo iste præsupponitur ad consequutionē. Neq; valet *Solut.* solutio, probare præsupponi amorē Charitatis in Via, non autē quòd amor Patriæ *Impug.* natura sit prior ipsa visione in ratione beatitudinis. Non (inquam) valet, quia potest esse beatus, in quo amor viæ non præcessit, vt contingit in pueris baptizatis decedentibus ante vsum rationis, & in Christo Domino, in quo (cùm beatus fuerit ab instanti suæ conceptionis) nō potest designari amor viæ præcedens: ergo dicendum est amorem beatificum natura præcedere, vt in omnibus verificetur esse consequutionem summi boni amati, in quod beatus tendebat.

Secundo arguitur. Beatitudo debet cōsistere in perfectissima operatione: sed actio Intellectus non est perfectissima nisi vt supponit actum Voluntatis: ergo vt subsequitur actum amoris, est beatitudo. *Arg. 2.* Minor probatur, nam actus Intellectus in ratione consequutionis ab actu Voluntatis perficitur: cùm enim amor sit vnitiuus, ad consequutionem Intellectus iuuat.

Tertiò arguitur. Actus amoris est dispositio ad formalem beatitudinē: ergo actus amoris debet antecedere. Consequētia patet, nam dispositio debet præcedere formā. Antecedens verò probatur ex D. Tho. q. 2. art. 4. vbi ait, rectitudinē Voluntatis, quæ fit per Charitatem, antecedēter requiri ad beatitudinem, quia est dispositio ad illam, & 1. p. q. 12. art. 7. dicit, Charitatem efficere hominem capacem & aptum ad visionē beatam, & secundùm Charitatē distingui gradus beatorum. Item infrà q. 4. art. 8. ad 3. dicit, dilectionem Dei pertinere essentialiter ad beatitudinem: dictum est autē, non consistere in illa: ergo si pertinet essentialiter ad eā, ad minus debet esse vt quid præsuppositum. *Arg. 3.*

Quartò arguitur. De ratione beatitudinis est, plenè satiare appetitum: sed plena satietas nō est, nisi Voluntas amore teneat obiectū: ergo talis amor prærequiritur ad plenam satietatē beatitudinis. *Arg. 4.*

Vltimò probatur ex multis locis D. Th. in quibus hoc videtur habere, nam quod lib. 8. art. 19. dicit, quòd beatitudo originaliter pertinet ad Intellectum, completiuè tamen ad Voluntatem, & suprà q. 1. art. 8. dicitur, quòd homo consequitur suum finem, cognoscendo & amando illum, & infrà q. 4. art. 3. dicit, quòd comprehensio sequitur ex visione: & statim ad 3. dicit, quòd visio est obiectū cōprehensionis, solutione autē ad 2. dicit, quòd cōprehensio pertinet ad Voluntatē. Et ar. 8. eiusdē quæstionis, dicit, quòd essentialis beatitudo est dilectio. Ex his ergo locis colligitur, quòd licèt ante operationem Voluntatis, visio sit beatitudo originaliter, non tamen formaliter *Arg. vlt. D. Thom.*

ter,nisi vt actum Voluntatis præsupponit.

Propter argumenta posita tenet hanc sententiam Soto in 4.d.49.artic.4.in fine, & Magnus Albertus in 3.d.24.artic.3.qui dicunt,quòd licèt amor non sit essentialis beatitudo;tamen actus Intellectus,in quo beatitudo consistit, supponit actum Voluntatis,veluti dispositionem;quia non potest beatificare nisi amantem : vnde actus Voluntatis,licèt non pertineat ad essentiã beatitudinis in recto , pertinet tamen in obliquo.

M. Soto. *Mag. Alb.*

Not.1. Pro intelligentia notandum.Primò,in præsenti posse loqui dupliciter:vel secundùm legem ordinariam;vel secundùm absolutam. Primo modo non dubium quin priùs natura antecedat amor,licèt nõ semper priùs tempore;vt patet in Christo Domino,qui cùm fuerit beatus ab instanti cõceptionis,amor non præcesserit tempore visionem , præcesserit tamen natura : & hoc ideò,quia radix & fundamentum beatitudinis est gratia : beatitudo enim non amplius est , quàm gratiæ consummatio ; & beatitudo ad gratiam,vt hæreditas ad filiationem, comparatur:per gratiam enim sumus filij,participando Dei naturam,Quòd si filij,& hæredes. Ex gratia autem vt propria passio dimanat Charitas.Si ergo gratia beatitudinem præcedit secundùm legem ordinariam, consequenter & Charitas . Procedit ergo dubium de potentia absoluta,vtrùm ratio amoris sic formaliter pertineat ad beatitudinem , saltem antecedenter,vt beatitudo esse nequeat nisi amore præsuppositio.

Not.2. Secundò notandum , non posse dubitari,quin beatitudo dicat ordinem ad Voluntatem,quia(vt dictum est)est obiectũ illius , & quia , vt dicetur infrà,beatitudo eminenter est practica.Est autem difficultas , vtrùm huiusmodi ordo sit ad actum Voluntatis subsequentem , an verò antecedentem beatitudinem, siue tempore,siue natura.

Conc. D. Thom. Conclusio.Visio beatifica, est formalis & essentialis beatitudo,vt præcedit actum amoris,& quencumque actum Voluntatis.Hæc conclusio est D. Tho. 1.p.q.26. art.2.ad 2. vbi de Deo hoc asserit, visionẽ propriæ essentiæ,prout antecedit omnem actum Voluntatis,esse Dei beatitudinem. Cùm ergo beatitudo nostra beatitudinis Dei sit participatio,in nobis debet cõsistere,sicut in illo.Ratioq, D. Tho.ibidem est manifesta,nam cùm beatitudo formalis sit obiectũ Voluntatis,debet præcedere omnem actum eius,vt suprà explicatum est.

Secundò probatur. Visio vt antecedit omnem actum Voluntatis, habet rationẽ consequutionis & comprehensionis vltimi finis:ergo vt sic est beatitudo. Antecedens probatur,nam in eo quod est Intellectum comprehendere vel assequi,non dependet à Voluntate,sed habet ex proprijs, quatenus est potentia attractiua sui obiecti,in quo vtiq; à Voluntate non dependet.Si respõdeatur, non posse intelligi cõprehensionem vltimi finis sine Voluntate,quia finis ad Voluntatem pertinet:ergo priùs natura intelligitur Voluntas,in ordine ad quam habeat rationẽ finis, quàm intelligatur comprehensio ipsius finis: Hæc solutio nihil valet, impugnatur autem ab aliquibus Thomistis,ex differentia quę inter verum & apparentem finem reperitur, quòd verus finis non dependet à Voluntate in esse finis,sed hoc habet ex se ipso:finis autem apparens habet esse finem à Voluntate;non enim pecuniæ essent vltimus finis auari,nisi ab ipso essent appetitæ : cũ ergo Deus sit vltimus finis verus,antecedẽter ad omnem actum Voluntatis habet rationem finis,& sic independenter etiam à Voluntate potest esse comprehensio eius in ratione finis.Hæc impugnatio sufficiẽs est ad impugnationem contrariorum: nihilominus non continet verũ : finis enim (etiã apparens)antecedit Voluntatẽ ex fictione Intellectus,ab illo enim proponitur vt finis & vt obiectũ Voluntatis; vnde in vniuersum antecedẽter ad actũ Volũtatis,habet rationẽ finis,sicut & boni, veri vel apparentis: finis enim & obiectũ Voluntatis idẽ sunt , vt patet ex supra dictis: cùm ergo obiectũ eius debeat præcedere, consequenter & finis illius.Tertiò probatur conclusio.Si propter aliquam rationẽ prærequireretur præcedere actũ amoris, maximè quia beatitudo dicit intrinsecum ordinem ad Voluntatẽ : sed hæc ratio est nulla:ergo.Probatur minor, nã ad huiusmodi ordinẽ sufficit,Voluntatẽ se habere cõsequenter;vt patet in Intellectu practico,quẽ Volũtas nõ præcedit,sed subsequitur;ad quã tamẽ dicit habitudinẽ.Similiter sensibile dicit ordinẽ & habitudinẽ ad sensum,nõ antecedentẽ,sed subsequentẽ,quia prius est sensibile,quã sensus;sicut obiectũ, quã potẽtia.Similiter potẽtia dicit habitudinẽ intrinsecã ad actũ,non antecedentẽ,sed subsequentẽ,quia potentia prior est actu.

Solutio

Impug.

Simi-

Similiter beatitudo dicit habitudinem ad amorē cōsequutū ex ipsa, & posterius se habentem, non autem ad prærequisitum & antecedentem.

Ad 1. Ad primū argumentū à principio respōdetur, per accidens aliquādo in Via prę cedere amorē, non autē per se, vt patet in exēplo Christi Domini. Ad illud autem, quòd consequutio boni supponit tendentiam ad bonum, respōdetur, quòd si loquatur de tendentia ipsius met intellectus cōprehendentis, verū est; non autē de tendētia Voluntatis pręuia, quia, vt dictū est formaliter loquendo, comprehensio non cōsistit in eo quòd obiectum fuerit amatū, vel non, sed in eo quòd trahatur ad potētiā, in quo nulla est dependentia ab actu Voluntatis præcedente.

Ad 2. Ad secundū, negatur minor. Ad probationē dicitur, quòd licèt cōprehensio extēsiuè perficiatur in ratione vnionis, ab actu Voluntatis, non tamen intensiuè in ratione cōprehensionis; quia, vt dictū est, solùm consistit in attractione obiecti, non autem perfectiùs trahitur ab Intellectu, ex eo q̄ fit amatū; quia nō intensiùs vel meliùs videtur ex eo quòd præcesserit, vel non præcesserit amor.

Ad 3. Ad tertiū respondetur, actū amoris esse dispositionē in adultis, prout in Via debet præcedere, per modū meriti gloriæ: nos autē hic loquimur ex natura & essentia ipsius beatitudinis, secundū rationē formalem & propriam, vt essentialiter sit beatitudo, nō prærequirere actū Voluntatis pręcedentē; & sic intelligitur D. Th. locis citatis; loquitur enim de beatitudine, prout de facto cō sequitur, & secundū illa quæ tā essentialiter, quàm completiuè, vel dispositiue ex lege includit.

Ad 4. Ad quartū, dictū est suprà, beatitudinem satiare radicaliter; & ad hoc sufficit ordo, & habitudo posita in beatitudine ad amorem subsequentē, etiā si defacto talis amor nunquā esset; habitudo enim specificans non exposcit terminum in re; vt patet in scientia de Rosa, quæ importat habitudinem ad illā, etiā si non existat; sufficit ergo, beatitudinem esse productiuam amori, etiā si per impossibile amor non esset, vt radicaliter dicatur plenè satiare.

Ad 5. Ad quintum respondetur, quòd in illo quodlibeto ipse se explicat. Si enim actus Voluntatis cōplet, extra essentiā est, & cōsequenter se habet. Ad secundū locum respondetur, quòd loquitur de beatitudine, vt includit tā essentiā, quàm passiones. Ad tertium locum dicitur, nomine comprehēsionis non intelligere D. Th. aliquem actū distinctum à visione, & alterius potentiæ: solū enim est distinctio rationis, idemque actus; idque sufficit, vt dicatur, vnū sequi ex alio; vt ens & bonum sola ratione distinguuntur; & nihilominus dicitur, bonū sequi ex ente. Ad quartū locū dicitur, quòd ibi in litera additur: Visio, aut res visa, est obiectū cōprehensionis; vt intelligatur sumi visio ex parte obiecti. Ad quintū locū dicitur, intelligendū esse, non formaliter, sed terminatiuè: quia vt suprà diximus, cō prehensio dicit habitudinē ad Voluntatē. Ad sextū dicitur, quòd loquitur, vel terminatiuè, quia est à quo sumitur essentialiter beatitudo, vt à termino; quia cōprehensio Intellectus respicit vt terminū Voluntatē. Vel loquitur de essentia vltimò completa, vt includit etiam passiones. Vel loquitur de beatitudine, vt dicit statum omnium bonorum; sic enim etiam essentialiter includit amorem.

DVBIVM IIII.

Vtrùm beatitudo supernaturalis imperfecta, quæ in hac Vita haberi potest, cōsistat in actu Intellectus, an verò Voluntatis.

PRo intelligentia supponendum, quòd licèt in hac vita perfecta beatitudo supernaturalis haberi non possit, imperfecta tamē, & aliqualis participatio potest esse, vt docet D. Th. infrà, q. 5. ar. 3. & 8. q. 69. ar. 2. & 3. & p. p. q. 12. a. 11. D. Aug. 11. de Ciuitate. c. 12. & ex sacra Scriptura patet, Mat. 5. Beati pauperes, &c. vbi etiā viatores iusti, beati nuncupantur; quod ad minus de beatitudine participata & imperfecta debet intelligi. *D. Thom.* *D. Aug.* *Math. 5.*

Secundò supponendum est, beatitudinē, etiā imperfectā Viæ, non debere cōsistere in aliquo bono creato, tanquā in obiecto, quia, vt dictū est sup. q. 2. art. 8. solus Deus potest nos beatificare. Eo vel maximè, quòd si beatitudo Viæ est participatio, & quasi quædam scintilla beatitudinis Patriæ; sicut ista, ita & illa in aliquo circa Deum debet consistere.

Tertiò supponendū, quòd cū actus supernaturales (etiā circa Deum) multiplices sint, de multis eorum certū est, non in illis consistere beatitudinem Viæ; vt v. g. in his quæ pertinent ad gratiam gratis datam, qualis

qualis est Prophetia, donum miraculorum, &c. hæc enim etiam in peccatoribus reperiuntur, qui beati nullatenus dici possunt, & de quibus dicitur Matth. 7. cum hæc allegauerint in die iudicij. Amen dico vobis, Nescio vos. Eadem ratio currit de actu Fidei informis, similiter de actu Spei, quæ in peccatoribus etiam reperiuntur, similiter certum est de delectatione; hęc enim postrema est, & omnino debet suponere beatitudinē. Remanet ergo difficultas de tribus actibus, nempe Fidei formatæ, vel altissimæ contemplationis per donum Sapientiæ (quæ ad intellectū pertinent) vel amoris charitatis, qui pertinet ad voluntatem.

Matth. 7.

1. Sent.

Prima sententia est in hac parte, quòd beatitudo imperfecta huius viæ consistit in actu Intellectus. Hæc probatur primò ex D. Thom. art. 5. sequenti, vbi expresse dicit, beatitudinem imperfectam cōsistere in contemplatione, & q. 4. art. 5. dicit, quòd beatitudo imperfecta, aut est operatio Intellectus speculatiui, aut practici. Nec valet solutio, quòd loquatur D. Thom. de beatitudine naturali, quia in cōfirmationem adducit Arist. 10. Ethicorū, qui tamen beatitudinem supernaturalem non cognouit. Nō (inquam) valet solutio, quia ibi agebat D. Thom. de beatitudine perfecta supernaturali; subdit autem sermonē de beatitudine imperfecta; ergo debet intelligi intra idem genus beatitudinis supernaturalis.

Arg. 1.

Solutio.

Impug.

Confirm.

Confirmatur, nam 3. cōtra Gent. cap. 4. ratione 5. dicit, beatitudinem perfectā non posse consistere in actu Fidei, quia non perfectè per actum Fidei consequimur vltimum finem; virtualiter ergo sentit, quòd imperfectè cōsistet in illo, quia imperfectè est consequutio. Idem docet August. lib. de quantitate animę, cap. 33 dicens, perfectissimum gradum, ad quem anima in hac vita potest peruenire, esse altissimam veritatis contemplationem.

Secundò probatur. Beatitudo essentialis debet consistere in consequutione vltimi finis, beatitudo perfecta in consequutione perfecta, & beatitudo imperfecta in consequutione imperfecta; sed imperfecta consequutio in hac vita tantùm est per Intellectum, qui est consequutiuus ex propria ratione, & nullomodo voluntas; vt suprà dictum est: ergo in actu Intellectus etiam beatitudo imperfecta consistit.

2. Arg.

Tertiò probatur. Omne imperfectū debet regulari per proportionem ad perfectum: ergo beatitudo viæ debet esse per proportionem ad beatitudinem Patriæ: Sed beatitudo Patriæ perfecta consistit in actu intellectus: ergo & beatitudo viæ.

3. Arg.

Quartò probatur. Beatitudo ex propria ratione habet rationem premij, & non meriti; quia beatitudo dicit terminum, & non viam: sed quod imperfectè potest habere rationem præmij in hac vita, est cognitio, & non amor (qui meritū importat) ergo in cognitione & non in amore, &c. Minor est D. August. lib. 1. de sermone Domini in monte, cap. 9. vbi dicit, quòd præmium quod correspondet munditiæ cordis (scilicet videre Deum) in hac vita etiam completur, quia adimpletum intelligimus in sanctis Apostolis.

Arg. 4.

Quintò probatur. Beatitudo, etiam imperfecta, consistit in præstantissima operatione: talis est operatio Intellectus: ergo.

Doctores tamen huius sententiæ inter se sunt diuisi. Alij enim tenent, consistere in actu Intellectus Fidei formatæ, vt supponit charitatem; quia licèt suprà dictum sit, beatitudinem Patriæ consistere in actu Intellectus, vt præcedit actum voluntatis; non tamen in via; quia in Patria, etiam antecedenter ad voluntatem, actus Intellectus est perfectissimus; in via autem non ita: actus enim Fidei essentialiter perficitur ex amore, quia ex propria ratione specifica dicit ordinē ad vtrāque potentiā, tam Intellectum, quàm voluntatem; vnde antecedenter ad actum amoris, Fides est omnino imperfecta & informis: debet ergo consistere in actu Fidei formatæ. Et id conformant ex illo Ioann. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, &c. qui locus licèt communiter & veriùs explicetur, vt suprà dictum est, de cognitione in Patria, à multis tamen rectè interpretatur de cognitione Fidei in via. Alij autem constituentes beatitudinem in Intellectu, non ponunt illam in cognitione Fidei, sed in altissima cognitione per donum Sapientiæ, quia huiusmodi cognitio habet rationē quasi termini, iuxta illud. Non habet amaritudinē cōuersatio eius. Et ad Ephesios 3. Nostra cōuersatio in cęlis est. Cōuersatio autē statum & permanentiā importat & in

Ioann. 17.

Ad Ephes. 3.

hoc distinguitur à loquella transeunte. Fides autem vt infrà dicemus, importat viam & tendentiam: ergo beatitudo non in cognitione Fidei, sed in cognitione doni Sapientiæ debet sine dubio consistere.

2.Sent. *Cano. Dionys.* *Matth.5.* *Psalm.1.* *Psalm.118.* *Hilarius.* *Psalm.111.* *Matth.5.* *Ioann.13.* *D.Amb.* *D.Aug.*

Secunda sententia est, quam tenet Mag. Cano lib.9.de locis cap.9. & Dionysius Chartusianus super illud Matth. 5. Beati mundo corde, quòd beatitudo imperfecta viæ consistit in charitate. Hæc sententia probatur primò ex sacra Scriptura Psalmo 1. Beatus vir qui non abijt, &c. sed in lege Domini voluntas eius. Et Psalm. 118. Beati immaculati in via, qui ambulat in lege Domini; vbi D. Hilarius dicit, quòd beatitudinem viæ obtinemus, quia sumus inmaculati, & habemus bonos mores, & Psalm. 112. Beatus vir qui temet Dominum; in mandatis eius volet nimis. Et Matth. 5. Beati qui esuriunt, &c. vbi omnia illa pertinēt ad voluntatem. Et Ioann. 13. Beati eritis, si feceritis, &c. Confirmatur ex D. Ambros. lib. 1. de Iacob cap. 7. vbi expressè ait, beatitudinem viæ consistere in charitate. Et D. August. 19. de Ciuitate, cap. 105. dicit, consistere in pace: pax autem ad voluntatem pertinet, & idem insinuat q.70. in Genes.

D.Thom. *Ferrara.* *Aragon.* *Capreolus.* *Solut.* *Impugn.*

Secundò probatur. Beatitudo debet consistere in perfectissima operatione: sed in via huiusmodi est charitas: ergo. Probatur minor ex D. Thom. 1.p q.82. art.3. & q.108. art.6. ad 3. & 2.2.q.23. art. 6. ad 1. & quæst.22. de veritate, artic. 11. & 12. quæst.66. art. 2. & Ferrara 3. contra Gentes, cap.26. & 2.2. quæst. 17. artic.6. hoc docent Aragon, & Bañes, & alij multi, & Capreolus in 1.d.1. quæst.1 & 4. & distin.49. quæst. 2. Immò est D. Pauli, 1. Corinth. 13. Maior horum est charitas. Si respondeatur, beatitudinem debere consistere in perfectissima operatione habente rationem consequutionis, huiusmodi autem non esse charitatem, quia voluntas non consequitur, vt dictum est, sed hoc habet Intellectus: Contrà arguitur, quia neque actus Intellectus in hac vita habet rationem consequutionis respectu Dei, & si aliquis actus aliqualiter debet dici consequutio, est actus charitatis: nam in motibus & tendentibus ad aliquem terminum, approximatio ad illum, dicitur aliqualiter eius consequutio; vt patet in motu local, dicitur enim acquirere, vbi, ad quem tēdit, per tendentiam, & approximationem ad illud, etiamsi tale vbi, adhuc non sit obtentum. Cùm ergo tendentia & approximatio ad finem vltimum Patriæ, sit per charitatem, quia tendentia, & approximatio est per meritum, cuius principium est charitas, inde fit, quòd inter actus supernaturales viæ, charitas aliqualiter habet rationem consequutionis: quod docuit D. Augustin. lib. 6. Musicæ cap. 15. loquens de anima, quæ per amorem tendit in Deum, quòd cùm isto itinere proficit, iam æterna gaudia præsentit & pennè apprehendit. Etsi rursus dicas, quòd per Fidem pergimus, iuxta illud ad Corint. 5. Per Fidem ambulamus: Et in Collecta vigiliæ Ascensionis petitur, vt nostræ mentis intentio quò Fide pergit, conuersatione peruenìat: Contrà arguitur, nam aliter ambulamus per Fidem & per charitatem: Fides enim facit iter, illuminando, & demōstrando viam; charitas autem vt verus pes animæ, gressibus ambulando, quia, vt dictum est, Fides ex propria ratione cùm possit esse informis, non importat meritum; charitas autem sic: vnde per illam primordialiter fit gressus per meritum, & approximatio ad terminum Patriæ.

D.Aug. *Solut.* *Corint.5.* *Impugn.*

Tertiò probatur hæc sententia, beatitudo est bonum maximè diligibile: sed in hac vita huiusmodi est charitas: ergo. Probatur minor; tùm, quia (vt dictum est) charitas est maximum bonum viæ, tùm etiam, quia charitas est finis omnium aliarum virtutum, iuxta illud 1. ad Timoth. 1. Finis præcepti est charitas de corde puro, quem locum ad propositum explicat D. Thom. 2.2. quæst. 44. artic. 1. & quæst. 84. artic. 1. & D. Augustin. 1. de Doctrina Christiana, capit. 35. vsque ad 40. vbi ait, omnem cognitionem veritatis sacræ Scripturæ ordinari ad dilectionem, & Epist. 119. ad Iulianum, capit. 21. & D. Anselmus lib. 2. Cur Deus homo, capit. 1. dicit, rectum ordinem esse, intelligere ad amandum, non verò è conuerso. Vbi, vt suprà dictum est, loquitur de viatoribus. Cùm ergo finis diligibilior sit quocumque medio, charitas erit bonum maximè diligibile inter omnes virtutes.

1.Ad Tim. *D.Thom.* *D.Aug.* *D.Anselm.*

Tertia sententia est media, quòd viator

tor potest dupliciter considerari: primò absolutè & secundùm se: secundò prout tendit & pergit ad terminum Patriæ. Primo modo beatitudo eius consistit in actu Intellectus, siue Fidei formatæ, siue (verius & melius) altissimę cõtemplationis per donum sapientię. Secundo autẽ modo beatitudo eius consistit in charitate, quia, vt probat secunda sententia, per illam fit gressus, & approximatio vitæ æternæ.

Not. Pro intelligentia notandũ, quòd cùm beatitudo, etiam imperfecta huius vię de beat consistere in operationibus supradictis, ideò omissam facimus sententiam aliquorum, quòd huiusmodi beatitudo vię consistit in gratia; quia neque gratia vnionis, vt supra diximus, facit beatam humanitatem Christi Domini, & aliàs infans baptizatus diceretur beatus, quia est in gratia; quod nullus concedet. Itẽ omittimus sententiam Salas hic tractatu 2, disput. 2. sectione 6. asserentis consistere in aggregatione Fidei, Spei, & Charitatis: immò & gaudium ad charitatem consequutum, dicit pertinere ad integritatem beatitudinis vię. Hanc (inquam) omittimus, quia facilè impugnatur, vt supra est impugnata sententia affirmans, de beatitudine Patrię, consistere in aggregatione plurium actuum: licèt enim perfectio etiam beatitudinis vię omnia ista includat; essentia tamen talis beatitudinis in vno aliquo istorum debet consistere.

Salas.

Concl. 1. Prima conclusio. Beatitudo vię nõ potest consistere in Fidei cognitione. Hęc probatur. Beatitudo dicit rationem termini: sed Fides, vt dictum est, habet rationem vię, quia per Fidem Ambulamus: ergo in cognitione Fidei beatitudo non potest consistere. Secũdò probatur. Beatitudo vię consistit in approximatione ad beatitudinem Patriæ: sed talis approximatio non est per Fidem. Probatur minor, quia cognitio Fidei est etiam in peccatore remoto à beatitudine Patrię. Cõfirmatur Apocalypsis 3. dicis quia diues sum, cùm tamen sis pauper, miser, & miserimus. Certum est autem, quòd Episcopus ille Laodicęę, cum quo ibi erat sermo, habebat Fidem: non ergo Fides facit beatum in via, cùm ille dicatur miser. Si respondeatur, hoc probare de Fide informi, non autem de formata, nam per istam acceditur ad Patriam: Contrà arguitur, nam Fides formata & informis secundùm essentiam sunt idem: ergo si informis non est beatitudo neque etiam formata, nam esse formatam, habet ab extrinseco, nempe à charitate: potiùs ergo ipsa charitas, à qua sumitur valor Fidei, erit beatitudo, & non Fides.

Apocal. 3.

Solut.

Impug.

Secunda conclusio. Beatitudo vię nõ potest consistere in altissima contemplatione, quę est per donum sapientię. Hęc probatur. Talis contemplatio, si per se sola sumatur, vt condistincta à cognitione Fidei, est imperfectior: ergo non consistit in illa, quia beatitudo in perfectissimo debet cõsistere. Antecedens autem probatur ex D. Thom. infra quæst. 68. art. 8. vbi docet, quòd virtutes Theologicę præstantiores sunt Donis Spiritus sancti, & consequenter actus illarum virtutum erunt præstantiores, quàm actus Donorum. Et ratio D. Thomę est manifesta, quia virtutes Theologicæ sunt regula & mensura actuum Donorum: regula autem præstantior est regulato. Quòd etiam talis cõtemplatio sit minus perfecta, quàm charitas, supradictum est ex Apostolo, quòd maior horum est charitas. Si respondeatur, hoc argumentum probare de contemplatione Doni sapientiæ secundùm se, non autem vt supponit Fidem & charitatem, vt sic enim præstantior est illis, & sic poterit esse beatitudo: Contra arguitur, nam vt in illa consisteret beatitudo, secundùm se debebat esse perfectior; nam si sufficeret prout alia supponit, etiam in patria dicendum esset beatitudinem consistere in amore; quia amor vt supponit visionem & alia, perfectissimus est.

Concl. 2.

D. Thom.

Solut.

Impugn.

Tertia conclusio. Illa distinctio viatoris, vel secundùm se, vel prout tendit ad Patriam, quæ ponitur in tertia sententia media, non habet fundamentum neque potest stare veritas eius, & consequenter nec illius sententiæ. Hæc probatur, nam status hominis triplex tantùm potest esse; vel in puris naturæ; vel vt eleuatur ad finem supernaturalem; vel prout in Patria. Secundus autem status nequaquam diuidi potest in hominem secundùm se, vel prout tendentem ad finem supernaturalem; quia essentia illius secundi status consistit in tendentia ad finem supernaturalem, quia per illum constituitur viator: & viator

Concl. 3.

Intrinsecè dicit tendentiam; solùm ergo potest sumi homo secundùm se in primo statu, vt distinguitur contra secundum statum; vt sic dicatur, quòd in primo statu eius beatitudo consisteret in Intellecta, in secundo autem statu consistit in voluntate, In secundo verò statu non potest aliter considerari, quàm vt viator & tendens: Vnde si ipsi concedunt, quòd vt tendens, beatitudo eius consistit in voluntate, absolutè id est dicendum de viatore & eleuato ad finem supernaturalem.

Concl.4. Quarta conclusio. Beatitudo huius vitæ consistit in charitate & amore supernaturali illius. Hæc patet â sufficienti diuisione præcedentium conclusionum, & argumentis factis pro secunda sententia, quæ manifestè ipsam probant, præcipue illa ratione, quòd beatitudo viæ consistit in approximatione ad finem supernaturalem: hæc autem approximatio fit per charitatem, vt patet ex locis ibi inductis, & præterea ad Ephes. 5. Ambulate in dilectione, & cap. 3. sequor autem, si quomodo comprehendam. Sequebatur autem per charitatem, & ita appellauit illam viam, 1. Corinth. 12. dicens: Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Idem docuit Augustinus Epistola 2. ad Macedonium, dicens: Imus in Deum, non ambulando, sed amando; & tanto Deum habemus præsentiorem, quanto amorem quo in Deum tendimus, habuerimus puriorem, & docuit etiam id D. Thom. infrà quæst. 5. dicens, beatitudinem imperfectam huius vitę consistere in operatione virtutis, quia vt dicit Aristot. 7. Polyticorum cap. 1. tantum contingit alicui felicitatis, quantum habet virtutis & capit. 8. & 9. negat posse esse felicitatem sine virtute, & 1. Ethicor. capit. 1. & 10. Ethicorum capit. 9. dicit, quod sapiens idem ipse est amicissimus Dei; non autem est amicus, neque propriè habet virtutem nisi per charitatem, quæ omnium est excellentissima: ergo. Et si contrà arguas, quia D. Thom. in 4. d. 49. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 4. & 1. 2. quæst. 3. ar. 5 & 2. 2. q. 180. ar. 4. & 186. art. 3. ad 4. dicit, beatitudinem consistere in actu Intellectus speculatiui, vel etiam practici. Respondetur, agere de beatitudine Patriæ: & si de beatitudine etiam viæ dicit, consistere in vita contemplatiua, non ideò ponit beatitudinem in actu Intellectus, quia vita contemplatiua præcipuè in amore circa Deum consistit, vt docet D. Thom. q. 22. de veritate, art. 11. ad 11. & Gregor. Homil. 14. in Ezech. ad quam etiam si requiritur contemplatio, est antecedenter. Vnde falsò Salas hic imputat D. Thom. sententiam oppositam, quasi teneat, consistere in actu Intellectus, vt ille constituat authorem nostræ sententiæ Vazq. disp. 12. c. 3. cùm tamen Vazquez in hac parte sequatur D. Thom.

D. Thom. *D. Greg.*

Ad primum argumentum primæ sententiæ respondetur, ibi loqui de beatitudine naturali; & ad hoc inducit authoritatem Arist. & ipse seipsum, sic explicat 1. p. q. 62. art. 1. Neque est loqui transcũdo de genere in genus, quia ad cognitionem beatitudinis Patriæ, multum conducit cognitio beatitudinis naturalis. Adcõ firmationem, iam dictum est, Fidem nullo modo habere rationem consequutionis, sed id tãtùm habere charitatem, quia consequutio in hac vita, est per approximationem ad gloriam, quæ quidem fit per charitatem D. autem August. si præfert contemplationem alijs, hoc est ratione amoris quem includit, vnde tandem ad amorem omnis excellentia reducitur: quia, vt dicit D. Greg. hom. 14. super Ezechielem, summa perfectio huius vitæ, immò & contemplatiuæ vitæ, est, quòd nõ solùm veritas diuina videatur, sed etiam quòd ametur.

Ad 1. arg. *Ad Confir.* *D. Greg.*

Ad secundum argumentum respondetur, iam dictum esse, non sic sumi consequutionem vtcumque; sed loquimur de illa per modum motus & tendentiæ & proxitatis ad terminum; hæc autem consequutio in voluntate est per meritum, licèt in ipsa non sit strictè dicta, vt importat trahere ad se obiectum.

Ad 2. arg.

Ad tertiũ argumentũ respondetur, nõ eodem modo debere pensari beatitudinẽ viatoris & comprehensoris; nam istius consistit inquiete & esse in termino per habitionem illius; viatoris autem consistit in motu & tendentia, vt dictũ est. Licèt ergo comprehensoris consistat in Intellectu; per quem habet vltimũ finẽ, viatoris cõsistet in voluntate, per quã tẽdit, & mouetur ad talem finẽ. Vel secũdò respõdetur, quòd licèt actus Intellectus huius vitę magis assimiletur beatitudini Patrię in ratione actus, quia sũt eiusdẽ potẽtię; tamẽ in ratione beatitudinis magis assimilatur visioni Patrię amor vię quã Fides;

Ad 3. arg. *Resp. 2.*

quia

Obiectio. *D. Thom.* *Solutio.*

quia beatitudo dicit vltimum finem: inter omnes autem virtutes Charitas viæ est finis vltimus, & non Fides; vnde charitas aptior est & similior visioni claræ Dei ad beatificandum in via.

Ad 4.arg. Ad quartum respondetur, quòd licèt tam cognitio, quàm amor, sint principiũ merendi, præcipuè tamen amor & charitas; & nihilominus potest habere rationẽ præmij, licèt nõ quantum ad primam infusionem, bene tamen quantum ad augmentum, vt dicitur infrà q.114.artic. 5. Verum est, quòd non est præmium vltimum, quia neque beatitudo vltima, sed in tẽdentia. Vnde sicut finis intermedius habet rationem finis respectu præcedentium, rationem autem medij respectu subsequentium; ita augmentum charitatis habet rationem præmij respectu antecedentis, principium autem meriti respectu subsequentis. Sed quia hæc solutio tantùm currit de augmento gratiæ vel charitatis, non autem de primô infusa, in quo instanti verum est iustum habere beatitudinem viæ: Secundò respondetur *Resp.2.* ex dictis, quòd beatitudo viæ non dicit rationem præmij, sed aproximationem, & tendentiam ad illud: hoc autem fit per principium merendi, nempe per Charitatem.

Ad 5.arg. Ad quintum argumentum respondetur, quòd, vt dictum est, præstantissima operatio huius vitæ est charitas, licèt ex genere suo actus cognitionis sit præstantior: bene enim potest esse actus minoris potentiæ præstantior actu potentiæ, præstantioris, quia prestantia potentiæ *2.Solutio.* non in quolibet actu debet reperiri. Vel secundo respondetur, quòd licèt actus Intellectus in esse entis sit præstantior; tamen in esse moris præstantior est actus voluntatis, quæ principium est totius moralitatis. Cùm ergo beatitudo viæ moraliter consideretur secundùm tendentiam meritoriam ad vltimum finem in ratione beatitudinis, præstantior est actus voluntatis, quàm intellectus. Ad il- *Ad illud* lud autem quod adducitur Ioann. 17. *Ioann. 17.* respondetur, quòd ex eo quod Fides est prima virtus, & initium iustificationis, multa dicuntur de illa, quæ propria sunt gratiæ vel charitatis, vel etiam vitæ æternæ; quia cùm processus incipiat ab illa in sensu causali, omnia subsequentia attribuuntur illi; vnde dicitur, quòd Fides iustificat, & quòd est substantia sperandarum rerum. Hac ergo ratione dicetur vita æterna, quia à Fide incipit consequutio vitæ eternæ, siue perfectè in Patria, siue imperfectè in via; non tamen quia formaliter in Fide consistat, sed in charitate, quam tamen initiatur Fides. Ad vltimum quod ibi objcitur de Dono sapientiæ, respondetur, quòd, vt dictum est, beatitudo viæ non consistit in ratione termini, sed potius in ratione tendentiæ; vnde in perfectissimo actu, per quem tendimus (qualis est charitatis) debet consistere. Et hæc de hoc articulo sufficiant.

ARTICVLVS V.

Vtrùm beatitudo sit operatio intellectus speculatiui, an practici.

AD quintum sic proceditur. *Videtur quòd beatitudo consistat in operatione intellectus practici. Finis enim vltimus cuiuslibet creaturæ consistit in assimilatione ad Deũ: sed homo magis assimilatur Deo per intellectum practicum, qui est causa rerum intellectarũ, quàm per intellectum speculatiuum, cuius scientia accipitur á rebus: ergo beatitudo hominis magis cõsistit in operatione intellectus practici, quàm speculatiui.* 1.q.10. art. 8. & 4.d.49 q.1.art.1.q. 3. & opusc. 3.c.264.& 1.Ethic.lec. 10.

Præterea. Beatitudo est perfectũ bonum hominis: sed intellectus practicus magis ordinatur ad bonum, quàm speculatiuus qui ordinatur ad verum, vnde & secundùm perfectionem practici intellectus dicimur boni, non autem secundùm perfectionẽ speculatiui intellectus, sed secundùm eam dicimur scientes, vel intelligentes: ergo beatitudo hominis

magis consistit in actu intellectus practici, quàm speculatiui.

Præterea. Beatitudo est quoddam bonum ipsius hominis; sed speculatiuus intellectus occupatur magis circa ea quæ sunt extra hominem, practicus autem intellectus occupatur circa ea quæ sunt ipsius hominis, scilicet circa operationes, & passiones eius: ergo beatitudo hominis magis consistit in operatione intellectus practici, quã intellectus speculatiui.

* Ca. 10. in prin. & c. 8 parum ante mediũ. to. 3.

Sed contra est, quod August. in primo de Trinitate, * quòd contemplatio promittitur nobis actionum omnium finis, atque æterna perfectio gaudiorum.

Respondeò dicendum, quôd beatitudo magis consistit in operatione speculatiui intellectus, quàm practici. Quod patet ex tribus. Primò quidem ex hoc, quòd si beatitudo hominis est operatio, oportet quôd sit optima operatio hominis: optima autem operatio hominis est quæ est optimæ potentiæ respectu optimi obiecti optima autem potentia est intellectus, cuius obiectum optimum est bonum diuinum, quod quidem non est obiectum practici intellectus, sed speculatiui; vnde in tali operatione, scilicet in contemplatione diuinorem, maximè consistit beatitudo, & quia vnusquisque videtur esse id quod est optimum in eo, vt dicitur in 9. & 10. Ethicorum, * ideò talis operatio est maximè propria homini, & maximè delectabilis.

* Lib. 9. c. 4 & 8. lib. 11. c. 7. ad fin. tom. 5.

Secundò apparet idem ex hoc quòd contemplatio maximè quæritur propter seipsam; actus autem intellectus practici non quæritur propter se ipsum, sed propter actionem; ipse autem actiones ordinantur ad aliquem finem; vnde manifestum est quôd vltimus finis non potest consistere in vita actiua quæ pertinet ad intellectum practicum. Tertiò idem apparet ex hoc quòd in vita contemplatiua homo communicat cum superioribus, scilicet cum Deo & Angelis, quibus per beatitudinem assimilatur: sed in hijs quæ pertinent ad vitam actiuam etiam alia animalia cum homine aliqualiter communicant, licèt imperfectè, & ideò vltima & perfecta beatitudo quæ expectatur in futura vita, tota principaliter consistit in contemplatione: beatitudo autem imperfecta, qualis hîc haberi potest, primô quidem & principaliter consistit in contemplatione; secundariô verò in operatione practici intellectus ordinantis actiones & passiones humanas, vt dicitur in 10. Ethic.

Ad primum ergo dicendum, quòd similitudo prædicta intellectus practici ad Deum, est secundùm proportionalitatem, quia scilicet habet se ad suum cognitum, sicut Deus ad suum; sed assimilatio intellectus speculatiui ad Deum, est secundùm vnionem vel informationem, quæ est multo maior assimilatio, & tamen potest dici, quòd respectu principalis

pali cognitis, quod est sua essentia, non habet Deus practicam cognitionem, sed speculatiuam.

Ad secundum dicendum, quòd intellectus practicus habet bonum quod est extra ipsum, sed intellectus speculatiuus habet bonum in se ipso, scilicet contemplationem veritatis: & si illud bonum sit perfectum, ex eo totus homo perficitur & fit bonus quod quidem intellectus practicus non habet, sed ad illud ordinat.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procederet, si ipsemet homo esset vltimus finis; tunc enim consideratio & ordinatio actuum & passionum eius esset beatitudo: sed quia vltimus hominis finis est aliud bonum extrinsecum, scilicet Deus; ad quem per operationem intellectus speculatiui attingimus, ideò magis beatitudo hominis in operatione intellectus speculatiui consistit, quàm in operatione intellectus practici.

Conclusio est. Beatitudo, siue perfecta, siue imperfecta, magis est operatio intellectus speculatiui, quàm practici.

DVBIVM I.

Vtrùm beatitudo formalis, sit operatio intellectus speculatiui solùm, an vero intellectus practici solũ; vel includat vtrumque, & quod illorum principalius.

1. Sent. Scotus.

IN hac re est prima sententia Scoti q. 4 super prologum primi sententiarum, quòd nostra beatitudo consistit in operatione intellectus practici solùm, quia licèt ille ibi tantum loquatur de Theologia, & dicat esse purè practicam; discipuli tamen commentatores illius extendũt eius sententiam etiam ad beatitudinem, cuius eadem est ratio atque de Theologia; & sic dicunt consistere in actu purè practico. Hæc sentẽtia probatur primò. Beatitudo debet consistere in actu intellectus secundùm rationem perfectiorem & magis diuinam: talis est ratio practica; ergo. Probatur minor, quia bonum practicum est communius; quia cum bonũ speculatiuum remaneat intra intelligentem, bonum practicum diffunditur ad alios, aut per artem perficiendo res exteriores, quæ vltimate ordinantur in bonũ commune Reipublicæ, aut per prudentiam, regnatiuam, vel militarem, &c. Sed bonum commune præstantius est, & diuinius quàm particulare, vt docet Arist. 1. Ethic. c. 7. ergo bonum practicum præstantius est speculatiuo. Secundò probatur eadem minor, quia actus intellectus practici dirigit speculationem, quia, vt docet Arist. loco citato, per prudentiam legislatores diriguntur, & speculatores in speculatione: ergo actus intellectus practici, præstantior est, quia quod dirigit, præeminet directo. *Arg. 1.* *Arist.*

Secũdò arguitur. Practicum est actus alterius potentiæ ab intellectu, posterior ipsa intellectione, hoc est, actus practicus est dicens ordinem ad voluntatem & operationem: sed vt supradictũ est, beatitudo dicit ordinem intrinsecum ad volũtatem: ergo consistit in ratione practica & non speculatiua, quæ ad voluntatem non ordinatur. *Arg. 2.*

Confirmatur, quia beatitudo dicit mẽsuram & regulam voluntatis: ergo est actus practicus. Patet consequentia, quia actus speculatiuus neque mensurat, neque regulat voluntatem. Confirmatur secundò, quia beatitudo habet rationem prudentiæ in ordine ad agenda à beato, iuxta illud Prouerbiorum 10. sapientia est viro prudentia & loquitur de suprema sapiẽtia beatitudinis: sed sic est, quod prudentia pertinet ad intellectũ practicũ, vt principiũ actionũ humanarũ: ergo. *Confirm. 2.* *Prou. 10.*

Secunda sententia est particularis, quam tenet Vazquez hìc contra Scotum, & contra omnes Thomistas, quòd beatitudo formalis est actus intellectus præcisè, vt est speculatiuus. Hæc sententia probatur primò. Beatitudo nostra est actus intellectus, vt ad Deum terminatur: ergo vt speculatiuus. Cõsequẽtia *2. Sent. Vazquez.* *1. Arg.*

patet, nam vt ad Deum terminatur nostra intellectio, non potest esse practica, cùm non sit circa obiectum operabile.

2. Arg. Secundò probatur. Beati tudo Dei est actus intellectus illius, vt purè speculatiuus, vt docet D. Thom. 1. par. quæ. 14. ar. 16. quia est actus intellectus illius, vt ad propriam essentiam terminatur: sed nostra beatitudo est participatio beatitudinis Dei: ergo est actus intellectus purè speculatiui.

Arg. 3. Tertiò probatur. Si propter aliquam rationem beatitudo formalis esset practica, maximè quia ad illam sequitur necessario actus voluntatis & amor: sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor, nam ad actum intellectus purè speculatiuum potest necessariò sequi amor, vt patet in Deo ad cuius cognitionē sui purè speculatiuā sequitur necessariò amor sui, cùm Deus necessariò se amet.

Sent. 3. Tertia sententia est, quòd in beatitudine est duplex actus, quorū alter est purè speculatiu⁹, alter verò purè practicus.

Paludan. *D. Antoni.* Hāc tenet Paludanus in 4. d. 49. q. 3. art. 8. & D. Antonius 3. parte Summæ Theologiæ, titulo 31. cap. 5.

Argu. 1. Hæc sentētia probatur primò. Actus voluntatis non consequitur ad operationem intellectus purè speculatiuam: ergo præter speculatiuam ponēda est practica, ad quam amor & fruitio consequantur.

Argu. 2. Secundò probatur. Vna operatio nō potest esse in duplici subiecto: ergo eadē actio non potest esse speculatiua & practica. Patet consequentia, nam practica debet esse in intellectu practico, speculatiua verò in speculatiuo.

Argu. 3. Tertiò probatur. Eadem operatio nō potest esse simul practica & speculatiua eminenter neque formaliter: ergo nullo modo. Prima pars antecedentis probatur, nam continentia eminentialis nō sufficit ad denominationē, vt patet in Deo, in quo est homo & leo eminenter, neutrius tamē habet denominationem: cùm ergo beatitudo absolutè denominetur practica & speculatiua, non debet prædictas rationes solum eminenter continere. Secunda pars antecedentis, quòd neque etiam formaliter, probatur: nam practicum & speculatiuum sunt differentię oppositæ per se diuidentes scientiam: ergo non possunt simul in eodem actu reperiri, & sic duplex erit ponendus.

4. Sent. Quarta sententia est vera & tenenda, quæ explicabitur sequentibus conclusionibus.

1. Conclu. Prima conclusiò. Beatitudo formalis non tantùm est speculatiua, neque tantùm practica, sed vtrunque habet, non in duplici, sed in eodem actu. Prima pars, quæ est contra Vazquez, probatur. Purè speculatiuum dicit negationem praxis; sed beatitudo non dicit talem negationem, sed potius ad praxim ordinatur: ergo non est tantùm speculatiua. Maior patet, nam purè speculatiuum opponitur practico: ergo dicit negationem illius. Minor vero probatur argumentis pro secunda sententia; Cùm enim visio beatifica, sit regula & mensura voluntatis, ad praxim ordinatur. Secundò probatur. Visio beatifica respicit Deum in ratione vltimi finis, vt suprà dictum est: ergo non solùm habet rationem speculatiuam, sed etiam practicam. Patet consequentia, nam vltimus finis, est radix & principium & mensura operationis nostræ: ergo operatio respiciens vltimum finem, importat rationem practicam, si quidem respicit suum obiectum in ratione mensuræ operationis. Secunda pars conclusionis patet argumentis secundæ sententiæ, & vltra probatur; nam illud tantùm est practicum, quod primò & per se versatur circa operabile modo operabili: sed beatitudo non est huiusmodi: ergo non est purè practica. Maior est Magist. Soto in Logica, quæst. 4. proœmiali; & patet, nam Philosophia moralis ex eo est purè speculatiua, quia licèt ab extrinseco & per accidens & secundariò possit respicere opus, primò tamen & per se non versatur circa operabile modo operabili: hoc ergo requiritur ad purè practicum. Minor vero probatur, nam Visio beatifica primò & per se respicit diuinam essentiam, à qua, vt ab obiecto primario, specificatur: ergo primò & per se non respicit operabile modo operabili, quia diuina essentia talis non est. Tertia pars conclusionis, quæ est contra Paludanum, probatur. Practicum & speculatiuum, secundùm D. Thom. 1. part. quæstio. 79. artic. 11. *D. Tho.* non distinguunt realiter intellectum, sed vna & eadem potentia Intellectus simul est practica & speculatiua: ergo à fortiori beatitudo, quæ altioris est ordinis & excellentior, vnus cùm sit actus, Vtranque rationem & practicam

ctícam & ſpeculatiuam, ſimul poterit cõtinere. Secundò probatur. Viſio beatifica ſuccedit Fidei: ſed idem habitus Fidei ſimul eſt & practicus & ſpeculatiuus, vt in ſua materia dicitur: ergo & viſio beatifica; non enim diſtinguuntur Fides & viſio ex obiecto, ſed tantùm penes clarum & obſcurum. Tertiò probatur. Viſio beatifica creata, eſt participatio viſionis increatæ, ſed viſio increata Dei ſimul eſt ſpeculatiua ex obiecto primario, & practica ex obiecto ſecundario creaturarum: ergo viſio creata beatifica idem poterit habere. Quartò probatur. Quæ in inferioribus ſunt diſperſa, in ſuperioribus adunantur; ſed beatitudo eſt quid ſupremum: ergo practicum & ſpeculatiuum, quæ in inferioribus diſperſa & diſtincta ſunt, in eodem actu beatitudinis poterunt adunari. Maior patet in obiectis quinque ſenſuum, quæ in ſenſu communi adunantur. Similiter vegetabile & ſenſibile, quæ in inferioribus diuerſæ ſunt formæ, in ſuperiori forma rationali (videlicet anima) adunantur. Et denique patet in Deo, in quo vno maximè omnia quæ in inferioribus diſpergũtur, maximè vnita reperiuntur. Quintò probatur. Beatitudo debet conſiſtere in perfectiſsimo actu, vt dicit D. Thom. perfectiſsimus autem eſt actus Intellectus, vt non ſolùm ſpeculatiuus, ſed etiam practicus ergo vtrumque dicit. Sextò probatur. Viſio Dei eſt beatitudo, vt eſt cõprehenſio: ſed vt cõprehẽſio dicit habitudinẽ ad voluntatẽ: ergo ratio practica in eodẽ actu ſpeculatiuo reperitur, & nõ in alio ab illo diſtincto. Notandũ tamen, q̃ in beato duplex praxis poteſt reperiri; altera ipſius amoris beatifici, & eorum quæ in voluntate ex viſione neceſſario conſequuntur; altera verò praxis reperitur in illo libera, ſecundùm volitiones liberas quas poteſt habere: quando ergo dicimus, praxim & ſpeculationem eſſe in eodem actu Intellectus beati, loquimur de praxi primo modo in ordine ad amorem beatificum, non autem ſecundo modo; nam volitiones aliæ liberæ beatorum proueniunt ab actu diſtincto à viſione, qui prouenit à Prudentia, iſta enim etiam manet in beatis ad actiones liberas exercendas, vt docet D. Thom. 1. part. quæſt. 77. artic. 1. Quando autem docent Sancti, vitam actiuam non manere in Patria, ſed tantùm contemplatiuam; non intendunt negare huiuſmodi liberas actiones practicas prouenientes à Prudentia, ſed tantùm intendunt negare actus externos ad ſubuentionem neceſsitatum.

Not.

D. Thom.

Reſtat tamen explicare, qualiter practicum & ſpeculatiuum ſimul in eodem actu viſionis reperiatur; vtrùm vtrunque formaliter, vel vtrunque eminenter; vel alterum formaliter & alterum eminenter. Pro cuius intelligentia notandum ex Caietano quæſt. 1. art. 4. primæ partis, quod practicum & ſpeculatiuum ſumuntur dupliciter; primo modo, vt ſunt differentiæ ſcientię inferioris, nempe creatæ & naturalis; ſecundo modo, vt ſunt differentiæ ſcientiæ in communi, vt ſe extendit ad diuinam & ſupernaturalem. Primo modo ſunt oppoſita & ſimul reperiri non poſſunt, practicum enim dicit ordinem ad opus cum negatione contemplationis, & ſpeculatiuum puram contemplationem cum negatione directionis ad opus. Vt autem diuidunt ſcientiam in communi, non opponuntur, quia neutrum dicit negationem alterius, ſpeculatiuum enim dicit contemplationem ſui obiecti, ſiue dirigat, ſiue non dirigat ad opus; & practicũ ſimiliter dicit directionem ad opus, ſiue interueniat, ſiue non interueniat contemplatio illius. Ex quo ſequitur; quòd practicum & ſpeculatiuum vt diuidunt ſcientiam inferiorem dicunt perfectionem ad mixta imperfectione: vt verò diuidunt ſcientiam incommuni, dicunt puram perfectionem. Secundò notandum, quòd aliquid in alio tripliciter poteſt reperiri quoad præſens attinet. Primò formaliter; ſecundò eminenter; tertiò formaliter eminenter. Reperiri formaliter, eſt reperiri ſecundùm propriam formam, remanendo intra proprios limites ſuæ naturæ, ſine eo quòd extrahatur ab illis, neque eleuetur ad formam vel naturam ſuperiorem, ſicuti riſibilitas vel rationalitas reperitur in homine. Reperiri eminenter tantùm, eſt reperiri in ſuperiori quidquid perfectionis eſt in inferiori ex tractum à proprijs terminis ſuæ naturæ, & eleuatum ad ſuperioris ordinis naturam: ſic continentur omnes res mundi in Deo, & talis continentia non tribuit denominationem habenti formam, non enim Deus eſt lapis vel equus, licet huiuſmodi perfe-

Not. ex Caietan.

2. Notandũ

ctiones eminenter in illo reperiantur. Reperiri formaliter eminenter simul, est reperiri secundùm propriam formam sine admixtione alicuius imperfectionis quam in inferiori posset habere, itaque reperitur propria forma importata per nomen per seipsam, & non in alia tertia forma superiori, sine mixtione tamen imperfectionis, quam huiusmodi forma in alio subiecto posset habere, verbi gratia, Mathematica continetur formaliter eminenter in Angelo, quia reperitur secundùm formalem rationem cognitionis quam Mathematica importat, non tamen secundùm limitationis imperfectionem vel distinctionis ab alijs scientijs quam habet in homine; quia in Angelo licèt formaliter, vna tamen est omnium scientia. Similiter in anima rationali vegetatiuum & sensitiuum reperiuntur formaliter eminenter; formaliter quidem, quia formaliter est principium vegetandi & sentiendi; eminenter autem, quia non reperiuntur secundùm imperfectionem distinctionis, sicut reperiuntur in planta & bruto. Quod vt clarius explicetur, dico, quòd aliqua taliter important perfectionem, quòd nullo modo admittunt imperfectionem; vt diuinitas, omnipotentia, &c. Alia verò sunt, quæ ex propria significatione dicunt perfectionem admixta imperfectione, vt homo vel equus. Alia verò sunt, quæ ex propria significatione important perfectionem, admittunt tamen & habent se permisiuè ad imperfectionem, secundùm quòd in hoc vel in illo subiecto reperiuntur: sicuti verbi gratia, sapientia, & misericordia, &c. ex propria enim ratione dicunt perfectionem, & ex propria ratione non important imperfectionem; admittunt tamen illam in tali subiecto, nempe creato. Res ergo prioris ordinis tantùm formaliter sunt in Deo; res secundi ordinis tantùm eminenter; res tamen tertij ordinis formaliter eminenter; formaliter quidem secundùm propriam rationem; eminenter autem secundùm quòd contrahibiles sunt ad inferiora in quibus inficiuntur.

2. *Conclu.* Secunda conclusio. Beatitudo formalis simul est practica & speculatiua formaliter eminenter; formaliter quidem, sumendo practicum & speculatiuum, vt diuidunt scientiam in communi; eminenter autem, vt practicum & speculatiuum diuidunt scientiam inferiorem. Hæc conclusio quoad primam partem manet probata in præcedenti cõclusione nam idipsum probat D. Tho. de Theologia 1. part. quæst. 1. artic. 4. & de Fide 2. 2. quæst. 4. artic. 2. ad 3. & de dono Sapientiæ quæstio. 45. artic. 3. de quo etiam videatur Soto in 4. distin. 49. quæstio. 1. artic. 4. conclusione 5. Si ergo de prædictis asseritur, esse simul practica & speculatiua, à fortiori habebit verum de beatitudine, quæ quid excellentius illis est. Et istam partem tenet Caietanus hic, & Valentia pûcto 4. dub. 2. & Salas etiam tractat. 2. disputat. 3. sect. 5. Ægidius quodlibeto 5. quæstio. 6. Henricus quodlibeto 12. quæstio. 5. Soto. 4. distinct. 49. quæstio. 1. artic. 4. post conclusionem quintam. Richardus ibi quæstio 8. licèt iste asserat, principaliter consistere in ratione practica. Secunda verò pars etiam patet, quia practicum & speculatiuum, vt diuidunt scientiam in communi, non habẽt aliquam oppositionem, vt dictum est, neque vnum dicit negationem alterius: ergo simul formaliter in eodem possunt reperiri. Confirmatur, nam Dei scientia simul formaliter est practica & speculatiua: ergo visio beatifica, quæ suprema participatio est diuinæ scientiæ, id ipsum habere poterit. Tertia pars probatur opposita ratione, quia practicum & speculatiuum, diuidunt scientiam inferiorem, opponuntur, & vnum dicit negationem alterius: ergo non possunt simul reperiri, nisi tantùm eminenter in forma superiori. Tota autem conclusio simul probatur, nam vt dictum est, hæc est differentia inter illa quæ puram perfectionem, & illa quæ habent ad mixtam in perfectionem, & illa quæ secundùm propriam rationem dicunt perfectionem, potest tamen illis adiungi aliqua imperfectio ex contractione subiecti; quòd prima tantùm formaliter reperiuntur in superioribus; secunda tantum eminenter; Tertia verò, formaliter eminenter; sed tale est practicum & speculatiuum, quod secundùm propriam rationem non inuoluit imperfectionem, potest tamen illam admittere in inferioribus: ergo reperitur in forma superiori beatitudinis formaliter eminenter. Ex quo sequitur,

D. Tho. Soto.

Caieta. Valentia. Salas. Ægidius. Henricus, Soto. Richardus.

Impug. Sent. Bañez

quitur, non veram esse sententiam Magistri Bañez 1. part. loco citato, vbi dicit, quòd beatitudo simul est practica & speculatiua; speculatiua quidem formaliter, practica verò eminenter, etiam si practicum & speculatiuum sumantur vt differentiæ scientiæ inferioris: Vnde speculatiuum (inquit) conuenit primariò, practicum verò secundario, & vt propria passio. Sequitur (inquam) hoc esse falsum, & arguitur ex ipsomet 2. 2. quæst. 4. artic. 2. qui loquens de Fide, docet sententiam Caietani. Et patet eius ratione, nam Theologia vel beatitudo est scientia superior: ergo non potest ei conuenire formaliter quod est differentia inferioris. Patet consequentia, nam si quod est differentia inferioris, ponitur formaliter in superiori, tanquàm differentia eius, eo ipso tollitur esse superiorem, quia non potest esse perfectius constitutum, quàm differentia constituens. Quòd etiam implicet in dictis, patet, nam vt dictum est, practicum & speculatiuum, vt diuidunt scientiam inferiorem, opponuntur: ergo non possunt simul conuenire, etiam si vnum sit formaliter, & alterum eminenter; vel vnum primario, & alterum secundario. Patet consequentia, nam ex eo quod formaliter est homo, nec eminenter, nec secundariò potest esse equus, & magis implicat in eo quod dicit practicum, se habere vt passionem, quia vnum contrarium nullo modo potest esse passio, nec oriri ex alio, vt hinnibile ex rationali. Dicendum ergo, tam practicum, quàm speculatiuum, vt diuidunt scientiam inferiorem, tantùm esse eminèter in beatitudine, licèt formaliter sit vtrunque, vt diuidunt scientiam superiorem, quia vt

Obiectio.

sic non contrariantur. Et si contra prædictam conclusionem fiat argumentum, quia licèt in habitu Theologiæ vel Fidei simul reperiantur practicum & speculatiuum, non tamen ista simul reperiuntur in aliquo actu Theologiæ vel Fidei, sed in alio actu reperitur speculatio, in alio verò praxis. Cùm ergo beatitudo, vt supradictum est, non consistat in habitu, sed in actu, non poterit habere simul rationem practicam & speculatiuam: Respondetur,

Solutio.

quòd nullus actus Theologiæ vel Fidei adæquat cum habitu; vnde in nullo actu reperitur simul totum quod in habitu, sed habitus quasi partitur in diuersis actibus: actus autem visionis beatificæ adæquat cum suo habitu & principio proximo, vnde in tali actu debet simul haberi totum quod in habitu poterat præhaberi: vnde si habitui non repugnat practicum, & speculatiuum, nec etiam repugnabit actui adæquato habitui. Vbi notandum, quòd practicum & speculatiuum, quòd visioni diximus simul conuenire, non debet intelligi tantùm radicaliter, sed etiam proximè. Hoc dixerim contra aliquos Theologos asserentes, visionem non mouere voluntatem immediatè ad amandum, sed medio iudicio practico distincto ab ipsa visione. Vnde praxis radicaliter est in visione, proximè autem in illo Iudicio practico: Hoc enim non est verum, sed, vt veriùs dicit Capreolus in 4. d. 49. quæst. 1. artic. 3. in solutione ad argumentum Petri de Palude contra tertiam conclusionem, eodem actu visionis cognoscit Deum sub ratione entis & boni, & summi diligibilis, & ex tali cognitione immediatè mouetur voluntas ad amandum: quod enim in inferioribus fit per cognitionem & iudicium practicum, fit in superioribus eodem actu visionis eminenter continente & rationem cognitionis & rationem iudicij; nam aliàs esset coincidere in opinionem Paludani supra impugnatam, quòd beatitudo esset practica & speculatiua per duos actus. Ex quo sequitur, quòd frustra laborat Lorca hîc intendens componere Socotum cum D. Thom. quòd Scotus sentit, beatitudinem consistere in actione practica, sumendo practicum largè pro principio operationis voluntatis: D. Thom. negat praxim, non quia beatitudo non sit principium actus voluntatis, sed quia hoc non est propriè esse practicam, cùm id non faciat præbendo modum operandi nisi solùm radicaliter: Frustra enim laborat in hac compositione, quia D. Thom. non negat, beatitudinem esse practicam, etiam propriè loquendo de praxi, sed dissensio est inter Scotum & D. Thom. quòd Scotus ponit praxim præcipuam rationem beatitudinis; D. Thom. ponit præcipuam rationem beatitudinis speculationem, praxim autem secundariò se habentem, vt explicabitur amplius sequenti conclusione.

Notandum

Capreolus

Reijcitur Lorca.

Ter

3.*Concl.* Tertia conclusio. Visio beatifica formaliter & essentialiter est beatitudo vt speculatiua; ratio verò practica non intrat essentiam beatitudinis, sed conuenit ei secundario & tanquàm propria passio inseparabilis. Hæc conclusio est Cõradi hic,& Capreoli in 4.dist.49.quæst. 2. conclusione 3. immò Salas & Valentiæ in conclusione præcedenti,& est cõmunior inter discipulos D.Thom. quod etiam docẽt de Fide & Theologia; immò meo videri, est ipsius D. Thom.in fine enim corporis, ponit differentiam inter beatitudinem perfectam & imperfectã huius vitæ, quòd imperfecta huius vitæ primò & principaliter consistit in contemplatione,secundariò verò in operatione intellectus practici:beatitudo autem perfecta tota principaliter consistit in contemplatione:intendit ergo, practicum non pertinere ad essentiam; nam aliàs non staret aliqua differentia inter beatitudinem perfectam & imperfectam. Eo vel maximè,quòd dixit, Tota consistit in contemplatione; illud enim verbum Tota,excludit practicum ab essentia. Et si dicas contra hoc, quòd ex hoc potiùs sequitur oppositum, nam in eo quod dicit; Tota principaliter consistit in contemplatione, denotat; practicum pertinere ad essentiam, saltem minus principaliter. Respondetur primò ex Conrado, illam particulam, Principaliter,abundare in litera noua,nam in antiqua non habetur, sed tantum legitur, Totaconsistit in contemplatione;illa tamen admissa,sic debet explicari, quòd tota essentia beatitudinis consistat in contemplatione,quæ principalior est, quàm ratio practica. Vel aliter explicatur, quòd ly Principaliter,vel ly.Magis,multoties in D.Thom. sumitur aduersatiuè, & non Comparatiuè,vt 3.part.quæstio. 10.artic.4.ad 2. dicit,quòd quantitas visionis Dei magis attenditur penes quantitatem luminis gloriæ, quàm penes perfectionem luminis naturalis;vbi ly Magis,absque dubio debet sumi aduersatiuè,& non comparatiuè, quia ex perfectione luminis naturalis nullo modo sumitur quantitas visionis Dei. Et 2. 2. quæstio.62.art.1.ad 2.docet, quòd peccata magis distinguuntur specie, secundum obiecta, quàm secundùm priuationes;vbi tantum intendit, quòd secũdùm obiecta tantùm distinguuntur.Et 1.par. q.40.artic.2. dicit, quòd melius dicitur, quòd personæ diuinæ distinguũtur per relationem,quam per origines,& tamen constat ex eius doctrina, quòd origo nõ distinguit sed relatio. Et 1.Ethicorum, lect.10.dicit,quòd felicitas magis consistit in eo quod est rationale per essentiam, quàm in eo quod est rationale per participationem;cum tamen sit certum, non essentialiter esse beatitudinem in rationali per participationem: sic ergo in præsenti. Præterea hanc conclusionem videtur intendere D.Tho. in prima eius ratione,quæ sic habet. Beatitudo nostra consistit in perfectissima operatione optimæ potentiæ:talis est operatio intellectus speculatiui, qualis est circa optimũ obiectum,nempe bonum diuinũ, quod quidem nõ est obiectum intellectus practici,sed speculatiui: ergo in tali operatione intellectus speculatiui & non practici beatitudo consistit.

Conrad. Capreol. Salas. Valentia. D.Thom.

Obiectio.

1.Solutio.

2.Solutio.

Si respõdeatur, intendere tantùm quòd primò & principaliter consistat in contemplatione, non autem quòd secundariò non etiam consistat essentialiter in ratione practici. Contrà arguitur,nam si D.Thom. rationem practicam existimaret pertinere ad essentiam qualitercunque, etiam secundario,non adderet illud verbum, Et non in operatione intellectus practici; nam propositio esset falsa; sicut falsum diceret, quòd idea hominis consistit in essentia diuina, & non in respectu rationis, quia respectus rationis complet essentialiter rationem ideæ:si ergo de ratione practica asserit,in illa non consistere beatitudinem,sentit,nullo modo etiam Completiuè ad essentiam beatitudinis pertinere. Præterea probatur ex clara ratione D. Tho.quæ sic habet. Cõtẽplatio est propter se;practicum propter aliud: ergo beatitudo cõsistit in contẽplatione,quia beatitudo cùm sit finis vltimus, debet esse propter se,& non propter aliud. Nec valet solutio,si dicatur, tantùm intendere, quòd beatitudo sit consequutio vltimi finis in ratione speculatiua,non autẽ quòd ibi etiã non inuoluatur ratio practici;cõtinet enim vtrunque, licèt per prius rationem speculatiuam: Nam licèt vtrunque ibi reperiatur,ratio tamen D. Tho. efficaciter probat,essentialiter esse beatitudinem secundùm speculatiuum, & non secundùm practicum; quia beatitudo cùm sit vltimus finis,non debet esse

Solut.

Impugn.

Solutio.

Impugn.

prop

propter aliud; si ergo præcisè secundùm rationem speculatiui non est propter aliud, præcisè secundùm illam rationem essentialiter est beatitudo. *Solutio.* Si respondeatur, beatitudinem obiectiuam nullo modo esse propter aliud, formalem autem beatitudinem, non esse inconueniens esse propter aliud quod non sit extra rationem vltimæ beatitudinis obiectiuæ. *Impug.* Contrà arguitur, nam licèt formalis beatitudo sit propter aliud, vt propter obiectum, non tamen debet esse propter aliud vt propter operationem, etiã circa ipsum vltimum obiectum: cùm ergo operatio practica vt sic non solùm sit propter aliud, vt propter obiectum, sed etiam vt propter operationem; sola autem contemplatio sit propter aliud, vt propter obiectum, non autem vt propter operationẽ, quia sic est propter se, & ad aliam operationem non ordinatur, solùm speculatio potest esse beatitudo formalis, de cuius ratione est quòd in ratione operationis sit vltima, & ad aliam nõ ordinata, vt suprà dixit D. Thom. Sicut & de ratione beatitudinis obiectiuæ est in ratione rei, quòd ad aliam rem, vt ad finem, non ordinetur. Præterea hoc expressè docet D. Thom. in 4. distinct. 49. quæstio. 1. artic. 1. quæstiuncula 3. vbi ex professo tractat hanc materiam, & concludendo illam, expressè dicit hæc verba: Propterea enim essentia beatitudinis tantùm consistit in operatione speculatiua, non verò in operatione practica. Nec valet solutio, quòd in præsenti mutauit sententiam, cùm in hoc articulo multum conformiter loquatur ad prædictum locum, & licèt non ita clarè, vt tamen notauimus, idem docet. Vltimò probatur, nam vt contrarij concedunt, ratio practica in visione habet secundario: ergo non pertinet ad essentiam. Patet consequentia, nã quod ad essentiã pertinet, ad rationem primariam pertinet; quia ratio primaria cuiuscunque rei, est illius essentia. *Solutio.* Si respõdeatur, quòd in ipsamet essentia potest aliquid per prius, quàm alterum reperiri; vt v.g. Dei attributa secundario considerantur in Deo: & hilominus pertinẽt ad essentiam, quia in Deo nullum est accidẽs, sed quidquid in illo est, essentiale est illis; *Impugn.* Contrà arguitur, quia licèt attributa vt Dei & vt in Deo, sint eius essẽtia, ex propria tamẽ ratione & modo significandi attributorum & vt secundariò Deo conueniunt, non considerantur vt essentia, sed vt proprietas & passiones profluentes ab essentia; quæ quidem ex propria ratione accidentia essent, si accidentium in Deo esset capacitas: cùm ergo ratio practica habeat se secundariò, & secũdariò conueniat, & aliàs subiectum sit capax accidentis: dicendum erit nullo modo esse essentiam, sed omnino proprietatem & passionem; hanc tamen diximus esse inseparabilem, quia, vt infrà patebit, impossibile est, beatum non amare Deum, & quòd cum visione peccatum compatiatur: repugnantia autem peccati non est cum ratione speculatiua visionis, sed cum ratione practica, secundùm quam respicit voluntatem: ergo si impossibile est deesse amorem, vel adesse peccatum, ideò est, quia impossibile erit, rationem practicam à visione separari, quia si per possibile vel impossibile ractio practica separaretur, non apparet vnde necessitaretur volũtas, quia cum ratione speculatiua, vt dictum est, non habet connexionem necessitas. Et si contrà facias argumentum, quia essentia visionis nõ potest intelligi sine ratione practica, & ordine ad voluntatem: ergo ratio practica pertinet ad essentiã. *Obiectio.* Consequentia patet, quia de essentia est sine quo res intelligi non potest. Antecedens verò probatur, nam essentia beatitudinis (vt dictũ est suprà) consistit in visione, vt est cõprehensio; sed vt cõprehẽsio non intelligitur sine ordine ad voluntatẽ; ergo nec essentia beatitudinis: R. spõdetur, quòd visio tripliciter potest respicere voluntatem: Primò radicaliter; secũdò proximè & in actu primo; tertiò in actu secundo per actualem motionem: sicut risibilitas consideratur radicaliter, & proximè in actu primo; & in exercitio & actu secundo. *Solutio.* Sicut ergo diximus, quòd actus secundus ridendi est accidens, in actu verò primo & proximo est passio; radicaliter autem est ipsa essentia hominis, quia non est amplius quam ipsa rationalitas; ita in præsenti actualis motio volũtatis cõsideratur vt accidens, licèt inseparabile. Quòd autẽ visio proximè & in actu primo sit motiua voluntatis, est eius passio: esse autẽ motiũ radicaliter, est illius essentia, quia motio radicalis non est amplius quàm ipsa contẽplatio, quia tandẽ practicũ, vt ad radicem, ad speculatiuũ reducitur; practicũ ergo non consistit in motio-

in motione radicali, sed motione proxima. Cùm ergo essentia beatitudinis possit intelligi sine motione proxima, etiam in actu primo, licèt non possit intelligi sine motione radicali, ratio practica formaliter nõ intrat essentiam beatitudinis. Et

Obiectio. si contrà arguas, quòd in risibilitate potest fieri illa distinctio de risibilitate proxima & radicali, quia risibilitas proxima realiter distinguitur à suo subiecto, in ratione verò practica talis distinctio non potest fieri, quia practicũ & speculatiuũ non habent realẽ distinctionẽ in beatitudine: ergo idem est practicũ proximum & radicale, & consequenter si radicale pertinet ad essentiã, similiter & proximũ: Respondetur,

Solutio. quòd licet nõ sit distinctio realis, formaliter tamen, vel ratione ratiocinata distinguũtur; vnde secundũ alterũ potest se habere vt passio, & secũdùm alterũ vt essentia. Et si rursus interroges,

Obiectio. quod sit fundamẽtum, & à quo sumatur huiusmõdi distinctio: Respondetur,

Solutio. quod, vt dictũ est suprà, visio beatifica non mouet voluntatem per aliquod iudicium vel imperium practicum ab illa distinctum, sed ipsa eminenter formaliter habet rationem iudicij & imperij. Sicut ergo, si poneretur iudicium practicum distinctũ, illud proximè esset motiuum voluntatis; intellectio autẽ speculatiua præuia ad tale iudiciũ, esset motiua tantùm radicaliter; sic dicendum est de visione eminenter continente vtrũque, quòd vt speculatiua & antecedenter considerata ad continentiam eminentẽ iudicij practici, radicaliter tantùm est motiua voluntatis, quod sufficit, vt in illo prius fit cõprehensio; prout tamen eminenter cõtinet ipsum iudicium practicũ, est

Obiectio. proximè motiua voluntatis, & vt sic habet rationem passionis. Et si rursus contrà arguas, quia in intelligibile videtur, quòd vna & eadẽ simplicissima & indiuisibilis forma simul sit essentia & passio, quia esse essentiam vel passionem, nõ sumitur ex ratione considerationis, sed ex ipsa re vt in re: si ergo vt in re indiuisibilis est, vel tota erit essentia, vel tota erit passio, & impossibile erit, simul esse essentiam &

Solutio. passionẽ: Respondetur, quòd in formis, quarum esse desumitur ex habitudine ad extrinsecum, stante simplicitate formæ, potest esse huiusmodi distinctio per distinctionẽ extrinseci, ex cuius habitudine talis forma specificatur; cùm ergo ratio practici & speculatiui sumatur ex habitudine obiectorum, in eadem simplicissima forma visionis vtrunq; poterit distingui, & secundùm alterũ habere rationẽ essentiæ, & secundùm alterum rationem passionis: & quod dictum est, de beatitudine, dicẽdum est de habitu Fidei, in quo vno ratio practici & speculatiui reperitur. Et si tandem arguas, quia

Obiectio. beatitudo nostra est participatio beatitudinis Dei; sed in beatitudine Dei practicum pertinet ad eius essentiã: ergo similiter in beatitudine nostra: Respondetur

Solutio. ex dictis, quòd ratio practica prout in Deo, etiã quasi materialiter pertinet ad essentiam beatitudinis eius, formaliter autem ex propria ratione beatitudinis, etiam diuina consideratur vt constituta per rationem speculatiuam, & non per practicam. Et iuxta dicta in conclusione hac debet explicari D. Aug. 1. de Trinit. cap. 8. & cap. 10. vbi ait, nostrum præmiũ sitũ esse in contẽplatione Dei, loquitur enim de eo quod præcipuũ & principale est in beatitudine, non autẽ exprimit omne quod in beatitudine reperitur.

Ad argumenta posita à principio respondetur. Ad primũ primæ sententiæ, quòd bonũ circa quod versatur speculatio, est vniuersalius & communius, quia magis separatũ à singularibus: practicũ autem circa singularia versatur. Verum est, quòd practicũ secũdùm quid est perfectius, quia extẽdit se etiã vt sit bonum aliorũ; speculatio autẽ solùm ipsius operantis; absolutè tamen speculatio est perfectior, & maius bonũ, quia hoc attenditur ex absoluta perfectione obiecti, quę maior est, dum obiectũ est abstractius. Ad secundam probationem eiusdem minoris, respondetur, quòd intellectus practicus dirigit speculatiuum per modum seruientis & disponentis, apponendo media necessaria ad speculationem & exercitium illius; non autẽ dirigit per modũ superioris, imponendo legẽ speculationi, vt sciat qualiter circa suum obiectũ se debeat habere per modũ affirmationis, vel negationis: itaque directio ex parte practici solùm est quantũ ad exercitium operis in speculando, nõ autẽ quantũ ad mensurã quam speculatio habet ex proprio obiecto; sicut v. g. Prudentia dirigit virtutes Theologicas quoad exercitiũ; & conseruationem illarum; non autẽ ex parte obiecti, quia non determinat

Ad 1. argt. 1. Sent.

Piu-

Prudẽtia obiectũ Fidei quod nam sit credendũ, vel non credendũ, vel qua certitudine tali obiecto sit ad hærendum, vnde Prudẽtia ex tali directione nec est perfectior, nec ęquè perfecta virtutibus Theologicis. Sic dicitur de practicó respectu speculatiui. Quod & in Polyticis apparet etiã manifestum, magister enim & ductor Principis, dirigendo vel quasi imperando, non se habet vt superior, sed vt minister & seruus, quia talis directio nõ authoritatiua, sed ministerialis est.

Ad 2. arg. Ad secundũ argumentũ respondetur, simul cũ confirmationibus probare, beatitudinem esse practicã; sed non probat purè esse practicã, quia vt dictũ est, vtrũque continet formaliter eminenter.

Ad 1. arg. 2. Sent. Ad primũ argumentũ secundę sententiæ respondetur, probare beatitudinẽ nõ primò & per se esse practicã, quia id ex obiecto primario non habet; non autem probat nullo modo esse practicã, quia sufficit id habeat ex obiecto secundario, nẽpe ex operationibus quas beatitudo dirigit & regulat, proponendo & mouendo volũtatẽ; sicut diuina scientia practica est, & speculatiua, licèt praxim non habeat ex obiecto primario suæ essentiæ, sed circa secundariũ, nẽpe creaturas. *2. Solutio.* Vel secundò respondetur, quòd licèt visio beatifica non attingat Deũ vt obiectum operabile, aliqualiter tamen, licèt secũdariò, attingit illũ modo operabili, quatenus attingit illũ vt principium bonæ operationis, si quidem attingit illũ vt finem; finis autẽ & actus circa ipsum, principium est operandi circa media: hac ergo ratione visio beatifica, etiam dum versatur circa Deum, habet rationem practicam, licèt secundariò, vt dictum est, quia primario respicit illum speculatiuè vt in se; secundariò autem vt finis operationum beati.

Ad 2. arg. Ad secundũ argumentum respõdetur, potiùs esse pro nobis, quàm contra nos; quia etiam si beatitudo Dei ex parte obiecti primarij sit speculatiua, ex parte tamen secundarij est practica: vnde nostra beatitudo, quæ illius est participatio, vtrunque eminenter debet habere, vt dictum est.

Ad 3. arg. Ad tertium respondetur, negando minorẽ. Ad probationem dicitur, quòd ad cognitionem purè speculatiuam non potest sequi amor in Deo: ergo cognitio circa obiectum secundarium in tantum practica est, in quantum est principium amoris creaturarum. Similiter & cognitio diuina prout ad intra est principium amoris ipsius Dei, aliqualiter est practica, sumendo praxim secluſa imperfectione; sicut enim suprà diximus, vna persona diuina potest esse finis alterius, secluſa imperfectione & causalitate finis; ita cognitio diuina, vt est principium amoris ipsius Dei, potest dici practica, secluſa imperfectione & Causalitate principij practici: in aliquo enim debet distingui talis cognitio, vt est principium amoris, à seipsa, vt purè contemplatio diuinæ essentiæ; & talis distinctio esse nõ potest, nisi dicendo quòd vt contemplatio, est purè speculatiua; vt autem principiũ amoris aliqualiter practica modo explicato.

Ad primum tertiæ sententiæ respondetur, concludere, ponendam esse rationem practicam in beatitudine; sed non probat hoc esse per diuersum actũ, quia idem vtrunque continet, vt dictum est. *Ad 1. arg. 3. Sent.*

Ad secundum argumentum respondetur, quòd si intellectus practicus & speculatiuus essent diuersæ potentiæ, habebat intentum argumentum; sed cùm sit eadem potentia, secundùm diuersam rationem potest esse idem actus practicus & speculatiuus. *Ad 2. arg.*

Ad tertium respondetur, iam manere explicatum, qualiter formaliter & eminenter sit vtrunque; formaliter, vt practicum & speculatiuum diuidunt scientiam in communi, quia vt sic non opponuntur; eminenter autem, vt diuidunt scientiam inferiorem, quia sic opponuntur, & simul formaliter esse nõ possunt: si ergo tantùm esset eminenter, vtrunq; nõ haberet denominationem; quia tamẽ simul est formaliter practica & speculatiua, simpliciter talis denominatur. *Ad 3. arg.*

DVBIVM II.

Vtrùm beatitudo sit cognitio clara vel obscura, scientifica vel topica, simplex vel composita, complexa vel incomplexa; directa vel reflexa; iudicatiua vel apprehensiua.

PRima Conclusio. Visio beatifica est cognitio clara & euidens, & perfectè scientifica subalternans nostræ Theologiæ. *1. Conclu.*

giæ.

giæ.Prima pars patet ex supradictis, ex
1.*Ioan.* 3. illo 1.Ioannis 3.Cùm apparuerit similes ei erimus,quia videbimus sicuti est. Et
1.*Corint.*13 1.adCorinth.13.Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.Nunc cognosco ex parte,tũc autem cognoscam sicut & cognitus sum.
D.Aug. Sic etiam docet Augustinus 8.de Trinitat.cap.17. dicens,notiorem esse Deum beato,quàm sit mihi frater meus.Et 11. de Ciuitate Dei, capit.19.dicens, beatis notius esse mysterium Trinitatis, quam nos ipsi nobis cogniti sumus. Prouenitque huiusmodi euidentia ex manifestatione luminis gloriæ, adeò clari, vt magis Deum manifestet,quàm lumen naturale prima principia; quia ista etiam dimoueri possunt â Conspectu luminis, cùm cognitio eorum non sit necessaria quoad exercitium, sicuti est cognitio clara Dei,à qua diuertere beati non possunt: quapropter ea omnium est cognitio certissima, etiam certior Fide, non quidem considerata Fide ex parte reuelantis; quod idem est respectu Fidei & visionis claræ, sed ex parte luminis euidenter manifestantis obiectum;quod nõ facit Fides.Ex quo sequitur, quòd etiam ex parte subiecti sit maior certitudo in visione,quatenus à tali visione cessari nõ potest;quod in Fide nõ reperitur; & etiã quia visio clara cõparatur vt subalternãs respectu Fidei,manifestans principia Fidei per claritatem visionis, quam Fides non habet.Secunda pars probatur, nam illa est cognio rei per propria principia, vel rationes formales: ergo est scientifica. Dixi autem, esse perfectè, scientiam, ad differentiam Theologiæ nostræ:quę quidem scientia est, sed non perfecta;quia licèt reducat conclusionem ad sua principia,ipsa tamen principia per Fidem habet,& non cognoscit clarè & euidenter: visio tamen beatifica vtrunque euidenter & clarè cognoscit in ipso Deo. Hoc
Ioan. 6. insinuatur à Christo Domino Ioannis 6.vbi loquens de beatis,dicit: Erunt omnes docibiles Dei; vbi Deum magistrum, illos discipulos illius veræ scientiæ facit. Tertia pars patet; nam illa est scientia subalternans, quę ostẽdit principia alterius sciẽtiæ:sed principia quæ nostra Theologia supponit per Fidẽ, & nõ videt,manifestãtur clarè & euidẽter per visionem beatificam:ergo visio beatifica est subalternans nostræ Theologiæ.

Secunda conclusio.Beatitudo est vni 2.*Conclu.*
ca simplex notitia,& non cõposita.Hæc est D.Thom.1.part.quæstio.12.art.10. *D.Thom.*
vbi docet, beatum omnia in Deo videre simul vnico simplici intuitu; & adducit Augustin.15.de Trinit.allerentem, quòd *D.Aug.*
ibi non erunt volubiles cogitationes nostræ;ab alijs in alia euntes & redeuntes; sed omnem scientiam nostram vnico conspectu videbimus.Et probatur.Primò,nam obiectum primarium illius visionis, quod est primum cognitum, & ratio cognoscendi cætera, est vnicum, simplex, nullam habens compositionem nempe Deus:ergo & notitia.Patet consequentia, nam cognitio ex recognita debet considerari. Secundò probatur. Principium cognionis illius est vnum simplicissimum, nempe essentia diuina habens rationis speciei intelligibillis: ergo & cognitio est vna & simplex. Patet consequentia, nam si aliquando multiplicantur notitiæ,stante identitate principij & speciei, est ratione imperfectionis intellectus non potentis simul contenta in tali principio videre:perspicacissimus autẽ intellectus videdo principiũ,eodem actu videt & conclusiones in illo contentas; cùm ergo intellectus beatus fiat perspicax per lumen gloriæ, eodẽ actu videndo essentiã,videt & quæ in essentia continentur, iuxta quantitatẽ luminis gloriæ. Tertiò probatur.Notitia simplex,cæteris paribus,prefectior est quã cõposita, vt magis accedens ad vnitatẽ & simplicitatem Dei;Cùm ergo visio beata adeò proxima sit Deo,tanquã omniũ perfectissima, vnica & simplex debet esse. Confirmatur,nã vt suprà dictum est, quæ in inferioribus sunt dispersa, in superioribus adunantur; vt patet in quinque sensibus exterioribus respectu sensus cõmunis,& in omnibus sensibus respectu intellectꝰ, & in cognitione Angelorũ; per eandem enim speciẽ & notitiã cõprehendit Angelus plura,quæ per varias notitias percipit homo,vt quãto superioris ordinis est Angelus,tãto pautiores & simplitiores habet species: Cùm ergo visio beatifica adeò sit suprema,per illã vnam & simplicẽ poterunt attingi quę inferioribus pluribus notitijs deberẽt cognosci.Hanc
*Zach.*14. veritatem insinuat Spiritus sanctus Zachariæ 14.In die illa erit Dñus vnus, & erit nomen eius vnum.Dicit, Dñs vnus,

hoc

hoc est, dominatio vnica; his enim diebus nostris plures dominãtur, dum varij affectus potenter animos nostros in varia concidũt frusta; praui enim, dum fines diuersos sibi constituunt, diuersis dominis se subijciunt, cũ quibus loquitur Esayæ 49. dicẽs: Mitto te ad gentẽ abominabilẽ, &c. & ad seruum dominorũ. Non dixit, ad seruum domini, sed dominorũ. Erit igitur in die illa Dominus vnus, quia vni tantùm Deo obedientia, Regnũ, & dominium tribuetur consumatissimè à Sanctis. Erit etiã nomen vnum, quia non multis vocabulis, nõ pluribus & varijs notitijs eum appellabunt, sed vnico tantũ nomine, vnica tantũ notitia ipsum contuebuntur.

Esai. 49.

Nota. Pro cuius maiori explicatione notandũ, quòd esse cognitionẽ simplicem, non solũ prouenit ex simplicitate obiecti: nam in Via etiã Deum simplicẽ cõpositè cognoscimus; sed principaliter prouenit ex parte cognoscentis; si enim perfectum est, etiã cõplexa simpliciter cognoscit, sicut Deus & Angeli: cognitio ergo beati ex omni parte habet esse simplicem, & ex parte obiecti, quia cognoscitur vt in se est; & ex parte cognoscẽtis; ex principio enim luminis & essentiæ diuinæ vnitæ in ratione speciei, habet Intellectus beati vnico intuitu videre quidquid in Deo videt, sine aliquo prorsus discursu.

3. Concluſ. Tertia cõclusio. Visio beatifica nõ est notitia tãtũ incõplexa, sed etiã cõplexa. Hæc est contra Salas hic tractat. 2. disp. 3. sect. 3. qui sequitur Ochã 4. q. 15. art. 5. ad 1. nostra tamen cõclusio est manifesta. Vbi notandũ, quòd non est idem, esse simplicẽ & incomplexã: neque est idem, esse cõplexã & cõpositam; cõplexio enim, vel incõplexio, cõsideratur ex obiecto: notitia enim, quæ tantũ vnicã rationem ex parte obiecti repræsentat, incõplexa est; quæ autem plures rationes inter se copulatas, v. g. per modũ enuntiationis, repræsentat, erit complexa; sicut propositio mentalis, etiãsi simplex sit qualitas, cõplexa est: esse autẽ simplicem, vel cõpositam, sumitur ex entitate ipsius qualitatis: vbi enim tantũ vnica qualitas entitatiua est, simplicitas est: vbi autẽ sunt multæ qualitates inter se coniunctæ, ibi est cõpositio. Dicimus ergo in cõclusione, quòd visio beatifica, licèt sit simplex, & incõposita qualitas, nõ tamen purè est incõplexa, sed etiã cõplexa. Hæc patet, nam per illã notitiã nõ solũ cognoscitur Deus, vt secundũ se est aliquid incõplexum, sed etiã per modũ cõplexionis: hoc est, permodũ enũtiabilis, vt Deũ esse Trinũ, &c. ergo talis notitia est cõplexa. Cõfirmatur, nam Fides licèt sit vnicus habitus, importat cõplexionẽ, quia cognoscit cõplexa de Deo: sed huiusmodi melius cognoscũtur per visionem beatam: ergo erit complexa.

Contra Salas, & Ocham.

Nota.

Quarta cõclusio. Visio beatifica simul est apprehensiua & iudicatiua eminenter. Prima pars patet, nã efficit Deum præsentẽ Intellectui beati, cũ sit notitia intuitiua: ergo apprehẽdit obiectũ. Itẽ, quia Intellectus potẽtia est apprehẽsiua, trahendo ad se obiectũ: ergo id facit in cognitione Dei. Secũda pars probatur, nã per talẽ notitiã cognoscit veritatẽ, & enũtiationes de quibus est iudiciũ: ergo est iudicatiua. Deinde probatur, quia sola apprehensiuo est actꝰ imperfectissimus: ergo illa notitia cùm sit omniũ perfectissima, nõ tantũ erit apprehẽsiua, sed etiã iudicatiua. Deinde probat. Visio beatifica implet omne desideriũ & appetitũ hominis, cũ sit plenè satiatiua, vt suprà dictũ est: sed nostrũ desideriũ nõ solũ est apprehẽdere Deũ, sed iudicare quis, & qualis, & quantus sit; vt si est Trinus & vnus, &c. ergo est iudicatiua. Deinde probatur. Illa visio correspõdet Fidei; id enim clarè videmus in Patria, quod obscurè credimus in Via; sed cognitio Fidei est iudicatiua: ergo & visio beatifica. Itẽ probatur. Illa notitia est sufficiẽs ad generãdũ amorẽ in Voluntate: ergo est iudicatiua. Pãtet cõsequẽtia, quia Voluntas nõ mouetur à sola apprehẽsione, sed simul à dictamine, & iudicio cõueniẽtis, vel discõueniẽtis. Vltimo probat, quia cognitio Angelica simul est apprehẽsiua & iudicatiua: ergo & visio beata, siquidẽ perfectior est cognitione Angelica. Cõfirmat, quia cũ Dei cognitio vtrũque habeat, & visio beata sit specialis participatio diuinæ cognitionis, habebit etiam eminẽter vtrunque: vnde falsò posuit Medina ar. 6. in beato plura iudicia circa Deũ, & quòd in vno principaliter consisteret beatitudo: de quo iam suprà diximus.

4. Concl.

Quinta cõclusio. Visio beatifica simul est directa & reflexa. Hæc cõclusio est contra Ocham q. 13. art. 5. dub. 2. & in 2. q. 21. & quodli. 2. q. 12. & 4. q. 13. art. 5. d. 3. & Gab. 3. d. 14. q. vnica, art. 1. & 4. d. 49. q. 3. art. 3. Dicũt enim isti, quòd si reflexè beatus cognoscit suã visionẽ, est per actũ distinctũ: & in illorum sententiã videtur inclinare Lorca hic disput. 18. Nostra tamen doctrina est communis, quam etiam sequitur Salas hic

5. Concluſ. cõtra Ochã & Gab. & Lorcam.

loco citato in conclusione 4. Hęc etiam intelligenda est iuxta supradicta, quòd vtrũque habeat eminenter, sicut & cognitio Dei, quæ vna cùm sit, & est directa, & reflexa: scit enim omnia, & simul se omnia scire; immò & cognitio Angelica naturalis id habet, vt docet D.Th. 1.p.q.87.art.3. quare ergo visio beatifica id non habebit? Prętereà probatur. Per visionẽ beatificam videt beatus omnia quæ pertinent ad proprium statũ; sed ad proprium statum pertinet immutabilitas & perpetua duratio ipsius visionis: ergo id etiã cognoscitur per talem visionẽ: ergo est reflexa, siquidem non solùm cognoscit de obiecto, sed etiã de se ipsa. Vltimò probatur. Quidquid repræsentatur per speciem impressam, potest cognosci per actum primum cognitionis, posito luminine constitutiuo potẽtiæ: sed essentia diuina habens rationem speciei intelligibilis vtrumque repræsentat, tam ipsum Deum cognitum, quàm visionem, & cognitionẽ illius: ergo Intellectus per visionem vtrumque poterit cognoscere, & sic simul erit directa, & reflexa cognitio. Nota tamen, quòd beatus nõ ne cessariò videt se videre per suam visionẽ; sicut enim posset non videre sua visione in Deo alias creaturas, ita posset & non videre suam visionem: de facto tamen illam videt: & reflexio non multiplicatur in infinitum, sicut in Deo potest multiplicari, sed sufficit in aliquo determinato numero facere reflexionem, vt maneat satiatus; immò & prima reflexione qua cognosceret se videre, & suam visionem esse perpetuã & inamissibilem, esset satiatus.

Nota.

DVBIVM III.

Vtrũ verũ sit illud fundamentum, quod assumit D.Th. in probatione secũdæ cõclusionis, scilicet quòd actus Intellectus practici non quæritur propter se ipsum, sed propter aliam actionem, v g. Voluntatis.

1. *Arg.* PRobatur quòd nõ. Quod est nobilius, & perfectius, non potest ordinari ad minus perfectum; sed actus Intellectꝰ practici est perfectior quocunque actu alterius potentiæ: ergo non potest ordinari ad actum alterius potentiæ, vt ad finẽ. Minor patet, quia sicut Intellectus est nobilior potentia, ita & actus eius. Cõfirmatur, quia actus Intellectus practici est actꝰ Prudẽtiæ: Prudẽtia autẽ & actus illius perfectior est quãvirtutesmorales & actus illarũ, vt docet D.Th. q.66.art.1.ergo.

Confir.

In hac re multiplex est explicatio prædictæ propositionis D.Th. Prima quã adhibet Medina hic, quòd notitia speculatiua perficit Intellectũ secundũ se, quiquidem ad hoc est factus, vt cognoscat veritatẽ: cognitio verò practica, quia est de singularibus, non perficit Intellectũ secundùm se; quæ enim perfectio Intellectus est, scire, an modò sit hora nona, vel decima? Cognitio ergo speculatiua, tanquãperfectissima, ad actũ alterius potẽtiæ ordinari non poterit; bene tamen practica, tanquã nõ perfecta. Hæc tamen explicatio supponit falsum, nam, vt ait D.Th. 3.p.q.13.art.1.ad 3. cognoscere omnia singularia operabilia, pertinet ad perfectionem Intellectus practici Christi Domini.

1. *Explic. Med.*

Secũda explicatio est eiusdẽ M.Medin. quòd actus Intellectus practici ordinatur ad actũ alterius potẽtiæ, nõ tanquã ad finẽ, ą quo perficiatur, sed potius tanquã perficiẽs ad perfectibile, & tanquã superius ad inferius: sicut corpora cœlestia ad hæc inferiora, vt ad perfectibilia per ipsa corpora cœlestia, tanquàm per magis perfecta. Hæc etiam explicatio nulla est, nam D. Th. assumit prædictã propositionẽ ad probandũ quòd beatitudo nõ est actus Intellectus practici, & illud probat ex eo, quòd actꝰ Intellectus practici est propter aliud: beatitudo ergo debet esse propter se; ergo sentit, actũ Intellectꝰ practici esse propter operationẽ alterius potẽtiæ, vt propter finẽ, & magis perfectũ; nã ordinari ad aliud vt ad perfectibile, non est cõtra aliã rationẽ beatitudinis, immò ad excellentiã eius, & maximã perfectionem, pertinet quòd alia ab ipsa perfectionem participent.

2. *Explic. Med.*

Tertia explicatio est Dñi Caiet. ꝙ actus Intellectus practici cõsideraturdupliciter. Primò vt actꝰ Intellectꝰ est. Secũdò vt practicꝰ est. Primo modonõ est propter operationẽ alteriꝰ potẽtię, quia sic est nobilior, bene tamẽ secũdo modo. Et si cõtrà arguas nã etiã vt practicus est, est intra limites Intellectꝰ, tãquã quid determinãs intellectionẽ vt sic, quę quidẽ diuiditur per practicã & speculatiuã, & cõsequẽter ratio practici nõ cõparatur ad intellectionẽ, vt imperfectio, sed vt perfectio; qua ratione diximus, etiã in Deo reperiri: ergo adhuc manet difficultas, qualiter actus Intellectus, etiã vt practicus,

3. *Explic. Caiet.*

Obiectio.

practicus, posit esse propter actum alterius potentiæ: Respondetur, quòd ille actⁿ vt practicus licèt in re sit Intellectus, & intra genus intellectionis, magis tamen consideratur ex parte alterius potentiæ ad quã ordinatur; quod enim ad aliud ordinatur, ex parte illiⁿ se tenet; vnde hac formalissima ratione quasi amittit excellentiam intellectualitatis, & induit rationem quasi alterius potentiæ, & sic potest esse minùs perfectus talis actus practicus, quàm alterius potentiæ. *Solutio.*

Obiectio. Et si rursus arguas, nam ordo quem dicit actus Intellectus practici ad actum alterius potentiæ, est ordo causę ad effectum: ergo non est ordo minus perfecti, sed potius perfectioris, quia causa perfectior est suo effectu: Respondet Caietanus, quòd quando causa simul est dispositio ad effectum, tunc causa imperfectior esse potest quàm effectus, quia dispositio tenet se ex parte materiæ, & perfectibilis. *Solutio.*

Obiectio. Et si contra arguas, quia hoc inuoluit contradictionem, quòd causa efficiẽs, vel actio efficientis sit dispositio, quia dispositio tenet se ex parte materiæ, actio verò ex parte agentis, & agens cum materia coincidere non potest: ergo quod est efficiens, nõ potest esse dispositio: Respõdetur, quòd quãdo id per quod constituitur aliquid in esse agentis, est actus imperfectus, bene potest simul esse dispositio ad effectum, vt patet in motu: agens enim per motum producit terminũ, & nihilominus ipse motus, quia actus imperfectus est, adhuc existentis in potentia ad terminum, simul est dispositio ad ipsum terminum; vt minus calidũ, v.g. dispositio est ad magis calidum, sic in præsenti Intellectus per actũ practicũ cõstituitur in esse agentis, tanquam per actũ imperfectum, per quem disponitur, & tendit ad actũ alterius potentiæ, per quẽ perficitur vltimo in esse practici; actus enim Intellectus practici est, vt existentis in potentia & tẽdentis ad terminum praxis, qui est actus alterius potentiæ. *Solutio.*

4 Explic. Caiet. Quarta explicatio est eiusdem Caiet. q̃ actus Intellectus practici potest cõparari, vel ad effectũ ad extra productũ, vel ad actionẽ practicã alterius potentiæ factiuam talis effectus exterioris, v.g. potest comparari, vel ad domũ, vel ad domificationem; si ergo cõparetur ad effectũ, perfectior est actus Intellectus practici; si autẽ ad actionẽ alterius potẽtiæ factiuam talis effectus exterioris, imperfectior est actus intellectus practici, quàm actus alterius potẽtiæ.

Et si contra arguas, nã effectus productus perfectior est quã actio productiua eius, si quidẽ est terminus illiⁿ; ergo si actⁿ Intellectus practici perfectior est effectu, similiter & actione productiua illiⁿ; vel si imperfectior est, quã actio productiua effectus exterioris, imperfectior etiã erit ipso effectu exteriori. *Obiectio.*

1. Solutio. Aliqui respondent, quòd vt aliquid sit propter aliud, sufficit, illud aliud secundùm quid esse melius, vt quia vtilius, vel delectabilius ipsi operãti; licèt absolutè id quod est propter aliud, sit perfectius. Verbi gratia, Prudẽtia ordinatur ad actiones aliarũ virtutũ moralium, & ad hoc satis est, quòd actus aliarũ virtutum secũdùm quid sint excellentiores, quia sunt circa finẽ; Prudentia verò circa media; nihilominus simpliciter & absolutè Prudentia est perfectior, quia circa media dirigit alias virtutes, immo & quodammodo eis præsidet tanquam fini, vt docet D. Tho. q. 66. art. 3. ad 3. & etiam 2. 2. q. 47. art. 6. ad 3. Sic dicunt de actu Intellectus practici, quòd licèt simpliciter sit perfectior, tamen potest esse propter actũ alterius potentiæ, vt propter melius secundùm quid. Sed hæc solutio nihil valet, quia ponere id ad quod actus Intellectus practici ordinatur, perfectius illo tãtum secundùm quid, non est assignare rationem quare talis actus Intellectus practici non sit beatitudo, quia beatitudo bene potest habere aliquid perfectius illa tantũ secundùm quid: vt enim dictum est suprà passiones & proprietates beatitudinis secundùm quid perfectiores sunt ipsa beatitudine. *Impug.*

1. Sol. vera Respondetur ergo ad argumentũ. Primò, negando quod effectus exterior sit perfectior ipsa operatione productiua illius, quia omnis causa perfectior est suo effectu. *2. Solu.* Vel secũdò respõdetur, dato q̃ effectus exterior sit perfectior, quòd actus Intellectus practici potest esse propter operationẽ alterius potẽtię, vt propter finẽ, nõ tamẽ propter ipsum effectũ exteriorẽ; quia actus Intellectus practici nõ perficitur à tali effectu, cũ sit quid externũ; perficitur autẽ ab operatione factiua talis effectus, quia actus Intellectus practici cõpletur & vltimo constituitur in ratione agendi per actum alterius potentiæ.

5. Expl. Quinta explicatio propositionis D. Tho. est, quòd operatio alterius potentiæ consideratur dupliciter: primò secundùm se: secundò, vt coniungitur fini vlteriori intento per talem operationem. Primo modo actus Intellectus practici non

est propter talem operationem, quia sic imperfectior est talis operatio. Secundo autem modo est propter ipsam; sicut licèt non concedatur quòd Incarnatio Christi Dñi sit propter salutē hominū, vt propter finē; si salus humana cōsideretur secundū se; bene tamē vt coniūgitur gloriæ Dei, ad quā salus humana ordinatur, quia hoc potiꝰ est Incarnationē ordinari in gloriā Dei, vt in finem. Sic in præsenti: & hoc sufficit ad intentum D. Tho. quia cùm beatitudo debeat esse vltimus finis, si actus Intellectus practici ordinatur vt ad finem, ad operationem alterius potentiæ, etiam vt cō iungitur superiori fini intento per ipsam, talis actus Intellectus practici non poterit esse beatitudo, quia iam habet vlteriorem finem, & aliquid perfectius illa, nempe actionem alterius potentiæ, vt superiori fini coniunctam: habetque hoc fundamentum in ipso D. Thom. articulo sequenti, dicente, quòd inferior ad Intellectum potest perficere illum, prout coniungitur alicui superiori ad ipsum.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm beatitudo hominis consistat in consideratione scientiarum speculatiuarum.

2.2.q.167. art.1.ad 1. & opus.3. c. 104. & & 264.

AD sextum sic proceditur. Videtur quòd beatitudo hominis consistat in cōsideratione scientiarū speculatiuarū. Philosophus enim dicit in lib. Ethic. quòd felicitas est operatio secundùm perfectam virtutem: & distinguens virtutes speculatiuas, non ponit nisi tres, Scientiā, Sapientiā, & Intellectum; quæ omnes pertinēt ad cōsiderationem scientiarū speculatiuarū: ergo vltima hominis beatitudo in consideratione scientiarum speculatiuarum consistit.

Lib. 10. c. 7. à medio tom. 5.

2. Præterea. Illud videtur esse vltima hominis beatitudo, quod naturaliter desideratur ab omnibus propter seipsum: sed huiusmodi est consideratio scientiarū speculatiuarum; quia vt dicitur in 1. Metha. Omnes homines natura scire desiderant; & post pauca † subditur, quòd speculatiuæ scientiæ propter se ipsas quærūtur: ergo in consideratione scientiarū speculatiuarū consistit beatitudo.

In princ. 1. lib. tom. 3. Eodem li. 1. c. 2. non procul à prin. to. 3.

3. Præterea. Beatitudo est vltima hominis perfectio: vnūquodque autem perficitur secundùm quòd reducitur de potentia ad actum: Intellectus autem humanus reducitur in actum per considerationem scientiarum speculatiuarum: ergo videtur quòd in huiusmodi cōsideratione vltima hominis beatitudo consistat.

Sed contra est quod dicitur Ierem. 9. Nō glorietur sapiens in sapientia sua; & loquitur de sapientia speculatiuarum scientiarum: non ergo cōsistit in harum consideratione vltima hominis beatitudo.

Respondeo dicendum, quòd sicut suprà dictum est, duplex est hominis beatitudo; vna perfecta, & alia imperfecta. Oportet autem intelligere perfectam beatitudinem, quæ attingit ad veram beatitudinis rationem: beatitudinem autem imperfectam, quæ non attingit, sed participat quandam particularem beatitudinis similitudinem. Sicut est perfecta prudentia in homine apud quem est ratio rerum agibilium. Imperfecta autem prudentia est in quibusdam animalibus brutis, in quibus sunt quidam particulares instinctus ad quædam opera similia operibus prudentiæ. Perfecta

Art. 1. huius q. ad 4. arg.

D. 1077.

igitur

igitur beatitudo in consideratione scientiarum speculatiuarum essentialiter consistere non potest. Ad cuius euidentiam considerandum est, quòd consideratio speculatiue scientiæ non se extendit vltra virtutem principiorum illius scientiæ; quia in principijs scientiæ virtualiter tota scientia continetur. Prima autem principia scientiarum speculatiuarum sunt per sensum accepta, vt patet per Philosophum in principio Methaphisic. & in fine Posterior. Vnde tota consideratio scientiarum speculatiuarum non potest vltra extendi, quàm sensibilium cognitio ducere potest. In cognitione autem sensibilium non potest consistere vltima hominis beatitudo, quæ est vltima eius perfectio: non enim aliquid perficitur ab aliquo inferiori, nisi secundùm quod in inferiori est aliqua participatio superioris. Manifestum est autem, quòd forma lapidis, vel cuiuslibet rei sensibilis, est inferior homine; vnde per formam lapidis non perficitur Intellectus in quantum est talis forma, sed in quantum in ea participatur aliquid simile alicui, quod est supra Intellectum humanum, scilicet lumen intelligibile, vel aliquid huiusmodi. Omne autem quod est per aliud, reducitur ad id quod est per se; vnde oportet, quòd vltima perfectio hominis sit per cognitionem alicuius rei, quæ sit supra intellectum humanum.

Lib. 1. Metha. n procul â princip. tom. 3. & libr. 2. Poster. tex. vl. parum ante mediũ tom. 1.

1. p. q. 88. art. 2. *Ostensum est autem, quod per sensibilia non potest deueniri in cognitionem substãtiarum separatarum, quæ sunt supra Intellectum humanum: vnde relinquitur, quod hominis vltima beatitudo non possit esse in consideratione speculatiuarum scientiarum: sed sicut informis sensibilibus participatur aliqua similitudo substantiarum superiorum, ita consideratio scientiarum speculatiuarum est quædam participatio veræ, & perfectæ beatitudinis.* *Art. 2. ad 4. arg.*

Ad primum ergo dicendum, quòd Philosophus loquitur in libr. Ethic. de felicitate, qualiter in hac vita haberi potest: vt suprà dictum est.

Ad secundum dicendum, quòd naturaliter desideratur, nõ solũ perfecta beatitudo, sed etiã qualiscunq; similitudo, vel participatio ipsius.

Ad tertium dicendum, quòd per considerationem scientiarũ speculatiuarũ reducitur Intellectus noster aliquo modo in actum: non autẽ in vltimum, & completum.

Prima conclusio. Perfecta beatitudo non potest consistere essentialiter in consideratione scientiarum speculatiuarum. *1. Conclu.*

Secunda conclusio. Beatitudo imperfecta & diminuta consistit in contemplatione scientiarum speculatiuarum. *2. Concl.*

Pro intelligentia tituli quæstionis notandum, quòd sensibilia possunt cõsiderari dupliciter. Primò secundùm se. Secundò, vt per ipsa, spiritualia, & sensibilia Dei cognoscuntur, iuxta illud Pauli: Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: non ergo interrogat D. Thom. in primo sensu, quia superfluus esset iste articulus, cùm articulo octauo quæstionis præcedentis determinauerit, in nullo bono creato consistere beatitudinem; sensibilia autem creaturæ sunt. Procedit ergo in secundo sensu, vtrùm iam quòd beatitudo non *Notan.* *Paulus.*

consistat in cognitione boni creati secundùm se, vtrum consistat in cognitione illius, prout conducit ad cognitionem ipsius Dei: & sic recto ordine procedens, postquã in superioribus determinauerit, beatitudinẽ nõ consistere in actu partis sensitiuæ, sed rationalis; nec in actu Voluntatis, sed Intellectus, nec in actu Intellectus practici, sed speculatiui; modò procedit examinare, quænam debeat esse huiusmodi speculatio; vtrùm speculatio sensibiliũ, an verò, vt interrogabit articulo sequenti, in speculatione substantiarũ separatarum, an verò, vt interrogabit articulo octauo, solùm consistat in speculatione ipsius Dei: quod clarius est, quærere, vtrùm beatitudo perfecta consistat in speculatione connotatiua & abstractiua Dei, quæ haberi potest ex creaturis; an verò in speculatione immediata & intuitiua ipsius Dei: & sic respondetur, impossibile esse, beatitudinem nostram posse consistere in speculatione sensibilium; hoc est in speculatione Dei, quæ ex sensibilibus haberi potest.

Quam conclusionem sic probat. Speculatio scientiarum non se extendit vltra sensibilia; sed in speculatione sensibilium non potest consistere beatitudo: ergo nec in speculatione scientiarum. Maior patet, nam speculatio non se extendit vltra principia speculationis: sed principia speculationis cùm assumantur à sensibus (siquidem nostra cognitio ortum habet à sensu) non se extendunt vltra sensibilia: ergo nec speculatio. Minor verò probatur, quia sensibilia sunt inferiora ad Intellectum: ergo non possunt perficere illum, quia nihil perficitur nisi à superiori: ergo in illis non consistit beatitudo, quæ maxima perfectio hominis debet esse. *Solutio.* Si respondeatur, quòd sensibilia secundùm se inferiora sunt, & sic non possunt perficere Intellectum; bene tamen vt coniunguntur alicui superiori, vt lapis coniunctus lumini Intellectus agentis, fit superior, & potest perficere Intellectum: sic ergo speculatio sensibilium, prout superiori coniunguntur, & vt ad cognitionem diuinorum conducit, potest esse maxima perfectio Intellectus, & in illa beatitudo consistere: *Impug.* Contrà arguit D. Tho. quia si sensibilia tantùm habent perficere Intellectum ex coniunctione, & participatione superiori, tunc cùm id quod est tale per participationem, debeat reduci ad id quod est per se tale, tunc in contemplatione illius superioris, quod per se habet perficere Intellectum, consistit beatitudo, & non in contemplatione sensibilium habentium tantùm perficere per participationem.

Pro maiori huius explicatione notandum est, quòd cognitio quæ in hac vita potest haberi de Deo connotatiuè per species sensibilium, est triplex. Prima, quæ communiter habetur à pluribus. Secunda, quæ habetur per demonstrationem, & scientifica. Tertia, quæ habetur per Fidem: & de omnibus istis habet verum prædicta conclusio, quòd in nulla illarum consistat perfecta beatitudo, vt latè probat Diuus Thomas tertio contra Gent. c. 38. & 39. *Notan.* Et de cognitione quidem, quæ communiter à pluribus habetur de Deo, sic probat cap. 28. Quoniam beatitudo est operatio absque defectu; sed hæc cognitio habet quam plurimos errores admixtos, vt patet: ergo in hac cognitione non consistit beatitudo. Deinde probatur. Beatitudo est vltimus finis omnium actionum humanarum: sed prædicta cognitio non est vltimus finis, ad quem actus nostros dirigamus: ergo non est beatitudo. Minor patet, quia prædicta cognitio habetur à principio: ergo non potest esse finis actus ad quem cætera ordinentur. Tertiò probatur. Etiam si quis careat beatitudine, dummodò tendat in illam, non est vituperabilis: sed si quis careat prædicta cognitione, dicitur stultus, aut insanus, iuxta illud: Dixit insipiens in corde suo; Non est Deus: ergõ in tali cognitione non consistit beatitudo. Quartò probatur. Beatitudo est perfectissima, & præstantissima omnium cognitionum; sed prædicta cognitio est imperfecta, nimirum de rebus in communi, & nimis confusa: ergo non est beatitudo. Deinde probat Diuus Thomas cap. 39. quòd neque etiam consistat beatitudo in cognitione scientifica & demonstratiua, quæ de Deo ex creaturis haberi potest; quia beatitudo est bonum, à quo nullus prohibetur neque impeditur; sed multi sunt impediti, & quibus prohibetur, & bene consulitur vt prædictã scientiã non quærant, vt docet D. Th.

1.contr.Gent.c.4.ergo talis cognitio non est beatitudo. Secūdò probatur. Beatitudo est vltimus actus nō reliquens potentiā ad vltra, & cōsequenter plene satiat appetitū: sed prædicta cognitio nō tollit potentiam ad amplius cognoscendū, vel cognoscendū idē cum maiori conatu, vel idem nobiliori modo; vnde semper est appetitus amplij & amplius addiscēdi: quapropter semper posteriores Doctores conātur aliquid addere antiquis: ergo in tali cognitione nō consistit beatitudo. Tertiò probatur, quia prædictæ etiā cognitioni adiūgitur multiplex error, ex varietate opinionū quæ cōmuniter in scientijs admiscentur. Deinde probat D. Tho. c.4. quòd nō consistit beatitudo in cognitione quæ habetur de Deo per Fidem, quoniam, vt dictum est, beatitudo debet esse perfecta cognitio; sed cognitio Fidei ex parte Intellectus est imperfectissima, quia obscura: ergo. Secundò, quia beatitudo satiat; sed cognitio Fidei potiùs accendit desiderū videndi quod quis credit; ergo. Tertiò. Beatitudo est cōiūctio ad Deū præsentem; sed per cognitionē Fidei nō est realiter præsens, immò est cognitiò de absentibus, dicente Apost. 2.Cor.5. Quandiu per Fidē ambulamus, peregrinamur à Domino: licèt verū sit, secundùm quid dici Deum præsentem per Fidem & Spem secundùm affectum, vt dicitur ad Ephes.3. Christum per Fidem habitare in cordibus nostris: ergo beatitudo non consistit in cognitione Fidei. Alias rationes videte in Diuo Thoma loco citato, & explicationem illarum in Ferrariense ibidem. Hoc suppōsito, sit

2.Cor.5.

Ad Eph.3

DVBIVM PRIMVM,

Vtrū sit vera illa propositio D.Tho. quòd speculatio scientiarū non potest esse, nec se extēdere vltra sensibilia, & quod per sensibilia nō potest deueniri in cognitionē spiritualium, & insensibilium.

1. Arg. PARS negatiua probatur. Multa sunt principia scientiarum, in quibus non solùm continentur veritates sensibilium, sed etiam spiritualium: ergo ex talibus principijs poterit esse speculatio etiā spiritualium. Consequentia patet, quia speculatio in tantum potest se extendere, in quantum se extendit principiū speculationis. Antecedēs verò probatur, v.g. nā hoc principium cōmune speculationis, Quodlibet est, vel non est, etiam se extendit & habet verum in animabus separatis, & in Angelis, & in ipso Deo.

2. Arg. Secūdò arg. Si propter aliquā rationem prima principia speculationis nō se extenderent vltra sensibilia, maximè quia, vt ait D. Th. assumūtur à sensibus, in quantum nostra cognitio pro isto statu ortū habet à sensu; sed hæc ratio supponit falsum: ergo. Minor probatur, quia hæc principia, maximè quæ assignantur in primo argumento, non assumūtur ex inductione sensus, quia sunt per se nota, & absque alia experientia sensus, Intellectus immediate illis assentitur.

3. Arg. Tertiò arg. Intellectus agit de multis, abstrahendo à materia & sensibilitate, vt patet in cognitione scientifica, quę ad minus à materia sensibili debet abstrahere: ergo bene potest Intellectus speculari & considerare vltra sensibilia.

4. Arg. Quartò arg. Nā experientia cōstat, quod cognoscimus Deum esse, & esse vnū, simplicem, immobilē, ęternū, & incorporeū, iuxta illud ad Roman. 2. Inuisibilia Dei à creatura mūdi per ea quæ facta sunt, intellecta cōspiciuntur; sempiterna quoq; eius virtus, & diuinitas. Et Sap. 13. A magnitudine speciei creaturę poterit Creator videri: ergo speculatio vltra sensibilia cōscēdit.

Concluſ. Cōclusio tamen D. Thom. est vera, pro qua sufficiat eius authoritas, & ratio in articulo.

Ad 1.arg. Ad primū arg. resp. quòd licèt illa principia secundùm se contineant veritatē, tā sensibiliū, quàm spiritualiū; tamen prout in nobis pro isto statu in ordine ad actum secundum, tantùm ad sensibilia se possunt extendere, quia in ordine ad actum secundum cōmensurantur lumini Intellectus: lumen autem Intellectus pro isto statu nō est ad speculationem, nisi per conuersionem ad phantasmata: phantasmā autem solùm est sensibiliū: de quo videatur Diuus Tho. & Philosophus 3. de Cœlo, & 6. Eth. & q.12. de veri. art.3. ad secundum.

D. Thom. Ariſt.

Ad 2.arg. Ad secundum resp. quòd veritas alicuius principij, licèt secundùm se non depēdeat ab inductione sensus, dependet tamē quantum ad exercitium à sensibus, quatenus illa veritas non cognoscitur nisi per species sensibilium, vt dictum est.

Ad 3. arg. Ad tertium respondetur, quòd etiam dū Intellectus cōsiderat de abstractis à singularibus, hoc agit per species sensibilū, & per ordinem ad sensibilia, à quibus abstrahit, considerat enim abstracta per conuersionem ad phantasmata, à quibus abstrahit.

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur, verum esse, nos hìc cognoscere Deum, & quantum ad an est, & quantum ad quid est, vt patet in locis inductis; non tamen perfectè & vt in se est, sed cognitione connotatiua & per similitudinem ad sensibilia, vt Angelum cognoscimus per modum iuuenis, & Deum Patrem per modum senis. Diuus autem Thomas non negat nisi cognitionem perfectam spiritualium, in qua possit beatitudo consistere, quia in ista cognitione connotatiua, nimirum vt imperfecta, consistere non potest. Videatur D. Tho. 1. p. q. 88. art. 2.

DVBIVM II.

Vtrùm vera sit illa propositio, quòd quidquid perficitur, perficitur à superiori, vel ab inferiori, vt comungitur superiori ad ipsum perfectibile.

1. Arg. PRobatur quòd non. Primò. Homo perficitur ab igne, dum calefit ab illo tempore hiemis: immò substantia ipsius ignis perficitur à calore, & quodcunque corpus à proprio calore, & omnis substantia perficitur à suis proprietatibus, & omnia accidentia perficiunt hominem, dum faciūt illum venustum & pulchrum; quæ tamen omnia sunt inferiora suis perfectibilibus: ergo non habet verum, quòd perficiens in vniuersum debeat esse perfectius ipso perfectibili.

2. Arg. Secundò probatur. Sensibilia perficiūt sensum: tamen sunt quid imperfectius ipso sensu, cum sint in materia: ergo perfectius potest perfici à minus perfecto.

Conclus. Conclusio tamē D. Tho. est adeò vera, vt sit habenda tanquam maxima. Qualiter tamen sit intelligenda, explicat Caietanus, nimirum quòd perficiens sit perfectius, cōsideratum formaliter in quantum perficiens, licèt aliàs secundùm aliam rationem sit minus perfectum, quia secundùm Philosoph. agens vt agens, perfectius est passo: perficiens autem habet se vt agens, perfectibile verò vt passum. Verum est tamē, quòd cùm perficere, nihil aliud sit, quàm quòd perficiens comunicet similitudinē propriæ formæ, inde est, quòd si perficiēs perficiat simpliciter, erit perfectius simpliciter: si autem perficiat secundùm quid, solùm erit perfectius secundùm quid. Cùm autem Intellectus perficiatur ab intelligibili simpliciter, quia comparatur ad intelligibile vt potentia simpliciter; sicut enim materia prima ad formam substantialem in esse physico, ita Intellectus ad intelligibile in esse intelligibili comparatur; inde fit, quòd intellegibile debeat esse simpliciter perfectius ipso Intellectu: hoc autem non potest esse, nisi intelligibile sit quid superius ad intellectum, vel si inferius est, nisi coniungatur alicui superiori: ergo verum habet doctrina D. Thom. Nec est nouum, quòd inferius ex coniunctione, vel participatione superioris, reputetur vt superius, vt possit perficere, vel agere in aliquid, quod aliàs erat magis perfectum, si ipsum perficiens non adiungeretur superiori. Primum exemplum sit ex D. Tho. 1. par. q. 79. art. 3. de phantasmate perficiente Intellectum possibilem virtute Intellectus agētis, qui superior & perfectior est, quàm Intellectus possibilis, vt docet D. Thom. & Caiet. ibidem. Qua ratione etiā D. Tho. 3. part. q. 8. art. 4. docuit, animam Christi Dñi perficere Angelos eos illuminando; quia licet secūdùm naturam inferior sit illis, ex coniunctione tamen ad Verbum, participat virtutem perfectiuam eorum. Secundum exemplum sit ex eodem D. Thom. 1. p. q. 10. art. 3. ad 3. de Cœlo, quod quidem cùm non sit animatum aut viuens, imperfectius est quocunque viuente: nihilominus Cœlum ex coniunctione ad intelligentiam mouentem Cœlum, potest ad generationem viuentium concurrere. Tertium exemplum est de obiecto sensibili, quod quidem perficit sensum, cùm tamen sit quid imperfectius illo; quia id habet, vt participat aliquid à superiori, nempe à rebus spiritualibus. Si autem quæras, quid res sensibilis à spiritualibus participet: Respondetur, participare quidem modum mouendi, in hoc enim spiritualia à corporalibus distinguuntur, quòd corporalia mouent mota, spiritualia verò mouent non mota. Cùm ergo sensibilia dupliciter moueant, & physicè, & intea-

D. Thom.

D. Thom. Caiet.

D. Thom.

intentionaliter; physicè quidem, verbi gratia, ignis calefaciens; intentionaliter autē, mittendo species ad potentiam; & primū faciat mediante motu; secundum autem sine illo; & habet esse corporale, & aliquid spiritualis participare; quia cū vnūquodq; agat in quantum est, ex illo diuerso modo agēdi colligitur à posteriori diuersus modus essendi ipsius rei sensibilis. Et si dicas, quia illa participatio superioris in re sensibili, vel est aliquid superadditum naturæ sensibili, vel est ipsa natura sensibilis: primum non potest dici, quia quòd creaturæ, v. g. sint entia per participationem à Deo ente per se, non ponit aliquid superadditum & distinctum à creatura. Si autem dicas secundum: tunc arguitur, quia si natura sensibilis est inferior, atque adeò secundùm se nō potest perficere intellectum, consequenter nec vt est participatio superioris; siquidem participatio nō superaddit ad ipsam naturā sensibilē secundū se. Respondet Caiet hic & 2. de anima, cap. 11. §. ad cuius euidentiam, quòd participatio superioris non superaddit aliquid distinctum, sed est ipsa natura sensibilis, prout sapit naturam spiritualem in modo mouendi & excitandi potentiam: sufficit ergo distinctio formalis, vt alia ratione natura sensibilis dicatur inferior, & alia ratione superior. Sed contra prædictam explicationem Caietani insurgit Valentia hic disp. 1. q. 3. puncto. 3. quia per perfectionem simpliciter, vel intelligit Caiet. actum & perfectionem substantialem, vel intelligit actum habentem se ad modum perfectionis substantialis, quatenus perfectibile cū ipso actu facit vnum per se: sed quocunque modo accipiatur, impertinenter se habet esse perfectionem simpliciter, ad intentum D. Tho. quòd Intellectus non possit perfici simpliciter à sensibilibus, & quòd eius beatitudo in aliquo superiori ad sensibilia debeat cōsistere: ergo talis explicatio est inutilis. Respondetur tamen, quòd Caiet. nomine perfectionis simpliciter, intelligit illam ad quam res ordinatur suapte natura, vt forma substantialis respectu materiæ primæ, & operatio ad quam per se aliqua potentia ordinatur: perfectio autem secundùm quid est illa, ad quā res non ordinatur suapte natura, & per se primo; talia sunt accidentia respectu subiecti: hac ergo ratione sensibile est perfectio simpliciter sensus, quia per se & ex propria natura sensus respicit sensibile. Similiter & intelligibile perficit simpliciter Intellectum, quia intellectus per se respicit intelligibile: hac ergo ratione sensibile licèt sit perfectio simpliciter sensus, non potest esse simpliciter perfectio Intellectus, nisi prout participat rationem superioris intelligibilis: quia sensibile per se & ex propria natura non est intelligibile, nec ipsum respicit Intellect⁹ ex propria natura, nisi quatenus sensibile inducit rationem superioris per abstractionem. Ex quo sequitur, quòd res materialis duplicem ascensum, & participationem debet habere, & quasi dupliciciter debet participare naturam superioris, vt possit perficere Intellectū. Primus enim ascensus & participatio rei spiritualis in re corporea, est secundū motionem intentionalem, per quam emittit species sensibiles, manēte obiecto immoto, per hunc enim ascensum & participationem rei spiritualis, excedit sensum, & potest ipsum perficere: adhuc tamen manet illud obiectum inferius ad intellectū, quia species sensibiles licèt aliqualiter attingant spiritum, quia est supremū corporale, & supremum infimis secundùm Dionysium attingit infimum supremi: tamen quia adhuc manet intra limites corporeos, non fit superius ad intellectum; vnde vt possit ipsum perficere, alium ascensum & perfectionem à re spirituali debet habere, per quam tale obiectum intret limites spiritualium, vt sic fiat superius ad intellectū, & ipsum possit perficere; quod quidē fit per hoc quòd phantasma illuminetur ab intellectu agente, qui est superior ad possibile; tali enim lumine species omnino fit spiritualis, siquidem inhærenter recipitur in intellectu possibili, & sic obiectum aliàs sensibile, in tali specie repræsentatum manet superius, vt Intellectus possit perficere. Rursus arguit Valentia contra prædictam explicationem, & propositionem Diui Tho. quòd nihil valeat, si sensibilia non habent perficere Intellectum, nisi ex participatione superioris, quòd tandem in ipsum superius debeat reduci beatitudo Intellectus, tanquam in primum intelligibile. Arguit (inquam) quia ex hoc sequeretur, colorem non sic perficere visum, vt vltima perfectio visus sit circa colorem, quia color non habet perficere visum, nec imprimere speciem, nisi ex participatione superioris, & spiritualis naturæ, vt dictum est: ergo spiritualis natura erit per se perficiens visum. Respondetur tamen

Obiectio.

Solutio.

Obiectio ex Valent.

Solutio.

Obiectio ex Valent.

Solutio.

tamen, consequentiam nihil valere, si fiat comparatio inter illa quæ intra genus talis potentiæ nō continētur: bene tamen si cō tineantur: quia ergo natura spiritualis est intra genus intelligibilis, bene sequitur, quòd si sensibilia nō sunt intelligibilia nisi per participationem spiritualium, spiritualia sunt primum intelligibile, & quòd perse habent perficere Intellectū: spiritualia tamen nō sunt intra genus visibilitatis; vnde etiam si color habeat esse visibilem, & perficere visum, ex participatione spiritualium, non sequitur, spiritualia esse primum visibile. Hoc supposito,

Ad 1. arg. Ad primum argumentum à principio respondetur, omnia illa perficere secundū quid; vnde non obstat esse inferiora ad perfectibile.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum respondetur, verum esse, quòd sensibilia perficiunt simpliciter sensum; hoc tamen, vt dictum est, non habent nisi ex participatione alicuius superioris. Quid autem sit istud superius à quo participant huiusmodi su-

Alb. Ma. perioritatem, Albertus Magn. dixit. 3. de anima in principio, quòd est aliquis sensus agens, cuius virtute producuntur species intelligibiles. Sed huius positio sensus agentis est fictitia, vt est videre in Diuo Tho. 1. p. q. 29. art. 3. ad primum, vnde veritas est, sensibilia fieri superiora ad sensum per participationem naturæ spiritualis mediante luce, verbi gratia, in colore, per illam enim immittuntur species ad visum, sicut per lumen Intellectus agentis species intelligibiles ad Intellectum.

DVBIVM III.

Vtrùm ex illa propositione, quòd omne quod est tale per participationē, debeat reduci ad id quod est perse tale, rectè inferat D. Tho. vltimam perfectionem Intellectus, & eius beatitudinem debere reduci ad contemplationem spiritualium, quæ sunt intelligibilia perse.

1. Arg. PRrobatur Primò quòd non. Hæc reductio habentium perficere per participationem, tantum debet fieri vsque ad supremum quod potest illuminari ab Intellectu agente: ergo non potest fieri reductio vsque ad spiritualia. Consequentia patet, nam illuminatio Intellectus agētis solùm est circa sensibilia. Antecedens verò probatur, quia Intellectus possibilis non intelligit nisi per illuminationem Intellectus agentis; ergo non potest perfici, nisi ab illuminatis per intellectū agentē: ergo vt plurimum reductio perficientium Intellectum poterit fieri vsque ad supremum illuminabile ab Intellectu agente, quod erit obiectum supremæ scientiæ speculatiuæ.

2. Arg. Secundò arguitur, & confirmatur præcedens argumentum. Summa perfectio, & propria cuiuscunque patientis, est illa ad quam per virtutem proprij agentis potest peruenire; sed propriū actiuum Intellectus passibilis est Intellectus agens; ergo summa & propria perfectio Intellectus possibilis erit, habere inse summam cognitionem, quam intellectus agens poterit operari in illo, & non aliquid supra Intellectum humanum; & hanc rationem adducit D. Tho. contra Auerroem. 3. contr. Gent. cap. 45.

3. Arg. Tertiò arguitur, nam vt dicit Philosoph. 2. Ethicor. cap. 11. beatos nos oportet esse vt homines; tùm, quia beatitudo hominis debet illi esse proportionata; *Arist.* quia perfectiones rerum ipsis debent proportionari, vnde non omniū eadē potest esse perfectio: sed speculatio proportionata intellectui humano, tantum est speculatio sensibilium, non autem spiritualium: ergo summa eius perfectio proportionata ad summum erit supremi sensibilis cognitio. Minor probatur, quia triplex est differentia intellectus. Primus est enim Intellectus diuinus, qui est purus actus. Alter est Angelicus ab omni materia separatus, licet potētiam Methaphysicam habeat admixtam, & non sit purus actus. Tertius & infimus est Intellectus humanus materiæ immersus: erit ergo perfectio Intellectus humani illi proportionata, contemplatio rerum sensibilium: Intellectus verò Angelici contēplatio substantiarū separatarum; Dei autem, sui ipsius contēplatio.

4. Arg. Quartò arguitur. Etiam quod est tale per participationem, potest induere formam illius quod est tale per se, licèt cum dependentia ab illo: ergo licèt sensibilia sint perficientia Intellectum per participationem à superiori, poterunt inducere in Intellectū perfectionem superioris, hoc

est,

est, beatitudinem, licèt cum dependentia à superiori, quod id habet per se. Antecedens probatur, nam aqua calida, quæ talis est perparticipationem, potest inducere formam caloris, quæ propria est ignis tanquàm calidi per se.

5. Arg. Quintò arguitur. Quia licèt tale per participationem, debeat reduci ad per se, non tamen requiritur id esse in eodē subiecto, sed sufficit in rerū natura esse quod est tale per se, vt id quod est tale perparticipationem, possit exercere proprium actum; vt patet in exemplo de aqua calida calefaciente: ergo licèt requiratur, spiritualia esse, & Deū existere, vt sensibilia perficiāt Intellectum, non tamen requiretur ad huiusmodi perfectionem, Deum proponi vt obiectum eiusdē Intellectus, vt perfectè à sensibilibus perficiatur.

In hoc dubio non intendimus examinare illam propositionem, quòd tale per participationem, debet reduci ad id quod est tale perse: de intelligentia enim huius videatur Ferrara. 3. contr. Gent. cap. 10. & cap. 107. Sed hic solùm agitur, qualiter ex illa propositione inferat & probet Diuus Tho. suam conclusionem. Pro quo sufficiat eius authoritas, & ratio, quæ quidem non est demōstratio, quia cùm conclusio sit de Fide, demōstrari non potest; facit tamen & exercet munus Theologi, ostēdendo qualiter prędicta veritas, quòd nostra beatitudo non consistit in sensibilibus, cō gruat principijs naturalibus; ad hoc enim scientiæ naturales Fidei deseruiunt; quapropter & ancillæ eius nuncupantur. Pro

Prouer. 9. uer. 9. Misit vt vocaret ancillas suas ad arcem: & hac ratione verificatur illud

1. Pet. 3. 1. Petri 3. Parati semper ad satisfaciendū omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est Spe, & Fide. Hoc ergo supposito,

Caiet. Ad argumenta vt respondeatur, facit distinctio Caiet in præsenti, quòd de homine & illius perfectione possumus loqui

Solut. triū arg. dupliciter. Primò secundùm ea quæ ex natura sua natus est habere secundùm potentiam & vires naturales. Secūdo modo potest considerari secundùm ea quorum est capax, & quæ ei conuenire possunt ex diuina & supernaturali institutione per gratiam Dei eleuantis hominem. Primo modo summa hominis perfectio est contemplatio scientiarum speculatiuarum. Secundo modo summa eius perfectio non consistit in minori quàm in Dei clara visione: cùm autē in præsenti D. Thom. procedat (vt Theologus) de homine eleuato per gratiam & institutionem diuinam, rectè asserit, summam eius perfectionem & beatitudinem nō posse consistere in contemplatione sensibilium: & per hoc patet ad tria prima argumēta, probant enim de homine secundùm vires naturæ.

Ad quartum argumentum respondetur, quod tale per participationem, potest causare eūdē effectū, sicut quod est tale per se, imperfectè tamē, vt aqua calida calorem imperfectū, non tamen potest causare effectū ignis perfectū, quia non potest ignire: sic ergo sensibilia possunt beatificare imperfectè, vt D. Tho. ait, non tamen potest beatificare perfectè nisi quod habet perficere Intellectum per se. Et si contra fiat argumentum, quia ferrum calidum est tale per participationem, & tam perfectè producit effectum caloris in stupa, quàm ignis: ergo solutio nulla: Respōdetur, quòd illud fit instrumentaliter à ferro: intelligibile autem concurrit ad Intellectum vt causa principalis, vnde intelligibile per participationem, non potest causare intellectionem omnino perfectam, qualis debet esse beatitudo; quia intellectio cōmensuratur intelligibili, & si illud nō est supremum intelligibile, nec intellectio, qualis deberet esse Intellectio beatificans.

Ad 4. arg. *Obiectio.* *Solutio.*

Ad quintum argumentum respondetur, quòd licèt ita sit, quòd regulariter non requiratur, simul esse in eodem subiecto tale per se, & tale perparticipationem, vt Docet Ferrara vbi supra, tamen aliquando id est necesse, sicut in præsenti; quia cū Intellectus ab obiecto sensibili, quod tamen est intelligibile per participationē, nō possit capere intellectionē omnino perfectā, qualis requiritur ad beatificandū Intellectum, necesse est, vt eidem Intellectui proponatur obiectum per se intelligibile, à quo possit habere intellectionem omnino perfectam, & beatificantem Intellectū.

Ad 5. arg.

ARTIVLVS VII.

Vtrùm beatitudo cōsistat in cognitione substantiarum separatarum, scilicet Angelorum.

1. q. 64. ar. 1. ad 1. & q. 89. ar. 2. ad 3. Et 3. cont. c. 44. Et veri. q.



D septimum sic procedi tur. Videtur quòd beatitudo hominis cōsistat in cognitione substātiarū separatarū, id est,

20.a.3.ad 5 Et opus. 2. c. 168. & 164. In hom. 26 in Euang. post mediũ illius.

id est, Angelorũ. Dicit enim Gregorius in quadã homilia. Nihil prodest interesse festis hominũ, si nõ cõtingat interesse festis Angelorũ: per quod finalem beatitudinem designat: sed festis Angelorum interesse possumus per eorum contemplationem: ergo videtur quòd in contemplatione Angelorum vltima hominis beatitudo consistat,

2. Præterea. Vltima perfectio vniuscuiusque rei est, vt coniungatur suo principio, vnde & circulus dicitur esse figura perfecta, quia habet idem principium & finem: sed principiũ cognitionis humanæ est ab ipsis Angelis, per quos homines illuminantur, vt dicit Diony. 4. c. de Cæles. hier. ergo perfectio humani Intellectus est in contemplatione Angelorum.

Cap. 4. non procul à fin. illius

3. Præterea. Vnaquæque natura perfecta est, quando coniungitur superiori naturæ; sicut vltima perfectio corporis est, vt coniungatur naturæ spirituali: sed supra Intellectũ humanum ordine naturæ sunt Angeli: ergo vltima perfectio humani Intellectus est, vt coniungatur per contemplationem ipsis Angelis.

Sed contra est quod dicitur Ierem. 9. In hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me: ergo vltima hominis gloria vel beatitudo non consistit nisi in cognitione Dei.

Respondeo dicendum, quòd, sicut dictũ est, perfecta hominis beatitudo nõ consistit in eo, quod est perfectio Intellectus secundùm alicuius participationem; sed in eo quod est per essentiam tale; manifestum est autem, quòd vnum quodque, in tantum est perfectio alicuius potentiæ, in quantum ad ipsum pertinet ratio proprij obiecti illius potentiæ, proprium autem obiectum Intellectus est verum: quidquid ergo habet veritatem participatam, contemplatum non facit intellectum perfectum vltima perfectione: cùm autem eadem sit dispositio rerum in esse, sicut in veritate, vt dicitur in 2. Methaphysic. quæcunque sunt entia per participationem, sunt vera: per paticipationem Angeli autem habent esse participatum, quia solius Dei suum esse est sua essentia vt in primo ostensum est; vnde relinquitur, quòd solus Deus sit veritas per essentiam, & quòd eius contemplatio faciat perfectè beatum. Aliqualem autem beatitudinem imperfectam nihil prohibet attendi in contemplatione Angelorum: & etiam altiorem quàm in consideratione scientiarum speculatiuarum.

Art. præc.

Text. 4. t. 10. 3.

D. 461.

1. p. q. 3. ar. 4. & q. 61. art. 1.

D. 274.

Ad primum ergo dicendum, quòd festis Angelorum intererimus, non solùm contemplantes Angelos, sed simul cum ipsis Deum.

Ad secundum dicendum, quòd secundũ illos qui ponunt, animas humanas esse ab Angelis creatas, satis conueniens videtur, quòd beatitudo hominis sit in contemplatione Angelorum, quasi in coniunctione ad suum principium: sed hoc est erroneum, vt in Primo dictum est.

1. p. q. 50. ar. 3.

Vnde

Vnde vltima perfectio Intellectus humani est per coniunctionem ad Deum, qui est principium & creationis animæ, & illuminationis eius. Angelus autem illuminat tanquam minister, vt in Primo habitum est, vnde suo ministerio adiuuat hominem, vt ad beatitudinē perueniat, non autem est humanæ beatitudinis obiectum.

1.p.q. 112

Ad tertium dicendum, quòd attingi superiorem naturam ab inferiore, contingit dupliciter. Vno modo, secundùm gradum potentiæ participantis, & sic vltima perfectio hominis erit in hoc quod homo attinget ad contemplandum sicut Angeli contemplantur. Alio modo sicut obiectum attingitur à potentia: & hoc modo vltima perfectio cuiuslibet potentiæ est, vt attingat ad id, in quo plenè inuenitur ratio sui obiecti.

1. Concl. Prima conclusio. Perfecta beatitudo non consistit in cognitione Angelorum.

2. Concl. Secunda conclusio. Aliqualis beatitudo imperfecta consistere potest in contēplatione Angelorum, & hæc erit alterior (licèt intra limites imperfectæ beatitudinis) quam supradiximus consistere in cōtemplatione sensibilium.

Nota. 1. Pro intelligentia tituli Articuli notandum. Primò sicut in præcedenti Articulo,

D. Thom. quòd hic non loquitur D. Tho. de Angelis secundùm se; quia isto modo iam supra determinauerat, in nullare creata consistere beatitudinem; sed loquitur de Angelis, quatenus per ipsos, vt principales effectus, potest Deus connotatiuè cognosci: & est quærere, vtrùm beatitudo consistat in cognitione connotatiua Dei, quæ ex Angelis, vt ex principalibus effectibus, haberi potest.

Not. 2. Secundò notandū, quòd cognitio Angeli dupliciter esse potest. Primò connotatiua per species corporalium, qualiter habetur ab homine in hac vita, dum Intellectus eius est immersus materiæ. Secundo modo potest cognosci Angelus ab homine clarè & intuitiue per propriam speciē, vt cognoscitur ab anima separata per speciem infusam, quidditatiuè repræsentantem Angelum. D. ergo Tho. nō loquitur in præsenti de cognitione primo modo, quia illa non transcendit limites cognitionis sensibilium; sicut nec cognitio cōnotatiua Dei transcēdit rationem obiecti proportionati, quod est quidditas materialis: vnde determinando in Articulo præcedenti, non consistere beatitudinem in cognitione sensibilium, resoluta manebat quæstio Angelorum in prædicto sensu: loquitur ergo secundo modo, vtrùm in cognitione clara Angelorum per propriam speciem, hoc est, vtrùm in cognitione Dei connotatiua, quæ ex cognitione clara Angelorum haberi potest, consistat nostra beatitudo.

Hoc ergo supposito, conclusio D. Tho. est de Fide, vt patet ex loco adducto in argumento. Sed cōtrà, & etiam ex illo Eccles. vltimo, Deum time, & mandata eius serua; hoc est enim omnis homo. vbi secundùm veriorem explicationē illa particula, Hoc est in ablatiuo; vnde facit sensum, quòd hoc habito, habet esse permanens, firmum & æternum, quod est beatitudo; nā quodcumque aliud esse hominis in hac vita, nō vocatur simpliciter esse, quia semper est in continua tendentia ad non esse; qua ratione dixit Deus ad Moys. Ego sum qui sum; hoc est qui habeo esse indeficiens, permanens, & æternum. Rātio autem D. Tho. pro hac conclusione non est eadē atque Articuli præcedentis: illa enim consistebat in eo, quòd sensibilia sunt inferiora ad Intellectum, & consequenter non possunt illum perficere, nisi ex coniunctione superioris; & cùm omne tale per partici pationem reducatur ad id quod est per se tale, beatificare Intellectum, quod est simpliciter illum perficere, pertinebit ad superiora, & non ad inferiora, qualia sunt sensibilia. Hæc autem ratio quia de Angelis nō currit, qui vtique sunt superiores ad Intellectum, apponit aliam rationem, nempe quòd licèt superiores sunt, habent esse intelligibiles per participationē, sicut & esse entia: vnde beatitudo non potest esse in cognitione illorū, sed in cognitione Dei entis, & intelligibilis per essentiam. Sed cō tra prædictam rationem est argumentum, quia licèt ens, vt dicit existentiam, conueniat

Eccles. vlt.

Obiectio.

niat Angelis, & cuique creaturæ perparticipationem; quia solus Dei existentia est essentialis: tamen ens, vt dicit essentiam, essentialiter prædicatur de Angelo & quacunque creatura; hæc enim est essentialis prædicatio, Angelus est ens: ergo habet esse intelligibile per essentiam, & consequẽter eius cognitio poterit beatificare. Patet consequentia, quia intelligibile non nascitur ex ente vt dicit existentiam, sed vt dicit essentiam. *Solutio.* Respondetur tamen, quòd obiectum Intellectus non solùm est ens, vt dicit essentiam, sed etiam ipsa existẽtia, vt quædam essentia continetur sub obiecto Intellectus, & est intelligibilis: vnde illud tantùm habet plenè rationem intelligibilis, quod habet esse ens per essentiam, vt ens importat tam essentiam, quàm existentiam: hic autẽ solus est Deus, quia licèt Angelus sit essentialiter ens nominaliter, nõ tamen participialiter. Vel secundò dicitur, aliud esse ens per essentiam & aliud esse essentialiter ens. Secũdum tãtùm importat prædicatum essentiale: primum autem, quod tale prædicatum essentiale habeat ex se ipso, & sit in illo tamquã in proprio fonte essendi, & non sit ab alijs participatum: Angelus ergo non solum existentiam, sed essentiam habet à Deo: vnde licèt essentialiter sit ens, non tamen ens per essentiam, quia non est fons essendi. Quod clarius dicitur, quòd esse ens per essentiam, stat dupliciter. Primò vt opponitur contra esse ens per accidens. Alio modo vt opponitur contra esse ens per participationem. Angelus ergo est ens per essentiam primo modo, non tamen secundo modo. Et si adhuc fiat *Obiectio.* argumentum, quia essentia non causatur nec fit aliquid extra Deum, nisi per existentiam; ista enim secluſa, non manet essentia aliquid creatum, nec extra Deum, sed in Deo tanquàm ipse Deus: ergo participatio solùm est in existentia, & consequenter dum prædicatur ens nominaliter, & per essentiam prædicabitur etiam vt opponitur contra per participationem: Re- *Solutio.* spondetur, quòd licèt eductio extra causas & efficientia, & productio creaturæ non terminetur ad essentiã nisi per existẽtiam, verè tamẽ ipsa essentia producitur & causatur, & sic verè est ens per participationem.

2. Solu.

Alias rationes pro omnium captu adducit ad probandam prædictam cõclusionem D. Tho. 3. contr. Gent. cap. 44. Prima *D. Thom.*

est, quia cognitio Angelorum paucissimis contigit; immò nec ipsis Philosophis, qui in hacre valde laborauerunt; immò & de ipsis rebus naturalibus professi sũt se multa ignorare, vt patet de Arist. qui 2. de cœlo tex. 61. circa quadraturam circuli, & rationes ordinis corporum cœlestium, inquit, nõ nisi rationes topicas se reddere posse: atque. 2. Methaph. textu. 36. alijs reliquit disputandum & sciendum, quid sit necessariũ in motibus cœlestibus: ergo in prædicta cognitione Angelorum felicitas nõ consistit. Patet consequentia, quia vt ait Arist. 1. Ethicorum, felicitas est bonum quod potest omnibus hominibus prouenire, nisi mente sint orbati. Secunda ratio quia Intellectus est in potentia ad omnia intelligibilia: ergo non manebit saturatus, quoad vsque omnia, vel vnum in quo omnia contineantur (qualis est Deus) intelligat. Tertia ratio, quia felicitas debet plenè satiare: sed nihil extra Deũ plenè satiat: ergo in nulla alia cognitione, quàm Dei, felicitas consistit. Minorem ad longũ probat Salomon in libro. Eccleſiast. vbi ponẽs multa quasi miracula naturæ, ostẽdit, in illis non esse satietatẽ, quia multi admiscẽtur errores, multa formido multaque difficultas in cognitione illorũ; ibi enim primo capite ponit vnũ mirabile de perpetua cõseruatione specierũ cũ cõtinua corruptione indiuiduorũ; qd insinuat in illis verbis, Generatio præterit, generatio aduenit: terra autẽ semper stat. Secũdũ mirabile assignat motum Solis vniformem, regularem, perpetuum, eundẽ tenorem semper seruantẽ: quod ostendit in illis verbis, Oritur Sol & occidit, & gyrat per meridiem, qd prius etiã insinuauerat pater eius Dauid Ps. 13. dicens de Sole: Exultauit vt gigas ad currẽdam viam: & rursus: Tanquã sponsus procedens de thalamo suo. In primo enim signauit velocissimũ & infatigabilẽ, & indeficientem motum: in secundo autem mirabilẽ eius super omnia corporalia pulchritudinem & splendorem. Aliud mirabile assignat de generatione fluuiorũ & fontium, quod insinuat dicens: Omnia flumina intrant in mare & mare non redundat. His ergo supremis naturæ recensitis; concludit, eis omnibus non posse hominẽ saturari, inquiens: cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone. Nec saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. Nõ (inquã) oculus visu saturatur, scilicet, Intellectus, qui in his omnibus est

Arist.

Salomonis Eccles.

Psal. 13.

velut

velut auarus, qui quò plura habet, ampliora desiderat. Ostendit etiam vanitatem huius scientiæ, cùm dicit: Quid est quod fuit? Ipsum quod futurum est. Quasi dicat: Noster Intellectus quærit semper noua inuenire in rebus, nec satiabitur eius appetitus, quia id in creaturis non reperit; quia quod fuit, est: vana igitur est huiusmodi scientia. Eandem vanitatem probat iterum, subdens: Ego Ecclesiastes fui Rex Israël in Ierusalem, & proposui in animo meo quærere, & inuestigare sapienter de omnibus quę fiunt sub Sole. Hãc occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum; & addit; Et agnoui quòd in his quoque esset labor & afflictio spiritus, eo quod in multa sapientia multa sit indignatio: & qui addit scientiam, addit & laborẽ. Et rursus in 2. cap. dicit: Didici quòd vnus vtriusque esset interitus. Moritur doctus: similiter & indoctus; quasi dicat, quę vtilitas in supremo bono creato, quod est sciẽtia, si morte finitur, & à morte nõ præseruat? Et in cap. 3. dicit: Vidi afflictionẽ quã dedit Dominus filijs hominum, vt distendantur in ea. Cuncta fecit Dominus bona in tempore suo, & mũdum tradidit dispu tationi eorũ, vt non inueniat homo opus quod operatus est Deus ab initio vsque ad finem. Ac si dicat; Talem Deus hominem creauit, vt ex creaturis possit inuestigare Creatorẽ; & tãta est sciẽtiæ illi⁹ vanitas, vt non possit quidpiam operis Dei comprehendere, nec folium, nec formicam. Et in capite. 6. dicit: Quid habet amplius sapiens à stulto? Et quid pauper, nisi vt pergat illuc, vbi est vita? Superextollit ergo paupertatẽ, & ignorantiam vt opponitur sapientiæ humanæ suis viribus confisæ: sic enim optimæ sunt ad percipiendam vitã æternam, iuxta illud 1. Corint. 1. Stulta mũdi elegit Deus, vt cõfundat sapientes, & infirma mũdi elegit Deus, vt cõfundat fortia.

ARTICVLVS VIII.

Vtrũ beatitudo hominis cõsistat in sola visione diuinæ essentiæ.

Supra ar. 4 & 1. q. 12. art. 4. q. 26 art. 2. & 3. & in 1. d. 1. q. 1. ar. 1. Et in 2. d. 4

AD octauum sic proceditur. *Videtur, quòd beatitudo hominis nõ sit in visione ip si⁹ diuinæ essentiæ. Dicit enim Dion. in 1. c. mysticæ Theologiæ, quòd per id quod est supremũ Intellect⁹, homo Deo cõiungitur, sicut omnino ignoto. Sed id quod videtur per essentiã, nõ est omnino ignotũ: ergo vltima Intellect⁹ perfectio seu beatitudo nõ consistit in hoc, quòd Deus per essentiam videtur.* art. 1. & in 4. d. 49. q. 1 art. 2. q. 1. & q. 4. q. 1 ar. 5. & 3. contr. c. 25. & 37. & opusc. 3. c. 104. 105. 106. 107. 108. 153. 166. 167. 168. 175. 262. & 264.

2. Præterea. Altioris naturæ perfectio altior est: sed hæc est perfectio Intellectus diuini propria, vt suam essentiam videat: ergo vltima perfectio Intellectus humani ad hoc non pertingit, sed infrà subsistit.

Sed cõtra est, quod dicitur primæ Ioan. 3. Cũ apparuerit, similes ei erimus, & videbim⁹ eũ sicuti est ipse.

Respondeo dicendum, quòd vltima & perfecta beatitudo non potest esse nisi in visione diuinæ essentiæ. Ad cuius euidentiam duo cõsideranda sunt. Primò quidẽ, quòd homo non est perfectè beatus, quandiu restat sibi aliquid desideradũ, & quærendum. Secundum est, quòd vniuscuiusque potentiæ perfectio attenditur secundũ rationẽ sui obiecti. Obiectum autẽ Intellectus est quod quid est, id est essentia rei, vt dicitur in tertio de Anima. Vnde in tãtũ procedit perfectio Intellect⁹, in quãtũ cognoscit essentiã alicuius rei. Si ergo Intellectus aliquis cognoscat essentiam alicuius effectus, per quam non possit cognosci essentia causæ, vt scilicet sciatur de causa, quid est, non dicitur Intellectus attingere ad causam simpliciter: quanuis per effectũ cognoscere possit de causa, an sit: & ideò remanet naturaliter homini desideriũ, cùm cognoscit effectũ, & scit eum habere causam: vt etiã sciat de causa quid est; & illud desiderium est ad mirationis, & cau- Tex. 26. to mo 2.

sat

sat inquisitionem: vt dicitur in principio Methaphysicæ; puta si aliquis cognoscens ecclypsim Solis, cõsiderat quòd ex aliqua causa procedit, de qua, quia nescit quid sit, admiratur, & admirando inquirit; nec ista inquisitio quiescit quousque perueniat ad cognoscendum essentiam causæ. Si igitur Intellectus humanus cognoscens essentiam alicuius effectus creati, non cognoscat de Deo, nisi an est, nõdũ perfectio eius attigit simpliciter ad causam primam, sed remanet ei adhuc naturale desiderium inquirendi causam; vnde nõdum est perfectè beatus: ad perfectã igitur beatitudinẽ, requiritur quòd Intellectus pertingat ad ipsam essentiã primæ causæ; & sic perfectionẽ suã habebit per vnionẽ ad Deũ, sicut ad obiectũ in quo sola beatitudo hominis cõsistit: vt suprà dictũ est.

Cap. 3. citra mediũ, tom. 3.

Art. 1. huius q.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd Dionysius loquitur de cognitione eorum qui sunt in Via tẽdentes ad beatitudinem.

Art. 1. huius q.

Ad secundum dicendum, quòd sicut suprà dictum est, finis potest accipi dupliciter. Vno modo quantum ad rem ipsam quæ desideratur, & hoc modo idẽ est finis, & superioris & inferioris naturæ, immò omniũ rerum, vt suprà dictũ est. Alio modo quantũ ad consequutionẽ huius rei: & sic diuersus est finis superioris, & inferioris naturæ, secundũ diuersam habitudinẽ ad rẽ talẽ: sic igitur altior est beatitudo Dei suã essẽtiam Intellectu cõprehẽdẽtis, quàm hominis vel Angeli vidẽtis & non comprehendentis.

q. 1. ar. 8.

Conclusio est affirmatiua.

DVBIVM PRIMVM,

Vtrùm ita sit, quod nihil extra Deũ potest plene satiare appetitum.

PArs negatiua probatur. Primò. Intellectus, & voluntas creata est aliquid finitum & limitatum; ergo aliquo finito & limitato poterit satiari. Antecedens patet, quia finitas & limitatio est de intrinseca ratione creaturæ. Cõsequẽtia verò probatur, quia non requiritur amplior perfectio in obiecto, quàm sit in potentia; cũ de beat esse proportio inter vtrumque. 1. Arg.

Secũdo arguitur. Delectatio est alterius potẽtiæ, quã sit visio; quia delectatio est Volũtatis; visio verò Intellectus: ergo poterit Deus de potentia absoluta cõcurrere cũ Volũtate vt summè delectetur, nõ cõcurrendo cũ Intellectu vt videat; quæ enim realiter distinguuntur, alterum sine altero poterit conseruare, & tunc quidẽ esset beatitudo: ergo in alio quã in visione beatitudo potest cõsistere. Si respõdeatur, quòd licet Voluntas & Intellectus, & actu; vtriusque realiter distinguantur, est tamẽ intrinseca dependẽtia Voluntatis ab Intellectu; vnde delectatio supponit visionẽ obiecti, cuius est delectatio: vnde si summa delectatio tãtũ est de Deo, supponit visionem Dei: Cõtra arguitur, quia ad hoc sufficeret cognitio Dei abstractiua: ergo nõ est necessaria clara Dei visio. Antecedẽs probatur, nã siquis videat ecclypsim, & abstractiuè cognoscat causã illius, eius appetitus manet quietus: ergo abstractiua cognitio causæ primæ sufficit ad plenã satietatẽ appetitus. 2. Arg.

Tertiò arg. Potest Deus suspẽdere appetitũ nostrũ, vt appetendo aliquid bonũ, aliud nõ appetat; vt patet in gustu, qui multoties appetendo vnũ cibũ, alios nõ appetit, sed potiꝰ abhorret: ergo tũc aliquo bono creato plenè manebit appetitus satiatus. Cõfirmatur, nã appetitus, vt dictũ est, oritur ex cognitione: sed potestꝰ facere vt homo tãtũ cognoscat aliquid bonũ creatũ, & nullo modo cognoscat bonũ Diuinũ: ergo tũc per bonũ creatũ manebit plenè satiatus, si quidẽ aliud bonũ superius nõ appetit. 3. Arg.

Not. 1.

Pro intelligẽtia notãdũ, quòd hæc quæstio potest procedere induplici sensu. Primò, de beatitudine obiectiua. Secũdò, de beatitudine formali

Secun-

Secundò notandũ, quòd plenè satiare stat dupliciter. Primò ex parte subiecti, quãdo subiectũ amplius nõ desiderat, licèt sit aliquid amplius desiderabile. Secũdo verò modo ex parte obiecti, illud dicitur plene satiare, in quo plena ratio satietatis reperitur, ita vt alia maior esse non possit: quod alijs verbis solet dici, quòd plena satietas duplex: altera negatiua, & altera positiua. Prima est ex parte subiecti amplius nõ desiderantis. Secunda ex parte obiecti cõtinentis summã rationẽ boni, & consequenter summã rationẽ delectabilis, & sic plenã rationẽ satietatis.

1. Concl. Prima conclusio. Ex parte obiecti impossibile est, etiã per potentiã Dei absolutã, quòd beatitudo constituatur in alia re quã in Deo. Hęc est D. Th. hîc, & sup. q. 2. art. 8. & eius ratione patet. Primò, nã appetitus hominis est vniuersalis: ergo non potest satiari nisi à bono vniuersali, quia appetitus & obiectũ eius debẽt proportionari sed quodcũque extra Deũ, est bonũ particulare; ille autem solùm continet omnem rationẽ boni: ergo in illo solùm obiectiua beatitudo potest cõsistere. Cõfirmatur, quia in anima nostra est capacitas quędã infinita syncathegorematicè: ita quòd nõ se extẽdat ad tot, quin ad plura: ergo solũ ex parte obiecti beatitudo, & satietas eius consistet in bono vltra quod nõ est progredi, vt est Deꝰ summũ bonũ. Quod insinuatur. Psal. 16. Satiabor cũ apparuerit gloria tua. Quod etiam docuit Aug. 1. Confes. c. 1. dicens: Fecisti nos, Dñe, ad te, & inquietũ est cor nostrũ donec reuertamur ad te. Secũdò probatur ratione etiã desumpta ex D. Th. 1. p. q. 44 art. 4. Esse primũ principiũ nõ potest alteri conuenire, quã Deo: ergo neq; esse vltimũ finẽ. Cõsequentia patet, nã, vt suprà dictũ est, vltimus finis correspondet & cõuertitur cũ primo principio. Antecedens verò probatur, nã esse primũ principiũ, & primã causam, est esse Deũ: ergo esse primũ principiũ, alteri quã Deo cõuenire nõ potest. Tunc vltra: sed vltimꝰ finis, & beatitudo obiectiua, sunt idem, vt suprà dictũ est: ergo sicut vltimus finis esse non potest nisi Deus, ita nec beatitudo obiectiua. Cõfirmatur, nã esse vltimũ finẽ, & beatitudinem obiectiuã, ad quod sequitur esse plenè satiatiuã appetitus, importat infinitatem: ergo nõ poterit à Deo alteri cõmunicari. Patet consequentia, nã ex eo D. Th. 1. p. q. 45. art. 5. docet non posse creaturã assumi vt instrumẽtũ ad creãdũ, quia creare, quod est producere ex nihilo, importat infinitatẽ. Et similiter 3. p. q. 3. art. 1. docet, nullã aliam suppositalitatem, quã diuinã posse terminare alienã naturam; quia hoc importat infinitatem, de quo ibi videatur Caiet. qui apertè hoc explicat. *Caiet.*

2. Concl. Secunda conclusio. Beatitudo formalis, etiam de potẽtia Dei absoluta, in alio consistere nõ potest, quã in visione Dei. Hæc probatur, nã Beatitudo formalis nihil aliud est, quàm consequutio beatitudinis obiectiuę: ergo si beatitudo obiectiua solus est Deus, beatitudo formalis solùm erit consequutio Dei, quæ, vt suprà dictũ est, fit per visionem illius. Confirmatur, quia finis qui, & quo, non ponit in numero: sed ex vtroque conflatur beatitudo nostra, vt suprà dictũ est: ergo sicut finis qui, solus est Deus, finis quo, rationẽ vltimam beatitudinis constituens, solùm erit eius consequutio: itaque si loquamur de beatitudine supernaturali, sicut obiectiua est tantùm Deus vt in se, ita formalis tãtùm est quidditatiua visio Dei vt in se: si autem loquamur de beatitudine imperfecta, qualis est naturalis, sicut obiectiua solus est Deus, vt Author naturæ, sic & formalis plenè satians tantùm est cognitio & contemplatio Authoris naturæ: vnde plena satietas appetitus naturalis est in cognitione Authoris naturæ: plena autem satietas appetitus eleuabilis, & secundùm capacitatem ad supernaturalia, consistit in clara Dei visione vt in se.

3. Concl. Tertia conclusio. Ex parte subiecti & negatiuè bene potest Deus plenè satiare appetitum aliquo bono creato, nõ autem ex parte obiecti & positiuè. Prima pars conclusionis patet ex argumentis â principio, in quibus ponitur, posse Deũ suspẽdere cõcursum vnius, cõcurrẽdo ad aliud, nimirũ cõcurrẽdo vt quis appetat aliquid creatũ, nõ verò cõcurrẽdo vt appetat aliquid increatũ, & etiã in casu in quo cognosceret homo tãtũ aliquid creatũ, & Deus auferret ab illo cognitionem Dei, & entis increati; tũc enim ex parte subiecti & negatiuè esset plenè homo satiatꝰ aliquo bono creato, siquidẽ defectu cognitionis vel cõcursus Dei nõ appetit aliquid superiꝰ & increatũ. Secũda verò pars patet, quia positiuè & ex parte obiecti plenè satiare, est quòd tale obiectũ sit

ſummum,quo aliud maius eſſe non poſſit in ratione delectabilis & ſatiatiui: ſed huiuſmodi ſolus Deus eſſe poteſt: ergo ex parte obiecti & poſitiuè ſolus Deus plenè poteſt ſatiare.

4.Concl. Quarta concluſio. Etiam de potentia Dei abſoluta eſſe non poteſt, vt ſatietas vel delectatio alicuius boni creati creſcat & intendatur à Deo,vt pertingat rationem delectationis & ſatietatis quæ in clara Dei viſione eſt:nam delectatio, & ſatietas boni dependet intrinſecè & formaliter ex cognitione ipſius boni ſatiantis: ſed nulla poteſt eſſe cognitio tanti boni, ſicut cognitio clara Dei:ergo nulla poteſt eſſe delectatio,vel ſatietas tanta,ſicut delectatio,& ſatietas quæ ex Deo habetur.

Solutio. Si reſpondeatur,hoc probare de ſatietate boni creati,non autem de ſatietate & delectatione quæ de ipſo Deo in hac vita,ſe cluſa Dei clara viſione,haberi poteſt; de hac enim poterit dici,vt in tantum poſſit creſcere,vt attingat gradum delectationis beatorum: Cõtrà tunc arguitur,quia ſi delectatio dependet in genere cauſæ formalis ab ipſa cognitione boni delectãtis,iuxta menſuram cognitionis erit & delectatio:cùm ergo cognitio Dei in hac vita nunquàm poſſit adæquare cognitionem claram quæ habetur in Patria; ita nec delectatio Viæ poterit attingere delectationem Patriæ,in eſſe delectationis & ſatietatis;quòd in eſſe entis creſcat,& attingat, nihil ad rem. Sicut gratia Chriſti Domini licèt in eſſe qualitatis alia poſſit eſſe maior,& intenſior,nulla tamen in eſſe gratiæ, quia nulla alia poteſt pertingere ad infinitatẽ gratię quã habet ex vnione hypoſtatica. Similiter Charitas in hac vita intenſior eſſe poteſt quàm Charitas beatorum;nulla tamen Charitas Viæ pertingit modum excellentiæ quam habet Charitas minima beati,vt ex viſione Dei clara procedit. Sic dicitur de ſatietate quæ in Via haberi poteſt,reſpectu illius quæ ex viſione procedit.

Impugn.

Ad 1.arg. Soto. Ad primum argumẽtum â principio, Magiſt. Soto 1. poſt.cap. 1.dicebat,Intellectum ſic eſſe potentiam finitam, vt ad aliquam intellectionem perueniens vlterius progredi non poſſet vt intelligeret, niſi aliqua ex proprijs intellectis obliuiſceretur:ſicut dicitur in augmento maximi naturalis. Sed certè falſum hoc videtur,quia quo plus intelligit intellectus, potentior fit,& ſic melius poterit in poſterum,quàm prius potuiſſet. Sicut etiã dicitur de igne in Phyſicis. Veritas ergo eſt,quam docet D.Thom.1. p.q. 86. Intellectum habere infinitatem ſecundùm quid & ſyncathegorematicam,quia non poteſt tot,quin plura poſsit intelligere: vnde ſemper manebit inquietus,quouſque perueniat ad vltimam & ſummam veritatẽ,qualis eſt Deus,per intellectionem perfectiſsimam,qualis eſt illius clara viſio. Et ſi contrà dicas, ex hoc ſequi, etiam claram viſionem non ſatiare, niſi ſit comprehenſiua;nam quacumque data, poteſt maior & maior intenſiua eſſe: ergo ſequitur non eſſe ſatiatũ,niſi ad vltimum comprehenſionis perueniatur: Reſpondetur, minimum beatum ſua gloria ſatiari,nec deſiderare maiorem;quia cùm quælibet viſio clara ſit beatitudo,perfectè debet ſatiare;aliàs autem nullus præter Deum eſſet ſatiatus, ſiquidem nullus præter illum poteſt comprehendere ſe: vt ergo perfectè ſatiet,ſufficit eſſe ſummam intellectionem ordine & comparatione ad alia obiecta intellecta creata; nõ autem quòd ſit ſuprema intenſiuè.

Obiectio.

Solutio.

Ad 2.arg. Ad ſecundum reſpondetur, quòd licèt ſit actio diuerſæ potentiæ, eſt tamen dependentia intrinſeca & formalis vnius ab altera;vnde ſi ad alteram concurrit,ad alteram neceſſario debet concurrere. Sicut enim non poteſt concurrere cum voluntate vt velit,niſi priùs concurrant cũ Intellectu vt intelligat,quia nihil volitũ quin præcognitũ, etiã de potẽtia abſoluta;ita ad perfectam ſatietatem concurrere non poteſt, niſi media viſione clara; quia ſicut ſe habet actus Volũtatis ad actum Intellectus;ita perfectiſsimus actus Volũtatis ad perfectiſsimum actum Intellectus,ſcilicet perfecta ſatietas adviſionem claram. Ad replicam autem factam in argumento reſpondetur, quòd cùm alia,etiam abſtractiuè cognita, cognoſcãtur per propriam,& adęquatam ſpeciem poterunt in ſuo genere perfectè ſatiare; Deus autẽ non cognoſcitur per propriã & adæquatã ſpeciẽ,niſi dum clare videtur,quia tunc vnitur eſſentia diuina in ratione ſpeciei: nulla ergo alia cognitio Dei,quàm clara,poteſt eſſe principium perfectæ ſatietatis, quia nulla alia Dei cognitio fit per adæquatam, & propriã ſpeciem illius. Velut dicitur,quòd qui videt ecclypſim,nõ aliter poteſt videre cauſam illius,quàm abſtractiuè: vnde tali notitia

titia manet satiatus: cùm tamen Deus intuitiuè positus videri, nõ est satietas, quousque talis visio habeatur.

Ad 3. arg. Ad tertium & eius confirmationem, respondetur, probare de satietate negatiua, & ex parte subiecti defectu cognitionis vel concursus, ad maius bonum appetendum, non autem de plena satietate positiua, & ex parte obiecti, vt dictum est.

DVBITATVR II.

Vtrùm Deus clarè visus, sit finis naturalis hominis; vel, quod idem est, vtrùm homo habeat naturalẽ appetitum videndi Deum clarè per essentiam.

1. Arg. PArs affirmatiua probatur. Primò. Vnica ratio formalis obiecti Intellectus reperitur in Deo clarè viso, & quolibet alio ente naturali: sed est naturalis inclinatio ad cognitionem clarã aliorũ: ergo & Dei. Consequẽtia patet, nã si est eadẽ ratio intelligibilitatis in vtroque, similiter & inclinatio potentiæ eadem inclinatio enim ex parte obiecti regulatur. Maior verò probatur, nam aliàs intellectus ad visionem Dei eleuari nõ posset, si ratio obiecti Intellectus non reperiretur in Deo. *Solutio.* Si respõdeatur, rationẽ obiectiuã non esse eandẽ vniuocè, sed quod analogicè dicitur de Deo & creaturis; quapropter potest esse naturalis inclinatio *Impugn.* ad vnũ, & non ad aliud: Cõtra arguitur, nã ratio obiectiua intellectus analogicè dicitur de Deo Authore naturæ, & de creaturis; & nihilominus non solũ naturaliter inclinatur ad cognitionẽ creaturarũ, sed etiã Dei Authoris naturę: ergo excessus analogicus non tollit inclinationẽ naturalẽ ad adæquatã rationẽ obiectiuã *Confirm. 1.* Intellectus. Confirmatur primò, nã Metaphysica naturaliter inclinatur in rationẽ obiectiuã adæquatã eius, licèt analo-*Confirm. 2.* gã. Cõfirmatur secundò, nã in hac analogia, vel mẽbrũ principale est Deus, vel creatura. Si primũ: ergo melius inclinabitur in cognitionẽ Dei, quã creaturę; quia si causa inclinationis, est ratio obiectiua potentiæ, in illud principaliter inclinabitur, in quò principaliter ratio obiectiua reperitur. Si verò dicas secundũ, sequitur idẽ, nã qui potest in maius & principali?, potest in minus principale: si ergo inclinatur in creaturã, quæ mẽbrũ est magis principale, meli? inclinabitur in Deũ nõ habẽtẽ adeò principalẽ rationẽ obiectiuã

Secundò arguitur. Si alicui etiã per- *2. Arg.* uerso ostendatur, beatitudinem consistere in clara Dei visione, statim volũtas rapietur impetu naturali in desideriũ huius modi visionis, vt experiẽtia patet: sed hoc non esset, nisi in volũtate esset inclinatio naturalis ad clarã Dei visionẽ: ergo. *Solutio.* Si respõdeatur, quòd tũc sic appeteret, quia cõciperet, & sibi proponeret clarã visionẽ, vt finẽ naturalẽ; vnde ex inclinatione naturali beatitudinis in cõmuni, prorrumperet in desideriũ illius beatitudinis in particulari propositæ, vt naturalis finis: *Impugn.* Cõtrà arguitur; quia si peccatori fideli proponitur per Fidẽ infusam visio diuinæ essentiæ in ratione finis supernaturalis, etiã volũtas eius rapietur in desideriũ illius: ergo non solũ est inclinatio in finẽ naturalẽ, sed etiã supernaturalem; aliàs enim etiã si finis supernaturalis ostenderetur Intellectui, non statim raperetur Voluntas in desiderium eius.

Tertiò arguitur, si talis inclinatio na- *3. Arg.* turalis nõ est, sequitur, beatitudinẽ naturalẽ nõ consistere in actu Intellectus, sed Volũtatis: cõsequẽs est cõtra D. Th. sup. art. 4. & hìc: ergo. Sequela probatur, nã beatitudo debet consistere in perfectissima operatione: sed perfectissima operatio est operatio voluntatis, secluſa clara Dei visione: ergo. Ista minor probatur ex D. Thom. infrà, q. 82. art. 3. vbi dicit, quòd amor Dei perfectior est omni cognitione illius, secluſa clara & intuitiua.

Quartò arguitur, Deus vt supernatu- *4. Arg.* ralis, est primũ principiũ efficiẽs naturale: ergo similiter vt supernaturalis, est finis naturalis subsistãtię intellectualis. Cõsequẽtia patet, nã, vt suprà dictũ est, vltimꝰ finis correspõdet & cõuertitur cũ primo efficienti. Antecedẽs verò probatur, nã Deus est primũ efficiẽs secũdũ qꝰ habet esse illimitatũ, & infinitũ, aliàs enim nõ posset creare; quod quidẽ ad primum principiũ efficiens pertinet; sed vt sic est omnino supernaturalis: ergo. Minor ista probatur, nã supernaturale est quod excedit naturã; sed in prædictis Deus excedit naturam creatam, & creabilem, quia omnis illa est finita, & limitata: ergo esse Dei vt sic, est supernaturale.

Vltimò arguitur, quia D. Thom. vt pro- *5. Arg.* bet, beatitudinem consistere in clara Dei visione, assumit hanc rationẽ, quia naturale est homini, visis effectibus, desidera

re videre causam; cùm autē prima omniū sit Deus, desideriū erit videndi illū, quod tamē frustrari non debet: ergo sentit D. Thom. esse appetitum naturale videndi Deum; aliàs eius ratio nihil valeret.

Not.1. Pro intelligentia notandū. Primò, idē esse quærere, vtrùm Deus sit finis naturalis; & vtrùm in homine sit naturalis appetitus videndi Deū; nam obiectū proportionari debet inclinationi potentiæ, & è cōtra: si ergo obiectū, & finis est naturalis, consequēter & inclinatio, & è contra. Item, quia Deus in se idē omnino est, nec habet distinctionem naturalis & supernaturalis, sed vtrùmq; habet ratione distinctū in ordine ad naturā creatā, & ideò dicetur finis naturalis respectu inclinationis naturalis; finis autē supernaturalis respectu habitudinis, & tendentiæ supernaturalis. Hoc dixerim contra aliquos,

Contra Palacios. præcipuē Palatios, q.1. prologi. li.1. sent. solutione ad 6. qui dicit, quòd in homine est naturalis inclinatio ad vidēcū Deū; & tamē Deus est finis supernaturalis; & probat exēplo materiæ primę, quę naturalē habet inclinationē ad animam rationalē, quæ tamē viribus naturæ haberi non potest, sed tātùm à Deo per creationē. Exē plū tamen nihil valet, nā licèt anima creetur à Deo, nō tamen vt Author est gratiæ, sed vt Author naturę secūdū cursum & regulas naturę; ita vt esset miraculū nō creari, positis dispositionibus; quapropter bene in materia esse potest inclinatio naturalis.

2. Not. Secundò notandū, nō dubitari in præsenti de capacitate; hęc enim ab omnibus sine dubio ponitur cū D. Thom. infrà q. 113. quod desumpsit ex D. Aug. li. de præd. sanctorū, c. 5. dicente. Posse habere Fidē, sicut posse habere Charitatē naturę hominis est. vbi, Posse, dicit capacitatē non autē potētiā naturalē passiuam; hæc enim supra capacitatē supperaddit inclinationē & appetitū naturalē. Suppositō ergo primo, dubitamus de secundo.

D. Thom. D. Aug.

3. Not. Tertiò notandū, quòd esse aliquē finē naturalē, stat dupliciter. Vno modo quātū ad inclinationē tātùm; vt quando inclinatur, non tamen habet vires vt assequi possit. Secundo modo potest esse naturalis, & quantū ad inclinationē, & quantū ad exequutionē; vt quando & inclinatur & vires habet vt possit assequi; non ergo dubitatur in præsenti de secundo modo, certū enim est secundùm Fidē, nō esse in clinationē naturalē videndi Deū, vt talis inclinatio claudit exequutionem, iuxta illud Esaiæ 64. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparasti diligētibus te. Cuius sensus literalis est de visione beatifica; & eadē ratio currit de exequutione mediorū, nēpe Fidei, & Charitatis, &c. Cū ergo habeatur de Fide contra Pelagiū, nō posse haberi viribꝰ naturę, cōsequēter nec visio beata quia difficilior est finis quā media dubitamus ergo de præcisa inclinatione.

Esaiæ. 64.

4. Not. Quartò notandū, quòd huiusmodi inclinatio & appetitus est duplex. Alius nō elicitus, sed qua habet rationem pōderis & propēsionis; vt inclinatio in lapide ad centrū. Alia est inclinatio & appetitus elicitus, qui sequitur formā apprehēsam, estque actus volūtatis, de quo D. Thom. 1.p.q.60.art.1. Rursus, iste appetitus elicitus, est duplex. Alter naturalis, vt naturale opponitur contra supernaturale; & est ille, qui facultatē naturę nō excedit, siue sit liber, siue necessarius. Secundo modo dicitur elicitus naturalis, vt naturale opponitur contra liberū, & ille qui est actus necessarius procedens ex inclinatione naturæ, vel quantū ad specificationē, vel quātū ad exercitiū. Rursus iste appetitus naturalis necessarius, & nō liber, est duplex. Alius absolutus & perfectus, qui explicatur per hanc vocē, volo. Alius verò conditionatus & imperfectus, qui explicatur per hanc vocē, Vellē. Hanc distinctionē posuerim cōtra aliquos dicentes non posse dari, appetitū esse naturalem vt opponitur libero, & esse conditionatū, & imperfectū; sed quòd huiusmodi distinctio solū habeat locū in actibꝰ liberis. Falluntur tamē, quia quādo abscinditur manus propter cōseruationē totiꝰ, talis abscisio est simpliciter volita, & nihilominus remanet appetitus naturalis conseruandi manū; qui tamen appetitus tantùm est imperfectus & conditionatus, quia perfectus & absolutus non compatitur cum contrario absoluto & perfecto abscisionis. Nec valet replica illorum, quòd tunc talis appetitus non est naturalis suppositā expeditione abscisionis manus; quia nec est natuatlis quoad exercitiū, si quidē potest suspēdere actum; nec quoad specificationem, si quidem habet actum contrarium absolutū.

Obiectio.

Non (inquam) valet hæc replica, quia certum debet esse, appetitum conseruationis

Solutio.

nis manus esse naturalem quoad specificationem; nec obstat actus contrarius absolutus absessionis, dummodò talis appetitus conseruationis tantùm sit imperfectus & conditionatus; sic enim non contrariantur, quia formaliter non sunt circa idem: appetitus enim absessionis est vt hîc & nunc, attentis circunstantijs; appetitus autē cōseruationis est secūdū se.

5. Not. Vltimò notandum, quòd appetitus naturalis circa Deū, dupliciter esse potest. Primò in adæquatè & in confuso; vt quādo v.g. aliquis desiderat bonum in communi, & expletiuum voluntatis, in adæquatè & in confuso appetit Deum, quia in nullo alio reperitur plena ratio boni expletiua voluntatis. Secundo modo potest appeti Deus in particulari & distinctè; & hoc dupliciter, vel vt Author gratię, vel vt Author naturæ. Primo modo non est dubium quin sit appetitus naturalis consequendi Deum; si quidem appetitus naturalis est beatitudinis, & boni in communi. Difficultas est autem secundo modo de Deo in particulari, tam vt Authore gratiæ, quàm vt Authore naturæ.

1 Sent. In hac re est prima sententia, quòd in homine est naturalis appetitus clarè videndi Deum. Hanc tenet Scotus q.1. prologi. 4. sent. & dist. 49. q. 8. 9. 11. D. Bonauentura eadem dist. 2. part. distinctionis. Durandus eadem dist. q. 8. Paulus Venetus eadem dist. q. 7. Soto eadem dist. q. 2. art. 1. Ferrara 3. cōtra Gent. cap. 52. Thomas de Argentina eadem dist. q. 1. art. 3. solutione ad 1. immò & solet attribui Caietano in hoc articulo. Isti tamen authores non eadem via procedunt. Magister enim Soto ponit appetitum naturalem velut pondus naturæ; alij autem vt actū elicitum voluntatis; & rursus isti inter se adhuc sunt diuisi; aliqui enim ponunt actum elicitum naturalem, vt opponitur libero: alij autem ponunt esse liberum, & esse naturalem, vt opponitur contra supernaturale. Rursus Thomas de Argētina & Caiet. (si istam habuerint sententiam) ponunt huiusmodi appetitum naturalem in homine, suppositā reuelatione & Fide non autem absolutè & in puris naturæ. Rursus Ferrara ponit huiusmodi appetitum naturalem videndi Deū, vt Authore naturæ, non autem vt Author est gratiæ.

Scotus. *D. Bonau.* *Durandus.* *Paulus Venet.* *Soto.* *Ferrara.* *Thom. de Argent.*

2. Sent. Secunda sententia negans omnem appetitum naturalem videndi Deum, est cōmunis Thomistarum.

Prima conclusio. Deus clarè visus, nō est finis naturalis hominis; nec homo habet appetitum naturalem, velut pondus naturæ, videndi Deum clarè: Hæc est D. Thom. 1. part. q. 12. artic. 1. vbi dicit quòd Deus clarè visus, est finis supernaturalis hominis, excedens facultatem naturæ & proportionem. In eo quod dicit. Excedens facultatem naturæ, dicit, esse finem supernaturalem quātum ad exequutionem: in eo autē quod dicit. Quòd excedit proportionem, ponit esse supernaturalem quoad inclinationem & appetitum: inclinatio enim supponit proportionem potentię cum obiecto in quod inclinatur naturaliter: vnde ex mente D. Thom. sic probatur conclusio. Primò. Deus clarè visus non habet proportionē cum potentia naturali: ergo potentia naturalis non inclinatur naturaliter in Deū clarè visum. Si respondeatur, non esse proportionē simpliciter, bene autē secūdùm quid: vnde ratione talis proportionis naturaliter potest tendere in talem finem: Contrà arguitur; Tùm, quia vt simpliciter appetatur, simpliciter debet proportionari; tùm etiam, quia si aliqualis porportio est cum visione clara Dei, etiā aliqualis proportio erit cum Fide, Spe, & Charitate, &c. quæ media sunt talis finis; cùm enim finis sit excellentior quàm medium, quod fini proportionatur, melius cū medio habebit proportionem, & tunc si cū Fide, & Charitate habet aliqualē proportionē, ex viribus naturæ poterit credere & amare saltē imperfectè: quod quidē est Pelagianū. Sequella autem patet, quia nulla alia causa potest assignari vt homo ex viribus naturæ nō possit credere, nisi defectus proportionis actus Fidei ad potentiā naturalē, nō quidē proportionis secundū quid, sed proportionis simpliciter: ergo. Secūdo probatur cōclusio. Homo non potest consequi viribus naturæ visionē clarā Dei, vt est de Fide: ergo nec appetere naturaliter. Consequentia patet, nā appetitus esset frustraneus, vbi nō suppetunt vires consequēdi, vt patet ex Arist. 2. de cęlo, text. 50. vbi ex eo probat, astra nō inclinari naturaliter ad motum progressiuum, quia aliàs Author naturæ dedisset eis instrumenta, scilicet pedes ad talem motum ne talis inclinatio esset frustranea. Idem docet 3. de anim. text. 5. de animalibus imperfectis.

1. Concl. *Solut.* *Impugn.* *Arist.*

Solutio. Si respondeatur cum Soto, non semper inclinationem naturalem concomitari posibilitatem obtinendi; multa enim sunt quæ naturaliter appetunt, quæ naturaliter assequi non possunt: hoc patet in anima separata, quæ naturaliter appetit vnionem cum corpore; cùm tamen talis vnio post separationem viribus naturæ fieri non possit. Item etiam patet in casu quo Deus produceret cœlos, & non produceret Intelligentias motrices illorum; tunc quidem cœlum naturaliter inclinaretur ad motum; cùm tamen virtute naturali motum exequi nõ possent, quia in natura non essent vires apponendi intelligentias motrices necessarias ad motum. Item etiam patet in homine, qui naturaliter inclinatur ad studiosè & sine peccato, & conformiter rectæ rationi viuere; cùm tamen hoc exequi non possit viribus naturæ, sed necessario requiratur speciale auxilium gratiæ. Hæc tamen so-

Impugn. Ex D.Tho. lutio est contra D. Thom. qui 3. p. q. 4. art. 1. dicit, quòd aptitudo quæ sumitur secundùm potentiam naturalẽ, nõ transcendit ordinem rerum: item prima secundæ q. 114. art. 2. docet, quòd vita æterna excedit proportionem naturæ creatę, & etiam cognitionem & desiderium, & ob hanc causam nulla creatura est sufficiens principium merendi, & consequendi illam, nisi detur ei donum gratiæ, vbi ex defectu inclinationis naturalis, probatde fectum consequutionis per meritum: ergo sentit, hęc duo in separabilia esse, & naturaliter appetere finem, & naturaliter posse consequi illum. Tandem 3. contra Gent. cap. 147. ex eo probatur, inter omnes creaturas inferiores solùm hominem indigere auxilio gratiæ, quia solus ille potest peruenire ad finem qui excedit naturam, & facultatem illius. Vtrum quę ergo dicit super excedere finẽ super naturalẽ, & inclinationem, & consequutionẽ. Et exẽpla â contrarijs adducta nullius sunt momenti. Primũ enim exẽplũ potiùs est contra ipsos; nã ex eo Philosophi probant, vnionẽ animæ cum corpore per generationẽ esse naturalẽ, quia in materia & in anima est naturalis inclinatio ad talẽ vnionẽ; vnde pro comperto habent in Physica, inclinationẽ naturalẽ, & posibilitatẽ consequutionis debere stare simul: si autem anima separata naturaliter reuniri non potest, est per accidens ratione status, quatenus à priuatione ad habitũ non est regressus, vt docet Arist. 8. Meth. text. 14. & explicat Ferrara. 4. contr. Gent. c. 81. & 3. contr. Gent. c. 12. & 102. vbi contra Scotũ agit, qualiter ad inclinationem naturalẽ vnionis in anima sufficit posse ad impleri in aliquo indiuiduo, aut in aliquo tẽpore, nõ tamẽ in omni indiuiduo & pro quolibet tẽpore. Vnde si visio beatifica esset finis naturalis, in aliquo indiuiduo, aut in aliquo tẽpore viribus naturæ consequi posset: quod est contra Fidem. Quapropter quando D. Thom. dicit 1. p. q. 76. art. 1. ad 6. quòd in anima separata, est inclinatio naturalis ad vnionẽ cũ corpore, debet intelligi, quòd est naturalis ex parte termini, & materialiter, quia res consurgens ex resurrectione naturalis est, sicut & visus restitutus cœco per miraculũ. Cœterùm si talis inclinatio animæ separatę formalissimè cõsideratur, quantũ ad modũ, & vt reunio, & supernaturalis est, vt sic à nulla causa naturali potest reduci in actũ: sicut etiam in materia cõtingit respectu formæ amissę; non enim manet in illa priuatio, aut inclinatio naturalis respectu talis formę, nisi materialiter tantùm ex parte termini, vt docet Ferrar. 2. cont Gent. c. 60. circa 13. rationẽ. Quod clarius dicitur, quòd anima separata absolutè, & secũdùm se, & ex principijs naturæ considerata, prę cindendo ab omni statu, vel tẽpore inclinatur naturaliter ad vnionẽ nõ autem in sensu composito, & ex suppositione status separationis, vt sic enim formalissimè nõ est naturalis inclinatio in illa, quia vt sic nõ est aliqua causa naturalis, per quã id possit impleri. Secundũ etiam exemplum illorum nihil valet, quia in illo casu per accidens esset non esse motrices cę lorũ; & verũ erat, quòd talis motus viribus naturæ poterat poni in istu, quia producere intelligẽtias motrices necessarias ad motũ, ad Deum Authorẽ naturæ pertineret; media autem necessaria ad consequutionem visionis Dei non possunt tribui à Deo vt Authore naturæ, sed vt Authore gratiæ; vnde talis finis, supernaturalis omnino est cẽsendus. Tertium etiã exemplum est insufficiens; nam si homo indiget auxilio gratiæ, vt rectè viuat secundùm rationem, id prouenit ex corruptione naturæ, si autem natura esset integra, id posset viribus proprijs. Visio autẽ clara Dei, siue natura sit corrupta, siue integra, viribus proprijs non potest

Arist. *Ferrara.* *D.Thom.*

obti-

obtineri: vnde omnino est supernaturalis.

2. Concl. Secunda conclusio. In homine non est naturalis inclinatio, & appetitus ad claram Dei visionem, etiam vt naturale opponitur contra liberum; itaque non est actus elicitus, necessarius circa clarã Dei visionem. Hæc etiam conclusio patet eisdem rationibus, sicut & præcedens, & specialiter probatur. Actus elicitus necessarius prouenit & fundator in pondere, & propẽsione naturæ: sed, vt dictum est, defectu proportionis non est pondus & propensio ad claram Dei visionem: ergo

Solutio. nec actus elicitus necessarius. Si respondeatur, probare de actu elicito perfecto & absoluto, non autem de imperfecto, &

Impugn. conditionato: vnde ad minus talis poterit esse: Contrà arguitur, nam circa vltimum finem appetitus naturalis non debet esse conditionatus, sed absolutus, & perfectus; nam talis appetitus circa vltimum finem est primum principium, & prima regula totius moralis rectitudinis, & omnium appetitionum voluntatis: ergo talis appetitus, vel nullus est, vel absolutus debet esse, quia conditionatus & imperfectus non potest esse regula operandi: si ergo appetitus naturalis absolutus non datur, nullus datur.

3. Concl. Tertia conclusio. Loquendo de appetitu naturali elicito vt naturale opponitur contra supernaturale, hoc est, vt conuertitur cum actu libero ex viribus proprijs habito, talis appetitus respectu visionis claræ Dei non datur absolutus & perfectus; bene tamen potest dari conditionatus, & imperfectus. Prima pars probatur, quia impossibile, cognitum vt tale, non potest appeti, etiam libero appetitu, absoluto, & perfecto: sed consequutio claræ Dei visionis cognoscitur impossibilis: ergo viribus naturæ non potest appeti absolutè & perfectè. Secũda pars etiam patet, nam impossibilium bene potest esse appetitus, & desiderium inefficax, imperfectum, & conditionatum.

4. Concl. Quarta conclusio. Quod dictum est de clara Dei visione, dicendum est, siue Deus consideretur vt Author gratiæ, siue vt Author naturæ. Hæc probatur, nã Deus vt Author gratiæ & naturæ, est idem omnino in se; & solùm est distinctio rationis in ordine ad diuersos effectus quos in creatura causa: ergo impossibile est videre clarè & intuitiuè Deũ, vt Authorem naturæ, sine eo quòd videatur vt Author gratiæ; si quidem est eadem formalissima quidditas, & entitas in se: si ergo videri vt Author gratiæ, est omnino supernaturale, superans omnẽ consequutionem, & appetitum naturalem, similiter & videri clarè vt Author naturæ.

5. Concl. Quinta conclusio. Quod dictum est de visione clara Dei, dicendum est etiam de Fide, Spe, & Charitate, & alijs medijs necessarijs ad consequutionem visionis clarę Dei. Hæc conclusio est adeò certa, vt multi Thomistæ dicant, oppositũ esse contra Fidem, & Pelagianum. Hæc tamen censura rigida est, & censeo quòd eadem probabilitate qua dicitur esse appetitum naturalem videndi Deum, licèt cõsequutio sit supernaturalis; potest etiam dici, esse inclinationem naturalem ad media necessaria ad talem finem, licèt exequutio talium mediorum sit supernaturalis, nec viribus naturæ haberi possit: si enim finis excellentior est quàm media, posita proportione sufficienti ad appetitum finis, licèt nõ ad exequutionem, quare non etiam ponetur respectu mediorũ. Eo vel maximè, quòd in appetitione finis clauditur intrinsecè appetitus mediorum: Fides autem contra Pelagium, tantùm negat exequutionem talium mediorum ex viribus naturę. Probatur autem conclusio eisdem rationibus sicut & prima, talia enim media sunt improportionata, quia omnino supernaturalia, vnde ad ipsa non potest esse inclinatio naturalis, quæ proportionem exposcit. Itẽ quia si esset talis proportio ad inclinationem, esset etiam ad exequutionem, quòd, vt dictum est, est contra Fidem.

6. Concl. Sexta conclusio. Etiam supposita supernaturali reuelatione Fidei; in intellectu nõ potest esse inclinatio naturalis ad claram Dei visionem, vt naturale dicitur ex viribus proprijs; bene autem erit appetitus naturalis, vt naturale reperitur in ordine gratiæ, pro eo quod est conforme & iuxta naturam ipsius gratiæ. Pro huius intelligentia notandum, quôd, vt infra notauit Caietanus in materia de gratia per dona supernaturalia, verbi gratia, per iustitiam originalem, dupliciter potentia perficitur. Primò, in ordine ad proprium, & connaturalem finem, quatenus propriæ vires conualescunt in ordine ad proprium

Notand.

finem,ex coniunctione doni ſupernalis, vt meliús poſsit in talem finem,quàm ſi talis coniunctio doni non eſſet: hac enim ratione dicitur, quòd gratia perficit naturam, vtique etiam intra limites finis naturalis. Secundo modo perficitur perfectione ſupernaturali, quatenus ex tali dono conſurgit ad finem ſupernaturalem ſuper excedentem, ad quem ex proprijs viribus non poſſet attingere. Ita dicendum eſt de Fide. Vnde dicimus in concluſione,quòd perfectio naturalis intellectus intra proprios limites naturæ non tanta eſſe poteſt proueniens à Fide, vt voluntas ex proprijs viribus finem ſupernaturalem propoſitum per Fidem poſsit appetere,bene autem vt ſubeſt Fidei; & ex viribus ſupernaturalibus Fidei poterit appetere talem finem, & talis appetitus ſimpliciter eſt ſupernaturalis, licèt connaturalis Fidei intra ordinem gratiæ. Hæc concluſio manifeſtè patet; nam vires naturæ, quantumcunque perfectæ, ex dono ſupernaturali,dum conſiderantur intra proprios limites naturæ, manent in proportionatæ ad finem ſupernaturalem: ergo quantumcunque perfectæ, intra proprios limites talem finem attingere non poſſunt. Conſideratæ autem vires formaliter vt ſubſunt Fidei,vt importat perfectionem ſupernaturalem prouenientem à Fide, ſunt etiam vires ſupernaturales,& in ordine gratiæ; vnde ex talibus viribus finem ſupernaturalem poterit attingere;quia ſic proportionem habet. Et hoc fortè intellexerit Caietanus, dicens quòd habenti Fidem,naturale eſt appetere claram Dei viſionem. *Notandum* Notandum tamen,quod appetitus viſionis Dei qui ex Fide mortua poteſt prouenire,eſt inefficax & imperfectus, perfectus autem & efficax,ſi Fides Charitate informetur;quia per Fidem mortuam fit ordinatio ad finem ſupernaturalem modo imperfecto; perfecta autem ordinatio eſt per Charitatem,quæ ex propria ratione habet reſpicere Deum vt vltimum finẽ.

7.Concl. Septima concluſio. Non obſtantibus prædictis, opinio Scoti eſt probabilis.

Notandum. Pro cuius intelligentia notandum,quòd homo conſideratur dupliciter. Primò ſecundùm propriam rationem, & ſpecificã eius. Secundo modo, ſecũdùm rationem communẽ analogam gradus intellectualitatis,in quo cum Deo etiam conuenit; & vtraque ratione eſt naturalis appetitus in homine. Poteſt enim eſſe & appetitus naturalis prouenies ex ratione ſpecifica,& etiam prouenies ex ratione ſuperiori cõmuni analoga;immò cum repugnantia ex ratione ſpecifica poteſt eſſe inclinatio naturalis ex ratione ſuperiori,vt patet in Talpa,quæ ex ratione ſpecifica non inclinatur ad videndum,immò ad id repugnantiam habet; inclinatur tamen naturaliter ad videndum,ex ratione ſuperiori animalis. Ita ergo poteſt dici in præſenti,quòd Intellectus vel voluntas inclinatur naturaliter ad Deum videndũ non ex ratione particulari & ſpecifica, quia vt ſic,vt dictum eſt, non proportionatur;bene tamen ex ratione ſuperiori analoga,in qua cum Deo conuenit analogicè;hac enim ratione Intellectus infinitatẽ habet ex parte obiecti, & comprehẽſiuus eſt totius entis,vt docet D. Tho. 2.cont.Gent.c.98. Ex quo ſequitur, primò,huiuſmodi appetitum & inclinationẽ non debere dici ſimpliciter, ſed ſecundùm quid,& eadem ratione Deus clarè viſus non debet dici finis naturalis ſimpliciter,ſed ſecundùm quid, quia, vt dictum eſt,id conuenit ratione ſuperioris; ſimpliciter autem dicitur cõuenire,quæ ex ratione ſpecifica conueniunt. Sequitur ſecundò, ad huiuſmodi inclinationẽ non requiri vires vt impleatur; quia ad prouidentiam Dei non pertinet præbere media ad impletionem cuiuſcunque appetitus,ſed illius tantũ qui ex ratione ſpecifica prouenit;vt patet in exemplo Talpæ,cui media ad videndũ nõ exhibẽtur,quia appetitus videndi nõ prouenit ex ratione ſpecifica; nec propterea talis inclinatio dicenda eſt fruſtranea, & otioſa,quia ſufficit vt per vires naturæ ponatur in exequutione in aliquo illius generis, & gradus analogi, & ſic ponitur per vires naturæ clara viſio Dei in aliquo eiuſdẽ gradus analogi intellectualitatis, nẽpe in Deo. Tertio ſequitur, quòd Angelus comprehendens inclinationem naturalẽ hominis, licèt cognoſcat euidẽter huiuſmodi inclinationem ad Deum clarè viſum,nõ tamẽ cognoſcit euidẽter,eſſe poſsibile,hominẽ poſſe videre Deũ clarè, & quidditatiuè; quia, vt dictũ eſt, ad huiuſmodi inclinationem nõ requiritur poſsibilitas in eodẽ,vt patet in Talpa; ſed ſufficit in alio eiuſdem generis.

Notãdũ tamẽ circa prędicta in iſta cõ *Notand.* clu-

clusione, quòd hæc inclinatio naturalis non solùm ponenda est in intellectu, vt volebat Durandus, sed etiam in voluntate, vt vult Magister Soto; quia voluntas est appetitus totius hominis; vnde appetit non solum quæ sibi conueniunt, sed & quæ alijs potentijs. Vnde ex eo quòd ponatur in Intellectu inclinatio, ponenda est etiam in Voluntate appetente Intellectui tale bonum. Nec dicenda est talis inclinatio solùm pondus naturæ, vt volebat Soto, sed actus elicitus debet esse; quia talis inclinatio debet esse propria hominis, secundùm quòd ab alijs distinguitur intendentia ad vltimum finem. Tendere autem per modum ponderis, commune est omnibus creaturis: propria autem tendentia hominis est per actũ elicitum intellectus, & Voluntatis. Et per hęc facilè qui hanc voluerit defendere sententiam, poterit respondere ad argumẽta quibus probauimus nostram communem opinionem.

Durand. Soto.

Ad 1. arg. Ad primum argumẽtum à principio, respondetur, bonam esse ibi solutionem datam. Ad primã replicam dicitur, quòd licèt Deus vt Author naturæ analogicè conueniat cum creaturis: quia tamẽ hoc est intra eundem ordinem naturalẽ, ideô Intellectus viribus naturæ potest attingere vt Authorem naturæ, etiam si analogicè excedat: & idem dicitur de obiecto Methaphysicæ; Deus autem clarè visus, & Author gratię, non vtcunque analogicè excedit, sed cum transitu, & superioritate alterius ordinis; quapropter potentia propter talem excessum non potest Deum sic excedentem attingere, nisi ad superiorem ordinem gratiæ dono proportionato eleuetur; vnde potentia nuda respectu talis obiecti excedentis solùm habet capacitatem, non autem inclinationem, nisi medio dono supernaturali. Quòd clariùs dicitur, Intellectum nostrum ratione spiritualitatis habere quãdam infinitatem, & velut rationem duplicis potentiæ, vt ad omne ens, tam naturale, quàm supernaturale, se possit extendere, ad naturale naturaliter, ad supernaturale supernaturaliter: si enim diuersa ratio potentiæ in Intellectu reperitur, si militer & diuersus modus tendendi in suũ obiectũ. Ad secundã replicã dicitur, Deum esse principale mẽbrũ analogiæ, & in quo ratio obiecti Intellectus principaliter reperitur; propter excessum tamen alterius ordinis prædictum, & defectum proportionis, in ipsum, nisi eleuetur potentia, non potest tendere.

Ad secundum argumentum bene ibi responsum est. Ad replicam dicitur primò, quòd in tantum ille appetit claram Dei visionem, in quantum ibi concipit, suam naturalem beatitudinem contineri; non autem illam appetit vt supernaturalis est. Secundô meliùs respondetur, illum appetitum esse supernaturalem prouenientem à Fide; Fides enim non solùm in intellectu, sed etiam ex parte voluntatis, auxilium supernaturale importat, & piam affectionem supernrturalẽ: vnde ratione huius habere potest appetitum supernaturalem videndi Deum, licèt, vt dictum est, imperfectum; nam ad perfectum requiritur Charitas.

Ad 2. arg.

2. Solut.

Ad tertium respondetur cùm Ferrara 2. contra Gent. cap. 26. quod comparando actum amoris Dei Authoris naturæ, cum perfectissima contemplatione naturali etiam Authoris naturę, amor est perfectior tantùm secundùm quid, quatenus terminatur ad Deum in se, non autẽ illa contemplatio, cùm sit abstractiua; simpliciter autem & absolutè illa cõtemplatio est perfectior, cùm sit suprema, & perfectissima, superioris & melioris potentiæ, quæ viribus naturæ haberi potest; vnde in tali cõtemplatione, tãquàm in perfectissima operatione, beatitudo naturalis consisteret.

Ad 3. arg.

Ad quartum respõdetur, quòd supernaturale sumitur dupliciter. Primò, pro eo quod excedit quamcunque naturam creatam. Secundò modo pro eo quod excedit ordinem & cursum naturæ. Primo modo quidquid est in Deo, est supernaturale, non autem secundo modo; nam quod Deus sit principium, & prima causa naturæ, etiam per creationem, ad ordinem naturæ pertinet; vnde & lumine naturali hoc de Deo cognoscitur; lumine enim naturali cognoscitur, animam rationalem non educi de potentia materię, & materiam primam esse ingenerabilẽ, cùm sit primum subiectum; ac perconsequens cognoscit, vtranque habere esse à Deo per creationem. Similiter ergo & esse finem vltimum naturalem rerum, lumine naturali cognoscitur, & ad ipsum viribus naturæ tẽditur; quia, vt probat argumentum, finis vltimus correspondet primo principio. Cæterùm cùm in Deo

Ad 4. arg.

duplex ratio primi principij distinguatur;altera primi principij naturalis, vt Authoris naturæ, quæ lumine naturali cognoscitur,alteraverò ratio primi principij supernaturalis,vt Authoris gratię; quæ tantùm lumine supernaturali cognoscitur;ita & in ipso ratio duplex finis vltimi debet reperiri:prima finis naturalis correspondens primo principio naturali,quæ viribus naturalibus appetatur: Secũda verò ratio vltimi finis supernaturalis correspondens primo principio supernaturali gratiæ, quæ tantùm supernaturaliter appetatur. Vel secundò respondetur: Transeat antecedens, & negatur consequentia; nam alia est ratio principij effectiui, & alia vltimi finis; ratio enim principij effectiui nō expoſcit proportionem in ipso efficiente cum effectu producendo; sed quo principium excellentius & alius fuerit,tanto meliùs & faciliùs poterit effectum minorem & inferiorem producere;quia ibi est concursus ex parte principij ad effectum, & nō è contra;vnde in ipso effectu non requiritur proportio ad ipsum efficiens: finis autem necessariò debet proportionari tẽdenti in ipsum finem,quia non solùm est concursus ex parte finis ad tẽdentem in ipsum,sed etiam concursus & tendentia ipsius tendentis ad finem;vnde si auferatur proportio finis, deficit tendentia in ipsum: eminentia ergo ex parte principij,licèt non tollat esse principium naturale; eminentia tamen ex parte finis facit ipsum non esse naturalem finem, fugit enim,defectu proportionis,terminos & actiuitatem tendentis in ipsum.

2.*Solutio.*

Ad vltimũ Ad vltimum respondetur, illam rationem D.Thomæ,non esse demonstrationem, sed tantùm congruentiam; itaque probat euidenter desiderium cognoscendi primam causam, cognitione vtcumque,siue intuitiua, siue abstractiua; determinatè autem visionem claram non probat nisi congruentur, cùm sit veritas Fidei,quæ demonstrari non potest. Sicut & in materia Incarnationis congruẽter ostẽdit illud mysteriũ,ex ratione boni,quod sit diffusiuum sui. Et similiter 4.contr.cap. 79. probat resurrectionem mortuòrum, ex inclinatione animæ ad vnionem corporis quam habet absolutè & secundùm se; ex tali enim inclinatione solùm sequitur congruenter reunio in anima separata,suppoſita Fide.

Ex dictis sequitur clarè, qualiter debeat intelligi illa propositio D.Thomæ, quòd visis effectibus,naturale est desiderare videre causam. Tripliciter enim explicat Caietanus hãc propoſitionem iuxta prædicta. Prima explicatio est, quòd intelligatur de capacitate & potẽtia obedientiali;quæ quidem licèt ex parte obiecti sit supernaturalis; ex parte tamen subiecti est naturalis: & propterea de ista loquens D.Augustlib.de prædestinat.Sanctorum,cap.5.dixit; Posse habere Fidem & Charitatem, naturæ hominis est. Loquitur enim ex parte subiecti.Similiter D.Thomas debet intelligi 3.contra Gent.capit.156.vbi dicit,quòd in homine potentia, ad bonum diuinum est;quia potentia naturalis nō est destructa in homine per peccatũ. Similiter infrà.quæst.113.art.2. inquit,quòd iustificatio impij non est miraculosa,quia naturaliter anima est gratiæ capax, eo quòd ad imaginem Dei est facta; & non sicut in suscitatione mortui, in quo vita est super naturalem potentiã.Et si dicas,quòd ex isto loco potiùs sequitur destructio explicationis;quia si dicit quòd est naturalis;& non sicut suscitatio mortui, ampliùs ponit quàm potentiam obedientialem ad infusionem gratiæ,nam potentia obedientialis etiam est vt mortuus suscitetur: Respondetur in vtroque tantùm esse potentiam obedientialem; ponitur autem differẽtia à D.Thoma,in eo quòd suscitatio sit miraculosa, quia est præter regulas communes naturæ, & gratiæ:iustificatio autẽ non est miraculosa, quia licèt sit præter regulas naturæ,est tamen iuxta regulam communẽ ordinis gratiæ, ita vt potius esset miraculum, si positis dispositionibus non iustificaretur.Eodẽ modo debet intelligi 3. part.quæst. 9. art.2.ad 3.vbi ait D.Thomas, quòd sciẽtia beata quodam modo est supra naturam animæ,in quantum propria virtute ad ea peruenire nō potest:Alio verò modo est secundùm naturam ipsius,in quantum secundùm naturam est capax eius. Eodem modo debet intelligi. 3. cont. Gent.ca.50.vbi ex professo probat, esse naturale desiderium in Angelis videndi Deun per essentiam, ex cognitione creaturarum.Similiter super primã epistolã ad Corint. lectione 2.vbi ait,quòd creaturæ rationali gloria est naturaliter appetibilis. Idem dicit super caput 13. lect.

1.*Explicat. D.Thom.*

D.Aug.

D.Thom.

Obiectio.

Solutio.

lect. 4. & paullò pòst, inferiùs subdit, quòd duplicem cõiunctionem habemus cum Deo, & vtranque naturalem; alterã quantum ad bona naturæ; alteram verò quantum ad gratiam & beatitudinem. Item opusculo 3. cap. 104. & 106. probat, finem vltimum esse visionem Dei, quia nunquàm quietatur naturale desiderium nisi Deo viso, iuxta illud Aug. 1. Confessio. cap. 1. Fecisti nos, Domine ad te; & inquietum est cor nostrum, donec reuertamur ad te. Quam rationem alijs septem roborat Diuus Thomas, 3. contra Gent. cap. 50. In omnibus enim istis locis loquitur de capacitate & potẽtia obedientiali, quam vocat naturalem, quia talis est ex parte subiecti. Quia tamen in multis his locis loquitur D. Thom. de inclinatione vel desiderio, vt de actu elicito; qua propter videtur non posse explicari solùm de capacitate, quæ non est actus elicitus, sed potentia passiua; Ideò adhibet Caietanus secundam explicationem, quòd vbi ponit desiderium vel inclinationem, vt actum elicitum, loquitur de desiderio cognitionis Dei, prout viribus naturæ haberi potest, vtique abstractiuæ. Et si dicas, quòd ex tali cognitione nihil probat D. Thom. sui intenti, de cognitione clara Dei: Respondetur ex dictis, quòd non probat euidenter, probat tamen congruenter. Tertiam explicationem adhibet Caietanus, quod non loquatur D. Thomas de homine secundùm se & ex puris naturæ, sed suppositа eleuatione Fidei ad finem supernaturalem, vt suprà explicatum est. Et si contrà dicas, quòd in illo loco. 3. Contra Gent. cap. 50 agebat contra Gẽtiles: ergo debebat procedere absolutè, & non suppositа Fide, quam ipsi negant: Respondetur, quòd contra Gentiles dupliciter potest agi; Vel arguendo contra ipsos ad extirpationem errorum; vel respondendo argumentis illorum contra nostram Fidem. Primo modo debet quis procedere per principia naturalia, nihil supponẽdo de Fide. Secundo tamen modo Fides debet supponi, & illa suppositа, respondere ad argumenta, ostendendo non repugnantiam; & hoc sufficit cum infidelibus; cũ fidelibus autem talis processus est demõstratio Theologica, quia suppositа Fide, per euidentem consequentiam sequitur: quòd ergo fideli est demõstratio, infideli est ostensio non repugnantię. Vnde iuxta hanc explicationem intelligẽdum est illud de desiderio naturali Angelorum; loquitur enim de illis viatoribus, & suppositа Fide ipsorum quam tunc habebant. Et si rursus instes, quia tunc tale desiderium solum esset in fidelibus; D. autem Thom. intendit illud assignare in omni creatura rationali: Respondetur, in omnibus reperiri, diuersimodè tamen, perfectiùs vel imperfectiùs, Confusiùs vel explicatiùs, iuxta explicationes assignatas: iuxta primam & secundam in omnibus, etiam infidelibus: iuxta secundam tamẽ, solùm in fidelibus perfectius reperitur. Sed tamen contra omnia prędicta remanet difficile argumentũ. Nam homo, viso Deo, quiescit appetitus eius: ergo naturaliter inclinabitur ad talẽ visionem. Consequentia patet, nã quies cõsequitur ad motum, & solùm habetur in termino motus; ergo illam quietem motus præcessit: ergo in Via motus & tendentia erat ad visionem claram. Respondetur primò iuxta tertiam explicationẽ, præcessisse motum & tendentiam per Fidem, non autem per vires naturæ; Vnde illa quies supernaturalis est, correspondens motui Fidei; non autẽ naturalis correspondens motui naturali. Secũdò respondetur, quòd visio clara quietat & satiat, quatenus continet eminenter rationem finis naturalis, cùm enim in visione reperiatur omne bonum, iuxta illud Exodi, 33. Ostendam tibi omne bonum, loquens de visione diuinæ essentiæ; reperitur etiam & illud bonum, quod viribus naturæ appetebatur; vnde in illa visione talis appetitum naturalis quietatur. Secundùm autem rationem supernaturalem & superexcedentem ad appetitum (de qua Esaias, Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis (hoc est desiderium) ascenderunt, &c.) quietat, sumendo quietem, nõ vt refertur ad motũ, sed vt quies dicit delectationẽ, quã nõ desideratã etiam potest habere, correspondentẽ solũ capacitati. Exẽplũ huius manifestũ est in humanitate Christi Dñi, quæ suppositata suppositо diuino quiescit: non quia ad huiusmodi vnionẽ haberet inclinationem naturalem, sed quia in suppositо diuino continetur eminenter perfectio suppositalitatis propriæ, ad quam humanitas Christi Domini naturaliter inclinabatur.

D. Aug.

1. Explic.

Obiectio.

Solutio.

3. Explic.

Obiectio.

Solutio.

Obiectio.

Solutio.

1. Solut.

2. Solut.

Exodi. 33.

Esaiæ.

Exemplum

Et hæc de hoc articulo & quæstione:

QVÆ-

QVÆSTIO IIII.

De his quæ ad Beatitudinem exiguntur.

ARTICVLVS I.

Vtrûm delectatio requiratur ad Beatitudinem.

Supra. q. 3. ar. 4. Cor. 2. dist. 33. a. 2 cor. & 4. d. 49. q. 3. a. 4. q. 3. & op. 3 cap. 107. 166 c. 8. â medi. c. 9. to. 5. c. 7. & 8. to. 5 q. 3. a. 8. c. 6 Lib. 6. ca. 5. tom. 5. c. 23 ante med. to mo 1.

AD Primum sic proceditur. Et videtur quôd delectatio non requiratur ad beatitudinem. Dicit enim Augustin. in primo de Trinitat. quôd visio est tota merces Fidei: sed id quod est præmium, vel merces virtutis, est beatitudo, vt patet per Philosophum in 1. Ethic. ergô nihil aliud requiritur ad beatitudinem nisi sola visio.

2. Præterea. Beatitudo est per se sufficientissimum bonum; vt Philosoph. dicit primo Ethic. quod autem eget aliquo alio, non est perfectè sufficiens; cùm igitur essentia beatitudinis in visione Dei consistat, vt ostensum est, videtur quôd ad beatitudinem non requiratur delectatio.

3. Præterea. Operationem felicitatis, seu beatitudinis, oportet esse non impeditam, vt dicitur in 10. Ethic. sed delectatio impedit actionem intellectus, corrumpit enim æstimationem prudentiæ, vt dicitur in 6. Ethic. ergo delectatio non requiritur ad beatitudinem.

Sed contrà est quod Augustin. dicit 10. Confess. quôd Beatitudo est gaudium de veritate.

Respondeo dicendum, quòd quadrupliciter aliquid requiritur ad aliud. Vno modo sicut præambulum vel præparatorium ad ipsum; sicut disciplina requiritur ad scientiam. Alio modo sicut perficiens aliquid sicut anima requiritur ad vitam corporis. Tertio modo sicut coadiuuans extrinsecus, sicut anima requiritur ad aliquid agendum. Quarto modo sicut aliquid concomitans, vt si dicamus quòd calor requiritur ad ignem; & hoc modo delectatio requiritur ad beatitudinem: delectatio enim causatur ex hoc, quòd appetitus requiescit in bono adepto: vnde cùm beatitudo nihil aliud sit quàm adeptio summi boni, non potest esse beatitudo sine delectatione concomitante.

Ad primum ergo dicendum, quòd ex hoc ipso quôd merces alicui redditur, voluntas merentis quiescit; quod est delectari; vnde in ipsa ratione mercedis redditæ delectatio includitur. Ad 1.

Ad secundum dicendum, quòd ex ipsa visione Dei causatur delectatio: Vnde ille qui Deum videt, delectatione indigere non potest. Ad 2.

Ad tertium dicendûm, quòd delectatio concomitans operationem Intellectus, non impedit ipsam, sed magis eam confortat, vt dicitur in 10. Ethicor. ea enim quæ delectabiliter facimus, attentiùs & perseueran tiùs operamur: delectatio autem extranea impedit operationem, quandoque quidem ex intentionis distractione; quia sicut dictum est, ad ea Ad 3. Cap. 4. to. 5 in solutione.

quibus

quibus delectamur, magis intenti sumus, & dū vni vehemēter intēdimus, necesse est quòd ab alio intētio retrahatur: quandoq; autē etiā ex cōtrarietate; sicut delectatio sensus contraria rationi impedit æstimationem prudentiæ magis quàm æstimationē speculatiui intellectus.

Conclusio est. Delectatio requiritur ad beatitudinem.

Conclusio D. Thom. est de Fide, vt patet ex illo Psalm. 15. Ad implebis me lætitia cum vultu tuo. Et Psalm. 149. Exultabunt sancti in gloria; lætabuntur in cubilibus suis. Et Psalm. 35. Torrente voluptatis tuæ potabis eos. Prouer. 10. Expectatio iustorum, lætitia. Matth. 15. Intra in gaudium Domini tui; Vbi magnitudinē gaudij insinuauit; non enim dixit, quòd gaudium intret in nos, quia gaudium non capit in nobis; sed nos in gaudium, quia nos quasi absorbemur à gaudio: & in hoc gaudio humano & carnali distinguitur; istud enim intrat in nos, quia parum, nec nos replet. Et Ioan. 16. Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Et rursus: Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Et 1. Petri 4. Communicantes Christi passionibus, gaudete, vt & in reuelatione gloriæ vestræ gaudeatis exultantes. Et cap. 1. dicit; Exultabitis lætitia inenarrabili. Item diffinita est hæc veritas in extrauaganti Benedicti relata à Castro de Hæresi. titu. Beatitud. hæresi 6. vbi diffinitur, animas beatas videre Deum & Deo frui: & Clementina Ad nostrum, de hæreticis, dicitur, requiri lumen gloriæ ad videndum & fruendum.

Psal. 15. & 149. & 35. *Prouer. 10.* *Matth. 15.* *Ioan. 16.* *1. Petr. 4.* *Et cap. 1.* *In extrauaganie Bene. dicti. Castro* *In Clementina.*

DVBITATVR I.

Vtrùm delectatio sit operatio appetitus, an verò solùm sit passio recepta in illo.

1. Argu. ET primò arguitur ad probandum quòd in appetitu rationali non sit delectatio. Nam Philosop. in 1. Rhetorico. dicit, quòd delectatio est motus quidam sensibilis: ergo tantùm est in sensu, & nō in voluntate. Item, delectatio est quædā passio; passiones autem ad appetitū sensitiuum pertinent, non ad voluntatem. Item, quia delectatio est communis nobis & brutis: ergo, non est nisi in sensu, qui communis est vtrisque; non autem in voluntate, quæ solius est hominis: si ergo delectatio non est in voluntate, frustra quæritur, Vtrùm sit operatio illius.

2. Arg. Secundò arguitur. Omnis actus volūtatis adæquatè diuiditur in volitionem, & nolitionem; sed neutrum horum est delectatio: ergo non est operatio voluntatis. Maior patet, quia omnis actus volūtatis, vel est fruitio boni, vel fuga mali: ergo omnis, vel est volitio vel nolitio. Minor autem probatur, quòd non sit volitio; nam volitio est amor, delectatio autem supponit amorem: ergo non est volitio. Quòd non sit nolitio, etiam patet; quia nolitio est fuga; delectatio autem est quædam adhæsio: ergo non est nolitio. Item patet eadem minor, nam volitio & nolitio reperitur in Deo, non tamen delectatio: ergo delactatio neutrum est.

3. Arg. Tertiò arguitur, delectatio in appetitu sensitiuo non est actio, sed passio recepta: ergo similiter in appetitu rationali. Antecedens patet in delectatione Gustus, quæ nihil aliud est, quàm quædam affectio receptam Gustu. Consequentia verò probatur, nam sicut delectatio sensus sequitur ad concupiscentiam sensibilem & operationem sensus; Ita delectatio voluntatis consequitur ad amorē & desiderium; ergo vtraque eodem modo se habet.

4. Arg. Quartò arguitur. Delectatio aut est quies in bono adepto, aut causatur ex adeptione. vt dicit D. Thom. & explicat Caietanus: sed nihil horum est operatio: ergo. Minor probatur, nam quies potiùs est cessatio ab operatione, & si consequitur ad quietem, multo minus erit operatio, sicut nec ipsa quies.

5. Arg. Quintò arguitur. Tristitia & dolor voluntatis, non est actus & operatio illius: ergo nec delectatio. Consequentia patet; nam cōtrariorum eadem est ratio. Antecedens verò probatur, nam tristitia est contra voluntatem, & de his quæ nobis nolētibus accidunt: ergo nō est actus & operatio voluntatis.

6. Arg. Sextò arguitur. Omnis actus voluntatis, sal-

tis, saltim in via, est liber quoad exercitium; quia actus magis necessarius, qualis est appetitus beatitudinis in cõmuni; etiam si quoad specificationẽ sit necessarius, tamen quoad exercitiũ est liber; sed delectatio necessariò sequitur, & non libere in voluntate: ergo nõ est actus eius. Et si hoc concluditur in Via, similiter in Patria, quia quãtũ ad hoc eadẽ est ratio. Minor verò probatur, tùm experientia; posita enim causa delectationis, v. g. in Gustu, necessario sequitur delectatio: Tùm etiam ratione, quia sicut diximus ex Augustino 14. de Ciuitat. cap. 15. tristitia est de his quæ nobis nolentibus accidunt, nec est in nostra potestate: similiter & delectatio, quia, vt dictum est, contrariorum eadem est ratio.

7. Arg. Vltimò arguitur. Delectatio cõsequitur ad operationem: ergo non est operatio. Consequentia patet, nam si consequitur, non est illud ad quod cõsequitur. Antecedens verò probatur ex Aristotele, 10. Ethic. c. 4. & ex D. Thoma infrà q. 13 ar. 1. ad 1. vbi ait, quòd hęc prędicatio, delectatio est operatio, non est secundùm essentiam, sed secundùm causam: ergo delectatio non est essentialiter ipsa operatio, sed quid consequutum, & effectus illius.

Scotus. In hac re Scotus in 1. dist. 1. q. 3. & in 4. dist. 49. quæst. 7. tenet. delectationem esse quendam motum receptum in voluntate ex prędentia boni non causatum ab ipsa voluntate, sed ab ipso obiecto, voluntate se habente solùm passiuè: & idem asserit de tristitia in 3. dist. 15. quæ. vnica. §. potest aliter dici, & in 4. distin. 49. q. 4. & 7. idẽ tenet Basolis, 1. dist. 1. q. 2. artic. 1. descript. 4. & Mayron ibidem quæstio. 2. & Victoria, etiam Richard. art. 2. q. 1.

Basolis. Mayron. Victoria. Ricar.

Gabriel. Gabriel in 1. distinct. 1. quæst. 3. art. 2. distinguit inter delectationem appetit? sensitiui, & voluntatis; & primã dicit esse passionem receptam in appetitu ab obiecto; secũdam autem esse operationem, ipsius voluntatis. Et ratio discriminis secundum ipsum est, quoniam delectatio appetitus potest esse de obiecto præsenti aliàs non concupito; delectatio autem voluntatis non est nisi de re amata, & medio prędente amore. Hanc etiam sequitur Ocham dist. 1. q. 3. ar. 2.

Ocham.

Alphonsus Toletanus. Alphonsus Toletanus eadem dist. 1. q. 1. ar. 2. distinguit de delectatione quæ habetur de ipsa operatione, & de illa quę habetur de obiecto. Primã dicit esse passionem: secundam operationem.

Not. D. Thom. Pro intelligentia nota ex D. Thom. infrà quæstio. 31. artic. 3. quòd hæc tria, Quies, delectatio, & Gaudium, habent se sicut superius & inferius. Quies enim dicitur de omnibus, etiam in sensibilibus, consequentibus terminum motus, & inclinationis; vt lapis dicitur in centro quiescere. Delectatio autem dicitur solùm de viuentibus secundùm appetitum sensitiuum. Gaudium autem solùm est in appetitu rationali, qui est voluntas: vnde gaudium includit delectationem & quietem, non autem è contrà. Gaudium autem quod ad volumtatem pertinet, etiam tribus nominibus solet appellari, videlicet Gaudium, lætitia, & fruitio, secundùm diuersam rationem. Si enim delectatio voluntatis est ad mensuram rationis, dicitur gaudium; si autem limites rationis excedit, diffunditurque exteriùs in vultu cum immoderatione, dicitur lætitia; vnde Stoici Philosophi obijcientes à sapiente passiones, permitebant illi gaudium, non lætitiam. Hoc docet Cicero in Tusculanis, cap. 4. Cùm ratione (inquit) animus mouetur placidè atque constanter, tunc gaudium dicitur. Cùm autem inaniter & effusè exultat, tunc illa lætitia gestiens vel nimia dici potest, quæ est animi elatio sine ratione: verum est, quòd in sacro Eloquio hæc differentia non seruatur; exuberantia enim gaudij cœlestis his nominibus indifferenter appellatur, vt patet Psalm. 15. Delectationes in dextera tua, vsque in finem. Et rursus, adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Et rursus, Exultationes Dei in gutture eorum. Et rursus, Exultabunt Sancti in gloria; lætabuntur in cubilibus suis. Et in Euang. de bono seruo, dicitur, Intra in gaudium Domini tui. Quando autem talis delectatio voluntatis est de fine adepto, vocatur fruitio.

Cicero. *Psalm. 15.*

Concl. 1. Prima conclusio. Delectatio nõ solùm reperitur in appetitu sensitiuo, prout homo conuenit cum brutis, sed etiam reperitur in voluntate. Hæc est D. Tho. in frà. q. 31. artic. 4. Et patet, nam delectatio sequitur ad apprehensionẽ boni; sed non solùm apprehenditur bonum per cogni-

tionem

tionem sensitiuam, sed etiam per rationem: ergo non solùm est delectatio in appetitu sensitiuo, qui regitur cognitione sensitiua, sed etiã reperitur in voluntate, quę regitur ratione. Cõfirmatur ex notabili posito; nam gaudium est inferius ad delectationem: ergo si in voluntate est gaudium, etiam est delectatio; immò delectationes rationis maiores sunt quàm delectationes appetitus sensitiui: nam si loquamur de delectatione quæ cõsequitur operationem, certum est, quòd delectatio quæ sequitur operationem rationis, est maior, quàm quę consequitur operationem appetitus sensitiui; sicut & ipsa operatio est maior & magis percipitur ab operãte, quia magis reflectitur supra proprios actus, quã appetitus sensitiuus: delectatio autẽ ipsius operationis fit quasi per reflexionem vnde etiam experientia patet, quòd magis vult carere visu corporali, quàm visu intellectuali, eo modo quo illo carẽt stulti, vel bestiæ, vt docet D. Augustin. in libris de Ciuitate. *D.Aug.* Si autem loquamur secundùm illas delectationes quæ ex obiectis desumuntur, etiam patet, quia delectationes rationis & spirituales sunt maiores, si considerentur tria quæ ad delectationem requiruntur, scilicet bonum coniunctum, & id cui coniungitur, & ipsa coniunctio: nam ipsum bonum spirituale & est maius quàm corporale bonum, & est magis dilectum; cuius signum est, quód homines etiam à maximis corporalibus voluptatibus se abstinent, ne perdant honorem, qui est bonum intelligibile, & spirituale. Id etiam cui coniungitur bonum spirituale, perfectius est, quia pars intellectiua est nobilior, & magis cognoscitiua, quàm sensitiua. Coniunctio etiã rationis cum suo obiecto, est magis intima & magis perfecta, & magis firma; intimior quidem, quia sensus sistit circa exteriora accidẽtia rei; intellectus verò penetrat vsque ad rei essentiam, quia obiectum intellectus est, quod quid est. Est etiam talis coniunctio perfectior, quàm coniunctio sensibilis, quia coniunctioni sensibili adiungitur motus, qui est actu imperfectus, vnde & delectationes sensibiles non sunt simul, sed in eis aliquid pertransijt, & aliquid expectatur consummandum; vt patet in delectatione ciborum, & venereorum. Intelligibilia autem sunt absque motu, vnde tales delectationes sunt totæ simul. Est etiam delectatio spiritualis firmior, quia delectabilia corporalia sunt corruptibilia, & citò deficiunt: bona verò spiritualia sunt incorruptibilia, & ideo permanent. Si autem apud nos delectationes corporales sunt magis vehementes, & faciliùs nos rapiunt, est propter tria. Primò, quia sensibilia sunt magis nota quoad nos. Secundò, quia delectatio sensibilis fit cum trãsmutatione quadam corporali, quod non cõtingit in delectatione spirituali, nisi aliquando per redundantiam à superiori appetitu in inferiorẽ. Tertiò, quia delectatio corporalis appetitur, vt medicina quædam cõtra corporales defectus; vel molestias, ex quibus tristitiæ quædam consequuntur: vnde delectatio corporalis superueniens ad tristitiam sentitur, & per consequens magis acceptatur quàm delectatio spiritualis, quæ tristitiã contrariam non habet.

Secunda conclusio. Delectatio voluntatis, est verè actus & operatio illius, sicut & delectatio sensus. Hæc est Diui Thomę infrà quæst. 22. artic. 3. ad 3. vbi ait, quòd amor & gaudium & huiusmodi licèt nomine passionum significentur, important tamen simplicem actum voluntatis: vt refert ex Augustino 9. de Ciuitate. Item tenet illam Diuus Thomas in hac quæst. art. 2. vbi dicit, quòd voluntas non quærit bonum propter delectationem: sic enim actus voluntatis esset finis. Et infrà quæstio. 11. dicit, quòd fruitio est actus volũtatis: in articulo autem 3. dicit, quòd delectatio de vltimo fine & fruitio, sunt idem. Et 1. cõtra Gent. cap. 9. expressè dicit, esse operationem: & 1. part. quæst. 64. artic. 3. Idem tenet Caietanus infrà quæst. 22. & quæst. 21. art. 4. & 1. part. quæstio. 64. artic. 3. & Conradus infrà quæst. 31. artic. 1. ad 1. & quæstio. 32. art. 1. Ferrara 1. cont. Gent. cap. 90. Immò extra scholam D. Thom. D. Bonauentura in 2. distinct. 2. quæst. 4. Gregorius in 1. distinct. 1. quæst. 2. art. 2 circa secundam conclus. Maior in 1. dist. 1. quæst. 6. Durandus in 1. distinct. 5. num. 7. Vazquez hic disput. 14. cap. 2. & 3. & etiam Arist. 1. Rhetori. c. 10. vbi definiens delectationem, ait: Est enim delectatio motus quidam animæ & constitutio tota simul & sensibilis in naturam existentem; motus autem animæ sunt operationes illius. Et 7. Ethic. cap. 2 & 3.

Concl. 2. *D.Thom.* *Caiet.* *Conrad.* *Ferrara.* *D.Bonauẽ.* *Greg.* *Maior.* *Durand.* *Vazquez.* *Arist.*

& 3.de anima,text.29 & text.53.& 54.
Salas. verum est,quòd Salas hic tract.2.disp.7
Vazquez. sect.& Vazquez loco citato, licèt teneāt nostram sententiam, dicunt tamē illā nō esse expressam D. Thom. & Arist. locis adductis, quia possunt habere explicationem quam ipsi adhibent. Illis tamen non obstantibus loca adducta sunt clara, & ratione.

Probatur conclusio. Primò, voluntas non mouetur nisi à Deo & à seipsa: ergo si delectatio est motus voluntatis, est ab ipsa volūtate. Antecedens est D. Tho.
Solut. infrà quæstio. 9. artic. 6. consequentia verò est manifesta. Nec valet solutio, quòd etiam mouetur ab obiecto; quia licèt moueatur ab illo finaliter, non tamen efficienter. Quod clariùs dicitur, licèt moueatur ab obiecto quoad specificationem, nō tamen quoad exercitium actus, sed hic à seipsa mouetur voluntas, quatenus libera est: ergo motus delectationis
Impug. quoad exercitiū est ab ipsa voluntate. Si rursus respondeatur, probabile esse, etiam obiectum concurrere efficienter ad exercitium actus, ex parte voluntatis, vt proponitur ab intellectu.
Solut. Contrà arguitur, quia hac sententia data, obiectum non est sufficiens, quod, sed tantùm quo, determinatiuum & constitutiuum voluntatis; ergo ad huc voluntas non mere passiuè se habet, sed actiue,
Impug. vt efficiens quod. Secundò probatur conclusio. Delectatio & tristitia (nam contrariorum eadem debet esse ratio) habent intrinsecam libertatem: ergo sunt operationes elicitæ à voluntate. Consequentia patet, nam principium libertatis est voluntas: ergo quod est intrinsecè liberum, à voluntate est, vt à causa efficiente. Antecedens verò proba
Corint. 7. tur, ex illo 2. Corinth. 7. vbi dicitur, esse magnum meritum in tristitia quæ est secundùm Deum; meritum autem libertatem importat. Item patet in contritione, quæ essentialiter est tristitia, & displicentia de peccatis, & actio libera: ergo similiter de delectatione sibi contraria dicendum erit. Quòd verò talis libertas sit intrinseca delectationi & tristitiæ, etiam patet, nam libertas extrinseca solùm est in alijs potentijs participantibus motionem voluntatis; intrinseca autem in illis quæ immediatè sunt à voluntate; hæc autem libertas non communicatur nisi per actionem & efficaciam ipsius voluntatis: si ergo delectatio habet intrinsecam libertatem tanquàm quid immediatè pertinens ad volūtatem, ideò erit, quia efficienter est à voluntate. Tertiò probatur. In omniū opinione delectatio non sequitur immediatè ad visionē, sed mediāte amore, ad quē consequitur; ergo necessario efficitur à volūtate. Patet cōsequētia, quia quod est causa causæ, est causa causati: si ergo delectatio causatur ab amore, ad quē consequitur; ergo necessario efficitur â voluntate, quæ est causa amoris. Quarto probatur; Delectatio est motus vitalis in appetitu: ergo producitur efficiēter ab ipso. Antecedens patet, quia, vt dictum est, in hoc distinguuntur quies & delectatio, quòd quies est etiam non viuentiū, delectatio verò solùm pertinet ad viuentia. Cōsequentia verò etiā est manifesta ex supradictis, quia necessariò debet esse (vt dictū est de motu vitali) à principio intrinseco vitali ipsius potentiæ. Quintò probatur. Delectatio est actio immanens: ergo producitur efficiēter à Voluntate in qua est. Patet cōsequētia ex differentia posita ab Arist. 1. Metaphys. inter actionē immanentē & transeuntē. Ex dictis sequitur, prædictā conclusionē, non solùm habere verū de delectatione quę habetur ex obiecto, sed etiā de delectatione quæ habetur de ipsa operatione. Similiter habet verū de delectatione quæ sequitur ad amorem amicitiæ Dei, & delectatione quę sequitur ad amorē cōcupiscentię, de quorū distinctione supradictū est; de omnib⁹ enim illis probant argumenta proposita, esse efficiēter à Voluntate, & non merè passiuè se habere in illis.

Ad primū argumentū à principio respondetur; in primis ad illud quod dicit, quòd delectatio est motus, ex D. Tho. in frà. q. 31. art. 1. quòd Arist. non loquitur de motu pro actu imperfecto, qualiter definitur in 3. Physicor. sed pro actu perfecto, qualis est intellectio & volitio: quod insinuauit ipse Arist. superaddēs, quòd delectatio motus est & constitutio tota simul: motus autē imperfectus non est totus simul, sed pars post partē, cū sit successiuus; motus autē intellectualis, de quo hìc, totus est simul, quia est operatio instātanea, & nō successiua. Verum est, quòd respectu delectationis appetitus sensitiui, præcedit etiā motus imperfectus, quia fit talis delectatio cū transmu-

Ad 1. arg. D. Thom.

tatione

tatione corporis, ipsa tamen delectatio etiam appetitus sensitiui motus perfectus & instantaneus est, & totus simul per se loquendo; delectatio autem Voluntatis nec formaliter, neque concomitanter importat motum successiuum, quia per se non fit cum transmutatione corporali: talis ergo motus perfectus in Voluntate poterit reperiri. In eo autem quod addit Arist. quòd delectatio est motus sensibilis, ponitur sensibile communiter pro quacumque apprehensione, prout omnis apprehensio & potentia viuentis sensus solet appellari. Vel dicendum (inquit D. Thomas) quod ibi tantum definiuit delectationem appetitus sensitiui. Ad illud autem, quòd delactatio est passio, respondet D. Thom. quòd prout delectatio dicit passionem secundum quòd importat transmutationem corporalem, tantùm est in appetitu sensitiuo, potest autem delectationem importare huiusmodi transmutationem & passionem, sed tantùm simplicem motum, & sic potest in Voluntate reperiri; sicut in Deo & in Angelis. Qua ratione dixit Philosophus 7. Ethicor. quòd Deus vna simplici operatione gaudet: & D. Dionysius in fine cœlestis Hierarchiæ, quòd Angeli non sunt susceptibiles nostræ passibilis delectationis, sed congaudent Deo secundū in corruptionis lætitiam. Ad illud autē, quòd delectatio est communis nobis & brutis: ergo tantùm est in appetitu sensitiuo communi vtrisque; respondetur, nō solùm communicare cum animalibus in delectatione sed vt dicit Dionysius loco citato, etiam homo est particeps delectationum Angelorum; vnde non solùm in appetitu sensitiuo, sed etiam in voluntate, in qua cum Angelis conuenimus, debet poni.

Philosoph. *D. Dionys.*

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum respondetur, delectationem esse volitionem, sicut & tristitia est nolitio: quando autem dicitur, quòd sequitur ad amorem & volitionem, ergo ipsa non est amor & volitio: Respondetur, sequi ad amorem strictè dictum, vt nominat peculiarem actū voluntatis; ipsa autem delectatio volitio est & amor largè sumptus, prout omnis actus voluntatis, prosequtiuus, & acceptatibus obiecti, amor dicitur. Quòd autē volitio & nolitio in Deo & Beatis reperiantur, non autē delectatio & tristitia, non probat, quòd delectatio & tristitia non sint volitio, & nolitio, quia volitio & nolitio sunt superiora ad delectationē & tristitiam; vnde potest esse volitio & nolitio, & non delectatio, vel tristitia: est ergo in Beatis volitio & nolitio, non autem tristitia, vtique vt cōtraria statui puri cōprehensoris. Dixi Puri comprehensoris, quia in Christo Domino, quia simul fuit Cōprehensor & Viator, simul fuit delectatio & tristitia, secundùm diuersum statū quē habebat, vt dicit D. Th. 3. p. q. 46.

Ad tertium iam patet ex dictis, quòd licèt delectationē appetitus sensitiui præcedat transmutatio corporalis, & quedā passio; ipsa tamen delectatio, actio quędā est, licèt nomine passionis soleat appellari, propter antecedentē transmutationē, & passionem prædictam: à fortiori ergo delectatio voluntatis erit operatio, quā trāsmutio corporalis & passio nō præcedit cōcomitanter ad ipsam, sed solùm poterit sequi ad illam per redundantiam. *Ad 3. arg.*

Ad quartū respondetur, quòd quies in non viuentibus est per cessationē motus & operationis, quia perfectio non viuentiū consistit in quiescere (hoc est, nō moueri.) Quies autem viuentium in operatione consistit, non in operatione quatendat ad bonū adquirendū, sed in operatione qua bene se habeat in bono adepto, quia perfectio eius consistit in mouere. Quiescit ergo lapis in centro, non se mouendo & operando; quiescit animal in bono adepto, per orationē delectationis in ipso bono. Verum est, quòd nomē Quietis, primò impositum est ad significandam cessationem motus in termino: translatū est autem per analogiā ad significandum delectationem in bono viuētium, quia sic se habet viuens per delectationem in termino, sicut non viuens per cessationem operis in illo. *Ad 4. arg.*

Ad quintū respondetur, negando antecedens. Ad probationē dicitur, ita prorium esse voluntatis amare bonum, sicut odire malum; & delectari in bono, sicut tristari in malo: vnde vtrumque est actus illius iuxta propriam naturā. Quādo autem dicitur, tristitiam esse de his quæ nobis nolentibus accidunt, non denotatur contrarietas tristitiæ ad voluntatem, sed obiecti tristitiæ ad voluntatem; tale enim obiectū cùm sit malum, cōtra voluntatem est: tristari autem de tali malo, & illud figure connaturale est volūti, vnde proprius actus illius est, & dele- *Ad 5. arg.*

ctatio & prosequutio boni, & tristitia & fuga mali: immò & ipsum nomen, fuga, motum & actionem recessus importat, & non solùm passiuè se habere.

Ad 6. arg. Ad sextũ respondetur, multoties delectationem voluntatis non esse liberam, sed necessariò habere illam, quia in delectatione se potest habere vt natura, & nõ vt libera, v.g. quando propositio & coniunctio boni est naturalis, & non in sua potestate, vt si ante deliberationem ex subreptione ei aliquod bonum approximetur; hoc enim multoties contingit ex intima coniunctione appetitus sensitiui ad voluntatem; nec tamen dicitur voluntas violentari, sed necessitari, quia hoc ipsum iuxta naturam eius est, vt proposito sibi bono, ante deliberationem necessariò delectetur, & tunc etiam talis delectatio operatio est, licèt necessaria, quia nõ solùm operatur vt libera, sed etiam vt natura; quia vtroque modo est potẽtia operatiua; aliquando autem operatio voluntatis libera est, quia licèt supposita causa & approximatione boni, necessariò sequatur delectatio, est tamen in potestate illius, tollere vel retinere talem causam, ex parte rationis: quia licèt multoties cõtingat, quod causa ex parte appetitus sensitiui remoueri non possit, bene tamen ex parte rationis, non consentiendo in talem motum appetitus. Bene enim stat motus in appetitu sensitiuo & delectatio illius, cum contradictione & pœnitudine; immò cũ tristitia voluntatis respuẽtis talem motum appetitus; vnde & id cadit sub consilio Prouer. 4. Ne læteris in sorte impiorum, & in hoc meritum vel demeritum reperiri potest. De hac ergo delectatione, cùm libera sit, non dubium quin sit actus Voluntatis.

Prou. 4.

Ad 7. arg. Vazquez. Ad septimum respondet Vazquez, dicens, quòd delectatio est duplex. Altera intrinseca & necessario concomitans quancũque operationẽ cõuenientẽ operanti, siue talis operatio sit rationis: vel appetit⁹, vel sensus; ista enim delectatio est quasi transcendens operationem conuenientem. Alia autẽ est delectatio propria voluntatis, supponens amorem, & consequutionẽ boni, de qua loquimur in præsenti: Ista quidem operatio quædã particularis est, distincta ab alijs; illa verò non est operatio, sed cõsequens operationem; & sic cõcordat vtrũq; dictum D. Thom. Isti tamẽ author supponit falsum fundamentum contra D. Thom. qui 3. p. q. 15. art. 6. dicit, dolorem formaliter tantùm esse in appetitu sensitiuo, in sensu verò Tactus solùm causaliter; vnde si apprehensio appetitus cessat, vt in extasi cessat etiam dolor; quia in Tactu tantùm est vt in causa: falsò ergo astruhit iste distinctionem positam, quòd in omni operatione conuenienti sit delectatio, quia etiam esse posset tristitia, cùm contrariorũ idem debeat esse subiectũ: quod tamẽ est contra D. Thom loco allegato. Et sic dicendũ, quod delectatio, sicut & tristitia solùm potest esse in appetitu sensitiuo, & in voluntate, & sic restat soluendum argumentum. Ferrara 1. cõtra Gent. c. 90 aliter explicat, dicens, quòd operatio sumitur dupliciter. Vno modo pro motu & tendentia in terminũ. Alio modo pro operatione quietis in illo. Prima operatio est desiderium; secunda verò delectatio; & secunda consequitur ad primam: consequitur ergo ed operationẽ, & ipsa delectatio est operatio. Sed neque hoc attingit mentem D. Thom. quia delectatio multum remotè cõsequitur ad desideriũ: mediant enim aliæ operationes; vnde de alia immediatiori, quàm de desiderio, debet intelligi propositio D. Tho. & aliter. Vera ergo explicatio est, quòd operatio sumitur dupliciter. Primò pro qualitercunq; elicita à potentia vel habitu. Secundò pro operatione proxime & immediatè elicita. Delectatio ergo est operatio primo modo, sed consequitur ad operationem secundo modo, quia delectatio non est operatio immediate & proxime elicita, sed mediante alia.

Impugn.

Explicatio Ferrara.

Reijcitur.

Vera explicatio.

DVBITATVR. II.

Vtrùm delectatio sit operatio realiter distincta ab actu amoris.

PRobatur quòd non. Primò ex Aug. 14. de Ciui. c. 4. vbi ait, quòd amor habens quod amat, est lætitia & 1. de Doctrin. Christiana, cap. 4. ait, quòd frui, est amore inhærere alicui rei. Et hoc ipsum insinuat D. Thom. art. 3. sequẽti, dicens, quòd ad beatitudinem tria requiruntur, scilicet visio comprehensio, & delectatio. Certum est autem ex artic. 4. quòd ad beatitudinẽ pertinet amor: ergo

1. Arg.

vel

vel coincidit delectatio cum amore, vel diminutus fuit in artic. 3. non numerando amorem.

2. Arg. Secundo arguitur. Amor est prosequutio boni: delectatio verò est quies in bono adepto: ergo non distinguuntur. Patet consequentia, nam in naturalibus eadem forma est principium tendendi & quiescendi in termino; vt grauitas in lapide; quia hæc est definitio naturæ tradita à Soto 2. Physicor. quòd sit principiũ motus & quietis, vtique, vt explicat Magister, quando motus ordinatur ad quietem.

3. Arg. Tertiò arguitur. Essentia & quidditas amoris includitur in actu delectationis: ergo non distinguitur realiter. Consequentia patet. Antecedens probatur, nã vt dicit Arist. 2. Rhetorico, amor est, vel le alicui bonum: sed hoc est de quiditate delectationis, in eo enim quòd de bono delectatur, clauditur velle illud sibi, vel alteri: ergo.

4. Arg. Quartò arguitur. Amor & delectatio habent idem obiectum, nempe bonum proprium: ergo non distinguuntur. Patet consequentia, nam differentia actuũ ex diuersitate obiecti debet desumi. Si respõdeatur, obiectũ esse diuersum, quia amor abstrahit à præsenti vel absenti; delectatio verò est de bono præsenti. Contrà arguitur. Ista differentia est accidentalis: ergo non diuersificat actum. Antecedens probatur, nam amor potest, esse de re præsenti: ergo non est differentia essentialis delectationis, nam si talis esset, neutiquam amori posset conuenire.

Solutio. Obiectio.

1 Sent. Gregor. Durand. In hac re est prima sententia Greg. in 1. dist. 1. quæst. 2. & Durand. eadem dist. quæst. 2. & Clarius in 4. dist. 49. quæst. 5. quòd amor & delectatio realiter sunt idem.

2. Sentent. D. Thom. Secunda sententia est negatiua, quòd videlicet sunt actus realiter distincti, quã tenent D. Thom. & omnes eius discipuli, vt infrà citabimus.

3. Sent. Vazquez. Not. Tertia sentẽtia est Vazquez hìc, disp. 14. c. 4. qui vtranque sententiam prædictam nititur conciliare. Pro cuius intelligentia notãdum, quòd amor sumitur dupliciter. Primò, in communissima quadam acceptione, secundũ quòd complectitur omnem actũ Voluntatis; qua ratione est idem quod volitio, in prima diuisione actus voluntatis; qui ex æquo diuiditur in volitionem & nolitionem. Secundo modo sumitur amor peculiarius, & minus communiter, prout diuiditur in amorem concupiscentiæ & amicitiæ. Vel tertiò sumitur, determinatè pro amore concupiscentiæ, vel determinatè pro amore amicitiæ. Hoc ergo supposito, dicit Vazquez, quòd delectatio certum debet esse apud omnes, & ita est, quòd non distinguitur realiter ab amore, in illa ampla prima acceptione, quia sic est quid inferius ad amorem. Non etiam distinguitur realiter ab amore communi & diuiso in amorem concupiscentiæ & amicitiæ, quia, vt patebit etiam ex modò dicendis, delectatio est inferior ad talem amorem. Facta autem comparatione delectationis ad amorem concupiscentiæ & amicitiæ, dicit, quòd delectatio distinguitur realiter ab amore amicitiæ, non autem distinguitur realiter ab amore concupiscentiæ: quia amor concupiscentiæ (inquit ipse) superior est ad desiderium & delectationem: non quòd desiderium & delectatio superaddant definitiones essentiales ad amorem concupiscentiæ: sed tantùm differentias accidentales, & diuersum respectum: amor enim concupiscentiæ, prout respicit bonum futurum, est desiderium, & prout respicit bonum præsens, est delectatio. Quòd autem delectatio potius identificetur cum amore concupiscentiæ, & sit inferior ad illum, quàm ad amorem amicitiæ, sic probat: Quia licèt delectatio coniungatur & inueniatur in amore amicitiæ, potiùs tamen dicendum est, quod delectatio pertineat ad amorem concupiscentiæ; quia in hoc distinguitur amor concupiscentiæ, & amicitiæ, quòd amicitiæ est circa personam cui volumus bonum; concupiscentiæ verò est circa ipsum bonum quod volumus nobis, vel alteri. Cùm ergo delectatio sit de bono concupito & adepto, non verò de ipsa persona cui volumus tale bonum, potiùs delectatio pertinet ad amorem concupiscentiæ, quàm amicitiæ.

Prima cõclusio. Delectatio distingui tur realiter ab amore, non vt amor cõmunissimè dicitur de omni actu voluntatis, sed prout est alterum membrum diuisionis actus voluntatis in amorem, desiderium, & delectationem. Hæc conclusio *Concl. 1.*

est D. Thom. infrà art. 2. & 3. & quæst. 25. art. 1. & q. 26. artic. 1. ad 2. & artic. 2. Capreol. in 1. ad 1 artic. 2. ad argumenta contra 3. concluſ. Scoti eadem diſtinct. quæſt. 3. & in 4. diſtinct. 49. quæſt. 7. Gabriel. quæſt. 3. art. 1. Richard. in 4. diſt. 49 artic. 3. quæſt. 5. & communiter tenent illam omnes Theologi. Et probatur primò, quia vt docet D. Thom. quæſt. 25. artic. 2. & quæſt. 27. artic. 4. Inter omnia quæ reperiuntur in voluntate, primum fundamentum eſt amor deinde eſt motus ad bonum amatum per deſiderium: tertiò, cùm tale bonum fuerit adeptum, eſt quies in illo, & delectatio, ſicut & in naturalibus contingit: primò enim lapidi ſuo modo placet & gratũ eſt eſſe in cẽtro; poſtmodum autem per motum & impetum tẽdit in illud: vltimò autem in centro quieſcit: ergo verè diſtinguitur amor à delectatione, tanquam primum fundamentum ab vltimo fundato. Secundo probatur, & confirmatur præcedens. Ratio amor eſt verè cauſa delectationis: ergo diſtinguitur realiter ab illa. Conſequentia patet, nam idem ſui ipſius cauſa eſſe non poteſt, Antecedens verò probatur, nam ideò aliquis delectatur de bono, quia illud amat: vt patet de auaro, qui ex eo delectatur in pecunijs, quia illas amat, & ceſſante amore pecuniarum, ceſſat & delectatio illarum: ergo delectationis vera cauſa eſt amor. *Solut.* Si reſpondeatur ex D. Thom. hìc, quòd quies in bono eſt cauſa delectationis, & nihilominus dicit D. Thom. quòd quies & delectatio ſunt idem: idem ergo poterit dici de amore & delectatione. *Impug.* Contrà tamen arguitur, quia quando D. Thom. dicit, ex eo delectari, quia quieſcit; non intendit ponere quietem cauſam delectationis, ſed idem, quia huiuſmodi modus loquendi communis eſt: dicitur enim quòd paries eſt albus, quia habet albedinem; cùm tamen idem ſint & eſſe album & habere albedinem, & vnum non ſit cauſa alterius. Similiter dicitur, Petrum currere, quia velociter mouet pedes; tamen vnum non eſt cauſa alterius, ſed idem: amor autem eſt vera cauſa delectationis, *2. Impugn.* vnde ab illa debet diſtingui. Vel ſecundo impugnatur cum Caietano hìc, nam quies quando eſt cauſa delectationis, ſimiliter diſtinguitur realiter à delectatione: ergo idem dicendum eſt in præſenti. Antecedens probatur, nam quies ſumitur dupliciter. Primò, pro termino motus & tendentiæ, nempe pro conſequutione boni intenti. Secundò ſumitur quies pro quadam operatione complacẽtiæ viuentis habitæ in bono conſequuto D. ergo Thomas non ponit vt cauſam delectationis ſecundam quietem, ſed primam; vnde delectatio licèt à ſecũda quiete nõ diſtinguatur, diſtinguitur tamẽ realiter â prima, cuius eſt effectus. Tertiò probatur concluſio. Amor & delectatio habẽt diſtinctũ obiectũ: ergo diſtinguũtur realiter. Conſequentia patet, nã diuerſitas actuũ ex diuerſitate obiectorum ſumitur. Antecedens verò probatur, nam obiectum amoris eſt bonum, abſtrahens à præſenti vel abſenti, delectationis verò eſt bonum præſens: ergo obiectũ eſt diuerſum. *Solutio.* Si reſpondeatur, illam diuerſitatem obiecti nõ eſſe realem, ſed tantùm formalem nam idem realiter eſt bonum abſens & præſens, quapropter ſolùm infertur diſtinctio formalis in amore & delectatione, non autem realis: *Impugn.* Contra tamen arguitur, quia, vt docet D. Thom. 1 p. q. 77. art. 2. non requiritur tanta diſtinctio in obiectis, ſicut in actibus, habitib⁹ & potentijs, ſed ſola diſtinctio formalis obiectorum ſufficit ad diſtinctionem realem actuum, habituum & potentiarum: de quo ad longum videatur Bañes ibidẽ. Vltimò probatur, nam ſæpiſsime reperitur amor ſine delectatione; ergo diſtinguuntur realiter. Conſequentia patet, quia hoc eſt euidens ſignum diſtinctionis, ſi vnum ſine altero reperiri poteſt. Antecedens verò probatur, in eo qui amando bonum, nondum eſt illud conſequutus, vt delectetur in illo. *Solut.* Si reſpondeatur, hæc etiam tantum probare diſtinctionem formalem, non realem; quia ſicut priùs poteſt eſſe fundamentum ſine relatione, & poſtmodùm aduenire relationem, non per nouam entitatem, ſed formalitatem, ita in præſenti amor præexiſtens, aduenientе conſequutione boni, tranſit in delectationem per aduentum formalitatis, non realitatis: *Impugn.* Contrà arguitur, quia licèt in alijs quæ ab extrinſeco deſumuntur, id contingat; in his tamen quæ ſumuntur ab intrinſeco, id non poteſt eſſe: vnde in huiuſmodi eſt efficax argumentum propoſitum, maximè verò in actibus vitalibus; actio enim delectationis ſuperueniens eſt actio vitalis & noua: ergo eſt noua actio poten-

tiæ.

tiæ. Patet consequentia, quia vitalitas in actu secundo nō est aliud quàm ipsa operatio potentiæ vitalis: ergo si est noua vitalitas delectatio superueniens, est noua actio voluntatis, non enim intelligitur formaliter delectari, nisi per formalem vitalitatem in actu secundo.

2.Concl. Secunda conclusio. Delectatio non solùm distinguitur realiter ab amore amicitiæ, sed etiam ab amore concupiscentiæ. Hæc est contra Vazquez: nobiscum tamen tenet Salas hîc tract. 2. disput. 7. *Salas.* sect. 5. in corolario vltim. sectionis. Prima pars ab illo conceditur, & patet nam obiectum vtriusque est diuersum, nam delectatio est de bono proprio, vt docet D. Thom. infrà, q. 32. art. 5. & 6. amor autem amicitiæ est de bono amici propter se ipsum. Secunda pars probatur eadem ratione. Amor concupiscentiæ habet diuersum obiectum â delectatione: ergo. Antecedens probatur, nam amor concupiscentiæ tendit in bonum proprium, vt abstrahit â præsenti vel absenti; delectatio verò respicit illud consequutum & *Solutio.* præsens. Si respōdeatur cum Vazquez, illam differentiam præsentis esse accidentalem, & tantùm superaddere nouū respectum, & sic non facere distinctionem realem. *Impug.* Contrà arguitur; tùm ratione vltima præcedentis cōclusionis, quòd ratio delectationis non est ratio extrinseca relata, sed ratio vitalis & intrinseca; vnde diuersificari per diuersitatē vitalitatis realiter est diuersificari. Tùm etiā arguitur ad hominē contra illū, nā delectatio amoris amicitiæ non aliter distinguitur, ab ipso amore, quàm per hoc quòd delectatio supponit consequutionem, amor verò amicitiæ abstrahit ab illa, & per hoc sufficienter ponit ille distinctionem realem inter delectationem & amorem amicitiæ: ergo eadem ratione sufficit ad distinctionem realem inter delectationem & amorem concupiscentiæ; nam prorsus eodem modo se habet delectatio amoris concupiscentiæ ad illum, sicut delectatio amoris amicitiæ, ad talem amorem. Nec potest dici, delectationem non esse cum amore amicitiæ, sed cum amore concupiscentiæ, vnde potest identificari cum isto, non verò cum illo. Non (inquam) potest dici, quia licèt, vt Vazquez ait, delectatio potiùs pertineat ad amorem concupiscentiæ, non tamen negat reperiri, & coniungi cum amore amicitiæ; immò id etiam docet in eo quod ait, quòd potius pertinet ad amorē concupiscentiæ: illud enim verbum. Potiùs, denotat in alio etiam posse reperiri.

Ad primum argumentum à principio, respondetur ex D. Thom. infrà, q. 25. artic. 1. ad 2. D. Augustinum intelligendum esse in sensu causali, vt patet ex contextu: addit enim Augustinus, quòd amor contrarius alicuius mali timor est; & si malum superueniat, est tristitia. Certum est autem amorem non identificari cum timore & tristitia, sed tantùm esse causam illorum. Et sic etiam intelligitur, 11. de Trinit. cap. 5. & 13. de Trinit. cap. 5 & 1. de Trinit. cap. 18. Ad locum D. Thomæ, respondetur, Diuum Thomam dixisse, illa tria reperiri in beatitudine, non autem quòd tantùm illa tria: vnde mansit ei locus postmodùm assignare quartum, nempe amorem. Vel dicitur, quòd tātùm numerauit illa tria, quia ibi tantùm intendebat assignare dotes correspōdentes virtutibus Viæ; istę autē sunt, visio, Cōprehensio, & Delectatio, nō autē Charitas vel Amor, sed est ipsa virtꝰ Vię, quia secundū Paulū Charitas nūquā excidit. *Ad 1.arg.* *Paulus.*

Ad secundum respondetur, aliud esse, loqui de qualitate quæ sit principiū motus; aliud verò est, loqui de ipso motu. Potest ergo vna qualitas esse eadē motus autē qui ab ipsa procedunt, diuersi. Argumentum ergo probat in naturalibus, quòd eadē est forma mouendi & quiescēdi; nō autē quod ipse motus & quies identificentur. Ad illud autē, quòd quies est terminus motus; motus autē cū termino identificatur, respondetur, quòd quies non est terminus, sed quid consequenter se habens ad terminū consequutū. Vel dicitur, illud habere verum in termino intrinseco motus, vt in calefactione, quæ idem est cum calore producto, non autē habet verum respectu termini extrinseci; vt patet indescensu lapidis, qui non est idem cum centro: delectatio autem Patriæ, terminus extrinsecus est motus in bonū quo delectatur. Vel tertiò dicitur, quòd amor non cōparatur ad delectationem vt motus ad terminum: sed potius vt actus perfectus ad actum secundum & minus perfectum; vnde amor est finis delectationis, & non è contra, vt suprà dictum est. *Ad 2.arg.* *2.Solutio.* *3.Solutio.*

Ad tertium respondetur, quidditatem *Ad 3. arg.*

amoris nullomodo claudi in quidditate delectationis. Quãdo autem Arist. dicit, quòd amor est velle bonum alicui; loquitur de bono, vt abstrahit à præsenti vel absenti, & sic velle bonum, nõ clauditur in delectatione, quæ determinatè dicit velle bonum præsens.

Ad 4. arg. Ad quartum bene ibi responsum est. Ad replicam dicitur, quòd quando amor est de re præsenti, non coincidit cum delectatione in obiecto, quia obiectum delectationis est determinatè bonum præsens, sine permissione absentiæ; amor autem taliter in præsens tunc fertur, quod absentiam non excludit, sed permittit.

DVBITATVR III.

Vtrùm delectatio sit actus elicitus ab habitu Charitatis.

Suarez. IN hac re solùm est nobis colluctatio aduersus Suar. qui 3. p. q. 7. art. 4. in principio cõmentarij, tenet, quòd in Patria delectio elicitur ab habitu Spei, quia licèt hæc virtus in illo statu non maneat quãtũ ad actũ primariũ, cùm ibi sit possessio, quæ obiecto primario Spei cõtrariatur; & vt habet Paulus, Quod quis habet, quid sperat? manet tamen (inquit) quãtũ ad actũ secundũ, quia tali actui visio clara nõ est cõtraria. Itaq; dicit, quòd in via quatuor sũt actus Spei. Primus est amor quo appetitur Deus obtinendus vt bonũ propriũ. Secundus est desideriũ illius boni. Tertius quo tale bonũ speratur. Quartus deniq; est delectatio de tali bono. Dicit ergo, quòd claræ Dei visioni cõtraria tur Spes, quantũ ad secũdũ & tertiũ actũ nõ autẽ quantũ ad primũ & quartũ: vnde quantũ ad istos duos actus potest spes in *1. Argu.* Patria manere. Hęc sententia probatur primò. Actus delectationis non elicitur in Patria immediate ab ipsa potẽtia, cũ sit supernaturalis quoad substantiam, & sic egeat habitu supernaturali eleuãte potẽtiã: sed nõ potest assignari alius habitus supernaturalis, quo mediatè eliciatur, nisi Spes: ergo. Probatur minor, nã si alius assignari posset, maximè Charitas: sed ista non: ergo. Probatur ista minor, nãde lectatio habet oppositionẽ ex parte obiecti ad Charitatẽ: ergo nõ potest elici ab illa. Istud antecedens probo, nã Charitas respicit bonũ alterius, delectatio autẽ respicit bonũ propriũ: ergo diuersa ratio formalis obiectiua & contraria est delectationis à Charitate.

Secundò arguitur. In Via amor concupiscentiæ & delectatio eliciũtur à virtute Spei, & nõ à Charitate: ergo similiter in Patria. Antecedens est D. Tho. 2. 2. q. 28. art. 2. ad 3. & patet ex illo Pauli ad Roman. 12. Spe gaudentes. Cõsequentia verò probatur, nã actus dicẽs ex natura sua ordinẽ ad aliquã virtutẽ, non potest elici *2. Arg.* ab alia. Si respondeatur, quòd Spes in Patria non potest manere; vnde assignanda est alia virtus, à qua delectatio procedat; & alia esse non potest affinior & proximior, quã Charitas; quapropter ab illa delectatio procedit. Cõtrà arguitur, quia licèt Spes nõ possit manere quãtũ ad actũ primariũ, potest tamen manere quãtũ ad actũ secundariũ, vt patet ex D. Th. 3. p. q. 7. art. 4. vbi ait, quòd licèt non maneat Spes, quæ est virtus Theologica, in Christo Domino, fuit tamen in illo Spes respectu alioquorũ quæ non dũ erat adeptus. Et 1. 2. q. 67. art. 4. ad 3. dicit, quòd in beatis manet Spes secundũ cõmunẽ Spei rationẽ & q. vnica de Spe, art. 1. ad 12. dicit, quòd Spes habet perfectionẽ cũ imperfectione, & quòd in Christo Domino fuit secundũ perfectionẽ, secluſa imperfectione, & art. 4. eiusdẽ quęstionis dicit, quòd beati licèt non habeant. Spẽ virtutẽ Theologicã, possunt tamẽ sperare aliqua ad se vel ad alios pertinentia: ergo bene potest manere Spes in Patria, quantũ ad actus secundos nõ importãtes imperfectionẽ, qualis est delectatio & amor cõcupiscẽtiæ. Itẽ impugnatur solutio, nã actũ secundũ cõsequutũ ad actũ primariũ alicuius virtutis, impossibile est sequi ad aliam virtutẽ: sed delectatio sequitur ad amorem cõcupiscentiæ, qui est proprius actus Spei: ergo non potest ab alia virtute quàm Spe elici. Minor patet ex D. Tho. 3. p. q. 7. art. 4. ad 3. vbi ex eo dicit, quòd delectatio quæ sequitur ad amorẽ amicitiæ, nõ potest elici ab alia virtute nisi à Charitate, quia amor amicitię est proprius actus Charitatis; ergo similiter de delectatione quæ consequitur ad amorẽ cõcupiscẽtiæ, qui est proprius actus Spei

Tertiò arguitur. Delectatio de Deo clarè viso, est præstantior præstantissimo actu Charitatis: ergo non potest elici ab illa tanquã actus secundarius eius. Patet cõsequẽtia, nã actus secũdarius nõ potest esse præstãtior actu primario habitus, à quo talis est secũdarius elicitur. Antece-

Solutio.

Impugn.

3. Arg.

dens

dens vero probatur ex D. Thom. infrà, q.34.art.3.vbi ait, quod fruitio de vltimo fine, est optimum bonum inter bona humana; actus autem Charitatis non est omnium optimus, quia melior est visio: ergo delectatio melior est actu Charitatis. Tum secundò, nam delectatio eandē bonitatem moralem habet, quā operatio cuius est delectatio, vt docet Caiet. loco modo citato: sed delectatio de Deo clare viso cōsequitur ad visionem; ergo eandē bonitatem habet sicut ipsa visio; cū ergo visio sit melior quocūq; actu Charitatis, similiter & delectatio. Nec potest respōderi, quòd hoc esset, si talis delectatio immeditè cōsequeretur ad visionē; sed quia nō cōsequitur nisi ad actū Charitatis immediatè non sequitur bonitatē visionis, sed bonitatē amoris, ac per cōsequens præstantior est amor, tanquā ad quē bonitas delectationis consequitur. Cōtrà hoc arguitur, nā gaudiū de aliqua operatione non elicitur nisi ab eliciēte talē operationē: sed illa delectatio est de visione: ergo nō elicitur nisi à principio eliciente visionē illā immediante. Antecedens probatur, quia, vt doceri solet infrà, q.61. delectatio quæ habetur in Patria, de actibus moralibus factis in Via elicitur ab ipsis virtutibus moralibus, à quibus ille actus, de quib⁹ habetur delectatio, fuerāt iliciti.

Solutio. *Impugn.* *4. Arg.*

Quartò fortitur arguitur. In beatis si talis delectatio non eliceretur à Spe, maximè quia ibi non est Spes, vtiq; tanquā repugnans illi statui: sed hoc est falsum: ergo. Minor probatur. In illo statu reperitur Donū Timoris: ergo Spes. Antecedens patet ex D. Th. 3. p. q. 7 ponēte tale Donū in Christo Dño, in quo esse, non posset si statui beatifico repugnaret cū ipse fuerit beatus ab instanti cōceptionis; qua ratione quæ beatitudini repugnāt, Christo negantur, vt Fides, v.g. Consequentia verò probatur. Posito obiecto timoris, ponitur obiectū Spei: ergo si potest esse Timor, etiam & Spes. Antecedēs istud probatur. Obiectum Timoris est malū arduū possibile euitari: sed eo ipso quòd tale malū sit arduum possibile euitari, bonū oppositum tali malo, etiam est arduum possibile obtineri; quia eadē est arduitas & possibilitas habendi bonum, quæ est euitationis mali; quia per euitationē mali habetur bonū, & per habitionē boni euitatur malū: sed obiectū Spei secūdū D. Thom. & veritatem est bonū arduū possibile habere: ergo ex positione obiecti Timoris, ponitur obiectum Spei: ergo & ipsa Spes; quia si à beatis excludi tur est defectu obiecti, vt infrà dicetur.

Notandum, quòd vt suprà dictum est delectatio est duplex. Altera de amore amicitiæ; altera verò de amore cōcupiscētiæ. In præsenti non dubitamus de delectatione amoris amicitiæ; hęc enim certū debet esse apud omnes, elici secundario à Charitate, à qua elicitur amor amicitiæ ad quē talis delectatio cōsequitur: sed dubiū procedit de delectatione consequuta ad amorē concupiscentiæ; cùm enim talis amor non appareat qualiter elici possit à Charitate, quia non habet rationē formalē talis virtutis; nam Charitas cùm sit amicitia respicit bonū amici propter ipsum; amor verò concupiscentiæ respicit bonū proprium; cōsequenter nō apparet, qualiter delectatio consequuta ad huiusmodi amorem eliciatur à Charitate.

Nota.

Prima conclusio. Delectatio Patriæ non potest elici immediatè à sola Volūtate absque aliquo habitu supernaturali. Hæc probatur nam talis actus est supernaturalis: ergo non potest elici à sola Volūtate naturali, quia inter potentiā & actū debet esse proportio. Si respōdeatur, quòd præsuppositō lumine gloriæ in Intellectu, & Charitate in Voluntate, perficitur Voluntas, vt se sola possit producere delectationē: Cōtrà arguitur, nam habitus Charitatis, vel influit in talem actū, vel non. Si primū, habetur intentū, quòd elicitur mediante Charitate. Si secundū, tunc voluntas eodem modo se haberet in ordine ad illum actū, ac si talem habitum nō haberet, nam etiā si potentiæ per coniunctionem talis habitus, etiā ipso non operante perficiatur in ordine ad connaturale obiectum, vt suprà dictū est, nō tamen perficitur in ordine ad obiectum supernaturale, nisi talis habitus cum potentia ad actū concurrat. Si respōdeatur, hoc probare de actibus supernaturalibus independentibus; quādo autē aliquid est supernaturale tanquā passio cōsequuta ad aliud, sufficit ponere principiū supernaturale respectu illi⁹ ad quē talis passio cōsequitur: talis autē est delectatio respectu visionis, & amoris; vnde posito principio supernaturali videndi & amandi, non est necessariū illud ponere vt delectetur: Cōtrà arguitur, nā amor cōsequitur vt passio ad visionem, & nihilominus ponitur

1. Concl. *Solutio.* *Impugn.* *Solutio.* *Impugn.*

principiũ ſupernaturale proximũ illius, nẽpe Charitas; ergo nõ ſufficit eſſe paſsionẽ, vt non aſsignetur ei principiũ ſupernaturale. *2. Impugn.* Vel aliter impugnatur, quia licèt hoc habeat verũ in paſsionibus reſultantibus per modũ qualitatis, non tamen in habentibus rationẽ actionis; nã ſi paſsio eſt actio, in ipſo principio actiuo debet poni proportio cũ illa. *3. Impugn.* Vel aliter impugnatur, quia licèt ſolutio aſsignata probet, ad paſsionẽ conſequutã nõ requiri aliud principiũ, quàm principium illius ad quod conſequitur; non tamen probat, quòd principiũ productiuũ eſſentię nõ debeat etiam cõcurrere ad productionẽ paſsionis: quapropter dicere quòd delectatio ſit paſsio cõſequens ad amorẽ, nõ probat eſſe à ſola Volũtate, ſed potiùs mediãte principio illius ad quod cõſeqitur, nẽpe mediãte Charitate, vt infrà dicetur.

2. Concl. Secũda cõcluſio. Delectatio in Patria non elicitur à virtute Spei. Hęc eſt cõtra *D. Thom.* Suarez: eſt tamen D. Th. in primis 1. 2. q. 67. art. 4. vbi inquirit, Vtrũ in Patria maneat Spes, & reſpondet negatiuè. Et ratio eius eſt huiuſmodi, Motus ceſſat interminoad quẽ, ſed Spes eſt quidam motus, quo tendimus in vltimũ terminũ, ſcilicet beatitudinẽ: ergo adepto tali termino, nõ manet Spes; nã aliàs moueretur & eſſet in termino ad quẽ. Item 2. 2. q. 18. art. 2. dicit, in beatis non manere ſpẽ, quæ eſt virtus Theologica, & ſic probat, quod deſtructa ratione formali obiecti alicuius virtutis, neceſſario deſtruitur ipſa virtus & ſoluitur eius ſpecies, quæ ex tali ratione formali deſumebatur: ſed in beatis nõ manet ratio formalis obiecti Spei: ergo neque ipſa Spes. Minor probatur. Obiectũ formale Spei eſt bonũ arduum poſsibile haberi ex auxilio Dei: ſed hoc nõ eſt reſpectu beatorum, ſed potius optẽtum & conſequutũ. Si autẽ aliquid remanet in eis obtinendũ, non eſt arduũ, ſed ſuppoſita beatitudine facile cõſequendũ: ergo. *Solutio.* Si reſpondeatur cũ Suarez, vt ſuprà, quòd ſpes habet multiplicẽ actũ; primũ, amorẽ concupiſcentiæ: ſecũdũ, actũ ſperandi beatitudinem: tertiũ, delectationẽ: ratio ergo ardui eſt ratio formalis & ſpecifica illius actus ſecundi; vnde talis actus non poteſt eſſe in beatitudine, quia ibi deficit arduũ: Hæc tamen ratio habet ſe materialiter in ordine ad obiectũ Spei: vnde talis habit⁹ ſine illa poterit cõſeruari in ordine ad illos duos actus, de quorũ ratione neque eſt futurũ, neque arduũ. *Impugn.* Cõtrà arguitur, nã actus primarius Spei, eſt ille actus ſecundus, nẽpe ſperare: primus autem habet ſe vt quid præambulũ & neceſſariò antecedens: tertius autem vt quid conſequutum; quia in tantum aliquid ſperatur, in quantum amatur vt bonum propriũ: ergo ratio formalis ſpecificatiua habitus, eſt ratio formalis illius ſecundi actus; quia ſpecificatio habitus per actum primarium cognoſcitur, ſi ergo actus primarius Spei eſt ille actus ſecundus, nẽpe ſperare, quod ſpecificat illum actũ, ſpecificat etiã & ipſum habitũ: immò ſi talis habitus elicit primũ & tertiũ actũ, eſt in ordine ad obiectũ ſecundi actus, quia quidquid elicitur ab habitu ſecundario, trahitur ad rationem formalẽ actus primarij. *Solutio.* Si reſpondeatur, quòd actus primarius Spei non eſt ſperare, nec in ordine ad talem actum eſt ſpecies talis habitus. *Impugn. 1.* Hoc peius eſt errare, quia virtus Spei ſumit denominationem ab illo ſecũdo actu; ergo & ſpeciem; quia non deberet denominari à minus principali. Item quia nullus vnquam aſsignat obiectum Spei, & non dixit eſſe bonum arduum poſsibile; ergo ſentitur hanc eſſe ſpecificationem talis virtutis. Et Ariſt. loquens de Spe quæ eſt paſsio, in hoc diſtinguit illam ab amore & deſiderio, quia ſpes eſt de arduo, nõ verò deſiderium, vel amor. Cùm ergo eadem debeat eſſe ratio proportionaliter de Spe Theologica, idẽ debet dici de illa. Itẽ quia ſi ſperare non eſt actus primarius Spei, ſed amor concupiſcentiæ: ergo iam ſpes in Patria manet quantũ ad actũ primariũ, & nõ tantùm quoad ſecundariũ; quod eſt cõtra ipſum Suarez. *Impugn. 2.* Item impugnatur, quia ſpes reſidet in parte appetitus, quæ eſt Iraſcibilis; ergo formaliter reſpicit arduũ. Patet cõſequẽtia, nã Iraſcibilis eſt circa arduũ: ergo & habit⁹ pertinens ad ipſam Iraſcibilẽ debet reſpicere arduũ; quia habit⁹ nõ poteſt ſubterfugere rationẽ formalẽ obiecti potẽtię cui⁹ eſt habit⁹: amor verò cũ pertineat ad cõcupiſcibilẽ ex propria ratione nõ reſpicit arduũ, ſed hoc reſpicit, quatenus trahitur vt fundamentum actus ſperandi; & ſic talis amor poteſt elici ab Spe, qui aliàs non pertinebat ad illã.

Item probatur concluſio ex eodem *D. Thom.* D. Th. 3. p. q. 7. ar. 4. qui huiuſmodi virtutẽ excludit à Chriſto Dño. Et ratio ei⁹ eſt, quia huiuſmodi virt⁹ importat imperfectio

fectionem oppositam beatitudini, quam Christus habebat; sicut & Fides; quia sicut ista est de non visis, ita illa de non habitis. Dicere autẽ quòd importat imperfectionem ex parte actus primarij, quod est sperare, non verò ex parte actus secũdarij, quod est delectari, nihil valet; quia etiã Fides licèt quantũ ad actum primariũ dicat imperfectionẽ non visi, non tamen quãtum ad actũ secundariũ, nempe euidẽtiã credulitatis Articulorum Fidei; & nihilominus non manet Fides in Patria ad huiusmodi actũ secũdariũ, sed euidentia Articulorum ibi habetur per lumen gloriæ: ergo nec manebit Spes ad actum secundarium, sed ille elicietur ab alio principio quod infrà assignabitur. Quod amplius explicatur, nã actus secũdarius nõ potest elici nisi mediante actu primario: ergo si in Patria spes nõ potest habere actum primariũ, neque secundariũ. Antecedens probatur, nam actus secundarius non dicit ordinem ad habitũ, nisi mediante primario: ergo non potest elici nisi illo mediante. Illud antecedens probo, quia actus secundarius non dicit ordinem ad habitum, nisi vt participat rationem obiectiuam illius: sed hanc non participat nisi vt coniungitur actui primario: ergo non dicit ordinem ad habitum, nisi mediante actu primario.

3. Concl. Tertia conclusio. Non est ponenda in beatitudine aliqua virtus specialis, quæ succedat loco Spei, ad producendam delectationẽ. Hæc probatur, quia talis virtus est innominata, neque potest assignari quæ sit illa. Item qua vt poneretur talis specialis virtus, debebat assignari speciale obiectũ moraliter distinctũ ab obiectis aliarũ virtutum moraliũ: siquidẽ constitutio & distinctio virtutis ex obiecto est sumenda: Sed tale non potest assignari: ergo. Patet minor; quia delectatio nõ dicit specialem moralitatẽ ab actu cuius est delectatio: sed non potest assignari specialis operatio, quæ nõ sit aliarum virtutum: ergo nec specialis moralitas, quæ faciat delectationẽ speciale obiectũ, respicere; nec potest dici, ab illa virtute tãtũ elici delectationẽ, & quòd ipsa sola elicia tur, esse speciale obiectũ specificãs speciãlẽ virtutẽ, non inquã potest dici, quia delectatio ex natura sua est actus secũdari, nec potest elici nisi alio actu mediante.

4. Concl. Quarta cõclusio. Delectatio in Patria elicitur ab habitu Charitatis. Hæc cõclusio probatur à sufficienti diuisione; nã in Patria est delectatio, & non elicitur à potẽtia nuda, neq; ab habitu Spei, neque ab alio habitũ succedẽte loco illius: ergo ab habitu Charitatis, quia non potest alius assignari. Secundò probatur. Amor est prima passio & primũ fundamentũ delectationis, vt dictũ est, & patet ex D. Th. infrà, q. 25. ar. 2. ad 4. ergo ab eodem elicitur delectatio, a quo elicitur amor: sed amor elicitur à Charitate: ergo & delectatio. Si respondeatur, amorẽ amicitiæ elici à Charitate; non autem amorẽ cõcupiscẽtiç, ad quẽ sequitur delectatio. Contrà arguitur, quia, vt inquit, D. Tho. 2. 2. q. 28 ar. 1. Etiã amor concupiscentiç elicitur à Charitate, quia amor cõcupiscẽtiç infallibiliter cõcomitatur amorẽ amicitiç; quia, vt ait D. Tho. infrà, q. 25. art. 2. qui amat amicum, vult illi bonũ: respectu ergo amici est amor amicitiæ; respectu autem boni concupiti amico, est amor cõcupiscentiæ; vterque ergo amor pertinet ad Charitatem. Si respondeatur, hoc probare de amore concupiscentiæ largè sumpto, & per similitudinem dicto circa bonũ concupitũ amico, & de delectationẽ illud consequente; non autẽ de amore cõcupiscentiç propriè dicto respectu proprij boni, & de delectatione illius; quia licèt amõri amicitiç cõiũgatur concupiscere bonũ amico, non autẽ coniungitur cõcupiscere bonũ propriũ ipsius amantis, immo illud excludit & postponit amicitiç amor: Contrà arguitur, quia, vt inquit D. Tho. 2. 2. q. 25. art. 4. non solùm proximũ, sed & nos ipsos possumus diligere ex Charitate, quæ amicitia est: ergo ex tali amore cõcupiscimus nobis beatitudinem, sicut & proximo, & cõsequenter etiã amori amicitiæ potest coniungi concupiscentia proprij boni, & sic talis amor proprij boni à Charitate elici; & cõsequenter delectatio talis boni: & sic intelligendus est D. Tho. 1. p. q. 60. art. 4. & de virtutibus, q. 2. ar. 3. ad 17. quando inquit, obiectum Charitatis esse beatitudinem; loquitur enim de obiecto concupito his quos ex Charitate diligimus, siue nobis, siue proximo. Si autẽ interroges; Quare ergo in Via amor cõcupiscentiæ elicitur à virtute Spei, si potest à Charitate elici: & si necessariò à Spe elicitur, quailter postmodùm in Patria ab alia virtute, nempe à Charitate, elici potest? Respondetur ex D. Tho. infrà, quæst. 60. ar. 4. aliquas esse ope-

D. Thom. *Solutio.* *Impug.* *D. Tho.* *Solutio.* *Impug.* *Quæstio.* *Solutio.* *D. Thom.*

operationes voluntatis, quæ non exposcunt peculiarem virtutem vt eliciantur, sed diuagantur per diuersas, secundùm quòd magis conueniunt, vel approximantur actui principali istius virtutis, quàm alterius: huiusmodi est amor & delectatio; pertinent enim ad illam virtutem, ad quam pertinet principalis actus, cuius obiectum amatur, & de quo delectatur. Verbi gratia, amor Castitatis, & delectatio de illa pertinent ad virtutem Continentiæ, cuius actus principalis est, actus castitatis, quem præcedit & subsequitur amor & delectatio: cùm ergo in Via actus principalis circa beatitudinem sit actus Spei, consequenter & amor & delectatio talis pertinent ad Spem, tanquàm quid antecedens & subsequens & concomitans actum principalem Spei; cùm autem in patria actus principalis Spei non sit cui possit coniungi amor & delectatio, refugiunt ad aliam virtutem, nempe ad Charitatem, vt concomitetur, vt quid præuium & subsequens actum illius, per quem Charitas requieuit in bono beatitudinis adeptæ. Verũ est, quòd cùm huiusmodi actus vagi transeunt ad alteram virtutem, induunt alteram rationem & speciem; quia cùm accessorium sequatur principale, pertinet ad illã speciem cuius est actus principalis, quem cõcomitantur; vnde amor & delectatio concomitantes actum Spei, induunt & pertinent ad rationem Spei, qui respiciunt bonum vt futurum arduum; quando verò concomitantur actum Charitatis in Patria, pertinent ad rationem Charitatis; quia respiciunt bonum vt præsens & obtentum. Tertiò probatur conclusio. Odium propriæ beatitudinis, & tristitia de illius consequutione, non opponuntur per se primò Spei: ergo amor & delectatio illius, non sunt actus Spei. Patet consequentia, quia peccata opponuntur per se primò illi virtuti, à qua eliciuntur actus, quibus immediatè contrariantur talia peccata. Antecedens autem probatur; nam odium opponitur Charitati, vt dicitur 2. 2. quæst. 34. & similiter tristitia Accidia, vt patet ibi, q. 35. Et confirmatur, nam Spei solùm opponitur desperatio & præsumptio, vt habetur. 2. 2. quæstio. 20. & 21. Odium autem & Accidia non sunt desperatio nec præsumptio. Videatur de hac conclusione Diuus Thomas 2. 2. quæstio. 26. artic. 3. ad 3. & q. 18. art. 2. ad 8. vbi explicat, qualiter sperare proximo beatitudinem; quod in via est actus Spei, in patria est actus Charitatis, & in 3. sent. dist. 27. q. 1. artic. 1. & ibi Capreol. conclus. 4. Caiet. 2. 2. q. 18. art. 1. & q. 35. art. 1.

D. Thom.

Capreol. Caiet.

Ad primum argumẽtum à principio, iam dictum est, qualiter delectatio à Charitate eliciatur. Ad illud autem, quòd amor concupiscentiæ habet distinctam rationem formalem obiectiuam à charitate: ergo non potest elici ab illa: Respondetur, amorem concupiscentiæ non distingui specie, ab amore amicitiæ, quia, vt ait D. Thomas q. 26. art. 4. hæc diuisio amoris non est in diuersos actus, sed in diuersam rationem eiusdem actus; quatenus enim terminatur ad amicum, est amicitia: quatenus verò ad bonum volitum amico, est concupiscentia: nec hæc diuersitas rationis formalis sufficit facere distinctionẽ specificam in eodem actu. Et si contrà dicas, quòd amor concupiscentiæ est vtilis vel delectabilis; hoc autem specificè distinguitur ab honesto, quod respicit amor amicitiæ: ergo & vterque amor inter se specie distinguitur. Respondetur ex D. Thoma q. 26. art. 4. ad 3. quòd amor cõcupiscentiæ est quid commune ad amorem honesti, vtilis, & delectabilis; vnde potest esse amor Cõcupiscentiæ, sine vtili, vel delectabili, sed tãtum honesti, vt cùm quis vult bonũ amico, maximè loquendo de amore cõcupiscentiæ per similitudinem & non de amore concupiscentiæ propriè sumpto. Vnde verum est quòd amor concupiscẽtiæ, de quo hîc loquimur, est boni vtilis & delectabilis, quia est de bono proprio, nempe de beatitudine sibi obtenta; quapropter specie debet distingui ab amore amicitiæ, qui est amor honesti. Vnde aliter respondetur ad argumẽtum, quòd actus distincti specie possunt ab eodem habitu produci, si non vterque immediatè & primò & per se tamen alter immediatè, alter verò mediatè & secundariò: vt intentio & electio, quæ specie distinguuntur, ab eodem habitu procedunt, licèt intentio primario, electio verò secundariò. Sic ergo in præsenti de prædictis actibus est dicendum, vtrumque à Charitate procedere, amorem quidem amicitiæ primariò, concupiscentiæ verò secundariò.

Ad 1. arg.

D. Thom.

Obiectio.

Solut. 1. D. Tho.

Solutio. 2.

Ad secundum argumentum, bene illi

Ad 2. arg.

respõ

respōsum est. Ad replicam dicitur, esse impossibile manere habitum, quantum ad actum secundarium, non manente primariò; quia cum species ex obiecto primarij actus desumatur, illo destructo, destruitur habitus; quia actus secundarius non dicit ordinem ad habitum, nisi mediante actu primariò. Quando autem D. Thom. dicit, manere in Patria actus secūdarius Spei, quantum ad rationem communem Spei; non intelligit, manere specificationem ipsius Spei, sed rationem cōmunem appellat rationem desiderij & futuri, licèt hoc intra alteram speciem, nempe charitatis, vt dictū est. Quod autem dicit, manere Spem in beatis, secluſa imperfectione, non intendit, manere essentiam Spei; quia cùm talis imperfectio sit de essentia illius; ablata imperfectione, aufertur & essentia. Dicitur autem, quantum ad perfectionem manere, quia quod perfectionis est in Spe, ibi manet, licèt in altero habitu eminentiori, vt est Charitas. Sicut & dicitur, quod perfectionis est Fidei, manere vtiq; in lumine gloriæ; non autem quia Fides maneat. Ad secundam impugnationem, dicitur, quòd quando actus secundarius alligatur præcisè actui primario alicuius virtutis, tunc non potest elici ab alia virtute, à qua talis actus primarius elici nō potest. Dictū est autem, amorem concupiscentiæ vel delectationem illius, esse ex genere diuagantium; vnde sicut in via coniungitur actui primario Spei, potest & in Patria coniūgi actui primario Charitatis. Vel. Secundò respondetur, non esse eandē rationem de alijs habitibus particularibus cōsideratis inter se, vel de alijs consideratis in ordine ad habitum Charitatis in Patria, licèt enim quod elicitur ab vna virtute, ab alia particulari elici non possit: bene tamē à Charitate in Patria, propter sui cōmunitatem & amplitudinem; quia quod in Via est bonum in communi, in Patria est bonum particulare, nempe Deus clarè visus, à charitate amatus: quapropter sicut in Via quidquid agitur à voluntate, agitur in ordine ad bonum in communi; ita in Patria quidquid agitur, agitur in ordine ad illud bonum particulare dilectum; & cùm illud sit proprium obiectum Charitatis, Charitas habet amplitudinem respectu omnium appetibilium in Patria, & sic quod ab alia virtute particulari elicitur circa illud obiectum, potest & elici à Charitate adæquatè respiciente tale obiectum. Vel. Tertiò respōdetur, quòd amor concupiscentiæ, vel eius delectatio, non elicitur à Charitate sub illa ratione formali, qua eliciebatur ab Spe; quia, vt dictū est, ab Spe eliciebatur. Vt futurū & arduū; à Charitate verò vt præsens & consequutum. Probat autē argumentū, quòd actus elicitus ab vna virtute, sub eadē ratione formali non potest elici ab alia; bene tamen sub ratione formali alterius virtutis, quod iam in rigore non est elicere eundem actum.

2. Solutio.

3. Solutio.

Ad tertium respondetur, quòd quādo D. Tho. dicit, delectationē esse optimū; non loquitur præcisè de illa per cōparationē ad alia; sed loquitur tāquàm de vltimo alia includēte & præsupponēte. Ad secundam impugnationem bene ibi responsum est. Ad replicam dicitur, quòd illa delectatio, non est de Deo clarè viso præcisè, sed de illo viso & amato; vnde nō debet elici immediatè à principio visionis, sed à principio delectationis. Ad confirmationē respondetur, quòd cùm aliæ virtutes sint in voluntate, possunt immediatè elicere delectationē, consequutā ad operationē illarū; non autem principiū visionis, nisi media charitate existente in voluntate; quia principiū visionis est in Intellectu, principiū autem proximū elicitiuum actus debet poni in eadē potentia cuius est actus: delectatio verò, vt est dictum, actus est voluntatis, & sic in illa debet poni principium proximum elicitiuum eius.

Ad 3. arg.

Ad quartū respondetur, nō habere vires in opinione Caietani. 3.p.q.7.ar.7. asserentis, obiectū Doni Timoris, non esse malū possibile, sed diuinā Maiestatem & excellentiā; vnde Donum Timoris non est nisi quędā reuerentia diuinę Maiestatis; timor autē qui est passio, respicit malū. In hac enim sententia nō currit argumentū. Suppositā tamen quā alij defendūt, etiā Doni Timoris obiectū esse malū possibile infligi à Deo; respondetur, malū specificatiuū Doni Timoris beatorū, esse malum possibile infligi à Deo secundū potentiā absolutā secundū quam potest illos, v.g. tradere in infernū: bonū verò possibile, quod est obiectū Spei, est possibile secundum legē ordinariā: vnde nō opponūtur, nec ex possibilitate vnius sequitur possibilitas alterius; ita vt exp o sitione Doni Timoris, inferatur positio

Ad 4. arg.

virtutis

virtutis Spei;immò Spes non solùm respicit possibile secundũ potentiã ordinariã,sed etiã ex præsupposita existimatione,respicit futurũ vt consequendũ. Quapropter deficiente apprehẽsione quòd tale bonũ sit consequendũ,inducitur desperatio:qui enim desperat, non apprehendit bonũ non possibile, etiam secundùm potentiam ordinariã,sed concipit nõ cõsequendũ:Timor autẽ non respicit futurũ & in re eueniendũ,sed imminens & possibile euenire,quapropter obiectum Timoris latiùs se habet,strictius verò obiectũ Spei;vnde ex timore beatorum nõ inducitur mœror neque afflictio,quia malum illius non solùm non apprehenditur vt futurum,sed potiùs apprehẽditur certò & infallibiliter non futurum:arguere ergo à bono possibili contrario obiecto Timoris,ad obiectum Spei,est arguere à superiori ad inferius affirmatiuè. Si autẽ quæras,ex quo habeat fundamentũ prædicta distinctio Spei & Timoris: Dico, quòd Spes cũ sit de nõ cõsequuto,ex propria natura oritur ex Fide, quæ duo habet,& esse obscuram,& directè & per se esse existentium,siue in præsenti,siue in futuro. Quapropter Paulus definiens Fidẽ,dixit,quòd est substãtia sperãdarũ rerum, &c. Spes ergo orta ex Fide existentiam futuram in obiecto debet respicere,& aliâs in illa quædam incertitudo & pauor debet miscri consequutionis; Donum autem Timoris non perse oritur ex Fide,sed meliùs ex clara visione omni potentiæ Dei,visio autem Dei clara non solùm est existentium, sed etiam possibilium,vnde etiam ad possibilia timor reuerentialis se extendit.

DVBITATVR IIII.

Vtrùm delectatio habeat pro obiecto proximo & immediato visionem beatificam;an verò Deũ ipsum.

1.*Senten.* IN hac re est prima sententia,proximũ & immediatũ obiectum, delectationis beatificę esse visionẽ; mediatum verò obiectũ esse Deum,secundùm quod est obiectũ visionis. Hanc tenet Durandus in 4.dist.49.q.5.& in 1.sent.distin.1.q.2.& idem dicit de Spe in 3.dist.27.q.4.

Durand.

1.*Argu.* Et probatur primò. Obiectum delectationis debet esse bonũ, propriũ illius qui delectatur,sed Deus est bonum propriũ beati ratione visionis: ergo illa est obiectũ immediatum delectationis. Maior patet,ex Arist.8.Ethic.dicente,quòd amabile bonum, vnicuique autem proprium. Et experientia patet,nam auarus non delectatur de pecunijs, nisi habeat; neque intemperatus de cibo, nisi comedat. Minor verò probatur,nam quod dicitur tale extrinsecè, importat aliquid intrinsecum in alio,ratione cuius extrinsecè dicatur tale; vt Medicina importat sanitatem intrinsecam animali, vt ipsa dicatur sana,& Sol importat calorem causatum intrinsecum frigescenti,vt illi Sol dicatur bonus;sed Deus extrinsecè dicitur bonum beati:ergo per aliquid intrinsecũ quod sit in beato, causatum ab ipso Deo:huiusmodi autem est visio:ergo ratione illius dicitur Deus bonũ propriũ beati. Secundo probatur eadẽ minor, nã aliqua res suppositò distincta ab alia, nõ potest illius esse bonum,nisi ei coniungatur per aliquã operationem, per quã dicatur talis res esse illius cui coniungitur:ergo cùm Deus suppositò distinguatur à beato,non potest esse bonum proprium illius,nisi ei coniungatur per aliquã operationẽ;huiusmodi est visio beatifica: ergo per illã fit Deus bonũ propriũ beati.

2.*Arg.* Secundò arguitur. Spes habet pro obiecto immediato visionẽ beatificã: ergo similiter delectatio in Patria. Consequẽtia patet,nam Spes est quidam motus, delectatio verò est quies in termino motus Spei:ergo si visio est terminus & obiectũ Spei,similiter & delectationis. Antecedens verò probatur,nã Spes, vt patet ex eius definitione,respicit Deum vt futurũ ex propria ratione formali,sed Deꝰ non habet rationem futuri nisi ratione visionis beatificæ:ergo ita est proximũ & immediatum obiectum Spei.

3.*Arg.* Tertiò arguitur. Tristitia dãnatorum habet pro obiecto immediato caretiã diuinæ visionis:ergo delectatio beatorum ipsam visionẽ. Consequentia patet, nam tristitia dãnatorũ & delectatio beatorum sunt contrariæ, & sic circa idẽ debent versari. Si respõdeatur, non esse eandẽ rationẽ vtriusque,quia cùm Deus secundũ se nõ sit malus, nõ potest specificare tristitiã,quæ circa malũ versatur:cùm autẽ secundũ se sit bonus,potest terminare delectationẽ quæ circa bonũ versatur. Con-

Solutio.

trâ ar-

Impugn. trà arguitur,quia ſicut ſecũdùm ſe Deus non eſt malus dãnato,ſed ſecũdùm quòd priuat illum ſua viſione;ita neque eſt bonus beato,niſi vt ei confert talem viſionem,vt probatum eſt in primo argumẽto:ergo par ratio eſt de vtroque.

4. Arg. Quartò arguitur.Delectatio ſumit ſpeciem bonitatis vel malitiæ, ab operatione quã conſequitur;vt patet ex Ariſt. 10 Ethic.c. 5. ergo operatio eſt proximum obiectũ ipſius delectationis. Patet conſequentia,quia,vt dicit D.Tho.infrà.q.18

Solut. ſpecificatio ab obiecto deſumitur. Nec poteſt reſponderi,ſpecificari delectationẽ ab operatione,vt à conditione,velut à cauſa efficienti; quia neutrum horũ tri-

Impugn. buit ſpeciem,ſed tantùm quod habet rationem obiecti & finis:ergo ſi ſpecificatur delectatio ab operatione, nempe viſione illam habet pro obiecto.

2. Sent. Secunda ſententia eſt huic oppoſita, quòd obiectũ immediatum & proximũ delectationis eſt ipſe Deus;viſio autẽ beatifica,eſt cõditio ſolùm ſine qua nõ. Hãc

Paludan. tenet Palud.in 4.diſt.49.art.2. Marſilius
Marſil. in 2.q.4.ar.2.Gregorius in 1.diſt.1.q.3.
Gregorius. Maior.q.5. Ocham.q. 4. & eam videtur
Maior. habere Caietanus 2.2.q.17.ar.5.Et pro-
Ocham. batur primò. Delectationis eſt obiectũ
Caiet. id de quo eſt operatio ad quã cõſequitur, verſantur enim circa idem:ſed obiectum operationis, videlicet viſionis, eſt ipſe Deus:ergo & obiectum delectationis.

2. Arg. Secundò probatur.Idem eſt obiectum Spei & delectationis,circa idẽ enim verſantur;Spes enim per modũ motus,delectatio verò per modum quietis:ſed immediatũ obiectum Spei eſt Deus:ergo & delectationis.Minor patet, nam de ratione virtutis Theologicæ eſt habere Deũ pro obiecto immediato. Si reſpondeatur,virtutem Theologicam reſpicere Deum vt obiectum principale;non tamen neceſſariò vt immediatum : Contrà arguitur, quia tunc ſequeretur, Religionem eſſe virtutem Theologicam,habet enim Deũ pro obiecto principali, licèt immediatũ ſit cultus Dei.

3. Arg. Tertiò arguitur. Cognitio reſpectu actus Voluntatis, non eſt ratio formalis, ſed tantùm cõditio, vt ſuprà dictum eſt: ſed viſio eſt actus Intellectus, delectatio voluntatis:ergo viſio tantùm eſt conditio delectationis,non autem ratio formalis,vel immediatum obiectum eius. Exẽplum clarum eſt in auaro ; certum enim eſt obiectũ ſuæ delectationis nõ eſſe cognitionem pecuniarũ, ſed ipſas pecunias.

Nota. Pro intelligentia notandum, quòd delectatio duplicẽ actũ poteſt cõcomitari; vel directũ,qui verſatur circa Deum; vel reflexũ,qui verſatur circa ipſum actum. De delectatione quidẽ concomitãte actũ reflexũ, certũ eſt nõ eſſe Deũ obiectũ illius,ſed operationẽ, quia cùm obiectum operationis,quã delectatio conſequitur, ſit etiá operatio,ſimiliter & obiectũ ipſi⁹ delectationis,quia obiectum delectationis non aliud poteſt aſsignari, niſi vel operatio quam conſequitur,vel obiectum talis operationis:cùm autẽ vtrunq; iſtorũ ſit operatio, reſpectu delectationis operationis reflexæ,nulli dubiũ quin talis delectatio operationis reflexæ, ſit de operatione vt de obiecto proximo & immediato. Delectatio autẽ quæ operationẽ directam concomitatur, adhuc eſt duplex;alia cõcomitans amorẽ amicitię;alia verò concomitans amorẽ cõcupiſcentiæ. De priori delectatione non dubiũ quin principale obiectũ & immediatum ſit ipſe Deus;quia cùm amor amicitiæ reſpiciat Deum ſecundùm ſe, & bonã Dei vt Dei,& non vt noſtrum;cõſequenter delectatio quæ naturã talis amoris debet ſapere,debet tendere,vel in Deũ,vel in bonũ Dei,vt Dei;& ſic principaliter & immedatè debet Deũ reſpicere vt obiectũ. Si autem reſpicit & attingit aliquod bonum creatũ, hoc eſt ſecundariò & minus principaliter in ordine ad Deũ. Hoc dixerim,quia licèt amor amicitiæ vel delectatio illum concomitans, poſsint etiam attingere viſionẽ Dei,illud nõ eſt vt bonum noſtrum,ſed vt bonum Dei cedens in gloriam eius : vnde obiectum principale Deus eſt ipſe. Quod autẽ habet difficultatem eſt de amore concupiſcentię, & delectatione conſequuta ad ipſum; nã cùm huiuſmodi amor non reſpiciat bonum vt Dei,ſed vt noſtrum: bonum autem noſtrum ſit viſio,vel Deus per viſionẽ,videtur quòd immediatũ & proximũ obiectũ talis amoris & delectationis, ſit ipſa viſio Dei, Deus autẽ vt mediatũ & ſecundarium terminans talem viſionem.

Concluſio. Cõcluſio ſit.Obiectũ delectationis cõcomitantis,& cõſequutę ad amorẽ concupiſcẽtię,eſt Deus viſus.Itaq; nec eſt Deus ſolus,nec viſio ſola,ſed ex vtroq; fit vnũ obiectũ proximũ & immediatum;quòd explicatur nomine dicto,Deus vt viſus.

Conclu-

Conclusio est communis Thomistarum,
Capreolus Capreoli in 1. dist. 1. q. 1. art. 2. con. 5. &
ar. 3. ad argumenta contra tertiã conclus.
Conrad. Lorca. Conradi hic, & Lorcæ; immó etiam te-
net illam Vazquez disput. 15. cap. 3. &
Vazquez. Salas. 4. & Salas hic tract. 2. disp. 7. sect. 6. Hæc
probatur primô. Obiectũ delectationis
est vltimus finis hominis; sed vltimus fi-
nis importat Deũ, & visionem simul, sci-
licet Deũ visum: ergo tale est obiectum
D. Thom. delectationis. Minor patet ex D. Thom.
supra, q. 2. ar. 7. & q. 3. ar. 1. & infrà. q. 11.
ar. 3. ad 3. vbi dicit, vltimum finẽ duo im
portare, & rem ipsam, & consequutionẽ
eius; quod aliter dicitur, & finem qui, &
finem quo; & vtrunque dicit non ponere
re in numero, sed adæquatum vltimum
finem vtrunque importare, & esse Deũ
visum. Confirmatur, delectatio respicit
vt obiectum bonũ consequutum; sed ob
iectũ consequutũ, vtrunq; dicit, & rẽ, &
consequutionẽ rei: ergo vtrunq; est bo-
nũ eius immediatũ. Maior probatur ex
D. Tho. D. Tho. infrà q. 32. ar. 1. & 2. Et ratione,
nam delectatio est quies in vltimo fine;
vnde intrinsecè importat consequutionẽ
eius: quandiu enim non intelligitur con
sequutum, non intelligitur obiectũ quie
tis, sed motus & tendentiæ. Et patet exẽ
plis, nã cibus, vt delectet, in vsu mastica-
tionis debet esse; & pecunia in possessio-
ne; vnde vsus & passio nõ ponunt in nu-
mero, cum cibo & pecunia ad delectan-
dum: ergo similiter de bono vltimo. Se-
cundò probatur conclusio. Si propter ali
quam rationem Deus non esset obiectũ
immediatum, maximè quia mediat visio,
vnde ipsa visio erit immediatius obie-
ctũ; sed hæc ratio est nulla: ergo. Probo
minorem. Primò, quia hoc haberet verũ,
si ad inuicem fieret comparatio visionis
ad Deũ: sed vt dictum est, non comparan
tur vt distincta, sed vt faciunt idẽ, Deus
vt quod, visio autem vt quo: ergo nulla
est repugnantia, vt Deus & visio simul
faciant idẽ obiectum immediatũ: Secũdò
probatur eadem minor, & confirmatur,
præcedens probatio; nam licet in agenti
bus mediet principiũ quo agendi, & ip-
sa actio; nihilominus dicuntur immedia-
tè agere in effectum, quia principiũ quo,
non ponit in numero cũ agente quòd; er
go similiter dicendũ est de fine interme-
dio. Antecedens istud patet, in igne cale-
faciente aërem media calefactione & ca-
lore; qui tamen dicitur immediatè calefa
cere aërem. Consequentia verò patet, nã
sic se habet finis interminando, sicut agẽs
in agendo. Hæc ratio aliquibus non pla-
cet. Vnde si respondeatur cum Vazquez *Solut. Vaz.*
hoc probare de ipsa finalizatione, quòd
ipsa non tollat immediationem finalizan
di ipsius finis, sicut neque actio tollit im
mediationem agẽdi ipsius agentis; nõ au
tẽ probat de visione, nam ipsa non est fi-
nalizatio finis: ergo quod visio mediet,
tollit immediationem terminandi in fi-
ne: Contrà arguitur, quia nos non poni- *Impug.*
mus paritatem in eo quod mala intelligẽ
tia Vazquez præsumit; concedimus e-
nim, visionem non esse finalizationem;
dicimus tamen, quòd est principiũ quo
finis finalizat; vnde in hoc ponimus parĩ
tatem, quòd sicut ex parte agentis prin-
cipium quo, siue sit actio, siue quælibet
alia forma, non tollit agens agere imme-
diatè; ita ex parte finis quod se habuerit
vt quo, siue sit finalizatio, siue quodlibet
aliud requisitũ ad finalizandũ, nõ tollit
immediatã rationem finalizãdi. Cùm er
go secũdùm D. Tho. vt dictũ est, visio sit
finis quo, non debet ponere in numero
cũ ipso fine qui. Et si respondeatur, visio *Solut.*
nẽ non esse principiũ quod finalizandi,
sed tantùm conditionẽ; quia apprehẽsio,
vt suprà dictũ est, non est ratio formalis
finalizandi, sed tantum conditio: Contrà *Impugn.*
arguitur; quia licét apprehensio, vt puta
cognitio tantùm sit cõditio; tamen vt ap
prehensio & consequutio, est ratio forma
lis; quia bonũ terminans appetitũ, nõ est
bonũ vtcunq;, sed consequutũ: quãdo er
go bonũ consequitur manu vel altera po
tentia, tũc cognitio tantũ est conditio ap
petendi; quando autẽ ipsa cõsequutio bo
ni fit per Intellectũ, ipsa cognitio, vt cõse
quutio, est ratio formalis, quia, vt dictũ
est, obiectũ appetitus est bonũ vt conse-
quutũ; Dato autẽ vt interueniret solùm
vt conditio, adhuc non tollebat immedia
tionẽ, sed bene poterat annumerari cũ ip
sa re finalizante, vt simul immedatè dice
retur, vtrunq; terminare; quia hoc patet
in Fide, & Charitate; dicitur enim, quôd
Fides innititur immediatè diuinæ verita
ti, licèt mediet vel reuelatio, vel auxiliũ,
vel aliud se habens vt cõditio ex parte In
tellectus; quia omnia hæc annumerãtur
ex parte diuinæ veritatis, vt quid neces-
sarium ad terminandam Fidem: & simili
ter de Charitate, quæ multa exposcit
media ad diligendum, & nihilominus di
citur

citur immediatè esse de diuina bonitate.

Argument. Sed contra prædictam conclusionem & fundamentum eius, est argumentum; nam si Deus est obiectum quod, visio autem vt quo, sequitur, Deum esse obiectū materiale, visionem verò formale, & sic specificationem delectationis sumi à visione, non verò ab ipso Deo, quia specificatio à formali, non à materiali desumitur. Respondetur, quòd cùm principium quo nō ponat in numero cū quod, immò principiū quod, includit ipsum quo, non dicēdū est specificare quo, & non quòd; sed quod specificat formaliter & absolutè, est ipsum quod, licet vt includit quo. Itaq; nō potest negari quin specificatio oriatur ab ipso quo, tamen nō specificat quo, sed quod: sicut licèt existentia dimanet à forma, & mediante illa suppositum existat, tamen existentia non est formæ, sed suppositi; licet vt habentis formā; nō autē est incōueniēs, Deū habere rationē termini ab aliquo creato, vt à principio quo, dū ipse sit quod, quia hoc non ponit in Deo aliquam perfectionē à creatura, sed solùm respectum rationis.

Solut.

Dubit. Restat tamē resoluendū, vtrùm debeat dici obiectum delectationis, aliquid creatum vel increatū, cùm ex parte quod, sit increatum, ex parte verò quo, sit aliquid creatū, vt dictū est. Respondetur tamen, absolutè dicendū esse, esse aliquid increatū; quia denominatio potiùs debet sequi principiū quod, quam, quo; maximè in terminis cōnotatiuis supponentibus pro supposito, & non pro forma. Sicut v. g. in igne, & est principium quod calefaciēdi, scilicet ignis, & principium quo, scilicet calor: dicitur ergo causa calefactionis, non calor, sed ignis. Similiter obiectum scientiæ & habet rationem quæ, & subqua; non tamen dicitur quòd est obiectum ratio subqua, sed ratio quæ: vt nō dicitur obiectū Metaphysicæ abstractio ab omni materia, sed ens abstrahens ab omni materia. Similiter, si verum est quod aliqui dicūt, quòd ratio subqua, obiecti scientiæ, tantùm ponit in obiecto aliquid rationis; obiectum v. g. Methaphysicę, dicitur ens reale, licèt ratio subqua, sit aliquid rationis; & in Theologia habemus optimum exemplum, nā principium quo agendi actiones humanas in Christo Domino, est aliquid creatū nempe humanitas, vel eius potentię; quia tamen principium quod, est aliquid increatum, nempe suppositum diuinū, ideò absolutè dicitur, quòd operans tales operationes est aliquid increatum. Sic ergo in præsenti, cùm ratio quę, in obiecto delectationis, nempe Deus, sit aliquid increatum, licèt ratio subqua, nempe visio, sit aliquid creatum, absolutè dicendū, est obiectū delectationis esse aliquid increatū. Nec est eadē ratio de beatitudine, nam licèt beatitudo importet aliquid creatū ex parte intellectus, & aliquid increatū ex parte obiecti, dicitur absolutè aliquid creatum, quia per se supponit pro beatitudine formali; pro obiectiua autē, quæ aliquid increatū est, non supponit nisi in obliquo, quia tātùm importat illā vt terminū beatitudinis formalis: obiectū autem, vel finis, vel causa, in recto supponit pro ipso Deo & ratione quę; pro ratione autem qua, in obliquo; vnde absolutè dicendū est aliquid increatum, quia tale est pro quo in recto supponit. Et si contrà dicas, quia malum ex quocunque defectu, bonū autem ex integra causa: ergo licèt importetur in obiecto delectationis aliquid increatum, quia tamē etiam importatur aliquid creatū, ex hoc desumitur denominatio: Respōdetur, illud principiū habere verū, quādo duo, v. g. cōcurrunt, & vtrunq; potest denominare, alterū secundū esse imperfectum, alterū verò secū dùm esse perfectum; tunc denominatio consurgit ex imperfecto; non autem in præsenti ita contingit, quia, vt dictū est, esse creatū vel increatū, nullo modo sumitur à principio quo, sed à supposito & ratione quæ; nam creatio ad illam terminatur, & non ad principium quo.

Responsio.

Obiectio.

Solutio.

Ad primū argumentum primę sententiæ respondetur, probare, non esse obiectū delectationis Deum præcisè & secundùm se, sed vt visum, vt nos concedimus, quia sic est aliquid coniunctum nobis, & bonū proprium nostrū, nō autē probat, esse obiectum immediatū, ipsam visionē præcisè, quia, vt dictū est, illa non ponit in numero cum eius obiecto in ratione vltimi finis, in quo quiescit per delectationem.

Ad 1. arg.

Ad secundū respondetur, obiectū spei non esse beatitudinem, sed ipsum Deum beatificantem; vnde beatitudo in obliquo respicitur ab Spe; sic ergo dictū est de obiecto delectationis.

Ad 2. arg.

Ad tertiū bene ibi responsum est. Ad replicā dicitur, quòd cùm Deus non possit in-

Ad 3. arg.

sint intelligi intrinsecè malus etiã nobis, sicut & bonus, ideò non est eadem ratio. Verum est, probare argumentum, quòd cùm, Deus non sit bonus nobis nisi media visione, ideò non esse obiectum delectationis secundùm se, sed vt visum, vt dictum est. Secundò tamen melius respondetur cum Caietano 2.2.q.17.art.5. non esse eandem rationẽ de delectatione beati, & tristitia damnati; quia beatus operatur rectè damnatus peruersè; quapropter beatus primò delectatur de Deo, secũdùm se, vt de amico; secundò de Deo, quatenus est bonum proprium; tertiò per actum reflexum de ipsa visione. Dãnatus verò è contrà, primò & per se tristatur de carentia visionis, quæ opponitur delectationi reflexæ, secundariò autem de reliquis habet tristitiam: Immò cũ obstinati sint in malo & in odio Dei, non tristantur tristitia opposita delectationi de Deo secundùm se, cùm & tristari de amissione talis boni secundùm se, aliqualis esset amicitia; sed solùm tristantur de amissione proprij boni.

2. *Solutio.*

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur, probare, visionem esse principium quo specificandi, quia tamen non est quod, vt dictum est, non dicenda est visio obiectum immediatum, sed Deus vt visus.

Ad 1. argu. Ad primum secundæ sententiæ respõdetur, probare, obiectum visionis & delectationis esse idem, non tamen sub eadem ratione nam visionis obiectum est Deus vt in se; delectationis autem, Deus vt visus.

2. *Sent.*

Ad 2. argu. Ad secundùm respondetur, quòd licèt obiectum immediatum Spei sit Deus, non tamen secũdùm se, sed vt videndus; & ita delelectationis non est Deus secundùm se, sed vt visus. Nec est eadem ratio de religione, nam hæc immediatè & primò & per se, respicit cultum Dei; Deum autem tantùm in obliquo, & mediate; & ideò non est virtus Theologica, nam hæc immediatè, debet Deum respicere; nõ tamen est necessarium respicere illum secũdùm se & non in ordine ad nos.

Ad 3. argu. Ad tertium patet ex dictis, puram intellectionem esse tantùm conditionẽ; quando autẽ intellectio est consequutio boni, est ratio formalis & obiectiua; quia obiectũ appetitus est bonũ consequutum.

DVBITATVR VLTIMO.

Vtrùm delectatio visionem beatificam necessariò consequatur.

1. *Sent. Scotus.*

IN hac re est prima sententia Scoti in. 1 dist. 1. q. 4. §. negatiua istius Articuli, asserentis, beatum liberè se habere respectu delectationis, ita vt ab illa possit cessare pro suo libito. Et fundamentum Scoti est, quòd delectatio consequitur ad amorem: vnde cùm Scotus teneat, amorẽ etiã in beatitudine procedere liberè a beato, cõsequẽter & delectationẽ; quia ablato primo, aufertur secundũ quod ad primum consequitur. Hanc sententiam sequitur Ocham.

Ocham. 2. *Sentent.* *Henricus.* *Ægidius.* *Goddofred.*

Secunda sententia est in alio extremo, quam tenet Henricus quodlib. 11. q. 2. Ægidius quodlib. 5. q. 6. Goddofredus quodlib. 1. q. 2. apud Capreolum 4. d. 49. q. 2. art. 3. ad 5. contra primam conclusionem; isti enim asserunt, sic necessariò delectationem esse coniunctam beatitudini vt visioni Dei, vt etiam per potentiam absolutam eius separari non possint. Licèt enim realiter distinguantur, est tamẽ talis connexio inter visionem & delectationem, vt separari nequeant; quòd si talis connexio fit, non statim sequitur, ex duobus realiter distinctis, vnum ab alio posse separari.

3. *Sent.* *Gabriel.*

Tertia sentẽtia est media, quam tenet Gabriel in 4. d. 49. q. 6. §. de tertio dubio; dicit enim, quòd licèt delectetio contingenter & liberè se habeat ad beatum ex natura rei; tamen ex Dei voluntate & ab extrinseco impeditur ne possit à tali delectatione cessare. Recolendum tamen, quòd cùm Gabriel suprà asseruerit, Beatitudinem etiam essentialiter includere delectationem, non loquitur hìc de ista quæ ad essentiam Beatitudinis pertinet, sed de alia quæ à voluntate beati elicitur; nam prima secundùm ipsum producitur à solo Deo in voluntate beati, ipsa se habente passiuè; & sic non est in potestate illius cessare vel non cessare ab illa.

4. *Senten.* *Holcot.*

Quarta sententia est etiam media, quã tenet Holcot in suis determinationibus, quæst. 9. art. 2. distinguit enim de visione, quòd alia potest esse minima, alia maior & perfecta. Si loquamur de secunda; necessitatur

ceſsitatur videns Deum ad delectationem. Si autem de prima, minimè: quia cum prima poteſt ſe compati error, & exiſtimare ſibi eſſe conueniens ceſſare à tali delectatione, ne in perpetuam incidat miſeriam. Item ad delectationem requiritur præcedere viſionem. Poteſt ergo eſſe requiſita tanta viſio, vt ſi ſit minor, à delectatione poſsit ceſſare; immò à Deo poteſt imponi præceptum talis ceſſationis, & per obedientiam, ſtante quacunque viſione, ceſſabit beatus à delectatione: quia in beato inobedientia eſſe non poteſt.

Not. 1. Pro intelligentia quæſtionis notandũ eſt. Primò, quòd ſi loquamur de facto, de Fide tenendum eſt, in beatis non deficere delectationem, ſed illam perpetuò in illo felici ſtatu durare; vt manifeſtè probant loca ſacræ Scripturæ ſuprà adducta, vbi agebam, vtrùm in delectatione conſiſteret eſſentia beatitudinis. Et inſuper probatur 1. Petri 1. Parata reuelari in tempore nouiſſimo, in quo exultabitis. Et capite 4. Vt in reuelatione eius gaudeatis exultantes. Et Apocalypſis 21. Non erit amplius neque luctus, neque clamor. Eſai 65. Gaudebitis & exultabitis vſque in ſempiternũ in his quæ ego creo: non audietur vltra vox fletus, vox clamoris. Et cap. 66. Videbitis & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra quaſi herba germinabũt. Et Prouerbio. 10. Expectatio iuſtorum lætitia. Et ad longum oſtendit hoc D. Auguſt. 14. de Ciuitate, cap. 9. & libro 2. ad Catechumenos, cap. 11. & 10. Confeſsio. cap. 25. Reſtat ergo ſolùm examinandum, vtrùm ita ſint coniuncta ſolùm ex rectitudine voluntatis beati, quòd licèt poſsit, non tamen vult à delectatione deſiſtere. Vel vtrùm non deſiſtere, proueniat ſolùm ex parte Dei, qui non vult beatum deſiſtere. Vel vtrùm non deſiſtere, proueniat ex naturali connexione vtriuſque. Et dato ſit talis naturalis connexio, vtrùm ſit talis, quòd etiam per potentiam Dei abſolutam diſſolui non poſſit.

1. Petr. 1. & c. 4.
Apoc. 21. Eſai. 65. & c. 66.
Prouer. 10
D. Aug.

Not. 2. Secundò notandum eſt, quòd cùm in beato ſit triplex, vel quadruplex amor: primus Dei ſecundùm ſe, qui eſt amor amicitiæ: ſecundus Dei vt bonum noſtrum, qui eſt amor concupiſcentiæ; & tertius amor ipſius viſionis: & quartus amor creaturarum; ſiuè iſti amores realiter diſtinguantur, ſiue ſolùm formaliter, vt veritas habet; inde eſt, quòd delectatio etiam eſt quadruplex; quia delectatio ſequitur ad amorem, & ſolùm diſtinguitur inter ſe, ſicut ipſe amor, vtique formaliter; & alia ratio eſt delectationis amicitiæ, & alia concupiſcentiæ. Hic ergo non quærimus de delectatione conſequuta ad amorem creaturarũ, quia ſicuti amor eſt liber, ita & delectatio ad talem amorẽ conſequuta. Quærimus ergo de delectatione cõſequuta ad amorem amicitiæ, ſicut ad amorem concupiſcentiæ, quo volumus Deum vt bonum noſtrum, vel amamus ipſam viſionem Dei.

Prima concluſio. Delectatio ſequitur ex natura rei, & non pendet ex libertate beati, ſed neceſſariò ſequitur ad viſionem & amorẽ, ſiue loquamur de delectatione conſequuta ad amorem amicitiæ, ſiue de conſequuta ad amorem concupiſcentiæ. Hæc eſt D. Th. hìc. & 3. contra Gen. c. 62. (vbi videatur Ferrara) Illam etiam docet 2.2.q.28. per totam, vbi oſtendit, gaudiũ de bonis diuinis eſſe fructum Charitatis, & ſumit argumentũ à fortiori, quod Paulus ad Rom. 12. docet, ſpem beatitudinis inferre gaudium ex natura ſua, dum dicit: Credentes autẽ exultabitis lætitia inenarrabili: quanto ergo magis poſſeſsio in Patria cauſabit gaudium? Iſta concluſio eſt communis Thomiſtarum. Illam tenet Capreolus 1.d.1.q.3.art.1.concl.4. & 5. Immò extra Scholam Diui Thomæ eſt communis contra Scotum & Gabrielem, & nobiſcum tenent omnes authores ſecundæ ſententiæ, cùm dicunt, etiam de potentia abſoluta non poſſe ſeparari, à fortiori tenentur dicere eſſe coniunctam ex natura rei, nec eſſe poſitam in beati libertate. Et ratione probatur. Primò, nam delectatio conſequitur ad amorem neceſſariò, vt etiam concedit Scotus: ſed ſic eſt, quòd amor, tam amicitiæ, quàm concupiſcentiæ, ſequitur neceſſariò ad viſionem: ergo de primo ad vltimum, etiam delectatiõ neceſſariò conſequitur ad viſionem. Minor nõ eſt hìc probanda, ſed manifeſtabitur infrà in hac quæſtione. Secundò probatur, nam ex eo beatus non poteſt ceſſare pro ſua libertate à viſione & amore, ſed neceſſariò videt & amat, quia in viſione & amore nulla apparet ratio mali, nec in ceſſatione poteſt apparere aliqua ratio boni, ſed eadem eſt ratio de delectatione: ergo eodem modo neceſsitabitur ad illam; quę ratio eſt D. Thom. infrâ, q.5. art.5. Tertiò etiam probatur ratione D. Tho. hic, nam ex natura

1. Concluſ.
D. Tho.
Ferrar.
Rom. 12.
Capreol.
D. Thom.

rei quodlibet naturale adepto suo fine quiescit,vt lapis adepto centro : ergo cùm finis hominis sit Dei visio, illa habita, & hoc fine consequuto, ex natura rei erit, quòd beatus quiescat in tali fine adepto. Dictum est autē,in homine idem esse delectationem,quod in alijs rebus est quies. Ex quo sequitur,quòd etiam si Deus possit suspendere auxilium, vt non sequatur delectatio, vt statim dicemus : hoc tamen erit præter naturam rerum,nam iuxta rerū naturam Deus non potest tale auxiliū subtrahere, cū talis delectatio habeat etiā rationem præmij,& secundùm legem subtrahere tale auxilium, esset pœna, quæ sine culpa non debet infligi beato incapaci culpæ,vt infrà dicetur.

2. *Concluſ.* Secunda conclusio. Talis est coniunctio & consequutio delectationis ex natura rei ad visionem,vt per potentiam Dei separari possint,& esse visio sine delectatione,tam consequuta ad amorem amicitiæ, quàm concupiscentiæ. Ista est comunis Thomistarum;immò & extra Scholam D. Tho.illam tuetur Scotus & eius sequaces, contra Henricū. Si enim Scotus cōcedit, consequutionem esse liberam,à fortiori tenetur dicere, per potentiam Dei separari; nulla enim apparet repugnantia huius separationis, vt diuinæ potentiæ denegetur. Et ratione probatur,nam visio & delectatio sunt entitates realiter distinctæ, ad quarum quamlibet concursus Dei est distinctus:ergo stante concursu Dei ad primam entitatem, poterit non concurrere ad secundam; nec potest assignari aliqua necessaria dependentia,ratione cuius licet realiter distinguantur,non possit non cōcurrere ad vnam,concurrēdo ad aliā;quia licèt posterius dependeat à priori, prius nō depēdet â posteriori: quapropter licèt infrà dicatur,delectationem aliquo modo nō posse esse sine visione,nunquā tamē dici poterit,ꝙ visio habēs rationem prioris, non posset esse sine omni delectatione. Si respōdeatur cū Henrico,quòd licèt visio & delectatio inter se nō habeant mutuā & necessariā dependentiā,vtraque tamē dependet ab eodē obiecto causante & mouēte,quapropter ex parte obiecti necessariò cōnectūtur:Cōtrà arguitur,quia licèt obiectū vtriusq; sit idē,hoc tamen est secundū diuersam rationē, & ratio terminandi visionē nō dependet â ratione terminādi delectationē:ergo etiam ex parte obiecti nō est necessaria cōnexio,vt visio nō possit esse sine delectatione.Si autē interroges, in hoc casu si videns & nō gaudēs diceretur beatus;Respōdetur,quòd esset beatus secūdū essentiā,licèt nō esset beatus vt beatitudo dicit statum omnium bonorum, cùm deficeret hoc maximum bonum. Et si rursus interroges, absolutè quid esset dicendus,beatus simpliciter,vel solum secundū quid: Respondetur, quòd non diceretur simpliciter & perfectè beatus defectu delectationis,nec etiam diceretur beatus secundū quid;quia licèt deficeret aliquid ad perfectā beatitudinem, remanebat quod principalius est in beatitudine. Sicut puer nō dicitur perfectus homo,non tamen ex hoc dicitur homo secundū quid; quia esse tale secundū quid,est tantū habere accidētia & nō substantiā talis rei;vnde dicendus esset essentialiter beatus, & perfectè beatus perfectione essentiali.

Obiectio. *Respon.* *Obiectio.* *Respon.*

Tertia cōclusio. Delectatio amoris amicitiæ beatorū de potentia absoluta, immò de potētia ordinaria,potest reperiri sine visione;delectatio tamē cōsequuta ad amorē cōcupiscētiæ,nō potest, etiā de potētia absoluta,esse,nisi visio beatifica presuppona tur. Pro cuius declaratione notādū est,ꝙ visio potest dupliciter cōparari ad actū Volūtatis. Primò ex parte potētiæ, quatenus nihil volitū quin præcognitū; quia operatio Volūtatis est vitalis,& vitalitas eius est radicaliter ex intellectu; vnde nisi ex cognitione operari nō potest, siue cognitio cōcurrat vt cōditio,siue formaliter,siue efficiēter. Secundò potest cōparari visio ad Volūtatē ex parte obiecti,quia vel est obiectum,vel pars obiecti, vel ratio formalis obiecti,& obiectū quo,licèt nō quod. Visio ergo cōcurrit primo modo ad amorē & delectationē amicitię,quod obiectū est Deus secundū se. Secūdo autē modo concurrit visio ad amorē cōcupiscētiæ & delectationē consequutā ad ipsum,quia amor cōcupiscētiæ & eius delectatio respiciunt vt obiectū Deū, vt visum & vt bonū nostrū. Hoc ergo suppositō,cōclusio est manifesta;cū enim visio non pertineat ad obiectū amoris amicitiæ nec delectationis eiꝰ, poterit esse talis amor & delectatio sine tali visione,solū posita intellectione supernaturali ex parte Intellectus; vt posita Fide, potest esse amor & delectatio eadem, immò maior, quàm in beato : & sic dicitur, quòd Charitas Viæ & Patriæ sunt eiusdem rationis, non solùm quoad habitum, sed etiam quoad actus proportionatos.

3. *Conclu.* *Not.*

Solutio. *Impug.*

tionatos. Cum autem visio pertineat ad obiectum delectationis consequutæ ad amorem concupiscentiæ, sicut non potest actus obiecto destructo consistere, ita nec delectatio destructa visione terminante talem delectationem. Si autem quæras, vtrùm talis delectatio habita ex Fide, possit esse ita intensa, sicut habita ex visione: Respondetur, quòd vtrunque potest dici, & affirmatiuè, quia, vt patet in materia de Charitate, Charitas potest esse ita intensa in Via, sicut in Patria. Et etiam potest dici negatiuè, quia licèt amoris actus possit esse ita intensus sicut in Patria, delectatio tamen non ita, quia sunt multa impedimenta delectationis, & quæ potius iuuant ad tristitiam; quæ tamen non sunt impedimenta amoris, ad quem delectatio consequitur. Vtrùm autem delectatio sine omni visione, immò in re insensibili possit poni in ratione qualitatis: Respondetur, de hoc iam dixisse suprà generaliter de omni actione vitali, hoc esse impossibile, & quòd si per possibile vel impossibile poneretur in alia potentia, in qua non esset amor ad quem consequitur ex sua natura, esset in illo veluti in lapide, nec tali qualitate diceretur frui aut delectari.

Obiectio. *Respons.* *Obiectio.* *Respons.*

Ad fundamentum Scoti non est hîc respondendum, sed infrà tractabitur, vtrùm beatus necessitetur ad amorem, an verò liberè eliciat ipsum.

Ad fund. Scoti.

Ad secundam sententiam respondetur, quòd illi non probant esse talem connexionem necessariam inter visionem & delectationem, vt per potentiam absolutam non possint separari; vnde posita distinctione reali inter vtrunque, quandiu manifesta repugnantia non apparet, non est hoc denegandum diuinæ potentiæ.

Ad 2. sentent.

Ad tertiam sententiam respondetur, iam patere qualiter ex natura rei visio & delectatio connectantur, ita vt de potentia ordinaria separari non possint. Vnde inseparabilitas non est ex beneplacito Dei, sed potius beneplacitum peculiare & miraculosum esset requisitum ad separationem.

Ad 3. sent.

Ad quartam sententiã respondetur, supponere multa falsa: dicimus enim, quòd per visionem, quantumcunque minimam, videt quis Deum summum bonum: & frui Deo, esse summam delectationem quam potest habere: vnde stante visione, nunquam potest apprehendere vt bonum, cessare â delectatione. Ad illud autem de præcepto, si imponeretur à Deo, beato, vt cessaret à delectatione, Ferrara loco citato dicit, quòd in illo casu cessaret beatus; quia non potest beatus vno obedire Deo: vnde explicat Diuum Thomam, quòd loquatur secundum cursum ordinarium, quando dicit, non posse cessare â delectatione: non autem loquitur in hoc peculiari casu. Sed certè sententia Ferrariæ non potest sustineri: quapropter dicendum est, esse impossibile imponi à Deo tale præceptum, quia esset obligare ad impossibile. Quod posset Deus, est, reuelare beato, quòd ipse vellet auferre ab illo lumen & visionem, & quòd hac via desineret in eo esse delectatio; & tunc beatus, quia in omnibus Dei voluntati conformatur, subderetur per humilitatem & subiectionem Dei ordinationi; stante tamen visione, nunquàm posset à delectatione cessare.

Ferrar.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in beatitudine sit principalior visio, quàm delectatio.

AD secundum sic proceditur. *Videtur quòd delectatio sit principalius in beatitudine, quàm visio. Delectatio enim, vt dicitur in decimo † Ethicorum, est perfectio operis: sed perfectio est potior perfectibili: ergo delectatio est potior operatione Intellectus, quæ est visio.*

Sup. art. 1. & locis ibi notatis.

Cap. 4. â medio, to. 5

Secundò præterea. Illud propter quod aliquid est appetibile, est potius: sed operationes appetuntur propter delectationem ipsarum;

sarum ; vnde & natura in operationibus necessarijs ad conseruationem individui & speciei , delectationem apposuit , vt huiusmodi operationes ab animalibus non negligantur : ergo delectatio est potior in beatitudine , quàm operatio Intellectus, quæ est visio.

Tertiò præterea . Visio respondet Fidei ; delectatio autem siue fruitio Charitati : sed Charitas est maior Fide , vt dicit Apostolus primæ ad Corinthios 13. ergo delectatio, siue fruitio, est potior visione.

Sed contrà . Causa est potior effectu : sed visio est causa delectationis: ergo visio est potior quàm delectatio.

Respondeo dicendum , quòd istam quæstionem mouet Philosophus in decimo † Ethicorum , & eam insolutam dimittit . Sed si quis diligenter consideret , ex necessitate oportet quòd operatio Intellectus , quæ est visio , est potior delectatione : delectatio enim consistit in quadam quietatione voluntatis : quòd autem voluntas in aliquo quietetur , non est nisi propter bonitatem eius in quo quietatur : si ergo voluntas quietatur in aliqua operatione , ex bonitate operationis procedit quietatio voluntatis : nec voluntas quærit bonum propter quietationem ; sic enim ipse actus voluntatis esset finis , quod est contra præmissa . † Sed ideò quærit quòd quietetur in operatione , quia operatio est bonum eius . Vnde manifestum est , quòd principalius bonum est ipsa operatio , in qua quietatur voluntas, quàm quietatio voluntatis in ipso.

Cap. 6. 7. & 8. to. 5.

q. 1. art. 1. ad 2.

Ad primum ergo dicendum , quòd sicut Philosophus ibidem † dicit , delectatio perficit operationem , sicut decor iuuentutem , qui est ad iuuentutem consequens . Vnde delectatio est quædam perfectio concomitans visionem ; non sicut perfectio faciens visionem perfectam esse sua specie.

† Eodem lib. Ethic. c. 4. post med. to. 5.

Ad secundum dicendum, quòd apprehensio sensitiua non attingit ad communem rationem boni , sed aliquod bonum particulare , quod est delectabile : & ideò secundùm appetitum sensitiuum , qui est in animalibus , operationes quæruntur propter delectationem : sed Intellectus apprehendit vniuersalem rationem boni , ad cuius consequutionem sequitur delectatio : vnde principaliùs intendit bonum, quàm delectationem . Et inde est, quòd diuinus intellectus , qui est institutor naturæ , posuit delectationes apposuit propter operationes . Non est autem aliquid æstimandum simpliciter secundùm ordinem sensitiui appetitus , sed magis secundùm ordinem appetitus intellectiui.

Ad tertium dicendum , quòd Charitas non quærit bonum dilectum propter delectationem: sed hoc est ei consequens vt delectetur in bono adepto quod amat, & sic delectatio

Ctatio non respondet ei vt finis: sed magis visio, per quam primò finis fit ei præsens.

Prima conclusio. Excellentior est visio quàm delectatio.

Secunda conclusio. Delectatio perficit visionem tanquàm quid consequens, non tamen in sua specie.

Tertia conclusio. In appetitu sensitiuo operatio quæritur propter delectationem tanquàm propter finem; in appetitu verò rationali delectatio est propter operationem, vt propter finem.

Quarta conclusio. Charitati correspondet visio & delectatio: visio quidem tanquam finis illius; delectatio autem tanquàm quid consequens finem.

DVBIVM I.

Vtrùm prima conclusio sit vera.

1.*Arg.* PROBATVR quòd non. Primò. Illud est præstantius & finis, quod propter se appetitur: talis est delectatio: ergo. Minor probatur ex Aristotele. 1. Ethicorum, cap. 2. & 4. vbi ait, stultum esse, quærere propter quid quærunt homines delectari. Et D. Tho. suprà q. 2. art. 6. ad prim. ait, quòd delectatio est propter se appetenda, si ly Propter, dicat causam finalem: si autem dicat causam motiuam & formalem, est propter aliud appetibilis, quoniam resultat & causatur ex operatione.

2.*Arg.* Secundò arguitur. Delectatio est perfectio operationis secundùm Philosophum primo Ethicorum, vt decor iuuentutis: ergo delectatio est præstantior. Consequentia patet, nam perfectio præstantiòr est perfectibili, quia nihil perficitur ab inferiori vt tale.

3.*Arg.* Tertiò arguitur. Bruta quærunt operationes propter delectationem vt propter finem, vt ait Diuus Thomas ad secundum: ergo delectatio est finis operationis. Patet consequentia, quoniam bruta ordinatè mouentur, cùm agantur ab Authore naturæ non errante. Confirmatur ex illo Ecclesiastes tertio; Inueni quòd non esset melius, nisi lætari & facere bene in vita sua.

Confir.

Quartò arguitur. In operationibus iocosis, vt cùm quis exercet luctam, vel ludum, &c. non est alius finis qui possit intelligi, nisi delectatio animi: ergo saltem in talibus operationibus delectatio erit præstantior operatione. 4.*Arg.*

Quintò arguitur. Illud est præstantissimum bonum, quod omnia appetunt: talis est delectatio quam omnes appetunt: ergo ipsa præstantissima & non inferior ipsa visione est. Maior est Aristot. primo Ethicorum, capite primo. Minor verò probatur, quoniam omnia tristitiam fugiunt: ergo omnia delectationē appetunt, &c. 5.*Arg.*

Sextò arguitur. Delectatio est vltimus finis: ergo non est propter visionem, sed potiùs visio propter ipsam, & consequenter nō visio est prestantior, sed delectatio. Antecedens probatur; tùm, quia delectatio non potest esse medium ad visionem: ergo erit finis eius. Istud antecedens patet, quia ex triplici bono, scilicet honesto, vtili, & delectabili, solùm vtile habet rationem medij: tùm etiam patet idem antecedens principale, nam quod est vltimum in exequutione, est primum in intentione: cùm ergo delectatio in exequutione sit posterior, consequenter in intentione prior, atque adeò visio ordinabitur ad delectationem, tanquàm ad primam intentione. 6.*Arg.*

Conclusio tamen sit, quòd in vniuersum operatio est præstantior delectatione, & consequenter visio beatifica, quàm delectatio eius. Hæc est Diui Thomæ hic, & tertio contrà Gentes, cap. 26. 8. & 1.2. quæstione 34. articulo secundo, & vniuersaliter omnes Theologi tenent conclusionem Diui Thomæ. Videatur Ferrara loco citato contra Gentes, Conradus, & Caietanus hîc. Et probatur primò ratione Caietani infrà quæstione 34. citata, nam delectatio vel consideratur in esse moris, vel in esse naturæ. Si in esse moris, reducitur ad operationem ad quam consequitur; vnde ipsa operatio præstantior est, ex qua delectatio habet esse bonam, vel malam. Si verò consideretur in esse naturæ, operatio est causa delectationis: ergo principalior illa; quia causa principalior est effectu. Sed arguit Vazquez contra istam rationem (quia licèt con- *Conclusio.* *D. Thom.* *Ferrara.* *Conradus.* *Caietan.* *Obiectio Vazquez.*

ueniat in conclusione, non tamen ista ratione) quia distinctio in esse moris, & in esse naturæ, non habet locum in visione & delectatione beatifica: ergo frustra adducitur. Antecedens probatur, quia moralitas supponit libertatem; huiusmodi autem operationes in Patria non sunt liberæ, sed necessariæ: ergo non sunt morales.

Solutio. Respondetur tamen, quòd moralitas duo importat. Primũ, libertatem: Secundum, conformitatem vel difformitatem ad rationem: operationes ergo in Patria non habent primum, habent tamen secundum; quod sufficit, vt appellentur morales, si non perfectè, aliqualiter tamen: *D. Thom.* & modus loquendi est Diui Thomæ infrà quæstione 34. articulo primo ad primum, dicentis, somnum ligantem vsum rationis, aliquando esse bonum moraliter; & certum est non loqui de somno in quo est libertas, quia loquitur de ligante vsum rationis: ergo absque libertate poterit aliquis actus aliqualiter dici moralis. Et si rursus arguas: *Obiectio.* Etiam si consideretur delectatio in esse naturæ, non est effectus visionis: ergo etiam ratio prædicta pro illa parte supponit falsum. Antecedens probatur. Primò, nam si delectatio esset effectus visionis, maximè quia est veluti propria passio consequuta ad ipsam: sed hoc est falsum, quia non consequitur persimplicem emanationem, sed per aliam operationem, quia, vt suprà dictum est, ipsa est operatio: ergo. Secundò probatur idem antecedens, nam Intellectus non mouet Voluntatem in genere causæ efficientis, sed tantùm formalis, vel finalis, vt infrà dicit Diuus Thomas quæstione nona: ergo non est propriè effectus. *Solutio.* Respondetur tamen, quòd licèt delectatio non sequatur per simplicem emanationem; quia tamen habet necessariam connexionem cum visione quam præsupponit, dicitur passio eius; & licèt per aliam operationem consequatur, verè tamen visio influit in delectationem, vt causa in effectum; quia licèt cognitio & visio vt speculatiua non habeat efficientiam in voluntatem, bene tamen vt practica, quia, vt infrà dicetur quæst. 17. imperium practicũ efficienter mouet voluntatem. Eo vel maximè, quòd ad intentum nostrum sufficit, visionem concurrere in genere causæ formalis, vel finalis, vt sit præstantior, quia omnium præstantissima causa est formalis. Secundò probatur conclusio ratione Diui Thomæ in corpore, nam delectatio est quies voluntatis in aliquo, quia bonum & perfectum est: si ergo Voluntas quiescit in visione, & delectatur de illa, ideò est, quia visio est bona & perfecta, & consequenter perfectio ex visione deriuatur ad delectationem, & non è contra; vnde non est visio propter delectationem, sed è conuerso. *D. Thom*

Ad primum argumentum à principio respondetur, quòd delectatio non ponit in numero cum operatione, & consequenter sicut & operatio potest dici non esse propter finem, sed ipsa esse finem; sicut & in causis formalibus non solùm forma specifica, sed & complementum eius ad genus causæ formalis reducitur: sic & delectatio reducitur ad finem, cuius est completiua perfectio. Et si contrà dicas, quòd, vt docet Ferrara tertio, contra Gentes, capitulo 16. delectatio si consideretur moraliter, verum esse non ponere in numero cum operatione, & sic esse finem, sicut & operationem: tamen si consideretur seorsum, vt ab operatione distincta, non explicatur qualiter delectatio debeat esse finis comparata ad operationem: Ad hoc aliqui respondent, quòd sic considerata delectatio dicitur finis in ordine ad omnia alia extrinseca, quia alia sunt propter ipsam, & propter nullum aliud: si autem comparetur ad operationem, cuius est delectatio, non habet rationem finis, sed potiùs ipsa delectatio est propter operationem vt propter finem. Hæc responsio non satisfacit, quia Diuus Thomas dixit, delectationem non esse propter aliud, si ly Propter, dicat causam finalem, non verò si dicat causam formalem, sed esse propter aliud: nam si ly Propter dicat causam formalem, talem habitudinem habet in ordine ad operationem, & non in ordine ad alia extrinseca, quæ quidem non sunt causæ formales: ergo comparata ad ipsam operationem, debet verificari quòd non est propter aliud, si ly Propter, dicat finem; & sic ex verbis Diuui Thomæ, nec ipsa operatio erit finis delectationis. *Ad 1. arg.* *Obiectio. Ferrar.* *Resp. aliquorum.*

Res-

Resp.vera. Respondetur ergo, quòd esse propter finem, stat dupliciter: primò propter finem consequendum: secundò propter finem comunicantem perfectionem. Primo modo omnia media sunt propter finem, quia conducunt ad consequutionē eius: & hoc modo delectatio non est propter operationem vt propter finem, quia iam supponitur consequutio, quando aduenit delectatio; bene tamen operatio est finis delectationis secundo modo, quia operatio & visio est finis & principium perfectionis delectationis; & sic Diuus Thomas loquutus est in primo sensu, non autem negauit secundum.

Obiectio. Si autem instes, qualiter visio & operatio sit perficiens & causa formalis, & non solùm finis modo prædicto ipsius delectationis, quia ipsa delectatio est forma & perfectio ipsius operationis, sicut decor iuuentutis, vt dictum est,

Responsio ex Aristotele: Respondetur, visionem & operationem esse quasi substantialem formam; delectationem autem quasi accidentalem; sicut essentia & propria passio; essentia quidem est principalior forma passionis tribuens ei esse & perfectionem simpliciter; passio autem est forma minus principalis tribuens essentiæ perfectionem tantùm secundùm

D. Thom. quid. Ex quo sequitur explicatio Diui Thomæ infrà quæstione 24. articulo tertio, vbi ait, quòd delectatio inter bona humanæ vitæ est optima. Intelligendus est (inquit Caietanus ibidem) de delectatione vt coniuncta operationi, & vt ipsam supponente & includente; nam si adinuicem separata consideretur ab operatione, tunc delectatio est vltima & bona in suo genere, nempe accidentali, non autem absolutè, nam in genere perfectionis substantialis vltima est ipsa operatio & visio, & consequenter absolutè loquendo omnium optima. Vel secundò (inquit Caietanus) potest intelligi in esse moris, quia vt sic non ponit in numero, vt dictum est, cum operatione: vnde sicut visio est omnium optima, ita & eius delectatio. Vel tertiò potest explicari, quòd loquatur ibi comparatione ad alia extrinseca, non autem comparatione ad visionem.

Ad 2.arg Ad secundum argumentum respondetur, delectationem esse perfectionem secundùm quid operationis; operationem autem simpliciter delectationis, vt dictum est; vnde delectatio tantum est finis secundùm quid operationis, operatio autem est finis simpliciter delectationis. Et si contrà arguas, nam *Obiectio.* Diuus Thomas secunda secundæ, quæstione 58. articulo nono ad primum, exponens Aristotelem, dicit, quòd delectatio est finis principalis: Respondetur *Resp.* ex Caietano ibi, non intendere Diuum Thomam ponere delectationem finem principalem in essendo, nam ibi appellat delectationem finem consequentem; sed tantùm appellat illam finem principalem quoad iudicium nostrum de rebus; per delectationem enim discernimus, vtrùm aliquis sit bonus vel malus; si enim aliquis delectatur in rebus pessimis, & lætatur cùm malè fecerit, iudicamus illum affectum habitibus prauis: si autem delectetur in rebus optimis, iudicamus illum affectum habitibus virtuosis. Doctrina est Diui *D.Tho.* Thomæ infrà quæstione 34. articulo quarto, vbi expressè docet, delectationem esse regulam & mensuram ad iudicandum vtrùm aliquis sit bonus vel *Obiectio.* malus. Et si contrà arguas, non posse esse regulam & mensuram certam & infallibilem in cognoscendo, nisi etiam sit finis in essendo: Respon- *Resp.* detur, hoc falsum esse, quia ecclypsis Lunæ est mensura & causa infallibilis cognitionis interpositionis terræ inter Solem & Lunam; cùm tamen ecclypsis non sit causa in essendo talis interpositionis, sed è contra. Verum est, non præcise esse regulam infallibilem cognitionis ipsam delectationem, nisi vt dictum est, aliqualiter etiam sit finis, in essendo, hoc tamen secundùm quid, quia eo modo est finis, quo est perfectio; finis enim & perfectum idem sunt: cùm autem delectatio sit perfectio tantùm secundùm quid, similiter & finis secundùm quid.

Ad tertium argumentum patebit ex *Ad 3.* dubio sequenti.

Ad quartum respondetur, etiam *Ad 4.* in illis non esse finem delectationem, nisi operatio sit praua; sed finis est subleuatio animi operantis ad honesta & vtiliora exercenda.

Ad quintum respondetur, omnes *Ad 5.*

appetere delectationem, coniunctam tamen operationi & in ordine ad illam, si rectè appetant: si autem vt in plurimum & ferè omnes delectationem appetunt vt finem, & non operarentur nisi in ordine ad delectationem, est, quia vt in plurimum homines peruersè agunt, & stultorum infinitus est numerus, & ex illis neque est sumenda regula, nec argumentum.

Ad 6. Ad sextum respondetur, delectationem esse finem, vt non ponit in numero cum operatione: vt autem ab illa separatur, respicit vt finem ipsam operationem, non in ratione medij, quia, vt dictum est, medium respicit finem vt consequendum; delectatio autem respicit operationem vt bonum consequutum; respicit tamen operationem vt finem, vt minus perfectum magis perfectum, à quo perfectionem debet participare. Licèt ergo bonum vtile tantùm respiciat finem vt medium; tamen vt minus perfectum & magis perfectum etiam delectabile quod secundum se est finis, potest respicere honestum. Ad illud autem, quòd delectatio est vltima in exequutione: ergo prima in intentione, & consequenter absolutè finis; Respondetur, quòd finis principalis est primus in intentione, & vltimus in exequutione, per comparationem ad media quibus consequitur, non autem per comparationem ad quodcunque perfectibile ab ipso fine: sic enim finis primò intentus potest perficere aliqua quoad exequutionem posteriora ipso fine. Quod clariùs dicitur, vt suprà, quòd vsque ad peruentionem ad essentiam, posteriùs exequuta, sunt primò intenta; postquàm autem ad essentiam est deuentum, priùs exequuta, sunt primò intenta, & comparantur vt principaliora in ordine ad posterius exequuta. Exemplum fuit positum in antecedentibus generationem formæ, quæ minus perfecta sunt quàm ipsa forma genita: passiones verò & proprietates quæ ad formam genitam consequuntur, minùs perfecta sunt, quam ipsa forma; quia licèt quo ad exequutionem posteriora sint; tamen minus principalia, & minus intenta. Cùm ergo delectatio habeat rationem proprietatis & passionis, licèt in exequutione posterior, non tamen in intentione primâ, sed talis est ipsa operatio, cuius delectatio est proprietas.

DVBIVM II.

Vtrùm vera sit illa differentia Diui Thomæ ad Secundum, inter appetitum rationalem & sensitiuum, quòd rationalis intendit delectationem propter operationem, sensitiuus verò è contra, intendit operationem propter delectationem.

PROBATVR quòd non. Appetitus sensitiuus est à natura & ab Authore illius, sicut & rationalis: ergo seruat eundem ordinem sensitiuus & rationalis. Patet consequentia, nam ordo naturæ est, quòd delectatio sit propter operationem, & sic Author naturæ ordinauit, vt inquit Diuus Thomas in eadem solutione; hac enim ratione apposuit delectationem in cibis, vt conseruarentur indiuidua, & ideò in venere, vt conseruarētur species. Confirmatur, nam appetitus sensitiuus in brutis non mouetur ex se ipso, sed ex necessitate mouetur per instinctum sibi ab Authore naturæ collatum: ergo ex necessitate debent moueri secundum modum præscriptum ab Authore naturæ: & cùm Author naturæ, vt dictum est, ordinet delectationem in operationem, videtur sic procedere debere appetitum sensitiuum actum & gubernatum ab Authore naturæ. *1. Arg.* *Confir.*

Pro intelligentia nōtandum est. Primò, quòd cuiuscunque appetitus est bonum obiectum; bonum autem est triplex, honestum, & delectabile, & vtile, de quibus prima parte, quæstione quinta, articulo sexto. Inter hæc autem tria bona hoc est discrimen, quòd honestum & delectabile habent in se sufficientem *Not.*

cientem rationem boni, & ad mouendum appetitum, & ad terminandum appetitionem eius: bonum autem vtile non habet in se sufficientem rationem, neque ad terminandum, neque ad mouendum, quia, vt nomen sonat, propter aliud dicitur bonum; & licèt honestum & delectabile habeant ex se vnde allicere possint appetitum in esse naturæ, non tamen in esse moris, vt suprà dictum est; delectabile enim moraliter non potest habere rationem termini & finis respectu appetitus ordinatè procedentis; sic enim modò de illo loquimur, nam deprauatus appetitus potest bene sibi cum Epicuro delectationem vt finem præfigere; de cuius absurditate videatur Seneca elegantissimè loquens libro de vita Beata: in esse tamen naturę delectabile bene habet vt determinare possit, vnde & rationem obiecti adæquati habet respectu appetitus sensitiui; nihil enim appetere potest, nisi sub ratione delectabilis; & cùm appetitus sensitiuus cognitione sensitiua moueatur, cognitio autem sensitiua non attingat vtile, quia hoc requirit discursum comparantem vtile ad finem respectu cuius est vtile; neque etiam attingat honestum, quia regulas morum non agnoscit; relinquitur, quòd appetitus sensitiuus tali cognitione directus solùm possit tendere in bonum delectabile: cùm tamen delectatio alteri, nempe operationi, reperiatur coniuncta, non potest appetitus sensitiuus attingere delectationem, nisi etiam attingat ipsam operationem, cui delectatio coniungitur: sicut color, quia est in pariete, non potest visio attingere colorem, nisi etiam parietem attingat. Quod autem in præsenti habet difficultatem, est, explicare qualiter attingat vtrumque, an delectationem propter operationem, an verò è conuerso. Pro quo

Seneca.

Not.2. Secundò est notandum, quòd appetere vnum propter aliud, stat dupliciter. Vno modo formaliter: alio modo finaliter. Attingere propter aliud formaliter, est attingere hoc vt materiam, aliud verò vt formam; hoc est, attingere hoc sub ratione alterius, & vt stat sub illo; attingere verò hoc propter alud finaliter, est attingere hoc vt medium, aliud verò vt finem, ordinando hoc ad aliud. Ex quo sequitur, quòd appetere hoc propter aliud formaliter, fit vnico actu; appetere hoc propter aliud finaliter, fit duplici actu, saltem virtualiter; sicut, verbi gratia, eodem actu attingitur paries & color, quia non attingitur paries vtcunque, sed vt stat sub colore. Tendentia autem in medium & finem, duplicem actum requirit, saltem virtualiter; nam quatenus terminatur ad medium, est electio; quatenus verò ad finem, est intentio; & iste secundus est causa prioris.

Prima conclusio. Rectus ordo naturæ & Authoris illius, & quem seruant res ipsæ secundùm se, est, vt delectatio sit propter operationem tanquàm propter finem. Hæc patet ex dubio præcedenti: ad hoc enim natura posuit delectationem, vt ab animantibus non negligatur operatio, per quam vnumquodque proprium finem assequi debet. Habuit se Author naturæ sicut sapiens gubernator, qui non ordinat maius ad minus bonum, sed è contra; operatio autem maius bonum est, quàm delectatio: vnde delectationem in operationem debuit sapienter ordinare. *1. Concluſ.*

Secunda conclusio. Prædictum etiam ordinem præstitutum ab Authore naturæ seruant irrationalia; & appetitus sensitiuus per inclinationem naturalem & pondus naturæ, naturaliter & naturæ pondere tendit in delectationem, vt in necessariam ad operandum; quia si cuilibet delectatio est necessaria vt operetur, amplius est necessaria bruto; nam in homine, etsi aliquando non esset delectatio, sunt alia remedia ad operandum, vt præceptum & lex, & virtus, & consideratio conuenientiæ talis operationis: hæc autem cùm in brutis non reperiantur, delectatione deficiente, deficeret & operatio. *2. Concluſ.*

Probatur conclusio, nam inclinatio naturalis & pondus, natura sequitur impressionem primi agentis; sed ex institutione primi agentis delectatio est propter operationem, vt dictum est præcedenti conclusione: ergo vnaquæque res naturali pondere sic tendit in delectationem propter operationem. *3. Concluſ.*

Tertia conclusio . Bruta & appetitus sensitiuus per actum elicitum tendunt in operationem propter delectationem , si ly Propter , sumatur formaliter , non verò finaliter : itaque non tendit in vtrumque per modum medij & finis : quia talem collationem nesciunt facere , nec vtile agnoscunt, vt sic per actum elicitum possint operari ; tendunt autem in vnum propter aliud formaliter , quia sine discretione & discursu bene possunt attingere vtrumque ; alterum vt materiam , alterum vt formam , vtrumque per modum vnius , & vnum vt stat sub alio, eodem actu : sicut dictum est de visione attingente parietem sub ratione coloris ; non enim paries est medium, & color finis , sed habet se quidem paries vt materiale visum , & quod videtur , color autem , vt formaliter visum , & vt sub quo paries videtur , & habet esse visibilis ; eodem enim modo se habet delectabile respectu appetitus : vnde aliud extra proprium obiectum , nempe operationem , sub ratione proprij obiecti, nempe sub ratione delectabilis , per modum vnius potest attingere . Sed contra istam conclusionem est argumentum ; nam Diuus Thomas posuit differentiam inter appetitum rationalem & sensitiuum , quia rationalis tendit in delectationem propter operationem vt finem ; sensitiuus in operationem propter delectationem : ergo eodem modo intelligenda est ista secunda pars , sicut & prima, quòd sit propter delectationem vt finem : alias enim non ponebat differentiam . Respondetur tamen , quòd esse delectationem formam operationis, est aliqualiter esse finem , vt suprà dictum est , non simpliciter : sufficit ergo primum ad differentiam Diui Thomæ , quòd appetitus rationalis omnibus modis intendit vt finem operationem ; sensitiuus verò aliqualiter tendit , vt in finem , in delectationem : nos autem in præsenti negamus , delectationem esse finem simpliciter , prout finis est terminus intentionis , & vt dicit habitudinem & ordinem ad media ; etiam respectu appetitus sensitiui , sed solùm agere propter illam , si ly Propter, dicat causam formalem; quod, vt iam diximus, non est esse finem simpliciter , sed secundùm quid, quatenus & forma aliqualiter finis dici potest, secundū quod propter ipsam aliquid habet, hoc vel illud, quod non haberet, nisi staret sub tali forma. Secūdò respondetur, Diuum Thomam non dixisse, appetitum rationalem tendere in delectationem propter operationem , vt propter finem, sed solum dixisse , appetere delectationem propter operationem : sensitiuum verò è contra , operationem propter delectationem . Cum ergo ly Propter , indifferenter se habeat ad finem & formam, accommodando singula singulis , dicimus intelligendum D. Thom. quod rationalis appetit delectationem propter operationem , vt finem ; sensitiuus verò operationem propter delectationem , vt formam & rationem obiectiuam, sub qua attingit quidquid attingit. Et si contra arguas, nam si delectatio est ratio obiectiua, erit etiam & finis, finis enim potentiæ , obiectum est eius : Respondetur, obiectum esse finem largè loquendo, vt conuertitur finis cum termino , non autem proprie, sumendo finem per comparationem ad medium , vt est terminus intentionis: potest ergo potentiæ obiectum esse finis primo modo , & non secundo , vt hic loquimur . Vel secundò respondetur, quòd delectabile potest dupliciter comparari . Primò , ad ipsam delectationem terminatam ad ipsum , respectu cuius delectabile est obiectum . Secundo modo delectabile , immò & ipsa delectatio terminata ad ipsum , possunt comparari ad illud bonum de quo sumitur delectatio, verbi gratia , in ordine ad operationem de qua delectatur : concedimus ergo, quòd delectabile, quod est obiectum delectationis, respectu illius sit finis : in præsenti autem non loquimur nisi de ipso delectabili , vel delectatione in ordine ad illud bonum de quo est delectatio , verbi gratia, in ordine ad operationem de qua delectatur : cuius quidem delectatio vel delectabile non est obiectum , sed forma; vnde talis operatio , de qua est delectatio, est propter delectationem, non vt propter finem, sed vt propter formam . Vel tertiò respondetur, non semper obiectum esse finem, nisi respectu potentiæ potentis tendere in obiectum vt in finē: tendere enim vt in finem, est tendere cum habitudine ad media; quod quidem importat deliberationē & discursum: & talis ergo tendētia solū poterit

Obiect.2. *Resp.* *2. Solut.* *Obiectio.* *Respons.2.* *Resp.3.*

poterit esse in appetitu rationali, non autem in sensitiuo prædictis carente secundum se. Dico secundùm se, nam subiectus & rectus à Voluntate, in finem poterit tendere per deliberationem superioris regentis ipsum appetitum. Explicatio D. Thom. in hoc articulo est domini Caietani, & per hoc patet ad argumentum à principio.

Caiet.

4. Conclus. Quarta conclusio. Probabiliter potest defendi, quòd appetitus sensitiuus per actum elicitum tendit in operationem propter delectationem vt propter finem: & sic verificatur differentia D. Thom. vt iacet. Hæc est Ferrariæ tertio contra Gentes, cap. 16. Fundamentumque illius in eo consistit, quòd cùm delectatio sit proprium & adæquatum appetitus obiectum, necessariò tendit in delectationem vt in finem, & quidquid attingit, etiam ipsam operationem, attingit in ordine ad delectationem vt proprium finem. Vt autem soluat argumentum positum à principio, notat, quòd delectatio & operatio possunt considerari dupliciter: primò per ordinem ad Authorem naturæ: secundò per ordinem ad appetitum sensitiuum. Primo modo operatio est finis: secundo verò modo finis est ipsa delectatio. Ad illud autem positum in argumento, quòd ordo appetitus esset contrarius ordini Authoris naturæ; quod esse non potest, cùm & ordo appetitus sit ab Authore naturæ, Respondet, quòd Author naturæ vtrunque intendit vt finem, vt Author est diuersorum: vt Author appetitus rationalis, intendit vt finem operationem: vt verò Author appetitus, ipsam delectationem: quia Author naturæ se accommodat naturæ causæ secundæ, cum qua operatur, & cum qualibet agit iuxta naturam eius: simul enim quando calefacit lignum, per ignem intendit corrumpere lignum, & per formam ligni & dispositionem eius intendit conseruare lignum, & illud defendere ab igne: vnde in generatione contrariorum est pugna causarum secundarum inter se, non autem in ordine ad Authorem naturæ; nam in ordine ad illum illa non est pugna, sed concordia: quia ille vtrumque per diuersa agentia intendit; vult enim vt ignis intendat excludere formam ligni; & vult etiam quòd forma ligni se defendat. Ita similiter in præsenti, cùm sit Author vtriusque appetitus, per vnumquemque intendit quod est proprium illius: per rationalem intendit operationem; per sensitiuum verò delectationem. Verum est tamen, quòd cùm ratio appetitus rationalis sit vniuersalior & potior, absolutè dicendum est, Authorem naturæ intendere operationem, quia vniuersaliora & potiora intendit. Si autem loquamur cum addito, vt Author naturæ, prout operatur cum appetitu sensitiuo, intendit delectationem, propter determinationem & limitationem ipsius appetitus; vnde licèt secundùm se operatio sit potior, in ordine tamen ad appetitum, propter limitationem & imperfectionem eius, delectatio est potior & principalior. Exemplum est manifestum, nam substantia secundùm se est prius, & magis cognoscibilis, & intelligibilis est, quàm accidens; in ordine tamen ad Intellectum nostrum imperfectum, prius est cognoscibile accidens. Angelus autem qui perfectus est, prius cognoscit, quod secundùm se est prius cognoscibile, nempe substantiam. Sic in præsenti licèt operatio secundùm se sit præstantior, & finis; & sic in illam tendat appetitus perfectus, qualis est rationalis; ex imperfectione tamen appetitus sensitiuus potest è contra tendere in delectationem vt finem. Et si contrà dicas, non irrogari iniuriam substantiæ, quòd ex nostræ imperfectione cognoscantur priùs accidentia; irrogari autem iniuriam operationi, quod ei aliud præponatur vt finis: Respondetur, quòd, vt dictum est, ex imperfectione appetitus, & non ex natura rerum fit: vnde nulla iniuria infertur operationi, sed nostræ imperfectione.

Ferrar.

Obiectio.

Responsio.

ARTI-

ARTICVLVS III.

Vtrùm ad beatitudinem requiratur comprehensio.

In 1. d. 1. q. 1. art. 1. cor. & 4. d. 49. q. 4. ar. 5. q. 1. cor.

AD tertium sic proceditur. Videtur quòd ad beatitudinem nõ requiratur comprehensio. Dicit enim

Enis. 112. c 9. to. 2.

Augustinus ad Paulinam de videndo Deum : Attingere mente Deum, magna est beatitudo: comprehendere autem, est impossibile: ergo sine comprehensione est beatitudo.

Secundò præterea. Beatitudo est perfectio hominis secundu intellectiuam partem, in qua non sunt aliæ potentiæ, quàm Intellectus & Voluntas, vt in Primo † dictũ est: sed Intellectus sufficienter perficitur per visionem Dei, Voluntas autem per delectationem in ipso: ergo non requiritur comprehensio tãquam aliquid tertium.

c. 79. & per 4. sequentes.

Tertiò præterea. Beatitudo in operatione consistit: operationes autẽ determinantur secundũ obiecta: obiecta autem generalia sunt duo, Verum, & Bonum: Verum correspondet visioni, & Bonum correspondet dilectioni: ergo non requiritur comprehensio quasi aliquod tertium.

Sed contrà est quod Apostolus dicit 1. ad Corint. 9. Sic currite vt cõprehẽdatis: sed spiritualis cursus terminatur ad beatitudinem; vnde ipse dicit 2. ad Tim. vlt. Bonum certamen certaui, cursum consumaui, Fidem seruaui; in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ: ergo comprehensio requiritur ad beatitudinem.

Respondeo dicendum, quòd cùm beatitudo consistat in consequutione vltimi finis, ea quæ requiruntur ad beatitudinẽ, sunt consideranda ex ipso ordine hominis ad finẽ: ad finẽ autẽ intelligibilem ordinatur homo, partim quidem per Intellectũ, partim autem per Voluntatem: per Intellectum quidem in quantum in Intellectu præexistit aliqua cognitio finis imperfecta: per Voluntatem autem, primò quidem per amorem, qui est primus motus Voluntatis in aliquid. Secundò autem per realem habitudinem amantis ad amatum, quæ quidem potest esse triplex: quandoque enim amatum est præsens amanti, & tunc iam non quæritur: quandoque autem non est præsens, sed impossibile est ipsum adipisci, & tunc etiam non quæritur: quandoque autem possibile est ipsum adipisci, sed est eleuatum supra facultatem adipiscentis, ita vt statim haberi non possit; & hæc est habitudo sperantis ad speratum, quæ sola habitudo facit finis inquisitionem, & istis tribus respondent aliqua in beatitudine ipsa: nam perfecta cognitio finis respondet imperfectæ; præsentia verò ipsius finis respondet habitudini spei: sed delectatio in præsentia consequitur dilectionem, vt suprà dictum est, † & ideò necesse est ad beatitudinem ista tria concurrere,

Art. 1. huius q.

rere, scilicet visionem, quæ est cognitio perfecta intelligibilis finis; comprehensionem, quæ importat præsentiam finis; delectationem vel fruitionem, quæ importat quietationem rei amantis in amato.

Ad primum ergo dicendum, quòd comprehensio dicitur dupliciter. Vno modo inclusio comprehensi in comprehendente: & sic omne quod comprehenditur à finito, est finitum: vnde hoc modo Deus
D. 366. *comprehendi non † potest ab aliquo Intellectu creato. Alio modo comprehensio nihil aliud nominat, quàm intentionem alicuius rei quæ iam præsentialiter habetur: sicut aliquis consequens aliquem, dicitur eum comprehendere, quando tenet eum, & hoc modo comprehensio requiritur ad beatitudinem.*

Ad secundum dicendum, quòd sicut ad Voluntatem pertinet spes & amor, quia eiusdem est amare aliquid, & tendere in illud non habitū: ita etiã ad Volũtatem pertinet comprehensio & delectatio: quia eiusdem est habere aliquid, & quiescere in illo.

Ad tertium dicendum, quòd comprehensio non est aliqua operatio præter visionem, sed quædam habitudo ad finem iam habitum; vnde etiam ipsa visio vel res visa, quæ præsentialiter adest, obiectũ comprehensionis est.

Conclusio est affirmatiua.

Quæstio hæc mota est à Diuo Tho-
1. Cor. 9. ma, propter verba Pauli primæ Corinthiorum nono: Sic currite vt comprehendatis; vbi inquit Diuus Thomas, non loquitur de comprehensione strictè dicta, vt importat circumscriptionem, aut totalem inclusionem: sic enim ait Ieremias capite 32. Deus magnus *Ierem. 32.* consilio, & incomprehensibilis cogitatu. Et Iob 11. Forsitan vestigia Dei *Iob 11.* comprehendes? Loquitur ergo Apostolus & Diuus Thomas, vt ipse explicat, de comprehensione vt idem est quod apprehensio, seu consequutio intenti: vt aliquis dicitur comprehendere latronem fugientem, quem tenet. Vt ergo ad quæstionem propositam respondeat Diuus Thoma, præmittit nonnulla principia. Primum, quòd pluralitas vel paucitas eorum quæ sunt requisita ad beatitudinem, ex ordine ad finem expendenda est, hoc est, ex numero mediorum per quæ ordinamur ad beatitudinem; quemadmodum requisita ad construendam domum, ex forma & fine domus sumenda sunt. Secundò premittit Diuus Thomas, quòd homines ordinamur ad finem vltimum nostrum per Intellectum & Voluntatem, in quo distinguimur à cæteris animantibus. Tertiò præmittit, quòd Intellectus noster in Via ordinatur in vltimum finem per Fidem, Voluntas verò per amorem & spem, quæ quidem super amorem addit tendentiam & inquisitionem; vt dicit Diuus Paulus primæ Corinthiorum nono: Debet in *1. Cor. 9.* spe qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Et ad Hebræos *Ad Heb. 6* sexto: Qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicuti anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis, vbi præcursor introibit pro nobis Iesus. Quartò præmittit, quòd res amata tribus modis se potest habere ad amantem. Primò, si res habetur, est amor & iucunda possessio, & non spes; quod enim quis habet, quid sperat? Secundò, si res est impossibilis, non est spes; quia hæc tantùm est possibilium. Tertiò, si res est possibilis, sed ardua & difficilis, tunc ponitur spes ad rem speratam, vt inquiratur. Hoc ergo suppositò, conclusio Diui Thomæ affimatiua sic probatur. Quodlibet medium necessarium ad beatitudinem, confert aliquid pro sua parte ad ipsam consequu-

sequutionem : ergo debet ei aliquid pro sua parte correspondere in beatitudine: sed in hac vita sunt isti tres actus, Fidei, Spei, & Charitatis, tanquàm media ad illum finem : ergo illis alia tria in Patria debent correspondere : ista autem alia assignari non possunt, nisi Fidei cognitioni imperfectæ, perfecta visio & cognitio, iuxta illud Pauli primæ Corinthiorum 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Spei verò, comprehensio & tentio, vt idem Apostolus ait : Sic currite vt comprehendatis. Et ad Philippenses tertio : Sequor autem, si quo modo comprehendam. Et Canticorum tertio : Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam ; quod non completur vsque ad Patriam. Charitati autem, siue amori, delectatio, quæ naturaliter sequitur, conquisita re amata : ergo optimè prædicta sunt enumerata à Diuo Thoma, quòd in Patria requiratur ad beatitudinem visio, delectatio, & comprehensio, quæ vtique sunt tres animadores in gloria, vt ipse ait prima parte, quæstione 12. Et si dicas, Diuum Thomam videri sibi contrarium, quia articulo præcedenti ad tertium, dixerat, quòd delectatio non correspondet Charitati, sed visio ei magis correspondet : Respondetur, quòd vna & eadem res secundùm substantiam potest pertinere ad diuersas potentias & actus : visio ergo Dei si consideretur quatenus est præmium iustorum, correspondet Charitati, quæ prima est radix merendi : præmium enim correspondet merito : vnde dixit Augustinus, quòd visio est merces. Quatenus autem visio est consequutio & comprehensio, correspondet Spei, cuius est currere ad destinatum brauium ; si verò visio consideretur vt est clara cognitio & perfecta, correspondet Fidei, quæ est visio ænigmatica, imperfecta & obscura : nulla igitur est contradictio in D. Thom. qui diuersimodè loquitur hîc & ibi.

1. Cor. 13.

Ad Phil. 3

Cantic. 3.

D. Thom.

Obiectio.

Resp.

Augustin.

DVBIVM PRIMVM,

Vtrùm comprehensio sit actus Intellectus, an verò Voluntatis.

IN hac re est prima sententia domini Caietani hic, & Conradi super solutionem ad tertium, & aliorum qui hos sequuntur, vt Lorca hic disputatione 21. & Vazquez hic disputatione 17. capite secundo, quòd comprehensio formaliter nec est actus Intellectus, nec Voluntatis, sed est quædam habitudo consequuta ex actu Intellectus in Voluntate ipsa ; vnde comprehensio licèt aliquando sumatur pro actu Intellectus, quia est causa vel fundamentum comprehensionis ; propriùs tamen & formaliùs supponit pro illa habitudine ex Intellectu resultante in Voluntate : sicut dici solet tertia parte, quæstione secunda, quòd vnio hypostatica potest sumi vel pro actione vniendi, vel pro relatione subsequuta ad talem actionem : formaliùs tamen & propriùs accipitur vnio pro tali habitudine & relatione, quàm pro actione. Dominus autem Caietanus non explicat, vtrùm talis relatio, pro qua supponit comprehensio, sit realis, vel rationis : qui tamen illum sequuntur, diuiduntur inter se, & vtrumque probabiliter tenent ; licèt supposita sententia Caietani probabilius sit dicere esse relationem rationis : siquidem in Voluntate non supponit actum ipsius Voluntatis, sed solùm in Voluntate sequatur ex actu extrinseco Intellectus.

1. Sen. Cai. Conrad. Lorca. Vazquez.

Hæc sententia probatur. Primò ex Diuo Thoma hic ad tertium, vbi dicit, quòd consequutio est habitudo, & quòd obiectum est visio, aut res visa. In eo quod dicit, quòd est habitudo, dicit, nec esse actum Intellectus, nec actum Voluntatis, quia talis actus non est relatio & habitudo, sed aliquid absolutum, vt suprà dictum est. In eo autem quod dicit, quòd obiectum est visio aut res visa, denotat, non esse relationem fundatam in ipsa visione Intellectus : nam aliàs non posset habere pro obiecto ipsam visionem in qua fundatur. Insinuat ergo, ad Voluntatem pertine-

1. Arg.

pertinere, vt sic possit respicere vt obiectum visionem & actum Intellectus, præterquàm quòd hoc expresse asserit solutione ad secundum, quod comprehensio pertineat ad voluntatem.

2.Arg. Et ratione ipsius D. Thom. probatur secundò: nam sicut in Via Intellectus perficitur per Fidem, Voluntas verò per Charitatem & Spem; ita in Patria Intellectus debet prrfici per visionem correspõdentem Fidei, Voluntas verò per consequutionem & delectationem correspondentem Charitati & Spei.

3.Arg. Tertiò probatur, nam eiusdem est tenere aliquam rem, & delectari in illa: sed delectari pertinet ad Voluntatem: ergo & consequutio. Maior probatur, quia in tantum delectatur, in quantum comprehendit: ergo eiusdem est delectari & comprehendere.

Quartum. Quartò. Comprehendere est, quòd obiectũ quod antea erat absens, fiat presens: sed Voluntas est quæ anteà habebat obiectũ beatificum absens, & cui per visionem fit præsens, dum ei ab Intellectu proponitur: ergo ipsa est quæ tale obiectum comprehendit.

2.Sent Medina. Secunda sententia est Magristri Medina, quòd visio & comprehensio nec distinguuntur formaliter, nec realiter, sed solùm vt includens & inclusum, vel vt superius & inferius; quia in ratione visionis solum dicit respicere verum, in ratione verò comprehensionis dicit aliquid magis determinatum, nempe visionem vt respicit verum in ratione finis; hoc est, vt respicit verum proponendo illud Voluntati cum quadam perpetuitate; in hoc enim distinguitur tangere & comprehendere, quòd tangere, dicit leuiter vel transeunter attingere, comprehendere autem dicit, tenaciter vel permanenter tenere: quapropter Diuus Paulus in raptu licèt habuerit visionem, non tamen comprehensionem, nec dictus est comprehensor, sed ab solutè viator; quia in tali visione non erat permanentia nec perpetuitas.

3.Sent. D. Bonauen. Palud. Richard. Tertiam sententiam omittimus, quam tenet Diuus Bonauentur. 4. distinct. 49. 1. part. dist. articulo 1. quæst. 5. & Paludanus eadem distinct. quæst. 8. art. 3. & Richard. quòd videlicet comprehensio est actus voluntatis; quia est securitas, ista enim sententia est improbabilis. In primis enim supponit falsum, securitatem esse actum voluntatis; nampræter desiderium futuri, & amorem vel delectationem præsentis, talis actus assignari non potest: & certè præter visionem certam & indubitatam expellentem timorem à voluntate, nescio quid sit talis securitas. Sed quidquid sit de securitate, nihilominus in illa non potest dici consistere comprehensio; nam separari possunt & stare possessio requisita ad comprehensionem sine securitate non amitendi illud quod possidetur & comprehenditur.

Prima conclusio. Comprehensio non est actus voluntatis. Probatur primò. Voluntas non est potentia apprehensiua: ergo comprehensio non est actus eius. Patet consequentia, nam in præsenti pro eodem accipitur apprehendere, quod comprehendere, vt dictum est. Antecedens verò etiam patet ex suprà dictis per differentiam Intellectus & voluntatis, quòd illa est potentia apprehensiua trahens res ad se; ista verò non est potentia apprehensiua, sed fertur ad res. Secundò probatur. Accipiter, aut canis, per aliã potentiam mouetur ad insequendam venationem, & alia apprehendit illam; mouentur enim appetitu, apprehendunt verò dentibus vel vnguibus: ergo similiter in homine alterius potentiæ actus est impulsus & prosequutio, alterius verò assequutio & comprehensio, & sic licèt per voluntatem mouetur desideraudo & sperando, per aliam potentiam habebit comprehendere quod desiderat & sperat. *1. Conclusio.*

Secunda conclusio. Comprehensio est actus Intellectus, nec distinguitur realiter à visione. Probatur primò. Ille actus est comprehensio, per quem res ad quam quis mouebatur, fit præsens: ergo. Maior patet, nam comprehensio vel consequutio opponitur insequutioni vt terminus eius: ergo per quod fit præsens comprehenditur. Minor vero probatur ex differentia iam posita, quòd Intellectus apprehendit & trahit res, non verò voluntas. Secundò probatur. In potentia visiua idem est actus videns & comprehendens colorem: ergo in Intellectu idem actus est visio & comprehensio veri. Consequentia patet ex paritate rationis, sic enim se habet visio ad colorem, sicut Intellectus ad verum; immò tanta est inter illa analogia & similitudo, vt Intellectus visio nuncupe- *2.Conc.*

cupetur. Antecedens verò manifestum est, quia in potentia visiua non poterit assignari alius actus comprehensionis distinctus à visione. Tertiò probatur. Perfectissima comprehensio est actus Intellectus: ergo & imperfecta, de qua hic loquimur. Consequentia probatur, quia perfectum & imperfectum non variant speciem, siue propriam, siue analogam. Antecedens verò probatur, quia comprehensio qua Deus comprehendit seipsum, actus est Intellectus illius. Quòd autem comprehensio, de qua hic loquimur, comparetur vt quid imperfectum, ad comprehensionem perfectissimam quæ reperitur in Deo, probatur, quia ad hoc comprehendit Intellectus obiectum in larga acceptione, hoc est, ad hoc tenet & trahit, vt quantum est ex natura rerum comprehendat comprehensione rigorosa, hoc est, vt finiat & intelligat rem in quantum intelligibilis est; & si ex prima comprehensione non peruenit ad secundam, hoc ex imperfectione ipsius Intellectus prouenit: comparatur ergo prima comprehensio ad secundam, vt quid imperfectum ad perfectum.

3. *Conc. Magrist. Soto.* Tertia conclusio. Visio & comprehensio distinguuntur, non quidem realiter tanquàm res à re, sed tantùm formaliter. Hæc est Magistri Soto in quarta, distinctione 49. quæstione quarta, articulo tertio, conclusione tertia, quem multi moderni sequuntur. Prima quidem pars, quòd distinguantur, nec omnino sint idem, patet clare ex processu Sancti Thomæ tam quæstione præcedenti, quàm in ista; nam articulo quarto & 8 quæstionis præcedentis, docuit, beatitudinem consistere in visione Dei; modò autem in præsenti articulo inquirit, vtrùm comprehensio requiratur ad beatitudinem: sentit ergo, comprehensionem aliquid addere ad visionem; immò & in titulo quæstionis id insinuat, dum dicit, se agere de his quæ consequuntur ad beatitudinem; vnde cum egisset de delectatione, tanquam de aliquo consequuto, modo agit de comprehensione. Item patet, nam visio & comprehensio apud nos non sunt idem, sed sæpissime distinguuntur, in tantùm, vt homo videat quæ non consequitur, & aliquando consequitur quæ non videt: ergo licet in Deo huiusmodi rationes magis coadunentur, non tamen in tantum, quòd seruata ratione formali vnius cuiusque, non dicantur inter se distingui. Secunda verò pars, quòd non distinguantur realiter tanquam res à re, est Diui Thomæ hic ad tertium, vbi dicit, quòd comprehensio non est aliqua operatio præter visionem. Nec valet so- *Solutio.* lutio Caietani, id verificari, quia comprehensio non est operatio, sed relatio in voluntate consurgens ex operatione visionis Intellectus; vnde non est operatio præter visionem, est tamen re- *Impug.* latio realiter distincta à visione. Non (inquam) valet solutio, nam prædicta propositio Diui Thomæ per suas exponentes sic debet explicari: Comprehensio est operatio, quæ est visio, & nihil aliud, quàm ipsa operatio visionis. Item probatur, nam si comprehensio distingueretur realiter à visione, non esset vera propositio supra dicta, quòd essentia beatitudinis consistit in visione; nam essentia beatitudinis consistit in comprehensione; qua ratione diximus, non posse essentialiter consistere in actu voluntatis, quia voluntas non est comprehensiua, sed Intellectus: vt ergo verificetur, quòd essentialiter beatitudo consistit in visione, debet consequenter dici, comprehensionem non esse aliquid realiter distinctum ab ipsa visione. Tertia verò pars conclusionis, scicet quòd formaliter inter se distinguantur, probatur, nam visio solùm dicit tendentiam speculationis in verum, sine ordine ad voluntatem; comprehensio autem dicit tentionem firmam obiecti, cum propositione voluntati, vt ab illa possit amari: ergo formaliter distinguuntur. Item probatur. Visio formaliter nō supponit priuationem aliquam in tempore vel natura præcedentem; comprehensio verò sic: ergo formaliter distinguuntur. Maior patet, nam vt aliquis videat, non necessariò precedit non vidisse, quapropter Deus se ipsum videt; in quo tamen nulla præcedentia non visionis potest præintelligi. Minor verò probatur, nam cōprehēsio formaliter importat aliquid denouo tenere, quod prius non habebatur, sed in quod mouebatur & tēdebat; vnde ponitur comprehēsio vt terminus spei & desiderij, iuxta illud ad Philipp. 3. Sequor, si quo *Ad Philip.* modo comprehendam. &. 2. ad Corint. 9. 3. Sic currite, vt cōprehendatis, vbi insinuat, *&. 2. ad Corinth. 9.* præcedere motum & carentiā ad cōprehēsionem

sionem subsequentem: qua propter cognitio diuina licèt habeat rationem visionis, non tamen comprehensionis, quia non est terminus alterius motus, vel desiderij præcedentis: comprehensio ergo importat priuationem tempore vel natura antecedentem, quam non importat visio, & sic formaliter erunt distincta; itaque sicut albedo & est color, & est visibilis per eandem entitatem, formaliter tamen distinguuntur, quia vt color non importat habitudinem ad Visum, bene tamen vt visibilis, ita visio Dei vt visio non importat habitudinem ad Voluntatem; bene tamen vt comprehensio. *Obiectio* Et si contra conclusionem arguas, nam ex illa sequitur, hanc propositionem, Visio est comprehensio, vel è contra, tantùm identicè, & non formaliter esse veram; sicut istam, Albedo est similitudo; quæ tantùm per identitatem est vera, formaliter autem est falsa: consequens est falsum: ergo. Minor probatur, nam hæc est formaliter vera, Comprehensio essentialiter est beatitudo. Similiter ista formaliter est vera, Visio essentialiter est beatitudo: ergo ista debet esse formalis, Visio est comprehensio, vel è contra, nam si tantùm materialiter verificatur, materialiter tantùm erit verum, *Responsio* quòd visio est beatitudo. Respondetur tamen, quòd ista propositio, Visio est beatitudo, non est formalis, sed materialis: ista verò est formalis, Comprehensio est beatitudo; quia visio non est beatitudo, nisi vt comprehensio, non autem præcisè vt visio, vt suprà dictum est: quia tamen visio & comprehensio idem sunt realiter inseparabiliter, & visio est fundamentum comprehensionis, ideò absolutè conceditur in *Corolar.* sensu causali, quòd visio est beatitudo. Ex dictis sequitur, nos non negare, quin comprehensio importet aliquam relationem resultantem ex visione in Voluntate, antecedenter ad omnem actum Voluntatis, quatenus Voluntas ex visione manet determinata & perfecta ad operandum. Sed in hoc distinguimur â Caietano, quòd ipse dicit, comprehensionem importare formaliter talem habitudinem & relationem Voluntatis; actum verò Intellectus importare tantùm vt fundamentum talis relationis: nos verò dicimus, quòd cùm comprehensio pertineat ad genus Intellectus, nō verò Voluntatis, quia solum est appetitiua, non verò cōprehensiua; inde est, quòd comprehensio formaliter supponit pro actu Intellectus, relationem verò Voluntatis importat consequenter, & solùm vt terminum comprehensionis, Intellectum, *Obiectio.* vt statim dicetur. Si autem quæras, illa relatio resultans in Voluntate, vtrùm sit realis, vel rationis: Dico, posse dici, esse relationem rationis, quæ proueniat ab extrinseco actu Intellectus. Nihilominus tamen dicendum, Voluntatem realiter comprehendere terminatiuè, sicut in columna, licèt relatio dextereitatis sit rationis, realiter tamen dicetur dextera propter fundamentum reale extrinsecum, ad quod talis relatio consequitur. Vel secundò dico & me- *Respon. 2.* liùs, illam relationem Voluntatis esse realem, quia fundamentum eius licèt non sit in Voluntate, sed in Intellectu (vtique visio Intellectus) non tamen reputatur vt extrinsecum Voluntati, propter connexionem Intellectus & Voluntatis, & propter coniunctionem in eadem essentia animæ, & mutuam dependentiam in operando; sic enim actus intellectus quodammodò reputatur intrinsecus Voluntati, sufficienter fundans relationem realem in illa.

Ad primum ergo respondetur, tantùm *Ad 1. ar. 2* intendere Diuum Thomam, comprehensionem non esse visionem vtcunque, sed in ordine ad Voluntatem; non autē quòd sit aliquid Voluntatis, nisi tantùm terminatiuè; sic enim debet intelligi, ad primum; vbi dicit, quòd comprehensio pertinet ad Voluntatem, sicut actio dicitur pertinere ad agentem, licèt non sit subiectiuè nisi in passo, quia dicitur per habitudinem ad agē tem: & similiter visibile pertinet ad visum, non quia sit in illo, sed quia dicitur per ordinem ad illum: sic ergo comprehensio dicitur pertinere ad Voluntatem, quia est per habitudinem ad illam, non autem quia sit in illa nisi terminatiuè, vt dictum est. Ad illud autem, quòd obiectum comprehensionis est visio, aut res visa, dicitur sufficere pro solutione, D. Thomam loquutum fuisse disiunctiuè, quia res visa obiectum est eius. Vel dixit, Visio, aut res visa; vt denotaret, visionem ex parte obiecti priùs terminare comprehensionem; ac si clariùs dicat, obiectum comprehensionis non esse aliud, quàm obiectum visionis; vtique quia identificatur cum visione. Quod explicuit idem D. Thom. ad 3. dicens, comprehensionem non esse actum distinctum à visione.

Ad secundum respondetur, comprehē- *Ad 2.* sionem correspondere spei, non vt actui eius, sed vt terminum insequutionis: vnde

optimè potest esse in alia potētia, quàm sit ipsa Spes: potest enim Voluntas per Spē tendere ad hoc, vt per Intellectum cōprehendat desideratum ab illa: vnde diximus, in visione distinguendum duplicem rationem formalem, vt secundam alteram correspondeat Fidei, & secundùm alteram correspondeat Spei.

Ad 3. Ad tertium, negatur maior; sufficit enim colligatio potentiarum, vt si vna cōprehendat, altera delectetur, maximè cùm comprehensio Intellectus sit Voluntati.

Ad 4. Ad quartum respondetur, bonum desideratum & absens fieri præsens Voluntati per visionem Intellectus proponentem bonum Voluntati; vnde visio est comprehensio, licèt in ordine ad Voluntatem, vt dictum est.

DVBIVM II.

Vtrùm comprehensio sit ita intrinsecè connexa cum visione & beatitudine, vt etiam de potentia Dei absoluta nequeant separari.

1. Arg. PArs affirmatiua probatur. Primò. Visio beatifica est beatitudo, vt suprà dictum est: sed comprehensio potest separari à visione: ergo à beatitudine. Minor verò probatur primo. Comprehensio dicit præsentialitatem rei, non verò visio: ergo potest comprehensio à visione separari. Ista vltima minor probatur, nam bene potest esse notitia intuitiua & clara rei absentis, vt dicunt Summulistæ cum Soto 1. lib. Summul. nam beati cognoscunt scitia visionis futura contingentia, quæ tamen præsentia sibi non sunt, cùm sint futura. Item etiam patet. In eo qui videt Hostiam ante consecrationem, & ipso nesciente consecratur, durat notitia intuitiua panis, cùm ibi non sit panis; immò non sit absolutè, nec potest dici, post consecrationem non manere intuitiuam, quia cùm maneat eadem notitia, non potest mutari in abstractiuam, cùm secundùm veriorē sententiam distinguantur essentialiter, quapropter eadem successiue nequit esse intuitiua & abstractiua. Secundò probatur eadem minor principalis; nam D. Paulus in raptu vidit diuinam essentiam, & fuit beatus: tamen non fuit comprehensor: ergo. Ista minor probatur, nam, vt dictū est, comprehensio dicit tentionem firmam & perpetuam, quam non habuit Paulus: ergo non fuit comprehensor.

2. Arg. Secundò arguitur. Comprehēsio addit aliquid ad visionem, vel realiter distinctum pertinens ad Voluntatem, velut ratio particularis contractiua visionis vt sic, vel ad minus aliquam formalitatem diuersam, prout dictum est dubio præcedenti: ergo potest comprehensio separari à beatitudine essentiali visionis. Patet consequentia, nam realiter distincta nō habent essentialem dependentiam in esse, & superius potest sine inferiori conseruari & esse, vt animal sine homine; & in formaliter diuersis, fundamentum sine relatione: ergo si comprehēsio distinguitur à visione, vt habitudo à fundamento, vel vt ratio inferior à superiori; vel vt res à re; nulla est repugnantia, vt ab ea separetur.

3. Arg. Tertiò arguitur. Præsentialitas obiecti solùm concurrit in genere causæ efficientis ad notitiam intuitiuam & visionem: ergo potest sine præsentia, in qua consistit comprehensio, conseruari visio. Patet consequentia, nam concursum efficientis potest Deus supplere.

4. Arg. Quartò arguitur. Non minus est necessaria delectatio ad beatitudinem, quàm cōprehensio: sed delectatio, vt infrà dicetur, potest per potentiam absolutam separari à beatitudine: ergo est comprehensio.

Conclus. Conclusio tamen sit, omnino esse impossibile, per quamcunque potentiam, cōprehensionem separari à beatitudine & visione clara Dei. In hac conclusione omnes authores diuersarum sententiarū, quas posuimus dubio præcedenti, conueniunt, quia licèt non comprehensio pertineat ad Voluntatem, vt volebat illa prima sententia; nihilominus secundùm illos pertinet ad essentiam beatitudinis, si non constituē do essentiam, tamen vt modus intrinsecus eius, absolutè tamen. Probatur conclusio. Primò, nam modus intrinsecus rei est inseparabilis ab essentia eius: sed comprehēsio ad minus est modus intrinsecus beatitudinis: ergo inseparabilis ab illa. Maior patet in obscuritate Fidei & alijs exemplis consimilibus. Secundò probatur, nam posito fundamento & termino relationis, est impossibile non consurgere, etiam si realiter distinguatur à fundamento: sed, vt dictum est, comprehensio est habitudo, vel Voluntatis, vt alij volunt, vel, vt nos dixi-

dixìmus, Intellectus ad Voluntatem, quatenus ei proponit bonum apprehenſum: ergo poſito fundamento & termino, nempe viſione proponente, & Voluntate cui proponitur, impoſsibile eſt non conſurgere habitudinem comprehenſionis. Tertiò probatur, nam impoſsibile eſt peruenire ad terminum ad quem, & non reſultare relationem conſequutionis: ſed peruenire ad beatitudinem, nihil aliud eſt, quàm peruenire ad terminum ad quem: ergo neceſſariò ex beatitudine conſequitur habitudo conſequutionis, quæ eſt comprehenſio. *Obiectio* Et ſi contrà arguas, quia, vt dictum eſt, comprehenſio importat propoſitionem Voluntati: ſed poteſt eſſe viſio beatifica non proponens Voluntati: ergo poteſt ab illa auferri ratio comprehenſionis. Minor probatur, in caſu quo Deus ſuſpenderet concurſum in ordine ad Voluntatem, concurrendo cum Intellectu ad viſionem, quod nullam inuoluit repugnantiam: & ſimiliter ſi anihilaret Voluntatem, manente Intellectu beati, quod etiam non repugnat, cùm ſint potentiæ realiter diſtinctæ, & Intellectus non eſſentialiter dependeat à Voluntate, quia prius non dependet à poſteriori; Intellectus autē priùs & immediatiùs conuenit eſſentiæ, quàm Voluntas: *Reſponſio* Reſpondetur tamen, quod comprehenſio ſumitur dupliciter. Primò pro apprehenſione & attractione obiecti ad ſe, & iſta inſeparabilis eſt à viſione, quia, vt dictum eſt, Intellectus ex propria ratione habet eſſe potentiam apprehenſiuam & attractiuam, in quo à Voluntate dependet. Secundo modo ſumitur comprehenſio modo explicato, pro habitudine propoſitionis Intellectus ipſi Voluntati, quatenus ei proponit apprehenſum in ratione boni & finis proſequendi à Voluntate: loquendo ergo de comprehenſione iſto modo, dicimus, quòd ſecundùm actum poteſt per diuinam potentiam ſeparari in caſu poſito in argumento, non tamen poteſt ſeparari ſecundùm radicem, & quantum eſt ex parte ipſius viſionis; nam propoſitio radicalis cōtinetur in apprehenſione Intellectus; quia enim Intellectus ex propria ratione habet attrahere, conſequenter & eſſe qui Volūtati debet prōponere: cū ergo inſeparabile ſit ab Intellectu, attrahere obiectū, & cōſequenter cōprehēſio radicalis; de qua intelligenda ſunt ſupradicta; quod eſſentialiter pertinet ad beatitudinē, ſiue vt eſſentia, ſiue vt modus intrinſecus.

Ad primum argumentū à principio reſpōdetur, omnes in eo debere conuenire, quòd præſentialitas ſit de ratione notitiæ intuitiuæ. Aliqui tamen minus verè dicūt, non requiri præſentialitatem phyſicā, ita vt notitia ad ipſam rē phyſicè exiſtentem terminetur; ſed ſufficere præſentialitatem obiectiuam; hoc eſt, ſic obiici notitiæ, vt poſsit de tali re clarè & diſtinctè, etiam de omnibus accidentibus iudicare: quod poteſt eſſe (inquiunt) per ſpeciē infuſam reſpectu rei etiā non exiſtentis, vt Antichriſti futuri. Veritas tamen eſt & dicendū, requiri præſentialitatem phyſicam ad notitiam intuitiuam, ſiue ſecundùm propriam menſuram, ſiue ſecundùm ſuperiorem, ſecundùm quod talis notitia fuerit menſurata; vt ſi notitia menſuretur tempore, ſecundùm tēpus & locum res cognita notitiæ debet coexiſtere: ſi autē notitia æternitate participata menſuretur, vt intuitiua ſit, debet res cognita in æternitate eſſe præſens phyſicè ſecūdùm propriā exiſtentiā, nec claritas ſufficit vt intuitiua dicatur, quia poſſibiliū quæ nunquā erunt, Deus habet claram notitiam, etiam de omnibus accidentibus & modis illorū; defectu tamen præſentialitatis in æternitate, quæ eſt propria mēſura illius cognitionis, nō eſt intuitiua, ſed ſimplicis intelligētię & abſtractiua: nō ergo ſufficit præſentialitas obiectiua, ſed requiritur phyſica. Cū ergo viſio beatifica ſit notitia intuitiua Dei, eſſentialiter importat præſentiā eius, & cōſequenter cōprehē ſionē. Et licèt reſpectu aliarū notitiarū cōcederemus oppoſitā ſententiā, poſſe eſſe intuitiuā rei abſentis; reſpectu tamē notitiæ intuitiuæ Dei hoc eſt impoſsibile, quia vt ſit intuitiua, neceſſariò debet habere eſſentiā diuinā vnitā in ratione ſpeciei intelligibilis & Verbi, quia per nullā ſpeciē creatā poteſt intuitiue videri, vt dicitur 1.p.q.12. art.2. ergo intuitiua Dei neceſſariò exigit præſentiam phyſicā eius. *Solutio* Nec valet dicere, hoc probare præſentiā intelligibilē permodū ſpeciei, nō autē phyſicā in eſſe entis: nō (inquā) valet, quia in Deo eſſe intelligibile eſt eſſe entitatiuū, vt dicitur 1.p.q.14.ar.4. vnde dumgerit officiū ſpeciei intelligibilis, per ſuā entitatē id facit; vnde impoſsibile eſt in Deo ponere præſentialitatē intelligibilē, & non entitatiuā, niſi præſentialitas intelligibilis ſit per creatā ſpeciē diſtinctā à ſua entitate: dū autē perſe ipſum, habet rationē ſpeciei à præſentia intelligibili inſeparabilis & præſentia entitatiua: eo vel maximè,

Ad 1. arg.

Impug.

ximè, quia cũ Deus omnibus rebus sit præsens, per essentiã, præsentiã, & potentiã, posita claritate cognitionis, & præsentia in esse intelligibili per se ipsum, nihil deficit. Ex his ergo manent soluta omnia quę in argumento sunt posita, quia quæ nobis futura sunt, cognitioni beatæ sunt præsentia in æternitate, vnde non cognoscũt intuitiuè futurũ, sed nobis futurum & sibi præsens.

Ad illud autẽ de Hostia dicitur, secundũ Intellectum post consecrationẽ nõ manere notitiam intuitiuam, & Sensus corrigendus est Intellectu; & si infidelis fuerit oppositũ iudicans, iudiciũ eius falsum est, & notitia omnino abstractiua: loquendo autẽ de notitia Sensus, M. Bañez 1.p.q.78 art.2.dub.3.dicit, manere intuitiuam panis etiam post consecrationẽ; quia licèt nõ maneat panis, manent tamen eius proprietates, ratione quarũ Sensus attingit panẽ. Melius tamen dicitur, manere solũ notitiam intuitiuam accidentiũ, cùm panis non sit præsens secundùm veritatẽ Sensui, nec per se nec per accidentia, sed sola accidentia. Ad illud autẽ de D. Paulo respondetur, quòd eo modo quo habuit essentiã beatitudinis, habuit etiã & comprehensionem; vt autẽ dicit D. Th. 2.2.q.175. non fuit simpliciter beatus, vnde nec simpliciter comprehensor, sed vtrũq; per modum transeuntis, simpliciter enim esse beatũ & comprehensorẽ, non dicit solùm essentiã, sed statum, ad quẽ pertinet permanentia & diuturnitas.

Bañez.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentũ patet ex dictis; siue enim distinguatur realiter, siue non, est tamen modus intrinsecus, & quid necessariò consequutũ; vnde per quancũque potentiam omnino inseparabile.

3. Arg. Ad tertiũ respondetur, dato quòd obiectũ ad cognitionem vtcunq; concurrat tãtũ efficienter, & sic à Deo concursus eius possit suppleri; tamen ad cognitionem intuitiuam præsentialitas concurrit formaliter, & sic suppleri non potest.

4. Arg. Ad quartum respondetur, delectationẽ habere rationẽ passionis consequutæ, & sic per potentiã absolutam posse separari: cõprehensio autem habet rationem modi intrinseci pertinentis ad essentiam, vt dictum est, vnde separari non potest.

Circa illud quod dixit D. Th. quòd Visio correspondet Fidei, Cõprehensio verò Spei, & delectatio Charitati, notandũ est, huiusmodi dotes gloriæ esse pertinentes ad animã; nã in Patria septẽ sunt dotes, quatuor pertinentes ad corpus, tres verò pertinentes ad animã, vt latè docet D. Th. in 4. d.49.q.4.ar.2. Quę ad animã pertinẽt sunt prædictæ, quæ verò ad corpus, sunt quatuor, scilicet Claritas, Agilitas, Subtilitas, & Impassibilitas, iuxta numerũ septẽ virtutũ quæ in Via reperiuntur, quatuor Cardinales, & tres Theologales. Dotes corporis correspõdent virtutibus Cardinalibus, tres verò dotes animæ virtutibus Theologicis. Vocantur autẽ huiusmodi dotes per analogiã & similitudinẽ ad matrimoniũ corporale, vbi puella dotatur, siue à parentibus, siue à spõso: cũ ergo beatitudo sit quoddã matrimoniũ spirituale, anima debet dotari tãquã sponsa, & à tota Trinitate, & spiritualiter à sponso anima: ũ Christo Domino, in signũ eximij amoris: non autẽ dotes cõferuntur vsq; ad Patriã, licèt etiã iustificatio & infusio gratiæ in Via, sit etiã quædã desponsatio, quia quæ fit per gratiã, nõ est despõsatio rata & consummata, sed quasi per verba de futuro, quatenus per gratiam inhærentẽ animæ acceptatur ad amplexus gloriæ; vnde huiusmodi matrimoniũ dissolubile est, & quotidie dissoluitur, dũ anima Deũ deserit, & cõsequenter à Deo deseritur: nõ ergo in Via cõferuntur dotes iustis, quia matrimoniũ non est ratũ, cõferũtur autẽ in gloria, quia iã matrimoniũ ratũ, firmũ & insolubile est & cõsummatũ; quapropter & gratia in gloria cõsummata dicitur. Ex quo sequitur, huiusmodi dotes in gloria nõ se habere antecedẽter ad essentiã beatitudinis, sed potiùs cõsequẽter & quid posterius, quia dos post consummationem matrimonij confertur.

Si autẽ quæras, in quo ratio dotis consistat in Patria; dico, nõ cõsistere in habitu, quia ibi duplex tãtũ est habitus ad beatitudinẽ pertinens, nẽpe Charitas & lumẽ gloriæ; dotes autẽ plures annumerãtur, vt dictũ est. Nõ etiã habet rationẽ dotis, quod fuerit cõmune & quasi perplura diffusum, v.g. inamissibilitas, diuturnitas etiam, quia hæc cõmuniter & indifferẽter se habẽt ad visionẽ, amorem & delectationẽ, vnde potiùs habent rationẽ proprietatis dotiũ, quã rationẽ dotis: debet ergo esse dos aliquid speciale correspõdens in Patria virtutibus Theologicis Viæ, vt dictũ est: huiusmodi autẽ sunt Visio correspõdens Fidei, Cõprehẽsio correspõdens Spei, & Delectatio correspõdens Charitati, vt dicit D. Th. Nec sibi est cõtrarius ar. 2. præcedẽti, vbi dixit, visionẽ correspõdere Charitati vt finẽ; quia Fidei correspõdet in ratione dotis, Charitati

tati autē, vt ipse dicit, in ratione finis; quia licèt omnia quæ in beatitudine reperiuntur, habeant rationē præmij meritorū Charitatis, & in hoc visio nō specialiter Charitati correspondeat; tamen in ratione finis Charitati correspondet visio, quia omnia, siue quæ in Via sunt à Charitate, siue quæ in Patria reperiuntur, ad visionē, vt ad vltimū finē, ordinantur. Qualiter autem visio beatifica possit habere rationē dotis, cū sit essentia ipsius beatitudinis & matrimonij, dos autē debeat esse aliquid posteriùs se habens, vt dictū est, explicatū est suprà, hoc habere secundū diuersam rationē formalē; deficit autē analogia dotis ad matrimoniū corporale in eo, quòd in isto dotes dātur ad duo, & ad ferenda onera matrimonij, & vt iucūdiùs coniuges se habeāt; in Patria ergo dotes pertinent ad iucūditatē, nō autem ad onera ferēda, quæ ibi nulla sunt.

ARTICVLVS IIII,
Vtrùm ad beatitudinem requiratur rectitudo Voluntatis.

Inf. q. 5. a. 4. & 7. co. & opusc. 3. 2. 173. q. 3. ar. 4. c. 4 nō lōge à pricipio. to. 1. & lib. 1. Solilo. c. 1.

AD quartū sic proceditur. *Videtur quòd rectitudo Voluntatis non requiratur ad beatitudinē. Beatitudo enim cōsistit in operatione Intellectus, vt dictū est: sed ad perfectā Intellectus operationē non requiritur rectitudo Voluntatis, per quā homines mundi dicuntur; dicit enim Aug. in lib. 1. Retract. Non approbo quod in oratione dixi: Deus qui non nisi mūdos verū scire voluisti; Responderi etiā potest, multos etiā & nō mundos multa scire vera: ergo rectitudo Voluntatis non requiritur ad beatitudinem.*

2 *Præterea. Prius non dependet à posteriori: sed operatio Intellectus est prior quā operatio Voluntatis: ergo beatitudo, quæ est perfecta operatio Intellectus, non dependet à rectitudine Voluntatis.*

3. *Præterea. Quod ordinatur ad aliquid tanquā ad finē, non est necessariū adepto tali fine: sicut nauis, postquā peruenitur ad portū: sed rectitudo Voluntatis quæ est per virtutē, ordinatur ad beatitudinē, tanquā ad finē: ergo adepta beatitudine, nō est necessaria rectitudo Voluntatis.*

Sed contra est quod dicitur Matth. 5. Beati mūdo corde, quoniā ipsi Deū videbunt. Et Hebræ. vltimo. Pacē sequimini cū omnibus, & sanctimoniā, sine qua nemo videbit Deum.

Respondeo dicendū, quòd rectitudo Voluntatis requiritur ad beatitudinē, & antecedenter & concomitanter. Antecedenter quidē, quia rectitudo Voluntatis est propter debitū ordinē ad finē vltimū; finis autē cōparatur ad id quod ordinatur ad finē, sicut forma ad materiam; vnde sicut materia non potest cōsequi formā, nisi sit debito modo dispositā ad ipsā; ita nihil cōsequitur finē, nisi sit debito modo ordinatū ad ipsum: & ideò nullus potest ad beatitudinē peruenire, nisi habeat rectitudinē Volūtatis. Concomitāter autē, quia sicut dictū est, beatitudo consistit in visione diuinæ essentiæ, quæ est ipsa essentia bonitatis: & ita Volūtas vidētis Dei essentiā, ex necessitate amat quidquid amat sub ordine ad Deū: sicut Voluntas nō vidētis Dei essentiā, ex necessitate amat quidquid amat sub cōmuni ratione boni quā nouit: & hoc ipsum est quod facit Volūtatē rectā. Vnde manifestum est, quòd beatitudo non potest esse sine recta Voluntate. q. 3. ar. 8.

Ad primū ergo dicēdū, quòd Aug. loquitur de cognitione veri, quod nō est ipsa essentia bonitatis.

Ad secundū dicendū, quòd omnis actus Voluntatis procedit ab aliquo actu Intellectus: aliquis tamē actus Voluntatis est prior quàm aliquis actus Intellectus: Voluntas enim tēdit in finalē actum Intellectus, qui est beatitudo, & ideò recta inclinatio voluntatis præexigitur ad beatitudinem; sicut rectus motus sagittæ ad percussionem signi.

Ad tertium dicendum; quòd non omne quod ordinatur ad finem, cessat aduenientе fine: sed id tantùm quod se habet in ratione imperfectionis, vt motus: vnde instrumenta motus non sunt necessaria postquàm peruenitur ad finem, sed debitus ordo ad finem est necessarius.

Conclusio est: Rectitudo Voluntatis requiritur antecedenter & concomitāter.

DVBIVM I.

Circa primam partem conclusionis,

Vtrùm sit vniuersaliter vera, quòd ad consequutionem beatitudinis semper & in omnibus requiratur, rectitudinem Voluntatis antecedere.

Argumen. PRobatur quòd non. Nam Christus Dominus fuit beatus ab instanti suæ conceptionis, & consequenter nonpotuit esse in illo antecedenter rectitudo Voluntatis, quia ante illud instans Volūtas humana non erat, vt rectificaretur. Item pueri qui decedunt baptizati ante vsum rationis, consequuntur beatitudinem; & in eis non præcessit talis rectitudo Voluntatis, quia nullum habuerunt in Via actum proprium. Item qui existens in peccato mortali rapitur ad martyrium, obtinet gloriam, quia hoc est priuilegium martyrij, vt docet D. Thom. 3. part. q. 87. quod ex opere operato iustificet, & conferat gloriam: ergo sine præuia rectitudine Voluntatis potest gloriam consequi.

Conclusio. Conclusio tamen D. Thom. loquendo de lege ordinaria, est de Fide, vt patet ex illo Psal. 14. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Et respondet: Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. Et Psalm. 23. Quis ascendet in montem Domini? Et respondet: Innocens manibus, & mundo corde. Et Psalm. 130. Habitabunt recti cum vultu tuo. Et Sapientiæ 7. Nihil inquinatum intrabit in eam. Et Esai. 35. Via sancta vocabitur, & non transibit per eam pollutus. Et Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. De quo videatur August. Serm. 175. de tempore, item ad Hebræos vltimo, Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. De quo videatur Chryso. Homilia 36. in Ieremiam. Et Iacobi 1. Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo. Et Apocal. 21. Non intrabit in eā aliquid coinquinatum aut abominationem faciens. Et capit. 22. postquàm dixit beatos qui lauerunt stolas suas in sanguine Agni, subiungit, non intraturos portas illius ciuitatis veneficos, impudicos, homicidas, & idōlis seruientes, & qui amat & facit mendacium. Et 1. Petri 1. Satagite per bona opera certam facere vocationem vestram. Et Ioann. 6. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Et Apocalyp. 4. Opera enim illorum sequuntur illos. Et 2. Corinth. 5. Vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit. Et in Symbolo canitur: Qui bona egeruntur, ibunt in vitam æternam. Et hoc expōscitur Leuitici 19. Sancti estote, quia ego sanctus sum: quod quasi repetitur Matth. 5. Perfecti estote, sicut Pater vester cælestis perfectus est. Denique hoc docet tota Ecclesia per communem consensum, tanquàm traditionem Apostolicam: & hoc diffinitur in Cōcilio Tridentino Sessione 6. per multos Canones hoc ipsum sanciens, & est celebris illa sententia Aug. tom. 8. super primum versum Psam. 128. dicentis;

Psalm. 14. *Et 23. & Psal. 130.* *Et Sapi. 7.* *Et Esa. 35* *Et Mat. 5.* *August. Ad Hebr. vltimo.* *Chrysost. Et Iac. 1.* *Apoca. 21* *Et 22.* *1. Pet. 1.* *Et Ioan. 6* *Et Apo. 4* *Et 2. ad Corinth. 5.* *Et in Symbolo, Et Leuitic. 19.* *Matth. 5.* *Conc. Trid. Sessione. 6.* *August. Psal. 128.*

dicentis;Si vis esse beatus, esto in Via immaculatus. Demum in hoc exuperat nostra Religio omnes alias sectas quæ fingi possunt, quòd summam à suis sectatoribus exigit munditiam, nimirum in cogitatu,loquutione,& opere.Secundò probatur, quia de Fide est, quòd omnes nascimur filij iræ, & auersi à Deo vltimo fine per peccatum originale:ergo vt finem vltimum consequamur, ad illum nos debemus conuertere; impossibile enim est, quòd ad id ad quod quis non conuertitur, consequatur illud,ad minus de lege ordinaria:ista autem conuersio non fit nisi per rectificationem Voluntatis:ergo. Tertiò probatur. Adultus meretur beatitudinem de condigno per proprios actus:sed, vt dicitur infrà quæstio. 114.arti.3.meritum de condigno supponit gratiam & Charitatē: ergo rectificationem Voluntatis;Charitas enim Voluntatem rectificat,cùm ipsam dirigat in vltimum finem,quem Charitas respicit. Vltimò probatur ex proportione ad naturalia: forma enim non introducitur de lege ordinaria, nisi materia dispositæ:vt ergo homo consequatur perfectissimam formam, qualis est beatitudo, debet in illo præcedere dispositio ad talem formam;non autem alia melior potest assignari,quàm rectitudo Voluntatis: ergo.

Ad argumenta ergo in principio respōdetur.Ad primam quidem partē de Christo Domino, aliqui dicunt,conclusionem D Thom.intelligendam esse de purè Viatoribus;Christus autem Dominus fuit simul comprehēsor,&sic non currit de illo. Meliùs tamen dicitur,de omnibus verificari.dummodò intelligatur quòd rectitudo Voluntatis debet precedere,siue priùs tēpore,siue priùs natura: præcessit ergo natura etiam in Christo Domino rectitudo Voluntatis ad gloriam; priùs enim intelligitur gratia vnionis, & postmodùm gratia habitualis,& consequenter inde dimanantes virtutes infusæ,& primò Charitas rectificans Voluntatem, postmodùm autem intelligitur animam eius glorificari. Hoc *D. Thom.* insinuat D.Tho.3.p.q 34.in ordine articulorum,nam in primo agit de sanctificatione in anima Christi per gratiam;in articulo autem quarto agit de illius gloria, vbi insinuat,præcessisse sanctificationem, saltem natura. Item articulo tertiò docet, quòd anima Christi fuit sanctificata per primum actum, sicut adultus, & non sine actu,vt paruulus iustificatur:si ergo ad iustificationem præexigit D. Thom. actum natura præcedentem,cur etiam non præexigetur ad gloriam.Ad secundam propositionem argumenti de pueris, respondetur,quòd cùm per baptismum iustificentur,non solùm priùs natura, sed etiā priùs tempore,manet Voluntas eorum rectificata,si non per proprium actum, cuius nō sunt capaces,tamen per habitum Charitatis dimanantem,à gratia: cùm enim deordinatio eorum tantùm esset habitualis ex actu alieno Adam; ita rectificationem sufficit esse habitualem prouenientē ex actu alieno Christi Domini. Si autem ponitur casus metaphysicus, quem aliqui fingunt, quòd puer baptizetur taliter,quòd instans extrinsecum motus lotionis & prolationis verborum,in quo debet conferri gratia Sacramenti,sit etiam instans extrinsecum vitæ,& primum non esse pueri; tunc dico,quòd gratia Sacramenti nō conferretur defectu subiecti recipientis gratiam Sacramentalem;debet enim esse Viator; in illo autem instanti extrinseco vitæ &prolationis verborum Viator non est,vnde talem gratiam non reciperet: etsi enim illud instans extrinsecū motus reputetur quasi intrinsecum iustificationis Sacramentalis, hoc erit,si subiectum Sacramētorum præsupponatur, & non aliàs.Dato autē,quòd gratia Sacramentalis in illo instanti extrinseco conferretur,nihil contra nos,quia tūc etiam natura præcedit iustificatio & rectificatio Voluntatis ad glorificationem. Ad tertiā partē argumenti, dicūt aliqui,martyrium non esse essentialiter nisi in instanti extrinseco vitæ,& consequenter tunc dari gratiā collatam per martyrium: hoc tamen mihi non videtur verū, sed dicendū, martyriū esse essentialiter,quando vulnus est lęthale,& ineuitabilis mors. Et si dicas, *Obiectio.* quòd tunc sequeretur, posse martyrem amittere coronā martyrij,quia in illo tēpore subsequuto ad martyriū ante mortē potērit peccare: Respondetur, ad prouidentiā Dei pertinere,conseruare illum,&ei dare donum perseuerantiæ;vnde licèt in sensu diuiso possit peccare,non tamen in sensu composito,& de facto non peccabit. Secundò meliùs dicitur,quòd licèt martyriū cōpleatur,&gratia eius cōferatur antemortem, tamen in tam parua distantia mortis adeò cognita, vt iam non sit vsus rationis, nec sui compos vt possit peccare; dato tamē quòd gratia martyrij in instanti extrinseco vitę conferretur,dicendum vt suprà, *Responſ.* *2. Solut.*

nihil contra nos, quia tũc etiam natura præcederet iustificatio, & rectificatio Voluntatis ad glorificationem.

DVBIVM II.

Circa secundam partem conclusionis D. Thomæ.

Vtrùm de potentia ordinaria possit deficere rectitudo Voluntatis concomitans beatitudinem.

1. *Arg.* PArs affirmatiua probatur. Primò. Ita se habet rectitudo Volũtatis naturalis ad beatitudinẽ naturalem, sicut rectitudo supernaturalis ad beatitudinẽ supernaturalẽ: sed rectitudo naturalis potest separari de lege ordinaria à beatitudine naturali: ergo & rectitudo supernaturalis à beatitudine supernaturali. Maior patet ex proportione vtriusque beatitudinis. Minor verò probatur in dæmone, quia cùm fuerit creatus in beatitudine naturali, rectitudinem Voluntatis amisit.

2. *Arg.* Secundò arguitur. Beati in Patria sunt liberi, vel, secundũ aliquos, etiã circa obiectũ primariũ beatitudinis, vel adminus, secundũ veritatem, circa aliqua extra verbũ, circa quæ quoad exercitiũ non necessitantur: ergo possunt tales actus nõ exercere, & consequenter à rectitudine Voluntatis deficere, si tales actus sint præcepti; in hoc enim libertas consistit, vt possint facere & non facere illud.

3. *Arg.* Tertiò arguitur. Si propter aliquã rationẽ rectitudo Voluntatis esset necessaria & inseparabilis, maximè propter rationẽ D. Tho. quia sic se habet Deus clarè visus respectu Volũtatis beati, sicut bonũ in cõmuni respectu Volũtatis Viatoris; immò & melius, quia in Dei claravisione apparet explicitè & cõplete tota ratio bonitatis; in bono autẽ in cõmuni solũ implicitè & incõfuso: sicut ergo Viator nõ potest diuertere à bono incõmuni, sed necessariò quidquid vult, sub ratione boni vult: ita beatus nõ potest diuertere à bonitate diuina clarè visa, sed necessariò quidquid vult, vult in ordine ad illã, & in hoc cõsistit rectitudo Volũtatis, vt omnia faciat propter Deũ: sed hæc ratio est nulla: ergo. Minor probatur. Primò, quia nõ est eadẽ ratio de bono in cõmuni & essentia Dei clarè visa, quia cũ bono in cõmuni tantũ opponatur malũ, & sub ratione mali Volũtas appetere nõ possit, necessariò appetit in ordine ad bonũ incõmuni: essentiæ autẽ diuinæ clarè visis nõ tantùm opponitur malũ, sed & multa alia bona præter Deũ: poterit ergo appetere illa, & sic non necessariò operabitur in ordine ad diuinã essentiã. Secundò probatur eadẽ minor, quia videns diuinã essentiã, nõ necessario cognoscit omnia agibilia ab ipso: ergo si operetur ex ignorãtia alicuius agibilis, poterit errare volũtas; taliter enim vtraq; potẽtia connectitur, vt admisso errore in Intellectu, necessariũ sit & admittere illũ in Volũtate. Tertiò probatur eadẽ minor, nã admissa proportione essentiæ diuinæ ad bonũ in cõmuni, tãtũ sequitur necessitas quoad specificationẽ, nõ verò quoad exercitiũ; quia bonũ in cõmuni, tantũ necessitat quoad specificationẽ: ex hoc autẽ nõ sequitur rectitudo Volũtatis, nã ista cõsistit in exercitio actuum si; ergo quoad exercitiũ nõ necessitatur, nec etiã rectitudo est necessaria, sed poterit deficere.

4. *Arg.* Quartò principaliter arguitur. Charitas Viæ potest esse perfectior & intẽsior quã Charitas Patriæ, vt Charitas Beatæ Virginis, v.g. etiã in Via maior erat quacũq; gratia Angeli beati: sed Charitas Viæ nõ necessario rectificat Volũtatẽ, quia potest deficere, & Viator est in statu peccabili: ergo ne Charitas Patriæ necessariò rectificat. Patet consequentia, quia quod non fit à maiori, non potest fieri à minori.

5. *Arg.* Quintò arguitur. Talis necessitas rectitudinis nec prouenit ab obiecto cognito, nec à visione beatifica, nec à Volũtate: ergo talis rectitudo nõ est. Patet cõsequentia, quia nõ potest assignari aliud à quo talis rectitudo proueniat. Prima pars antecedentis patet, quia obiectũ nõ necessitat quoad exercitiũ, quia tantũ mouet Voluntatẽ quoad specificationẽ. Secũda verò pars patet eàdẽ ratione, quia visio tantum mouet ex parte obiecti. Tertia verò probatur, nã Volũtas ex propria ratione est libera: ergo ex parte illius non potest sumi necessitas, sed si esset, ab alio extrinseco deberet prouenire.

Origenes. In hac re fuit essentia Orig. homi. 13. & 35. in Luc. hom. 20. & 24. in Numer. & 1. Periar. c. 6. & 2. Periar. c. 3. asserentis duo. Primũ, beatos posse peccare, quia possunt amittere beatitudinẽ, immò de facto (inquit) peccabunt, quia de facto beati amittẽt beatitudinẽ, & damnabũtur, sicut & multi dãnati saluabuntur, quia multi eorũ redibunt ad hanc vitã; & qui aliàs erant beati, peccando dãnabuntur, & qui erat damnati, per pœnitentiã erunt salui. Secundò dicit,

cit,quòd etiã urante beatitudine,peccata cõmitti possunt,& cõmittuntur;quia (inquit,) Angelos Custodes trahendos esse in iudiciũ quia negligentes sunt in nostra custodia. Primũ dictũ tenuit deceptus errore Platonicorũ de transmigratione animarũ, vt inquit D. Th. inf. q. 5. ar. 4. vnde forsan fuit talis error insertus Origeni à Platonicis; de quo videatur D. Aug. 13. de Trinitate, cap. 8. & 9. & 12. de Ciuitate, & melius lib de Hæreticis, c. 43. Secundũ dictũ etiã excusatur à D. Tho. 1. p. q. 113. vbi inquit, mentẽ Origenis tãtũ fuisse, ad duscẽdos esse in iudiciũ Angelos Custodes, vt testes cõtra peccatores, nõ vt de proprijs reatibus iudicẽtur. Sed quidquid sit de mente Origenis, talis assertio est error cõtra Fidẽ, & expressa hæresis, vt patet Matt. 25. Ibũt hi in suppliciũ æternũ, iusti autẽ in vitam æternã. Non tẽporale vel annale dixit, sed æternũ, in quo finis nõ est. Et Psal. 83. Beati qui habitant in domo tua: in sæcula sæculorũ laudabunt te. Et rursus, Nõ cõmouebitur in æternũ, qui habitat in Ierusalẽ. Et Esai 33. Oculi tui videbunt Ierusalẽ habitationẽ opulẽtã, tabernaculũ quod nequa quã transferri poterit, nec auferentur clauei eius in sempiternũ, & omnes funiculi eius nõ rũpentur, quia ibi solũ modò magnificus est Dominus Deus noster. Et Apoc. 3. Qui vicerit, faciã illũ columnã intẽplo Dei mei, & foras nõ egredietur ampliùs. Quòd autẽ durante beatitudine, iusti nõ peccẽt, probabitur in cõclusionibus, vbi demõstrabitur, nõ posse peccare: & cõsequentia erit bona, ea potẽtia ad actũ negatiue: interim tamen loquendo de potẽtia, fuit sententia Fabri Stapulẽsis lib. de triplici magdalena (licèt Val. q. 4. pun. 1. neget, talẽ sententiam tenuisse Fabrũ) dicẽtis, nõ in omnibus ad hibendã esse fidẽ D. Th. quia in multis errauit, vt est illud, quòd beati habent rectã voluntatẽ, & nõ possunt peccare; quia hoc est (inquit) cõtra illud Iob. 4. Qui seruiunt ei, nõ sunt stabiles; & in Angelis suis reperit prauitatẽ. Ex quo loco, si aliquid probaret, probaret etiã de facto quod ipse Faber cõcedit. Sed omittatur, quia loquutus, est vt faber, & locus ab ipso allegatus multas habet explicationes. Primò, quòd loquatur de omnibus iustis, nã in sacra Scriptura sæpissime Angeli nuncupãtur, in quibus tamẽ multa venialia reperiũtur. Secundò potest intelligi cũ D. Greg. li. 5. Moral. c. 27. quòd loquatur de Angelis, dũ fuerunt Viatores. Vltimò potest intelligi, quòd tantũ est ex natura Angeli, & nõ prout in illo statu; certũ enim est, solũ Deũ ex propria natura esse impeccabilẽ. Vel potest intelligi (si dò Angelis beatis loquatur) incõparatione ad stabilitatẽ & impeccabilitatẽ Dei, sicut & creatura licet habeat esse, cõparatione ad Deũ vocatur nihil, quia Deus est per essentiã, creatura verò per participationẽ: cũ ergo Deus per essentiã sit impeccabilis, beatus autẽ per participationẽ, cõperatione ad Deũ, beat⁹ etiã peccabilis dicipotest.

D. Thom. D. Aug. D. Thom. Matt. 25. Et psa. 38.

Prima cõcl. Rectitudo Volũtatis est necessaria in Patria, nec potest beatus deficere ab illa. Hęc est D. Th. hic &, 1. p. q. 60. a. vlt. ad vltimũ, estq; de Fide, vt patet ex locis sacræ Scripturæ adductis cõtra Originẽ; nõ enim solũ probant, nõ posse amittere beatitudinẽ, sed quòd in illa defectus Volũtatis esse nõ possit. Et in super patet ad Eph. 4. Vt exhiberet sibi sponsam sanctã immaculatã, nõ habentẽ rugã, quòd licèt explicetur de Ecclesia Militãti, quæ sancta est & pulchra; meliùs tamẽ explicatur de Ecclesia Triũphante: vnde Matth. 5. Fiat Voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. Et Apoc. 7. Angn⁹ reget illos, & deducet illos ad vitę fontes aquarũ: Et sunt ante thronũ Dei, & seruient ei die ac nocte. Et Ezec. 34 Quod fractũ fuerat, alligabo, & quod infirmũ erat, cõsolidabo. Et Sap. 7. Nihil coinquinatũ incurrit in eã. Et 1. Pet. 1. Regenerauit nos in spẽ viuã, immarcessibilẽ, incõtaminatã, & cetera. Hoc etiã docet Augu. lib. de Fide ad Petrũ, c. 23. & in Inch. c. 57. D. Isid. lib. 1. de sũmobono, c. 12. D. Greg. lib. 34. Mor. c. 7. D. Ioã. Damas. 2. de Fide, c. 3. & Naziã. orat. 44. & Bed. tom. 8. in li. q. q. 9. Et ratione probatur. Primò, quia vt supra dictũ est, Charitas habet necessariã cõnexionẽ cũ visione beatifica: ergo & rectitudo Volũtatis. Patet cõsequentia, quia stãte Charitate in Volũtate, de ordinari non potest, ad minus secũdũ mortale, quod impossibile est cũ Charitate. Non (inquam) valet, quia peccabilitas non est potentia, sed impotẽtia; aliàs enim Deus nõ omnipotens esset, quia peccare nõ potest. Nec valet rursus dicere, peccabilitatẽ importare libertatẽ, quę maxima perfectio est. Nõ (inquã) valet, quia libertas nõ exigit posse peccare; Deus enim maximè liber est, & peccare nõ potest: vnde in beatis libertas manet, nõ autẽ peccabilitas. Vnde ait Aug. in Ench. to. 3. c. 105. Sic enim oportebat, pri⁹ hominẽ fieri, vt bene velle posset & malè; nec gratis, si bene, nec impunè, si male: postea

Ezech. 34. Et Sapi. 7. Et 1. Pet. 1 Auguſt. Iſidor. D. Greg. Damaſc. Et Naz. Beda. Auguſt.

verò sic erit,vt malè velle non possit; nec ideò libero carebit arbitrio;multo enim liberius erit arbitrium,quod omnino nō poterit seruire peccato. Verum est, quòd formaliter in ordine ad peccatum, non est liber,quia illud patrare non potest; sed hoc potius importat perfectionem in arbitrio, ex eo quòd sit in statu vltimi finis;maxima enim perfectio est lapide in centro quiescere,cuius eratperfectio antea in centrum moueri:determinatio ergo arbitrij in Patria ad bonum,est quasi quies ex adeptione vltimi finis & summi boni prouenies, remanetque solùm libertas intra bonum; quod maximè libertatem Dei est participare. Tertiò probatur conclusio . Beatitudo est summa felicitas,quæ excludit omnem miseriam:ergo peccatum & omnem potentiam peccandi. Patet consequentia, *Augusti.* quia hæc est maxima miseria: vnde Augustin. 13.de Trinitat. capit.5.&6. dicit: Mala voluntate vel sola quisque miser efficitur,sed miserior potestate,qua desiderium malæ voluntatis impletur. Quartò probatur. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus : ergo habet annexam securitatem nunquàm amittendi bonum quod habet, nam hoc maximū bonum est; non enim cum timore amittendi possessionem boni est perfecta possessio, rursus: ergo habet etiam impeccabilitatem . Patet ista consequentia, quia si peccare posset, posset amittere beatitudinem, quia cum peccato non stat beatitudo, vt infrà dicetur. Quintò probatur. Voluntas non potest cessare ab aliquo actu, nisi in illo concipiat rationem alicuius mali , vel difficilis , aut impedientis maius bonum:sed nullum horum potest iudicare beatus de amore Dei : ergo non potest Voluntas;eius ab amore cessare,& consequenter nec amittere rectitudinem Voluntatis . Minor probatur, nam amor est bonus & facilis in Patria,vbi nulla est resistentia vel pugna, & bonitas obiecti clarè videtur. Nec potest dici,non posse esse iudicium rectum de cessatione amoris propter rationē dictam,posse autem esse iudiciū erroneum, secundùm quod apprehendat,bonum esse ab amore cessare. Nō (inquam) valet,quia visio beatifica,vt suprà dictum est,simul est practica & speculatiua, & in vtraque ratione perfecta & summa : ergo sicut in speculabilibus errare non potest , ita nec in practicis & agibilibus ; vnde tale iudicium de conuenientia,cessandi ab amore esse non potest.

Secunda conclusio. Non solùm est ne- 2. *Concl.* cessaria in Patria rectitudo Voluntatis quoad mortalia, sed etiam quoad venialia. Hanc conclusionem probant omnia loca sacræ Scripturæ allata, quia veniale etiam est macula & coinquinatio animæ: si ergo per prædicta loca omnis macula & immūditia à beatitudine expellitur, non solū negandum est mortale,sed etiāveniale in illo statu. Secundò probatur. Maior est reatus culpæ,quām pœnæ : sed in Patria non admittitur reatus pœnę,etiā venialis,quia ad hoc ponitur Purgatoriū,vt à tali reatu mūdentur:ergo à fortiori nec ibi reatus culpę etiam venialis esse potest. Tertiò patet ex illo Boetij,quòd est status omnium bonorum,&c.à quo excluditur omne malū:ergo & veniale. Patet consequentia,quia veniale,maius malum est, quām omnia mala pœnæ quę sunt in mundo;quæ tamē nullus admittit in illo statu . Item ex illo Augusti. *Augusti.* Beatus est,qui habet quidquid vult, & nihil mali vult:contradicit autē beatitudini etiā velle venialia, quia & hoc ipsum est malū. Quartò probatur,quia si ibi esse possent venialia,nō esset Ecclesia Triumphans, sed Militans ; quia venialia hostes sunt animæ. Vltimò probatur,quia nō esset in illo statu totalis lætitia,sed aliqua tristitia admitteretur; quia cùm tristitia sit de malo præsenti,& veniale sit malum,de illo tristaretur,cōtra illud Apoca. Nō erit amplius neq;luctus,&c. Et si contra prædictā *Obiectio.* conclusionē arguas,quasialiquis,v.g.decederet in peccato veniali,existens in gratia, sine dolore & pœnitētia illius,ille talis saluaretur,& nihilominus intraret in beatitudinē cum veniali, quia nō potest assignari quādo fuerit remissum:Non in Via, quia supponimus decessisse in illo, quia nūquā eius habuit dolorē:Non post mortē, quia iam subiectū est incapax pœnitentiæ, per quā tale peccatū deleatur ante ingressum gloriæ:Neq; potest dici, Purgatoriū illud delere, quia Purgatoriū non delet culpā, sed in illo soluitur pœna:ergo: Respondetur,hoc tangere aliud dubiū infrà resoluēdū,vtrū peccatū habituale cōpatiatur cum beatitudine. Qui ergo tenet partē affirmatiuā,posset respondere,quòd in Patria nō potest peccatū veniale cōmitti actuale; nō autē esset cōtradicta,iā cōmissum in Via,remanere in Patria;quia hoc est peccatū habituale. Vnde respōdetur secūdò,hāc esse dif- *Resp. 1.* ferētiā inter veniale & mortale,q; mortale *2.Sol.ver.*

oppo-

opponitur Charitati,& illam excludit;veniale autem non opponitur Charitati,sed eius feruori, vnde non excludit Charitatem,sed feruorem Charitatis: quapropter vt mortale remittatur, debet de nouo infundi gratia & Charitas:vt autem remittatur veniale, non requiritur Charitatis infusio,sed Charitatis infusę feruor:cùm ergo post mortem Charitas infundi non possit de lege ordinaria,post mortem mortale dimitti non potest:potest autem Charitas post mortem feruere, & sic post mortem potest veniale dimitti: per feruorem ergo Charitatis habitum in primo non esse vitæ, dimittitur veniale ante ingressum gloriæ,in Purgatorio,licèt simpliciter homo non sit viator, vnde nec possit mereri vel demereri: quodammodò tamen & secundùm quid potest dici viator ante adeptionem gloriæ, vt in illo statu per feruorem prædictum Charitatis excludantur venialia.

1. *Arg.* Ad primum argumentum à principio respondetur. Primò,non esse eandem rationem vtriusque beatitudinis, quia naturalis non dicit perfectam cognitionem summi boni, quia non cognoscit Deum, vt in se est;vnde à tali fine potest deuiare & deficere:beatitudo autem supernaturalis, est perfecta cognitio;vnde simpliciter habet rectificare. Secundò respõdetur, etiam beatitudinem naturalem rectificare; & si Angelus peccauit contra finem naturalem,non fuit immediatè,sed mediatè,peccando cõtra finem supernaturalem, quem perfectè non cognoscebat; & quia cum defectu à fine supernaturali, non stat rectitudo finis naturalis, ideò consequenter deficiendo ab vno,deficit ab alio.

2. *Solutio.*

2. *Arg.* Ad secundum argumentum,supposito beatum non esse liberum in actu amoris circa Deum, quia necessariò sequitur ex visione,nec oppositum potest esse probabile, loquendo de aliis actibus & agibilibus extra Verbum,concedimus, circa illa habere libertatem quoad exercitium, licèt sit necessitas quoad specificationem; potest enim facere & non facere tales actus, sed non potest facere illos propter alium finem,quàm sit Deus clarè visus. Si autem de ipso exercitio actus sit præceptum, iam ex suppositione præcepti & in sensu composito necessariò operatur. Sicut dici solet de Christo Domino, quòd licèt absolutè fuerit liber in acceptione mortis, non tamen ex suppositione præcepti: itaque est libertas contradictionis ad facere vel non facere,non tamen est libertas contrarietatis ad posse peccare vel non peccare. Supposito ergo ex suppositione præcepti esse peccatum,etiam quoad exercitium necessitatur. Quod clariùs dicitur, quòd voluntas beati quoad specificationem est necessitata & determinata ad vltimum finem; quoad exercitium tamen absolutè est libera:sed si ex exercitio actus propter præceptum eius,læditur necessitas & determinatio quoad specificationem,tunc ex necessitate quoad specificationem infertur necessitas quoad exercitium, quod tantùm est esse necessarium exercitium in sensu composito. Quod adhuc clariùs dicitur, impeccabilitatem esse intrinsecam beato; necessitas autem exercitij actus (si est præceptum) non est intrinseca, sed ab extrinseco prouenit, nempe ab impeccabilitate præcepto suppositа intrinseca illi statui: vnde beatus non se habet in illo casu sicut confirmatus in gratia, vel habens auxiliũ efficax ad operandũ, quia confirmatus in gratia vtrumq; habet ab extrinseco, si licet impeccabilitatẽ,& exercitiũ actus præcepti;ex propria enim natura peccabilis est,& solũ ex determinatione auxilij in sensu cõposito peccare non potest; beatus autem absolutè & in sensu diuiso &ab intrinseco impeccabilis est, vt infrà dicetur;determinationem autem exercitij actus præcepti in sensu composito & ex suppositione impeccabilitatis habet.

3. *Arg.* Ad tertium argumentum respõdetur, optimam esse rationem D. Thom. Ad primam impugnationem respondetur,quòd sicut bono in comuni non opponitur nisi malum;ita similiter diuinæ essentiæ, quia in illa est perfectissima ratio boni;&quodcũque bonũ est participatio illius;vnde qđ diuinã essentiã non participat,sed ei opponitur,necessariò est malũ: & si in Via propter aliqua bona particularia deseritur Deꝰ, & sit ei oppositio,hoc prouenit,quia diuina bonitas nõ perfectè cognoscitur: hoc autẽ non currit in Patria,vt dictũ est. Ad secundã impugnationẽ respondetur, quòd licèt beatus nõ necessariò cognoscat omnia diligenda & agenda, tamen occasione currente diligendi vel agendi aliquid, ex natura beatitudinis prouenit, vt ipse attendat, & ex visione beatifica discat quid agẽdũ sit;cũ sit determinatus,vt in omnib⁹ agat propter finẽ beatitudinis;sicut dęmõ, v.g. licèt non semper sit in actu in ordine

ad

ad omnia agenda ab ipso, quia tamen obstinatus est in malo, ex tali adhæsione inflexibili prouenit, occasione se offerente, vt attendat & vt ordinet actionē ad finē, cui obstanter adhæret. Similiter Angeli viatores, licèt non semper essent in actu circa agenda ab illis; tamen ex determinatione ad finem naturalē esset ordinatio. Sic dicē dū est de beatis; licèt enim non necessariò cognoscant omnia agenda, sicut Angeli omnia naturalia cognoscebant ad finē naturalem, tamē ad naturā beatitudinis pertinet, cognoscere quę ad propriū statū pertinent; & si quid aliud est agendū, attendere vt agat propter finē cui immobiliter adhæret. Vel clariùs dicitur, quòd licèt ad beatitudinē non requiratur necessariò cognitio omniū agendorū extra Verbū; tamē si aliquid ab illo beato debet agi, ex natura beatitudinis ei debetur vt illuminetur à Deo, & ei conferantur species eius quod debet agere; & sic ex tali reuelatione & specie extra Verbū non potest errare, nec ex errore agere. Ad tertiā impugnationē respondetur, quòd licèt beatitudo absolutè & ab intrinseco solū determinet quoad specificationē; consequenter tamen sequitur, quòd in exercitio errare non possit, quia hoc destrueret determinationē quoad specificationē: vnde insensu cōposito ex impeccabilitate & determinatione quoad specificationē, prouenit, vt in exercitio rectè operetur, vt dictum est.

4. Arg. Ad 4. arg. principale respondetur, quòd impeccabilitas non prouenit ex intensione Charitatis, sed ex statu illius, ex eo quòd in Patria regulatur cognitio clara diuinæ essentiæ, tāquā fūmi boni, à quo nō potest iudicare cōueniens diuertere: hoc autē nō habet Charitas in Via, quantūcūq; intēsa, cūreguletur à Fide & cognitione obscura.

5. Arg. Ad 5. respond. petere peculiarē difficultatē, quam ex parte tetigimus, & pro ampliori intelligentia eius sit.

DVBIVM III.

Vtrùm ex natura beatitudinis & ab intrinseco proueniat rectitudo Voluntatis, & dilectio Dei in beatis; an verò ex aliquo extrinseco & manu tenentia aut denegatione cōcursus ad peccati actum.

1. Arg. PRobatur quòd proueniat ab extrinseco. Primò, nā Voluntas nō mutatur aut destruitur in Patria: sed natura Voluntatis est esse liberā: ergo si in Patria necessariò rectificatur, erit ratione alicuius extrinseci determinantis ipsam. Cōsequentia est bona; & maior probatur, quia gratia nō destruit naturā, sed perficit: ergo in Patria nō tollitur, sed magis perficitur.

Secūdò arguitur. Actus Charitatis in Via & Patria sunt eiusdem speciei, iuxta illud Pauli; Charitas nūquā excidit: sed in Via est liber ab intrinseco actus Charitatis: ergo & in Patria. Patet consequentia, quia liberū & necessariū nō sunt eiusdē speciei; habēt enim se sicut corruptibile & incorruptibile; liberūenimcorruptibile est, quia potest desinere esse, necessariū autē est incorruptibile, quia nō potest desinere esse: corruptibile autē & incorruptibile specie differunt, vt patet incorporibus cœlestibus & elementatis. *2. Arg.*

Tertiò arguitur. Si Volūtas in Patria necessitaretur ab intrinseco, sequeretur, quòd nō indigeret habitu Charitatis, & cōsequēter neq; ponēdus esset, cōtra prædicta, quia nihil superfluū poni debet, nec in ordine naturę, nec in ordine gratię: cōsequens nō est admittendū: ergo. Sequella probatur, quia cū aliqua potentia est determinata ad aliquē actū, nō ponitur in ea habitus ad illū actū, quia habitus ponitur ad determinandā potentiā; quapropter quia Volūtas est determinata sufficienter ad bonū propriū naturale, nō ponitur in ea habitus ad diligēdū se ipsum: ergo si ab intrinseco est determinata ad amorē Dei, non indiget habitu ad talem amorem. *3. Arg.*

Quartò arguitur. Si aliqua ratione necessitaretur Volūtas beati ad diligendū Deū, esset, quia Intellectus iudicat esse summū bonū, summeq; diligendū: sed hęc ratio est inefficax: ergo. Minor probatur, quoniā in Via id ipsum iudicamus euidēter & per demonstrationē naturalē; & tamē Voluntas non necessitatur ad eum amandum. *4. Arg.*

Quintò arguitur. Beatus potest apprehēdere Deū vt odibile: ergo potest diuertere ab eius amore; Volūtas enim sequitur iudiciū Intellectus, & si intrinsece esset determinata, hoc esset ex determinatione iudicii. Antecedens verò probatur, quia potest apprehendere Deum vt punitorē parentum: ergo vt odibilem. *5. Arg.*

Sextò arguit ex D. Aug. in Ench. c. 105. vbi ait, q̄ beati liberè amant. Et idem repetit 22. de Ciuita. c. 30. idēq; tenet M. sentētiarū in 2. c. 25. immò & D. Th. idē videtur *6. Arg.*

asserere

asserere 1.p.q.62.ar.8.& q.22.de veritate, ar.6.dicens, quòd Volũtas, siue in Via, siue in Patria, nõ necessitatur quoad exercitiũ.

Scot. Scot. In hac re est sententia Scot. in 4.d.44.& d. 4.3.q.9.& 10.& d.49.q.6. §.dico ergo, & in 2.d.1.q.1.qui duo dicit, q impeccabilitas beatorũ nõ prouenit ab aliquo intrinseco, nec ex parte potẽtiæ, nec ex parte habitus vel actus; sed quòd hæc impeccabilitas promanat ab aliquo extrinseco, nempe à Deo, qui sua omnipotẽtia impedit, ne beatus aduertat ad malũ peccati; vt si oculus, v.g. qui omnẽ colorẽ videre potest, detineretur à Deo ad vidẽdum hunc, & nõ aliũ; quia aliũ Deus occultaret, vt illum nõ videret. Eandẽ sententiã sequitur Gabr. in 2.d.

Gabri. Nominal. Cano. 7.q.1.a.1.& cũ illo omnes Nominales: immò & istã tenuit M. Cano p. p.q.82.art.1. & illã magis dicebat esse ad mentẽ D. Th.

Conclusi. Cõclusio tamen sit. Impeccabilitas beatorũ prouenit ab intrinseco ex propria natura Volũtatis, & illius status & visionis beatificæ. Itaque sicut anima, vel Angelus, vel cœlũ, sunt incorruptibilia ab intrinseco ex propria natura, & nõ ab aliqua manutenentia extrinseca; ita Volũtas beati ab intrinseco & ex propria natura in illo statu

D. Thom. est impeccabilis. Hęc est D.Th.q.22.de veritate, ar.6.& q.24.ar.8.& 3.cõt.Gẽt.c.62.

Capreol. Caiet. Conrad. Medin. Lorc. Soto. Durã. D. Rubcard. Maior. Palud. & 4.cõt.Gent.c.92.& 1.p.q.62.ar.8.Cap. in 2.d.1.q.2.lect.3.in Sõcin.Caie.hic,& 1. p.q.82.ar.1.& Cõr.& Med.& Lorc.Soto in 4.d.49.q.3.ar.4.immò & Dur.in 2.d.7. q.1.vbi optimè loquitur de hac re,& d.23. q.2.& in 4.d.49.q.8.Rich.in 2.dist.7.ar.1. q.1.Maior in 4.d.49.q.8.Palud.q.7.art.2. estq; cõmunis sentẽtia omnium e Ralium. Et probatur primò. Vt supràdictũ est, Charitas sequitur ex visione clara Dei: ergo impeccabilitas. Patet cõsequẽtia, nã si Charitas oritur ab intrinseco ex natura visionis, cõsequenter & omnia ordinare in finẽ Charitatis, & cõsequenter esse impeccabilem; quia peccabilitas consistit in posse deficere à fine Charitatis: itaque vt diximus dubio præcedenti, beatus liber est in multis operibus; supposito tamen quòd debeat operari ad finẽ, Charitas necessariò debet ordinare talẽ operationẽ. Secundò probatur. Talis impeccabilitas prouenit ex determinatione iudicij, quo beatus iudicat, bonum esse ad hærere Deo, & nullo modo esse bonũ ab illo deuiare: ergo prouenit ab intrinseco. Patet cõsequentia, nã iudiciũ ex parte Intellectus pertinet ad intrinseca voluntatis in operando. Cõfirmatur, nã, vt inquit D.Th.2.2.q.24.a.11. nec est amissibilis ex parte ipsius Dei, nec ex parte Charitatis, quia ex parte neutriuspotest esse inclinatio ad malũ: sed si amitti potest, est ex parte subiecti, in quãtũ per Charitatẽ nõ plenè satiatur eius appetitus bono Charitatis, vtiq; quia nõ perfectè cognoscit illud, vt cõtingit in Viatoribus; sed sic est, quòd in beatis est perfecta & clara cognitio summi boni Charitatis: ergo Volũtas manebit plenè satiata tali bono, & cõsequenter etiã ex parte ipsius Volũtatis iã Charitas erit inamissibilis, & cõsequenter ab intrinseco, quia ex eo cœlũ est ab intrinseco incorruptibile, quia materia illius plenè satiatur per formam quã habet: si ergo Volũtas in Patria ex clara cognitione boni Charitatis illo satiatur ab intrinseco, inamissibilitalẽ Charitatis & impeccabilitatẽ habet. Tertiò probatur. Ex eo bruta habẽt ab intrinseco operari necessariò, quia operatio illorũ procedit ex iudicio determinato & nõ indifferenti ad vtrũq;: ergo si iudiciũ beati est determinatũ & nõ indifferens, propterea quòd procedit ex clara cognitione summi boni, similiter operatio beati erit necessaria. Quartò probatur, nã Volũtas ab intrinseco & ex propria ratione est libera, & est natura: ergo licèt in Via procedat vt libera, in Patria tamen & in termino debet se habere vt natura determinata, & nõ indifferens. Cõfirmatur, quia cũ beatitudo tã quoad visionem, quã quoad dilectionẽ, mẽsuretur æternitate participata, debet inuariabilis esse: ergo necessaria & determinata ab intrinseco; aliàs enim ab intrinseco variabilis esset, & sic ab intrinseco & ex propria ratione nõ mẽsuraretur æternitate: itaque beatus in Patria ex duplici capite habet ab intrinseco esse impeccabilis. Primò, quia sequitur cognitionẽ clarã summi boni. Secũdò, ratione status, quia est in termino, ad quẽ iã pertinet quies, & determinatio & necessitas; quodlibet enim illorũ duorũ sufficit vt actus sit necessarius ab intrinseco, vt patet in D. Paulo, quia dum vidit diuinam essentiam in hac vita, peccare non potuit ratione claræ visionis, etiam si non esset in termino; & è cõtra damnati & obstinati in malo habent inflexibilitatẽ & determinationẽ actus ab intrinseco, ratione status, quia sunt in termino; coniungitur ergo vtrunq; in beato, quòd ab intrinseco necessariò operetur, & ratione claræ visionis, & ratione status in termino; sicuti dæmones habent determinationẽ ab intrinseco,

seco, & ratione propriæ Voluntatis, quæ semel determinata, est inflexibilis; & ratione status, quia sunt in termino. Ex dictis sequitur, falsò asserere Salas tract.2.disp.7. sect.8. quòd hoc habet visio perfecta, quia si daretur aliqua minima, probabiliter posset dici, illam nō necessitare ab intrinseco: Hoc enim falsum est, nam quælibet visio, quantuncumque minima, videt clarè in Deo summam rationem boni & diligibilis, habetq; iudicium omnino determinatū, constituturq; in termino, vnde de quacūq; visione currunt rationes positę: plures alię videantur pro hac conclusione in D. Th. 4. contra Gentes, cap. 92.

Corol. contra Salas.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum respōdetur, non mutari in Patria naturam Voluntatis, quia eius natura est; vt posita determinatione iudicij operetur vt natura, & quòd posita iudicij indifferentia, operetur liberè. Item natura eius est, vt in Via ad finē liberè operetur: quando autē peruenerit ad vltimū finē, eius natura est, tali fini immobiliter adhęrere: cùm ergo in Patria & Voluntas sit in vltimo termino, & iudicium diuinæ bonitatis sit determinatum, ex propria natura habet necessariò operari: de illis autem quæ possunt appeti extra verbū, de quibus non est iudicium determinatū, iā est dictū, Voluntatē absolutè operari liberè; in sensu tamē cōposito & ex suppositione impeccabilitatis operari necessariò.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum respondetur, quòd licèt liberū per se, & necessarium per se, sint opposita: tamē necessariū per se & liberum per accidens vel è contra, non opponuntur, sed possunt eidē cōpetere; sicut v.g. homini qui ex natura sua & per se est corruptibilis, potest per accidens cōpetere esse incorruptibilē: actus ergo Charitatis, vt dictū est ex D. Th. 2.2.q.24.a.11. per se est inamissibilis, per accidens est inamissibilis ex parte subiecti in Via: vnde fic esse actū Charitatis liberū & necessariū in Patria & in Via, non variat speciē illius, quia vnū habet per se, alterū verò per accidens.

Ad 3. arg. Ad tertiū, negatur sequella, quia ille actus superexcedit potentiā, cùm versetur circa obiectū supernaturale, ac perinde Volūtas nō est determinata ad talē dilectionē, nisi mediāte supernaturali qualitate superaddita; sicut aqua nō est inclinata & determinata ad calefaciendū ex natura sua, nisi sub tali dispositione cōstituta, ideſt sub calore, vt optimè explicat *Bañez.* M. Bañ. 1.p.q.82.ar.2. Sic etiā Volūtas ad dilectionē supernaturalē nō est inclinata, nisi in statu & sub tali habitu cōstituta; vnde Voluntas eleuata huiusmodi habitu & in tali statu beatifico, naturaliter & necessariò fertur in Deū per dilectionē. Ad illud autē, quòd habitibus vtimur cū volumus, resp. hoc intelligendū in Via; nā in Patria & habitus necessitatur, vt dictū est. Et si cōtrà facias argumentū, nam ex hoc sequeretur cōtra supra dicta, impeccabilitatē nō cōuenire beato absolutè & in sensu diuiso, sed solū secūdū quid & in sensu cōposito. Sequella probatur, nā hæc impeccabilitas cōuenit ex suppositione beatitudinis & habitus Charitatis in termino: ergo in sensu cōposito solū. Probatur ista cōsequentia, nā propterea habens auxiliū efficax, dicitur absolutè liberè operari, & solū necessario ex suppositione & secūdùm quid; quia solùm est determinatus ex auxilio, & nō ex proprijs ante receptionē auxilij: ergo similiter si determinatio Volūtatis in Patria est ex beatitudine & habitu Charitatis superaddito, solū erit determinatio ex suppositione, & nō absolutè. Et clariùs ponitur impugnatio; quia sicut auxiliū efficax est quid extrinsecū subiecto; ita similiter beatitudo & stat⁹ in termino; quia posset nō esse beatus nec in illo statu: ergo sicut habēs auxiliū, simpliciter est liber, quia determinatio nō est ex proprijs; ita similiter habens beatitudinem, simpliciter erit liber, quia determinationē nō habet ex proprijs, sed ex beatitudine superaddita. Nec potest respōderi, quòd aliud est, dicere, q̄ habens beatitudinē, potest peccare; & dicere, quòd beatus potest peccare, quia eo ipso quòd dicitur beatus, inuoluitur cōpositio beatitudinis: Cōtra hanc enim solutionē arguitur, quia nō solū est de Fide, quòd habens auxiliū efficax, potest peccare; sed etiā ista est vera, Efficaciter auxiliatus potest peccare; quia licèt in eo quòd dicitur auxiliatus, inuoluatur & supponatur auxiliū; quia tamen ex propria natura peccare potest, ideò absolutè est vera, Auxiliatus potest peccare: ergo similiter in nostro argumēto. Respōdetur enim ad totā vim argumēti, nō esse eādē rationē de auxilio respectu auxiliati, & de beatitudine respectu beati; quia auxiliū efficax nō tollit indifferētiā iudicij, sed tota eius determinatio est ex parte Volūtatis ad actū secūdū: quapropter cū libertas radicetur in indifferētia iudicij Intellectus, & inde perueniat formaliter ad Volūtatē, etiā stante auxilio determinante actum secūdum, Voluntas est libera

Obiectio

Solutio

Impug.

Solutio

bera

bera ex indifferentia iudicij antecedenti ex parte Intellectus gubernan tis Volunt tẽ. Beatitudo autem, vt dictum est, non solùm determinat actũ secundum, sed etiam Voluntatem in actu primo, quia determinat Intellectum, & nullam relinquit in illo indifferentiam iudicij; quia, vt dictum est, nullo modo potest iudicare bonum, diuertere â Deo, vnde tollit libertatem, & eradicat radicem illius, & sic absolutè & simpliciter debet cõcedi, Beatus non potest peccare; quia licet beatitudo per accidens coniungatur isti subiecto, semel tamẽ coniuncta, nullũ manet principiũ libertatis, sicut manebat etiã semel posito auxilio efficaci.

4. Arg. Ad quartum argumentum respondetur, non esse rationem ibi positam, quia demonstratiuè Deus cognoscatur; sed quia clarè & intuitiuè, quod non est in Via. Ad confirmationem respondetur, quòd Christus Dominus non merebatur per actum dilectionis, vt procedebat ex visione clara Dei, sed vt procedebat ex scientia indita; quia vt sic liber erat. Vel dicitur talem dilectionem procedentem ex visione, esse meritoriam & liberam, quatenus terminabatur ad obiectum secundarium, non autem vt ad primarium. Qualiter autem esset liber libertate contradictionis, non autẽ cõtrarietatis, iam dictum est.

5. Arg. Ad quintum argumentum respondetur, quòd licèt beatus videat Deum esse punitorem suorum parentum, videt etiam id esse conueniens diuinæ iustitiæ & ordini vniuersi; vnde nullam videt in eo rationem odij, sed potiùs laudis, iuxta illud: Manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Quod intelligitur de iusto.

6. Arg. Ad vltimum argumentum respõdetur, D. Augustinum loqui de actionibus extra Verbum, de quibus iam dictum est, qualiter sint liberæ. Ad alteram probationẽ respõdetur, tantùm intendere, illam necessitatem non prouenire ab obiecto, non autẽ quòd Voluntas ex propria natura non sit determinata, & necessario operetur, sicut lapis in descensu non necessitatur à cẽtro, sed à propria natura: ita ergo, vt dictũ est, Volũtas, & est natura, & libera: vnde in illa assignandi sunt actus liberi & necessarij; & necessarij sunt immediatiores, quia liberũ ad necessarium reducitur & in illo fundatur; vnde licet in Via liberè procedat, in Patria tamen conformiùs suæ naturæ operatur necessariò; quia, vt dictum est, res in cẽtro & vltimo termino naturaliter quiescit, nec est appetitus vt ab illo discedat. Exemplũ huius solutionis est in Deo, in quo & sunt actus liberi & necessarij: liberi respectu creaturarum; necessarij respectu sui; & immediatiùs ad naturã Dei se habent actus necessarij, quàm liberi; imò liberi reducuntur ad necessarios; reducitur enim dilectio creaturarum ad dilectionem sui ipsius.

DVBIVM IIII.

Vtrùm beatus de potentia Dei absoluta possit, stante visione, cessare ab amore.

1. Arg. PRobatur quòd non. Primò. Si propter aliquam rationem posset esse visio sine amore, maximè quia distinguũtur realiter: sedhęc ratio est nulla: ergo. Probatur minor, quia etiã si sit distinctio realis, si tamẽ est essentialis depẽdẽtia, nõ potest esse separatio; vt cõtingit in materia prima, quę sine forma esse nõ potest, propter talẽ dependentiã essentialem, licèt interse realiter sint distincta; sed inter visionẽ & amorẽ est essentialis depẽdentia: ergo licet distinguãtur realiter, nõ poterit esse visio sine amore. Ista vltima minor probatur, quia de essẽtia visionis beatificæ est, cõtinere omnẽ rationẽ boni, vt patet ex definitione beatitudinis, quæ est status omniũ bonorum, &c. non autẽ potest cõtinere omnẽ rationẽ boni sine amore, qui maximũ bonũ est: ergo.

2. Arg. Secundò arguitur. Impossibile est quòd aliqua potẽtia debito modo attingat suum obiectũ, vltimũq; finẽ, & quòd supposituũ talis potẽtiæ nõ bene se habeat in tali fine cõsequuto: ergo impossibile est, cõsequuto vltimo fine per visionẽ, quòd homo nõ bene se habeat in tali fine cõsequuto. Tũc vltra: ergo impossibile est quòd non amet illũ. Patet cõsequẽtia, quia vt docet D. Th. infrà, materia de passionibus, amor nihil aliud est, quã ipsa conueniẽtia ad rẽ amatã.

3. Arg. Tertiò arguitur. Volũtas nihil potest velle nisi sub ratione boni: sed est impossibile quòd repræsentetur beato tãquã bonũ, cessare à dilectione: ergo nõpotest cessare. Minor patet, quia videt talem dilectionem esse summi boni: ergo non potest ei repræsentari vt bonum, cessatio talis dilectionis.

4. Arg. Quartò arguitur. Nõ est maior depẽdentia dilectionis à visione, quã visionis à dilectione, sunt enim duæ entitates, quarũ neutra est forma vel materia alterius: sed implicat quòd sit dilectio sine visione: ergo simiiter quòd sit visio sine dilectione.

Quintò

5. *Arg.* Quintò arguitur. Vt suprà dictum est, & communiter asseritur à Theologis, dilectio est propria passio visionis: sed probabilissima sententia est, propriã passionẽ nõ posse separari à subiecto: ergo nec dilectio à visione separari poterit. Propter argumenta posita tenet hanc sententiam Henricus quodlibeto. 12. quæstione quinta, & Ægidius quodlibeto quinto, quæstion. 6.

Henric.

AEgid.

Conclusi. Conclusio tamen sit, quòd de potentia Dei absoluta potest beatus videre Deum, & non amare illum. Hæc est sententia cõmunis Theologorum in 4. distin. 49. vbi etiam tenet eam Durandus quæstion. 8. articul. 2. & 3. Maior quæstione etiam. 3. Et probatur, nam vt inquit Diuus Thomas p. p. quæstion. 25. artic. 3. Deus potest facere quod non implicat contradictionem; sed id non implicat: ergo. Minor probatur, quia quando duæ res realiter distinguuntur, non potest talis contradictio apparere: visio autem & amor realiter distinguũtur. Nec valet solutio, quòd sit essentialis dependentia, quia maior quæ esse potest, est dependentia propriæ passionis; propria autem passio secundùm veram sententiam separari potest per diuinam potẽtiam. Secũdò probatur eadem minor principalis, quia nulla est contradictio, vt Deus concurrat cum Intellectu ad visionem, & non cum Voluntate ad amorem: ergo tũc erit visio sine amore. Antecedens probatur, quia concursus est diuersus, & potentia recipiens illum, diuersa est, & in vtroque concursu Deus est liber: ergo poterit concurrere cum Intellectu, & non cum Voluntate. Secundò probatur conclusio. Deus potest supplere vicem causæ efficiẽtis: sed amor tantùm pendet à visione in genere causæ efficientis. Minor probatur, quia visio cùm sit in alia potentia distincta realiter, nec potest esse forma, nec materia dilectionis. Vltimò probatur. Prius non dependet à posteriori: ergo cùm sit visio prior, non dependebit à dilectione quę est posterior, licet è contra fit dependentia, & non possit esse dilectio sine visione.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum à principio respondetur, ad essentiã beatitudinis solũ pertinere, habere præsens quod est summũ bonum & summum verum, non autem habere illud sub ratione formali boni attactum: hoc enim solùm pertinet ad perfectionem, vt suprà dictum est, non autem ad essentiam; potest autem essentia sine perfectione conseruari. Vel dicitur, illam essentiam beatitudinis intelligẽdam esse sic, quòd beatitudini ex sua natura debeantur omnia bona, ita vt sine miraculo sine illis esse non possit; potest autem de potentia absoluta conseruari sine debito suę naturę in exercitio, licèt non possit fieri vt illi nõ debeatur. Verum est, quòd tunc separato amore, non esset simpliciter beatitudo, licèt essentialiter esset talis; quia beatitudo simpliciter non solùm nominat essentiam, sed statum; ad statum autem pertinet habere omne bonum: sicut & virtus retinens essentiam virtutis, & non status, non dicitur simpliciter virtus. Doctrina est Diui Augustini de Ciuitate Dei, capitulo 9. *D. Aug.*

Ad 2. arg. Ad secundũ argumentum respõdetur, quòd in carentibus cognitione, amor & delectatio nõ distinguuntur ab ipsa actione potentiæ tenentis obiectum; immò nec est propriè amor vel delectatio, sed tantùm methaphoricè: & in his concedimus, quòd talis amor vel delectatio non potest separari ab operatione, quia nõ distinguuntur, sed prorsus sunt idem; vt patet in descensu lapidis, qui naturaliter est appetitus descẽdendi. Aliæ verò sunt potentiæ, in quibus amor est in altera potentia distincta ab illa quæ tenet obiectum, vt in habentibus cognitionem, vt suprà dictum est; vnde in huiusmodi optimè potest separari amor à tentione obiecti.

Ad 3. arg. Ad tertium respondetur, quòd si Deus poneret præceptum beato, vt cessaret à visione, & delectatione, posset velle cessare, & se conformare diuinæ voluntati; quia voluntas beati, quæ Deum diligit amore amicitiæ, præfert volũtatem diuinam suæ propriæ voluntati: quod & contigit in D. Paulo in raptu; acceptauit enim, â visione diuina & delectatione cessare. Cęterùm quia visio & delectatio est adeò naturalis beato, vt antecedat motum liberi arbitrij, consequenter actualis cessatio non est in eius potestate, sed id debet esse ab extrinseco, aufereute Deo lumen gloriæ. Exemplum est in motibus primo primis. Potest quis velle carere eiusmodi motibus, non tamen potest actualiter carere illis pro sua voluntate, quia omnino antecedunt libertatem: sed cessatio debet esse ab extrinseco, non approximante illud à quo potentia primo mouebatur. De amore autem & dilectione alia est ratio; nec enim potest Deus videnti clarè diuinam essentiam, prę cipere vt non diligeret, nec ipse videns posset id velle; quia velle ob temperare tali

præ-

præcepto,& propter illud cessare ab amore, hoc ipsum erat amore, quia erat præferre diuinam voluntatem suæ propriæ;& hoc est amor amicitiæ. Itaq; nec beatus de se ipso potest cessare ab amore, nec potest velle cessare; quia velle cessare propter Deum, est amare Deum. Bene posset velle cessare ab hoc numero actu amoris, si repræsentaretur vt Deo placens: sed non potest velle cessare ab amore absolutè, quia per hoc quod vult cessare ab hoc actu, habet etiam alium, qui est actus amoris, vt ergo per diuinã potentiam separetur amor à visione, non hoc debet fieri à beato, sed â Deo negante concursum Voluntati necessarium ad amandum. Hoc dictum sit cõtra Olchot. *Olchot.* qui in suis determinationibus, quæst. 9. artic. 2. fingebat, huiusmodi præceptum de cessatione amoris esse posibile, & quòd à beato impleretur per velle cessare. Pro nostra tamen doctrina videatur Capreolus in 1. dist. 1. q. 3. ad argumenta cõtra quartã cõclusionẽ, & Gab. q. 6. ar. 2 *Capreol. Gabriel*

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur, magis dependere dilectionem à cognitione, quam é contra: Tùm, quia cognitio est prior: tùm etiam, quia per cognitionem proponitur obiectum voluntati; vnde vt sine obiecto operari non potest, ita nec sine præuia cognitione: vnde hæc dependentia est in genere causæ formalis, nec à Deo suppleri potest: cognitio autem cũ sit prior, & prius non ita dependet à posteriori, & insuper obiectum eius posit esse sine volitione, bene potest per potẽtiam Dei separari cognitio ab amore.

Ad 5. arg. Ad vltimum respondetur, illam sentẽtiam, quòd propria passio non possit separari, parum vel nihil habere probabilitatis, præcipuè quòd hîc passio, est operatio, quare non ita propriè habet rationẽ passionis, & potest separari à Deo per negationem concursus requisiti ad operandum. Ad plenam intelligentiam huius dubij videatur etiam id quod docuimus suprà artic. 1. dubio vltimo.

DVBIVM. V.

Vtrùm de potentia Dei absoluta, beatitudo & peccatũ possint esse simul.

1. Arg. PRobatur quòd sic. Primo. De potentia Dei absoluta potest Deus existentem in peccato mortali eleuare ad visionem beatificam: ergo tunc peccatum & beatitudo erunt simul. Si respondeatur, quòd statim per visionem expelleretur peccatum: Contrà arguitur, nam expulsio deberet esse per actum Volũtatis: sed potest Deus non concurrere cum Volũtate ad actum contrarium peccati, per quẽ peccatum esset expellendum: ergo stante visione, peccatum maneret. Ista minor probatur, nam concursus cum Intellectu ad videndum, est prior quàm concursus cum Voluntate ad actum expellentem peccatum: cùm ergo prius non depẽdeat à posteriori, nulla videtur repugnantia, quòd Deo concurrente cum Intellectu ad visionem, suspenderet concursum cũ Voluntate.

Secundò arguitur. Inter visionem beatificam & peccatum mortale si esset incõpossibilitas, maximè quia opponuntur: sed hæc ratio est nulla: ergo. Minor probatur. Primò, quia si aliqua oppositio est non est immediata & formalis, cùm sint in diuerso subiecto, immediatè autem cõtraria, sunt circa idem; sed vt plurimum est oppositio mediata in genere causæ efficientis, quatenus ex visione efficienter causatur actus Voluntatis oppositus peccato mortali: sed oppositio mediata non tollit posse esse simul: ergo licèt peccatũ mortale non possit esse simul cum actu charitatis, cui immediatè & formaliter opponitur, poterit tamen esse simul cum visione beatifica, cui tamen mediatè & efficienter opponitur. Secundò probatur eadem minor principalis: nam dato quòd sint oppositа, probabilissimum est, contraria etiam in gradibus intensis de potẽtia absoluta posse esse simul; immò id docent multi, de gratia & peccato, vt videre est infrà, quæst. 110. art. 4. ergo similiter visio beatifica & peccatum, licèt sint oppositа, simul esse poterunt. Ito vel maximè, quòd oppositio inter peccatum & gratiam est formalior, quia effectus formalis gratiæ est facere gratum, peccati verò ingratum: formalis autem oppositio nõ reperitur inter visionẽ & peccatũ. *2. Arg.*

Tertiò arguitur. Stante visione beatifica, potest Deus ponere præceptũ de aliquo agendo vel nõ agendo, maximè extra Verbum, in quibus beatus est liber, & tunc suspẽdere auxiliũ efficax necessariò requisitũ ad operãdũ: ergo potest peccare. Patet cõsequentia, quia ex vna parte est præceptũ, ex altera non adimplet, quia nõ habet auxiliũ efficax necessario *3. Arg.*

requisitum vt ad impleat: ergo peccat. Et idem argumentum posset fieri, si suspenderet auxilium efficax vt non aduerteret, quia tunc peccaret ex inaduertentia.

4. Arg. Quartò arguitur. Si propter aliquam rationem non posset esse peccatum, maximè quia beatitudo est status omnium bonorum, cum quo repugnat peccatum, quod est maximum malum: sed hæc ratio est nulla: ergo. Minor probatur, quia non obstante hac ratione, malum pœnæ & tristitiæ, quod etiam est malum, de potentia absoluta compatitur cum beatitudine, vt fuit in Christo Domino patiente in cruce, in quo cum visione clara, fuit summa tristitia & dolor; vt docet Diuus Thomas 3. p. q. 46. art. 8. ergo idem posset contingere in alio beato de malo culpæ, de potentia absoluta Dei.

5. Arg. Quintò arguitur. Si aliquem præscitũ eleuaret Deus ad visionem suæ essentiæ in via, vt eleuauit D. Paulum, tunc istevidens in Verbo suam damnationẽ futurã, prorumperet in odium Dei: ergo cõpatitur peccatum cum visione clara. Antecedens probatur, nam ex eo damnati prorumpunt in odium, quia experiuntur Deum iudicem peccatorũ, sed eadem certitudine iste præscitus & eleuatus videret talem vindictam futuram in se, ac si esset iam damnatus, & actualiter pateretur: ergo.

6. Arg. Sextò arguitur. Sola illa Voluntas nõ potest peccare, etiam de potentia absoluta, quæ est regula sui actus: sed Voluntas etiam beati non est regula sui actus: ergo potest peccare. Maior est D. Th. 1. p. q. 63. art. 1. Minor etiã patet, quia solus Deus est regula sui actus, vt D. Thom. docet ibidem.

7. Arg. Septimò arguitur, quia, vt diximus dubio præcedenti, Deus potest auferre à Voluntate omnem habitum ad actum supernaturalem, manente visione in Intellectu: ergo tunc Voluntas poterit peccare. Patet consequentia, quia si Voluntas beati necessitatur, est per habitum Charitatis vel quemcunque alium supernaturalem existentem in illa: ergo illis ablatis Voluntas non permanebit necessitata.

8. Arg. Vltimò arguitur. Ad minus, peccatũ veniale non habet talem repugnantiam: ergo poterit esse cum beatitudine. Antecedens probatur. Peccatum veniale nec repugnat Charitati, nec feruori quantũcunque maximo, Charitatis: ergo nullo modo repugnat esse in beatitudine. Prima pars huius antecedentis patet, quia per veniale non expellitur Charitas. Secunda etiã pars patet, quia Charitas Viæ, etiam si sit magis feruida, quàm in Patria, potest admittere secum veniale: ergo non repugnat feruori, quantumcunque maximo: aliud autem assignari non potest in Patria, ratione cuius veniale repugnat: ergo.

In hac re propter argumẽta posita Sotus in quarto, dist. 15. q. 1. art. 2. & Scotus in primo, dist. 1. q. 4. tenent, compati cum beatitudine peccatum habituale, ita vt existentem in mortali possit Deus eleuare ad beatitudinem, manente peccato & macula eius habituali, Gabriel in primo, distinctione 1. quæstione 6. artic. 2. concl. 4. in quarto, distinct. 49. quæst. 2. art. 3. dubio 5. & in secũdo dist. 7. quæst. vltima & Ocham quæst. 19. & Gregorius distinct. 7. quæst. 4. tenet, posse etiã manere peccatum actuale cum beatitudine, ità vt non solùm maneret macula in illo peccatore eleuato, sed etiam actualis complacentia sui peccati. Superaddit autem Olchot, quòd etiam in illo casu videns Deum, posset prorumpere in odiũ eius. Thomistæ, licèt cum suo Magistro conueniant, esse repugnantiam inter beatitudinem & peccatum; dissident tamen inter se. Medina hic dicit, hoc esse verum de omni peccato, siue comissionis, siue omissionis, siue mortali, siue veniali, siue habituali, siue actuali, quòd nullũ horũ potest esse cũ beatitudine. Magister autẽ Victoria & Soto loco allegato tenent, doctrinã D. Thomæ verificari de omni peccato actuali, non tamen de habituali, quia, vt diximus, asserit hoc posse manere in beatitudine.

Sotus. *Scotus* *Gabriel.* *Ocham.* *Gregor.* *Olchot.* *Medina.* *Victoria.* *Soto.*

Pro intelligentia notãdum, quòd beatitudo potest sumi dupliciter. Primò, pro statu beatifico completè sumpto, vt includit aggregationem omnium bonorum. Secundo modo præcisè, vt importat visionem, in qua cõsistit essentia beatitudinis. Et rursus visio potest considerari dupliciter. Primò, vt præcisè dicit visionem & rationem speculatiuam ex parte Intellectus. Secundò, vt dicit etiam cõprehensionẽ, & vt importat habitudinẽ ad Voluntatẽ; & hæc iã super sunt explicata. Vt ergo separemus certa ab incertis

1. Not.

Secundò notãdum est, quòd si beatitu-

2. Not.

do

do sumatur primo modo, vt dicit statum aggregationis bonorum, omnes debent conuenire, quòd cum illa nullo modo cõ patitur peccatũ, siue habituale, siue actua le; quia non potest esse aggregatio bono rum, vbi deficit hoc maximum bonum, quod est rectitudo Voluntatis, si peccatum poneretur in illa: & quia si est aggre gatio bonorum, debet esse in Voluntate Charitas, & dilectio Dei, quod maximũ bonum est: cum his autem peccatum, ad minus mortale, esse non potest; quia, vt suprà dictum est, implicat contradictionem, hominem habere, vel intendere, seu concipere duos vltimos fines; cùm ergo Charitas proponat suum finem vltimũ, Deum, peccatum verò mortale creaturã, si essent simul Charitas & peccatũ mortale, simul etiam homo haberet duos vlti mos fines: peccatum autem veniale licèt hac ratione non excludatur, quia nõ pro ponit creaturam vt vltimum finem, excluditur tamen ex aggregatione bonorum, quia & ipsum veniale quoddam ma lum est.

Not.3. Tertiò notandum est, etiam esse certũ apud omnes, quòd visio vt beatificans nõ sumatur præcisè in ratione visionis, vt su prà dictum est; sed vt etiam habet rationem comprehensionis, repugnantia autem peccati ad visionem, si quæ reperitur, est in ratione beatitudinis, & quatenus se extendit ad Voluntatem; quia cũ peccatum ad voluntatem pertineat, non potest contradicere visioni, nisi vt ad Voluntatem se extendit, quia ablata extensione ad Voluntatem, talis visio manet purè speculatiua: oppositio autem peccati tantùm posset esse in genere practico; sed quia ratio practica à ratione speculatiua est inseparabilis in visione Dei, licèt per intellectum vna sine altera possit intelligi, ideò quæritur, vtrùm peccatum possit esse cum visione, licèt repugnantia peccati non sit cum ratione speculatiua visionis, sed cum ratione practica eius.

1. Concl. Prima conclusio. Etiam de potentia Dei absoluta non compatitur cum beatitudine peccatum actuale. Hæc est Diui *D. Thom.* Thomæ hic, & 4. contra Gentes, cap. 92 & ratione illius probatur. Primò, nã sic se habet respectu beatitudinis essentia Dei clarè visa, sicut respectu Viatoris bonum in communi: sed Viator nihil potest velle nisi sub ratione boni in communi: ergo nec beatus nisi sub ratione & in ordine ad diuinam essentiam. Secundò probatur. Clare videns diuinam essentiã non potest iudicare vt bonum, diuertere per peccatum à diuina essentia: ergo non potest per peccatum diuertere ad illa. Cõsequentia patet, quia actus Voluntatis nõ potest tendere nisi in id quod iudicatur bonum. Antecedens verò probatur. Primò, nam per claram visionem iudicat diuinam essentiam vt summum bonum, in quo omne bonum continetur: ergo non potest iudicare vt bonum diuertere ab illa, quia iam hoc esset non iudicare illam summum bonum, si extra illam iudicabat aliquid esse bonum. Secundò probatur idem antecedens, quia si tale iudicium esse potest, iam beatus iudicaret de duobus, tãquàm de vltimis finibus; quod suprà ostensum est impossibile. Sequella verò probatur, quia iam supponitur iudicare per visionem claram de diuina essentia, tanquam de vltimo fine; si autẽ iudicaret esse aliquid bonum extra illam non ordinabile ad ipsam, quale esset bonum peccati, iam iudicabat aliud vt vltimũ finem, cui per peccatum extra Deũ adhærebat. Tertiò probatur conclusio. Videns diuinam essentiam clarè, habet si bi coniunctam regulam operandi: ergo non potest operari inordinatè per peccatum. Patet consequentia, quia operari inordinatè, prouenit ex defectu approximationis regulæ; qui ergo habet coniunctam regulã, vel est ipsa regula, vt Deus, non poterit inordinatè operari, vt docet Diuus Thomas 1. part. quæst. 63. An- *D. Thom.* tecedens verò probatur. Visio clara Dei, est regula: ergo qui clarè videt, coniunctam habet regulam. Istud antecedens probatur, nam clara Dei visio, est perfecta cognitio finis, nõ solùm speculatiua, sed practica: ergo est regula operandi. Patet ista consequentia, quia cognitio practica est principium operandi, cùm operans ad operandum à fine moueatur. Quartò probatur. Implicat contradictionem, quòd Angelus in primo instãti suæ creationis peccet, quia tale peccatum tribueretur Deo, ex eo quòd Deus tũc specialiter concurrit ad operandũ cũ Angelo: ergo similiter implicat, quòd videns clarè diuinã essentiam, peccet. Patet cõsequẽtia, nã etiã Deus speciali ratione cõcurrit cũ beato ad operãdũ, vt Author super naturalis tribuẽs ei lumẽ gloriæ & vnionẽ suæ essẽtiæ in ratione speciei. Cõfirmatur

nam Deus non potest specialiter concurrere ad peccatum: ergo non potest videns Deum peccare. Patet consequentia, nam tunc Deus specialiter concurreret ad peccatum, si quidem videns Deum, ex propria natura & inclinatione luminis & charitatis, & per concursum debitū istis principijs, debebat rectè operari, & vt non rectè operaretur debebat Deus inuertere ordinem debitum, de potentia absoluta; quod erat specialissime concurrere, & totum hoc ad hoc solum terminaretur, vt homo peccaret. His rationibus non solùm probatur de peccato mortali, sed etiam de veniali, quia veniale licèt nō sit contra regulam, est præter illam, & supponit etiam ex parte Intellectus iudicium erroneum: totum autem hoc excluditur per perfectam approximationē regulæ & visionis claræ Dei, quæ cùm perfectissimum sit iudicium de bono, nullum admittit erroneum de malo. Similiter probant argumenta posita non solū de peccato commissionis, sed etiam omissionis; quia omissio licèt formaliter non importet actum supponit tamen illum: si quidem non datur pura omissio culpabilis in individuo; vnde si ad actum antecedentem non potest præsupponi, nec deuiatio à regula, nec iudicium erroneū: Consequenter nec omissio potest esse culpabilis, cùm culpa omissionis sit in actu antecedenti. Vltimò probatur conclusio, nam vt constat ex D. Thoma, cum Dono Sapientiæ, Intellectus & Scientię (si perfecta sint) etiam de potentia Dei absoluta non compatitur peccatū actuale: ergo nec cum lumine gloriæ. Patet cō sequentia, quia lumen gloriæ est omniū perfectissimum Donum Intellectus, si quidem alia, quantumcunque perfecta, non attingunt claram Dei cognitionem, sicut lumen gloriæ: ex perfectione autē cognitionis cognoscitur à posteriori perfectio Doni intellectualis.

Corolar.

2. Concl. Secunda conclusio. Peccatum habituale potest compati cum beatitudine & visione clara Dei; itaque posset Deus de potentia absoluta eleuare existentem in peccato mortali, ad visionem claram Dei, non auferendo ab illo maculam talis peccati præcedentis. Hæc probatur primò, nam essentialis beatitudo præcisè est in Intellectu, & non in Voluntate: ergo potest de potentia absoluta esse sine rectitudine Voluntatis. Patet cōsequentia, quia prius non dependet à posteriori, & potest Deus concurrere ad primum, suspendendo cōcursum ad actum Voluntatis, per quem talis macula animæ deberet deleri. Secundò probatur, quia omnia argumenta posita pro prima conclusione, tantùm probant de peccato actuali & complacentia elicita post habitam visionem claram: ergo peccatum habituale, & macula peccati commissi ante visionem, potest manere. Antecedens probatur, nam maxime vis illorum argumentorum in eo consistit, quòd beatus habet coniunctam regulam operandi, nec potest habere iudicium erroneum vt male operetur: sed hæc tantùm concludunt, non posse elicere aliquam actionem malam, non autem probant, quòd macula quæ remansit ex actione mala exercita ante visionē, quando nec habebat coniunctam regulā & poterat habere iudicium erroneum, modo deleatur: ergo. Probatur ista minor, nam vt talis macula deleretur, requirebatur de nouo actio Voluntatis bona, & contraria illi actioni antecedenti visionem, per quam macula remanens fuit inducta: sed non necessariò post visionem habetur talis actio in Voluntate, quia, vt dictū est, potest Deus, stante visione, suspendere cōcursum vt Voluntas operetur: ergo potest talis macula remanere. Ista vltima maior probatur, nam cū per talē maculā Voluntas realiter sit immutata & auersa, necessariò requiritur aliqua eius noua actio, per quam realiter immutetur & conuertatur in bonū à quo erat auersa. Nec valet solutio, quia, vt suprà dictū est, ex visione Intellectus necessariò sequitur in Voluntate relatio comprehensionis, & quòd per istam sine nouo actu elicito potest Voluntas informari. Non (inquam) valet, quia talis relatio resultans, vel est rationis insufficiens facere mutationem realē, vel si est relatio realis, solùm est resultans permutationem alterius extremi, nēpe Intellectus, & cōsequenter Volūtas manet sicut antea immutata & auersa. Tertiò probatur conclusio. Potest existēti in peccato conferri visio clara Dei, & non gratia iustificās: ergo potest cū visione clara remanere macula peccati. Antecedēs probatur, nā visio clara Dei, & gratia iustificās, sūt qualitates distinctę, altera existēs in Intellectu nēpe visio, & altera existēs in essentia animę, scilicet gratia: nō ergo apparet aliqua

Solutio.

Impugn.

nec

nec necessaria connexio vtriusque, vt nõ possit Deus conferre visionem, non conferendo gratiam. Cõsequentia verò prin
D. Thom. cipalis probatur, quia vt inquit D. Tho. infrà, q. 11. art. 2. & quæst. 113. art. 2. & ibi omnes eius discipuli, peccatum, etiã de potentia Dei absoluta, non potest auferri sine gratia inhærente, siue per modum habitus, siue per modum dispositionis, siue auxilij; quia comparantur ad inuicem priuatiuè, vt visus & cæcitas: si ergo potest stare visio clara Dei sine gratia, poterit esse cum peccato, cùm tãtùm per
3. Concl. gratiam potuerit auferri.

Tertia cõclusio. Probabile est esse impossibile, etiam per potentiam Dei absolutam, peccatum habituale remanere, & simul stare cum visione beatifica. Hæc probatur. Primô, quia beatitudo est summa felicitas: peccatum autem habituale summa miseria: ergo non possunt stare simul, quia implicatio videtur, esse simul summè miserum, & summè felicem, cùm hæc sint opposita. Secundò probatur cõclusio. Beatitudo essentialis dicit perfectissimam & maximam vnionem, & maiorem quæ excogitari potest, cum vltimo fine: sed peccatum habituale dicit essentialiter separationem & auersionem ab vltimo fine: ergo non possunt esse simul; quia tunc videns Deum, & existens in peccato, videtur simul esse coniunctũ,
Solutio. & separatum ab eodem. Nec valet solutio, quòd beatitudo essentialis præcisè sumpta dicit coniunctionem quasi materialem cũ vltimo fine, cunquo potest stare separatio formalis ab illo per peccatũ,
Impugn. vt vltimus finis est, non (inquam) hoc valet, quia beatitudo essentialis est consequutio vltimi finis formaliter, vt vltimus finis est, vt supra dictum est: consequi autem formaliter finem, vt finem, est illum obtinere, vt omnia ordinantur ad ipsum: ergo non potest compati peccatum, quo
Solutio. stante, non potest dici, omnia ordinari in vltimum finem beatitudinis. Nec rursus potest responderi, ex tali consequutione finis vltimi non posse beatũ aliquid operari, quod in talem finem non ordinetur; non autem probatur, quòd non possit non operari, & non operando, remanere
Impug. maculam & auersionem habitualem: nõ (inquam) hoc etiam valet, quia, vt suprà dictum est, respectu eiusdem simul, & semel non possunt haberi duo vltimi fines, nec actualiter, nec habitualiter, sed stante consequutione perfecta vltimi finis per visionem si remaneret macula peccati, haberet alium vltimum finem, nempe creatũ, saltem habitualiter, quia peccatum mortale dicit conuersionem ad creaturam vt ad vltimum finem: ergo nõ potest stare simul. Tertiò probatur conclusio. Stare simul visionem claram Dei, & peccatum habituale, est indecens, immò repugnans diuinæ bonitati: ergo id non potest esse. Antecedens probatur. Primô, quia indecens est, quod inimico suo perseueranti in inimicitia conferat summum bonum & felicitatem, qualis est clara visio Dei. Secundô probatur idé antecedens, quia tunc Deus deberet amare & odio habere talem hominem; quod quidem indecens & repugnans videtur: ergo. Istud antecedens probatur, nam cõferri illi visionem claram, est maximę dilectionis. Quod autem odio prosequatur patet, nam odium est Deo impius & impietas eius: ergo simul odit & diligit illũ. Quartò probatur. Actus prudentiæ infusæ non stat, etiam de potentia absoluta, sine gratia & Charitate: ergo nec visio clara Dei potest stare sine Charitate & rectitudine Volũtatis. Patet consequentia, nam cũ visio clara sit excellétior, maiorem connexionem videtur habere cum rectitudine Voluntatis, quàm actus prudentiæ infusæ. Antecedens verò probatur ex D. Thom. 2. 2. q. 45. & 47. quia *D. Thom.* prudentia præsupponit rectã intentionem finis, cũ quanecessario stat rectitudo Volũtatis. Quintô probatur. Cũ vnione hypostatica nõ stat peccatũ in natura assumpta, etiã depotẽtia absoluta; ergo nec cũ vnione intelligibili beati cũ Deo per visionẽ clarã. Cõsequẽtia patet, nã ex eo primũ nõ potest esse, quia est intima vnio naturæ assumptæ ad Verbum & ex tali proximitate videtur necessario excludẽ dũ peccatũ; sicut tenebrę per approximationẽ lucis: vnde dicitur 3. p. q. 4. artic. 5. quòd licèt Deus posset assumere naturã fędatã culpa; tamẽ eo ipso quòd assumeret, talis culpa necessario expelleretur à natura assumpta; sed similiter vnio intelligibilis est intima cũ Deo vnito in ratione speciei & Verbi maiori vnione quàm sit inter materiam & formam, vt suprà dictũ est: ergo ex tali vnione videtur necessariò expellẽda culpa habitualis, quæ remãserat ex actu prẽcedẽti ad visionẽ.

Ad primum argumentum à principio *Ad 1. arg.*

respondetur,illud procedere de peccato habituali,de quo iam diximus in secunda conclusione posse remanere, & quate nº militat cõtra tertiã,infrà respõdebitur

Ad 2.argu. Ad secundũ respondetur,negãdo minorẽ: & ad primã confirmationẽ dicitur, quòd peccatum dupliciter potest considerari. Primò,secundùm rationem formalissimam peccati, secundùm quod opponitur gratiæ,&Charitati priuatiuè;& isto modo conceditur, tãtùm opponi immediatè & formaliter Charitati, & gratiæ,non autem visioni claræ. Secundo tamen modo consideratur peccatum, vt dicit deordinationem ab vltimo fine,& isto modo immediatè opponitur visioni, per quam respicit vltimum finem ; vnde sicut est impossibile, simul conuerti & auerti ab eodẽ;ita impossibile est,&clare videre Deum, & peccare contra ipsum. Ad secundam impugnationem respondetur,quòd licèt Deus, de potentia absoluta,contrariè oppositа possit simul conseruare,non tamen priuatiuè,vel contradictoriè oppositа: peccatum ergo & visio clara Dei priuatiuè & contradictoriè opponuntur:priuatiuè quidem,quia habẽt se sicut accessus & recessus ab eodem termino,quæ simul stare non possunt:contradictoriè autem opponuntur ex parte iudicij præsuppositi ; nã visio clara Dei præsupponit illud iudicium,mihi adhærere Deo,bonum est:peccatum verò supponit iudicium, quòd bonũ sit recedere ab illo,& nõ bonũ adhęrere illi:ista autẽ iudicia oppositionẽ cõtradictoriã important.

Ad 3.argu. Ad tertiũ respondetur,esse impossibile,ponere præceptum & negare auxiliũ efficax in beatitudine,quia ex suppositione beatitudinis,cũ sit impeccabilisbeatus cõsequẽter tenetur Deus dare requisita ad bene operandũ;nam aliàs sequerentur,vt dictũ est,duæ cõtradictoriæ; quia si nõ cõferret auxiliũ,& ille peccaret,& haberet iudiciũ requisitum ad illud peccatũ erroneum dictans,nõ esse bonũ adhærere Deo,quod quidẽ contradictionẽ importat cum alio iudicio visionis,quòd bonũ sit adhęrere Deo:ex suppositione ergo huius iudicij alterũ erroneũ habere non potest,& cõsequenter nec peccare; cũ sine tali iudicio peccatũ esse non possit. Sicut ergo ex suppositione vnius cõtradictoriæ Deus non potest alterã facere,ita ex suppositione iudicij visionis clarę non possunt apponi requisita ad peccatum. Vel dicitur,quòd si per possibile vel impossibile, stante visione, poneret præceptũ,& negaret auxiliũ,non facere non esset peccatũ;esset enim pura negatio actionis,& non omissio imputabilis, quia nõ procederet ex iudicio deliberato;quia,vt diximus,tale iudiciũ stare nõ potest cum visione clara. *Solut.*

Ad 4.arg. Ad quartũ respondetur,nõ esse tantã repugnantiã inter tristitiã & beatitudinẽ,sicut est inter illam & peccatum,quia tristitia est ordinabilis in ipsum finẽ beatitudinis,& gloriã Dei, vt ordinabatur in Christo Domino,nec ad talẽ tristitiam requiritur aliquod iudiciũ erroneum repugnans iudicio visionis claræ: peccatũ autẽ. Cũ ad finem beatitudinis ordinari non possit,sed alterũ distinctũ sibi apponat,& supponat iudiciũ erroneũ iam prędictũ,omnino est incõpossibile cũ beatitudine. Vel secundò respondetur,quòd summa lætitia & summa tristitia in eodẽ possunt dupliciter cõsiderari. Primò, respectu diuersorum, vel propter diuersas rationes,& sic tantũ opponuntur positiuè & contrariè; vnde in gradibus remissis frequenter inueniuntur simul in eodẽ subiecto;in gradibus tamẽ intensis naturaliter simul stare non possunt, quia, vt experientia constat,tristitia,etiã si sit de altera re,minuit lætitiã in subiecto eodẽ: de potẽtia tamẽ absoluta simul stare possunt in eodem;& sic fuerunt in Christo Domino,cuius Voluntas simul fruebatur visione beatifica,& tristabatur de hominum peccato,& sua morte:peccatũ autem & beatitudo nõ sic opponũtur, vt dictum est. Secundo autẽ modo gaudiũ & tristitia possunt considerari respectu eiusdẽ & propter eandẽ rationẽ & sic non tãtùm opponuntur cõtrariè, sed etiam priuatiuè & virtualiter cõtradictoriè, quia præsupponunt iudicia cõtradictoria essentialiter,ex parte Intellectus,quia gaudiũ procedit ex iudicio rei conuenientis; tristitia verò ex iudicio disconuenientis; cõtradictoria autem sunt, simul de eodẽ iudicare. Hoc est mihi cõueniens, & hoc nõ est mihi cõueniẽs;ista ergo modo tristitia & gaudiũ simul esse nõ possunt talẽ autẽ repugnantiã habent beatitudo & peccatũ ex parte iudicij,vt dictũ est;vnde simul,etiam de potẽtia absoluta stare non possunt. *2.Solutio.*

Ad quintum respõdetur, quòd in illo *Ad 5.arg.*

casu

casu nō prorumperet ille in actum odij, sed amoris,& conformaret suam voluntatem voluntati diuinæ; quia in visione clara Dei inspiceret, illud redundare in maiorem gloriam Dei,quam quidem pro tunc magis appeteret, quàm propriam felicitatem,& simul videret, illud esse cō ueniens in ordine ad causas supremas, & bene illud fieri à Deo,& sibi esse conueniens,secundùm quòd est creatura Dei, cui tenetur in omnibus obedire ; vnde simpliciter & absolutè iudicaret Deum sibi conuenientem & diligendum, licèt secundùm quid iudicaret sibi disconuenientem;quòd non sufficit ad odium in illo statu,in quo homo semper procedit conformiter ad rectam rationem.

Ad 6. arg. Ad sextum respondetur,quòd vt aliquis sit impeccabilis per essentiam,requiritur esse ipsam regulam operandi: vt autem sit impeccabilis per participationē, sufficit habere regulam infalibiliter coniunctam; sic enim non possunt deficere ab illa,& sic habent illam coniunctam sibi,vt in nullo possint deficere.

Ad 7. arg. Ad septimum respondetur probare, stante visione,de potentia absoluta,posse Voluntatem nec amare,nec habere aliquem actū supernaturalem, vt diximus dubio præcedenti,non autem quòd malè possit operari,vel omittere imputabiliter;quia,vt dictum est,ex supositione visionis,stante præcepto, Deus teneretur conferre Voluntati requisita ad operandum,vel aliàs talis omissio esset pure negatiua,& non imputabilis,ratione iam dicta solutione præcedenti.

Ad vlt. arg. Ad vltimum respondetur, veniale etiā repugnare cum beatitudine:tùm, quia licèt non sit perfectè contra vltimum finē; aliqualiter tamen & imperfectè opponitur illi,quatenus est præter ipsum, & ad hoc requirit iudicium erroneum, quod quidem cum visione clara non compatitur,vt dictum est. Sed quoniam dictum est de peccato habituali,secundam & tertiam conclusionemesse probabilem,ideò respondendum erit ad argumenta vtriusque,vt qui alteram voluerit defendere, ad argumenta alterius sciat respondere.

Ad 1. arg. 2. concl. Ad primum argumentum secundæ conclusionis respōdetur, quòd beatitudo essentialis continet eminenter rectitudinem Voluntatis; vnde eo ipso quòd ponatur beatitudo in intellectu, necessario consequitur Voluntatis rectificatio: sicut dici solet de gratia, quòd licèt sit in essentia animæ,eminenter tamen continet rectificationem voluntatis;vnde stāte gratia in animæ essentia, peccatum in Voluntate esse non potest;quia licet proximè opponatur Charitati pertinenti ad Voluntatem,eminenter tamen & radicaliter opponitur gratiæ,& sic cum illa esse non potest,etiā si ad diuersa subiecta pertineant:ita dicēdū est de beatitudine.

Ad 2. arg. Ad secundum respondetur,concedendo,non tolli peccatum à Voluntate, nisi per aliquā renouationē illius;& hanc debere fieri per actum eius, vel per resultātiā habitus Charitatis in illa, vel alterius doni sufficientis rectificare voluntatē,dicimus tamen,quòd posita beatitudine in Intellectu necessario,consequitur in Voluntate actus vel habitus.vel donū rectificans. Ad illud autē, quòd potest Deus suspēdere cōcursum,vt stante visione in Intellectu,nō sequatur in Voluntate huiusmodi actus,vel habitus, respondetur, quòd licēt absolutè possit Deus nō cōcurrere cū Voluntate;tamē in sensu cōpositō,supposita visione Intellectus, non potest non esse prædicta rectificatio resultans in volūtate;sicut dictū est de gratia, & sicut etiā patet in physicis, quod licēt Deꝰ absolutè possit nō cōcurrere ad productionem formæ;tamen in sensu cōpositō,quod præcedens expellatur de materia prima,vt conseruetur, necessaria est productio secundæ formæ.Et si cōtra dicas,hoc ideò esse,quia materia habet necessariā connexionē cū aliqua forma in definire,ita vt sine omni esse non possit, Voluntas autem non habet necessariam connexionem cum rectificatione:Respō detur,quòd ex supposītione beatitudinis,sicut ex supposītione gratiæ, habet talem necessariam connexionem, vt dictum est.Et si rursus arguas,quod si talis rectitudo esset necessariò resultans, maximè quia per visionem beatificam destruitur iudicium erroneum quod requirebatur ad conseruationem peccati,siquidem visio beatifica omnem errorem ab Intellectu excludit:sed hæc ratio est nulla:ergo.Probatur minor,nam ablato iudicio erroneo, potest remanere peccatū habituale,vt docet Caiet.infrà,q.110.ar.2 ex doctrina D.Th.q.28.de veritate,vt si aliquis esset cōditus im puris naturalibꝰ, iudiciū erroneū circa finē naturalē suffice

Obiectio.

Solutio.

Obiectio.

Caiet. D.Thom.

ret ad peccatũ, & licèt postmodũ destrueretur tale iudicium, nõ destrueretur peccatum, quia, vt ibi dicitur, non potest destrui nisi per aliquid supernaturale pertinens ad gratiam; quia plus requiritur ad resurgendum, quàm ad incidendum in peccatum: ergo per destructionem iudicij erronei non bene infertur destructio peccati & rectificatio voluntatis: Respondetur, nos non inferre rectitudinem Voluntatis ex visione præcisè, sed etiam quia, vt dictum est conuersio ad duos vltimos fines esse non potest; & quia per visionem conuertitur in Deum vt vltimum finem, qua ratione destruitur iudicium erroneum contrarium Deo conuersio praua per peccatum in creaturam, vt in vltimum finem, simul cum visione stare non potest.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum respondetur, quòd vt dictum est, peccatum habet rationem maculæ contrariæ gratiæ, & solùm per illam excluditur in ratione tamen conuersionis ad vltimum finem, opponitur visioni, & cum illa est in compossibile; vnde expositione visionis, necessariò excluditur peccatum. Verum est, quòd cùm vtraque ratio in peccato sit inseparabilis, & non possit excludi secundùm vnam, quin etiam excludatur secũdùm alteram rationem; inde fit, quòd si ponatur visio beatifica, per quam excluditur conuersio peccati ad creaturam, necessariò debet poni cum visione gratia, perquam auferatur peccati macula; vnde non admittitur casus, quòd existenti in peccato conferatur beatitudo, & non gratia, licèt existenti in puris naturæ posset Deus conferre beatitudinem, & non gratiam, non tamen existenti in peccato, vt dictum est. Sustinendo autem secundam conclusionem, respondetur ad argumenta tertiæ conclusionis.

Ad 1. arg. 3. concl. Ad primum respondetur, quòd beatitudo si nominet statum congregantem omnia bona, non potest esse cum peccato, etiam habituali; quia & hoc malum est magnum, quod cum congregatione omnium bonorum esse non potest. Si autem beatitudo sumatur præcisè essentialiter ex parte intellectus, bene potest cũ illa de potentia absoluta compati miseria & malum & peccatũ habituale, quia bene potest Deus ab essentia separare multa bona quæ illam sequuntur.

Ad 2. arg. Ad secundum respondetur, dupliciter hominem coniungi cum vltimo fine, & per Intellectum & per Voluntatem: cũ coniunctione ergo Intellectus non potest esse separatio eiusdem Intellectus à tali fine: & similiter de Voluntate, bene tamen cum coniunctione Intellectus ad finem, potest esse separatio Voluntatis; vnde cum visione potest stare peccatum habituale Voluntatis. Verum est tamen quòd cùm conuerti vel auerti ab vltimo fine, sit proprium Voluntatis, quia eius obiectum est finis: ideò conuersio Volũtatis dicitur simpliciter talis: conuersio autem vel auersio Intellectus tantùm secundùm quid, vnde licèt absolutè non possit aliquis esse conuersus simul ad duos vltimos fines simpliciter, bene tamen ad vnum simpliciter, ad alterum verò secundùm quid, vt suprà dictum est. Vnde fit consequens, quòd cùm conuersione ad Deum vt vltimum finem per Intellectum & visionem, possit stare auersio ab illo, & conuersio ad creaturam vt vltimum finem per Voluntatem, stante peccato habituali in illa, quia hoc tãtùm erit habere duos vltimos fines, vnum simpliciter, & alterum secundùm quid. Et si contra arguas, nam ex hac ratione non tantùm sequeretur posse stare simul cũ visione peccatum habituale, sed etiam actuale, contra suprà dicta, quia si conuersio Intellectus est tantùm secũdùm quid, cum illa poterit stare perfecta conuersio ad creaturam per Voluntatem, etiam per peccatum actuale: Respondetur negando sequellam; nam ad peccatum actuale requiritur iudicium erroneum de nouo, quod stante visione esse non potest, cùm per illam Intellectus omnino sit rectificatus; ad peccatum verò habituale sufficit præcessisse ante visionem iudicium erroneum, & quòd post visionem Voluntas non sit operata & conuersa, vt sic macula peccati remaneat.

Obiectio.

Solutio.

Ad tertium respondetur, secundùm potentiam ordinariam & leges communes derogare diuinæ bonitati, peccatum esse cum beatitudine, non autem secundùm potentiam absolutam, & leges extraordinarias; quia secundùm illas posset Deo apparere conueniens ad ostensionẽ suæ omnipotentiæ & libertatis, conseruare beatitudinẽ, non auferendo maculã peccati. Ad replicã verò, quòd tunc Deus simul odiret & amaret illum hominem, quod videtur implicare: Respondetur,

Ad 3. arg.

quòd

quòd odium & amor eiusdem rationis circa idem esse non potest, bene tamen si diuersæ sint rationis; amor enim est duplex; alter amicitiæ, alter beneuolentiæ. Amore amicitiæ Deus nos amat per gratiam; beneuolentiæ autem per collationem cuiuscunque doni; quia quòd Deus quodcunque donum conferat, ex amore procedit, cùm sit agens liberum: in illo ergo casu oderet illum hominem in genere amicitiæ, amaret autem in genere beneuolentiæ per collationem doni visionis claræ. Sicut & modo fidelem peccatorem odit in genere amicitiæ, quia odium est Deo impius & impietas eius: diligit autē illum in genere beneuolentiæ, quatenus in illo conseruat Fidē & Spem, quæ sunt dona supernaturalia ex amore proceden-

Obiectio. tia. Et si contra arguas, nam collatio beatitudinis est ex amore amicitiæ: ergo inuoluit gratiam, & cum illa non potest esse peccatum: ergo. Antecedens probatur, nam dilectio qua diligit Viatorem ad beatitudinem, est amicitiæ: ergo à fortiori amor quo confert beatitudinem: Res-

Solutio. pondetur, quod de facto cùm Deus ordinet ad beatitudinem per gratiam & Charitatem, talis ordinatio est amoris amicitię, & similiter ipsa collatio beatitudinis; de potentia autem absoluta cùm posset sine præuia gratia pro suo libito beatitudinem conferre, & ad illam ordinare per extrinsecam acceptationem; tunc & ordinatio & collatio beatitudinis nō ad amorem amicitiæ, sed beneuolentiæ pertineret; quia vt dictum est, amor amicitiæ supponit gratiam, in tātum, quòd etiam ipsa volitio conferendi gratiam, quatenus præintelligitur ipsi collationi, non sit amor amicitiæ, sed beneuolentiæ, vt communiter docent Theologi in sua materia.

Ad 4. arg. Ad quartum argumentum respondetur, quòd prudentia est circa media, vnde necessariò supponit rectam intentionem finis; quia electio ex intentione procedit; vnde recta electio rectam intentionē supponit; & si est electio circa supernaturalia, vt per prudentiam infusam, supponit rectam intentionem supernaturalem, quæ vtique est per Charitatem; vnde sinè Charitate & gratia, prudentia infusa esse non potest: beatudo autem est circa ipsum finem antecedenter ad ipsam rectam intentionem finis; vnde licèt ex natura rei sequenda esset recta intentio ad talem visionem, potest tamen de potē tia absoluta, stante visione, recta intentio non sequi, & sic maneret in peccato.

Ad vltimum respondetur, gratiam vnionis & habitualem esse eiusdem generis, quia gratia habitualis est participatio diuinæ essentiæ: qua ratione 3. part. quæst. 2. dicitur, gratiam habitualem in Christo Domino habere infinitatem speciali ori ratione, quàm virtutes; quia coniungi cum gratia vnionis & esse diuino personali, est coniungi proprio principio sui generis, & sic infinitatem participare; siquidem quælibet res in tantum perficitur, in quantum proprio principio coniungitur: hac ergo ratione eandem repugnantiam, immo maiorem, debet habere cum peccato gratia vnionis, quàm gratia habitualis; vnde si peccatum cum gratia habituali esse non potest, nec etiam cum gratia vnionis: beatitudo autem nō est eiusdem generis cum gratia habituali, vnde non est eadē ratio; beatitudo enim pertinet ad genus intelligibile, gratia verò ad genus essendi. Se-

2. Solutio. cundò respondetur, esse diuersam rationem beatitudinis & vnionis hypostaticę, nam vnio hypostatica transcendit naturam & potētiam, ita quòd esse, tam naturæ, quàm omnium potentiarum eius, sit esse personæ diuinæ; vnde talis vnio hypostatica excludit malum à natura & potentijs, quia omnia transcendit, & in voluntate peccatum remanere non potest: beatitudo autem licèt per redundantiam, & vt modo est, de facto deribetur ad omnes potentias, tamen essentialiter & ex propria ratione tantùm pertinet ad Intellectum; vnde de potentia absoluta in illo potest retineri, manente de ordinatione in alijs potentijs. Tertiò res-

3. Solutio. pondetur, aliam esse rationem de vnione hypostatica; nam cùm actionū denominationes sint suppositorum si stāte vnione hypostatica, maneret peccatum, suppositum diuinum diceretur peccator; quod est implicatio dici de sanctitate per essentiam; quòd autem beatus dicatur peccator,, non inuoluit istam contradictionem, cùm sit suppositum creatum capax imperfectionis etiam moralis.

DVBITATVR VLTIMO.

Virùm ad beatitudinem naturalem necessariò requiratur rectitudo voluntatis.

1. *Arg.* PRobatur quòd non primò. In dæmonibus est beatitudo naturalis, & tamẽ non est rectitudo voluntatis, cùm omnino sit deprabata: ergo. Maior probatur. Primò, nam, vt dicitur 1. par. q. 62. art. 1. omnes Angeli creati sunt in beatitudine naturali; sed beatitudo est inamisibilis ex propria ratione: ergo remansit in eis etiam post peccatum talis beatitudo naturalis. Secundò probatur eadem maior, quia naturalia in Angelo post peccatum integra permanserunt, vt docet Diuus Thomas 1. part. q. 63. art. 4. præcipuè cognitio, cùm species inditæ nõ sint ablatæ; sed beatitudo naturalis consistit in tali cognitione naturali Authoris naturæ: ergo remansit post peccatum. Et si

Solutio. respondeatur, quòd post peccatum mansit cognitio speculatiua, destructa est tamen practica per errorem practicum an

Impugn. tecedentem ad peccatum: Contrà arguitur. Beatitudo naturalis non consistit in cognitione practica, sed speculatiua: ergo si ista remansit, beatitudo remansit. Antecedens probatur, nam, vt constat ex Caietano 1. par. quæstione 1. articulo 4. practicum & speculatiuum possunt conuenire habitui supernaturali propter suam eminentiam; respectu tamen habitus naturalis differentiæ sunt oppositæ, & eidem conuenire non possunt: beatitudo ergo naturalis, quæ vna est, alterã differentiam habere debet, non practica, quæ est minus perfecta, & beatitudo in perfectissimo debet consistere; consistit ergo in speculatiua tantúm, & si ista remanet, beatitudo remanet. Et tertiò probatur eadem maior principalis. In dæmone manent omnia requisita ad beatitudinem naturalem: ergo & ipsa beatitudo remanet. Antecedens probatur. Manet cognitio Authoris naturæ, amor eius, & delectatio: ergo. Istud antecedens quoad primam partem de cognitione, patet ex secunda probatione præcedenti, & item quia cognitio Angeli mensuratur quo, & sic inuariabilis debet permanere. De amore verò patet etiam ex D. Thoma 1. part. q. 60. art. 5. & q. 63. art. 5. ad 3. & q. 16. arti. 6. ad 7. vbi docet, dæmones non esse auersos per amorem ab Authore naturæ. Et ratione etiam patet, nam in dæmone est amor electiuus: ergo supponitur in illo amor naturalis, quia, vt dictũ est suprà, liberum reducitur ad naturale & necessarium; sed talis amor naturalis necessarius erit ab Authore naturæ & circa Authorem naturę; ergo erit bonus, & consequenter sufficiens ad beatitudinem naturalem. Quòd verò in dæmone maneat delectatio, probatur, nam delectatio est quies in bono adepto per intellectum ex amore; ergo si maneat cognitio, & amor Authoris naturæ, manet & delectatio illius.

2. *Arg.* Secundò principaliter arguitur. Pueri in lymbo habent beatitudinem naturalem, & non rectitudinem voluntatis: ergo talis rectitudo nõ requiritur ad beatitudinem naturalem. Maior videtur Diui Thomæ quæstione 5. de malo, articulo 3. & in secundò, distinctione 33. quæstione 2. artic. 2. ad 5. immò Iob. 3. videtur insinuare illud, dicens: Quare non in vulua mortuus fum, & addit: Nunc dormient, si velint. Vbi glossa interlinealis explicat de dormitione & æterna quiete, quæ ad minus de felicitate naturali debet intelligi, & dicitur infrà, feliciorem esse qui nondum est natus, & meliorem esse illo abortiuum: vnde illud comparatiuum supponit positiuum, & quòd talis post mortem bene se habeat; quod non potest esse sine naturali beatitudine. Minor verò est de Fide, quia cùm paruuli in lymbo sint in peccato originali, non habent rectitudinem Voluntatis.

Not. Pro intelligentia huius dubij notandum, quòd vt suprà diximus, licét in hac vita posset haberi beatitudo naturalis imperfecta; tamen perfecta non habetur nisi in alia vita: non ergo loquimur de imperfecta huius vitæ, sed de perfecta alterius; nam quæcunque in hac vita haberetur, non excluderet peccabilitatem, loquendo de homine; nam si loquamur de Angelo, alia est difficultas, vtrùm etiam in via fuerint beati & impeccabiles circa naturalia per se loquendo. Vaz- *Vazquez* quez 1. part. disput. 231. cap. 2. & 5. Sua- *Suarez.* rez tomo secundo Metaphysicæ, disputatione 35. sectione 5. num. 7. Scotus in *Scotus* 2. distin. 23. quæstione vnica, articulo 4. *Paludan.* Paludanus 4. distinctione 50. quæstione 1. articulo 2. & Victoria & Canus, & *Victoria* *Cano.* alij

alij Thomistæ, quos refert Zumel 1. part. quæstione 63. articulo 1. dubio 1. tenent, Angelum in via potuisse peccare directè & per se circa naturalia, nullo habito respectu ad supernaturalia; quod insinuat Diuus Thomas in illa quæstione 63. dicens, omnem creaturam rationalem, esse naturaliter peccabilem, quia nō est sua regula, Oppositа tamen sententia est communior & probabilior, quâm docet Diuus Thomas quæstione 16. de malo, articulo 3. & illam tenet Durandus 2. distinctione 6. quæstione 1. num. 16. & distinctione 23. quæstione 1. Capreolus distinctione 22. artitculo. 3. ad 1. Cai. 1. part. quæstione 59. articulo 3. & quæstione 63. articulo 1. & Bañes & Zumel ibidem, & Valentia disputatione 4. quæstione 14. puncto 1.

D. Thom. *Durand.* *Capreol.* *Caie.* *Bañes* *Zumel* *Valentia.*

1. Concl. Prima conclusio. Dæmones non habent beatitudinem naturalem perfectam, licèt aliqualē & imperfectā propter cognitionem speculatiuam remanentem dicantur habere. Hæc probatur. Beatitudo naturalis dicit perfectam coniunctionem cum vltimo fine naturali: hanc non habet dæmon: ergo. Minor probatur, nam finis naturalis & supernaturalis sic sunt connexi & subordinati, vt à fine supernaturali non possit aliquis separari, quin etiam à fine naturali separetur, vt dicetur infrà in materia de peccatis: sed dæmon per peccatū separatus est à fine supernaturali: ergo consequenter à naturali. Secundò probatur conclusio. Dęmones carent multis requisitis ad beatitudinem naturalem: ergo non habent illam. Consequentia patet à posteriori, per negationem proprietatum ad negationem essentię. Antecedens verò probatur, nam in primis carent delectatione, 2. Petri. 2. Dedit illos cruciandos. Et Apocalypsis 20. Vbi cruciatur die ac nocte. Et ratione patet, nam in summa miseria sunt: ergo nō possunt habere delectationem, sed potius summam tristitiam. Nec potest dici, simul esse tristitiam & delectationem, sicut in Christo Domino; tùm, quoniam in illo statu non appareret à qua aliqualis consolatio possit prouenire, quia in Christo Domino hoc fuit maximum miraculum, & non est ponendum in damnatis, maximè in fauorem illorum Carent etiam dæmones pace, vt notat Origenes super caput 1. Iob. Carent etiam potestate sibi naturaliter de vita mouendi inferiorem Angelum beatum, vt docet Diuus Thomas 1. part. quæstione 64. articulo 2. ad 3. Carent similiter cœlo Empyreo sibi naturaliter debito, vt docet Diuus Thomas prima parte, quæstione 62. articulo 4. Immô & carent multis auxilijs requisitis ad aliqua opera naturalia, vt insinuat Augustinus 9. de Ciuitate Dei, capite 21. Tertiò probatur conclusio. Dæmones multoties peccant cōtra finem naturalem: ergo nō habent beatitudinem naturalem. Consequentia patet, nam beatitudo dicit conuersionem, peccatum verò auersionem; simul autem non potest esse conuersus & auersus â fine naturali. Antecedens verô probatur, nam dæmones aliquando occidunt homines, vt viros Sarę, & quotidie inducunt homines ad furandum, mentiendum, &c. quorum omnium reatus culpæ est in dęmone, vt docet D. Thom. 1. part. quæst. 64. art. 1. Nec valet dicere, hoc facere dæmones ex motiuo supernaturali, quia hoc non obstante, contra finē naturalem faciunt, ex quocunque motiuo faciant. Vltimo probatur conclusio. Cognitio demonum non habet rectitudinem practicam causaliter & vt regula: ergo non habent rationem beatitudinis. Patet consequentia, nam rectitudo practica, vel est de essentia beatitudinis, vel adeô intrinseca, vt de lege ordinaria & de facto (vt nunc loquimur) sine illa esse nō possit.

D. Thom. *Aug.*

2. Petri. 2. *Apoc. 20.*

Origenes.

2. Concl. Secunda conclusio. Pueri in lymbo non habet beatitudinem naturalem perfectam & simpliciter, sed aliqualiter possunt dici habere illam per cognitionem naturalem perfectam, & negationem doloris & tristitiæ, Oppositum huius tenet Lyra super caput 4. Ecclesiastici, Scotus in secundo distinctione 33. quæstione vnica, Medina infrà, quæstione 83. art. 4 dicit hāc sententiam esse probabilem. Nostra tamen conclusio est certa, & communis, de qua nos ad longum agimus infrà quæstio. 83. artic. vltimo, & probatur ex Diuo Augustino libro de prædestinatione Sanctorum, cap. 13. vbi dicit, Pelagianos concedere talem felicitatem paruulis; & contra illos disputat sermone 14. de verbis Domini, & tractatu 67. super Ioannē, vbi ait, hoc asserere Pelagianos, quia existimabant; paruulos nasci absq; originali. Ex quo conficitur argumentum, quòd posito originali, vt Fides ponit,

Lyra. *Scotus.* *D. Aug.*

nit, felicitas est incompossibilis, quia vt ipsam astruerent Pelagiani, originale negabant, vtique existimantes vtrunq; esse incompossibile. Secundò probatur ex capit. Ad limina. 3. quæstio. 1. vbi originale, & status ille paruulorum, appellatur mors perpetua. Et Concilium Tridentinum sessione 5. in decreto de peccato originali, canone, 2. appellat peccatum originale, mortem animæ: non ergo compatitur cum beatitudine, quæ vita est, & præstantissima vita.

Cap. Ad limina.
Conci. Trid.

3. Concl.

Tertia conclusio responsiua ad quæstionem. Beatitudo naturalis habet necessariò connexam impeccabilitatem ac rectitudinem voluntatis. Hæc est Aristotelis 10. Ethicorum, vbi docet, ex contemplatione naturali beatitudinem oriri, & quòd homo sit amicissimus Deo, & 7. Polyticorum, capite 8. dicit etiam, ex illa contemplatione oriri omnes virtutes in anima; hæc autem rectitudinem important. Secundò probatur. Beatitudo naturalis debet inuestigari per analogiam ad supernaturalem: sed ad istam, vt dictum est, requiritur rectitudo voluntatis: ergo ad illam. Tertiò probatur. Cognitio etiam naturalis beatificans naturaliter, debet esse perfectissima speculatiuè & practicè: ergo cum illa non compatitur peccatum. Patet consequentia, nam peccatum supponit iudicium erroneum, ex quo procedat: istud autem stare non potest cum cognitione perfectissima speculatiuè & practicè. Ex quo sequitur, quòd impeccabilitas prædicta nõ solùm esset moralis, propter difficultatem & copiosa auxilia, sed etiam physica ex natura rei, tùm ex perfecta cognitione & amore, tùm etiam ratione status, quia tunc anima esset in termino & extra viam, & peccare non posset: hæc autem impeccabilitas moralis fortè posset applicari beatitudini imperfectè habitæ in via, & beatitudini naturali, quam etiam Angeli viatores habuerunt: si non placet dicere, fuisse etiam impeccabiles contra naturalia per se loquendo, & solùm peccabiles per accidens, vt explicauimus.

Aristot.

Ad 1. argu.

Ad primum argumentum à principio, negatur maior. Ad primam probationem respondetur. Primò, inamissibilitatem tantum esse de ratione beatitudinis perfectæ, qualis est supernaturalis, nõ autem imperfectæ, qualis est naturalis. Secundò respondetur, quòd beatitudo naturalis est inamissibilis per se & immediatè, per accidens autem per amissionem rectitudinis supernaturalis & ipsa amitti potest: qua ratione docuit Diuus Thomas, Angelum non potuisse peccare immediatè contra finẽ naturalem: peccando ergo contra finem supernaturalem, consequenter amisit rectitudinem circa finem naturalem, & sic beatitudinem. Et si contrà dicas, quòd gratia non destruit naturam, sed potius perficit: si ergo beatitudo naturalis ex propria natura est inamissibilis, & hoc non destruitur per gratiam cui subordinatur, tunc ex coniunctione ad finem supernaturalem non erit amissibilis; quia hoc non esset perfici, sed infici: Respondetur, quòd beatitudo naturalis ex propria natura tantum habet vt immediatè sit inamissibilis; & hoc non destruitur per gratiam cui subordinatur, non autem habet ex propria natura, vt non possit amitti per amissionem superioris cui subordinatur, & cum quo necessariam coniunctionem habet: potest ergo aliquid secundùm rationem, propriam & partialem habere vnum, & secundùm rationem superiorem cui coniungitur, habere contrarium; vt hominini secundùm rationem naturalem particularem conuenit appetere vitam; ex participatione tamen gratiæ potest appetere mortem, vt martyres & Diuus Paulus, cùm aiebat: Cupio dissolui, &c. Similiter homini naturale est dolere de morte filiorum; si tamen est beatus, non solùm tristatur de hoc, sed potius gaudet, conformandose voluntati diuinæ, non solùm in volito formali; sed etiam materiali. Et si contrà dicas, quòd si Angelus ante peccatum habebat beatitudinem naturalem amissibilem per accidens, timeret amissionem illius, & consequenter non haberet beatitudinem, quæ timorem excludit; & securitatem inducit: Respondetur, quòd aliqualem timorem haberet, sed hoc ordinaretur vt esset magis cautus in nõ amittenda beatitudine supernaturali ex negligentia, vel malo abusu. Vel dicitur, quòd illa amissibilitas per accidens, non induceret timorem, quia nõ erat malum imminens & præsens, sed multum remotè se habens, vt cognosceret Angelus, auxilia ad operandum non esse illi denegãda; & occasiones peccandi nõ essent, nec

D. Thom.

Obiectio.

Solut.

Obiectio.

Solutio.

passio-

passiones, nec tentationes, nec in eius voluntate aliqui habitus praui, & consequenter quòd peccatū multum distaret: cùm ergo iudicaret peccatum difficilimum & remotum, per quod beatitudinem deberet amittere, tālem amissionem non timebat timore perfecto. Ad secundam impugnationem eiusdem maioris respondetur, quòd, vt dictum est, ad beatitudinem naturalem nō solùm requiritur cognitio speculatiua, sed etiam practica, & virtutes inde dimanantes; & cum ista deficiant in dæmone post peccatum, consequenter & beatitudo naturalis deficit. Et

Obiectio. si contrà arguas, nam essentialis beatitudo supernaturalis consistit in visione, vt speculatiua est, vt suprà diximus: ergo similiter beatitudo naturalis: Respondetur,

Solut. nos non dixisse, rationem radicalem practicam non pertinere ad essentiā beatitudinis supernaturalis; sed tantùm diximus, primo consistere in ratione speculatiua; hoc autem non excludit quòd ad essentiam beatitudinis pertineat secundariò ratio practica: hoc ergo diximus de beatitudine naturali; & cùm in dæmone nulla prorsus rectitudo practica remaneat, consequenter nec beatitudo naturali. Ad illud autem ex Caietano, quòd practicum & speculatiuum non possunt simul in eodem habitu naturali reperiri; Respondetur, hoc habere verum in hominibus pro isto statu, non autem in Angelis, cùm intelligant per species & rationes vniuersaliores, in quibus coadunata quæ in inferioribus disperguntur possunt reperiri. Ad tertiam probationē eiusdē maioris respōdetur, omnia prędicta in illo argumento deficere in dæmonibus ad beatitudinem, quia cognitio remanens non habet rationem practicam, vt dictum est. Item amor est Dei, sicut vniuersalis boni; cum quo tamē stat, quòd odio prosequatur ipsum in particulari secundùm multiplicem rationem, vt

D. Tho. docet Diuus Thomas 1. part. quæstione 60. articulo 5. vnde non respiciunt Deū vt vltimum finem; quod requirebatur ad beatitudinem naturalem eorum; quia cùm per peccatum habeant vltimum finem creatum, haberent duos vltimos fines simul; quod implicat, vt suprà dictum est.

Ad 2. argu. Ad secundum argumentum principale; patet ex secunda conclusione; multa enim deficiūt paruulis illis ad beatitudinē naturalē. Primò quidē cognitio, quia non est in eis ratio completa, quia multæ scientiæ eis deficiunt, vt docet Soto 1. de natura & gratia, cap. 14. & in 3. dist. in- *Soto.* ctione 48. quæstio. 2. articulo 4. ad 4. deficit etiam ratio practica tali cognitioni, cùm habeant voluntatem deordinatam per originale, & eis virtutes deficiant, & si aliquos actus liberos habent circa Deum, sunt imperfecti, vt habentur in peccatoribus: quando autem in sacra Scriptura vel Sanctis insinuatur, illos habere felicitatem intelligitur de aliquali similitudine beatitudinis, propterà quòd non tristantur, nec mœsti sunt. Ad illud autem, quòd comparatiuum supponit positiuum, respondetur, non semper id habere verum. Et hæc de hoc dubio & Articulo.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ad Beatitudinē requiratur corpus.

AD quintum sic proceditur. *Videtur quòd ad beatitudinem requiratur corpus. Perfectio enim virtutis & gratiæ præsupponit perfectionem naturæ: sed beatitudo est perfectio virtutis & gratiæ; anima autem sine corpore non habet perfectionem naturæ, cum sit pars naturaliter naturæ humanæ; omnis autem pars est imperfecta à suo toto separata: ergo anima sine corpore non potest esse beata.* 3. q. 7. art. 4 d. 1. & q. 15 ar. 10. cor. & ad 2. Et 4. d. 49. q. 4 art. 5. q. 2. cor. et & 4. contra c. 47. fi. & po. q. 5. a. 10. corp. Et opu: 3. c. 152 Et Iob. 19. fi q. 3. ar. 2.

Præterea. Beatitudo est operatio quædam perfecta, vt suprà dictum est: sed operatio perfecta sequitur esse perfectum, quia nihil operatur nisi secundùm quod est ens in actu: Cùm ergo anima non habeat esse perfectum, quando est à corpore separata, sicut nec pars separata à toto, videtur quòd anima

separa

separata à corpore non possit esse beata.

Præterea. Beatitudo est perfectio hominis: sed anima sine corpore non est homo: ergo beatitudo non potest esse in anima sine corpore.

Cap.6.to.5. *Præterea. Secundùm Philosophum 10. ✠ Ethicorum, operatio felicitatis, in qua consistit beatitudo, est non impedita: sed operatio animæ separatæ est impedita, quia, vt* Cap.35.cir. med.to.3. *dicit Augustinus 12. super Genes. ad litteram, inest ei quidam naturalis appetitus corpus administrandi; quo appetitu retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud summum cælum, id est, in visione essentiæ diuinæ: ergo anima sine corpore non potest esse beata.*

* Lib.12. sup. Gen. ad li.ca.35.ad med.to.3. *Præterea. Beatitudo est sufficiens bonum, & quietat desiderium; sed hoc non conuenit animæ separatæ; quia adhuc appetit corporis vnionem, vt ✠ Augustinus dicit: ergo anima separata à corpore non est beata.*

Eod.lib.12. sup.Gen.ca. 35.to.3. *Pætereà. Homo in beatitudine est Angelis æqualis: sed anima sine corpore non æquatur Angelis, vt ✠ Augustinus dicit: ergo non est beata.*

Sed contrà est quod dicitur Apocalyps.14. Beati mortui qui in Domino moriuntur.

Respondeo dicendum, quòd duplex est Beatitudo: vna imperfecta, quæ habetur in hac vita; & alia perfecta, quæ in Dei visione consistit. Manifestum est autem, quòd ad beatitudinem huius vitæ de necessitate requiritur corpus; est enim beatitudo huius vitæ, operatio Intellectus, vel speculatiui, vel practici: operatio autem Intellectus in hac vita nõ potest esse sine phantasmate, quod nõ est nisi in organo corporeo, vt in Primo ✠ habitum est; & sic beatitudo quæ in hac vita haberi potest, dependet quodammodo ex corpore. p.p.q.84. art.7. *Sed circa beatitudinem perfectam, quæ in Dei visione consistit, aliqui posuerunt, quôd nõ potest animæ aduenire sine corpore existenti, dicentes, quòd animæ Sanctorum â corporibus separatæ ad illam beatitudinem nõ perueniunt vsque ad diem iudicij, quando corpora resument. Quod quidem apparet esse falsum, & authoritate, & ratione. Authoritate quidem, quia Apostolus dicit. 2. Corin. 5. Quandiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino, Et quæ sit ratio peregrinationis, ostendit subdens; Per Fidem enim ambulamus, & non per speciem. Ex quo apparet, quôd quandiu aliquis ambulat per Fidem, & non per speciem, carens visione diuinæ essentiæ, nondum est Deo præsens: animæ autem Sanctorum à corporibus separatæ, sunt Deo præsentes; vnde subditur; Audemus autem & voluntatem habemus bonam peregrinari â corpore, & præsentes esse ad Deum. Vnde manifestum est, quôd animæ Sanctorum separatæ â corporibus ambulant per speciem Dei essentiam videntes; in quo est vera beatitudo. Hoc etiam per rationem appareret. Nam intellectus ad suam operationem non indiget corpore, nisi propter*

propter phantasmata, in quibus veritatem intelligibilem contuetur, vt
q.84.art.7. in Primo * dictum est. Manifestum est autem, quòd diuina essentia per phantasmata videri nō potest: vt in
p.p.q.12. Primo * ostensum est: vnde cum in visione diuinæ essentiæ perfecta hominis beatitudo consistat, non dependet beatitudo perfecta hominis à corpore; vnde sine corpore potest anima esse beata. Sed sciendum, quòd ad perfectionem alicuius rei dupliciter aliquid pertinet. Vno modo ad cōstituendā essentiā rei; sicut anima requiritur ad perfectionē hominis. Alio modo requiritur ad perfectionē rei, quod pertinet ad bene esse eius, sicut pulchritudo corporis, vel velocitas ingenij pertinet ad perfectionē hominis. Quanuis ergo corpus primo modo ad perfectionem beatitudinis humanæ non pertineat, pertinet tamen secundo modo: cùm enim operatio dependat ex natura rei, quanto anima perfectior erit in sua natura, tanto perfectiùs habebit suam propriam operationem, in qua felicitas consistit. Vnde
*Cap. 35. to. 3. * Augustinus in 12. super Genes. ad literam, cùm quæsiuisset, vtrùm spiritibus defunctorum, sine corporibus possit summa illa beatitudo præberi, respondit, quôd non sic possunt videre incommutabilem substantiam, vt sancti Angeli vident, siue alia latentiori causa, siue ideò quia est in eis naturalis quidam appetitus corpus administrandi.

Ad primum ergo dicēdum, quòd beatitudo est perfectio animæ ex parte Intellectus, secundùm quem anima transcendit corporis organa; non autem secundùm quôd est forma naturalis corporis: & ideò illa naturalis perfectio manet, secundùm quam ei beatitudo debetur; licèt non maneat illa naturæ perfectio, secundùm quam est corporis forma.

Ad secundùm dicendum, quôd anima aliter se habet ad esse, quàm aliæ partes; nam esse totius non est alicuius suarum partium: vnde vel pars omnino desinit esse destructo toto, sicut partes animalis destructo animali: vel si remanent habent aliud esse in actu, sicut pars lineæ habet aliud esse quàm tota linea: sed animæ humanæ remanet esse compositi post corporis destructionē, & hoc ideò, quia idē est esse & formæ & materiæ: & hoc idem est esse compositi: anima autem subsistit in suo esse, vt in Primo * ostensum est. Vnde relinquitur, quôd post separationem à corpore, perfectum esse habeat: vnde perfectam operationē habere potest, licèt non habeat perfectam naturam. D.973. *p.p.q.75. ar.2. D.174.

Ad tertium dicendum, quod beatitudo est hominis secundùm Intellectum: & idò remanente Intellectu, potest in esse ei beatitudo: sicut dentes Æthiopis possunt esse albi etiam post euulsionē; secūdū quos Æthiops dicitur albus.

Ad quartum dicendum, quòd dupliciter aliquid impeditur ab alio. Vno modo per modum contrarietatis, sicut frigus impedit actionem caloris:

caloris : & tale impedimentum operationis repugnat felicitati. Alio modo per modum cuiusdam defectus ; quia scilicet res impedita non habet quidquid ad omnimodam eius perfectionem requiritur, & tale impedimentum operationis non repugnat felicitati , sed omnimodæ perfectioni ipsius , & sic separatio animæ â corpore , dicitur animam retardare ne tota intensione tendat in visionem diuinæ essentiæ : appetit enim anima sic frui Deo , quôd etiam ipsa fruitio deriuetur ad corpus per redundantiã , sicut est possibile , & ideò quandiu ipsa fruitur Deo sine corpore , appetitus eius sic quiescit in eo, quôd tamen adhuc participationem eius vellet suum corpus pertingere.

Ad quintum dicendum , quod desiderium animæ separatæ totaliter quiescit ex parte appetibilis, quia habet id quod suo appetitui sufficit , sed non totaliter requiescit ex parte appetentis , quia illud bonum non possidet secundùm omnem modum quo possidere vellet, & ideô corpore resumpto , beatitudo D.275. *creſcit , non d intensiuè, sed extensiuè.*

Ad sextum dicendum , quod id quod ibidem dicitur , quòd spiritus defunctorum non sic vident Deum , sicut Angeli ; non est intelligendum secundùm inæqualitatem quantitatis , quia etiam modo aliquæ animæ beatorum sunt assumptæ ad superiores ordines Angelorum , clariùs videntes Deum, quàm inferiores Angeli ; sed intelligitur secundùm inæqualitatem proportionis; quia Angeli etiam infimi habent omnem perfectionem beatitudinis quam sunt habituri, non autem animæ separatæ Sanctorum.

Prima conclusio. Ad imperfectam beatitudinem quæ habetur in hac vita , necessariò requiritur corpus. 1.Concl.

Secunda conclusio. Ad pefectam beatitudinem quæ erit in Patria, non requiritur necessariò corpus, sed ad bene esse. 2.Concl.

Tertia conclusio. Beatitudo animę, resumpto corpore , erit maior extensiuè, non tamen intensiuè. 3.Concl.

DVBITATVR PRIMO.

Circa primam conclusionem.

Vtrùm ante diem iudicij & ante resurrectionem corporum , animæ beatificentur, ita vt si non sit aliquid purgandum in Purgatorio, statim post migrationem à corpore clare videant Deum.

IN hac re fuit sentẽtia negatiua , quâm promiscuè tenuerunt Catholici, immò & Doctores sancti, & multi hæretici. Ita tenuit Irenæus Martyr & Episcopus Lugdunensis vir antiquissimus, puer nãque audiuit Polycarpum sanctissimum Martyrem Smyrnæ Ecclesiæ Antistitem ab Euangelista Ioanne ibidem constitutum. Hic ergo Irenæus, hoc tenuit lib. 5. aduersus hæreses, prope finem, adducitque conuenientiam , quòd sicut Christus Dominus detentus est inter mortuos per triduum, & posteà assumpto corpore ascendit ad cœlos ; ita etiam alia membra Christi detinentur vsque ad resurrectionem generalem. Idem tenet Theophilactus super Lucam, cap. 3. explicans illud. Hodie mecum eris in paradyso. Et super ad Hebræos 11. in illud: Hi omnes testimonio Fidei probati non acceperũt repromissionẽ, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis *Senten. Irenæus.* *Theophilactus.*

nobis consummarentur; vbi videtur docere Paulus, omnes detineri, vt non alij alijs prius, sed simul omnes intrent in gloriam. Et super eundem locum *Theod. Oecumen.* Theodoretus & Oecumenius. Item *D.Aug.* Augustinus libro primo Retractationum, capite decimoquarto, & in Enchiridione, capite 108. & libro 12. de Genes. capite 35. & 12. de Ciuitate Dei, capite 9. & Psalmo 36. Idem tenuit Diuus *D.Ber.* Bernardus sermone secundo & tertio & quarto de omnibus Sanctis, vbi ex proposito nititur id probare multis sacræ Scripturæ locis; sicque intelligit illud Apocalypsis sexto: Vidi sub altare animas interfectorum propter verbum Dei, & clamabant dicentes: Vsquequo Domine Sanctus & verus non vindicas & non iudicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? Quibus responsum est, vt requiescerent ad tempus modicum, donec implerentur conserui eorum; & datæ sunt illis singulæ stolæ albæ. Notate illud verbum, Donec implerentur conserui; insinuatur enim in prædicto loco, in aliquo secreto detineri animas iustorum, vt numerus omnium impleatur, & simul ingrediantur beatitudinem; & interim aliqualiter à Deo illis consolationes aliquas præberi, per illud quod dicitur, Datæ sunt illis stolæ albæ, & quòd expectarent. Et *Origen. Athanas. Chrysost.* Origenes in Leuiticum, & libro secundo Periarchon, prope finem, & libro quarto. Item Athanasius libro quæstionum ad Antiochum 2. Chrysostomus homilia 39. super 1. ad Corinthios, & homilia 28. super ad Hebræos 11. & *Lactan. Victorin. Hilari. Ambros.* Lactantius libro septimo diuinarum Institutionum, capite 21. & Victorinus Martyr super Apocalyp. 6. Hilarius super Psalmo 138. Ambrosius libro secundo de Cain, capite secundo, & libro de bono mortis, capite 10. Hoc *Tertul.* ipsum tenuit antiquissimus Tertullianus libro quarto aduersus Marcionem, explicans quid sit ille locus qui dicitur Sinus Abrahæ Lucæ 26. Id etiam te- *Ioan.22.* nuit Ioannnes XXII. vt refert Marsilius in quarto, distinctione 13. articulo 3. & Adrianus in quarto, agens de Sacramento Confirmationis, & ita tenaciter tenuit, vt hoc mandauerit Parisiensibus, ita vt nemo in gradum Theologiæ ascendere posset, nisi prius iurasset hoc defendere; nec videtur processisse vt Doctor particularis, siquidem hoc præcepit sub pœnis tenendum; quod est procedere vt Pontifex. Denique hanc sententiam tenuerunt multi hæretici Græci & Armenij, vt refert Castro de hæresibus, verbo Beatitudo, hæresi 6. Immò paucis abhinc annis, tempore Fratris Ioannis de Hurtado, hoc publicè defendit quidem Salmantinus Doctor Ioannes de Oria maximè notus in villa Diui Facundi, damnatus est tamen ab Inquisitoribus hæreticæ pra uitatis. *Ioann. de Oria.*

Hæc ergo sententia probatur. Primò, multis locis sacræ Scripturæ, præter ea quæ adducta sunt inter referendos authores prædictos, vt ex illo secundo Machabæorum 12. Nisi eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum, orare pro mortuis. In quo insinuatur, gloriam non dandam nisi post resurrectionem: nam si antè est conferenda, non erat vanum orare pro mortuis, etiamsi non essent resurrecturi. Item Matth. 25. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum, &c. quæ verba proferenda sunt à Christo Domino in iudicio post resurrectionem: ergo anteà non perceperant regnum, si tunc dicitur, Percipite, &c. Item secundo ad Timotheum primo: Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem. Et capite quarto dicit: De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. In die iudicij dicit conferendam esse coronam. Et 2. Petri 2. Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari. Et postea subdit: Nouit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos. Et Beatus Iudas in sua Canonica: Angelos verò qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni Dei vinculis æternis sub caligine reseruauit.

Secundò arguitur ratione. Meritum *2.Arg.* conuenit tantum animæ, dum est in corpore: ergo similiter præmium. Consequentia patet, nam præmium correspondet merito. Antecedens verò pro-

batur, nam tantùm est meritum in Via; post mortem autem, cùm non sit Viator, nec mereri potest.

3.Arg. Tertiò arguitur. Beatitudo est perfectissimus actus, qui animæ potest competere; sed huiusmodi non potest esse in anima separata: ergo nec beatitudo. Minor probatur, nam perfectissimus actus est, qui conuenit rei secundùm suam speciem: sed anima secundùm speciem est actus corporis: ergo perfectissimus actus eius est quem habet in corpore.

4.Arg. Quartò arguitur. Beatitudo est cui nihil deficit: sed ante vnionem cum corpore deest aliquid quod adhuc est in desiderio animæ; appetit enim suam reunionem: ergo ante illam non est beata.

Not. Pro intelligentia notandum, hanc conclusionem antiquitus fuisse resolutam, vt

Augustí. patet ex Augustino libro de natura boni, capite 33. tomo 6. & libro 2. de quæstionibus Euangeliorum, capite 38. tomo 4. & libro super Genes. ad literam, capite 35. tomo 3. quapropter tunc nullus erat error hanc sententiam defendere, quia non erat veritas distincta & clara locis infrà ponendis; quapropter probabiliter tunc poterant illam defendere: & licèt prædicti conuenirent in sententia relata; adhuc tamen erat dissensio inter illos in assignando loco vbi animæ purgatæ detinerentur vsque ad collationem præmij in iudicio. Irenæus quidem & alij sentiebant, detineri in paradyso terreno. Chrysostomus autem homilia vel oratione secunda contra Iudæos, & alij cum ipso tenebant, animas quidem esse in cœlo, non tamen intueri diuinitatem, sed humanitatem Christi Domini.

Conclusio tamen sit, animas purgatas

Conclus. statim videre Deum per essentiam, & essentialiter esse beatas ante reunionem corporis. Hæc conclusio est de Fide, vt ait

D. Thom. Diuus Thomas in 4. distinctione 45. quæstione 1. quæstiuncula 2. vbi ait, oppositum esse hæresim; licèt hic solùm asserat esse falsum. Probatur secundò ex diffinitionibus Ecclesiæ, ex Extrauaganti Benedicti XII. qui de consilio Cardi-

Benedict. XII. nalium & Theologorum maturè diffinuit post longam disputationem & controuersiam, animas iustorum statim post purgationem ad cœlos euolare. De qua Extrauaganti videatur Castro verbo

Castro. Beatitudo, hæresi 6. & Gabriel in Supplemento, distinctione 49. quæstione 2. articulo 3. Probatur & ex Florentino sub Eugenio Quarto, vbi idem diffinitur in decreto de vnione, sessione vltima, cuius verba sunt hæc: Diffinimus, illorum animas, qui post Baptismum susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post peccati contractam maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, purgatæ sunt, in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum Trinum & vnum, sicuti est. Item habetur in Concilio Tridentino, sessione 4. decreto 1. circa finem, & sessione 5. canone 5. Idem habet Francfordiense in epistola ad Episcopos Hispaniæ, dicit enim, vt se contineant intra limites Patrũ suorum, quorum animæ apud Deum Dei Filium Dominum nostrum Iesum Christum pro magnò pietatis labore regnant in cœlis. Idem habet Innocentius Tertius cap. Maiores, extra de Baptismo & eius effectu, cap. Apostolicam, de Presbytero non baptizato. Suppositâ ergo diffinitione Ecclesiæ prædicta, Secundò probatur ex locis sacræ Scripturæ. Primus est allatus in litera secundæ ad Corint. 5. Quandiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino: audemus, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum. Presentia autem nulla alia intelligi potest, nisi per visionem claram Dei. Et hoc clarius apparebit, si inspiciatur caput à principio, dicit enim; Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationẽ habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis. Et ad Philip. 1. Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui & esse cũ Christo multo magis melius; permanere autem in carne necessarium propter vos. Lucę 23. Hodie mecum eris in paradyso. Rogo ergo, quid intellixit per paradysum? Non terrestrem, non cœlestem: ergo intellexit veram beatitudinem, scilicet visionem Dei. Quòd non cœlestem, patet, quia quousque Christus ascendit, nullus ascendit. Quòd non terrestrem, probatur, quia non multum promitteret Dominus promittendo illum paradysum, cùm tamẽ promissio illa ab omnibus Sanctis magnificentissima reputetur; præterquàm quòd anima Christi Domini à morte vsque ad resurrectionem non fuit in paradyso terreno, sed in lymbo Patrum,

Gabriel. *Con. Flor.* *Conc. Trid* *Con. Franc for.* *Inno. III.* *2. Cor. 5.* *Ad Phili. 2.* *Lucæ 23.*

trum, secumque habebat concomitantem Latronem. Item Lucæ 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Item Eccleſiaſt. 11. Facile eſt coram Deo in die obitus retribuere vnicuique ſecundum Viam ſuam. Item Apocalyp. 7. Iſti ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni; modo coronantur & accipiunt palmam. Et iuuat authoritas Sanctorum, quos congerit ad longum hic Vazquez diſputatione 19. capite 2. quos ad longum eſt recenſere moleſtum. Tertiò probatur concluſio rationibus fundatis in aliquibus locis ſacræ Scripturæ, vt ex illo Zachariæ nono: Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos tuos de lacu in quo non eſt aqua, ſic arguitur. Nulla alia ratio erat, quare Sanctorum Patrum veteris legis animæ tenerentur in lymbo, niſi quia pretium ſanguinis Chriſti non erat perſolutum, & ideò ſtatim, ſoluto pretio, deſcendit ad inferos, & eduxit vinctos, vt optime probat Concilium Quintum Toletanum ex illo Oſeæ decimotertio: De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua, ò mors, morſus tuus ero, ò inferne: quod atteſtatur Pſalmus 67. Aſcendiſti in altum, accepiſti captiuitatem. Quod ad Epheſios quarto refert Apoſtolus: Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem. Ex quo arguitur; Illis Sanctos quos ſecum in altum aſcendens adduxit poſt tot ſeculorum expectationem, ſtatim gloriam viſionis diuinæ donauit: ergo eis qui ſic modò decedunt, quales illi erant, abſque dubio ſuæ eſſentiæ viſionem donat; aliàs Chriſti paſsio & Sacramentorum participatio nihil magis nobis, quàm prioribus adduxiſſet, ſi expectare debemus poſtremum aduentum Domini, ſicut illi expectauerunt primum aduentum. Ex illo etiam Matthæi tertio: Pœnitentiam agite; appropinquauit enim Regnum cœlorum, ſic arguitur; Si adhuc non aperitur Regnum cœlorum, non appropinquauit, nec patitur vim à diebus Ioannis Baptiſtæ. Et rurſus, claues Eccleſiæ non dicerentur propriè aperire ianuam Regni cœleſtis, nec Pœnitentia, ſiue Baptimus, contra id quod diffinitur capite Maiores. Vbi facta comparatione inter Circunciſionem & Baptiſmum, inquit: Hoc differunt, quòd aperit ianuam Regni cœleſtis Baptiſmus, quod nequaquam fecerat Circunciſio; quod innuebat cœlorum apertio ſuper Ieſu aſcendente ab aqua Iordanis in ſuo baptiſmo. Quod confirmatur, nam lex noſtra dicitur gratiæ & libertatis ab Apoſtolo: lex verò vetus, ſeruitutis & oneris, quoniam adhuc tenebantur in lymbo, & non adducebantur ad perfectum; lex autem gratiæ in omnimodam libertatem perducit; quod dicit Apoſtolus ad Hebræos ſeptimo: Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit lex; introductio verò melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum: igitur modo in lege noua, ſtatim poſt purgationem euolatur ad cœlum, vt verificentur prædicta. Quartò probatur ex vſu & loquutione Eccleſiæ receptiſsima à tempore Chriſti Domini, inuocat enim Sanctos vt patronos; prorumpit in laudem eorum, quaſi clarè Deum videntium, & ita publicè cantat: Gaudent in cœlis animæ Sanctorum; quod vtique ſufficeret, vt concluſio eſſet de Fide, etiamſi ita clarè non eſſet diffinita. Quintò probatur authoritate Sanctorum; præcipuè videatur Auguſtinus in Soliloquijs, capite 33. inquiens: Felices qui de periculo maris huius adducti, ad te Deum portum tutiſsimum peruenire meruere. Verè felices, qui de pelago ad littus, de exilio ad patriam, de carcere ad palatium peruenerunt, oblata iam quiete. Beati qui brauium illud perpetuæ gloriæ, quod hîc per multas tribulationes quæſierunt, iam felice iocunditate adepti lætantur in perpetuum. O verè beati! ò terque, quaterque beati! O quàm glorioſum eſt Regnum, in quo tecum, Domine, regnant omnes Sancti, & facie ad faciem videris à Sanctis! Et libro nono Confeſ. capite tertio, quod pro nobis facit, licèt contra nos adduci ſoleat, dum inquit de Nebridio amico eius iam vita functo: Quidquid illud eſt quod Sinus Abrahæ dicitur vbi Nebridius meus viuit. Et ſubdit: Iam bibit, quantum poteſt, ſapientiam pro habilitate ſua ſine fine felix. Sentit ergo, quòd erat beatus. Dubitauit ergo,

Lucæ 16.
Eccleſ. 11.
Apocal. 7.
Zachar. 9.
Conc. Tol.
Oſeæ 13.
Pſal. 67.
Ad Epheſ. 4.
Matth. 3.
Cap. Maiores.
Ad Heb. 7
D. Aug.

quis esset Sinus Abrahæ : non tamen
Obiectio. quòd ille esset beatus. Et si dicas, qualiter Augustinus dubitauit de Sinu Abrahæ, cum constet, esse locum peculiarem, vbi Abraham & alij iusti steterunt ante Christi aduentum : de hoc videatur Diuus Bernardus sermone quarto
D.Ber. Omnium Sanctorum, vbi triplicem acceptionem Sinus Abrahæ ponit; nam aliquando sumitur pro gloria beatorum ; aliquando pro amore & gratia illius Patriarchæ : itaque esse Lazarum in Sinu Ahrahæ, est esse in gratia &
Caiet. dilectione Abrahæ, vt explicat Caietanus. Tertiò sumitur pro quodam loco vbi erat Abraham & alij iusti. Diuus ergo Augustinus propter hoc dixit: Quisquis sit ille locus, propter multiplicem acceptionem eius, ipse tamen accepit primo modo. Videatur etiam Di-
D.Hier. uus Hieronymus epistola secunda aduersus Vigilantium, quæ incipit; Multa in orbe monstra generata sunt, quæ habetur tomo secundo, in secunda facie epistolæ, vbi cùm retulisset hæc verba Vigilantij, scilicet, Omnis enim, vel in Sinu Abrahæ, vel in loco refrigerij, vel subter aram Dei est, & ibi animas Apostolorum & Martyrum con-
Solutio. sedisse : Respondet Hieronymus : Tu Deo legem pones ? Tu Apostolis vincula injicies, vt vsque ad diem iudicij teneantur custodia, ne sint cum Domino suo, de quibus scriptum est: Sequuntur Agnum, quocunque ierit ? Sextò probatur conclusio multiscongruentijs. In primis, nam post mortem Christi aperta est ianua Regni cœlestis : ergo non est quare non ingrediantur statim illi, quibus applicata sunt eius merita post Baptismum. Item, quia pronior est Deus ad miserendum, quàm ad puniendum: sed damnatus statim post mortem descendit ad inferna : ergo similiter prædestinati, si sint purgati, in gloriam assumentur. Minor est communiter recepta in Ecclesia, immò diffinita est in Concilio Florentino loco citato,
Lucæ 16. & habetur Lucæ decimesexto : Mortuus est diues, & sepultus est in infer-
Iob 21. no. Et Iob vigesimoquinto : Ducunt in bono dies suos, & in puncto ad infernum descendunt. Item, quia meritum in hac vita competit homini secundùm operationes animæ independentes à corpore ; licèt etiam in operationibus dependentibus possit reperiri : propriùs tamen reperitur in operationibus dependentibus : ergo similiter præmium animæ separatæ debet competere. Item quia, vt præcipiebat Dominus Leuitici nono : Non ma- *Leuit.9.*
nebit merces mercenarij apud te vsque mane ; cùm ergo beatitudo sit merces bonorum operum, non videtur detinenda, sed statim reddenda post hanc vitam.

Ad argumenta à principio respon-
detur, & primo quidem dicitur, quòd *1.Agr.*
cum tunc temporis hæc veritas non esset diffinita, prædicti Sancti sine errore tenuerunt illam sententiam. Vel dicitur cum Besarione Archiepiscopo Niceno in vltima sessione Concilij Florentini, quando aliqui Sancti sacras literas interpretantes dissident, postea verò Ecclesia alteram partem diffinit, tunc eadem glossa quæ sacræ Scripturæ locis tribuitur, in quibus fundantur, eadem est tribuenda dictis Sanctorum. De Diuo Augustino dicitur, tantùm intendere, ante iudicium non habere Sanctos secundam stollam, nempe gloriam corporis : non autem negat primam, videlicet visionem, dum est præmium es-
sentiale. De D.autē Bernardo dicitur, in *D.Ber.*
alijs locis docuisse Catholicam sententiam, vt sermone secundo de Sancto Victore, vbi ait, eum iam reuelata facie gloriam Domini speculari. Et sermone 31. super Cantica, & epistola 18. ad Petrum Cardinalem. Quare in sermonibus Sanctorum loquutus est iuxta aliorum sententiam, quæ tunc temporis non erat ab Ecclesia damnata. Sed de Ioanne XXII. dicitur, quòd, vt refert Albertus Phygius libro quarto de Ecclesiastica Hierarchia, capite octauo, talis error non fuit illius Pontificis, sed impositus à quodam historiographo cuiusdam Principis ab illo Pontifice excommunicati ; quod videtur colligi ex Extrauagantibus Benedicti XI. vbi dicitur, quòd ipse Ioannes XXII. voluit, quod disputaretur seu agitaretur hæc quæstio, & cùm incepisset disputari, obijt, & successor eius Benedictus, qui aderat disputationi, eam conclusit & diffiniuit. Si autem teneatur, vt vult Marsilius in 4. quæstione 13. artic. 3.

Ponti-

Pontificem habuisse talem errorem, dicendum est, hoc habuisse vt Doctorem particularem, & non vt Pontificem: vnde ipse Marsilius & Ioannes Villanus dicunt, in die obitus retractasse sententiam.

Vt ergo sigillatim ad loca sacræ Scripturæ, in quibus prædicti authores fundabantur, respondeamus, notandum est, quòd siue præmium beatorum, siue supplicium damnatorum, est duplex; quoddam essentiale; aliud verò accidentale: vt visio clara Dei, est præmium essentiale; gloria verò corporis & dotes, societasque beatorum, est accidentale. Similiter in damnatis carentia visionis diuinæ est supplicium essentiale: at verò corporum incendium, & consortium, seu multitudo damnatorum, est supplicium accidentale, licèt vt in plurimum fiat comminatio per hæc sensibilia; sicut & inuitatio ad gloriam; quia Deus attrahit & mouet homines iuxta eorum naturam, qui vt in plurimum sensibilia sequuntur, & illis magis mouentur. Ad locum ergo Diui Pauli ad Hebræos vndecimo, quo mouebatur Theophylactus, respondetur. Primò quidem, posse intelligi de consummatione & perfectione gloriæ, quæ debet fieri reassumpto corpore; nam essentialis beatitudo iam erit priùs penè omnibus data, sed tunc consummabitur; & hoc videtur sonare ipsum vocabulum consummationis ibi allatum. Vel secundò dicitur, tantùm intendere, non fuisse beatificatos vsque ad Passionem & Resurrectionem Christi; & sic habere verum, non sine nobis etiam, vt ly Sine nobis, designet statum legis Gratiæ, non autem singulas personas huius status: sic ergo verum habet, non illos sine nobis accepisse; quia quando ipsi acceperunt post Resurrectionem Christi Domini, iam fuerunt ex lege Euangelica, qui simul cum illis reciperent, ad minus Latro, qui simul cum illis in gloriam intrauit; vnde in eis fuit verificatum illud Euangelij de denario diurno, cuius solutio incepit à nouissimis. In hoc ergo præcellit nostra lex, quòd ipsi expectauerunt nos, vt mercedem & denarium reciperent; his autem qui in lege Gratiæ moriuntur, statim denarius confertur. Ad locum autem ex Apocalypsi, qui erat fundamentum Diui Bernardi, respondetur, postulasse vindictam importantem ordinem iustitiæ, quam Sancti expectabant. Quòd autem dicitur esse sub altari, significatur sub nomine altaris Christus Dominus: esse autem sub altari, denotat, nullum ad tantam gratiam & gloriam, sicut Christus, peruenire, Vel sub altari, denotatur omnes esse sub eius custodia, sumpta metaphora ab his qui confugiunt ad templum & ad altaria, vnde extrahi non possunt, quæ fuit antiquissima consuetudo, vt patet tertij Regum secundo, vbi narratur fugisse Ioab in Tabernaculum Domini, & apprehendisse cornu altaris: alludit ergo ad hanc consuetudinẽ metaphora prædicta: quod explicat Christus Dominus Ioannis 10. Cognosco oues meas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea; redditque rationem, quia quod dedit mihi Pater, maius omnibus est: & rursus: Quia ego & Pater vnum sumus, & nemo potest rapere de manu Patris mei. Illud autem quod dicitur, accepisse stolas albas, & dictum fuisse, quòd expectarent modicum; dicitur potiùs esse pro nobis, quia in sacra Scriptura & apud Sanctos communissimè nomine stolæ albæ intelligitur essentialis beatitudo; dicunt autem, expectare gloriam corporis, & vindictam à tyrannis, & manifestationem diuinæ iustitiæ in finali iudicio.

Nota.

3. Reg. 2.

Ioan. 10.

Ad loca autem adducta in primo argumento, respondetur. Ad primum quidem, illam consequentiam esse bonam, non quidem, speculatiuè, sed congruenter suppositâ Fide, quòd si non esset resurrectio futura, vanum esset orare pro mortuis; non quia beatitudo expectet resurrectionem, sed quia si non esset futura resurrectio, colligeretur à posteriori, animam non esse immortalem, sed cum corpore perire; nam ex eo præcipuè probatur resurrectio, quia anima est immortalis, & separata desiderat reunionem: bene ergo sequitur à posteriori, quòd si non est futura reunio, nec anima est immortalis, & consequenter vanum erit orare pro mortuis. Vel aliter valet congruenter prædicta consequentia, nam sacra Scriptura ponit necessariam connexio-

Ad 1. arg.

nem inter glorificationem animæ & glorificationem corporis per participationem ab anima; vnde qui negaret resurrectionem corporum, consequenter glorificationem animæ, & sic vanum esset, &c. Consimilem consequentiam facit Diuus Paulus, Quòd si Christus non resurrexit, nec nos resurgemus; quæ licèt methaphysicè non sit bona, bene tamen congruenter, suppositâ Fide; congruum enim est, parem esse rationem capitis, & membrorum. Similiter ergo congruum est, quòd si anima in corpore laborauit, etiam in corpore resuscitato præmietur: vnde affirmatiuè & negatiuè valet consequentia, quòd si anima est glorificanda, etiam & corpus, & si corpus non est glorificandum, nec anima: vnde vanum erit, &c. Non autem intendit, vt dictum est, simul vtrunque fieri, & non glorificari animam ante corpus. Ad secundum locum respondetur, tunc dici percipi regnum, vel quantum ad manifestationem; quia tunc in publico conceditur, quod iam in particulari possederant. Vel dicitur tunc percipere quoad integrum corpus societatis beatorum, quia tunc impletur numerus possidentium Regnum cœlorum, per introitum eorum qui vltimò morientur ex prædestinatis, & qui vltimo adducentur ex pœnis Purgatorij. Ad tertium, quartum, quintum & sextum locum, respondetur, nomine illius diei, & per diem iudicij, posse intelligi diem mortiferum, & diem particularem condemnationis angelorum. Si autem intelligitur pro die vniuersalis iudicij, intelligatur quantum ad completam rationem præmij, vel supplicij, non autem quantum ad essentialem, quam antea habebant. Vel intelligitur quantum ad publicam manifestationem, vt dictum est.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum principale respondetur, quòd licèt homo mereatur, meretur tamen secundùm partem intellectualem, vt dictum est; vnde licet etiam ad corporalia meritum deriuetur, radix tamen meriti est in parte intellectuali; vnde independenter à corpore potest anima priùs præmiari, licèt postmodùm etiam ad corpus per redundantiam gloriæ deriuetur præmium.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum respondetur, animam habere duplicem operationem: alteram independentem à corpore, vt conuenit cum Angelis; nam etiam separata habet species inditas: alteram verò à corpore dependentem, vt anima est actus corporis: beatitudo ergo in prima operatione debet consistere, & non in secunda; quia prima operatio est perfectissima, & licèt secunda sit magis naturalis & propria, cùm beatitudo non sit naturalis, sed supernaturalis, non importat consistere in secunda, sed in prima, quæ perfectior est, & à corpore independens.

Ad vltimum argumentum respondetur, quòd licèt anima non habeat gloriam corporis in actu, habet tamen illam in causa necessaria & ineuitabili; vnde habet infallibilem spem consequutionis illius; & cùm ex alia parte in illo statu beatus conformetur diuinæ Voluntati, nullo modo grauatur, nec deficit ei aliquid quod velit, quia non vult gloriam corporis nisi pro suo tempore, quando Deus voluerit illam conferre. *Advlt. ar.*

DVBIVM II.

Vtrùm post resurrectionem beatitudo sit perfectior essentialiter & intensiuè.

PARS affirmatiua probatur. Primò, beatitudo cõsistit in perfectissima operatione: sed post resurrectionem operatio erit perfectior: ergo. Minor probatur. Tunc erit perfectius esse animæ: ergo & illius operatio. Ista consequentia probatur, nam vnumquodque operatur in quantũ habet esse. Antecedẽs verò probatur, nã anima ex natura sua est forma corporis, & pars cõpositi: sed pars perfectius esse habet in toto, quàm separata: ergo. Si respõdeatur cum Diuo Thoma ad 2. hoc habere verum in alijs formis, non autem in anima rationali, cuius esse est idem in corpore & separata, cùm habeat esse per se ex creatione: Contrà arguitur, nam licèt sit idem esse, perfectiori tamen modo in cõposito habet, quàm separata, cùm in cõposito habeat anima illud esse cõstituẽdo ipsum compositum, ad quod essentialiter ordi- *1. Arg.* *Solut.* *Impug.*

ordinatur: ergo & ipsum operari habet perfectiore modo. Et si rursus respondea tur, quòd licèt anima ex vna parte habeat esse perfectius in toto, quàm separata; tamen ex alia parte minuitur perfectio ope ris illius; quia cùm eius operatio sit spiritualis, impeditur à corpore, iuxta illud Diui Gregorij homilia Pentecostes, Tan tò homo à diuino amore disiungitur, quãtò terrenis occupatur. Et ex Augustino 12. super Genesim ad lieram, capite 35. vbi ait, quòd ex appetitu administrandi corpus retardatur, ne tota intensione

Impug. pergat in summum cœlum: Contrà arguitur, nam licèt hoc habeat verum de anima coniuncta corpori corruptibili, iuxta illud; Corpus quod corrũpitur, aggrauat animam; non tamen habet verum de corpore incorruptibili & glorioso, istud enim non impedit: & ex alia parte anima in coniunctione ad illud, habet esse perfectius, vt dictum: est ergo & tũc perfectiùs

Conf.1. operabitur. Confirmatur primò, supposita sententia Caietani, quòd perfectio essentialis iuuat ad operationem beatam, ita vt cum equali lumine perfectior Intellectus perfectiùs videat. Supposita igitur hac opinione, sic arguitur. Maior perfectio operationis beatificæ desumitur ex maiori perfectione naturali subiecti: sed anima coniuncta corpori, est subiectum

Conf.2. perfectius perfectione naturali: ergo ex eo erit perfectior operatio. Confirmatur secundò. Perfectio operationis colligitur à posteriori ex denominatione quam tribuit: sed denominatio animæ coniunctæ est perfectior: ergo & operatio eius. Minor probatur, nam denominatio operationis animæ coniũctæ, est denominatio totius compositi: ergo perfectior, sicuti perfectius est compositum, quàm quælibet pars illius.

2.Arg. Secundò arguitur. Anima separata habet naturale desiderium reunionis: ergo retardatur in operatione videndi Deum. Consequentia patet ratione naturali & experientia; quando enim aliquis affectuosè desiderat bonum absens, retardatur ne tanta intensione tendat in bonum præsens. Et hac ratione forsan dixit Augustinus super Genes. ad literam, capite citato, quòd animæ defunctorum non sic vident incommutabile bonum, sicut Angeli Dei, quia inest eis naturale desiderium resumendi corpus; in quo videtur insinuare, per tale desiderium retardari animam; quod Angelis non competit.

Tertiò arguitur. Delectatio erit maior post resurrectionem corporis: ergo beatitudo magis intensa. Consequentia patet, nam cùm delectatio sit propria passio beatitudinis, & essentia per passionem à posteriori cognoscatur, si delectatio intenditur, similiter beatitudo. Antecedens verò probatur in damnatis, ex dolore enim corporis erit magis intensa tristitia animæ: ergo similiter in beatis, ex glorificatione corporis erit magis intensa delectatio animæ. *3.Arg.*

Quartò probatur. Beatitudo essentialis perficitur intensiuè ex eo quòd extendatur ad obiectũ secundarium, scilicet creaturas: ergo similiter intenditur ex eo q̃ extẽdatur ad corpus. Antecedẽs proba tur, nam si visio beatifica tãtùm terminata ad essentiam diuinam, extenderetur, vt etiam cognosceret creaturas in essentia diuina, essentialiter esset magis perfecta, vt dicitur prima parte, quæstione 12. articulo 4. *4. Arg.*

Quintò arguitur. Essentia beatitudinis est satiare omnem appetitum: sed post resurrectionem intenditur satietas: ergo & beatitudo. Minor probatur, nam tunc cessabit desideriũ reunionis, & appetitus illius manebit completus. *5. Arg.*

Sextò arguitur. Lux cœlestium corporum est futura maior intensiuè post resurrectionem: ergo & lux beatorum, & consequenter visio beatifica, à qua talis lux dimanat. Antecedens probatur, Esaiæ 3. Erit lux Lunæ sicut lumen Solis, & lux Solis septempliciter sicut à principio. *6 Arg.*

Vltimò arguitur. Beatitudo essentialiter est status omnium bonorum aggregatione perfectus: sed tunc habebitur aliquòd bonum, cuius modò est defectus, scilicèt glorificatio corporis, vt dicit D. Thomas hic ad 3. ergo essentialiter in ratione beatitudinis erit maior. *7.Arg.*

In hac re est prima sententia propter argumenta posita, quòd facta reunione corporum, beatitudo erit maior extensiuè & intensiuè. Hanc tenet Richardus in quarto, dist. 49. quæst. 2. art. 2. Marsilius quæst. 13. art. 2. Diuus Bonauentura eadẽ distinctione 49. art. 1. quæst. 1. Henricus quod libeto. 7. quæst. 6. & Diuus Thomas dist. 49. quæst. 1. art. 4. *1.Sentent D.Tho. Richard. Marsil. D. Bonauent.*

Secunda sententia est in alio extremo, *2.Sent.*

quòd beatitudo tunc erit minor intensiuè. Hanc refert Abulensis super Matthæū, capite 5. quæstione 63. quorum fundamentum desumi potest ex diuo Thoma. 1. parte quæstione 12. articulo 11. quòd quanto anima est abstractior à sensibus, tanto est capacior reuelationum, vndedormiens est magis aptus ad reuelationes suscipiendas: cùm ergo beatifica visio adeò sit intelligibilis & excedens, meliùs videtur se habere animam ad illam, dum est separata à corpore, quàm cum fuerit coniuncta cum illo.

Tertia sententia est media, quòd tunc beatitudo erit extensiuè maior, nō autem intensiuè, Hanc tenēt cōmuniter Theologi, estque expressa sancti Thomæ hic. Tenet etiam illam Durandus in quarto, distinctione 49. quęstione 7. & Ioannes Maior ibidem quęst. 3. Habetur in Supplemēto, quæstione 5. articulo 1. conclusione 9. Caietanus, Conradus & Medina hic, Paludanus distinctione citata, quæstione 7. Soto eadem distinctione, quæstione 3. articulo 4. Bellarminus libro 1. de beatitudine & canonizatione Sanctorum, à capite 1. per aliquot capita: immò addit, hāc sentētiam ita esse certam, vt diffinita sit à Benedicto XII. in Extrauaganti citata dubio præcedenti, cum dicat, beatitudinem continuari ante & post resurrectionem. Continuari autem sonat, in eadem intensione manere. Et Ioannes Villanus dicit se audisse à Theologis tunc Romæ commorantibus, Pontificem hanc sententiam diffinisse. Vt ergo hæc sententia diui Thomæ explicetur, sit

2. *Sent.* *D. Thom.* *Durand.* *Ioan. Ma.* *Caiet.* *Conrad.* *Medin.* *Palud.* *Soto.* *Bellarm.*

Prima conclusio. Beatitudo post resurrectionem non erit maior intensiuè. Hæc, vt dictum est, est D. Thomæ hic, vbi mutat sententiam quam tenuerat in quarto. Et probatur primò. Beatitudo essentialis mensuratur ęternitate participata, vt docet Diuus Thom. prima parte quæstione. 10. articulo 5. ergo est omnino inuariabilis, sicut & ipsa æternitas, vt patet ex ipsa definitione. Secundò probatur. Manente principio alicuius actionis omnino inuariato, necesse est & ipsam actionem inuariatam permanere: sed principium beatitudinis essentialis est lumē gloriæ, quod quidem post resurrectionem omnino erit idem inuariatum: ergo & essentialis beatitudo. Prima pars minoris probatur, nam, vt omnes dicunt contra Caietanum tertia parte, quæst. 10. articulo 4. dequo etiam videatur Diuus Thomas 1. p. quæstione 12. ar. 6. tota quātitas visionis beatificæ sumitur à lumine gloriæ, ita vt si sit æquale, impertinenter se habeat inæqualitas animarum secundùm naturalia. Secunda verò pars eiusdem minoris probatur; nam lumen gloriæ datur iuxta mensuram meritorum, iuxta illud ad Galatas 6. Quæcūque seminauerit homo, hæc & metet. Et iuxta illud Psalmi: Tu reddes vnicuique iuxta opera sua: sed post mortē nulla erit amplior ratio meriti: ergo nec maius lumen, & consequenter neque maior beatitudo intēsiuè, quæ ex quantitate luminis est desumēda. Tertiò probatur conclusio, nam si ex coniunctione corporis augeretur intensiuè beatitudo, sequeretur, quòd qui haberet melius corpus, haberet intensiorem visionem. Sequella patet, nam si corpus iuuat, melius corpus meliùs iuuabit. Quartò probatur. Appetitus animæ quæ desiderat reunionem, aut naturalis est, aut elicitus. Si naturalis, nihil facit vt diminuat vel augeat amorem, & visionem supernaturalem & eleuatam; quia nihil augetur, vel diminuitur nisi per visionem, aut subtractionem alicuius quod sit eiusdem rationis cum illo; vt linea non augetur nisi à linea, &c. Si ergo appetitus est naturalis, nihil ad augmentationē vel diminutionem visionis supernaturalis. Si autem talis appetitus sit elicitus, omnino erit conformis diuinæ Voluntati, & consequenter non retardabit visionem vel amorem beatificum, vt posteà, sublato tali appetitu per reunionem corporis, dici possit quòd essentialis beatitudo prorumpat in augmentum. Quintò probatur. Amor vel appetitus mediorum, vt media sunt, non minuit amorem finis: sed animæ respiciunt Deū vt vltimum finem; & in ordine ad hunc finem desiderant coniunctionem corporis, vt in ipso & per ipsum ament, & laudent Deum quātum fieri poterit: ergo talis amor & appetitus reunionis non minuit amorem beatificum, per quem respicitur Deus vt vltimus finis. Sextò probatur cōclusio, nam aliàs sequeretur, quòd beatitudo animæ Christi fuisset intensior post resurrectionem, quàm in triduo mortis. Cōsequens est falsum: ergo. Sequella patet, nam eadem ratio currit de vnione animæ Christi ad suum corpus, cum quo veram compositionem facit, sicut anima cuiuslibet alterius. Minor verò probatur ex illo Ioannis 1. Vidimus gloriam eius,

1. *Conclu.* *D. Thom.*

Ad Gal. 6.

Ioan. 1.

gloriam

gloriam quasi vnigeniti à Patre: ex quo colligitur, semper ab instanti suæ conceptionis habuisse animam illius, plenitudinem gratiæ & gloriæ. Vltimò probatur, nam si post resurrectionem intenderetur beatitudo essentialiter, consequenter intenderetur Charitas, quæ ex visione & beatitudine essentiali procedit: hoc autem est falsum: ergo. Minor probatur, nam si Charitas intenderetur, vnus beatus ex vno choro transiret in alterum, si quidem Charitas iuxta suam mensuram facit vnicuique chorum in Patria. Notandum tamē, *Not.* quòd licèt hæc conclusio, vt dictum est, sit communis: contraria tamen non est cō tra Fidem, vt volebat Bellarminus: nam Benedictus in sua Extrauaganti tantùm intendit diffinire, animas beatificari ante resurrectionem, & gloriam earum permanere post resurrectionem, nō autem vtrū beatitudo esset maior vel æqualis; neque illud verbum, Continuatur, facit contra hoc, quia licèt intensiuè postmodùm esset maior, diceretur continuari; vt calor, verbi gratia, ab vno gradu vsque ad octo continuatur, licèt magis & magis intendatur.

2. Concl. Secunda conclusio. Post resurrectionem corporum nullo modò minuetur beatitudo. Hæc est contra secundam sententiam, adeò tamen certa, vt oppositum sit parum tutum in Fide: alludit enim ad errorem Porphyrij, quem Diuus Thomas impugnat articulo sequenti. Quòd ad beatitudinem perfectam requiratur separatio animæ à corpore, probatur primò: nam aliàs sequeretur, quòd præmium essentiale minuatur absque aliqua culpa, siquidem illa intensio deperdita præmiū erat essentiale correspondens meritis huius vitæ. Secundò probatur, nam tunc resurrectio non erit ad commodum, sed potiùs ad iacturam & desiderium reunionis, quo animæ appetunt suum corpus (iuxta illud Apocalypsis 6. vbi dictum est illis, *Apocal. 6.* vt expectarent modicum: & Iob 19. Rursum circūdabor pelle mea,) talis inquam *Iob 19.* appetitus & desiderium esset inordinatū, si tenderet in diminutionem suæ beatitudinis. Tertiò probatur. Intensio beatitudinis correspondet intensioni luminis gloriæ: sed lumē gloriæ post resurrectionem erit idem & non minuetur: ergo similiter beatitudo essentialis. Maior est Diui Thomæ 1. parte, quæstione 12. articulo 5. Minor verò probatur, nam lumen gloriæ solùm dependet à Deo, & nullo modo à corpore: ergo nihil ad augmentum vel diminutionem eius, quòd sit vel non sit corpus. Quartò probatur. Quòd corpus retardet operationem animæ, prouenit tantùm ex crassitudine corporis, iuxta illud: Corpus quod corrumpitur, &c. sed etiam in quantum anima à corpore dependet in receptione specierum: sed hæc ratio non currit de beatitudine: ergo erit eadem, neque diminuetur, etiamsi adiungatur corpus. Minor probatur, quia corpus post resurrectionem ex dotibus gloriæ non erit crassum, neque impediet, sed omnino erit subiectum animæ: de quo videatur Diuus Augustinus super Genes. capite 35. & Diuus Thomas 1. Corinthior. cap. 15. lectione 6. & in additionibus, q. 83. articulo 1. *D. Aug.* *D. Tho.* Item etiam, quia Intellectus in operatione beatifica non dependet in receptione specierum à corpore; siquidem species est ipsa essentia diuina immediatè vnita cū ipso Intellectu.

Tertia conclusio. Beatitudo post resurrectionem erit extensiuè maior. Hæc est communis Theologorū cum Diuo Thoma hìc, de qua latè agit Bellarminus vbi suprà, & Doctores in 4. in illa distinctione 49. habeturque in Concilio Florentino statim à principio, vbi Patres licèt fateantur, animas separatas essentialiter beatificari, aiunt tamen, illas expectare aliquam perfectionem: quod intelligendum est de perfectione corporum per extensionem gloriæ ad illam; de quo latè Paulus 1. ad Corinthios 15. dum agens de melioratione corporum, dicit: Seminatur corpus animale, surget spirituale, &c. Item probatur, nam communiter Doctores sancti dicunt, post resurrectionem gloriam esse cōsummatam: sed hæc consummatio non potest esse de perfectione intēsiua, vt dictum est: ergo de extēsiua. Item etiā probatur, nam dotes gloriæ corporum non potest assignari à quo proueniant, nisi à beatitudine animæ: ergo illa extenditur; nihil enim aliud est extendi, quàm quòd participetur à quo anteà non participabatur; vt si calor in brachio participetur à manu frigida, dicitur extendi. *3. Concl.* *D. Thom.* *Bellarm.* *Conc. Flor.* *1. Ad Cor. 15.*

Ad primum argumentum respondetur, operationem animæ reunitæ non esse perfectiorem secundùm supernaturalia: cùm ergo beatitudo non sit operatio naturalis, sed supernaturalis, non attenditur ex coniunctione vel disiunctione à cor- *Ad 1. arg.* *2. Solutio.*

2. *Solut.* pore, vt dictum est. Vel dicitur, quòd operatio animæ reunitæ extensiuè erit perfectior, non autem intensiuè, quia cùm separata non dependeat à corpore in operando, perfectiùs se habet, quàm in corpore. Ad probationem autem, quòd reunita habet perfectius esse, respondetur similiter, habere perfectius esse naturale, nō autem supernaturale. Cùm ergo beatitudo desumatur ex principijs & esse supernaturali, non autem ex naturali, nihil ad rem, quòd esse naturale sit perfectius. Vel etiam dicitur, illud esse perfectius modaliter & quantum ad extensionem, non autem absolutè. Vnde similiter dicitur de beatitudine post reunionem, esse perfectiorem modaliter quantum ad extensionem, nō autem absolutè & quantum ad intensionem. Vel clariùs dicitur, operationem non considerari tantum ex esse, quod est principium radicale & remotū, sed ex principio proximo, quod est potentia habitu determinata. Cùm ergo potentia intellectiua determinata ad operationem beatificam per habitum luminis gloriæ, eodem modo se habeat ante resurrectionem & post illam; similiter & operatio ex tali principio cōsequuta se habebit eodem modo quātum ad essentiam & intensionem. Ad primam confirmationem respondetur, illam sententiam Caietani esse improbabilem, & cō tra Diuum Thomam, & sic non admitten dam: vnde nihil contra nos. Ad secundam confirmationem patet ex dictis.

Ad. 2. arg. Ad secundum argumentum respondetur, quòd si desiderium sit eiusdem ordinis, retardat & impedit, nó autē si alterius rationis & ordinis sit, quapropter cùm desiderium reunionis sit naturale, non retardat visionem supernaturalem: maximè cùm talis visio habeat quandam eminentiam & quasi conatum infinitum: quapropter suprà diximus, illud axioma, quòd Pluribus intentus, minor est ad singula sensus, debere intelligi de potētijs in Via: in Patria autem per lumen gloriæ ita perficiuntur, vt à nullo possint diuerti vel retardari. *2. Solut.* Vel aliter dicitur, quòd quādo obiecta sunt subordinata, & vnum est ratio alterius, tunc appetitio vnius non minuitur propter appetitionem alterius; vt appetitio sanitatis nō minuitur propter appetitionem medicinæ: sic ergo appetitus corporis in ordine ad beatitudinem; vnde beatitudo non potest minui ex desiderio cor *3. Solut.* poris. Vel aliter dicitur, quòd desiderium reunionis, si est pondus naturæ, nihil ad diminutionem beatitudinis, quæ est actus elicitus: si autem desiderium reunionis sit per actum elicitum Voluntatis, taliter est ordinatum & conforme, & subiectum diuinæ voluntati, vt nullatenus possit angere & diuertere à tali beatitudine.

Ad 3. arg. Ad tertium argumētum respondetur, quòd delectatio erit maior extensiuè, non autem intensiuè. Pro cuius intelligentia notandum, quòd delectatio duplex erit in Patria: alia quæ ad amorem & visionem beatificam consequitur; alia verò quæ ad cognitionem & amorem extra Verbum est consequuta. In ista secunda poterit esse augmentum, non autem in prima; quia secunda pertinet ad gloriam accidētalem, quæ est augmentabilis: prima verò ad gloriam essentialem, quæ inuariabilis est. Similiter dicitur de dolore & tristitia damnatorum: alia enim est quæ consequitur ad pœnam damni, & carentiam diuinæ visionis: alia verò præcisè est pœna sensus. Ista secunda post vnionem corporum erit maior, quia accidentalis est dānationi: prima verò, quæ ad damnationem essentialem sequitur, inuariabilis erit. *Obiectio.* Et si cōtra arguas, quia pœna sensus pertinet ad damnationem essentialem: ergo tali pœna variata, variatur & essentialis damnatio. Et idem dicendum erit de delectatione respectu beatitudinis. Antecedens probatur, nam in peccato non solùm pertinet ad essentiam eius auersio; immopotiùs conuersio ad bonum commutabile: ergo in supplicio non solùm pertinet ad essentiam eius, carentia visionis correspondentis auersioni peccati, sed etiam pœna sensus correspondens *Solutio.* peccati conuersioni: Respondetur, vt dictum est, quòd pœna sensus & tristitia dimanans ex carentia visionis, illa pertinet ad essentialem damnationem; nam illa est quæ correspondet conuersioni, prout habebat adiunctam auersionem; alia autem pœna sensus seorsum cōsiderata & in corpore recepta, ad accidentalem damnationem pertinet, vt dictum est.

Ad quartum argumentum respondetur, ex cognitione maiori creaturarum in Verbo probari augmentū intensiuū visionis Dei; quia non cognoscitur nisi in quātum Deus melius & intēsiùs cognoscitur; cùm cognoscatur in illo vt in principio & *Ad 2. arg.* causa illarum. Cognoscere autem plures effectus in causa, prouenit ex maiori penetratione causæ, vt docet Diuus Thomas,

prima

prima parte quæstione 12. Vt autem habeatur beatitudo in corpore, non requiritur perfectior vel maior visio in anima; sed stante eàdem, solùm per reunionem corporis ad animã naturaliter diffunditur gloria animæ ad corpus; vnde hæc est maior extensiuè, non autem intensiuè; quia cognitio est eadem.

Ad 5. arg. Ad quintum argumentum iam suprà dictum est, visionem beatificam esse omnium desideriorum satiatiuam radicaliter; vnde adiuncto corpore satiatur desiderium reunionis per beatitudinem præcedentẽ, quæ huius erat satiatiua; vnde quòd modò actualiter satietur, non est per intẽsionem præcedentis, sed per extensionem applicato corpore præcedenti beatitudini radicaliter satiatiuæ huius appetitus.

Ad 6. arg. Ad sextum argumentum respondetur, corpora cœlestia, non esse futura in se maiora quoad claritatem intẽsiuê, licèt respectu inferiorum debeant apparere clariora propter remotionem impedimẽtorum & aêris puritatem, iuxta Diuum Thomam in additionibus, quæstione 91. articul. 3.

Cano. Illum autem locum Esaiæ ait Magister Cano esse intelligendum de Christo & de Esaia: at verò Diuus Thomas in additionibus, quæstione 85. articulo 2. ad 2. & D. Hieronymus super illum locum, dicũt intelligi de corporibus beatorum & animabus, ita vt corpora debeant fulgere vt Sol, & animæ sept empliciter ampliùs. Vel vt alij dicũt super Caput tertium Esaiæ, intelligitur de iustis noui Testamenti & veteris. Sic etiam explicat Diuus Augustinus quæstione 105. veteris ac noui Testamẽti, ita vt sit sensus, iustos noui Testamẽti debere esse iustitia & sanctitate meliores; iuxta illud Domini, Nisi abũdauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum & Pharisæorũ, non intrabitis in regnum cælorum.

D. Tho. *D. Hiero.* *D. Aguſt.*

Ad 7. arg. Ad vltimum, patet ex dictis, in essentia beatitudinis animæ præhaberi omne bonum radicaliter; tunc autẽ solùm esse additionem in extensione illius.

DVBIVM III.

Vtrùm si homo crearetur in puris naturæ, tunc tribueretur beatitudo naturalis, nõ solùm in anima, sed etiam in corpore.

Sent. ¶ In hac re aliqui Theologi, supposito quòd supra diximus, in illo etiam statu futuram esse beatitudinẽ, quia ad prouidẽtiã Authoris naturæ pertineret præmiare bona opera illius status, & quòd hoc præmiũ tribueretur in alia vita post mortem, dicũt conferendam fore non solùm in anima, sed etiam in corpore; quia sicut in statu innocẽtiæ homo haberet immortalitatem & integritatem & subiectionem ad animã, ita ad prouidentiam diuinam pertineret, quòd post mortem in illo statu corpora reunirẽtur animabus, vt sic vtrique conferretur præmium; sicut ab vtrique fuit exercitum meritum. Et probatur primo hæc sententia. Ex eo ad capiendum præmium super naturale modò erit resurrectio mortuorum, vt sicut corpus fuit particeps meriti, ita similiter & in vtroque recipiatur & præmium: ergo eodem modo dicendum est in illo statu. Patet cõsequentia ex paritate rationis, & quia sic loquendum est de beatitudine naturali in illo statu, sicut de supernaturali in isto. *1. Arg.*

Secundò arguitur. Beatitudo, vt dictum est, debet consistere in perfectissima operatione & magis conformi habenti beatitudinem; sed talis esset in illo statu operatio habita ex speciebus à rebus desumptis, quæ vtique esset per conuersionem ad phantasmata; quia iste modus intelligendi est proportionatus ipsi naturæ hominis: ergo in tali operatione consisteret. Tunc vltra: Sed talis modus cognoscendi conuenit animæ per ordinem ad corpus: ergo vt talis operatio haberetur, in qua esset beatitudo, corpora deberent reuniri animabus. *2. Arg.*

Tertiò arguitur. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus: sed si corpora non resurgerent, in illo statu non haberet omnia bona: ergo requirebatur resurrectio corporum ad beatitudinem illam. Minor probatur, quia si desiderium reunionis animæ non impleretur, esset violentata; quod maximum malum esset in illa: ergo. *3. Arg. 4.*

Conclusio tamen sit, quòd in illo statu beatitudo tantùm consequeretur ab anima, & non à corpore. Probatur. Beatitudo naturalis debet esse ab Authore naturæ: ergo non esset tribuenda beatitudo ab illo in corpore resurrecto, sed solùm in anima, quia resurrectio non pertinet ad Authorem naturæ. Si respondeatur, quòd resurrectio quantum ad modum, quòd fiat subitò, & ad sonitum tubæ, erit miracu- *Conc.* *Solutio.*

losa

losa & supernaturalis; quantum ad substantiam autem, ad statum naturæ, & eius Authorem pertinet, vt præmium conferatur vtrique merenti: Contra arguitur, nam resurrectio non solùm quoad modum, sed quoad substantiam, est supernaturalis: ergo nullo modo pertinet ad illum statum. Antecedens probatur, quia resurrectio tantùm habetur de Fide, & Philosophi naturales non solùm non cognouerunt eam, sed potiùs docuerunt oppositum, quòd à priuatione ad habitum non est regressio, & quòd in materia prima nulla remaneret potentia naturalis ad reunionem animæ separatæ, vt latè docet Ferrara tertio contra Gentes, capite. 60. Vnde cùm hoc mysterium prædicaretur à Diuo Paulo Athenien sibus peritissimis Philosophis, dictum est ei, annuntiatorem esse nouorum dæmoniorum, vt patet Actorum 17. Immo, vt omnes fatentur, resurrectio futura non cognoscitur lumine naturæ, etiam à supremo Angelo; qua propter omnino est supernaturalis tantùm pertinens ad ordinem gratiæ; & hęc veritas cõmunis est, quam etiam tenet Scotus in 4. distinctione 43. quæstione 2. & tertia, & Sot. eadem distinctione, q. 1. articulo 3.

Impug. *Ferrara.* *Act. 7.* *Scotus.* *Soto.*

Ad primum argumentum respondetur, beatitudinem debere consistere in perfectissima & magis proportionata operatione possibili; quapropter si possibilis esset resurrectio intra limites naturæ, in operatione prædicta beatitudo naturalis consisteret; vt autem dictũ est, talis resurrectio corporum possibilis non esset; vnde in operatione potiùs animæ separatæ consisteret.

Ad 1. arg.

Ad secundum respondetur, quòd in anima separata sunt species in duplici differentia: aliæ à rebus acquisitæ; aliæ inditæ & infusæ, iuxta naturam illius status, in quo aliqualem conuenientiam cum Angelis habet: vnde oportet videre, quæ nam illarum specierum sint meliores, vt operatio ab illis procedens, sit beatitudo. Bañez prima parte quæstione 34. dicit, quòd spẽcies à rebus acceptæ in hac vita manentes in anima separata sunt illi magis proportionatæ & connaturales; vnde secundùm ipsum erit dicendum, beatitudinem illam debere consistere in operatione procedente ab illis speciebus. Sed hęc doctrina non placet, quia, vt docet Diuus Thomas 1. p. q. 88. art. 2. ad primum, illę species abstractæ à rebus naturalibus, sunt imperfectę, & dissimiles rebus spiritualibus; pro quo citat Dionysiũ de cœlesti Hierarchia, c. 2. de quo etiam Ferrara 3. contra Gentes c. 45. Immò vt docet Bañez eadem quæstion. art. 4. per tales species singularia non cognoscuntur; per species autem inditas cognoscuntur singularia, vt docet D. Th. 1. p. q. 84. art. 7. debet ergo dici, consistere beatitudinem naturalem in actione prouenient ab his speciebus; quia illa esset perfectissima cognitio quæ tunc haberi posset Authoris naturæ & substantiarum separatarum, quæ vtique indepedẽtes sunt à corpore. Ad illud autem, quòd altera dependens ab speciebus aquisitis est magis proportionata naturæ, respondetur, quòd esse actionem independentem ab speciebus acquisitis, licèt secundùm aliquem modum minuat proportionem naturæ; tamẽ iuuat ad rationem beatitudinis, quatenus per illas species infusas melius & perfectius spiritualia cognoscuntur.

Ad 2. arg. *D. Tho.* *Ferrara* *Bañez.* *D. Tho.*

Ad tertium respondetur, beatitudinem esse statum omnium bonorum, si beatitudo sit omnino perfecta, qualis est supernaturalis; non autem si imperfecta, vt naturalis: vnde non mirum quòd ei aliquod bonum deficiat. Vel secundò dicitur, esse statum omnium bonorum, intra proprios limites; vnde beatitudo naturalis debet habere omnia bona quæ intrà limites naturæ haberi possunt: reunio autem corporis, vt dictum est, nõ est possibilis. Ad illud autẽ, quòd tunc anima esset violenta, si principium in natura non est vt tale desiderium impleatur; dicuntur autem res violentatę quando cùm sit principium vt impleatur appetitus, non impletur, vt patet in lapide detento extra centrum. Plura de hoc dubio videantur in Magistro Bañez prima parte quæstione 84. art. 1. dubio 2. præcipuè circa 8. conclusionem, & in solutionibus argumentorum, & Caietanus etiam prima parte, quæstione 76. artic. 1. & Ferrara 4. Contra Gentes, cap. 79 & Diuus Thomas, ex quo omnes hauserunt; quæstione. 24. de veritate, articulo 10. præcipuè solutione ad primum.

Ad 3. arg. *2. Solutio.* *Bañez.* *Caiet.* *Ferrara.* *D. Tho.*

ARTI

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ad perfectam beatitudinem requiratur pefecta dispositio corporis.

AD sextum sic proceditur. Videtur quòd perfectio corporis non requiratur ad beatitudinem hominis perfectam. Perfectio enim corporis est quoddam corporale bonũ: sed † suprà ostensum est, quòd beatitudo non consistit in corporalibus bonis: ergo ad beatitudinem hominis non requiritur aliqua perfecta dispositio corporis.

Supra art. 5. & locis ibiinductis.

Quæst. 2. per totam.

Secundò præterea. Beatitudo hominis consistit in visione diuinæ essentiæ, vt † ostensum est: sed ad hanc operationem nihil exhibet corpus, vt dictum est †: ergo nulla dispositio corporis requiritur ad beatitudinem.

q.3. art. 8

Art.5. præced.

Tertiò præterea. Quanto Intellectus est magis abstractus à corpore, tanto perfectius intelligit: sed beatitudo consistit in perfectissima operatione Intellectus. ergo oportet omnibus modis animam esse abstractã à corpore: nullo ergo modo requiritur aliqua dispositio corporis ad beatitudinem.

Sed contrà, Præmium virtutis est beatitudo: vnde dicitur Ioannis 13. Beati eritis, si feceritis ea: sed Sãctis repromittitur pro præmio nõ solùm visio Dei & delectatio, sed etiam corporis bona dispositio; dicitur enim Esaiæ vltimo; Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt: ergo bona dispositio corporis requiritur ad beatitudinem.

Respondeo dicendum, quòd si loquamur de beatitudine hominis, qualis in hac vita potest haberi, manifestum est, quòd ad eam ex necessitate requiritur bona dispositio corporis; consistit enim hæc beatudo secundùm Philosophum, in operatione virtutis perfectæ: manifestum est autem, quòd per inualetudinem corporis in omni operatione virtutis homo impediri potest. Sed si loquamur de beatitudine perfecta, sic quidam posuerunt, quòd non requiritur ad beatitudinem aliqua corporis dispositio; immò requiritur ad eam, vt òmnino anima sit à corpore separatà: vnde Augustin. † 12. de Ciuitat. Dei, introducit verba Porphyrij dicentis, quòd ad hoc quòd sit beata anima, omne corpus fugiendum est. Sed hoc est inconueniens, cùm enim naturale sit animæ, corpori vniri, nã potest esse, quòd perfectio animæ naturalẽ eius perfectionẽ excludat, & ideò dicendum est, quòd ad beatitudinem omnibus modis perfectam requiritur perfecta dispositio corporis, & antecedenter, & consequenter. Antecedenter quidem, quia vt Augustin. † dicit in super Gen. ad literam, si tale sit corpus, cuius sit difficilis & grauis administratio, sicut caro quæ corrumpitur & aggrauat animã, auertitur mens ab illa

Cap. 26. in prin. & li. 22. c. 26. in prin. to. 5.

Cap. 35. to 3.

la

la visione summi cæli: vnde concludit, quòd cùm hoc corpus iam non erit animale, sed spirituale, tunc Angelis adæquabitur, & erit ei ad gloriam, quod sarcinæ fuit, consequenter verò, quia ex beatitudine animæ fiet redundantia ad corpus, vt & ipsum sua perfectione potiatur; vnde Augustin. + dicit in Epistola ad Dioscorum: Tam potenti natura Deus fecit animam, vt ex eius plenissima beatitudine redundet in inferiorem naturam incorruptionis vigor.

Aliquantulum autem meditus, & est epis. 56. tom. 3.

Ad primum ergo dicendum, quòd in corporali bono non consistit beatitudo, sicut in obiecto beatitudinis; sed corporale bonum potest facere ad aliqualem beatitudinis decorē, vel perfectionem.

Ad secundum dicendum, quòd etsi corpus nihil conferat ad illam operationem Intellectus, qua Dei essentia videtur; tamen posset ab hac impediri: & ideò requiritur perfectio corporis, vt non impediat eleuationem mentis.

Ad tertium dicendum, quòd ad perfectam operationem Intellectus requiritur quidem abstractio ab hoc corruptibili corpore quod aggrauat animam, non autem à spirituali corpore, quod erit totaliter spiritui subiectum: de quo in tertia parte huius operis dicetur.

1. Concl. Prima conclusio. Ad beatitudinem imperfectam requiritur bona dispositio corporis.

2. Concl. Secunda conclusio. Ad perfectam beatitudinem Patriæ requiritur perfecta dispositio corporis, & antecedenter, & consequenter.

DVBIVM PRIMVM,

Vtrùm ad beatitudinem huius vitæ, siue naturalem, siue supernaturalem, requiratur corpus bene dispositum.

PRobatur quòd non. Primò, ex Aristole 1. Ethic. capit. 10. vbi docet, beatum æquo animo casus fortunæ tolerare, vt quæ virtutis sunt cogitet; vbi supponit, beato casus fortunæ & mala corporalia posse accidere, & sic ad talem beatitudinem bona corporalia non esse necessaria: immò hoc ipsum insinuatur Prouerb. 12. Non Contristabit iustum quid quid acciderit ei. 1. Arg.

Secundò arguitur. Si propter aliquam rationem concluso D. Thom. esset vera, maximè propter quam assignat ipse: sed illa est nulla: ergo. Minor probatur, nam per infirmitatem corporis non solùm minuitur virtus, sed potiùs perficitur, iuxta illud Pauli, virtus in infirmitate perficitur: immò Christus Dominus beatitudinem supernaturalem huius vitæ in malis corporalibus cōstitiuit, dicens: Beati pauperes, & beati qui lugent: vnde constat, perfectissimos & Sanctissimos viros magnos dolores pertulisse, vt D. Greg. & Timotheus in stomacho. Immò quo plus â Deo dilecti, magis doloribus afflicti sunt iuxta illud Pauli: Vobis datū est, nō solùm vt in ipsum credatis, sed etiam vt pro ipso patiamini. 2. Arg.

Tertiò arguitur, quia si concluso Diui Tho. esset vera, sequeretur, in hac vita nullum esse beatum; quia nullus est qui frequentes labores non patiatur; qui tamen maximè volūtati sunt cōtrarij; sunt enim de his quę nolentibus nobis accidunt; beatitudo autem supernaturalis imperfecta in Voluntate consistit, vt supràdictum est, vnde ipsi maximè contrariarentur huiusmodi labores. 3. Arg.

Quartò arguitur. Recta dispositio corporis, & alia huiusmodi, secundum se nec sunt bona, nec mala; ergo absolutè nō cōducūt ad beatitudinē. Patet cōsequentia, nam quę ad beatitudinē cōducūt, determinatè debēt esse bona; quia vt dicitur in eius definitione, est status omnium bonorum. Antecedens verò probatur, quia huiusmodi dependēt in sua bonitate, vel malitia, ex recto vel malo vsu Voluntatis: ergo secūdum 4. Arg.

dum se nec sunt bona,nec mala.

5.Arg. Quintò arguitur.Beatitudo huius vitæ in virtute consistit:sed hanc nō minuit dolor, vel deformitas coporis:ergo ad beatitudinem huiusmodi nō cōducunt. Maior est cōmunis, & habetur ex Cicero.5.Tusculana.Minor verò probatur ab ipso ibi dē rationibus & exemplis,præcipue Anaxarchi,cuius corpus cum grauissimis tormentis afficeretur, dixisse fertur:Frange Anaxarchi vasculum, quoniam Anaxarchum non terres.

6.Arg. Sextò arguitur.Huiusmodi dolores vel mala corporis non impediunt,quin possit esse perfecta contemplatio:ergo cum illis potest esse beatitudo naturalis. Patet cōsequentia, nam beatitudo naturalis in contēplatione consistit, vt dictum est. Antecedens verò probatur,in D. Vincētio in tormentis posito dicente: Ecce iam in sublime agor,& sæculo altior minas tuas,tyrāne,despicio:& multa alia similia:ergo tormenta & alia huiusmodi non impediunt

Confirm. mentis eleuationem.Cōfirmatur ex Marsilio Ficino de immortalitate animarū lib. 2.c.2. vbi ait, Socratem solitum fuisse ab ortu Solis vsque ad alterum Solem orientem,stare seuocatū à corpore; & Socrates singulis diebus erat per vnam horam in huius mentis excessu.Et de Plotino similia ibi refert,vbi ait,tantùm esse animi imperium supra corpus, vt sua virtute à compedibus corporis se soluat in actu contemplationis.

1.Sent. Stoic. In hac re est duplex sentētia. Prima Stoicorū asserētium,bonā dispositionē corporis non esse necessariam adbeatitudinem.

2.Sent. Peripat. Secunda sententia est Peripateticorū, bonam corporis dispositionem necessariam esse ad beatitudinē.Hoc docuit Prin

Arist. ceps illorum Arist.1.Ethicorum,c.5.& 8. & 10.vbi multa dicit de necessitate huius naturalis perfectionis corporalis ad beatitudinem;quem etiam sequitur D.Tho. in hoc articulo.

Not.1. Pro intelligentia notandum, quòd beatitudo huius vitæ est duplex. Prima naturalis,qualis esset in puris naturæ, etiam si homo ad finem supernaturalem & gloriam non esset ordinatus. Secunda est supernaturalis imperfecta, quæ in hac vita à iustis haberi potest.Hęc autēbeatitudo supernaturalis dupliciter potest considerari.Primò absolutè,secūdū cōmunē rationem beatitudinis importātis rectā operationē mentis & volūtatis,& animi quietem & satietatem. Secundo verò modo formalissimè,vt tendentia est ad beatitudinem perfectam gloriæ;ad illam enim ordinatur,vt imperfectum ad perfectum.

Secundò notandū ex supra dictis,quòd aliquid potest pertinere ad beatitudinem *Not.2.* dupliciter. Primò,quantum ad substantiā eius,conducēdo ad augmentum vel diminutionē operationis intellectualis.Secūdo modo,conducēdo tantùm ad accidentalia & extrinseca,&ad bene esse beatitudinis.

Tertiò notandum,quòd bona corporis sunt in duplici differentia.Prima,quę consistunt in recta organizatione & integrita *Not.3.* te sensuum & potentiarum corporalium. Secunda verò, quæ consistuntin quodam ornatu,non tamen pertinet ad integritatē sensuum vel operationis illorū, vt sanitas, vel bona species.

Prima conclusio.Ad beatitudinem naturalem est necessaria bona dispositio corporis: illa verò quæ cōducit ad integritatē *1.Concl.* sensuum est necessaria ad substātiā beatitudinis:illa verò quæ ad integritatem sensuū non pertinet,est necessaria ad bene esse & accidentaliter.Prima pars probatur. Substantia beatitudinis consistit in operatione Intellectus,vt suprà dictum est: sed ad perfectam operationem Intellectus requiritur illa bona dispositio corporis:ergo illa est necessaria ad substantiam beatitudinis.Maior probatur ex D.Tho.1.p.q.84. art.7.& 8.vbi docet,quòd si potentiæ inferiores sint læsæ,operatio intellectus pertur *D.Tho.* batur,in tātū,vt multoties amentia incurratur.Et q.85.art.5.docet,quòd anima in corpore meliùs dispositio meliùs operatur.Secūdò probatur eadē minor.Agens per instrumenta,melius operatur, si aptiora sint instrumēta: sed anima vtitur potētijs corporalibus,vt instrumētis ad intelligendū: ergo si potentiæ corporales meliùs dispo nantur,meliùs operabitur Intellectus, & sic beatitudo in tali operatione consistens erit perfectior substātialiter.Maior patet in scribētevel pingente meliori calamovel penicillo. Secūda pas conclusionis probatur,nam,vt dictū est, de beatitudine naturali loquēdū est proportionabiliter, sicut de beatitudine supernaturali. Sed ad istā pertinet ad bene esse & accidētaliter bona dispositio corporis, etiā nō conducens ad meliùs operandū:ergo idem dicēdum erit in ordine ad beatitudinem naturalem;meliùs enim se habebit, si vtraq; pars cōpositi sit perfecta,quàmsi solùm anima.Et hoc intendit

tendit Arist. primo Ethic.cap.5.& 8.quòd constitutus in miseriis corporalibus, vt paupertate, infirmitate, ignobilitate, non potest esse beatus; loquitur enim de perfectione accidentali.

2.*Concl.* Secunda conclusio. Ad beatitudinem supernaturalem imperfectam huius vitæ, si absolutè & secundum rationem cõmunem beatitudinis consideretur, necessaria est bona dispositio corporis requisita ad integritatem sensuum, vt secundùm substantiam sit perfecta; secundùm alia verò ad ornatum cõducentia, nec vt benè se habeat, nec vt accidentaliter perficiatur, requiritur tali bona dispositio. Prima pars probatur, sicut præcedens conclusio, nam talis beatitudo, vt suprà dictum est, consistit in cognitione Fidei, & in amore Charitatis: sed huiusmodi in hac vita sunt ad modum rerum corporalium per conuersionem ad phantasmata, vtendo administratione sensuum & potentiarum inferiorum: ergo ad illam beatitudinem requiritur, quantum ad substantiam absolutè consideratam, bona dispositio potentiarũ corporalium. Minor probatur ex D. Th. *D. Thom.* 1 p.quæstione 88.art.3. vbi docet, mysterium Trinitatis non cognosci in hac vita per species infusas, sed per acquisitas à rebus corporalibus à sensibus ministratas. Secũda verò pars conclusionis probatur, nã eo huiusmodi bona corporalia, vt pulchritudo & sanitas, possunt accidentaliter perficere beatitudinem naturalem, quia sunt eiusdem ordinis, & aliqualem proportionem & habitudinem inter se possunt habere: sed huiusmodi bona in beatitudine supernaturali imperfecta, vt in Fide & Charitate nullam habent proportionem, sed omnino sunt diuersi ordinis: ergo nullo modo perficitur talis beatitudo, etiam accidentaliter, ab huiusmodi bonis corporalibus.

3.*Concl.* Tertia conclusio. Si beatitudo supernaturalis imperfecta huius vitæ consideretur formaliter, vt via & tendentia per meritum ad beatitudinem perfectam gloriæ, non solùm bona dispositio corporis (vt sanitas) non conducit ad talem beatitudinem perficiendam, sed potiùs è contra infirmitates & dolores iuuant ad huiusmodi beatitudinem perficiẽdam. Hæc conclusio probatur primò, ad *1. Ad Ro.* Romanos 5. Tribulatio patientiam operatur 5. patientia verò probationem, probatiò verò spem. Et Iacobi primò. Omne gaudium existimate, fratres, cùm in varias tentationes incideritis. Et Diuus Chrysostomus homil.5. de patientia Iob ait, *D. Chrys.* felicioremillum fuisse in illa miseria, quàm fuisset in prosperitate anteà. Secundò probatur, quia aliàs sequeretur, nullum viatorẽ esse beatum hac beatitudine, si quidem nullus caret calamitatibus & miseriis, iuxta illud: Risus dolore miscetur, & extrema gaudij luctus occupat: immo sequeretur, malos esse beatiores bonis in præsenti vita, quia cõmuniter peccatores abũdant bonis, quibus iusti carent, iuxta illud Psalmi 72. Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns. Et rursus: In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Et Abacuc primo: Quare non respicis super iniqua agentes, & taces conculcante impio iustiorem se? Et Ieremiæ 12. Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus qui præuaricantur & iniquè agunt? Et illud ad Hebræos 12. Noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris cùm ab eo argueris. Quem diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. Et post pauca: Quòd si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes; ergo adulteri, & non filij estis. Tertio probatur. Cognitio & amor Dei non impediuntur laboribus: ergo nec prædicta beatitudo in illis consistens. Antecedens probatur quotidianis exemplis, cùm multoties laboribus Dei inardescat amor. Item patet in Christo Domino in summo habente prædictam beatitudinem; cùm tamen ita doloribus fuerit plenus, vt ab Esaia enuntietur attritus propter scelera nostra. Quartò probatur, nam beatitudo non debet dependere ex facilè transeuntibus: sed bona dispositio corporis, & alia huiusmodi bona, facilè transeunt, etiam nolente ipso beato: ergo illa ad beatitudinem non requiritur, quia facilè mobilis est, & deperditur contra voluntatem habentis. Quintò probatur. Prædicta beatitudo consistit in accessu & tendentia ad gloriam: sed prædictus accessus fit per meritum: ergo quod magis iuuat ad meritum & accessum, magis iuuat ad prædictam beatitudinem. Tunc vltra: Sed ad meritũ magis iuuant labores: *Iacob. 1.* *Psal.72.* *Abacuc 1.* *Ierem.12.* *Hebr.12.*

ergo.

Chryſoſt. ergo. Iſta minor probatur ex D. Chryſoſtomo homilia 5. citata de Patientia, & D.
Ambroſi. Ambroſio, libr. 2. de Iacob & vita beata,
Auguſt. capitulo 9. à principio, & D. Auguſtino
Seneca. epiſtola 38. & ex illo Senecę libro de diuina prouidentia, Marceſcit ſine aduerſario virtus, & calamitas eſt virtutis occaſio. Item quia labores ſunt materia virtutum, præcipuè Patientiæ & Humilitatis, quibus meritum adaugetur: ergo. Et ſi
Obiectio. contra arguas, quia quod iuuat ad augmentum Fidei & Charitatis, iuuat etiam ad augmentum prædictæ beatitudinis; & quod impedit primum augmentum, impedit & ſecundum: ſed bona corporis conducunt ad augmentum Fidei & Charitatis; labores verò impediunt tale augmentum: ergo bona, & non labores, conducunt ad augmentum prædictæ beatitudi-
Solutio. nis. Minor probatur, nam Fides & Charitas augentur proprijs actibus: ſed ad actus illarum iuuant bona, & impediunt labores, vt dictum eſt: ergo bona & non labores iuuant ad tale augmentum: Reſpondetur, augmentum prædictæ beatitudinis non ſolùm deſumi ex meliori actu, quantum ad aduertentiam vel continuationem illius, ſed ex maiori perfectione actus, quantum ad meritum eius; quia prima conſideratio eſt quaſi metaphyſica, ſecunda verò abſolutè moralis: licèt ergo bona corporis iuuent ad perfectionem actus virtutis quaſi metaphyſicam ſecundùm continuitatem & aduertentiam eius; dolores tamen & labores conducunt ad maiorem perfectionem illius moralem, ſecundùm meritum; quia in ipſamet ceſſatione & diminutione aduertentiæ actus, poteſt eſſe maius meritum ex voluntaria perpeſsione doloris diuertentis à tali continuitate actus. Verum hoc eſt loquendo per ſe, nam per accidens dolores poſſunt minuere prædictam beatitudinem defectu ſubiecti, cui poſſunt eſſe occaſio amittendi patientiam: per ſe autem ad augmentum conducunt, vt dictum eſt. Verum eſt eſt etiam, quòd ſi cætera ſint paria, vt ſi duo eſſent in æquali Charitate & merito, alter per bona corporalia, alter verò per dolores & miſerias, aliqualiter primus eſſet felicior: hoc autem rarò continget, nam, vt dictum eſt, per ſe loquendo, in viris probis, doloribus inardeſcit Charitas; ſi autem in doloribus conſtitutus habeat maiorem Charitatem, abſolutè erit beatior habente bona cum minori Charitate; quia conſideratio ſimpliciter prædictę beatitudinis deſumitur ex conſideratione augmenti vel decrementi Charitatis, per cuius meritum ad gloriam accedimus; cætera autem tantùm conſiderantur ſecundùm quid.

Ad argumenta autem facta à principio, patet per diſtinctionem poſitam in notabilibus, & explicatam in concluſionibus: omnia probant, dolores minuere beatitudinem naturalem, & ſimiliter ſupernaturalem imperfectam conſideratam abſolutè ſecundùm rationem communem beatitudinis; non autem probant minuere illam, vt acceſſus & tendentia eſt ad gloriam; quia ſic potiùs augent illam, cùm augeant meritum, vt dictum eſt. *Ad argu.*

DVBIVM II.

Circa ſecundam concluſionem,

Vtrùm ſit vera.

PRobatur quòd non. Primò. Nec poteſt intelligi de bona diſpoſitione huius vitæ, nec alterius: ergo nullo modo eſt vera concluſio Diui Thomæ. Prima pars antecedentis patet ex dubio præcedenti. Secunda pars probatur, quia bona diſpoſitio corporis alterius vitæ habet ſe conſequenter ad gloriam animæ: ergo nō eſt diſpoſitio ad illam. *1. Arg.*

Secundò arguitur. Mala diſpoſitio corporis non impedit viſionem: ergo bona diſpoſitio non requiritur ad viſionem. Conſequentia patet, nam in tantum aliquid requiritur vt diſpoſitio ad formam, in quantum oppoſitum eius eſt impedimentum introductionis formæ. Antecedens verò probatur. Si lumen gloriæ tribueretur animæ exiſtenti in corpore corruptibili, eàdem intenſione videret Deū, atque in corpore incorruptibili: ergo mala diſpoſitio corporis non impedit viſionem. Iſtud vltimum antecedens probatur; tùm in Chriſto Domino, qui in corpore mortali eàdem intenſione videbat diuinam eſſentiam, atque poſt reſurrectionem in corpore glorioſo: tùm etiam in D. Paulo, qui per illud lumen collatum in corpore mortali in raptu, eàdem intenſione vidit diuinam eſſentiam, atque ſi non eſſet in corpore mortali, vt *2. Arg.*

ipse insinuat dicens: Siue in corpore, siue extra corpus, nescio: tùm tertiò, quia intensio visionis non attenditur ex perfectione naturali, vt suprà dictum est, sed ex quantitate luminis: ergo bona dispositio corporis vel mala non facit ad intensionem visionis, stante lumine in eadem quantitate: tùm quartò, quia lumen gloriæ agit secundùm vltimum potentiæ: ergo in quocunque corpore sit anima, lumẽ prorumperet in eundem gradum visionis.

Conclusi. D. Thom. 1. Arg. Conclusio tamen Diuui Thomæ est vera, & pro illa sufficiat authoritas illius. Vnde ad primum argumentum respondetur ex Conrado, intelligendum esse de bona dispositione corporis alterius vitæ, quæ licèt in genere causæ efficientis subsequatur; in genere tamen causæ materialis antecedit; quod sufficit ad rationem dispositionis, vt generaliter docetur in Physicis. Et si contrà arguas, nam vel loquitur D. Thom. de gloria animæ secundùm se, vel de illa vt extensa & communicata corpori. *Obiectio.* Primum dici non potest, nam ad gloriam illo modo in nullo genere præcedit, bona dispositio corporis alterius vitæ, cum tanto tempore prius fuerit beata anima ante vnionem ad corpus. Secundum etiam dici non potest, quia gloria animæ, vt extensa & communicata corpori, nihil aliud est, quàm ipsa glorificatio & dispositio corporis, & sic ponere bonam dispositionem corporis, vt dispositionem ad gloriam isto modo, est ponere illam vt dispositionem ad se ipsam: *Solutio.* Respondetur, neutro modo intelligendam esse conclusionem, vt probat argumentum, sed de gloria vt totius compositi, sic enim non intelligitur totus homo beatus, nisi in causæ materialis genere præintelligatur bona corporis dispositio: sicut enim corpus præintelligitur ad totum, ita & corpus glorioſum ad gloriam totalem totius.

2. Arg. Solutio aliquorum. Ad secundum argumentum aliqui respondent, malam dispositionem corporis impedire intensionem visionis, & bonam ad illam iuuare; vnde non ita intensè videret eodem lumine existens in corpore mortali, sicut existens in corpore glorioso. Sic (dicunt) in Diuo Paulo contigit, intensius enim videret eodem lumine in corpore glorioso: de Christo autem Domino dicunt, eàdem intensione vidisse in corpore mortali ratione vnionis hypostaticæ supplentis per eleuationem corporis mortalitatem. Ad illud autem, quòd intensio visionis non sumitur ex perfectione naturali, & quòd lumen agit secundùm vltimum potentiæ; respondetur, quòd licèt naturalia non requirantur vt causa, requiruntur tamen ad capacitatem recipiendi tantam vel tantam intensionem; quia vt causa, qualis est lumen, agat secundùm vltimum potentiæ, requiritur subiectum capax, & non impeditum; mala autem dispositio corporis prædictam capacitatem tollit. Et ad hoc adducitur exemplum ex Caietano infrà, quæstione 109. articulo 9. & 10. vbi ponit differentiam inter gratiam in statu naturæ lapsæ, & iustitiam originalem in statu naturæ integræ, quòd iustitia originalis vitaret omnia peccata: gratia autem huius status omnia non vitat, ad minus venialia, non quidem defectu gratiæ, quę ex se sufficiens est omnia vitare, sed defectu subiecti corrupti prauis inclinationibus. *Obiectio.* Licèt ergo vitatio omnium peccatorum non sit ex viribus naturæ, sed ex gratia, tamen vt gratia vitet, requirit capacitatem in subiecto per integritatem naturæ. Et si contra arguas, nam ex hoc sequitur, gloriam corporis perficere beatitudinem, non solùm extensiuè, sed etiam intensiuè, contra supra dicta: *Solutio.* Respondetur, perficere intensiuè beatitudinem totius, non autem beatitudinem animæ præcisè & secundùm se, sed solùm extensiuè, non vt causa per se, sed per accidens, vt remouens prohibens, vt dictum est. Nos autem suprà diximus, gloriam corporis non perficere intensiuè gloriam animæ, sed tantùm illam extendere; non autem loquuti sumus de gloria totius, hanc enim intensiuè perficit; & hoc non est aliud, quàm extensiuè perficere animæ gloriam. Hæc quidem doctrina subtilis & acuta est, & aliàs necessaria & vera, non autem modò ad propositum; deficit enim in solutione huius vltimæ replicæ; quia si bona dispositio corporis facit vt eodem lumine intensius essentia diuina videatur, non solùm facit ad intensionem gloriæ totius compositi, sed etiam ad intensionem gloriæ animæ; quia gloria totius non attenditur ex maiori vel minori visione, sed ex redundantia & communicatione visionis perfectioris ad corpus; intensio autem visionis ad gloriam animæ pertinet: bo-

Respuitur modus dicẽdi prædictus.

na

na ergo dispositio corporis vel non facit vt essentia diuina eodem lumine melius & intensius videatur, vel facit ad intensionem beatitudinis animæ, contra supra dicta. Secundò ergo melius respondetur ad secundum argumentum, ex Conrado, Diuum Thomam, quando dixit, malam dispositionem corporis impedire visionem; bonam autem dispositionem iuuare ad illam, intelligendum esse, non quòd iuuet vel impediat intensionem visionis, sed absolutè impedit visionem, quatenus secundùm potentiam ordinariam visio in anima existenti in corpore corruptibili esse non potest; quia, vt dixit Diuus Paulus, prima Corinthiorum decimoquinto, Oportet hoc corruptibile induere incorruptionem. Et Exodi 33. Non videbit me homo, & viuet. Quasi dicat; Incomposibilia sunt visio clara Dei, & vita mortalis. In raptu autem Diui Pauli, & in Christo Domino, vsus est Deus potentia absoluta, vt morti subiecti Deum viderent. Ad illud autem, quòd naturalia non iuuant, & quòd lumen agit secundùm vltimum potentiæ, respondetur, naturalia requiri ex parte capacitatis; & mortale secundùm legem non est capax visionis nec luminis gloriæ: vnde lumen agit secundùm vltimum potentiæ, in qua est: sed in subiecto mortali esse non potest de potentia ordinaria, vt dictum est; vnde in illo nihil agit. Tertiò respondetur, Diuum Thomam loqui de perfectione extensiua beatitudinis, & de cognitione extra Verbum, & hanc dicit impedire corpus corruptibile: non enim ita perfecta esset beatitudo extensiuè cum mala corporis dispositione: vnde si Diuus Thomas dixit impedire visionem, non loquitur formaliter, sed in effectu, quatenus impedit extensionem ad effectum visionis.

2. Solutio. Vera ex Cõrado.

1. Cori. 15.

Exod. 33.

3. Solutio.

(?-)

ARTICVLVS VII.

Vtrùm ad beatitudinem requirantur aliqua exteriora bona.

2. 2. q. 18. ar. 3. ad 4.

AD septimum sic proceditur. Videtur quòd ad beatitudinem requirantur etiam exteriora bona. Quod enim præmium sanctis promittitur, ad beatitudinem pertinet: sed Sanctis repromittuntur exteriora bona sicut cibus & potus, diuitiæ & Regnum: dicitur enim Lucæ 22. Vt edatis & bibatis super mensam meam in Regno meo: & Matthæi 6. Thesaurizate vobis thesaurum in cælo: & Matthæi 25. Venite benedicti Patris mei, possidete regnum: ergo ad beatitudinem requiruntur exteriora bona.

Luc. 22.

Matth. 6. Matt. 25

Secundò prætereà. Secundùm Boetium, in 3. de consolat. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus: sed exteriora sunt aliqua hominis bona, licet minima, vt Augustinus dicit: ergo ipsa etiam requiruntur ad beatitudinem.

Prosa. 2. circa princ.

Aug. li. 2. de lib. arbi. c. 19. & 1. retract. c. 9. tom. 1.

Tertiò prætereà. Dominus Matthæi 5. dicit: Merces vestra multa est in cælis: sed esse in cælis, significat esse in loco: ergo saltem locus exterior requiritur ad beatitudinem.

Sed contra est, quòd dicitur in Psalm. 72. Quid enim mihi est in cælo? & à te quid volui super ter-

ram? quasi dicat, nihil volo nisi hoc quod sequitur; Mihi adhærere Deo bonum est: ergo nihil aliud extra Deum ad beatitudinem requiritur.

Respondeo dicendum, quòd ad beatitudinem imperfectam, qualis in hac vita potest haberi, requiruntur exteriora bona, non quasi de essentia beatitudinis existentia, sed quasi instrumentaliter deseruientia beatitudini, quæ consistit in operatione virtutis, vt dicitur primo Ethicorum. Indiget enim homo in hac vita necessarijs corporis, tam ad operationem virtutis contemplatiuæ, quàm etiam ad operationem virtutis actiuæ, ad quam etiam plura alia requiruntur, quibus exerceat opera actiuæ virtutis. Cap. 7.

Sed ad beatitudinem perfectam, quæ in visione Dei consistit, nullo modo huiusmodi bona requiruntur. Cuius ratio est, quia omnia huiusmodi bona exteriora, vel requiruntur ad sustentationem animalis corporis, vel requiruntur ad aliquas operationes, quas per animale corpus exercemus, quæ humanæ vitæ conueniunt. Illa autem perfecta beatitudo, quæ in visione Dei consistit, vel erit in anima sine corpore, vel erit in anima corpori iuncta, non iam animali, sed spirituali: & ideò nullo modo huiusmodi exteriora bona requiruntur ad vitam animalem. Et quia in hac vita magis accidet ad similitudinem illius perfectæ beatitudinis felicitas contemplatiua, quàm actiua, vt pote etiam Deo similior, vt ex dictis patet, ideò minus indiget huiusmodi bonis corporis, vt dicitur in 10. Ethicorum. Cap.8.

Ad primum ergo dicendum, quòd omnes illæ corporales promissiones, quæ in sacra Scriptura continentur, sunt metaphoricè intelligendæ, secundùm quod in Scripturis solent spiritualia per corporalia designari, vt ex his quæ nouimus, ad desiderandum incognita consurgamus, sicut Gregorius dicit in quadam homilia: Sicut per cibum & potum intelligitur delectatio beatitudinis; per diuitias, sufficientia, qua homini sufficiet Deus; per regnum, exaltatio hominis vsque ad coniunctionem cum Deo. Greg.

Ad secundum dicendum, quòd bona ista deseruientia animali vitæ, non competunt vitæ spirituali, in qua beatitudo perfecta consistit. Et tamen erit in illa beatitudine omnium bonorum congregatio, quia quicquid bonum inuenitur in istis, totum habebitur in summo fonte bonorum.

Ad tertium dicendum, quòd secundùm Augustinum in libro de sermone Domini in monte, merces sanctorum non dicitur esse in corporeis cælis, sed per cælos intelligitur altitudo spiritualium bonorum

rum . Nihilominus tamen locus corporeus , ſcilicet cælum Empyreum , aderit beatis , non propter neceſsitatem beatitudinis , ſed ſecundùm quandam congruentiam & decorem.

Conc. Concluſio ſit. Ad beatitudinem perfectam, quæ habetur in Patria, non ſunt neceſſaria exteriora bona ; ſunt tamen requiſita ad beatitudinem Viæ inſtrumentaliter , non verò vt ea in quibus talis beatitudo conſiſtit.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm ad beatitudinem requiratur ſocietas amicorum.

AD octauum ſic proceditur. Videtur quòd amici ſint neceſſarij ad beatitudinē: futura enim beatitudo in Scriptura frequenter nomine gloriæ deſignatur : ſed gloria conſiſtit in hoc quòd bonum hominis ad notitiam multorum deducitur : ergo ad beatitudinem requiritur ſocietas amicorum.

Secundò præterea . Boetius dicit , quòd nullius boni ſine conſortio iocunda eſt poſſeſsio : ſed ad beatitudinem requiritur delectatio : ergo etiam requiritur ſocietas amicorum.

Tertiò præterea . Charitas in beatitudine perficitur : ſed Charitas extendit ſe ad dilectionem Dei & proximi : ergo videtur quòd ad beatitudinem requiratur ſocietas amicorum. Sapien.7.

Sed contra eſt quod dicitur Sapientiæ 7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa ; ſcilicet , cum diuina Sapientia , quæ conſiſtit in contemplatione Dei : & ſic ad beatitudinem nihil aliud requiritur.

Reſpondeo dicendum , quòd ſi loquamur de felicitate præſentis vitæ , ſicut Philoſophus dicit in 10. Ethicorum , felix indiget amicis , non quidem propter vtilitatem ; cùm ſit ſibi ſufficiens ; nec propter delectationem , quia habet in ſe ipſo delectationem perfectam in operatione virtutis : ſed propter bonam operationem , vt ſcilicet, eis benefaciat, & vt eos inſpiciens benefacere delectetur , & vt ab eis in benefaciendo iuuetur . Indiget enim homo ad bene operandum auxilio amicorum , tam in operibus vitæ actiuæ , quàm in operibus vitæ contemplatiuæ . Sed ſi loquamur de perfecta beatitudine quæ erit in Patria , non requiritur ſocietas amicorum , de neceſsitate ad beatitudinem, quia homo habet totam plenitudinem ſuæ perfectionis in Deo : ſed ad bene eſſe beatitudinis facit ſocietas amicorum . Vnde Auguſtinus dicit octauo ſuper Geneſin ad literam Cap. 9. & 12. Ca.25.poſt medi.to.3.

ram , quòd creatura ſpiritualis , ad hoc quòd ſit beata , non niſi intrinſecus adiuuatur , æternitate , veritate , charitate Creatoris : extrinſecus verò , ſi adiuuari dicenda eſt , fortaſſe hoc ſolo adiuuatur , quòd ſe inuicem vident , & de ſua ſocietate gaudent.

Ad primum ergo dicendum, quòd gloria quæ eſt eſſentialis beatitudini , eſt quam habet homo non apud hominem , ſed apud Deum.

Ad ſecundum dicendum , quòd verbum illud intelligitur , quando in eo bono quod habetur , non eſt plena ſufficientia : quod in propoſito dici non poteſt , quia omnis boni ſufficientiam habet homo in Deo.

Ad tertium dicendum , quòd perfectio Charitatis eſt eſſentialis beatitudini , quantùm ad dilectionem proximi . Vnde ſola anima fruens Deo beata eſſet , non habens proximum quem diligeret , ſed ſuppoſito proximo , ſequitur dilectio eius ex perfecta dilectione Dei . Vnde quaſi concomitanter ſe habet amicitia ad perfectam beatitudinem.

Concluſio ſit . Ad beatitudinem Patriæ non neceſſariò requiritur ſocietas amicorum, ſed ſolùm ad bene eſſe: ad beatitudinem autem Viæ requiruntur amici, ad benefaciendum illis.

Circa ſolutionem ad tertium huius articuli , notandum , quando dicit , Charitatem , eſſentialem eſſe beatitudini , quatenus reſpicit Deum ; non debere intelligi , quòd eſſentia beatitudinis conſiſtat in Charitate , cùm ſemper docuerit, in viſione conſiſtere ; ſed tantùm intendit, eſſe aliquid intrinſecè pertinens ad eſſentiam beatitudinis ; vt ponat differentiam inter virtutes reſpicientes Deum, & quæ reſpiciunt proximum , quia illæ manentes in Patria pertinent ad eſſentiam beatitudinis , vel tanquam eſſentia, vel complementum , vel paſsio eius; aliæ verò velut accidentia communia pertinent ad gloriam accidentalem . Et hæc de hac quæſtione.

Quæſtio V.

De adeptione beatitudinis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm homo poſsit cõſequi beatitudinem.

AD PRIMVM ſic proceditur . Videtur quòd homo beatitudinem adipiſci non poſsit. Cap. 8.

Sicut enim natura rationalis eſt ſupra ſenſibilem , ita natura intellectualis eſt ſupra rationalem , vt patet per Dionyſium in libro de Diuinibus nominis , in multis locis : ſed bruta animalia , quæ habent naturam ſenſibilem tantùm, non poſſunt peruenire ad finem rationalis naturæ : ergo nec homo qui eſt rationalis naturæ , poteſt peruenire ad finem intellectualis naturæ, qui eſt beatitudo.

Secundò

Secundò præterea . Beatitudo vera consistit in visione Dei, quæ est Veritas pura : sed homini est connaturale vt veritatem intueatur in rebus materialibus ; vnde species intelligibiles in phantasmatibus intelligit, vt dicitur in 3. † de anima: ergo non potest ad beatitudinem peruenire.

Tex. 39.

Tertiò præterea. Beatitudo consistit in adeptione summi boni . Sed aliquis non potest peruenire ad summum , nisi transcendat media; cùm igitur inter Deum & naturam humanam media sit natura Angelica, quam homo transcendere non potest , videtur quòd beatitudinem adipisci non possit.

Sed contra est, quod dicitur in Psalmo 93. Beatus homo quem tu erudieris, Domine.

Respondeo dicendum, quòd beatitudo nominat adeptionem perfecti boni : quicunque ergo est capax perfecti boni, potest ad beatitudinem peruenire. Quòd autem homo perfecti boni sit capax, ex hoc apparet, quòd eius Intellectus potest comprehendere vniuersale & perfectũ bonum , & eius Voluntas appetere illud, & ideò homo potest beatitudinem adipisci. Apparet etiam idem ex hoc, quòd homo est capax visionis diuinæ essentiæ, sicut in Primo † habitum est; in qua quidem visione perfectam hominis beatitudinem consistere diximus.

Quæst. 12. art. 1.

Ad primum ergo dicendum, quòd aliter excedit natura rationalis sensitiuam, & aliter intellectualis rationalem : natura enim rationalis excedit sensitiuam quantum ad cognitionis obiectum, quia sensus nullo modo potest cognoscere vniuersale, cuius ratio est cognoscitiua ; sed intellectualis natura excedit rationalem quantum ad modum cognoscendi intelligibilẽ veritatem ; nam intellectualis natura statim apprehendit veritatem, ad quam rationalis natura per inquisitionem rationis pertingit, vt patet in his quæ in Primo † dicta sunt : & ideò ad id quod Intellectus apprehendit, ratio per quendam motum pertingit ; vnde rationalis natura consequi potest beatitudinem, quæ est perfectio intellectualis naturæ : tamen alio modo quàm Angeli ; nam Angeli consequuti sunt eam statim post principium suæ cognitionis ; homines autem per tempus ad ipsam perueniunt : sed natura sensitiua ad hunc finem nullo modo pertingere potest.

D. 752. Quæst. 10 art. 8. D. 160.

Ad secundum dicendum, quòd homini secundùm statum præsentis vitæ est connaturalis modus cognoscendi veritatem intelligibilem per phantasmata : sed post huius vitæ statum habet alium modum connaturalem, vt in Prims † dictum est.

D. 190. Quæst. 74. art. 7. Et q. 89. art. 1.

Ad tertium dicendum , quòd homo non potest transcendere Angelos gradu naturæ , vt scilicet naturaliter sit eis superior : potest tamen eos transcendere per operationem Intellectus, dum intelligit aliquid super Angelos esse, quod homi-

nes beatificat ; quod cùm perfectè consequetur, perfectè beatus erit.

Conclusio est affirmatiua.

Circa istum articulum est difficultas, quia videtur superfluus, cùm in prima parte, quæstione 12. art. 1. de eodem egerit Diuus Thomas interrogans, vtrùm Intellectus creatus possit videre Deum per essentiam ; quod vtique est quærere, vtrùm possit adipisci beatitudinem ; siquidem beatitudo in clara Dei visione consistit : superfluum ergo videtur, modò iterare quæsitum.

1. Explic. D. ed. In hac re est triplex explicatio Diui Thomæ. Prima est Medinæ hic, quòd licèt in apparentia sit idem quæsitum, in re tamen est diuersum; quia in prima parte agit de beatitudine in particulari, vel de visione Dei ; hic autem de beatitudine in cõmuni, in quocunque consistat. Sed hæc explicatio non videtur bona, quia in ista quæstione agit de beatitudine, de qua tractauit in præcedentibus ; vsquehuc autem egit de beatitudine in particulari, explicando essentiam, obiectum & proprietates illius : ergo eadem agit in hac quæstione. Item quia si in prima parte egisset in particulari, superfluum erat modò agere in communi, quia explicata re in particulari nulla manet difficultas de illa in cõmuni considerata. Item quia peruersus ordo esset, priùs egisse de re in particulari, & postmodùm in communi ; cùm rectus ordo doctrinæ à cõmunioribus debeat procedere, vt ad particularia perueniat.

Impug.

2. Explic. Caiet. Secunda explicatio est Caietani hic, quòd visio & beatitudo etiam in particulari distinguuntur, ad minus formaliter, vt suprà diximus : beatitudo enim superaddit ad visionem : dicit enim visionem & aliquid amplius ; visio verò præcisè in ratione visionis non dicit totalem rationem beatitudinis. Licèt ergo prima parte egerit Diuus Thomas de capacitate visionis, amplius restat inquirendũ de capacitate beatitudinis importantis plusquam visionem. Et si contra arguas cum Gregor. de Valentia, quòd licèt formaliter distinguantur, tamen altera ratio præsupponitur ad alteram, & principia quæ sufficiunt ad probandam visionem, sufficiunt etiam ad probandam beatitudinem ; quia visio non potest reperiri sine adiunctis requisitis ad beatitudinem. Cùm ergo probauerit Diuus Thomas capacitatem visionis, superfluum erit modò probare capacitatem beatitudinis : Respondetur, quòd licèt altera præsupponatur ad alteram, & probatio vnius inducat probationem alterius : cùm tamen ratio sit diuersa, similiter & probatio diuersa est, ita vt probatio visionis non sit probatiua beatitudinis immediatè, sed tantùm secundariò ; vnde necesse fuit agere de beatitudine modò per propria & immediata illius ; vt apparet in litera Diui Thomæ ad probandum, capacitatem beatitudinis processisse ex capacitate visionis, tanquàm ex diuerso, licèt priori & suppositò, & inferente capacitatem beatitudinis.

Obiectio ex Valen.

Solutio.

3. Expli. Tertia explicatio est aliorum Thomistarum, quòd in prima parte egit de possibilitate visionis à creatura intellectuali non determinatè sumpta ; modò autem de possibilitate visionis ab homine ; quia stante quòd Deus possit videri à creatura intellectuali, vt est Angelus, meritò restabat dubium, vtrùm etiam possit in particulari videri ab homine, propter sui maximam imperfectionem. Habetque hæc explicatio maximum fundamentum in intentione ipsius Diui Thomæ, nam prima parte agebat de perfectionibus & attributis diuinis, quorum vnum est intelligibilitas passiua : vt hanc ergo demonstret, sufficiebat à quacunque creatura posse videri : modò autem agit in hac parte de perfectione hominis, & ad quem vltimum possit peruenire finem ; vnde vt potentiam humanam, siue naturalem siue supernaturalem, explicet, inquirit, vtrùm homo possit adipisci hanc beatitudinem supernaturalem in Dei visione consistentem. Et si contrà dicas, quòd illic posuit Diuus Thomas exemplum in homine ; ergo non agebat de visibilitate Dei à quacunque creatura : Respondetur, apposuisse exemplum in homine, tanquàm in re nobis notioria ; non autem quia agere de facultate hominis ibi intenderet, sed tantùm quòd Deus à creatura visibilis est.

Obiectio.

Solutio.

D V-

DVBIVM II.

Verùm conclusio Diui Thomæ sit vera.

1. *Arg.* PROBATVR quòd non. Homo non potest videre Deum per essentiam : ergo nec consequi beatitudinem . Consequentia patet, quia , vt suprà dictum est , beatitudo hominis in clara Dei visione consistit, si aliqua est. Antecedens verò probatur. Sensus (verbi gratia, potentia visiua) non potest pertingere Angelum : ergo nec Intellectus humanus clarè Deum . Patet ista consequentia , nam plus distat Deus ab Intellectu humano,quàm Angelus à potentia visiua.

2. *Arg.* Secundò arguitur . Deus clarè visus non continetur intra obiectum Intellectus humani:ergo non potest attingere illum . Consequentia patet, quia potentia non potest distrahi à suo obiecto,ad quod intra obiectum eius non continetur. Antecedens verò probatur, nam alias sequeretur, quòd Intellectus humanus naturaliter inclinaretur ad videndum Deum; quia quælibet potentia naturaliter inclinatur ad suum obiectũ,vt Visus in quancunque rationem coloris : hoc autem est *Apostol.* falsum , & contra illud Apostoli, Oculus non vidit , nec auris audiuit , nec in cor hominis ascendit (hoc est , in appetitum & desiderium eius) quæ præparauit Deus diligentibus se.

3. *Arg.* Tertiò arguitur. Intellectus humanus nullam habet proportionem cum Deo clarè viso : ergo non potest sic pertingere illum . Consequentia patet, quia inter potentiam & obiectum debet esse proportio . Antecedens verò probatur, nam Intellectus humanus est finitus ; Deus infinitus:finiti autem ad infinitum nulla est proportio:ergo.

4. *Arg.* Quartò arguitur, quia in sacris literis oppositum dicitur: ergo falsa est conclusio . Antecedens probatur Ioan. 1. Deum nemo vidit vnquam . Et 1. ad Timoth. 2. Regi sæculorum immortali & inuisibili. Et cap. 6. Lucem habitat inaccessibilem, quam nemo vidit hominum , nec videre potest. Et Exodi 33. Non videbit me homo,& viuet. Et alia testimonia huiusmodi inuenies in Diuo Chrysostomo homilia 14. super Ioannem.

Senten. Armenorũ vt refert Armach. Abailard. vt refert Bernard. Ahimeric. vt refert Castro. Vazquez tribuit hũc errorem Ambrosio, Hieron. Basilio. Cyrillo. Epiphan. Chrysost. Theodor. Theophyl. Euthym. Nyssen. Isidor. Lorca imp. Vazquez.

In hac re fuit sententia hæreticorum relata inter articulos Parisienses,quam postmodùm sequuti sunt Armenij, & nouiores Græci, vt refert Armachanus libr. 14. de quæstionibus Armenorum, c. 1. quòd beatus non videt diuinam essentiam in se & clarè,sed in quodã fulgore & luce creata producta ab ipso Deo ; quem errorem posteà suscitauit Abailardus, vt refert D. Bernard.epistola 90.& 100. de quo etiam errore videatur Turrecremata de potestate Ecclesiæ,cap. 35.& Castro lib. 3. aduersus hæreses,verbo Beatitudo,hæresi 1.qui hunc errorem tribuit cuidam Ahimerico, & hæreticis Albigensibus. Immò Vazquez 1.p.disp.37.cap.2.3.& 4.& sequentibus nititur probare, hunc errorem habuisse Ambrosium,Hieron.Basiliũ,vtrũque Cyrillum, Epiphanium, Chrysostomum, Theodoretum , Theophylactum, Euthymium,Nyssenum,& Isidorum.Sed ab ista iniuria eos vindicat Lorca hic disput.27.qui optimè loquitur,& omnino videatur.

Pro intelligentia supponendum est ex supradictis, beatitudinem esse bonum finale perfectum,iuxta Boetium,cùm sit status omnium bonorum aggregatione perfectus. 1. *Not.*

Secundò est supponendum, quòd licèt vt suprà dictum est,beatitudo consistat in visione Dei,quia sola illa potest satiare appetitum hominis,vt latè probat D.Thom. 3.contra Gent.c.50.& supra q. 3.art.8.tamẽ ad præsentẽ quæstionẽ nihil interest,cõsistere in visione vel amore; quia licèt in amore consisteret , cùm tamen necessariò præsupponatur visio,si visio esset impossibili ,consequenter & beatitudo 2. *Not.*

Tertiò supponendum est,quòd quando dicitur beatitudinem consistere in visione claraDei & quidditatiua,nomine quidditatiuæ cognitionis non intelligitur rigorosa cognitio à prima potentia vsq; ad vltimum actum,qualis est cognitio compresiua ; hæc enim impossibilis est creaturæ, nec illa requiritur ad beatitudinem,sed intelligitur cognitio intuitiua Dei, vt est in se,& non in aliquo medio vel figura ; hæc enim licet finita sufficit beatificare hominem;vnde si hæc visio est possibilis,beatitudo est possibilis. 3. *Not.*

Quartò supponendum, hanc quæstionem non esse eandem cum ea,quam suprà 4. *Not.*

tractauimus, & infrà tractabitur art. 5. vtrũ in homine sit naturalis inclinatio vel potẽtia ad videndum Deum; sed quærimus de potentia etiam obedientiali, vtrùm ista saltẽ sit in homine. Quapropter licèt Scotus & Soto ponant inclinationem naturalem, negant potentiam naturalem, quæ superaddit ad inclinationem vires ad consequẽdum, quæ secundùm Fidem non sunt naturales in homine ad beatitudinem: examinato ergo, quòd nec est inclinatio; nec potentia, saltem obedientialis, vt potentia eleuata possit videre Deum.

Conclus. Conclusio ergo D. Th. est certa secun-
1. Ioan. 3. dùm Fidem, vt patet 1. Ioan. 3. Videbimus
1. Cor. 13. eum sicuti est. Et 1. Corinth. 13. Videmus
Apoc. 12. nunc per speculum in ænigmate; tunc au-
Matth. 5. tem facie ad faciem. Et Apoc. 12. Videbũt
& c. 18. faciem eius. Et Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et c. 18. Angeli eorum semper vident faciem Patris mei. Nulla autem maior repugnantia est de hominibus, vt patebit. Est etiam
Euarist. definita ab Euaristo Papa in 1. epist. decretali, quæ habetur tom. 1. Conciliorum, &
Conc. Frã. in Concilio Francfordiensi, & in Concili-
Conc. Flor. lio Florentino sess. vlt. & in Extrauaganti
Bene. XII Benedicti XII. Et in Clementina Ad no-
Clemen. strum, de hæret. definitur, esse necessarium
Ad nostrũ lumen gloriæ ad videndum Deum; & hęc
de hæret. est perpetua traditio Ecclesiæ; nam Fides docet, Christum Dominum ab instãti suæ conceptionis vidisse diuinam essentiam; quod nõ esset, si homo quilibet Deum nõ posset videre, quia Christus Dominus in quãtum homo, eiusdem rationis est nobiscum. Videatur
D. Aug. D. Aug. epist. 111. & 112. vbi plurima adducit testimonia sacræ Scripturæ & Sanctorum ad hoc comprobandum. Congruentię autem optimę sunt huius veritatis. Prima, quia sicut possibile fuit, naturam humanam eleuari ad vnionẽ hypostaticã, ita vt homo sit Deus, & Deus factus sit homo; ita vt homo eliciat operationes Deificas, ordinisque diuini; quare etiam non potest eleuari per vnionem diuinæ essentiæ in ratione speciei intelligibilis, priùs præsuppositò lumine gloriæ, vt Intellectus fiat Deificus, ordinisque diuini, & proportionatus vt eliciat visionem Dei. Secundò probatur conclusio. Beatitudo hominis, vt suprà dictum est, consistit in adeptione Dei, vt vltimi finis: ergo potest adipisci illum. Patet consequentia, nã frustra assignatur alicui vt finis, quod ab ipso non est consequibile. Vel ergo finis hominis in alio debet poni, quàm in Deo; vel ab ipso cõsequi potest: cõsequutio autem, vt suprà dictũ est, fit per visionẽ Dei.

Obiectio. Et si contra dicas, q̃ aliæ creaturæ habent Deum vt vltimum finẽ, non autem ipsum cõsequũtur per visionẽ: ergo ex eo quòd est finis hominis, nõ cõcluditur, ab ipso videri posse: Respõdetur, vnũquodque de-
Solutio. bere attingere vltimũ finem iuxta propriã naturam: Inanimata, cũ per cognitionem attingere nõ possint, quia hoc est extra naturã illorũ, attingunt illum secundũ similitudinem naturalẽ participatã à Deo secũdum esse quod habent: Viuentia quoque tendunt vt coniungantur suo principio, vt ab illo procedũt, vt latè ostẽdit
D. Tho. D. Tho. in procœmio Metaph. Creaturæ verò rationales debẽt huiusmodi finem attingere per Intellectũ & Volũtatẽ, cũ hoc sit natura illarũ, & secũdũ hãc similitudinẽ à Deo procedãt, vt à principio; secundũ hanc ergo suo principio debẽt cõiugi. Tertiò probatur ratione D. Th. 1. p. q. 12. artic. 1. quia
D. Thom. naturale est homini, visis effectibus, desiderare videre causam: ex visione ergo creaturarũ naturale desideriũ habebit videndi primã causam illarũ, quæ est Deus; & cùm huiusmodi desideriũ non debeat esse frustraneum, possibile est vt impleatur. Quartò probatur ratione huius art. Intellectus noster cognoscit bonũ perfectũ supernaturale: ergo Volũtas potest illud desiderare: ergo & cõsequi, quia desideriũ non est impossibilium. Tũc vltra: Sed bonũ perfectũ & vniuersale nõ est nisi Deus clarè visus: ergo possibile est videre illum.

Ad 1. arg. Ad primum arg. à principio resp. quòd excessus vel defectus potẽtię potest dupliciter cõsiderari. Primò ex parte obiecti: secundò ex debilitate potẽtiæ. Quãdo ergo vna potẽtia exceditur ab alia ex debilitate alterius potẽtię, tũc potest suppleri à Deo, vt debilis pertingat ad perfectionẽ fortis: vt oculus Noctuæ cõfortari potest vt videat Solẽ; & ignis paruꝰ, vt agat in magna distantia. Quando autẽ excessus est ex parte obiecti, vtiq; quia obiectũ potẽtiæ inferioris nõ adæquat cũ obiecto potẽtiæ superioris; tunc potentia inferior nequit, etiam per potentiam absolutam, attingere obiectum alterius potentiæ; quia impossibile est, potentiam distrahi à suo obiecto. Cùm ergo distantia inter Sensum & Rationem sit ex parte obiecti, quia obiectum Sensus est singulare, Rationis autem vniuersale; ideò nullo modo Sensus potest pertin-

pertingere ad obiectū. Intellectus autē humanus respectu Dei nō exceditur ex parte obiecti, quia, vt statim dicetur, etiā Deus continetur intra obiectū Intellectus, sed tātùm exceditur ex debilitate potentiæ: poterit ergo confortari & eleuari vt attingat Deū clarè visum. Ad illud autē, quòd magis exceditur Intellectus à Deo, quā potētia visiua ab Angelo, respondetur, in ratione entis ita verū esse, nō autē in ratione obiecti; quia Deus est intra obiectū Intellectus, nullo autē modo Angelus est intra obiectū Visus. Et si cōtra arguas, quia ratio obiecti & cognoscibilis fundatur in ratione entis: ergo sicut in essēdo magis excedit Intellectū Deus, quām Angelus sensum; ita etiā in ratione obiecti & cognoscibilis: Respondetur, enspossē cōsiderari dupliciter. Primò materialiter, secundū existentiā: Secundò formaliter, vt radix intelligibilitatis & cognoscibilitatis, qua ratione est obiectū Intellectus. Si ergo ens sumatur primo modo, magis exceditur Intellectus à Deo, quā sensus ab Angelo; quia prima distātia est infinita, secūda autē finita. Si autē sumatur secūdo modo, magis exceditur sensus ab Angelo, quā Intellect⁹ à Deo quia esse Dei potest fundare intelligibilitatē & rationē obiectiuā Intellectus humani creati; Angel⁹ autē nullomodo potest fundare visibilitatē & rationē obiectiuā sēsus; vnde hac ratione inter sensū & Angelū est distantia quasi infinita imper transibilis.

Obiectio.

Solutio.

Ad 2. arg. Ad secundū argu. aliqui respōdent, obiectū Intellectus esse naturale, vnde Deus non cōtinetur intra obiectū eius, sed si cognoscitur, est per similitudinē ad ens naturale. Sed hæc solutio est falsa, quia nunquā posset Deus videri clarè, quod est cōtra Fidem. Secundò ergo melius respondetur, quòd obiectum adæquatū Intellectus est ens, vt abstrahit à creato & increato. Cùm ergo Deus cōtineatur sub ente vt sic, cōsequenter continetur sub obiecto adæquato nostri Intellectus. Si autē dicas, qualiter ens vt sic, cū sit analogum, possit conferre specificationē vniuocam Intellectui; Respondetur, hoc esse propriū causæ formalis, vt tribuat effectū quem in se nō habet formaliter, obiectū vero ad potentiā comparatur vt causa formalis: vnde licèt in se sit analogū in essendo, respectu suorū inferiorū, specificationē vniuocam potest tribuere potentiæ, vt patet in opione dicēte, obiectū Intellectus esse ens vt abstrahit â reali & rationis; cū tamē inter illa tāta sit analogia, vt rationis nequaquā possit cognosci nisi per reale; Intellectus tamē vniuocè est vnus. Similiter obiectū Volūtatis est bonū, vt abstrahit à verō vel apparēti, de quib⁹ analogicè dicitur, tamē Volūtatē habet specificare. Similiter Metaphysica est vna scientia specie; cūtamē obiectū eius sit analogū, nēpe ens vt abstrahit à substātia vel accidēti: de quo videatur Sōc. 4. Met. q. 10. & Cai. opusculo de analogia, c. 10. Et si contra dicas, quod si obiectum Intellectus est ens intota illa latitudine: ergo habebit naturalē inclinationē ad illud, & cōsequenter ad omne cōtentū sub illo, & sic ad Deū clarè visum, & cōsequētervisio clara Dei erit possibilis naturaliter, quia appetit⁹ seu inclinatio naturalis naturaliter potest impleri. Prima verò cōsequētia probatur, quia quælibet potētia naturaliter inclinatur in suum obiectū: Respōdetur, obiectū esse duplex; alterū proportionatū; alterū verò adæquatū & superexcedens proportionatū. Intellectus est ens naturale; adequatū verò est ens in tota sua latitudine, etiam vt cōtinet Deū. Et si cōtra arguas, non esse intelligibile, potētiā specificari ab obiecto in tota illa extensione, & nō inclinari ad illud, etiā secundū illā extensionē, quia potentia essentialiter videtur includere inclinationē, immò nō est aliud esse illius, quā inclinatio ad obiectū: Respondetur, ita verū esse, quòd potētia dicit essentialē habitudinē & inclinationē ad obiectū; eo tamē modo quo est potētia ad illud. Intellectus ergo noster licèt formaliter sit vna potētia, inducit quasi rationem duplicis, & potentię naturalis, & supernaturalis: respectu entis naturalis cōparatur vt potentia naturalis; respectu autē entis supernaturalis, vt potētia supernaturalis. Cū ergo inclinatio conueniat potētiæ secūdū modū potentię, inclinatio ad ens naturale est naturalis, & ad supernaturale supernaturalis, & vt in potētia obediētiali eleuabili ad illud obiectū, super excedens. Et si cōtra dicas cū quodā moderno, nā hoc solū probat de obiecto supernaturali, vt de Deo clarè viso, nō autē de ente in tota latitudine, vt abstrahit â naturali & supernaturali: Respōdetur, etiā ad ens in prędicta latitudinenō inclinari naturaliter, nec illud viribus naturæ posse cognosci; quia licèt supernaturale in illo cōmuni solū cōtineatur in cōfuso, nihilominus actualiter & formaliter; qua propter si ad supernaturale nō habet inclinationē nec vires, similiter nec ad illud cōmune. Sicut enim in ente, vt abstrahit à substantia & accidenti, cōtinētur modi essēdi per se & in alio actualiter,

1. Solutio.

Impug.

2. Sol. ver.

Obiectio.

Solutio.

Soncin.

Caiet.

Obiectio.

Solutio.

Obiectio.

Solutio.

Obiectio.

Solutio.

ter, licèt confusè; ita in ente abstracto â naturali & supernaturali continentur in actu naturale & supernaturale: vnde si nō inclinatur ad supernaturale, similiter nec ad illud in cōmuni, in quo supernaturale continetur in actu; nec enim est superius per solum naturale, nec per solum supernaturale, sed per vtrunque per analogiam cōiunctum in actu confuso: vnde licet ad naturale haberet inclinationem, non tamē ad illud cōmune includens supernaturale, & excedēs proportionē Intellectus; vnde in Intellectu, respectu illius communis, solū est potentia obedientialis, sicut respectu supernaturalis in particulari sumpti; & propterea illud commune abstractum vocatur extensiuum & adęquatum, & non proportionatum. Verum est, quòd illa potentia obedientialis ad ens in illa communitate, non reducitur ad actum potentiæ tendentis in illud per aliquid peculiare, quàm per illud per quod constituitur in esse potentiæ supernaturalis: verbi gratia, potentiæ videntis Deum per lumen gloriæ; quia dum constituitur potentia supernaturalis ad obiectum particulare supernaturale, fit etiam potentia supernaturalis ad cognoscendum illud abstractum â naturali & supernaturali. Et si rursus arguas, nam idem posset dici de potentia

Obiectio. visiua, quòd obiectum proportionatum esset color & res corporea, adæquatum verò etiam se extenderet ad spiritū, & quòd licèt vt potentia naturalis per inclinationem naturalem tantùm respiciat colorem; tamen vt potentia obedientialis eleuabilis possit respicere spiritum. Quod clariùs dicitur, quare potentia visiua non habebit potentiam obedientialem, vt eleuari possit ad videndum spiritum; Intellectus tamē possit talem eleuationem habere, si quidem ex proprijs viribus id non habebat?

Solutio. Respondetur primò, prouenire ex natura ipsius Intellectus, quia spiritualis est, & habet quasi quandam infinitatem, vt si confortetur, possit etiam perfectissimum spiritum, qualis est Deus, attingere: potentia autem visiua est corporalis; vnde tantum intra genus corporis potest perfici. Secūdò ex parte obiecti, quoniam ens naturale & supernaturale habent eundem modum immutādi potentiam, scilicet per speciem separatam ab omni materia. Tertiò ex parte vtriusq;, quoniam supernaturale continetur sub ratione entis, quæ est ratio specificatiua Intellectus; vnde potest extēdi Intellectus ad ipsum: hæc autē nō reperiuntur in potentia visiua respectu rei spiritualis.

Ad tertium respondetur, vt dictū est, quòd licèt inter Intellectū eleuatū & Deū non sit proportio in esse entitatiuo, est tamen in esse intelligibili, vt inter potētiam & obiectū; immò in esse entitatiuo aliqualis est proportio, quia illustrari lumine gloriæ, & actuari diuina essentia in ratione speciei, est deificari, & per entitatē receptā ad ordinē supernaturalē & diuinū transire. *Ad 3. arg.*

Ad quartum respondetur, quod, vt colligitur ex D.Tho.3.contra Gent.c.49.& deinceps, & D.Aug.epist.6.& 10.& 111. & 112.& lib.2.de Ciuit.c.13.& lib.vlt.c. penul.& ex D.Chrysost.homilia 4.& D. Epipha.in lib.de hæresibus, hæresi.70.in sacra Scriptura visus Dei multis modis accipitur. Primò, pro visione qua Deus videtur in aliqua similitudine apparēti; quo pacto multoties apparuit antiquis Patribus & Prophetis, de qua visione agit Augu.2. de Trinit.c.16.& 17.& 18. Secundo modo accipitur pro visione in natura sibi hypostaticè vnita. Tertio prouisione quavidetur in effectibus & creaturis, iuxta illud 1.ad Corin.18. Videmus nunc per speculū in ęnigmate. Et ad Rom.1. Inuisibilia Dei à creatura mūdi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Quarto prouisione qua Deus videtur per essentiā in se ipso intuitiuè. Licèt ergo multa sint loca sacræ Scripturæ, quæ intelligi debent de visione in prioribus acceptionibus, loca tamē adducta pro conclusione, intelligēd. sunt de visione isto modo quarto, iuxta explicationem Sāctorū, per quos nobis sensus sacræ Scripturæ debet innotescere; quia in prædictis locis loquitur de visione in alia vita, & de præmio meritorū; loca autē quæ adducūtur in argumēto, cōtraria nō sunt, vel quia intelligūtur de visione cōprehensiua, iuxta explicationē Epiphanij, Chrysos. & Aug. locis citatis, vel de visione corporali, vel de visione in hac vita mortali, vel de niq; de visione quæ possit haberi prius natura ab Intellectu non eleuato; prædictis enim modis inuisibilis est, non autem si ab hac vita migrādo, lumine gloriæ illustretur. *Ad 4. arg. D. Thom. D. Augu. Chrysost. Epiphan. Augustt. 1. Ad cor. Ad Ro.1. Epiph. Chrysost. Augustt.*

DVBIVM III.

Vtrùm ratione naturali possit demōstrari, esse capacitatē in homine ad beatitudinē supernaturalem, & visionem claram Dei.

PROBATVR Quòd sic. Primò. Quælibet potentia habet capacitatem *1. Arg.*

vt

vt tendat in proprium & adæquatum obiectum: sed ratione naturali cognoscitur, beatitudinem supernaturalem contineri intra obiectum adæquatum Intellectus, quod vtique est ens vt abstrahit à naturali & supernaturali: ergo ratione naturali cognoscitur, talem beatitudinem esse possibilem, & Intellectum illam posse attingere.

2. Ar. Secundò arguitur. Ratione naturali cognoscitur, appetitum & desiderium nō esse impossibilium: sed appetitus & desiderium videndi Deum, est naturale, vt docet Diuus Thomas prima parte, quæstione 12. articulo primo, quia naturale est, visis effectibus, desiderare videre causam: ergo naturaliter cognoscitur visionem Dei esse passibilem.

3. Arg. Tertiò arguitur. Perfectio simpliciter conueniens potentiæ inferiori eiusdem generis, ratione naturali cognoscitur à fortiori debere conuenire superiori potentiæ: sed cognoscere intuitiuè omnia contenta sub suo obiecto, conuenit potentiæ sensitiuæ: ergo idem etiam conueniet potentiæ intellectiuæ: cùm autem Deus sub obiecto illius potentiæ contineatur, eiusdem erit illum intuitiuè attingere posse.

4. Arg. Quartò arguitur. Qui comprehensiuè cognoscit aliquam rem, consequenter debet cognoscere omnia quæ ad illius naturam pertinent: sed capacitas videndi Deū pertinet ad naturam Intellectus: ergo saltem Angelus comprehendens Intellectum nostrum, lumine etiam naturali cognoscet talem capacitatem. Minor probatur, quia non debet dari processus in infinitum in potentijs: ergo omnia reducuntur ad capacitatem immediatam ipsius Intellectus, ita vt per se ipsum sit capax illius cuius est capax, non enim poterit superadditum quid assignari, mediante quo ipse Intellectus habeat capacitatem.

Sentent. Scot. Propter argumenta posita tenet hanc sententiam Scotus in quarto, distinctione 49. quæstio 8. §. Respondeo, & Augus. Nmyphus lib. 2. Metha ph. disputation. 3. capit. 4. & Vazquez hic, disputatione 20. cap. 2.

Nymph. Vazquez.

Not. Pro intelligentia tamen notandū, quòd possumus loqui vel de beatitudine in communi & indefinite, non determinando in quo particulariter consistat: vel possumus loqui de beatitudine in particulari, hoc est, de visione clara Dei. Rursus quòd possumus loqui de beatitudine, siue in communi, siue in particulari, quantum ad inclinationem vel capacitatem, vel quantum ad actualem consequutionem. Si quidem loquamur de beatitudine in communi & indefinitè, non in communi vt se extendit ad naturale & supernaturale, sed in communi intra genus naturæ, ad quod lumen naturæ potest se extendere; certum debet esse, demonstrari posse lumine naturali, esse capacitatem ad illam; quia cùm lumine naturali cognoscatur, hominem esse destinatū à Deo in aliquem vltimum finem, cōsequenter eodem lumine constat esse capacem consequendi talem finē; quia aliàs frustranea esset talis destinatio: vnde quia etiam constat lumine naturali, quòd omnia creata ad Deum vt finem tendunt, & etiam constat, quòd omnia capacitatem habent illum consequendi, vnumquodque iuxta naturam suam, alia per cognitionem, alia verò per similitudinem & participationem imperfectam, vt suprà diximus: & hoc etiam conuincit ratio Diui Thomæ hic, & prima parte, quæstione 12. articulo primo licèt respectu beatitudinis in particulari, & visionis claræ Dei, tantùm sit congruentia, vt latim dicemus; respectu tamen beatitudinis in cōmuni, hoc est, indefinitè sumptæ, est demonstratio. Si autem loquamur de actuali consequutione beatitudinis indefinitè sumptæ, etiam certum debet esse, non posse id ratione naturali demonstrari; bene tamen consequenter & probabiliter, non quidem demonstrari potest, quia licèt sit appetitus naturalis & capacitas, potest non ad actum peruenire. Sicut enim multæ species Angelorum à fine naturali defecerunt, ita homines, non obstante desiderio, possent ad talem finem de facto non peruenire; quia licèt capacitas sit naturalis, actualis tamen consequutio est libera, habenda per merita. Cùm autem nulla sit necessitas, vel ex parte Dei dantis, vel ex parte hominis promerentis, nulla ratione potest demonstrari consequutio actualis, bene tamen probabiliter, quia non videtur iuxta Dei dispositionem & misericordiam eius, quòd media ad talem finem non tribuantur, & quòd talibus medijs omnes malè vtantur; sicque per illa aliquis ad talem finem non perueniat. Nec est eadem ratio de speciebus Angelorum perditis in integrum,

grum, & de specie humana; cùm ibi mãserint aliæ species in genere Angelorum. Si autem tota species humana periret, nihil humani generis remaneret ad salutem; qua propter decuit, vt si alia individua humani generis perirent, alia tamen remanerent. Restat ergo solùm difficultas de beatitudine in particulari supernaturali, vtique de visione Dei, vtrùm ratione naturali demonstrari possit capacitas ad talem beatitudinem.

Conclus. Scotus. Conclusio ergo sit, nullo modo ratione naturali id posse demonstrari. Ita probatur ad hominem contra Scotum. Quòd beatitudo sit perfecta & inamissibilis, non potest ratione naturali conuinci: ergo nec quòd sit possibilis consequutio eius. Consequentia patet, nam si perpetuitas est de ratione beatitudinis, qui non potest demonstrare perpetuitatem, nec etiam beatitudinem possibilem. Antecedens probatur, nam, vt dicit ipse Scotus in quarto, distinctione 43. quæstione secunda, demonstrari non potest esse animam immortalem: ergo nec perpetuitas beatitudinis. Patet ista consequentia, quia beatitudo non potest esse perpetua, nisi etiam anima, in qua est beatitudo, perpetua sit. Si ergo, secundùm Scotum, perpetuitas animæ demonstrari non potest, qualiter perpetuitas beatitudinis demonstrabitur, & consequenter possibilitas? Secundò probatur. Visio clara Dei est omnino supernaturalis, & quantum ad substantiam, & quantum admodum, vt habetur ex prima parte, quæstione 12. ergo debet procedere ex principijs supernaturalibus. Patet consequentia, quia inter principium & id quod procedit, debet esse proportio: principij autem naturalis ad supernaturalia proportio non est: non ergo potest procedere ex principijs naturæ. Tunc vltra: Ergo nec ex principijs naturæ cognosci. Patet ista consequentia, quia sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci: si ergo non habet esse ex principijs naturæ, nec ex illis cognosci poterit. Tunc vltra: Sed lumen naturale solùm ex principijs naturalibus procedere potest: ergo talem beatitudinem supernaturalem demonstrare non poterit. Confirmatur. Primò, quia omnis demonstratio vel est à priori per causam, vel à posteriori per effectum: sed clara Dei visio neutro modo potest demonstrari: ergo. Probatur minor, quia visionis claræ Dei nulla est causa naturalis: ergo à priori per causam naturalem, ad quam solùm se potest extendere lumen naturale, demonstrari non poterit, nec etiam visio clara Dei habet aliquem effectum naturalem, ad quem lumen naturale se possit extendere: ergo nec etiam à posteriori per effectum poterit demonstrari. Confirmatur secundò, nam hac ratione dicitur tertia parte, quæstione prima, in procœmio, lumine naturali possibilitatem Incarnationis demonstrari non posse, quia demonstratio procedit ex principijs naturæ, Incarnatio autem non habetur nisi ex principijs supernaturalibus. Vltimò probatur. Media ad consequendam talem beatitudinem lumine naturali demonstrari non possunt: ergo nec possibilitas talis beatitudinis. Patet consequentia, quia possibilitas finis est per possibilitatem mediorum, sicut & consequutio finis per exequutionem mediorum. Antecedens probatur, nam media necessaria, sunt virtutes Theologicæ, & alia huiusmodi, quæ Fides docet, contra Pelagium, ex principijs naturæ haberi non posse.

Ad primum argumentum respondetur, non esse notum lumine naturæ, Deũ clarè visum contineri sub obiecto adæquato nostri Intellectus; quia si quis diceret, illud tantum esse ens naturale, naturali demonstratione conuinci non posset. Vel secundò respondetur, quòd etiam si naturaliter esset notum, Deum contineri sub obiecto adæquato nostri Intellectus; non tamen sequeretur euidenter, posse clarè videri, quia sufficienter euaderet, qui diceret, ex hoc tantùm sequi, Deum esse à nobis cognoscibilem conotatiuè per ordinem ad naturalia. *Ad 1. arg.* *2. Solutio.*

Ad secundum dicendum, in homine nullam esse inclinationem naturalem ad videndum Deum, vt dicitur prima parte, quæstione 12. articulo primo, & tertio contra Gentes, capitulo 50. & 51. Sed si qua inclinatio reperitur ex visis effectibus, tantùm est ad cognoscendum Deum in ratione causę, eo modo quo à nobis cognoscibilis est naturaliter, vtique cõnotatiuè per ordinem ad creaturas. Et si contra dicas, quia sic frustra adduceretur illa propositio à Diuo Thoma, quòd visis effectibus, naturale est desiderare videre causam, vt ex illa probaret, posse Intellectum nostrum creatum vide- *Ad 2. arg.* *Obiectio.*

re

Solutio. re Deum per essentiam : Respondetur, ex illa propositione aliud sequi demonstratiuè ; aliud vero tantùm congruenter , suppositâ Fide ; possibilitas enim cognoscendi Deum abstractiuè in ratione primæ causæ ; sequitur demonstratiuè ; possibilitas autem videndi Deum clarè, tantum sequitur congruenter : vnde D. Thomas noluit hanc veritatem demonstrare , quia vt de Fide indemonstrabilis est , sed congruentiam illius ostendere, sicut tertia parte, quæstione prima, articulo primo, ex illa propositione, Bonum est diffusiuum sui, probauit Incarnationem, non demonstratiuè, sed congruenter ; quia ex illa propositione demonstratiuè tantùm sequitur diffusio , siue communicabilitas Dei ad intra, siue per creationem ad extra ; communicabilitas autem per vnionem hypostaticam tantùm sequitur congruenter , supposito facto, quod ostendit Fides. Similiter 4. contra Gentes capitulo 79. ex appetitu animæ ad corpus, probauit resurrectionem mortuorum ; hoc quidem tantùm congruenter , quia ex tali appetitu tantùm sequitur euidenter possibilis vnio absolutè, non autem reunio, vt suprà dictum est: sequitur tamen congruenter , suppositâ Fide resurrectionis.

Ad 3. arg. Ad tertium respondetur, non semper perfectionem simpliciter inferioris conuenire etiam superiori, quia incorruptibilitas conuenit cœlo , & non homini, *2. Solutio.* qui superior est. Vel dicitur, aliam esse rationem de sensu , atque de Intellectu ; nam sensus cùm sit materialis , versatur circa singularia , & sic non est distinctio obiecti adæquati, & proportionati, sed est idem : vnde si clarè aliquid potest videre sui obiecti, similiter & omne clausum sub illo, quia par est ratio , & nulla est distinctio illorum ; in obiecto autem Intellectus propter suam spiritualitatem , vt dictum est , reperitur talis extensio , vt distinguatur in proportionatum & adæquatum & extensiuum ; vnde manet locus, vt possit intuitiuè & clarè videre proportionatum , extensiuum autem & adæquatum propter sui excellentiam & eminentiam tantùm connotatiuè , & abstractiuè, si solùm in lumine naturali sistamus ; vnde huiusmodi possibilitas videndi clarè solùm restat per Fidem cognoscenda.

Ad 4. arg. Ad quartum argumentum respondetur , quòd huiusmodi capacitas non distinguitur realiter ab ipsa entitate naturali Intellectus , distinguitur tamen formaliter vel modaliter ; vnde licèt entitatiue sit aliquid naturale , ex parte autem termini quem respicit, est supernaturalis ; qui ergo comprehendit naturam Intellectus, non inde cognoscit potentiam obedientialem , & capacitatem eius , quæ in ordine ad terminum supernaturalem consideratur , nisi ipsum terminum supernaturalem cognoscat ; sicut licèt Petrus per suam entitatem sit similis Paulo , non tamen qui cognoscit entitatem Petri , cognoscit similitudinem, si non cognoscat Paulum : ita similiter in præsenti . Cùm ergo lumine naturali, etiam Angelico, visio clara Dei supernaturalis cognosci non possit, proinde nec capacitas ad talem visionem , etiamsi Intellectus ab illo comprehendatur : vnde quando dicitur, comprehendere, esse , quando cognoscitur à prima potentia vsque ad vltimum actum, debet intelligi de potentia naturali explebili per causas naturales , non autem de potentia obedientiali tantùm complebili per agens supernaturale.

Ex dictis sequitur , nihil valere limitationem Vazquez , quòd etiam si lumine naturali sit cognoscibilis possibilitas clarè videndi Deum , non tamen de facto cognoscitur, nisi adueniente Fide : Hæc enim limitatio nihil valet , nam si in re est cognoscibilis naturaliter , nullum absurdum sequitur , quòd de facto demonstretur . Et si iudicat Vazquez absurdum, quòd de facto demonstretur ; idem debet iudicare sequi ex eo quod naturaliter sit demonstrabile . Eo vel maximè , quòd si demonstrabile est naturaliter , si non homo , tamen Angelus de facto demonstrabit , cùm comprehendat quidquid naturaliter est cognoscibile. *Corol. cõtr. Vazquez.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm vnus homo possit esse beatior altero.

AD secundum sic proceditur . Videtur quòd vnus homo alio non possit esse beatior . Beatitudo enim est præmium virtutis,

tis, vt Philosophus dicit in primo Ethicorum, sed pro operibus virtutum omnibus æqualis merces redditur; dicitur enim Matthæi vicesimo, quòd omnes qui operati sunt in vinea, acceperunt singulos denarios: quia (vt dicit Gregorius) æqualem vitæ æternæ retributionem sortiti sunt: ergo vnus non erit beatior alio.

4. d.49.q. 1.a.4.q.2. c.9. tom.5.

Homi.19. in Euan. parũ ante me.

2. Præterea. Beatitudo est summum bonum: sed summo non potest esse aliquid maius: ergo beatitudine vnius hominis non potest esse alia maior beatitudo.

3. Præterea. Beatitudo cùm sit perfectum & sufficiens bonum, desiderium hominis quietat: sed non quietatur desiderium, si aliquod bonum deest quod suppleri possit: si autem nihil deest quod suppleri possit, non poterit esse aliquid aliud maius bonum: ergo vel homo non est beatus, vel si est beatus, non potest alia maior beatitudo esse.

Sed contra est quod dicitur Ioannis 14. In domo Patris mei mansiones multæ sunt; per quas, vt Augustinus dicit, diuersæ meritorum dignitates intelliguntur in vita æterna: dignitas autem vitæ æternæ, quæ pro merito datur, est ipsa beatitudo: ergo sunt diuersi gradus beatitudinis, & non omnium est æqualis beatitudo.

De S. Virgine, c.26. tract.67. in Ioan. ante med. to.5.

Respondeo dicendum, quòd sicut suprà dictum est, in ratione beatitudinis duo includuntur, scilicet ipse finis vltimus, qui est summum bonum, & adeptio vel fruitio ipsius summi boni. Quantum igitur ad ipsum bonum, quod est beatitudinis obiectum & causa, non potest esse vna beatitudo alia maior, quia non est nisi vnum summum bonum, scilicet Deus, cuius fruitione homines sunt beati: sed quantum ad adeptionem huiusmodi boni, vel fruitionem, potest aliquis alio esse beatior; quia quanto magis hoc bono fruitur, tanto beatior est. Contingit autem, aliquem perfectiùs frui Deo, quàm alium, ex eo quòd est meliùs dispositus vel ordinatus ad eius fruitionem, & secundùm hoc potest aliquis alio beatior esse.

q.1.a.8. & q.2.ar.7.

Ad Primum ergo dicendum, quòd vnitas denarij significat vnitatem beatitudinis ex parte obiecti; sed diuersitas mansionum significat diuersitatem beatitudinis secundùm diuersum gradum fruitionis.

Ad secundum dicendum, quòd beatitudo dicitur esse summum bonum, in quantum est summi boni perfecta possessio siue fruitio.

Ad tertium dicendum, quòd nulli beato deest aliquod bonum desiderandum; cùm habeat ipsum bonum infinitum, quod est bonum omnis boni, vt Augustinus dicit: sed dicitur aliquis alio esse beatior, ex diuersa eiusdem boni participatione: additio autem aliorum bonorum non auget beatitudinem: vnde Augustinus dicit

Epist.56. parum ante medium to.2

& 13. de Trinit.c.7. tom.3.

Lib. 5. conf. cap. 4. circa princ. tom. 1. *cit in 9. † confeſ. Qui te & alia nouit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolum beatus.*

1. Concl. Prima concluſio. Loquendo de beatitudine obiectiua, omnino eſt in beatis æqualis.

2. Concl. Secunda concluſio. Loquendo de beatitudine formali, eſt inæqualitas, & vnus eſt beatior altero.

3. Concl. Tertia concluſio. Nulli beato reſtat aliquid appetendum, ſed appetitus eius omnino eſt ſatiatus.

Not. Circa primã concluſionẽ D. Th. notã dũ, illam nõ eſſe intelligẽdã de beatitudine naturali, ſed vt conſtat ex rationibus D. Th. de ſupernaturali, quia cũ beatitudo naturalis huius vitæ nõ conſiſtat in aliquo obiecto ſimplici & indiuiſibili, ſed cõpleatur & reſultet ex collectione diuerſorũ bonorũ, etiam ex parte obiecti, inde eſt, habere latitudinẽ, & poſſe eſſe maiorẽ in vno, quã in alio, etiam ex parte obiecti, quia vnus poteſt habere plures ſcientias vel plura bona ex his quæ cõſtituũt beatitudinẽ naturalẽ obiectiuã: intellecta verò cõcluſio de beatitudine ſupernaturali, eſt de Fide, vt patet ex parabola Matth. 20. de vnico denario cõceſſo laborantibus in vinea; nomine enim denarij intelligitur obiectiua beatitudo, vt explicat D. Th. hìc ad 1. & 3. cõt. Gẽt. c. 58. D. Greg. lib. 4. dialogorum, c. 35. & alij plures, & cõmuniter Scholaſtici in 4. d. 9. & 1. p. q. 12. ar. 6. & ratione probatur, nã inæqualitas beatitudinis obiectiuę dupliciter deberet eſſe. Primò, vt obiectũ beatitudinis in vno eſſet Deus, in alio verò aliquid creatũ, ſecundò ſic, quòd licèt vtriuſque Deus eſſet obiectũ beatificũ; vnus tamẽ videret illũ ſecundũ omnia quæ formaliter ſunt in eo; alius verò tantũ ſecundùm aliqua. Sed vterq; modus eſt impoſsibilis: ergo & quòd beatitudo obiectiua ſit inæqualis. Minor probatur quoad primã partẽ, quia vt ſupra dictum eſt, nihil creatũ poteſt eſſe obiectũ beatificũ. Secũda etiam pars probatur, quia vt patet, 1. Ioan. 3. beati vident Deũ ſicuti eſt, clarè & intuitiuè: ergo neceſſario quilibet omnia quę formaliter ſunt in eo videt, & impoſsibile eſt non aliquid intueri, & non videre quod formaliter eſt in eo. Itẽ etiã, quia Deus eſt obiectũ indiuiſibile: ergo vel totus videtur, vel totus non videtur: quia indiuiſibile vel totũ attingitur, vel nihil attingitur. Et ſi contra facias argumentum, quia tertio modo poteſt eſſe inæqualitas: ergo ratio facta eſt inſufficiẽs. Antecedens probatur, quia per hoc poteſt eſſe quòd aliquis plus videat, quam alius in Deo eorum quæ eminenter ſunt in ipſo: quare ergo ſi aliquis plura videret eorum quæ formaliter ſunt in Deo, haberet inæqualẽ beatitudinem obiectiuã, & nõ etiam qui plura videt eorũ quæ eminenter ſunt in Deo? Reſpondetur, quòd qui minus videret eorũ quæ ſunt formaliter in Deo, tẽderet ſub diuerſa ratione formali, quia tenderet nõ cõnotatiuè & non intuitiuè, quia vt dictũ eſt, nõ poteſt intuitiuè videri res ſimplex & indiuiſibilis & nõ tota videri; vnde per hoc obiectiuè eſſet inæqualitas. Per hoc autẽ quòd aliquis videat plura eorũ quæ ſunt eminenter, non eſt diuerſa ratio formaliter tendẽdi; quia licèt vterque intuitiuè tendat, poteſt plura vel pauciora eminẽtiũ videre per diuerſitatẽ luminis, quatenus perfectius vel imperfectius manifeſtat Deum: hæc autẽ inæqualitas tantùm eſt ex parte potentiæ, ex parte cuius ſe tenet lumen; vnde hæc inæqualitas pertinebit ad beatitudinem formalem, non verò obiectiuam.

Obiectio.

Solutio.

DVBIVM. I.

Vtrùm ſecunda concluſio D. Thomæ verum habeat.

PRobatur quòd non. Primò, beatitudo formalis eſt præmiũ meritorũ: ſed præmium eſt omnium æquale: ergo & beatitudo formalis. Minor probatur ex illo Matth. 20. de omnibus eodẽ denario collato ſignante præmiũ, quòd laboratibus in Eccleſia confertur, ſecundùm omniũ ſanctorum explicationem. *1. Arg.*

Secundò arguitur. Beatitudo formalis ſpecificatur ab obiectiua: ſed iſta eſt æqualis, vt dictum eſt, ergo & illa. Si reſpondeatur, hoc probare de beatitudine formali in ſpecie, non autẽ in indiuiduo: Contrà arguitur, quia conuincit de beatitudine etiam in indiuiduo eſſentialiter ſumpta, licèt non accidentaliter; vnde nõ erit verum, quod eſſentialiter indiuidualiter ſit inæqualis; cùm ſpecificatiuum eſſentiale ſit idem. *2. Art.* *Solutio.* *Impugn.*

3. *Arg.* Tertiô arguitur. Species intelligibilis in omnibus beatis est omnino eadem, nē pe essentia diuinavnita in ratione speciei: ergo & cognitio omnino est eadem, & cō sequenter beatitudo formalis; quia in ta li cognitione cōsistit, vt supra dictū est, Consequentia probatur, nam perfectio operationis ex suo principio consideratur: cū ergo species intelligibilis sit prin cipiū cognitionis, cognitionis perfectio ex specie debet desumi. Si respondeatur, *Solutio.* speciem intelligibilem nō omnino se ha bere in omnibus secundùm vnionē, quia vnitur mediante lumine gloriæ dispone te & constituente rationem potentię po tentis recipere talem speciem; vnde exdi uersitate luminis diuersimodè se habet vnio essentiæ diuinæ in ratione speciei: *Impugn.* Contrà arguitur, nam respectu eiusdem formæ specificæ eadem omnino est dis positio, vt respectu cuiuscunque formę ignis est dispositio calor vt octo: ergo si lumen gloriæ est dispositio ad vnionem essentiæ diuinæ; cùm hæc sit eadem for ma specifica in omnibus, eadem dispositio erit, similiter & idem lumen gloriæ.

4. *Arg.* Quartò arguitur. Quilibet beatus cō prehendit diuinam essentiam: ergo non est inęqualitas in visione illorum. Conse quentia patet, nam secundùm Aug. lib. de videndo Deum, epistola 112. compre hendere est, quod nihil lateat videntem eorum quæ sunt in re visa: ergo si quili bet comprehendit, nō manet ex quo pos sit desumi inæqualitas visionis, quia non manet aliquid vidēdum ab vno, quod nō sit visum ab alio. Antecedens probatur, primò. Quilibet beatus videt omnia quę formaliter & eminenter sunt in Deo: er go comprehendit ipsum. Consequentia patet; nam hoc requiritur ad comprehen dendum, vt dicitur 1. p. q. 12. Antecedens verò probatur, nam quilibet beatus intel ligit per essentiam diuinam vnitam in ratione speciei: ergo cognoscit quidquid per talem speciem repræsentatur. Certū est autem, quòd repræsentantur, tam ea quæ formaliter, quàm quæ eminenter sunt in Deo: ergo qui per talem speciem cognoscit, omnia cognoscit. Secūdò pro batur idem antecedens principale, nam qui videt speculum, necessario intuetur omnia quæ in illo repræsentantur: sed creaturæ omnes & Dei attributa & per fectiones apparent in Deo, vt in speculo mundissimo: ergo qui videt Deum, omnia illa in illo intuetur. Tertiò probatur idem antecedens. Qui cognoscit quidditatiuè aliquam cognitionem, vel potentiam, cognoscit consequenter obiectum cognitionis vel potētiæ: sed quilibet beatus quidditatiuè cognoscit cognitionem Dei, & potētiam factiuam eius: ergo cog noscit quilibet beatus omnia possibilia, ad quæ talis cognitio vel potentia termi natur, vt ad obiectum. Quartò probatur idem antecedens, nam quilibet beatus vi det ideas omnium rerum: ergo videt om nia quæ eminenter sunt in Deo, quia cō tinentia eminentium est in ideis. Antece dens verò probatur, nam ideæ sunt for maliter in Deo: ergo quicumque beatus videt ideas, quia quicumque beatus vi det omniaque formaliter sunt in Deo. Nec valet solutio D. Thom. 1. p. q. 12. ar. 7. quod licèt quilibet beatus videat to tum quod formaliter est in Deo, non ta men totaliter; quod requirebatur ad cō prehensionem. Non (inquam) valet, quia si hoc requireretur, nec Angelus com prehenderet formicam, quia non totali ter videt illam, cùm alia cognitio supe rior, nempe Dei, melius formicam in tueatur.

Solutio. *D. Thom.* *Impugn.*

In hac re Iouinianus Hæreticus, vt re fert D. Hier. lib. 2. contrà ipsum, tenuit, omnes homines æqualiter futuros esse beatos, fundamentum eius erat duplex. Primum, quia omnium peccata sunt æqualia; similiter & merita; vnde conse quenter & præmia. Secūdum, quia in sa cra Scriptura tantùm fit mentio sepa rationis, siue damnatorum; siue saluando rum inter ipsos. Hūc errorem sequutus est Lutherus sermone de Natiuitate Vir ginis, quia, vt refert Soto 2. de natura & gratia & in 4. d. 49. q. 3. art. 2. & Valentia hîc disput. 1. quæst. 9. puncto 3. docuit, omnes beatos æquare in gloria cum bea tissima Virgine. Fundamētum illius erat quia iustificatio fit ab extrinseco per ex trinsecam imputationem iustitię Christi Domini, & cùm hæc sit eadem, consequē ter & omnium iustificatio æqualis, ac proinde & omnium gloria, quæ iustitiæ animæ correspondet. Impugnatio hor um fundamentorum suam propriam se dem habet alibi. De primo fundamen to Iouiniani infrà quæstione 3. De se cundo fundamento, quæstione 114. De fundamento Lutheri quæst. 113.

Iouinian. refert D. Hier. *Luth. vt refert Soto & Valentia.*

Pro

Vide 1.

Pro intelligentia notandum, quòd aliqua forma potest habere maiorem vel minorem perfectionem dupliciter. Primò, accidentaliter secundum aliquam extensionem, vel alia huiusmodi. Secundò essentialiter, & hoc dupliciter. Primò, forma considerata specificè comparatione ad alias formas aliarum specierum; vt calor v.g. perfectior est in sua specie, quàm frigiditas. Secundo autem modo intra eandem speciem potest forma esse magis vel minus perfecta essentialiter indiuidualiter per meliorem participationem in subiecto; vt dicit Caietanus, vnam animam esse alia essentialiter indiuidualiter perfectiorem; & Magister Bañez 2. 2. quæst. 4. art. 5. dicit, Charitatem vnius esse perfectiorem essentialiter Charitate alterius. Essentialiter (inquam) indiuidualiter; non specificè: in præsenti ergo non est dubium, quin beatitudo formalis in sua specie sit omnium aliarum formarum perfectissima, & quòd se ipsa in sua specie nullam habeat inæqualitatem, sed sua essentia consistat in indiuisibili, hoc est, in clarè videndo Deum; dubitatur autem, vtrùm essentialiter indiuidualiter habeat inæqualitatem; nam quòd habeat inæqualitatem accidentalem, nulli dubium.

Caiet.

Bañes.

Not. 2.

Secundò notandum, hìc debere præsupponi, Deum esse incomprehensibilẽ, & quid sit comprehensio; nam hoc non pertinet ad istam materiam, sed suam sedem habet 1. p. q. 12. art. 8. vbi ad longũ agitur contra Vazquez ibi disp. 5. & 53. qui circa comprehensibilitatem singularis est in sua sententia, nos in illo loco agemus contra illum; modò autem videatur impugnatio eius in Lorca hic, disp. 33. vbi optimè de hoc loquitur.

Vazquez.

1. concl.

Ioan. 14.

Prima conclusio. Beatitudo est inæqualis in beatis. Hæc conclusio est de Fide, vt patet Ioan. 14. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, quem locum de diuersitate beatitudinis explicat Irenæus lib. 8. aduersus hæreses. Hilar. in illud Psalm. 64. Beatus homo quẽ tu erudieris, Dñe, & Aug. lib. de sancta virginitate, cap. 26 & tractatu 27. super Ioannem, D. Greg. lib. 9. Moral. cap. 89. & lib. 35. cap. 24. Cyrill. lib. 9. in Ioannem, cap. 3. Basil. lib. de Spiritu sancto, cap. 16. Hieronym. lib. 2. contra Iouinianum. c. 15. Nec valet solutio Iouiniani, quòd ibi loquatur Christus Dominus de diuersis Ecclesijs, quæ sunt in terra, non autem de aliqua diuersitate quæ sit in Patria; non (inquam) valet, quia vt impugnat Hiero. patet ex cõ textu, non loqui in hac, sed in altera vita, nam statim subdit: Vado parare vobis locum, & iterum veniam & accipiam vos ad me ipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. Ac si diceret, vt explicat Ambros. lib. de bono mortis, cap. 2. vt gloria & visione Dei, in qua ego sum, vos fruamini. Nec rursus valet dicere, per diuersitatem mansionum significari diuersitatem beatorũ, non autem beatitudinis illorum. Non (inquam) valet, quia mansiones non significãt personas, sed statum & habitaculum illorum. Item etiam patet conclusio ex illo 1. ad Corint. 14. Sicut stella differt ab stella in claritate, sic erit & resurrectio mortuorũ. Et rursus, Alia est claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum; quem etiam locum de inæqualitate beatitudinis communiter explicant Doctores & Sancti, specialiter Origenes homilia 2. super Numeros, & D. Chrysostom. contra vituperatores vitæ monasticæ. & D. Ambros. lib. de bono mortis, c. 11. & D. Aug. lib. de Spiritu & litera, c. 28. Et licèt ille locus loquatur de diuersitate gloriæ corporum, quorum altera fulgebunt vt Sol, alia vt Luna: tamen à posteriori ex ipso concluditur inæqualitas beatitudinis animę, quia gloria corporis confertur iuxta mensuram gloriæ animæ; cùm ex illa deriuetur. Secundò etiam probatur conclusio ex definitione Concilij Florentini sessione vltima, vbi hęc veritas definitur in decreto Fidei. Similiter in Concilio Thelensi, Cui præfuit D. Ambros. vt colligitur ex lib. 16. epistolarum, epistola 81. Plura alia loca Sanctorum videantur in Bellarmino, tomo 3. lib. 3. de iustificatione, cap. 16. & in Valentia 1. 2. disp. 1. q. 5. punct. 3. Ter tiò probatur ratione. Præmium beatitudinis correspondet meritis: sed merita sunt inæqualia: ergo & præmiũ beatitudinis. Maior probatur de Fide 1. ad Corint. 3. Vnusquisque propriam mercedẽ accipiet secũdùm suum laborem, & 2. ad Corint. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bona, siue mala. Et ad Rom. 2. Qui reddet vnicuique secundùm opera eius. Minor etiam de Fide est, vt 1. & 2. ad Corint. 9. Qui parcè seminat, parcè & me-

D. Irenæus

D. Hilar.

D. Aug.

D. Gregor.

D. Cyrill.

D. Basil.

D. Hieron.

D. Amb.

1. ad Cor. 14

Origenes.

D. Chrysost.

D. Ambro.

D. Aug.

Conci Flor.

Conci. Thelense.

Bellarm.

Valentia.

1. ad Cor. 3.

2 ad Cor. 5.

Rom. 2.

2. ad Cor. 9.

8: metet, & qui seminat in benedictionibus, in benedictionibus & metet. Et vtraque præmissa est definita in Conc. Trid. sess. 6. de iustificatione, cap. 16. *Conc. Trid.*

Notandum tamen, quòd quando dicimus, beatitudinem formalè esse inæqualem, solùm est intelligendum in hoc sensu, quòd beatitudo secundùm se non dicit nec requirit æqualitatem in omnibus beatis, sed potest esse, & de facto reperitur inæqualitas inter illos; non autè necesse est omnes esse inæquales, quia multi sunt æquales in gloria. In primis hoc patet de pueris decedentibus ante vsum rationis, solùm cùm baptismo; cũ enim gloriam consequantur per merita Christi, & non per propria, cùm illa sint eadem respectu omnium, similiter & gloria illorum qui solùm per talia merita cõsequuti sunt gloriam. Nec hęc ratio currit de pueris decedentibus in lege veteri cum sola circuncisione, vel alio Sacramento in lege naturæ: licèt enim illi inter se æqualem gloriam sortiantur, non tamen si ad pueros baptizatos in lege noua comparentur, quia cùm Sacramentũ baptismi conferat maiorem gratiam, quã circuncisio, consequenter & isti obtinẽt maiorem gloriam; cum gratia sit ius & semen gloriæ. Licèt ergo merita Christi Domini respectu vtrorunque puerorũ sint eadem, inæqualiter tamen participantur per inæqualitatem Sacramentorum; per quę talia merita applicantur; quibus tamen idem Sacramentum confertur, eadem omnino est applicatio. De adultis autem nihil certum potest determinari, sicut enim nemo prædestinatorũ certus esse potest, sed solum reseruatur diuino iudicio; ita & quantitas gloriæ vniuscuiusque; solùm enim spirituum ponderator est Dominus. Dicimus autẽ, secundùm legem & naturam beatitudinis nullam esse repugnantiam, sed quòd plures æquales reperiri possunt, quia nulla est repugnantia, quin auxilia æqualia omnibus cõferantur, quibus merita sunt æqualia, & consequenter gloria. Et si cõtra arguas cum Paludano, qui tenet oppositum in 4. d. 4. quæst. 1. artic. 1. nam vt dicit D. Gregor. homilia 34. super Ezechi. (& est communis loquutio) homines assumuntur ad gloriam & sedes Angelorum, sed gloria Angelorum est inæqualis, ita vt nullus haberet æqualem gloriam cum altero: ergo dicendum erit de hominibus idem. Minor probatur, nam, vt docet D. Thom. 3. part. quæst. 62. art. 6. gratia collata fuit Angelis secundùm capacitatem naturalem illorum: capacitas autem naturalis nulla erat ęqualis cũ alia, quia vt docet D. Thom. 1. p. quæst. 50. art. 4. omnes Angeli differunt specie, gratia ergo erat inęqualis in omnibus, & consequenter gloria. Si ergo homines ad gloriam amissam illorum assumuntur, consequenter omnium erit inęqualis, ita vt nullus ęqualis inueniatur cum altero: Respondetur tamen, illud commune dictum D. Gregor. debere intelligi ad bonum sensum, quòd prędestinati assumũtur ad gloriam amissam Angelorum; nõ quia si ipsi non caderent, homines non ascenderent; quia prędestinatio hominum nullomodo dependet ex ruina Angelorum, nec etiam occasionaliter; nec quòd etiam assumantur ad ęqualitatem gradus amissi ab Angelis; quia multi prędestinati excedunt supręmum Angelũ, vt beata Virgo; & multi alij non attingunt gradum infimi Angeli, vt credo cõtingere in pueris decedentibus cum solo baptismo. Qui plura desiderat de hac conclusione, videat Belarminum tom. 3. lib. 3. de iustificatione, cap. 16. Castro lib. 3. aduersus Hęreses, verbo beatitudo, hęresi 6. & Vega super Conc. Trindenti num lib. 2. cap. 4. & deinceps. *D. Thom.* *Solut.* *Belarmin.* *Castro.* *Vega.*

Secunda conclusio. Inęqualitas beatitudinis non est solùm per extrinsecas relationes, quę per species infusas extra Verbum liberè habentur, vel per eleuationem ad aliquam dignitatem, ad quam vnus & non alius assumatur, vt explicat Durand. in 4. d. 47. q. 2. num. 25. Neque etiam est inæqualitas in gradu essentiali & specifico, ita vt vna beatitudo si alterius speciei ab alia, per hoc quòd species intelligibilis sit diuersę speciei in vna & in alia, vt volebat Marsil. 3. p. q. 2. art. 2. vel propter infinitam cognoscibilitatem obiecti, qua ratione diuersimode specificè possit attingi ab vno, vel ab alio, & volebat Paludan. in 4. d. 49. q. 1. artic. 1. sed prędicta inęqualitas beatitudinis est essentialis, indiuidualis per maiorem intẽsionem in subiecto, & maiorem penetrationem obiecti. Prima pars conclusionis patet, nam ponere inęqualitatem in extrinsecis, non sufficit vt absolutè beatitudo dicatur inæqualis, vt dicitur à D. Thom. & in locis sacræ Scripturæ adductis, *2. Concl.* *Durand.* *Marsil.* *Palud.*

Obiectio. *D. Gregor.*

ctis. Secunda verò pars etiam patet, nam omnes beati intelligunt per eandem speciem intelligibilem, scilicet essentiam diuinam vnitam Intellectui illorum, vt docet D. Th. 1. p. q. 12. art. 2. obiectumque
D. Thom. formaliter est idem, nempe diuina essentia clarè visa, lumenq; gloriæ, quod est principiũ intelligendi ex parte potẽtiæ eiusdẽ rationis est in omnibus, cũ sit specialis deriuatio & communicatio diuini Intellectus: supponit ergo Marsil. falsũ, & non potest assignari ex quo desumatur differentia specifica inter vnam & alteram beatitudinem. Tertia verò pars cõclusionis probatur. Vnus beatus videt Deum perfectius altero: ergo est inæqualitas essentialis indiuidualis. Patet consequentia, nam videre Deum, pertinet ad essentiam beatitudinis: ergo inæqualitas visionis est inæqualitas essentialis, si non specifica, tamen indiuidualis. Antecedẽs verò probatur, quia Deꝰ cũ sit infinitus, à nullo beatorum cõprehenditur: ergo citra comprehensionem manet locus, vt vnus alio intensiùs & perfectiùs possit videre. Secundò probatur idem antecedẽs, nam visio est iuxta quantitatem luminis gloriæ, vt statim dicetur: sed lumen gloriæ est inæquale: ergo & visio. Minor probatur, tùm quia lumen est qualitas intensibilis & remissibilis; tùm etiam, quia lumen cõfertur in præmium inæqualiũ meritorũ, ac proinde debet esse inæquale sicut & ipsa merita. Itaq; licèt in substantijs tantùm sit opinio probabilis Caiet. posse reperiri inæqualitatẽ essentialem indiuidualẽ, vt posuit inter vnam & alterã animam rationalẽ; tamen in accidentibus omnino est certa sententia Philosophorum, esse talẽ inæqualitatem essentialẽ indiuidualem tantũ per maiorẽ radicationem in subiecto: & in accidẽtibus respectiuis vel habentibus rationẽ potẽtiæ,
D. Thom. cõsistit in magis vel minus perfectè attingere obiectũ: qua ratione dixit D. Th. infrà, loquẽdo de intensione habituum, quòd propriam vocẽ ignorat, qui dicit, quòd quando albedo v. g. intenditur, nõ perficitur secundũ essentiam. Certũ est autẽ, non posse intelligi D. Th. de perfectione essentiali specifica, quæ etiã in accidentibus in indiuisibili consistit, sed de perfectione essentiali indiuiduali.

3. Concl. Tertia conclusio. Ista inæqualitas non est per hoc quòd aliquis beatus videat alia attributa, quæ alius non videt; quia quilibet beatus videt omnia attributa, & ea quæ formaliter sunt in Deo. Hæc conclusio probatur. Diuina attributa, & quę formaliter sunt in Deo, sunt essentialiter ipse Deus: ergo est impossibile non videre omnia illa, qui clarè videt Deum. Patet consequentia, nam sicut est impossibile videre albedinẽ, & nõ videre colorem, quia formaliter sunt idem; si omnia attributa formaliter sunt ipse Deus, & quodlibet attributũ formaliter est aliud, quia non formaliter, sed tantùm eminenter & virtualiter distinguuntur, vt dicitur 1. p. materia de Trinit. impossibile erit clarè videre Deum, & non videre simul omnia quæ formaliter sunt in illo. Secundò probatur. Si quilibet beatus non videret omnia quæ formaliter sunt in Deo, maximè propter eorũ infinitatẽ: sed hæc ratio est nulla: ergo. Minor probatur, nam etiã & attributũ quodlibet est infinitũ; immò nõ minꝰ infinitũ, quã aliud & omnia simul: ergo si infinitas nõ tollit videre vnũ, nõ tollit videre omnia: eo vel maximè, cꝙ numerus attributorũ finitꝰ est.

Quarta conclusio. Inæqualitas beatitu 4. Concl.
dinis cõsistit ex parte obiecti in eo, quòd vnus beatus videat in Deo plures creaturas possibiles, quàm alius; quod quidẽ est intensiuè magis cognoscere Dei attributa: itaq; licèt attributa secũdùm se cõsiderata, vt aliquid formaliter in Deo ab omnibus æqualiter videntur; considerata tamen in ordine ad creaturas possibiles & secundùm eminẽtiã taliũ attributorum, perfectiùs cognoscitur ab vno, quàm ab alio: & hoc est Deũ perfectiùs cognoscere, & in beatitudine essentiali indiuiduali habere inæqualitatem ex parte obiecti. Hæc conclusio probatur. Creaturæ sunt in Deo vt in causa & principio: sed non oportet vt cognito principio vel causa, cognoscantur omnes effectus vel cõclusiones: ergo bene potest videns Deũ, non videre omnes creaturas in illo, & sic vnꝰ alio plures vel pauciores videre. Quòd autẽ cognoscere plures vel pauciores creaturas possibiles, sit perfectiùs vel imperfectiꝰ essentialiter indiuiduliter cognoscere ipsum Deũ, patet, quia cũ Deꝰ cõparetur ad creaturas possibiles, vt principiũ & causa, & melior cognitio causæ secũdũ D. Th. in eo consistat, quòd in illa plures effectus videantur, & melior cognitio principij, quòd in illo plures cõclusiones videantur; inde est, quòd qui plura

visibiliũ in Deo videt, perfectiùs videat ipsam. Et si cõtra arguas. Videre in Deo plura existentiũ in æternitate, nõ est melius essentialiter videre illũ: ergo nec videre plura possibiliũ: Cõsequẽtia patet, quia nõ videtur maior ratio existentiũ, qu possibiliũ. Antecedẽs probatur, quia minor beatus potest videre plura existẽtiũ, quã maior beatus; quia, vt ait D. Th. quilibet beatus videt omnia quæ spectãt ad propriũ statũ: possunt autẽ ad statum minoris beati pertinere plura existentiũ quã ad statũ maioris beati, vt v.g. plura existentia possunt pertinere ad statũ D. Francisci, cuius tãta est familia, quã pertineat ad statum alicuius maioris Sancti Anachoretæ. Respõdetur primò, beatitudinẽ essentialẽ semper crescere ex visione pluriũ effectuũ in Deo, siue existẽtiũ, siue possibiliũ; vnde beatior semper plura videt, siue istorũ, siue aliorũ effectuũ: vnde si ad statũ minoris Sancti pertinent plura existentiũ, hoc resarcitur in magis beato per visionẽ pluriũ possibiliũ. Secũdo respondetur, ad beatitudinẽ essentialẽ maiorẽ, nõ facere videre plura existẽtiũ, sed possibiliũ; vnde bene potest minus beatus plura existentiũ videre. Et si quæras, quare plura existentiũ videre, non faciat ad maiorẽ beatitudinẽ essentialẽ, cũ ad hoc faciat cognitio possibiliũ: Respõdetur, quòd possibilia habent necessariã & naturalẽ connexionẽ & continentiam cũ Deo; existentia verò tantũ habent cõnexionẽ liberã, quia posset Deus illa non facere; & sic esse à libertate Dei habent: cognitio ergo substantialis alicuius causæ non cõsistit in cognoscendo ea quæ contingenter continentur in illa, sed ea quæ naturaliter in illa cõtinentur. Et si contra dicas, quod cognitio substantialis causæ consistit in cognitione eorũ quæ necessariò sunt in illa causa: cognitio tamen causæ liberæ & contingẽtis substãtialiter erit maior, cũ ad plura cõtingentia & liberè cõtenta in tali causa se extẽderit: Respõdetur, quòd substãtialis cognitio causæ liberæ nõ cõsistit in eo quòd quis cognoscat in particulari vel in exercitio ista vel illa facta à tali causa, sed in eo quòd quis cognoscat habitualiter liberã & contingentẽ ad proprios effectus; quod est cognoscere tendentiã liberã in actu signato, non autẽ exercito, vt hic & nunc: talis autẽ tendẽtia libera in actu signato consideratu, non libera, sed necessaria est tali causæ: Deus ergo licèt per omnipotentiã ad omnes effectus comparetur vt causa libera, aliter tamen ad possibilia, quã ad existentia; nã ad possibilia cõparatur secundũ habitudinẽ liberã in actu signato, quæ vtiq; necessaria & naturalis est in Deo, quia vnũ ex essentialibus Dei est, esse liberũ ad extra: ad existẽtia verò cõparatur secũdũ libertatẽ exercitã, quæ non necessaria, sed libera est in Deo, & posset non esse: substãtialis ergo & essentialis cognitio Dei crescit vel minuitur per cognitionem possibilium, nõ verò existentium.

Obiectio.

Solutio.

Solutio. 2.

Quæstio.

Solutio.

Obiectio.

Solutio.

Ex dictis in hac conclusione sequitur, quòd inæqualitas ex parte obiecti posset esse in triplici sensu. Primò, quòd obiectũ esset diuersum, vt si respectu vnius beati esset bonũ increatũ, & respectu alterius esset bonũ creatũ. Secundò, quòd vnus beatus videret in Deo omnia quæ formaliter sunt in illo, alius verò quatuor attributa; alius verò tria. Tertio modo per hoc quòd vnus nõ tot videt & ex possibilibus, sicut alter, quod est non tantũ penetrare & intensiue cognoscere de obiecto, sicut alter. Primo ergo & secundò modo beatitudo ex parte obiecti est æqualis, & in illo sensu loquitur D. Th. in prima conclusione: tertio autẽ modo loquimur nos in tertia conclusione: quòd quidẽ non est ponere inæqualitatem propriſsimè ex parte obiecti: sed propriè ex parte potentiæ, nã ex inæqualitate potẽtię per lumen cõstitutiuũ illius prouenit hęc inęqualitas, & maior vel minor penetratio.

Corolla.

Quinta conclusio. Ex parte potẽtiæ inæqualitas beatitudinis proximè desumitur ex inæqualitate meritorũ, quibus in præmiũ lumen gloriæ cõfertur. Hæc probatur. Potentia intellectiua tantũ se potest extendere ex parte obiecti naturalis in ordine ad illud quod cadit sub lumine eius, quia respectu aliorũ nõ est potentia; cũ in esse potẽtiæ per lumẽ naturale cõstituatur: ergo similiter in ordine ad obiectũ supernaturale tãtũ se poterit extẽdere in ordine ad illud q̃ cadit sub lumine supernaturali gloriæ; quia similiter per tale lumẽ cõstituitur in esse potẽtiæ supernaturalis; posita ergo in æqualitate luminis, ponitur inæqualitas visionis, quia ab inæquali potentia æqualis actio esse non potest, si vtraque naturaliter agat, & secundùm vltimum potentiæ: lumen

5. Concl.

men autem gloriæ non subditur libertati beati, nec etiam quoad exercitium, vt supra dictum est, vnde si lumen est inæquale, necessario & visio. Et si contra dicas, quia omnia lumina beatorum sunt eiusdem speciei: ergo non potest plus cadere ex parte obiecti respectu vnius luminis, quàm vlterius, & sic quælibet potentia per suum lumen tantum poterit, sicut altera, & sic tantum faciet; quia facere, vt dictum est, non est liberum, sed necessarium: Respondetur, quòd vt omnia lumina sint eiusdem speciei, sufficit habere idem obiectum sub eadem ratione specifica Dei clarè visi; indiuidualiter tamen possunt habere inæqualitatem, & aliud lumen intensius & perfectius ostendere obiectum, quàm aliud lumen ostendat; vnde indiuidualiter essentialiter diximus beatitudinem esse inæqualem, non autem specificè. Vtrùm autem ista inæqualitas sumatur à lumine totaliter & adæquatè, an verò etiam ex parte potentiæ naturalis; quod aliter dicitur, vtrùm lumen sit tota ratio videndi, ita vt intellectus naturalis per suam inæqualitatem nihil faciat ad inæqualitatem, disputatur 1. p. q. 12. contra Caiet. dicentem 3. p. q. 10. art. 4. quòd cum æquali lumine gloriæ, posita inæqualitate ex parte Intellectus, erit inæqualis visio. Et interim hic videatur Lorca disp. 34. Nos verò intendimus, vnicuique disputationi propriũ locum tribuere, nec ab illo remouere, ne fiãt disputationes & quęstiones infinitę.

Obiectio. *Solut.* *Caiet.* *Lorca.*

Ad primũ argumentũ à principio respondetur, vt dictũ est, præmiũ specificè esse idem, indiuidualiter verò inæquale, etiam ex parte obiecti significati per denarium, quatenus obiectum melius vel perfectius videtur; denarius autem dicitur idem, quia Deus & obiectũ specificè & secundũ entitatẽ est idẽ, non autẽ quia eodẽ modo attingitur ab omnibus. Vnde circa explicationẽ parabolę de denario non est audiẽdus Vazq. 1. p. disp. 47. qui postquã cap. 3. protulit in mediũ explicationẽ omniũ sanctorũ, quod per denariũ intelligitur obiectũ beatitudinis, & Deꝰ beatificans, in cap. 4. audacter dicit, explicare se velle illã parabolã ex propria sententia, dicens debere intelligi de iustificatione & infusione primæ gratiæ, quam Deus diuidit singulis prout vult. Sed certè explicatio est noua, & aliena (ne dicam contraria) quia denarius ponitur vt præmium laboris, quod beatitudini, & non iustificationi omnino gratis collatæ potest conuenire, sed de impugnatione huius nouæ explicationis, & defensione veræ sententiæ sanctorum Patrũ, videatur ad longũ Lorca hic disp. 32. per totã, vbi optimè loquitur; quia nos intentũ Theologicum prosequimur, & in rescripturaria nolumus immorari.

Ad 1. arg. *Vazquez.* *Lorca.*

Ex dictis in hac quæstione sequitur, quod licèt D. Th. loquatur sub distinctione, quòd si beatitudo sumatur ex parte obiecti, est æqualis, si autem sumatur ex parte potẽtiæ, & pro beatitudine formali, est inæqualis; nihilominus absolutè loquendo, dicendũ est, beatitudinẽ esse inæqualẽ, quia denominatio sumitur à forma, vnde si beatitudo formalis est inæqualis, absolutè denominabitur inæqualis.

Corolar.

Ad secundũ respondetur, probare de inæqualitate specifica, nõ autẽ de indiuiduali. Ad replicã dicitur, quòd æqualitas essentialis indiuidualis nõ sumitur ex eo dẽ specificatiuo vtcunq; sed ex eodẽ modo, & in eadẽ intensione. Licèt ergo sit idẽ specificũ obiectũ, quia intensius & perfectiùs attingitur ab vno, quàm ab alio, nõ solum accidentaliter, sed essentialiter indiuidualiter est inæqualitas.

Ad 2. arg.

Ad tertiũ bene ibi responsum est. Ad replicam dicitur, quod eo modo quo forma est eadẽ, similiter & dispositio eius: cũ ergo forma intelligibilis beatitudinis specifice sit eadem, similiter & dispositio eius, vnde omne lumẽ beatorũ eiusdẽ speciei est, vt diximus; quia tamẽ indiuidualiter forma est inæqualis, similiter & dispositio indiuidualiter habet inæqualitatẽ. Et si cõtra dicas, nã hoc erit dari circulũ, quia quòd dispositio sit in tali gradu, prouenit à forma in tali gradu: si ergo ꝙ forma sit in tali gradu, reducitur ad dispositionẽ in tali gradu, dabitur circulus: Respõdetur, quòd dispositio in genere causę efficiẽtis est à forma, in genere tamẽ causę materialis, & dispositio, pręcedit formã, & non est ab illa, sed ab agente; vnde præintelligitur ꝙ sic vel sic materia disponatur, vt sic vel sic forma introducatur, & in nostro casu ad istas angustias non est necesse venire, quia licèt quod essentia diuina vniatur in ordine ad tantũ vel perfectum actum, reducatur ad lumẽ, vt ad dispositionem, dispositio tamen & ipsum lumen non est ab essentia diuina, vt habẽte rationem speciei, sed prius intelligitur

Ad 3. argu. *Obiectio.* *Solutio.*

infundi à Deo agente supernaturali, & præmiatore bonorum operũ, & hoc iuxta naturam Intellectus; nam lumen gloriæ non solùm est dispositio, sed constitutiuum potentiæ supernaturalis ad vidẽdum Deum, potentia autem præsupponitur constituta ad receptionem speciei intelligibilis, nec ipsum constitutiuum potentiæ à specie intelligibili prouenire potest.

Ad 4.arg. Ad quartum argumentum, negatur antecedens. Ad primã probationẽ respõdetur, quòd licèt per essentiam diuinã se cundùm se omnia illa repræsententur, non tamen Intellectui beati, cui tantùm vnitur in ordine ad actum secundũ, iuxta mẽsuram luminis gloriæ, vt dictũ est.

Obiectio. Et si contra facias argumentum, quia repræsentatio speciei in ordine ad potentiam cuius est species: si ergo respectu Intellectus beati essentia diuina habet rationẽ speciei, in ordine ad talẽ Intellectũ habebit illã plenam repræsentationẽ, & sic per illã omnia prædicta poterit intelligere.

Solutio. Respondetur, quòd repræsentatio plena speciei est in ordine ad intellectũ, cui naturaliter vnitur; quia nũquã repræsentatio speciei vnitæ excedit lumen talis potentiæ; vnde quodcunq; obiectum, cuius propriã & connaturalẽ speciẽ nos habemus, possumus cõprehendere, quia nullum tale excedit repræsentationẽ nostri Intellectus, quando autem species nõ vnitur cõnaturaliter, tunc tantũ vnitur secundũ proportionẽ eleuantẽ potentiã, cùm autem lumen gloriæ eleuet Intellectũ finito modo, similiter vnitur essentia diuina in ratione speciei finito modo videturq; Deus finito modo.

Obiectio. Et si cõtrà dicas. Ad quid enim illa super excedens repræsentatio speciei diuinæ, si secundũ illam non vnitur Intellectui beati: superflua enim videretur:

Solut. Respondetur, quòd species intelligibilis habet repræsentationem adæquatã in ordine ad Intellectum connaturalẽ. Connaturalis Intellectus essentiæ diuinæ in ratione speciei est Intellectus diuinus potens comprehendere totũ esse Dei: in ordine ergo ad illũ species diuina habet illam omniũ adæquatã repræsentationẽ, licèt illã non exerceat in ordine ad Intellectũ creatũ, cui tamẽ exeleuatione coniungitur. Ad secundã probationẽ eiusdẽ argumenti principalis respondetur, exẽplũ non debere tenere in omnibus; licèt enim essentia diuina voce tur speculũ quantũ ad claritatẽ & mundi tiã qua in Deo vidẽtur quæ videntur, nõ tamen est speculũ quantũ ad id, quòd naturaliter, & necessariò videantur omnia quę in illo repręsentãtur, sedvt dictũ est, iuxta capacitatẽ & dispositionẽ vidẽtis: quapropter ab Aug. nũcupatur speculũ voluntariũ, quia ex contẽtis in ipso ostẽdit tantũ, quæ vult per volũtariã collationẽ tanti vel tanti luminis. *Aug.* Alia autẽ possent in præsenti adduci de diuersitate intercõtinentiã creaturarũ in essentia diuina, & eorũ quę repręsentãtur in speculo; quæ parũ faciunt ad negotiũ præsens; vt quòd speculũ habeat repræsentationem per receptionẽ specierũ à rebus, nõ autẽ essentia diuina, sed à se ipsa habet repræsentare res. Similiter posset tractari illud verbũ D.Th. quòd per eandẽ speciẽ repręsentantur res in speculo, & ipsum speculũ; quia Perspectiui tenent oppositũ, dicẽtes, resvideri in speculo per proprias species immissas ab obiecto, & inde reflectentes ad visum, speculũ autẽ videri per suã propriã speciẽ. Nihilominus Capr. *Capr.* in 1.d.3 1.optime explicat sententiã D. Th. quòd virtute speciei ab obiecto immissæ ad speculũ, à speculo de nouo causatur vna species vtrunq; repræsentans, & speculũ, & rem repræsentatã in speculo; quæ species respectu speculi est directa, respectu verò rei resplendentis in speculo est reflexa: quapropter hoc exẽplũ optimũ est ex D.Th. vt sic intelligatur, qualiter per eandẽ speciẽ & cognoscitur Deus, & quæ in Deo repræsentãtur. Ad tertiã probationẽ eiusdẽ antecedẽtis principalis respõdetur, quòd vt cognoscatur quidditatiuè cognitio vel potentia diuina, sufficit cognoscere obiectũ primariũ ad quod terminatur, quod est essentia diuina, & quę formaliter in illa continẽtur non autẽ requiritur cognoscere obiectũ secũdariũ, quod sunt creaturę cõtẽtę eminenter in Deo, nisi solũ in cõmuni; per hoc enim intuitiuè cognoscitur omnipotentia Dei, quia in cõmuni cognoscitur posse facere infinita, etiã si in particulari nõ cognoscantur quę sint illa. Ad quartã probationẽ eiusdẽ antecedentis respõdetur, q̃ quilibet beatus videt ideas, quãtũ ad id quod formaliter sunt in Deo, & ipse Deus nõ autẽ quantũ ad omnes respectũ quos dicũt ad creaturas; quod quidẽ erat necessariũ, vt omnes creaturę in ideis cognoscerentur, vt latius dicitur 1.p. q.15.

Ad

Ad impugnationem autem positam in argumento, dicitur, quòd ad comprę henſionem ſufficit agnoſci rem totaliter ex parte ipſius rei, non autem requiritur totaliter & omnibus modis poſsibilibus cognoſci ex parte potentiæ. Deus ergo meliori modo cognoſcit ex parte potentiæ formicam, quàm Angelus; Angelus tamen cognoſcit ipſam omnimodo cognoſcibili ex parte formicæ, & ſic cōprehendit ipſam; maior autem beatus nō ſolùm cognoſcit melius minori beato, ex parte potentiæ, ſed etiam ex parte obiecti; & nullus attingit obiectum in quantum attingibile eſt ex parte ipſius obiecti, quia infinitum eſt, & infinitè attingibile; lumen autem per quod attingitur à beato, ſimpliciter eſt finitum.

DVBITATVR II.

Vtrùm appetitus cuiuſcunque beati ita maneat ſatiatus, vt altiorem gradum beatitudinis alterius non appetat.

1. *Arg.* PRobatur quòd non. Primò. Minor beatus videt ſuperiorem gradum beatitudinis alterius ſibi poſsibilem: ergo voluntas prorumpet in actū deſiderij illius maioris beatitudinis. Conſequentia probatur, nam voluntas appetit omne bonū ſibi poſsibile, nec ſatiatur quouſq; adipiſcatur illud. Antecedens verò probatur, nam certum eſt, minorem beatum cognoſcere beatitudinem maioris. Quòd autem cognoſcat ſibi eam poſsibilē, patet, quia cognoſcit in ipſo eſſe capacitatem, vt reciperet maiorem gloriam, ſi Deus vellet illam conferre, vel ſi habuiſſet maiora merita vt conferretur.

2. *Arg.* Arguitur ſecundò, quia res nō quieſcit per hoc quòd aſſequatur ſuum terminum, niſi illum perfectiſsimo modo conſequatur; vt patet in lapide reſpectu centri: ſed minor beatus non attingit vltimū finem perfectiſsimo modo, quia perfectioni poſſet attingere vt maior beatus attingit: ergo appetitus eius non manet ſatiatus.

Not. Pro explicatione notandum eſt ex ſupradictis, quòd appetitus eſt duplex; alius naturalis; alius verò elicitus. Naturalis dupliciter conſideratur. Primò vt de facto à Deo ordinatur ad talem vel talem terminum. Secundò ſecundùm ſe & abſolutè & ex propria natura. Rurſus, appetitus naturalis vel conſideratur ſtrictè, vt ſuperaddit ad potentiam obedientialem, vel largè, vt etiam illam includit. Rurſus, appetitus naturalis vel ſumitur pro eo quod ex proprijs viribus, & ex proprijs naturæ. Vel ſecundò ſumitur pro appetitu naturali habito ex ſuppoſitione gratiæ, vel Dei viſionis, vel alterius doni ſupernaturalis, vt ſuprà diximus. Appetitus etiam elicitus eſt duplex; alius abſolutus & perfectus; alius verò imperfectus, & conditionatus, qualis eſt impoſsibilium, vt ſuprà dictum eſt. In præſenti ergo nec dubitamus de potentia obedientiali, quia certum eſt, quencunque beatum habere illam ad maiorem gloriam: quia potentia obedientialis reſpicit abſolutam Dei potentiam, ſecundùm quam ſicut poſſet beatus cadere à beatitudine habita, ita ad maiorem aſcendere. Non etiā dubitamus de appetitū naturali ex viribus naturæ, quia ſicut non datur appetitus naturalis iſto modo reſpectu beatitudinis, vt ſuprà dictum eſt; ita nec datur reſpectu maioris beatitudinis; quia quòd cum beatitudine abſolutè proportionē non habet, minus habebit illam cum maiori beatitudine: dubitamus ergo de appetitu ſupponente gratiam & viſionem Dei, vtrùm ſit aliquis appetitus in Voluntate, ſiue elicitus, ſiue non elicitus; ſiue perfectus, ſiue imperfectus ad maiorem gloriam quàm beatus de facto habeat.

In qua re eſt duplex ſententia. Prima Molinæ 1. part. quæſtione 12. art. 6. diſput. 4. quem etiam ſequitur Salas ſuprà, quæſtio. 4. tractatu ſecundo, diſputatione 7. ſectione 13. dicto 4. quòd minor beatus & ſi non habeat appetitum elicitum abſolutum maioris gloriæ, habet tamen imperfectum & conditionatum, Si Deus vellet, & ſic ordinaſſet, & mea merita exigerent, vellem habere perfectiorem beatitudinem. Fundamentum eius eſt, quia huiuſmodi actus imperfectus nullam imperfectionem cauſat in beatitudine illius; quia nullo modo contriſtat ipſum ex non conſequutione illius quod ſic appetit; quia etiam in Deo ponimus talem voluntatem conditionatam reſpectu ſalutis omnium quæ tamen non ſortitur effectum, nec propterea imperfe-

1. Sentent. Molina. Salas.

ctionem ponit in Deo, quia non est voluntas absolutè; nec etiam potest dici; huiusmodi appetitum contrariari voluntati Dei; quia vult, istum non habere maiorem beatitudinem talis contrarietas solùm est respectu Voluntatis absolutæ, non autè conditionatæ; vt patet in Christo Domino, qui voluntatem conditionatam habuit non moriendi, nec propterea contrariam voluntati Dei; qua volebat ipsum mori, vt ostenditur 3.part.quæst. 18.art.6.

2. Sent. Scoti. Secunda sententia est Scoti, in 3. dist. 44. quod minor beatus secundùm appetitum naturalem, secundùm se & absolutè consideratum non manet satiatus, sed appetit maximam gloriam creabilem; ipsè enim maximam creabilem existimat dari.

1. Concl. Prima conclusio. Quilibet beatus quâtumcunque minima gloria manet satiatus, nec habet appetitum elicitum absolutum ad maiorem gradum quàm de facto habeat. Hæc est communis omnium Doctorum; & probatur primò ex illo Psalm. 63. Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Non dixit, Cùm apparuerit tanta vel tanta, sed cùm apparuerit gloria; quia quæcunque sufficit satiare. Vnde Matth. de omnibus beatis dicitur, Quoniam ipsi saturabuntur: & hoc docet Au-

D. Aug. gust. 13. de Trinitate, cap. 5. dicens: Beatus est qui habet quidquid vult, & cap. 7

D. Thom. Idem docet similiter D. Thom. quæst. 3. artic. 4. ad 5. & quæst. 5. artic. 4. Idem su-

Arist. mitur ex Aristot. 1. Ethicor. cap. 7. & 10 Ethic. cap. 6. Secundò probatur. De ratione beatitudinis est quietare; sed quælibet gloria minima, est beatitudo: ergo quælibet minima quietat, & consequenter vlteriorem non appetit; quia si appeteret, inquietus maneret per tale desiderium. Maior patet, tùm ex D. Thom. su-

D. Thom. prà quæst. 3. artic. 8. dicente, quòd quandiu restat aliquid desiderandum, non est aliquis beatus; quia stante tali desiderio, non est quietus: tùm etiam ratione, quia beatitudo dicit terminum, & consequenter quietem; qui autem desiderat, in motu est & intendentia, & nondum ad terminum peruenit; est ergo de ratione beatitudinis quietare, & excludere omne desiderium. Minor verò probatur, nã quãtumcunque minimus gradus gloriæ est clara visio Dei & adeptio summi boni: ergo quilibet talis gradus est beatitudo, quæ in visione Dei, & adeptione summi boni consistit. Si respondeatur, existen- *Solutio.*
tem in minori gradu beatitudinis esse in termino non vltimo, qui licèt dicat quietem respectu antecedentis motus, potest esse in via respectu vlterioris: Contrâ ar- *Impugn.*
guitur, quia beatitudo non est finis & terminus intermedius, sed finis vltimus, vt suprà dictum est: ergo excludit in vniuersum omnem motum & tendentiam respectu vlterioris; hoc enim dicit vltimum, quòd post ipsum nihil maneat adquirendũ, nec tẽdentia ad aliud. Tertiò. Probatur, nam si in minori beato esset talis appetitus, in illo esset tristitia, non consequendo quod appetit; quod vtique contra naturam beatitudinis est excludentis omnem tristitiam, iuxta illud, Non erit amplius neque luctus, &c. Quartò probatur. Ex visione clara Dei manet Voluntas perfectè rectificata, vt suprâ diximus: ergo non potest aliquid appetere contra diuinam voluntatem actu perfecto & absoluto: sed Voluntas Dei est, vt minor beatus minorem beatitudinem habeat: ergo non potest talis beatus maiorem beatitudinem appetere, quia hoc contra diuinam voluntatem est.

Secunda conclusio. Minor beatus *2. Concl.*
non habet appetitum elicitum & conditionatum respectu gradus superioris beati. Hæc probatur. Primò. Quicunque actus minoris beati ordinatur ab ipso in gloriam Dei: sed huiusmodi appetitus conditionatus non est ordinabilis ad gloriam Dei, quia potiùs Dei gloria resplendet in determinatione gradus habiti: ergo non potest habere prædictum actum & appetitum. Ex quo patet solutio ad primum argumentum Molinæ de voluntate ineffaci Dei; Voluntas enim Dei inefficax ex parte effectus ordinabilis est in Dei gloriam; vnde haberi potest ab illo; inefficax autem volitio minoris beati non potest ordinari ad gloriam Dei; vnde non potest haberi à beato omnia in Dei gloriam ordinante. Secundò probatur conclusio. Voluntas beati est omnino conformis in suis operationibus Voluntati diuinæ, non solùm inuolito formali, sed etiam inuolito materiali: ergo nihil esse potest volitum â beato, quod à Deo non sit volitum; maior autem gradus gloriæ â Deo non solùm

non

non est volitus isti beato, sed potiùs vult oppositum: ergo iste beatus non potest habere illum. Tertiò probatur. Actus voluntatis beati determinatur à visione beatifica; cùm visio sit regula amoris: Cùm ergo visio beatifica determinetur ad talē gradum, consequenter & talis actus Voluntatis. Ex quo etiam patet ad aliud argumentum Molinæ, quia Christus Dominus non habuit actum inefficacem nō moriendi per Voluntatem regulatam visione beatifica, sed regulatā cognitione humana; vnde in illo esse potuit, vnde ad propositum non est. Quartò etiam probatur conclusio ratione etiam D. Thom. in 4. dist. 49. quæst. 1. artic. 4. quæstiuncula 2. ad 3. nam beati ita perfectè diligunt Deum, quòd magis appetant bonum diuinum & diuinæ Iustitiæ, quàm bonum proprium: pertinet autem ad bonum Iustitiæ diuinæ illa, inæqualitas in præmiando, vnde cùm beatus quicunq; videat se habere præmium secundùm propriam mensuram & proportionem, non desiderat vltetiorem gradum, sed potiùs gaudet quòd alter secundùm ordinē diuinæ Iustitiæ habeat superiorem gradum: vnde inter alia beati congratulantur Deo in omnibus iudicijs suis, tam circa bonos, quàm malos, vt docet D. Thom. opusc. 52. cap. 7. Vltimò probatur ex doctrina D. Augustī. tract. 67. super Ioan. vbi ait, quòd ex perfecta Charitate qua beati inuicem se diligunt, fit, vt quod habent singuli, sit omnibus cōmune, & vnusquisque propter amorem iudicet se habere in altero, quod non habet in seipso; quæ etiam est doctrina D. Gregor. lib. 4. Moral. cap. 42. vbi dicit, quòd in Patria in multis mansionibus erit aliquo modo ipsa retributionum diuersitas eorum, quia tanta vis amoris in illa pace nos satiat, vt quodquisque in se non acceperit, in alio accepisse putet. Ista tamen conclusio non loquitur de his quæ extra Verbum possunt desiderari de istis enim nihil interest ponere appetitum conditionatum, vt respectu beatitudinis corporis, vel societatis amicorum, vel parentū, vel aliorum, pro quibus orant, licēt non sint implenda. Et ratio discriminis est quia vt diximus, beatitudo essentialis, & visio eorum quæ sunt in Verbo, habent rationem termini, ad quem solùm tendūt per potentiā obedientialē, & cōsequēter in illo adepto debent quietari; neque manet per quid amplius desiderent, nec absolutè, nec conditionaliter. Alia autem non sic se habēt, vnde aliqualiter possunt appetit; & aliqualis appetitio nō inquietat, propter summā conformitatem volūtatis beatæ ad Voluntatem diuinam, qua videtur semper dicere; Non mea, sed tua voluntas fiat.

D. Thom. *D. Aug.* *D. Gregor.*

3. Concl. Tertia conclusio. In minori beato nō est aliquis appetitus naturalis, etiam secūdùm se cōsideratus, non satiatus respectu vlterioris gradus. In hac cōclusione Omnes conueniunt, prēter Scotum; sed in assignanda ratione conclusionis non omnes conueniunt. Molina enim loco citato dicit, hoc ideò esse, quia appetitus naturalis noster solùm est ad verū naturale; vnde tunc satiatus manebit, quando Omnes virtutes naturales attingerit: cùm ergo in visione clara Dei, quantūcumque minima, omnes veritates naturales, tanquā in aliquō eminentiori, contineantur, inde est, appetitū naturalē manere satiatū tali visione; vt materia prima satiata manet, si vel omnes formas simul, vel aliquam eminentem habeat, in qua reliquæ omnes contineantur. Ex nostris tamen multi impugnant prædictam rationem. Primò, quia appetitus naturalis Intellectus non solùm est ad verum naturale, sed ad verum incommuni, vt abstrahit à naturali & supernaturali, cùm ab illa specificetur, & potentia naturaliter appetat attingere obiectum specificatiuum eius. Sed certè ex hac parte non videtur claudicare ratio Molinæ; quia, vt suprà diximus, quanuis specificatiuum sit ens in tota tua latitudine, non tamen eodem modo comparatur ad omne contentum sub illo, sed habet quasi rationem duplicis potentiæ; naturalis in ordine ad naturale; & supernaturalis per potentiam obedientialem in ordine ad supernaturale: vnde appetitus naturalis (supperaddens ad potentiam obedientialem, inclinationem) solùm est ad verum naturale. Alij ergo impugnant meliùs prædictam rationem ex parte alterius quod supponit falsum, scilicet quòd inqualibet visione clara Dei omnes veritates naturales contineantur, & propterea tali visione maneat satiatus appetitus naturalis: Hoc enim falsum est, quia bene potest contingere, non omnes veritates naturales in aliqua visione clara Dei contineri; quia quæ sunt extra

Ratio. Molinæ pro conclusione.

1. Impugn. Molinæ.

2. Impugn. Molin.

tra Deum, liberè manifestantur in ipso secūdū merita beati. Possunt ergo esse aliqua merita minima, quibus non correspondeat videre in Deo omnes veritates naturales, & tunc nihilominus illa visio satiabit beatum: aliunde ergo debet venari quare quælibet visio satiet. Itaque quamuis in Deo omnia naturalia contineantur, possunt tamen non contineri in illo, prout vnitur isti beato in ratione speciei, & sic non sufficit ex hac parte satiari. Verbi gratia, suppositum Diuinum ex eo satiat appetitum naturæ humanæ ad proprium suppositum, quia vnitur illi suppositum diuinum, secundùm quod continet perfectionem suppositi creati; aliàs non sufficeret continentia vtcunque, si secundùm talem continentiam non vniretur. Restat ergo quærere, vnde talis satietas proueniat. Eo vel maximè, quòd nec non quærimus de satietate appetitus respectu naturalium, sed respectu vlterioris gradus gloriæ, respectu cuius diuina essentia non vnitur minori beato, nec ad hoc confertur lumen. Alij ergo assignant aliam rationem pro conclusione, quia appetitus naturalis tantùm est ad beatitudinem essentialem, non autem ad tantum, vel tantum gradum illius; vnde habita gloria essentiali in quocunque gradu, manet satiatus appetitus. Quare autem sit appetitus ad gloriam absolutè, non autem ad tantum, vel tantum gradum, dicunt prouenire ex eo, quòd appetitus in sua essentia debet esse determinatus: determinatio autem potest assignari in clara visione absolutè sumpta, non autem gradualiter considerata; cùm gloria in infinitum possit crescere secundùm gradus; quia nunquam ad comprehensionem diuinæ essentiæ deuenitur. Sed hæc ratio etiam non satisfacit, quia supponit appetitum naturalem ad visionem Dei, quod est falsum; quia tantùm est capacitas & potentia obedientialis. Nec aliquid valet quod quidam dicunt, ampliores capacitates esse, quam potentiam obedientialem; siquidem in Intellectu est virtus actiua, quāuis remotè & radicaliter attingens Deum, post eleuationem per lumen. Non (inquam) hoc valet, quia & virtus actiua naturalis Intellectus solùm est in potentia obedientiali, vt eleuetur per lumen, & eleuata videat: vnde talis radicalis actiuitas non extrahit â potentia obedientiali, nec adducit Intellectum ad aliquem appetitum naturalem respectu visionis Dei. Alij ergo aliam rationem assignāt, quod appetitus naturalis est finitus ab Authore naturæ; vnde debet esse in ordine ad finem determinatum; quia Author naturæ determinatum finem intendit. Cùm ergo, vt dictum est, diuersitas graduum non sit determinata, appetitus non est ad diuersitatem graduum, sed ad gloriā absolutè, quæ vt quid determinatum consideratur. Sed hæc etiam ratio non valet, quia innititur eodem fundamento falso, quòd ab Authore naturæ sit finitus appetitus naturalis ad visionē claram Dei. Alij aliam rationem reddunt, quòd inclinatio & appetitus magis est ad beatitudinem obiectiuam, quàm ad formalem: quia vltima quies quam appetitus quærit, in beatitudine obiectiua reperitur: cùm autem quicunque beatus beatitudinem obiectiuam obtineat, & in hoc, vt diximus, omnes sint pares, quicūque satiatus manet. Sed hæc etiam ratio non placet, quia appetitus boni non est vtcunque, sed vt obtenti: vnde si appetitus est beatitudinis obiectiuæ, vt obtentæ debet esse; quapropter supra diximus, beatitudinem formalem non ponere in numero cum beatitudine obiectiua: cùm ergo in ipsa obtentione & beatitudine formali sit inæqualitas, difficultas super vtrūque pedem manet. Vera ergo ratio est, quòd homo tam ad beatitudinem absolutè, quàm secundùm gradus, nullum habet appetitum naturalem, sed solùm potentiam obedientialem; quæ autem ad talem potentiam comparantur, sic se habent ad illam, quòd habita satiant & delectant, non habita non tristant nec inquietant: satiat ergo & delectat gradus gloriæ habitus, non tristat nec molestat non habitus, quia ad illum tantùm est potentia obedientialis. Et si quæras, qualiter appetitus naturalis non solùm non maneat inquietus respectu vlteriorís gradus, nec etiam veritatum naturalium; siquidem, vt diximus, non cuilibet beato vnitur Deus vt continens omnes veritates naturales: Respondetur, quòd, vt suprà diximus, quilibet beatus cognoscit omnia genera, & species, & essentias, quamuis non omnia individua: cùm autem appetitus naturalis sciendi non sit ad omnia individua, sed ad species & essentias rerum ordinis

2. Ratio conclusionis aliorum.

Impugn. rationis præ dictæ.

3. Ratio aliorum.

Impugnatio. rationis præ dictæ.

4. Ratio aliorum.

Impugn. rationis præ dictæ.

Vera ratio pro conclus.

Quæstio.

Solutio.

nis vniuersi; his cognitis, satiatus manet eius appetitus, vnde cuilibet beato nihil restat desiderandum.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum respondetur, quòd minor beatus ad vlteriorẽ gradum tantum habet capacitatem, nec cognoscit illum vt possibilem secundùm legem ordinariam, sed secũdùm absolutã; quæ autem ad potentiam tantûm absolutam pertinent, non desiderantur appetitu naturali, & etiam elicito beati appetere non possunt, propter summã cõformitatẽ ad voluntatẽ diuinã, vt dictum est.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum respondetur, quòd lapis respicit centrum vt finem naturalem, & per appetitum naturalem; vnde non quietatur, si perfectè non attingat illud in quãtum assequibile est: gloria autem, vt diximus, nõ est finis naturalis ad quem sit appetitus naturalis: vnde quomodocunque habeatur, manet satiatus habens illam. Et si cõtrafacias argumentũ, nam beatitudo debet esse summum bonum: sed minor gloria non est summum bonum, quia est alia maior: ergo minor gloria non est beatitudo perfecta, nec satiat maiorem beatum. Respondetur, quòd visio Dei vocatur summum bonũ obiectiuè, quia est visio summi boni, & etiam est summũ bonũ ex sua specie; quia non est in specie maius bonum, quanuis quolibet indiuiduo illius naturę sit aliud maius. Vel etiam dicitur summũ bonum, cõparatione ad alia creata, quia inter illa est summum, quanuis in se non sit nisi quid finitũ. Vel etiam dicitur summum bonum respectu appetitus, quasi negatiuè, quatenus non manet amplius bonum appetendum â videnti Deum clarè, ratione iam assignata.

Obiectio.

Solutio.

ARTICVLVS III.

Vtrûm hac vita possit aliquis consequi beatitudinem.

Infr. art. 5. cor. & q. 52 art. 1. cor. & 3. di. 27. q. 2 ar. 2. cor. & 4. di. 49. q. 1 ar. 2. q. 2. ad 5. Et ver. q. 14. ar. 2. cor. Et 1. Ethic. lect. 16. fin.

AD tertium sic proceditur. *Videtur quòd beatitudo possit in hac vita haberi. Dicitur enim in Psalm. 118. Beati immaculati in via, qui ambulãt in lege Dñi: hoc autem in hac vita contingit: ergo aliquis in hac vita potest ingit: esse beat°.*

2. Præterea. Imperfecta participatio summi boni non adimit rationem beatitudinis; alioquin vnus non esset beatior alio: sed in hac vita homines possunt participare summũ bonũ cognoscendo & amando Deum, licèt imperfectè: ergo homo in hac vita potest esse beatus.

3. Præterea. Quod ab omnibus dicitur, nõ potest totaliter falsum esse, Videtur enim naturale quod in pluribus est; natura autẽ non totaliter deficit: sed plures ponunt beatitudinẽ in hac vita, vt patet per illud Psalmi 143. Beatum dixerunt populũ cui hæc sunt, scilicet præsentis vitæ bona: ergo aliquis in hac vita potest esse beatus.

Sed contra est quod dicitur Iob 14. Homo natus de muliere breui viuens tẽpore, repletur multis miserijs: sed beatitudo excludit miseriam: ergo homo in hac vita non potest esse beatus.

Respõdeo dicendũ, quòd aliqualis beatitudinis participatio in hac vita haberi potest perfecta autẽ & vera beatitudo nõ potest haberi in hac vita: & hoc idẽ considerari potest dupliciter. Primò quidẽ ex ipsa cõmuni beatitudinis ratione nam beatitudo cùm sit perfectũ & sufficiens bonum, omne malũ excludit, & omne desiderium implet: in hac autem vita non potest omne malũ excludi, multis enim malis præsens vita subiacet, quæ vitari non possunt, & ignorãtiæ ex parte Intellectus, & inordinatæ affectionis ex parte appetitus, & multiplicibus pœnalitatibus ex parte corporis,

vt

*Ca.5.6.7. & 8.10.5. vt * Aug. diligẽter prosequitur 19. de Ciuit. Dei. Similiter etiam boni desiderium in hac vita satiari non potest: naturaliter enim homo desiderat permanentiam eius boni quod habet: bona autem præsentis vitæ transitoria sunt, cùm & ipsa vita transeat, quam naturaliter desideramus, & eam perpetuò permanere vellemus; quia naturaliter homo refugit mortem; vnde impossibile est, quòd in hac vita vera beatitudo habeatur. Secundò, si cõsideretur id, in quo specialiter beatitudo cõsistit, scilicet visio diuinæ essentiæ, quæ nõ potest homini prouenire d in hac vita, vt

D.48 2.

*q.11.ar.1 in Primo * ostensum est ex quibus manifestè apparet, quòd non potest aliquis in hac vita veram & perfectam beatudinem adipisci.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd beati dicuntur aliqui in hac vita, vel propter spem beatitudinis adipiscendæ in futura vita, secundum illud Rom. 8. Spe salui facti sumus; vel propter aliquam participationẽ beatitudinis secundùm aliqualem summi boni fruitionem.

*Ad secundum dicendum, quòd participatio beatitudinis potest esse imperfecta dupliciter. Vno modo ex parte ipsius obiecti beatitudinis, quod quidem secundùm suã essentiã non videtur; & talis imperfectio tollit rationem veræ beatitudinis. Alio modo potest esse imperfecta ex parte ipsius participantis, qui quidẽ ad ipsum obiectum beatitudinis secũdùm seipsum attingit, scilicet, Deũ, sed imperfectè per respectum ad modum quo Deus seipso fruitur; & talis imperfectio non tollit veram rationem beatitudinis, quia cùm beatitudo sit operatio quædam (vt * suprà dictum est) vera ratio beatitudinis cõsideratur ex obiecto quod speciem dat actui, non autẽ ex subiecto.* *q.3.ar.2.

Ad tertium dicendum, quòd homines reputant in hac vita esse aliquam beatitudinem, propter aliquã similitudinem veræ beatitudinis, & sic non ex toto in sua æstimatione deficiunt.

Prima cõclusio. In hac vita potest homo habere aliqualem participationem beatitudinis. 1. Concl.

Secunda conclusio. Perfectam beatitudinem non potest homo obtinere in hac vita. 2. Concl.

Circa primam conclusionem est notã dum, quòd beatitudo imperfecta consideratur dupliciter. Primò, vt beatitudo naturalis, quæ in puris naturæ haberetur (etiam in suo genere perfecta) dicitur imperfecta respectu beatitudinis supernaturalis, quæ post eleuationem obtinetur. Secundo modo dicitur imperfecta beatitudo, quæ adæquatè non habet rationem beatitudinis, nec naturalis, nec supernaturalis; sed tãtùm dicit, velvnius, vel alterius aliqualem participationem. Prima ergo conclusio D. Tho. non intelligitur primo modo, quia etiam beatitudo naturalis in suo genere perfecta nõ haberetur in hac vita, vt suprà dictum est, sed post mortem: intelligitur ergo secundo modo, quia in hac vita potest haberi aliquod bonum, siue spirituale, siue corporale, quod vtique aliqualis est participatio & similitudo summi boni, quod est beatitudo. Videatur D. Thom. 3. contra Gent. c. 48. post octauam rationem. Not. 1.

DVBITATVR PRIMO,

Vtrùm secũda cõclusio verũ habeat.

PRobatur quòd non, nam Christus Dominus in hac vita fuit beatus; similiter beata Virgo, & D. Paulus, & Moyses, & primus parens, fuerunt beati, quia in hac 1. Arg.

vita

vita viderunt diuinam essentiam, vt communiter docent Theologi cum D. Tho. 1. part. q. 12. art. 12. & q. 94. art. 5. & 2. 2. q. 17. art. 3.

2. Arg. Secundò arguitur, nam ex doctrina D. Thom. sequeretur, omnes appetere mortem: hoc autem falsum est: ergo. Minor patet, quia naturaliter appetitur vita & proprium esse. Sequela verò probatur, quia si appetitus finis est naturalis, consequenter & appetitus medij necessarij: cùm ergo beatitudo sit finis, & naturaliter appetatur, si mors est medium necessarium ad illam consequenter & mors naturaliter appeteretur.

Concl. Conclusio tamen D. Thom. est certa, pro cuius intelligentia est notandũ, fuisse errorem quorundam Beghardorum & Beghinarum, cuius meminit Clemẽs V. in Concilio Viennensi, & refertur in Clementina Ad nostrum, de hæreticis, errore 4. qui dixerunt: posse hominem in hac vita finalem beatitudinem consequi secundùm omnem gradum perfectionis, sicut si iam obtineretur in Patria; de quo errore videatur Castro de hæresibus, verbo Beatitudo, hæresi. 4. Contra hunc ergo errorem statuitur conclusio D. Tho. de Fide, vt constat ex consensu omnium, & ex variis locis sacræ Scripturæ, maximè in illo primæ ad Corint. cap. 15. Si in hac vita tantùm, in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus quem locum in hunc sensum explicat D. Chrysostomus ibidem, & homilia prima ad populum, & D. Ambrosius lib. de fide resurrectionis, & communiter Sancti. Rationes etiam quas pro illa facit D. Thom. hic, & contra Gent. cap. 48. sunt demonstrationes. Est tamen intelligenda hæc conclusio tantùm secundùm legem ordinariam, hoc enim probant rationes D. Thom. & loca sacræ Scripturæ: nam si loquamur de potentia absoluta, etiam est certum secundùm Fidem, posse aliquem in hac vita mortali esse beatũ, vt constat in Christo Domino, qui secundùm Fidem ab instanti suæ conceptionis fuit comprehensor, vt ait D. Thom. 3. p. q. 15. art. 11. & q. 14. art. 4. itaque mortalitas in tali casu tollit aliquã perfectionem accidẽtalẽ beatitudinis; manet tamẽ perfecta & essentialis ex parte animæ.

Ad 1. arg. Med. Ad primũ argumentũ respõdet Medina, iuxta prædictam doctrinã, exẽpla ibi allata procedere secundùm potẽtiam absolutam; cõclusio verò intelligitur de potentia ordinaria. Sed quanuis hæc solutio verũ habeat de Christo Dño, de alijs tamẽ aliter est dicendũ, quòd in hac vita quanuis viderint diuinam essentiã, non tamen fuerunt beati; vnde visio illorum quãuis in esse visionis & ex parte obiecti est eiusdẽ speciei cũ visione beatorum in Patria; in esse tamen beatitudinis erat alterius speciei, quia beatitudo dicit statũ & permanentiã, & lumen gloriæ per modũ habitus: illi verò sancti tantùm habuerunt visionem per modũ trãseuntis, & lumen gloriæ per modum dispositionis: de quo videatur D. Thom. 2. 2. q. 175. ar. 3. maximè ad secundũ, & videãtur discipuli eius 1. p. q. 12. ar. 11. vbi de visione prædictorum ad longũ agitur, & hic Lorca disp. 35. nam hoc discutere, non est huius loci. Solùm nobis sufficiat ad intentũ huius articuli, quòd si prædicti viderunt diuinam essentiam in hac vita, fuit præter legem ordinariam, nec propterea fuerũt beati, absolutè loquendo, vt iã diximus. D. Thom. Lorca.

Ad 2. arg. Ad secundũ argumentũ respondetur, petere illam difficultatẽ, vtrùm homo naturaliter appetat mortẽ, supposito quòd est medium beatitudinis. Pro cuius resolutione recolenda est illa distinctio appetitus naturalis & eliciti, & voluntatis vt natura & vt libera. Et rursus, quòd actus elicitus potest procedere ex rationibus inferioribus, vel ex superioribus. Rursus, quòd mors potest considerari, vel absolutè, vel vt medium ad consequutionẽ beatitudinis. Et rursus, quòd medium aliud est per se & ex natura rei ordinatum ad finem; aliud verò per accidens, & ex suppositione quòd propriè non habet rationem medij necessarij, sed remouẽtis prohibens. Rursus possumus loqui de beatitudine supernaturali, vel de beatitudine naturali. Hoc ergo supposito. Quæstio. vtrùm homo naturaliter appetat mortem.

1. Dico Dico primò, quòd loquendo de beatitudine supernaturali, nullo modo potest esse appetitus naturalis, appetitus mortis, nec actu elicito, vel non elicito; quia cùm beatitudo supernaturalis non appetatur naturaliter, vt dictum est, similiter nec media ad illam sub appetitu naturali cadunt. Loquendo autem de beatitudine naturali.

2. Dico. Dico secundò, quòd si mors considere tur secundùm se, cùm sit malũ totius cõpositi, voluntas vt natura naturaliter refugit mortem, & sic abhorrebat illã Chri

stus

Matth. 26. stus Dominus Matth. 26. cùm dixit: Si possibile est, transeat à me calix iste. Et
D. Thom. sic D. Thom. 3. p. q. 15. art. 6. ad. 4. dixit, mortẽ Christi fuisse in volũtariam. Si autem cõsideretur mors vt medium ad beatitudinem, & voluntas consideretur vt libera, sic bene potest â voluntate desiderari; de quo videatur Ferrara. 4. cont. Gent.
Ferrara. c. 55. & D. August. 14. de Ciuitate Dei,
D. August. c. 25. vbi docet, quòd Sancti volunt mortem, non vt viuant, sed vt melius viuant;
2. ad Cor. 5. quod significat Apostolus 2. Corint. 5. nolumus expoliari, sed super vestiri, vt
D. Tho. explicat D. Thom. ibidem.
Ad argu. Ad argumentũ ergo, quòd qui naturaliter appetit finẽ, etiam appetit medium: cùm ergo beatitudo naturalis appetatur, & mors sit mediũ ad illam, similiter naturaliter appetetur; Respondetur, hoc habere verũ de medio per se & necessario ad finem, non autem de medio per accidens habente tantùm rationẽ remouentis prohibens: mors autem medium est per accidens, nam si homo perstitisset in statu innocentiæ, sine morte assequeretur beatitudinẽ. Et si contra dicas, hoc non posse
Obiectio. responderi de homine in puris naturę, in quo statu homo iudicaret & cognosceret, mortẽ necessariam ad beatitudinẽ, quia, vt suprâ diximus, beatitudo solùm haberetur in anima separata à corpore: Respõ
Solut. detur, quòd tunc homo iudicando per rationes supremas, beatitudinem nõ posse haberi sine præuia morte, appeteret illã; cùm autẽ iudicaret per rationes inferiores, conseruationem vitæ appeteret. Nec mirum poni in eodem oppositum appetitũ secũdùm apposita rationes; cũ enim anima habeat duo, & esse formam corporis, & esse per se subsistentem consimilẽ substantijs separatis, secundùm prius appetit vitam, secundùm posterius mortẽ, vt subsistendo omnino spiritualiter, assimiletur Angelis. Vel dicitur, quòd tunc appeteret per accidens mortem; per se autem vitam: quia, vt dictum est, mors non est medium per se influens, sed remouẽs. Quod etiã in corporibus cœlestibus contingit habentibus motus oppositos, alterum per se & naturalem, alterũ verò per accidens ex motu primi mobilis. Similiter patet in proiiciente merces in mare, qui vellit illas conseruare, absolutè tamẽ vult proijcere.

ARTICVLVS IIII.

Vtrũm beatitudo habita possit amitti.

AD quartum sic proceditur. 1. q. 64. ar. 2 cor. & 1. di. 8
Videtur quòd beatitudo possit amitti. Beatitudo enim est perfectio quædam: sed omnis q. 3 ar. 2. cor. fin. & 3. con trac. 61. & 62. & opus. 2. c. 166. Et Io. 10. lect. 5
perfectio ineſt perfectibili secũdũ modũ ipsius: cùm igitur homo secũdùm naturã suam sit mutabilis, videtur quòd beatitudo ab homine mutabiliter participetur; & ita videtur quòd homo beatitudinem possit amittere.

Præterea. Beatitudo consistit in actione Intellectus, qui subiacet Voluntati: sed Voluntas se habet ad oppositа: ergo videtur quòd possit desistere ab operatione qua homo beatificatur, & ita homo desinet esse beatus.

Præterea, Principio respondet finis: sed beatitudo hominis habet principium, quia homo non semper fuit beatus: ergo videtur quòd habeat finem.

Sed contra est quod dicitur Matth. 23. de iustis, quòd ibunt in vitam æternam, quæ, vt dictum est, * *est beatitudo Sanctorum: quod autem est æternum, nõ deficit: ergo beatitudo non potest amitti.* * Art. 2. huius quæst.

Respondeo dicendum, quòd si loquamur de beatitudine imperfecta, qualis in hac vita potest haberi, sic potest amitti: & hoc patet in felicitate contẽplatiua, quæ amittitur, vel per obliuionẽ, puta cũ corrũpitur scientia ex aliqua ægritudine, vel per aliquas occupationes, quibus totaliter abstrahitur aliquis â contẽplatione.

Patet

Patet etiam idem in felicitate actiua; Voluntas enim hominis transmutari potest, vt videlicet degeneret à virtute, in cuius actu principaliter consistit felicitas. Si autem virtus remanet integra, exteriores transmutationes possunt quidē beatitudinem talem perturbare, in quantum impediunt multas operationes virtutum: non tamen possunt eā totaliter auferre, quia adhuc remanet operatio virtutis, dum ipsas aduersitates homo laudabiliter sustinet; & quia beatitudo huius vitæ amitti potest, quod videtur esse contra rationē beatitudinis: ideò Philosophus dicit in primò Ethic. aliquos esse in hac vita beatos, nō simpliciter, sed sicut homines, quorū natura mutationi subiecta est. Si verò loquamur de beatitudine perfecta, quæ expectatur post hanc vitam, sciendum est, quòd Origenes posuit,† quorundam Platonicorum errorem sequens, quòd post vltimam beatitudinem homo potest fieri miser. Sed hoc manifestè apparet esse falsum, dupliciter.

Lib. 1. Periar. c. 5. à med. & li. 2. c. 3. to. 4. Alias quorundā Philosophorū.

Primò quidem ex ipsa communicatione beatitudinis. Cū enim ipsa beatitudo, sit perfectum bonum & sufficiens, oportet quòd desiderium hominis quietet & omne malum excludat: naturaliter autem homo desiderat retinere bonum quod habet, & quod eius retinendi securitatem obtineat; alioquin necesse est quòd timore amittēdi, vel dolore de certitudine amissionis affligatur. Requiritur igitur ad veram beatitudinem, quòd homo veram habeat opinionem, bonum quod habet nunquā se amissurum: quæ quidem opinio si vera sit, consequens est, quòd beatitudinem nunquam amittet: si autem falsa sit, hoc ipsum est quoddam malum, falsam opinionem habere; nam falsum, est malum Intellectus; sicut verū, est bonū ipsius, vt dicitur in. 6. Ethic. † non igitur iam verè erit beatus, si aliquod malū ei inest. c. 2. & 3.

Secūdò idē apparet, si cōsideretur ratio beatitudinis in speciali: ostensum est enim suprà †, quòd perfecta beatitudo hominis in visione diuinæ essentiæ cōsistit: est autē impossibile, quòd aliquis videns diuinā essentiā, velit eam non videre; quia omne bonū habitū, quo aliquis carere vult, aut est insufficiens, & quæritur aliquid sufficiētius loco eius, aut habet aliquod incōmodū annexū, propter quod in fastidium venit: visio autem diuinæ essentiæ replet animam omnibus bonis, cùm cōiungat fonti totius bonitatis: vnde dicitur in Psal. 16. Satiabor, cùm apparuerit gloria tua. Et Sapien 7. dicitur: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, scilicet cum cōtēplatione sapientiæ. Similiter etiam non habet aliquod incommodum adiunctum, quia de contemplatione sapientiæ dicitur Sap. 8. Nō habet amaritudinē cōuersatio illius, nec tædiū conuictus eius. Sic ergo patet, quòd propria voluntate beatus non potest beatitudinem deserere. Similiter etiam non potest eam perdere, Deo subtrahente: quia cùm subtractio beatitudinis q. 3. art. 8.

sit quædam pœna, non potest talis subtractio à Deo iusto iudice prouenire nisi pro aliqua culpa, in quam cadere non potest qui Dei essentiam videt, cùm ad hanc visionem ex necessitate sequatur rectitudo Voluntatis, vt suprà ostensum est. † *Similiter etiã nec aliquod aliud agens potest eam subtrahere, quia mens Deo coniuncta super omnia alia eleuatur, & sic ad huiusmodi coniunctione nullum aliud agens potest eam excludere: vnde inconueniens videtur, quòd per quasdam alternationes temporum transeat homo de beatitudine ad miseriam, & è conuerso; quia huiusmodi temporales alterationes esse non possunt, nisi circa ea quæ subiacent tempori & motui.*

q. 4. ar. 4.

Ad primum ergo dicendum, quòd beatitudo est perfectio consummata, quæ omnem defectum excludit à beato, & ideò absque mutabilitate aduenit eam habenti, faciente hoc virtute diuina, quæ hominem subleuat in participationem æternitatis transcendentis omnem mutationem.

Ad secundum, dicendum, quòd Voluntas ad opposita se habet in his quæ ad finem ordinantur: sed ad vltimum finem naturali necessitate ordinatur; quod patet ex hoc, quòd homo non potest non velle esse beatus.

Ad tertium dicendum, quòd beatitudo habet principium ex conditione participantis, sed caret fine propter conditionem boni cuius participatio facit beatum; vnde ab alio est initium beatitudinis, & ab alio est quod caret fine.

Prima cõclusio. Beatitudo imperfecta, qualis in hac vita haberi potest, est amissibilis.

Secunda conclusio. Beatitudo perfecta est inamissibilis.

Prima conclusio huius articuli certissima est, vt constat ex rationibus D. Th. hic, & alijs quæstionibus .2.2.q. 24. art. 11. & 12. ostendit, Charitatẽ Viæ esse amissibilẽ perpeccatum; peccatũ verò excludit beatitudinem à subiecto, vt ostensum est suprà q. 3. art. 4. vnde quanuis existens in peccato, habeat aliquam participationem boni per cognitionem scientificam, vel exercitium actus boni ex obiecto, non est propriè beatus: immò rationes D. Tho. adeò sunt efficaces, vt aliqui dicant, non solùm beatitudinem imperfectam huius vitæ esse amissibilem; sed q etiã beatitudo naturalis perfecta, quæ post hanc vitam haberetur, amissibilis esset; quia (inquiunt) nullum principium potest in homine assignari ex proprijs naturæ, vt sit confirmatus in bono etiam post hanc vitam. Dicũt autem, quòd tunc beatitudo naturalis in alia vita esset inamissibilis ab extrinseco, ex aliquo dono quod pertinet tribui secundùm bonam gubernationem ab Authore naturæ. Hoc autem mihi non placet, sed quòd iuxta supra dicta talis beatitudo naturalis in alia vita esset inamissibilis ex propria natura ipsius beatitudinis, & subiecti illius; ex parte quidem beatitudinis, quia esset vltimus finis naturalis, & summum bonum quod haberi posset; vnde ad plenam rationem eius perpetuitatis pertineret: ex parte etiam subiecti esset perpetua, quia non posset homo iudicare bonum diuertere ab illa; quia cùm per illã appetitus naturalis maneret satiatus, non esset in quid per desiderium naturale tẽderet, diuertendo ab illa: tùm etiam, quia, vt suprà diximus, vt quælibet alia res, ita natura rationalis in vltimo termino habet conquiescere; vnde quamuis secundùm se sit libera; tamen ratione status in vltimo termino immutabilitatem habet.

1. Concl.

2. Concl.

D. Tho.

Circa secundam conclusionem dubitatur,

Vtrùm beatitudo perfecta supernaturalis in Patria, sit inamissibilis ab intrinseco.

PRobatur quòd non. Primò. Forma recepta in subiecto non connaturalis sed extraneo, recipitur amissibiliter in illo:

1. Arg.

illo: sed beatitudo est talis forma: ergo est amissibilis. Maior patet in luce, quæ quanuis inamissibilis sit respectu Solis, amissibiliter tamen recipitur in diaphano; quia nō est subiectum eius connaturale sicut Sol. Similiter patet in calore, inamissibili respectu ignis, amissibili tamen respectu aquæ, in qua recipitur vt in extraneo subiecto. Minor verò probatur, nam lumen gloriæ, quod est proprium beatitudinis, non est connaturale Intellectui creato, sed diuino: ergo tantùm erit inamissibiliter intellectui diuino, & non intellectui creato, in quo est veluti in extraneo subiecto. Secundò probatur eadem minor, nam lumē gloriæ est supra naturam Intellectus creati: ergo non habet naturalem connexionem cum illo, & consequenter erit in tali Intellectu vt in subiecto extraneo; nam forma cum subiecto connaturali necessariam & naturalem habet connexionem.

2. Arg. Secundò arguitur. Beatitudo supernaturalis, est corruptibilis à supernaturali Authore: ergo absolutè dicenda est corruptibilis & amissibilis. Antecedens patet, quia, vt suprà diximus, bene potest Deus Author supernaturalis de potentia sua tollere beatitudinem à beato. Consequentia verò probatur, quia sic se habet forma supernaturalis ad Authorem supernaturalem, sicut forma naturalis ad agens naturale: forma autem naturalis, quæ ab agente naturali corrumpi potest, absolutè dicitur corruptibilis: ergo similiter forma supernaturalis, quæ ab agente supernaturali corrumpi potest, absolutè in illo genere corruptibilis dicetur.

3. Arg. Tertiò arg. Beatitudo habet cōtrariū: ergo est corruptibilis. Consequentia patet, quia corruptio est effectus cōtrarietatis. Antecedēs verò probatur, nā iste actus errone⁹, Deus nō est trinus & vnus, contrarius est actui visionis beatificæ, quo iudicat Deum esse trinum & vnum. Si respondeatur, ista esse contraria, quasi speculatiuè & logicè, non autem physicè; quasi vtrunq; in eodē subiecto beato possit reperiri adinuicē pugnans; & vnū alterū expellēs; quod requirebatur, vt talis forma beatitudinis esset amissibilis; v.g. corruptibile & incorruptibile oppositā sunt speculatiuè & logicè, non autē physicè, quasi vtrūque eidē subiecto possit conuenire; quia cœlo incorruptibili corruptibilitas non potest conuenire; vnde nunquām incorruptibilitas à cœlo potest deficere: Ita in beato quanuis illi duo

Solutio.

actus secundùm se sint contrarij, non tamen vterque beato potest conuenire; quia illud iudicium erroneū à beato haberi nō potest, vt diximus suprà: Contra arguitur, quia non omnes virtutes beatus videt in Verbo: sed multas videt extra ipsum: ergo in ipsis falli poterit, & per talem falsitatem & errorem beatitudo excludetur; quia isti errores cō rarij sunt beatitudini, vt ipsam possint expellere. Antecedens patet. Consequentia verò probatur, quia quę quis videt extra Verbum, non semper videt medio demonstratiuo, sed multoties medio probabili, vel humana fide habito, cū docetur à superiori beato: ergo tunc poterit esse error, quia medium opinabile non est indefectibile.

Impug.

4. Arg. Quartò arguitur. Tunc forma est incorruptibilis, quando subiectum non habet priuationem, nec est capax alterius formę; vt patet in forma cœli: sed Intellect⁹ habet priuationem, & est capax formæ contrariæ ad visionem: ergo beatifica visio non est incorruptibilis. Minor probatur, quia Intellectus secundùm se non est determinatus ad visionem beatificam: ergo est capax alterius formæ oppositæ.

5. Arg. Quintò arguitur. Forma principalis, ex qua consequitur beatitudo, est amissibilis: ergo & beatitudo ipsa. Consequētia patet, quia quod consequitur ad aliquam formā, non potest esse inamissibilius ipsa forma ad quam consequitur. Antecedens probatur, nam gratia est forma ad quam beatitudo consequitur, quia beatitudo est gratia consummata: sed gratia est amissibilis: ergo, &c. Si respondeatur, gratiam esse amissibilē in hac vita, nō verò in alia; vel quòd est amissibilis ex parte subiecti, nō autē secundū se: Contra vtrunq; arguitur, nā gratia & Charitas Viæ & Patriæ sunt eiusdē speciei: ergo si in Via est amissibilis, similiter & in Patria; quia corruptibile & incorruptibile ab intrinseco variāt speciem. Secunda etiam solutio impugnatur, quia accidens dependet à subiecto ex propria natura: ergo non potest dici magis durabile & perpetuum, quàm sit subiectum: ergo si ex parte subiecti est corruptibilis, absolutè est corruptibilis; quia non potest permanere stante corruptione subiecti. Nec potest dici, etiam subiectum in beatitudine esse incorruptibile, quapropter ibi gratiam etiam ex parte subiecti esse inamissibilem. Non (inquam) hoc potest dici, quia incorruptibilitas hominis in bea-

2. Solutio.

Impugna. 1. Solu.

Impugna 2. Solut.

titudine est ab extrinseco; nam etiamsi beatus sit, ex propria tamen natura homo est corruptibilis: ergo idem dicendum erit de gratia & beatitudine residente in illo.

6. Arg. Sextò arguitur. Beatitudo si desineret esse per Dei voluntatem, desineret esset manente subiecto: ergo est corruptibilis. Patet consequentia, nam corruptio in hoc distinguitur ab anihilatione, quòd anihilatio est desitio totius esse, sicut & creatio inceptio totius esse: corruptio verò est desitio esse formæ, manente esse subiecti; sicut & generatio est inceptio esse formæ in subiecto præexistente. *Confir.* Confirmatur, nam beatitudo non creatur, sed educitur de potentia subiecti, & consequenter generatur in illo: ergo desitio eodem modo deberet esse manente subiecto per corruptionem ipsius beatitudinis, quia quæ incipiunt per generationē, desinūt esse per corruptionē; & illa tantùm desinunt per anihilationem, quæ necessariò incipiunt per creationem; vt patet in Angelo, qui quia necessariò incipit per creationem, necessario sidesinit esse, debet desinere per anihilationem, vt dicitur. 1. p. q. 50. art 5.

7. Arg. Septimò arguitur. Si propter aliquam rationem beatitudo esset inamisibilis, maximè propter rationem. D. Tho. scilicet quia Intellectus beati debet iudicare de perpetuitate beatitudinis iudicio vero (nā si esset falsum, hoc ipsum esset contra beatitudinem) nam si non iudicaret de tali perpetuitate, tristitiā haberet, quæ beatitudini repugnat: ergo vt beatitudo sit plenè satians, perpetua debet esse, & sic de illa esse iudicium. Similiter ex parte Voluntatis, quia Voluntas non potest velle desistere â videndo Deum, quia in hoc nulla apparet ratio boni, cùm videre Deū, sit summum bonum: ergo nunquàm poterit desistere à visione, & sic erit perpetua. Similiter ex parte Dei; Deus enim beatitudinem subtrahere non potest secundùm ordinē iustitiæ; cùm talis subtractio esset pœna, & hæc beato impeccabili imponi non debet: ergo semper à Deo erit conseruanda, & sic erit inamisibilis, etiam ex parte Dei. Sed hæc ratio quantum ad triplicem partē non valet: ergo. Minor probatur quoad primam partem; nam si Deus reuelaret beato in posterum damnandum fore, conformaretur Voluntati diuinæ, & pro tempore durationis beatitudinis nō esset mœstus: ergo. Similiter etiā, si cogitaret finiendam esse beatitudinem, non tristaretur pro tempore durationis illius, quod & patuit in Diuo Paulo, qui quamuis videret finiendam esse visionem quā habuit in Via, pro tempore tamen visionis non tristis, sed maximè lætus erat. Secunda etiam pars impugnatur, quia bonum diuinum non continet in se formaliter omnē rationem boni & appetibilis: ergo potest Voluntas beati appetere aliquod bonū formaliter, quod sit incompossibile cum beatitudine, quo appetitu supposito, destruitur beatitudo. Item quia posset Deus reuelare beato, se velle quòd ipse beatus velit desistere à sua beatitudine; in quo nulla appareret implicatio; cùm non sit peccatum velle desistere à beatitudine: sed tunc beatus ex vi beatitudinis habebit volūtatem conformem Voluntati diuinæ: ergo iam potest esse in beato Voluntas desistendi à beatitudine. Tertia etiam pars eiusdem rationis impugnatur, quia Deus potest auferre beatitudinem â beato, non per modum pœnæ & supplicij, sed ex sua libera Voluntate, tanquàm omnium Dominus; est enim magis Dominus gloriæ beati, quàm ipse beat⁹: ergo ex nullo capite assignatur necessaria & perpetua & inamissibilis duratio beatitudinis.

8. Arg. Octauò arguitur. Cuius essentia & existentia realiter distinguuntur, vnum est ab altero separabile: ergo corruptibile: quia nihil aliud est corrumpi, quàm manente essentia desinere existē tiam: sed huiusmodi est beatitudo: ergo est coruptibilis. Minor patet, quia solùm in Deo essentia & existentia non distinguuntur, cùm Deus sit suum esse.

9. Arg. Vltimò arguitur. Visio beatifica Diui Pauli in raptu, & beatorum in Patria, sunt eiusdem speciei: sed visio Pauli fuit amissibilis, vt defacto fuit amissa: ergo similiter visio in Patria.

1. Sentent. Origen. quam etiā refert D. Augu. D. Hierony. Epiphan. D. Thom. In hac re, loquendo defacto, fuit error Origenis libro primo de Principijs, c. 6. & lib. 3. capit. 6. quem etiam refert D. Aug. libro de hæresibus, cap. 43. Hieronymus in apolog. contra Ruffinum, & epistola 59. Epiphanius epistola ad Ioannem Hierosolymitanum, & D. Thom. in hoc articulo, & tertio contra Gentes, capitulo 62. quòd quidem nec gloria beatorum, nec pœna damnatorum futura est perpetua, sed post longum tempus futuras esse transmutationes & vicissitudines, vt beati essent damnati, & damnati beati: quem errorem habuit Origenes sequutus sententiam

tiam Philosophorum de transmigratione animarum & perpetuitate mundi; sic enim necessum erat, multoties multas animas ex damnatis & glorificatis assumi ad reunionem nouorum corporum, & sic in corpore nouo multoties damnari, quæ prius erat beata, & è contra. Verum est, aliquos dicere, non fuisse errorem Origenis quantum ad beatos, sed quantum ad damnatos tantùm; quia in Conciliis antiquis, vbi damnantur errores Origenis, tantùm huius fit mentio, vt constat ex quinta Synodo generali, de quo videatur Capreolus in Elencho hæresum, verbo Origenistæ, & Sanderus libro sexto de Monarchia visibili Ecclesiæ. Immò Magister Soto in secundo, distinctione 50. quæstione prima à principio, docet, Origenem non habuisse prædictum errorem, etiam quoad damnatos, sed insertum fuisse operibus eius, & alios multos errores: de quo videatur Sixtus Senensis in Bibliotheca sancta, libro quinto, annotatione 126.

Prateol. *Sanderus.* *Soto.* *Sixt. Senē.*

Loquendo autem de possibili & de naturis rerum, Scotus in quarto, dist. 49. quæstione 6. & Durandus ibidem, q. 6. & Ocham in 4. quæstione vltima, tenent, beatitudinem quidem perpetuò duraturam; sed hoc non esse ab intrinseca natura ipsius, sed ab extrinseca manutenentia Dei, qui vult vt perpetuò duret; quia ab intrinseca natura solus Deus est incorruptibilis (inquit Scotus) alia verò ex mera voluntate Dei solùm. Vel, vt inquit Ocham in quarto, quæstione 14. artic. 4. ad septimum dub. & Gabriel in Supplemento, & in 4. distinctione 49. quæstione secunda, articulo tertio, dubio septimo, beatitudo non est ab intrinseco inamissibilis, quia illud iudicium de perpetuitate, quod ponit D. Thom. in beato, non est de essentia ipsius beatitudinis; vnde non est aliquid proprium intrinsecum perpetuæ durationis; quia si quid esset, esset illud iudicium, quo stante, non potest beatitudo definere.

Scot. Duran. Ocham. Gabriel.

3. Senten.

Tertia sententia est modernorum, quod beatitudo consideratur dupliciter. Primò in ratione beatitudinis & boni perfecti. Secundò in ratione visionis, & cuiusdam operationis. Primo modo est inamissibilis ab intrinseco, nam aliàs non esset perfectum bonum. Secundo modo est amissibilis, quia hac ratione, vt probat vltimum argumentum, eiusdem rationis est cum visione Diui Pauli, quæ tamen fuit amissa. Pro intelligentia notandum, quòd vt iudicemus an aliqua res sit corruptibilis, vel incorruptibilis ab intrinseco, non debet præcisè attendi ad necessariam dependentiam, quam quælibet creatura habet à Voluntate diuina & illius concursu; sic enim omnis creatura corruptibilis erit; quia Deo non conseruante, omnia deficiunt. Præsupposito ergo Dei concursu necessario ad omnium conseruationem, venandum est de corruptibilitate, vel de incorruptibilitate rerum per propria principia & causas illarum. Tunc ergo aliqua res dicitur secundùm se corruptibilis, quando ex se ipsa habet aliquod principium in se intrinsecum corruptionis, per quod tendit ad non esse: illa verò incorruptibilis, quæ tale principium non habet, & cui concursus Dei conseruans iuxta naturam eius secundùm legem ordinariam, est quasi debitus & connaturalis, ita vt esset miraculum talem concursum deficere; & sic licèt secundùm potentiam absolutam posset illum suspendere, & talis creatura deficere, non ideò dicenda est corruptibilis; sed vt talis dicatur, requiritur non habere concursum Dei conseruantem annexum, secundùm legem ordinariam.

Not.

Prima conclusio. Secundùm Fidem tenendum est, beatitudinem defacto esse perpetuam & inamissibilem. Probatur Ecclesiastici 11. Vbicunque ceciderit lignum, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem, ibi erit. Et Sapientiæ 5. Iusti autem in perpetuum viuent. Et Ioan. 16. Gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Et Matthæi 6. Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demoliuntur, &c. quæ duo loca in sensu nostræ conclusionis explicat Diuus Augustinus tractatu 11. super Ioan. licèt etiam aliam ibi explicationem adhibeat. Similiter Apocalypsis 3. Qui vicerit, faciam illum columnam in domo Dei, & non egredietur foras amplius. Marci 9. Vermis eorum non morietur. Et à fortiori de beatitudine debet sic affirmari, quia promior est Deus ad præmiandum, quàm ad puniendum. Videatur etiam Ecclesiasti. 14. Matth. 23.

1. Concl. *Eccles. 11.* *Sapient. 6.* *Ioan. 16.* *Matth. 6.* *D. Aug.* *Apoc. 3.* *Marc. 9.* *Eccles. 14.* *Matth. 23.*

Ad Ro. 6. & ad Romanos sexto. Hoc etiam cantatur in Symbolo, Credo vitam æternam. Denique diffinitum est in sexta Synodo generali, in epistola Sophronij, quæ habetur in actione 11. Plura alia videantur in Castro de hæresibus, verbo Beatitudo, hæresi 3. & 6. De hac veritate contra Origenem videatur Diuus Augustinus 12. de Ciuitate Dei, capite secundo, & Diuus Gregorius lib. 34. Moral. cap. 12. & Diuus Thomas tertio contra Gentes, capite 62. & Ioannes Arboreus libro secundo Theosophiæ, capite 17. Et notandum, quòd licèt Diuus Hieronymus videatur asserere, pœnas Christianorum non fore perpetuas, super illud, Vermis eorum non morietur, & super ad Ephesios secundo, in illa verba: Vt ostenderet in sæculis superuenientibus; tamen in Apologia contra Ruffinum ab hoc errore se purgat docens contrarium: & in epistola ad Auitum, & super 3. cap. Ionæ, & alijs pluribus locis.

Sexta Synodus. *Castro.* *D. Aug.* *D. Greg.* *D. Tho.* *Ioan. Arb.* *Not.*

2. Concl. Secunda conclusio. Beatitudo secundùm propriam rationem beatitudinis, & ex propria natura, & ab intrinseco, est incorruptibilis, & inamissibilis. Hæc conclusio videtur expressa D. Thom. & tertio contra Gentes, cap. 62. Eam docent Caietanus & Conradus & Medina hic, & Soto in quarto, distinctione 49. quæstione tertia, articulo quarto, conclusione secunda. Docuit illam Diuus Augustinus libro 15. de Trinitate, capite 1. & 8. vbi docet, quòd beatitudo quæ non est perpetua, non est beatitudo: si autem esset perpetua solum ab extrinseco, & per accidens esset beatitudo. Intendit ergo contra Scotum probare hanc conclusionem Medina, quod, vt constat de Fide, beatitudo nunquàm corrumpetur: ergo est ab intrinseco incorruptibilis; aliàs enim corrumperetur. Nec alia ratione probatur de Angelo, vel cœlo incorruptibilitas, nisi quòd nunquàm corrumpuntur. Sed hæc ratio debilissima est, quòd bene posset nunquàm corrumpi, & hoc non haberet ab intrinseco, sed ab extrinseca voluntate Dei. Nec hac ratione probatur de cœlo vel Angelo, sed à priori, quia non habent contrarium, à quo fiat corruptio, & quia materia cœli est satiata forma quam habet, & aliam non appetit: & si hoc non reperiretur, perpetua duratio nō sufficeret, quia & corpora damnatorum perpetuò durabunt, nihilominus non ab intrinseco erunt incorruptibilia; quia motus cœli cessabit requisitus ad introductionē alterius formæ, & amissionem prioris existentis: de quo videatur Ferrara 4. contra Gentes, c. 86. & Soto in 4 distin. 49. quæst. 4. art. 5. Probatur ergo conclusio. Primò, ratione D. Thom. Beatitudo est bonum perfectum plene satians appetitum: ergo debet esse perpetua. Patet consequentia, quia inter alia appetit, bonū perfectū possessum non deficere: ergo vt maneat quietus beatus, debet habere iudicium de perpetuitate boni possessi; quod vtique falsum esse non potest, quia hoc esset contra naturam beatitudinis expellentis omne malum, etiam Intellectus: & si verum est tale iudicium, ita est quod beatitudo erit perpetua. Et si contra arguas, quia ad securitatem, & expulsionem tristitiæ in beato, sufficeret non cogitare de amissibilitate talis boni: ergo non requiritur iudicium de perpetuitate positū à Diuo Thoma: Respondetur, quòd quies in vnaquaque re debet esse iuxta naturam suam, vnde in beato, vt rationabilis sit, debet esse animata per propiam cognitionem & iudicium, & non inanimata per negationem considerationis, quæ valde imperfecta securitas esset, & quam etiam habet peccator in multis sceleribus existens, solum quia non cogitat de iustitia Dei, & breuitate vitæ. Et si rursus arguas, quòd posito tali iudicio, licèt ex illo probetur perpetua duratio, non tamen quòd sit ab intrinseco, quia vt beatus sit securus, sufficit cognoscere perpetuam futuram esse beatitudinem ex voluntate Dei. Quid enim illi, si possessio est perpetua, quòd hæc sit ab intrinseco, vel ab extrinseco? Respondetur, ex tali iudicio non solùm inferri perpetuam durationem, sed etiam hanc ab intrinseco esse; quia si ab intrinseco beatitudo, vt plenè satiet, habet causare iudicium perpetuitatis, quo quietetur beatus, ab intrinseco etiā debet habere, quòd illud iudiciū sit verum: nam si veritas perpetuitatis solum erat ab extrinseco, beatitudo ab intrinseco causans tale iudicium, periculo falsitatis exponebatur; vt ergo ad falsum non inclinet, sicut ab intrinseco debet habere quod requiritur ad iudicij veritatem, nempe perpetuitatem iudicij. De perpetuitate beatorum videatur Augustinus libro de Correctione & gratia, c. 10. & de

D. Tho. *Caiet.* *Conrad.* *Medin.* *Soto.* *D. Aug.* *Ferrar.* *Soto.* *D. Tho.* *Obiectio.* *Solutio.* *Obiectio.* *Solutio.* *D. Aug.*

& de illa loquuntur multa loca Scripturæ, iuxta expositionem Sanctorum. Zachariæ 14. Sedebit Ierusalem secura; quod ad propositum explicat Glossa ordinaria. Item Esaiæ 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta: quem locum etiam ad propositum explicat Lyra & communiter Doctores. Videatur etiam D. Thom. secunda secundæ, quæstione 129. articulo septimo, ad tertium, qualiter securitas præmij pertineat essentialiter ad præmium virtutis: sicut enim ad punitionem damnatorum pertinet certitudo de æternitate pœnarum; ita ad gloriam Sanctorum certitudo perpetui præmij. Quòd hæc securitas à iudicio & cognitione debeat prouenire, probatum est ex natura perfecta ipsius beatitudinis, quia aliunde proueniens imperfecta securitas esset.

Zachar. *Gloss. ordi.* *Esaiæ. 32.* *Lyra.* *D. Thom.*

Secundò probatur conclusio. Beatitudo non habet aliquid proprium intrinsecum suæ corruptionis: ergo ab intrinseco est incorruptibilis. Consequentia patet, nam hoc est esse incorruptibile ab intrinseco. Antecedens verò probatur: tùm, quia beatitudo non habet contrarium; tùm etiam, quia, vt dictum est, importat iudicium perpetuitatis, vt plenè quietetur: tùm etiam, quia cùm sit visio clara summi boni, non potest esse aliquis appetitus in Voluntate diuertendi vel cessandi ab illa. Nec potest dici, id posse velle ad experiendam propriam libertatem; nam hæc esset insania, velle experiri libertatem in acquisitione imperfectissimi boni, cum amissione summi boni: præterquàm quòd, vt suprà dictum est, licèt Voluntas beati manea: libera circa alia obiecta, non tamen circa obiectum visionis; sic enim se habet Voluntas in Patria respectu Dei clarè visi, sicut in Via respectu boni in communi: immò magis necesitatur, quia in Via necesitatur ad bonum quoad specificationem, nō tamen quoad exercitium; quia potest apparere bonum, cessare ab actuali amore boni in communi, in Patria autem respectu Dei necesitatur & quoad exercitiū, & quoad specificationem, quia nulla vtilitas potest apparere in cessatione ab actuali visione & amore Dei.

Tertiò probatur. Principia beatitudinis sunt incorruptibilia: ergo & ipsa beatitudo est incorruptibilis ab intrinseco. Consequentia patet, quia incorruptibilitas vel corruptibilitas ex proprijs principijs rei pensatur. Antecedens probatur, nā principia visionis sunt essentia diuina in ratione speciei, & lumen gloriæ: hæc autē incorruptibilia sunt.

Tertia conclusio. Quod dictum est de beatitudine, dicendum est de visione Dei, quòd etiam in ratione visionis claræ sit incorruptibilis ab intrinseco. Hæc est contra tertiam sententiam, sed patet eisdem rationibus, quibus probata est præcedens; quia Voluntas nullo modo potest appetere cessare à visione clara Dei, quia nullo modo potest iudicare Intellectus esse bonum cessare ab illa. Item, quia cum visione clara Dei, vt visio clara est, non compatitur peccatum, vt suprà diximus: ergo etiam in ratione visionis non potest à Deo auferri, quia sine culpa esset infligere pœnam: tùm etiam, quia omnia quæ sunt in beatitudine, radicantur in visione; qua ratione diximus, essentiam beatitudinis in visione consistere: ergo si beatitudo est incorruptibilis ab intrinseco, necessariò prima & essentialis radix totius beatitudinis incorruptibilis debet esse ab intrinseco. Quòd autem visio clara Dei aliquando fuerit data, vt Diuo Paulo, per modum transeuntis, & fuerit amissa, est per accidens, & non tollit, ab intrinseco esse incorruptibilem; sicut quòd habitus aliquando habeat modum dispositionis & facilè transeuntis per accidens ratione subiecti, non tollit quominus ab intrinseco & ex propria natura sit permanens & difficilè mobilis: licèt oppositum doceat Lorca hic, disp. 37. *3. Concl.* *Lorca.*

Ad argumentum primum à principio respondetur, non semper quòd forma recipitur in extraneo subiecto, recipi amissibiliter & corruptibiliter; sed hoc tantùm contingit, quando talis forma habet inamissibilitatem ex proprio subiecto, & non secundùm se ipsam, tunc enim transeundo ad subiectum alienum, amittit perpetuitatem, quam ex proprio subiecto communicabat, & sic contingit in allatis in argumento, verbi gratia, in calore subiectato in aqua; quando verò ipsa forma secundùm se ipsam est inamissibilis & incorruptibilis, in quocunque subiecto sit, secum defert talem inamissibilitatem, si perfectè talis forma participetur: quia tūc talis forma non eget subiecto ad sui perpetuitatem, sed potiùs trahit subiectum, vt per naturam talis formæ con- *Ad 1. arg.*

seruetur, quod alias non ita erat conseruandum. Talis ergo est forma beatitudinis; cùm enim sit participatio immediata Dei, mensurata æternitate illius, inamissibilis est, trahitque subiectum in quo recipitur, ad sui perpetuitatem: itaque talis forma ex se maiorem perpetuitatem habet, quàm subiectum illius; nam subiectum, quod est anima, vel Intellectus, secundùm se mensuratur æuo; beatitudo autem æternitate; vnde coniuncta subiecto, eleuat ipsum, vt quatenus habens talem formam, æternitate mensuretur, & inuariabiliter se habeat: quapropter licèt tali subiecto non deberetur coniunctio talis formæ, cùm ei non esset connaturalis, semel tamen coniuncta, ita manet subiectum satiatum & eleuatum tali forma, vt iam non solùm sit inamissibilitas ex parte ipsius formæ, sed etiam ex parte ipsius subiecti, quod plenè satiatur tali forma: vt verbi gratia, personalitas diuina non est debita naturæ humanæ; semel tamen illi coniuncta, ita manet subiectum satiatum & eleuatum propter sui eminentiam & perfectionem, vt iam nullatenus à tali natura etiam propria personalitas appetatur; vnde coniunctio talis personalitatis etiam ex parte naturæ plenè satiatæ est inamissibilis. Dixi autem hoc contingere, quando talis forma secundùm se inamissibilis perfectè habetur in subiecto, nam aliàs non trahitur subiectum ad perpetuitatem; & tunc talis forma secundùm se inamissibilis, ex parte subiecti potest corrumpi & deperdi, vt contingit in gratia & Charitate in Via; habentur enim imperfectè, ratione cognitionis obscuræ Fidei, & sic sunt amissibiles; & quotidiè deperduntur ex parte subiecti, licèt ex sua natura incorruptibiles sint.

Ad 2. arg. Ad secundum respondetur, beatitudinem non esse corruptibilem ab Authore supernaturali secundùm legem ordinariam & communem illius ordinis, sed tantùm secundùm absolutam. Hoc autem non tollit, quominus absolutè beatitudo dicatur incorruptibilis, sicut cœlum & Angelus incorruptibilia sunt, licèt per potentiam absolutam possint desinere esse.

Ad 3. arg. Ad tertium respondetur, bonam esse solutionem illam, quòd huiusmodi actus opponuntur ex parte obiecti, non tamen ex parte subiecti: cùm enim beatitudo sit participatio diuina immediatè, sicut Deo nihil est contrarium, ita nec beatitudini. Ad replicam autem ibi factam respondetur, quòd licèt beatus aliqua cognoscat extra Verbum, nihil tamen cognoscit opinatiuè, sed quidquid cognoscit, omnino certò cognoscit: proposito enim sibi obiecto, si non videat euidenter, manet suspensus in iudicando, quoad vsque sit perfecta reuelatio veritatis, vt clarè videri possit: prudenter enim agit beatus; vnde non exit in actum in quo exponatur periculo errandi, & non solùm in talibus veritatibus non potest errare propter euidentiam in attestante (vt ait Medina) sed dicendum est, eorum quæ cognoscit habere euidentiam in se ipsis, quia quando solùm in attestante est euidentia, adhuc manet desiderium cognoscendi rem in se ipsa: cùm ergo desiderium beati compleri debeat, etiam rei cognitæ in se ipsa euidentiam debet habere. Itaque nō negamus, quin in beatis sit multorum nescientia, quæ non pertinent ad essentiam beatitudinis, vt docet Diuus Thomas prima parte, quæstione 106. art. 2. quapropter dicit etiam de Angelis beatis, quòd illuminantur ab alijs superioribus circa obiecta de quibus habent simplicem nescientiam. Et secunda secundæ, quæstione 52. artic. 3. id generaliter docet de omnibus beatis. Et ratio est manifesta, quia cum Intellectus syncathegorematicè sit infinitus, & non tot cognoscat, quin plura possit cognoscere; nunquàm ad tantam cognitionem peruenit, vt multorum adhuc ne scientiam non habeat. Nec ista nescientia tristitiam causat, cùm videat beatus illam esse intrinsecam creaturæ finitè cognoscenti, nec potenti attingere omnia; & cùm etiam videat in proximo esse Deum, vt de omnibus desideratis illuminet; qua propter quando de huiusmodi à Deo illuminantur, non illuminantur quasi ignorantes, sed quasi solùm nescientes, vt docet D. Thomas 2. 2. loco allegato: nescientia enim quæ puram negationem importat, beatitudini non contradicit: ignorantia autem dicit errorem positiuum, vel saltim carentiam cognitionis proportionatæ, etiam debitæ, in esse; quod vtique in beato reperiri non potest, cùm hoc sit malum Intellectus, vt docet *D. Thom.*

cet Diuus Thomas hic & 2. 2. quæstione 60. articulo 4. ad secundum, ex doctrina Aristotelis 6. Ethic. cap. 2. & clariùs 6. Metha. textu. 8. Verum est, non posse negari quin aliquando possit contingere, vt Deo reuelante aliquam veritatem, possit à beato non videri in se ipsa; vt si hoc ad aliquem finem esset vtile; tunc tamen secundum diuinam prouidentiam beatus non desideraret ampliorem cognitionem, nec conaretur iudicare de re in se ipsa tantùm opinatiuè, vel obscurè, ne periculo errandi exponeretur. *Obiectio.* Et si contra præcipuam solutionem facias argumentum, quia gratia & Charitas sunt immediata participatio Dei; & nihilominus habent contrarium; quia, vt dicitur infrà quæst. 113. art. 2. gratia expellitur physicè per peccatum, & similiter Charitas per odium Dei: ergo ratio assignata, est insufficiens: *Solutio.* Respondetur ex supra dictis gratiæ & Charitati secundùm se nihil esse contrarium, vnde secundùm se sunt inamissibilia: considerata autem ex parte subiecti, quatenus imperfectè participantur, contrarium habent, quia vt sic sunt amissibilia; vnde corruptio gratiæ, vel Charitatis, non est per immediatam actionem circa ipsam formam, sed circa dispositionem conseruantem, quatenus ponitur contraria per Voluntatem ad illam quæ requiritur ad conseruationem gratiæ; dispositio autem ex parte subiecti se tenet. Cùm ergo corruptio se teneat ex parte subiecti, primò attingit dispositionem, & hac ratione expellitur forma: visio autem beatifica est forma diuina perfectè participata, & sic vndequaque inamissibilis est, & fine contrario.

Ad 4. arg. Ad quartum argumentum respondetur, quòd licèt Intellectus, vt dictum est, multa non cognoscat; non tamen alicuius cognoscendi priuationem habet; quia quod non cognoscit, non est ei debitum nec proportionatum; quod requirebatur ad priuationem: ista enim non dicit negationem vtcunque, sed in *2. Solutio* subiecto apto, cui talis forma debeatur. Vel secundò respondetur, quòd licèt in Intellectu beati maneret priuatio aliarum cognitionum quas non habet; tamè ad formam oppositam claræ visionis non habet priuationem, quia non habet appetitum, cũ visione clara plenè satietur, vt dictum est; vnde nõ desiderat desistere, sed potiùs in illa manere semper, iuxta illud Ecclesiastici, Qui edunt me, adhuc esurient, &c.

Ad quintum argumentum respondetur, lumen gloriæ & visionem beatificam non oriri ex gratia vtcunque, sed ex gratia consummata: gratia autem consummata inamissibilis est, sicut & ipsa gloria in qua gratia consummatur. *Ad 5. arg.* Vel secundò dicitur, etiam gratiam in hac vita in amissibilem esse ex natura sua, & tantùm corrumpi ex parte subiecti, vt de Charitate docet Diuus Thomas 2. 2. quæst. 24. art. 11. *2. Solutio.* *D. Thoi* Ad primam impugnationem positam in argumento contra hanc solutionem, respondetur, quòd si gratia huius vitæ esset ab intrinseco corruptibilis, distingueretur à gratia Patriæ: cæterùm, vt diximus, tantùm est corruptibilis in hac vita ab extrinseco ex parte subiecti; quod non tollit vnitatem specificam cum gratia Patriæ: sicut habitus habens per accidens modum dispositionis, eiusdem speciei est cum habitu permanente & habentè modum habitus; distingueretur tamen specie, si haberet ab intrinseco esse facilè transiens. *Ad. 1. impug.* Ad secundam impugnationem respondetur, quòd accidens existens in connaturali subiecto, non potest ex propria ratione ese permanentius & incorruptibilius ipso subiecto: quando autem subiectum non est connaturale, cùm non habeat permanẽtiam ex subiecto quantum ad naturam suam, sed solùm quantum ad de facto corrumpi, vel permanere; tunc dicitur, quòd ex natura sua forma est per manentior subiecto ex natura sua, licèt per accidens & de facto non possit durare plus quàm subiectum, propter dependentiã inhærentiæ ab illo: sic ergo se habet gratia, non enim est in homine & in connaturali subiecto: vnde licèt homo ex natura suà sit corruptibilis; gratia tamẽ ex natura sua potest esse incorruptibilis, & solùm per accidens & de facto corrumpetur defectu subiecti variabiliter se habentis in hac vita: in Patria autem trahitur etiam subiectum, vt dictum est, ad permanentiam ipsius formæ tunc existentis in esse perfecto; qua propter tunc omnino manet incorruptibilis gratia, & secundùm se, & ex parte subiecti, & consequenter gloria quæ ad illam consequitur. *Ad. 2. iumpug.*

Ad sextum argumentum respondetur, non esse in vniuersum verum, quòd quæ incipiunt per creationem, necessariò *Ad 6. arg.*

sario debeant desinere esse per anihilationem; quia bene possunt desinere esse per transsubstantiationem in alteram substantiam; in qua conuersione non interuenit anihilatio, vt dicitur. 3. part. quæst. 74. & 75. Cæterùm ad propositum argumenti, loquendo de accidentibus, siue naturalibus, siue supernaturalibus, non creantur (vt volebat Scotus) quia educuntur saltem de potentia obedientiali subiecti; vnde proprius modus desinendi illorum non est per anihilationem, sed per separationem à subiecto, manente ipso; quæ vtique desitio si propriè sit per contrarium physice expellēs, connaturaliter ad ipsam formam expulsam, propriè & in rigore est corruptio, & propter hoc talis forma expulsa propriè & in rigore dicitur corruptibilis; aliàs autem talis desitio non connaturaliter se habens ad formam, sed per accidens, generali & larga acceptione dicetur corruptio, vt opponitur anihilationi, cùm maneat subiectum: cæterùm hoc non sufficit vt talis formadicatur corruptibilis; quia hoc sonat ab intrinseco habere aliquod contrarium connaturaliter expellens ipsam à subiecto. Cùm ergo gratia in hac vita, licèt desinat esse manente subiecto, & hac ratione talis desitio generali nomine dicatur corruptio; non tamen ipsa gratia dicitur corruptibilis; quia talis desitio non est connaturaliter ad ipsam gratiam, sed ab extrinseco & per accidens ex subiecto, vt dictum est.

Ad 7. arg. Ad septimum respondetur, optimam esse rationem Diui Thomæ: & quoad primam partem illius dicitur, illud iudicium de perpetuitate omnino esse intrinsecum & necessarium beatitudini, vt omnis tristitia expellatur à beato. Ex quo sequitur, falsum esse quod asserit Ocham & Grabriel vbi suprà & Richard. 49. d. artic. 3. quæstione 7. quòd tale iudicium sit actus distinctus ab actu visionis Dei; nam si actus esset distinctus, non esset essentialis beatitudini, quia, vt dictum est suprà, essentia beatitudinis in actu visionis consistit: ipse ergo actus visionis vtrumque habet eminenter formaliter, & esse visionem, & esse iudicium, sicut & esse directum & esse reflexum, vt suprà diximus. Ad primam ergo impugnationem contra hanc partem, respondet Capreolus in primo, dist. 1. quæstione 3. ad argumentum contra quartam conclusionem, illam reuelationem esse posibilem; dicit tamen quòd tunc cessaret beatitudo per accidens ex Voluntate Dei; quod non tollit, beatitudinem per se & ab intrinseco esse inamisibilem: & idem videtur docere Durandus in hoc articulo. Melùs tamen respondetur, suppositâ distinctione, quòd beatitudo potest accipi dupliciter. Primò in ratione visionis præcise. Secundò in ratione beatitudinis. Primo modo præcise dicit attingentiā clarā obiecti. Secūdo modo inuoluit statuta & leges, & promissiones Dei de perpetuitate, vt sic beati omnino sint securi, vt in pace. Dico ergo, q beatitudo, siue in ratione visionis, siue in ratione beatitudinis, ex propria natura & ab extrinseco est inamisibilis: cæterū est diuersitas, quòd in ratione visionis posset per accidens cessare ex Voluntate Dei, & de hoc posset esse reuelatio facta beato: cæterùm in ratione beatitudinis, nec per accidens potest amitti, nec reuelatio de amissione beatitudinis est posibilis; quia cùm in sensu composito, & suppositâ promissione perpetuitatis, Deus non posit illam auferre, & nomen Beatitudo hunc sensum compositum & suppositionem inuoluat, omnino dicendum est, esse impossibile, Deum reuelare beato amissionem suæ beatitudinis: quia tamen ratio visionis de facto, & ratio beatitudinis sunt coniunctæ, sicut non potest esse reuelatio de amissione beatitudinis, ita nec de amissione visionis. Sed dato quòd per posibile, vel impossibile, ratio visionis à ratione beatitudinis separaretur, & tunc fieret reuelatio de amissione visionis, restat examinare, quid tūc faceret cui fiebat reuelatio, vtrùm conformaretur Voluntati Dei, vel vtrùm haberet aliquam tristitiam de tali reuelatione. Aliqui dicunt quod cùm Voluntas videntis Deum omnino conformaretur Voluntati diuinæ, tunc vellet cessationem visionis, & quòd Voluntas Dei impleretur; nec pro tempore suæ visionis aliquam tristitiam haberet, cùm videret hanc cessationem non futuram ex natura ipsius visionis, quæ secundùm se erat perpetua; sed ex Voluntate Dei, cui ipse cōformatur. Si autem ex propria natura esset amisibilis, tunc esset anxiatus, curans de perpetuitate & retentione beatitudinis, sicut qui in Via habet gratiam & Charitatem. Melius tamen

Ad 1. imp. resp. ex Capre. & Durand.

2. Solutio verior.

1. Modus.

2. *Modus vetior.* tamen respondetur, quòd licèt Deus posset reuelare & velle amissionem visionis pro aliquo tempore; non tamen in perpetuum; quia hoc esset cõtra rationem amicitiæ quam haberet cum vidente ipsum (nisi forsitan in opinione quòd visio potest esse cum peccato & sine rectitudine Voluntatis; quia cũ tunc non esset lex amicitię, etiam posset velle priuare tali visione in perpetuum, & pro sua libertate illam auferre, sicut & per eadem illàm cõtulit.) Videns autem Deum, & cui fieret talis reuelatio, eodem modo se haberet; posset enim velle in obsequium Dei & ex amicitia cum illo, cessare per aliquod tempus à tali visione; non autem posset id velle in *Ad Rom 9* perpetuum. Primum patet ad Rom. 9. Optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis; quem locum, vt suprà diximus, communiter explicãt Sancti de dilatione visionis, diutius permanendo in hac vita ad prædicationem Euangelij, motum ex charitate fraterna. Secundum vero etiam patet, quia nõpotest sub lege amicitię cadere, se velle in perpetuum priuari amico, & etiam quia impossibile est, aliquem velle nunquàm esse beatum. Cùm ergo beatitudo essentialiter & radicaliter contineatur in visione, & id cognoscat clarè qui videt Deum, sicut non potest velle nunquàm esse beatus; ita nec potest velle in perpetuum se visione carere. Ad impugnatio- *Ad 2. imp* nem secundæ partis respondetur, quòd beatitudo continet eminenter omne bonum desiderabile; quod sufficit beato, nec potest appetere habere bonum aliquod formaliter extra beatitudinem destruens ipsam; immò hoc esset maxima imprudentia, quia melius est in summo bono frui alijs contentis emineter in ipso, quàm frui eisdem formaliter in se ipsis; vnde non potest appetere istud cum amissione illius. *Ad 3. imp.* Ad tertiam probationem respondetur ex dictis, talem amissionem beatitudinis non posse fieri nisi per modum pœnæ secundum legem ordinariam. Quòd autem secundùm legem absolutam posset visio cessare sine culpa, nihil contra Diuum Thomam qui loquitur de lege ordinaria; quia, vt dictum est, vt aliquid sit inamissibile ab intrinseco, sufficit quòd de lege ordinaria sit inamissibile, licèt secundùm potentiam absolutam destrui possit.

Ad 8. arg. Ad octauum argumentum respondetur, quòd licèt essentia & existentia realiter distinguantur in omni creatura; quapropter secundùm potentiam absolutam vnum possit ab altero separari, quia in ordine ad potentiã Dei, nullũ est ens necessarium, quia nullum est ens per essentiam sed omne per participationem ab ipso, communicante esse per Voluntatem, per quam tale esse potest cessare: nihilominus quia de lege ordinaria & secundùm naturas rerum, & suppositа semel productione rei, est debitus concursus conseruans existentiam, dicitur incorruptibilis & inamissibilis. Et si contra arguas, quia *Obiectio.* esse, nec est essentia, nec propria passio alicuius creaturæ, sed merum accidens quinti prædicabilis: ergo etiam secundùm legem ordinariam esse cuiuscunque creaturæ est amissibile; quia accidens est quod potest adesse & abesse: *Solutio.* Respondetur, ita verum esse, quòd licèt existentia prædicamentaliter sit substantia, prædicabiliter tamen est accidens quinti prædicabilis: nihilominus à rebus incorruptibilibus ab intrinseco secundùm legem ordinariam existentia separari non potest: non quia sit essentia vel propria passio, sed quia, vt dictum est, non est aliquod contrarium, vel principium corruptionis; vnde aliter est inseparabile esse ab essentia in huiusmodi, atque propria passio ab essentia; propria enim passio inseparabilis est propter emanationem positiuam & naturalem à subiecto; existentia autem in prædictis est inseparabilis per negationem corrumpentis, talis enim negatio sufficit, vt positiuè res & ab intrinseco dicatur incorruptibilis. Definitio autem accidentis notanda est, non enim asserit, accidens esse separabile vtcunque, sed præter subiecti corruptionem, hoc est, illud erit accidens, quod salua essentia, & subiecto etiam, quantum ad perfectionem connaturalem & intrinsecam potest separari; hoc est, etiamsi separetur, essentia manebit integra: in quo distinguitur à propria passione: non enim vtcunque est in separabilis, sed taliter, quòd si separetur, esset aliqualis destructio essentiæ, & quasi trunca manebit; vnde cum aliquali corruptione subiecti separaretur: existentia ergo rerum, quia non sic se habet ad essentias illarum, accidentaliter prædicatur, etiamsi ab intrinseco ab incorruptibilibus sit inseparabilis, vt dictum est.

Ad vltimum respondetur, petere illam *Ad 9. arg.* difficultatem, vtrùm visio Diui Pauli in raptu,

raptu, sit eiusdem speciei cum visione beatorum in Patria. In qua re est duplex sententia. Prima, quòd sint eiusdem speciei essentialiter, solumque accidentaliter differre ex parte subiecti. Fundamentum huius est, quia vnitas, vel differentia specifica sumitur ex obiecto; amissibilitas autem, vel inamissibilitas quæ sumitur ex parte subiecti, solùm facit differentiam accidentalem, qualitas enim facilè, vel difficilè mobilis solùm ex parte subiecti, non differt specie essentialiter, secundùm D. Tho. infra quæstione 49. articulo secundo ad tertium. Secunda sententia est, illas visiones differre specie essentialiter; quia visio Pauli ex natura sua erat amissibilis; aliarum autem inamissibilis ex natura sua; quia, vt inquit D. Tho. 2.2.q.175.art.3. ad secundum, lumen gloriæ datum est Paulo per modum dispositionis, sicut lumen propheticum datum fuit Prophetis: cũ ergo lumen propheticũ nõ sit dubium specie differre à lumine gloriæ, idem dicendum erit de lumine Pauli & lumine aliorum beatorum. Nihilominꝰ prima sententia est vera; & clariùs dicitur iuxta supradicta, quòd licèt in ratione beatitudinis specie differant, non tamen in ratione visionis: illa tamen differentia secundùm permanentiam, vel non permanentiam ex parte subiecti est accidentalis; conuenientia verò est essentialis, quia est ex parte obiecti. Ad locum autem D. Th. in oppositum, respondetur, exemplum non tenere in omnibus, sed in eo, quòd sicut lumen propheticum est transiens, ita fuit & lumen Diui Pauli: in alijs autem non tenet, quia lumẽ propheticum est obscurum; lumen autem Diui Pauli erat clarè manifestans Deum vt in se; vnde nihil ad rem, quòd tale lumen detur per modum habitus, vel dispositionis, vel per modum auxilij, siue inhærentis, siue non inhærentis, vt aliqui opinantur possedari; quia cùm ex parte obiecti ratio sit eadem, omnis alia differentia est ex parte subiecti & accidentalis.

D. Tho.

D. Tho.

ARTICVLVS V.

Vtrùm homo per sua naturalia possit acquirere beatitudinem.

AD quintum sic proceditur. *Videtur quòd homo per sua naturalia possit beatitudinẽ consequi. Natura enim non deficit in necessarijs: sed nihil est homini tam necessariũ, quàm id quod per finem vltimum consequitur: ergo hoc naturæ humanæ non deest: potest igitur homo per sua naturalia beatitudinem consequi.* *Infr. q. 62. art. 1. 2. & 3. Et 1. q. 112. 4. & 94. ar. 1. Et 4. d. 49. q. 2 ar. 6. Et 3. contra. 52. 147. 157. & 159. pri. Et Rom. 1 lect. 6. fin.*

Præterea. Homo cùm sit nobilior irrationalibus creaturis, videtur esse sufficientior: sed irrationales creaturæ per sua naturalia possunt consequi suos fines: ergo multo magis homo per sua naturalia potest beatitudinem consequi.

Præterea. Beatitudo est operatio perfecta secundùm Philosophum† eiusdem autem est incipere rem, & perficere ipsam: cùm igitur operatio imperfecta, quæ est quasi principium in operationibus humanis, subdatur naturali hominis potestati, quia suorum actuum est dominus; videtur quòd per naturalem potentiam possit pertingere ad operationem perfectam, quæ est beatitudo. † *Lib. 1. Eth. c. 7. to. 5.*

Sed contrà. Homo est principium naturaliter actuum suorum per Intellectum & Voluntatem: sed vltima beatitudo Sanctis præparata excedit Intellectum & Voluntatẽ,

Dicit

Dicit etiam Apostolus 1. ad Cor. 2. Oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis nō ascendit, quæ præparauit Deus diligētibus se: ergo homo per sua naturalia non potest beatitudinem consequi.

Respondeo dicendum, quòd beatitudo imperfecta quæ in hac vita haberi potest, potest ab homine acquiri per sua naturalia, eo modo quo & virtus, in cuius operatione consistit; q. 63. *de quo infrà dicetur:* † *sed beatitudo hominis perfecta (sicut suprà dictum est)* q. 3. art. 8. † *consistit in visione diuinæ essentiæ; videre autem Deū per essentiā, est supra naturā, non solùm hominis, sed etiā omnis creaturæ, vt in primo ostēsum est: naturalis enim cognitio cuiuslibet creaturæ est secūdum modum substantiæ eius; sicut de intelligentia dicitur in libro de causis, quòd cognoscit ea quæ sunt supra se, & ea quæ sunt infra se, secundùm modum substantiæ suæ. Omnis autē cognitio quæ est secundū modū substantiæ creatæ, deficit à visione diuinæ essentiæ, quæ infinitum excedit omnem substantiam creatā; vnde nec homo, nec aliqua creatura potest consequi beatitudinem vltimam per sua naturalia.*

Ad primum ergo dicēdum, quòd sicut natura non defecit homini in necessarijs, quanuis non dederit sibi arma & tegumenta, sicut alijs animalibus, quia dedit ei rationem & manus, quibus possit hæc sibi acquirere; ita nec deficit homini in necessarijs, quanuis non daret sibi aliquod principium, quo posset beatitudinem consequi; hoc erat impossibile; sed dedit ei liberum arbitrium, quo posset conuerti ad Deum, qui eum faceret beatum; quæ enim per amicos possumus, per nos aliqualiter possumus, vt dicitur 3. Ethicor. † Cap. 3. post med. illius tom. 5.

Ad secundum dicendum, quòd nobilioris conditionis est natura quæ potest consequi perfectum bonū, licèt indigeat exteriori auxilio ad hoc consequendum, quàm natura quæ non potest consequi perfectum bonum, sed consequitur quoddam bonum imperfectum, licèt ad consequutionem eius non indigeat exteriori auxilio, vt Philosophus dicit secundo de Cælo. † *Sicut melius est dispositus ad sanitatem, qui potest cōsequi perfectam sanitatem, licèt hoc sit per auxilium Medicinæ, quàm qui solùm potest consequi quandam imperfectam sanitatem sine Medicinæ auxilio: & ideò creatura rationalis, quæ potest consequi perfectum beatitudinis bonum, indigens ad hoc diuino auxilio, est perfectior, quàm creatura irrationalis, quæ huiusmodi boni non est capax, sed quoddam bonum imperfectum consequitur virtute suæ naturæ.* Arist. tex. 60. vsque ad 66. to. 2

Ad tertium dicendum, quòd quando imperfectum & perfectum sunt eiusdem speciei, ab eadem virtute causari possunt: non autem hoc est necesse, si sunt alterius speciei; non enim quidquid potest causare dispositionem materiæ, potest vltimam perfectionem

nem

nem conferre. Imperfecta autem operatio, quæ subiacet naturali hominis potestati, non est eiusdem speciei cum operatione illa perfecta, quæ est hominis beatitudo, cùm operationis species dependeat ex obiecto: vnde ratio non sequitur.

1. Concl. Prima conclusio. Beatitudinem imperfectam huius vitæ potest homo acquirere per vires naturales.

2. Conclus. Secunda conclusio. Beatitudo perfecta hominis non potest ab eo acquiri per vires naturæ.

Not. 1. Circa primam conclusionem notandum est ex Medina hîc, quòd beatitudo imperfecta huius vitæ, est duplex. Altera supernaturalis consistens in cognitione Fidei, & amore Charitatis, & in actibus virtutum infusarum, de qua iam suprà diximus: alia verò est imperfecta beatitudo huius vitæ naturalis consistens in acquisitione scientiarum, & actibus virtutum naturalium. Conclusio ergo D. Th. de hac secunda intelligitur, & non de prima: quia sicut nec Fides nec Charitas nec virtutes infusæ viribus naturæ haberi possunt, ita nec beatitudo perfecta in illis consistens.

Not. 2. Notandum tamen, quòd respectu huius imperfectæ beatitudinis naturalis adhuc homo potest in triplici statu considerari. Primò in statu naturæ lapsæ sine adiutorio gratiæ, vel manutenentia Dei in bono. Secundò potest cõsiderari in statu naturæ integræ, vt erat ante peccatũ. Tertiò, prout post peccatũ habet gratiã iustificantẽ, vel manutenentiam Dei in bono. Primo modo nõ potest homo viribus naturæ acquirere beatitudinem naturalem imperfectã, quia, vt inquit D. Th. & cõmuniter eius discipuli infrà, q. 109. art. 2. homo in statu naturæ lapsæ sine auxilio gratiæ potest facere aliquid bonum ex obiecto, non tamen potest diu perseuerare sine peccato, nec implere omnia præcepta, etiam naturalia, nec facere totum bonum proportionatum naturæ: ostensum est autem suprà, etiam beatitudinem naturalem imperfectam huius vitæ per peccatum excludi. Item in tali statu cum sit auersus à fine vltimo, licèt possit acquirere habitus bonos ex obiecto, non tamen habentes veram rationem virtutis, quæ perfectam coordinationem ad finem important: beatitudo autem, etiã imperfecta huius vitæ, verã virtutem cõcomitantem requirit. Tandem id patet, quia iuxta doctrinam D. Tho. in statu naturæ lapsæ post peccatum originale, non potest primò cõmitti peccatum veniale, nec indifferenter manere, cùm quis peruenerit ad vsum rationis; sed cùm peruenerit ad primum instans illius, vel necessariò peccat mortaliter, vel iustificatur; nam vel conuertitur ad Deum, vel non. Si conuertitur, iustificatur: si non conuertitur, peccat mortaliter. Si peccat, non habet beatitudinem, quæ cum peccato non compatitur. Si non peccat, & iustificatur, & sic habet beatitudinẽ, nõ habet illã in primo statu & prima consideratione. Intelligenda est ergo conclusio D. Thom. de homine in secunda & tertia consideratione, vel in natura integra, vel vt adiutus per gratiam, iuxtà doctrinam ipsius infrà quæst. 109. art. 2. sic enim per vires naturæ potest facere omne bonum naturale, & habere perfectam rationem virtutis naturalis; quia licèt donum sanans naturam, siue sit iustitia originalis, siue gratia iustificans, non sit intrinsecum & connaturale naturæ: verè tamen sanat illam, vt per proprias vires in ordine ad propriũ obiectum connaturale bene se habeat, vt iam suprà explicuimꝰ.

DVBIVM PRIMVM,

Vtrum secunda conclusio D. Thom. verum habeat.

1. Arg. PRobatur quòd non. Si propter aliquã rationem esset vera, maximè propter quam assignat D. Th. sed hæc est nulla: ergo. Minor probatur, nã ratio D. Th. in hoc consistit, quòd videre Deum, est supra naturam hominis & cuiuslibet creaturæ; quia cognitio naturalis est secundùm modum naturalem substantiæ cognoscentis: modus verò naturalis substantiæ cognoscentis distat in infinitum à Deo clarè viso, & consequenter cognitio naturalis nõ potest attingere Deũ clarè visum, & secundũ se: hæc autẽ ratio supponit falsum, scilicet quòd debeat esse proportio inter potentiam & cognitionem illius in modo essendi. Primò, quia si per impossibile daretur creatura, cui esset connaturale lumen gloriæ, illa per se & per propriam

priam facultatē naturæ videret clarè Deū: & tamen in modo essendi esset infinita distantia inter Deum & talem creaturam: ergo vt ex proprijs viribus videat illum, nō requiritur proportio in modo essendi.

1. *Impug.* Secundò impugnatur idem principi ū. Quia licèt Intellectui secundùm se consideraot, sit superexcedens & supernaturale videre Deum; non tamen si consideretur vt eleuatus per lumen gloriæ, & diuinam essentiam sibi vnitam, sic enim visio Dei potiùs est connaturalis Intellectui, ita vt esset miraculum, si stante tali eleuatione, Intellectus nō videret; & tamen in modo essendi esset infinita distantia inter Deum & creaturam; & improportio in modo essendi cum Deo: ergo vt cognitio sit connaturalis, in modo essendi non requiritur proportio.

3. *Impug.* Tertiò impugnatur. Quia naturaliter quis potest cognoscere Authorē naturæ; & tamen nō est conuenientia in modo essendi, quia etiam vt Author naturæ Deus in infinitum excedit creaturam.

4. *Impug.* Quartò impugnatur. Quià Angelus inferior per sua naturalia cognoscit superiorem, & tamen modus essendi non est idē; cùm sit differentia specifica inter illos, vt dicitur 1.p.q.56.art.2.

Scotus. Propter hæc argumenta Scotus in 4.d. 49.q.11. & in 1. d.3.q.8. & quodlibet. 14. art.2. licèt teneat sententiā D. Th. quantū ad conclusionem; dicit tamen rationē eius esse nullam: quem etiam sequuntur aliqui moderni. Ita enim excedit (inquiunt) Dei Intellectū creatū, vt neutiquā possit probari, qua ratione per sua naturalia nō possit Intellectus pertingere ipsum: immò propter eundē excessum probari non potest, qualiter Intellectus sit eleuabilis per lumen gloriæ ad videndū Deū. Sed certè isti authores licèt suæ ignorantiæ rationē nō reddant, & nullam esse conentur ostendere, inuiti incidunt in rationē D. Tho. dicētis esse rationē propter excessum magnū; & nō aliā reddit D. Th. nisi talē excessum & improportionem, & propter ipsam dicit, Intellectum creatum per sua naturalia non posse clarè videre Deum.

Conclu. D. Tho. Conclusio ergo D. Th. est certa secundùm Fidē: vbicunque enim sacra Scriptura loquitur de visione Dei, dicitur illā esse peculiare donū à Deo tributum, vt patet

Exod. 33. Exodi 33. Ostende mihi te ipsum. Et Ioā.

Ioan. 13. 13. Ostēde nobis Patrē, & sufficit nobis.

Matth. 11. Et Mat. 11. Nemo nouit Filiū nisi Pater, & Patrē quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare? Estq; diffinita in Cōcilio Viennensi, & habetur in Clementina Ad nostrum, de hæreticis, vbi damnatur error quintus Beghardorum & Beghinarum asserentium, quòd quælibet natura intellectualis in se ipsa est beata, nec anima indiget lumine gloriæ illam eleuante ad videndum Deum. De quo legatur Castro verb. Beatitudo, hæresi 4. & 5. Rationes multæ adduci possent: Tùm, quia visio clara Dei eminētior & superior est, quā cognitio Fidei: sed cognitio Fidei nō potest haberi viribus naturæ, vt Fides ipsa docet: ergo nec visio Dei clara, quia qui posset maius, posset & minus. Tum etiā, quia visio clara Dei est præmiū actionū & meritorū supernaturalium: ergo pertinet cōferri ab Authore supernaturali; quia eius ordinis est meritum, cuius est præmium & premiator. Melior tamē & optima ratio est, quā tradit D. Tho. hic & 1.p.q.12.art.4. & 3. cōtr. Gen. c.52. quā etiā amplectitur Hēricus quodlibet. 4.q.9. & Richar. in 4.d.49.art.2.q.6. videlicet quòd vt cognitio sit naturalis, debet esse proportio inter potentiā & obiectū: sed talis nō est inter naturalia Intellectus & Deū clarè visum: ergo per sua naturalia ipsum clarè videre nō potest. Minor probatur, quia proportio duorū est cōuenientia in modo essendi: talis cōuenientia nō est inter Deū & Intellectum creatum, quia semper distant in infinitū: ergo nulla est inter illos porportio. De defensione huius rationis videatur Capreol. in 4. dist. 49. q. 4. ad argumēta cōtra primā conclusionē, & Soto eadem dist. q.2. art.2. Caiet. 1.p.q.12.ar.4. Ferrara 3. contra Gen. c.52.

Con. Vien. *Clement.* *Castro.* *D. Tho.* *Henricus.* *Richard.* *Capreol.* *Soto.* *Caiet.* *Ferrar.*

Modò tamen pro intelligētia huius breuiter est notandū, quòd cōueniētia in modo essendi, quā requirit D. Th. ad proportionē inter obiectū & potentiā, non debet esse in esse entis; quia in esse entis euidēter cognoscimus nō conuenire: debet ergo esse cōuenientia in modo essendi intelligibiliter. Hæc autē conuenientia est in immaterialitate, quia, vt docet D. Tho. 1.p.q.14. art.1. ratio immaterialitatis est ratio intelligibilitatis, tam actiuæ, quàm passiuæ: vt ergo obiectum sit intelligibile passiuè, & potentia actiuè, in modo essendi immateriali debent conuenire; non tamen in immaterialitate specifica, quę cum ipsa entitate conuertitur, debet esse prædicta conuenientia, sed in immaterialitate generica, quæ attenditur secundùm modum immutandi

Not. *D. Tho.*

tandi potentiam: quapropter infimus gradus huius immaterialitatis reperitur in sensu, qui mouetur a singularibus & sensibilibus, cõuenit enim Gustº, v.g. tũ omnibº cibis in hac infima immaterialitate, scilicet in modo immutandi potentiam; quia etsi omnes cibi entitatiuè & specificè distinguantur, in modo tamen immutandi Gustũ, omnes conueniunt, & hanc proportionem cum Gustu habent. Secundus gradus est Intellectus nostri pro isto statu, qui recipit species à rebus, repræsentantes tamen res in abstracto & in vniuersali; materiales tamen, quia spiritualia pro isto statu quidditatiuè cognoscere non potest. Tertius gradus est Angelici Intellectus, quia licèt specie siue genere in esse entis distinguantur: in modo tamen cognoscendi conueniunt per species inditas & sibi cõnaturales. Vltimus gradus est diuinus, qui per semetipsum & in semeptiso omnia cognoscit. Potest tamen Intellectus creatus eleuari per lumen gloriæ, vt qui per sua naturalia in esse intelligibili impro portionem habebat, proportionetur cum ipso Deo contento sub obiecto adęquato Intellectus, & possit illum clarè videre; quia iam lumine eleuatus habet conueniẽtiam in modo essendi intelligibili cum ipso Deo, quatenus lumen est participatio Intellectus diuini, licet in esse entis semper maneat infinita distantia.

Ad argumentum ergo in principio respondetur, optimam esse rationem D. Tho. Ad primã impugnationem dicitur, quod, vt dubio sequenti constabit, est impossibile dare creaturã cui sit connaturale lumen gloriæ, vel visio. Si tamen per possibile vel impossibile talis creatura daretur, sicut per sua naturalia videret Deum, ita & haberet eundem modum essendi intelligibilem cum ipso Deo, licèt entitatiuè esset infinita distantia.

Ad 2. imp. Ad secundã impugnationẽ resp. quòd licet M. Medina formidet cõcedere, Intellectũ vt eleuatũ lumine cõnaturaliter videre Deũ, quia lumen nõ est connaturale: vnde visio præexigens lumen, non naturalis, sed supernaturalis debet dici: melius tamen dicitur, propositionem illam esse concedendam: sicut enim aquæ absolutè non est connaturale calefacere; bene tamẽ vt calefacta connaturaliter calefacit, quia talis actus calefactionis connaturalis est illi formæ; vnde connaturalis erit & talem formam habenti, prout habet illam, quia in tali propositione tantũ fit sensus cõnaturalitatis operationis ad ipsam formam, & nõ ad subiectũ. Nec tamen cõcedenda est hæc propositio, qualicui creaturæ sit cõnaturale videre Deũ, quia ly Creatura, primariò significat substãtiã: vnde in tali propositione denotatur, visionẽ esse cõnaturalẽ alicui substantiæ. Vel etiã neganda est talis propositio, quia in ea fit sensus cõnaturalitatis visionis ad creaturã, vt ad suppositũ operans: quod tamen falsum est; quia licèt visio sit connaturalis lumini, nõ tamẽ vt supposito operanti vt quod, sed tãtũ vt principio quo: nullum autem principium quod, potest assignari cui visio sit cõnaturalis, præter Deum. Ad argumẽtum ergo, hoc supposito, respondetur, quòd conuenientia in modo essẽdi cũ obiecto requiretur, si talis visio esset naturalis Intellectui secundũ se: hoc enim intendebat D. Th quòd cum Intellectus secundũ se non cõueniat in modo essendi cum Deo, ideò visio clara Dei nõ potest esse naturalis Intellectui secundum se; quia autem talis visio non est connaturalis, nisi Intellectui vt eleuato; absolutè tamẽ est actio supernaturalis; ideò non requiritur conuenientia Intellectus cum Deo in modo essendi. *2. Solutio.* Vel secundò meliùs respondetur, quòd eo modo quo actio est naturalis, eo modo debet esse conuenientia in modo essendi. Dictum est autem, visionem esse connaturalem, non Intellectui secundùm se, sed vt eleuato: vnde Intellectus vt eleuatus conuenit in modo essendi cum Deo: in modo (inquam) essendi, non entitatiuo, in quo est infinita distantia, sed in modo intelligibili. Et licèt etiam in hoc genere non fit conuenientia perfecta, qualis requireretur ad comprehensionem obiecti; est tamen quæ requiritur ad illud posse clare videre, & attingere quidditatiuè.

Ad tertiam impugnationẽ respõdetur ex supradictis, quòd etiã Deum vt Authorẽ naturæ nõ potest Intellectus per sua naturalia intuitiuè & quidditatiuè videre, sed tantùm abstractiuè & connotatiuè ad corporalia, cum quibus Intellectus pro isto statu, vt immersus materiæ, habet conuenientiam in modo essendi. *Ad 3. imp.*

Ad quartã impugnationẽ resp. ex dictis, q̃ licèt in esse entitatiuo sit tãta diuersitas inter Angelũ inferiorẽ & superiorẽ; in esse tamẽ intelligibili, & modo cognoscibilitatis cõueniunt: vnde inferior per sua naturalia bene potest superiorem intueri. *Ad 4. imp.*

Ex di-

Corolar. Ex dictis ſequitur, quòd ſi defectus cõuenientiæ in modo eſſendi inter potentiã & obiectũ ſit per imperfectionem potentiæ & exceſſum obiecti, habet verũ doctrina tradita, quôd talis potentia per ſua naturalia non poterit attingere tale obiectũ. Si autem ſit è cõuerſo, quòd non conuenientia in modo eſſendi etiã intelligibili, ſit per exceſſum potentiæ & defectũ obiecti, tunc nõ tollit, quominus cognitio talis obiecti ſit per naturalia talis potentiæ; quia exceſſus potentiæ potius iuuat ad cognitionẽ, vnde Intellectus diuinus & Angelicus per ſua naturalia cognoſcunt hæc corporalia, & hominẽ quid ditatiuè: licèt homo Deum & Angelum per ſua naturalia quidditatiuè cognoſcere non poſsit defectu cõuenientiæ in modo eſſendi intelligibili; quia ex parte hominis ad Deũ, eſt defectus ex parte potẽtiæ: ex parte verò Dei ad hominẽ, eſt per exceſſum potẽtiæ & deffectum obiecti.

DVBVM. II.

Vtrùm ſecundùm potentiam abſolutam Dei ſit dabilis aliqua creatura, quæ ſecundùm propriam facultatem ſibi connaturalem poſſit clarè videre Deum.

1. Arg. PRobatur quòd ſic. Primò. De facto Deus producit accidentia ſupernaturalia & ordinis diuini, vt lumẽ gloriæ, & alia huiuſmodi: ergo poterit etiam de potẽtia abſoluta producere ſubſtãtiã ſupernaturalẽ ordinis diuini. Conſequẽtia patet, quia impertinens videtur accidẽs vel ſubſtãtia, vt diuinũ eſſe participet, & fiat ordinis diuini. Tunc vltra: Si talis ſubſtantia poteſt dari: ergo illa per ſua naturalia poterit Deũ videre. Patet conſequẽtia, nã tali ſubſtantiæ cõnaturale eſſet lumen gloriæ & alia accidentia ſupernaturalia, quia qualis eſt ſubſtantia, talia debent eſſe accidentia cõnaturalia illius: ſi ergo ſubſtantia erat ſupernaturalis & ordinis diuini, accidentia cõnaturalia eius, ſupernaturalia & ordinis diuini deberẽt eſſe, quale eſt lumen, &c. videndo ergo tunc per lumen, per ſua naturalia videret. *Confirm.* Confirmatur, nã de facto Deus producit habitus ſupernaturales: ergo de potentia abſoluta poterit producere Intellectũ ſupernaturalem, vtrunq; enim eſt accidens, & non videtur maior ratio vnius quàm alterius: ſed talis Intellectus eſſet potentia connaturalis alicuius ſubſtãtiæ: ergo tunc talis ſubſtantia per ſua naturalia poterit videre Deum.

2. Arg. Secundò arguitur. Quocũque accidẽti ſupernaturali dato, poteſt dari ſubſtãtia nobilior & perfectior in ſua ſpecie & entitate: ergo talis ſubſtantia erit ſupernaturalis & ordinis diuini potens Deũ per ſua naturalia attingere. Antecedens probatur, nam genus ſubſtantiæ eſt nobiliꝰ genere accidentis: ergo quocũque accidẽti nobiliſsimo dato, poterit ſubſtãtia nobilior produci; quia nobilitas generũ vnius ſupra aliud, in hoc cõſiſtit, quôd dato nobiliſsimo inferioris generis, aliud nobiliꝰ in genere ſuperiori poſsit aſsignari. Quòd autẽ tunc talis ſubſtantia nobilior eſſet ſupernaturalis & ordinis diuini, patet, quia ſi accidens erat illius ordinis per perfectionem (v.g.) vt duo; â fortiori erit illius ordinis quod ſuperexcedit & habet perfectionẽ (v.g.) vt quatuor quia per eleuationem perfectionis pertingitur & fit collocatio in illo ordine. *Confirm.* Cõfirmatur, quia ſecũdùm probabilem ſententiã gratia quæ accidens eſt inhærẽs animæ, eſt nobilior & perfectior quacunque ſubſtantia naturali, etiã Angelica: ergo vt genus ſubſtantiæ ſit nobilius genere accidentis, erit dabilis aliqua ſubſtãtia ſupernaturalis ſuperexcedens gratiã, quia aliâs, vt dictũ eſt, nõ intelligitur nobilitas generis ſubſtantiæ, niſi aliqua ſit dabilis ſuperior ad nobiliſsimum accidens: ergo cùm hæc naturalis eſſe nõ poſsit reſpectu gratiæ, erit dabilis aliqua ſupernaturalis quæ gratiam excedat.

3. Arg. Tertiò arguitur. Si lumẽ gloriæ non poſſet eſſe cõnaturale alicui creaturę, maximè quia ſequeretur, illã eſſe infinitã & infinitę perfectionis: ſed hoc nõ ſequitur: ergo poteſt talis creatura produci. Minor probatur, quia lumen gloriæ eſt finitę perfectionis, & Intellectus modô habens lumẽ gloriæ, habet finitã perfectionẽ: ergo quod haberet illud cõnaturaliter nõ excederet finitã perfectionẽ, & conſequenter à Deo erit producibilis; quia citra infinitũ Deus poteſt quodcũq; facere; in hoc enim ſua omnipotẽtia cõſiſtit.

4. Arg. Quartò arg. Intellectꝰ illuſtratꝰ lumine glorię potẽs videre Deũ, eſt finitę perfectionis: poteſt ergo Deus producere aliquã ſubſtãtiã maioris perfectionis: ergo illa per ſuã virtutẽ intellectiuã, etiã ſine

additione luminis gloriæ, poterit videre Deum. Patet consequentia, quia si Intellectus illustratus lumine existens in minori perfectione, potest videre; quare illa substátia existens in maiori perfectione, non poterit videre Deum.

5. *Arg.* Vltimò arguitur. Intellectui vt Intellectus non repugnat ex propria natura videre Deũ; vt constat in Intellectu diuino, qui ex propria natura habet videre Deũ: ergo Intellectus creatus in tantum potest perfectus produci, vt ex propria natura videat Deũ. Patet ista consequentia, quia si Intellectui vt Intellectus non repugat quòd Intellectui creato non cõueniat, erit ex imperfectione illius: ergo si perfectio eius augeatur secundũ propriã naturã, per illã poterit Deũ videre.

Quæstio hæc induplici sensu disputari potest. Primus est vtrùm possit dari aliqua substantia, cui sit connaturale lumẽ gloriæ; nam cùm visio connaturaliter correspondeat lumini: cui esset connaturale lumen, esset connaturale videre Deũ. Secundus sensus est, vtrùm per potentiã diuinam sit producibilis aliqua creatura talem ac tantam habens virtutem intellectiuam, quòd etiam sine lumine gloriæ superaddito possit perse ipsam & ex suis viribus Deum videre. In primo sensu dicunt aliqui moderni, maximè consonum esse rationi, & plusquàm consonũ sacræ Scripturæ nõ posse dari huiusmodi creaturã, cui esset connaturale lumen: tamen illi inquiunt, nunquam inuenire potuisse rationem aliquam quæ id sibi satis persuadeat. In secundo verò sensu dicunt, argumenta proposita adeò esse efficatia, vt penè demonstrent esse possibile produci talem creaturam tantæ virtutis intellectualis, vt per ipsam sine additione luminis posset videre Deum; & quòd ipsis nulla horum argumentorum occurrit solutio. Superaddunt tamen, se in hac parte nihil velle diffinire, sed relinquere disputationem istam determinationi subsequentium; quia discursu temporis aliorum examine paulla tim constabit huius veritas, quæ ipsis occultatur. Sed certè vulpes sunt dicentes quòd dormiunt, & non dormiunt, tradũt enim consiliũ optimũ, quod nõ seruant: quia si solutiones ignorant, & veritas eis non apparet, relinquerent illã alijs examinandã, & non traderent, oppositã nõ habere solutionẽ, & penè oppositũ demõstrari: Sed bene dixerunt nõ habere solutionẽ in sua cognitione, quia accedẽti ad aras patebit solutio clara. Item etiã notate, qualiter in suis verbis irretiti manent. Si enim plusquã consonũ est sacræ Scripturæ, & maximè consonũ rationi, nõ posse lumen gloriæ esse cõnaturale creaturę; qualiter dicunt, nõ esse rationẽ id persua dẽtẽ; quia si nulla ratio est, vnde sciunt id cõsonũ esse rationi? Sed his cęcis omissis

Pro intelligentia quæstionis notãdũ, *Not.1.* ad resolutionẽ huius quæstionis necessũ esse scire in quo consistat, aliquam formã esse naturalem, vel supernaturalem. Aliqui ergo discipuli D. Th. sic explicant, quòd illa forma dicitur supernaturalis, quæ neque in esse, neq; in operando, sequitur leges naturæ, sed habet eleuatiorem regulam & rationẽ: illa verò est forma naturalis, quæ sequitur leges naturę, & consequenter respicit Deum, vt Authorẽ naturæ, secundùm quòd se accommodat cõditioni & naturæ rerum in productione & conseruatione earum. Similiter de accidentibus, illa sunt supernaturalia, quæ respiciunt Deũ secũdũ quod est in se ipso habens eleuatã essentiã supra totum ordinem naturæ, qualia sunt gratia & lumen gloriæ, &c. quæ verò nõ respiciunt Deũ in se ipso supra leges naturæ, sed potius vt participabilẽ à creaturis per naturæ leges, sunt naturalia accidentia, qualia sunt albedo, color &c. Sed vt hæc communiter dicta specialius appareant, & cognoscatur qualiter aliquid attingat Deum vt in se, licèt vt participabilem à creatura per leges naturæ.

Secundò notãdũ, quòd aliquid potest *Not.2.* esse supernaturale dupliciter. Primò, quantũ ad modũ, vel quantũ ad fieri, vel in conseruari. Huiusmodi potest esse aliquid etiã secundùm substantiã naturale, vt vita restituta mortuo, & visus cæco, & accidentia Eucharistiæ: & de istis non loquimur in præsenti: sunt enim supernaturalia solùm extrinsecè: intrinsecè autẽ & quantũ ad substantiam & entitatẽ sunt naturalia. Aliud verò propriè est supernaturale, quantũ ad essentiam & propriã entitatẽ; & hoc explicandum erit, in quo huiusmodi supernaturalitas consistat. Dicimus ergo talia esse quæ ad ordinẽ gratiæ pertinent, & quæ sunt ordinis diuini. Si autem quæras, quid sit pertinere *Quæstio.* ad ordinem gratiæ, & esse ordinis diuini, dico, quòd cũ quælibet natura habeat *Solut.*

aliquas

aliquas proprietates sibi connaturales, & taliter proprias, quòd non possint conuenire alteri naturæ, nisi secundùm quòd participat illam primam naturam, & per talem participationem effici quasi eiusdem speciei & ordinis cum illa: quæ participatio non est propria neque cõnaturalis extraneæ naturæ, sed illi superaddita per actionem alterius, cuius est forma illa propria, vel alterius superioris: verbi gratia, vt calor est connaturalis igni: quãdo verò ab alio per actionem ignis participatur, vt ab aqua, iam aqua pertinet quasi ad speciem ignis, & est eiusdem ordinis cum illo secundùm quòd est calida, & calor non potest conuenire aquæ naturaliter, nisi per actionem ignis vel alterius agentis superioris in eo gradu in quo est propria forma ignis. Ita dicendũ de Deo, secundùm rationem propriæ formæ & naturæ & infinitatis illius habere aliquas proprietates & perfectiones sibi proprias & connaturales, quas qui participauerit, debet esse secundùm quod aliqualiter participat naturam eius, & trahitur ad esse & ordinem illius: huiusmodi sunt lumen gloriæ visio beata, &c. vt docet D. Thom. 1. p. q. 26. art. 1. & 2. & huiusmodi dicuntur formæ connaturales, quia sunt proprietates connaturales Dei vt in se, & nemo illas participat, nisi vt trahitur ad esse ipsius Dei vt in se est, qualiter fit per gratiã. Nec valet dicere, quòd ex hoc sequitur, omnem formam esse supernaturalem, quia quæcumque illa conuenit creaturæ secundùm quòd participat aliquid infiniti esse diuini. Non (inquã) valet, quia licèt omnis creatura participet esse diuinum, vt effectus participat perfectionem suæ causæ, nõ tamẽ est peculiaris participatio, quatenus est prædicta, quæ eo modo est participatio, quo filius participat propriam naturam patris, & amicus participat bona propria amici, & hæres habet eadem bona quæ erant propria illius cuius fuit hęres: hæc enim participatio est perfectissima & peculiaris, transcẽdens participationẽ naturalẽ, vtiq; tanquã purè voluntaria iuxta illud Apostoli: Voluntariè enim genuit nos.

D. Thom. *Solutio.* *Impugn.*

1. concl. Prima conclusio. Impossibile est produci à Deo aliquã creaturã, cui sit cõnaturalis gratia vel gloria & alia accidentia supernaturalia. Hæc conclusio (vt concedi tur à contrarijs) est plus quàm cõsona ra

tioni & sacris litteris, vt ad Rom. 6. Gratia Dei, vita æterna. Et quidem suppositа doctrina D. Thom. est euidens, quia, vt ipse docet 1. p. q. 12. art. 2. Deus nõ potest cognosci clarè per speciem creatã, sed necessariò per diuinam essentiam vnitam in ratione speciei: sed ista vnio, implicatio est quòd sit connaturalis alicui creaturæ, sed omnino voluntaria ex parte Dei: ergo similiter & ipsa visio clara ex huiusmodi vnione procedens nequit esse connaturalis creaturę. Tunc vltra: ergo nec lumen potest esse cõnaturale. Patet ista consequentia, quia lumen & visio eodem modo se habent ad potentiã, tanquàm principiũ, & operatio ab ipso procedens. Item etiam secũdùm eundem D. Thom. & iuxta intelligentiam discipulorũ illius 1. p. q. 6. nõ potest dari creatura intellectualis, quæ per propriã naturam sit impeccabilis: ergo nec dari cui sit connaturalis gratia & lumen gloriæ. Patet consequentia, quia cum lumine & gratia non potest stare peccatũ, etiam de potentia absoluta: ergo cui esset connaturalis gratia & lumẽ, esset cõnaturalis impeccabilitas. Sed quoniam aliqui opinantur cõtra D. Thom, in prædictis præsuppositis. Secundò probatur conclusio ex notabili præsuppositо. Quod est propriũ & cõnaturale alicuius naturæ superioris, se cũdũ quòd est in se ipsa & differt ab alijs, nullo modo potest esse proprium & connaturale inferioris naturę: sed videre Deũ clarè, & beatitudo quæ in tali visione consistit, est propriũ & connaturale diuinæ naturæ: ergo implicat, quòd huiusmodi sint connaturalia alicui naturæ inferiori creatę. Si respõdeatur, quòd naturæ diuinæ est connaturalis beatitudo & lumen gloriæ infinitũ, & visio cõprehensiua; & sic alteri connaturalia esse nõ possunt, bene tamen in gradu determinato & finito, quia hoc modo non sunt connaturalia ipsi Deo: Contrà arguitur, quia quãdo aliquid est connaturale alicui secundùm talem modũ, etiam in minori gradu non potest esse alteri cõnaturale secundùm illum modum: sed Deo est connaturalis visio non solùm secundùm infinitatem, sed etiam secundùm claritatem: ergo etiã in gradu minori & finito visio secundùm illum modum claritatis, inferiori naturæ connaturalis esse nõ potest. Maior patet inductione, quia modus cognitionis Angelicę secundũ quòd

Ad Rom. 6. *Solutio.* *Impugn. 1.*

est Angelo connaturalis, nulli alteri cognoscenti potest esse connaturalis. Similiter modus specialis sentiendi per reminiscentiam, qui est connaturalis homini, nulli alteri sensibili cõnaturalis esse potest: ergo idem dicendum erit de modo claré cognoscendi Deum cõnaturali ipsi Deo, quod nullo modo creaturæ connaturalis esse poterit. Item impugnatur, quia lumen vel visio, &c. etiam in gradu finito, est participatio Dei vt in se ipso, non generali participatione, vt effectus participat virtutem causæ: sed est specialissima participatio filiationis hæreditatis & amicitiæ, vt dictum est: ergo ex propria virtute dicit esse participationem voluntariam & connaturalem: aliàs autem esset filius naturalis, & non adoptiuus; quia in hoc distinguitur, quòd adoptiuus est per voluntatem adoptantis; naturalis verò per connaturalem participationem substantiæ patris. Si ergo talis participatio gratiæ vel luminis, &c. esset connaturalis & non omnino voluntaria, esset filius naturalis, & non adoptiuus. Ex quo patet, nullam esse solutionem contrariorum, quòd quæcunque forma creata, est participatio Dei; & nihilominus multæ sunt formæ creatæ cõnaturales creaturæ: nulla enim est euasio, quia aliæ formæ sunt participationes communes in ratione effectus, participatio autem prædicta, est specialissima filiationis Dei, vt in se, vnde non connaturalis, sed omnino voluntaria debet esse. Si respondeatur, illud principium esse falsum, quod connaturale alicui creaturæ, non potest esse alteri cõnaturale; quia splendor Solis est cõnaturalis Soli, & nihilominus connaturaliter participatur ab alijs, vt à gemmis, &c. calor connaturalis est igni, & connaturaliter participatur ab aëre. Contrà arguitur; nam si splendor Solis & calor ignis alteri connaturaliter conueniunt, non est secundũ modũ specialem quo Soli vel igni connaturaliter conueniunt; sed secundùm aliam rationem; quia nõ sic gemma splendorem habet, vt per ipsum fiat Sol; nec aëri est connaturalis calor, vt dispositio est ignis: sicut nec animali, licèt calor sit cõnaturalis, nõ vt dispositio ignis est; quia vbicunque calor ad ignem disponit igni tribuitur, cuius est proprium ignire, vt dicitur 1.p.q. 12.art.5.ad 3. ergo huiusmodi accidentia supernaturalia, cùm ex propria ratione importent modum proprietatis Dei, quæ creatura participans, per modũ dispositionis participat, vt per ipsa deificetur & Deus fiat, vt fieri potest per participationem, talia accidentia nullo modo possunt dici connaturalia ipsi suscipienti, sed tantùm Dei deificanti, & per talia accidẽtia trahenti creaturam ad proprium esse. Si rursus respõdeatur, non contradicere, huiusmodi accidentia esse connaturalia creaturæ, & nihilominus voluntariè tribui à Deo; semper enim manet liber ad producendam vel annihilandam talem creaturam; & sic non sequuntur in conuenientia prædicta: Contra arguitur, quia hoc tantũ est ponere libertatem in productione vel cõseruatione existentiæ: posita autem connaturalitate connexio prædicati cũ subiecto esset essentialis, & independens à libertate Dei, & sic per essentiam esset particeps diuinæ naturæ, & eius filius (vt dictum est.) Tertiò probatur cõclusio. Lumen prophetiæ & cognitio certa futurorum contingentium, non potest esse connaturalis alicui creaturæ: ergo nec lumẽ gloriæ & gratia. Cõsequentia patet, quia lumen propheticum minus perfectum est quàm lumẽ beatificum: ergo si propterea lumen propheticum non potest esse connaturale, quia est participatio alicuius perfectionis propriæ Dei, vt in se (vt dictum est) à fortiori lumen gloriæ, quod magis est participatio diuinæ perfectionis vt in se, & vt propria est ipsius Dei, non poterit esse connaturale alicui creaturæ. Antecedens verò probatur ex illo Esaiæ 41. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis vos, in quo insinuat, impossibile esse aliquam creaturam habere ex propria natura cognitionẽ futurorum. Quartò probatur, quia si gratia vel lumen possent esse connaturalia creaturæ, non adeò excellẽtia essent huiusmodi dona; immò, quod peius est, sequitur, per accidens esse huiusmodi dona ordinis supernaturalis, sit cõnaturalia esse possunt creaturæ. Quintò probatur, quia nimis probabile est & rationi consonum, Deum creasse omnes gradus possibiles, licèt non omnes possibiles species: sed nullus gradus intellectualis creatus, est cui lumen gloriæ sit connaturale: ergo nec aliquis talis gradus est possibilis. Vltimò probatur. Modus cognoscẽdi cuiuscũq; Intellectus creati debet esse per modũ potentialitatis: sed modus

2. *Impugn.*

Solutio.

Impugn.

Solutio.

Impug.

Isaiæ 41.

dus luminis gloriæ in ostendendo obiectum, est per modũ summæ actualitatis & puri actus: ergo non potest esse connaturale alicui Intellectui creato. Minor patet, quia cùm nullus Intellectus creatus, sit actus purus, sed admixtus potentia; necessariò modus cognoscendi eius debet esse per modum potentialitatis, vt modus cognoscendi proportionetur modo essendi. Minor etiam patet, quia lumẽ gloriæ respicit, vt proprium & connaturale obiectum, Deum vt in se, cuius esse est actus purus: modus ergo manifestationis illius erit per modum puri actus & summæ actualitatis. Consequentia verò probatur, quia vt lumen sit connaturale Intellectui, modus manifestandi obiectum illius debet esse iuxta modum cognoscẽdi talis Intellectus: aliâs enim si oppositum habet modum, qualiter illi est connaturale.

2. Concl. Secunda conclusio. Impossibile est, etiã de potentia absoluta, produci aliquã substantiã supernaturalẽ, quę ex se & ex propria natura habeat tantã perfectionẽ & eminentiam Intellectus, vt per ipsam immediatè sine additione luminis, possit videre Deũ clarè. Hæc conclusio est adeò certa, vt oppositum sit plusquàm temerarium vt patet 1. ad Timot. 6. lucem habitat inaccessibilem; quem nemo hominũ vidit, neque videre potest, quibus verbis Apostolus, videtur docere excessum & altitudinem diuinæ essentiæ supra omnẽ creaturam etiã creabilem, aliàs enim non maximè commendaret diuinam excellẽtiam. Secũdò probatur etiam rationibus prędcedentis conclusionis: sicut enim probant esse impossibile, lumẽ glorię esse cõnaturale Intellectui creato: ita probant à fortiori esse impossibile quòd aliqua creatura immediatè & proprijs viribus videat Deum vt in se, sine additione luminis: quia plus est excellentiæ & perfectionis, quòd talis substãtia per se ipsam immediatè videret connaturaliter Deũ, quàm quòd mediante lumine: ergo si implicat, mediãte lumine sibi cõnaturali videre, magis implicat, quòd sine lumine id possit facere, vnde contrarij immeritò statuentes vt certum, lumen non posse esse cõnaturale, dubitant posse produci talẽ substãtiã potẽtẽ ex se ipsa videre Deũ: quia si primũ est plus quã consonũ sacræ Scripturæ, à fortiori secũdũ. Tertiò probatur, quia si talis substantia est supernaturalis, etiam Intellectus eius erit supernaturalis: quia qualis substantia, talis est proprietas. Intellectus autem proprietas est substãtiæ Intellectualis. Tunc vltra: Ergo & obiectũ proprium talis Intellectus est illud quod per se est ordinis supernaturalis; quia Intellectus & obiectũ proportionari debent: ergo connaturale obiectum illius Intellectus est Deus vt trinus; quia quod per se in Deo pertinet ad ordinem supernaturalem, est Trinitas, quia vt vnus, etiã ad naturã pertinet. Tunc vltra: Ergo talis substantia habet esse trinam & vnam. Patet ista consequẽtia, quia si talis substantia est per se supernaturalis, habens intellectum supernaturalem, & respiciens obiectum supernaturale per se, erit participatio Dei vt supernaturalis: ergo Dei vt trini: ergo ipsa substantia est etiam vna & trina, quia debet assimilari Deo, vt eius est participatio. Bene autem apparet implicatio, quòd sit possibilis creatura vna & trina; quod tam proprium est Deo & adeò mirabile in eo. Respõdent contrarij tripliciter. Primò, quòd relationes non sunt de essentia essentiæ diuinæ: vnde quòd substantia illa sit participatio Dei vt in se secundùm essentialia, non infert quòd sit participatio Dei vt trinus. Secundò, quod siue relationes de essentia sint, siue nõ, possunt tamen præscindi ab essentia, & cõsiderari absolutum sine relatiuo; & quòd tunc talis substantia sit participatio absoluti, & non relatiui, atque adeò sit vna, & non trina. Tertiò respondent, quòd de facto gratia & lumen gloriæ sunt supernaturalia & ordinis diuini, & nihilominus nõ sunt participationes Dei vt trinus & vnꝰ: ergo idẽ dici potest de illa substãtia supernaturali. Sed contra istã solutionẽ arguitur, quia licèt sit opinabile relationẽ, sub cõceptu relatiuo nõ esse de essentia essentiæ: nõ tamẽ est opinabile, quòd nõ sit de essentia vt in se est in tribus personis. Si ergo illa substantia supernaturalis est participatio Dei, nõ secũdùm præcisionẽ nostrorũ conceptuũ, sed vt est in ipso, erit participatio Dei vt vnus & trinus. Cõtra secũdã solutionem arguitur, quia licèt possit fieri prædicta pręcisio, & ponere accidẽtia supernaturalia, quæ sint participationes absoluti, & nõ relatiui; nõ tamẽ potest poni substãtia supernaturalis habẽs talẽ participationẽ, quia cũ accidẽtia supernaturalia nõ participent

1. ad Tim. 6.

1. Solut. contrariorum.

2. Solutio.

3. Solutio.

Impugntio.

1. Solutio.

Impugnat.

2. Solutio.

Deum vt subsistentem, quia accidentiũ non est subsistere, sed participant ipsum secundum aliquas proprietates Deo conuenientes secundùm absolutum; ideó nõ participant Deum vt trinum, secundùm quòd in personis subsistit, sed secundùm quòd absolutum; qua ratione ei conueniunt suæ proprietates, quæ in accidentibus supernaturalibus communicãtur. Substantia autem illa deberet participare Deum vt subsistentem, cùm de ratione substantiæ sit subsistere; & cùm subsistere Dei, sit in tribus personis; hac ratione illum vt trinum participaret: præterquàm quòd & accidentia supernaturalia aliqualiter participant Trinitatem, vt ostendit Zumel quæst.3.art.4.disp.5. quæ participatio, in substantia esse non potest. Discrimen autem quare accidentia habent talem participationem, & substãtia non possit habere, patebit solutione ad primum. Et per hoc patet impugnatio tertiæ solutionis.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum à principio respondetur, negando cõsequentiam: & disparitas est, nam ex eo quòd substantia sit ens per se, dicens completam essentiam, & tanquàm quod producit operationem; si talis substantia daretur, talem operationem supernaturalem & lumen gloriæ & ipsam supernaturalitatem haberet ex se ipsa, & sic esset Deus: accidẽs autem non participat sic naturam Dei tãquàm aliquid per se subsistens, sed nimis imperfectè, habetque esse in alio, & consequenter non requiritur habere supernaturalitatẽ ex se ipso, sed ab alio à quo dimanat & originatur; & per hoc est supernaturale, quia à Deo vt in se ipso specialiter dimanat: quod vtique potest habere, manendo in se ipso accidens & creatura; & sic potest esse principium quo, operandi supernaturaliter, relinquendo etiam subiectum quod eleuat in esse determinato creaturæ. *Ad cõfirm.* Ad confirmationem respondetur negando consequentiam, quia Intellectus est proprietas substantiæ in qua est: vnde si Intellectus esset supernaturalis, similiter & substantia cuius esset proprietas, esset supernaturalis: & cùm hanc supernaturalitatem haberet ex se ipsa, esset Deus (vt dictum est) habitus autẽ supernaturales esse possunt, quia cùm nõ sint proprietates eius in quo sunt, sed in ipso resideant per peculiarem infusionẽ Dei, à quo dimanat eorum supernaturalitas, non reducitur ad subiectum, sed ad Deum à quo deriuatur: vnde ex supernaturalitate habituum non infertur infinitas subiecti, sicut infertur ex supernaturalitate Intellectus.

Ad secundum argumentum respondetur, petere illam difficultatem, vtrùm gratia & alia accidentia supernaturalia perfecta, sint perfectiora quàm substantia quæcunque naturalis. Et in opinione quidem illorum, qui tenent quòd gratia tantùm est perfectior substantia secundùm quid; argumentum nõ habet vires; non enim ex eo quòd accidens supernaturale sit gradus, & perfectionis determinatæ, & substantiam possit excedere in perfectione, sequitur, posse dari substantiam supernaturalem; quia sistendo substantia intra ordinem naturæ, super excedit in perfectione ad aliud accidens supernaturale. Ad illud autem, quòd si tale accidens per perfectionem vt duo, est supernaturale, qualiter substantia excedẽs & perfecta vt quatuor, non erit supernaturalis: Respõdetur supernaturalitatem non consistere in tanto vel tanto gradu perfectionis, sed in eo quòd sit specialissima participatio Dei vt in se ipso (vt dictum est) vnde accidens existens in minori gradu perfectionis quàm substantia naturalis, potest esse altioris ordinis diuini & supernaturalis. In opinione autẽ illorum qui probabilius tenent (vt nos infrà docebimus) quòd gratia & visio beatifica sunt perfectiora absolutè quacumque substantia naturali, & solùm minùs perfecta secundùm quid in eo quod est esse in alio & in modo essendi: Respõdetur, nullo modo posse dari substãtiam supernaturalẽ maioris perfectionis, quã sit tale accidens. Ad illud autem, quòd quocunque generis inferioris perfecto dato, potest aliud perfectius dari in genere superiori: Respondetur, debere intelligi, vt statim dicetur, in eodem genere, ita vt dato quocumque lumine, potest aliud perfectius dari; non autem in alio genere, quòd dato lumine finito, possit dari substãtia perfectior supernaturalis, quia vt dictũ est, talis substantia Deus esset, cùm per se & ex se haberet supernaturalitatẽ. Ad illud autẽ, quòd qualiter ergo genus substãtiæ est nobilius, si nulla substantia potest dari perfectior tali accidẽti supernaturali: Respõdetur, quòd prima diuisio entis (suppositâ veritate Fi-

Ad 2. arg.

dei)

dei) quã Philosophi nõ sunt assequuti, debet esse, quòd ens, aliud est supernaturale, aliud naturale. Rursus ens naturale diuiditur in substãtiã naturalem & accidẽs naturale: vnde comparatio prædicamẽti suõstantię, & nobilitatis illius, debet fieri inter accidens naturale & substãtiã naturalẽ, nõ verò inter substantiã naturalẽ cõstituẽtẽ prędicamẽtũ substãtię & accidẽs supernaturale; sed accidens supernaturale tantùm debet cõparari cũ substãtia supernaturali, quæ tantũ est Deus, qui vtique nobilior est omni accidenti supernaturali: genus autem substantiæ nobilissimũ est, quia perfectius omni accidẽti naturali. Et si cõtra dicas, quòd accidens supernaturale est creatũ: ergo cũ substãtia creata debet comparari, & illa esse minus perfectum: Respõdetur, quòd licet accidens supernaturale, quantũ ad modum essendi, inhærenter sit creatum & positum in prædicamẽto secundùm opinionẽ probabillem, & hac ratione minùs perfectũ substantia creata; absolutè tamen, quantum ad ordinem & speciem cõpletam illius, sunt ordinis diuini & increati, & sic tantùm cõparantur ad substantiã increatam & diuinam, quã vt fontem, à quo dimanant & deriuantur, respiciunt. Sed de hoc latiùs infrà q. 110. Et per hoc patet ad confirmationem.

Obiectio.

Solut.

Ad 3. argu. Ad tertium respõdetur, quòd licẽt lumen sit finitum, & subiectum habens ipsum, per eleuationem & nõ per cõnaturalitatem maneat finitum: subiectum tamẽ quod connaturaliter haberet lumen, esset infinitum; quia perfectius requiritur ad habendũ accidens connaturaliter, quàm ad habẽdũ illud vtcumq; nõ enim requiritur ad habẽdũ calorem, esse ignẽ: bene tamen ad habẽdum illum cõnaturaliter: ita ad habendum lumẽ non requiritur Deum esse: bene tamen ad habendũ lumen connaturaliter (vt dictum est.)

Ad 4. arg. Ad quartum respõdetur ex dictis, potentiã Dei non cõsistere in eo quòd possit facere substantiam perfectionem lumine in illo ordine supernaturali; quia illa esset Deus, & infinitè perfecta, tanquã per se & ex proprijs habens supernaturalitatem: immô neque in eo cõsistit eius potentia, quòd perfectiora accidẽtia producere possit, quàm gratia & visio beatifica; potius enim cedit in diuinam excellentiam & infinitatem illius, quòd quia istæ formæ supernaturales, sunt specialissimæ participationes illius, illis superiores & meliores facere non possit: consistit ergo eius potentia in ordine ad intẽsionem luminis & gratiæ, &c. quod quacunque & nimis intensa, aliam & aliam intensiorem facere potest.

Ad vlt. arg. Ad vltimum argumentum respondetur, consequentiam nihil valere, nam sem per intellectui creato repugnat habere talem virtutem: quantumcunque enim augeatur perfectio eius, semper manet intra limites creati, ratione cuius est repugnantia habere talem virtutem connaturalem. Probatio autem consequentiæ nulla est, quòd si non repugnat Intellectui, vt sic; non repugnat Intellectui creato: animali enim non repugnat rationalitas, bene tamen equo: nec in tantum potest perfici, quòd ei rationalitas nõ repugnet: quia quantumcũque perfectus manens in specie equi, talem repugnantiam habet, nisi addatur perfectio per quam transeat in speciem hominis. Ita si militer in præsenti talis connaturalitas repugnet ratione imperfectionis intrinsecæ creaturæ, & quam diu manet creatura, eandem repugnantiam retinet: aliàs enim etiam probaret argumentum, posse dari substantiam creatam, quæ simul esset vna & trina, quia hoc non repugnat substantiæ vt sic, cùm reperiatur in substantia diuina: ergo poterit id cõpetere substantiæ creatæ, superaddendo perfectionem substantiæ creatæ; quia tantùm ratione imperfectionis id sibi non conuenit: Neganda est certè cõsequentia, quia illa repugnantia non est ratione imperfectionis in aliquo gradu assignabilis, quã si superexcedat, possit habere talem participationem; sed est ratione imperfectionis intrinsecæ creaturæ, quam quidem, quacumque additione perfectionis facta subterfugere non poterit, cùm semper maneat creatura.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm homo cõsequatur beatitudinẽ per actionem alicuius creaturæ superioris.

AD sextum sic proceditur. Videtur quòd homo possit fieri beatus per actionem

alicuius superioris creaturæ,scilicet Angeli.Cũ enim duplex ordo inueniatur in rebus:vnus partium vniuersi ad inuicem;alius totius vniuersi ad bonũ quod est extra vniuersum; prior ordo ordinatur ad secundum sicut ad finem,vt dicitur 12.Methap.

*Text. 52. & 53. to. 3. ✻ sicut ordo partium exercitus ad inuicem est propter ordinem totius exercitus ad Ducem:sed ordo partiũ vniuersi ad inuicem attenditur secundũm quod superiores creaturæ agunt in inferiores, vt in primo dictum est.

† 1.p.q.21. artic.1.ad 3. argum. † Beatitudo autem consistit in ordine hominis ad bonũ quod est extra vniuersum,quod est Deus: ergo per actionem superioris creaturæ scilicet Angeli in hominem, homo beatus efficitur.

2.Præterea Quod est in potentia tale,potest reduci in actũ per id quod est actu tale; sicut quod est potentia calidũ,fit actu calidũ per id quod est actu calidũ:sed homo est in potentia beatus:ergo potest fieri actu beatus per Angelũ quid est actu beatus.

3.Præterea. Beatitudo cõsistit in operatione Intellectus(vt suprà dictũ est ✻)sed Angelus potest illuminare Intellectum hominis,vt in primo habitum est,ergo Angelus potest facere hominem beatum.

*q.3.art.5.

Sed contra est quod dicitur Psal. 83.Gratiã & gloriã dabit Dominꝰ.

Respondeo dicendum,quod cum omnis creatura naturæ legibus sit subiecta,vt pote habens limitatã virtutẽ & actionẽ,illud quod excedit naturã creatã,non potest fieri virtute alicuius creaturæ:& ideò si quid fieri oporteat quod sit supra naturã,hoc fit immediatè â Deo; sicut suscitatio mortui,illuminatio cæci,& cætera huiusmodi.Ostensum ✻ est autẽ, quôd beatitudo est quoddã bonũ excedens naturã creatã;vnde impossibile est, quòd per actionẽ alicuius creaturæ cõferatur:sed homo beatus fit solo Deo agẽte,si loquamur de beatitudine perfecta:si verò loquamur de beatitudine imperfecta; sic eadem ratio est de ipsa & de virtute in cuius actu consistit. * art. præ

Ad primum ergo dicẽdum,quod plerumque contingit in potẽtijs actiuis ordinatis,quòd perducere ad vltimum finem pertinet ad supremam potentiam:inferiores verò potentiæ coadiuuant ad cõsequutionem illius finis vltimi disponendo:sicut ad artẽ gubernatiuã,quæ præest nauifactiuæ,pertinet vsus nauis propter quẽ nauis ipsa fit.Sic igitur in ordine vniuersi homo quidem adiuuatur ab Angelis ad consequendum vltimum finem secundùm aliqua præcedentia, quibus disponitur ad eius cõsequutionẽ;sed ipsum vltimũ finem cõsequitur per ipsũ primũ agẽtẽ qui est Deꝰ.

Ad secundũ dicendũ,quòd quãdo aliqua forma actu existit in aliquo secundũ esse perfectũ & naturale,potest esse principiũ actionis in alterũ,sicut calidũ per calorẽ calefacit: sed si forma existit in aliquo imperfectè & nõ secundũ esse essentiale,nõ potest esse principiũ cõmunicationis sui ad alterum,sicut intentio coloris qui est in pupilla,nõ potest facere albũ:neque etiã omnia quæ sunt illuminata

aut

aut calefacta, possunt alia calefacere aut illuminare; sic enim illuminatio & calefactio essent vsq; ad infinitũ lumen autem gloriæ, per quod Deus videtur, in Deo quidem est perfectè secundùm esse naturale; in qualibet autem creatura est imperfectè & secũdùm esse similitudinarium vel participatum; vnde nulla creatura beata potest communicare suam beatitudinem alteri.

*Ad tertium dicendum, quòd Angelus beatus illuminat intellectum hominis, vel etiam inferioris Angeli, quantum ad aliquas rationes diuinorum operum, non autem quantum ad visionem diuinæ essentiæ vt in primo dictum est; * ad eam enim videndam, omnes immediatè illminantur à Deo.*

*p.p.q.105. ar.1.ad 1.& 2.arg.

1. Concl. Prima conclusio. Beatitudinem perfectam non potest homo cõsequi per actionẽ alicuius creaturę, sed solùm per actionem Dei.

2. Concl. Secunda conclusio. Beatitudinem imperfectã potest homo consequi per actionem superioris creaturæ eo modo quo & virtutes.

DVBIVM I.

Vtrùm prima Conclusio D. Thom. sit vera.

Argum. PRobatur quod non. Nam si aliqua ratione esset vera, maximè propter rationem D. Thomæ, quòd quælibet creatura, etiam eleuata per lumen gloriæ, in ratione causæ est inferioris rationis & ordinis ad beatitudinẽ in ratione effectus: tùm propter imperfectionem, secundùm quam participat lumen: tùm etiam quia nulla creatura participatur vt à subiecto connaturali: cùm ergo inter causam & effectum debeat esse debita proportio nulla creatura, etiam eleuata lumine, poterit causare beatitudinẽ in alio: Sed hæc ratio est nulla: ergo. Minor probatur, quia calor in aqua, habet esse imperfectè participatũ & esset in subiecto nõ cõnaturali, immo repugnanti: & tamen aqua calefacere potest per talem calorẽ: ergo, creatura illustrata lumine gloriæ, etiam si ab ipsa lumen imperfectè participetur & sit in subiecto non cõnaturali, poterit esse causa luminis gloriæ in alio. Exemplum etiam adductum à Diuo Thoma nihil valet, de colore qui est in pupilla oculi nõ potenti causare alium colorem propter imperfectum esse quod habet in pupilla. Non (inquam) valet, quia color est in pupilla tãtùm intẽtionaliter, quod nõ sufficit ad actionem physicam: lumẽ autem gloriæ est forma realis in Intellectu beati; sicut calor in aqua.

Conclusio D. Thomæ nihilominus est certa secundùm Fidem, vt constat ex illo Psalmi 83. Gratiam & gloriam dabit Dñs, & Rom. 6. Gratia Dei, vita æterna; & alijs locis sacræ Scripturæ. Ratioq; huius conclusionis est optima, quam tradit D. Thomas, vt explicabitur respondendo ad argumentũ. Potest etiam superaddi, quòd lumen gloriæ non est forma actiua in ordine ad subiectum extraneũ: vnde ex illustratione luminis non potest etiam constitui creatura in esse causæ ad producendum lumen in alia. Et si quæratur, qua ratione lumẽ non est forma actiua in alio, sed tãtùm in proprio subiecto; Dico, quòd quia est forma & principiũ vitale, est operatiuum tãtùm in ipso subiecto; quia de ratione actionis vitalis est procedere â principio intrinseco tantùm operatiuo actionis manentis in ipso operante, maximè quando est principium vitale intellectuale, quale est lumen; quia & in ipso lumine rationis naturalis id reperitur, quòd sit forma actiua intellectionis, non autẽ operatiua alterius luminis naturalis in alio. Intelligenda tamen est conclusio de causalitate effectiua, nam de obiectiua & finali iam suprà egerat D. Th. in nulla recreata posse consistere beatitudinẽ, & de causalitate formali etiam determinauerat, non posse effici beatum formaliter per actionẽ alterius, etiã Dei, sed per propriã actionẽ; cùm beatitudo sit actio vitalis necessariò procedens ab ipso in quo est. Modô ergo loquitur de causalitate effectiua, & quidẽ physica; nã moralis bene potest esse superior creatura respectu beatitudinis, sicut & gratię & Charitatis alterius: & de facto hoc habuit

Concluſ. D. Thom. Pſal. 83. Rom. 6.

Christus Dominus in quantum homo. Et rursus intelligenda est conclusio de causalitate physica principali, nã sine dubio potest aliqua creatura assumit vt instrumentũ ad causandũ lumen glorię in alio, sicut de facto assumuntur Sacramẽta vt instrumenta physica ad producendum gratiam in anima. Hoc supposito.

Ad argu. Ad argumentũ respondetur, quod licèt Angelus sit superior, siue in esse naturæ, siue in intensione luminis; semper tamen est inferior quocunque alio beato in esse causæ, & nunquã potest attingere lumen alterius vt principium, propter rationẽ D. Thomæ. Ad cuius impugnationem dicitur, quòd D. Thomas non loquitur de forma qualitercũque imperfecta, quia, vt probat argumentũ, etiã si forma sit remissa & imperfecta, potest esse principiũ operandi in alio, licèt etiã imperfectum effectũ: sed loquitur de forma imperfecta in gradu infimo. Cùm enim calor verbi gratia, vel lux extenda tur vniformiter, difformiter à summò gradu vsq; ad nõ gradũ, deuenitur ad aliquem minimũ calorẽ vel lucem vltra nõ cõmunicabilẽ; quia aliàs non diffundere tur vsque ad non gradũ, sed semper in infinitũ esset diffusibilis: Sic ergo procedit D. Tho. quod cùm in formis naturalibus secundũ imperfectionem potest deueniri ad formã non cõmunicabilem; ita lumen beatorũ sic est imperfectum respectu luminis Dei increati, quòd licèt lumẽ Dei cõmunicabile sit, lumen tamen beatorum sit incõmunicabile; quia licèt lumen beati non sit in remississimo gradu, quodlibet tamen lumen beati, quantumcunque intensum, magis distat per imperfectionem à lumine diuino, quàm remississimus calor vel lux à magna luce & calore; quia inter vtrũque calorem & lucem est intrinseca conuenientia: inter lumen verò intrinsecum, quantũcunque intensum, & lumen diuinum, tantum est conuenientia analogia: vnde si remississima lux adhuc manens intra rationẽ vniuocam, propter sui imperfectionẽ, non est communicabilis & effectiua in aliud, minus erit effectiuum lumen beatificum per imperfectionem deficiens à ratione vniuoca, & solùm conueniens in analoga. Et quia poterat replicari, quòd substantia est deficiens per analogiam à substantia diuina, nec cum illa habens aliquam conuenientiam vniuocam, & nihilominus est productiua alterius substantiæ: ergo imperfectio in forma secundùm analogiam, non tollit formam (nẽpe lumen) esse effectiuam in aliud: ideò superaddit Diuus Thomas, quòd lumen gloriæ vltra esse formam imperfectam, non est subiecto connaturali: quapropter non est principium essendi in aliud, sicut forma naturalis, quæ licèt imperfecta analogicè tamen conueniens cum diuina, quia est in subiecto sibi proprio & & connaturali, operatiua est in aliud. Ad impugnationem autem huius, posita in argumento de calore & aqua, & subiecto non connaturali, operatiuo tamen in aliud: Respondetur, nomine subiecti connaturalis non intelligere D. Thomam connaturale strictè dictum, sed vt condistinguitur ab obedientiali: cùm enim hæc sit differentia, quòd potentia obedientialis immediatè subditur Deo; potentia verò naturalis subditur alijs agentibus secundarijs; forma recepta secundùm potentiam obedientialem, tantùm est communicabilis â Deo; vnde nec ipsa recepta in vno, potest esse operatiua con similis formæ in alio; quia etiam in alio tantùm est potentia obedientialis, vt immediatè â Deo in illo producatur: cùm ergo lumen glorię sit huiusmodi, tantùm est à Deo immediatè producibile, nec receptum in vno, erit operatiuum luminis in alio: calor verò non recipitur in aqua, tantùm secundùm potentiam obedientialem, sed naturalem, licèt non connaturalem aquæ, naturalem tamen materiæ illius: vnde in sensu Diui Thomæ, in subiecto connaturali est prædictus calor vt sit forma effectiua caloris in aliud: & hęc doctrina insinuatur in definitione virtutum supernaturalium, quòd sit bona qualitas mentis, qua nullus malè vtitur, quam & Deus in nobis sine nobis operatur. Hoc autem à fortiori debet habere verum de lumine gloriæ, perfectissima supernaturali supereminenti ad omnes virtutes. Præterquàm quòd licèt omnia prædicta verum habeant, etiam si oppositum concedatur, nihil sequitur contra conclusionem Diui Thomæ; nam cùm ad beatitudinem duo requirantur ex parte principij, & infusio luminis, & vnio essentiæ diuinæ in ratione speciei, etiam si beatus superior possit inferiori communicare lumen: non tamen vnionem essentiæ diuinæ, quæ solùm à Deo se volente

lente vnire pendet: vnde beatitudo inferioris non potest haberi per actionem superioris creaturæ: siquidē superior creatura non potest agere omnia requisita ad beatitudinem inferioris.

Not. 1. Circa secundam conclusionem notandum est, esse intelligendam de actione superioris dispositiua, non verò principaliter actiua: & hoc quidē loquendo de beatitudine imperfecta naturali, non verò supernaturali: quia cùm beatitudo imperfecta naturalis cōsistat in operatione virtutum, cuius causa principalis est tantū ipse operans; superior verò tantùm possit cōcurrere disponendo per consilium vel doctrinam vel illuminationem, &c. ideò tantùm potest consequi beatitudinem prædictam per actionem superioris creaturæ disponentem, non verò principaliter causantem beatitudinem; & hoc quidem in ordine ad beatitudinem naturalem imperfectam (vt dixi) nam ad supernaturalem, etiam disponere non potest propria virtute.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm aliqua bona operare requirantur, ad hoc vt homo beatitudinem cōsequatur à Deo.

Infr. q. 6. in tradctione. Et. 1. q. 62. art. 5. ad 1. & opusc. 3. c. 173.

AD septimū sic proceditur. *Videtur quòd non requirantur aliqua opera hominis, ad hoc vt beatitudinem consequatur à Deo. Deus enim cum sit agens infinitæ virtutis, non præexigit in agendo materiam aut dispositionem materiæ, sed statim potest totū producere: sed opera hominis cùm non requirantur ad beatitudinem eius vt causa efficiens (vt dictum* * Art. præc. *est) non possunt requiri ad eam nisi vt dispositiones: ergo Deus qui dispositiones non præexigit in agendo, beatitudinem sine præcedentibus operibus confert.*

2. Præterea. Sicut Deus est author beatitudinis immediatè, ita & naturam immediatè instituit: sed in prima institutione naturæ produxit creaturas nulla dispositione præcedente, vel actione creaturæ, sed statim fecit vnumquodque perfectum in sua specie: ergo videtur quòd beatitudinem conferat homini sine aliquibus operationibus præcedentibus.

3. Præterea. Apostolus dixit Rom. 4. beatitudinē hominis esse cui Deus confert iustitiam sine operibus: non ergo requiruntur aliqua opera hominis ad beatitudinem consequendam.

Sed contra est quod dicit Ioan. 13. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea: ergo per actionem ad beatitudinem peruenimus.

Respondeo dicendum, quòd rectitudo voluntatis (vt suprà dictum est) * *requiritur ad beatitudinem,* * q. 4. art. 4. *cùm nihil aliud sit quàm debitus ordo Voluntatis ad vltimum finem, quæ ita exigitur ad consequutionem vltimi finis, sicut debita dispositio materiæ ad cōsequutionē formæ. Sed ex hoc non ostenditur, quòd aliqua operatio hominis debeat præcedere eius beatitudinem: posset enim Deus simul facere Voluntatem rectè tendentem in finem, & finem consequentem; sicut quandoque simul materiam disponit, & inducit formam: sed ordo diuinæ Sapientiæ exigit ne hoc fiat, vt dicitur in 2. de cœlo. Eorum quæ nata sunt habere bonum perfectum, aliquid habet ipsum sine motu, ali-* * Text. 64. 65. 66. 10. 2

tu, aliquid uno motu, aliquid pluribus: habere autem perfectum bonum sine motu, conuenit ei quod naturaliter habet illud: habere autem beatitudinem naturaliter, est solius Dei; unde solius Dei proprium est, quòd ad beatitudinem non moueatur per aliquam operationem præcedentem. Cùm autem beatitudo excedat omnem naturam creatam, nulla pura creatura conuenienter beatitudinem consequitur absque motu operationis, per quam tendit in ipsam: sed Angelus qui est superior ordine naturæ quàm homo, consequutus est eam ex ordine diuinæ sapientiæ uno motu operationis meritoriæ, ut in primo expositum est.

*q.62.ar.5 * Homines autem consequuntur ipsam multis motibus operationum, qui merita dicuntur; unde etiam † Lib.1.Ethic.c.9.& lib.10.c.6.7. & 8.10.5. secundum Philosophum † beatitudo est præmium uirtuosarum operationum.

Ad primum ergo dicendum, quòd operatio hominis non præexigitur ad consequutionẽ beatitudinis, propter insufficientiam diuinæ uirtutis beatificantis, sed ut seruetur ordo in rebus.

Ad secundum dicendum, quòd primas creaturas statim Deus perfectas produxit, absque alia dispositione uel operatione creaturæ præcedente; quia sic instituit prima individua specierum, ut per ea, natura propagaretur ad posteros, & similiter quia per Christum, qui est Deus & homo, beatitudo erat ad alios deriuanda, secundùm illud Apostoli ad Hebræos.2. Qui multos filios in gloriam adduxerat, statim à principio suæ conceptionis, absque aliqua operatione meritoria præcedente, anima eius fuit beata: sed hoc est singulare in ipso, nam pueris baptizatis subuenit meritum Christi ad beatitudinem consequendam, licèt desint in eis merita propria, eo quòd per baptismum D.269. sunt Christi membra effecti.

Ad tertiùm dicendum, quòd Apostolus loquitur de beatitudine spei, quæ habetur per gratiam iustificantem; quæquidem non datur propter opera præcedentia: non enim habet rationem termini motus ut beatitudo, sed magis est principium motus quo ad beatitudinem tenditur.

Prima conclusio. Absolutè loquendo, requiritur aliquod bonum opus ad beatitudinem. 1.Concl.

Secunda conclusio. De potentia absoluta non requiritur aliquod bonũ opus præcedens. 2.Concl.

Tertia conclusio. Debitus naturæ & diuinæ sapientiæ ordo exigit, vt homo non simul habeat dispositionem & felicitatem, sed pluribus motibus operationũ & meritorum præcedentium. 3.Concl.

Prima conclusio D. Thomæ est de Fide, vt patet Matth.c.25. Venite benedicti Patris mei, &c. quia esurijui, & dedistis mihi manducare, &c. & Apocalyp.c.14. Beati mortui qui in Dño moriuntur; opera enim illorũ sequũtur illos. Et Iacobi.2 Quid prodest, fratres, si Fidem quis habeat, opera autẽ non habeat? Nũquid poterit Fides saluare eos? Et 2.ad Timot.2. Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Et 2.Corint.5. Omnes nos manifestarioportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis prout gessit, siue bonũ, siue malum. Et Ioan.13 Hæc scientes beati eritis si feceritis ea. Et rursus, Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis. Et hoc habetur in Symbolo Athanasij, quòd qui bona egerunt ibunt in vitã æternam, &c. Est etiã diffini 1.Concl. Matth.25. Apoc.14. Iacobi.2. 2.Tim.2. 2.ad Cor.5. Ioan.13. Symbol. Athan.

Cõcil. Arausitan. Conci. Trid. Ca. maiores. Benedictus XI.

diffinita hæc veritas in Concilio Arausicano, cap. 18. & in Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 11. & can. 11. 26. & 32. in cap. Maiores, & in extrauaganti Benedicti XI. plura alia traduntur infrà, q. 114. art. 3. vbi videantur interpretes Diui Thomæ. Videatur etiam Castro de hæresibus, titulo opera, hęresi. 4. diffinita enim est prædicta conclusio contra insaniam Lutheranorum, &c.

Not. 1.

Pro cuius intelligentia notandũ, insigne fuisse beneficium Dei, quòd exigat a nobis opera, vt consequamur nostrã beatitudinem. Tantum abest, vt deroget bonitati & diuinitati eius, quod inde magis eluceſcat. Sicut in naturalibus, licèt potuerit Deus illuminare sine Sole, fouere & alere hæc inferiora sine corporibus cęlestibus & sine medijs causis; voluit tamen, suauiter disponens omnia, admittere secundas causas secũ ad effectus quosque producendos, vt magis dignificaret creaturas: ita similiter in operibus gratiæ contingit. Potuit quidem beatificare hominem sine operibus, vt diximus in secunda conclusione: attamen voluit & ita decreuit, quòd mortalis imbecillisque homo, vndique machinis & bellicis arietibus concussus atque aporiatus, per sua opera adipiscatur beatitudinem, vt in hoc maximè nobilitetur homo, qui suis operibus pręmium beatitudinem, laudẽ, honorem & iuge gloriæ pondus mereatur; & qui in proprijs naturalibus perfectionibus sine nobis ad imaginem Plasmatoris sumus conditi, in supernaturalibus, quæ sua fit bonitas & magnificentia ditissima, æternam, immobilem imaginem Trinitatis consummatæ felicitatis, super naturalem perfectionem non sine nobis, sed præuijs fragilis & caduci corporis nostri actionibus cõsequamur. Hoc beneficium maximè commẽdat D. Basilius hom. 10. in Hexameron, ex quo hæc sumus loquuti.

D. Basilius

Not. 2.

Circa differentiã quam ponit D. Tho. inter Angelum & hominem, quòd Angelus vnico motu consequitur beatitudinem; homo verò multis motibus assequitur illam. Notandum, hoc esse intelligendum congruenter ad naturas rerum secundùm ordinem diuinæ sapientiæ, non autem necessariò secundùm debitũ naturæ; cum consequutio beatitudinis etiam in Angelo sit supernaturam: congruit tamen naturæ eius, quòd sicut sinẽ naturalem vnico consequitur actu, ita etiam ad finem supernaturalem sic ordinetur, vt vnico actu illum consequatur. Et quia homo pluribus actibus consequitur finem naturalem, congruum etiã erit, vt beatitudinem supernaturalem pluribus actibus consequatur, non solùm secundùm potentiam ordinariam, sed etiam regularem; nam aliquando in casu raro etiam oppositum potest contingere, vt raptus ad martyrium, in quo nullum meritum præcesit, per illud tantum, martyrij consequitur beatitudinẽ; quia, vt dicitur, 1. part. quæstio. 62. artic. 5. & infrà quæstio. 114. vnicus actus meritorius informatus gratia & Charitate, sufficit ad consequutionem beatitudinis.

Vltimò notandum circa illam propositionem Diui Thomæ, quòd simul potest aliquis habere rectificatam voluntatẽ, & beatitudinem consequi in casu extraordinario & particulari. Notandũ (in quam) tangere illam quæstionẽ, vtrùm meritum & præmium possint esse simul in eodem instanti. Hæc tamen habet propriam sedem in sua materia de merito, infrà: & pro nunc resolutorie dicitur hoc esse impossibile; cùm procedat meritum ex Fide, Spe & Caritate, cùm sit actus viatoris & tendentis in finem, & Fides & Spes non possint esse in eodem instanti beatitudinis simul. Magister ergo Medina explicat prædictam propositionem Diui Thomæ, quòd tantùm intendat, vnico actu præcedenti posse consequi beatitudinem, & non semper requiri plures. Vnde idem est dicere, posse rectificari voluntatem in ordine ad beatitudinem, & illam consequi simul; ac dicere, posse contingere, rectificari voluntatem vnico actu, & statim successiue per illum posse consequi beatitudinem. Sed melior explicatio est, quòd intendat D. Thomas, posse aliquando contingere, non solùm quod non pluribus actibus præcedentibus, sed vnico rectificetur Voluntas, & per illum consequatur beatitudinem (vt diximus de martyre) sed etiam posse contingere, vt rectificatio voluntatis per vnicum actum, & ipsa consequutio beatitudinis, sint simul in eodem instanti: vt patet in Christo Domino, in quo rectificatio Voluntatis non fuit præcedens beatitudinem tempore, licèt præcesserit natura; sed simul cum beatitudine. In tali tamen casu talis actus

Nota. 3.

con-

concomitans beatitudinem, non habebit rationem meriti; quia, vt dictum est, repugnat simul fieri cum beatitudine: sed habebit rationem dispositionis physicæ proportionantis formam cum potentia, vt dicitur de rectitudine Adæ & Angelorum, qui iustificati sunt per propriũ actum disponentem non merentem. Sic ergo rectificatio actualis Christi Domini respectu suæ beatudinis habet rationem dispositionis ad illam, non rationem meriti. De quo videtuar D. Tho. 3. part. quæstio. 34.

D. Thom.

ARTICVLVS VIII.

Vtrũ omnis homo appetat Beatitudinem.

Inf. q 10. ar. 1. & 2. & 1. q 19. ar. 1. & q. 82. art. 1. & 2. cor. & 1. cont. c. 88. & li. 3. c. 97 & ver q. 22 art. 5. & 6. mal. q. 6. corpo. & ad 7. 9. & 10. & 3. Eth. co. 5. fin.

AD octauum sic proceditur. *Videtur quòd non omnes appetãt beatitudinẽ. Nullus enim potest appetere quod ignorat, cum bonum apprehensum sit obiectum appetitus, vt dicitur in 3. de anima:* sed multi nesciunt quid sit beatitudo, quod sicut Augst. dicit in 13. de Trinit. † patet ex hoc, quòd quidam posuerunt beatitudinem in voluptatibus corporis, quidã in virtute animæ, quidam in alijs rebus: non ergo omnes beatitudinẽ appetũt.

2. Præterea. Essentia beatitudinis, est visio essentiæ diuinæ, vt dictũ est: * sed aliquid opinantur hoc esse impossibile, quòd Deus per essentiã ab homine videatur; vnde hoc non appetunt: ergo non omnes homines appetunt beatitudinem.

* lib. 3. de anima. text. 29. 34. & 49. to. 2.

3. Præterea Augst. dicit in 13. de Trinit. * quòd beatus est qui habet omnia quæ vult, & nihil malè vult: sed non omnes hoc volunt; quidam enim malè aliqua volunt, & tamen volunt illa se velle: non ergo omnes volunt beatitudinem.

† Cap. 4. circa prin. to. 3
* q. 3. a. 8.
* Cap. 4. & 5. to. 3.

Sed contra est, quod Augst. dicit 13. de Trinit. † *Si vnus dixisset: Omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis: dixisset aliquid quod nullus in sua non cognosceret voluntate, quilibet ergo vult esse beatus.*

† Ca. 3. circa fi. to. 3.

Respondeo dicendum, quòd beatitudo dupliciter potest considerari: Vno modo secundùm communem rationem beatitudinis, & sic necesse est quòd omnis homo beatitudinem velit. Ratio autem beatitudinis communis est, vt sit bonum perfectum, (sicut dictum est.) *Cùm autem bonum sit obiectum Voluntatis, perfectum bonum est alicuius, quod totaliter eius voluntati satisfacit. Vnde appetere beatitudinem, nihil aliud est, quàm appetere vt Voluntas satietur: quod quilibet vult. Alio modo possumus loqui de beatitudine secundùm specialem rationem, quantum ad id in quo beatitudo consistit, & sic non omnes cognoscunt beatitudinem, quia nesciunt cui rei communis ratio beatitudinis conueniat, & per consequens quantum ad hoc, non omnes eam volunt. Vnde patet responsio ad primum.*

* q. 1. art. 5. & 7.

Ad secundum dicendum, quòd cùm Voluntas sequatur apprehensionem Intellectus seu rationis, sicut contingit, quòd aliquid est idẽ secundum rem, quod tamen est diuersum secundum rationis considerationem: ita contingit, quòd aliquid est idem secundum rem, & tamen vno modo appetitur, alio modo non appetitur. Beatitudo ergo potest considerari sub ratione finalis boni & perfe-

perfecti, quæ est communis ratio beatitudinis, & sic naturaliter & ex necessitate voluntas in illud tendit (vt dictum est). * *Potest etiam considerari secundum alias speciales considerationes, vel ex parte ipsius operationis, vel ex parte potentiæ operatiuæ, vel ex parte obiecti, & sic non ex necessitate voluntas tendit in ipsam.*

* In cor. ar. & q. 1. ar. 5

Ad tertium dicendum, quòd ista definitio beatitudinis, quam quidam posuerunt: Beatus est qui habet omnia quæ vult, vel cui omnia optata succedunt; quodam modo intellecta, est bona & sufficiens; alio verò modo est imperfecta. Si enim intelligatur simpliciter de omnibus quæ vult homo naturali appetitu, sic verum est quòd qui habet omnia quæ vult, est beatus: nihil enim satiat naturalem hominis appetitum, nisi bonum perfectum, quod est beatitudo. Si verò intelligatur de his quæ homo vult secundùm apprehensionem rationis; sic habere quædam quæ homo vult, non pertinet ad beatitudinem, sed magis ad miseriam, in quantum huiusmodi habita impediunt hominem ne habeat quæcunque vult naturaliter. Sicut etiam ratio accipitur vt vera interdum, quæ impediunt à cognitione veritatis: & secundum hanc considerationem Augustinus * *addit ad perfectionem beatitudinis, quòd nihil mali velit; quamuis primum posset sufficere, si recte intelligeretur, scilicet quòd beatus est qui habet omnia quæ vult.*

* Loci sin arg. sed contracitatis.

Prima conclusio. Omnes appetũt necessariò beatitudinem in communi. 1. *Concl.*

Secunda cõclusio. Beatitudinẽ in particulari, quæ consistit in visione clara Dei, non omnes appetunt. 2. *Concl.*

Circa titulum articuli notat Ferrara 4. contra Gentes, cap. 41. & Magister Soto in 4. dist. 49. q. 5. art. 1. & illud insinuat Cajetanus hic, quòd non solùm inquirit D. Thomas, vtrùm homo appetat beatitudinem vtcunque, sed vtrùm necessariò appetat illam. Quod videtur verum ex responsione, quia in conclusione posuit, necessariò omnes appetere beatitudinem in cõmuni. Alij verò Thomistæ dicunt oppositum, nihil hic Diuũ Thomam inquirere de necessitate, quia nullã talẽ particulã apposuit in titulo; & quia de huiusmodi necessitate appetitus egit 1. p. q. 82. art. 1. & 2. sed quidquid de hoc sit D. Thom. respondet sub distinctione, quòd beatitudo est duplex. Alia in communi, nempe bonum sine determinatione in quo illud plenè reperiatur. Alia verò est beatitudo in particulari, nẽpe illa res singularis determinata, in qua plena ratio boni reperitur, quæ nulla est alia, nisi Deus clarè visus. Beatitudinem ergo in communi, & bonum, & expulsionem mali & miseriæ, omnes appetunt: beatitudinem autem in particulari; nẽpe hanc rationem determinatè in qua plena ratio boni reperitur, scilicet Deum clarè visum, non omnes appetunt. *Ferrara. Soto. Cajet. D. Thom.*

DVBITATVR ERGO.

Vtrùm prima cõclusio verũ habeat.

PRobatur quòd non. Primò. Non necessitatur homo ad beatitudinẽ in particulari; ergo nec ad beatitudinem in cõmuni. Antecedẽs patet ex secunda cõclusione. Cõsequentia verò probatur, quia beatitudo in particulari præstantior est, quia includit rationem beatitudinis in communi & aliquid amplius: quia omne inferius superaddit ad superius: ergo si beatitudo in particulari non necessitat appetitum, nec beatitudo in communi; quia quod non potest facere magis perfectum, non poterit facere quod minus perfectum est. 1. *Argu.*

Secundò arguitur. Beatitudo in communi non potest cadere sub appetitu: ergo 2. *Arg.*

ergo non necessitat appetitū: quia quod non potest appeti, non potest necessariò appeti. Antecedens probatur. Hæc est differentia inter potentiam appetitiuam & cognoscitiuam, quòd ista potest ferri ad res incommuni, illa verò non nisi ad res in particulari, quia fertur ad res prout existentes, quia vt sic sunt bonæ. Existentia autem, est singularium & non cōmunium: non ergo bonum in communi cadit sub appetitu.

3. Arg. Tertiò arguitur. Aliqui sunt positiue appetentes non habere beatitudinem: ergo appetitus non necessitatur ad illam. Antecedens probatur, nam damnati appetunt non esse, iuxta illud Apocalyp.9 Quærent homines mortem & non inuenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis: ergo appetunt non esse beatos. Patet ista consequentia, quia esse beatum, supponit esse; nam, vt dicunt, Summulistæ, propositio de tertio ad iacēte, præsupponit propositionem de secundo adiacente: ergo ex opposito, destructio propositionis de secundo adiacente, est destructio propositionis de tertio adiacente; & sic erit bona consequentia, desiderant non esse: ergo desiderant non esse beatos. *Confirm.* Cōfirmatur. Damnati cognoscunt euidenter, beatitudinem esse sibi impossibilem: ergo non possunt appetere illam. Patet consequentia, quia impossibilium quæ vt sic cognoscuntur, nō potest esse appetitus. Antecedens verò probatur, quia euidenter cognoscunt, ex sua damnatione non posse habere aliquam delectationem, vel aliquid in quo bene se habeant: ergo cognoscunt beatitudinem sibi impossibilem. Patet ista consequentia, quia beatitudo includit delectationem, & importat id in quo habens illam, bene se habeat.

4. Arg. Quartò arguitur. Voluntas efficax finis, includit efficacem voluntatem mediorum: sed multi sunt non efficaciter volentes media necessaria ad consequendā beatitudinem, vt opera virtutis & alia huiusmodi: ergo multi sunt non appetētes beatitudinem. Confirmat hoc Scotus in 4.dist.49.quæst.5.art.9. nam desiderium efficax non potest esse nisi circa bonum particulare, quoniam debet esse de bono & perfectione intrinseca reali, qua volūtas perficitur: hoc autem non potest esse aliquid vniuersale: ergo beatitudinem in communni non potest homo efficaciter appetere, & â fortiori talis beatitudo nō necessitat voluntatem.

In hac re Hēricus quodli. 3.q.7. tenet, quòd volūtas nostra, apprehensa beatitudine in cōmuni, necessitatur circa ipsam appetēdam, tam quoad exercitiū, quām quoad specificationem, sicut nos suprà diximus de visione clara Dei. Alij verò, vt Ocham & Ioannes Maior in 4.dist.49 q.7. tenent, neutro modo necessitari Voluntatē ad beatitudinē in cōmuni; quia obiectū voluntatis nō est solūmodo (inquit Maior) bonum; sed bonum vel malum: vnde cùm possit intra adæquatam rationem obiecti deambulare, nō necessitatur ad bonū, quia potest appetere malum. Durādus verò in 4.distinct.49.q.8. media via procedit; dicit enim, quòd volūtas necessitatur circa beatitudinem in cōmuni quo ad specificationem, siue quātum ad actum perfectum siue imperfectū & cōditionatum disiunctiuè. Itaque nō potest nō appetere illam, siue perfectè, siue imperfectè: potest tamen actu cōditionato & imperfecto appetere illā; actu tamen perfecto odire illam. *Henricus. Ocham. Maior.*

Conclusio tamen D. Tho. est certa, volūtatem necessitari ad beatitudinem in communi appetendam quoad specificationem, non tamen quoad exercitium. *Consf.*

Pro cuius intelligētia recollēda sunt supradicta, necessitatem quoad specificationem consistere in eo, quòd si operatur circa illam, appetendo debet operari: necessitas verò quoad exercitiū consistit in eo, quod semper in actu operationis debeat existere. Dicimus ergo, non necesse esse, Volūtatē esse semper in actuali appetitione beatitudinis in communi, sed posse ab illa cessare; non tamē potest habere actum cōtrarium & odium illius; sed si operatur circa illam, appetitus & amor debet esse operatio eius: immò quidquid semper volūtas operatur, siue volendo, siue nolēdo, siue per odium, siue per amorem, omnia necessariò operatur propter beatitudinem in communi, & ex appetitu eius omnis operatio voluntatis procedit. Itē recolendum, quòd appetitus ex duplex: alius naturalis & nō elicitus; vt pondus in lapide: alius verò voluntarius & elicitus. Loquendo ergo de appetitu naturali, vt pondere, semper volūtas est in actuali propensione necessaria circa beatitudinem in communi: loquendo verò de actu elicito, habet verum

rum conclusio proposita, necessitari ad talem quoad specificationem, non verò quoad exercitium. Prima pars conclu
D. August. sionis patet ex D. Aug. 13. de Trinit. cap. 3. vbi de illo mimo dicit, melius dixisse si diceret, omnes velle esse beatos, & nullum velle esse miserum, quàm cùm dixerit, omnes naturaliter velle cariùs vendere & viliùs emere. Secundò probatur. Omnes appetunt & in omnibus operibus quærunt explere sua desideria, & commune prouerbium habet, Nemo intendens ad malum operatur; nam malum
D. Dionys. est præter voluntatem: vt habet Dionysius cap. 4. de diuinis nominibus, & D.
D. Thom. Thom. infrà q. 29. artic. 4. ergo nemo est qui velit miseriam, & qui vltimatè non detestetur illam; & nemo qui renuat felicitatem. Tertiò probatur. Obiectum voluntatis, est bonum, sicut Intellectus, verum, & visus, color & lucidum: ergo sicut visus non potest videre nisi subratione lucidi & colorati, & Intellectus non potest assentiri nisi subratione veri, ita nec Voluntas poterit velle neque trahi ad aliquid, nisi subratione boni, & sicut Intellectus non potest dissentire nisi subratione falsi, ita Voluntas non poterit quidquam respuere nisi subratione mali: nulla autem apparet ratio mali in beatitudine incommuni; ergo non potest illã respuere, sed necessariò debet appetere illam. Secunda pars conclusionis, quòd quoad exercitium non necesitetur, compertum est, experientia docente, & ratione patet. Nam cùm Voluntas per actum elicitum non possit ferri nisi in bonum præcognitum, Intellus autem non semper proponat beatitudinem prosequendam; Voluntas quæ pro suo libito possit diuertere cogitationem ad alia contemplanda (quia in retentione cogitationis beatitudinis, aliquid tædium vel incommodum potest appetere) posset â tali actu appetendi beatitudinem cessare, & sic quoad exercitium non necesitatur.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum à principio respondetur, esse disparem rationem inter beatitudinem in particulari & incommuni; nam licèt prima in esse rei sit principalior (vt probat argumentum) secunda tamen præeminet in ratione obiecti: est enim adæquatum obiectum Voluntatis; vnde extra ipsum exire non potest: quod non procedit de beatitudine in particulari non adæquantè obiectiuè Volũtatem. Et præterea dicitur, pro hoc statu esse discrimen, quòd beatitudo in cõmuni cognoscitur euidenter: beatitudo autẽ in particulari non sic: hoc enim tantùm reseruatur ad Patriam. Vnde licèt in beatitudine in particulari perfectissimo modo ratio boni reperiatur, non necessariò appetitur, quia non necessario cognoscitur, nec euidenter, sicvt bonum in communi.

Ad 2. arg. Ad secundũ respondetur, quòd quando dicitur necesitari ad bonum incõmuni, ly Incommuni, non dicit vniuersalitatẽ abstractionis; quia vt sic, bonũ nec consequitur nec appetitur, sed dicit vniuersalitatẽ confusionis in designando: desiderat enim summum bonum habere in singulari & in re, vagè tamen & in confuso, nõ determinando hanc vel illã rem; quia ignorat in qua talis plenitudo boni consistat. Sicut etiam dicitur, quòd obiectũ visus est color incõmuni; non in communi, hoc est in vniuersali per abstractionem, quia sic color non est visibilis, necessariò enim in colorem particularem debet tendere; sed non determinatè in hunc vel illũ, sed indeterminatè & in cõfuso: & hoc vocatur incommuni. Sic de bono dicendũ est, licèt & in vniuersali vniuersalitate abstractionis bonũ sit etiam appetibile, vt supra dictũ est, tamen quando dicitur, necessariò hominẽ appetere beatitudinẽ & bonũ in cõmuni, ly In communi, sumitur modo explicato.

Ad 3. argu. Ad tertium respondetur, quòd forte non esset inconueniens, dicere quod damnati ratione status miserabilissimi (cùm vndique abundent malis & miserijs) non possunt absolutè desiderare beatitudinem actu elicito; nam de appetitu naturali, non dubium quin appetant beatitudinem. Melius tamen dicitur, illos beatitudinem in communi appetere; appetentes enim etiam non esse, beatitudinem & bonum appetunt. Quamuis enim non esse absolutè est maximum malum in quantum priuat esse; est tamen damnato grande bonum, in quantum priuat maxima miseria, quam essendo patitur, quapropter verum habet absolutè verbum Domini Matth. *Matth. 26.* 26. de Iuda proditore, bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Et secundùm rectam rationem esse quod cõiũgitur summæ miseriæ & perpetuæ dãnationi, respui debet: melius est enim nõ

esse, quàm miserrimè esse. Vnde licèt respectu naturæ & appetitus naturalis, non esse non habeat appetibilitatem; respectu tamen actus eliciti, quem cognitio præcedit, in tali casu eligibile est nō esse.

Not. ex D. Thom. Pro cuius maiori intelligentia notandum ex Diuo Thomæ, quæst. 16. de malo artic. 3. ad 5. ex his quæ ponit in contrarium, quòd cum duplex sit actus vel motus voluntatis; alter amor, alter verò odium; primus, qui sit prosequutio, secundus verò fuga; aliter iudicandum est de fuga & appetitu remotionis mali, aliter verò de appetitu prosequutionis boni: nam in eo actu quo homo appetit à se remoueri malum, habet se ipsum tanquā terminum à quo, de cuius ratione non est quòd saluetur & maneat in motu, & ideò potest desiderare non esse, vt fugiat miserias. Cæterùm in appetitu prosequutionis boni, ponit se ipsum homo vt terminum ad quem, in motu, vnde non potest desiderare sibi bonum actu prosequutiuo, nisi desideret esse. Cùm ergo ad appetitum beatitudinis pertineat, tam prosequi bonum, quàm fugere malum, damnati appetentes non esse, appetunt beatitudinem, quia non esse appetunt vt malum fugiant. Vel posset dici faciliùs, quòd damnati appetunt non esse subratione boni, quatenus non esse, vt priuat malo coniuncto esse, apprehenditur vt bonum, vt dicitur infrà quæst. 29. art. 4. ad 2. Ad confirmationem respondetur,

Ad cōfirm. quòd impossibile absolutè vt impossibile non potest appeti, bene autem quod tantum est impossibile ex suppositione & per accidens, vt videre est in Caietano

Caiet. 1. part. q. 63. artic. 3. nam peccator desiderat non peccasse, & filius desiderat patrē viuere, quem mortuum cernit: quod tamen est ex suppositione impossibile. Ita damnati desiderare possunt beatitudinē, quæ tamen est eis impossibilis ex suppositione status & damnationis: absolutè enim est possibilis; & tamē in hoc indiuiduo est per accidēs impossibilis. Nec est inconueniens, appetitū naturalem in aliquibus individuis frustrari, dummodò in tota specie non sit frustra. Vel secundò dicitur, non esse frustra, etiā si possit in specie non impleri, si hoc est per accidens ex suppositione; si tamen absolutè poterat adimpleri. Quod dixerim propter Dæmones, in quolibet enim illorum damnato, perijt tota species: quia speciei rum Angelorum non est nisi vnicum in diuiduum. Licèt ergo post damnationē maneat impossibilis consequutio beatitudinis in illa specie, quia sic manet in illo indiuiduo continente totam speciem, fuit tamen sibi possibilis ante damnationem: & hoc sufficit vt in eo sit appetitus naturalis beatitudinis, quam iam ex suppositione adipisci non potest.

Ad quartum respondetur, quòd etiam non appetentes media necessaria secundùm veritatem ad beatitudinem propter peccata, tendunt ad ipsam beatitudinem ex apprehensione practica (licèt falsa) illud enim quod faciunt, existimant consentaneum ad suam beatitudinem conse quendam. *Ad 4. arg.* Ad confirmationem Scoti respondetur, quòd appetitus, maxime intellectiuus, potest esse circa bonum commune; nam amamus bonum sine determinatione huius vel illius, & materia appetit formam, non hanc, vel illam, visus colorem, non hunc vel illum: ouis vniuersaliter fugit lupum; & nos in genere odio habemus latrones & calumniatores, vt 2. Rhetoricor. docet Philosophus. De quo etiam videatur infrà q. 29. art. 6. Ad illud autem, quòd bonnm in cōmuni non est perfectio appetentis; vnde non habet cadere sub appetitu nisi bonum particulare, iam dictum est nos non loqui de bono communi per abstractionem, sed per indeterminationem: vnde quod appetitur, est particulare & singulare & reale, & tā tum modaliter vniuersale & commune per indeterminationem. De quo Caietanus 1. p. q. 82. art. 1. *Ad confirm.* *Caiet.*

Circa secundā conclusionē D. Thom. aliqui disputant in præsenti, vtrùm in homine sit naturalis appetitus videndi Deū. Sed de hoc iam nos egimus suprà qualiter respectu visionis claræ nō sit in nobis appetitus vel potentia naturalis, sed tantùm obedientialis. Vnde in præsenti manet disputandum solùm de potentia obedientiali; de quo tamen modo breuiter; nam alibi longius erit disputandum.

TRACTATVS DE POTENTIA obedientiali.

DVBITATVR. I.

quid sit potentia obedientialis.

Vtrùm sit in nobis aliquid naturale vel supernaturale.

Not. 1. PRo cuius intelligentia supponēdū est primò, quòd licèt Scotus q. 1. Prologi 1. sent. *Cōtra Scot.*

1. sentent. & in 4. dist. 49. non agnoscat potentiam obedientialem, sed solùm asse rat, dari potentiam naturalem & superna turalem & neutram: nihilominus ab om nibus Theologis, potentia obedientialis cognoscitur. De quo videatur Caietan. opusc. de potentia neutra. Suppositoergo quòd sit inquirimus quid sit.

Caiet.

Not. 2.

Secundò notandum, authores esse diuisos in assignanda tali potentia. Prima

1. Sentent.

enim sententia est aliquorum, quos citat Soncinas 5. Methaph. quæst. 17. &

Soncinas.
Medina.

Medina suprà q. 3. art. 8. quòd hęc potentia sit entitas absoluta & distincta, & superaddita naturæ.

2. Sent.

Secunda sententia est, superaddere supra naturam rei, relationem & habitudinem ad Deum. Hanc tenet Soncinas, Iabellus, Capreolus, & Ferrara locis citatis dubio sequenti.

Soncinas.
Iabellus.
Capreolus
Ferrara.

Tertia sententia est, quam tenet Cabrera 3. part. quæst. 1. artic. 1. disput. 6. dub. 3. quòd talis potentia distinguitur formaliter à subiecto, & addit formalitatem vel habitudinem transcendentalem ad Deum.

3. Sent.
Cabrera.

Quarta sententia est tenenda, quòd potentia obedientialis non est aliquid realiter vel formaliter distinctum ab ipsa natura, quæ est in obedientia respectu Dei. Hanc tenet Medina suprà q. 3. art. 8. & Zumel 1. p. q. 12. art. 1, dub. 2. & ratione patet. Nam quacunque entitate vel formalitate superaddita ablata, adhuc ratio remanens intelligitur obediens Deo, vt de illa faciat quidquid voluerit: frustra ergo superadditur entitas quæ sit obediẽtialis potentia. Et præterea, quia anima intellectiua per suam essentiam differt à sensitiua in eo quòd illa est capax gratiæ ista verò non. Item quia vt dicit August. lib. de Prædestinat. Sanctorum, capit. 5. posse habere Fidem, & posse habere Charitatem, naturæ est hominum: habere autem gratiam, est fidelium: & communiter sic asserunt Theologi, quòd in ipsa natura hominis, est capacitas recipiendi perfectiones supernaturales. Ex quibus omnibus patet, potentiam obedientialem ab ipsa entitate rei non distingui. Et si contra facias argumentum, quia potentia ordinata ad actum accidentalem realem, distinguitur realiter à subiecto: huiusmodi est potentia obedientialis ad accidentia supernaturalia: ergo: Respondetur primò, illam

4. Sent. vera

Medina.
Zumel.

D. Aug.

Obiectio.

1. Solutio.

maximam intelligi de potentia actiua, non de passiua. Secundò respondetur, illam habere verum, quando potentia & actus sunt eiusdem ordinis; non autem quando est ad aliquid superexcedens, qualis est ordo gratiæ respectu potentiæ obedientialis. Et si rursus arguas, quia potentia subiecti ad primam passionem, distinguitur specie à potentia obedientiali supernaturalium: ergo differunt numero, quia quæ specie differunt, à fortiori numero distinguuntur: sed potentia ad primam passionem identificatur cum subiecto, quia daretur processus in infinitum: ergo potentia obedientialis non idẽtificatur cum subiecto. Patet consequentia, quia quæ sunt distincta realiter inter se, non possunt esse idem vni tertio: Respondetur, negando quòd vtraque potentia inter se sit distincta realiter. Ad argumentum autem dicitur, quod qualiter est distinctio in specie, sic est & in individuo: si enim est distinctio specifica realis, sic etiam & numerica realis distinctio est. Quando autem est distinctio specifica formalis, distincto etiã numerica est huiusmodi, & non requiritur esse entitatiuam distinctionem: vnde sic intelligitur maxima. Quæ differũt specie, differunt numero, vel entitatiuo, vel formali.

2. Solutio.

Obiectio.

Solutio.

His ergo suppositis circa quæsitum in hoc dubio, est prima sententia Paludani super prologum 1. sent. disput. 1. & Zumel 1. p. q. 12. art. 1. dub. 1. circa finem tertię conclusionis, quòd potentia obedientialis, simpliciter loquendo, est potentia naturalis.

1. Sent.
Paludanus.
Zumel.

Secunda sentẽtia est aliorum, qui pro se citant Caietanum 1. p. q. 1. art. 1. & 12. q. 113. art. 10. quòd simpliciter loquendo, potentia obedientialis est supernaturalis: & hanc sequitur Medina & Bañes loco citato dubio sequenti.

2. Sent.
Caie.
Medina.
Bañez.

Tertia sententia vera & tenenda est media, quam tenet Ferrara 3. contra Gẽt. cap. 153. quòd potentia obedientialis est naturalis ex parte subiecti; supernaturalis verò ex parte termini.

3. Sent.
Vera.
Ferrara.

Pro cuius intelligentia notandum, quòd talis potentia obedientialis potest dupliciter considerari. Primò materialiter & entitatiuè. Secundo formaliter in ratione potentiæ: hoc enim vocat Ferrara ex parte subiecti, & ex parte termini. Si ergo potentia obediẽtialis cõsideretur

Not.

ex parte subiecti & materialiter quantum ad entitatem, vtique est potentia naturalis, loquendo quidem de potentia obedientiali rerum naturalium; nam si loquamur de potentia obedientiali rerum supernaturalium, quia & ipsa gratia in potentia obedientiali est, vt de ipsa Deus faciat quod voluerit; talis potentia supernaturalis, erit entitas supernaturalis: hoc enim patet, nam, vt præmisimus, potentia obedientialis est idem realiter cum ipsa re quæ est in tali potentia; quia eo ipso quòd sit creatura, est in tali potentia: ergo si res est naturalis, similiter & potentia obedientialis est entitas naturalis. Vnde vanè aliqui moderni fingunt nescio quam entitatem supernaturalem superadditam omnibus entibus naturalibus, per quam sunt in potentia obedientiali Dei. Si enim huiusmodi obedientia oriatur, & necessariò fluat ex natura ipsius entis naturalis, non potest esse entitas supernaturalis; quia superius & perfectius non potest à minus perfecto dimanare, & consequenter nec supernaturale à naturali fluere potest. Si verò potentia obedientialis consideretur formaliter in ratione potentiæ, quod vocat Eer rara ex parte termini, sic potest appellari supernaturalis, quia cum potentia passiua formaliter in ratione potentiæ specificetur ab actu quem recipit, & si est potentia passiua ab agente cui subijcitur, cùm istud sit Deus, vt author supernaturalis consequenter & ipsa potentia obedientialis formaliter est supernaturalis. Nec est opus indagare, si potentia obedientialis est accidens, vel propria passio naturæ; nam qui ponunt, potentiam esse aliquid distinctum, possunt hoc quærere; nos autem vtrumque negamus, cùm sit omnino idem cum ipsa natura rei. Sicut enim esse creaturam, non est aliud, quàm ipsa entitas rei per respectum ad Deum creatorem; ita esse in obedientiali potentia non est aliud quam ipsa habitudo subiectionis ad Deum; quod nihil est præter ipsam habitudinem creaturæ. Et si contrà arguas, nam potentia etiam formaliter, est aliquid reale entitatiuum: ergo si entitatiuè est reale, & quid naturale; similiter vt potentia formaliter: Respondetur, variari appellationem, vel fieri argumentum ab identica ad formalem: vnde bene potest stare, entitatiuè esse naturalem, formaliter verò supernaturalem.

Obiectio.

Solutio.

DVBIVM. II.

Vtrùm potentia obedientialis formaliter in ratione potentiæ, sit aliquid positiuum & reale; an verò aliquid negatiuum & rationis.

PRobatur primum. Accidentia supernaturalia dicunt ordinem realem ad ipsam naturam, tanquàm ad proprium subiectum: ergo & ipsa natura dicit ordinem realem ad ipsa accidentia supernaturalia, vt subiectum ad formam. Patet consequentia, nam sicut accidentia illa habent potentiam vt recipiantur in natura; ita natura habet potentiam vt recipiat talia accidentia: ergo pariter loquendum de vtraque, quòd si vna est realis, similiter & alia. *1. Arg.*

Secundò probatur. Potentia specificatur ab actu; actus quem recipit potentia obedientialis, est realis: ergo & ipsa potentia est realis & positiua. *2. Arg.*

Tertiò probatur, nam potentia actiua, cui subijcitur potentia obedientialis, vt passiua, est realis & positiua, nempe potentia actiua Dei: ergo similiter & ipsa potentia obedientialis. Patet consequentia, nam potentia actiua & passiua sunt eiusdem rationis. *3. Arg.*

Quartò, nam potentia obedientialis non videtur aliud quàm ordo & habitudo subiectionis quem dicit creatura ad creatorem: sed habitudo & relatio creaturæ ad creatorem, est realis: ergo & potentia obedientialis. *4. Arg.*

Vltimò probatur. Potentia obedientialis est maxima excellentia, per quam realiter excedit creatura intellectiua creaturam sensitiuam, & aliam quamcunque incapacem gratiæ: ergo talis potentia obedientialis gratiæ est aliquid reale in creatura intellectiua. Patet ista consequentia, quia non potest excedere realiter secundùm excellentiam, tantùm per negationem & aliquid rationis. *5. Arg.*

In hac re est prima sententia, quòd potentia obedientialis est aliquid negatiuũ & rationis. Hanc tenet Ferrara. 1. contra Gẽt. c. 5. & Zum. infr. q 112. ar. 1 disp 3 Se- *1. Sent. Ferrar. Zumel.*

1. Sent. Secunda sententia est, quòd potentia obedientialis sit aliquid positiuum & reale. Hanc tenet Capreolus 1. sentent. q. 1. prologi. art. 3. ad 1. Scoti contra sextam conclusionem. Soncinas 5. Methaph. q. 17. vbi refert alios pro hac sententia, Iabellus eodem libro, q. 19. Ferrara 3. contra Gentes cap. 166. & in hac inclinat Cajetanus 1. p. q. 1. art. 1 & 12. q. 113. art. 10. Medina q. 3. art. 8. Bañes 1. part. q. 48. ar. 8. & hanc tenent consequenter, qui dicunt hac potentiam esse supernaturalem.

Capreolus. *Soncinas.* *Iabellus.* *Ferrara.* *Caie.* *Medina.* *Bañez.*

3. Sentent. Tertia sententia est quasi media, quòd est aliquid positiuum; habet tamen annexam negationem; vt verum & bonum, & vltima vnitas: omnia enim hæc essentialiter sunt aliquid positiuum, licèt habeant annexam negationem. Hanc tenet Cabrera 3. part. q. 1. art. 1. disp. 6. dubio 1.

Cabrera.

Vera sent. Vera tamen sententia est tertia, quòd entitatiuè potentia obedientialis est aliquid reale positiuũ; quia, vt dictum est, identificatur cum ipso subiecto; formaliter verò in ratione potentiæ est aliquid rationis & negatiuum, quia formaliter non explicatur per aliquid positiuum, sed negatiuum, nempe per hoc quòd nõ repugnet ei eleuari ad gratiam; vel etiam explicatur per hoc, quòd possit eleuari à Deo ad omne quod non implicat contradictionem: quod quidem cùm non sit in ordine ad aliquem effectum particularẽ in specie, sed ad infinitos synchategorematicè; potius dicit negatiuum & rationis, quam positiuum & reale. Verum est tamen, quòd absolutè loquendo & sine distinctione, ista potentia debet appellari realis potius quàm rationis, quia supponit pro materiali.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum à principio respondetur, negando consequentiam; quia gratia essentialiter pendet à natura, & intrinsecum & connaturalem ordinem dicit ad illam, vt ad subiectum à quo necessario dependet: natura verò non dependet à gratia, nec ex se ordinatur ad illam, sed solùm habet non repugnantiam, vt illam recipiat: hoc autem formaliter aliquid negatiuum & rationis importat. *Et* si contra arguas, nam gratia educitur à potentia obedientiali animæ: ergo anima ex se dicit habitudinem ad gratiam, vt ad quod educi potest ex illa: Respondetur, quòd educi de potentia obedientiali, cum hoc fiat ab agente infinito, non est quòd ipsa anima concurrat, nisi solùm per præsuppositam entitatem sui, non repugnando agenti; quod vltra entitatem materialem rei, non importat formaliter nisi negationem. Et rursus si arguas, nam post receptionem gratiæ vere anima illa conseruat; estque positiua causa illius, tribuens ei existentiam per inhæsionem: ergo ante receptionem erat in potentia vera & reali & positiua ad talem causalitatem. Patet consequentia, nam quale aliquid est in actu, tale est secundùm genus in potentia: vnde si actu habere gratiam, est esse causam positiuam & realem; potentia ad habendam gratiam erit positiua & realis: Respondetur primò istam consequentiam esse bonam in potentia comparata ad agens finitum præsupponens non solùm entitatem rei, sed etiam dispositionem eius, vel proportionem naturalem, vt inducat formam. Vnde cùm respectu talis agentis illa potentia vltra entitatem dicat aliquid reale in ordine ad formam, tunc & ipsa potentia dicitur realis, non vero valet consequentia in potentia obedientiali, quæ comparatur ad agens infinitum non requirens vltra entitatem rei, aliquam proportionem vel dispositionem, sed solùm obedientiam, & non repugnantiam: vnde talis potentia materialiter quoad entitatem præsuppositam, tantùm est realis; quoad habitudinem tamen ad formam, quam tantùm respicit non repugnanter, qua ratione formaliter est potentia; erit negatiuum & rationis tantum, etiamsi actu habere talem formam, sit reale & positiuum. Vel secundò respondetur, sufficere quòd simul tempore prioritate naturæ supponatur ad actum realem potentia naturalis. Hoc autem fit, non per potentiam obedientialem, quæ remotè se habet ad actum, sed per dispositionem proximè disponentem ad gratiam; quæ quidem dispositio non aliud est, quàm ipsam gratiã per modum auxilij; & vt se tenet ex parte Dei; vt sic enim proximè disponit animam, vt sit in potentia reali ad ipsammet gratiam consideratam in ratione accidentis inhærentis, & tenentis se ex parte animæ. Nec ex eo anima est dicenda causa dispositiua gratiæ, sed tantùm subiectiua & materia-

Obiectio. *Solutio.* *1. Solutio.* *2. Solutio.*

terialis;quia illa disposítio non se tenet ex parte ipsius animæ,sed ex parte Dei concurrentis vt causa eius.Et si rursus arguas, quòd etiã gratia in ratione auxilij est accidens reale receptũ in anima:ergo debet ad ipsam præsupponi potentia realis,quæ nulla potest assignari nisi obediẽtialis: Respõdetur, quòd tunc gratia in ratione auxilij,nõ cõsideratur in ratione accidentis perfecti & cõpleti,sed initiatiuè & infieri:vnde non est necesse, ad ipsam præsupponi aliam potentiam proximã sed hæc per ipsummet auxlium constituitur, & ante ipsum tantùm potentia remota & obedientialis intelligitur; hoc enim proprium est cuiusque dispositionis,vt non aliam ad se requirat.Vel dicitur,quòd licèt millies fiat reflexio, semper est distinguendum de auxilio in ratione accidentis, vel in ratione auxilij, quòd in ratione auxilij disponat, & prioritate naturæ constituat potentiam proximam ad ipsummet in ratione accidẽtis.

Obiectio.

1.Solutio.

2.Solutio.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum patet ex dictis quòd potentia obedientialis nõ specificatur ab aliquo actu supernaturali determinato in specie,sed in communi,quatenus non habet repugnantiam vt recipiat quodlibet quod Deus voluerit infũdere:hoc autem tantùm dicit negatiuum & quid rationis,vt dictum est.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum respondetur,illud tantùm habere verum de potẽtia actiua finita,quæ quia,vt dictum est, ex parte rei in quam agit,supponit proportionem & habitudinem realem ad formam quam debet inducere, ideò si potẽtia actiua est realis, similiter & passiua: non autem valet in potentia actiua infinita,quæ cùm in re,in quam debet agere solùm supponat entitatem,& nõ repugnantiam ad formam inducendam, licèt potentia actiua sit realis, passiua formaliter sumpta,tantùm est rationis.

Ad 4.arg. Ad quartum argumentum respondetur, quòd in creatura est vera habitudo & relatio realis ad creatorem: negamus tamen,quòd per talem relationem creaturæ constituatur formaliter in ratione potentiæ obedientialis,sed tantùm materialiter. Formaliter autem constituitur per hoc,quòd quia dicit relationem realem creaturæ,habet obedientiam & non repugnantiã,vt faciat de illa Deus quod voluerit. Hoc atem formaliter supra relationem realem creaturæ tantùm addit negatiuum & quid rationis.

Advlt.arg Ad vltimum respondetur, excellentiam naturæ intellectiuę consistere in maiori perfectione naturę obedientis,& quia effectus ad quem ordinatur, est nobilior,licèt ipsa non repugnantia ad talẽ effectum formaliter sit rationis.

Et si contra prædicta omnia arguas, quia essentiæ potentia ad primam passionem est realis,licèt non distinguatur nec addat aliquid supra ipsam essentiam. Similiter potentia materiæ primæ non dicit entitatem distinctam à materia, & nihilominus talis potentia est realis: ergo quòd potentia obedientialis nihil reale addat super entitatem rei, non tollit quo minus ipsa potentia sit realis: Respondetur. Primô,quòd adducta in argumento, ex se ipsis respiciunt talem effectum, & dicũt proportionem ad illum, quia sunt potentiæ naturales, & comparantur ad agens naturale:vnde absolutè talis potẽtia est realis:potentia verò obedientialis (vt dictum est)cùm comparetur ad agẽs supernaturale,non dicit ex se ipsa proportionem & habitudinem ad effectum, sed non repugnantiam ad illum : vnde formaliter est rationis, non ex eo quòd distinguatur,vel non,à subiecto, sed ex eo quòd positiuè & realiter proportionetur & respiciat effectum quod habet potentia naturalis,etiam non distincta à subiecto;non autem obedientialis, quæ tantùm dicit non repugnantiam, quæ formaliter est negatiuum. Secundô respondetur,quôd potentiæ adductæ in argumento non sunt relationes prædicamẽtales,quia sunt qualitates, sed tantùm transcendentales:vnde si rigorosè loquamur,etiam formaliter sunt aliquid rationis; quia in Intellectu est distinguere duo illa;& id quod ordinatur ad effectũ, nempe subiectum,& id per quod ordinatur,nempe potentia. Verum est,quòd in materia prima alia est ratio;nam cùm ex propria essentia sit potentia,& sua entitas in eo consistat,quòd respiciat formã, absolutè dicendum est esse potentiam realem;quia in modo loquendi denotatur ipsa entitas materiæ, cùm nulla alia sit potentialitas eius, quàm eius entitas,& nulla entitas, quàm eius potentialitas.

1.Solutio.

2.Solutio.

DV-

DVBIVM. III.

Vtrùm potentia obedientialis aliquàdo sit actiua; an verò semper sit potentia passiua.

1. *Argu.* PRobatur primum. Potentia obedientialis aliquando est ad agendum, vt potentia obedientialis intellectus ad videndum Deum: ergo aliquando est actiua. Patet consequētia; nam in hoc distinguitur actiua à passiua, quòd passiua est ad recipiendum, actiua ad agendum.

2. *Arg.* Secundò probatur. Quando Intellectus, eleuatus lumine videt Deum verè est potentia actiua visionis: & hoc non habet à lumine: ergo habet ex se ipso per potentiam obedientialem esse actiuum. Minor probatur, quia lumen non est potentia, sed habitus: ergo non habet Intellectus à lumine rationem potentiæ, quia habitibus præsupponitur potentia.

3. *Arg.* Tertiò arguitur. Instrumenta gratiæ, vt Sacramenta verè agunt, quia sunt instrumenta physica; & huiusmodi reducũtur ad genus causæ efficientis: sed talem actiuitatem non habent ab actuali eleuatione & motione: ergo præsupponitur in ipsis secundùm potentiam obedientialem. Minor probatur, nam secundùm D. Thomam, ad actualem eleuationem instrumenti, præsupponitur actio eius.

Propter argumenta posita, aliqui moderni tenent, potentiam obedientialem aliquando etiam esse actiuam. Sic tenet *Suarez.* Suarez. 3. p. q. 15. art. 1. disp. 31. sect. 6. & *Cabrera.* Cabrera 3. p. q. 1. artic. 1. disp. 6. dubio 6. Sed verior & antiquior sententia Thomistarum est, quòd semper est passiua: quã *Zumel.* latè explicat Zumel 1. p. q. 12. art. 1. circa tertiam conclusionem: immò iste est com *D. Thom.* munis modus loquendi D. Thomæ infrà, q. 113. art. 10. & in 1. dist. 42. q. 2. art. 2 ad 4. & in 2. dist. 18. q. 1. art. 2. & in 3. distin. 2. q. 1. art. 1. & de veritate q. 8. art. 4. ad 13. & 1. p. q. 115. art. 2. & 4. & 3. p. q. 1 art. 3. ad 3. & quæst. 11. artic. 1. Sic etiam *Hispalensis.* loquuntur eius discipuli Hispalensis & Ca *Capreolus* preolus quæst. 1. Prologi. Item cum Ca *Paludanus.* preolo Paludanus in 4. dist. 1. quæst. 1. & *Caiet.* Caietanus 1. part. quæst. 1. art. 1. & tomo *Ferrara.* 3. opuscul. tractatu 3. quæst. 2. Ferrara 1. contra Gentes cap. 5. & lib. 3. capit. 156. Et probatur. Potentia non specificatur ab effectu remoto, sed ab effectu proximo: sed potentia obedientialis respectu effectus priximi semper se habet passiuè. Similiter in Sacramentis, quia effectus proximus est eleuatio quã passiuè recipiũt: ergo. Confirmatur, quia etiã in *Confirm.* naturalibus aliquid potest recipere virtutẽ actiuam ad agendum, & antequã recipiat talem virtutem, non dicitur habere talem potentiam actiuam: sed potentia obedientialis etiam ad videndum Deum & alia huiusmodi, est ad recipiendam virtutem actiuam talis operationis: ergo talis potentia non est actiua, sed passiua. Maior probatur, quia nullus concedet quòd aqua summè frigida habeat potentiam actiuam ad calefaciendum, ex eo quòd habeat potentiam ad recipiendum calorem, qui est virtus actiua calefaciendi: similiter si substantia ignis non haberet calorem, non diceretur habere potentiam actiuam calefaciendi; quia poterat accipere virtutem & calorem calefacien di. Similiter si daretur anima sine Intellectu & Voluntate, non diceretur habere potentiam actiuam intelligendi & volendi, ex eo quòd poterat recipere virtutem actiuam intelligendi, nempe Intellectũ: ergo similiter in præsenti. Verum est, quod si contra Suarez, semel ponatur, ante eleuationem nullam esse virtutem actiuam ad actum supernaturalem, nisi remotam, quatenus habet potentiam passiuã vt eleuetur, vt eleuata possit agere, vtrũ talis potentia antecedens eleuationem, debeat dici actiua propter effectum mediatum quem respicit media eleuatione actiuè, an verò debeat dici passiua, propter effectum proximũ, nempe eleuationem, ad quam solùm passiuè cõparatur. Quæstio erit de nomine. sed melior modus loquendi est, quem assignauimus.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum respondetur ex dictis, potentiã specificari ab effectu proximo: vnde licèt aliqua potentia obediencialis, remotè sit ad agendũ. quia tamen illa respectu effectus proximi, per quem eleuatur, se habet passiuè; omnis potentia obedientialis dicitur passiua.

Ad 2. arg. Ad secundũ argumentũ respondetur, lumen gloriæ non dari ad melius, sed ad simpliciter operandum: vnde nõ solùm est habitus, sed etiam constituit potentiã & sic ante lumen non intelligitur potentia actiua ad videndum; sed ipsa virtus actiua Intellectus, est passiua in recipiẽdo lumen, per quod postmodum fit acti

ua ad videndum: cùm ergo obedientia sit ad recipiendum lumen, ipsa virtus actiua naturalis Intellectus, est obediẽtialis pas-
Obiectio. siua ad lumen. Et si dicas, quòd visio est
Solutio. actio vitalis, ergo respicit virtutẽ Intellectus vt actiuam: Respondetur, respicere lam remote proximè autẽ vt eleuatã lumine: ex ordine autem remoto dictũ est non sumi specificationem.

Ad 3. argu. Ad tertium argumentum respõdetur, instrumẽta eleuata cõstitui in esse actiui per ipsam eleuationẽ & actualẽ motionẽ, quæ dupliciter consideratur, & ex parte Dei eleuantis vt actio, & ex parte instrumẽti vt passio recepta, per quã cõstituitur ad operandũ. Ad hanc autem receptionẽ talis motionis, solùm cõparatur instrumentũ passiuè, non actiuè. Ad illud autẽ, quòd prę supponitur actio in instrumẽto ante eleuationẽ, respondetur, illud intelligi de actione large sumpta, prout saltem entitas instrumẽti debet præsupponi, Si autẽ de actione propria intelligatur, hoc est respectu effectus alicuius proprij naturalis, non autem in ordine ad ipsam eleuationem, ad quàm solùm passiuè secũdũ potentiã obedientialẽ cõparatur. Sed de hoc latius in materia de Sacramẽtis, 3.p.q.62.

DVBIVM. IIII.

Vtrùm potentiæ obedientiales differant genere vel specie, an verò omnes illæ sint eiusdem speciei.

1. Arg. PRobatur primũ. Potentia obedientialis, vel potest cõsiderari ex parte subiecti & entitatis, vel ex parte actus quẽ respicit, & ad quẽ ordinatur, vel etiã ex parte potentię actiuę Dei, cui subijcitur: sed ex omni ista parte distinguitur genere vel specie: ergo absolutè dicendũ est, habere talẽ distinctionẽ. Cõsequẽtia patet, quia ex nullo alio capite potest cõsideri vnitas vel distinctio talis potentię. Prima verò pars minoris probatur, nã entitates rerũ, quibus idẽtificatur potẽtia obediẽtialis, sunt diuersorũ generũ & prædicamentorũ; si quidẽ omnis res creata habet talẽ obediẽtiã: ergo ex parte entitatũ est differentia generica, quomodocunq; se habeant tales potentiæ ex parte terminorũ: sicut potẽtia visiua hominis & bruti, licèt ex parte obiecti habeant vnitatẽ, ex parte tamen subiectorũ distinguũtur specie. Secũda verò pars minoris probatur, nàm terminus potentiæ obediẽtialis est (v.g.) vnio hypostatica, & gratia iustificans, &c. quæ cùm altera sit substantialis, altera verò accidentalis, genere inter se distinguuntur. Tertia verò pars eiusdẽ minoris probatur, nã potẽtia obedientialis respicit potentiã actiuã Dei, tam vt Authoris gratiæ, quã vt Authoris naturæ: ergo. Probatur antecedens, quia vnio animæ ad corpus per resurrectionẽ, cùm sit effectus naturalis respicit Deũ vt Authorẽ naturæ; ad quã tamen tãtũ est potẽtia obedientialis, cũ per naturalẽ potẽtiã à priuatione ad habitũ nõ sit regressio: ergo respicit potẽtiã actiuã Authoris naturę; nã actiuã eius, vt authoris supernaturalis, solũ respiciũt effectus supernaturales.

Secũdò arguitur. Potentia principalis & instrumentalis genere differunt: sed potentia obedientialis quandoque est principalis, vt ad videndum Deum: quãdoque verò instrumentalis, vt in aqua ad causandam gratiam in Sacramento: ergo tales potentiæ genere differunt. *2. Arg.*

In hoc dubio maximè variant moderni. Aliqui dicunt, potẽtias obediẽtiales rerũ, differre specie vel genere secundũ actus ad quos ordinantur. Alij verò, quòd omnes potentiæ obedientiales sunt eiusdem generis, & tantùm differunt specie. Quidam verò dicunt, tãtùm esse differentiam specificã, quãdo actus vnius est substãtialis; actus verò alterius accidẽtalis. Alij verò asserũt, tãtũ esse differẽtiã specificãper esse potẽtiã principalẽ vel instrumẽtalẽ.

Communior tamen sentẽtia & verior Thomistarũ est, potentiã obediẽtialẽ omniũ rerũ, esse eiusdẽ speciei atomę, si formaliter consideretur: si enim cõsiderẽtur materialiter & entitatiuè, differunt sicut differũt ipsæ entitates, modò genere, modò specie, modò indiuidualiter. Si verò formaliter in ratione potẽtię cõsiderẽtur omnes sunt eiusdẽ speciei; quia, vt dictũ est, formaliter potẽtia obediẽtialis nõ respicit effectũ determinatè hunc vel illũ, secũdũ hanc vel illã cõsiderationẽ seu rationem, qua ratione tales effectus inter se habent distinctionẽ genericã vel specificã: sed respicit effectũ supernaturalẽ in communi per non repugnãtiã, & per plenã subiectionẽ potẽtiæ Dei, vt faciat de creatura quod voluerit: quod quidem vnica & eadẽ ratio formalis est in omnibus formaliter

maliter: ergo sunt eiusdem rationis & speciei.

Ad 1. arg. A primũ argumentũ respondetur, cõcedendo, vt dictũ est, materialiter & entitatiuè distingui potentias obedientiales genere vel specie, nonverò formaliter ex parte effectus, vel ex parte potẽtiæ actiuę, cui talis potentia subijcitur. Ad secũdã probationẽ minoris (concessa prima) respondetur, non respicere illos effectus secundũ rationes particulares quibus interse distinguũtur, sed secundùm diuinã ordinationẽ disponentẽ prout vult de illis; qua ratione omnes illi effectus conueniũt. Ad tertiã probationẽ respondetur, potentiã obedientialem tãtùm respicere potentiã actiuã Dei, vt authoris supernaturalis. Ad impugnationem verò dicitur, quòd reunio quantũ ad substãtiã aliquid naturale est; quãtũ verò admodũ, supernaturalis: nõ ergo est actus potentię obedientialis quoad substãtiã, sed quoad modum: vnde cùm hac ratione sit supernaturalis, absolutè in ratione actus potẽtiæ obedientialis, respicit potentiam Dei, vt authoris supernaturalis.

Ad 2. arg. Ad secundũ argumentũ respõdetur, potentiã obediẽtialẽ formaliter sumptã & secundũ suã propriã rationẽ, nec propriè esse principalẽ, nec instrumẽtalem, quia ista diuisio solùm est causæ efficientis, potentia verò obedientialis est passiua & nõ efficiens. Itaq; licèt respectu effectus remoti & mediati, natura iam eleuata aliquando cõcurrat principaliter, vt videndo Deum; aliquando verò instrumẽtaliter, vt causando gratiam Sacramenta, antecedenter tamen ad eleuationem; in quo priori (vt dictum est) consistit formaliter potentia obedientialis: nec tunc est ratio causæ principalis vel instrumentalis, sed plena subiectio passiua, vt potentia actiua Dei eleuet naturam, siue ad agendum principaliter, siue instrumentaliter: quæ omnino eadem ratio est subiectionis vt eleuetur.

QVÆSTIO VI.

De voluntario & inuoluntario.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in humanis actibus inueniatur voluntarium.

AD primum sic proceditur. *Videtur quòd in humanis actibus nõ inueniatur voluntarium. Volũtarium enim est, cuius principium est in ipso; vt patet per Greg. Nicenum,* * *& Damascen.* † *& Aristot.* ‡ *Sed principium humanorum actuum non est in ipso homine, sed extra nam appetitus hominis mouetur ad agendum ab appetibili quod est extra, quod est sicut mouens non motum, vt dicitur in 3. de anima.* † *Ergo inhumanis actibus non inuenitur voluntarium.*

Nicenus li. 5. ca 3. circ. princ. Dam. lib. 2. ortho. fidei ca. 24. Arist. 3. Ethi. c. 1. to. 5.

† *Lib. 3. tex. 54. to. 2.*

2. Præterea. Philosophus in 8. Physicor. * *probat, quòd non inuenitur in animalibus aliquis actus nouus, qui non præueniatur ab alio motu exteriori: sed omnes actus hominis sunt noui; nullus enim actus hominis æternus est: Ergo principium omnium humanorum actuum est ad extra: non igitur in eis inuenitur voluntarium.*

Lib. 8. phys. tex. 28. to. 2

3. Præterea. Qui voluntariè agit, per se agere potest: sed hoc homini non conuenit, dicitur enim Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere? ergo voluntariũ in humanis actibus non inuenitur.

Sed contra est, quod dicit Damascenus in secundo libro, * *quòd voluntarium est actus, qui est operatio rationalis: tales autem sunt actus humani: ergo in actibus humanis inuenitur voluntarium.*

Cap. 22. & 24.

Respondeo dicendum, quòd oportet in actibus humanis voluntarium esse. Ad cuius euidentiam considerandum est, quòd quorundam

actuum principium est in agente, seu in eo quod mouetur: quorundam autem motuum, vel actuum principium est extra. Cùm enim lapis mouetur sursum, principium huius motionis est extra lapidem: sed cùm mouetur deorsum, principium huius motionis est in ipso lapide. Eorum autem, quæ à principio intrinseco mouentur, quædam mouent se ipsa; quædam autem non. Cùm enim omne agens, seu motum, agat seu moueatur propter finem (vt supra habitum) * illa perfectè mouentur à principio intrinseco, in quibus est aliquod intrinsecum principium, nõ solum vt moueantur, sed vt moueantur in finem. Ad hoc autem quòd fiat aliquid propter finem, requiritur cognitio finis aliqualis. Quodcunque igitur sic agit, vel mouetur à principio intrinseco, quod habet aliquam notitiam finis, habet in seipso principium sui actus, non solùm vt agat, sed etiam vt agat propter finem. Quod autem nullam notitiam finis habet, & si in eo sit principium actionis vel motus, non tamen eius quod est agere, vel moueri propter finem est principium in ipso, sed in alio, à quo ei imprimitur principium suæ motionis in finem; vnde huiusmodi non dicuntur mouere se ipsa, sed ab alijs moueri. Quæ verò habent notitiam finis, dicuntur seipsa mouere; quia in eis est principium, non solùm vt agant, sed etiam vt agant propter finem, & ideò cùm vtrunque sit ab intrinseco principio, scilicet quòd agunt, & quòd propter finẽ agũt horum motus & actus dicuntur volũtarij. Hoc autẽ importat nomen voluntarij, quòd motus & actus sit à propria inclinatione: & inde est, quòd voluntarium dicitur esse secũdum definitionem Arist. & Greg. Niceni, & Damasc. * non solùm cuius principium est intra, sed cum additione scientiæ. Vnde cùm homo maximè cognoscat finem sui operis, & moueat se ipsum, in eius actibus maximè voluntarium inuenitur.

q. 1. art. 2.

Locis in argument. citatis.

Ad primum dicendum, quod non omne principium est principium primum. Licèt ergo de ratione voluntarij sit, quòd principium eius sit intra; non tamen est contra rationem voluntarij, quòd principium intrinsecum causetur vel moueatur ab exteriori principio: quia non est de ratione voluntarij, quòd principium intrinsecum sit principium primum. Sed tamen sciendum, quòd contingit aliquod principium motus, esse primum in genere, quod tamen non est primum simpliciter, sicut in genere alterabilium, primum alterans est corpus cœleste: quod tamen non est primum mouens simpliciter, sed mouetur motu locali à superiori mouente: sic igitur principium intrinsecum voluntary actus, quod est vis cognoscitiua & appetitiua, est primum principium in genere appetitiui motus, quauis moueatur ab aliquo exteriori secundùm alias species motus.

Ad secundum dicendum, quòd motus animalis nouus præueniturquidem

quidē ab aliquo exteriori motu, quātum ad duo. Vno modo, in quantū per motum exteriorem præsentatur sensui animalis aliquod sensibile, quod apprehensum mouet appetitum: sicut leo videns ceruum per eius motum appropinquantem, incipit moueri ad ipsum. Alio modo in quantum per exteriorem motum incipit aliqualiter immutari naturali immutatione corpus animalis, puta per frigus, vel calorem; corpore autem immutato per motum exterioris corporis, immutatur etiam per accidens appetitus sensitiuus, qui est virtus organi corporei: sicut cùm ex aliqua alteratione corporis cōmouetur appetitus ad concupiscentiam alicuius rei: sed hoc nō est cōtrà rationē voluntarij, vt dictum est; ✻ *Huiusmodi enim motiones ab exteriori principio sunt alterius generis.*

Ad præced. argum.

Ad tertium dicendum, quòd Deus mouet hominem ad agendum, non solùm sicut proponens sensui appetibile, vel sicut immutans corpus, sed etiam sicut mouens ipsam. Voluntatem: quia omnis motus, tam Voluntatis, quàm naturæ, ob eo procedit, sicut à primo mouente. Et sicut non est contra rationem naturæ, quòd motus naturæ sit à Deo, sicut à primo mouente, in quantum natura est quoddam instrumentum Dei mouentis: ita non est contra rationē actus voluntarij, quòd sit à Deo, in quantū Voluntas à Deo mouetur: est tamen communiter de ratione naturalis, & voluntarij motus, quòd sint à principio intrinseco.

Conclusio est affirmatiua.

Pro intelligentia notandum, quòd cùm subiectum huius partis Theologiæ sit Deus attingibilis ab homine, aut De⁹ prout est causa gratuitorum donorū, præsertim beatitudinis, ad quam quibusdam actib⁹ oportet præuenire; inde est, quòd in priori parte huius Primæ Secūdæ per quinque quæstiones D. Thom. egerit de beatitudine, & vltimo fine, qui est primū principium omnium sequentium; cùm sic se habeat finis in operabilibus, sicut prima principia in speculabilib⁹: & quia à fine actionis desumunt actiones naturam, & speciem; à quæstione autem sexta, vsq; ad 49. agitur de principijs intrinsecis naturalibus, à quibus promanāt humani actus, quibus peruenitur ad beatitudinem, aut impeditur cōsequutio eius: huiusmodi autem principia talium operationum est vterque appetitus, & Voluntas ex parte rationali, & appetitus sensitiuus ex parte animali. De priori appetitu agit vsq; ad quæst. 22. De secundo verò appetitu & actibus illius agit à q. 22. vsque ad 49. quapropter iste tractatus de voluntario maximè necessarius est. Cùm enim Theologia ea parte qua moralis scientia est, eminenter & formaliter sit practica, vt ostenditur 1. p. q. 1. art. 4. maximè conducit tractatus de voluntario ad dirigendos fideles in casibus dubijs, & ad audiendas confessiones, & rectè iudicandum, & discernendum inter actus bonos & malos; ex hoc enim tractatu procedit D. Thom. vt ostendat distinctionem actuum bonorum & malorum in cōmuni, agens in hac parte de vitijs & virtutibus in communi; infra autem 2. 2. agēs de quolibet vitio & virtute in particulari.

Not. 1.

Secundò notandum, multiplicem esse acceptionem huius nominis Voluntarium; aliquando enim dicitur voluntarium, temere & sine ratione factum, vt vtitur Cicero in Philipica 2. aliquando etiam dicitur voluntarium promptitudine quadam factum, vel cum complacentia, vt patet Exod. 33. Apud Theologū autem voluntarium, idem significat quod procedens ex propria & intrinseca inclinatione Voluntatis, siue illa sit naturalis, siue libera, siue bona, siue mala moraliter; hoc enim impertinens est ad rationem voluntarij.

Not. 2. *Cicero.* *Exod. 33.*

Vnde tertio notanda differentia horum

Not. 3.

rum trium terminorum, Naturale, Voluntarium, & Liberum. Naturale tripliciter solet accipi. Primò, vt distinguitur contra violentum; vnde est id cuius principium est intra. In hac quidem acceptione etiam voluntarium & liberum dicuntur naturale. Secundo modo accipitur magis propriè naturale, vt distinguitur contra voluntarium & liberum; naturale enim vt sic, requirit intrinsecum principium, non tamen cognitionem finis, quem exposcit voluntarium & liberum. Tertio modo accipitur naturale, vt tantùm condistinguitur contra liberum; liberum enim non tantùm importat principium intrinsecum operationis; sed etiam quòd operatio procedat à principio indifferenti: vnde naturale in hac acceptione idem est quod necessarium, quod etiam ad actus Voluntatis se potest extendere, vt statim dicetur. Ex quo sequitur, ad actum voluntarium duo requiri. Primum, quòd principium sit intrinsecum. Secundum, quòd sit cum cognitione finis; & vtrumque est aliquid intrinsecum. Est tamen differentia inter vtrumque principium, quòd appetitus, quem vocamus principium intrinsecum, est principium actus secundùm eius substantiam, & quatenus est quidam motus: cognitio autem est principium quòd talis actus & motus ordinetur in finem: quapropter voluntarium non tantùm reperitur in homine, verum etiam in brutis, quia in eis est appetitus, & aliqualis cognitio, licèt imperfecta.

Not. 4. Quartò notandum, quòd iam quòd voluntarium sit quod procedit à principio intrinseco, nempe appetitu, oportet explicare, qualiter ad appetitum debeat comparari, vt dicatur voluntarium. Dupliciter enim aliquid ad appetitum comparatur. Primò præcisè in ratione obiecti, & non vt à quo recipit esse. Verbi gratia, existetia mea, & operatio vegetatiua habet rationem obiecti appetitus, quia & appeto existere & vegetari; non autem ipsa existentia, vel vegetatio, recipit aliquod esse ab appetitu vt causa, nec physica, nec morali. In hac acceptione aliquando solet vocari voluntarium, quod ad appetitum vt obiectum comparatur: sed hoc non pertinet ad præsens institutum. Secundo modo aliquid respicit volũtatẽ & appetitũ, non solùm vt obiectũ volitũ ab illo, sed vt propriã causam siue sui, siue immediatã, siue mediatã; quales sunt actus eliciti, vel imperati â Voluntate: actus enim eliciti, vt amor, immediatè procedũt ab appetitu: actus autem imperatus; licet immediatè ab alia potentia procedat, etiam respicit Voluntatem mediatè vt principium sui esse; quia voluntas per proprium imperium mouet & applicat potentias subiectas suæ directioni, vt producant tales actus; vt verbi gratia, quando quis vult intelligere, illud intelligere non solùm comparatur vt obiectum ad Voluntatem, sed etiam respicit ipsam vt principium mediatum sui esse; quia Voluntas per imperium & motionem applicat Intellectum ad producendum talem actũ: sic ergo ad Voluntatem debet comparari, vt ad principium intrinsecum sui esse, vt dicatur voluntarium, secundùm quod ad præsens attinet.

DVBIVM I.

HIs ergo suppositis, concluditur, veram definitionem voluntarij esse, quam tradit D. Thom. hîc, quòd sit operatio procedens à principio intrinseco, cum cognitione finis: quam etiam docet Aristot. 3. Ethic. cap. 1. & 5. & 8. Damascenus lib. 3. de Fide orthodoxa. cap. 28. Gregor. Nissenus lib. 5. Philosophiæ cap. 1. & 2. & 3. ipsamque communiter recipiunt Scholastici cũ Magistro in 2. distinctio. 24. & 25. Solùm autem â grege communi Theologorum discedit Almain. 1. Moralium, tractatu 1. cap. 1. quem sequitur Adamus & Andreas de Castronouo, vt refert iste Almain, qui sic definit voluntarium, quòd sit operatio vel omissio, quæ ita est in potestate agentis, vt positis omnibus requisitis ad eam, sit in potestate agentis ponere illam, vel non ponere. Sed certè hæc diffinitio non est bona, quia est confundere voluntarium & liberum; potius enim est diffinitio liberi; quàm voluntarij. Voluntarium autem & liberum non idem sunt, sed habent se sicut superius & inferius: sicut enim valet: Est à principio intrinseco cum cognitione finis; & in differentia: ergo est à principio intrinseco cum cognitione finis; sic etiam valet: Est

D. Thom. *Arist.* *Damascen.* *D. Gregor. Nissenus.* *Magister* *Almain* *Andreas de Castronouo*

let. Est liberum; ergo est voluntarium; quia positum in antecedenti, explicat rationem liberi; sicut & positum in consequenti rationem voluntarij. E contra autem non sequitur, quòd si est voluntarium, sit liberum; multa enim voluntaria sunt, quæ non sunt libera: vt enim est dictum, voluntarium, etiam in brutis reperitur: dicitur enim, quòd equus vult viuere, & comedere, & postquam semel comedit & bibit, amplius vult bibere. Similiter in pueris & amentibus voluntarium reperitur. Similiter motus primo primi, & motus appetitus sensitiui præuenientes rationem, voluntarij sunt. Similiter visio beatifica, immò & generatio Filij, vel processio Spiritus sancti, voluntaria est; in his tamen omnibus nulla ratio liberi reperitur: bene ergo concluditur, in definitione voluntarij non debere poni indifferentia, sed sufficere quòd sit à principio intrinseco cum

1. Obiectio. cognitione finis. Et si contra definitionem positam facias argumentum, quia cognitio simplicis intelligentiæ Dei, immò & prima cognitio Intellectus creati, est à principio intrinseco cum cognitione finis; & tamen non est voluntaria; cùm omnino præcedat voluntatem: ergo definitio est

2. Obiectio. nulla. Item secundò, quia ipsa volitio est à principio intrinseco, cum cognitione finis; & tamen non est voluntaria, quia sic esset processus in infinitum, si per aliam volitionem deberet esse voluntaria; quia tunc idem argumentum fieret de alia volitione; & vt euitetur fuga argumenti, loquamur de prima volitione; in illa enim assignari non potest alia Volitio, per quam sit voluntaria; cùm tamen sit à principio intrinseco cum cognitione

3. Obiectio. finis. Item tertiò, nam actus voluntatis, qui est fuga & nolitio obiecti mali, est à principio intrinseco cum cognitione, & non est voluntarius: ergo. Minor probatur, quia obiectum non est voluntarium, immò repulsum: ergo nec actus est voluntarius, quia cum actus specificetur ab obie-

4 Obiectio. cto, sapit naturam eius. Item quartò, nam actus electionis, qui habetur transacto iam multo tempore, actu intentionis est actus voluntarius; & tamen non est cum cognitione finis, quia modò nihil desine, vt supponimus, considerat: ergo definitio non rectè assignatur.

Ad primum respondetur, quòd in illa particula, Cum cognitione finis, denotatur, voluntarium non esse ipsam cognitionem sed actum appetitus elicitum, vel imperatum, quem cognitio præcedit vel comitatur: hoc autem non reperitur, neque in prima cognitione creata, nec in cognitione simplicis intelligentiæ Dei; vnde illæ non sunt voluntariæ. *Ad 1. Obie.*

Ad secundum respondetur, quòd actus voluntatis est maximè voluntarius, non per alium actum, sed per se ipsum; immò per ipsum dicitur obiectum voluntarium. Itaque sicut quantitas extendit substantiam, & se ipsa est extensa; ita actus Voluntatis facit obiectum volitum, & seipso actus est voluntarius. *Ad 2. Obie.*

Ad tertium respondetur, illas operationes esse voluntarias; sic enim est iuxta naturam appetitus respicere malum, sicut amplecti bonum. Ad replicam dicitur, obiectum secundùm substantiam esse repulsum; esse autem voluntarium, prout formaliter ab actu attingitur; ipsum enim repelli obiectum malũ, voluntarium est Voluntati per actum respuentem tale obiectum. *Ad 3. Obie.*

Ad quartum respondetur, electionem medij esse voluntariam à principio intrinseco cum cognitione finis, si non formaliter, tamen virtualiter etiam enim transacta intentione, manet virtualiter in electione mediorum? *Ad 4. Obie.*

DVBIVM II.

SEd maior difficultas est in examinanda illa propositione quam diximus, voluntarium & liberum habere se sicut superius & inferius. Videtur falsa, nam potest aliquid esse liberum & non voluntarium: ergo liberum non est inferius ad voluntarium. Antecedẽs probatur, nam si v. g. sint duo pauperes in extrema necessitate, & Paulus non possit subuenire nisi vni tãtùm, tunc liberè omittit quem omittit, dando alteri; & tamen illa omissio non est voluntaria Paulo: ergo datur liberum sine volũtario. Minor probatur, quia Paulus non tenetur dare illi quem omisit: ergo omissio non est volun- *Dubitat. 2.* *1. Arg.*

taria

ria Paulo. Consequentia patet, nam ex D. Thom. infrà, art. 3. vt sit voluntariũ, requiritur vt quis possit, & teneatur illud facere; qua etiam ratione dici solet, submersionem nauis, quam quis poterat pro sua libertate liberare, non esse voluntariam, si non tenebatur de naui curare.

2. Arg. Secundò argumentor, quia aliàs sequeretur, quòd in quolibet instanti mereretur quis per omissiones malorum quæ desinit perpetrare: hoc autem est falsum: ergo consequentia probatur. Tales omissiones sunt liberæ, quia in sua manu erat facere mala quæ omittit: ergo si secundùm aliam sententiam, ad esse liberum sequitur esse voluntarium; illæ omissiones voluntariæ erunt, & consequẽter meritorię; quia omnis actio vel omissio voluntaria existẽtis in gratia, meritoria est.

1. Sentant. Medina. Soto. In hac re duplex est sententia. Prima Magistri Medinæ & Soto, prædictam propositionem esse verã regulariter, nõ autem semper; quia in casu argumentorum liberum sine voluntario potest reperiri.

2. Sent. Vera. Secunda tamen sententia communis Thomistarum est ex natura rei habere se sicut superius & inferius: & licèt possit esse voluntarium & non liberũ, non tamen esse posse liberum, & non voluntarium. Hanc etiam sequuntur aliqui ex tra scholam Diui Thomæ, Torres de Trinitate, quæst. 42. art. 2. Belar. tom. 3. lib. 5 cap. 51. & alij plurimi. Quæ sententia, vt vera, probatur clarè. Actus liber necessariò procedit à principio intrinseco, nempe à libero arbitrio cum cognitione finis: ergo necessariò actus liber est voluntarius. Antecedens probatur, nã actus liber perfectior est, quàm merè voluntarius: quia iste potest etiam esse in brutis; ille verò solũ in rationalibus: ergo si voluntarius ob sui perfectionem requirit cognitionem, à fortiori liber, qui perfectior est requirit cognitionem; immò & hanc perfectiorem, qualis est cognitio rationalis.

Torres. Belarm.

Secundò probatur, nam D. Thom. in præsenti dicit, quòd in actibus humanis reperitur voluntarium: sed actus humanus, est actus liber necessariò: ergo sicut actus humanus necessariò est voluntarius, ita actus liber necessariò est voluntarius. Si respondeatur, hoc probare euidenter de actu positiuo libero, includere etiam voluntarium; non autem probare de omissione; omissio enim libera esse potest, & non voluntaria: & prima sententia non loquebatur de actu positiuo libero, sed de omissione libera.

Solutio.

Impug. Contra argumentor, nam in doctrina Diui Thomæ nomine actus humani non solùm intelligitur actus positiuus, sed etiam omissio; quia priuatiuum sub positiuo intelligi debet, sicut & ipse explicauit definitionem peccati traditam ab Augustin. quòd sit dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam. Nomine enim dicti, vel facti, &c. inquit D. Thom. debet etiam intelligi non dictum, vel non factum contra legem æternam. Quando ergo in præsenti dicit, voluntarium reperiri in actibus humanis, nomine actus humani, siue actus positiuus, siue omissio humana debet intelligi.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum à principio, respondetur. Primò, quòd illa omissio non simpliciter est libera, sed tantum aliqualiter, & similiter voluntaria. Ad illud autem quod D. Thom. dicit non esse voluntarium, nisi teneatur: Respondetur, non loqui de omissione, sed de ipso effectu subsequuto, nempe morte illius, vel submersione nauis; illa enim non dicetur voluntaria, quia non tenetur vitare. Non autem dicit D. Thom. quòd ipsa omissio Voluntatis non sit voluntaria. Sed hæc solutio non videtur satisfacere, quia omissio & effectus subsequutus habent necessariam connexionem; vnde eodem modo debent comparari ad Voluntatem; ita vt si omissio est voluntaria, etiam effectus subsequutus; & si mors subsequuta, non est voluntaria, neque etiam omissio. Respondetur tamen, bene compati, quòd effectus subsequutus non sit voluntarius, quia non habet per quid reducatur in voluntatem vt in causam, & quòd ipsa omissio voluntaria sit, licèt non sit præceptum si tamen est aduertentia, quia est per quid omissio in voluntatem reducatur vt in causam, nempe ipsa causa omittendi, ratione cuius trahitur ipsa omissio ad finem ipsius causæ omittendi, vt ampliùs artic. 3. dubit. 1. Secundò respondetur ad argumen. principale, quòd voluntarium & liberum sumitur dupliciter. Primò moraliter: Secundò physicè. Habent ergo se sicut

1. Solut.

Obiectio.

Solutio.

2. Solutio.

cut superius & inferius, si sumantur eodem modo, vel vtrumque physicè, vel vtrumque moraliter; non autem aliàs in casu ergo posito illa omissio est libera physicè, & eodem modo voluntaria; & sicut moraliter non est voluntaria, quia non tenebatur vitare; ita similiter neque moraliter libera; quia non imputatur.

Impug. Hæc solutio communiter à Thomistis assignatur; sed non multum satisfacit, quia liberum non potest non sumi moraliter; libertas enim est fundamentum totius moralitatis, & non potest aliquid esse liberum, & non imputabile: vnde licèt voluntarium possit sumi physicè & moraliter, liberum tamen semper moraliter sumitur. Restat ergo soluendum argumentum, cùm illa omissio sit libera, qualiter sit vel non sit voluntaria. Tertiò respondetur, quòd liberum & voluntarium sumitur dupliciter. Vno modo in potentia; alio modo in actu. Dicimus ergo, quòd aliquid qua ratione fuerit liberum, debet esse voluntarium; si liberum in potentia, voluntarium in potentia; & si liberum in actu, voluntarium in actu. Illa ergo omissio tantùm est libera in potentia, quatenus poterat subuenire, & non subuenit; non autem fuit libera in actu, quasi habens actum liberum circa illam. Eodem ergo modo est voluntaria illa omissio, non per actũ circa mortem illius, sed in potentia, quatenus cùm posset, noluit subuenire. Sed hæc etiam solutio parui momenti est, nam de Voluntario & libero in potentia nulla est difficultas nec controuersia, sed de voluntario in actu, siue formali, siue virtuali, siue directo, siue indirecto: vnde recurrendum est ad primam solutionem, & videndum artic. 3. dubit. 1. citata, vbi ostendetur, quòd licèt illa omissio in ordine ad actum omissum tantùm sit voluntaria, in potentia tamen; in ordine ad finem causæ omittendi, & ex parte operantis, est voluntaria in actu. Ad locum Diui Thomæ dicitur, non dixisse, vt aliquid sit voluntarium, esse necessarium quòd teneatur, sed ad hoc quòd sit voluntarium imputatum. Et si contra facias argumentum, nam patratio peccatorum est Deo libera, cùm possit illam euitare, si vellet; & tamen non est Deo voluntaria: ergo quomodocunque sumatur liberum, non semper

3. Solutio.

Obiectio.

includit voluntarium. Minor patet; nam Deus non vult peccata, immò odio est impius Deo & impietas eius: & si illud vellet, iam non peccatum esset, immò in tantum peccatum est, in quantum contra voluntatem diuinam. Respondetur, quòd sicut peccatum est Deo liberum in potentia, quatenus posset illud impedire; ita etiam est voluntarium in potentia, non autem in actu. Vel dicitur, ad libertatem quam Deus habet circa peccatum, sufficere voluntariũ quod habet permissionis illius; permissio enim peccati voluntaria est Deo, licèt non ipsum peccatum: per hoc ergo voluntarium permissionis intelligitur libertas circa peccatum.

Solutio.

Ad secundum argumentum negatur sequella. Ad probationem, dicitur, quòd vt omissio alicuius peccati vel mali sit meritoria, debet esse libera in actu per aliqualem aduertentiam: cùm ergo non semper sit aduertentia, & cognitio vel deliberatio circa malum quod omittitur, non semper talis omissio est meritoria.

Ad 2. arg.

DVBIVM VLTIMVM.

Vtrùm omnia quæ dicit D. Thom. in hoc articulo, vera sint.

PRimò argumentor contra illud quòd dicit, quòd violentum est quod non habet aliquod principium intrinsecum, sicut ascensus lapidis; naturale verò, quod habet principium intrinsecum, sicut descensus. Contra sic argumentor. Nam quando lapis ascendit, licèt motus proueniat ab aliqua causa extrinseca, necessariò tamen assignandum est in lapide aliquod principium receptionis talis motus; siue sit materia, siue forma: ergo falsum est quod violentum non habeat pricipium intrinsecum.

1. Arg.

Secundò argumentor contra illud quod dicit D. Thom. quòd agentia quæ non habent cognitionem finis, non habent in se principium agendi propter finem: hæc doctrina contraria videtur eidem, & in hoc articulo, & suprà quæst. 1. artic. 2. vbi vniuersaliter docet, quòd omne agens agit propter finem: ergo

2. Arg.

etiam

etiam agentia quæ non habent cognitionem finis, habet ex se principium agendi propter finem.

3. *Arg.* Tertiò argumentor contra illud quod etiam docet D. Thom. quòd illa quæ habent cognitionem finis, habent etiã principium mouendi se in finem. Nam ex hoc sequitur, quòd etiam bruta, cùm habeant cognitionem finis, moueant se in finem: consequens autem est contra ipsum D. Thom. suprà, q. 1. art. 2. vbi docuit, propriũ esse hominis agere propter finẽ, & 2. cont. Gent. cap. 47. docet, quòd bruta non mouent se in finẽ, sed exuinaturæ aguntur, sicut inanimata & plãtæ.

4. *Arg.* Quartò argumentor contra illud quod etiam dicit D. Thom. quòd illa quæ non habent cognitionem finis, non mouent se in finem, sed mouentur ab extrinseco; nã hoc etiam videtur contrarium Arist. & ipsi D. Thom. 1. part. quæst. 18. art. 1. ad 2. vbi docet, quòd omnia viuentia mouent se ipsa: cùm ergo plentæ sint vera viuentia, etiam erit dicendum quòd mouent seipsas, & non mouẽtur præcisè ab extrinseco; sicut grauia & leuia: & tamẽ non habent cognitionem finis: ergo falsa est doctrina tradita in præsenti.

Not. 1. Pro intelligentia notandum, aliud esse agere propter finem; aliud verò, mouere se in finẽ. Primũ tantùm dicit, motũ non esse casualẽ carentẽ omni fine, sed ad finẽ tendere; siue principiũ huius tendentiæ ad finẽ, sit intra ipsum agens, siue extra illud. Mouere se autẽ in finẽ, dicit, quòd principium tedendi in finẽ, sit intra ipsum agens propter finẽ; qua propter de omni agẽte, siue viuens sit, siue inanimatũ, verificatur agere propter finem, quia omne agens tendit in finẽ; siue per principiũ intrinsecũ, vt viuens, siue per extrinsecũ, vt nõ viuens, quod tendit in finẽ directũ ab Authore naturæ. Rursus, habere principiũ intrinsecum agendi per finẽ, stat dupliciter. Vel quantũ ad substãtiam; vel quantũ ad modum. Quantũ ad substantiã est, quòd motus in finẽ, verè sit ab aliquo principio intrinseco & proprio ipsius agentis, non tamẽ directio & ordinatio motꝰ in ipsum finẽ. Quoadmodũ autẽ est, quando non solũ motus, sed etiã ordinationis illius in finẽ principiũ est intrinsecũ ipsi agenti. Exẽplũ primi est in plãtis, in quibus nutritionis, & vegetationis principiũ quoad substãtiã, est intrinsecũ ipsis plantis; quia cùm ille motus vitalis sit, ab intrinseco debet esse: hęc tamen tantũ quoad substantiã, nã modus directionis in finẽ, à principio intrinseco plantæ esse nõ potest; quia modus directionis in finem, debet esse per finis cognitionẽ; qua quidẽ plantę carẽt. Exẽplũ autẽ secundi est in animalibus; qua enim parte motus illorum est vitalis, principiũ substantiæ motus est intrinsecũ animali. Ordinationis etiã motus in finẽ, principiũ intrinsecũ est in animali per cognitionem finis. Rursus, principium intrinsecum motus in finem, quoad modum & ordinationem est duplex. Aliud imperfectũ; aliud verò perfectum. Imperfectũ quidem est cognitio medij & finis materialiter, nõ cognoscendo collationẽ, & proportionem vtriusque inter se. Principiũ verò perfectum est cognitio medij & finis formaliter cognoscendo ordinẽ & proportionẽ vtriusq; inter se. Primũ reperitur in animantibus irrationabilibus; secundũ verò in creatura rationali. Itaque sunt quatuor gradus rerum. Infimus est nõ viuentiũ, vt lapis, & elementa & id genus, quæ licèt agant propter finẽ nullo modo mouent se, sed mouẽtur & aguntur â generante. Secũdus gradus est eorũ quę viuunt sine sensu & cognitione, vt arbores & plantæ, quæ quidẽ dicuntur mouere se, à D. Tho. 1. p. q. 18. *D. Thom.* ar. 1. ad 2. Quod intelligendũ est, vt est dictũ, quantũ ad substantiã motus non autẽ quoadmodum. Tertius gradus est eorum quæ sentiunt & cognoscunt, vt animalia bruta, quæ quidẽ moẽut se in finẽ, etiã quoadmodũ, licèt imperfectè. Quartus verò gradus est creaturæ rationalis, quę quia cognoscit proportionẽ medij ad finem, dicitur perfectè mouere se in finẽ.

Secũdò etiã notãdũ, quòd mediũ par- *Not. 2.* ticipat ex vtroque extræmo, & cõparatũ alteri, suscipit nomen alterius; vt patet in medijs coloribus. Viride respectu nigri est albũ: respectu albi est nigrum. Similiter in virtutibus medijs. Liberalitas respectu Auaritiæ videtur Prodigalitas: respectu Prodigalitatis Auaritia. Similiter dicendum est de prædictis gradibus. Extrema sunt rationalia & non viuentia; media verò sunt viuentia quæ non cognoscunt, & viuentia quæ habent cognitionem. Vtique, secundus & tertius gradus media sunt inter primum & quartum: hæc ergo si comparentur cum vita carentibus simpliciter, dicun-

dicuntur se mouere in finem: si verò comparentur cum creatura rationali, dicuntur agi & moueri in finem ab Authore naturæ: qua ratione conciliantur loca Diui Thomæ.

Conclus. Conclusio ergo sit, quòd dicta à D. Th. sunt vera, & pro probatione sufficiat authoritas eius.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum respondetur, quòd respectu ascensus licèt sit principiũ passiuum, non tamen dicitur moueri ab intrinseco nec habere principium intrinsecum sui motus; quia nullũ principium est in lapide inclinans ad huiusmodi motum: qua ratione dicitur, huiusmodi motũ nullo modo esse naturalem in lapide, quia nec ratione formæ, nec ratione materiæ inclinatur ad huiusmodi motum. In quo distinguitur à calefactione aquæ, quæ licèt non sit naturalis respectu formæ, est tamẽ

Obiectio. naturalis respectu materiæ. Et si queras, qua ratione calefactio est naturalis materiæ aquæ, non verò ascensus materiæ lapidis, cùm vtraque materia tantùm passiuè con-

Solutio. currat recipiendo: Respondetur, per hoc dici, materiam aquæ naturaliter recipere calefactionem, quia per ipsam disponitur ad formam substantialem ignis: vnde sicut materiæ naturale est recipere quancũque formam, ita naturale est recipere quãcunque dispositionem formæ substantialis; materia verò lapidis non recipit naturaliter ascensum, quia neque est forma sub-

Obiectio. stantialis, nec dispositio ad illam. Et si rursus arguas, quia ascensus disponit ad corruptionem formæ lapidis, quia distrahitur à centro conseruante ipsum: ergo disponit ad generationem alterius formæ; quia corruptio vnius est generatio alteri⁹: ergo pariter disponit ad formam, sicut calefa-

Solutio. ctio: Respondetur, ascensum non disponere ad corruptionem, quia licèt meliusin centro conseruetur, non tamen perdistractionem à centro corrumpitur: vnde videmus, lapides extra centrum diu per tot annos conseruari. Vel aliter dicitur, ascensum disponere remotè & quasi negatiuè ad formã substãtialem, quatenus diuertit à dispositionibus centri bene conseruantibus; non autem disponit positiue, sicut calefactio disponebat ad ignẽ; quia ascẽsus nullius determinatæ formæ est dispositio; quod requirebatur, vt diceretur materię naturalis; vnde omnino manet violentus, & nullum dicitur principium intrinsecum eius; & verum habet propositio D. Tho. quòd violentum omnino est ab extrinseco.

Ad secundùm respondetur, verum esse quod ait D. Tho. suprâ, q. 1. omne agens *Ad 2. arg.* agere propter finẽ; quod & docuit Arist. 3. Physicorum, contra aliquos Philoso- *Arist.* phos asserentes omnia euenire à casu. Cũ hoc tamẽ stat quod dicit in præsenti, quòd non cognoscentia non habent in se principium mouendi se in finem; quia, vt dictum est, plus requiritur ad secundum, quàm ad illud primum: quia ad agere propter finem, sufficit quòd principium tendendi in finem, sit extrinsecum; non autẽ sufficit ad mouendum se in finem, sed requiritur principiũ esse intrinsecum; quod tantùm in viuentibus reperitur.

Ad tertium respondetur, verum esse *Ad 3. arg.* quod ait in præsenti D. Th. quòd cognoscentia mouent se in finem, quia, vt dictum est, in eis est principium intrinsecum motus, & quoad substantiam, & quoad modum; quãdo autem suprâ q. 1. & 2. contra Gentes, loco allegato dicit, quòd bruta nõ agunt se ipsa in finem; loquitur de motione perfecta in finem; vt enim est dictum, bruta non mouent se perfectè, sed imperfectè iuxta imperfectionem cognitionis quã habent. Et quòd hæc sit mens D. Th. ibidẽ, patet; nã loquebatur de agẽte, quod mouetur cũ dominio proprij actus; quod est se mouere perfecte: cùm ergo dominiũ actus non sit in brutis, sed tantùm in agente libero, ideò dixit, in hac acceptione bruta non se mouere.

Ad quartum respondetur. Primò, quòd *Ad 4. arg.* mouere se, stat dupliciter, & physice, & mo- *1. Solut.* raliter. Bruta ergo licèt moueant se physicè, non tamen moraliter. Cũ ergo D. Th. in præsenti procedat vt Philosophus moralis, dicit, non cognoscentia non mouere se. Hęc solutio veram doctrinam habet, *Impug.* sed non ad propositum argumenti: quia in præsenti D. Th. inter cognoscẽtia enumerat bruta, & de cognoscentibus dicit, q se mouent: ergo non loquitur de motione morali, quia sic bruta nõ se mouẽt, licèt sint cognoscentia. Aliud ergo intendit, quando dicit, quòd non cognoscentia non se mouent; inter quæ continentur plantæ. Secundò meliùs respondetur iuxta doctri- *2. Solu.* nam traditam, quòd cùm plantæ sint medium inter non viuentia & cognoscentia, aliquando reducuntur ad vnum, aliquando verò ad aliud extremum. Cõparatæ ergo ad cognoscentia, dicit D. Th. in præsen

ti; quòd non se mouent, quia considerantur ex parte alterius extremi, nempe non viuentis. In prima parte, loco citato, dicit, quòd plantæ se mouent, quia comparantur ad non viuentia, & se tenẽt ex parte alterius extremi, nempe cognoscentis. Vel

2. Solut. tertiò respondetur, quòd licet plantæ moueant se quantum ad substantiam motus, non tamen quantum ad modum tendendi in finem, quia hoc fit per cognitionem, vt dictum est. Quando ergo D. Th. dicit, quòd plantæ se mouent, loquitur quantũ ad substantiam motus: quando verò dicit, quòd non se mouent, loquitur quantum ad modum motus; vnde nulla est contradictio.

ARTICVLVS II.

Vtrùm voluntarium inueniatur in animalibus brutis.

Et 3. dist. 2 q. 1. art. 4. ad 3. & de ver. q. 24. ar. 2. ad 1. & 3. Ethi. lect. 4. & lect. 5. Cor. 1. Tex. 42. tom. 2.

SIC ad secundum proceditur. Videtur, quòd voluntarium non sit in brutis animalibus. Voluntarium enim à Voluntate dicitur: Voluntas autem cùm sit in ratione, vt dicitur in 3. de anima, † non potest esse in brutis animalibus: ergo neque Voluntarium in eis inuenitur.

Secundò prætereà. Secundùm hoc, quòd actus humani sunt voluntarij, homo dicitur esse dominus suorum actuum: sed bruta animalia non habent dominium sui actus; nõ enim agunt, sed magis aguntur, vt Damasc. dicit: ergo in brutis animalibus non est voluntarium.

Lib. 2. cap. 24. & 22. Tertiò prætereà. Damasc. † dicit, quòd actus voluntarios sequitur laus vel vituperium: sed actibus brutorum animalium non debetur, neque laus, neque vituperium: ergo in eis non est voluntarium.

Sed contra est quod dicit Philosophus in 3. Ethic. quòd pueri, & bruta animalia communicant voluntario: & idem dicunt Gregor. Nicenus, & Damascenus.

Cap. 1. non longè à fin.

Damas. li. 2. cap. 23. Nisen. li. 5. c. 4. circa prin. lib. 2. Art. præc.

Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est, ad rationem voluntarij requiritur, quòd principium actus sit intra, cum aliqua cognitione finis. Est autem duplex cognitio finis, perfecta scilicet, & imperfecta. Perfecta quidem cognitio finis est, quando nõ solũ apprehenditur res, quæ est finis, sed etiam cognoscitur ratio finis, & proportio eius quod ordinatur ad finem ipsum: & talis cognitio finis competit soli rationali naturæ. Imperfecta autem cognitio finis est, quæ in sola finis apprehensione cõsistit, sine hoc quod cognoscatur ratio finis, & proportio actus ad finem; & talis cognitio finis reperitur in brutis animalibus per sensum, & æstimationem naturalem. Perfectam igitur cognitionem finis sequitur voluntarium secũdùm rationem perfectam, prout scilicet apprehenso fine, aliquis potest deliberans de fine, & de his quæ sunt ad finem, moueri in finem, vel non moueri. Imperfectã autem cognitionem finis sequitur voluntarium secundùm rationem imperfectam, prout scilicet apprehendens finem, non deliberat, sed subitò mouetur in ipsum. Vnde soli rationali naturæ competit voluntarium secundùm rationem perfectam, sed secun-

secundùm rationem imperfectam competit etiam brutis.

Ad primum ergo dicendum, quòd Voluntas nominat rationalem appetitum; & ideò non potest esse in his, quæ ratione carent: voluntarium autem denominatiuè dicitur à Voluntate, & potest trahi ad ea in quibus est aliqua participatio Voluntatis secundùm aliquam conuenientiã ad Voluntatem. Et hoc modo volũtarium attribuitur animalibus brutis, in quantum scilicet, per cognitionem aliquam mouentur in finem.

Ad secundum dicendum, quòd ex hoc contingit, quòd homo est dominus sui actus, quòd habet deliberationem de suis actibus. Ex hoc enim quòd Ratio deliberans se habet ad opposita, Voluntas in vtrunque potest; sed secundùm hoc voluntarium non est in brutis animalibus, vt dictum est. In cor. art.

Ad tertium dicendum, quòd laus & vituperium consequuntur actũ voluntarium, secundùm perfectam voluntarij rationem, qualis non inuenitur in brutis.

1. Concl. Prima conclusio. Voluntarium secundùm perfectam rationem solùm reperitur in natura rationali.

2. Concl. Secunda conclusio. Voluntarium secũdũ rationem imperfectam reperitur etiam in brutis.

DVBIVM PRIMVM,

IN præsenti habet difficultatem illa propositio D. Tho. quòd perfectam cognitionem finis sequitur voluntarium perfectum, in quantum apprehenso fine, aliquis deliberans de fine & de his quæ sunt ad finem, vult moueri, vel non moueri.

In hac propositione videtur docere D. Th. quòd de fine sit deliberatio. Quod tamen falsum est. Nã vt ait Arist. 3. Ethic. cap. 2. & 3. & ipse D. Thom. infrà q. 14. de liberatio non est de fine, sed tantùm de medijs. Item etiam, quia D. Tho. infrà q. 12. art. 2. ad 3. dicit, quòd finis vt sic, respicitur ab intentione, qui est actus formaliter distinctus à deliberatione: ergo deliberatio non potest esse circa finem formaliter vt finis, quia diuersorum actuum specie non potest esse idem formale obiectum. Item tertiò, quia deliberatio præsupponit volitionem finis: ergo non versatur circa illũ. Antecedens patet, quia volitio finis habet se ad alios actus Voluntatis, vt prima principia conclusionis in scientijs: vnde sicut scientia nõ versatur circa prima principia, sed illis præsuppositis & cognitis, alio habitu scientia procedit ad cõclusionem: ita similiter deliberatio non versatur circa finem, sed illum præsupponit volitum alio actu, & ipsa deliberatio versabitur circa media. *Arist.* *D. Tho.*

Pro intelligentia notandum primò, quòd finis potest considerari dupliciter. Alius est vltimus; alius intermedius, qui respectu vltimi habet rationem medij, licèt respectu prioris habet rationem finis. *Not. 1.*

Secundò notandũ, quòd finis potest esse necessarius dupliciter. Primò quoad specificationem, quando contrarium illius non potest appeti. Secundò quoad exercitiũ, quãdo ab actu appetitionis nõ potest cessare. Similiter potest esse liber, & quoad specificationem, & quoad exercitium. *Not. 2.*

Tertiò notandum, quòd finis potest considerari dupliciter. Primò secundùm se & vt est in se ipso; secundò vt est in medijs. Sicut enim terminus aliqualiter est in via secundùm quod est tendentia in illũ; ita & finis aliqualiter est in medijs, prout media dicunt ordinem ad acquirendum finem, & vt habent rationem viæ ad finem. *Not. 3.*

Hoc suppositò, prædicta propositio D. Thæ. tripliciter solet explicans. Primò, quòd loquatur de fine, non vltimo, sed intermedio. Sic asserit Medina hic; cũ enim talis finis habeat rationem etiam medij, de illo potest esse deliberatio. Sed certè hæc explicatio non est iuxta mentem Diui Thomæ, nam in illa q. 12. art. 2. in corp. distinguens de fine vltimo, & non vltimo, ait, intentionem esse actum qui versatur circa finem, siue ille sit vltimus, siue non sit vltimus: ergo de fine non vltimo, *Explicatio Medin.* *Impug.*

considerato vt fine, non potest esse deliberatio: nam si de illo habeatur, erit vt medium ad vlteriorem finem, non vt finis respectu anterioris medij; vnde nō saluabitur propositio D. Tho. quòd de fine fit deliberatio. Secundò etiam explicatur à Magistro Medina, quòd loquatur D. Th. de fine quoad exercitiū; nā licèt finis, vt verbi gratia, vltimus, & beatitudo in cōmuni necessitet quoad specificationem, & hac ratione de illo non possit esse deliberatio, vtrùm expediat, vel non; cū tamen quoad exercitium sit liber, quoad exercitium potest esse de illo deliberatio, vtrùm hic & nunc expediat operāri circa illum, vel nō. Sed hæc etiam explicatio non satisfacit; quia talis deliberatio non est de fine, sed est quasi reflexa circa actum habendi, vel non habendi circa finem. Tertiò ergo meliùs explicatur iuxta tertium notandum, quòd licèt deliberatio non possit esse de fine secundùm se considerato, bene tamen de fine secundùm quòd reperitur in medijs; ita vt deliberatio non sit de conueniētia finis, sed de acquisitione eius idonea & accommodata, vtrùm expediat illum consequi hoc vel illo medio; quod quidē, vt verū fateamur, si in rigore loquamur, non est deliberare de fine, sed de medijs; & aliud non potuit intelligere D. Th. Nam cùm deliberatio sit actus prudentiæ, hæc autem versetur circa media, vt asserit ipse 2. 2. q. 47. art. 6. non potuit dicere D. Th. quòd deliberatio sit de fine vt sic. Quapropter Caiet. & Conrad. nullam reperiunt difficultatem in prędictis verbis, sed planè intellexerunt ad modum prædictum. Vnde rectè aliqui dicunt, quòd cùm D. Th. ait, Deliberans de fine, & de his quæ sunt ad finē; non esse accipiēda illa verba in sensu copulatiuo, quasi intendat, esse deliberationem & de medijs seorsum, & de fine seorsum; & hoc probat ratio dubitandi à principio dubij; sed accipienda esse insensu copulato, ita vt deliberatio cadat supra totum illud simul, scilicet de fine & his quę sunt ad finem. Ex quo sequitur primò, non solùm posse esse deliberationem de fine quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem, præter finem vltimū in communi necessitātem quoad specificationē: nam etiam de fine vltimo particulari pro isto statu potest esse deliberatio, etiam quoad specificationem: siquidem nullo modo necessitat, & contrariū eius potest quis velle, quandiu non clarè videt illum in Patria. Secùdò sequitur, quòd si respectu finis tantùm sit vnum medium, nulla potest esse de fine deliberatio, nisi tantùm forsan quoad exercitium; cùm si vult, necessario per illud medium debeat velle. Tertiò sequitur, quòd etiam si media sint plura, si tamen sumantur in confuso, nulla est deliberatio de fine, per quod illorum finis sit acquirendus.

2. Explicatio.

Impug.

3. Explicatio.

DVBIVM II.

Vtrùm voluntarium perfectum sit idem quod liberum. Quod aliter solet inquiri, Vtrùm sit aliquis actus necessarius perfectè voluntarius; cùm tamen huiusmodi actus non sit liber.

PRO cuius intelligentia notandum, quòd esse actum necessarium, potest ex duplici capite prouenire. Primò, ex determinatione naturæ & coarctatione formæ, & imperfectione cognitionis; qualiter sunt actus appetitus brutorū, & puerorum, & amentium. De huiusmodi non loquimur, nam certum est, prædictos non esse actus perfectè voluntarios, vt posteà dicemus. Secundò potest prouenire necessitas actus ex maxima perfectione cognitionis, propterea quòd per illam tollitur omnis indifferentia obiecti, & consequenter libertas radicata in huiusmodi indifferentia, qualis est amor beatificus, de quo suprà diximus esse actum necessarium, propterea quòd clarè & perfectè videtur summum bonum, in cuius cessatione nulla apparet conuenientia vel ratio boni. De huiusmodi ergo actibus necessarijs inquirimus, vtrùm sint perfectè voluntarij. *Not.* *Sent.*

Partem negatiuā tenet Vazquez, quod non solùm asserit de actu Charitatis beatorum, sed etiam de dilectione Dei, qua se ipsum diligit; huiusmodi enim dicit non esse actus perfectè voluntarios. Vnde secundùm ipsum, idem est esse actum perfectè voluntarium, & esse liberum; licet nō sit idem, esse voluntarium & esse liberum. *Vazquez.*

Hæc sententia probatur primò ex D. Th. in corpore, dicente, quòd perfectum voluntarium sequitur perfectam cognitionem finis, prout aliquis deliberans de fine, & de

& de his quæ sunt ad finem, tendit in illũ. Ecce qualiter perfectum voluntarium, per deliberationem explicat. Similiter ad tertium respondet, quòd laus & vitu perium solum fundantur in perfecto voluntario: certum est autem, solum fundari in libero: ergo sentit, idem esse perfectè voluntariũ, & liberum. Item 1.p.q.41.art.2.& in hac q.art.7.ad 3.& de veritate, q. 24. art. 2. ad primum, dicit, actus notionales in diuinis non esse perfectè voluntarios: cuius nulla alia potest esse ratio nisi quia non sunt liberi; ergo secũdum D. Th. idem sunt perfectè voluntarium & liberum.

2. Arg. Secundò argumentor. Liberũ est quid excellentius quàm voluntarium ex genere suo, superadditque perfectionem ad illud, tanquàm inferius ad superius: ergo non intelligitur voluntarium perfectum, nisi quando adiungitur cum libero. Antecedens probatur, quia modus operandi necessariò conuenit etiam brutis: modus autem operandi liberè solùm conuenit creaturæ rationali: ergo ex genere suo perfectius est liberum, quàm voluntarium.

3. Arg. Tertiò argumentor, & confirmatur præcedens. Volũtarium perfectum est quod perfecta cognitione regulatur; sed quod perfecta cognitione regulatur, non est voluntarium necessarium, sed liberum: ergo perfectũ voluntariũ non est nisi voluntarium liberũ. Minor probatur. Perfecta cognitio finis nõ est quæ habetur de fine secundùm se, sed quæ habetur de fine in ordine ad media: sed cognitio qua regulatur voluntarium necessarium, est cognitio finis secundum se; cognitio verò qua regulatur liberum necessarium, est cognitio finis in ordine ad media, quia in ordine ad illa est deliberatio: ergo voluntarium necessarium non regulatur ita perfecta cognitione, sicut voluntarium liberum.

4. Arg. Vltimò argumentor. Nã si aliquod voluntarium necessarium, esset perfectum, maximè dilectio qua Deus diligit se ipsum: sed hæc non est voluntarium perfectum: ergo nullum voluntarium non liberum, est vloũtarium perfectum. Minor probatur, nam cognitio qua regulatur dilectio Dei necessaria sui, non est ita perfecta, sicut cognitio qua regulatur dilectio Dei libera: ergo dilectio Dei necessaria, nõ est ita perfectè voluntaria, sicut libera. Cõsequentia patet, nam cùm voluntarium requirat cognitionem, nõ est perfectum voluntarium, nisi posita perfecta cognitione. Minor probatur, quia cognitio qua regulatur dilectio libera, supponit cognitionem regulantem dilectionem necessariam & superaddit ad illam: ergo perfectior est cognitio regulatiua liberi, quàm necessarij. *Conclu.*

His tamen non obstantibus, communis Doctrina Theologorum est, non esse idem perfectè voluntarium & liberum, sed esse posse voluntarium perfectum, quod non sit liberum, sed necessarium; vt patet in actibus diuinis ad intra, qui perfectè voluntarij sunt, & nihilominus necessarij; & similiter dilectio beatorũ in Patria. Quod quidem probatur primò. Voluntarium est à principio intrinseco cum cognitione: ergo quod est à perfecta cognitione, est perfectum voluntarium: sed prædicti actus necessarij, sunt cum perfecta cognitione; immò, vt diximus in principio dubij, ex maxima & perfectissima cognitione prouenit, huiusmodi actus esse necessarios: ergo perfectissimè sunt voluntarij. *Solutio. Vazquez.* Respondet Vazquez, cognitionem regulãtem huiusmodi actus necessarios, esse quidem excellentissimam in ratione cognitionis intuitiuæ, & quantum ad claritatem, non autem omnibus modis; quia deficit ei aliqua perfectio, quã habet cognitio regulatiua actus liberi, nempe indifferentia: vnde defectu huius non attingit actus necessarius supremam perfectionẽ volũtarij, quam attingit actus liber. *Impug.* Contra tamen argumentor. In primis, nõ bene sonat modus loquendi Vazquez, quòd cognitioni Dei deficiat aliqua perfectio. Item, nam licèt indifferentia sit perfectio cognitionis creatæ, quia cognitio in qua indifferentia non reperitur, manet brutalis: tamen absolutè non superaddit perfectionem ad cognitionem, quia bene potest intra limites cognitionis intelligi perfecta omnino, sine indifferẽtia; vt contingit in cognitione Dei; immò & in cognitione aliqua creata, vt est cognitio beatifica; & similiter cognitio naturalis Angelica, qua mensuratur naturalis dilectio sui, & Authoris naturæ. Itaque regulariter in creaturis non reperitur perfecta cognitio, nisi deliberata, in quo creatura rationalis à brutis distinguitur. Si tamen detur perfecta cognitio, etiam non deliberata, sufficiet ad perfectum voluntarium; quia perfectum voluntarium non requirit cognitionem deliberatam, sed cognitionem perfectam; si perfecta esse non potest nisi deliberata,

berata, vt reguletur in homine, non erit perfectum voluntarium, nisi à deliberata procedat; non quia deliberata, sed quia perfecta cognitio est. Sicut & voluntarium bruti imperfectum est, non quia à non deliberata cognitione procedit, sed quia non à perfecta: vnde si ponatur perfecta, vt in actibus necessarijs prædictis, etiam si non ponatur deliberata cognitio, erunt perfectè voluntarij.

Secundò probatur. Secundùm oppositam sententiam prædicti actus sunt voluntarij: ergo sunt perfectiùs voluntarij, quàm actus liberi postmodùm subsequentes. Patet consequentia. Tota ratio voluntarij actus liberi subsequentis originatur à voluntario actus necessarij: ergo volũtarium actus necessarij est perfectius; quia propter quod vnumquodque tale, illud magis, si vtrumque est tale. Antecedens vero probatur, quia prima radix liberi est necessarium, & omnis indifferentia libertatis, in illa primacognitione regulante actum necessarium fundatur, & tandem ad illam reducitur; vnde libertas quæ formaliter est in actu libero, eminenter & radicaliter præhabetur in actu necessario.

Corollar. cõtra Lorcã. Ex dictis sequitur, non esse verũ quod ait Lorca hic disp. 1. quod voluntarium licèt possit perfectè reperiri in actu necessario, tamen perfectius reperitur in actu libero, quia ex eo quòd liberum procedit à cognitione deliberata & iudicio indifferenti, habet magis & perfectius procedere ab intrinseco; quia quod est necessarium, non videtur tam ex proprijs, sicut deliberatum. Nihilominus dicimus, quòd, vt explicatum est, potest contingere, intellectionem necessariam, esse magis perfectam, & propriam & intrinsecam: vnde tunc voluntarium erit perfectius; quia si in nobis est perfectius voluntarium liberum, non est quia liberum, sed quia cognitio ex qua procedit, est perfectior, & non perfectior quàm indifferens in iudicando, sed in penetrando bonum quod appetitur. Si autem sine illa indifferentia iudicij cognitio fuerit perspicacior, vt in casibus dubij, voluntarium tunc erit perfectius, etiamsi nõ sit voluntarium liberum, sed necessarium.

Ad 1. arg. Tota ergo difficultas consistit in explicandis verbis D.Th. positis in primo argumento, vbi videtur docere, perfectum voluntarium, idem esse quod liberum. Prima explicatio est Medinæ hic, quòd D. Th. loquatur de homine, quòd in illo non sit perfectum voluntarium nisi liberum, non autem loquitur absolutè de omni creatura rationali. *Explicat. 1 Medinæ.* Sed hæc explicatio nõ placet, quia licèt D.Th. posuerit exemplum voluntarij perfecti in actu liberohominis, tanquàm in notiori; tamen non loquitur strictè solùm de actu hominis, sed absolutè rradit doctrinam de voluntario vt sic, & non ponit, consistere perfectionem eius in eo quòd sit liberum, vel non, sed in eo quòd procedat ex perfecta cognitione; quod etiã in actib⁹ necessarijs esse potest, vt dictũ est. Itaque sicut Boet. definiens personam, dixit, quòd sit rationalis naturæ, &c. & nomine rationalis naturæ non solùm intellexit discursiuum, sed intellectiuum; quia in quacunque creatura intellectiua persona reperitur: ita D. Th. hic de voluntario perfecto agit, quod in omni creatura intellectiua potest reperiri: posuit tamen exemplum perfecti voluntarij in actu libero nostro, vt dictũ est, tãquã in notiori, quia ille procedit à perfecta cognitione: vnde hac ratione nominat illum voluntarium perfectum, & non formaliter quia liberum est. *Impug. Boet.* Hæc etiam explicatio non valet, quia, vt dictum est, etiam in homine sunt actus necessarij perfectè voluntarij, vt dilectio beatifica. Secundò *Explicat. 2* explicatur Diuus Thomas quòd voluntarium perfectum, est liberum formaliter, vel eminenter, quia, vt dictum est, actus necessarius, qui perfectè sit voluntarius, non reperitur nisi in creatura intellectuali, & in illa ratio liberi ad tale necessarium reducitur: non ergo datur perfectè voluntarium sine continentia eminentiali liberi. Tertiò explicatur, quòd loquatur D. *Explicat. 3* Tho. ex parte subiecti; hac enim ratione perfectè voluntarium & liberum possunt dici esse idem, quatenus in subiecto conueniunt, non enim perfectè voluntarium esse potest, nisi in subiecto capaci libertatis; formaliter tamen, vt dictum est, non sunt idem perfectè voluntarium & liberum. Verum est tamen, multoties pro eodem accipi in communi modo loquendi, perfectè voluntarium, & liberum, vt patet Iacobi. 1. Voluntarie genuit nos verbo veritatis, hoc est, liberè genuit nos; in quo distinguitur hæc filiatio nostra adoptiua à generatione æterna Verbi, quæ non est libera, sed necessaria, quanuis etiam sit volita à *Iacobi. 1.*

Deo,

Deo, vt optime explicat Diuus Cyrillus libro 1. Thesauri, capitulo 8. Item etiam dicitur à Theologis, quòd in tantum aliquid est peccatum, in quantum est voluntarium. Nomine voluntarij intelligitur liberum; aliàs enim falsum esset; quia, vt dicemus infrà cũ D. Th. pasio cũ augeat propensionem, auget volũtarium minuit tamen peccatum, quia minuit liberum; quia peccatum non sumitur ex voluntario vtcunque, sed ex libero. Ita ergo etiam quando D. Tho. dixit, actus notionales non esse voluntarios, intellexit liberos; nam aliàs falsum dixisset, quia cùm non sint coacti, voluntarij sunt, non tamen liberi, sed necessarij. Ad illud autem quod adducitur ex solutione ad tertium, quòd perfectè voluntarium est, ad quod sequitur laus, vel vituperium: solùm autem sequitur ad liberum: ergo perfectè voluntarium & liberum sunt idem: Respondetur, illud habere verum in creaturis, & respectu obiecti creati; non autem absolutè, vt explicatum est. Vel dicitur, D. Th. tantùm intendere, quòd actus ad quem sequitur laus, est liber, & liber est perfectè voluntarius, non autem intendit è contra, quòd ad quodcunque perfectè voluntarium sequatur laus. Vel tertiò dicitur, quòd ad perfectè voluntarium sequitur laus, vel vituperium, vel mediatè, vel immediatè; quia, vt dictum est, perfectum voluntarium vel debet esse liberum, vel continere eminenter rationem liberi.

Cyrill.

Ad 2. arg. Ad secundum respondetur, quòd licèt liberum addat perfectionem supra necessarium proueniens ex determinatione formæ, & imperfectione cognitionis, qualiter reperitur in brutis; nõ tamen addit perfectionem supra necessarium proueniens ex cognitione perfectissima; vnde libertas in Deo, non superaddit perfectionem (etiam nostro modo intelligendi in re fundato) supra intelligere & velle necessarium: hac ergo ratione talis actus necessarius Dei bene intelligitur attingere supremam perfectionem voluntarij, etiã non intellecta ratione liberi, nisi vt plurimum radilicater & eminenter, vt dictum est.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum respondetur, vt dictum est, cognitionem Dei regulantem actum necessarium, esse perfectissimam. Ad impugnationem dicitur, perfectè cognosci finẽ, quando cognoscitur vt per se appetibilis, etiamsi non cognoscatur vt appetibilis per aliud, & in ordine ad media; quia, vt dictum est suprà, ordo ad media pertinet ad exercitium finis, non autem ad essentiam finis. Vel secundò respondetur, quòd etiam cognitione præcedente actum necessarium Dei, cognoscitur finis in ordine ad media; quia non solùm cognoscitur Deus, sed & omnia possibilia in ipso Deo; quia, vt dicitur 1. p. quæstione 34. art. 3. Verbum procedit ex cognitione Dei, & creaturarum possibilium; itaque licet appetere finem in ordine ad media, scilicet Deum in ordine ad creaturas, sit in Deo quid liberum, & posteriùs se habens ad actus necessarios ad intra; cognoscere tamen finem in ordine ad media, & Deum in ordine ad creaturas, est quid præcedens actus necessarios & voluntarios Dei. Ecce ergo qualiter talis actus necessarius Dei potest este perfectè voluntarius; quia procedit à perfecta cognitione finis.

2. Solutio.

Ad quartum argumentum patet ex dictis, qualiter cognitio requisita ad liberum in Deo, non superaddat ad cognitionem regulantem necessario.

Ad 4. arg.

DVBIVM III.

Vtrùm voluntarium aliquo modo reperiatur in brutis.

PRobatur quòd non. Primò ex D. Th. infrà, art. 7. ad 3. vbi dicit, quòd in his quæ vsum rationis nõ habent, neq; esse voluntarium. Item hic solutione ad primum, dicit, quòd voluntarium dicitur à voluntate, & potest trahi ad ea in quibus est aliqua participatio voluntatis; & quia in brutis est talis participatio per appetitum sensitium, ideò est in illis voluntarium. Ex hoc desumitur argumentum, nam quod est participatiuè tale, non est tale formaliter: ergo si in brutis tantùm est Voluntas per aliqualem participationem, voluntarium, quod à voluntate dicitur, tantùm erit in eis metaphoricè, & non formaliter. Si respondeatur, bene posse esse aliquid tale per participationẽ, & nihilominus esse tale formaliter; quia aqua calida talis est per participationẽ ab igne, & nihilominus formaliter calida: Contra argumentor,

1. Arg.

Solutio.

Impug.

mentor, quia licèt hoc sit verum, non tamen potest accõmodari ad præsens; quia participatio voluntatis in brutis non est per aliquam rationem voluntatis formaliter existentem in illis, sed tantum metaphoricè: ergo volũtarium, quod à Voluntate dicitur, erit in eis sicut & Voluntas, non formaliter, sed tantùm metaphoricè. Item idem probatur ex eodem D. Th. in 2. dist. 25. q. 1. art. 1. ad 6. & in 3. dist. 27. art. 4. quæst. 1. ad 3. & clarius quæst. 24. de veritate, art. 2. ad primum, vbi docet, quòd Philosophus ponit voluntarium in brutis, non secundùm quòd conuenit cum Voluntate, sed quatenus opponitur violento: ergo ex mente Diui Thomæ, non est in brutis formaliter voluntarium vt à voluntate dicitur.

2. Arg. Secundò principaliter argumentor. In brutis non reperitur cognitio finis formaliter: ergo non est in eis formaliter. Antecedens patet, nam, vt suprà dictum est, cùm bruta non cognoscant proportionem mediorum, non cognoscunt formaliter finem, sed tantùm materialiter rem quæ est finis. Consequentia verò probatur, nam voluntarium est à principio intrinseco cum cognitione finis: ergo eo modo est voluntarium, quo est cognitio finis: ergo si cognitio finis non est in eis formaliter, nec voluntarium. *Solutio.* Si respondeatur, quod in brutis est cognitio finis formaliter, si ly Formaliter, cadat supra ly Cognitio; licèt non si cadat supra ly Finis. Itaque cognitio finis materialis, est formaliter in brutis, & formaliter cognoscunt finem materialè quod sufficit ad voluntarium, in cuius definitione tantùm dicitur, quòd sit cũ cognitione, siue sit finis formaliter, siue materialiter: si quidem fuerit voluntarium perfectum, exiget formalem cognitionem finis formalis; si verò voluntarium imperfectum, sufficiet formalis cognitio finis materialis. Ad voluntarium autem in communi, vt abstrahit ab vtroque, requitur formaliter esse cognitionem finis abstrahentis à fine formali, vel materiali; quia cùm in illa particula sint duo, alterum in recto, nempe cognitio; alterum in obliquo nempe ly Finis; quod ponitur in recto in definitione, requiritur esse formaliter tale; quod autem ponitur in obliquo, non ita, sed sufficit esse, siue formaliter, siue materialiter: *Impug.* Contra argumentor, quia sæpissime etiam in brutis non reperitur formaliter cognitio finis materialis, in quibus tamen reperitur voluntarium. Ergo voluntarium, quod est eis, non est formaliter tale; siquidem ad hoc requiritur, vt dictum est, esse formaliter cognitionem finis, saltem materialis. Antecedens probatur, nam hirundo colligens paleas & lutum, & faciens nidum, non cognoscit formaliter finem illarum operationum, nempe procreationem filiorũ, vel defensionem à temporis calamitate: ergo tales operationes voluntariæ, non sunt formaliter tales.

3. Arg. Tertiò argumentor. Vt sit formaliter voluntarium, debet esse à principio intrinseco: sed operationes brutorum non sunt à principio intrinseco: ergo non sunt formaliter voluntariæ. Minor probatur, tùm ex Diuo Thoma 2. contra Gentes, cap. 47. ratione 3. vbi expresse id dicit: tùm etiam, quia bruta, semel accepta forma ab extrinseco obiecto, mouentur ab Authore naturæ: ergo non ab intrinseco.

1. Sentent. Propter hæc argumenta aliqui moderni tenent hanc partem, quòd voluntarium dicitur de homine & de brutis, sicut ridere, de homine & de prato, cui non conuenit formaliter, sed tantùm metaphoricè: vnde dicunt, voluntarium dici analogicè de vtroque, analogia proportionalitatis plurium conceptuum; quam sententiam defendit vt probabilem Valentia disputatione 2. quæst. 1. *Valent.* puncto 2.

2. Sent. Secunda est aliorum, quòd voluntarium formaliter quidem est in brutis, non tamen vniuocè cum voluntario hominis, sed analogicè. Analogia tamen vnius conceptus, sicut ens, dicitur de substantia & de accidenti, in quo licèt ratio entis sit formaliter, non tamen vniuocè, sicut in substantia: non tamen diuersitas est tanta, vt analogia sit plurium conceptuum, sed tãtùm vnius. Hæc probatur primò. Bruta non mouent se in finem propriè, sed secundùm quid: ergo operationes illorum non sunt à principio intrinseco, eodem modo atque operationes humanæ, in quibus propriè & simpliciter homo se mouet: ergo non est conuenientia vniuoca, sed vt plurimum analoga vnius conceptus.

Secundò probatur. Vt dictum est, bruta tantùm cognoscunt finem materialiter: ergo non est in eis cognitio vniuocè atque

que

que in homine cognoscente finem formaliter; illa enim particula, Materialiter, est diminuës, distrahens à ratione vniuoca: ergo & voluntarium dicitur analogicè; quia, vt dictum est, tale est voluntarium sicut cognitio: si ergo in cognitione non est vniuocatio, neque etiã in voluntario.

3. Sent. Tertia tamen sententia, vera & tenenda, est voluntarium dici vniuocè de vtroque, licèt in homine voluntarium sit perfectum, in brutis imperfectum: illud tamen perfectum, & imperfectum, est intra eandem speciem, subalternam saltem, & vt plurimum solùm faciet distinctionem specificam intra idem genus. Et

Arist. probatur primò ex Aristol. primo Ethic. capitul. primo prope finem, vbi ab solute docet, quòd pueri & bruta communicant in voluntario: ergo dicitur vniuocè de vtroque, nam aliàs non dicerentur simpliciter & absolutè conuenire. Item

Arist. Damas. D. Tho. si Arist. & Damas. relati hic à Diuo Thoma absolutè concedunt, quòd in brutis est voluntarium, erit in eis formaliter secundùm rationem vniuocam; nam aliàs non posset loqui absolutè: falsum enim est absolutè, quòd pratum ridet. Secundò probatur ex Diuo Thoma in isto & in præcedenti articulo definiente voluntarium, quod est à principio intrinseco cum aliquali cognitione finis: ergo ex mente Diui Thomæ, voluntarium dicitur vniuocè, nam tantùm ratio communis vniuoca, est definibilis, non autem definiuit voluntarium hominis, sed voluntarium in communi, quia postmodùm diuisit illud per perfectionem hominis & imperfectionem brutorum: ergo sentit, rationem communem hominis & bruti esse vniuocam. Item etiam, nam in doctrina Diui Thomæ licèt aliquando sumatur imperfectum pro variante speciem, regulariter tamen sumitur pro contento intra eandem rationem vniuocam. Item etiam probatur, quia delectari & frui aliquo obiecto, sunt signa voluntarij: hæc autem reperiuntur etiam in brutis, vt docet expresse Diuus Augustinus

D. Aug. lib. 83. quæstionum, quæstione 30. asserens, quod frui cibo, & qualibet re corporali, non absurdè existimant & bestiæ: ergo in ipsis est proprie & formaliter voluntarium. Quòd autem huiusmodi ratio voluntarij, licèt sit eiusdem rationis, sit tamen imperfecta, probant argumenta primæ & secundæ sententiæ. Et si contra

Obiectio. propositum facias argumentũ, quia si in brutis est formaliter voluntariũ, erit magis & perfectius volũtariũ quã in homine: cõsequẽs est falsum. Cõsequẽtia probatur, nã bruta maiori propensione & impetu feruntur, quàm homines: ergo principium intrinsecum, à quo huiusmodi motus procedunt, est intimius, & per consequens huiusmodi motus formaliter est voluntarius: ergo cum voluntarium sumatur à principio intrinseco, huiusmodi motus erit magis voluntarius: Respon- *Solutio.* detur, quòd ad voluntarium duo requiruntur, vt dictum est, & principium intrinsecũ, & cognitio finis. Primum est quasi ratio generica. Secundum autem quasi specifica. Perfectio ergo vel imperfectio voluntarij, ab solutè loquendo, non desumitur ex principio intrinseco, sed ex cognitione: cum ergo ex parte cognitionis excedat homo, voluntariũ eius est magis perfectũ, volũtariũ autẽ bruti imperfectum, sicut & cognitio eius imperfecta est, licèt secũdũ quid ex parte propẽsionis & principij intrinseci aliqualiter voluntariũ bruti sit magis perfectum.

Ex his etiam manet clarũ, qualiter sit falsa *Corol. contra Valen.* sententia Vãlentiæ disp. 2. q. 1. punct. 1. asserentis, diuisionẽ volũtarij in liberũ & necessariũ, esse diuisionẽ subiecti in accidentia: nã potest (inquit) idem actus manens idẽ, mutari de necessario in liberum: Hoc enim falsum est, quia, vt iam probauimus, diuisio est vniuoca, & ratio eius habet faciem solutionẽ; dicitur enim succesiue posse aduenire, esse liberũ & necessariũ eidem actui in esse naturæ, non tamen eidẽ in esse voluntarij; quia quãdo mutat necessariũ in liberum, etiam mutatur ratio volũtarij.

Ad 1. arg. Ad primũ arg. à principio resp. tantùm intendere D. Th. voluntariũ bruti esse imperfectũ; vnde cõparatione ad voluntariũ hominis, dicitur nõ volũtariũ. Ad secundũ locũ, bene ibi respõsum est. Ad replicã, dicitur, quòd licèt voluntariũ, quantũ ad nominis impositionem sumatur à voluntate; tamẽ quod significat, nõ est ratio aliqua volũtatis, sed ratio etiã cõmunis ad appetitũ sensitiuũ; quia aliud est à quo nomẽ imponitur, & quod nomen significat: vnde licèt ratio voluntatis tantũ participetur in brutis per metaphorã: tamen ratio voluntarij participatur ab eis formaliter & vniuocè, quia formaliter est in eis appetitus sensitiuus. Ad tertiũ locũ respondetur, quòd ibi, si bene inspiciatur D. Th. solũ intendit, q

in brutis nõ sit voluntariũ cũ electione & volũtate ad iũcta; vnde illis tãtũ negat perfectũ volũtariũ: vnde pro hoc dicit, in brutis tãtũ esse volũtariũ, vt opponitur violẽto, secundũ Philosophũ: quia nõ est volũtariũ ex electione: nõ tamen negat, huiusmodi voluntarium esse formaliter & vniuocè tale, licèt imperfectum.

Ad 2. arg. Ad secundũ bene respõsum est. Ad replicã, dicitur, nõ esse necessariũ, quòd finis semper in se ipso cognoscatur; sufficit enim aliquãdo quòd cognoscatur prout in alijs virtualiter cõtinetur: hirundo ergo in illo casu, licèt nõ cognoscat finẽ in se ipso, cognoscit tamen illud, vt cõtinetur in medijs ad talem finem; quod sufficit, vt dicatur operari ex cognitione finis, licèt imperfecta, vt dictum est.

Ad 3. arg. Ad tertiũ arg resp. q bruta, vt dictũ est, licèt cõparatione ad hominẽ, dicãtur non se mouere; absolutè tamen se mouẽt: progressus autẽ animalis talis est: primò enim respicit speciẽ ab obiecto extrinseco, qua mediante ipsummet animal apprehendit obiectũ, & iudicat de cõuenientia, vel disconuenientia talis obiecti; quo iudicio supposito, naturaliter & necessariò tendit in tale obiectũ, si iudicat sibi cõueniẽs; vel fugit ipsum, si iudicat disconueniẽs. Quãuis ergo impressio formæ & speciei sensibilis sit ab obiecto extrinseco, & licèt ipsa determinatio, immò & ipsum iudiciũ aliquo modo sit ab Authore naturæ: tamẽ ipsum animal est quod producit actũ sentiẽdi, & iudiciũ circa talẽ conuenientiã, vel disconuenientiã; quo mediante mouetur ad fugã vel prosequutionẽ talis obiecti: & verè dicitur huiusmodi motũ esse ab intrinseco, quia determinatio Authoris naturæ non est immediatè ab ipso in actum & motum, sed mediante proprio appetitu intrinseco & cõnaturali ipsi animali: licèt ergo principium remotũ sit extrinsecũ; proximũ tamen intrinsecum est; quod sufficit vt motus dicatur ab intrinseco, & in illo se mouere animal, licèt imperfectè.

ARTICVLVS III.

Vtrùm voluntarium possit esse absque omni actu.

Infr. q. 71. ar. 5. ad 2. & 2. dist. 25. arti. 3. cor. & ad

AD tertium sic proceditur. *Videtur, quòd voluntarium non possit esse sine actu. Voluntarium enim dicitur, quod est à Voluntate: sed nihil potest esse à Voluntate, nisi per aliquem actum, ad minus ipsius Voluntatis: ergo voluntarium non potest esse sine actu.* 5. & ma. q. 2. art. 1. ad 2.

Secundò præterea. Sicut per actum Voluntatis dicitur aliquis velle, ita cessante actu Voluntatis dicitur non velle: sed non velle, inuoluntarium causat, quod opponitur voluntario: ergo voluntarium non potest esse actu Voluntatis cessante.

Tertiò præterea. De ratione voluntarij est cognitio, vt dictum est: sed cognitio est per aliquem actum: ergo voluntarium non potest esse absque aliquo actu. Ar. præce

Sed contra. Illud, cuius domini sumus, dicitur esse voluntarium: sed nos domini sumus eius quod est agere & non agere, velle & non velle: ergo sicut agere & velle est voluntarium, ita & non agere, & non velle.

Respondeo dicendum, quòd voluntarium dicitur, quod est à Voluntate: ab aliquo autem dicitur aliquid esse dupliciter. Vno modo directè, quod scilicet procedit ab aliquo in quantum est agens, sicut calefactio à calore; alio modo indirectè, ex hoc ipso quòd non agit, sicut submersio nauis dicitur esse à gubernatore, in quantum desistit à gubernando.

Sed sciendum, quòd non semper id, quod sequitur ad defectum actio

nis,

nis, reducitur sicut in causam in agens, ex eo quod non agit: sed solum tunc, cum potest, & debet agere. Si enim gubernator nauis, non posset dirigere, vel non esset ei commissa gubernatio nauis, non imputaretur ei nauis submersio, quæ per absentiam gubernatoris contingeret. Quia igitur voluntas volendo, & agendo, potest impedire hoc, quod est non velle, & non agere, & aliquando debet; hoc quod est non velle, & non agere, imputatur ei, quasi ab ipsa existens; & sic voluntarium potest esse absque actu, quandoque quidem absque actu exteriori cum actu interiori, sicut cùm vult non agere: aliquando autem, & absque actu interiori, sicut cum non vult.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd voluntarium dicitur non solùm quod procedit à Voluntate directè, sicut ab agente, sed etiam quod est ab ea indirectè, sicut à non agente.

Ad secundum dicendum, quòd non velle dicitur dupliciter. Vno modo, prout sumitur in vi vnius dictionis, secundùm quòd est infinitiuum huius verbi, Nolo: vnde sicut cùm dico, Nolo legere, sensus est, Volo non legere: ita hoc quod est non velle legere, significat velle non legere; & sic non velle causat inuoluntarium. Alio modo sumitur in vi orationis, & tunc non affirmatur actus Voluntatis; & huiusmodi non velle non causat inuoluntarium.

Ad tertium dicendum, quòd eo modo requiritur ad voluntarium actus cognitionis, sicut & actus voluntatis, vt scilicet sit in potestate alicuius considerare, & velle, & agere: & tunc sicut non velle, & non agere, cum tempus fuerit, est voluntarium, ita etiam non considerare.

Prima conclusio. Voluntarium directe non potest esse sine aliquo actu. 1. *Concl.*

Secunda conclusio. Voluntarium indirectè potest esse sine aliquo actu, tam interiori, quàm exteriori. 2. *Concl.*

Tertia conclusio. Id quod sequitur ad defectum actionis, tunc solum reducitur in agens, tanquam in causam, quando potest, & tenetur, & non facit. 3. *Concl.*

Præcipua difficultas, vtrùm detur pura omissio sine omni actu, quæ tamen sit voluntaria & imputabilis, tractatur iterum à Diuo Thoma infrà quæstione 71. artic. quinto, vbi nos latè de illo agemus. Solùm autem in præsenti oportet vnico verbo concordare conclusionem vtriusque articuli. quæ videtur opposita. Nam hic dicit, voluntarium esse posse absque omni actu; ibi autem, quòd omissio esse non potest absque actu præuio vel concomitante. Respondetur, hic & ibi in diuerso sensu loquutum fuisse D. Thom. Nam hic agit de omissione præcisè in ratione voluntarij, & hoc dicit esse posse absque omni actu: ibi autem agit de omissione in ratione culpabili, & imputabili; hoc autem dixit, esse non posse sine aliquo actu. Vel secundò dicitur, quòd hic dicit, omissionem posse esse voluntariam, absque actu vtique cõcomitante: non autem negat requiri actum, siue concomitantem, siue antecedentem: infrà autem dicit, esse non posse omissionem sine actu, ad minus antecedente. Vel tertiò dicitur, hic agere de omissione secundùm speciem & essentiam; ibi autem indiuidualiter & in exercitio. Propterea ergo hic dicit esse sine actu, quia omissio ex sua essentia actum non importat; ibi autem dicit, sine actu non esse, quia indiuidualiter & in exercitio semper fit omissio vnius voluntaria per actum alterius impedientem opus omissum. Hoc ergo supposito,

DV-

DVBIVM PRIMVM,

Vtrùm vt omissio sit volũtaria, requirãtur illæ tres conditiones assignatæ à D. Th. Quod clariùs inquiritur, vtrũ vt omissio sit volũtaria, requiratur quòd omittẽs teneatur facere opus omißum. Verbi gratia, videt quis aliũ furantem, quẽ poterat impedire à furto, cũ tamẽ non teneatur impedire; & non impedit, vtrùm illud non impedire, sit voluntarium isti.

1. Sent. Cajet. Conrad. Medin. Lorca. Nauar. D. Anton. Viguer. Almain.

IN hac re est prima sententia Cai. hîc, & infrà q. 18. art. 9. & etiã Conrad. & Medinæ in hoc art. & Lorcę hic disp. 2. & Nauar. in Sum. prælud. 6. nu. 4. & sic videtur loqui D. Antoni. 1. p. titu. 4. c. 3. §. 2. & Viguer. c. 3. §. 4. Almain 1. Moral c. 1. q illa particula, Tenetur, est ita necessaria, quòd si aliquis nõ teneatur impedire, nullo modo talis omissio est voluntaria.

Solutio.

Hæc sententia probatur primò ex D. Th. expressè id asserente, requiri, vt quis possit & teneatur, & non faciat, vt omissio sit voluntaria. Si respondeatur, D. Th. non loqui de ipsa omissione, sed de effectu subsequuto ad illam; itaque vt sit voluntarium furtum, vel mors, quam potuit impedire, & non impediuit, requirebatur, quòd teneretur impedire; non autem loquitur de ipsa omissione impediendi; hæc enim voluntaria est, etiamsi non teneatur impedire: Contra argumentor, nam immediatè post conditionem assignatam, in fine corporis articuli concludit D. Tho. sic: Quia velle, & operari; est in hominis potestate; ideò non velle & non operari (si homo debet) reducuntur in voluntatem, tãquam in causam. Ecce qualiter D. Thom. vt non velle & non operari (quæ sunt ipsę omissiones) habeãt rationem voluntarij, exigit obligationem. Confirmatur hæc impugnatio, nam D. Thom. hic nititur explicare, qualiter voluntarium reperiatur sine omni actu, dummodò reperiantur tres cõditiones assignatæ: ergo potiùs loquitur de ipsa omissione, quàm de effectu subsequuto ad omissionem; quia ratio voluntarij primariò & principaliter reperitur in omissione; secundariò verò in effectu subsequuto ad omissionem. Si rursus respondeatur, quòd etiamsi D. Th. loquatur de ipsa omissione, loquitur tamen de ipsa in ratione culpabili; sic enim certum est requiri quòd quis teneatur: Contra tamen arguitur, nam Diuus Thomas hic non loquitur strictè de voluntario culpabili, sed de voluntario in communi; cum hic iaciat fundamenta, vt posteà in particulari agat de vitijs & virtutibus: ergo cum Diuus Thomas dicit, requiri quòd quis teneatur, vt omissio sit voluntaria, id requirit, vt voluntaria sit voluntaria in communi loquendo.

Impug.

Confir.

Solutio.

2. Arg.

Secundò argumentor. Quando aliquis nõ tenetur, nec formaliter nec virtualiter, nec directè nec indirectè, volũtas est causa illius omissionis: ergo talis omissio non est volũtaria. Consequẽtia patet, & antecedens probatur. Nã, v.g. si in die profesto, quando omittit Missam propter studium, si nõ studeret, vel faceret aliũ quemcunq; actũ impeditiuũ Missæ, talis omissio Missæ nullo modo posset reduci in voluntatem, tanquàm in causam; quia reductio vt in causam, medio aliquo actu debet fieri, siue proximè, siue remotè: ergo nec etiam posito studio impediente, potest dici illa omissio voluntaria, nec reduci in voluntatem, vt in causam. Patet ista consequentia, nam si aliqua ratione reduceretur, maximè quia voluntariè apponit actionem studendi incõpossibilem cũ auditione Missę: sed hoc nihil valet: ergo etiam posita actione studendi, omissio Missæ non reducitur in voluntatem. Ista vltima minor probatur, quia si ex appositione studij incompossibilis cum Missa, omissio Missæ reduceretur in voluntatem, tunc penè infinitæ omissiones in voluntatem reducerẽtur quia penè infinitæ actiones sunt incompossibiles cum studio, quarum omnium omissio sequitur ex studio; quod est ridiculum: ergo non stante obligatione Missæ, quocunque impedimento Missæ apposito, omissio Missæ non reducitur in voluntatem, neque est voluntaria.

3. Arg.

Tertiò arguitur. Quando quis non tenetur, tunc omissio neque est bona, nec mala moraliter, ergo nullo modo est à Voluntate, & sic nec voluntaria. Consequentia patet, nam quod in exercitio hîc & nũc non est bonum vel malum, non est à Voluntate, quia in exercitio & in indiuiduo nulla datur actio indifferẽs, sed omnis necessariò bona vel mala. Antecedens verò probatur, Quòd quidem non sit mala, quia non

non tenetur, vt supponimus; & vbi non est lex, neque præuaricatio. Quòd verò non sit bona, etiam probatur; nam omissio Missæ, etiam quando non est obligatio, est contra consilium Ecclesiæ: ergo non est bona, quia si facere consilium, est bonum; frangere illud, non potest esse bonum, quia oppositum boni non potest esse bonum. Si respondeatur, probare, talem omissionem non esse voluntariam moraliter, talis enim diuiditur in bonam vel malam; non autem probare, nõ esse voluntariam physicè; nam voluntarium physicũ abstrahit à bono & malo, qua ratione & voluntarium in brutis reperitur, in quibus bonum & malum non est: cùm ergo in præsenti non agatur de voluntario morali, sed de physico; quia agitur de voluntario in communi, prout etiam extenditur ad bruta; si omissio sine præcepto est physicè voluntaria, absolutè dicenda est voluntaria: Contra tamen argumentor, quia licèt verum habeat distinctio de voluntario morali & physico, & licèt voluntariũ physicum possit reperiri in subiecto incapaci moralitatis, vt in brutis, immò liberum physicè possit reperiri sine libero morali in eo qui compos non est libertatis moralis, vt contingit in amentibus & pueris ante perfectum vsum rationis, isti enim priùs deueniunt ad deliberationem de bono & malo physico, prout conueniens vel disconueniens est subiecto (ad quod bruta non pertingũt) quàm deueniant ad deliberationem de bono & malo morali, prout consonum, vel dissonum regulis æternis: tamen in subiecto rationis compote non est dare libertatem physicam sine morali: si ergo prædicta omissio moraliter non est libera nec voluntaria, neque etiam erit volũtaria physicè. Si rursus respondeatur, posse esse etiam moraliter voluntariam, sine eo quòd sit bona vel mala; quia morale constituitur in ordine ad legem absolutè, non autem in particulari in ordine ad legem prohibentem vel præcipientem, qua ratione deberet esse bona vel mala: Contra argumentor, Nam licèt morale in communi non sit in ordine ad aliquam legem in particulari; tamen morale in particulari in ordine aliquã legem, in particulari debet esse: ergo illa omissio vt in particulari moralitatẽ habeat, aliqua lex assignari debet; vnde nulla lege existente vel præcepto, moralitas in tali omissione intelligi non potest, nisi recurratur ad moralitatem indifferentem, quæ in actu singulari secundùm D. Th. dari non potest.

Soluti. *Impug.* *Soluti.* *Impug.*

Quartò arg. Voluntas (in isto casu quòd nõ tenetur) nõ est causa illius omissionis; ergo illa omissio nõ est voluntaria. Consequentia patet, nam voluntarium à voluntate debet esse, vt à causa. Antecedens verò probatur. Voluntas non potest esse causa omissionis, nisi per hoc quòd expellat actum contrarium, qui vel erat in subiecto, vel qui debebatur: sed Voluntas in isto casu non expellit actum contrarium existentem, quia non fuerat, nec subiecto debitum, quia vt supponimus, non est præceptum talis actus: ergo nullo modo est causa omissionis illius actus. Maior probatur, nam informis physicis nõ est causa cæcitatis nisi quod expellit visum; neque est causa particularis priuationis formæ equi, nisi quod expellit formam equi habitam, vel impedit introducendam, & iam debitam in dispositione materiæ; ergo similiter in moralibus, non est causa omissionis & priuationis actus, nisi quod expellit actum contrarium, vel impedit ipsum habendum & iam debitum subiecto. *4. Arg.*

Quintò probatur, in casu quo non tenetur, effectꝰ subsequutus ad omissionẽ, v.g. furtũ, vel mors alteriꝰ, nõ est isti volũtaria: ergo nec omissio ad quã talis effectꝰ sequitur. Antecedens cõceditur à cõtrarijs, quia nõ imputatur. Cõsequẽtia verò probatur, nam effectus & omissio habent se consequenter & connexè, quatenus infallibiliter vnum sequitur ad aliud: ergo si effectus non est voluntarius, neque etiam omissio; nam si omissio esset voluntaria, similiter & effectus infallibiliter consequutus ad ipsam; nam qui vult antecedẽs, vult & consequens quod necessariò sequitur ex antecedenti, & ex oppositio. Confirmatur, nam effectus subsequutus non alia ratione non imputatur, nisi quia non est voluntarius: ergo similiter si omissio non imputatur, ex eo est, quia non est voluntaria. *5. Arg.* *Confir.*

Secunda sententia est Almain in 1. Moralium, cap. 1. quem etiam sequuntur multi ex Thomistis recentioribus, videlicet quòd licèt vt effectꝰ subsequutus ad omissionem, sit voluntarius, requiratur teneri, & si non tenetur, voluntarius non est: tamen vt omissio sit voluntaria, non requiritur quòd teneatur non omittere, sed eo ipso quòd sciens & videns omittat, voluntariè omittit, etiamsi non teneatur omittere. *2. Sentent. Almain.*

Hæc

1. *Arg.* Hæc sententia probatur primò. Quod est in potestate voluntatis, volũtarium est, *Arist.* hoc enim sonat voluntariũ, vt docet Arist. 3. Ethic. c. 3. hac enim ratione probat ibi, nos voluntariè esse probos, vel improbos, quia est in potestate nostræ Volũtatis, tur pia vel honesta agere: quod etiam videtur docere D. Th. hîc in argumento. Sed contra: sed etiamsi non sit præceptum, si tamẽ sciat & videat, talis omissio est in potestate vŏluntatis istius: ergo est illi voluntaria: immò si interrogetur quare nõ audit Missam, respondet quia non vult.

2. *Arg.* Secundò probatur sententia. Si in casu quo nõ tenetur, habeat actum positiuum, Nolo audire Missam, sine dubio tunc dire ctè vult: ergo in eo qui sciens & videns omittit audire Missam, omisio est voluntaria indirectè. Patet consequẽtia, nam vt indirectè sit voluntaria omissio, non amplius requiritur, quàm quòd sciens & videns omittat actum, quem si haberet, directè esset voluntarius. *Confir.* Confirmatur, nam etiam in casu quo non tenetur, qui audit Missam, volũtariè audit Missam: ergo qui tunc omittit, voluntariè omittit. Patet consequentia, quia non est minus in potestate istius tunc audire, quàm non audire, & ad neutrum tenetur: ergo non est maior ratio, quare sit voluntarium audire, quàm non audire.

3. *Arg.* Tertiò probatur. Vt aliquid sit voluntarium, siue directè, siue indirectè, sufficit vt sit à principio intrinseco, cũ cognitione finis, vt patet ex eius definitione: sed omissio, etiamsi non sit præceptum, est à principio intrinseco cum cognitione finis: ergo est voluntaria. Minor probatur. Præceptũ est omnino extrinsecum nihil reale ponens in voluntate: ergo nihil ad rem, quòd sit vel nõ sit præceptũ, vt omissio sit à prin *Confir.* cipio intrinseco Voluntatis. Cõfirmatur. Si de nouo ponatur præceptum, illa omis sio erit voluntaria: ergo etiamsi præceptũ non sit. Patet consequentia, nam præceptum nihil ponit in Voluntate, à qua, vt à principio intrinsecò, sumitur ratio volun tarij.

4. *Arg.* Quartò argumentor. Præceptum non potest cadere nisi super actum voluntariũ: ergo antequàm sit præceptum, intelligitur omissio voluntaria, & sic ad esse voluntariam, non requiritur teneri. Antecedens probatur, quia persuasio vel consiliũ non potest esse nisi de eo quod est nobis volũtarium, aliàs enim talis persuasio, vel consi liũ esset inane, vt patet ex Arist. 3. Ethic. c. 5. Ergo à fortiori præceptũ nõ potest esse nisi de re nobis voluntaria. Si respondeatur, quòd præceptũ non ponitur de omis sione, sed de actu omisso; hac enim ratione ponitur præceptum prohibens omissionem Missæ, quatenus ponitur præceptũ audiendi Missam; vnde nõ prærequiritur, omissionem esse voluntariã, sed actũ, supra quem cadit præceptum, esse voluntarium: posito autem præcepto actus, resultat, omissionem esse voluntariam, non antecedenter ad præceptum, sed per ipsum præceptum. Contra tamen argumentor, *Impug.* nam de omissione iudicãdum est sicut de actu omisso, quia regulatur per illum: ergo si antecedenter ad præceptum actus præintelligitur voluntarius, similiter & omissio: eo vel maximè, quia, vt dictum est, ratio voluntarij nõ potest sumi à præcepto extrinseco: ergo omissio non fit voluntaria per præceptum, sed à voluntate id habet antecedenter ad præceptum.

Solutio.

5. *Arg.* Quintò argumentor. In tali casu actus impediens Missã, ex quo sequitur omissio Missæ, est voluntarius, v. g. actus studẽdi: ergo similiter & omissio Missæ. Patet cõsequentia, nã si causa omissionis est volun taria, similiter & ipsa omissio; nã qui vult antecedens, necessariò vult etiã, & consequẽs quod necessariò infertur ex illo. Cõ- *Confir.* firmatur, nam in naturalibus ita contingit, quòd qui est causa generationis, est etiam causa & corruptionis cõsequutæ ad illã: er go similiter in moralibus, qui est causa act' positiui, erit & causa priuationis, & omis sionis cõsequutæ ad talẽ actũ, vel cuiuscũque alterius effectus; vt cõtingit in proijciente sagittã non facta sufficiẽti diligẽtia, vt non sequatur mors; tunc si sequatur, est causa illius, quia fuit & causa proiectionis sagittæ, cuius effectus consequutus, fuit mors.

Pro intelligentia notandũ. Primò, quòd *Not. 1.* volũtariũ dicitur dupliciter. Primò, volũtarium in potẽtia, quãdo nec formalẽ, nec virtualẽ actũ quis habet, sed tantũ potẽtiã volitiuã ad agendũ circa illud; est itaq; volũtariũ, nõ quia illud vult, sed quia illud pò test velle. Sic dicitur, homini esse voluntarium contrahere matrimonium, quia potest velle; & sedenti dicitur voluntarium ambulare, quia potest velle ambulare. Secundo modo dicitur volũtarium in actu, vt cum quis habet actum formalem, vel virtualem, respectu cuius dicitur agere

vel

vel nō agere, & cōsentire actui vel omissio ni. In præsenti nō agimus de volūtario primo, sed secundo modo; nulli enim dubiū, quod vt omissio sit voluntaria in potentia, non sit necessarium esse præceptum: dubitamus autem, vtrùm actualiter sit voluntaria, formaliter vel virtualiter, directè, vel indirectè, etiam non stante præcepto.

Not. 2. Secundò notandum, quòd volūtarium in actu potest accipi tripliciter. Primò cōmuniter & quasi physicè, secundùm quod tantùm importat quod est à principio intrinseco cū cognitione finis, qualiter etiā reperitur in brutis, vt dictum est. Secundo modo sumitur magis propriè & strictè pro voluntario perfecto ex perfecta cognitione finis, qualiter tantùm in creatura rationali reperiri potest, vt dictum est. Tertio modo sumitur volūtarium moraliter, pro eodem quod liberum, qualiter sæpe vtitur D. Th. nomine volūtarij, vt dictum est. Licèt ergo aliqui velint cōponere prædictas sententias, quòd vtraque habeat verum in diuersa acceptione voluntarij, nam in prima vel secunda acceptione habet verum secunda sententia, quòd etiam si non sit præceptum, omissio est voluntaria, si ex aduertentia fiat: in tertia verò acceptione habet verum prima sententia, quòd si non tenetur, omissio non est voluntaria, vtique moraliter & imputabiliter: hæc tamen concordia nulla est, quia, vt dictum est suprà, hìc loquimur de voluntario in communi, ac per consequens absolutè resoluendum est, vtrùm illa omissio dicta, sit voluntaria, vel non, quia quocunque illorum trium modorū sit voluntaria, absolutè dicēdum est esse voluntariā, vt hic loquimur de voluntario.

Not. 3. Tertiò notandum, quòd aliud est loqui de omissione, aliud verò de effectu subsequuto ad omissionem; vt de morte subsequuta ad omissionem dandi cibum: non ergo controuertitur de ipso effectu subsequuto, nam, vt statim dicemus in prima conclusione, vt effectus sit volūtarius, necessariò requiritur vt teneatur; sed loquimur de ipsa omissione, ad quam talis effectus sequitur.

Not. 4. Quartò notandum, quòd omissio sumitur dupliciter. Primò strictè & in malā parte, pro omissione culpabili, vt Matth. 23. dicitur: Hæc oportuit facere, & illa non omittere. *Matt. 23.* Ad hanc omissionem non est dubiū requiri quòd quis teneatur: vnde 2. 2. q. 79. ar. 3. de hac omissione dicitur, quòd omissio non est nisi boni debiti. Secundo modo sumitur omissio magis ample, pro omissione negatiua alicuius actionis, siue debitæ siue non debitæ vt 2. Reg. 2. dicitur: Non declinauit addexteram neque ad sinistram, omittēs persequi Abner. Et Iob 32. Omiserunt autem tres viri isti dicere Iob. De hac ergo omissione procedit dubium, vtrùm sit voluntaria, vel non. *2. Reg. 2.* *Iob 32.*

Not. 5. Vltimò notandum, quòd talis omissio, etiam negatiua, actionis non debitæ potest esse dupliciter. Primò, sine aduertentia & consideratione quòd hic & nunc est occasio audiendi, vel non audiendi Missam. Secundò, cum aduertentia, sciens & videns. Primo modo non procedit dubium, tunc enim est pura negatio, & nullo modo concurrit Voluntas, quia ignorantia vel non aduertentia tollit omne voluntarium, & cùm istud ex cognitione necessariò procedat, procedit dubium secundo modo.

1. Concl. Prima conclusio. Vt effectus subsequutus ad omissionem sit voluntarius, necessariò requiritur præceptum & obligatio. *D. Tho.* Hæc est communis omnium, & expressa D. Th. hic, cum quo etiam consentit Vazquez disp. 24. c. 3. Probaturq; exemplo in diuinis. *Vazquez.* Deus enim liberè & voluntariè permittit peccata, & vult non conferre auxilia quibus peccata impedirentur; & nihilominus effectus subsequutus ex tali negatione auxilij nēpe peccata, nō sunt Deo voluntaria, ex eo præcisè, quia non tenetur illa impedire: ergo requiritur obligatio, vt effectus subsequutus, sit voluntarius. Secundò probatur. Si non tenetur effectus non respicit voluntatem tanquàm causam: ergo non est voluntarius. Consequentia patet, nam voluntarium voluntatem respicit vt causam. Antecedens verò probatur, nam in casu peccati causa tātùm est liberum arbitrium hominis, nō autem Voluntas Dei, & in casu quòd non det panem morienti ex fame, quando non tenetur, causa mortis nō est non dans panem, sed ipsa realis fames. Si respondeatur, hoc *Solutio.* probare de causa physica, nā physicè nullum influxum habet non dans panem, in ipsum morientem; non autem probat de causa morali: Contra arguitur, quia causa moralis non est nisi per consilium vel præ- *Impug.* ceptum, vel per obligationem faciēdi, &c. sed nihil horum concurrit respectu illius effectus: ergo nullo modo est causa illius, etiam moralis. Si respondeatur, quòd qui *Solutio.*

vult

vult antecedens, vult & consequens necessariò illatum: cùm ergo mors infallibiliter sequatur ad omissionem dandi panem, cùm ille voluntariè non det panem, vt infrà dicemus, voluntariè videtur velle & mortem subsequutam: Contra argumentor, quia ille effectus non sequitur per se, sed omnino per accidens ad omissionem: ergo non qui vult omissionem, vult & mortem; quia illa maxima, Quòd qui vult antecedens, vult & consequens, debet intelligi de consequenti per se, & non per accidens; nam etiamsi quis velit necessariò beatitudinem, non tamen necessariò vult mortem requisitam ad beatitudinem: quia mors non est medium per se ad beatitudinem, sed per accidens. Eo vel maximè, quòd si in rigore loquamur, illa omissio neque etiam per accidens est causa illius mortis, quia secundùm Philosophum, vt sit causa, etiam per accidens, debet attingere effectum licèt per accidens. Si autem effectus non attingatur, sed per accidens cõcomitatur actum ab alia causa, non dicitur effectus etiam per accidens non attingentis, etiamsi illud concomitetur. Verbi gratia, fodiens inuenit thesaurum; latro autem qui aderat, furatur thesaurum discoopertũ; tunc quidem fodiens est causa per accidens inuentionis thesauri, quia bene attingit inuentionem (licèt per accidens) fodiendo; sublationis autem à latrone nullo modo est causa, etiam per accidẽs, quia non attingit fodiens sublationem, etiamsi sublatio concomitetur fossionem. Sic ergo in præsenti, quando tenetur, omittens est causa illius effectus, quia per obligationem moraliter attingit illum; quando autem non tenetur, cùm nec moraliter, nec physicè attingat illam mortẽ, nullo modo est causa illius, etiam per accidens. Sed si queras, quę nã obligatio requiritur in omittente, adhoc q effectus ex omissione subsequutus imputetur illi ad culpã, & cẽ seatur volũtarius respectu illi?: Respõdetur, non sufficere quamcunque obligationẽ remotam ad aliquem actum, sed requiri obligationem proximam. Verbi gratia, ille cui sufficienter est proposita Fides, tenetur acceptare illam, & mediante Baptismo, tenetur posteà ad susceptionem aliorum Sacramentorum, & obseruantiã aliarum legum Ecclesiæ: tamen si iste non suscipiat Fidem, nec baptizetur, quamuis peccet mortaliter nõ suscipiendo Fidem, tamen non peccat in omissione susceptionis aliorum Sacramentorum, & impletionis aliorum præceptorum Ecclesiæ, quãuis libere & volũtarie omittat, ex eo quòd non tenetur præceptis aliorum Sacramentorum immediatè, sed mediante susceptione Baptismi; vnde quandiu non baptizatur, non tenetur ieiunare vel implere alia statuta Ecclesiæ; & quanuis voluntariè omittat ieiunium, non imputatur illi ad culpam, quia obligatio ad ieiunium est remota. Idem cõtingit, si quis emisit votum ingrediendi Religionem intra certum tẽpus, vel susciendi sacros ordines, & non impleat votum, quanuis posteà non recitet horas Canonicas, nec impleat alia præcepta Religionis, sed liberè & voluntariè illa omittat, non peccat, quia non tenetur ad illa præcepta immediatè, sed mediante statu Religionis, vel susceptione sacri ordinis. Itẽ obligatio requisita, vt effectus vel omissio imputetur, nõ requiritur q̃ sit ex præcepto iustitiæ, sed sufficit quòd homo teneatur ad illum actũ omissum quocunque præcepto, siue iustitiæ, siue Charitatis; vt si, verbi gratia, ex hoc quòd aliquis omittat correctionem fraternam, sequitur aliquod malum, vel quòd frater perseueret in peccato, imputatur illi ad culpam omissio correctionis, & effectus inde subsequutus. Similiter siquis videat aliquem morientem, cui potest subuenire, licèt nõ ex iustitia, tamen ex Charitate, peccat mortaliter non subueniendo, & mors imputatur illi ad culpam, vt patet ex cap. eam te, de sententia excommunicationis, vbi excommunicantur illi qui possunt impedire percussionem publicam clerici, & non impediunt; & tamen illi solùm tenebantur ex Charitate impedire. Similiter Iudæis imputata est mors Christi Domini: quam tamen multi ex illis non tenebantur euitare ex iustitia, sed solùm ex Charitate, quia quodcũque præceptum sit, vel obligatio, verificãtur requisita à D. Tho. quòd possit & teneatur, & consequenter quòd imputetur. Verum est tamen, quòd licèt vt effectus imputetur ad culpam, sufficiat quodcunque præceptum; tamen vt teneatur restituere nocumentum sequutum ex tali effectu, non sufficit quæcunque obligatio ex iustitia; vt prætor potens impedire furtum & non impediens, obligatur ad restitutionem, quia tenebatur impedire ex iustitia ratione officij, non autem teneretur vicinus ad restitutionem, etiamsi potuisset impedire; quia solùm tenebatur ex Charitate:

Impug.

Dubitatio.

Resp.

ritate; obligatio autem restitutionis solùm oritur ex iustitia, vt dicitur secunda secundæ, quæstione 62. vbi de hoc latiùs.

2. Concl. Secunda conclusio. Loquendo de omissione, licèt probabilis sit prima sententia, & fortè conformior literæ Diui Thomæ, quod si non tenetur, omissio non est voluntaria; supposito tamen quod secunda sententia habet locum inter Thomistas, neque est expressa contra Diuum Thomam, motus rationibus eius censeo illam probabiliorem, quòd etiam si non teneatur, si tamen ex aduertentia omittit, omissio est voluntaria. Verum est tamen, quòd mihi non placet modus quo à suis authoribus defenditur hæc sententia, videlicet quòd talis omissio sit voluntaria physicè, & non moraliter; quia inter arguendum probauimus, in compote rationis, & operante ex aduertentia, non stare voluntarium physicum sine morali; sicut enim opus non potest non esse artificiosum, si procedat à principio subiecto regulis artis; ita non potest non esse voluntarium morale, quod procedit à principio subiecto regulis morum: principium autem subiectum regulis morum, est Voluntas operans ex aduertentia Rationis: si ergo semel ponitur, vt ponit secunda sententia quòd illa omissio procedit à Voluntate operante ex aduertentia, non potest non ponere, illam omissionem esse voluntariam moralem; sed vel dicẽdum esset cum prima sententia, quòd illa omissio neque est voluntaria, neque procedit à Voluntate; vel si semel dicitur cum secunda sententia, illam omissionem voluntariam esse, procedereque à Voluntate non vtcunque, sed operante ex aduertentia, non solùm dicendum est, esse voluntariam vtcunque, sed esse voluntariam moraliter. Qualiter autem illa omissio sit moraliter voluntaria; non stante præcepto præcipiente actum omissum, vel prohibente omissionem, patebit, prænotando quòd illa omissio potest considerari dupliciter. Primò ex sua ratione intrinseca & essentiali specificante ipsam secundùm se, vtique ex parte actus omissi; à quo habet esse omissionem talis vel talis speciei. Secundo modo potest considerari secundùm rationem extrinsecam, & accidentariam pertinentem ad talem omissionem, vt sit in exercitio hic & nunc; vtique ex parte finis operantis. Dico ergo, quòd si omissio consideretur ex ratione intrinseca, & ex parte actus omissi, non est voluntaria, nec procedit à Voluntate, non stante præcepto; & hoc probant argumenta primæ sententiæ. Si autem omissio consideretur secundum extrinsecam rationem, vt fit, & est in exercitio, & ex parte finis operantis, voluntaria est moraliter, & bona vel mala, qualiter fuerit finis operantis. Itaque studens aduertens omissionem Missæ, indirectè vult illam omissionem per voluntarium directum studij, cum quo Missa non compatitur in ordine ad finem studij, & qualiter iste fuerit, erit & omissio, bona vel mala: vnde illa omissio non est tantùm voluntaria in potentia, sed etiam in actu, licèt indirectè, quia influendo Voluntas in volitionem studij, influit indirectè in omissionem Missæ ad quam aduertit, vt in medium requisitum ad studium; vnde participat bonitatem, vel malitiam studij, vt dictum est.

Nota.

Ad argumenta primæ sententiæ respondetur, omnia illa probare, illam omissionem non esse voluntariam in ordine ad actum omissum; non autem in ordine ad finem studij, vt dictum est. Sigillatim tamen ad primum, dicitur, Diuum Thomam loqui de effectu omisso, ad quem requiritur teneri, vt sit voluntarius; vel si loquitur de omissione, loquitur de illa in ordine ad actum omissum. *Ad 1. arg. 1. sent.*

Ad secundum argumentum respondetur, quòd illa omissio est volita indirectè per voluntarium studij, ratione cuius omittit Missam. Ad illud autem, quòd penes infinita omittit incompossibilia cum studio, & non propterea omnia illa dicuntur voluntaria: Respondetur, quòd tantum illa voluntaria dicuntur, ad quæ aduertit, quia, vt dictum est, Voluntas non influit indirectè nisi ex aduertentia; ad quæ autem aduertit ex his quæ non tenetur, paucissima sunt. *Ad 2. arg.*

Ad tertium argumentum respondetur, quòd illa omissio in ordine ad actum omissum, nec est bona, nec mala moraliter: potest tamen trahi in exercitio ab operante infinem studij, & ex illo habere *Ad 3. arg.*

tatem vel malitiam. Ad impugnationem respondetur, procedere contra modū defendendi secundam opinionem per distinctionem voluntarij physici & moralis; nihil autē contra nostrum modum defendēdi per distinctionem omissionis ex parte actus omissi, vel ex parte operantis.

Ad 4. arg. Ad quartum etiam respondetur, nihil amplius probare, quàm quòd omissio nō sit voluntaria ex propria ratione in ordine ad actum omissum. Ad argumenta secundæ sententiæ respondetur, probare clarè, illam omissionem esse voluntariam in ordine ad studium & finē eius. Quatenus autem potest intendere, quòd etiam sit voluntaria ex propria ratione in ordine ad actū omissum, sigillatim

Ad 1. arg. 2. Sent. Ad primum respondetur, tantùm probare, illam omissionem esse voluntariam in potentia, non autem in actu; quia in ratione prædicta nullo modo illa omissio fluit à Voluntate, nec physicè, nec moraliter, vt dictum est.

Ad confir. Ad confirmationē respondetur, quòd tunc ille respondet, non audire Missam quia non vult, non quia omissio sit voluntaria ex intrinseca ratione in ordine ad actum omissum, sed quia sibi in exercitio est voluntaria in ordinē ad studium, ratione cuius omittit Missam.

Ad 2. arg. Ad secundum respondetur, quòd si formaliter & expressè dicat nolle audire Missam, tunc omissio est directè voluntaria, quia iam est actus expressus per quem fit volita, & comparetur ad Voluntatem vt causam: quando autem omittit purè negatiuè, illa omissio non est voluntaria in ordine ad actum omissum, quia tunc non est ratione cuius comparetur ad Voluntatem vt causam, nec physicam, nec moralem. Ad probationem autem respondetur, quòd omissio regulatur per actum, si semel supponatur quòd omissio fluit à Voluntate, tunc enim participat voluntarium actus, saltem indirectè: si autem à Voluntate non procedit, non potest voluntarium participare; illa autem omissio in ordine ad actum omissum, non intelligitur per quid sit à Voluntate. *2. Solut.* Secundò respondetur ad argumentum, quòd in tali ante cedentis omissio est volita vt obiectum supra quod cadit ille actus, Nolo; non autem est voluntaria formaliter & vt actus; vnde quando non habet actum circa omissionem, non habet omissio vnde sit voluntaria considerata in ordine ad actum omissum, quia non vt obiectum, cùm non sit actus formalis circa illam, nec etiam est voluntaria formaliter vt actus; quia, vt dictum est, non intelligitur talis omissio à Voluntate procedens. Ad confirmationem dicitur, quòd quando vult audire Missam, est actus Voluntatis: quando non vult, non est assignare qualiter sit à Voluntate nisi in ordine ad finem operantis, vt dictum est: vnde considerata præcisè in ordine ad actum omissum, negatur quòd sit à principio intrinseco; quia licèt vtrunque, audire, & non audire Missam, sit in potestate Voluntatis in potentia, in actu tamen non æqualiter sunt in potestate Voluntatis; nam quando vult audire, est in potestate actuali; non autem quando non vult audire. 1

Ad secundam confirmationem respondetur, quòd licèt præceptum sit extrinsecum, est tamen conditio sine qua non, vt omissio sit voluntaria. *Ad 2. cōf.* Vel secundò dicitur, quòd licèt præceptum sit extrinsecum, nihil ponens realè in Voluntate, vt sit causa physica, conducit tamen vt sit causa moralis; vnde per positionem præcepti sufficit vt modò dicatur omissio voluntaria, quæ ante præceptum voluntaria nō erat, quia modò Voluntas est causa moralis, non autem antea; vnde modò posito præcepto, hæc omissio est à principio intrinseco, siue physicè, siue moraliter; ante præceptum autem nullo modo erat à Voluntate. *2. Solutio.*

Ad quartum argumentum respondetur, quòd vt ponatur præceptum, præsupponitur voluntarium in potentia, & quòd sit in potestate illius, non autem requiritur quòd ante præceptum sit voluntarium in actu; omissio autem illa voluntaria est in potentia ante præceptum, in actu autem non est voluntaria, nisi post præceptum. Nec est eadem ratio de actu, & de omissione, nam actus etiam ante præceptum potest esse actualiter voluntarius, quia ex propria ratione actus fluit à Voluntate, & consequenter habet esse directè voluntarium, omissio autem non habet respicere Voluntatem, nisi ponatur præceptum; vnde ante præceptum voluntaria non est, neque etiam indirectè, quia voluntarium directum ipsius actus non transit indirectè ad omissionē, nisi supponatur præceptū vt conditio sine qua non, vt iam diximus. *Ad 4. arg.* Vel aliter dicitur, quòd sicut voluntarium consideratur 2 *Solutio.*

dupli-

dupliciter, & in potentia, & in actu; ita similiter & præceptum consideratur dupliciter; & in actu primo, vt regulatiuum est operationis vel omissionis, & in actu secundo, vt actualiter regulans. Dicimus ergo, quòd ad præceptum in actu primo, vt regulatiuum est, præsupponitur voluntarium in potentia, vt regulabile per ipsum; ad præceptum autem in actu secundo regulans præsupponitur voluntariũ in actu secundo in ipsa operatione, supra quam cadit præceptum: in omissione autem talis operationis præceptæ non præsupponitur voluntarium in actu ante præceptũ, sed potiùs præceptum in actu mediat inter operationem præceptam, & omissionem talis operationis, tanquàm conditio, vt dictum est, vt indirectè fluat voluntariũ ad omissionem: vnde nunquam omissio intelligitur voluntaria in actu ante præceptum.

Ad 5. arg. Ad quintum argumentũ respondetur, quòd non stante præcepto, illa omissio nõ est consequens voluntarie ad studium, vt omissio consideratur ex propria ratione in ordine ad actum omissum, & sic nõ est voluntaria; si autem aliqualiter est consequens, & effectus studij est, quatenus trahitur vt medium ad finem studij; & sic iam diximus in exercitio & ab extrinseco talem omissionem esse voluntariam. *Ad conf.* Ad cõfirmationem respondetur eodem modo, quòd qui est causa generationis, est etiam causa corruptionis, quia verè attingit expulsionem alterius formæ: qui autem per voluntatem attingit studium, non ideò attingit omissionem Missæ, non stante præcepto Missæ, nisi ab extrinseco in ordine ad finem studij: vnde illa omissio in ordine ad Missam, non est voluntaria, bene autem extrinsecè in ordine ad finem studij.

DVBIVM II.

Vtrùm vt omnis omissio sit voluntaria, sufficiant illæ tres conditiones assignatæ à D. Thom. nempe quòd possit, & teneatur, & non faciat.

Nota. PRO Intelligentia notandũ, præceptũ esse induplici differentia: alterum affirmatiuũ, alterum negatiuum. Affirmatiuum est, præcipiens aliquem actum: negatiuum verò, prohibens aliquem actum: vnde præceptum affirmatiuum adimpletur per operationem; præceptum negatiuũ vero per omissionem operationis prohibitæ; vnde omissio est duplex, altera actus præcepti, qua frangitur præceptum affirmatiuũ; altera vero est omissio actus prohibiti, qua omissione impletur præceptũ negatiuum. Interrogamus ergo, vtrùm ad vtramque omissionem, tam culpabilem fractiuam præcepti affirmatiui; quàm laudabilem impletiuam præcepti negatiui, requirantur & sufficiant illæ tres conditiones assignatæ.

1. Concl. Prima conclusio. Ad omissionem fractiuam præcepti affirmatiui, sufficiunt illę tres cõditiones, vt talis omissio vndequaque sit voluntaria & absolutè, & de hac loquitur D. Thom. in præsenti; nam eo solũ quòd possit & teneatur, & non faciat, talis omissio est peccatum: ergo talis omissio est voluntaria: non enim est peccatum sine voluntario directo vel indirecto. *Obiectio.* Et si contra facias argumentum, nam si sacrista sine omni culpa, obliuione naturali omittat claudere ostia, & fur furripiat Ecclesiæ ornamenta, illa omissio non est voluntaria, & tamen tenebatur & poterat, & non clausit ostium: ergo illæ tres conditiones non sufficiunt vt omissio sit voluntaria. Minor probatur, nam sacrista tunc habebat præceptum claudendi ostium: ergo tenebatur claudere: ergo & poterat claudere, quoniam impossibilium non est obligatio. Ad hoc argumentum quidam respondent, illum non teneri, simpliciter loquendo, claudere ostium, quia non est in eius potestate aliquando non obliuisci; vnde tunc supposita obliuione, non habet præceptũ, & sic non tenetur. Sed hæc solutio *Solutio.* non valet, quia præceptũ nõ tollitur propter obliuionẽ, licèt propter illã excusetur à peccato. Vnde melius respõdetur, quòd tunc, licèt simpliciter loquẽdo, possit claudere, suppositis omnibus circũstantijs, hic & nunc non potest; vt autem omissio sit voluntaria, requiritur quòd positis omnibus circunstantijs, hic & nunc posset operari.

2. Conc. Secunda conclusio. Omissio præcepta præcepto negatiuo, non semper est volũtaria per hoc quòd possit, & teneatur, & non faciat, sed aliquando, immò regulariter requiritur vt Voluntas feratur supra ipsam omissionem, dicendo, Nolo furari; vnde talis omissio regulariter vt sit voluntaria,

taria, debet esse directè volita; vnde in hoc distinguitur ab omissione actus cadētis sub præcepto affirmatiuo, quòd ista est volita indirectè, & regulatur per hoc quod teneatur ad actum præceptum, & non faciat illum; altera verò omissio, cùm obligatio & præceptum sit circa ipsam, & non circa actum, per hoc debet esse voluntaria, quòd volūtas feratur circa ipsam omissionem & non circa aliquem actum, ex quo posset ipsa esse indirectè voluntaria. Hæc
D. Thom. conclusio videtur clara D. Thom. infrà q. 71. artic. 5. vbi dicit: Ad hoc quòd aliqua omissio sit culpabilis, sufficit quod aliquis possit, & teneatur, & non operetur: ad hoc verò quod omissio meritoria sit, hoc non sufficit; sed amplius requiritur. Ecce vbi distinguit de omissione præcepti negatiui; nam ista est meritoria, & hanc dicit plus requirere ad meritum, quàm posse & teneri, & non facere, vt sit meritoria: sentit ergo, quòd etiam stantibus illis tribus conditionibus, omissio præcepti negatiui nō est voluntaria; quia si esset voluntaria, non apparet quare non esset meritoria; si ergo meritoria non est, etiam in existēte in gratia, ideò erit, quia tantum per illas tres conditiones non est voluntaria. Item etiam videtur idem docere quæst. 7. de malo, art. 11. ad 8. vbi dicit, quod omissio impletiua præcepti negatiui dupliciter potest exerceri. Primo in ratione negationis, per hoc quod aliquis merè negatiuè se habeat. Alio modo per modum priuationis, per hoc quòd aliquis aliquo modo velit non operari. Dicit ergo, quòd ad rationem meriti non sufficit primum, sed requiritur secundum. Et ratio huius est manifesta, nam si omittere furari per modum simplicis negationis, sufficeret ad meritum, etiam dormiens haberet meritum de non furando; immò cùm præcepta negatiua obligent semper & pro semper, homo esset in continuo merito toto tempore quo non furatur: hoc autem est falsum: ergo non furari purè negatiuè, non est meritorium, & cō
Obiectio. sequenter nec voluntarium. Et si contra arguas, quòd per non furari purè negatiuè, adimpletur præceptum non furandi, quia illud præceptū cùm obliget pro semper, non pro semper obligat vt Voluntas sit in actu nolendi furari, sed vt nunquàm velit furari; nā aliàs adimpossibile obligaret, cū pro semper Volūtas nō possit esse in actu nolitionis: ergo nō furari negatiuè, est meritoriū & voluntariū. Patet consequentia quia præcipuū meritum in adimpletione præceptorū cōsistit: Respondetur primò quòd per omissionē negatiue sumptā nō adimpletur præceptū, nec tamen frāgitur, sed medio modo se habet: sicut quādo aliquis facit aliquid ex ignorantia inuincibili, tūc nec frangit præceptū, nec adimplet. Sed hæc solutio nō satisfacit, vt probat argumentū, quia cū præceptū obliget pro semper, debet adimpleri per aliquid quod homo possit habere pro semper: nō autē potest habere pro semper omissionē priuatiuā, sed negatiuā: ergo per negatiuā impletur. Secūdo ergo melius respondetur, quòd cū præceptū sit negatiuū, per negationē impletur, licèt materialiter, nō vero omnino formaliter & positiuè ad meritū: ergo nō sufficit quæcūq; impletio præcepti, sed formalis & positiua: hæc autē nō est nisi per omissionē priuatiuā, supra quā cadit actus Volūtatis dicētis, Nolo furari. Diximus autē, hoc esse regulariter requisitum, vt omissio impletiua præcepti negatiui sit voluntaria & meritoria, quòd Volūtas feratur supra ipsam omissionē, quia aliquando etiā potest esse voluntaria & meritoria per suspensionē & cessationē totius actus. Aliqui ponunt exēplū, quando quis vt habeat omissionē impletiuā præcepti negatiui, necesse habet exercere aliquē actū; tunc si talē actum non exerceat, omissio est volūtaria indirectè per nō appositionē actus ad quē tenebatur, sicut diximus de omissione fractiua præcepti affirmatiui. Verbi gratia, ponunt exemplū, quādo quis, vt nō fornicetur, tenetur orare & nō orat: sed maximè fallūtur isti; quia in isto casu ex obligatione orandi vt non fornicetur, & quia nō orat, non sequitur, omissionē fornicationis esse volūtariā, sed potiùs ipsam fornicationē; & si aliqua omissio volūtaria est, nō est omissio fornicādi, sed omissio orationis, tāquā omissio fractiua præcepti affirmatiui de oratione, quæ tunc obligabat vt nō fornicaretur. Exemplū ergo limitationis nostræ conclusionis est clarū, quando quis patitur vehementer tentationes fornicandi, & ipse vt nō cōsentiat tentationi, diuertit & suspendit actū, tā Intellectus, quā Voluntatis; tunc quidē illa omissio fornicandi licèt sit purè negatiua, & non sit actus expressus Voluntatis circa illam, moraliter censetur voluntaria, & est meritoria. Similiter si quis vt frangat præceptū negatiuū, patitur maxima tormēta, tunc si suspendat actū ne tormentis vincatur

1. Solutio.

2. Solutio.

catur ad consensum, illa suspensio & negatio actus est voluntaria & meritoria. Differentia ergo assignata consistit, quòd omissio fractiua præcepti affirmatiui nunquã amplius requirit vt sit voluntaria, quãposse, & teneri, & nõ facere; omisio vero impletiua præcepti negatiui aliquando per illas tres tantùm conditiones est voluntaria, vt inpatiente tentationes vel tormenta, aliquando autem hæc non sufficient, sed requiritur vt Voluntas feratur supra omissionem, vt sit voluntaria.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Voluntati possit inferri violentia.

1.q.82.ar. 1.cor.& ad 1. Et 4. d. 29.ar.1.Et veri q.22. ar.5. & 8. & q.24.a. 4.Et Rom. 6.lect.4.

AD quartum sic proceditur. Videtur quòd Voluntati possit violẽtia inferri. Vnumquodque enim potest cogi à potentiori: sed aliquid est humanæ Voluntati potentius, scilicet Deus, ergo saltem ab eo cogi potest.

Secundò prætereà. Omne passiuũ cogitur à suo actiuo, quando immutatur ab eo: sed Voluntas est vis passiua: est enim mouens motum, vt dicitur in 3. de Anima: cum ergo aliquando moueatur à suo actiuo, Tex.34. tomo 2. *videtur quòd aliquando cogatur.*

Tertiò prætereà. Motus violentus est, qui est contra naturam: sed motus Voluntatis aliquando est contra naturam, vt patet de motu Voluntatis ad peccandum qui est cõtra naturam, vt Damas. libr. 4. Orth. Lib.4 Ort. fidei c.21. *Fidei, cap. 21. dicit: ergo motus Volũtatis potest esse coactus.*

Sed contra est, quod Augus. dicit de ciu.c. 9.tom.5. *in 5. de Ciuitate Dei, quod si aliquid fit Voluntariè, non fit ex necessitate: omne autem coactum fit ex necessitate: ergo quod fit ex Voluntate, nõ potest esse coactum: ergo Voluntas non potest cogi ad agendum.*

Respondeo dicendum, quòd duplex est actus Voluntatis. Vnus quidẽ est qui est eius immediatè, velut ab ipsa elicitus, scilicet velle. Alius qui est actus Voluntatis à Voluntate imperatus & mediante alia potẽtia exercitus, vt ambulare, & loqui, qui à Voluntate imperantur mediante potentia motiua. Quantùm igitur ad actus à Voluntate imperatos, Voluntas violentiam pati potest, in quantum per violentiam exteriora membra impediri possunt, ne imperium Voluntatis exequantur: sed quantum ad ipsum proprium actum Voluntatis, non potest ei violẽtia inferri. Et huius est ratio, quia actus Volũtatis nihil est aliud, quã inclinatio quædã procedens ab interiori principio cognoscẽte: sicut appetitus naturalis est quædã inclinatio ab interiori principio, & sine cognitione: quod autem est coactũ vel violẽtũ, est ab exteriori principio; vndecõtrariationẽ ipsius actus Volũtatis est, quòd sit coactus, vel violẽtus: sicut etiã est contra rationẽ naturalis inclinationis, vel motus lapidis, quòd feratur sursum; (potest enim lapis per violentiam ferri sursum) sed quòd iste motus violẽtus sit, ex eius naturali inclinatione esse non potest. Similiter etiam potest homo per violentiã trahi: sed quòd hoc sit ex eius Volũtate, repugnat rationi violentiæ.

Ad primum ergo dicendũ, quod Deus, qui est potentior, quã Volũtas humana, potest Voluntatem moue-

re secundùm illud prouerbium Prouerbiorum 21. Cor Regis in manu Dei est, & quocunque voluerit vertet illud. Sed si hoc esset per violentiam, iam non esset cum actu Voluntatis, nec ipsa Voluntas moueretur, sed aliquid contra Voluntatem.

Ad secundum dicendum, quòd non semper est motus violentus, quando passiuum immutatur à suo actiuo, sed quando hoc fit contra interiorem inclinationem passiui: alioquin omnes alterationes, & generationes simplicium corporum essent innaturales, & violentæ: sunt autem naturales propter naturalem aptitudinem interiorem materiæ, vel subiecti ad talem dispositionem. Et similiter quando Voluntas mouetur ab appetibili secundùm propriam inclinationem, non est motus violentus, sed voluntarius.

Ad tertium dicendum, quòd id in quod Voluntas tendit peccando, etsi sit malum, & contra rationalem naturam secundùm rei veritatem, apprehenditur tamen vt bonũ, & conueniens homini secundùm aliquam delectationem sensus, vel secundùm aliquem habitum corruptum.

1. Conc. Prima conclusio. Voluntas quantum ad actus ab ipsa imperatos potest pati violentiam.

2. Conc. Secunda conclusio. Non potest inferri violentia Voluntati, quantum ad actus elicitos immediatè ab ipsa.

Not. 1. Postquàm Diuus Thomas in tribus articulis præcedentibus egit de his quæ ad rationem voluntarij requiruntur, modò ex isto articulo quartovsque ad octauũ incipit agere de inuoluntario, & de causis eius: & quia præcipua causa inuoluntarij est violentia, ideò in præsenti articulo ab illa incipit: de qua materia latè agunt Doctores in secundo, distinctione 25. & D. Thomas ibi quæstione prima, articulo secundo, estque materia hæc maximè necessaria, cùm conducat ad excusationem peccatorum, siue in totum, siue in partem: Item etiam ad irritationem contractuum, siue matrimonij, siue professionis. Sed antequàm explicationem articuli aggrediamur, necessarium est explicare, qualiter non sint idem hæc verba, Necessitari, Impediri, Violentari, & Cogi. Necessitari enim in sua ratione formali, solùm dicit determinari ad vnum, sine potentia & facultate ad oppositum; siue illa determinatio proueniat ex inclinatione naturali intrinseca, siue ab extrinseco contra illam: vnde vt patet ex Diuo Thoma pluribus in locis, præcipue quæstione 22. de veritate, articulo quinto, quod desumpsit ex Diuo Augustino libro 3. de Ciuitate Dei, necessarium est duplex: alterum necessarium naturalis inclinationis: alterum verò necessarium coactionis; vt verbi gratia, Deus amans se ipsum, & beatus amans Deum, necessariò amat; & lapis descendens ad centrum, necessario descendit; vtique omnes isti necessariò necessitate naturalis inclinationis; lapis autem sursum proiectus necessariò ascendit, vtique necessitate coactionis: quapropter necessarium est quid superius ad necessarium ex inclinatione & necessarium ex coactione: vnde sequitur, quòd si est ex inclinatione naturali vel ex coactione, est necessarium; non tamen è contra. Verum est tamen, quòd aliquando Doctores confundunt necessarium cũ coacto; in quo sensu explicandi sunt, quando dicunt, non posse aliquid esse necessarium & voluntarium; sumunt enim necessarium pro coacto; nam aliàs, vt suprà diximus, multi actus Voluntatis sunt necessarij & non liberi. In hoc sensu explicat D. Thom. quæstio. 22. de veritate, artic. 5. in argumento Sed contra, & solutione ad primum, & ad quartum, Diuum Augustinum & Bernardum docentes, quòd si aliquid est voluntarium, non est necessarium, ideſt, non est coactum; & sic etiam intelligendus est D. Augustinus citatus hic in argumento Sed contra. Verbum autem Impediri, vt ipsum sonat, significat detineri ab exercitio actionis vel opera-

D. Thom.

D. Aug.

operationis; siue naturalis, siue violenta, siue animata, siue inanimata sit talis operatio: vnde quando supponitur columna, ne lapis descendat, impeditur. Similiter si proijciatur sursum per violentiam, si aliquid anteponatur impediens ascensum, lapis dicitur impediri. Similiter, si animal detineatur ne ambulet, impediri dicitur. Ex quo sequitur, quod necessitari vel cogi, latius patet, quàm impediri; quia necessitas vel coactio potest esse in operando, vel non operando, impediri autem solùm est in non operando. In his omnes conueniunt, non autem in alijs duobus, nempe in differentia inter Cogi & Violentari; licèt omnes asserant, vtrumque importare repugnantiam respectu alicuius
15. inclinationis: differunt tamen, quòd aliqui, vt Angelus capit. 3. suorum Moralium, in expositione textus 9. notabili 3. & 5. dicunt, illa duo inter se differre in hoc, quòd cogi, importat repugnantiam respectu actus illiciti; vnde tantùm dicitur de rebus animatis; violentari verò tantùm dicitur respectu naturalis inclinationis & ponderis: vnde solùm reperitur in animatis: qua propter lapis detentus ne descendat, violentatur, sed non cogitur: animal autem detentum ne ambulet quando volebat, cogitur, sed non violentatur. Alij per oppositum asserunt, quòd ista duo nomina confunduntur, & pro eodem omnino sumuntur respectu cuiuscunque, vnde quidquid violentatur, cogitur, & è contra. Alij verò postremò, vt
Durand. Durandus in secundo, distinctione 26. quæstione quarta, numero quarto, dicunt, quòd Violentari, habet se vt quid superius ad Cogi; vnde Violentari dicitur, siue de viuentibus, siue de non viuentibus; Cogi autem, solùm de viuentibus: vnde valet, quod si cogitur, violentatur; sed non è contra. Et hæc est
Not. 2. vera sententia, consona Diuo Thomæ hic, supponenti, violentum viuentibus posse conuenire, cùm interroget, vtrùm voluntati Violentia possit inferri.

Secundò notandum, quòd cùm Aristoteles, secundùm translationem Lambini 3. Ethicorum, capitulo primo, definierit violentum, dicens: Violentum igitur id esse videtur, cuius principium extra est, cùm id cui vis affertur, nihil operæ conferat: & sic etiam primo de cœlo, capitulo secundo, & secundo Ethicorum, & communiter Philosophi super primum Physicorum, rectè Theologi colligunt claram definitionem violenti, quòd sit ab extrinseco passo non conferente vim: quam definitionem etiam admittit Nyssenus libro quinto suæ Philo- *Nyssenus.*
sophiæ, capitulo primo, & Damascenus *Damasce.*
libro secundo de Fide, capitulo 24. vbi, *Scotus.*
vt optimè dicit Scotus in quarto, distinctione 29. quæstione prima, illa particula Passo non conferente vim, non est accipienda negatiuè, sed positiuè, vt idem valeat, quod passo resistente, vel contrà nitente; nam alias esset violentia in receptione habituum infusorum supernaturalium, cùm anima ad talem receptionem non conferat vim; quod vtique est falsum; quia licèt talis receptio non sit naturalis, non tamen est violenta, quia non contranititur anima, sed omnino obedit; vnde talis receptio, media est inter naturalem & violentam, & dicitur supernaturalis; immò & intra limites naturæ, docuit Aristoteles primo de cœlo, *Aristo.*
quòd sunt aliqui motus, qui nec sunt contra naturam, quia subiectum non resistit; nec secundùm naturam, quia subiectum non confert vim per inclinationem; sed vocantur præternaturales, vt motus circularis ignis in sua sphœra. Similiter fluxus & refluxus Maris præternaturalis est, quia nec subiectum resistit, nec ad talem motum inclinationem habet secundùm propriam & naturalem naturam. Aliqui etiam ponunt exemplum in illuminatione aëris; sed hanc existimo esse naturalem; quia cùm illuminatio sit maxima perfectio naturalis aëris, confert vim, & ad illam inclinatur, sicut & quælibet alia res ad propriam perfectionem. Eo vel maximè, quòd lux educitur de potentia naturali aëris, vnde illuminatio naturalis debet esse sicut & quælibet eductio formæ de potentia naturali materiæ. Quod autem haberet iuxta dicta maximam difficultatem, esset, examinare, Vtrùm motus primò primus sit dicendus violentus, vel naturalis. Dico de motu primoprimo, nam si *Dubita. De motu primoprimo.*
est motus subsequens rationem & libertatem, naturalis est, cùm subiectum conferat vim & inclinationem, vt talis motus dicatur volũtarius; & idem dicendum est si incipiant simul motus appetitus & consensus Voluntatis in illum: si autẽ motus appetitus incipit ante rationẽ, in pro-

sequutione autem motus consentit Volũtas, à consensu iam incipit esse voluntarius, & naturalis ille motus, & nullo modo violentus. Solum ergo restat difficultas de motu appetitus sensitiui omnino præueniente aduertentiam Rationis; iste enim vocatur primoprimus. Ad quod breuiter dicimus, quòd ille motus potest dupliciter comparari ad hominem. Primo in ratione animalis: secundò in ratione hominis vt homo est. Primo modo ille motus est naturalis, & voluntarius & non violentus, quia procedit à principio intrinseco, nempe ab appetitu cum cognitione. Secundo autem modo, vt docet D. Thomas infrà quæstion. 77. articul. 6. & 7. ille motus non est voluntarius, sed violentus; quia homo vt homo, hoc est, per Intellectum & Voluntatem, nullam vim confert tali motui; immo potius repugnat & contranititur per inclinationem contrariam; nam si homo est in gratia, per Charitatem tendit ad oppositum finem illius motus; & etiam si in gratia non sit, sed in peccato habituali, per inclinationem quam habet Voluntas ad bonum secundum Rationem (quam peccatum habituale non corrũpit) virtualiter contranititur tali motui; quod videtur insinuare Paulus, cùm dicit: Caro concupiscit aduersus spiritum, vt non quæcunque vultis, illa faciatis. Neque est mirum, quod idem respectu eiusdem subiecti sit naturale & violentum; dummodo sit secundum diuersam rationem, & alterum simpliciter, & alterum secundum quid, vt calefactio aquæ est naturalis simpliciter ratione materiæ, & violenta secundum quid ratione formæ requirentis frigiditatem, vt propriam dispositionem. Similiter quando homo voluntariè ascendit; ille motus est violentus secundum quid comparatus ad naturam corporis; naturalis autem simpliciter, comparatus ad Voluntatem. Similiter in motu progressiuo animalis, eleuatio pedis secundum quid est violentia respectu grauitatis pedis, simpliciter autem naturalis, respectu naturæ animalis. Et si interroges absolutè & sine distinctione, quid erit dicendum, quòd ille motus est violentus, vel naturalis; quia, vt diximus, secundum vnam rationem est naturalis, & secundum alteram violentus: Respondetur, quòd absolutè & simpliciter dicendus est ille motus violentus & nõ naturalis, nisi secundum quid; nam Diuus Thom. loco citato absolutè vocat talem motum inuoluntarium. Et ratio est manifesta, nam quod conuenit alicui secũdùm formam specificam & propriam, absolutè conuenit: quod autem secundùm rationem genericam, tantùm conuenit secundùm quid. Cum ergo ratione formæ specificæ, & vt homo est, ille motus sit violentus; ratione autem generica, & vt animal est, sit naturalis, absolutè dicendus est violentus, & non naturalis. Vel alia ratione ille motus absolutè dicitur violẽtus, quia, vt dicit Arist. 3. de anima, textu 64. actiones & passiones principaliùs sunt suppositorum, quàm partium: cùm ergo Voluntas sit appetitus totius hominis, sensus autem sit appetitus particularis, potiùs sequitur in tali motu de nominatio per ordinem ad Voluntatem: vnde cùm in ordine ad illam sit violentus, absolutè dicendus est talis. Et si contra facias argumentum, nam quando aqua calefit, ille motus simpliciter est naturalis, vt concedit hic D. Thom. ad secundum; tamen est iuxta inclinationem materiæ, quæ minus principalis pars est, & contra inclinationem formæ, quæ pars est principalior: ergo licèt motus appetitus sensitiui sit contra principalem rationem hominis; si tamen est iuxta inclinationem alterius partis, licet minùs principalis, talis motus erit naturalis: Respondetur, esse discrimen, quòd appetitus sensitiuus in homine omnino debet esse subditus Rationi, & omnino & adæquatè ordinatur ad illam; materia autem prima non omnino subditus formæ aquæ, neque adæquatè ordinatur ad illam, sed etiam naturaliter rescipit alias formas; vnde quod conuenit materiæ iuxta naturam alterius formæ, licèt contra inclinationem istius, absolutè conuenit naturaliter: quod autem conuenit appetitui hominis contra inclinationem Rationis, ipsa non consentiente, absolutè conuenit violenter: sicut quod conueniret materiæ cœli, contra inclinationem formæ quam habet, simpliciter diceretur violentũ, quia materia cœli non habet respectũ ad aliam formam, nisi ad istam quam habet. Ex quo sequitur, quòd motus vegetabilis, etiam si non consentiat Ratio, immò etiamsi contrarietur, absolutè & simpliciter debet dici naturalis; vt etiam si quis nolit augeri vel nutriri, augmentatio & nutritio sunt motus simpliciter naturales, & tamen secundùm quid possunt dici violenti, quia motus nutritionis vel augmentationis nõ subditur nec subordinatur ex natura sua Rationi

Responsio. *D. Thom.* *Arist.* *Obiectio.* *Solutio.* *Obiectio.* *Solutio.*

2. Solutio. tioni & Voluntati. Vel aliter reſpondetur, quòd cùm calefactio aquæ ſit quædam paſsio, principalius reſpicit materiã, quàm formam; cùm materia ſit primum principium patiendi. Licèt enim in eſſendo materia ſit pars minùs principalis, eſt tamen principalior in patiendo; immò prima in hoc genere; quod & ad imperfectionem eius pertinet: motus autem appetitus magis eſt de genere actionis; vnde abſoluta eius conſideratio debet eſſe in ordine ad principium principale actiuum: hoc autẽ eſt Voluntas, tanquàm primum mouens inter omnes potentias; itaque eſſe motum naturalem vel violentum, abſolutè loquẽdo, debet deſumi in ordine ad partem principaliorem in illo genere: & cùm in genere paſsiuo materia ſit principalior paſsio, quæ naturalis eſt ratione materiæ, abſolutè eſt naturalis. Cùm vero in genere actiui Voluntas ſit principalior, quod eſt naturale ratione Voluntatis, abſolutè eſt naturale, & è contra, quod illi eſt violentum, abſolutè eſt violentum. Notandum tamen, hoc habere verum in genere phyſico, nam in genere morali non ſeruatur hæc diſtinctio; ſiue enim ſit paſsio, ſiue actio, contra renitente Voluntate, abſolutè dicitur violenta, vt ſi quis compedibus detineatur vel flagellis cędatur, vt huiuſmodi dicantur violenta, non ad Voluntatem tantùm conſentientem vel renitentem debet attendi, immò & poteſt contingere, quòd in genere phyſico aliquid eſſet naturale, & ratione materiæ, & ratione formæ ſimul: ſi tamen renuat Voluntas, violentum debet dici abſolutè; quia, vt infrà dicemus, ſi renitente Voluntate aperiantur oculi vt videant pulchrum, quod aliàs eſſet maximè iuxta naturam oculorum, talis viſio erit violenta: & è contra, ſi conſentiente Voluntate abſcindatur brachium, vel eruantur oculi, vel aliud fiat contra inclinationem materiæ & formæ, non dicendum eſt violentum abſolutè, ſed ſimpliciter naturale.

Corol. cõt. Vazquez. Ex dictis ſequitur, quàm falſum ſit quod aſſerit Vazquez diſputa. 25. capit. 3. quòd illud eſt violentum tantùm, quod eſt contra principium actiuum; quia ſi paſſum debet contraniti, contranitentia tantùm eſt per principiũ actiuũ, & non per paſsiuũ; quod & inſinuauit Ariſtot. 2. Ethicor. ad Eudemum, in illis verbis: Præter intrinſecum aut naturalem impetum. Sed certè hæc ſententia falſa eſt, & noua, contra communem ſenſum omnium Philoſophorũ; nam ita propriè eſt inclinatio ratione materiæ, ſicut ratione formæ; vnde ſicut quod contrariatur inclinationi formæ, eſt violẽtum, ita & quod contrariatur inclinationi materiæ: qua propter à Philoſophis non ſolùm appellatur natura forma, ſed etiam materia; vnde erit contra naturam, quod eſt contra inclinationem materiæ, ſicut & quod eſt contra inclinationem formæ. & conſequenter violentum. Nec valet ſolutio Vazquez, quòd materia eſt natura ſolùm metaphoricè ſecundùm Ariſt. 5. Metaph. c. 4. nam in iſta ſolutione ſupponit falſum, & illud imponit Ariſtoteli: Falſum quidem, nam natura eſt principiũ motus & quietis ſecundùm Ariſt. 2. Phyſic. capit. 2. text. 3. vt inſinuet, non ſolùm conuenire eſſe naturam cauſæ efficienti, vel formali, ſed etiàm materiali, cui propriè conuenit eſſe principium, immò & cauſam; quia cauſa ad quadruplex genus ſe extendit, & vnum illorum eſt materia: fundamentumque Vazquez ex Ariſt. eſt nullum, qui nunquam dixit, materiam eſſe metaphoricè naturam, ſed eſſe metaphoricè ſubſtantiam, vt inſinuaret dependentiã eius à forma in eſſendo, eſſe tamen principium naturale, propriè habet; vnde quod ei contrariatur, ſimpliciter eſt contra naturam & violentum: & nobiſcum ſentit contra Vazquez Salas hic tractatu 3. diſputat. 2. ſect. 1.

DVBIVM I.

Vtrùm Voluntas poſsit cogi quoad actus elicitos ab illa.

1. Arg. PROBATVR Quòd ſic. Primò, Deus poteſt neceſsitare Voluntatem ad actum: ergo & cogere. Patet conſequentia, quia non videtur maior ratio de neceſsitate, quàm de coactione. Item quia & neceſsitas, quædam coactio eſt, & videtur auferre voluntarium, vt inquit Auguſ. 5. de Ciuit. citatus hic in argumento Sed contra. Antecedens autem probatur in prima volitione; quæ quidem eſt ab Authore naturæ; & ita probat D. Thom. prim. part. quæſt. 82. artic. 1. quem ſequitur Caie. ibi, & Marſil. in 2. diſt. quæſt. 17. artic. 5. quia facillimè poteſt Deus mutare Voluntatẽ, iuxta illud Prou. 21. Cor Regis in manu Domini; quocunq; voluerit, vertet illud.

Auguſt. Caiet. Marſil.

Secundò argumẽtor. Tunc aliquid violentatur vel cogitur, quando vel impeditur ab aliquo actu ad quem suapte natura & ab intrinseco habet inclinationem; sicut lapis violenter detinetur sursum impeditus ne descendat deorsum, ad quod suo põdere propendebat: vel etiam violentatur, quando ab extrinseco fit vt maiori pondere tendat, quàm tenderet secundum propriam inclinationem; vt si lapis iaciatur impetu deorsum: sed Deus potest impedire Voluntatem ab actu ad quem suapte natura inclinetur, & similiter impellere Volũtatem maiori vi quàm ex natura sua ferretur: ergo potest violentare illam. Prima pars minoris probatur, nam Deus potest impedire Voluntatem ne feratur in beatitudinem in cõmuni, non concurrendo cũ illa, quamuis ad hoc Voluntas sua natura feratur. Secunda pars minoris probatur, nam si Deus necessitet Voluntatem ad aliquod bonum particulare, ad quod liberè ex natura sua ferretur, tunc maiori impetu tendit, quàm tẽderet ex natura sua; quia maior impetus est necessarius, quàm liber.

3. *Arg.* Tertiò argumentor. Tunc homo cogitur, quando contra actualem inclinationẽ trahitur in opus contrarium: sed Voluntati intensissime odienti aliquam rem (verbi gratia, Paulum) potest Deus infundere amorem intensissimum eiusdẽ: ergo tunc homo cogitur, cùm habeat actum contrarium alteri quem habebat ex inclinatione Volũtatis. Minor probatur, nam quamuis naturaliter duo contraria non possint esse in eodem subiecto in gradu intenso; tamẽ supernaturali potentia possunt esse; ergo licèt odium & amor contraria sint, Dei potentia simul esse poterunt. Immò hanc quodammodò reputo magnam damnatorum ærumnam, quòd cum obstinati sint, amantes quæcumque in hac vita amarunt, & odientes quæ hic oderunt, ea quæ abominabantur in hac vita, sunt cibus eorũ, & quæ maximè amabant, conuicti coguntur odire, in magnam ipsorum calamitatẽ: & ita minatur Dominus per Prophetam,

Ierem. 2. *Abac.* 1. Ierem. 2. Arguet te malitia tua & auersio tua increpabit te. Et Abac. 1. de capite diaboli, & de membri eius dicitur: Horribilis & terribilis est, ex semetipso iudicium & onus eius egreditur. Vtique hoc dicit, quia de amore egreditur odium, & de odio amor. Secundò probatur eadem minor, quia non videtur impossibile, quòd stante actu odij, ponatur in Voluntate actus dilectionis procedens à solo Deo, non concurrente Voluntate efficienter ad talem actum.

4. *Argu.* Quartò argumentor. Non minus subditur diuinæ potentiæ Voluntas, quàm alia quæcunque creatura: sed de alijs creaturis potest facere vt operentur contra propriã inclinationem, & hoc vtique erit cogi, vt docet D. Th. hic: ergo.

5. *Argu.* Quinto argumentor. Potest Deus facere vt Voluntas operetur operationem ex qua sequatur tristitia: ergo potest violentari vel cogi. Patet consequentia, quia dolor est violentus appetitui sensitiuo, & tristitia Voluntati.

6. *Argu.* Sextò argumentor. Stante actu Voluntatis circa aliquod obiectum, potest insurgere vehemens passio in appetitu sensitiuo: ergo tunc etiam stãte actu priori, prorumpit in contrarium, quia impossibile est quin vim tangatur, & similiter quòd stante illa passione, Voluntas non tangatur: & tangi non intelligitur, nisi per hoc quòd in actum prorumpat: ergo tunc cogitur, siquidem est habere actum contrarium priori procedenti ex inclinatione Voluntatis.

7. *Arg.* Septimò argumentor. Stante volitione alicuius obiecti, si aliquis minetur mortem, ad oppositũ tendet Voluntas in illud ex metu: ergo tunc cogitur, siquidem vult ex metu contra volitionem ex propria inclinatione. Similiter si aliquis inebriet alterum, detinet voluntatem illius ab actu quẽ priùs habebat ex inclinatione, cum tollatur vsus liberi arbitrij: ergo cogitur, quia non minus est cogere, detinere ab actu ad quem est inclinatio, quàm impellere ad oppositum: sicut non minus est violentum; detinere lapidem à descensu, quàm impellere ad ascensum.

8. *Arg.* Octauo argumentor. Stante dilectione sui & proprij suppositi, quæ maximè est ex naturali inclinatione, potest Deus facere vt quis odio se ipsum habeat, quia facilitèr potest ad hoc mutare eius Voluntatẽ: ergo poterit cogi; cùm illud odium sit contra propriam inclinationem.

9. *Arg.* Nono argumentor. Supposita illa sententia, quod actus Voluntatis necessario debet continuari per aliquod tempus, & non solum potest esse per instans; sit illud tẽpus (verbi gratia) vna hora; tunc si actus continuandus per horam erat dilectio Pauli, in mediatione horæ potest scire quod Paulus occidit patrem illius, & parat insi-

dios

dias, & denique præsentari: Paulus vt obiectum odibile: ergo tunc odiet illum, quia sic fertur Voluntas in obiectum sicut ipsi repræsentatur: ergo tunc violentabitur Voluntas. Patet ista consequentia, nam tunc aduenit actus odij, quando non cessauerat actus dilectionis duraturus per horam: ergo talis actus odij est contra inclinationem actualem Voluntatis, quam habet per amorem in Paulum.

Angestus. Propter aliqua ex his argumentis Angestus in suis Moralibus, capit. 3. in expositione textus vltimi tenet, quòd licet Voluntas non possit violentari, quia, vt suprà retulimus, secundum ipsum violentia tantùm reperitur in non viuentibus; potest tamen cogi, habereque actum contra propriam inclinationem & actum elicitū.

Nota. Pro intelligentia tamen notandum, certum esse, quòd Voluntas potest ab extrinseco moueri, siue à Deo, siue à creatura: à Deo quidem directè, à creatura verò indirectè, vt infrà explicabimus. Similiter certum est, quòd Voluntas potest facilitari vel retardari in ordine ad operationem, siue per aliquid intrinsecè receptum in illa, vt per habitum inclinantem vt faciliùs operetur; siue per aliquid extrinsecum ad ipsam voluntatem, vt per terrorem vel præmium, vel approximationem vel remotionem obiecti, vel per doctrinam & persuasionem, vel per passionem appetitus sensitiui. Similiter certum debet esse, quòd Voluntas potest necessitari à Deo (nam à creatura necessitari non potest) & hoc quidem, siue ab intrinseco, vt suprà diximus Voluntatem beatorum necessitari in Patria; siue etiam ab extrinseco, vel per imperium diuinum; quia non minus subditur Deo Voluntas creata, quàm quæcunque alia res mundi: vnde sicut Deus potest necessitare per imperium quamcunque rem, ita similiter & Voluntatem, determinando ipsam ad aliā partem sine indifferentia & potentia ad oppositam; quod quidem aliter deberet esse, quàm facit per auxilium efficax, vt

Salas. putabat Salas hic tractatu 3. disp. 2. sect. 6. nam sic licèt determinet Voluntatem ad alteram partem efficaciter, nihilominus tamen suauiter, relinquendo in Voluntate indifferentiam & potentiam ad oppositum; in hoc enim infinita efficacia Dei cōsistit, vt causis secundis se attēperet, prout vult vt causæ secundę operentur; cum causis quidem liberis & contingentibus, vt liberè & contingēter operentur: cum causis verò necessarijs, vt operentur necessariò. Quòd ergo Deus necessitet causam secundam, non consistit in efficaci determinatione ad effectum vtcunque, sed vltra hoc auferendo indifferentiam ad oppositum; quod quidem Deus potest facere in Voluntate respectu cuiuscumque obiecti creati; licèt non ab intrinseco, quia in nullo obiecto creato reperitur tanta bonitas, vt possit rapere Voluntatem, tollendo indifferentiam ad oppositum; quod habet Deus clarè visus in Patria: ab extrinseco tamen potest tolli indifferentia, & poni omnimoda determinatio in Voluntate, tollendo Deus indifferentiam cognitionis ex parte Intellectus, ex qua omnis libertas & indifferentia Voluntatis deberet oriri: de quo videatur Diuus Thomas *D. Thom.* quæstion. 22. de veritate articul. 6. vbi latè docet circa quæ & qualiter Voluntas possit necessitari à Deo.

Conclu. Sit ergo conclusio. Per nullam potentiam fieri potest, quòd Voluntas cogatur, vel patiatur violentiam ad eliciendum aliquem actum: itaque implicatio est, esse actum elicitum Voluntatis, & esse violentum, vel coactum. Hæc conclusio est expressa D. Thomæ hic, & prima parte, quæstion. 82. artic. 1. & quæstion. 22. de veritate articul. 5. & 8. omniumque discipulorum illius. Et etiam D. Anselmi libr. de libero arbitrio, capit. 6. vbi ait: Inuitus nemo potest velle aliquid, quia nō potest velle nollens velle. In super etiā sequuntur D. Tho. omnes qui sunt extra stholam eius, in secundo sententiarum dist. 25. vbi Richard. circa quartum principale q. 7. Dur. ibidem quæst. 4. & in 4. distinct. 29. quæst. 1. etiam Scotus in 2. distinct. citata, in explicatione definitionis violenti. Gab. in 2. dist. 7. quæst. vnica art. 2. in probatione tertiæ conclusionis, & dist. 25. quæst. vnica artic. 3. dub. 1. conclusione 5. & Almain in suis moralibus, tractatu primo, c. 2. & Pal. etiā in 2. dist. 25. quæs. 1. art. 1. & Marsi. ibidem, & D. Bonau. eadē dist. 2. p. distinctionis, ar. 1. q. 4. & omnes moderni hic, Lorca, Vazq. Salas, & Valentia. Et probatur primò ratione Durandi. Actus elicitus à Voluntate, essentialiter est voluntarius, cùm voluntarium à voluntate sit: ergo non potest esse violentus. Patet cōsequentia, quia licèt quòd est tale per participationē, possit habere rationem oppositam, qua ratione actus aliarum potentiarum, qui per participa-

D. Anſel. *Ricard.* *Durand.* *Scotus.* *Gabr.* *Almain.* *Palud.* *Marſi.* *Bonar.* *Lorca.* *Vazquez.* *Salas.* *Valencia.*

ticipationem sunt voluntarij, possint esse violenti: tamen quod essentialiter est tale, nullo modo potest habere rationem oppositam sui; sicut licèt subiectum participans calorem, possit etiam habere frigiditatem; tamen impossibile est quòd ipse calor sit frigiditas: ergo nec quòd actus qui essentialiter est voluntarius, sit violentus. Secundò probatur etiam euidenter ratione D. Thomæ. Actus elicitus Voluntatis ex propria ratione formali & essentiali habet proprietatem contradictoriam ad violentum: ergo implicat quòd actus Voluntatis sit violentus. Consequentia patet; nam aliàs duò contradictoria formaliter verificarentur de eodem. Antecedens verò probatur, nam actus Voluntatis ex propria ratione formali & essentiali dicitur procedere à principio intrinseco Voluntatis: violentum autem dicitur non procedere à principio intrinseco, sed potiùs ab extrinseco: ergo dicunt rationem contradictoriè oppositam. Tertiò probatur. Sic se habet voluntarium respectu Voluntatis, sicut naturale ad naturam: ergo sicut est impossibile, aliquid esse naturale, & quòd non sit secundùm inclinationem naturalem, & consequenter est impossibile, esse naturale & violentum; ita similiter erit impossibile esse voluntarium, & non esse secundùm inclinationem Voluntatis, & consequenter erit impossibile, esse voluntarium & esse coactum: sed sic est, quòd omnis actus elicitus, est voluntarius, quia à Voluntate: ergo nullus elicitus, violentus esse potest. Quartò probatur. Violentum est illud quod est contra inclinationē eius quod dicitur violentiam pati: sed omnis actus Voluntatis elicitus, est secundum eius inclinationem: ergo nullus elicitus potest esse violētus. Minor probatur, quia Voluntas est inclinatio quædam in propriū actum, & est inclinatio totius: ergo omnis actus elicitus à Voluntate, est secūdùm eius inclinationem. Cōfirmatur, quia omnis actus Voluntatis, vel est prosequutiuus boni, aut fugitiuus mali; sed prosequi bonū, & fugere malum, est secundùm inclinationē Voluntatis: ergo omnis actus elicitus voluntatis, est secundùm inclinationem eius. Quintò probatur. Tunc Voluntas cogeretur, si eliceret actum nolens elicere: sed hoc est impossibile: ergo. Probatur minor, nā actus elicitus, est Voluntarius: ergo non elicit Volūtas illum nollendo, sed volendo elicere; hoc enim est esse voluntariū, quòd voluntariè eliciatur. Vltimò probatur. Tunc cogeretur Voluntas, si vellet malū sub ratione mali; cū eius inclinatio sit ad bonum sub ratione boni: sed hoc est impossibile: ergo. Probatur minor, quia impossibile est quòd aliqua potētia eliciat actū sub ratione formali oppositā sui obiecti; immò nec sub ratione formali disparatè diuersa: sicut Visus nōpotest elicere actum in obiectum sub ratione dulcis: ergo nec Voluntas potest elicere actū sub ratione mali; quę ratio est oppositа ad rationem formalem sui obiecti, scilicet ad rationem boni.

Ex dictis sequitur. Primò, non esse optimam rationem quare Voluntas cogi nō possit, quam assignauit Marsil. in 2. q. 16. vbi ait, eam esse, quia Voluntas non potest priuari libertate, cùm sit essentialiter potētia libera: ad hoc autem vt cogeretur, deberet libertate priuari. Hæc (inquam) ratio nihil valet; lapis enim violētatur cū proijcitur sursum, & tamen non priuatur propria grauitate: immò si illa priuaretur, non esset violentus ascensus, cùm lapis non reniteretur grauitate sublata. *Corol. 1.* *Marsil.*

Secundò sequitur, quòd non solùm aliqua creatura nō potest cogere directè Voluntatē ad eliciendū actum, sed neq; indirectè; quia nec etiam indirectè potest facere quod non operetur iuxta propriam inclinationem sub ratione formali sui obiecti. *Corol. 2.*

Et si contra arguas, quòd tempestas Maris est in causa, vt quis velit proijcere merces in Mare, cùm nollit illas proijcere: ergo cogit indirectè Voluntatem, faciēdo vt operetur contra illud quòd vellet: Respondetur, aliud esse quòd actus aliqualiter sit inuoluntarius, licèt absolutè voluntarius sit; aliud verò esse, quòd actus aliqualiter sit coactus. Ad primum sufficit nolleitas, & volitio opposita imperfecta & conditionalis quam habet ille; nollet enim proijcere, si tempestas non esset. Ad secundum autem requiritur, actum esse contra inclinationē Voluntatis, ipsa renitente. Actus ergo ille, quo vult proijcere merces, secūdùm quid est inuoluntarius, nullo autem modo coactus; quia nullo modo contra nititur, sed potiùs supposita tempestate, inclinatur vt id faciat, ad conseruationem propriæ vitę. *Obiectio.* *Solutio.*

Tertiò sequitur, quòd licèt nihil possit cogere Voluntatē, bene tamen aliquid potest ipsam mouere; directè quidē Deus, vt docet D. Tho. infrà q. 9. & 1. p. q. 105. ar. 4. & q. 106. ar. 2. vbi docet, quòd Deus potest mouere *Corol. 3.* *D. Thom.*

mouere Voluntatem vt principium interius inclinans, quia ipse est causa effectiua potentiæ Voluntatis: licèt autem non directè, indirectè tamen potest aliqua creatura Voluntatem mouere ex parte obiecti, & quoad specificationem, quia homo vel Angelus potest Volũtati proponere obiectum, ostendendo rationibus & persuasionibus illud esse bonum & conueniens, & sic allicere Voluntatẽ. Dixi, quoad specificationem posse mouere, quia quoad exercitium, & quòd cum effectu operetur, nulla creatura potest mouere, sed solus Deus potest mouere quoad exercitium. Sed nec etiam ex parte obiecti omnino perfectè creatura Volũtatem potest mouere, quia Voluntas non mouetur sufficienter ex parte obiecti particularis, sed tantum ex parte obiecti vniuersalis, quod est bonum in communi, & proprium obiectum adæquatum: omnis autem creatura mouens & alliciens Voluntatem, tantum est in ordine ad hoc vel illud bonum in particulari; ad bonum autem in communi, solum habet mouere illam Deus, cui bonum vniuersale proportionatur, vt docet D. Thom. prima parte, vbi suprà: perfectè ergo & cum effectu solus Deus habet mouere Voluntatem ex parte obiecti, cùm a bono vniuersali declinare non possit; non autem sic creatura, quia respectu cuiuscũque boni particularis, ad quod creatura mouet, semper Voluntas manet indifferens, licèt aliqualiter, allecta persuasione vel ratione illa proposita.

Quartò sequitur, etiam esse falsum quod asserit Vazquez disputatione 26. capitulo 2. & 5. quod licèt non possit dari actus elicitus Voluntatis coactus & contra inclinationẽ eius actualem, qua ratione putat loqui D. Thom. tamen bene potest esse actus elicitus violentus contra inclinationem Voluntatis in actu primo, quatenus potest elicere actum contra præcedentem præparationem vel determinationem: Hoc enim stare non potest cum veritate, quia ante actum secundum, quomodocumque intelligatur, Voluntas præparata & in actu primo semper intelligitur indifferens, vnde nunquam actus subsequens erit contra determinatam inclinationem Voluntatis, vt possit dici talis actus violentus Voluntati. Nec valet, dicere pro Vazquez, posse antecedere habitum, ratione cuius inclinatur ad oppositum; Quia habitus non determinat Voluntatem, licèt facilitet, & semper etiam cum habitu manet Voluntas indeterminata & indifferens: habitibus enim vtimur cum volumus. Nec etiam potest dici, ante omnem actum Voluntatis Deum cognoscere in quam partem inclinabitur Voluntas ex se posita in tali occasione: vnde si ponatur ne faciat oppositum, erit violentum, contra illud quod Deus cognoscebat fore facturam Voluntatem; Quia hoc est recurrere ad scientiam mediam, quam in suo loco impugnabimus, & modo de hoc neque vllum verbum.

Ad primum argumentum à principio respondetur negando consequentiam, & disparitas est assignata, quod necessitas non opponitur inclinationi Voluntatis, quia ex inclinatione potest necessariò operari; coactio verò cùm sit ab extrinseco, opponitur inclinationi quæ est ab intrinseco: compatitur ergo cum propria inclinatione necessitas, non verò coactio. Ad probationem verò ibi positam, patet ex supra dictis qualiter aliquando confundatur necessarium cum violento; & in hac acceptione sicut non potest esse violentia in Voluntate, ita nec necessitas; bene autem necessitas in propria & particulari acceptione. *Ad 1. arg.*

Ad secundum argumentum respondetur, quòd loquendo de detentione Voluntatis, dubio sequenti explicabitur, vtrùm talis detentio sit coactio, vel non: loquendo autem de necessitate, dicitur, illam non facere coactionem, estque disparitas inter Voluntatem necessariò operantem, & lapidem proiectum deorsum, quòd talis descensus lapidis est vltra inclinationem grauitatis illius, mouentis velocitate vt quatuor, verbigratia: vnde excessus velocitatis vt sex, est ab extrinseco; vnde probabiliter potest dici, illum excessum velocitatis esse violentũ, licèt verius dicatur, esse præternaturalẽ; quia licèt grauitas non iuuet ad illũ excessum, non tamen contranititur; quod requiritur ad violentũ: necessitas autẽ Voluntatis nõ facit operationem violẽtã, vel præternaturalẽ; quia nihil est in tali operatione cõtra vel præter inclinationem eius: quicunque enim gradus maioris intensionis talis actus, est voluntarius, siquidẽ est à Voluntate, & cõsequenter ex inclinatione eius; quia talis necessitas in operãdo (quod aliàs libere deberet facere) vel fit per determinationẽ iudicij, vel per qualitatẽ determinantem ipsam Voluntatẽ ad alteram *Ad 2. arg.*

teram partem: quocunq; autem modo fiat, naturale est Volũtati ad istam partem determinatè tendere: itaque sicut est inclinatio Voluntatis non determinatæ qualitate, vel sequentis iudicium indifferens, operari liberè; ita est inclinatio Voluntatis determinatæ, vel sequentis iudicium determinatum, operari necessariò.

Ad 3. ar. Ad tertium argumentum, negatur minor. Ad probationem, aliqui tenent, huiusmodi actus non esse contrarios, quia contraria debent esse circa idem, & sub eadem ratione: odium autem & amor licèt essent circa idem, non tamen sub eadem ratione; quia odium tendit sub ratione mali, amor autem sub ratione boni: hoc autem falsum est, nam vt duo actus sint contrarij, non debent tendere sub eadem ratione formali sub qua, sed in eandem rationem formalem quæ: itaque non sufficit quòd ratio quæ, materialis, sit eadem, quia diligere Petrum in quantum est musicus, & odio habere illum in quantum est peccator, non sunt contraria; quia tantùm sunt circa eandem rationem quæ, materialẽ; debet enim esse eadem ratio formalis quæ: hac autem posita, non requiritur quòd ratio formalis sub qua tendendi sit eadem, immò requiritur quòd sit opposita; nam si esset eadem, actus esset eiusdem speciei, odij vel amoris; vt ergo diuersitas specifica requisita in contrarijs reperiatur, ratio sub qua, tendẽdi diuersa debet esse; sicut (verbi gratia) vt albedo & nigredo contraria sint, subiectũ debet esse idem: constitutiuum autem specificum albedinis & nigredinis debet esse diuersum: sic in actibus ratio obiectiua vna debet esse formaliter, modus verò tendendi quo actus constituitur in sua specie, debet esse diuersus & oppositus; & iste est modus loquẽdi Theologorum, & sic asserit D. Thom. quòd amor, & odium respectu eiusdem sunt contraria, vt videre est infrà quæst. 29. art. 1. & 2 2. quæst. 34. ar. 2. Supposito ergo quòd huiusmodi actus sunt contrarij, restat soluendum argumẽtum. Vnde dicendum, quòd cùm contraria simul esse non possint, etiam per diuinã potentiam (quanuis oppositum asserat Marsil. in secundo, q. 16. & Soto in Physicis) si huiusmodi actus sunt cõtrarij, simul esse non possunt, etiã per diuinam potentiã; vnde non admittitur casus argumenti.

D. Thom. *Marsil.* *Soto.* *2. Solut.* Vel secundò respondetur, quòd etiamsi in cõtrarijs permanentibus sit probabile, posse esse simul per diuinã potentiã; quia posset probabiliter dici, quòd albedo & nigrẽdo, in quantũ contraria, essentialiter tantũ dicunt rationẽ positiuam, negationẽ autẽ ad inuicem tantùm dicunt naturaliter, nõ autẽ essentialiter; vnde talis negatio nigredinis à positiuo albedinis posset separari, & sic cum albedine simul esse nigredo: hoc tamen non potest probabiliter dici de cõtrarijs successiuis, vt de accessu & recessu, intensione & remissione, quia negatio ad inuicem non solùm est naturalis, sed etiam essentialis huiusmodi motibus; vnde impossibile est, etiam per diuinã potentiam, quòd quis simul accedat & recedat ab eodẽ termino, quòd augeatur & minuatur in eadem quantitate, vel intendatur & remittatur in eadẽ qualitate; quia hoc nõ solùm esset facere contraria simul, sed etia cõtradictoria, quæ per affirmationẽ & negationẽ inhuiusmodi contrarijs essentialiter includuntur. Cùm ergo odiũ & amor circà idẽ, habeant rationem accessus & recessus, quia amor est prosequutiuus, odium verò per modũ fugæ; amor per modũ affirmationis, odiũ per modũ negationis; impossibile est, per quãcũque potentiã esse simul: nã si huiusmodi contrarij actus Voluntatis, vterq; absolutus & perfectus, simul esse possent, (nã si vnus est perfectus & absolutus, alter verò imperfectus & conditionatus, simul esse possunt, vt dictum est) sequeretur etiã, quòd duo motus locales contrarij esse possent simul in eodem; nam cùm motus localis (v. g. ambulationis) sequatur vt effectus infallibilis (si ab extrinseco nõ sit impedimentũ) ad motũ Voluntatis efficaciter volentis, si simul Voluntas efficaciter vellet ambulare & non ambulare, simul etiã posset ambulare & nõ ambulare; quod implicationẽ contradictoriã inuoluit. Sed dato, per possibile vel impossibile, huiusmodi actus contrarios, esse simul per diuinã potentiã in Voluntate, quid dicendum esset? quòd Voluntas cogeretur per actũ cõpositũ superuenientem, vel non? Greg. & Almain, qui prædictũ casum admittũt, dicunt, quòd tunc Voluntas cogeretur, & nõ cogeretur; quia vterq; actus tunc esset naturalis & violentus; naturalis quidẽ, quia vterq; est secundũ inclinationem Volũtatis, cũ sit actus elicitus ab ea, & modus intrinsecus eliciendi Voluntatis sit per inclinationẽ, sicut & ipsa Voluntas inclinatio est; vterq, etiã esset violentus, quia alter alteri esset contrarius, & per alterũ alteri Volũtas repugnaret & cõtraniteretur. Sed iste modus

modus dicendi improbabilis est, nam cùm naturale & violentum ex æquo distinguãtur & opponantur, de eodem simul verificari non possunt. Secundus modus dicẽ

2. *Modus dic. Caiet.* di est Caiet. quod cùm tunc secũdus actus, licèt ex natura sua oppositus præexistenti, infunderetur à Deo, non esset violentus Voluntati, quæ secundùm potentiã obedientialem subditur Deo, & non contranititur, vt de illa faciat Deus quod voluerit. Sed etiam iste modus dicendi non placet, præter causam enim remotam, videlicet potentiæ obedientialis, assignanda est causa proxima, quare cum oppositione actuum non sit coactio Voluntatis, sed etiam per inclinationem prorumpat in secundum superuenientem. Tertius modus

3. *Mod.* est aliorum, quòd si ille actus secundus superueniens comparetur ad Voluntatem vt natura est, non esset ei violentus, sed naturalis; quia Voluntas vt natura est, nec inclinatur ad vtrumque actum; si autem comparetur ad Voluntatem vt liberam, est ei violentus, quia vt libera, erat per priorem actum inclinata ad oppositum: cùm ergo secundus actus sit contra inclinationem quam Voluntas habebat per priorem actum, & contra imperium eliciendi priorem actum, vere secundus actus est violẽtus: non enim alia ratione est violenta visio, cùm ab aliquo aperiuntur oculi, imperante Voluntate contrariũ. Sed etiam iste modus dicendi non placet, quia sicut Voluntas vt natura, æqualem inclinationem habet ad vtrumq; actum, ita similiter vt libera, cùm liberum dicat indifferentiam ad vtrũq;. Vltimus modus, verus & tenẽdus,

4. *Mod. verus.* est, quòd etiã in illo casu Voluntas nõ cogeretur per secundũ actũ, sed vterq; esset secundũ inclinationem actualem illius, sicut si (v.g.) lapidi simul tribueretur grauitas, & leuitas, per possibile vel impossibile, simul esset ei naturalis ascensus & descẽsus: itaq; licèt ascensus & descensus interse habeant oppositionẽ, lapidi autẽ in illo casu non opponerentur, quia ad vtrumq; haberet inclinationẽ; ita similiter in præsenti, licèt secũdus actus opponatur priori, neutertamen opponeretur Voluntati, sed vterq; esset secundùm inclinationẽ illius; cùm Voluntas ex se, etiã vt libera, sit inclinatio indifferenter ad opposita. Et si arguas, quòd licèt secundus actus non oppo

Obiectio. natur Voluntati consideratæ in actũ primo, qua ratione habet indifferentiã ad opposita, opponitur tamen Voluntati vt in actu secundo per actum priorem, per quẽ actualiter repugnat actui secundo superueniẽti: erit ergo actus secundus superueniens violentus, cùm inueniat in subiecto actualem renitentiã per actum priorem: Respondetur, quòd licet actus secundus *Solutio.* superueniens sit contra inclinationẽ actualem Voluntatis inadæquatam, non tamen contra adæquatam; quia & elicientia secũdi actus superuenientis, actualis inclinatio est Voluntatis: vt ergo esset violentus, deberet esse contra actualem inclinationem adæquatam, ita vt respectu illius nulla esset in subiecto actualis inclinatio, sed totalis repugnantia. Sicut si per possibile vel impossibile in eadem materia prima ponerẽtur duæ formæ contrariæ, vtraq; esset naturalis materiæ, quia licèt vt stat sub vna, repugnet alteri, absolutè tamen secundũ inclinationẽ adæquatam materię, inclinatur, & naturaliter recipit quãcũq; formam aduenientẽ, & solùm potest dici repugnare secũdùm quid per inadæquatã inclinationẽ ad oppositã formã. Ex quo patet quid *Dubitat.* sit dicendũ de habitibus, vtrùm possit Voluntas pati violentiã à Deo in receptione *Resolutio.* illorũ. Dico enim, nullatenus in hoc posse pati violentiã; quia vel habitus est naturalis, vel supernaturalis. Si naturalis, est inclinatio ad illum & non repugnantia. Si autẽ supernaturalis, etiã est potentia obedientialis respectu Dei; & sic illi repugnare nõ potest. De habitu autẽ malo difficultas esse non potest, quia à Deo infundi nõ potest, vt docetur 2.2.q.1. & 3.p.q.15. Si autem, per possibile, vel impossibile, à Deo infunderetur, dicendũ est, sicut de peccato, esse contra naturam secundùm quid, simpliciter autem non esse contra illam; quia ad bonũ commune, ad honestũ & delectabile habet inclinationẽ, & malitia solùm se ha

Dubitat. bet consequenter. Si autẽ quæras, quid sit dicendũ, si vt infunderetur vnus habitus minus bonus, esset destruendus melior oppositus; vel si esset ponendus vnus, stante in subiecto suo cõtrario, vt conseruaretur simul, si hoc esset possibile; nã de hoc modò nõ disputamus, sed ex hypothesi inquirimus quid esset dicendũ. Salas hic tract. 3. *Solutio. Salas.* disp. 3. sect. 6. dicit, quòd si poneretur habitus imperfectior cũ destructione perfectioris, pateretur Voluntas violentiã; sicut & materia prima, quando destruitur perfectior forma, vt introducatur minus perfecta. Sed certè hoc dictũ est falsum; nã materia prima, vt dictũ est suprà, æqualiter inclinatur

clinatur ad omnẽ formam; vnde respectu illius nulla corruptio est violenta, quia respectu illius omnis generatio cuiuscũque formæ est naturalis. Similiter ergo de habitibus, cũ Voluntas inclinetur ad quẽcũq; habitũ naturalem, & obedientiã habeat respectu cuiuscũq; supernaturalis, nulla acquisitio habitus, etiã imperfecti, potest esse violẽta, quanuis interueniat destructio habitus perfectioris. Quando autẽ introducitur oppositus, vt simul conseruaretur cum suo opposito, dicendũ est sicut de actibus contrarijs, quòd vterq; esset secũdùm inclinationẽ Voluntatis, absolutè loquendo, & solùm secundùm quid, contra inclinationẽ eius inadæquatam quã haberet per oppositũ habitũ. *Dubitat.* Et si rursus quæras, quid sit dicendum, si infunderetur habitus habenti actũ oppositum; *Resolut.* Respondetur, etiã in hoc casu non pati violentiã, quia maior oppositio est, & magis immediata inter ipsos habitus, quàm inter habitum & actũ contrariũ: quapropter si stante habitu contrario, nõ diceretur infusio huius habitus violenta, minus dicetur talis, stante actu contrario. *Dubit.* Et si rursus quæras, vtrũ esset violenta infusio talis habitus, si esset actus cõtrarius ipsi infusioni: ita vt nolẽti vel volẽti quod non infunderetur talis habitus, tunc infunderetur à Deo: *Resolut.* Respondetur eodẽ modo, q̃ nec talis infusio esset violẽta simpliciter, quia ad vtrũq; habet Voluntas potentiam naturalẽ vel obedientialem, tã ad habitum qui infunditur, quàm ad actũ quo renititur infusioni: solùm autẽ esset violentia secundùm quid contra renitentiã inadæquatã, per actum quo vult non infundi talẽ habitũ. Ad secundam probationẽ eiusdẽ tertij argumenti principalis, iam supra diximus qualiter sit impossibile esse actũ Volũtatis vel Intellectus receptũ à Deo, potẽtia merè passiuè se habente, cũ sit actio vitalis, & necessariò procedat ab intrinseco.

Ad 4. arg. Ad quartum argumentum respondetur, Voluntatem subiectam esse diuinæ motioni, vt per ipsam faciat quod voluerit; non tamen inde sequitur, posse à Deo violentari: immò sequitur oppositum, nam si plenè Deo subijcitur, ei non potest repugnare: vnde quod ex diuina motione fecerit, nõ violẽter & ex repugnãtia, sed potiùs naturaliter & ex inclinatione, quia ad nihil magis inclinatur, quã vt Volũtatẽ Dei efficacẽ exequatur: de quo latius infrà.

Ad 5. arg. Ad quintum respondetur, quòd tristitia actus Voluntatis est, & consequenter voluntaria, & iuxta inclinationem actualem ipsius Voluntatis: tristitia enim, vt docet D. Thom. infrà quæstion. 36. artic. 1. *D. Thom.* habet rationem fugę à malo; vnde tam secundùm inclinationem Voluntatis est fugere malum, quàm prosequi bonum: tristitia ergo & delectatio in ratione voluntarij, & inclinationis actualis Voluntatis, cõueniunt, & solùm distinguuntur per esse fugã vel prosequutionem. Quod autem dixit Aris. quòd tristitia est de his quæ nobis nolentibus accidunt, non denotat, tristitiam esse nolitam, sed obiectum eius; & patet ex verbis eius, cùm dicat, quòd tristitia est de his quæ nobis nolentibus accidunt; ideſt, de obiecto nolito, nõ autẽ q̃ ipsa tristitia sit nolita, sed de nolitis: vapulatus enim nõ vult flagella, vult tamẽ iuxta inclinationẽ Voluntatis, tristari de flagellis.

Ad 6. arg. Ad sextum respondetur, quòd si illa passio non absorbeat iudicium & rationem, non necessariò tangit Voluntatem; sed illa, cùm maneat libera, potest consentire vel non consentire. Quod autem dicitur, impossibile esse, quin visis tangamur, intelligitur de motibus primo primis antecedentibus deliberationem, & vsum rationis; tunc enim verum est, quòd Voluntas ex passione prorumpit in actum; hoc tamen est cessando à priori opposito: vnde primum esse volitionis sequentis, est primũ non esse volitionis contrariæ præcedentis: & idem est, quando libere consentit in motum insurgentem; appetitus enim potest manere actus prior oppositus, quia destruitur iudicium practicum oppositũ, & ponitur contrarium.

Ad 7. arg. Ad septimum argumentum respondetur, operationem Voluntatis ex metu, simpliciter esse voluntariam, & secundùm inclinationem, vt infrà dicetur, nec est contra repugnantiam Voluntatis absolutam, sed conditionatam, nollet enim dare pecunias minanti; sed non habet nolitionem absolutam non dandi, sed habet volitionem absolutam dandi: de illo verò qui inebriat alterum, vt cesset ab operatione, dicetur dubio sequenti, si Voluntas cogitur in cessatione actus, nam in hoc dubio solùm agimus, si possit esse coactio in elicientia actus Voluntatis.

Ad 8. arg. Ad 8. arg. resp. quòd propriũ esse & viure potest dupliciter considerari. Primò, vt necessariam cõnexionem habet cum beatitudine; non enim potest esse beatus, qui non est. Secundò potest considerari absolutè,

lutè, & secundùm se. Primo modo, amor sui est necessarius, sicut & amor beatitudinis; quia sicut non potest apprehendi vt bonum oppositum beatitudinis, ita nec oppositum essendi, cùm sit medium necessarium esse ad beatitudinem. Secundo autem modo amor sui est liber, & potest odire se ipsum, & velle non esse: ista autem duo, odire se actu libero, considerando esse secundùm se, & diligere se naturaliter, vt esse est medium beatitudinis, non sunt opposita, cùm sint secundùm diuersam rationem; itaque licèt proprium esse, non possit nō esse medium beatitudinis, potest tamen hoc non considerari, sed potiùs apprehendi vt malum, vt habet annexam aliquam miseriam; vt patet in damnatis & in desperantibus, & sic potest odire proprium esse. *2. Solutio.* Secundo respondetur, nō debere admitti, metaphysicè loquēdo, quòd odio habeat se ipsum; quia qui cupit non esse ex proprio amore, cupit sub ratione proprij boni: quia sic iudicat esse fugere miseriam & malum quod patitur in essendo: dicitur autē moraliter se odio habere, quia in re (verbi gratia, desperans) & malum sibi quærit, & peccatum facit; licèt totum hoc sub ratione proprij boni intendat.

Ad 9. arg. Ad nonum argumentum respondetur, falsissimam esse illam sententiam Gregorij, quòd actus Voluntatis debeat durare per tempus; solùm enim potest durare per instans; nā aliàs daretur aliquis in Via extra statum salutis; vt si (verbi gratia) actus peccati deberet durare per horam, & inciperet habere talem actū dimidia hora ante mortem: quod hæreticum est, & de quo alibi egimus; nullum enim instans datur Viatoris, in quo conuerti non possit; nam etiam in instāti quo peccatum committit, absolutè potest conuerti, licèt in sensu composito id fieri non possit. Vel secundò *2. Solutio.* respondetur, quòd etiam si actus necessariò deberet durare per tempus, non tamen per tempus determinatum, sed indeterminatum, ita vt quolibet signato anteà potuerit à tali actu cessare: vnde quandocunque ponas actum oppositum aduenire, iam prior cessabit; quanumsper tempus durauerit; vnde nunquam stabunt simul, vt dicatur Voluntas cogi per actum secundum supereunientem, stante repugnantia prioris. *Obiectio.* Et si contra omnia prædicta facias argumentum, nam in actu peccati Voluntas cogitur, quia secundùm D. Tho. peccatum est contra naturam Volūtatis, & inclinationem eius ad bonum rationis: Respondetur, quod peccatum dicitur contra naturam, quia est contra meliorem inclinationem Voluntatis, nempe quam habet ad bonum rationis; absolutè tamen non est contra inclinationem eius, quia adæquatè inclinatio Voluntatis est ad bonū, vt abstrahit ab honesto, & vtili, & delectabili, sub quo peccātum continetur; subaliqua enim istarū rationū appetitur à Voluntate: vnde licet Voluntas, etiam dū actualiter peccat, videatur repugnare ipsi peccato, in quo videtur violentiam pati; non inde sequitur, peccatum non esse secundùm inclinationem actualem Voluntatis, ad vtrumque enim in adæquatè inclinatur, & ad peccatū hic & nūc ex iudicio practico conuenientiæ illius, & etiam ad cōtradictionē eius ex synderesi & dictamine Rationis, quo Voluntas propendet in bonum honestum. Vnde dicēdum est, sicut paullò antè dicebamus de odio & amore respectu eiusdem, si per diuinam potentiam possent esse simul. Vel aliter dicitur, quòd in peccato sunt duo, & substātia actus, & malitia eius: malitia ergo contrariatur inclinationi Voluntatis, quæ tātùm est ad bonum; actus autem peccati cū sit quoddam bonum, illius etiam Deus est causa; nec contrariatur inclinationi Voluntatis respicientis bonum in communi: quando ergo Voluntas peccat, non tendit in malitiam peccati, quia nemo tēdens in malum, operatur; sed tendit in actum peccati: vnde non tendit contra suam inclinationem: quare si malitia imputatur, non est quia in ipsam tendit, sed quia tendit in actum quem tenebatur vitare, ex eo quòd ad illum malitia sequebatur. *Solutio.*

DVBIVM II.

Vtrùm iam quòd Voluntas non possit cogi in elicientia actus, fieri possit vt cogatur in cessatione ab actu, ita vt ab actu cessare, vel non eliciendo illum, vel ab elicito cessare, sit violentiā pati.

ALTERVM supponitur, & alterum quæritur; supponitur enim, vtrunque fieri posse à Deo, & quòd Voluntas non eliciat actum, vel

quòd ab actu incepto ceſſet, vel per ſubtractionem diuini auxilij vel per ablationē obiecti circa quod Volūtas deberet operari. Quæritur autem, vtrùm in tali caſu Voluntas cogeretur. *1. Arg.*

Pars affirmatiua probatur primò. Tūc infertur vis alicui potentiæ, quando poſitis omnibus requiſitis ad operandum, detinetur ab actu quē erat operatura: ſed hoc poteſt cōtigere in Volūtate: ergo poteſt cogi. Maior patet, nam ex eo lapis detētus dicitur violentari, quia detinetur à deſcenſu ad quem habebat omnia requiſita: & ſimiliter ligatus pedibus, aliàs ſanis & rectis. Minor probatur, nam cùm ad actum Voluntatis duo requirantur, & propoſitio obiecti, & auxilium Dei, etiamſi Voluntas in promptu ſit vt operetur, & omnia habeat requiſita ad operandum, poteſt tūc à Deo auferri concurſus vel obiectum: ergo poſitis omnibus requiſitis, poteſt detineri. *Solutio.* Si reſpondeatur, quòd in illo caſu nō eſſet detineri ab extrinſeco, quod requiritur ad violentum, vt patet ex Ariſt. 2. Ethic. ſed ab intrinſeco, quia inter intrinſecè requiſita ad operandum, debet numerari & propoſitio obiecti & concurſus Dei, ſine quo cauſa ſecunda operari non poteſt, cùm debeat operari mota: Cōtra argumentor, quia concurſus Dei non ſe tenet ex parte potentiæ, nec exparte actus primi illius, ſed potiùs ſe tenet ex parte Dei mouētis Voluntatem: ergo eſt aliquid extrinſecum Voluntati; ac per conſequens non operari ex defectu auxilij, erit detineri ab extrinſeco, & ſic violentari. *2. Arg.*

Secundò arguitur. Voluntas eſt inclinata ad operandum, cùm ex propria natura ſit propēſio, & inclinatio ad operandū: ergo detineri ab operatione, erit contra propriam inclinationem, & conſequēter violentari. *Solutio.* Patet conſequentia, quia nō alia ratione lapis detentus violentatur, niſi quia ad deſcenſum erat inclinatus. Si reſpondeatur, quòd Voluntas erat inclinata ad operandum aliàs & ſecundùm ſe, non autem ſtante Voluntate Dei non dandi concurſum & auxilium, quia magis appetit vt Volūtas Dei fiat, quā vt ſua aliàs particularis inclinatio ad operādū impleatur: *Impug.* Cōtra argumētor, quia ſi Deus cōcurrēdo cū lapide vt deſcēdat, cōcurreret etiā vt aſcēdat, violētaretur per ſecūdū cōcurſum: ergo facere quod Deus vult, non tollit violentiam reſpectu illius ad quod aliàs erat inclinatio: ergo ſi aliàs erat inclinatio in Voluntate ad operandum, etiam ſi Voluntas Dei ſit non dare auxilium vt operetur, non tollit quominus ceſſatio ab operatione ſit violenta. *3 Arg.*

Tertiò arguitur. Non minus naturaliter inclinatur beatus ad amorem Dei, quàm lapis ad deſcenſum: ergo ſi detentio lapidis à deſcenſu, eſt violenta, ſimiliter & detentio beati ab amore per ſubtractionem auxilij. *4. Arg.*

Vltimò argumentor. In caſu quo Voluntas habeat aliquem actum, quo velit elicere alium (verbi gratia, volo me producere actum amoris) ſi ſtante priori actu, tollatur concurſus ad ſecundum, tunc illa ceſſatio ſecundæ operationis eſt cōtra actualē inclinationē Volūtatis quam habebat, per actū priorē: ergo talis ceſſatio eſt violēta. Cōſequentia patet ex definitione violenti; tunc enim reniteretur ceſſationi per actum priorem quo volebat operari. Item etiam à ſimili, nam ſi ſtante volitione videndi, ab aliquo claudantur oculi, illa ceſſatio viſionis eſt violenta: ergo ſimiliter poſita in argumento; quia non minus reſiſtit Voluntas per volitionem videndi, clauſuræ oculorum, quàm reſiſtat per actum priorem ceſſationi à ſecundo actu.

Pro intelligentia huius quæſtionis notandū, quòd actus immediatè productus à Voluntate, eſt in duplici differētia. Alius tantum elicitus ab ea; alius verò elicitus & imperatus ab illa. Primus eſt qui procedit à Voluntate, ſe ipſa & non per actum præcedentem ſe applicante ad talem operationem. Secundus verò eſt, qui à Voluntate procedit ſe applicante ad operandum per præcedentem actum. *Not.*

Hoc ſuppoſito, Durand. in 2. diſt. 25. q. 4. tenet, quòd licèt Voluntas in elicientia actus cognoſci nō poſsit, bene tamē in ceſſatione ab actu. Eandem ſententiātenet Salashic tractatu 3. diſ. 2. ſect. 2. dicit enim, quòd quomodocunque fiat quòd Voluntas ceſſet ab actu, ſiue per ſubtractionem auxilij à Deo, ſiue per ablationē cognitionis, ſiue per ablationē obiecti, etiam à creatura, tūc violētatur in tali ceſſatione. Sequitur etiam illum ex parte Vazquez, qui dicit, in duplici caſu Volūtatem cogi in ceſſatione ab actu. Primò, vt ſi Voluntas prompta ad operandum, præuenitur congrua cogitatione vel operatione, qua diuertatur ab operatione quam in promptu erat elicere. Secundò etiam (in quo cōuenit cū Vazquez Valentia puncto 3. vt *Durand.* *Salas.* *Vazquez.* *Valent.*

si à beato tollatur concursus ad amorem stante visione, quod suprà diximus fieri posse de potentia absoluta. Idem videtur sentire Lorca hic, disp. 4. membro 1. non solùm in casu subtractionis auxilij, sed etiam in casu quòd per multum tempus tolleretur obiectum circa quod deberet potentia operari. Verum est, quòd dicit hanc non esse coactionem simpliciter, sed secundùm quid. Almain autem iuxta distinctionem positam in notabili, quem etiã sequuntur aliqui moderni, dicit, quòd in actu tantũ elicito à Voluntate, non potest cogi Voluntas in cessatione illius: respectu autem actus eliciti & imperati simul, cogi potest in cessatione illius, vt si suspẽdatur concursus à Deo, vt non operetur in casu vltimi argumenti.

1. Concl. Prima conclusio. Voluntas non potest cogi in cessatione ab actu, qui si produceretur, esset tantùm elicitus. Sic tenet Caiet. 1. part. quæst. 28. art. 1. & Conrad. hic, & Almain citatus: immò & Durand. quia licèt loco citato asserat, Voluntatem cogi, cùm impeditur ab actu suo: posteà tamen in 4. dist. 29. quæst. 1. se ipsum explicat, dicens, illam non esse coactionem strictè & propriè, sed largo modo & secundùm quid, vocari coactionem quod est impedimentum. Probatur. Illa cessatio ab operatione, non est contra inclinationem Voluntatis radicalem nec actualem: ergo nullo modo est violenta. Prima pars antecedentis probatur, quia inclinatio radicalis Voluntatis non est ad aliquem actum in particulari, sed in confuso; quæ vtique manet, etiam si ab hac particulari actione cesset. Secunda verò pars probatur, quia vt supponimus, actus à quo cessat, esset primus, nec anteceſsit alius, quo se applicaret ad operandũ illũ à quo cessat: ergo talis cessatio non est contra actualem inclinationem, quia ista est per actum: si ergo non anteceditactus, nec actualis inclinanatio cuicontrarietur cessatio ab alio actu, quæ foret, si non suspenderetur concursus.

2. Concl. Secunda conclusio. Voluntas non etiã potest cogi in cessatione ab actu, qui si produceretur, esset simul elicitus & imperatus; vt in casu vltimi argumenti. Hæc est contra Almain & illum modernum sequentem ipsum; est tamen Caiet. vbi suprà, & Conrad. hic, & communis Thomistarum, & probatur primò. Illa cessatio nõ est est cõtra inclinationẽ Volũtatis: ergo non est violenta. Antecedens probatur. Voluntas non inclinatur ad impossibile: sed non stante auxilio Dei ad operandũ, est impossibile operari: ergo non inclinatur ad operandum nõ stante auxilio. Probatur ista minor, nam auxilium Dei est vltimò complens & determinans potentiã ad operandum, vt Thomistæ docent cõtra modernos impugnatores D. Tho. cũ suo Mag. D. Tho. qnæst. 3. de potentia, art. 7. & 1. p. quæst. 105. art. 5. & 1. 2. quæst. 109. art. 1. & 3. contra Gẽtes, cap. 70. & alibi sæpe: ergo sublato auxilio, operatio non est possibilis. Et si contra facias argumentum; quia licèt in sensu composito negationis auxilij illa operatio non sit possibilis; absolutè tamen & in sensu diuiso possibilis est: ergo bene potest esse inclinatio Volũtatis ad talem operationem; quia ad inclinationem vel appetitum sufficit possibilitas ab soluta effectus: Respondetur, quòd licèt illa operatio secundùm se sit possibilis per ordinem ad potentiam remotam: tamen hic & nunc, consideratis omnibus requisitis, talis operatio est impossibilis defectu concursus necessariò requisiti. Cùm ergo inclinatio Voluntatis non tantùm debeat esse secundùm rationem remotam illius, sed secundùm proximam, secundũ quam hic & nunc debet operari; si talis operatio hic & nunc est impossibilis, absolutè dicendum est, Voluntatem ad talem operationem non inclinari. Et si contra arguas, nam cùm lapis detinetur, non est ei possibilis descensus suppositio impedimẽto, quia hic & nunc illo supposito non potest descendere; & tamen inclinatur ad descensum; qua propter cessatio à descensu est violenta; ergo non requiritur hic & nũc, attẽdẽdo ad omnia requisita, effectũ esse possibilem, vt sit inclinatio ad ipsum, ratione cuius detentio, vel cessatio sit violenta: Respondetur, quòd lapis quando detinetur, inclinatur ad descensum, & descensus dicitur hic & nunc possibilis, & cessatio violenta, ex eo quòd principium cessationis, quod est impedimentum, est ab extrinseco; quæ autem ab intrinseco requiruntur ex parte lapidis, omnia sunt in illo; quapropter semper grauitando contranititur impedimento. In casu autem conclusionis non sic contingit, nam cessatio non est ex aliquo extrinseco, nec Voluntas habet omnia requisita intrinsecè ad operationem; defecit enim concursus Dei, qui inter intrinseca potentiæ

Caiet. Conrad.

Obiectio.

Solutio.

Obiectio.

Solutio.

numeratur: vnde potentia non habet plene vnde inclinetur ad talem operationem.

Obiectio. Et si contra arguas, nam ille actus prior, quo volebat elicere secundum actum, sufficit vt per ipsum dicatur Voluntas inclinari ad secundum actum, & consequenter cessationem secundi actus esse contra inclinationem Voluntatis; vt si stante volitione (verbi gratia, loquendi) fiat quomodocunque cessatio loquellæ, talis cessatio est violenta & contra inclinationem voluntatis:

Solutio. Respondetur, quòd si cessatio loquellæ fiat ab aliquo impedimento extrinseco, erit violenta, & contra inclinationem, quia præsupponuntur omnia intrinseca ex parte potentiæ: si autem talis cessatio loquellæ esset per subtractionem concursus Dei ad loquendum, dicendum est, sicut in casu nostræ conclusionis illam cessationem non esse violentam, quia est defectu alicuius intrinseci requisiti, nec ille actus prior Voluntatis sufficit vt per ipsum dicatur inclinari Voluntas; quia in tantum vult elicere secundum actum, in quantum existimat non defecturum concursum diuinum ad secundum actum: nã si ei intimaretur, non futurum concursum ad eliciendum secundum actum, nõ haberet actum priorem, quo vellet elicere illum, videns illud esse impossibile: vnde prior actus tantùm est conditionatus respectu secundi actus, vt si sit concursus Dei ad illud: hoc autem non sufficit, vt remoto auxilio ad actum secundum, dicatur Voluntas inclinari ad illum per actum priorem.

Obiecto. Et si contra arguas, quòd si concursus Dei computatur inter intrinseca, ita vt deficiente concursu, effectus non dicatur possibilis hic & nunc, sequitur, quòd quando quis non adimplet præceptum affirmatiuum, nõ peccet: consequens est falsum: ergo. Sequella probatur. Quando non adimplet præceptum affirmatiuũ, non operando quod præceptum præcipiebat, non est concursus Dei ad illam operationem faciendam: quia si esset concursus, esset & operatio; quia non stat, Deum mouere Voluntatem ad operandum, & quòd Voluntas non operetur: ergo talis operatio hic & nunc erit impossibilis, si ad illam non est Dei concursus: ergo non peccabit non operando, quia nemo tenetur ad impossibile:

Solutio. Respondetur, auxiliũ Dei esse duplex: aliud efficax: aliud verò sufficiens. Efficax est ad actualiter operandum; sufficiens verò ad posse: vnde efficax tenet se ex parte operationis, & sic non stat, esse auxilium efficax, & nõ operationem: sufficiens verò tenet se ex parte potentiæ & actus primi; vnde stat, esse auxilium sufficiens, & non operationem; si quidem potẽtia prior est, & actu ab illo non dependet, & sine illo esse potest: vt ergo quis teneatur & possit operari, & imputetur non operatio, sufficit auxilium sufficiẽs, nec requiritur efficax; quia aliàs nũquàm peccaret. In casu ergo conclusionis non supponimus, solum Deum subtrahere auxilium efficax ad illum secundum actum, sed etiam subtrahere sufficiens auxilium; & sic dicimus, quòd illo subtracto, non est inclinatio ad opus, quia non est constituta potentia in ordine ad illum actum secundum. Verbi gratia, quando lapis detinetur, non est concursus Dei efficax vt descendat; quia descenderet; est tamen concursus generalis & sufficiens, & sic dicitur inclinari ad descensum: si autem concursus generalis deesset, nec inclinaretur, nec detentio esset violenta. Sic prorsus in nostro casu secundo probatur conclusio. Si aliquis vellet operari liberè aliquam operationem, & necessitaretur à Deo vt illam operaretur, nõ esset coactio, quia naturale esset Voluntati sic determinatæ operari necessariò: ergo similiter quando vult operari, & auferetur concursus ad operationem, naturaliter cessat ab illa. Patet consequentia, quia non minùs requirebatur indifferentia ad operandum liberè, quàm concursus ad absolutè operandum: ergo si auferendo indifferentiam, non est contra Voluntatem manere necessitatam, ita nec erit cõtra illam, ablato concursu manere suspensam non operando. Tertiò probatur conclusio. Si abstrahatur concursus ab igne, non violenter cessabit à combustione; vt ignis Babylonicus non violenter non cremauit pueros; sed non minùs requiritur concursus vt agat Voluntas, quàm vt agat ignis: ergo etiam non cogitur non operando concursu sublato. Quartò probatur. Non minùs requiritur ad operationem concursus, quàm obiectum: sed si non sit obiectum, naturaliter non operatur potentia; vt contrarij concedunt: ergo similiter si non sit concursus Dei. Vltimò probatur. Omnis creatura habet se respectu Dei vt instrumentum quoddam; quia sicut instrumentum non potest operari nisi per actualem motionẽ causæ principalis, ita nec aliqua

Impug.

qua causa secūda potest operari nisi actua liter mota à prima, vt docet D.Th. & eius discipuli cōtra modernos: sed cessāte motione causæ principalis in instrumento, naturale est illi nonoperari: ergo naturale est causæ secundæ non operari cessante motione Dei. Et quod dictum est de cessatione actus, omnino dicendum est de ablatione habitus: eodem enim modo comparantur quantum ad hoc actus inter se & in ordine ad potentiam, sicut & comparantur habitus.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum dicitur, quòd sublato concursu Dei, non habet potentia omnia intrinsicè requisita ad operandum, sicut habebat lapis detentus; quia cō cursus Dei nō solùm non est intrinsecus, sed intimior est Voluntati, quàm ipsamet Voluntas sibi.

Ad 2. arg. Ad secundùm argumentum, bene ibi responsum est. Ad replicam dicitur, quòd in illo casu lapis non violētaretur, quia, vt infrà dicetur, respectu Dei non potest esse violentia, cùm in omni creatura sit perfecta obedientia, vt de illa faciat Deus quod

2. Solutio. voluerit. Secundò respondent aliqui, negando consequentiam; quia si lapis violentaretur, tunc esset quia habebat omnia requisita ad descensum, etiam concursum Dei sufficientem. In casu autem conclusionis ponitur non habere concursum vt operetur; vnde ponitur, omnia requisita non habere ad operandum. Sed melior est prima solutio, quia contra secundam posset fortiter argui, æquiparādo omnia, sicut in lapide; vt v.g. si stante primo actu quo volebat Voluntas facere secundam operationem, Deus præberet concursum sufficientem ad illam faciendam, & aliàs tribueret auxilium efficax ad contrariam operationem: tunc stantibus omnibus requisitis ad operandum secundam operationem, cessaret Voluntas; quia secunda operatio non staret cum opposita, ad quam supponimus dari auxilium efficax; & sic cōtingeret quod in lapide, quòd stante concursu sufficienti ad descensum, nō descēderet, sed potius ascenderet, propter cōcursum efficacē ad ascensum: vnde si in casu lapidis esset violētia, similiter in casu Voluntatis: vnde redeūdum est ad priorem solutionem, quòd sicut in lapide, ita & in Voluntate sit naturale, stante concursu sufficienti ad vnam operationē, & efficaci ad oppositā, prorūpere in oppositam, & cessare ab alia.

Ad 3. arg. Ad tertiū respondetur similiter, esse naturale beato amare, stāte Dei cōcursu; nō autem illo sublato: sicut si à lapide auferretur grauitas vt descenderet.

Ad 4. arg. Ad vltimum etiā patet, quòd inclinatiō per priorem actū erat suppositō cōcursu ad actū secūdū, non autē aliàs, vnde cōcursu ablato, primus actus nō est dicēdus inclinatio ad secundum actum.

DVBIVM III.

Vtrùm Voluntas possit cogi in actibus imperatis ab illa, ita vt ipsa renitente, si tales actus elician tur, dicatur violentiampati.

1. Arg. PArs negatiua probatur. Primò. Quando talis actus elicitur à sua propriapotentia (v.g. ab Intellectu) talis potētia non cogitur: ergo nec Voluntas volēs vt non eliceretur talis actus, violentatur. Antecedens patet, quia ille actus elicitur à sua potentia iuxta propriam inclinationem & ab intrinseco. Consequentia verò probatur, quia quòd fiat ille actus à sua potentia nolente Voluntate, non est contra inclinationem efficacem ipsius Voluntatis; quod requiritur ad violentū: ergo non violentatur Voluntas. Hoc antecedens vltimum probatur, quia Voluntas tunc non influit efficaciter in alteram potentiam sibi inferiorem, quia influxus efficax est, quando actualiter sequitur id ad quod est concursus: cùm ergo tunc non sequatur actualis applicatio inferioris potentiæ ad quod volebat Voluntas, sed potiùs ad oppositum, non est concursus efficax Volūtatis.

Not. 1. Pro intelligentia notandū, quòd actus potest dici imperatus dupliciter. Primò, quia actualiter fit ex imperio Voluntatis. Secundò, quia erat imperabilis, potens ex imperio Voluntatis produci, quatenus procedit à potentia imperabili à Voluntate, motionique illius subdita. In præsenti ergo procedit quæstio de actibus imperatis secundo modo, non autem primò; nā impossibile erat actualiter esse ex imperio Voluntatis, & contra inclinationem eius, & consequenter impossibile quòd esset imperatus, & in illo cogeretur Volūtas.

Secūdò notādū, quòd, vt patet ex D. Th. suprà, q. 1. art. 4. ad 3 & infrà q. 16. art. vltimo ad 3. & q. 17. art. 5. ad primum, & 3.

cùm Voluntas sit prima in mouendo, & in genere causæ applicantis quoad exercitium, ad agendum non solùm habet imperare alijs potentijs, sed & sibi ipsi; applicat enim alias potentias & se ipsam ad operandum; vnde actus imperatus non solùm dicitur de actibus aliarum potentiarum, sed etiam de actibus ipsius Voluntatis procedentibus ab illa applicata per interiorem actum: vnde actus Voluntatis est duplex; alter tantum elicitus; alter verò elicitus & imperatus simul.

Sent. Almain. Hoc ergo supposito, Almain, qui tenet, Voluntatem cogi quantum ad actus tantum elicitos, à fortiori tenet, etiam cogi posse quantum ad actus qui semel sunt eliciti & imperati, & quantum ad hoc secundum etiam aliqui moderni sequuntur ipsum: vnde licet teneant nobiscum, Voluntatē cogi non posse quantum ad actus verè elicitos; tenet tamen cum Almain, posse cogi quātū ad actus simul elicitos & imperatos à Voluntate; & hāc dicunt esse sentētiam D. Tho. in 2. conclusione, vbi absolutè dicit, Voluntatem cogi posse quantum ad actus imperatos.

1. Concl. Prima conclusio. Voluntas cogi potest quantum ad actus imperatos ab illa, elicitos tamen ab alijs potentijs inferioribus ipsi Voluntati; & quoad productionem & cessationem talium actuum. Hæc est D. Th. & communis omnium Theologorum: & patet experientia, siquidem stante Voluntate videndi, possunt ab aliquo extrinseco claudi oculi ne videant, & simul stante Voluntate non videndi, possunt ab extrinseco aperiri oculi vt videant.

2. Concl. Secunda conclusio. Voluntas non potest cogi quantum ad actus imperatos & simul elicitos ab eadem Voluntate: vnde secunda conclusio D. Tho. tantum debet intelligi de actibus imperatis aliarum potentiarum. Quod patet ex eodem, cùm in toto articulo tantùm ponat exemplum in actibus aliarum potentiarū, & non in actu imperato elicito à Volūtate; sic enim dicit: Quantū igitur ad actus à Voluntate imperatos, Voluntas potest pati violentiam, in quantum per violentiam exteriora membra impediri possunt ne imperium Voluntatis exequantur. Et in quæst. 22. de veritate, art. 5. & 8. vbi de hac re copiosiùs disputat, nunquàm meminit illius distinctionis de actu tantum elicito à Voluntate, vel elicito & imperato simul: sed absolutè docet, actum elicitum Voluntatis non posse esse coactum, bene tamen imperatum ab illa; vnde tantum videtur contra ponere ex vna parte actus aliarum potentiarum ad actus Voluntatis ex altera, & quòd in prioribus cogi possit Voluntas, non autem in secundis. Et ratio D. Th. in hoc articulo æqualiter probat de actu imperato simul elicito à Voluntate, atque de tantùm elicito, quòd in illo non possit cogi, nam ex eo in actu tantùm elicito cogi non potest, quia talis actus est quædam inclinatio actualis Voluntatis in suum obiectum: sed similiter actus simul elicitus & imperatus est quædam inclinatio actualis Voluntatis in suum obiectum; quia talis actus non potest non tendere in bonum sub ratione boni, veri vel apparentis: ergo similiter repugnat, talem actum esse coactum. *Obiectio.* Et si contra facias argumentum suprà positum, quòd cum tali actu imperato per Dei potentiam potest poni contrarius, & tunc videtur pati violentiam respectu secundi; iam ibi responsum est, *Solutio.* casum esse impossibilē, & q illo dato, vterq; actus naturalis esset, & null⁹ violētus; quia quòd Voluntas à Deo, ad oppositū quod priùs voluerat, dirigatur, est immutari & moueri a Deo, nō autem cogi; vt insinuat illud Prouerb. 21. Cor Regis in manu Domini; quocunque voluerit vertet illud. *Prou. 21.* Vertet, dixit, non autem Coget: vnde Augustinus tractu 26. super Ioannem, dicit, *Augustin.* quòd quando Deus trahit Voluntatem hominis ad actum amoris, nulla ei violentia adhibetur: animus autem inuitus non trahitur; sed amore, & ex consequenti absque vlla coactione; id enim insinuatur Esther 14. Transfert cor illius in odium *Esther 14.* hostis nostri. Et psal. 118. Inclina cor meum *Psal. 118.* in testimonia tua. Et 1. Regum. 10. Immutauit illi Deus cor aliud. Et Tobiæ 12. *1. Reg. 10.* Immutā cor Principum populi terræ. *Tobiæ 12.* Ecce qualiter semper vtitur nomine inclinandi, vel immutandi, vel transferendi; nunquàm tamen nomine cogendi vel violentandi. Videatur D. Th. 1. p. q. 83. art. 1. ad 3. & Greg. sup. 1. Reg. lib. 4. cap. 4. vbi *D. Tho. Gregor.* dicit: Cor aliud immutatur, quādo ad meliora appetenda dirigitur, & quando ad malum deseritur. Videatur & Roffensis *Roffens.* art. 36.

Ex his patet, quid sit dicendum de illo, qui cùm horreat maximè potionem amaram, imperat tamen sibi illam sumere; tūc enim nulla est violentia vel contradictio, quia vtrunque habet sub diuersis rationibus,

bus, & horrere sub ratione mali & amari, velle autem sumere sub ratione boni & cõuenientis ad salutem: vtrumque autem est iuxta naturam Voluntatis. Vel etiam dicitur, vt suprà dictum est, volitionem sumẽdi, esse absolutè voluntariam; inuoluntariam autem tantùm secundùm quid; quod non facit violentiam; deberet enim esse inuoluntaria simpliciter, vt per volitionem sumẽdi diceretur cogi: si autem aliter contingeret, vt stante actu absoluto, haberetur actus conditionatus ex aliquo imperio procedens; vt si stante volitione absoluta peccandi, imperet Voluntas haberi actum conditionatum non peccandi: tunc dicendum est, quòd ille actus conditionatus potest considerari dupliciter: primò obiectiuè, in ordine ad imperium; secundò formaliter, vt actus in ordine ad suum obiectum. Primo modo ille actus est voluntarius absolutè, quia imperium est absolutum, & tale dicitur obiectum eius (quod est actus imperatus) sicut & actus terminatus ad ipsum, qui est actus imperij. Secundo autem modo tantùm est voluntarius secundùm quid, quia sic imperatur, vt fiat conditionate: non ergo ille actus cõditionatus habet oppositionem simpliciter ad alterum actum absolutum, quo vult peccare: quia non debet comparari ad illum secundùm rationem volũtariam obiectiuam quam habet, sed secundùm rationem voluntariam formalem, vt actus; quę tantum est in illo secundùm quid; & sicut non contra dicit Voluntati absolutè peccandi Voluntas conditionata non peccandi, ita neque ei contradicit imperium absolutum volitionis conditionatæ non peccandi; quia nõ potest plus opponi illudimperium, quàm opponatur illud quod imperat: vnde sicut ipsa volitio conditionata imperata tantum opponitur secundum quid volitioni absolutæ, ita & imperium volitionis conditionatæ.

Ad arg. Ad argumentum respondetur, antecedens esse falsum, vt dicemus dubio sequenti. Ad illud autem, huiusmodi motum nõ esse contra inclinationem efficacem Voluntatis, Respondetur, illud esse falsum. Ad probationem, dicitur, non esse efficacem quantum ad exequutionem, cùm non fiat in re sicut Voluntas volebat; est tamen efficax quãtum ex parte sui. Quòd autem in re non sequatur, non prouenit ex inefficacia Voluntatis, sed eximpedimento extrinseco. Itaque hæc est differentia inter concursum primæ & secundæ causæ, quòd cùm prima non sit impedibilis posito concursu efficaci illius, ponitur infalibilliter effectus; vnde à posteriori bene colligitur, si effectus non sequitur, concursum primæ causæ non esse efficacem: secunda autem causa impedibilis est; vnde bene potest esse concursus eius efficax, quantum est ex parte sui, & nihilominus effectus non sequi ex impedimento talis causæ. Cùm ergo stante efficaci motione Voluntatis, quantum est ex parte sui, possit ex aliquo impedimento extrinseco non sequi in alia potentia sibi subdita quod ipsa volebat; hinc est, posse cogi in actu imperabili alterius potentiæ.

DVBIVM IIII.

Vtrùm aliæ potentiæ præter Voluntatem possint cogi in actibus immediatè elicitis ab eis.

PRobatur quòd non, primo argumento præcedentis dubij. Nam violẽtum est à principio extrinseco; sed actus cuiuscumque potentiæ vitalis necessariò est ab intrinseco: ergo nulla potentia vitalis potest cogi in proprio actu. *1. arg.* Cõfirmatur, nam hac ratione probatum est, Voluntatem non posse cogi in proprio actu; quia necessariò actus eius est secundùm illius inclinationem & ab intrinseco: cùm ergo omnis actus cuiuscunque potentiæ necessarius sit secundùm inclinationem eius & ab intrinseco, nulla potentia poterit cogi in proprio actu. *Conf.*

Secundò argumentor. Impossibile est quòd potentia determinata ad vnum actum, cogatur in eliciẽtia illius: sed quælibet potentia vitalis, est determinata ad vnum actũ: ergo nulla illarum potest cogi in elicientia sui actus. Maior patet, nam coactio in illo deberet consistere, quòd eliceret actum oppositum eius qui ei erat naturalis: ergo si potentia est determinata, & tantùm potest elicere vnum actum, nunquàm poterit cogi in eliciendo actum. Minor verò probatur, nam Intellectus non potest nisi intelligere, Auditus audire, Visus videre, &c. ergo omnes istæ potentiæ sunt determinatæ ad vnum actum. Si respondeatur, quòd *2. arg.* *Solutio.*

licèt potentia determinata ad vnum actũ, non possit cogi in elicientia illius actus quantum ad substãtiã, quia non potest habere actum alterius rationis ab eo quem elicit naturaliter; potest tamen cogi in elicientia illius actus quantum ad modum; vt lapis non potest cogi in descensu, quia ei est naturalis; bene tamen in maiori velocitate descensus: ita Intellectus (verbi gratia) licèt sit ei naturale intelligere, potest ei esse violẽtũ vel sic, vel intelligere (verbi gratia) ex necessitate; vt quando sit ei demonstratio alicuius conclusionis, conuincitur assentire. *Impug.* Contra argumentor, quia licèt maior velocitas sit violenta lapidi, quia ad illam non habebat grauitatem & propensionem; necessarius tamen assensus conclusionis demõstratæ est naturalis Intellectui, tã naturale enim est ei ex principijs demõstratiuis, demõstratiuè assẽtiri, sicut ex probabilibus assẽtiri probabiliter: ergo nunquã datur, Intellectũ vel aliã potentiam cogi, nec quantum ad actum, nec quantum ad modum actus. *Confir.* Confirmatur, nam ex eo Voluntas nũquàm cogitur ex actu proprio, quia quomodocunque operetur, siue quantum ad substantiam, siue quantum ad modum, semper tendit in obiectum sibi propositum, vt sibi conueniens; sed quælibet potentia, siue actus cõsideretur quantum ad substantiam, siue quantum ad modum, tendit in proprium obiectum sibi conueniens: ergo quomodocunque consideretur, actus est ei naturalis, & non violentus.

3. Arg. Tertiò argumentor, nam appetitus sensitiuus est quædam inclinatio, & appetitio & volitio, actus eius: ergo saltem appetitus sensitiuꝰ nõ poterit cogi in suo actu. Patet cõsequentia, nam ex eo actus Voluntatis non potest esse violentus, quia cùm ipse sit appetitus quidam & inclinatio Voluntatis, non potest esse contra appetitum & inclinationem eius; quod requirebatur ad violentum. *Confir.* Confirmatur, quia appetitus bruti non potest violentari: ergo nec appetitus hominis, cùm sit perfectior appetitus habens quandam libertatem participatam ex coniunctione Voluntatis. *Solutio.* Si respondeatur, appetitum bruti cogi non posse, quia nulli subditur quod sit in illo principalius, cuius resistentia dicatur talis appetitus cogi: appetitus autem hominis subditur Voluntati, tanquàm superiori appetitui; vnde ex repugnantia Voluntatis potest cogi appetitus: *Impug.* Contra argumẽtor, quia saltem sequeretur, non esse coactionem in actibus primoprimis, quia in illis non subditur Voluntati; cùm anteuertat ordinem rationis & Volũtatis.

In hac re est prima sententia Durandi in 4. dist. 29. quæst. 3. & in. 2. dist. 25. quæstione 4. & Paludani ibidem, quòd aliæ potentiæ cogi nõ possunt in actibus à se elicitis, sicut nec Voluntas: & hãc tenet Vazquez hic, disp. 26. c. 4. *1. Sentent. Durand. Palud. Vazquez.*

Secunda sententia est Magistri Soto etiam in 4. dist. 29. quæst. 1. art. 1. dicentis, quòd cùm agere & pati, sit suppositorum, illud dicitur violentum vel naturale, quod est iuxta vel contra inclinationem suppositi; & cùm inclinatio suppositi sit Voluntas, in his dicetur hominem cogi, quibus volũtate resistit: quod sæpe cõtingit respectu actionum aliarum potentiarum. Iste modus dicendi non vndequaque omnibus placet; quia licèt explicet, qualiter homo, vel Voluntas cogatur in actibus aliarũ potentiarum, nõ tamen explicat, qualiter ipsę potẽtiæ cogantur in suis actibus. *2. Sen. Sot.*

Tertia sententia est Soncinatis 9. Metaph. quæst. 28. dicentis, & quòd homo potest cogi quantum ad actum Intellectus, & quòd ipse Intellectus cogi potest, si cõsideretur in ordine ad suppositum, nõ autem si consideretur secundùm se: & idem dicit de quacunque alia potentiã. *3. Sentent. Soncin.*

Pro resolutione notandum, quòd aliæ potentiæ à Voluntate, possunt considerari dupliciter. Primò, ex parte sui obiecti, & secundùm naturalem inclinationem sibi particularem. Secundo modo, in ordine ad Voluntatem, quatenus imperio eius subduntur: quod est considerare illas secundùm inclinationem vniuersalem; quia Voluntas, vt est dictum, inclinatio est vniuersalis hominis; quę distinctio locum habet in quacunque re mundi; lapis enim potest considerari secundùm inclinationem particularem sibi propriã, vel secundũ inclinationẽ vniuersalẽ, vt respicit bonũ vniuersi, secundũ quod est pars illius. *Noc.*

Hoc supposito, cõclusio sit, quòd aliæ potẽtiæ à Volũtate, si cõsiderẽtur secũdũ inclinationẽ sibi propriã, nullatenus cogi possunt in elicitia actus: quia nõ possunt elicere nisi circa propriũ obiectũ quod eis est naturale: vnde in tali operatione ab intrinseco procedit: si autẽ tales potẽtiæ cõsiderẽtur volũtati subiectæ, sic nõ solũ Volũtas in eis, sed ipsæmet potẽtiæ cogi possũt, si cõtra Volũtatis actũ eliciãt: quia cùm *Conclusio.*

cùm tales potētiæ ex natura sua Volūtati subijciantur, & ab illa ex sua natura postulent applicari ad opus, tanquàm à primo mouente, quòd operentur applicatæ ab aliquo extrinseco, & non ab ipsa Voluntate, sed potiùs ipsa renuente, contra naturam est talium potentiarum, & sic in eo violentum patiuntur. Nec potest dici, quòd tales potentiæ eadem inclinatione vtrumque respiciant, & proprium obiectum, & Voluntatem cui subduntur: quia multoties inclinatio ad vnum, impeditur ex inclinatione ad aliud: vt stante inclinatione oculorum ad videndum, possunt impediri ex inclinatione Voluntatis vt non videant, vnde potest esse exercitium vnius inclinationis, & non alterius: quapropter necessariò inter vtramque inclinationem debet esse distinctio, saltem formalis. Hæc assertio expressa est D. Thom. quæst. 22. de Veritate, art. 5. ad 3. vbi dicit, Intellectum cogi, si contra Voluntatem intelligat, & quæst. 24. art. 1. ad 18. & quæstione 28. art. 3. ad 6. & in 3. dist. 27. quæst. 1. artic. 2. & in 2. distin. 25. quæst. 1. artic. 2. & 1. distin. 48. artic. 3. ad 1. & in 2. dist. 7. quæst. 2. art. 1. ad 2. & distin. 8. art. 5. ad 7. & distin. 39. quæst. 1. art. 2. Et hoc sequitur Medina hic, & Capreolus 2. distin. 24. q. vnica, artic. 3. ad argumenta Durandi contra tertiam & quartam conclusionem; & extra scholam Diui Thomæ, Salas hic tractatu 3. disput. 2. sect. 6. & Valentia puncto 3. & Scotus 4. dist. 29. quæst. 1. art. 1. Sed dubium est, quid absolute sit dicendum, quando aliqua potentia operatur renitente Voluntate, an quòd absolutè cogatur, quia agit contra inclinationem vniuersalem; an verò quòd naturaliter operetur, quia ex inclinatione particulari operatur? Ad quod respondetur, absolutè dicendum esse cogi in tali operatione: quia principalior est inclinatio vniuersalis, quā particularis: sicut & in qualibet re mundi principalior est inclinatio ad totum vniuersi, quàm particularis & propria: vnde si agat contra inclinationem vniuersalem, simpliciter dicitur cogi, etiamsi agat secundùm inclinationem & bonum particulare. Verbi gratia, si brachium detineatur ne defendat caput à percutiēte, cogitur, quia est contra inclinationem quam habet ad totum, etiamsi sit in bonum particulare eius non cædi. Similiter quando lapis ascēdit ad supplendum vacuum, si detineatur, immò etiamsi deorsum mittatur, violentatur; quia tunc descendere, licèt sit secundū inclinationē particularem lapidis, est tamē contra inclinationē vniuersalem illius, vt pars est vniuersi: quæ inclinatio in lapide est præcipua. Similiter ergo in præsenti, quando aliqua potentia operatur circa inclinationem Voluntatis, etiamsi secūdùm inclinationem particularem operetur, negare autem huiusmodi inclinationem potentiarum, vt secundùm motionem Voluntatis operentur, & hanc inclinationem in eis esse præcipuam, vt negat Vazquez, sicut & in exemplis de manu, & aqua ascēdente ad supplendum vacuum, est sine dubio totam Philosophiam euertere, & communi consensui Philosophorum contradicere.

D. Tho. *Medin.* *Capreol.* *Salas.* *Valent.* *Scotus.* *Dubit.* *Respon.*

Ad primum argumentum respondetur, quòd illa operatio est à principio intrinseco inadæquato, & nō ab omni à quo deberet procedere; quia, vt dictum est, nō solùm deberet procedere ab inclinatione particulari potentiæ, sed etiam ab vniuersali Voluntatis, quæ maximè intrinseca & naturalis est cuilibet potentiæ, quātum ad applicationem ad opus. Ad confirmationem respondetur, quòd nullus actus Volūtatis potest esse contra inclinationē eius dē; vnde nullus potest esse violentus: actus autē alterius potētiæ cōtra inclinationem Volūtatis esse potest, & sic coactus: itaque sicut nullus actus alterius potentiæ potest nō esse ex inclinatione particulari talis potētię, ita neque aliquis actus Volūtatis potest nō esse ex inclinatione particulari Volūtatis: cū autē inclinatio particularis Volūtatis, & inclinatio vniuersalis totius, coincidant, quia Volūtas est inclinatio vniuersalis; idē est, actū esse ex inclinatione particulari & vniuersali in Voluntate, & sic sicut nō potest esse cōtra inclinationē particularem, nec etiā cōtra vniuersalem, & sic violentus esse non potest. In alijs autē potētijs inclinatio particularis & vniuersalis nō coincidūt; vnde stāte q̄ actus talis potētiæ sit ex inclinationē particulari illius, stat quòd sit contra inclinationem vniuersalē, & sic quòd sit violentus.

Ad 1. arg. *Ad confir.*

Ad secundū arg. resp. veram esse illam solutionē, quòd actus alterius potētiæ potest esse coactus quantū ad modū procedē di nō subiectū voluntati, & imperio illius, cui ex sua natura postulat subijci. Quapropter quādo Intellectui fit demōstratio, licèt quodāmodò dicatur cogi quoad specificationē, qua ratione necessitatur; non

Ad 2. arg.

tamē quoad exercitiū, in quo est liber, & ex motione Volūtatis posset suspēdere actū: erit autē quoad exercitiū actus Intellectus coactus, si cōtra Voluntatē fiat; vt cōtingit in dæmonibus, qui quoad exercitium coguntur vt attendant per Intellectum his quæ patiuntur. Itaque licèt Intellectus sit determinatus ad intelligendum, & non alium actum elicere possit, quàm intellectionem; non tamen est determinatus ad intelligere ex motione Voluntatis, sed ad hoc habet indifferentiam: vnde sic violentari potest, si contra motionem Voluntatis intelligat. Solutio est Capreoli in 2. dist. 24. quæst. vnica, art. 3. ad argumentum Durandi contra. 3. & 4. Conclusionem, in solutione secundi; & per hæc faciliter patet ad confirmationem.

Ad 3. arg. Ad tertium bene ibi responsum est. Ad replicam dicitur, quòd etiam motus primoprimus est coactus, quia non regulatur à ratione & motione Volūtatis, à qua ex natura sua poscebat regulari; vnde licèt non sit contra actualem inclinationem Voluntatis, quia nullus actus præsupponitur, quo resistat motui appetitus anteuertenti Rationem; est tamē cōtra inclinationem habitualem Volūtatis; quod *2. Solut.* sufficit, vt dicatur violentus. Secundo respondetur, quòd ille motus primoprimus licèt sit hominis, non tamen humanus, sed sic se habet, ac si esset in bruto, & sicut in bruto est naturalis, ita & in homine; quia talis motus Rationi non subijcitur; sicut & prima intellectio naturalis est, licèt non ex inclinatione Volūtatis, quia in tali operatione non attendēdū est ad Voluntatem, cùm illi non subijciatur: hic autem loquimur de operationibus Voluntati subiectis, quòd ex motione illius debent fieri, vt sint naturales: si autem cōtra illam fiant, sunt violētæ. Quapropter mihi non probatur sententia quā tenet hic Lorca disp. 4. membro. 2. quòd etiam si motus appetitus sensitiui proueniens ex naturali inclinatione, sit contra Voluntatem, & ipsa renuente, nō dicetur appetitus sensitius violentiam pati, sed solùm Voluntas; quia, vt diximus, etiam appetitus in homine habet operari ex imperio Volūtatis, & illi subijci in operando, si non subiectione despotica, regali tamen: quapropter etiam in appetitu est principalius operari ex subiectione ad Voluntatem; vnde si operetur Voluntate renuente, talis operatio erit secundùm quid naturalis respectu appetitus secundùm se, absolutè tamen violenta, prout appetitus est hominis, etiamsi talis operatio proueniat ex principio intrinseco particulari ipsius appetitus; quia hoc ipsum reputatur extrinsecum appetitui, vt hominis est, quòd cōtra Voluntatem moueatur: vt extrinsecū reputaretur lapidi, descendere, etiam ex propria grauitate, contra bonum totius vniuersi, quando deberet ascēdere ad supplendum vacuum.

Lorca.

DVBIVM V.

Vtrùm respectu Dei aliqua potentia vel creatura possit pati violentiam.

PRobatur quod non. Primò. Quidquid Deus faciat de aliqua creatura, est illi naturale sic moueri à Deo: ergo non violentum. Consequentia patet, quia violentū & naturale opponūtur. Antecedens verò probatur ex D. Aug. lib. 26. contra Faustum c. 3. vbi ait, illud esse cuicunque creaturæ naturale, quod ille fecerit à quo est omnis numerus, & ordo, & modus naturæ; & ex Diuo Th. 1. p. q. 105. art. 6, ad primum, & 3. contra Gentes cap. 100. vbi ait, quòd si Deus aliquid fecerit in creaturis prēter ordinem naturæ illis inditum, illud non erit contra naturam, & per consequens nec violentum. Similiter quæst. 4. de potentia art. 5. ad 2. & quæstione 6. art. 1. ad 19. ait, quòd ea quæ fiunt in elementis ex concursu superiorum causarum, non sunt contra naturam, & multo minus quæ per diuinam ordinationem fiunt, per quam tota natura subsistit. *1. Arg.*

Secundò argumentor. Omnis creatura habet maiorem inclinationem ad id quod in ea Deus voluerit operari, quàm ad proprium & connaturalem modum: ergo quocunque modo Deus illam moueat, aut detineat à motu, non erit violentia; quia erit secundùm eius maximam & præcipuam inclinationem. Antecedens probatur, quia aqua (verbi gratia) maiorem inclinationem habet ad ascensum, propter bonum vniuersi, quàm ad descensum ex propria inclinatione: ergo à fortiori magis respicit Volūtatē Dei ex propria inclinatione, tanquàm aliquid eminētius isto bono vniuersi. *2. Arg.*

Tertiò

3. *Arg.* Tertiò argumentor. Nulla creatura resistit aut resistere potest Deo in motu, aut in cessatione à motu: ergo nullam violentiam patitur à Deo. Antecedens patet ex illo Sapientiæ 11. Virtuti brachij tui quis resistet? Et ad Rom. 9. Voluntati eius quis resistet? Item ratione, quia resistentia in passo, arguit imperfectionem in agente non habente plenum dominium eius, nec potente plenè sibi subijcere passum: cùm autem in Deo nulla sit imperfectio virtutis, nihil potest ei resistere in patiendo illud quod ipse voluerit agere. Consequentia verò probatur, nam ad violentiam requiritur in passo actualis vel virtualis resistentia, vt non dicatur conferre vim tali motui.

Sapien. 11 *Ad Ro. 9*

4. *Arg.* Quartò argumentor. Si auferretur à lapide grauitas, licèt proijceretur sursum, non esset motus violentus, quia non haberet quo resisteret tali motui: sed sic se habet creatura in ordine ad Deum, ac si non haberet inclinationem ad oppositum motum: ergo cùm à Deo mouetur, non violentatur. Minor probatur Sapient. 16. & 19. vbi dicitur, ignem Babylonicum fuisse oblitum propriæ naturæ; in quo insinuatur, sic se habuisse inclinationem ignis, ac si non esset, cùm à Deo moueretur ad oppositum.

Sap. 16. & 19.

5. *Arg.* Quintò argumentor. Vt suprà dictum est, motio diuina computatur inter intrinseca cuiuscunque creaturæ: ergo mourri à Deo, est moueri ab intrinseco, & sic non violenter.

6. *Arg.* Sextò argumentor. Quando creatura mouetur in ordine ad proprium finem, non violentatur: sed cùm Deus mouet aliquam creaturam, quomodocunque illam mouet, moueat illam in ordine ad proprium finem: ergo quomodocunque illam moueat, non violentatur. Minor probatur. Quomodocunque Deus moueat creaturam, mouet illam in ordine ad suam propriam bonitatem, quæ est finis naturalis omnium creaturarum: ergo.

7. *Arg.* Septimò argumentor. Si quando creatura mouetur à Deo immediatè, patitur violentiam, si mouetur ad oppositum suæ particularis naturæ, sequitur, quòd Deus sibi ipsi repugnaret: hoc autem est falsum: ergo. Sequella probatur, nam Deus aliàs concurrit cum lapide vt descendat, & modò concurrit vt ascendat, vt supponimus in casu: ergo si alter motus alteri est contrarius, Deus sibi ipsi repugnat.

8. *Arg.* Octauo argumentor. In qualibet creatura est perfectissima obedientialis potentia: ergo non violentatur, quomodocunque moueatur à Deo, quia non perfectè obediret, si aliqualiter resisteret & violentiam pateretur.

Propter argumenta posita tenent istam sententiã omnes antiqui discipuli D. Tho. Caiet. 1. part. quæst. 83. artic. 1. & Conrad. hic, & Ferrara 3. contra Gentes, c. 100. & pro illa citatur Victoria, & Sot. & videtur expressa D. Tho. locis citatis in primo argumento, illamque sequitur D. Bonauen. in 2. dist. 25. 2. p. art. 1. q. 5.

1. *Senten* *Caiet.* *Conrad.* *& Ferrar.* *Victor.* *Soto.* *D. Bonau.*

Secunda sententia est aliorum, vt Lorcæ hìc, disput. 4. membro 2. in fine, & Medinæ hìc præcedenti opposita, quòd creatura à Deo violentari & cogi potest: quæ probatur primò. Si lapis proijceretur sursum non ad supplendum vacuum, ab aliquo agente creato violentaretur: ergo etiamsi à Deo. Patet consequentia, quia Deus nihil amplius tunc faceret, quàm supplere vicem agentis creati. Secundò probatur. Deus mediante igne inferni detinet alligatos dæmones violenter: ergo etiam si immediatè detineret, violenter detineret. Patet consequentia, quia quod potest facere cum causa secunda, potest facere se solo. Tertiò probatur. Si non posset Deus violenter lapidem mouere, sequeretur quòd non esset peculiaris proprietas Voluntatis, non posse cogi à Deo in actibus suis: hoc autem est falsum: ergo aliæ creaturæ cogi possunt à Deo. Tertia sententia est media, quòd Deus potest considerari dupliciter. Primò, vt causa vniuersalis, quatenus cum omnibus rebus concurrit, & ad bonum vniuersi attendit. Secundo modo vt agens particulare, & concurrens vt quodlibet aliud agens particulare possit concurrere, & solùm supplendo vices alterius particularis agentis. Dicunt ergo, quòd respectu Dei, primo modo non potest violentari creatura, bene tamen secundo modo; & sic videntur sibi concordare vtramque sententiam, & quòd primum probent argumenta priora; secundum verò argumenta secundo loco facta.

2. *Sent.* *Medin.* *Lorca.* 1. *Arg.* 2. *Arg.* 3. *Arg.* 3. *Sent.*

Pro intelligentia notandum, quòd in præsenti de duobus possumus loqui. Primò de viuentibus, tam rationalibus,

Not.

nalibus, quàm irrationalibus, quoad actus imperatos aliarum potentiarum à primo appetitu & à Voluntate: nam de Voluntate hominis & appetitu brutorum, iam superius manet examinatum, non posse à Deo pati violentiam: manet autem examinandum, vtrùm in actibus imperatis aliarum potentiarum, sicut potest esse violentia respectu extrinseci agẽtis creati, per resistẽtiam Voluntatis, cui talis potentia inferior debere, obedire ita etiam à Deo possit esse talis violentia, ita vt à Deo mota talis inferior potentia, reniten te Voluntate, talis potẽtia inferior dicatur violẽtari. Secũdò potest procedere quæstio de alijs reb⁹ inanimatis, vtrùm si moueãtur à Deo contra particularem inclinationem illarũ, vt lapis ad ascensum, violententur.

Not. 2. Secundò notandum, quòd, vt dicebamus in tertia sententia, ad huiusmodi motum contrarium Deus potest concurrere dupliciter. Primo, vt vniuersalis motor, propter aliquod bonum vniuersi, vt quando concurrit cum lapide ad ascensum, ne detur vacuum. Secundo modo potest cõcurrere vt agens particulare, non propter ordinem vniuersi, sed propter suam particularem voluntatẽ, qua hic & nunc pro sua libertate vult mouere sic: quod quidem esset miraculum & præter naturam. Et hoc adhuc dupliciter potest contingere. Primò, auferendò (verbi gratia) à lapide suam grauitatem, & dando leuitatem. Secundo modo sic, quòd stante grauitate, & concurrente Deo Author naturæ cum grauitate, vt actualiter grauitaret, simul concurreret vt particulare agens præter naturam, vt actualiter ascenderet.

1. Concl. Prima conclusio. Viuentia, tam rationalia, quàm irrationalia, possunt violentari à Deo quantum ad actus imperatos. Probatur, nam stante actuali resistentia Voluntatis vel appetitus bruti, & volente eo actualiter (verbi gratia) ambulare, potest detineri à Deo; & volente claudere oculos, possunt à Deo aperiri: ergo in tali actu vel cessatione patietur à Deo violentiam. Patet consequentia, quia talis motus, est passo non solùm non conferente vim, sed potiùs resistente: ergo est esse ei violentum talem motum. Dixi, quòd homo vel brutum violentatur in tali motu, quia ex parte totius hominis appetitus, qualis est Voluntas, est resistentia: non autem dixi, quòd ipsa potẽtia inferior à Deo mota violẽtatur; quia licèt talis potẽtia sit apta nata obedire Voluntati, magis tamen obedire Deo; vnde deficere in priori obedientia, vt exequatur secundam, non est talem potentiam inferiorem violentari, quia est facere secundùm sibi naturalius.

Secunda conclusio. Respectu aliarum rerum si Deus consideretur vt causa vniuersalis operans propter bonum vniuersi, nulla creatura potest à Deo cogi. Hæc probatur argumentis primæ sententiæ, & insuper probatur primò. Nam Deus vt causa vniuersalis non solùm potenter, sed suauiter etiam omnia disponit: ergo quidquid de creatura facit, iuxta naturam illius facit; nam si contra naturam eius faceret, non suauiter faceret: quòd ergo lapis ascendat ad supplendum vacuum, natura eius est, vt pars vniuersi, ad quam potius attendit, quàm ad particularem inclinationem, secundum quam appeteret descensum. *2. Concl.*

Tertia conclusio. Etiamsi Deus concurrat vt causa particularis; si tamen concurrat auferendo (verbi gratia) à lapide grauitatem & inclinationem particularem, vt ascendat; talis concursus erit præter naturam & miraculosus: certum tamen debet esse, talem motum non esse violentum. Probatur clarè, quia tunc ex vna parte passum habet potentiam obedentialem respectu Dei, & ex alia parte non manet in passo aliqua resistentia, quia tollitur principium ex quo possit habere illam: ergo nulla est violentia, quia, vt dictum est suprà, ad violentiam requiritur resistentia ex parte passi. Secundò probatur, nam aliàs sequeretur, omnia opera miraculosa esse violenta: consequens est falsum, & contra omnium Theologorum sententiam. Sequella probatur, quia si ad violentiam sufficeret qualitercunque à propria operatione retardari vel prohiberi, cum id contingeret in miraculis, vt cùm remoratus est Sol tempore Iosue, aut retroactus tempore Ezechiæ, aut cùm prohibitus fuit ignis ne consumeret rubum; interuenisset violentia, fuit enim sine dubio miraculum, quod rubus non combureretur; quod significauit Moyses, dicens: Vadam & videbo visionem hanc magnam, &c. Quo circa non est audiendus author *3. Concl.*

libri

libri de mirabilibus sacræ Scripturæ, qui falsò inscribitur D. Augustin. in quo, libr. 1. c. 16. dicit non fuisse miraculum, sed naturale illi rubo, vt in igne non cõbureretur, sed potius nutriretur: hoc enim falsum est, & author illius libri non est D. August. secundùm D. Tho. 3. p. q. 45. art. 3. ad 2. & alibi sæpe.

4. Concl. Quarta cõclusio. Si Deus consideretur vt causa particularis mouens lapidẽ ad ascensum, nõ tamen auferendo à lapide grauitatẽ, sed illa manente, concurreret vt Author naturæ ad actualem grauitationem, si hoc possibile esset dari, talis ascẽsus adhuc nõ esset lapidi violẽtus. Dixi in conclusione, Si hoc est possibile, nã censeo hoc repugnare, quòd Deus simul & semel concurrat cũ lapide ad ascensum & descẽsum; quia hoc esset sibi repugnare per concursum immediatũ ad vtrumque; posito tamẽ illo casu mõstroso, dixi, quòd etiã in ascensu lapis nõ violẽtaretur, sed dicendũ esset vtruque ei esse naturale, quatenus vtrũque esset à Deo, cui naturale est lapidi obedire. Itaque sicut suprà diximus de Voluntate, quòd si in illa, per possibile vel impossibile, ponerentur duo actus contrarij, neuter esset violentus, sed vterque secundùm inclinationem eius; ita in præsenti dicitur, quòd ascensus & descensus motus cõtrarij sunt; si tamen ad vtrumque lapis moueretur à Deo, naturaliter moueretur: verum est tamen, quòd naturaliùs descẽderet, quã ascenderet, quia ad descensum non solùm habet potentiam obedientialem, sed naturalem; ad ascensum autem solùm obedientialem, quæ tamen sufficit, vt ascensus non sit violentus.

Ad 1. arg. 2. sent. Ad argumẽta secũdæ sentẽtiæ, quæ militãt cõtra nostrã, respondetur. Ad primũ, negatur cõsequẽtia, quia respectu agentis particularis est resistẽtia in lapide ad ascensum, nõ autem respectu Dei, sed perfecta obediẽtia, quomodocunque Deus immediatè concurrat. Ad probationem dicitur, Deũ posse facere se solo, quod facit cum causa secũda: si tamen nõ sit habitudo formalis, vel aliqua imperfectio cõnotata ex parte causæ secũdæ ad effectũ: quapropter suprà dixim⁹, Deũ se solo nõ posse producere intellectionẽ in Intellectu creato: & etiã tertia parte dicitur, Deũ immediate mereri nõ posse; cũ tamẽ cũ creatura rationali cõcurrat ad meritũ; quia causa proxima merẽdi cõnotat inferioritatẽ ad illũ apud quẽ meretur: quod vtique Deo immediatè cõuenire non potest. Sic ergo in præsenti esse causam violentiæ, importat hanc imperfectionem in illa, quòd virtus eius sit limitata, cùm patiens possit resistere; quod Deo conuenire non potest.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum respondetur, quòd dupliciter potest Deus detinere dæmones in inferno. Primò immediatè per se ipsum: secundò, mediante igne, vt modò de facto detinet secundùm probabiliorem sententiam. Item dæmones dupliciter possunt considerari respectu talis detentionis. Primò physicè, vt natura quædam est Voluntas eorum; secundò moraliter, vt Voluntas eorum est deprauata. Dico ergo, quòd si Deus immediatè per se ipsum detineret dæmones, nullam violentiam paterentur, physicè loquendo; quia Voluntas eorum vt natura, plenam subiectionem ad Deum habet, sicut & quælibet alia creatura; paterentur autem violentiam moraliter, quatenus per Voluntatem deprauatam Deo resisterent per actum elicitum contrarium; sicut Diuus Thomas D. Tho. docet prima parte, quæstione 64. artic. 5. ad quintum, quòd dilectio qua dæmones naturaliter diligunt Deum, bona est; ipsa tamen abutuntur ad malum, ex deprauata Voluntate. Similiter si Deus moueret cœlum mediante Voluntate dæmonum, tũc Voluntas dæmonis vt natura est, moueret naturaliter cœlum, sicut modò mouet Voluntas boni Angeli: Voluntas tamen dæmonis vt deprauata, resisteret ordinationi diuinæ, & nollent illi obedire, vnde moraliter violenter moueret cœlũ ex parte mouentis, physicè tamẽ moueret naturaliter: ex parte autem mobilis omnibus modis motus esset naturalis, quia non respicit motorem in genere moris, sed in genere physico. Et si contra facias argumentum, Obiectio. nam sequeretur, quòd illa detentio dæmonum simpliciter & absolutè non haberet rationem pœnæ. Consequens est falsum: ergo. Sequela probatur, nam de ratione pœnæ est quòd sit inuoluntaria: si ergo illa detentio tantùm est inuoluntaria moraliter, & non physicè, non erit pœna simpliciter, sed secundùm quid, quia consideratio moralis, est minùs principalis; immò maiorem difficultatem haberet de animabus Purgatorij, in quibus nec etiam est resistentia moralis, cùm omnino per Voluntatem conformentur Deo punienti: Respondetur, Solutio. quòd vt talis detentio sit pœna, sufficit illa resisten-

resistentia moralis in dæmonibus; nam pœna genus moris respicit, ad bruta enim pœna non se extendit, & animæ Purgatorij, licèt nec hanc resistentiam moralem habeant per actum absolutum, quia sic Deo conformantur, habent tamen illã per actum conditionatum, quo nollent sic pati, si Deo placeret: & hoc inuoluntarium etiam secundùm quid, sufficit, vt sit pœna simpliciter. Vel secũdò dicitur, quòd vt sit pœna illa detentio, sufficit vt ille locus sit disconueniens perfectioni naturali dæmonum vel animarum, siue resistant, siue nõ resistant per voluntatem. Si autem loquamur de detentione quã Deus facit mediãte igne, tunc dicimus, illam detentionẽ esse violentã, & physicè, & moraliter; moraliter, ratione iam dicta; physicè autẽ, quia respectu ignis natura dæmonis non plenè subijcitur: in tantum enim quælibet creatura plenè subijcitur Deo per obedientiã, in quantum virtus diuina in infinitũ excedit quodcunque passum; virtus autem cuiuslibet creaturæ finita est, vnde respectu alterius creaturæ non potest esse perfecta obedientia. Nec valet, dicere, quòd ignis cõcurrit instrumentaliter respectu Dei; vnde qua ratione dæmon subditur physicè Deo, debet etiam subdi actioni ignis. Non (inquam) valet, quia licèt ignis concurrat vt instrumentum Dei, semper tamen per virtutem finitam; nã actio principalis agẽtis limitatur in instrumento. Et si rursus arguas, quòd in tãtum passum resistit, in quãtum agens non superexcedit per propriã virtutem, vt plenè subijciat sibi passum; sed potest agens tantũ crescere in virtute citra infinitũ, vt omnino superexcedat ad passum, & perfectè illi dominetur: ergo etiam respectu creaturæ sine infinita virtute poterit esse perfecta obedientia in passo, ita vt etiam si motus sit cõtra naturam particularem mobilis, non sit etiam violentus. Propter istam replicam aliqui dicunt, quòd licet defacto à quacunque creatura eleuetur lapis, violentatur; de potentia tamen absoluta posset Deus tantam virtutem communicare agenti, vt per excessum virtutis lapis resistere non posset, & sic nec violentaretur in ascensu; & hoc peculiariter dicunt contingere in instrumentis diuinis, quòd tanta eorum est perfectio communicata, vt passum non resistat; & sic dicunt contingere in igne inferni. Mihi tamen videtur, quòd loquẽdo de agentibus creatis (verbi gratia, respectu proiectionis lapidis) prædicta solutio non habet probabilitatem; quia nunquam virtus agentis creati tantùm potest crescere, vt lapis non resistat, vel non habeat inclinationem ad descensum; quod requirebatur, vt nõ esset violentus ascensus: hoc enim solũ est priuilegiũ virtutis diuinæ, vt creatura potiùs inclinetur ad id ad quod virtute diuina ducitur, quàm ad propriũ finem particularem. Loquendo tamen de instrumẽtis diuinis, probabilissima est solutio data; quia cũ actio instrumenti nõ tribuatur instrumento, sed causæ principali, tunc passum diceretur cogi à Deo, etiãsi per instrumentũ pateretur; quod tamen cõcedi non debet. Melius tamen dicitur iuxta prædicta, quòd licèt immediatè à Deo creatura nõ possit violentiã pati; bene tamen mediante instrumẽto, quia iam interuenit inter agens & patiens aliquid, in quo reducatur imperfectio cõnotata in violentia: potest enim violentari, non quia plenè Deo nõ subijciatur, sed quia nõ plenè subijcitur instrumento in quo virtus diuina necessariò limitatur. Et idẽ dicendũ est de animabus Purgatorij, atque de dæmonibus, quantũ ad violentiã physicã respectu ignis; & solùm ponẽda est differentia moralis, quòd dæmones per Voluntatẽ depraua-tam resistant supplicio; animæ autem Purgatorij conformentur illi.

Solutio. 2.

Obiectio.

Solutio.

Ad tertiũ arg. resp. peculiare esse Volũtatis, ab intrinseco habere nõ posse cogi, neq; à Deo, neq; à creatura; alia autẽ à Volũtate, licèt à Deo cogi nõ possint, possunt tamẽ cogi ab agẽtibus creatis. Ex dictis suprà patet, quid sit dicendũ de receptione formæ vel habitus in Volũtate, vtrũ in illa possit esse violẽtia. Dicim⁹ enim, quòd possum⁹ loqui vel in ordine ad aliã creaturã, vel in ordine ad ipsam volũtatẽ suis actibus producentẽ talẽ habitũ vel qualitatẽ: aut verò loqui possumus in ordine ad Deum talem habitum producentẽ. In ordine quidem ad aliam creaturã non est difficultas, quia nulla creatura potest producere habitum vel qualitatem in voluntate; respectu autem sui producentis talem habitum proprijs actibus, violẽtia esse non potest; quia talis productio non esset ab intrinseco; loquẽdo autem respectu Dei, debet responderi per distinctionem suprà positam de resistentia physica & morali, quòd cũ physicè Voluntas vt natura, Deo nõ resistat, talis receptio habitus violẽta esse nõ potest; moraliter autem potest esse resistentia: actuali-

Ad 3. arg.

Corol.

actualiter enim nolente Voluntate posset infundi à Deo talis habitus: vnde talis recep tio moraliter esset violenta, quod esset secundùm quid. Sed de hoc latiùs suprà in hoc articulo, dubio primo.

ARTICVLVS V.

Vtrùm violenria causet inuoluntarium.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quòd violentia non causet inuoluntarium. Voluntarium enim & inuoluntarium, secundùm Voluntatem dicuntur: sed Voluntati violentia inferri non potest, vt ostensum est: † ergo violentia inuoluntarium causare non potest.

Supra. ar. 4 cor. & infra ar. 6. ad 1. & q. 73. art. 6. cor. & 2. 2. q. 88. ar. 6. ad 1. & ma. q. 6. cor.

Art. præc.

Secundò præterea. Id quod est inuoluntarium, est cum tristitia, vt Damascenus & Philosophus dicunt; † sed aliquando patitur aliquis violentiam, nec tamen inde tristatur: ergo violentia non causat inuoluntarium.

Lib. 2. cap. 24. 3. Eth. c. 1. to. 5.

Tertiò præterea. Id quod est à Voluntate, non potest esse inuoluntarium: sed aliqua violenta sunt à Voluntate, sicut cum aliquis cum corpore graui sursum ascendit; vt sicut cùm aliquis inflectit membra, contra naturalem eorum flexibilitatem: ergo violentia non causat inuoluntarium.

Sed contra est, quod Philosophus & Damascenus dicunt, † quòd aliquid est inuoluntarium per violentiam.

Locus i. argu. 2. iam citatis.

Respondeo dicendum, quòd violentia directè opponitur voluntario, sicut etiam & naturali. Commune est enim voluntario & naturali, quòd vtrumque sit à principio intrinseco: violentum autem est à principio extrinseco; & propter hoc, sicut in rebus quæ cognitione carent, violentia aliquid facit contra naturam, ita in rebus cognoscentibus, facit aliquid esse contra Voluntatem: quod autem est contra naturam, dicitur esse innaturale: & similiter quod est contra Voluntatem, dicitur esse inuoluntarium; vnde violentia inuoluntarium causat.

Ad primum ergo dicendum, quòd inuoluntarium voluntario opponitur. Dictum † est autem suprà, quòd voluntarium dicitur non solùm actus qui est immediatè ipsius Voluntatis, sed etiam actus à Voluntate imperatus. Quantum igitur ad actum qui est immediatè ipsius Voluntatis, vt suprà dictum est, † violentia Voluntati inferri non potest: vnde talem actum violentia inuoluntarium facere non potest: sed quantum ad actum imperatum, Voluntas potest pati violentiam: & quantum ad hunc actum violentia inuoluntarium facit.

Art. præc.

Art. præc.

Ad secundum dicendum, quòd sicut naturale dicitur, quod est secundùm inclinationem naturæ: ita voluntarium dicitur quod est secundùm inclinationem Voluntatis.

tis. Dicitur autem aliquid naturale dupliciter. Vno modo, quia est à natura, sicut à principio actiuo: sicut calefacere, est naturale igni. Alio modo secundùm principium passiuum, quia scilicet est innata inclinatio ad recipiendum actionem à principio extrinseco; sicut motus cœli dicitur esse naturalis, propter aptitudinem naturalem cœlestis corporis ad talem motum, licèt mouens sit voluntarium. Et similiter voluntarium potest aliquid dici dupliciter. Vno modo secundùm actionem, putà cùm aliquis vult aliquid agere. Alio modo secundùm passionem, scilicet cùm aliquis vult pati ab aliquo exteriori, manente in eo qui patitur Voluntate patiendi, non est simpliciter violentum; quia licèt ille qui patitur, non conferat agendo, confert tamen volendo pati, vnde non potest dici inuoluntarium.

Ad tertium dicēdum, quòd sicut Philosophus dicit in octauo Physicorum, † *motus animalis, quo interdum mouetur animal contra naturalem inclinationem corporis, etsi non sit naturalis corpori, est tamen quodammodò naturalis animali, cui naturale est, quòd secundùm appetitum moueatur, & ideò hoc non est violentum simpliciter, sed secundùm quid. Et similiter est dicendum, cùm aliquis inflectit membra contra naturalem dispositionem: hoc enim est violentum secundùm quid, scilicet quantum ad membrum particulare, non tamen simpliciter quantum ad ipsum hominem.*

Tex. 37. tom. 2.

Conclusio est affirmatiua.

DVBIVM PRIMVM,

Vtrùm conclusio Diui Thomæ verum habeat.

PRobatur quòd non. Primò. Si virgini inferatur vis, qua opprimatur, ea resistēte aliquantulū, non tamen quantum potest & debet, interiùs tamen non consentiente; ille motus est violentus, cùm passum non conferat vim, sed potiùs illi displiceat; & tamen non est inuoluntarius; ergo violentia non causat inuoluntarium. Minor probatur. Imputatur illi ad peccatum, quia poterat & tenebatur in tantum resistere, & non restitit: ergo non est inuoluntarius, sed potiùs voluntarius; quia voluntarium est de ratione peccati. *1. Arg.*

Secundò arguitur. Si aliquis trahat aliū, illo merè negatiuè se habente, ita vt nec velit nec nolit pergere quò fertur, tunc ille motus est coactus, & tamen non inuoluntarius: ergo. Maior patet, nam est à principio extrinseco: ergo coactus. Minor probatur, quia non est contra Voluntatem, cùm supponatur se habere merè negatiue: ergo non est inuoluntarius; nam inuoluntarium dicit actum contrarium. *2. Arg.*

Tertiò arguitur. Cùm Martyres trucidabantur à tyrannis, inferebatur eis violentia; & tamen non est illis inuoluntaria mors & passio, sed potius grata & concupita: ergo. Probatur minor, quia ad martyrium requiritur, mortem esse voluntariam, vt est videre in Diuo Vincentio in tormentis posito dicente: Hoc est quod semper optaui, & votis omnibus exquisiui: atque candentis ferri rogum voluntariè ascendens, moras carnificum arguebat, nec tristabatur. *3. Arg.*

Quartò arguitur. Si quis compellatur exterius adorare idôlum, & propter metum id faciat, interiùs tamen dissentiat, & abominetur illud, talis adoratio est violenta, cùm sit ab extrinseco; & tamen est volūtaria: ergo coactio non tollit volūtariū. *4. Arg.*

Quintò

5. Arg. Quintò arguitur. Si propter aliquam rationē violentia excluderet voluntariū,
D. Thom. maximè quia, vt dicit D. Thom. sunt cō traria: sed hæc ratio supponit falsum: ergo. Probatur minor. Contraria sunt circa idem subiectum: voluntarium & violentum non sunt circa idem subiectū: ergo non sunt contraria. Ista vltima minor probatur, nam subiectum voluntarij est voluntas, non autē est subiectū violenti, quia, vt suprà diximus, in voluntate violentū esse non potest ergo non sunt circa idem subiectum. Si respondeatur cum
Solutio. D. Thom. violentum & violentariū imperatum esse in eodem subiecto, & quod respectu istius voluntarij est violentia,
Impugn. istudque excludit: Cōtra arguitur, quia subiectū vnius cōtrarij debet esse in quo primò & perse subiectatur aliud contrarium; voluntarium autem primò & per se est in voluntate; ergo voluntas deberet esse subiectum violenti, si violentum & voluntarium essent contraria.

6. Arg. Vltimò arguitur. Si quis baptizetur dormiens, in quo nulla præcesit volūtas Baptismi, patitur violentiam, quia est ab extrinseco, & tamen non est inuoluntarius: ergo. Probatur minor, quia solùm est non voluntarius: vt enim esset inuoluntarius, deberet habere vel habuisse nolitionem Baptismi: supponimus autem nullum actum habuisse.

Not. 1. Pro intelligentia notandum primò, violentum sumi dupliciter: actiuè, & passiuè. Actiuè sumitur pro virtute quam agens applicat vt moueat subiectū ad agendum vel recipiendum aliquid contra eius inclinationem. Passiuè autem sumitur pro ipsa actione vel passione receptacontra inclinationem subiecti. Cōclusio ergo Diui Thomæ non solùm intelligitur de violentia priori, sed etiam posteriori modo: licèt aliqui contrarium tentant, dicentes quòd violentia actiuè sumpta cùm distinguatur ab eo quod efficit in subiecto contra eius inclinationē, potest esse causa, & sic est vera propositio Diui Thomæ, quòd violentia causat inuoluntarium; si autem sumatur violētia passiuè, cùm non distinguatur ab ipso effectu violento, nō potest verificari in sensu causali, sed tantū identico, quòd violētia causet inuoluntarium. Nos tamē dicimus, quòd siue actiuè, siue passiuè sumaturviolentia, causat inuoluntarium; quia vt passiuè sumpta violentia dicatur causare inuoluntarium, non requiritur distinctio realis, sed sufficit formalis; per ly Enim causat, non intelligitur propria causalitas, ad quam sine dubio requiritur distinctio realis causæ & effectus; sed intelligitur causa vel ratio, vnde in eodem motu ratio violenti est ratio essendi inuoluntarium, & sic etiam verificatur quòd violentia causat inuoluntarium.

Not. 2. Secundò notandum, quòd violentia, altera est simpliciter, altera secundùm quid. Simpliciter est applicatio virtutis sufficientis ad effectum, etiam omnino renitente voluntate; vt cùm aliquis mouet brachium alterius, ipso omnino nolente; qua propter ista violentia ab aliquibus solet appellari sufficiens & compellens, & à Iurisperitis appellatur absoluta & præcisa: violentia verò secundùm quid, est, cùm virtus quæ applicatur non sufficit ad effectum, nisi simul etiam concurrat voluntas; vocatur autem hæc, violentia, quia est contra inclinationem aliquam subiecti, scilicet contra desiderium aut volitionem ineffi-cacem siue velleitatem, non tamen dicitur violentia simpliciter, quia non est contra maiorem inclinationem subiecti, scilicet contra volitionem absolutam & efficacem, cùm potius tunc habeat voluntatem absolutam & efficacem respectu effectus ad quem compellitur, & vocatur hæc violentia à Iurisperitis conditionata, quia requirit concursum voluntatis: ab alijs autem appellatur insufficiens & impellens, quia illa non sufficit ad effectum, sed solùm inducit & impellit voluntatem. Hæc distinctio violentiæ ponitur in cap. Maiores, de Baptismo & eius effecto, & communiter à Iurisperitis, vt docet Couarruuias in
Couarruu. Epitome in 4. Decretalium, 1. p. §. 1. nu-12 vbi etiā adducit alios textus Iuris Canici, ex quibus colligitur hęc distinctio.

Concl. Cōclusio ergo D. Thomæ est certa, & probatur primò vt ab ipso, ex definitionib⁹ volūtarij & violēti, cū enim illud sit à principio intrinseco, hoc verò ab extrinseco, nō potest esse idē volūtariū & violētū. quocirca violētū excludit voluntariū, causatq; inuolūtariū. Secūdò probatur, nā actib⁹ violētis nec meremur nec demeremur, neq; in eis est la⁹ aut vitupe riū, nō autē alia de causa, nisi quia huiusmodi act⁹ nō sunt volūtarij: ergo violētū excludit volūtarium. Tertiò probatur

Id circò in operationibus aliarum potentiarum est violentia, quia huiusmodi actus sunt contra inclinationem voluntatis resistentis, quæ resistentia necessariò, debet esse per actũ formalem aut virtualem nolitionis: ergo violentia inuoluntarium causat; nolle enim aliquid, idem est quod illud esse inuoluntarium.

Ad 1. arg. Ad primum argumẽtum à principio respondetur, de illo casu esse varias opiniones. *Cait.* Caietanus enim 2.2.q.151.art.2. circa solutionem ad secundum, & q.154. art.4. circa solutionem ad secundum, dicit, quòd si puella non resistat omni modo quo potuerit, vel clamauerit, etiã cũ periculò mortis vel infamiæ aggressores, nõ patitur violẽtiam, sed censenda est volũtaria & consentiens stupro, & sic peccare. *Soto.* Aliter autẽ sentit Soto libr. 5. de just. *Nauar.* q.1. ad tertium, & Nauarr. c.16.n.1. & 12 dicunt enim, sufficere, quòd puella non consentiat, etiamsi nõ resistat modo prædicto in altera opinione, vt dicatur inuoluntaria, & violentiam pati & non peccare, Nos tamẽ via media procedimus, prænotando in hoc & consimilibus casibus, aliud esse quòd oppressus potest facere; aliud verò quòd teneatur facere; multoties enim aliquis potest aliũ occidere, & non tenetur illud facere, vt aggressus à latrone, nõ solũ vt vitã, sed etiã vt pecunias (si in magna quantitate sint) defendat, posset latronẽ occidere, non tamen ad id tenetur; sed potest ei dimittere pecunias, si velit: vt ergo effectus imputetur, vt ex supradictis patet, non sufficit posse, sed requiritur teneri; vnde in casu puellæ inspiciendũ est quæ possit facere, quæ verò teneatur facere; quia nõ imputabitur ei stuprũ, si non faciat quod potest, sed si non faciat quod tenetur; Certũ ergo debet esse, quòd puella potest seruare se indemnem cũ damno aggressoris, iuxta qualitatem tamẽ damni imminentis; v.g. vt euitet osculũ, non potest occidere, potest tamen alapas infligere. Similiter vt euitet tactũ impudicũ, nõ potest occidere, potest tamen gladio ferire; vt autẽ actũ stupri vitet, etiã morte & infamiã in aggressorẽ potest inducere; quæ tamẽ teneatur facere, loquendũ est sub distinctione; nã vel illa mulier est in periculo morali cõsentiẽdi in ipso actu, aut verò nõ est in tali periculo: si quidẽ sit hoc secundo modo, non tenetur in ferri mortẽ, vel infamiã vel [illegible] nẽ; sed sufficit priuatis viribus manibus se defendere quãtũ potuerit; quia præceptũ de defensione vt nõ strupetur, est affirmatiuũ, & nõ obligat pro semper & cum tãto nocumẽto; vnde tunc, etiam si maiorẽ diligentiã non faciat, actus est inuolũrius & violẽtus; quia amplius non tenetur facere, quod requirebatur vt esset voluntariũ & imputaretur. Si autẽ se habeat priori modo, quòd sit in periculo morali cõsentiendi, tunc tenebitur adhibere omne mediũ vt non strupetur, etiã mortẽ & infamiã viri; quia cũ præceptũ non fornicãdi, quod frangitur per cõsensum, sit negatiuũ, obligat semper & prosemper; vnde omne mediũ tenetur adhibere, & si non adhibeat resistentiã à posteriori colligitur esse inefficacẽ, absolutè autẽ velle fornicare, & sic se habere, sicut qui operatur ex metu; qui licèt causet inuolũtariũ secundũ quid, non tamẽ simpliciter: venire autẽ in cõsensum, ne occidat, vel infamet, vel clamet, licèt aliàs nollet cõsentire, est operari ex metu, qui non deberet illã cohibere à vociferando, sicut nõ cohibuit Susannã, quæ non obstante metu famæ vel vitę fecit omnia quæ potuit, etiã vociferando: & hoc videtur docere D. Augustinus. *D. Aug.* 1. de Ciuitate, cap. 18. vbi docet, quòd Castitas est virtus animæ, quæ comitẽ habet Fortitudinẽ, quæ potiùs quæ libet mala tolerare, quã mala consentire decreuit. Quia tamẽ de imbècillitate mulierũ non est Fidendũ in praxi, consulendũ est eis, vt se defendãt, etiã cũ morte alterius, qui etiãsi sit clericus, illa non manet excõmunicata, quia est in propriam defensionem, immò nec irregularis, si esset vir, vt vitaret sodomiam.

Ad secundũ aliqui respondent, quòd *Ad 2. arg.* tunc ille virtualiter est volũtarius, siquidẽ potest resistere, & non resistit tali tractioni; vnde illa tractio non est violenta: Sed certè isti nõ respõdent ad casum propositũ: nã quãdo est formalis vel virtualis resistentia, nõ est merè negatiuè se habere; hoc enim importat ad neutrã partẽ inclinari, dicere autẽ, quòd quia poterat & non fecit, virtualiter consentit, nihil valet, quia etiã posset oppositũ, & non ideò dicitur virtualiter declinare in oppositũ, si ergo neutrius partis sit obligatio, etiam si ad quam libet possit, potest actum circa vtrũque suspendere, vt merè negatiuè se habere; & tunc respondetur ad argu-

tus, quia non est resistentia passi; nec etiã est voluntarius, quia non est consensus formalis nec virtualis, sed est non voluntarius, & sic se habet in illo, ac si non haberet voluntatem, nec esset compos rationis; sed iudicandum est de illo homine ac si esset vestia, & quælibet res insensibilis, cui in genere physico ille motus esset naturalis, & non violentus respectu potentiæ passiuæ ad totum motum; sic dicendum est de motu illius hominis tracti, quivtique non intrat genus moris in illo casu; casus tamen est metaphysicus, nam moraliter loquendo, si aduertit, semper formaliter vel virtualiter in alteram partem inclinat; nam vel motus est conueniens, vel disconueniens: si conueniens, consentit; si disconueniens, displicet ei. Item in rebus pertinentibus ad præcepta, etiam si videatur non esse actus voluntatis, attendendum est, vtrùm teneatur, vel non teneatur vitare motum; & sic iudicandum erit, vtrum consentiat, vel non consentiat; si enim tenetur vitare, videtur consentire; & sic habet verum quòd qui tacet consentire videtur. Vt autem videatur, vtrùm teneatur vitare motum, vel non, respiciendum est non solùm ad motum materialiter, sed attendẽdum est ad causas vel necessitatem illius; si enim sit causa necessaria, etiam si motus appareat prohibitus, non tenetur illum vitare; bene autem si causa nõ est necessaria. Verbi gratia, si in confessario insurgat motus carnis, immô & si sequatur pollutio, sine consensu tamen illius, non tenetur non audire confessionem, nec propterea censendum est cõsentire in talem motum. Idem dicendum est de Chyrurgo in sui officij exercitio. Si autem talis motus carnis, vel pollutio sequatur ex tactibus quibuscunque non necessarijs, aut cogitatione non necessaria, merè negatiuè in apparentia se habere, est virtualiter consentire, quia tunc tenebatur repellere talem motum, vnde non repellendo, imputatur ei.

Ad 3. Arg. Ad tertium respondetur, quòd mors Martyris potest considerari dupliciter. Vel ex parte tyranni; vel ex parte martyris. Primo modo est violenta & inuoluntaria Martiri; quia ipse non vult vt alter sit tyrannus & persequutor. Secũdo autem modo, sicut mors est voluntaria Martyri ita non est ei violenta: vt etiã dicitur de passione Christi Domini, quòd passio fuit voluntaria & grata; actio verò ex parte Iudæorum displicuit Deo & Christo Domino.

Ad 4. arg. Ad quartum argumentum respondetur, quòd illo multipliciter se potest habere. Primò, vt omnino repugnanter ab extrinseco applicante ponatur os supra Idòlum. Isto modo certum est adorationem esse violentam, & omnino inuoluntariam, & ibi maximum meritum interuenire. Secundo modo se potest habere, quòd licèt in principio nolebat adorare, in prosequtione tamen mutauit sententiam, & quantum ad exterius negãdo verum Deum, & quantum ad interius exhibendo cultũ Idòlo. De isto certũ est formaliter esse idololatram, & amittere Fidem, illumque actu adorationis esse absolutè voluntarium, incurrereque omnes pœnas apostatis in Iure positas. Tertio modo potest se habere, quòd interius retineat Fidem, exterius tamẽ adoret Idõlum, vt legitur de Marcellino cap. Nunc autem 21. dist. Iste quidem non amittit Fidẽ; licèt in tali adoratione externa grauiter peccet, cùm teneretur illi resistere; vtrùm autem incurrat pœnas Iuris, vt ex cõmunicationis, &c. tractat Caiet. 2. 2. q. 94. art. 1. & Nauarrus c. 11. n. 27. inter se dissidentes, quia Caiet. dicit illas incurre; Nauarr⁹ autẽ, quòd in foro exteriori tantũ, non autẽ in foro conscientiæ. In isto ergo casu dicimus, quòd illa adoratio nõ est violenta, sed volũtaria, licèt ex metu fiat; quia, vt dicitur articulo sequenti, metus non causat inuoluntariũ simpliciter, nec est eadem ratio de metu & violẽtia, vt infrà dicetur. *Caiet.* *Nauarro.*

Ad 5. arg. Ad quintũ bene ibi respõsum est. Ad replicã respondetur, nõ esse in rigore contraria, sed potius reduci ad contradictoria, vnde nihil interest, subiectũ primariũ vtriusque esse diuersum. Vel aliter dicitur, quod contrariorũ subiectũ totale debet esse idẽ, nõ autẽ requiritur, quòd partialiter idẽ sit: itaque cõtraria dummodô sint in eodẽ subiecto totali (v.g. in eodem homine) nõ requiritur esse in eade parte, maximè de cõtrarijs subiectatis in potentijs; propter colligationẽ enim potẽtiarũ existens in vna potẽtia, potest esse cõtrariũ existẽti in alia: cũ ergo aliæ potẽtię tã colligationẽ habeat cũ volũtate in exequutione suorũ actuum, reputãtur quasi idẽ vt sic violẽtia quę tãtũ in alijs potẽtijs esse potest, dicatur contraria voluntario, *2. Solut.*

quod primò & per se est in voluntate.

3. *Solutio.* Vel tertiò clariùs respondetur, quòd violentia non contrariatur voluntario elicito, quia nulla potest esse violentia excludens huiusmodi voluntarium, vt dictum est, sed contrariatur voluntario participato, & hoc excludit violentia, faciens vt opus quod aliàs debebat voluntarium participare nō participet: subiectum autem etiam primarium huiusmodi voluntarij non est voluntas, sed aliæ potentiæ imperabiles ab illa, quę quidem sunt etiã subiectum violentiæ; quapropter circa idem subiectum versantur.

Ad 6. arg. Ad sextum respondetur, quòd qui baptizatur, multipliciter se potest habere. Primò spontanee formaliter vel virtualiter consentiendo, de quo non est dubium quin sit baptizatus. Secundo modo se potest habere omnino repugnans, nec aliquo modo habens voluntatem Baptismi, sed potiùs contrariam, formalem vel virtualem; & de hoc non etiam dubium, quin non mancat baptizatus. Nec facit in contrarium quod in cap. de Iudęis, distinct. 45. diffinitur, eos qui tẽpore Sisebuti Regis coacti sunt venire ad Christianitatem, qui iam susceperant Baptismum & alia Sacramenta, compellendos esse, vt Fidem quam vi susceperant, tenerent; non (inquam) obstat, quia *Innoc. 3.* Innocent. III. in cap. Maiores, de Baptismo & eius effectu, explicat id habere verum, quia licèt aliqua vis interuenerit, & fuerit inuoluntarium secundùm quid, nõ tamen fuit violentia simpliciter, sed simpliciter fuerant voluntarij. Nos autem in præsenti non dicimus, quamcunque violentiam excludere voluntarium, sed violentum simpliciter. Tertio modo se potest habere baptizatus, scilicet purè negatiuè; & in isto casu dicimus, illum motum lotionis non esse violentũ, sed neq; esse moralem, sed esse quasi lotionem lapidis; sicut diximus de illo qui merè negatiuè se habẽs traheretur; vnde ille Baptismus non esset validus; non quia suscipiens repugnaret, sed quia vt sit validus, requiretur consensus & intentio suscipiẽtis; quæ tamen non reperitur in marè negatiué se habente, vel indormiente, in quo nullus actus Baptismi præcessit. Doctrina est Nauarri in cap. Maiores, allegato. Et si contra dicas, quòd in eodem Textu dicitur, characterem sacramẽtalẽ imprimi, cùm obicem contrariæ voluntatis non inuenit obsistentem: Respondetur, quòd licèt supponatur, merè negatiuè se habere in particulari circa Baptismum, de quo forsitam nunquàm cogitauit; adinuenit tamen baptismus contrariam voluntatem obsistentem, nempe illam quam saltem interpretatiuè quis habet, vt de illo non disponatur ab alio, maximè in re graui, sine illius consensu. *Nauarrus, Obiectio.* *Solutio.* *Not.* No tandum tamen, doctrinam positam in secundo modo se habendi; quòd etiam si interuenerit aliqua vis, si tamen absolutè voluit baptizari, Baptismum fuisse validum; non esse generalem, nec in omnibus materijs habere verum; in receptione enim Sacramentorum voluntas absoluta sufficit ad impressionem characteris: vnde illud quod diximus de Baptismo, contingeret in Sacerdotio: id autem non sufficeret in Matrimonio, quod si coactum sit, etiam secundùm quid, & simpliciter volitum, si tamen coactio esset grauis, Matrimonium non valeret; vt dicitur in sua materia. Idem contingit in emptionibus & venditionibus, non enim valent huiusmodi cõtractus, etiam si simpliciter sint voliti; si aliqua coactio grauis interuenerit. Similiter de vouente solemniter Religionem dicendum est non esse validã professionem, etiam si simpliciter sit voluntaria, si interuenerit grauis coactio. Similiter in obseruantia legũ positiuarũ, fractio alicuius legis nõ imputatur, etiã si simpliciter sit nolita; si tamen interueniat aliqua grauis coactio; vt v. g. si metu mortis aliquis comedat carnes in feria sexta; si Sacerdos celebret corã Principe excõmunicato; quia tales leges non obligat cũ tali dispẽdio; secus est, si huiusmodi intẽtarent vt à cõtrario fieri in irrisionẽ Fidei, tunc enim, etiã si coactio interueniat, & mors, debent leges obseruari, & aliàs fractio legis imputatur. Sed de his latiùs articulo sequenti.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm metus causet inuoluntarium simpliciter.

Inf. ar. 7. ad 1. & 2. & 2. d. 29. q. 1. ar. 2. & quodl. 5. art. 10. & 2. cor. cap. 9. cor. 3. & 3. Ethic. cor. 2 & 4. fin.

AD SEXTVM *Sic proceditur. Videtur quòd metus causet inuoluntarium simpliciter.*

simpliciter. Sicut enim violentia est respectu eius quod contrariatur præsentialiter voluntati, ita metus est respectu futuri mali quod repugnat voluntati: sed violentia causat inuoluntarium simpliciter: ergo & metus inuoluntarium simpliciter causat.

2. Præterea. Quod est secundum se tale, quodlibet addito remanet tale; sicut quod secundum se est calidum, cuicunque coniungatur, nihilominus est calidum ipso manente: sed illud quod per metum agitur, secundùm se est inuoluntarium: ergo etiam adueniente metu est inuoluntarium.

3. Præterea. Quod sub conditione tale est, secundùm quid est tale: quod autem absque conditione est tale, simpliciter est tale; sicut quod est necessarium ex conditione, est necessarium secundùm quid: quod autem est necessarium absolutè, est necessarium simpliciter: sed id quod per metum agitur, est inuoluntarium absolutè; non est autem voluntarium nisi sub conditione, scilicet vt vitetur malum quod timetur: ergo id quod per metum agitur, est simpliciter inuoluntarium.

*Sed contra est quod Gregor. Nicen. dicit, * & etiam Philosophus, † quòd huiusmodi quæ per metum aguntur, sunt magis voluntaria, quã inuoluntaria.*

*Respondeo dicendum, quòd sicut Philosophus dicit in 3. Ethicor. * & idem dicit Gregor. Nicen. in lib. suo de homine, † huiusmodi quæ per metum aguntur, mixta sunt ex voluntario & inuoluntario. Id enim quod per metum agitur, in se consideratum, non est voluntarium, sed fit voluntarium in casu, scilicet ad vitandum malum quod timetur. Sed si quis rectè consideret, magis sunt huiusmodi voluntaria, quàm inuoluntaria. Sunt enim voluntaria simpliciter, inuoluntaria autem secundùm quid. Vnumquodque enim simpliciter esse dicitur secundùm quod est in actu: secundum autem quòd est in sola apprehensione, non est simpliciter, sed secundùm quid. Hoc autem quod per metum agitur, secundùm hoc est in actu secundùm quod fit; cùm enim actus in singularibus sint, singulare autem in quantum huiusmodi est hic, & nunc, secundùm hoc id quod fit est in actu, secundùm quod hic est, & nunc, & sub alijs conditionibus individualibus. Sic autem hoc quod fit per metum, est voluntarium, in quantum scilicet est hic & nunc, prout scilicet in hoc casu est impedimentum maioris mali, quod timebatur: sicut proiectio mercium in mare fit voluntarium tempore tempestatis, propter timorem periculi; vnde manifestum est, quòd simpliciter voluntarium est, vnde & competit ei ratio voluntarij: quia principium eius est intra. Sed quod accipiatur id quod per metum fit, vt extra hunc casum existens, prout repugnat voluntati, hoc non*

* Lib. 5. c. 1 ante medũ, † lib. 3. Ethic. c. 1. nõ multum procul a principio.

* Li. 3. Eth. c. 1. nõ remote â princip. † Nic. lib. 5. c. 1.

est nisi secundùm rationem tantùm: & ideò est inuoluntarium secundùm quid, idest, prout consideratur extra hunc casum existens.

Ad primum ergo dicendum, quòd ea quæ aguntur per metum & per vim, non solùm differunt secundùm præsens & futurum: sed etiam secundùm hoc quòd in eo quod agitur per vim, Voluntas non consentit, sed omnino est contra motum Voluntatis: sed id quod per metum agitur, fit voluntarium ideò, quia motus voluntatis fertur in id, licèt non propter se ipsum, sed propter aliud scilicet ad repellendum malum quod timetur: sufficit enim ad rationem voluntarij, quòd sit propter aliud voluntarium. Voluntarium enim est, non solùm quòd propter se ipsum volumus vt finem, sed etiam quod propter aliud volumus vt propter finem. Patet ergo, quòd in eo quod per vim agitur, voluntas interior nihil agit, & ideò, vt **Lib. 5. c. 1.* *Gregor. Nicen dicit,* * *ad excludendum ea quæ per metum aguntur, in definitione violenti, non solùm dicitur quòd violentum est cuius principium est extra, sed additur, Nihil conferente vim passo: quia ad id quòd agitur per metum, voluntas timentis aliquid confert.*

Ad secundum dicendum, quòd ea quæ absolutè dicuntur, quolibet addito remanent talia; sicut calidum & album: sed ea quæ relatiue dicuntur, variantur secundùm comparationem ad diuersa; quod enim est magnum comparatum huic, est paruum comparatum alteri. Voluntarium autem dicitur aliquid non solùm propter se, quasi absolutè, sed etiam propter aliud, quasi relatiuè: & ideò nihil prohibet, aliquid quod de se non esset voluntarium, alteri comparatum fieri voluntarium per comparationem ad aliud.

Ad tertium dicendum, quòd illud quod per metum agitur, absque conditione est voluntarium, idest, secundùm quod actu agitur: sed inuoluntarium est sub conditione, idest, si talis metus non immineret; vnde secundùm illam rationem magis potest concludi oppositum.

Prima conclusio. Quæ fiunt ex metu, mixta sunt ex voluntario & inuoluntario. *1. Conclu.*

Secunda conclusio. Ista magis sunt voluntaria, quàm inuoluntaria; sunt enim voluntaria simpliciter, & inuoluntaria secundùm quid. *2. Concl.*

Materia huius articuli quam maxime necessaria est, & ampliſsimam viam parat ad cognoscendum, vtrùm contractus iuramenta, vota, & matrimonia ex metu facta, valida vel inualida sint: vnde eius litera maximè est notanda, & ante illius explicationem præsupponendum ex Diuo Thoma infrà q. 40. art. 1. & 2. quòd timor est passio partis appetitiuæ, qua fugimus aliquod obiectum, quatenus repræsentatur nobis vt malum futurum & difficile, cui de facili resisti nō potest: vnde Arist. 2. Rhetoric. cap. 25. sic definit metum vel timorem: Metus est ægritudo aut perturbatio orta ex phantasia imminentis mali, quod molestiam afferre potest aut interitum. Cicero in Tuscul. ita diffinit: Metus est opinio mali imminentis, quod intolerabile esse videtur. Et Vlpianus Iurisconsultus lege 1. ff. de eo quod metus causa, sic definit: Metus est instantis vel futuri periculi causa & mentis trepidatio: in qua definitur metus *Not.* *Ex D. Th.* *Arist.* *Cicero.* *Vlpianus.*

tus in ampla acceptione, prout comprehendit timorem mali futuri, & dolorem vel tristitiam mali præsentis: nam metus propriè & in rigore solum est mali futuri. D. Thomas in præsenti etiam agit de metu in ampla acceptione; nam quod ad præsens attinet, idem est quòd malum sit præsens, vel imminens futurum, vt ex metu illius prorumpens voluntas in actum quem aliàs non haberet, talis actus dicatur mixtus ex voluntario & inuolũtario.

Not. Secundò supponendum, doctrinam D. Thomæ in vtraque conclusione intelligendam esse de metu qui est causa totalis vt fiat talis actus: nam si metus non esset causa totalis, quia licèt aliquantulum moueat, non tamen taliter, quòd metu non stante, non sequeretur operatio, tũc non dicitur agens operari ex metu. Verbi gratia, Infertur timor mulieri honestę quæ aliàs non fornicaretur, vt coeat cum aliquo viro; tunc coitus, factus est ex metu, quia metus est causa totalis vt coiret: si autem id contingat cum muliere impudica & inhonèsta, quæ aliàs sine timore tali fornicaretur, tunc licèt aliquantulum impellat timor ad fornicationem, nõ dicitur operari ex metu, quia ille nõ fuit causa totalis operandi. Hoc ergo supposito est.

DVBIVM. I.

Vtrùm conclusio prima D. Thomæ vera sit.

1. Arg. PRobatur quòd non. Primò. Metus nullo modo est causa inuoluntarij in actu ex metu facto: ergo talis actus non est mixtus ex voluntario & inuoluntario. Patet consequentia, nam si talis actus haberet aliquam rationem inuoluntarij, à metu deberet habere illam, quia non est assignare aliud â quo proueniat; siquidem non stante metu, nulla ibi ratio inuoluntarij interueniret. Antecedens verò probatur. Metus est causa vt Voluntas eliciat & prorumpat in illum actum: ergo potiùs est causa volendi, quàm nolendi; nam velle est prosequi, nolle autẽ est fugere: cùm ergo metus moueat volũtatem vt prosequatur, non autem vt fugiat, dicendus est causa volendi, non autẽ nolendi. *Solutio.* Si respondeatur, metũ vtriusque esse causam, & voluntarij & inuoluntarij in eodem actu, quatenus operans ex metu nõ absolutè & omnibus modis, sed cũ quadã trepidatione facit ex metu quod aliàs non faceret: Cõtra arguitur, quia illa trepidatio & quasi retentio, ne ita propensè tendat, nõ prouenit ex ipso metu, sed potiùs quod velocitatis habet in propensione ad illud quod aliàs non faceret, à metu prouenit. *Impugn.* Cõfirmatur, & amplius impugnatur, nam opposita & contradictoria nõ possunt ab eodẽ principio pròuenire: sed voluntariũ & inuoluntariũ liberũ & non liberũ, sunt opposita & contradictoria; quia voluntariũ est à principio intrinseco, inuoluntariũ verò nõ est à principio intrinseco. Similiter liberum est à principio indifferenti, non liberũ à principio non indifferenti: ergo non potest volũtariũ & inuoluntariũ ab eodem principio prouenire: cũ autẽ probatũ sit, voluntariũ repertũ in illo actu facto ex metu, prouenire à metu impellente volũtatẽ vt operetur, nullũ ibi potest esse inuolũtariũ, quod à metu possit prouenire. *Confirm.*

2. Arg. Secundo arguitur, nam aliàs sequeretur, quòd qui seruat præcepta Dei ex timore pœnarũ inferni, talis obseruantia præcepti sit mixta ex volũtario & inuoluntario: cõsequens est falsum: ergo. Probatur minor, nã si talis obseruantia esset mixta, vtique esset mala & peccatum, si quidem haberet hanc malam volũtatem, Nollem seruare præceptũ: hoc autem nõ est dicendum, quia talis obseruantia laudabilis est: ergo non habet ad mixtũ inuoluntariũ, & consequenter opus factũ ex metu, non est mixtum. *Solut.* Si respondeatur, quòd quando fit opus ex metu alicuius habentis intrinsecã cõnexionem cum eo quod vitatur ex metu tunc opus ex metu non est mixtum (vt infrà magis declarabitur) sed quando ex metu alicuius mali, cum quo non habet intrinsecam cõnexionem actus factus ex metu vt illud malum vitetur. In casu autem argumenti pœnæ inferni habent intrinsecam connexionem cum peccato; vnde opus factum ex tali metu, non includit nolleitatem oppositi: Contra arguitur, *Impugn.* nam pœnæ inferni non habent ex natura rei intrinsecam connexionem cum peccato, sed ex beneplacito Dei assignantis talem pœnam; ergo non illa ratione opus ex metu inferni non erit mixtum. *Solut.* Si espondeatur cum alijs, quòd

opus ex metu, aliquando habet actum oppositum nolleitatis adiunctum, aliquando verò non: in casu ergo posito nō habet opus ex metu inferni actum oppositum nolleitatis adiunctum; vnde simpliciter est voluntarium, & absolutè meritorium: Contra tamen arguitur, quia hæc solutio videtur voluntaria, nec assignat rationem, quare aliquando non habeat actum nolleitatis adiunctum, aliquādo verò habeat illum. Eo vel maximè, quòd & supponit vnum falsum, videlicet quòd quando adiungitur nolleitas, actus non sit meritorius; quia, vt patet Daniel 13. secundùm communem explicationem sanctorum, actus Susannæ maximè meritorius fuit, cùm tamen nolleitatem habuerit ad mixtam, & quasi duplicem actum oppositum, cum aliqualiter se perplexam ostenderit, dicens: si enim hoc egero, mors mihi est, si autem non egero, non effugiam manus vestras; sed melius est mihi incidere in manus hominum.

Impugn.

Not. 1. Pro intelligentia notandum, quòd metus est duplex. Alius cadens in virum constantem; alius verò non. Primus, vt metus mortis, vel maximæ infamiæ, &c. Secundus verò vt metus amissionis alicuius parui boni, siue temporalis, siue naturalis. Primus dicitur cadere in virum constantem, quia illo, quantum vis constans, frangi potest. Secundus dicitur talis, quia illo solus puer, vel puella, vel pusillanimis potest flecti. In præsenti ergo præcipua quæstio est de metu primo modo; nam ille est qui propriè potest dici causa sic operandi quod aliàs non operaretur, cùm ex propria natura talis metus habeat inducere ad opus: nam secundus metus solùm id habet per accidens ex imbecillitate subiecti.

Not. 2. Secundò notandum, quòd metus ex duplici causa potest prouenire. Primò ab intrinseco secundò ab extrinseco. Primus est proueniens ex causa naturali, vt ex infirmitate vel naufragio Maris, vel propositione interna Dei pœnarum inferni. Secundus autem est proueniens ex aliqua causa libera; vt cùm aliquis minatur mortem pugione arrepto: & hæc adhuc est duplex. Altera iusta, vt cùm iudex minatur suspendium viro, nisi nubat cum virgine defloratā ab ipso. Altera vero est iniusta, vt cùm latro in via euaginato gladio exposcit pecunias. Si ergo loquamur moraliter, non censetur operans in voluntarium, quando operatur ex metu proueniente ab intrinseco, vel à causa extrinseca iusta: vnde votum emissum in infirmitate, vel in tempestate Maris, vel matrimonium ex timore suspendij predicti, validum est, & absolutè dicendum est voluntarium: solùm autem habetur vt inuoluntarium, quod fit ex metu proueniente à causa extrinseca iniusta: vnde donatio pecuniarum latroni, est nulla; & similiter votum religionis puellæ factum ex timore parentum minantium male se habituros cum illa, vel ab hæreditate illam esse expellendam quantum potuerint; quia huiusmodi ex tali metu moraliter habenda sunt vt omnino inuoluntaria. In præsenti tamen procedit quæstio non solùm moraliter, sed metaphysicè: vnde de omnibus hijs operibus quomodocunque ex metu factis, inquirimus, vt ùm mixta sint ex voluntario & inuoluntario.

Not. 3. Tertiò notandum, quod operans ex metu, dupliciter se potest habere. Primò sic, quòd non stante metu, nec haberet volitionem, neque nolitionem illius quod facit ex metu. Secundò sic, quòd non stante metu, haberet nolitionem, & ex metu haberet volitionem; vt in casu proijcientis merces in Mari. In hac quæstione non agimus de primo, nam de illo metu eadem ratio est atque de passione (vt dicetur articulo septimo) procedit ergo de secundo; tunc enim ratione nolitionis, quam aliàs haberet, potest dici opus modò ex metu factum, mixtum ex voluntario & inuoluntario.

Not. 4. Quartò notandum, quòd operatio facta ex metu alicuius mali, dupliciter se potest habere ad illud malum vitandum. Primò intrinsecè, quia est medium omnino necessarium ad vitandum illud malum. Secundo modo extrinsecè, quia secundùm se non est medium necessarium, sed tantùm hìc & nunc ex circunstantijs occurrentibus; vt proiectio mercium in Mare, non habet secundùm se necessariam connexionem ad vitandam mortem, quia si ille homo esset in terra, vt fugeret mortem, non erat ei necesse proijcere merces in Mari: solùm ergo talis proiectio habet connexionē cum fuga mortis hìc & nunc. Dicimus ergo,

go, quòd nostra quæstio non procedit de priori modo, nam tunc sicut fuga mortis & volitio conseruandi vitam, est naturalis, & omnino voluntaria; ita & medium necessarium ad talem finem, omnino est voluntarium, nullam habet admixtionē inuoluntarij, siue tale mediū & opus fiat ex metu, siue nō: procedit ergo dubiū posteriori modo. Cùm enim illud opus ex metu non habet secundùm se connexionē cum illo fine, quin potiùs secūdùm se ad illum finē potiùs conduceret oppositū, ad conseruationem enim vitæ potius iuuant secundū se bona temporalia, & cō seruatio mercium: sed si connexionē habet ad illum finē, est per accidens hìc & nunc: quapropter rectè manet, quòd cū ex circunstantijs sit voluntariū, ex amore illius finis ad quem secundùm se faceret conseruatio merciū, sit aliqualiter voluntaria proiectio illarum.

Not. 5. Quinto notandum, quòd cùm dicitur, aliquod opus fieri ex metu, ly ex, non dicit causam effectiuam, sed tantùm motiuā: quapropter hæc est differentia inter coactionē & metū, quòd coactio est causa effectiua, & sic inducit effectum absq; consensu Voluntatis, & sic dicitur tollere voluntariū: metus verò cùm tātùm sit causa motiua, non inducit effectū per se solùm, sed expectando consensum Volūtatis, vnde metus non tollit volūtarium: remanet tamen difficultas, qualiter cū voluntario ex metu admisceatur inuoluntarium.

Conclusio. Conclusio ergo D. Thom. omnino est certa, & tendenda, & illam etiam docet quodlibet. 5. arti. 10. & in 4. dist. 29. q. 1. art. 1. illamq; docet *Arist.* 3. Ethic. cap. 1. vbi assignat tres causas inuoluntarij, videlicet violentiam, ignorantiam, & metum. De duobus primis dicit, causare inuoluntarium simpliciter: de tertia verò secundùm quid illam etiam tenet Gregorius Nissenus libro 5. suæ philosophiæ cap. 1. Damascenus lib. 2. de fide, cap. 24. Anselm⁹ dialogo de libero arbitrio, cap. 5. Durandu 4. dist. 29. q. 2. ad 2. Couarrubias 1. part. cap. 4. §. 1. num. 12. Antoninus 1. part. titulo. 4. cap. 3. §. 4. Viguerius cap. 3. §. 4. versi. 2. Corduba lib. 1. q. 29. ad 3. Agestus cap. 6. moralium, textu vltimo. Gabriel. 3. dist. 39. quæst. 1. conclusione 8 & extra scholam D. Thomæ omnes moderni hic: estque communis Theologorum, patetque experientia; nā

D. Gregor. Nissenus
D. Damas.
D. Anselm.
Durand.
Couar.
Antoninus
Viguerius
Corduba
Angestus
Gabriel,

qui ex metu operatur, remisse vult & cū aliqua repugnantia; quod vtique signū est, in tali actu aliquid inuolūtarij admisceri: & ita vulgariter dicitur fieri contra propriam voluntatem quod fit ex metu. Ratioque D. Thomæ est manifesta, nam quando quis proijcit merces in Mare, si considerentur secundùm se amat illas, & vellet retinere: vult autē proijcere in casu prout hìc & nunc expedit ad conseruationem vitæ: ergo talis proiectio mixta est voluntario & inuoluntario, est autem maxima difficultas inexplicando qualiter illa proiectio sit mixta, V trū per hoc quòd in eodem actu simul sit vtraque ratio voluntarij & inuolūtarij, an verò per hoc quod actui voluntario proijciendi, adiungatur alius actus imperfectus & inefficax, videlicet nolleitas proijciendi. Pro cuius intelligentia. *Dubitatio. Apendix.*

Notandum secundū omnium sententiam, in illo casu ponēdos esse tres actus. Primus est amor absolutus mercium, & amor absolutus conseruationis vitæ, & etiam volitio absoluta proijciendi hìc & nunc merces. Solum autē est controuersia inter Doctores, si erit assignandus quartus actus distinct⁹, quo nollet proijcere. ita vt sicut ex actu amoris vitæ processit actus volendi proijcere merces; ita ex actu amoris mercium causetur alius actus, quo nollet proijcere illas. In qua re est. *Nota.*

Prima sentētia est aliquorū moderno rum, quòd non sit ille quartus actus, sed quòd ille tertius, nempe volitio proijciē di merces, dicatur mixtus, quia in se formaliter habet aliquam rationem inuolūtarij, in quantum aliqualiter retardatur, & repugnanter procedit ex coniunctione ad illum primū actum, videlicet amorem mercium. Quæ sententia probatur primò. Nam talis proiectio mercium ab Aristot. & Diuo Thoma vocatur actus mixtus: ergo quæ ratio inuoluntarij est ibi, reperitur in eodē actu volendi proijcere, & non in alio distincto; hoc enim sonat mixtum; quod in vno actu vtraq, ratio reperitur. Secundò probatur. In Physicis non repugnat quòd idem numero mot⁹ progressiuus animalis habeat simul rationem naturalis simpliciter & violenti secundùm quid, vt docuit D. Thom. articulo præcedenti ad tertium: ergo similiter in moralibus non repugnat quòd idem numero actus sit simul volūtarius *1. Senten. probat.* *Probat. 2.*

simpliciter, & inuoluntarius secundùm quid; nam sic se habet voluntarium & inuoluntarium in moralibus, sicut naturale & violentum in physicis: ergo superfluus erit ille quartus actus nolleitatis, vt tertius dicatur mixtus ex inuoluntario. *Probat.3.* Tertiò probatur, nam ille quartus actus dicitur conditionatus, vel quia conditio illa se tenet ex parte actus, vel ex parte obiecti: si dicatur primum, est dicere quòd formaliter non est talis actus nolleitatis, sed quòd esset si poneretur conditio, quòd mercium proiectio non esset necessaria ad conseruationem vitæ, hoc enim est actum esse conditionatum conditione ex parte actus; vnde esset consentire nobiscum, quòd ille quartus actus nõ sit formaliter. Si dicatur secundum, tunc sequitur, quòd talis actus non sit (vt volunt contrarij) imperfectus & conditionatus, sed absolutus, vt constat in promissionibus & votis conditionatis, quòd enim ex parte obiecti aliqua condit o apponatur, non tollit, quominus actus voluntatis sit absolutus: ergo si actus quo nollet proijcere, solùm est conditionatus ex parte obiecti, simpliciter erit actus absolutus, quod tamen repugnat esse cum altero actu absoluto, quo vul proijcere: si autem communiter dicitur, cum volitione proijciẽdi, simul esse nolleitatem proijciendi; hoc habet verum, quantum ad explicationem, quia illa duplex ratio voluntarij & inuoluntarij, quæ in eodem actu reperitur, non aliter explicari potest, nisi dicendo quod iste vult proijcere, & quod nollet proijcere. Per hoc autem quod dico, quòd vult & quòd nollet, non explico duos actus, sed duplicem rationem in eodem actu. Vel sicut quando dicitur quòd dissentirem ab Ecclesia in rebus Fidei, aut quod currerem, si hoc aut illud fieret, non est habere formalem dissensum Fidei, vel volitionem currendi, sed est explicare affectum, secundùm quem haberem illos actus posita tali conditione; ita similiter dicere quòd nollem proijcere, si non esset tempestas, non est habere actum formalem nollitionis proijciendi; sed est se ostendere habere affectum ad merces, ex quo haberet actum nollendi, si conditio tempestatis non ad esset. Et si quæras ab istis, quare ex amore absoluto mercium non procedat nolleitas proijciendi, saltem inefficax, sicut ex amore vitæ causatur volitio efficax proijciendi: Respõdetur, impediri ab actu amoris vitę: itaque primus & secũdus actus enumeratus; videlicet amor mercium & vitę, absoluti sunt & efficaces, & sufficientes quilibet prorumpere in proprium actũ; quia tamen simul prorumpere est in cõpossibile, quia velle proijcere & velle retinere, contrariantur, vincit maior & potentior, qualis est amor vitę, & prorumpit in actum proijciendi: alter verò actus amoris mercium manet impeditus, ne prorumpat in volitionem retinendi.

Secunda sententia est aliorum, qui per oppositum dicunt, ponendũ esse quartũ actum, etiam absolutum, procedentẽ ex amore mercium. *2.Sent.* Sed certè ista sententia non est apparẽs, quia duo actus cõtrarij, vterque absolutus, simul esse nõ possunt: qui ergo habet actum absolutum proijciendi merces, nullatenus potest habere actum absolutum conservandi illas, cùm hoc secundum contrarietur primo.

Tertia sententia, vera & tẽdenda, quã cõmuniter docent Thomistæ, est quòd ponendus sit ille actus quartus nolleitatis: iste tamẽ nõ est absolutus & efficax, sed cõditionatus & inefficax: sic enim nõ contrariatur actui absoluto, quo vult proijcere; sicut enim nigrum secundùm quid non contrariatur albo simpliciter, & simul esse possunt. Ita inuoluntarium secundùm quid bene cõpatitur simpliciter: nolleitas autem, quã ponimus inefficacẽ & conditionatã, tantùm dicit inuoluntariũ secundùm quid: vnde bene cõpatitur cũ actu absoluto proijciẽdi. *3.Sent.vera* Hæc sententia videtur clara ex D.Thom.3.p. q.18.art.3.& 5.& 6.& q.21.art.4.vbi in Christo Domino distinguit duplicẽ voluntatem: alteram naturalem conseruandi vitam; alteram liberam obediendi præcepto moriendi. Ex quo sequitur, in illo & esse volitionẽ moriendi ex præcepto, & simul esse nolleitatem moriendi ex naturali desiderio vitæ. Dicere autem, hoc posse saluari in eodẽ actu, qui simul sit volitio & nolleitas respectu diuersorum, & vtrũque habere eminenter, est ponere in homine quasi perfectionẽ diuinam: hoc enim de Deo dicitur à Theologis 1.p.q. 19.ar.6.q idẽ actus, quo formaliter Deus vult aliquem dãnare, vellet saluare illũ, & quòd simul idẽ actus est Voluntas antecedens & cõsequens, & vtrũque habet ẽminenter. *D.Thom.* Cùm ergo in creaturis maior distin-

distinctio debeat esse, non solùm ponendum est quòd idem actus, qui formaliter est volitio proijciendi, eminenter sit nolleitas proijciendi, sed quòd hoc habeat per diuersum actum. Secundò probatur hæc sententia. Ille duplex actus amoris mercium & amoris vitæ vterque de se est efficax, sufficiens prorumpere in actum conseruandi merces, & ponendi medium conseruationis vitæ, nisi aliunde impediatur: ergo amor mercium causabit actum conseruationis illarum, in quantum ab alio actu conseruationis vitæ non fuerit impeditus: sed sic est, quòd solùm impeditur ab actu efficaci conseruationis mercium, quia iste est incompossibilis cum alio actu proiectionis illarum: ergo tantùm non poterit elicere volitionem efficacem conseruandi merces; bene tamen poterit elicere velleitatem, quia in hoc non impeditur ab alio actu, cùm in hoc cum illo nullam habet contrarietatem. Tertiò probatur. Obiecta volitionis proijciendi & nolleitatis oppositæ, sunt formaliter diuersa & opposita: ergo actus sunt distincti. Patet consequentia, nam distinctio actuum sumitur ex distinctione formali obiectorum. Si

Solutio. respõdeatur, probare distinctionem formalem actus, non autem realem: Contra

Impugn. 1. arguitur, quia illa ratio nolleitatis causatur ab amore mercium; sed amor mercium non causat actum proiectionis causatum ab amore vitæ, quia esset causare & influere in sibi contrarium: ergo causat amor mercium nolleitatem in actu di-

Impugn. 2. stincto. Et secundò impugnatur solutio, quia licet illa duplex ratio opposita nolleitatis & volitionis proijciendi, non habeat repugnantiam in diuersis actibus, quorũ alter sit efficax, & alter inefficax; bene tamen habent repugnantiam in eodem actu; quia minus requiritur vt simul sit illa opposita ratio in diuersis acti-

Impugn. 3. bus, quàm vt sit in eodem. Et tertiò impugnatur, quia diuersitas & opposita ratio formalis obiecti, non solùm inducit distinctionem formalem actus, sed etiam realem; quia actio vt semel egreditur ab agente circa formale aliquod specificatiuum, distincta est à qualibet quæ versatur circa aliud specificatiuum, etiam formaliter solùm diuersum; vt patet in actibus Intellectus & scientiarum: ergo ex illa distinctione & opposita ratione formali obiectiua volitionis & nolleitatis, non solùm concluditur distinctio formalis in eodem actu, sed etiam realis. Cõ-

Confirm. firmatur, quia sic se habent voluntarium & inuoluntarium in Voluntate, sicut dissensus & assensus respectu intellectus: sed idem numero actus Intellectus non potest esse simul assensus & dissensus: ergo neque idem actus Voluntatis simul esse volitio & nolleitas.

Ad 1. arg. 1. Sent. Ad primum argumentum primæ sententiæ respondetur, legitimum sensum Arist. & D. Tho. esse, non quòd voluntarium sit mixtum per hoc quòd vtraque ratio simul in eodem actu reperiatur, sed per hoc quòd simul sit in eodem proijciente & volitio & nolleitas proijciendi, etiã si hoc sit per diuersum actum.

Ad 2. arg. Soto. Ad secundum, Soto 2. Physic. q. 1. conclusione 4. corollario 3. negat, motum progressiuum esse mixtum: sed hoc admittendo (quia D. Tho. loco citato videtur clarè illud admittere). Respondetur, quòd motus progressiui potest assignari idem terminus realiter, videlicet idem locus, quem acquirit per talem motũ, respectu cuius simul ille motus sit violẽtus & naturalis: non tamen potest assignari idẽ obiectum formale, quod respiciat volitio & nolleitas: vnde ratio volitionis & nolleitatis non possunt in eodem actu cõuenire, cùm actus respiciat obiectum formale. Itaque entitas motus physici sumitur ab entitate termini realiter sumpti, alijs suppositis: & quando realiter terminus non diuersificatur, si alia ex parte mobilis, & viæ, & temporis, supponantur, motus non est realiter distinctus; entitas verò & realitas actus potentiarum attenditur ex diuersitate formali obiecti: quapropter si ratio formalis obiecti est distincta, etiam entitas actus est distincta. Vel secundò respõdetur, quòd in

2. Solutio. motu physico cùm aliunde desumatur entitas motus, & aliunde naturalitas, vel violentia eius; nam esse naturalem vel violentum, sumitur ex parte principij intrinseci vel extrinseci; entitas verò motus sumatur ex entitate mobilis & termini, &c. cùm stante termino & mobili eodem, possit concurrere ad illud simul principium intrinsecum & extrinsecum secundùm diuersam rationem, simul idem actus potest esse violentus & naturalis, alter simpliciter, alter secundum quid. At verò in motu metaphysico, qualis est

actus

actus voluntatis eò ipso quòd ponatur principium intrinsecum & extrinsecum requisitum ad voluntarium & inuoluntarium, consequenter etiam ponitur diuersa ratio formalis obiecti, videlicet ratio conuenientis, quod respicit principium intrinsecum voluntarij; & ratio disconuenientis, quod respicit inuoluntarium: & sic ex eo quòd sit voluntarium vel inuoluntarium, sequitur, esse diuersum actum; non autem ex eo, quòd sit violentum & naturale in motu physico. Et si contradicas, quòd etiam ex hoc quôd motus physicus, sit violentus & naturalis, sequitur, terminum eius esse conuenientem & disconuenientem; propter conuenientiam enim termini mouetur naturaliter ad illum, & propter disconuenientiam mouetur violenter: ergo par ratio est de termino motus physici, atque de termino & obiecto voluntarij & inuoluntari, vt sicut violentum & naturale conueniunt eidem motui propter diuersam rationem formalem inuentam in eodem termino reali; ita voluntarium & inuoluntarium possint conuenire eidem actu propter diuersam rationem formalem obiectiuam repertam in eodē obiecto materiali: Respondetur, quòd ratio conuenientis & disconuenientis per accidens se habet ad terminum motus, sicut & ratio naturalis & violenti: vnde ex mutatione conuenientis & disconuenientis non infertur distinctio motus, sed vtrūque eidem motui potest cōuenire: ratio verò conuenientis & disconuenientis habet se per se ad obiectum Voluntatis, & ad actum eius, cùm per se respiciat bonum proprium; vnde mutatio conuenientis vel disconuenientis infert mutationem actus voluntatis.

Obiectio.

Solut.

Ad 3. Arg. Ad tertium argumentum respondetur, quod nolleitas, actus formalis est & conditionatus ex parte obiecti: nihilominus tamen non est actus absolutus & perfectus, qualiter promissio vel votū; quia esse conditionatum ex parte obiecti potest dupliciter contingere, vel cum coniuctione actus contrarij, vel sine illa. Si primo modo fiat actus conditionatus, est imperfectus & inefficax, non ex conditione obiecti, sed ex coniunctione ad actum contrarium absolutum; qualiter vterque cōtrarius absolutus esse non potest. Si autem fiat secundo modo, etiam si actus sit conditionatus ex parte obiecti, est absolutus, quia nō est à quo remittatur & fiat imperfectus & inefficax. Primi generis est nolleitas proijciendi merces, stante voluntate absoluta proijciendi. Secūdi autem generis est promissio, vel votum, etiam apposita conditione ex parte obiecti, non stante actu absoluto contrario: vnde talis actus absolutus est ex parte actus, & perfectus, & solùm conditionatus ex parte obiecti. Vtrùm autem sufficiat talem actum esse absolutum & perfectum, vt sit validus moraliter (etiam si conditio ex parte obiecti apposita in re non ponatur) alterius est negotij; de quo agitur in materia de Voto & Matrimonio.

Ad argumenta â principio respondetur. Ad primum aliquid dicūt, quòd metus secundùm diuersam rationē formalem causat contraria, & voluntarium & inuoluntarium, in quantum metus facit apparere bonum hic & nunc dare pecunias latroni, vt fugiat mortem, causat voluntarium in actu dandi pecunias: in quantum verò hoc facit in materia quæ non est dandi, bona secundùm se, sed potiùs mala, causat inuoluntarium in tali actu. Sed hæc solutio sufficienter impugnatur argumento posito. Vnde alij respondent meliùs, quòd metus per se & directè causat voluntarium, quia inducit ad sic operandum; quia tamen non inclinat ad talem operationem volendam secundùm se & absolutè sumptam, nec propter bonitatem quam in se habet, sed solum secundùm quôd hic & nunc conducit ad vitandum malum, (quod vtique ad talem operationem se habet accidentaliter, & ideò metus, quantum est ex se, relinquit voluntatem auersam actioni illi dandi consideratæ secundùm se) ideò dicitur causare inuoluntarium, non per se & directè & positiuè, sed indirectè & per accidens & quasi negatiuè. Tertiò & optimè respondetur, quòd si sit sensus, quôd metus non est causa à qua ea quæ per metum fiunt, habeant quòd sint inuoluntaria, concedendum est, metum non esse causam inuoluntarij: ex alia enim parte habet, quòd illa proiectio sit inuoluntaria, videlicet ex amore mercium secundùm se, quem suprà explicauimus remanere cum tali proiectione. Si autem sit sensus, quòd metus

Adr. arg. â principio.

1. Solut.

3. Solut.

tus non est causa seu fundamentũ quod antecedenter præsupponitur ad hoc vt talis proiectio sit inuoluntaria, tunc negatur quòd metus non sit causa inuoluntarij; quia si metus non adesset, proiectio mercium cessaret in homine sanæ mentis, & consequenter cessaret inuoluntarium quod in tali proiectione facta ex metu reperitur. Itaque cùm dicimus, proiectionem factam ex metu esse inuoluntariam, aut metum causare inuoluntarium, non est sensus, quòd inuoluntarium inuentum in tali proiectione, proueniat ex metu, tanquàm ex causa: sed sensus est, quòd metus est causa illius actionis in qua reperitur inuoluntarium admixtum, propter amorem ad merces secundùm se: vnde hæc propositio, Metus est causa inuoluntarij, non intelligitur in sensu formali, sed quasi materiali, quatenus causat actionem aliàs inuoluntariam, licèt à metu non causetur nisi ratio voluntaria ibi reperta.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum respondetur, quòd, vt dictum est, metus ab intrinseco non facit opus inuoluntarium moraliter, licèt metaphysicè ex aliquo inuoluntario maneat admixtum: metus autem inferni ab intrinseco est; vnde moraliter obseruãtia præcepti ex metu inferni, omnibus modis censenda est voluntaria, neque ibi interuenire aliquod inuoluntarium sufficiens ad peccatum. *2. Solutio.* Secundò respondetur ex dictis, quòd quando opus ex metu habet intrinsecam connexionem cum mali vitatione quod timetur, tunc opus ex metu non est admixtum, sed simpliciter voluntarium, sicut & ipsa vitatio mali simpliciter est voluntaria: obseruantia autem præcepti necessariam connexionem habet cum vitatione inferni necessariò correspondentis, vel ex natura rei, vel ex ordinatione diuina, ipsi peccato. *3. Solut.* Tertiò respondetur, quòd quando illud quod fit ex metu, est bonum secundùm se, absolutè debet esse voluntarium; vnde quod ex metu fiat, non tollit absolutè esse volitum, sed id solùm contingit, quando quod ex metu fit, non est bonum secundùm se, sed potiùs malum, & solùm ex circunstantia hic & nunc bonum; tunc enim cùm Voluntas secundùm se potiùs tenderet ad oppositum, quàm hic & nunc ad hoc ex metu tendat, habet admixtum inuoluntarium: cùm ergo obseruantia præcepti secundùm se sit bona, secundùm se debet esse absolutè voluntaria; & quòd talis obseruantia sit ex metu inferni, non tollit omnibus modis esse voluntariam, quia non facit ex metu quod secundùm se non sit bonum, & quod aliàs non deberet facere. *4. Solut.* Quartò respondetur, quòd metus dupliciter potest esse causa operationis. Primo adæquata, ita vt nullo modo esset operatio absque metu. Secundo modo causa inadæquata, & tantùm aliquale motiuum. Si quidem sit hoc secundo modo, actus non habebit rationem inuoluntarij admixtam, quia non tam fit ex metu formaliter loquendo, quàm cum metu. Si autem fiat primo modo, operatio formaliter fit ex metu, & tunc actus est admixtus ex inuoluntario sic: ergo qui ex timore inferni seruat præceptum: si timoris sit causa adæquata actus, habet admixtum inuoluntarium, & est malus & peccatum, quia formaliter fit ex timore seruili: cæterùm sit timor non sit causa adæquata, sed aliquale motiuum adiunctis illis rationibus ad sic operandum ex præcepto, & cessandum â peccato; tunc huiusmodi operatio non habet admixtum inuoluntarium, & est bona & laudabilis, vt diffinitur in Concilio Tridentino sessione 8. can. 9. de quo videatur D. Thom. 2. 2. quæst. 19. artic. 4. *Quæstio. D. Thom.* Si autem quæras, vtrùm si operans sic se haberet ad præceptum, vt explicitè diceret, Nollem quòd esset tale præceptum; & si non esset tale præceptum, nollem sic operari: vtrùm autem si isti peccaret, vel non, etiam si præceptum adimpleret; Respõdetur, quòd præcepta sunt *Solutio.* in duplici differentia; alia intrinsecè bona, & quia bona præcepta: alia verò sunt tantùm bona quia præcepta, siue præcepto diuino positiuo, siue humano. Primi generis est castitas, amor Dei, &c. Secundi generis, ritus legis antiquæ, vel comedere carnes feria sexta. Dico ergo, quòd circa intrinsecè bona vel mala, non licet habere huiusmodi conditionatam volitionem vel nolitionẽ; quia cùm quo modocunque considerentur, etiam ante præceptum, habeant intrinsecam malitiam vel bonitatem; semper huiusmodi nolleitas fertur ad malum, & semper animus se ostendit procliuẽ ad malum, & sic talis actus conditionatus peccatũ est. Si autem

autē quæ præcipiuntur, solùm sint bona vel mala, quia prohibita vel præcepta, & ante præceptum non habeant bonitatē vel malitiam, tunc talis actus conditionatus non est peccatū, quia non fertur formaliter in malum, cùm tale non sit nisi post præceptū. Verum est tamen, quòd aliquando exprimere volitionem conditionatam, etiam respectu præcepti positiui, potest esse peccatum; vt si interueniat in tali expressione iniuria proximi, vt si quis diceret; si non esset peccatū, dicerem tibi esse confessum & à sancta Inquisitione punitum; tunc enim moraliter idem est atque per verba absoluta idem dicere, ex quo sequitur, quòd Susanna non habuit illum duplicem actum quem intendebat argumentum, Volo seruare castitatem, & nollem seruare illam, quia vt dictum est, talis actus conditionatus, fuisset peccatum; quia licèt habere istam contrarietatem per modum tentationis appetitus sensitiui, vel per modum motus primo primi ipsius Voluntatis, nullum sit peccatum; habere tamen huiusmodi scienter & deliberatè, peccatū est, vt dictum est: perplexio ergo insinuata in textu sacro, non erat circa fornicationem & non fornicationem, sed circa vitam vel mortem, posita omni no determinatione seruandi castitatem: quę perplexio licita fuit, sicut & in Christo Domino habente volitionem moriendi, & simul nolleitatem ex affectu naturali vitę.

DVBIVM II.

Est circa secundam conclusionē D. Tho.

Vtrùm huiusmodi actus mixtus ex voluntario & inuoluntario, sit simpliciter & absolutè voluntarius, & tantum inuoluntarius secundùm quid?

1. *Arg.* PArs negatiua probatur. Primò ex Aristot. 3. Ethi. cap. 2. vbi loquēs de proiectione mercium ex timore, sic ait: Simpliciter enim nemo suas fortunas eijcit sponte, sed omnes propter suam cæterorumque salutem eijciunt: ergo male dicit D. Tho. huiusmodi proiectionē merciū magis & simpliciter esse voluntariam.

Confirm. Confirmatur, nam D. Thom. 2. 2. q. 141. art. 3. expresse docet, quod quæ fiunt ex metu, non sunt simpliciter voluntaria: illa verò quæ fiunt ex concupiscentia, simpliciter voluntaria sunt. Et in illo articulo distinguit ea quæ fiunt per intemperantiam, ab his quæ fiunt per metum, & docet, quòd facta per intemperantiam, in vniuersali sunt inuoluntaria, quia intemperatus absolutè & simpliciter nollet esse intemperatus, in particulari verò & hic & nunc sunt voluntaria, quia intemperatus concupiscentia ductus, hîc & nunc vult intemperatè agere. E contra verò quę fiunt per metum in communi, sunt voluntaria: qua ratione fortis in bello absolutè & vniuersali vult saluare vitam; in particulari verò sunt inuoluntaria, seu minus voluntaria, vt abijcere clypeum, & alia huiusmodi: ergo contrarius est D. Thom. in illo loco sibi ipsi in hoc articulo.

2. *Arg.* Secundò arguitur. Si propter aliquam rationē huiusmodi actus mixtus absolutè esset voluntarius, & tantùm secūdum quid inuoluntarius, maximè propter rationē D. Tho. sed ista est nulla ergo. Probatur minor. Necessariū ex suppositione & ex circūstantijs hîc & nunc, tantū est necessariū secundùm quid, vt quod fiat operatio hîc & nunc ex auxilio efficaci: ergo similiter quòd proiectio merciū hìc & nunc fiat ex suppositione, quæ absolutè non fieret, non stante conditione tēpestatis, solùm erit esse voluntariam secundum quid.

Confirm. Confirmatur. Quod est inuoluntarium secundum se, est inuoluntarium absolutè & sine conditione: ergo tantùm potest esse voluntariū secundum quid & ex conditione: quod enim fiat voluntariè, est ex conditione; quod autem inuoluntariè, secundùm se.

3. *Arg.* Tertiò arguitur. Omnes contractus celebrati metu cadente in virum constātē, sunt irriti & inualidi: ergo non sunt volūtarij absolutè, & sic metus tollit voluntarium absolutè. Consequentia patet, quia non potest apparere alia ratio irritationis illorum contractuum, nisi quia nō sunt absolutè voluntarij. Antecedens verò probatur, quia in Decretalibus, titulo de his quæ vi, metusve causa fiunt, huiusmodi contractus irritantur.

4. *Arg.* Quartò arguitur. Matrimoniū celebratum metu cadente in virum constātem, est irritum & inualidum, vt habetur cap. Cùm locùm, & cap. veniens 2. de Spon-

Sponsalibus: ergo metus tollit consensum & voluntarium absolutũ. Patet consequentia, nam si consensus esset legitimus & voluntarius, matrimonium esset legitimum: vnde verba illius cap. sunt hæc. Cùm locũ non habeat consensus, vbi metus vel coactio intercedit, necesse est, vt vbi assensus cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur. Ecce qualiter dicit, ratione metus non habere locum consensum, & consequenter non esse voluntarium absolutè.

5. Arg. Quinto arguitur. Votũ emissum timore graui, maxime quando extorquetur consensus per iniuriã, est inualidũ, vt habetur in cap. 1. de his quæ vi, metusve causa fiũt: ergo metus tollit volũtariũ absolutum; nã aliàs votum esset validum.

6. Argu. Sextò arguitur. Si Tyrãnus minetur alicui mortẽ, nisi feria sexta comedat carnes, ille non peccabit comedendo: ergo ille metus tollit voluntariũ; nam si illa comestio esset voluntaria absolutè, quare non esset peccatũ; Antecedens supponitur ex supradictis, quia leges humanæ non obligãt cum tanto dispendio.

7. Arg. Septimo arguitur. Si quis metu mortis nõ corripiat fratrẽ, quẽ præcepto diuino tenetur corripere: Item si quis eodẽ timore non subueniat parentibus graui necessitate indigentibus, aut verò non suscipiat Eucharistiam in Paschate, vel alia quæ sub præcepto affirmatiuo cadunt, non faciat; non peccabit mortaliter, & non alia de causa, nisi quia non voluntariè hæc omnia omittit: ergo metus tollit voluntarium absolutum.

Conclusio. D. Tho. Conclusio nihilominus D. Tho. est vera, & quasi prima regula in Philosophia morali, quòd quæ ex metu fiunt, licèt secundùm quid sint inuoluntaria, absolutè tamen voluntaria sunt: quam veritatem desumpsit D. Tho. ex Gregorio Nisseno lib. 5. de homine, cap. 1. & D. Damasceno lib. 2. Fidei orthodoxæ, capit. 24. & Anselmo opusc. de libero arbitrio, cap. 5 & August. epist. 98. ad Vincentiũ, patet quę etiam cap. Marito 15. q. 1. & cap. Vides vt opinor. 23. q. 6. & cap. displicet. 23. quæst. 4. l. si mulier. 21. §. si metu. 2. ff. de eo quod metus causa, & l. Cùm proponas. C. de hæredibus inst. & l. Si priuatus. ff. qui & à quibus, & denique ex Aristot. 3. Ethic. cap. 1. ex quo desumuntur rationes pro hac cõclusione, licèt ab ipso ibi obscurè sint positæ. Prima ratio est, quam ponit D. Tho. in articulo, nã cùm actiones exerceantur circa particularia, & prudentia, quæ in moralibus est directrix, versetur circa singularia, conditio actionis moralis, an talis sit simpliciter, vel secundùm quid, debet pensari prout est in actu & in re exercita cum omnibus circunstantijs hìc & nunc: sed ea quæ fiunt ex metu sic in particulari, secũdùm circunstantias hìc & nunc sunt volita in actu: ergo sunt voluntaria simpliciter, & inuoluntaria secundùm quid, nam quæ conueniunt actibus, non prout sunt hic & nunc, sed prout aliàs forent, sunt in sola imaginatione & apprehensione, & sic sunt alia secundùm quid solùm. Secundò probatur à posteriori: Ea quæ ex metu fiunt, aliquando sunt laude digna; vt cùm quis ex timore incidendi in crimen proditionis Reipublicæ, patitur abscisionem brachij: aliquando verò sunt vituperatione digna, vt cùm quis è conuerso ex timore amittendi brachium, prodit Rempublicam: aliquando verò qui operatur ex metu dignus est venia; vt qui ex metu mali magni leuiter mentitur: ergo huiusmodi sunt absolutè voluntaria. Patet consequentia, nam laus vel vituperium, vel venia, voluntarium absolutum præsupponunt. Tertiò probatur. Talis Voluntas ex metu habita, est efficax: ergo simpliciter est Voluntas, & actus ex ea consequutus, simpliter voluntarius. Antecedens patet, nam illa est Voluntas efficax, ad quam sequitur actus: cùm ergo ad Voluntatem proijciendi sequatur proiectio, efficax est talis Voluntas. Consequentia verò probatur ex differentia quæ est inter voluntatem inefficacem & efficacem, quòd illa est velleitas; ista verò voluntas absoluta. Quartò probatur. Consilium, iudicium & alij actus, ad quos sequitur illa Voluntas proijciendi merces; sunt simpliciter & absolutè consilium & iudicium: ergo & volũtas proijciendi, quæ habet rationem electionis cõsequutæ ex eis, erunt simpliciter electio & volitio; quia omnes illi actus eodem pede debent currere.

D Greg. Nissenus D. Damas. D. Anselm. D. Aug.

Arist.

Ad 1. Arg. Ad primum à principio respondetur, Aristot. ibi sumere illam particulam simpliciter, prout significat idem quod absolutè & secundùm se, & absque alterius adiectione: vnde sensus est, quòd si proiectio mercium sumatur absolutè & secun-

cundùm se, & absque alterius circustantiæ adiectione, nemo suas fortunas sponte proiecit. D. Thomas autem sumit in præsenti ly simpliter, prout dicit actum suis omnibus circũstantijs indutũ, quatenus videlicet proiectio illa est necessaria ad vitæ conseruationem: quod etiam ista tìm docet Aristot. cùm dicit: Sed omnes propter suam, cæterorumque salutem fortunas eijciunt; quæ verba satis insinuant, quòd priùs dixerat, esse intelligẽdum de mercium proiectione considerata absque ista circũstantia necessitatis ad suam cæterorumque salutem: vnde & in ferius subdit Arist. quasi reddens rationem eius quod dixerat; Nemo enim (inquit) per se ipsum taliũ quid quã expeteret vnquàm: Et secundùm aliã litterã, Nullus vtiq; eligere secundũ se ipsum taliũ aliquid. Quibus verbis idẽ significatur, quòd videlicet, nemo eligeret electionem fortunarum propter se ipsam, sed propter aliud, videlicet propter suã cæterorũque salutem. Secundò respondetur, quôd, vt constat ex D. Tho. 3. p. q. 50. ar. 5. ly Simpliciter, sumitur dupliciter: vno modo, vt idem valeat quod absolutè: alio modo, vt idem sit quod omnibus modis. Arist. ergo sumit ly Simpliciter isto secũdo modo, & dicit quòd illa proiectio non est simpliciter necessaria, hoc est, omnibus modis; quia, vt dictũ est, aliquo modo est inuolũtaria. D. autẽ Tho. sumit ly Simpliciter primo modo; & sic dicere q illa proiectio est simpliciter voluntaria, idẽ est quod absolutè; cũ quo cõpatitur, quòd secundũ quid sit inuolũtaria: vnde D. Tho. non est contrarius Aristoteli. Et per hoc patet ad locũ D. Tho. adductũ in argumẽto, vbi dicit, quòd factum ex metu, non est simpliciter voluntarium, intelligitur omnibus modis: intẽdebat enim ibi assignare discrimen inter ea quæ ex concupiscentia; & ea quę ex metu fiũt, quôd quæ ex concupiscentia; nullã habent admixtionẽ inuoluntarij; quæ verò fiunt ex mætu, aliquã admixtionem inuoluntarij habent: vnde hoc non est alienum ab eo quod docet in præsenti articulo: quod & amplius explicat, art. 7. ad 2. cùm dicit, quòd in eo qui agit per metum, manet repugnantia voluntatis ad id quod agit consideratum secundùm se: in eo verò qui agit ex concupiscentia, non manet talis repugnantia, quia nõ manet prior Voluntas, qua repudiabat illud quod modo concupiscit, sed mutatur ad volendum id quod antea repudiabat: & ideò quod per metũ agitur, quodãmodo est inuoluntariũ; quod autẽ per concupiscentiã, nullo modo: nam incontinens licèt agat contra id quod prius proponebat, non tamẽ cõtra id quod nunc vult: timidus autẽ agit contra id quod nunc contra se vult. Ad aliũ locum ex 3. articulo respondetur, notando, quôd in operante ex metu, vt in proijciente merces in Mare, aut arma in bello, vt fugiat mortẽ, duo cõsiderantur. Primò finis intentus, scilicet cõseruatio vitæ. Secundò; media per quæ tendit ad aliũ finem, videlicet proiectio mercium, aut armorũ. Docet ergo D. Thom. quòd quando quis ex metu mouetur ad aliquẽ finẽ (quẽ finem vocat quid cõmune) tũc volitio illius finis magis voluntaria est, quàm sint media singularia ordinata ad talẽ finem; quia finis quẽ vocat quid cõmune, est causa mediorum, quæ vocat quid in singulari, quia plus amatur finis, quã media ad ipsum. Vnde ex hoc nõ bene infertur, quod D. Tho. vellit in illo loco, quòd ea quæ amãtur in singulari, sint secundũ quid tantùm voluntaria; immò clarè colligitur, esse simpliciter voluntaria, sicut & ipsum finẽ; minus tamen voluntaria, quam finẽ. Itaq; quod fit in singulari hìc & nunc, videlicet proiectio merciũ, potest comparari, vel ad id quod fieret secundũ se, non stante tali periculo, vel ad finẽ ad quem talis proiectio ordinatur, videlicet ad conseruationẽ vitę. Si primo modo cõparetur, magis voluntaria est actio in singulari, prout hìc & nũc fit; quã quod aliàs fieret. Si autem actio in singulari prout nunc fit (scilicet proiectio) comparetur ad finem intentum conseruationis vitæ, minus voluntaria est actio in singulari, licèt absolutè voluntaria; quatenus minus voluntaria est electio, quàm intentio, quia plus amatur finis, quàm medium. Ex dictis etiam colligitur solutio ad locum qui adduci solet ex cap. Maiores, de Baptismo & eius effectu. §. propter quod vbi sic dicitur: Is qui terroribus atque supplicijs violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, Baptismi suscipit Sacramentũ, &c. ipse tanquàm conditionaliter volẽs, licet absolutè non velit, cogendus est ad obseruantiam Fidei Christianæ. Ecce qualiter voluntarium ex metu, vocatur conditionatum, & absolutè esse inuolunta-

2. *Solutio.*

luntarium: Respondetur enim, illud sic velle, Baptismum vocari conditionatum ex parte obiecti, quia illud velle, non terminatur ad Baptismum absolutè sumptũ, sed quatenus habet adiunctam hanc circũstantiam, vt sit necessari⁹ ad vitandum periculum quod timetur: qua circunstantia sublata, Baptismus non esset volitus: non tamen intendit Papa, volitionem Baptismi non esse absolutam ex parte ipsius, & quòd non sit absolutè voluntaria talis susceptio; immò potius hoc supponit; aliàs enim iniustè cogeretur ad Baptismum seruandum: quod ergo supponit Papa, docet D. Tho. in præsenti.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum respõdetur, hanc esse differentiam inter Intellectum & Volũtatem superiùs explicatam, quòd Voluntas respicit existentiam, Intellectus verò abstrahit ab illa: quapropterin ordine ad Voluntatem dicuntur talia secundùm quòd existunt: in ordine verò ad Intellectum dicuntur talia absolutè secundùm connexionem extremorum, & tantùm secundùm quid talia, quatenus ex aliqua circunstantia sic habent existere. Cùm ergo esse necessarium vel contingens sit in ordine ad Intellectum, absolutè diciturne cessarium vel contingens, quod habet connexionem extremorum necessariam vel contingentem. Quod ergo fit ex auxilio efficaci à libero arbritrio, tantùm habet cõnexionem extremorum liberam, licèt secundùm existentiam conditionis hic & nunc habeant necessitatem: quapropter absolutè dicenda sunt libera, & tantùm secundùm quid necessaria: quòd autem aliquid sit voluntarium vel inuoluntarium, habet in ordine ad Voluntatem: quapropter quod habet existentiam hic & nunc, habet absolutè: cùm ergo hic & nunc proiectio mercium existat voluntaria; contraria autem volitio non existat, sed existeret extra istum casum; hæc volitio debet vocari absoluta, illa verò secundùm quid; ista est secundùm existentiam quam respicit Voluntas, illa verò tantùm secundùm apprehẽsionẽ. *Ad conf.* Ad confirmationem respõdetur, quòd antequàm actio exerceatur, & ponatur occasio proijciendi merces (hoc est, considerata secundùm se) habet considerationem absolutam quasi metaphysicam, præcisam à conditione: quando tamen ponitur occasio & conditio in re, quod fit ex conditione, fit absolutè; & conditionatum transiuit in absolutum, & iam quod fit ex conditione, fit absolutum: & quod secundùm se non respiciebat conditionem, manet conditionatum. Itaque conditio vel potest exerceri ex parte rerum, vel ex parte voluntatis. Ex parte rerum, si consideratio illius sit secundùm se, non claudit conditionem: si autem consideretur vt in singulari, importat illam. Considerando autem ex parte Voluntatis volentis vel nolentis, volitio tendens in rem secundùm se, est volitio conditionata, volitio autem quæ tendit in rem, inuoluta conditione, est volitio absoluta, quia absolutè vult, illud sic ex conditione fieri.

Ad omnia alia argumenta respondetur, tangere duo necessariò explicanda. Primum est, qualiter quæ ex metu fiunt contra præceptum, excusentur à peccato in totùm vel in partem. Secundum verò, qualiter contractus, vel promissiones, vel vota ex metu facta, sint, valida vel irrita. *Ad omnia arg.*

Pro intelligẽtia prioris notãdà est diuisio præceptorũ, quòd aliud est naturale, & aliud positiuũ; & hoc dupliciter: aliud diuinũ, aliud verò humanũ. Et rursus præceptum est duplex; aliud affirmatiuũ, & aliud negatiuum. Rursus notandum, quòd aliquid potest fieri contra præceptum dupliciter. Primò formaliter: secundò materialiter. Formaliter quidem, quando hic & nunc, stante præcepto & obligante, fit cõtra ipsum: materialiter verò, quando fit quod aliàs erat prohibitum, cùm tamen hic & nunc ex aliqua circunstantia possit esse à præcepto excusatio. *Not.*

Hoc supposito, dico primò. Agere formaliter contra præceptum, etiam ex metu, non excusat in totum à peccato; bene tamen in partem, & peccatum est minus. Probatur clarè, nam metus non tollit voluntarium absolutum, licèt aliqualiter minuat illud, vt dictum est: ergo non tollit peccatum, licèt minuat. Patet consequentia, quia vnumquodque intantum est peccatum, in quantum est voluntarium. Item probatur ex capite Sacris, de his quæ vi, metusue causa fiunt: vbi dicitur, pro nullo metu esse committendum peccatum, & in c. Primum est. Et in cap. Omne genus mendacij, 22. quæstione 2. vbi dicitur, pro nulla re esse dicendum aliquod genus mendacij. Et 11. quæstione 3. cap. Quisquis. vbi & de eo qui veritatem occultat, cùm teneatur eam manifesta- *Dico 1.*

re, & de eo qui mendacium dicit, metu cuiuslibet potestatis, dicitur, quòd iram Dei super se prouocat; quia magis timet hominem, quàm Deum. Ecce qualiter qui formaliter facit contra præceptum, etiam ex metu non, excusatur in totum à peccato. Quòd autme aliqualiter sit minus, dicitur etiam expresse in c. Sacris, iã citato, & in c. in primis. 2. quæst. 1. præcipitur, quòd imponatur leuior pœnitentia quibusdam Episcopis, si dixerint se metu iudicis commisisse crimen de quo ibi agitur. Pœnitentia autem correspondet culpæ. Item patet ex Arist. 3. Ethic. cap. 1. vbi ait, dari veniã illi qui egerit ea quæ non sunt agenda, cõpulsus his rebus, quæ humanam naturam superant. Et si contra dicas, quòd quæ fiũt ex metu propensiùs fiunt, & consequenter magis voluntariè: ergo non minuitur peccatum, quod quidem quantitatem voluntarij attendit: Respondetur, quòd timore licèt augeatur voluntarium, minuitur liberum; & peccatum quidem non attendit voluntarium vtcunque, sed liberum. Notandum tamen, quòd hæc diminutio peccati per metum, non est ad hunc sensum, quòd ex mortali fiat veniale, sed ad hunc sensum, quòd intra idem genus, siue mortalis, siue venialis, diminuitur peccatum; & quo metus est maior, peccatum intra idem genus est minus.

Arist. *Obiectio.* *Solutio.*

Dico 2. Secundò dico. Facere contra præceptum naturale negatiuum, etiam ex metu quantuncunque maximo, & cadente in virum constantem, est peccatum intra proprium genus mortalis vel venialis. Hoc probatur. Præceptum negatiuum naturale ex propria ratione vetat id quod intrinsecè est malum, & ex alia parte obligans semper & pro semper: ergo in nullo casu potest contingere, etiam interueniente metu mortis, quòd licitè fiat id, quod præcepto negatiuo naturali prohibetur: & de his loquitur Aristotel. 3. Ethicor. cap. 1. vbi dicit, quòd sunt quædam, quæ nullo metu fieri possunt, sed oportet potius pati mortem: estque veritas secundùm Fidem ex communi consensu fidelium.

Arist.

Dico 3. Tertiò dico. Facere contra præceptum naturale affirmatiuum, ex metu cadente in virum constantem, regulariter nullum est peccatum. Probatur, nam præceptum naturale affirmatiuum est de reddendo deposito, de soluendo debito, de subueniendo proximo in extrema necessitate corporali: & tamen metu mortis non tenetur quis hæc præcepta adimplere. Ratio est manifesta, nam præcepta affirmatiua non obligant semper & pro semper; sed suo tempore determinato secundùm prudentiam: ergo dabitur aliquod tempus, in quo non teneatur tale præceptum implere: nullum autem aliud melius secundùm prudentiam potest assignari, quàm instante metu mortis; ergo tunc facere quod præceptum tale præcipit, nullum est peccatum. Ex quo sequitur, vt dicit Soto 5. de iust. & iur. q. 6. art. 5. ad 3. quòd cùm puella permittit se stuprari metu mortis, vel grauis infamiæ, non vociferando, vel manibus se defendendo; dum tamen non consentiat interiùs, nec sit in periculo morali consensus, non peccat: quia ibi duo præcepta occurrebant, alterum negatiuum non fornicandi; alterum verò affirmatiuum se defendendi. Ratione prioris tenetur non consentire interiùs, & ex nullo metu potest honestari consensus: ratione autem secundi præcepti non tenetur hic & nunc cum tanto periculo vociferari: vnde etiamsi taceat, si tamen non consentiat, non peccat. De quo plura suprà iam diximus.

Soto.

Dico 4. Dico quartò. Facere contra præceptum diuinum positiuum ex metu cadente in virum constantem, nullum est peccatum, regulariter loquendo, siue præceptum sit negatiuum, siue affirmatiuũ. Hoc probatur, ex eo quod dicitur in additionibus, quæstion. 9. art. 2. quòd qui se vel alium constituit in periculo mortis, ex eo quòd confiteatur propriò Parocho, si aliùs non adsit, non tenetur confiteri, vel integram confessionem facere: cùm tamen præceptum confessionis sit diuinum positiuum & affirmatiuum. Item. 1. Machab. 2. Iudæi bellarunt in die Sabbatho, ne à contrarijs occiderentur. Et Iosue. 5. non sunt circuncisi filij Israël per quadraginta annos, & cùm esset præceptum circuncisionis, Genesis. 17. sunt excusati ratione itineris. Et 1. Regum 21. Dauid comedit panes Propositionis in necessitate famis, cùm esset præceptum ne illos comederet nisi Sacerdos. Nec valet responsio Gerson, illud factum fuisse ex peculiari dispensatione diuina: non (inquam) valet, quia Christus Dominus Matth. 12 attulit illum locum, non reducendo ad dispensationem, sed ad naturam

Machab. 2 *Iosue 5.* *Genes. 17.* *1. Reg. 21.* *Matt. 12.*

turam rerum, vt patet in illis verbis, Non homo propter Sabbathum, sed Sabbathum propter hominem. Ratio que est manifesta, nam quid excellentius est vita hominis quã obseruantia præcepti positiui: ergo vbi est periculum vitæ, cessat præceptum positiuum; quod ad aliã regulam Theologiæ reducitur, videlicet quod vbi currunt simul duo præcepta, quæ simul obseruari non possunt, obseruandum est maius, cessat que minoris obligatio: cum ergo cõseruationis vitę sit præceptũ naturale, si simul occurrat cum præcepto positiuo, & simul obseruari non possit, cessat præceptum positiuum, & debet obseruari præceptum naturale conseruationis vitæ, tanquàm maius. Verum est tamen, quòd Deus, tanquàm dominus vitæ & mortis, posset, si vellet, ponere præceptum positiuum, quod etiam cum periculo vitæ obligaret: hoc tamen esset in casu peculiari quod sic exprimeret in ipso præcepto, Facies hoc, etiam si mortem incurras: hoc autem non explicando in præcepto, non censendum est, Deum obligare velle cum periculo vitæ; & ideò diximus, cũ tali periculo regulariter ista præcepta non obligare.

Dico 5. Dico quintò. Præcepta positiua humana, siue Ecclesiastica, siue ciuilia, non obligant cum periculo vitæ, si præcisè humana sint, & non admisceatur aliquid præcepti naturalis: vnde ex tali metu, facere contra talia præcepta, nullum est peccatum. Hoc dictum patet ex præcedenti, licèt sit contra Caietanum infrâ quæstione 69. art. 4. aserentem, quòd si lex humana obligat sub mortali, etiam cum periculo vitæ non potest quis facere contra illam. Ratio tamen nostri dicti est manifesta, nam si præceptum diuinum positiuum cessat durante præcepto naturali conseruationis vitæ, à fortiori cessabit præceptum humanum positiuum. Dixi, si purè sit humanum, quia cùm tũc Respublica non sit domina vitæ & mortis, non potest cum tali periculo obligare. Si autem misceatur aliquid præcepti naturalis, obligabit illa lex etiam cum periculo vitę, ratione præcepti naturalis admixti, vt contingit in bello, vbi præcipitur militi sub pœna capitis hunc vel illum locum tenere, obligat enim cum periculo vitæ, & frangenti potest Dux infligere mortem; quia illud præceptum habet admixtum præceptum naturale prospiciendi bono communi, quod vtique periclitatur, si vnusquisque miles suum locum designatum non teneat. Similiter si bonum ciuitatis periclitaretur, & ad prouidendum tali malo præcipitur aliquid alicui ciui, tenetur illud obseruare, etiam cum periculo vitæ, propter rationem assignatam. Et si contra dicas, *Obiectio.* quòd sic semper lex humana obligabit cum periculo vitæ, quia semper lex humana respicit bonum commune: Respon- *Solutio.* detur negando consequentiam; quia licèt lex humana commodè obseruata respiciat bonum commune, non tamen obseruata cum periculo vitæ; immò contra bonum cummune esset multoties, cum tali periculo obseruare prædictas leges; vt feria sexta carnes non manducare. Similiter patet exceptio posita in nostro dicto, in lege humana Eccæsiastica, quòd nullus contrahat matrimonium cum consanguinea in tali gradu, tenetur enim etiam cum metu mortis non sic contrahere, quia hoc esset violare ius naturæ. Cum enim Respublica habeat potestatem assignandi conditiones cuiuscunque contractus, etiam matrimonialis, & Christus Dominus instituerit Sacramentum contractum matrimonij, si semel contractus non existat, quia conditiones Reipublicæ non seruantur, nec etiam Sacramentum conficitur: vnde sine tali conditione velle nubere, est contra naturã Sacramenti; vnde cùm præceptum naturale sit in genere gratiæ de integritate & requisitis Sacramenti, ratione huius præcepti admixti tenetur quis, etiam cum periculo vitæ, seruare legem de non nubendo cum consanguinea. Similiter etiam patet 1. Mac- *1. Mac. 1* chab. 1. vbi multi fortissimi viri potiùs elegerunt mortem, quàm carnes porcinas manducare: quod & 2. Machab. 6. pro ma- *2. Mac. 6.* gno habetur, & de eo laudatur Eleazarus; seruarunt enim præceptum positiuum cum iactura vitæ, quia iam admisceabatur aliquid præcepti naturalis; quia in fideles cõpellebant ad huiusmodi in contẽptum legis Dei. Et si contra nostrum dictũ asseras cap. Sacris, de his quæ vi metus vè, &c. *Obiectio.* vbi dicitur, esse excommunicatum illum qui quouis metu communicat excommunicato: ergo metus non excusat à lege humana: Respondetur primò cum Vi- *1. Sol. Vic.* ctoria, illud intelligi de metu non cadente in virum constantem. Secundò respondetur cũ Siluestro, debere intelligi de illo, *2. Sol. Sil.*

qui communicat cum excommunicato, in ipso crimine, quod iam vtique est cõ-
2. Solutio. tra legem naturæ. Vel tertio respondetur cũ Adriano, debere intelligi, quando quis communicat cum excommunicato, in contemptum legis Ecclesiasticæ, quia hoc est etiã contra legem naturæ. Circa secũdum punctum quod diximus tangi in argumentis positis à principio, de valore & irritatione contractuum,

Dico 6. Dico sextò. Contractus, siue promissiones, siue votum, siue matrimonium, siue quodlibet aliud, celebrati ex metu, etiam cadente in virum constantem, iure naturæ sunt validi. Probatur, quia metus quomodocunque sit, ille tantùm facit inuoluntarium secundùm quid (vt dictum est) relinquitque actum absolutè voluntarium, sed ad valorem cuiuscunque contractus ex natura rei sufficit voluntarium absolutum: ergo. Probatur minor, quia si huiusmodi fierent ex metu ab intrinseco prouenient, vt votum in infirmitate vel in tempestate Maris; immò vel quando quis, vt non suspendatur, nubit cum meretrice, huiusmodi contractus validi sunt, licèt sint inuoluntarij secundùm quid: ergo voluntarium secundùm quid, non irritat contractum: ergo contractus ex metu, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco, siue per iniuriam, siue sine illa, stando in iure naturæ, validus est; quia in tali iure non est quare irritentur; nihil enim potest assignari ad irritationem, nisi inuoluntarium secundùm quid; & hoc non sufficit, vt dictum est.

Dico 7. Dico septimò. Aliqui contractus (vt matrimonium & votum solenne) facti ex metu, irriti sunt iure positiuo, etiamsi aliàs iure naturæ essent validi. Hoc patet in c. vnico de his quæ vi, metus ve causa fiunt, lib. 6. vbi dicitur, quòd absolutio à censuris facta ex metu, quæ quidem ex natura rei poterat esse valida, maneat irrita & nulla, quas quidem irritationes rectè potuit facere ius Canonicum, vel ad euitãda plura incouenientia, quæ ex huiusmodi contractibus sequi solent; vel quia regulariter est periculum, quòd per metum contractus non habeat consensum interiorem. Propter hæc ergo dubia statuit Ecclesia, quod talis consensus metu extortus non habeat vim legitimi consensus: iura autem in quibus huiusmodi contractus irritentur, videnda sunt in Magistro Soto
Soto. in 4. dist. 29. quæstione 1. art. 3. nam in præsenti solùm agimus, tanquãde necessarijs de his quę pertinent ad explicationem voluntarij in communi; nam agere in particulari de his quæ pertinent ad matrimonium, votum, vel Sacramenta, non est præsentis loci, sed in suis particularibus materijs sunt tractanda, & non hic congerenda, vt multa quæ possunt videri in Salas hic tract. 3. disput. 2. sect. 2. *Salas.*

Ex dictis sequitur. Primò, quòd nul- *1. Corol.*
lus contractus, quocunque metu factus, est irritus; quia non sit absolutè voluntarius, sed quia iure positiuo irritantur, vel aliunde, vt statim explicabimus.

Secundò sequitur, quòd tales contrac- *2. Corol.*
tus iure positiuo non irritati, validi manent, & inducunt obligationem, vt votũ simplex, vel iuramentum, etiamsi cum iniuria extorqueatur à latrone. Verum est tamen, posse petere relaxationem talis iuramenti: & licèt iurauerit se non petiturum talem relaxationem ab hocipso, quantumcunque millies reduplicetur, potest petere relaxationem. Si autẽ quæras, quare ius positiuum irritauerit votum metu factum, non autem iurameutum; cùm obligatio voti sit maior, quàm iuramenti; cùm votum fiat Deo, iuramentum verò homini: vnde vouens ex metu, non tenetur implere, bene autẽ quiex metu iurauit: Respondetur, quòd propter hoc ipsum, quia obligatio voti est maior, non vult ius positiuum nisi quòd summè liberê fiat. Vnde si interueniat metus aliqualiter minuens libertatem, irritat tale votum. Alij respondent, hoc factum fuisse propter reuerentiam iuramenti, vt quomodocunque fiat, impleatur, ob reuerentiam nominis Dei quod iurauit. Tertiò tamen acutius respondetur, maius fundamentũ fuisse in voto ad irritationẽ, quãin iuramento; quia licet vtrumque vt valeat, debeat esse liberum; consequenter vtrumque importat & actum Intellectus, & actum Voluntatis: libertas enim vtrumque complectitur: votum tamen principalius respicit voluntatem, cùm fit promissio per modum affectionis: minus tamen principaliter & præsuppositiuè actum Intellectus importat: iuramentum autem è contra principaliùs respicit actum Intellectus, cùm sit quædam testificatio, & essentia illius in veritate consistit. Cũ ergo vis & coactio; vel metus, potius respiciant Volũtatẽ, quàm Intellectũ, ma- *Obiectio.* *Solut.*

ius

ius fundamentum est, vt metus vel vis destruat votum, quàm iuramentum.

Tertiò sequitur, quòd huiusmodi contractus metu iniurioso facti, alias iure positiuo non irritati, licèt ex natura rei valeāt, & quantum est ex parte facientis contractum, debeat illos ad implere: aliquando tamen aliunde, & ex parte illius cum quo fit contractus, propter iniuriam illatam ab illo, non est obligatio vt tales contractus ad effectum reducantur ab eo qui fecit illos. Verbi gratia, aliquis metu fecit simplicem promissionem pecuniarum latroni in via; licèt ex parte promittentis illa promissio sit valida, quia absolutè voluntaria; quia tamen latro ratione iniuriæ & metus quem infert, non potest acquirere dominium illarum pecuniarum, & si accipiat, tenetur restituere; non necesse est vt promittēs exhibeat illas: quia si latro debet reddere illas, idem & melius erit illas retinere & non dare. Idem currit de promittente vsuras, cùm recipiens illas teneatur restituere. Idem etiam currit de emptione & venditione metu facta iniurioso, quia cùm inferens metum, teneatur resarcire damnum, & hoc non aliter nisi constituēdo iniuriam patientem in pristinum statum, idem erit, emptionem vel venditionem celebratam non consummare.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm concupiscentia causet inuoluntarium.

AD *septimum sic proceditur. Videtur, quòd concupiscentia causet inuoluntarium. Sicut enim metus est quædam passio, ita & concupiscentia: sed metus causat quodammodò inuolantarium: ergo etiam concupiscentia.*

Secundò prætereà. Sicut per timorem timidus agit contra id quod proponebat, ita incontinens propter concupiscentiam: sed timor aliquo modo causat inuoluntarium: ergo & concupiscentia.

Tertiò prætereà. Ad voluntarium requiritur cognitio: sed concupiscentia corrumpit cognitionem: dicit enim Philosophus in 6. Ethic. † *quòd delectatio, siue concupiscentia delectationis, currumpit æstimationem Prudentiæ: ergo concupiscentia causat inuoluntarium.* † Cap. 5. to. 5

Sed contra est quod dicit Damascenus; † *Inuoluntariū est misericordia vel indulgentia dignū, & cum tristitia agitur: sed neutrum horum competit ei quod per concupiscentiam agitur: ergo concupiscentia nō causat inuoluntarium.* † Lib. 2. fidei Orthod. c. 24.

Respondeo dicendum, quòd concupiscentia non causat inuoluntarium, sed magis facit aliquid voluntarium. Dicitur enim aliquid voluntarium ex eo quòd Voluntas in id fertur: per concuspicentiam autem Voluntas inclinatur ad volendum id quod concupiscit, & ideò concupiscentia magis facit ad hoc quòd aliquid sit voluntarium, quàm quòd sit inuoluntarium.

Ad primum ergo, dicendum, quòd timor est de malo; concupiscentia autem respicit bonum: malum autem secundùm se contrariatur Voluntati, sed bonum est Voluntati consonum; vnde magis se habet timor ad causandum inuoluntarium, quàm concupiscentia.

Ad secundum, dicendum, quòd in eo qui per metum ali-

quid agit, manet repugnantia Voluntatis ad id quod agitur, secundùm quod in se consideratur: sed in eo qui agit aliquid per concupiscentiam, sicut est incontinens; non manet prior Voluntas, qua repudiabat illud quod concupiscitur, sed mutatur ad volendum id quod priùs repudiabat: & ideò quod per metum agitur, quodammodò est inuoluntarium: sed quod per concupiscentiam agitur, nullo modo; nam incontinens concupiscentiæ agit contra id quod priùs proponebat, non autem contra quod nunc vult: sed timidus agit contra id quod etiã nunc secundùm se vult.

Ad tertium, dicendum, quòd si concupiscentia totaliter cognitionem auferret, sicut contingit in illis qui propter concupiscentiam fiunt amentes, sequeretur, quòd concupiscentia voluntarium tolleret: nec tamen proprie esset ibi inuoluntarium, quia in his quæ vsum rationis non habent, neque voluntarium est, neque inuoluntarium: sed quandoque in his quæ per concupiscentiam aguntur, non totaliter tollitur cognitio, quia non tollitur potestas cognoscendi; sed solum consideratio actualis in particulari agibili: & tamen hoc ipsum est voluntarium, secundùm quòd voluntarium dicitur quod est in potestate Voluntatis, vt non agere & non velle: similiter autem & non considerare; potest enim Voluntas passioni resistere, vt infrà dicetur.†

Quæst. 77. art. 6. & 7.

Conclusio est. Cõcupiscentia non causat inuoluntarium, sed magis facit aliquid voluntarium.

Antequàm ad examinationem huius cõclusionis accedamus, oportet scire, quid intelligat D. Th. nomine concupiscentiæ. Pro cuius intelligentia

Notandum, quod cõcupiscentia sumitur dupliciter. Primò pro ipsa potentia concupiscibili, siue sensitiua, siue intellectiua. Secundo modo pro ipsa passione, siue affectione & actu talis potentiæ, siue sensitiuæ, siue intellectiuæ, siue talis affectio & actus sit circa corporalia, siue circa spiritualia; in qua acceptione loquitur D. Tho. de concupiscentia infrà quæst. 77. art. 6. ad 2. & de huiusmodi cõcupiscentia intelligitur illud Sapientiæ 6. Cõcupiscentia Sapientiæ deducit ad Regnum perpetuum. Et Ecclesiast. 6. Concupiscentia Sapientiæ dabitur tibi. Et illud Psalmi: Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas. Ecce qualiter actus Voluntatis, etiam circa spiritualia, concupiscentia nuncupetur. Vbi notandum ex Mag. Soto hic, quòd iste actus Voluntatis duplex est: vnus, qui sequitur Voluntatem deliberatam, quæ est propter bonum rationis: alius autem qui sequitur inclinationem naturalem, quando videlicet Voluntas condelectatur sensui. Verbigratia, cùm quis bene facit cõsanguineo, non tantùm propter præceptum diuinum, quia proximus est, sed etiam propter inclinationem carnis & sanguinis.

Not. *Sapient. 6.* *Eccle. 6.* *Psalm.* *Soto.*

Rursus notandum, quòd concupiscentia, etiã vt nominat affectionem vel actũ, sumitur dupliciter. Primò largè, vt extenditur, tam ad actus appetitus sensitiui, quàm Voluntatis, vt modò dicebamus. Secundo modo strictiùs, pro passione seu affectione appetitus sensitiui tantum. In qua acceptione intelligitur illud Iacobi. 1. Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Et illud ad Rom. 7. Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces; qui locus licèt alias soleat explicari: tamen D. Augustin. Serm. 4 & 5. & 6. de verbis Apostoli, explicat illum de concupiscentia carnis, quæ passio est appetitus sensitiui. De qua etiã diuisione videatur D. Tho. infrà q. 22. art. 3. & q. 30. art. 1. & q. 73. art. 3. ad 2. Est ergo concupiscentia hæc propriè sumpta, passio quædam appetitus sensitiui, videlicet appetitio delectationis sensitiuæ, cuius

Not. *Iacobi. 1.* *Rom. 7.* *D. Aug.* *D. Th.*

cuius passionis subiectum, est ipse appetitus sensitiuus, non solùm secundùm partem concupiscibilem, sed etiam irascibilem. Licèt enim D. Tho. infra, quæst. 30. art. 1. & 2. distinguat concupiscentiam ab alijs passionibus eiusdem appetitus sensitiui, videlicet ab amore & delectatione, &c. penes hoc quod ipsum delectabile secundùm sensum, quod est omnium illarum passionum obiectum, quatenus sibi appetitum adaptat quodammodò & conformat, causat amorem; quatenus verò ab sensu ad se ipsum attrahit eundem appetitum, causat concupiscentiam; quatenus verò præsens in se ipso quietat appetitum, causat delectationem: cui quidem passioni D. Tho. in illo articulo. 2. ad. 3. assignat in eadem parte appetitus sensitiui, passionem quandam sibi contrariam, quæ tamen innominata est, quæ quidem quia est mali absentis, sicut & timor, quandoque loco eius ponitur timor; sicut & quãdoq; loco spei ponitur cupiditas: immeritò tamẽ appellatur timor, quia timor est in irascibili: concupiscentia autem vel illa passio contraria est in concupiscibili; per circumloquium autem explicatur talis passio cõtraria concupiscentiæ, dicendo quòd sit fuga vel abominatio obiecti sensibilis, quod à se repellit appetitum: hoc enim modo appellat illam D. Tho. in 3. dist. 26. quæstione 1. art. 3. in corpore, vbi etiam docet, quòd concupiscentia importat excessum & intensionem desiderij, sicut zelus significat intensionem & excessum amoris, & abominatio intensionem odij, & accidia intensionem tristitiæ, & præsumptio excessum spei, & audacia excessum confidentiæ. Dixi ergo, quòd licèt hæc ita vera sint, strictè loquendo de actibus appetitus sensitiui; tamen hic agendum est de concupiscentia, non vt nominat potentiam, quia ex illa non attenditur intensio vel diminutio voluntarij, nec etiam vt se extendit ad actus Voluntatis (licèt contrarium asserat Medina hic) sed (vt Soto & Conradus in præsenti dicunt) vt nominat actum appetitus sensitiui; quia actus Voluntatis potiùs dicitur procedere ex concupiscentia, quàm dicatur concupiscentia: & quia D. Tho. hic loquitur de concupiscentia vt est passio cõdistincta à metu; hæc autem ad appetitum sensitiuum, sicut & metus, pertinet. Colligiturque etiam ex eodẽ, 2. 2. q. 142. art. 3. & infrà. q. 77. artic. 6. vbi tractans an peccatum alleuietur propter passionẽ, taliter quòd passio diminuat voluntarium, & consequenter peccatum, expressè loquitur de passione concupiscentiæ quæ est in appetitu sensitiuo; & in hoc articulo loquitur de concupiscentia existente in homine incontinente, de qua Arist. adductus ab ipso D. Tho. asserit, quòd concupiscentia delectationis corrũpit æstimatiõnẽ prudentiæ; quẽ quidẽ effectũ nõ potest habere alia passio, nisi passio appetitus sensitiui. Item etiam ratione est manifestum, nam actus Voluntatis nulli est dubium quòd non possit minuere voluntarium; ratio enim inuoluntarij ab extrinseco debet prouenire: superfluum ergo esset interrogare, vtrùm concupiscentia causet inuoluntarium, si nomine concupiscẽtiæ intelligeret actum Voluntatis. Loquitur ergo de concupiscentia, vt nominat actũ appetitus sensitiui; de quâ, quia quid extrinsecum est voluntati, poterat esse dubium, vtrùm causaret inuolũtarium. Neque etiã agit de concupiscentia vt nominat peculiarem actum appetitus sensitiui pertinentem ad concupiscibilem, distinctum ab actu irascibilis: sed nomine concupiscentiæ intelligit quemcunque actum appetitus, siue concupiscibilis, siue irascibilis; quia hic agit de concupiscentia vt distinguitur contra metum: certum est autem ex Arist. 3. Ethic. cap. 1. omnes passiones appetitus, extra metum, conuenire in modo mouendi Voluntatem, & incitandi & augendi voluntarium eius: solus autẽ metus est qui retardat ipsam. Eo vel maximẽ, quòd nunquam D. Th. egit de ira, vel alijs passionibus, qualiter moueant Volũtatem, sed solùm egit de metu & concupiscentia: signum ergo est, quòd nomine concupiscentiæ intelligit omnes appetitus passiones præter metum. Præterea notandũ, quòd passio appetitus est triplex. Alia antecedens Rationem; alia vero consequẽs; alia autem concomitans; vt colligitur ex Diuo Thoma infrà quæst. 24. art. 3. ad. 1. & quæst. 77. art. 6. Concupiscentia antecedens, vt nomen sonat, est quæ præcedit actum Voluntatis: ex qua passione voluntas inclinatur ad operandum: qua ratione talis concupiscentia dicitur habere rationem causæ respectu actus voluntatis: Concupiscentia verò consequens, vt nomen sonat, est quę posterius se habet & cõsequitur ad actũ Volũtatis; vt quãdo

Arist. *Arist.* *D. Thom.*

Medina. Soto. Conrad.

ex actu vehementi Voluntatis circa aliquod obiectum sensibile excitatur passio in appetitu sensitiuo : nō enim esse potest, quòd Voluntas intenso & vehementi actu obiectum aliquod sensibile prosequatur, quin post se trahat appetitum, excitando in illo aliquam passionem circa idem obiectum: qua ratione talis passio est effectus actus Voluntatis, potestque huiusmodi passiò esse laudabilis vel vituperabilis, bona vel mala, qualiter fuerit actus Voluntatis ex quo causatur: motus enim libidinis causatus ex amore fœminæ existēte in Voluntate, malus est, sicut & ipse amor: iracundia verò quæ in iudice excitatur ex affectu iustitiæ ad suspendendum latronem, ne preces rogātium admittat, sed infallibiliter iustitiam exequatur, laudabilis est, sicut & ipse affectus iustitiæ: quapropter passiones consequentes, à Philosophis solent vocari igniculi quidam viriles, quibus exequimur virtutum opera, velut instrumenta quædam ad hoc. Vnde perperam docebant Stoici, quòd huiusmodi passiones erant de medio tollendæ, velut morbi animæ; melius enim Peripatetici dicunt, quòd huiusmodi passiones nimis conducūt ad virtutum opera, si freno Rationis moderentur, & sicut pedissequæ consequantur Rationem, & non vt dominæ præcedant. Potestque huiusmodi passio consequens dupliciter ad Rationem esse consequuta, siue bonæ, siue malæ sint. Primò per modum redundantiæ, & quasi naturaliter, propter connexionem appetitus cum Voluntate (vt quando non aduertens, cùm tamen aduertere teneretur) ex amore Voluntatis ad mulierem insurgit passio in appetitu. Secundo modo potest consequi per modum deliberationis, vt quando sciens & videns, ex actu Voluntatis explicitè intendit talem passionem in appetitu excitare, vt melius quod per voluntatem diligit, exequatur; vt diximus de iudice. Concupiscentia verò concomitans est illa, quæ neque est causa, neque effectus Voluntatis actus, sed omnino per accidens coniungitur cū illo, vt si (verbi gratia) aliquis studiosè & ex causa necessaria velit cogitare de turpibus: tunc si in appetitu insurgat passio, quam ipse neque intendit, neque vellet habere, talis passio concomitanter se habet; quia nec ex passione vellet cogitare, neque ex velle cogitare processit ad passionem; vnde nec est causa, nec effectus illius volitionis: hoc quidem in genere moris, nam in genere physico effectus est illius volitionis: nostra autem consideratio in præsenti moralis est, & non purè physica. D. Tho. in præsenti non meminit huiusmodi passionis concomitantis, vel quia procedit vt Philosophus moralis, & vt dictum est, in genere moris non habet connexionem cum actu voluntatis; vel quia hic tantùm agit de passionibus conducentibus ad augmentum vel diminutionem voluntarij: voluntarium autem ex huiusmodi passione non attenditur, cùm non habeat connexionem causæ vel effectus, vt dictum est; vel etiam quia cùm saltem in genere physico consequatur talis passio, ad consequentem reduxit illam: non ergo etiam in præsenti articulo procedit dubium de passione consequente vel concomitante, quæ ad illam reducitur, quia huiusmodi passio, cum sit effectus actus Voluntatis, & posteriùs se habeat ad illum, nec potest minuere voluntarium, quia prius non dependet à posteriori, sed potius huiusmodi passio est signum voluntarij præcedentis: hoc tamen intelligitur, si talis passio omnino sit consequens; nam si aliqualiter antecedat, qua ratione antecedit, poterit augere vel minuere voluntarium. Verbi gratia, potest contingere quòd concupiscentia consequens, semel ab actu Voluntatis excitata, quasi reflectatur supra Voluntatem ipsam, magisque ipsam inclinet in obiectum quod aliàs volebat; qua ratione concupiscentia quæ anteà erat consequens ad substantiam actus voluntatis, iam sit antecedens respectu augmenti illius. Formaliter ergo procedit quæstio de concupiscentia antecedenti, vt distinguitur contra metum, siue sit in concupiscibili, siue in irascibili. His suppositis, si

DVBIVM PRIMVM,

Vtrū cōcupiscētia antecedēs augeat volūtariū; an verò illud aliquo modo minuat, aut ipsum omnino tollat.

PRobatur primò, quòd talis concupiscentia minuat voluntarium, ex D. Th. infrà quæst. 77. art. 6. vbi expressè docet, quòd concupiscentia antecedens minuit 1. *Arg.*

Confi. nuit voluntarium. Confirmatur, nam secundùm communem doctrinam Theologorum, passio minuit liberum: ergo & voluntarium. Consequentia patet, nam liberum est quid inferius ad volũtarium. Antecedens verò probatur, quia passio maximè determinat ad alteram partem: ergo aliqualiter minuit liberum constitens in indifferentia ad vtrumque.

2. Arg. Secundò arguitur, nam vt docet Diuus Thomas infrà, quæstione 43. artic. 1. ex Diuo Augustino libr. 83. quæstionum, quæstione 33. concupiscentia est causa timoris: sed timor causat inuoluntarium, saltem secundùm quid, vt diximus articulo præcedenti: ergo etiam concupiscentia; quia quidquid est causa causæ, est causa causati.

3. Arg. Tertiò arguitur. Vt docet Arist. 3. Ethi. cap. 1. tristitia est signum certum inuoluntarij, vel voluntarij diminutionis; vnde

D. Aug. manauit illud dictum Aug. de Ciuitate, c. 15. Tristitia est de his quæ nobis nolentibus accidunt: sed qui malum aliquod operatur ex passione concupiscentiæ, vt experientia constat, tristatur: ergo concupiscentia illa quæ huiusmodi tristitiam causat, minuit voluntarium.

4. Arg. Quartò arguitur. Voluntarium est ab intrinseco cum cognitione; sed concupiscentia est ab extrinseco, minuitque cognitionem, quia perturbat Rationem, & tanta esse potest, vt omnino vsum Rationis tollat: ergo minuit voluntarium. Patet consequentia, quia ideò violentia, & metus, & ignorantia, minuit voluntarium, quia duo priora mouent ab extrinseco, & tertium

2. ptr. minuit cognitionem. Confirmatur. Moueri ab extrinseco, non est moueri iuxta proprium modum & naturam, sed potius contra illam, quæ ab intrinseco & â seipsa habet moueri: ergo moueri ab aliquo extrinseco, vt est passio, non conducit ad augmẽtum voluntarij, sed potiùs ad diminutionem.

5. Arg. Quintò arguitur. Concupiscentia antecedens minuit peccatum: ergo voluntarium. Antecedens est D. Thom. infrà quæstione 73. artic. 6. ad 2. Cuius ratio est, quia leuiùs peccat ille, qui quasi ductus vel tractus ab alio, consentit peccato, quàm qui ex propria & mera deliberatione: vnde qui ex passione peccant, solent se excusare, dicẽdo se peccasse ex passione, & non ex malitia; & vulgaris sententia est, quòd qui accedit ad fœdam, grauiùs peccat, quàm qui ad pulchrã; quia minor est passio, & maior malitia. Cõsequentia verò probatur ex axiomate Theologorum, quòd in tantum est peccatum, in quantum est voluntarium: ergo in tantum minuitur voluntarium, in quantum minuitur peccatum. Et hoc ipsum videtur docere D. Th. infrà, q. 77. art. 6. ideò passionem minuere peccatum, quia minuitur voluntarium. Si respondeatur, in *Solut.* prædicto axiomate D. Tho. sumere volũtarium pro libero, nõ autem pro eo quod solũ est à principio intrinseco cum cognitione; vnde si passio minuit peccatum, minuit etiam liberum, non autẽ voluntariũ; quia, vt suprà dictum est, bene potest augeri voluntarium & minui liberum: Contra *Impug.* arguitur, quia D. Tho. in tantum dicit passionem minuere voluntarium, in quantũ agens ex passione, minus agit ab intrinseco & ex se: ergo loquitur de voluntario, vt est à principio intrinseco, & non solùm vt dicit liberum. Et statim solutione ad tertium, dicit, quòd licèt motus Voluntatis ex passione sit intensior, non tamen est ita Volũtati proprius, sicut si sola ratione moueretur: ergo loquitur de voluntario communiter, & non vt importat liberum.

Sextò arguitur. Ex eo metus minuit *6. Arg.* voluntarium, quia qui agit ex metu, agit, contra id quod aliàs volebat & modò vult, secũdùm se & in cõmuni; vnde agit cum repugnantia præcedentis volitionis: sed idem contingit in eo qui agit ex passione: ergo eodem modo minuitur voluntarium ex illa. Probatur minor. Primò, ex differẽtia quæ assignatur inter incõtinentem operantem ex habitu, & operantem ex passione, quòd ille operatur promptè & delectabiliter, iste verò remissè & cum tristitia, & cum aliquali detentione: ergo in operante ex passione, aliquid contrarij admiscetur, ratione cuius minuatur voluntarium, sicut in operante ex metu. Secundò probatur eadem minor. In operante ex passione, multoties sunt istæ duæ considerationes, Hoc est mihi bonum secundũ sensum, quia delectabile: & hoc est mihi malum secundùm rationem, quia cõtra legem Dei: ergo quando vincitur passione, sic vult hoc agere secundũ sensum, q̃ nollet illud facere, quia contra legẽ Dei: ergo manet contraria velleitas, sicut in operante ex metu vt minuatur voluntarium. Tertiò probatur, quia hoc expressè videtur docere D. Paulus ad Rom. 7.

in persona incontinentis, Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malũ, illud facio: ergo denotat, duplicẽ esse volitionẽ; alteram absolutam ex passione; alteram verò conditionatam ex ratione. Quod & inferiùs clariùs dicit: Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meę, & captiuãtem me in legem peccati. Quod etiam habet ad Galatas quinto: Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæcunque vultis, illa faciatis. Ecce qualiter secundùm Paulum est contrarietas Volũtatis in operante ex passione, nõ minùs quàm in operante ex metu. Confir. Confirmatur, quia multi faciliùs resistunt metui, quàm passioni: ergo aliqua maior vis interuenit in passione, quàm in metu: vnde si vis metus minuit voluntarium, â fortiori vis passionis. Antecedens probatur experientia, & in doctrina Doctorum loquentium de Martyrum & Confessorum statu, quòd ille est horribilior, hic autem molestior, & dicitur maior, quia in illo agitur contra timorem, in isto verò cõtra passionem.

1. Sent. In hac re est prima sententia distinguentium de concupiscentia pro actu Voluntatis, & pro actu appetitus sensitiui; qui dicunt, quòd si loquamur de concupiscentia vt nominat actum Voluntatis, auget voluntarium: si autem sumatur vt nominat actum appetitus sensitiui, voluntarium diminuit; quia tunc magis voluntariè agit Voluntas, quando totaliter mouetur à se ipsa, & non ab aliquo extrinseco, vt patet in volitione Dei, & in volitione Angeli respectu sui; ideò enim intensiores sunt, quia totaliter sunt à Voluntate, & non ex iuuamine alicuius extrinseci: voluntarium ergo ex passione procedens, diminutum erit, tanquàm ex aliquo extrinseco excitante procedens; & sic conciliat hæc sententia diuersa loca D. Th. quòd vbi dicit, concupiscentiam augere voluntariũ, sumit concupiscentiam pro actu Voluntatis: vbi verò dicit, concupiscentiã minuere voluntarium, loquitur de concupiscentia vt importat actum appetitus sensitiui. Sed iam dictum est, hic non loqui de concupiscentia pro actu Voluntatis.

2. Sent. Conrad. Secunda est Conradi hic, dicentis tria. Primum, quòd concupiscentia nullo modo causat inuoluntarium. Secundò, quòd cõcupiscentia non auget voluntariũ. Tertium, quòd concupiscentia minuit voluntarium: & hanc sequitur Lorca hic, disputatione 5. & Vazquez disputatione 28. c. 2. Et si obijciatur contra secundum dictũ illius, quòd D. Thom. dicit hic, quòd concupiscentia magis facit aliquid voluntariũ: Respondet, quòd ly Magis, non debet adiũgi cum ly Voluntarium, sed cũ ly Facit: vnde sensus est, quòd concupiscentia magis conducit ad hoc quòd actus sit volũtarius, quàm ad hoc quòd sit inuoluntarius: nõ autẽ intendit, quòd concupiscentia cõducat ad hoc quòd actus sit magis voluntarius: quapropter illud aduerbium Magis, non sumitur comparatiuè, vt importet intensionem actus voluntarij, sed sumitur quasi exclusiuè, in ordine ad inuoluntarium: & sic tantum valet, sicut aduerbium potiùs, vt infra q. 72. art. 1. dicit D. Thom. quòd peccata distinguũtur specie ex parte actuum voluntariorũ, magis quã ex parte inordinationis in peccato existentis: vbi intendit, quòd peccata distinguuntur specie ex parte actuum, seu ex parte cõuersionis ad obiectũ, quod idẽ est, & nullo modo ex parte inordinationis per accidẽs repertæ in peccatis: & hanc cõclusionẽ intendit per ly Magis. Et hic modꝰ loquẽdi etiã reperitur in sacra Scriptura, 1. ad Cor. 9. Bonũ est mihi magis mori, quã vt gloriã meã quis euacuet: ac si diceret, potiùs expedit mihi mori, quàm vt gloriam, &c. Et quòd D. Th. hoc intendat, videtur ex vltimis verbis corporis articuli colligi, cùm dicit: Et ideò concupiscentia magis facit ad hoc quòd aliquid sit voluntarium, quàm quòd sit inuoluntarium: & in solutione ad primum, dicit: Vnde magis se habet timor ad causandum inuoluntarium, quàm concupiscentia: & solutione ad secundum, dicit: Et ideò quod per metum agitur, quodammodò est inuoluntarium; sed quod per cõcupiscentiam agitur, nullo modò. Ex quibus verbis colligitur, q̃ licèt D. Th. intendat, quòd cõcupiscẽtia nullo modo causat inuoluntarium; non tamen intendit, quòd augeat voluntarium. Qualiter autem cõcupiscentia causet voluntarium, & non solùm nõ augeat illud, sed potiùs diminuat, non tamen causando inuoluntarium, explicat Conradus, quòd cùm ad voluntarium & requiratur cognitio, & requiratur propẽsio Volũtatis; & q̃ actus à Voluntate procedat, in quantum concupiscentia facit

Lorca. Vazquez. Obiectio. Solutio. D. Tho. 1. ad Cor. 9. Conrad.

facit vt Voluntas tendat, & actum producat, est causa voluntarij; in quantum tamen minuit cognitionem, diminuit voluntarium, non autem diminuendo voluntarium, causat inuoluntarium, sicut facit timor: quia timor diminuit voluntarium, retardando Voluntatem; concupiscentia verò solùm diminuit voluntarium, minuendo cognitionem, non autem retardando Voluntatem, sed potiùs impellendo, vt propensiùs exequatur: & hoc videtur intentum D. Thom. quòd ex vna parte concupiscentia minuat voluntarium, vt dicit q. 77. & quod ex altera parte non admisceat inuoluntarium, sicut admiscet metus; quod explicat in hoc articulo, & sic conciliatur in vtroque loco.

3. Sentent. Medina. Tertia est aliorum, quos sequitur Medina hic, quòd concupiscentia non causat inuoluntarium (in quo conuenit cum Conrado & reliquis Thomistis) sed potiùs auget voluntarium, minuit tamen liberum: & istam sequitur Zumel infrà q. 77. dub. 1. Illam tenet D. Antoninus 1. p. tit. 4. c. 3. §. 4. Nauar. prælud. 6. nu. 7. Valentia & Salas hic tract. 3. disput. 3. sect. 1. Et pro sui explicatione supponit hæc sententia, voluntarium & liberum habere se sicut superius & inferius: voluntarium enim solùm dicit quòd sit à principio intrinseco cum cognitione; vnde habet se sicut quid superius & commune: liberum autem superaddit indifferentiam in appetitu, prouenientē ex indifferentia iudicij Rationis, & sic se habet vt Ratio inferior liberum respectu voluntarij: quapropter bene potest aliquid esse magis voluntariū, & minus liberū; immò & nullo modo liberū, vt patet in amore quo Deus amat se ipsum, & beati Deum, & Angeli se & Deū Authorē naturæ; in quibus huiusmodi amor est maximè & perfectissimè volūtarius, vt suprà diximus, & nullatenus liber etiam quoad exercitium. Fundamentumque huius sententiæ videtur clarum; preterquā q̄ videtur D. Th. hic, & Arist. 1. Ethic. c. 1. quoniam illud censetur magis voluntarium, in quo magis inclinatur Voluntas inclinatione elicita: sed cōcupiscentia facit Voluntatem inclinari inclinatione elicita in bonum delectabile, quia concupiscentia ducit Voluntatem in obiectū *Iacobi 1.* ipsum delectabile, iuxta illud Iacobi 1. A concupiscentia sua abstractus & illectus: ergo facit magis voluntarium. Quòd autem minuat liberum, patet, quia concupiscentia perturbat aliqua ex parte iudicium Rationis, determinando illud ad vnam partem magis quàm ad alteram: ergo minuit indifferentiam iudicij necessariò requisitam ad rationem liberi; & per hoc concordantur loca Diui Thomæ, quòd quando dicit, quòd concupiscentia minuit voluntarium, sumit voluntarium pro libero: quando verò, vt in præsenti videtur dicere, concupiscentiam augere voluntarium, sumit voluntarium vt solùm importat propensionem à principio intrinseco Voluntatis.

Quarta sententia est dicentium primò, *4. Sent.* cum reliquis, quòd concupiscentia nō causat inuoluntarium. Secundò, quòd auget voluntarium secundum rationē cōmunē voluntarij. Tertiò, quòd minuit voluntarium quantū ad perfectionem ipsius voluntarij, prout ampliùs explicabitur in notabilibus & conclusionibus, in quibus hanc sententiam prosequemur, discedentes tamen à quibusdam tenentibus hanc quartam sententiam, explicantibus tamen primum dictum illius, quòd concupiscentia non causat inuoluntarium directè & per se, bene tamen causat illud indirectè & secundùm quid. Vocant inuoluntarium directum, quod est contra actualem inclinationem Voluntatis; vt contingit in his quæ metu fiunt: indirectum verò, quod licèt non sit contra actualem volitionem, est tamen contra habitualem inclinationem vel dispositionem Voluntatis, quæ de se dispositā erat ad nolendum hoc obiectum, si concupiscentia nō adesset. Item etiam explicāt, concupiscentiam indirectè causare inuolūtarium, quatenus causat inconsiderationem illorum quæ talem actionem factam ex concupiscentia impedire possent: hac enim ratione, sicut ignorantia indirectè causat inuoluntariū, ita & concupiscentia aliqualiter causat ignorantiam vel inconsiderationem. Immò & superaddunt aliqui ex istis, concupiscentiam conuenire cum metu in eo quod est causare inuoluntarium secundùm quid, & tantùm esse differentiam, q̄ metus semper & per se & directe causat illud: concupiscentia verò nec semper, nec regulariter, sed quandoque, & hoc indirectè & per accidens; & hoc tantùm intendere D. Thomam, quòd concupiscentia non causat inuoluntarium directè & per se. Vtuntur ad hoc explicandum.

dum, duobus exemplis. Primo, de soluente vsuras, qui licèt simpliciter voluntariè soluat: tamen secundùm quid & indirectè inuolũtariè soluit; quod quidẽ inuolũtarium ex concupiscentia pecuniarum prouenit. Secundum exemplum est, quando quis vt dignitatem vel cathedram consequatur, voluntariè simpliciter expendit pecunias, cùm tamen secundùm quid & indirectè inuoluntariè expendat; quod inuoluntarium ex concupiscentia cathedræ prouenit. Hæc tamen explicatio istorum primi dicti, expresse est contraria D. Tho. hic, præcipue ad secundum, asserenti, quòd licèt aliquo modo metus causet inuoluntarium, concupiscentia tamen nullo modo inuoluntarium causat. Si dicit, nullo modo: ergo neque directè, neque indirectè, maximè quia metus nõ causat inuoluntarium directè, sed indirectè tãtùm. Cùm ergo D. Tho. neget à concupiscentia causalitatem inuoluntarij, quam metui concedit, expresse sentit, concupiscentiam nec etiam indirectè causare inuoluntarium. Nec exempla istorum sunt cõtra Diuum Thomam, quia licèt in vtroque exemplo inueniatur inuoluntarium secundùm quid per quãdam nolleitatem: tamen inuoluntarium illud non prouenit ex concupiscentia pecuniarum, vel dignitatis, sed ex metu amittendi illud bonum desideratum. Verbi gratia, inuoluntarium repertum in solutione vsurarum, prouenit ex timore incurrendi maiora debita, si vsuras non soluat. Similiter in altero exẽplo inuoluntariũ prouenit ex metu amittendi cathedram & commoditatem inde consequentem: quod amplius explicabitur in solutionibus argumentorum.

D. Tho.

1. Not. Pro intelligentia notandum. Primò, quod iam diximus, passionem aliam esse consequentem, aliam verò antecedentem. Passionem consequentem certum debet esse non minuere voluntarium, sed potiùs esse signum augmenti illius; propterea enim concitatur in parte inferiori hæc passio, quia in superiori est ardens & intẽsa Voluntas; non enim potest esse in natura passibili, quòd Voluntas ardenter feratur, quin sequatur commotio ad idem in inferiori appetitu. Vnde D. Augustin. 14. de Ciuitate, cap. 9. inquit: Sed dum vitæ huius infirmitatem gerimus, si passiones, vel animi affectiones omnino nullas habeamus, tunc potiùs non rectè viuimus. Vituperat enim & detestatur Apostolus quosdam, quos esse dixit sine affectione; quæ verba considerandа sunt aduersus quosdam nimis Stoicos nostri temporis, qui profitentur vitam quandam omnis affectionis expertem, dicentes se ab omni passione liberos, & totam velut è cœlo pẽdentem: de quibus pronuntiandum est cũ Diuo Augustino, quòd potiùs non rectè viuant. Vnde consultò Arist. in 3. Ethicor. vt ostendat necessitatem harum passionũ ad intensionem voluntarij, & exequutionem virtutum, inducit versum Homeri in hunc modum: Immitte virtutem furori virtutem & furorem erigere.

D. Aug.

Arist.

Secundò notãdum, tres esse gradus voluntarij. Primus consistit in hoc quod est procedere à principio intrinseco cum cognitione; in quo homines & bruta conueniunt, vt docuit D. Tho. suprà. Secundus gradus superaddit ad primum, quòd cognitio, à qua procedit voluntarium, non tantùm sit cognitio obiecti vtcunque, sed etiam circunstãtiarum & dignitatis illius; de quo loquitur Arist. 3. Ethic. cap. 1. solumque reperitur in natura intellectuali, etiam quoad actus necessarios. Tertius gradus superaddit ad priores, quòd cognitio reliquat Voluntatem indifferentem ad vtrumque; quod solùm reperitur in natura intellectuali quoad actus liberos.

2. Not.

Tertiò notandum, quòd sicut in qualibet forma accidentali (verbi gratia, calore) reperiuntur duo, & essentia, & perfectio accidentalis illius, videlicet eius intẽsio: ita in quocunque gradu voluntarij enumerato possunt considerari duo. Primum, essentia talis gradus. Secundum verò, eius accidentalis perfectio. Essentia quidem primi gradus est, quòd à Voluntate procedat, vt à principio intrinseco cũ cognitione. Perfectio verò accidẽtalis est duplex: altera quæ à sola Volũtate absque aliquo extrinseco excitatiuo procedat, quia tunc cũ totaliter emanet à Volũtate, perfectius erit voluntarium. Altera verò perfectio accidentalis, est maior intensio, & quòd cum maiori conatu feratur. Secũdi gradus essentia consistit in eo, quòd procedat à Voluntate, & vltra hoc, quòd cognitio sit perfecta, non solùm obiecti vtcunque, sed etiam dignitatis & circunstantiarum illius. Perfectio verò accidentalis est, quòd huiusmodi cognitio ad plures & plures circunstantias se extendat. Denique essẽtia tertij gradus est, quòd Voluntas non sit determinata ad vnum necessariò,

sariò, sed indifferens ad vtrumque: perfectio verò accidentalis est, quod non inclinetur Voluntas ab agente extrinseco, sed totaliter à se ipsa ex vi sui motiui, & propriæ libertatis.

4. Not. Quarto notandum, aliud esse, tollere voluntarium, aliud verò minuere illud. Tollere est, quòd essentia voluntarij non maneat: minuere verò est, quòd manente essentia, aliquid illius vel perfectionis eius accidentalis demitur. Similiter tunc dicitur augeri voluntarium, vel quia augetur id in quo consistit essentia, aut id quod accidentaliter ad voluntarium pertinet.

5. Not. Quintò notandum, quòd cùm ad voluntarium tot atque tam diuersæ rationes concurrant, bene potest vnum idemque voluntarium augeri à concupiscentia, & simul ab eadem minui; quia potest conducere ad augumentum vnius rationis, & simul ad diminutionem alterius eorum quæ in tali voluntario reperiuntur, vt potest conducere ad augmentum spontanei, & propensionis, ad diminutionem verò cognitionis requisitæ ad voluntarium.

1. Concl. Prima conclusio. Concupiscentia antecedens potest omnino tollere voluntarium secundi & tertij gradus, non tamen gradus primi. Prima pars probatur. Concupiscentia potest tollere omnino vsum rationis, illudque omnino perturbare: ergo tunc non erit perfecta cognitio dignitatis obiecti & circunstantiarum: ergo tunc non erit essentia secundi gradus, quã in hoc diximus consistere. Similiter concupiscentia potest tollere indifferentiam iudicij rationis, & omnino necessariò determinare ad alteram partem: ergo potest auferre id in quo essentia tertij gradus cõsistit: potest ergo tollere secundum & tertium gradum, quia ablata essentia, res non consistit. Secunda verò pars probatur. Concupiscentia non potest tollere quin actus Voluntatis procedat ab ipsa Voluntate cum cognitione; quia licèt concupiscentia possit auferre vsum rationis, vel indeterminationem iudicij, non tamen cognitionem vtcunque, ita vt maneat sicut lapis: ergo non potest tollere primum gradum voluntarij, quem diximus consistere in eo quòd à voluntate cum aliquali cognitione procedat.

2. Concl. Secunda conclusio. Concupiscentia antecedens bene potest minuere voluntarium secundi & tertij gradus, non tamen primi gradus. Prima pars quoad secundum gradum patet experientia, quia agens ex passione, non ita aduertit ad dignitatem obiecti, neque ad singulas circunstantias illius: ergo minuit voluntarium secundi gradus hoc exposcentis: & hoc forsitan voluit Conradus in suo tertio dicto. Quoad tertium gradum etiam patet, quia concupiscentia etsi non sit adeò magna, vt omnino vsum rationis tollat, & omnino determinet iudicium eius ad alteram partem, aliqualiter tamen vsum rationis minuit, ipsum perturbando: aliqualiterque determinat ad alteram partem, quia non adeò manet indifferens ad vtramque, sicut erat ante passionem: ergo minuit tertium gradum concupiscentiæ consistẽtem in huiusmodi indifferentia; & hoc voluit tertia sententia in suo tertio dicto. Itẽ probatur, quia, vt dictum est, ratio liberi, & ratio voluntarij distinguuntur, vt videtur in dilectione Dei & beatorũ & Angelorũ, quæ vtique volũtaria est & nõ libera: ergo bene potest diminui ratio tertij gradus, quæ in libertate cõsistit, non diminuta ratione volũtarij. Notandũ tamen, hãc diminutionẽ fieri à cõcupiscentia circa secũdum & tertium gradũ ex parte cognitionis & iudicij, nõ autẽ ex parte intensionis & conatus, vt patebit cõclusione sequenti. Secũda verò pars conclusionis probatur. Cõcupiscentia non potest facere vt actus volũtatis non procedat purè & totaliter à Volũtate: ergo nõ potest minuere primũ gradũ cõsistentẽ in eo q̃ à Volũtate totaliter procedat. Et si dicas, quòd actus Volũtatis ex cõcupiscẽtia procedẽs, nõ ita totaliter procedit à Volũtate, sicut si cõcupiscẽtia nõ esset; siquidẽ cõcupiscẽtia est causa illius actus, & in aliquo correspõdet cõcupiscẽtiæ, & iã nõ totaliter Voluntati: ergo necessariò ex eo quòd à cõcupiscẽtia procedat, volũtariũ minuitur; quod exposcebat totaliter à Volũtate procedere: Respõdetur, quòd vt patet ex D. Th. & Caiet. infrà q. 9. art. 2. Volũtas nõ mouetur à cõcupiscentia effectiuè, sed occasionaliter & obiectiuè. Voluntarium ergo exposcit totaliter procedere à Voluntate, vt ab efficienti: contra hoc autẽ non est, vt à concupiscentia occasionaliter & obiectiuè procedat, quatenus per concupiscentiam obiectum concupitum, & pulchrius & melius appareat Volũtati; quæ vtique doctrina est Arist. 3. Ethic. cap. 1. & 2. dicentis, quòd res iocundas non inuiti appetimus, eo quòd eas appetamus moti ab eisdem rebus

Obiectio.

Solut. D. Th. Caiet.

Arist.

rebus iocundis; quoniã aliâs etiã inuiti appeteremus quæcũque obiecta. Quomodò autem metus extrinsecè mouens Voluntatem, minuat voluntarium, & causet inuoluntarium, non verò concupiscentia; in solutionibus argumentorum dicetur.

Coroll. Ex dictis in hac conclusione sequitur, cauendum maximè in moralibus procedere ex passione antecedenti, quia cùm minuat liberum & attentionem circunstãtiarum, non potest non esse error practicus, vt eleganter apud Sallustium Cæsar dicit: Omnes homines qui de rebus dubijs cõsultãt, ab ira & amore, odio & misericordia, vacuos esse decet. Nõ enim facilè animus verũ prouidet, quando istis afficitur.

Cæs. apud Sallust.

3. Concl. Tertia conclusio. Concupiscentia antecedens auget voluntarium omnium triũ graduum secundùm intensionem & conatum, & secundùm inclinationem elicitã ad obiectum; hæc enim omnia communia sunt tribus gradibus, & hoc forsitan dicit tertia sententia in secundo dicto, quòd cõcupiscentia auget voluntarium secũdùm rationem communem, hoc est, secundùm rationem in omni voluntario repertam, qualis est assignata in hac conclusione, licèt minuat secundùm rationem particularem voluntarij; huius vel illius gradus. Hæc conclusio patet experientia. Quando enim quis magis ex passione operatur, tanto actus est intensior, & conatus & inclinatio in obiectum maior. Secundò probatur, quia Voluntas nõ fertur in obiectum nisi voluntariè: ergo quo magis intensè fertur, magis voluntariè fertur: sed passio auget intensionem: ergo auget voluntariũ. Nec potest dici, quòd illa maior intẽsio prouenit à passione: vnde non est augmentũ volũtarij quia voluntariũ à Volũtate desumitur. Nõ hoc potest dici, quia, vt dictũ est, actus Volũtatis, siue intensio eius, nõ sumitur à cõcupiscentia effectiuè, sed obiectiuè, effectiue autem totũ à Voluntate. Voluntariũ ergo à Voluntate effectiue desumitur; vnde si etiam intensio actus effectiuè est à Voluntate, etiam intẽsio est ratio volũtarij, & sic magis intendi, est esse magis voluntarium.

Solut.

Impug.

Not. Notandũ tamen, quòd quando dicimꝰ, illam maiorem intensionem & conatum prouenire à cõcupiscentia, nõ intelligitur quòd Voluntas etiam sine concupiscentia non possit prorumpere tali intensione & conatu; sed quòd hic & nunc, si concupiscentia non afficeretur, non prorumperet tali conatu; vnde hic & nunc talis conatus cõcupiscẽtiæ tribuitur (licèt obiectiuè, vt dictum est) & hac ratione dicitur, concupiscentiam augere voluntarium, quia auget intensionem actus.

Ex dictis sequitur, quàm facilè concilietur D. Thom. hic, & in illa quæstione 77. art. 6. quia dum hic dicit, concupiscentiam magis facere voluntarium, intelligitur de primo gradu voluntarij, vel de ratione cõmuni voluntarij reperta in omnibus gradibus: quando autem in quæstione 77. dicit, concupiscentiam minuere voluntarium, loquitur de secundo & tertio gradu, & de ratione particulari illorum; quod insinuat D. Tho. in artic. 6. ad 3. dicens, quòd licèt motus Volũtatis sit intensior ex passione incitatus, non autem est ita proprius Voluntatis, sicut si sola ratione moueretur. Quibus verbis duo insinuat, videlicèt, quòd augetur voluntarium secundùm rationem communem, qualis est intensio, & quod minuitur quantum ad perfectionẽ; nec enim ita proprium est Voluntati moueri à passione extrinseca, sicut moueri à ratione: vnde ex alia parte minuitur voluntarium. *1. Corol.*

Secundò sequitur, quòd licèt cõcupiscẽtia, vt dictũ est, secundùm aliam rationẽ augeat voluntariũ, secundũ verò aliã minuat ipsum; rectè tamen D. Th. in præsenti absolutè dicit, quòd auget voluntarium; quia quod auget, est quid cõmune in omni gradu volũtarij repertũ; quod autẽ minuit, est hæc vel illa ratio particularis volũtarij: voluntarium autẽ absolutè magis importat illã rationẽ cõmunem tendẽdi per inclinationẽ in obiectũ, quam rationẽ particularem perfectã cognitionis circũstantiarũ vel indifferentis: quod patet ex ratione ipsius D. Th. sic procedẽtis. Ex eo aliquid dicitur voluntariũ, quia Voluntas in id fertur, sed per cõcupiscentiã Voluntas fertur, & inclinatur ad volẽdũ id quod cõcupiscit: ergo cõcupiscẽtia facit magis ad hoc ꝙ aliquid sit volũtariũ, quã ꝙ sit inuolũtariũ. Ecce qualiter intẽdit augere volũtariũ secundũ inclinationẽ, & sic absolutè augere illud. Nec valet dicere, potiùs dicẽdũ esse, absolutè minuere voluntariũ; quia ratio quam minuit, est præstantior in ipso voluntario, nempe ratio liberi. Non (inquam) valet, quia in voluntario in ratione voluntarij præstantior est ratio inclinationis, quàm ratio indifferentiæ & liberi, vt cõstat in amore quo Deꝰ amat se ipsum, qui

2. Corol.

D. Tho.

Solutio.

Impug.

qui magis voluntarius dicitur, quàm amor quo amat creaturas; qui amor sui maiorē & magis cōnaturalē inclinationē suæ Volūtatis dicit, quā amor liber creaturarū: in volūtario ergo in ratione volūtarij vtquid prestatius attēditur ratio inclinationis, quā ratio indifferentiæ & liberi. Et si cōtrà dicas, *Obiectio.* q̄ concupiscentia minuit cognitionē: ergo minuit volūtariū, non solū quantum ad rationē liberi, sed etiā quantū ad rationē inclinationis, quā dicimus esse præcipuā in volūtario. Patet cōsequentia, quia nō solū ratio liberi prerequirit cognitionē perfectā sed etiā ratio volūtarij, vt importat inclinationē, ita vt quo perfectior fuerit cognitio, perfectior sit & ipsa inclinatio Volūtatis, vt patet in amore quo Deus diligit se, & quo beati diligunt Deū; ex eo enim huiusmodi sunt perfectissimi amores cum perfectissima inclinatione, quia ex perfectissima cognitione procedunt: ergo quod minuit cognitionē, minuit etiā *Solutio. 1.* inclinationē, & rationem cōmunem volū tarij præcipuam in illo: Respōdetur, quòd cōcupiscentia minuit cognitionē rectam oppositi boni eius quod cōcupiscit: non autem minuit cognitionē boni cōcupiti, sed potius auget, & facit vt pulchrius & melius appareat in Intellectu. Cū ergo cognitio in qua radicatur libertas, debeat esse indifferens cū attentione ad vtrūque, ad id, & ad oppositum eius, cōcupiscētia minuēs cognitionē oppositi, & attentionem ad illud, minuit libertatē. Cū autē cognitio vt principiū volūtarij præcise tantùm sit cognitio illius obiecti in quod tēdit, cū cōcupiscētia augeat cognitionē illius obiecti, in quod per cōcupiscentiā tendit, nō minuit, sed potius auget volūtariū, alias diminuēdo liberū. Itaq; sicut est triplex gradus volūtarij, ita & triplex modus cognitionis requisitæ ad volūtariū: qua ergo ratione minuitur cognitio, conceditur etiā, minui volūtariū: cōcupiscētia ergo minuit cognitionē quātū ad indifferentiā, vel quā tū ad attentionē circunstantiarū, non autē absolutè: vnde solū habet minuere voluntarium in secundo & tertio gradu, exposcens huiusmodi cognitionem: non autem habet minuere primum gradum exposcē tem tātum cognitionem absolutè. *Solutio 2.* Vel aliter dicitur, quod concupiscētia minuit cognitionem veram practicam agēdorum secundùm rationem, non autem minuit cognitionē apparētem boni cōcupiti, quia, vt dictum est, pulchrius apparet in Intellectu, quā si esset verū bonū: cùm ergo Voluntatis obiectum sit bonum verū, vel apparens, ita propensè & voluntariè fertur in apparens, sicut in bonum verū: cū ergo cōcupiscentia non minuat cognitionē apparentem, cōsequenter nec voluntarium. Tertiò potest respōderi, nō semper quòd *Solut. 3.* minuitur cognitio, minui etiam voluntarium, quia de passione cōsequēte dicit D. *D. Tho.* Th. q. 26. de veritate, artic. 7. ad 3. q̄ aliquo modo perturbat vsum rationis, & obnubilat cognitionem; & tamen, vt dictum est, nō minuit, sed potius auget volutariū: quia & ipsa passio & obnubilatio cognitionis per ipsam est volita. Tunc autem solū minutio cognitionis minuit voluntariū, quādo talis diminutio cognitionis nō est volita; quapropter ignorātia affectata nō minuit voluntarium: sic ergo poterit dici de passione antecedente volita. Vel aliter ex- *Solut. 4.* plicatur, quòd diminutio cognitionis potest esse, vel quantū ad agendorum electionem, vel quantū ad illorum exequutionē. Primo modo minuit volūtarium, non autē secūdo modo. Immò vt melius exequatur Voluntas, non ita in actuali exequutione debet attendere per cognitionem, vt patet in citharædo, vel scribente, vel cātante; vt enim bene & artificiosè cantet, vel scribat, vel citharam pulset, non in actuali exequutione debet ita attentè considerare proportionem vocum, vel figuram characteris, quia hoc facilè impediret facilitatem operis: cùm ergo passio sit ad exequutionem, non minuit voluntarium operis exequuti, ex eo quòd minuat aliqualiter cognitionē eius. Sed quia potest instari contra hanc solutionē, quòd quæstio nō solùm procedit de passione antecedente volita, nec de illa quæ actualiter in exequutione operis habetur, sed etiam de illa quæ adiuncta fuit in electione procedente, etiamsi talis passio non fuerit volita; vnde de ipsa restat respondere, qualiter non minuat voluntarium, cùm minuerit cognitionem; ideò recurrendum est ad priores solutiones, negando antecedens, quòd concupiscentia minuat cognitionem requisitam ad voluntarium primi gradus, vt explicatum est. Vl- *Solut. 5.* timo respondetur, Transeat antecedens, & negatur consequentia, quia voluntarium multa includit, vt dictum est: vnde licèt ex aliqua parte minuatur, ex alia potest augeri: licèt ergo concupiscentia aliqualiter minuat voluntarium ex

parte

parte cognitionis requisitæ, magis tamen auget ipsum, quia auget propensionem & impetum Voluntatis, quod præcipuè considerator in voluntario, vt dictum est.

Corol. 3. Vltimò sequitur ex dictis, quòd licèt cõ tractus, vel promissiones, vel donationes ex metu factæ possint dici inualidæ ex inuoluntario quod metus causat, non tamẽ hoc potest dici in promissis & donatis ex concupiscentia, cùm illa, vt dictum est, magis augeat voluntarium. Verum est, quòd cum minuat liberum, in tantum aliquãdo posset illum minuere, maximè turgescente passione, vt promissio vel donatio facta (v. g. alicui mulieri) censeretur nulla.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum respõdetur, iam constare ex dictis, qualiter D. Th. sibi

Ad confir. non sit contrarius, cùm hic & ibi diuersimodè loquatur de voluntario. Ad confirmationẽ respondetur, negando consequẽtiam, quia, vt dictum est, aliunde pensatur ratio liberi, & aliunde ratio voluntarij. Ad probationem respondetur, illam regulam Dialecticam debere intelligi, nisi varietur appellatio, & fiat diuersa applicatio in antecedenti & consequenti; vnde nihil valet; Quando ex nigro per motum alterationis fit album, minuitur nigrum: ergo minuitur coloratum. Nec ista; Homo est perfectissimum animal: ergo perfectissima substantia; quia ly Perfectissimũ, diuersimodè applicat. Secundò respondetur, illam consequentiam valere in his quæ omnino habent esse ab intrinseco: quando autem esse ab aliquo extrinseco dependet, per variationem extrinseci potest variari vnum, non variato alio: cùm ergo ratio liberi & voluntarij ex aliquo extrinseco, saltem ex parte Intellectus, desumatur, & vtrumque à diuerso principio, vt dictum est, poterit vnum diminui, altero non diminuto; quia principium vnius diminuitur, non verò principium alterius. Tertio clariùs respondetur, valere consequentiã ab inferiori ad suum superius affirmatiuè, non verò negatiue: verba autem quæ important diminutionem, vel destructionẽ, æquiualent negationi; vnde talis consequentia non valet: sic ergo currit in præsenti, nam idem est, diminuitur liberum: ergo diminuitur voluntarium; sicut dicere, Non est perfectè liberum: ergo non est perfectè voluntarium: quod est arguere negatiuè, sicut de consequentia de nigro & colorato, dictum est.

2. Solut.

3. Solut.

Ad 2. arg. Ad secundum respõdetur, negando cõ sequentiam. Ad probationem dicitur, illã regulam Quidquid est causa causæ, & de bere intelligi, si omnia procedant secundũ eandem rationem causalitatis, ita vt causa causet effectum illa ratione qua ipsa erat causata à priori causa; aliàs nihil valet. Vnde infrà q. 79. art. 2. dicit solet, hanc consequentiã nihil valere; Deus est causa nostri liberi arbitrij: & nostrum arbitriũ est causa peccati: ergo Deus est causa peccati, quia Deus nõ est causa arbitrij, vt ipsum est causa peccati: Deus enim est causa arbitrij secũdum suam entitatem & perfectionẽ: arbitriũ autem est causa peccati secundum suam defectibilitatem, qua ratione Deus arbitrium non causat. Similiter ergo in præsenti cõcupiscentia non causat timorem ea ratione qua timor est causa nolleitatis; vnde nõ sequitur, quòd si causat timorẽ, causet nolleitatẽ: cõcupiscentia enim causat timorem ea ratione qua timor est fuga mali oppositi bono quod quis cõcupiscit, & hac ratione timor nõ est causa inuolũtarij, etiã secundũ quid; certum enim est, quòd maximè voluntariè fugimus malum oppositũ bono quod concupiscimus: causat autem timor inuoluntarium secundùm quòd est de malo quod hic & nunc vitare non possumus, nisi eligendo aliud minus malum; & hac ratione concupiscentia non causat timorem. Vnde quidquid in isto casu reperitur inuoluntarij, non in concupiscentiam, sed in timorem est referendum: sicut malitia peccati nullo modo in Deum, sed in arbitrium creatum referri debet.

Ad 3. arg. Ad tertium respõdetur, quòd tristitia non interuenit neque admiscetur in ipsa operatione cõcupiscentiæ, nã, vt dicit Aristot. 3. Ethic. c. 1. quæ fiunt ex cõcupiscentia, nõ afferunt tristitiã: & lib. 7. c. 6. docet, quòd nemo dolens paret libidini, sed aduenit tristitia post operationẽ concupiscẽtiæ: quapropter talis tristitia nõ causatur â concupiscentia, sed à dictamine rationis & remorsu conscientiæ de malo commisso, & de bonis perpeccatũ amissis, iuxta illud ad Ro. 6. Quẽ ergo fructũ habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis? Vnde est illud dictũ Augustini lib. 1. Cõfess. c. 12. quòd omnis animus inordinatus sibi ipsi est pœna: quod & insinuat Paulus ad Rom. 2. Tribulatio & angustia in omnem animam operantis malum. Quod etiã colligitur ex Arist. 9. Ethicor. cap. 4. dicente, malorum animum paullò post molestè ferre se ex rebus voluptatem aliquam accepisse,

Arist. *Ad Ro. 6.* *D. Aug.* *Ad Ro. 2.* *Arist.*

accepisse, velletque eas sibi nõ fuisse volup tatis: est enim malorũ vita plena pœnitẽtię; hoc est, doloris & tristitiæ. Cùm ergo talis tristitia non sit ad mixta cum actu concupiscentiæ, sed illo transacto, nõ est aliquid inuoluntarij in ipso actu concupiscentiæ, sed illo transacto, aduenit talis nolleitas, qua nollet taliter concupisse.

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur, Transeat antecedens, & negatur consequentia; quia, vt dictum est, concupiscentia licèt moueat ab extrinseco, hoc tamen tantùm est obiectiuè, non autem efficienter; quòd requireretur, vt aliqualiter minueret voluntarium. Ad replicam, quod etiam ignorantia vel metus mouent ab extrinseco obiectiuè, & nihilominus minuunt voluntarium; Respondetur, quòd ignorantia tollit omnem cognitionem obiecti, & consequenter voluntarium quod cognitionem exposcit: concupiscentia verò, vt dictum est, non tollit omnem, cognitionem, sed perfectionem illius; immo vt etiam diximus, nullam cognitionem tollit obiecti concupiti ad quod inducit: quapropter non est vnde minuat voluntarium. De metu etiam dicitur, quòd licèt moueat ex parte obiecti, hoc tamen est aliquantulum quasi tenens & retardans voluntatem: cõcupiscentia autem potiùs impellendo, vt dictum est: vnde non est eadem ratio. Et

Obiectio. si contra arguas, quòd si quis impellat lapidem, vt maiori velocitate tendat, in proprium centrum; illa maior velocitas est violenta, quia ab agente extrinseco: ergo similiter etiamsi Voluntas tendat in proprium obiectum mota à concupiscentia, maiori propensione quàm aliàs feretur, ibi admiscebitur aliquid inuoluntarij,

1. Solutio. quia illa maior propensio ab extrinseco prouenit: Ad hoc argumentum aliqui respondent, negando quòd illa maior velocitas lapidis sit violenta: sed nec etiam (dicunt) est naturalis, sed præter naturalis; non quidem naturalis, quia ab extrinseco; non autem violenta, quia ad proprium centrum naturalem. Meliùs tamen respondetur, illam maiorem velocitatem esse violentam, cuius clarum signum est, quòd si terra esset perforata, ille lapis non sisteret in centro, sed transecundo ascenderet versus aliud Zenith. Vnde ad argumentum respodetur, quòd illa maior velocitas esset violenta, non quia ab extrinseco vtcunque, sed quia ab extrinseco efficienter. Maior autem propensio Voluntatis à concupiscentia non est efficienter, vt dictum est, sed obiectiuè; vnde non est violenta; nec est par ratio de la pide. Secundo respontur ad argumentum principale, negando antecedens, quòd moueri à concupiscentia, sit moueri ab extrinseco; quasi concupiscentia sit extra genus voluntarij, quia, vt suprà diximus, voluntarium communiter dictum extenditur non solum ad appetitum ratione Voluntatis, sed etiam ad appetitum sensitiuum; vnde & in brutis reperitur: moueri ergo à concupiscentia, est moueri ab aliquo intra idem genus, & sic ab intrinseco; præter quàm quòd colligatio potentiarum sufficit, vt motio ab vna proueniens, censeatur intrinseca alteri: vnde sicut motio Voluntatis effectiua non censetur extrinseca alijs potentijs inferioribus efficienter motis à Voluntate propter talem colligationem, ita nec motio obiectiua concupiscentiæ censebitur extrinseca Voluntati, quia sic apta est Voluntas moueri obiectiue ab appetitu, sicut appetitus moueri efficienter à Volũtate; & per hoc patet ad confirmationem.

2. Solut.

Ad 5. arg. Ad quintum respondetur, bonam esse solutionem ibi datam quòd passio minuit peccatum, quia minuit liberum, non autem quia minuit voluntarium commnniter sumptum. Quando autẽ dicitur, quòd aliquid in tantùm est peccatum, in quantum voluntarium; vel sumitur voluntariũ pro libero, vel si sumitur pro voluntario secundùm rationem communem, ly In tantum, non dicit mensuram vel regulam quantitatis peccati, quasi tanta sit malitia, quanta ratio voluntarij: sed ly In tantum, dicit rationem præsuppositam; ac si dicat, peccatum esse non posse, si ratio voluntarij nõ supponatur vt fundamentũ. Itaq; ad peccatũ supponitur voluntarium; requiritur tamẽ liberum, & iuxta quantitatẽ liberi est quantitas peccati, non autem iuxta quantitatem voluntarij. Bene autem dictum est, Diuum Thomam sumere volnntarium pro libero. Nec contra hoc suntverba allata ex ipso, quia quando dicit, agere ex se & ex proprijs, &c. per hoc non explicat rationem voluntarij communiter sumpti, sed rationem liberi, tunc enim prius & peculiarius dicitur Voluntas agere ex se & ex propria ratione, quãdo agit ex deliberatione & libertate, quæ vtique propria est Voluntatis; nam ratio volun-

rij etiam communis est appetitui sensitiuo & brutis. Ad illud autem de accedente ad pulchram vel fœdam, dicitur, quòd taliter accedentes, vel habent æqualem affectum Voluntatis, vel non: si æqualiter sint affecti; magis peccat qui accedit ad pulchram, quia iam supponitur, illam passionem esse consequentem, augereque liberum; & ea ratione ad pulchram accedere, vt copiosius suum affectum consequatur. Regulariter autem, qui accedit ad pulchram, censetur minus peccare, quia censetur minorem affectum habere in Voluntate, quàm quia accedit ad fœdam, siquidem necesse fuit prouocari à meliori obiecto, vt forticaretur: qui autem ad fœdam accessit, pronius se habebat. Vel clarius dicitur, quòd qui accedit ad pulchram, minus peccat: non quia passio minuat voluntarium, immò auget magis voluntarium accedendi ad illam: sed quia minuit liberum pulchritudine obcæcatus.

Ad 6. arg. Ad sextum argumentum respondetur, quòd petit illam difficultatem, qualiterme tus, quia minuit voluntarium, facit inuoluntarium secundùm quid, & mixtum, vt suprà diximus: concupiscentia autem cũ secundùm aliquam rationem minuat voluntarium, vt dictum est, licèt secundùm aliam augeat ipsum, qualiter non dicetur etiam causare inuoluntarium secundùm quid & mixtũ. Adquod respondet D. Th. hoc prouenire, quia in operante ex metu manet contraria Voluntas & renitentia ad id quod fit ex metu: in operante verò ex concupiscentia, non reperitur aliqua contraria Voluntas, vel actualis renitentia, ratione cuius dicatur aliqualiter agere inuoluntariè; quia Voluntas quam priùs habebat, nõ perseuerat, sed ex vi cõcupiscentiæ mutata est omnino, vt modò omnibus modis velit quod ante passionem nolebat, nullo modo manente ratione nolleitatis. Si autem quæras, quare in operante ex metu, maneat modo nolleitas ex nolitione habita ante timorem, & non maneat etiam cum passione nolleitas ex nolitione habita ante concupiscentiam: Respondetur, quòd cum concupiscentia respiciat bonum, sic mutat Voluntatem, vt nulla maneat in illa repugnantia; metus verò respiciat malum, & quod fit ex metu, tantùm hic & ex circunstantia sit bonum, secundùm se verò malum, non sic mutat Voluntatem, vt feratur circa ipsum sine aliqua renitentia & repugnantia.

D. Tho.

Obiectio.

Solutio.

Pro pleniori tamen intelligentia notandum, quòd concupiscentia potest ad duo comparari. Primò ad obiectum principale illius, quod est bonum illud delectabile quod appetitus concupiscit. Secundò cõparari potest ad medium per quod Voluntas mota à concupiscientia tendit in bonum illud concupitum, siue illud sit positiuum, siue negatiuum; vt cùm nolumus aliquid facere aut scire, vt liberiùs fruamur bono concupito. Hoc supposito, *Not.*

Dico primò, quòd in præsenti non loquimur de concupiscentia comparata ad huiusmodi media; nam in ordine ad illa aliquando causatur inuoluntarium secundũ quid; vt cùm est causa eligendi medium, quod aliàs nollet eligere: immò & tunc, si bonum concupitum sine tali medio posset obtinere; quod explicat Caiet. in summa, verbo Restitutio, §. quia verò, in exemplo auari dantis pecunias mulieri, vt delectationem consequatur; certum enim est, quòd illud medium assumptum à concupiscentia vt fruatur muliere, videlicet donatio pecuniarum, quòd licèt absolutè sit voluntaria; tamen secũdùm quid est inuoluntaria & mixta, quia non est volita secũdùm se, sed in ordine ad obiectum concupiscentiæ: sicut in operante ex metu, proiectio mercium non est volita secundùm se, sed vt hic & nunc conducit ad conseruationem vitæ. *Dico 1.* *Caiet.*

Dico secundò, intelligendum esse quòd concupiscentia non causat inuoluntarium etiam secundùm quid, comparata ad obiectum primarium illius, videlicet ad bonum concupitum; Voluntas enim tẽdens ex concupiscentia in obiectum primariũ ipsius concupiscentiæ, omnibus modis voluntariè tendit, & nullo modo inuoluntariè secundùm quid: & hoc intendit D. Tho. ad. 2. ponens differentiam inter metum & concupiscentiam, quòd Voluntas tendens ex metu, tendit cum aliquali renitentia & inuoluntariè secundùm quid circa illud quod respicit vt obiectum talis volitionis: quando autem vult ex concupiscentia, sine aliqua renitentia vult, & omnibus modis fertur voluntariè in obiectum illud volitionis habitæ & excitatæ à concupiscentia, licèt vt hoc obiectũ quod ex concupiscentia omnibus modis vult, consequatur, assumat aliquod medium secundùm quid inuoluntarium. Et si contra facias argumentum, nam metus respectu sui obiecti primarij nullo modo causat inuolun- *Dico 2.* *D. Tho.* *Obiectio.*

uoluntarium; respicit enim vt obiectum, malum per modum fugæ: quod vtique omnino voluntarium est Voluntati, sicut & prosequi bonum: sed si aliquo modo causat inuoluntarium, est respectu medij quod assumit ad vitandum illud malum, quatenus tale medium non erat conueniens secundùm se, sed tantum hic & nunc ad vitandum tale malum: sed eodem modo concupiscentia respectu obiecti nullo modo causat inuoluntarium, bene tamen respectu mediorum, vt dictum est: ergo eadem est ratio de metu & concupiscentia: Respondetur primò, quòd in exequutione operandi, aliter mouetur Voluntas à metu & à concupiscentia: à metu quidem mouetur principaliter ad media (verbi gratia, ad proiectionem mercium) vt conseruationem vitę consequatur: concupiscentia verò principaliter mouet ad proprium obiectum; Voluntas enim ex passione principaliter tendit ad obiectum passionis, ex metu autem non principaliter tendit ad obiectum metus: cùm ergo ex parte obiecti concupiscentia non causet inuoluntarium, quando mouet, non dicitur aliquo modo moueri inuoluntariè: metus autem cùm principaliter moueat ad media, & ex parte mediorum aliqualiter causet inuoluntarium, ideò metus mouens dicitur mouere aliqualiter inuoluntariè. Secundò respondetur, esse differentiam, quòd metus ex propria natura mouet ad media secundùm se non conuenientia, sed hic & nunc in tali casu; vnde ex propria natura inclinat ad media aliqualiter inuoluntaria: Concupiscentia verò ex propria natura inclinat ad media secundùm se bona & conuenientia, licèt aliquando per accidens vices permutentur, quòd ex metu assumatur medium secundùm se bonum & conueniens, & ex concupiscentia assumatur medium secundùm se malum, & solùm hic bonum ad consequutionem obiecti concupiti; cùm tamen iudicandum sit de rebus secundùm ea quę habent ex propria natura, & non secundùm ea quæ habent per accidens: dicendum est, quòd metus causat aliqualiter inuoluntarium, non autem concupiscentia. Et si quæras, qua ratione metus ex natura sua moueat ad medium secundùm se disconueniens; concupiscentia autem moueat ex natura sua ad medium secundùm se bonum: Respondetur, hoc prouenire ex natura obiecti vtriusque; obiectum enim metus est malum, concupiscentiæ verò bonum: bonum autem habens rationem finis, ex propria natura inclinat ad media consimiliter bona, & per accidens erit quòd malum secundùm se, sit medium & bonum ad talem finem, malum autem quod ponitur vt finis per modum fugæ, non ex natura sua, respicit media secundùm se bona, sed tantùm hic & nunc bona: cùm ergo obiectum Voluntatis sit bonum, non autem malum, si obiectum est bonum omnino, causat voluntariũ per se: si autem est malum, per se miscet inuoluntarium. Vnde respondetur ad probationes positas in sexto argumento. Ad primam respondetur, quòd qui operatur ex passione, non ita intensè operatur, sicut qui operatur ex habitu: hoc autem non est quia in operante ex passione admisceatur inuoluntarium, sed quia in voluntario simpliciter reperitur magis & minus. Vel aliter dicitur, quòd si in operante ex passione reperitur aliquod inuoluntarium, non prouenit ex passione, sed ex in consideratione boni rationis, quæ melius compatitur cum passione quàm cum habitu. Ad secundam probationem respondetur, quòd tunc si aliquis est metus vel formido, non est à concupiscentia, sed ab illa altera cogitatione admixta, & à dictamine Rationis reclamante: concupiscentia autem potiùs est ad illum metum vel formidinem destruendam, cùm nitatur talem cogitationem bonam diuertere, & mentis oculos excæcare, vt libentiùs Voluntas tendat in bonum concupitum. Ad tertiam probationem respondetur, illa verba Diui Pauli dùpliciter explicari; quidam enim putant, Apostolum ibi loqui in persona luctantis cum passione, ab eaque victi & superati: vnde pugna dicta ab Apostolo, non est inter diuersos actus Volũtatis, sed inter actum appetitus concupiscentis, & inter dictamen Rationis. Neque obstat, vti vocibus significantibus actus Voluntatis, qualia sunt, velle bonum, aut facere malum, aut è contra; quia propter conuenientiam & consimilitudinem appetitus sensitiui & rationis naturalis in appetendo, promiscuè eisdem vocibus nominat actum vnius & alterius. Vnde quando dicit, Non quod volo bonum, hoc ago; sensus est, non quòd Ratione iudico bo

Solut. 1.

Solut. 2.

num, & vt bonum laudo, & approbo, & ago: sed potiùs quod odi malum, hoc est, quod Ratio & mens damnat & refugit vt malum, illud ago: nimirum cupiditate ductus. Et eodem modo intelligitur illud verbum; Si autem quod nolo, illud facio. &c. & illud; Vt non quæcunque vultis, illa faciatis: loquitur de nolitione secundùm spiritum & Rationem. Sic explicat Chrysostomus & Theophylactus super illum locum. Alij verò sequentes August. tom. 7. lib. 1. de nuptijs & concupiscentia, cap. 27. & tom. 1. lib. 2. Retract. cap. 2. dicunt, Apostolum loqui in persona iusti gratia Dei resistentis, nulloque modo consentientis; & tunc verba Pauli significare repugnantiam inter motum concupiscentiæ, & actum Voluntatis; cùm sæpe insurgat motus concupiscentiæ, non solùm non consentiente Voluntate, sed potius repugnante. Vnde sensus est, Non quod volo bonum, hoc ago: id est, Volo non habere, aut non sentire motus concupiscentiæ: cæterùm non semper id assequor; sed quod odi malum, illud facio: quia appetitus insurgit contra Rationem, quamuis ego Voluntate & Ratione resistam. Eodemque modo explicanda sunt verba sequentia. Iuxta vtramque ergo explicationem nihil sequitur contra Nos: vt enim esset Voluntatis actus aliquo modo inuoluntarius, cùm prouenit ex passione; duplex actus in ipsa voluntate deberet assignari; alter alterum retardans, & tendens ad oppositum eius. Quòd autem in appetitu sit actus, in quem iustus non consentit, oppositus actui Voluntatis; vel quòd ex parte dictaminis Rationis tendatur ad oppositum eius quod peccator facit ex concupiscentia, non est ex vi concupiscentiæ poni in Voluntate aliquē actum nolleitatis, vt aliquo modo concupiscentia dicatur causare inuoluntarium. Ad confirmationem respondetur, quòd ex minori resistentia non sequitur, aliquod causari inuoluntarium: immò ex eo minus resistit, quia magis voluntariè tendit, abstractus & illectus à concupiscentia mouente Voluntatem iuxta propriam naturam. Sicut (verbi gratia) nulla resistentia est respectu auxillij efficacis: non tamen sequitur, aliquod causare inuoluntarium: quia Voluntatem in omnibus subijci auxilio, nō est ab auxilio aliquid violenter pati, sed taliter ab illo iuxta propriam naturam duci & gubernari spontaneè & liberè, vt potiùs ex maxima promptitudine nulla maneat repugnantia.

Chrysost. *Theophyl.* *Ad confir.*

DVBIVM II.

Vtrùm habitus existentes in Voluntate, minuant Voluntarium secundùm perfectam rationem liberi.

PArs affirmatiua probatur. Primò. Huiusmodi habitus sæpissime causantur à passione appetitus sensitiui: sed huiusmodi passio si sit antecedēs, minuit libertatē, vt dictū est; ergo etiā talis habitus. Maior patet, nam actus repetiti generant habitum, & actus appetitus non solùm generant illum in propria potentia, sed etiam in Voluntate, propter colligationem; qua ratione appetitus habet mouere Voluntatem. Consequentia verò probatur, quia sic iudicandum est de habitu, sicut de actibus quibus habitus generatur, vt statim dicemus. *1. Arg.*

Secundò arguitur: Determinatio ad vnum, tollit libertatem consistentem in indifferentia ad vtrumque, vt dictum est, sed habitus in Voluntate quodammodò determinat ipsum ad vnam partem: ergo minuit libertatem. Minor probatur ex Diuo Thoma infrà, quæstione 78. art. 2. vbi dicit, quòd agens ex habitu, quodammodò agit naturaliter. Secundò probatur eadem minor, namhuiusmodi habitus causat iudicium quodammodò determinatum, secundùm illud: Euacuabit illos malitia ipsorum; cùm tamen ad libertatem requiratur iudicij indifferentia. Tertiò probatur ex illo Arist. quòd qualis quisque est, talis finis sibi videtur. Et vltimò patet, nam habitus ex propria natura habent implere potentiam in ordine ad obiectum: causant ergo aliqualem determinationem, & consequenter minuunt libertatem. *2. Arg.* *Arist.*

In hac re est sententia Salas hic tract. 3. dispu. 3. sect. 3. quòd omnis habitus in vniuersum, siue bonus, siue malus, siue per pœnitentiā retractatus; siue non retractatus, auget voluntarium, quia auget inclinationem; minuit tamen libertatem; quia minuit indifferentiam. *Sent. Salas*

Pro

Not. Pro explicatione notandum, vt suprà diximus, quòd de voluntario possumus loqui dupliciter. Primò secundùm rationem communem propensionis. Secundò secundùm rationem particularem & perfectam libertatis. Item de habitu diuersimodè possumus loqui: Primò de habitu malo; secundò de habitu bono virtutis: & de vtroque adhuc dupliciter; de habitu quidem malo, vel ante pœnitentiam, vel post pœnitentiam actuum, quibus talis habitus fuit genitus. Item de habitu bono possumus loqui vt acquisitus est actibus nostris, vel vt infusus est à Deo: alter enim est infusus, alter verò acquisitus.

1. Concl. Prima conclusio. Habitus, siue bonus, siue malus, siue ante pœnitentiam, siue post illam, siue acquisitus, siue infusus, auget voluntarium secundùm rationem communem voluntarij. Hæc est communis, & patet de habitu malo ex passione causato; nam si passio habet augere voluntarium secundùm rationem communem, vt dictum est, similiter & habitus genitus ex passione: nam habitus sapit & participat naturam actus quo generatur. Secundò generaliter probatur de omni habitu, nam habitus facit vt Voluntas maiori impulsu & propensione tendat in obiectum, siquidem habitus datur ad facilius operandum: ergo auget voluntarium secundùm rationem communem consistentem in huiusmodi propensione & impulsu.

2. Concl. Secunda conclusio. Habitus malus ante pœnitentiam non minuit rationem liberi. Probatur. Si propter aliquam rationem minueret libertatem, maximè propter secundum argumentum, quia habitus causat aliqualem determinationem: sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor, nam si aliqualis est determinatio per habitum, hoc ipsum est volitum per exercitium liberum actuum quibus talis habitus est genitus; transijt enim libertas exercita in actibus, vt permanenter & vt in termino sit in habitu genito. Secundò probatur. Peccatum ex malitia magis habet de libertate, quia gratius est, & augmentum peccati, augmentum libertatis requirit, vt suprà diximus: sed peccare ex habitu, est peccare ex malitia: ergo non minuit, sed potius auget libertatem habitus. Tertiò probatur. Habitus non subijcit sibi Voluntatem, sed potiùs Voluntas habet sibi subiectum habitum, iuxta illud, Habitibus vtimur cùm volumus: ergo non minuit libertatem. Patet consequentia, nam si minueret, in tantum esset, in quantum Voluntatem aliqualiter sibi haberet subiectam, & quasi sua potestate ligatam. *Obiectio.* Et si contra facias argumentum, nam qui se exercet in actibus peccaminosis, non intendit generare habitum, sed omnino generatio illius est extra intentionem operantis; ipse enim non vult habitum generare, sed suam libidinem explere: ergo libertas actuum non transit in habitum: *Solutio.* Respondetur, quòd licèt habitus vitiosus non sit directè intentus, est tamen intentus indirectè, videlicet in causa illius, quatenus est intentus actus qui est causa habitus; sicut & malitia peccati non est directè intenta à peccatore, sed indirectè in causa illius, quatenus intendit materiale peccati, in quo, vt in causa, continetur malitia, quatenus tale materiale est volitum contra regulam diuinam; & sicut in proijciente breuiarium in Mare, omissio horarum non per se, sed per accidens est intenta in causa, scilicet in proiectione breuiarij: vt ergo aliquid sit liberum, sufficit esse indirectè intentum in causa.

3. Concl. Tertia conclusio. Habitus malus post pœnitentiam manens, minuit libertatem. Probatur. In tantum habitus causat libertatem in actibus subsequentibus, vel minuit illam, in quantum habitus dicit relationem ad actus antecedentes generantes ipsum, & cõmunicantes illi suã propriã libertatẽ exercitam in ipsis: sed post pœnitẽtiam cessat huiusmodi relatio & cõmunicatio libertatis actuum præcedentium: ergo potiùs minuit libertatem. Minor probatur, quia cùm actus præcedentes maneant reuocati & deleti per pœnitentiam, non possunt iam talem influxum in habitum genitũ habere: vnde qui post pœnitentiã operatur ex tali habitu, non vtitur illo vt liberè producto ex actibus præcedentibus, sed omnino materialiter; vnde potiùs talis habitus in ordine ad illam operationem consequentem se habet vt passio antecedens, minuens libertatem talis actus cõsequuti. Hoc tamen intelligitur, nisi fortè reflectatur supra habitum, gaudeatque de illo, nam iam tunc faciet ita liberum habitum, sicut & anteà erat per libertatem actuum præcedentium, antequàm pœnitentia reuocarentur.

Medina. Ex hac conclusione colligunt multi cum Medina hic, quòd quando quis habet consuetudinem iurandi, siue verè, siue falsè, vt occurrit, tunc si cum inaduertentia iuret falsum, si est ante pœnitentiam, peccat mortaliter, neque excusatur ex inaduertentia, quia qualiter habitus est liber, ita ipsum iuramentum ab ipso habitu procedens. Immò etiamsi non falsum iuret, quotiescunque iurat, etiamsi verè, peccat mortaliter, quia ex habitu liberè genito est in periculo morali, vt quotiescunque ex inaduertentia iurauerit, iuret falsum, & per accidens erit vt iuret verum: qui autem exponitur periculo peccandi mortaliter, peccat mortaliter. Dixi, Si etiam ex inaduertentia iuret verum, quia tunc exponitur prædicto periculo; nam si aduerterit vt iuret verum, etiamsi aliàs habeat habitum iurandi, non peccat mortaliter, nam tunc in tali actu non exponitur prædicto periculo; vnde huiusmodi habitualiter iurãtes, absolutione debent priuari, tanquàm in mortali habitualiter existentes. Si verò post pœnitentiam ex inaduertentia iuret, etiam ex habitu, non peccat, quia tunc habitus materialiter se habet, nec habet rationem voluntarij.

4. Concl. Quarta conclusio. Habitus boni, siue acquisiti, siue infusi, nullo modo minuunt rationem liberi. Probatur primò, nam huiusmodi habitus perficiunt Voluntatem iuxta propriam naturam: ergo non minuunt libertatem eius. Secundò probatur, nam si minuerent libertatem, maxime quia quodammodò determinant ad vnum: sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor, quia hæc determinatio est libera in causa, nempe in actu generante habitum: ergo.

Not. Medina. Notandum tamen, quòd Medina distinguit de libertate contrarietatis & contradictionis, hoc est, circa hoc & oppositum, & circa bonum & malum: quod clariùs dicitur, quòd sumitur dupliciter. Primò, pro libertate absolutè. Secundo, pro libertate peccandi. Prima libertas pertinet ad perfectionem naturæ: secunda verò ad imperfectionem eius, vt docet Diuus Thomas, secunda parte, quæstione 61. articulo octauo, ad tertium, quapropter prima libertas est in Deo & in beatis, non verò secunda. Cùm ergo habitus studiosi, & maximè infusi, sint excellentissimæ participationes Dei, perficiunt libertatem priorem; diminuunt tamen libertatem secundam. Doctrina quidem optima est, sed non ad propositum; ita enim loquendum est de habitu studioso in ordine ad obiectum malum, sicut de habitu vitioso in ordine ad obiectum bonum; quapropter sicut habitus vitiosus, licèt aliqualiter determinet ad malum, non minuit libertatem ad bonum, ita habitus studiosus, licèt aliqualiter determinet ad bonum, non minuit libertatem ad malum, quia, vt diximus, loquendum est de habitibus, sicut de actibus per quos generantur: sicut ergo actus vitij est tendentia in malum, relinquens indifferentiam in bonum, ita & actus virtutis est tendentia ad bonum, relinquens indifferentiam ad malum; & eodem modo loquendum est de habitibus.

D. Tho.

Ad primum respondetur, quòd habitus prauus non semper generatur ex passione, sed multotiesex actibus multiplicatis, qui absolutè & simpliciter fuerant liberi; vnde de huiusmodi non procedit argumentum. Loquendo tamen de habitu genito ex passione, aliqui dicunt, quòd etiã ille non minuit libertatẽ, licèt passio à qua causatur, minuat illam; quia passio cùm sit aliquid extrinsecum, quodammodò suppeditat sibi libertatem: habitus verò etiam ex passione genitus Voluntati subditur, quia de omnibus habet verum, quòd habitibus vtimur cùm volumus: vnde habitus etiam ex passione genitus, non minuit libertatem. Hæc tamen solutio supponit falsum, quia passio, vt suprà diximus, non reputatur vt extrinseca Voluntati, sed motio eius quodammodo est extrinseca. Itẽ etiam, quia, licèt habitus subordinetur Voluntati, etiã Voluntas quodammodò subordinatur habitui, siquidem qui operatur ex habitu, quodãmodò operatur per modum naturæ: quia, vt ait Arist. consuetudo est altera natura. Dicendum ergo, quòd habitus genitus ex passione, quodammodo minuit libertatem; quia, vt dictum est, tota ratio libertatis in habitu, consideratur ex actu generante: cùm ergo passio generans habitũ, minuat libertatem, consequẽter & habitus genitus à passione: verũ est enim, quòd habitus radicatur in libertate Voluntatis; hoc tamen est dependenter ab actu generante ipsum; vnde amplius esse non potest principium agendi liberè, quàm actus generans habet libertatem.

Ad 1. arg.

Arist.

Et si arguas, quòd iam non habebit verum,

Obiectio.

quòd

2. Solutio. quòd habitus non minuit libertatem: Respondetur, non prouenire ex ratione habitus, minuere libertatem, quia omnis habitus id haberet, quia in habitu prædicto prouenit ex causa generante ipsum. Vel dicitur, quòd absolutè nec debet dici quòd habitus minuat, vel quòd augeat libertatem, sed loquendum sub distinctione, iuxta naturam actus generantis habitum; quia, vt dictum est, in habitu non est alia libertas, quàm quæ communicatur ab actu.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum respondetur, quòd licèt habitus quodammodo determinent ad alteram partem ex capitibus numeratis in argumento; quia tamen tantùm hoc est volitum in causa actus liberi generantis habitum, nullo modo dicendum est, libertatem minui; quia vt aliquid sit liberum, sufficit esse in causa liberum.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm ignorantia causet inuoluntarium.

Infr. q. 19. art. 6. cor. & q 76. artic. 3. & 4. Et 2. d. 39. q. 1. ar. 1. ad 4. & d. 43. ar. 1. ad 3. Et mal. q. 3. ar. 8. cor. Lib. 2. cap. 24.

AD octauum sic proteditur. *Videtur, quòd ignorãtia non causet inuolũtariũ. Inuoluntarim enim veniam meretur, vt Damascenus dicit: sed interdum qnod per ignorantiam agitur, veniam non meretur, secundùm illud 1. Corint. 14. Si quis ignorat, ignorabitur: ergo ignorantia non causat inuoluntarium.*

Libr. 1. retract. c. 15. parum ante med. *Secundò præterea. Omne peccatum est cum ignorantia, secundùm illud Prouerb. 14. Errant qui operãtur malum: si igitur ignorantia inuoluntarium causaret, sequeretur, quòd omne peccatum esset inuoluntarium; quod est contra Augustum † dicentem, quòd omne peccatum est voluntarium.*

Tertiò præterea. Inuoluntarium cum tristitia est, vt Damascenus † dicit: sed quædam ignoranter agun tur & sine tristitia, puta si aliquis occidit hostem, quem quærit occidere, putans occidere ceruum: ergo ignorantia non causat inuoluntarium. † Lib. 2. ort. fid. c. 2.

SED Contra est, quod Damascenus † & Philosophus dicunt, quòd inuoluntarium quoddam est per ignorantiam. Loco nunc dicto. 3. Ethic. c. 2.

Respondeo dicendum, quòd ignorantia habet causare inuoluntarium ex ratione qua priuat cognitione, quæ præexigitur ad voluntarium, vt suprà dictum est: † non tamen quælibet ignorantia huiusmodi cognitione priuat, & ideò sciendum, quòd ignorãtia tripliciter se habet ad actum Voluntatis. Vno modo concomitanter. Alio modo consequenter. Tertio modo antecedenter. Concomitanter quidem, quando ignorantia est de eo quod agitur, tamen etiamsi sciretur, nihilominus ageretur, tunc enim ignorantia non inducit ad volendum vt hoc fiat; sed accidit simul esse aliquid factum & ignoratum, sicut in exemplo posito, scilicet, cùm aliquis vellet quidem occidere hostem, sed ignorans occidit eum, putans occidere ceruum, & talis ignorantia non facit inuoluntarium, vt Philosophus dicit, † quia non causat aliquid quod sit repugnans Voluntati, sed facit non † Art. 1. † Libr. 3. Ethic. c. 1. to mo 5.

voluntarium, quia non potest esse actu volitum, quod ignoratum est. Consequenter autem se habet ignorantia ad Voluntatem, in quantum ipsa ignorantia est voluntaria: & hoc contingit dupliciter secundùm duos modos voluntarij suprapositos. † *Uno modo, quia actus Voluntatis fertur in ignorantiam, sicut cùm aliquis ignorare vult, vel vt excusationē peccati habeat, vel vt non retrahatur à peccando, secundùm illud Iob 21. Scientiam viarum tuarum nolumus; & hæc dicitur ignorantia affectata. Alio modo dicitur ignorantia voluntaria eius quod quis potest scire & debet, sic enim non agere & non velle, voluntarium dicitur, vt* Ar. 3. ad 1. *suprà dictum est.* + *Hoc igitur modo dicitur ignorantia, siue cùm aliquis actu non considerat quod considerare potest & debet, quæ est ignorantia malæ electionis, vel ex passione, vel ex habitu proueniens, siue cū aliquis notitiā quā debet habere, nō curat acquirere; & secundū hunc modum ignorantia vniuersalium iuris, quæ quis scire tenetur, voluntaria dicitur, quasi per negligentiam proueniens. Cùm autem ipsa ignorantia sit voluntaria aliquo istorum modorum, non potest causare simpliciter inuoluntarium; causat tamen secundùm quid inuoluntarium, in quantum præcedit motum Voluntatis ad aliquid agendum, qui non esset scientia præsente. Antecedenter autem se habet ad Voluntatem ignorantia, quando non est voluntaria, & tamen est* Art. 3. *causa volendi quod aliàs non vellet. Sicut cùm aliquis homo ignorat aliquam circunstantiam actus, quam non tenebatur scire, & ex hoc aliquid agit, quod non faceret si sciret, puta cùm aliquis diligentia adhibita nesciens aliquem transire per viam, proïcit sagittam qua interficit transeuntem, & talis ignorantia causat inuoluntarium simpliciter. Et per hoc patet responsio ad obiecta. Nam prima ratio procedit de ignorantia eorum quæ quis tenetur scire. Secunda autem de ignorantia electionis, quæ quodammodò est voluntaria, vt dictum est.* † *Tertia verò de ignorantia quæ concomitanter se habet ad Voluntatem.* In cor. art.

Prima conclusio. Ignorantia concomitans non causat inuoluntarium: sed nec facit voluntarium, sed magis facit actum non voluntarium.

Secunda conclusio. Ignorantia consequens non causat inuoluntarium simpliciter, causat tamen illud secundùm quid.

Tertia conclusio. Ignorantia antecedens causat inuoluntarium simpliciter.

Circa articulum notandum, ignorantiam multiplicem esse. Primò diuiditur ex parte subiecti, quòd ignorantia alia est puræ negationis, quæ tantùm dicit priuationem scientiæ: alia verò prauæ dispositionis, quæ importat errorem contrarium scientiæ. Secundò diuiditur ex parte obiecti, quòd ignorantia, alia est iuris, quando videlicet quis ignorat legem prohibentem vel præcipientem aliquid; alia est ignorantia facti, quando quis, cognita lege & præcepto, ignorat factum contra legem, vel circunstantiam eius, vt constat in accessu Iacob ad Liam, & vtraq; ignorantia istarum est multiplex, iuxta diuersitatem circunstantiarum quæ ignorari possunt, de qua diuisione latius infrà, quæstione 76. Tertia diuisio est, quòd alia est ignorantia voluntaria, alia vero inuolun- Not.

uoluntaria. Quartò diuiditur in voluntariam directè, quæ à Diuo Thoma vocatur affectata, quæ quidem si de rebus nociuis fuerit, praua erit; si autem de rebus necessarijs & vtilibus, erit bona: alia verò est ignorantia indirectè volita, quando videlicet quis tenetur & potest scire aliquid, & non scit illud; quæ appellatur non affectata. Quintò diuiditur circunstantia, quòd alia est culpabilis, alia inculpabilis; vel, quod idem est pro nunc, alia est vincibilis; alia inuincibilis; quia modò non disputamus, an in rigore loquēdo, omnis ignorātia vincibilis debeat esse culpabilis: ignorātia ergo culpabilis est, cū quis ignorat id quod potest & tenetur scire, quod quia vinci & superari poterat, dicitur vincibilis: inculpabilis autē est, cū quis ignorat quod scire non tenetur; vt cū rusticus ignorat subtilitates mysterij Trinitatis, quas scire nō tenetur; vel cū ignorat quod scire non potest, licèt teneatur illud scire; vt cū quis propter nimiam rusticitatem, vel propter solitudinem in qua degit, aliqua diuina præcepta scire non potest: hæc ignorantia, quia vinci & superari non potest, inuincibilis nuncupatur. Sextò diuiditur ignorantia affectata, de qua in quarta diuisione, quòd alia est prauæ electionis, vt cùm quis actu non considerat illud quod actu considerare deberet, licèt habeat scientiam de illo; illa enim non actualis consideratio, est ignorantia prauæ electionis. Alia verò est ignorantia prauæ affectionis. Differt autem hæc ignorantia prauæ electionis vel affectionis, ab ignorantia prauæ dispositionis, de qua in prima diuisione, quòd ignorantia prauæ electionis importat indispositionem ex parte affectus & Voluntatis, & nunquàm est absque peccato; quapropter inter ignorantias consequentes annumerat illam D. Thom. Ignorantia autem prauæ dispositionis, tantùm importat indispositionem ex parte Intellectus; vnde & sine aliqua culpa esse potest. Vltimò diuiditur circunstantia in antecedentem, concomitantem & consequentem, de qua hìc solū D. Th. mētionē specialē facit, quia ignorantia ad duo potest cōducere. Primò ad excusationem vel non excusationem peccati: secundò ad diminutionem vel nō diminutionem voluntarij, siue illud sit peccatum, siue non. Cùm ergo D. Thom. in præsenti solùm agat de voluntario, & in ordine ad illud solùm conducat ignorantia, prout antecedens, concomitans, vel consequens, solùm hic specialiter agit de hac vltima diuisione ignorantiæ; cùm autem qualiter peccatum diminuatur per ignorantiam, tractetur à Diuo Thoma infrà, quæstione 76. per totam, & ad hoc conducat ignorantia secundùm alias diuisiones præcedentes, ideò ibi de huiusmodi latiùs; & de illis agit etiam quæstione tertia de malo, articulo sexto, septimo & octauo. Videatur Zumel infrà, quæstione 76. in principio. Valentia hic puncto sexto, Vazquez disputatione 29. cap. 1. Almain primo Moralium, cap. quarto. Angestus cap. sexto, textu septimo, Castro secundo de lege pœnali, capite decimoquarto. Corduba libr. secundo, quæstione prima, Adrianus quodlibeto quarto, quæstione prima ad secundam. Gabiel secundo, distinctione 22. quæstione secunda, articul. primo. Scotus, Durandus, D. Bonauent. Richardus, Ægidius, & alij eadem distinctione, Alensis secunda parte, quæstione 112. Summistæ verbo Ignorantia, Iurisperiti. C. & ff. de iuris & facti ignorantia.

D. Tho. *Zumel.* *Valent.* *Vazquez.* *Almain.* *Angestus.* *Castro.* *Corduba.* *Adrianus.* *Gabriel.* *Scotus.* *Durand.* *D. Bonau.* *Richard.* *Aegidius.* *Alensis.*

DVBIVM I.

Respectu cuius actus attendi debeat, aliquam ignorantiam esse concomitantem, consequentem, & antecedentem: an videlicet respectu actus exterioris imperati à Voluntate (verbi gratia, respectu occisionis hominis) an verò respectu actus eliciti à Voluntate circa ipsum actum exteriorem.

Arg. RATIO dubitandi est, nam si istæ tres rationes desumendæ sint respectu actus imperati, qui dicitur ignoranter fieri, sequitur, nullam esse ignorantiam subsequentem; quia nulla ignorantia potest esse posterior effectu isto: si enim ignorantia esset posterior illo, deberet ipsum effectum præcedere scientia, & consequenter effectus ille non fuisset factus cum ignorantia: si autem prædictæ tres rationes comparentur ad actum elicitum

elicitum Voluntatis, à quo effectus exterior procedit, sequitur, nullam ignorantiam posse appellari concomitantem, sed quòd omnis erit consequens, vel antecedens: nam si talis ignorantia est volita aliquo modo tali actu elicito voluntatis, indirectè vel directè, erit ignorantia consequens: si autem nullo modo fuerit volita, neque indirectè, neque directè, erit ignorantia antecedens.

1. *Explic.* In hoc dubio aliqui dicunt, omnem ignorantiam debere appellari antecedentem vel concomitantem, & nullam esse consequentem, propter priorem rationem dubitandi, quia ignorantia debet considerari respectu actus exterioris imperati à voluntate, aut respectu actus eliciti ordinati ad ipsum actum exteriorem, respectu quorum nulla est ignorantia quæ dicatur consequens, propter rationem assignatam: potest autem apellari ignorantia antecedens, quia tam actus exterior, quàm volitio circa ipsum, oritur ex ignorantia: potest autem appellari ignorantia concomitans, quæ simul est cum tali actu exteriori, vel interiori, & neutrius est causa; quatenus eodem modo fieret talis actus, etiamsi nulla esset ignorantia. *Arist.* Vnde Arist. sola hæc duo membra videtur constituisse. 3. Ethic. cap. 1. cùm docuit, aliud esse operari aliquid ignoranter; quod pertinet ad ignorantiam concomitantem; aliud verò operari aliquid ex ignorantia vel propter ignorantiam; quod pertinet ad ignorantiam antecedentem.

2. *Explic.* Alij verò dicunt, quòd si hæc tria membra ignorātiæ sunt assignanda, hoc deberet esse, considerando hoc modo ignorantiam antecedentem & cōcomitantem per ordinem ad effectum exteriorem; consequentem verò per ordinem ad actum interiorem Voluntatis; vnde secundùm istos hæc est quasi duplex diuisio: prima respectu effectus exterioris in ignorantiam antecedentem & concomitantem; secunda verò respectu actus Voluntatis in ignorantiam antecedentem & consequentem.

3. *Explic.* Alij autem dicunt, istam diuisionem desumendam esse in ordine ad Voluntatem seu voluntarium; quia sic conducit ad intelligendum quando ignorantia causet voluntarium vel inuoluntarium; dicunt tamen, duo tantum esse membra diuisionis, videlicet ignorantiam antecedentem & consequentem: ignorantia quidem quæ omnino fuerit inuoluntaria, erit antecedens ipsum voluntarium, tam directe, quàm indirectè: illa verò quæ fuerit voluntaria, erit consequens, quia subest voluntario directo vel indirecto: iuxta quem sensum dicunt, nullam esse ignorantiam concomitantem, sed omnis est aut antecedens, aut consequens, quia nulla est ignorantia quæ non sit voluntaria aut inuoluntaria: quòd si aliqua appellanda fuerit cōcomitans, illa erit quæ impertinēter se habet ad causandum actū, siue voluntaria, siue inuolūtaria sit talis ignorantia, & ita videtur procedere Damas. *Damas.* 2. de Fide, cap. 24. Denique Salas hic *Salas.* tract. 3. disp. 4. sect. 1. & pro eodem citat Valentiam, dicit hanc diuisionem tri- *Valent.* membrem insufficientem esse, si sumantur tria membra vt opposita respectu eiusdem diuisionis: sed sumenda sunt æquiualenter ad duas diuisiones bimembres, quarum prima sit; ignorantia, alia est causa actus, alia non est causa actus, vt est concomitans; & rursus quæ est causa; alia est antecedens, alia verò consequens. 4. *Explic.*

5. *Explic. vera.* Vera tamen explicatio D. Tho. & diuisionis illius est, ignorantiam debere cōparari ad actionem Voluntatis, quę est principium effectus qui ignoranter fit: sic enim ignorantia poterit habere tres illas habitudines. Nam ignorantia primò potest esse causa actionis Voluntatis; vt cùm quis vult facere aliquid, quia ignorat illud quid sit; si enim sciret, nullo modo vellet illud facere; & tunc ignorantia dicitur antecedens, quia est prior natura ipso actu Voluntatis, & causa vt voluntas velit illud facere. Dicitur tamen, ignorantiam esse causam, non quidem per se, quia aliquid efficiat, cùm sit negatio entis, videlicet negatio scientiæ: negatio autem non potest esse per se causa effectus positiui, sed tantum remouendo prohibens, videlicet cognitionem, quæ si adesset, impediret Voluntatem ne faceret id quod vult facere: quod *D. Thom.* docet expresse D. Thom. infrà, q. 76. art. 1. ex Arist. 8. Physic. text. 27. Cuius rei exēplum ponit Arist. in absentia nautæ, quæ *Arist.* causa est submersionis nauis, quatenus remouet nautā qui submersionē prohiberet. Secundò cōparari potest ignorantia ad actionem Voluntatis, quatenus est effectus illius, videlicet quando est volita;

ta ; tunc enim ideò ignorat , quia vult ignorare : quæ ignorantia cùm sit posterior natura actu Voluntatis , sicut quilibet effectus posterior natura est sua causa , ideò recta ratione appellatur consequens ; sequitur enim ad actionem , vel negligentiam Voluntatis . Hæc autem ignorantia subdiuiditur à Diuo Thoma in illam quæ est volita per se formaliter & directè , & in illam quæ tantùm est volita interpretatiuè & indirectè : quam subdiuisionem optimè explicat D. Thom. hic , appellatque membrum prius , ignorantiam affectatam : secundum verò appellat defectum cognitionis quã habere tenemur. Quod etiã appellari solet ignorãtia crassa vel supina ; quia talis ignorantia est ex culpa & negligentia eius qui ignorat. Tertiò potest comparari ignorãtia ad actionem Voluntatis , ita vt talis ignorantia neque aliquo modo sit volita , nec sit ratio vel causa volendi effectum qui fit ignoranter ; quoniam , etiamsi non adesset ignorantia , vellet id quod vult stante ignorantiã : vnde hæc ignorantia præcisè se habet concomitanter ad actum Voluntatis , & ideò rectè appellatur concomitans . Exemplum est , cùm quis , facta sufficienti diligentia , vult proijcere sagittam in quem existimat esse feram , qui tamen est eius inimicus , in quem multo melius vellet eam proijcere , si sciret suum esse inimicum . Hæc explicatio huius diuisionis melior est alijs , quia seruat tria membra assignata à Diuo Thoma ; quod non facit prima explicatio : tùm etiam quia constituit , ignorantiam concomitantem esse membrum per se diuidens : quod non facit secunda explicatio , faciens illud membrum diuidens per accidens : & per hoc patet ad rationem dubitandi.

Not. Notandum tamen , quando diximus , hæc tria membra diuisionis debere comparari ad actum Voluntatis ; non debere intelligi singulariter & determinatè respectu eiusdem numero actus Voluntatis ; quòd respectu illius omnis illa triplex ignorantia debeat assignari , sed sumendus est actus Voluntatis vagè ; tunc enim respectu alicuius actus Voluntatis , ignorantia est antecedens : respectu autem alicuius alterius , est concomitans , & respectu alterius poterit esse consequens , licèt omnis ille actus possit esse eiusdem speciei ex parte obiecti : erit tamen diuersus numero , saltem formaliter , secundùm quòd diuersimodè interuenit ignorantia in tali actu.

DVBIVM II.

Vtrùm prima conclusio Diui Thomæ verum habeat.

VIdetur quòd non . Primò . Ignorantia concomitans , vt in casu occisionis inimici in venatione , non facta sufficienti diligentia , non excusat à culpa , sed verè est peccatum homicidij : ergo voluntarium ; quia peccatum non est nisi voluntarium : malè ergo dicit prima pars conclusionis , quòd talis ignorantia non facit voluntarium ; & è conuerso si in eodem casu faciat sufficientem diligentiam , talis ignorantia excusat à peccato : ergo causat inuoluntarium : non enim à peccato excusari potest nisi per inuoluntarium occidendi , tunc enim falsa erit secunda pars , quòd talis ignorantia non causat inuoluntarium . Item falsa videtur tertia pars , quòd talis igorantia faciat non voluntarium : nam ignorantia in tantum dicitur aliquid facere , vel illius esse causam , in quantum remouet scientiam quæ impediret talem effectum : sed ignorantia concomitans non remouet scientiam , quæ si adesset , impediret talem effectum , quia si sciret illum esse inimicum , melius occideret : ergo talis ignorantia non potest dici causare vel facere non voluntarium. *1. Arg.*

Secundò arguitur . Talis ignorantia non excusat à peccato , vt docet Diuus Thomas infrà quæstione 76. articulo tertiò & quarto : ergo non facit non voluntarium . Patet consequentia , nam si faceret non voluntarium , excusaret à peccato , quia peccatum non est nisi voluntarium : ergo si non excusat , non facit non voluntarium. *2. Arg.*

Tertiò arguitur . Talis ignorantia non habet influxum in talem actum : ergo non facit ipsum non voluntarium esse. Patet consequentia , quia vt ignorantia antecedens faciat actum inuoluntarium , necessariò influit in illum , auferendo scientiam per quam talis actus deberet prohi- *3. Arg.*

prohiberi : ergo si ignorantia concomitans no habet aliquem influxum in illum actum occisionis , siquidem non remouet sententiam per quam prohiberetur talis actus , quia melius occideret , si sciret esse inimicum, non faciet talem actũ esse non voluntarium.

4. Arg. Quartò arguitur . Licèt in communi detur medium inter voluntarium & inuoluntarium , nempe non voluntarium ; non tamen in particulari in subiecto apto nato , sed necessariò debet esse actus voluntarius vel inuoluntarius. Sicut licèt in communi inter videntem & cæcum detur medium , nempe non videns , quale est lapis ; in particulari tamen in subiecto apto nato , non datur medium , sed necessariò est cæcus, vel videns : ergo malè dicit Diuus Thomas, quòd ignorantia concomitans in casu particulari , neque faciat voluntarium, neque inuoluntarium , sed quoddam medium, nempe voluntarium.

5. Arg. Quintò arguitur . Illa occisio inimici in casu posito , etiam interueniente prædicta ignorantia , est virtualiter volita : ergo talis ignorantia non facit esse illam occisionem non voluntariam. Patet consequentia , quia vt aliquid sit voluntarium , sufficit esse virtualiter volitum . Antecedens verò probatur in casu quòd venatio fiat vespere , & præcedenti mane habuerit actum formalem & expressum volendi occidere inimicum , qualitercunque ei offeratur : tunc enim quis negabit , istum actum formalem transire virtualiter ad occisionem vespere factam in venatione ? sicut qui mane retulit se & omnia sua in Deũ, si vespere , nihil considerando de huiusmodi præuia relatione , pietate motus faciat eleemosynam , meretur per illam, quia præuia relatio mane facta transit virtualiter ad eleemosynam vespere factam.

6. Arg. Sextò arguitur . Si facta occisione prædicta , agnoscat occisum esse inimicum , lætatur de morte illius : ergo talis occisio fuerat virtualiter volita . Patet consequentia , quia hoc ponitur vt signum certum à Theologis, vt cognoscatur vtrùm aliquid fuerit voluntarium , vel inuoluntarium , si quando ei proponitur & explicatur iam factũ, lætatur vel tristatur de illo.

Almain. In hac re Almain in suis moralibus , tract. primo, capite quarto tenet cõtra Diuum Thomam , quia ipsum non intellexit ; existimat enim , quòd Diuus Thomas velit in hoc articulo , ignorantiam concomitantem non excusare à peccato, ad hunc sensum, quòd etiamsi faciat sufficientem diligentiam , talis occisio imputetur. Fundamentum autẽ Almain, vt hoc sentiret de Diuo Thoma , sunt verba conclusionis , in qua dicit, quod talis ignorantia non causat inuoluntarium . Infert ergo Almain : Si non causat inuoluntarium ; ergo non tollit peccatum ; quia peccatum non tollitur nisi per inuoluntarium . Dum ergo Diuus Thomas dicit, hanc ignorantiam non facere inuoluntarium , sentit , quòd factum cum tali ignorantia, sit peccatum: quapropter insurgit multis argumentis (suo videri) contra Diuum Thomam. Licèt enim secundùm Diuum Thomam illa ignorantia non faciat inuoluntarium , non sequitur (vt putabat Almain) esse peccatum , quia vt non sit peccatum , non requiritur esse inuoluntarium , sed sufficit non esse voluntarium ; quia cùm peccatum necessariò debeat esse voluntarium , quomodocunque auferatur ratio voluntarij , siue per contrarium , nempe per inuoluntarium, siue per contradictorium , nempe per non voluntarium , aufertur ratio peccati. Si ergo D. Thom. dicit, prædictam ignorantiam facere illam occisionem non voluntariam , dicit , illam non esse peccatum.

Not. Pro intelligentia dubij notandum, quòd D. Thomas in hac conclusione loquitur formaliter , ea videlicet ratione , qua ignorantia concomitans est: nam si aliqua ex parte rationem ignorantiæ consequentis induerit , tunc effectus erit aliquo modo voluntarius: vnde in casu posito , eius qui occidit inimicum , putans occidere feram , & non adhibuit sufficientem diligentiam, illa occisio est quodammodò voluntaria , & non omnino à peccato excusata ; quia tunc illa ignorantia est consequens & volita , & sic occisio inimici etiam est voluntaria. Si autem quæras, qualiter occisio sit voluntaria in se, & in sua causa, directè vel indirectè ; Aliqui dicunt esse indirectè voluntariam in se ipsa: hoc tamen falsum est : repugnat enim , esse volitum in se, & indirectè esse volitum

litum: nam hæc est differentia inter voluntarium directum & indirectum, quòd directum est voluntarium in se, immediatè terminans volitionem, vt cùm quis vult directè omittere Sacrum in die festo, tunc illa volitio terminatur immediatè ad Sacrum in se: voluntarium autē indirectè, est volitum in sua causa, & non in se: vt cùm quis tenebatur Sacris interesse, & ex culpabili inaduertentia occupatur in ludo, aut in quolibet alio opere; tunc omissio Sacri non est volita in se, sed in sua causa, videlicet in tali culpabili inaduertentia, vel in opere facto in illa. In nostro ergo casu occisio facta sine sufficienti diligentia, indirectè erit volita in sua causa, nempe in illa negligentia culpabili.

1. Concl. Prima conclusio. Ignorantia concomitans vt sic formaliter sumpta non reddit actum positiuè inuoluntarium, neque directè neque indirectè. Hæc est expressa *D. Tho. Arist. D. Nazia.* D. Tho. hic, & Arist. 3. Ethic. c. 1. & Naziāzeni lib. 5. suæ Philosophiæ, c. 2. & probatur ratione D. Tho. Inuolutarium positiuè est illud, quod est contra positiuam volitionem, formalem vel interpretatiuam: sed in præsenti non est huiusmodi contrarietas volitionis, vt patet ex definitione ignorantiæ cōcomitantis: ergo nullo modo talis ignorantia reddit actum positiuè inuoluntarium. Secundò probatur ratione Arist. loco allegato. Signum actus inuoluntarij est pœnitudo posteà subsequuta ablata ignorantia: sed quando abest ignorantia concomitans in casu posito, non est aliqua pœnitudo, sed potiùs complacētia: ergo signum est nō fuisse positiuè inuoluntariam. Tertiò probatur, quia cùm talis ignorantia nō sit causa talis occisionis, vt statim dicemus, non potest dici, esse illam occionem positiuè voluntariam; quia vt talis esset, deberet in illa causari inuoluntarium in tali ignorantia.

2. Conc. Secunda conclusio. Ignorantia concomitans formaliter sumpta non reddit, nec directè nec indirectè, actum voluntarium. Probatur primò. Voluntariū supponit cognitionē: sed in casu posito nulla est cognitio quòd ille sit inimicus: ergo nullum est volūtarium occidere illum. Probatur primò, nam in se certū est nō esse cognitum, cùm supponatur interuenire ignorātiam. Nec etiam potest dici esse cognitionem in causa, quia, vt etiam supponimus, fecit sufficientem diligentiam vt non occideret hominem. Secūdò probatur. Illa venatio potest esse actus virtutis: ergo illa occisio inimici non est volūtaria; si enim voluntaria esset, vitiaretur ille actus. Antecedens verò probatur in casu quòd exeat ad venationem ex mandato patris, vel Prælati; tunc enim opus studiosum est venatio. Tertiò probatur. Vt illa occisio inimici esset posi tiuè voluntaria, deberet influere in illam præcedens volitio occidendi inimicum: sed talem influxum non habet: ergo. Probatur minor, nam in casu quo quis infidelis referat se & omnia sua in idōlum, si vespere huius non recordatus, pietate naturali motus faciat eleemosynā, illa est opus studiosum, & præcedens relatio in idōlū, non influit in talem eleemosynam: ergo si militer in nostro casu, si venatio hic & nunc fiat ex honesto motiuo, præcedens volitio occidendi inimicum, non influit, sed odium eius omnino materialiter se habet in illo operante, & ratione ignorantiæ concomitantis nullum habet influxum in talem occisionem.

Notandum tamen, quòd in præsenti *Not.* non loquimur de illa occisione materialiter vt occisio est: sic enim est voluntaria; voluntariè enim iacit sagittam, & vult occidere; non tamen est voluntaria vt occisio hominis propter ignorantiam concomitantem, vt dictum est. Et idem dicimus de opere bono ignorato tali ignorantia: si enim quis habuisset intentum occidendi inimicum Reipublicæ, & modò in venatione cum ignorantia concomitante, facta sufficienti diligentia, occideret illum, existimans occidere feram; talis occisio non est voluntaria vt inimici Reipublicæ; neque ex hac parte iste actus est studiosus, sicut nec alius, de quo procedit dubium, etiam est malus. Consimilis casus fuit accessus Iacob ad Liam, Genesis 29. & Iudę *Genes. 29.* ad Thamar, Genesis 38. fuit enim Iacob *Genes. 38.* voluntarium accedere ad istam, quam hic & nunc secum habebat: ex ignorantia tamen non fuit ei volūtarium accedere ad Liam. Similiter Iudæ fuit voluntarium hic & nunc accedere ad meretricem, non tamē fuit ei volūtariū ex ignorātia accedere ad nurum suam: vnde peccatum fuit ei simplicis fornicationis. Verū est, quòd in casu istorum ignorantia fuit accidēs respectu illius circūstātiæ: vnde talis actus secūdū illā circūstātiā Liæ & nurus fuit inuolūtarius: in nostro autem casu, cùm ignorantia circunstantiæ inimici sit concomitans, non facit inuoluntarium, sed non

volunta-

voluntarium, vt statim dicemus. Allatum est autem exemplum ad hoc solùm, vt explicemus, qualiter idem actus secundùm substantiam potest esse voluntarius, & secundùm aliquas rationes exignorantia posit non esse voluntarius, siue contrariè, siue contradictoriè, qualiter fuerit ignorantia; si ignorantia fuerit antecedens, faciet non voluntarium contrariè, hoc est, inuoluntarium: si autem fuerit ignorantia concomitans, faciet non voluntarium contradictoriè & purè negatiuè. Et si contra facias argumentum, nam si ignorantia antecedens ex eo causat inuoluntarium, quia tollit scientiam, qua stante, non faceret id quod ignoranter facit: ergo ignorantia cõ comitans faciet voluntarium, ex eo quòd tollit scientiam, qua stante, faceret id quod modò facit, & occideret inimicum, si cognosceret illum: sic enim se habet cognitio contraria expulsa per ignorantiam antecedentem, ad expellendum hunc actum quem ex ignorantia facit, sicut se habet scientia expulsa per ignorantiam concomitantem ad hunc actum faciendum, quẽ ex tali ignorantia concomitante facit, si cognosceret hunc esse inimicum: ergo sicut remotio illius scientiæ facit inuoluntarium, sic remotio istius faciet voluntarium; sic enim se habet contraria cognitio ad inuoluntarium, sicut propria cognitio ad voluntarium: Respondetur tamen negando consequentiã ex differentia inter voluntarium & inuoluntarium; voluntariũ enim requirit positiuè & actualiter cognitionem, vel in se, vel in sua causa; inuoluntarium autem non requirit cognitionem eius quod facit, sed vel oppositam, vel nullam ex principio extrinseco: cùm ergo per ignorantiam antecedentem tollatur omnino cognitio, fit inuolũtarium; cùm autem per ignorantiam concomitantem nulla maneat cognitio, nec in effectu, nec in causa, nullum manet voluntarium: itaque per expulsionem scientiæ potest probari inuoluntarium, non autem voluntarium.

Obiectio.

Solutio.

3. Concl. Tertia conclusio. Ignorantia concomitans facit actum non voluntarium negatiuè, & consequenter facit actum non esse peccatum secundùm id quod ignotum est in illo. Prima pars patet ex præcedentibus conclusionibus, nam si secundùm partem ignotam ille actus non est inuoluntarius, nec etiam est voluntarius, erit verum dicere, quòd non est voluntarius. Secunda pars conclusionis etiam patet ex dictis, nam ad peccatum requiritur voluntarium: ergo si secundùm partem ignotam ille actus non est voluntarius, non erit peccatum. Verum est, quòd si posteà, cognito esse inimicum occisum, gauderet de morte, esset peccatum homicidij, non propter voluntarium repertum in ipso actu iaculationis, sed propter actum complacentiæ, quem modò habet de morte illius: sicut qui non præcedente causa polluit in somnis, si posteà in vigilia gaudeat de pollutione, peccat; non quia pollutio in somnis fuerit voluntaria aliquo modo, sed propter nouum actum Voluntatis modò habitum circa venerea. Verum est, quòd si illa occisio inimici fuit occisio clerici, licèt posteà cognito lætetur de morte, non manet excommunicatus, licèt huiusmodi peccatum quod modò committit cùm lætatur de morte illius, sit peccatum sacrilegij; quia excommunicatio non sequitur ad peccatum sacrilegæ occisionis vtcunque, sed prout in exercitio & in re factam: huiusmodi autem sacrilegium solùm est internum per complacentiam, non autem in re exercitum, quia illud exercitium percussionis solùm est voluntarium hic & nunc obiectiuè, non autem est voluntarium prout in exercitio factum; ad hoc enim requirebatur, quòd quando actualiter iaculabatur, interueniret voluntarium formaliter vel virtualiter circa talem percussionem; quapropter si contingeret quòd quando actualiter iaculabatur, etiam facta sufficienti diligentia, haberet hunc actum interiorem; Vellem hanc feram meum esse inimicum, & sic actualiter affectus mitteret sagittam, tunc si ille occisus, esset clericus, non solùm committeret peccatum sacrilegij, sed etiam maneret excommunicatus, quia præcedens diligentia adhibita, virtualiter reuocatur per hanc præsentem voluntatem occidendi inimicum & conditionalem; vnde ipsa exercita percussio virtualiter est volita; & si aliquis oppositum dixerit, illam voluntatem conditionalem occidendi inimicum, per accidens & materialiter se habere ad actualem percussionem, & sic manere in ratione sacrilegij interni, non autẽ exercitij, & cõsequenter

ter non incurrere excommunicationem, non multum errauerit, sed probabiliter dixerit. Idem dicendum est de illo, qui accedendo ad propriam vxorem, haberet affectum accedendi ad illam, etiamsi esset aliena, nam tunc peccaret peccatum adulterij.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum respondetur, quòd vt verè dicatur, ignorantiam cõcomitantem excusare â culpa, non requiritur facere inuoluntarium; sed, vt diximus contra Almain, sufficit facere non voluntarium, cùm ad peccatum, voluntariũ requiratur: vnde illa consequentia, formaliter loquendo, nihil valet, Non excusat: ergo accusat; quia datur medium inter accusare & excusare, per hoc quòd negatiuè se habeat ad vtrumque, vt dictum est. Sicut & moraliter potest contingere, aliquem assistere causæ alicuius rei, qui tamen neque accuset, neque excuset illum: sed accusatio vel excusatio ex alijs actibus desumitur. Sic ergo in præsenti in prædicto actu occisionis ratio virtutis vel vitij aliunde desumitur: ex illa ignorantia tamen concomitanter se habet. Et per hoc patet ad impugnationem secundæ partis. Ad tertiam impugnationem respondetur, quòd vt tolleret inuoluntarium contrariè, per inuoluntarium, requireretur quòd tolleret scientiam; quæ si staret, id nõ faceret: vt autem tollat voluntarium contradictoriè per non voluntarium, id non requiritur, sed tantùm quòd talis ignorantia non influat in illum actum formaliter, nec interpretatiuè, vt occisio est hominis.

Ad 2. arg. Caiet. Ad secundum argumentum respondetur cum domino Caietano in illo articulo tertio, quòd ille actus occisionis factus cũ ignorantia concomitante, potest considerari dupliciter, vt diximus: vel secundùm substantiam, vel secundùm rationem formalem occisionis hominis. Quando ergo D. Thom. dixit, quòd ignorantia concomitans nõ excusat à peccato, loquitur de actu facto ex ignorantia, considerando illum secundùm suam substantiam, non autem formaliter in ratione occisionis hominis: itaque ignorantia concomitans relinquit illum actum in sua natura, ita vt si erat virtutis vel vitij, huiusmodi retinetur, & ex ignorantia concomitante, nec excusatur, si aliàs erat peccatum, nec accusatur, si aliàs erat virtutis. Formaliter autem iam diximus â peccato excusare, faciendo non voluntarium. Vel secundò respondetur, Diuum Thomam tantùm ibi intendere, illam ignorantiam non excusare, quando in exercitio illius actus habetur illa conditionalis volitio occidendi inimicum; quæ tamen regulariter non interuenit, nec formaliter, nec interpretatiuè, vt dictum est. *2. Solut.* Tertiò respondetur, intelligi Diuum Thomam loqui de ignorantia concomitante formaliter, in quantum talis; quia si excusat, non est in quantum concomitans, sed in quantum inuincibilis; qua ratione consideratur quodammodò vt antecedens, sicut & accusat, quando est vincibilis; qua ratione quodammodò est consequens: vtrumque autem accidit ignorantiæ concomitanti; vnde intendit ponere differentiã inter concomitatem & antecedentẽ, quòd antecedens ex propria ratione formali habet excusare, quia ex propria ratione habet esse inuincibilem, & causare inuoluntarium: concomitans autem non habet hoc formaliter ex propria ratione, sed vtrumque accidit ei, excusare vel accusare, in quantum accidit ei esse inuincibilem vel vincibilem, & quodammodò esse antecedentem & consequentem; vnde formaliter ab vtroque præscindit, & solùm habet negationem vtriusque, non accusare, nec excusare, quia habet non facere volũtarium; quod ad vtrumque requirebatur. *2. Solut.* *3. Solut.*

Ad 3. arg. Ad tertium respondetur, quòd vt faceret voluntarium vel inuoluntarium, requireretur influere vt causam, saltem vt remouentem scientiam per quam talis actus deberet impediri. Vt autem faciat non voluntarium, non requiritur influere, sed potiùs non influere. Cùm ergo ille actus formaliter, vt occisio est hominis, non habeat aliquem influxum ex illa ignorantia, ex illa dicetur non voluntarius formaliter.

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur, bene posse contingere, quòd subiectum oppositorum, licèt absolutè non habeat medium respectu illorum, quòd ex aliqua circunstantia detur tale medium: sicut animal subiectum est motus & quietis, & absolutè non potest dari medium in animali respectu illorum; bene tamen ex aliqua circunstantia; vt quando animal descendit, & moritur in medio, tũc enim in instanti extrinseco motus animalis,

lis, qui est vltimum non esse motus cadaueris corpus neque mouetur neque quiescit; nec formaliter; quia in instãti motus esse non potest, neque per continuationem, quia illud instans non est continuatiuum motus, quia diuersus est motus subsequẽs. Ita in præsenti licèt absolutè non detur medium inter voluntarium & inuoluntarium in subiecto, apto; absolutè loquendo tamen ex ignorantia circunstantiæ concomitantis. Vel clariùs vnico verbo dicitur, quòd subiectum vtriusque contrarij inter quæ non datur medium est actus moralis, ille autem actus occisionis inimici, formaliter vt talis, non est moralis, vnde vt sic habet medium, quia vt sic non est aptus, sed negatiuè consideratur ad vtrũque.

Ad 5. arg. Ad quintum respondetur, quòd illa volitio occidendi præuia non influit hic & nunc; per sufficientem enim diligentiam, quam modo facit, præcedens volitio non influit, sed omnino per accidens se habet. Sicut Gentilis qui mane retulit se & omnia sua in idòlum, si vespere nihil de huiusmodi cogitans, sed tantùm pietate naturali motus faciat eleemosynam, non vitiatur à præcedenti relatione in idòlum; per motum enim pietatis, quem modo habet, nullum apponendo malum finem ex proposito operantis, detinetur talis præcedens relatio in idòlum, nec influit, sed ipsum opus tendit in finem bonum ipsius operis, & relatio præuia operantis per accidens se habet ad istud opus. Nec est eadem ratio de casu posito in argumento; nam cùm illa præuia relatio in Deum, sit bona, non detinetur per motum etiam bonũ pietatis, ex qua modò confert elemosynã, sed potiùs iuuatur bonũ à bono. Quãdo autem præuia relatio fuit mala, prohibetur à motu, vel ex circunstantia bona modò factæ diligentiæ: sicut è cõtra, etiãsi relatio præuia fuisset bona, si modo ad esset circustãtia mala, præuia relatio bona non influeret: vt etiamsi mane retulisset omnia & se in Deum, si modò non faciat sufficientem diligentiã, & occidat hominem istud opus est malum, & peccatum.

Ad 6. arg. Ad sextum respondetur, quòd licèt regulariter illud sit signũ, non tamen est infallibile: vnde in casu nostro si postmodũ lætatur de occisione inimici, non est quia proiectio sagitte ex ignorantia concomitante fuerit voluntaria in ratione occisionis inimici: sed quia anterior volitio occidendi inimicum, & odium eius modò prorumpit, vt cognita morte inimici, lætetur de illa.

DVBIVM III.

Vtrùm secunda conclusio D. Tho. verum habeat.

PRobatur quòd non. Primò. Ignorantia consequens: remouet scientiam, quæ si ad esset non faceret id quod modò facit ex ignorantia: ergo talis ignorantia causat inuoluntarium simpliciter. *1. Arg.* Patet consequentia, quia non alia ratione ignorantia antecedens causat inuoluntarium simpliciter, nisi quia remouet scientiam, quæ si ad esset, non faceret id quod facit ex ignorantia. Antecedens verò asseritur hic à Diuo Thoma, & patet etiam in casu, quo quis non facta sufficienti diligentia, putans, occidere feram, occidat patrẽ: illa ignorantia consequens est si quidem est voluntaria per negligentiam prædictam; tamen certũ est remouere sciẽtiam, quæ si ad esset, non faceret quod facit ex ignorantia: quia si sciret esse patrem, non occideret illum. Confirmatur, quia *Confir.* postea, cognito esse patrem occisum, maximo dolore afficitur: ergo ille actus occisionis fuit inuoluntarius simpliciter: quia, vt diximus ex Arist. 3. Ethic. cap. 1. hoc est signum inuoluntarij.

Secundò arguitur ex opposito, ad probandum quòd talis ignorantia nec etiam faciat inuoluntarium secundùm quid. *2. Arg.* Nã si propter aliquam rationem hoc esset, maximè propter rationem Diui Tho. quia talis ignorantia præcedit motum Voluntatis ad aliquid agendum: qui motus non esset scientia opposita illi ignorantiæ sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor. Primò, quia supponit falsum, quia ignorantia consequens, ideò dicitur consequens, quia posterior est actu Voluntis & obiectum illius qua ratione talis ignorantia est volita, saltem interpretatiuè: ergo nullo modo talis ignorantia præcedit motum Volũtatis. Secundò probatur eadem minor. Nã ignorãtia antecedẽs præcedit motũ Volũtatis ad agẽdũ aliquid, quia motus non esset præsente scientia: & tamen nõ ideò dicitur facere inuoluntarium secundù mquid: ergo quòd ignorantia consequens antecedat motum Voluntatis, &c.

tis, &c. non erit in causa vt talis ignorantia faciat inuoluntarium secundùm quid.

3. Argu. Tertio arguitur. Vt aliquid sit inuoluntarium secundū quid, debet opponi alicui actui Voluntatis præexistenti, quo nollet facere id quod facit, vt suprà diximus in operatione ex metu: sed in eo qui operatur ex ignorantia consequenti, non semper potest assignari prædictus actus contrarius præuius, ratione cuius sit repugnātia respectu illius quod modò fit ex ignorantia: ergo id quod modò fit ex tali ignorantia non est inuoluntarium, etiam secūdùm quid. Minor probatur in ignorantia cōsequente affectata; ista enim est formaliter & expresse volita in ordine ad effectum, & vt causa est effectus: ergo non potest respectu talis ignorantię assignari aliqua præuia repugnantia, ratione cuius admisceatur inuoluntarium secūdùm quid.

Confir. 1. Confirmatur ex D. Tho. infrà q. 76. art. 4. asserente expressè, quòd ignorantia affectata auget voluntariū & peccatum: ergo nō facit inuoluntariū, etiam secundū quid. Probatur ista consequentia, quia quod auget vnū contrarium, non potest esse causa alterius, etiā secundùm quid: sicut qui auget albedinem, non potest esse causa nigredinis, etiā secundùm quid: voluntariū autem & inuoluntarium contraria sunt; vnde si ignorantia affectata secundū D. Tho. auget voluntarium, non potest causare inuoluntarium, etiā secundùm quid.

Confir. 2. Confirmatur secundò in ignoratia prauæ electionis, quæ quidem consequens est, & tamen non potest facere inuoluntarium secundùm quid; cùm talis ignorantia proueniat ex passione vel habitu; passio autē vel habitus nō causant inuoluntariū, etiam secundū quid, vt suprà diximus, & effectus non possit amplius conducere ad voluntariū vel inuoluntarium, quàm sua causa.

Nota. Aristot. Nyssen. Pro intelligentia notandum est, quòd Aristot. 3. Ethicor. cap. 1. & Grego Nyssen. libr. 5. Philosoph. cap. 2. meminerunt ignorantiæ antecedentis & concomitantis, non autem fecerunt mentionem ignorantiæ consequentis; quidquid dicāt aliqui Thomistæ interpretātes Aris. quòd cùm dixerit alia exerceri per ignorātiam, alia ignoranter; in secunda parte docet ignorantiam concomitantem, in priori verò parte antecedentem & consequentem; quia illa particula Per, designat causalitatem, & vtraque ignorantia, tam antecedens, quàm consequens, aliquam causalitatem habet: antecedens quidem vt faciat inuoluntarium simpliciter, consequens verò inuoluntarium secundùm quid. Si tamen attendatur ad verba Aristote. & Nysseni, explicatio prædicta nulla est; verba enim Aristot. sunt hæc. Omne quidem quod per ignorantiam est actum, non sponte actum est: quæ verba de ignorantia consequēte verificari non possunt, quia quæ ex tali ignorantia fiunt, sponte fiunt, siquidem sunt voluntaria simpliciter. Verba Nysseni sunt hæc. Horum quæ per ignorantiam fiunt, duæ sunt species. Prima non voluntaria: in qua assignat ignorantiam cōcomitantem; alia autem inuoluntaria; in hac autem secunda specie tantùm potest comprehendi ignorantia antecedens, quæ inuoluntarium causat simpliciter, non autem potest comprehendi ignoratia consequens, quæ tantùm causat inuoluntarium secundùm quid, & consequenter sub nomine absolutè voluntarij comprehendi non potest. Licèt ergo Arist. & Nyssen. huius ignorantiæ nō meminerint: tamen D. Tho. ad plenitudinem doctrinæ tria mēbra ignorantiæ cōstituit, & etiam ignorantiam consequentem assignat: de cuius diuisionis sufficientia videantur articuli.

Conclusio ergo D. Tho. secunda omni no vt certa tenenda est, quòd ignorantia consequens non causat inuoluntarium simpliciter, sed secundum quid. Probatur. Talis ignorantia est voluntaria; in hoc enim consistit esse consequentem: ergo similiter opus factum ex tali ignorantia, debet esse voluntarium, saltem indirectè, vt in causa, in tali ignorantia: ergo talis ignorantia non causat inuoluntarium simpliciter. Secundò probatur. Vt aliquid sit inuoluntarium simpliciter, requiritur quòd totaliter repugnet Voluntati; vt constat in eo quod fit per ignorantiam antecedentem: sed quod fit per ignorantiam consequentem, non repugnat totaliter Voluntati, cum ex Voluntate procedat, saltem indirectè & virtualiter (vt dictum est) ergo. Tertiò probatur. Ex illo quod est voluntarium simpliciter & absolutè, non potest prouenire aliquid quod absolutè & efficaciter repugnet Voluntati: sed, vt dictum est, ignorantia consequens, est simpliciter & absolutè voluntaria: ergo quod ex tali ignorantia prouenit, non potest esse simpliciter & absolutè Voluntati repugnans,

Concluſ.

& sic non potest esse simpliciter & absolutè inuoluntarium. Hęc tamen secūda pars conclusionis intelligenda est de ignorantia consequenti per se: secus est autē, si illa transeat in antecedentem; vt si quis voluit ignorare aliquam legem (verbi gratia, de obseruantia ieiunij) postea tamen pœniteat, & facta pœnitentia, quęrat, & non inueniat locum exeundi à sua ignorantia; tunc huiusmodi ignorā ia transit in rationem antecedētis, & quòd fit ex illa, est simpliciter inuoluntarium. Secunda tamen pars conclusionis, quòd huiusmodi ignorantia faciat inuoluntariū secūdùm quid, probatur; quia illud opus re vera fuit ignoratum: ergo ex illa parte est minus voluntarium, quatenus per talem ignorantiam remouetur scientia; quæ si adesset, non fieret tale opus, & consequenter talis ignorā tia aliquo modo causat inuoluntarium.

Hæc conclusio, vt iacet, ab omnibus Thomistis defenditur. De intelligentia tamen eius est differentia, vtrùm intelligenda sit vniuersaliter de communi ignoran-
Medina. tia, consequente, vel non. Magister Medina in præsenti (supposita distinctione ignorantiæ consequētis, quòd alia est crassa vel vincibilis non affectata, quatenus est negligens in inquirenda veritate quam tenetur scire; alia verò fit ignorantia consequens affectata, vt quando Voluntas voluit directè & formaliter ignorare) dicit, quòd conclusio D Thom. intelligitur de ignorantia consequente primo modo, nō autem in secūda acceptione; illa enim causat inuoluntarium secundùm quid, ista verò potiùs auget voluntarium; & sic concordantur oppositaloca D. Thom. Quòd ignorantia primo modo causet inuoluntarium secundùm quid, probatur quia excludit scientiam, quæ si adesset, non operaretur: ergo aliquo modocausat inuolūtarium. Quòd autem affectata nullo modo causet inuoluntarium, probatur, quia talis ignorantia est absolutè & omnibus modis volita; ergo & opus quod fit ex illa. Patet consequentia, quia illud opus non est volitum nisi in sua causa, nempe ignorantia; ergo erit volitum sicut & ipsa ignorantia omnibus modis.

Alij verò Thomistæ, suppositā prædicta distinctione ignorantiæ, adhuc distinguunt ignorantiam affectatam, quòd sit duplex. Prima, quando quis affectat illam vt liberiùs peccet, & remorsum conscientiæ & difficultatē operis vitet, quam haberet, si scientia ad esset. Verbi gratia, accedit quis ad mulierem, & vt vitet difficultatem operis, & remorsum conscientiæ, & delectabiliùs se habeat in accessu, vult ignorare quòd sit cōiugata. Secūda est, quādo affectatur, nō propter maiorē delectationē, sed potiùs vt minùs peccet: vt si quis non vult scire quod proponitur sibi, quia si sciat & aduertat ad peccrtū, & ad legē Dei prohibentē, redūdabit in contēptum Dei, & maiorē grauitatē peccati. Hoc suppositō, conueniūt cū Medina in primo dicto, quòd ignorātia nō affectata causat inuolūtariū secundū quid. Secundò dicunt, quòd de ignorātia affectata nō loquendū est vniuersaliter, quòd omnis illa augeat volūtariū, & nullo modo causet inuoluntariū secundū quid: in quo differunt á Medina: sed dicunt, loquendū esse sub distinctione posita, quòd ignorātia affectata primo modo sumpta auget voluntariū secundùm rationem communem volūtarij: minuit tamen voluntarium secundùm rationem perfectam voluntarij, nempe secundùm rationem liberi: vnde etiam isto modo affectata causat inuoluntarium secundùm quid; quia talis ignorantia cōducit ad propensionem, & sic ad voluntarium communiter sumptum; quia tamen talis ignorantia remouet scientiam, quæ si adesset, non operaretur, vt modò ex ignorantia operatur, ideò hac ratione minuit aliqualiter voluntarium perfectum, & causat inuolūtarium secundùm quid. Si autem ignorantia affectata sit secūdo modo, vt grauitas peccati euitetur, sic nullo modo auget voluntarium, nec secūdùm rationem communem, nec secundùm rationem perfectam voluntarij; & sic absolutè concedendum est de tali ignorātia affectata, causare inuoluntarium secundùm quid.

Pro decisione huius quæstionis sit secū- *2. Conclu.*
da conclusio in ordine. Effectus subsequutus ex ignorātia cōsequēte, quęcūq; illa sit, siue nō affectata, siue affectata; siue affectata primo & secundo modo, est absolutè & simpliciter voluntarius. Hæc videtur expressa D. Th. hic, & probatur. Omnis talis ignorantia est absolutè voluntaria, vt patet ex definitione illius: ergo effectus subsequutus, simpliciter & absolutè est volūtarius. Patet cōsequētia, nā vt aliquid sit absolutè volūtariū, sufficit esse absolutè volitū in se directè, vel in sua causa indirectè: ergo si omnis ignorātia cōsequēs, est absolutè volita, omnis effectus subsequutus voli-

tus

tus in tali ignorantia, vt in causa, erit volitus, sicut & ipsa ignorantia, quæ est causa.

Tertia conclusio. Omnis ignorantia cõsequens, siue non affectata, siue affectata, primo vel secundo modo, causat inuoluntariũ secundùm quid. Prima pars de non affectata, est cõmunis omnibus Theologis, & patet ratione sæpe facta; quia talis ignorãtia excludit scientiã, quę si adesset, nõ faceret id quod facit: ergo id quod facit, aliqualiter est inuoluntariũ. Patet consequẽtia. Ad inuoluntariũ secundùm quid, sufficit opposita volitio, saltẽ cõditionalis: in præsenti autẽ opposita est conditionalis volitio, explicata per illud verbũ, Quòd si adesset scientia, nõ operaretur sic; & licèt nõ fit opposita volitio cõditionalis formaliter, est tamẽ virtualiter & interpretatiuè in eo quod dicitur, quòd si sciret, nõ operaretur. Secunda pars cõclusionis est contra M. Medinã; meo tamẽ videri est D. Tho. hic; quia cũ priùs distinxìsset ignorãtiam consequentẽ in affectatã & non affectatã, adhuc suppositа tali diuisione, ponit cõclusionẽ, quod ignorantia consequẽs causat inuoluntariũ secundùm quid, in quãtum talis ignorantia remouet scientiam, quæ si adesset, non operaretur: sed vtraq; ignorãtia, non affectata & affectata, sic remouet scientiã, quòd illa stante, non operaretur: ergo vtraque ignorãtia hac ratione habet causare inuoluntariũ secundùm quid. Secundò probatur. Tunc actus est secundũ quid inuoluntarius, quãdo admiscetur ei actus cõtrarius conditionatus, quia si adesset scientia, nõ operaretur; hoc enim est de ratione ignorãtiæ consequentis: ergo operatio ex quacunq; ignoratia consequenti inuolũtaria secũdũ quid est. Tertiò probatur. Eo modo quo est ignorãtia antecedẽs, causat voluntariũ, quia, vt dictũ est, de ratione ignorãtię antecedẽtis est, causare inuoluntariũ: sed ignorãtia cõsequẽs, & qualiscũq; illa sit, aliquo modo causans ad aliquẽ actũ Volũtatis requisitũ ad opus est aliquo modo, antecedens vt statim explicabitur; ergo qualiscũq; ignorãtia cõsequẽs aliquo modo causat inuolũtariũ. Cõfirmatur quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita debet se habere secũdũ quid ad secũdũ quid: sed ignorãtia simpliciter antecedens causat simpliciter involũtariũ: ergo ignorãtia secũdũ quid antecedens, qualiscũq; cõsequẽs, causabit inuolũtariũ secũdũ quid.

Ad argumentum pro sententia Medinæ respondetur, negãdo consequẽtiam; si cut enim metus licèt simpliciter sit inuolũtarius, facit tamen operationẽ ex metu voluntariã simpliciter, vt suprà diximus: ita è conuerso licèt ignorantia cõsequẽs sit simpliciter volũtaria, nõ tollit quòd si ad esset scientia, non sic operaretur: vnde ex hac parte nũquã potest tollere quòd ille actus sit secundùm quid inuoluntarius.

Ad argumenta sententiæ aliorũ respõdetur, bene cõpati, quòd aliqua ignorãtia cõsequens affectata augeat voluntariũ, tã secundùm rationẽ communem voluntarij, quàm secundũ rationem perfectã liberi; & nihilominus causare inuoluntariũ.

Nota. Pro cuius intelligentia notandum est, quòd, vt dictũ est, ignorãtia consequẽs ex propria ratione habet causare inuoluntariũ secundũ quid; in quo distinguitur ab antecedẽte causante inuoluntariũ simpliciter. Quòd tamẽ ignorãtia cõsequens caret inuolũtariũ secundũ quid, non cõsistit in indiuisibili, sed habet magis & minus causare inuolũtariũ secũdũ quid in quãtũ magis aut minus habuerit talis ignorantia cõsequẽs esse voluntariã. Cùm ergo affectata sit magis voluntaria, quã nõ affectata, adauget voluntariũ & liberũ in operatione: manẽdo tamẽ semper cũ aliquo inuoluntario secũdùm quid, quod omnino excludere non potest, cùm semper sit operatio ex ignorantia tollente scientiã, quæ si adesset, talis operatio non fieret: & sic

Corollar. Ex dictis sequitur, quòd cæteris paribus, semper operari ex ignorãtia, etiã consequẽti, minuit peccatũ; aliqualiter enim est reuerentiã exhibere legi, velle illã ignorare vt peccet; & magis inuerecundũ, illa ante oculos proposita delinquere. Dixi cæteris paribus, quia quãdo affectatur ignorãtia, ne cohibeatur per scientiã à delectatione, tunc maior affectus auget peccatũ: & licèt ignorantia aliqualiter minuat, plus tamen augetur ex nimio affectu quo vult ignorare, quã diminuatur ex ipsa ignorãtia: & sic possunt cõcordari oppositæ sentẽtiæ: dicit enim D. Tho. q. 76. ar. 4. & Dur. 2. d. 22. q. 4. quòd opus ex prædicta ignorãtia est grauius. D. autẽ Bon. 2. d. 22. p. 2. ar. 1. q. 3. & Almain. 1. Moraliũ, c. 4. & Angest. c. 6. §. 7. dicũt, peccatũ esse minus graue: cõponũtur enim, quia D. Th. loquitur absolutè, quia affectus magis aggrauat. Alij autẽ loquũtur ex parte ingnorãtię, qđ est secundùm quid; & sic est verum.

D. Thom. Durand. D. Bonau. Almain. Angest.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum à principio respondetur, quòd ignorãtia antecedens

& cõsequens in eo cõueniunt, quòd vtraque remouet scientiã, quæ si adesset, non faceret id quod facit ex ignorãtia. Est tamẽ differentia, quòd scientia quã remouet ignorantia antecedens, id tantũ faceret, vt nõ fieret id quod fit ex ignorantia, in quãtum talis scientia manifestaret & ostenderet repugnantiam quã habet Voluntas ad id quod fit ex ignorantia, quã repugnantiam non videt, qui ex ignorantia tali operatur defectu talis scientiæ, per quã illa repugnantia deberet manifestari. Sciẽtia autem quã remouet consequens, non impediret id quod fit ex ignorantia, per hoc q manifestaret aliquam repugnantiã, quæ esset in tali operante ex ignorantia; sed per hoc quòd per talem scientiã præsentẽ moueretur operans ad oppositũ huius quod modò facit, & haberet repugnantiã; non tamen habet illam, quando modò ex ignorantia operatur. Itaq; scientia excluſa per ignorantiã antecedẽtem manifestaret repugnantiã existentẽ, quam ex ignorãtia non videt, & ideò sic operatur. Scientia autem excluſa per ignorantiã consequentẽ, incitaret ad oppositum, & ex tali scientia insurgeret repugnantia; non autẽ est talis repugnantia, quando ex ignorantia operatur. Cùm ergo secundùm D. Thom. infrà. q. 76. ar. 3. inuoluntarium sit per ordinẽ ad repugnantiã, & oppositam inclinationẽ Voluntatis; eo modo quo est repugnãtia, erit & inuoluntariũ; quia ergo cũ ignorantia antecedenti est repugnantia & oppositã inclinatio per ignorantiam occultata, quod fit ex tali ignorantia, est simpliciter inuolũtariũ, quod autem fit ex ignorantia consequenti, non est contra inclinationem oppositã & repugnantiam, quæ modò fit, & per ignorantiã nõ videatur, sed contra repugnantiam quæ foret, si adesset scientia; vnde cùm talis repugnantia sit conditionata solùm, tantùm potest facere inuoluntarium secũdùm quid. Ad confirmationem respondetur, quòd in illo casu ignorantia potest esse de duobus. Primò, vtrùm occisus sit homo, vel non. Secundò, vtrùm sit eius pater: vnde dupliciter potest esse volũtaria; vel vtroq; modo, quia respectu vtriusque nõ facit diligẽtiam; vel tantùm potest esse volũtaria primo modo, quia non fecit diligentiam ad primum, fecit autẽ ad secundum, vel quia fuit affectata circa primũ, non autem circa secũdũ. Dico ergo, q illa occisio potuit esse volũtaria in ratione occisionis hominis, & inuolũtaria in ratione occisionis patris; & tũc quãdo cognito patrẽ esse occisum, dolet ille dolor est signũ parricidij inuoluntarij, nõ autem inuolũtarij homicidij. Si autem respectu vtriusq;, ignorãtia fuit volita per negligentiam culpabilem, licet aliàs quando cognito esse patrẽ occisum, dolet, ille dolor non causatur ex inuoluntario parricidio, quia, vt diximus, parricidium fuit voluntariũ; sed causatur ex præsenti apprehensione deformitatis, vel affectus paterni; vel aliàs ex alia causa modò inducente tristitiam.

D. Thom.

Ad conf.

Ad secundũ argumentũ respondetur, quòd in eo quod operatur per ignorantiã cõsequentem, est duplex motus; alter Voluntatis, quo vult ignorantiam; alter verò quo ex ignorantia vult talem effectũ, nẽpe occisionem hominis per sagittationẽ: talis ergo ignorantia respectu primi motus est consequens, cùm habeat rationem obiecti respectu illius: respectu autem secundi motus vel effectus habet se antecedenter, & non omnino antecedenter, quia & ipse effectus subsequutus virtualiter fuit volitus in volitione ipsius ignorãtiæ, ad quã postmodũ sequitur in ratione effectus. Hac ergo ratione ista ignorantia solũ potest causare inuolũtariũ secundũ quid, quia tantũ secundũ quid est antecedens: ignorantia vero antecedens, omnibus modis est antecedens, quia nullus actus Volũtatis præcessit circa ipsam, sed tantùm est motus Volũtatis circa effectũ, quẽ cũ omnibus modis præcedat ignorãtia, omnibus modis causat inuoluntarium in illo. *Ad 2. arg.*

Ad tertium argumentum respondetur ex dictis, qualiter ignorãtia etiã affectata causet inuoluntariũ secundũ quid; licèt sit omnino ipsa volũtaria, quatenus, licet affectata, remouet scientiã, quæ si adesset, non fieret quod fit ex tali ignorãtia. Ex hac ergo parte importat repugnantiã cõditionatã, non ad ignorantiã quæ absolutè est volita, sed ad effectũ, quia nõ fieret, si talis adesset scientia: vnde respectu effectus importat inuoluntariũ secundùm quid, manente ignorantia voluntaria simpliciter. Ad confirmationẽ, patet ex dictis in vltima cõclusione, & solutione Medinæ argumenti & aliorũ. Ad secundã confirmationem respondetur, quòd etiam si ignorãtia prauæ electionis proueniat ex habitu vel passione, effectus tamen subsequutus ex tali ignorantia, est inuoluntarius secundùm quid, non ratione habitus vel passionis *Ad 3. arg.*

Ad confi.

Ad secundam confirmationẽ.

sionis potiùs conducentis ad voluntariũ, sed ratione ignorantiæ remouentis scientam, quę si ad esset, &c. ratione cuius, vt dictum est, inuoluitur repugnantia conditionata sufficiens ad inuoluntarium secundùm quid in effectu.

Circa tertiam conclusionem D. Tho. aduertendum est, quòd quando diximus, quòd in operante ex ignorantia antecedẽti, ideo est inuoluntarium simpliciter, quia est actualis repugnantia, & opposita inclinatio ad id quod ex ignorantia facit, non intelligendum est esse talem repugnantiã, & oppositam inclinationem formaliter, sed sufficit esse virtualiter & interpretatiue; quod tamen fieret formaliter, si scietia adesset, & expelleretur ignorantia: & ex isto actu formali oppositio, qui esset aduenientе scientia, colligitur quòd stante ignorantia, & absente scientia, adhuc est illa repugnantia actualiter, licèt solùm virtualiter & interpretatiuè; in quo distinguitur ab ignorantia concomitante, quòd quando adest ignorantia talis, & abest scientia oppositа, non solùm non est oppositа inclinatio & repugnantia formaliter, sed neque actualiter interpretatiuè vel virtualiter, sed tantùm est talis repugnantia interpretatiua in potentia, quæ foret, si adesset scientia, non tamen quæ sit.

Hoc supposito, ratio D. Tho. pro hac conclusione est manifesta; nam ad voluntarium requiritur scientia, & non esse inclinationem contrariam: cùm ergo ignorantia antecedens omnino tollat scientiã, & cum illa simul sit oppositа inclinatio & repugnantia, omnino tolletur voluntarium, & absolutè facit inuoluntarium, ita vt opus ex tali ignorantia, nullũ est peccatũ. *Nota.* Et notandũ, eodem prorsus modo debere loqui de inconsideratione atque de ignorantia: est enim inconsideratio, quædam ignorantia actualis, & sic debet diuidi in antecedentem, concomitantem, & consequentem, &c. Quapropter frustra seorsum de hoc consumit tempus Salas hic tractat. 3. disput. 4. sectio. 3. post ignorantiam disputans de inconsideratione. Solet autem disputari, vtrùm prædicta ignorantia causet inuoluntarium per se, vel per accidens. Sed hoc dubium pertinet ad illam quæstionem *Caiet.* 76. artic. 3. vbi Caietan. dicit, secundùm vtramque rationem esse causam; si enim prædicta ignorantia sumatur formaliter, vt negatio est scientiæ, sic est remouens prohibens, & causa per accidens: si autem sumatur materialiter & priuatiuè, sic est causa per se. Sicut enim scientia & ignorantia contrariantur, sic & voluntarium & inuoluntarium: vnde sicut voluntarium habet scientiam vt causam per se; ita & inuoluntarium habet vt causam per se ignorantiam; quia contraria à contrarijs per se debent causari. Alij disputare solent, qualiter prædicta ignorantia possit esse causa per se, cùm sit priuatio, & causa debeat habere influxum, quẽ priuatio habere non potest; quia inuoluntarium est aliquid positiuum, & consequenter causam positiuam debet habere. Magister tamen Zumel in illo arti- *Zumel.* culo 3. citato respondet per distinctionem, quòd si inuoluntarium sumatur positiuè, sic non potest esse effectus per se ignorantiæ; cùm ista sit aliquid rationis, & influxum positiuum in effectum habere non possit; sed sic tantùm ignorantia erit causa per accidens, & remouens prohibens, vt dixit Caiet. Si autem voluntariũ sumatur priuatiuè, sic potest dici quòd ignorantia est causa per se illius, eo modo quo priuatio vnius formæ, est causa per se priuationis alterius; vt priuatio lucis, est causa priuationis visionis; quia ad hoc non requiritur influxus positiuus, sed quòd auferat formam requisitam ad contrarium.

Vltimò solet dubitari, vtrùm prædicta ignorantia irritet contractus. Ad quod tamen respondetur, quòd talis ignorãtia antecedens potest esse circa substantiam rei de qua sit contractus, vel circa accidens illius. Si primo modo, talis contractus irritatur, non autẽ si tantùm sit ignorantia secundo modo. Verbi gratia, Cõtrahit quis cũ ancilla, existimans esse liberam; aut cũ vna persona, verbi gratia, Ioanna, putans esse Catharinã; huiusmodi contractus est nullus, quia est ignorãtia circa substantiã rei. Similiter si emat equũ habẽtem aliquẽ defectum notabilẽ occultum ad vsum ipsius equi; cõtractus est nullus, quia talis defectus reputatur circa substãtiã rei emptę. Si autẽ ignorantia sit circa accidentia, nõ irritatur cotractus; vt si nubat cum Maria, putans esse diuitẽ, aut virginem, aliàs non nupturus, cùm tamen sit pauper & corrupta. Similiter si quis tribuat eleemosynam pauperi existimans esse virũ studiosum; si tamen sit pauper, donatio facta tenet. Similiter si quis ingrediatur Religio-

nem, habens infirmitatem occultam, quæ si sciretur, nō admitteretur: hoc totum est validū, quia in his omnibus ignorantia est circa aliquid accidentale: si autem pauper non est, sed simulatus, donatio est inuolūtaria & nulla, & pauper simulatus tenetur restituere. Alia magis in particulari tractantur (quæ ad dubium conducunt) in materia de Matrimonio, & in materia de Contractibus: ibi videātur, & interim hic Salas sectione vltima, vbi multa vera cum falsis habet congesta.

Salas.

Not. 1. Denique circa diuisionem ignorantiæ supra positā sunt duo notanda, circa illā diuisionem ignorantiæ, quòd alia est vincibilis, alia inuincibilis. Primò notandum, quòd licèt omnis inuincibilis tollat rationē peccati, non tamē omnis vincibilis est peccatū, quia esse vincibilē, tantùm dicit quòd quis possit habere scientiā, & excludere talē ignorantiā: ad peccatū autem nō sufficit posse, sed requiritur teneri; vnde esse vincibilē, & posse, nō sufficit ad peccatum, licèt id requiratur. Exēplum est in Iacob, qui de facili posset cognoscere Liā, afferendo lucernam; vel attendēdo ad loquellam eius; vnde talis ignorātia vincibili erat, quia poterat illā excludere; quia tamen non tenebatur pro tunc id facere, nō peccauit. Similiter multa sunt de contractibus, quæ de facili scire possetis me interrogando, & per consequens talis ignorantia vincibilis est; quia tamen ad interrogādum modò non tenemini, talis ignorantia in vobis modò nullū est peccatum: esset autē peccatum, si adesset occasio audiendi confessionem, & quod in hac parte ignoratis, non interrogaretis: quia tunc iam tenemini. Immò etiā si non esset occasio audiendi confessionē, si tamē veniatis ad officiū cōfessarii, tenemini multa scire & interrogare, vt sitis sufficiētes reddere rationē omni poscenti: vnde tūc ignorare quæ regulariter sunt scienda, & aliàs esse expositū ad audiendas confessiones; esset in statu peccati mortalis. Similiter qui negotiatur, & semper vendit numerata pecunia, determinatus nunquā vēdere ad creditū, etiam si ignoret vtrùm sit peccatū, vel nō, vendere cariùs ad creditum, quàm numerata pecunia non peccat; quia licèt possit scire & interrogare, non tenetur. Si autem oblata occasione sic vendēdi, nō interrogaret, peccaret; quia iam tunc tenebitur scire.

Not. 2. Secundò notandū circa alteram diuisionem ignorantiæ, quòd alia sit iuris, & alia facti, quòd vt admonet Caiet. si quis sit timoratæ conscientiæ, & scit illa quæ ex iure tenetur scire, & taliter paratus, quòd nullo modo vellet peccare sciēter, tunc si aliquando in facto ipso ignoret, vel ex obliuione, vel ex inaduertētia, & faciat aliquid lege prohibitū, certè excusatur, & talis ignorantia reducitur ad antecedentē; quia nullo modo est volita: si quidem supra hominis est facultatē in omni opere aduertere ad omnia, & omnium faciliter reminisci. Sit exemplū, si virbonus & doctus, qui aliàs scit aliquem contractū esse vsurariū, aut Simoniacum, sed quodam casu occurrente nō recolit nec meminit, sed oblitus est, nec consultauit talē contractum, tunc excusatur, quia non est in potestate hominis habere in promptu vsum totius scientiæ; vnde tunc neq; peccat, neque incurrit excommunicationē, nec pœnam latā contra tale flagitium. Secus autē esset, si id contingeret in homine qui solet præcipitare sententiam; aut si res est tam grauis, quòd maiorē debuit adhibere diligentiam; aut si res est tam manifesta, quòd ex inaduertentia nō excusetur: tunc enim peccabit, etiā ex obliuione repētina, nisi forsan esset pure naturalis. Similiter dicendum est de illo qui salutat ex inaduertentia, aut loquitur cum excommunicato, vel celebrat coram ipso. De his tamen latiùs infrà, quæst. 76. Et hæc de hac quæstione.

Caiet.

QVÆSTIO VII.

De circunstantijs humanorum actuum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm circunstantia sit accidens actus humani.

AD primum sic proceditur. Videtur quòd circunstantia non sit accidens actus humani. Dicit enim Tullius in Rhetoricis, quòd circunstantia est per quam argumētationi authoritatem & firmamentū adiungit oratio: sed oratio dat firmamentum argumentationi, præcipuè ab his quæ sunt subiecta rei, vt definitio,

finitio, genus, & species, & alia huiusmodi, à quibus etiã Tullius oratorẽ argumẽtari docet: ergo circũstãtia non est accidens humani actus.

In Topi.

Secundò præterea. Accidentis proprium est inesse: quod autem circunstat, non inest, sed magis est extra: ergo circunstantiæ non sunt accidentia humanorum actuum.

Tertiò præterea. Accidentis nõ est accidens: sed ipsi humani actus sunt quædam accidentia: nõ ergo circunstantiæ sunt accidentia actuum.

Sed contra. Particulares conditiones cuiuslibet rei singularis dicuntur accidentia indiuiduantia ipsam: sed Philosophus in 3. Eth. circunstãtias nominat particularia, ideſt, particulares singulorũ actuũ cõditiones; ergo circunstantiæ sunt accidentia indiuidualia humanorum actuum.

Cap. 1. ante me. & pos. tom. 5.

Respondeo dicendum, quòd quia nomina secũdum Philosophum sunt signa intellectuum, necesse est, quòd secundùm processum intellectiuæ cognitionis sit etiã nominationis processus. Procedit autem nostra cognitio intellectualis à notioribus adminus nota: & ideò apud nos à notioribus nomina transferuntur ad significandũ res minùs notas; & inde est, quòd sicut dicitur in 10. Metaph. ab his, quæ sunt secũdum locum, processit nomẽ distantiæ ad omnia cõtraria: & similiter nominibus pertinẽtibus ad motũ localẽ vtimur ad significandũ alios motus, eò quòd corpora, quæ loco circũscribuntur, sunt maximè nobis nota: & inde est, quòd nomẽ circunstantiæ ab his quæ in loco sũt, deriuatur ad actus humanos. Dicitur autẽ in localibus aliquid circũstare, quod est quidẽ extrinsecũ a re, tamẽ attingit ipsam, vel appropinquat ei secũdum locũ, & ideò quæcũq; conditiones sunt extra substantiã actus, & tamẽ attingunt aliquo modo actũ humanũ, circũstãtiæ dicũtur. Quod autẽ est extra substãtiã rei ad rem ipsam pertinens, accidens eius dicitur: vnde circũstãtiæ actuũ humanorũ, accidẽtia eius dicẽda sũt.

Lib. 1. perih. ca. 1. tom 1.

Text. 13. & 14. to. 3

Ad primũ ergo dicẽdũ, quòd oratio quidẽ dat firmamentũ argumẽtationi; primò ex substãtia actus, secũdariò verò ex his quæ circunstant actũ. Sicut primò accusabilis redditur aliquis ex hoc, quòd homicidiũ fecit: secũdariò verò ex hoc quòd dolo fecit, vel propter lucrũ, vel in tẽpore, vel in loco sacro, aut aliquid huiusmodi, & ideò signanter dicit, quòd per circũstantiam oratio argumentationi firmamẽtum adiungit, quasi secundariò.

Ad secundũ dicẽdũ, quòd aliquid dicitur accidens alicuius dupliciter. Vno modo, quia inest ei, sicut albũ dicitur accidens Socratis. Alio modo, quia est simul cũ eo in eodẽ subiecto: sicut dicitur, quòd albũ accidit musico, in quantũ conueniunt, & quodãmodo se contingunt in vno subiecto: & per hunc modum dicuntur circũstantiæ accidentia actuum.

Ad tertiũ dicẽdũ, quòd sicut dictũ est, accidens dicitur accidenti accidere propter cõuenientiã in subiecto: sed hoc cõtingit dupliciter. Vno modo, secũdũ quòd duo accidentia cõparãtur ad vnũ subiectũ absq; aliquo ordine, sicut albũ & musicũ ad Socratẽ.

In sol. præced.

Alio modo cum aliquo ordine, puta quia subiectum recipit vnum accidens alio mediante, sicut corpus recipit colorem mediante superficie, & sic vnum accidens dicitur etiam alteri inesse. Dicimus enim, colorem esse in superficie. Vtroque autem modo circunstantiæ se habent ad actus: nam aliquæ circunstantiæ ordinatæ ad actum, pertinent ad agentem non mediante actu, putà locus & conditio personæ; aliquæ verò mediante ipso actu, sicut modus agendi.

Conclusio est affirmatiua.

DVBIVM.

Vtrùm litera Diui Thomæ verum habeat.

1. *Argu.* PRobatur quòd non. Primò sicut suprà; nam accidens non tribuit speciem substantialem: sed circunstantia multoties tribuit illam: ergo circunstantia non est accidens. Minor probatur in circunstantia Quid, quæ nominat substantiam & essentiam ipsius actus; vt si quis occidit hominem, hominẽ occideret, & non belluam; est substantia homicidij, cùm tamen sit circunstantia Quid. Similiter probatur, nam circunstantia loci sacri constituit furtum vel homicidium in specie sacrilegij. Similiter circunstantia Quis, vt si qui fornicatur sit laicus solutus, est simplex fornicatio; si coniugatus, adulterium; si Sacerdos aut Monachus, est sacrilegiũ. Similiter probatur in circunstantia Quid vel Circa quid, nam si occidatur homo, est homicidium: si pater, parricidium: si clericus, sacrilegium: si habeat rem cum soluta, est simplex fornicatio; si cùm coniugata, adulterium: si cum virgine, stuprum; si cũ consanguinea, incestus. Similiter patet in circunstantia Quomodò; nam si coniunctio masculi & fœminæ sit in proprio vase, erit fornicatio; si verò extra vas, erit peccatum contra naturam. Similiter patet in circunstantia Cur, quę est finis; nã, vt suprà diximus q. 1. ar. 3. actus humani ex fine specificantur; immò & aliquando finis variat genus actionis moralis, mutando de bono in malum; vt quando quis dat eleemosynã propter vanam gloriam. Confirmatur argumentum, nam causæ sunt de essentia actus; actus enim nequit fieri nisi per causas: cùm ergo illæ circunstantiæ sint causæ actus, ad essentiam eius videntur pertinere. *Confirm.*

Secundò arguitur; nã circunstantia vel est volita ab operante, vel non. Si sit volita, habet rationem obiecti, & consequenter pertinet ad substantiam, quia substantia actus humani ex obiecto desumitur. Si autem non sit volita, est extra genus actus moralis, & sic non erit substantia, nec accidens actus humani; cùm actus humanus sit in genere moris: nunquã ergo datur quòd circunstantia sit accidens. 2. *Arg.*

Tertiò arguitur contra solutionem ad secundum Diui Thomæ. Tempus & locus non subiectantur in actu humano, neque in subiecto actus humani: ergo illa doctrina est falsa. Antecedens patet ex Physicis, nam tempus subiectatur in primo mobili, & locus in corpore circunstante. 3. *Arg.*

Propter hæc argumenta Vazquez disput. 30. cap. 2. ait, non omnes circunstantias hic enumeratas esse accidentia, sed aliquas ad substantiam actus pertinere, vt infrà magis explicabitur, art. 3. *Vazquez.*

Pro intelligentia notandum. Primò, rectum ordinem seruare D. Tho. cùm vsq; adhuc egerit de substantia actus humani, quæ consistit in hoc quòd actus sit perfectè voluntarius; modo verò tractat de accidentibus actus humani, quales sunt circũstantiæ, quem ordinem seruauit Aristot. 3. Ethic. cap. 3. vbi loquens de ignorantia, meminit & de circunstantijs, quia non solùm inuoluntarium causatur ex ignorãtia substantiæ, sed etiam ex ignorantia circunstãtiarum illius. De qua etiam materia nõ solùm tractat D. Thom. & Aristot. sed etiam Damas. lib. 2. Fidei Orthodoxę, cap. 24. & Nyssenus lib. 5. suæ Philosophiæ cap. 5. & 2. & Scholastici in 4. dist. 13. & D. Th. dis. 16. q. 3. Sot. dist. 18. q. 2. ar 4. Dur. dist. 17. ar. 3. q. 5. Gab. in 3. dist. 23. q. 1. Almain. 1. Moral. c. 6. Conradus & Thomistæ super istum articulum, & Syluester in sua Summa, verbo Circunstantia. 1. *Not.* *Aristot.* *Damas.* *Nyssenus.* *D. Thom.* *Durand.* *Gabri.* *Almain.* *Sylvest.* *Soto.* *Conrad.*

Secundò notandum, quòd circunstantia multipliciter potest considerari. Primò absolu- 2. *Notan.*

absolutè & in communi, in quantum sunt accidentia actus humani intra substantiam & essentiam illius. Secundo modo consideratur in quantum circunstantia conducit ad bonitatem & malitiam actus humani, vel aggrauando vel minuendo malitiã vel bonitatem eius. Tertio modo consideratur circunstantia, prout pertinet ad confessionem, quatenus hæc vel illa circunstãtia sit explicanda, & qualis taceri possit. In prima consideratione agitur hic de circunstantijs. In secunda autem consideratione agitur infrà, q. 18. art. 10. & 11. & quæst. 73. art. 7. & q. 88. art. 5. In tertia autem consideratione agitur in 4. dist. 16. & duabus sequentibus, & in additionibus ad tertiam Partem, vbi agitur de integritate Confessionis.

3. Not. Tertiò notandum est, quòd in moralibus procedendum est sicut in naturalibus: vnde sicut in naturalibus quædam sunt in quibus essentia rei consistit; alia verò quæ sunt extra essentiam, & ei accidunt; vt rationale pertinet ad essentiam hominis, risibilitas autem vel quantitas ei accidunt: sic etiam in actibus humanis, verbi gratia, datio eleemosynæ habet aliquid pertinens ad essentiam, scilicet subleuationem miseriæ; quòd verò sit in magna vel parua quãtitate, data viro aut fœminæ, in hoc vel in illo loco, accidunt eleemosynæ, & huiusmodi accidentia vocantur circunstantiæ, desumpta analogia de corporibus existentibus in loco, de quibus propriè dicitur circunstantia, à circunstando; indeque translatum est hoc nomen ad alia prædicta; sicut & distantia propriè est eorum quæ sunt in loco, transfertur tamen ad alia; & dicitur, nigredinem distare ab albedine, & Angelum ab homine. Sic etiam præter D. Thomam explicat circunstantiam D. Bonauentura 4. dist. 16. dub. 9. circa literam. Richard. dist. 17. art. 3. q. 5. Soto dist. 18. q. 2. art. 4. Almain tract. 1. Moralium, cap. 6. Syluester verbo Circunstantia. Qua propter in hac parte fallitur Vazquez disput. 30. cap. 2. dicens, quòd licet hęc explicatio non sit reprobanda, est tamen longè ab Aristot. qui 3. Ethic. cap. 1. quas Theologi appellant circunstantias, ipse ponit vt ad substantiam actionis conducentia. Fallitur (inquam) quia licèt Aristoteles non curauerit distinguere, sed numerare omnia quæ ad bonitatem vel malitiam conducunt, non separando substantialia ab accidentalibus: meritò tamen Theologi in prædicta separatione laborauerunt, vt possint ferre iudicium de vnitate vel multiplicitate bonitatis vel malitiæ, & possint seorsum iudicare de bonitate essentiali & accidentali actus humani.

D. Bona. *Richard.* *Soto.* *Almain.* *Sylvest.* *Vazquez.* *Impugna.*

4. Not. Vltimò notandum, circunstantiam esse in duplici differentia. Quædam quæ pertinet ad genus moris, aggrauans aut excusans actum, faciensque meliorem aut peiorem in genere moris. Alia verò quæ ad nihil eorum pertinet; vt fieri furtum dextra aut sinistra, vespere aut mane. Prima circunstantia pertinet ad considerationem Philosophi moralis & ad nostram Theologicam; alia verò minimè.

Conclus. Conclusio Diui Thomæ est certa, loquendo de circunstantia formaliter in ratione circunstantiæ: & probatur primò. Circunstantia sic considerata semper est extra essentiam actus humani: ergo vt sic, semper est accidens illius. Antecedens probatur, quia vt locans præsupponit locatum quoad substantiam constitutum; similiter circunstans, id quod circunstat & ambit: ita circunstantia actus humani præsupponit ipsum actum humanum: ergo est extra eius essentiam. Hanc rationem acceptant Doctores citati qui de hac materia agunt: immò & Vazquez qui rationes Diui Thomæ repudiat, quia illas non capit, hanc vt claram acceptat. Secundò probatur. Furto vt sic, essentialiter solùm competit quòd sit acceptio rei alienæ inuito domino: ergo quòd sit in parua vel magna quantitate, accidit illi: esse autem in magna quantitate, est circunstantia: ergo circunstantia vt sic, accidit.

Dubitatio Explicãdi

Solùm autem habet difficultatem, explicare, qualiter circunstantia sit accidens, & respectu cuius subiecti rationem accidentis habeat. In quo faciliter respondetur secundùm sententiam Durandi, inquit enim in quarto, distinctione 16. quæstion. 3. quòd actus moralis dupliciter potest considerari. Primò secundùm naturam in genere entis. Secundò in genere moris. Verbi gratia, occidere hominem, potest considerari in genere entis, quatenus est idem quod auferre vitam ab homine, abstrahendo ab hoc quòd fiat secundùm rectam aut dissonam rationem; sed vt possit fieri à bellua, vel à dormiente, vel ebrio. Consideratur autem in genere moris, prout est bonus vel malus actus moraliter. Dicit autem Durandus,

Durandi.

quòd circunstantiæ dicuntur circunstantiæ & accidentia actus, non secundum quòd actus est in genere moris; huius enim non sunt accidentia extra substantiam, sed intra substantiam illius; sed sunt accidentia respectu actus, prout actus est in genere entis: sic enim bene patet, quòd circunstantia est accidens, seu conditio adiacens actui extra substantiam illius; vt occisio in loco sacro; manifestum est enim quòd occisio in loco sacro, est accidens occisionis, quanuis non sit accidens sacrilegij. Sed hæc explicatio manifestè videtur contra Aristotelem, & Ciceronem, quia in tertio Ethicorum, capitulo primo, tractat de circunstantijs, vt augent, vel minuunt, vel variant bonitatem vel malitiam actus moralis in genere moris. Item est contra Diuũ Thomam hic ad tertium, vbi ait, quòd cùm quis furatur pecuniam, pecuniam illam esse alienam, non est circunstantia furti, sed substantia actus; quod quidem est in genere moris: & tamen secundum Durandum esset circunstantia, quia est extra substantiam naturalem ipsius actus; quia secundum naturam ipsius actus est accipere pecuniam propriam vel alienam inuito vel volente domino: vnde talia vt accidẽtia reputarentur.

2. *Explic.* Secundus modus dicendi est, quòd ea quæ humanum actum circunstant, sunt in triplici differentia. Quædam impertinentia, quæ non variant respectum ad rectam rationem, nec augent nec minuunt qualitatem humani operis; vt occidere hominem dextra vel sinistra, mane vel vespere; & hæc propriè vocantur circunstantiæ operis in genere naturæ, non autem in genere moris. Quædam sunt circunstantiæ pertinentes ad actum humanum in genere moris, quæ in duas partiuntur: quædam variantes valorem humani actus, mutando genus aut species moris; vt circunstantia in loco sacro in homicidio vel furto: & malus finis in quocunque opere, reddens actionem malam quæ de se bona erat; vt dare eleemosynam propter vanam gloriam: quædam autem sunt quæ minuunt vel augent qualitatem operis intra eandem speciem moralem; vt quòd in furto quantitas sit magna vel parua, aut quòd actus intensè aut remissè fiat. Hoc supposito, hic modus loquendi sic asserit, quòd quanto D. Thomas ait, quòd circunstantia est accidens operis humani, loquitur de circunstantia quæ intra eandem speciem minuit vel auget; nam quæ speciem variat, transit in rationem obiecti, & sic iam non est circunstantia. Quæ explicatio videtur colligi ex Diuo Thoma infrà, quæstione 18. articulo 3. vt ibi interpretatur Caietanus.

3. *Explic.* Tertiò clariùs explicatur prædicta doctrina Diui Thomæ, quòd omnes circunstantiæ, siue mutent, siue non mutent speciem, sunt accidentia humani actus. Pro quo supponendum ex supra dictis quæstione prima articulo tertio, quòd actus moralis aliquando habet geminam speciem, alteram substantialem, primariam & inuariabilem; & hæc dicitur proxima: alteram verò secundariam, accidentalem & variabilem; vt quando quis occidit hominem ad illum deprædandum, ille actus habet geminam speciem; est enim in specie homicidij, & similiter in specie furti. Prima & proxima species desumitur à primo obiecto & proximo fine. Secunda verò species desumitur ab alio fine remoto furti, quanuis illè sit præcipuus finis operantis. Prima species est naturalis actui & inuariabilis, prout semel exijt ab agente. Secunda est accidentalis & variabilis; accidit enim homicidio quòd destinetur ad prædandum vel adulterandum cum vxore occisi; potest enim sine illis reperiri. Dicendum ergo est ad dubium, quod licèt aliquando circunstantia det nouam speciem; illa tamen est accidentalis & superadiecta, & extra substantiam actus moralis, prout est in proxima & primaria specie moris. Et si contra facias argumentum, quia in rebus naturalibus nunquam desumitur species ex accidentibus: ergo neque in moralibus: Respondetur primò, quòd etiam in naturalibus aliqua species accidentalis desumitur ex accidentibus, vt quod substantia sit alba & pulchra. Secundò respondetur, quòd res naturalis constituitur in specie per formam substantialem, quæ, re ipsa permanente, variari non potest. Cæterùm res moralis constituitur in specie, ex fine & ex intentione Voluntatis, quæ variatur ex beneplacito ipsius Voluntatis; & sicuti figura artificiosa nunc habet figuram cathedræ, nunc autem scamni, pro voluntate artificis; ita res moralis nunc habet speciem boni, nunc mali, nunc autem duas species, non solùm in genere naturæ

Obiectio.

1. *Solutio.*

2. *Solutio.*

naturæ, sed etiam moris, secundum diuersum respectum ad id quod subintrat rationem alterius obiecti. Vnde tanquàm regulæ habendæ sunt duæ propositiones. Prima, quòd nulla dicitur circunstantia respectu illius actus quem constituit, aut in noua specie respectu talis speciei quam constituit, aut ex magna malitia vel bonitate respectu illius magnæ malitiæ; vt patet in exemplis suprà allatis. Locus sacer constituit furtum in specie sacrilegij; vnde locus sacer respectu sacrilegij, non est circunstantia, sed potiùs substantia. Similiter furari magnam pecuniam, illam esse magnam, non dicitur circunstantia respectu magni furti, sed substantia eius. Secunda propositio sit, quòd omnis circunstantia, siue mutet, siue non mutet speciem, dicitur circunstantia respectu illius actus quem trahit vel ad aliam speciem, vel ad maiorem bonitatem vel malitiã: vt patet eisdem exemplis. Locus sacer licèt sit substantia sacrilegij, est circunstantia furti; & licèt magna quantitas sit substantia magni furti, est circunstantia furti. Hæc est conformis Diuo Thomæ hic ad tertiũ, vbi docet, quòd bonum fortitudinis, propter quod fortiter agitur, non est circunstantia actus fortitudinis, sed substantia: at verò ordinare illum ad bonum proprium, vel ad Fidem Christi defendendam, est circunstantia actus fortitudinis: quapropter propositio Diui Thomæ est intelligenda formaliter, quòd circunstantia secundùm quòd circunstantia, est accidens, quia non consideratur formaliter vt circunstantia, nisi respectu speciei præexistentis ex primario obiecto. Et per hoc patet

D. Thom.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum, quòd licèt multæ illarum circunstantiarum tribuant speciem; illa non est proxima & primaria, sed remota, & secundaria & accidentalis (vt dictum est.) Qualiter hoc sit intelligendum, vel respectu actus exterioris, vel interioris, iam suprà manet explicatum; vnde sigillatim de circunstantijs allatis in argumento dicitur. De circunstantia Quòd, optimè declarat Diuus Thomas, quòd illa non est ipsum obiectum principale, à quo dependet ipsa substantia operis, sed est aliqua conditio adiuncta ipsi; vt in furto, quòd res sit aliena, non est circunstantia Quid, sed quòd res aliena sit magna vel parua; & similiter in iniuria quantitas damni est circunstantia Quid. Vide Buridanum super tertium Ethicorum, quæstione 11. Similiter circunstantia Quis, non est ipsum agens, sed quædam conditio adiecta agenti; vt quòd sit Monachus, vel Episcopus; de qua etiam diximus, sicut de circunstantia loci, quòd si sit immediatè contra consecrationem, vel votum operantis, mutabit speciem; vt quòd Monachus fornicetur; aliàs autem solùm aggrauat intra eandem speciem; vt quòd Religiosus periuret vel blasphemet. Itaque siue sit circunstantia operantis, siue operationis, siue obiecti, non est substantia illorum, sed modus eis adiacens. Similiter circunstantia finis, non est ipsa substantia obiecti & finis operis tribuentis principalem speciem actui, sed est aliquid intrinsecum appositum ab operante in ratione finis; vnde finis operantis appellatur. Et similiter loquendum est in alijs circunstantijs.

Burid.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum respondetur, quòd circunstantia potest comparari, vel ad actum exteriorem, vel ad actum interiorem Voluntatis. Si comparetur ad actum exteriorem (verbi gratia, furandi,) est accidens respectu illius: si autem comparetur ad actum interiorem, quo vult furari in loco sacro; cùm talis circunstantia sit expressè & formaliter volita, habet rationem obiecti, & per consequens dat speciem illi actui, cùm actus ab obiecto specificetur, & per consequens illa circunstantia non habet rationem accidentis. *2. Solutio.* Secundò respondetur, quòd etiam respectu actus interioris habet locum distinctio circumstantiæ, quòd altera transeat in rationem obiecti specificantis, & sic non sit circunstantia: altera verò non transeat in rationem obiecti, sed maneat purè in ratione circunstatiæ, & ista etiam in ordine ad actũ interiorem erit accidens. Ad argumentum ergo respondetur, quòd voluntas tendit in obiectum & circunstantiam eo modo quo ipsa se habent inter se; in obiectum quidem tanquàm in id à quo sumitur substantia: in circunstantiam autem, tanquàm in modum illius. Quando autem instat argumentum, quòd si circunstantia est volita, habet rationem obiecti respectu talis volitionis, & per consequens specificat, & non est accidens: Respondetur, quòd ex eo quòd sit

sit volita circunstantia, tantùm sequitur, esse obiectum volitionis, vt obiectum dicit rationem termini; omnis enim terminus actionis vitalis, dicitur obiectum eius, non autem vt obiectũ importat id à quo sumitur substantia actus, sic enim actus licèt feratur supra vtrunque, diuerso tamen modo (vt dictum est) in alterum substantialiter, in alterum autem modaliter, vt in id quod afficit illud quod substantialiter est volitum; quod est ferri Voluntatem secundariò, nõ primariò, & vt esset obiectũ specificãs, deberet esse volitum primario, de quo latè infra, q. 18. art. 21.

Ad 3. arg. Ad tertiũ argumentũ respondetur ex D. Tho. in 4. dist. 61. q. 4. a. 1. quæst. 1. in corpore, quòd locus & tempus possunt considerari dupliciter. Primò, vt important motum mobilis primi, vel superficiem cõtinentis. Secundo modo, vt important cõmensurationem passiuam ad locum vel tẽpus. Licèt primo modo tempus & locus non sint in eodẽ subiecto atque actus humanus, bene tamen secundo; vt sic enim, esse in tali tempore vel loco, aliquid est in ipso locato vel mensurato tempore. Secũ-

2. Solut. dò respondetur, quòd licèt tempus & locus, physicè vel metaphysicè loquendo, non sint subiectiuè in operãte; moraliter tamen sunt in illo; nam aliter se habet moraliter iste operans, per hoc quòd operetur in hoc tempore vel loco, & non in illo: & hoc sufficit ad hoc vt dicantur circũstantiæ actus humani. Sed de hoc, vt diximus, latiùs q. 18 art. 11.

ARTICVLVS II.

Vtrùm pertineat ad Theologum agere de circunstantijs.

4 ſ. d. 16. q. 3. art. 1. q. 1. a. 1. & q. 2. cor.

SIC ad secũdum proceditur. *Videtur quòd circunstantiæ humanorum actuũ non sint considerandæ à Theologo. Non enim considerantur à Theologo actus humani, nisi secundum quòd sunt aliquales (idest) boni vel mali; sed circunstãtia non videtur posse facere actus aliquales, quia nihil qualificatur, formaliter loquendo, ab eo quod est extra ipsum, sed ab eo quod in ipso est: ergo circunstantiæ actuum non sunt à Theologo considerandæ.*

2. Præterea Circunstantiæ sunt accidentia actuum: sed vnius infinita accidunt, & ideò, vt dicitur in 6. Metaph. nulla ars vel scientia est circa ens per accidens, nisi sola Sophistica: ergo Theologus non habet considerare circunstantias humanorum actuum. *Tex. 4. tex. mo 3.*

3. Præterea. Circunstantiarum consideratio pertinet ad Rhetorem. Rhetorica autem non est pars Theologiæ: ergo consideratio circunstantiarum non pertinet ad Theologum.

Sed contra est, nam ignorantia circunstantiarum causat inuoluntarium, vt Damascenus & Gregorius Nyssenus dicunt: sed inuoluntarium excusat à culpa, cuius consideratio pertinet ad Theologum: ergo & consideratio circunstantiarum ad Theologum pertinet. *Lib. 2. ca. 24. libr. 5. cap. 2.*

Respondeo dicendum, quòd circunstantiæ pertinent ad considerationem Theologi triplici ratione. Primò quidem, quia Theologus considerat actus humanos secundùm quòd per eos homo ad beatitudinem ordinatur: omne autem quod ordinatur ad finem, oportet esse proportionatum fini. Actus autem proportionantur fini secundùm cõmensurationem quandam, quæ fit per debitas circunstantias: vnde consideratio circunstantiarum ad

Theolo-

Theologum pertinet. Secundò, quia Theologus considerat actus humanos secundùm quòd in eis inuenitur bonum & malum, melius & peius, & hoc diuersificatur secundum circunstantias, vt infrà patebit. Tertiò, quia Theologus considerat actus humanos secundùm quòd sunt meritorij vel demeritorij, quod conuenit actibus humanis, ad quod requiritur quòd sint voluntarij. Actus autem humanus, iudicatur voluntarius vel inuoluntarius secundùm cognitionem vel ignorantiam circunstantiarum, vt dictum est, & ideò consideratio circunstantiarum pertinet ad Theologum.

q. 18. a. 10. & 11. & q. 73. ar. 7

In arg. sed contra.

Cap. 7. circa princ. tom. 5.

Ad primum ergo, dicendũ, quòd bonum ordinatum ad finem, dicitur vtile, quod importat relationẽ quãdã. Vnde Philosoph. dicit in 1. Ethi. quòd in ad aliquid, bonum est vtile: in his autem quæ ad aliquid dicũtur, denominatur aliquod, non solũ ab eo quod ineſt, sed etiã ab eo quod extrinsecus adiacet: vt patet in dextro & siniſtro æquali & inæquali, & similibus, & ideò cũ bonitas actuũ sit in quantũ sunt vtiles ad finem, nihil prohibet eos bonos vel malos dici, secundùm proportionẽ ad aliqua quæ exteriùs adiacent.

Ad secundum, dicendum, quòd accidentia, quæ omnino per accidens se habent, relinquuntur ab omni arte, propter eorum incertitudinem & infinitatem: sed talia accidentia non habent rationem circunstantiæ, quia, vt dictum est, sic circunstantiæ sunt extra actum, quòd tamen actum aliquo modo contingunt ordinatè ad ipsum, accidentia autem per se cadunt sub arte.

Ar. à hui⁹ quæst.

Ad tertium, dicendum, quòd consideratio circunstantiarum pertinet ad Moralem, & Polyticum, & Rhetoricum. Ad Moralem quidem, prout secundùm eas inuenitur vel prætermittitur medium virtutis in humanis actibus & passionibus. Ad Polyticum autem & Rhetoricum, secundùm quòd ex circunstãtijs actus reddũtur laudabiles vel vituperabiles, excusabiles vel accusabiles, diuersimodè tamen: nam quod Rhetoricus persuadet, Polyticus diiudicat: ad Theologum autẽ, cui omnes aliæ artes deseruiunt, pertinet omnibus modis prædictis, nam ipse habet considerationes de actibus virtuosis & vitiosis cum Morali, & considerat actus secundùm quòd merentur pœnam vel præmiũ, cum Rhetorico & Polytico.

Conclusio est affirmatiua, & illa quidẽ de Fide determinatur expresse in Tridẽ. sess. 14. cap. 5. & probatur tripliciter, iuxta triplicem considerationem spectantem ad Theologum. Prima sit, quia Theologus tractat de humanis actibus, in quantũ per eos homo ordinatur seu proportionatur ad beatitudinem: talis autem proportio aut commensuratio ad beatitudinem in actibus humanis, non fit nisi per debitas circunstantias: ergo ad Theologum pertinet agere de circunstantijs. Secunda. Theologus considerat de actibus humanis, prout in eis inuenitur bonum vel malum, melius & peius; & hoc augetur vel minuitur aut variatur per circunstantias: ergo cognitio ipsarum ad Theologum pertinebit. Tertia, nam Theologus considerat actus humanos, quatenus sunt meritorij vel demeritorij: sed circunstantiæ augent vel minuunt meritum vel demeritum: ergo ad Theologum pertinet de illis considerare; his enim accedit, quòd

quòd Theologus debet cõsiderare de peccatis, & iudicare de illis in secreto confessionis : quod non potest vllo modo fieri sine cognitione circũstantiarum.

Nota. In solutione ad primum, notandum, quòd dicit D. Thom. quòd bonum repertum in medijs, est vtile, & quòd tale bonum consistit in relatione, & vlteriùs cùm relatio denominet non solùm ab intrinseco, sed etiam ab extrinseco; hinc infertur, quòd bonum quod est in medijs, est extrinsecum ipsis medijs, & ab extrinseco denominat illa bona : vnde patet, quòd vera sit doctrina suprà tradita, quòd bonum & finis, sunt idem, & quòd media denominantur bona à bonitate finis.

Nota. Circa solutionem ad secundum, notandum, circunstantiam humani actus esse in duplici differentia : aliam quæ per accidens se habet ad actum humanum, nihil conducens ad ipsum; vt occidere hominem ante prandium vel vespere: alia verò quæ licèt sit accidens actus humani, tamen cum illo habet quandam commensurationem in ratione boni vel mali, vt occidere hominem in Ecclesia, vel extra. Agere de circunstantia priori modo, non pertinet ad Theologum, quia huiusmodi circunstantiæ sunt in infinitum multiplicabiles, ac per consequens de illis non est consideratio : pertinet autem agere de secundis : tùm, quia commensurationem habent ad bonitatem vel malitiam actus augendam vel minuendam : tùm etiam, quia huiusmodi circunstantiæ sunt in numero finito, nempe septenario, vt dicetur articulo sequenti. *Obiectio.* Et si contra arguas, nam etiam circunstantiæ secundi generis sunt multiplicabiles in infinitum : verbi gratia, magnum vel paruum, quod est circunstantia furti, multiplicari potest in infinitum, sicut numerus vel diuisio quantitatis, cuius passio est magnum vel paruum : *Solutio.* Respondetur tamen, quòd multiplicatio vel potest esse formalis secundùm rationem diuersarum circunstantiarum, quasi in speciebus; vel secundo potest esse materialis, secundùm indiuidua eiusdem circunstantiæ, formaliter & secundùm suam speciem sumptæ : circunstantiæ ergo nihil conducentes ad actum humanum, sunt multiplicabiles in infinitum priori modo numerando, quòd quis occidat alium dextra vel sinistrâ, sursum vel deorsum, in terra vel in aëre : circunstantiæ autem secundi generis formaliter sumptæ tantùm possunt esse septem, vt statim dicetur : & multiplicatio tantùm potest esse in infinitum materialiter, vt occidere vnum, vel alterum vel mille in Ecclesia, vel in ista vel in altera, multiplicatio solum est materialiter, nam formaliter tantùm est vna circunstantia, quòd sit in Ecclesia.

Nota. Circa solutionem ad tertium, notanda est doctrina Diui Thomæ, quòd agere de circunstantijs, & pertinet ad Philosophum Moralem, & ad Rhetoricum, & ad Polyticum, & ad Theologum. Ad Philosophum, quatenus proponit medium virtutis; ad Rhetoricum verò & ad Polyticum, in quantum circunstantiæ faciunt actum laudabilem vel vituperabilem, plus, minus ve, licèt aliter & aliter. Rhetoricus quidem de hoc agit, vt ex talibus circunstantijs misceat sermonem, vt extollat vel deijciat opus factum in æstimatione audientium. Polyticus autem, vt ex circunstantijs procedat ad iudicium & pœnam infligendam. Itaque Rhetoricus considerat circunstantias ad persuasionem : Polyticus & ad iudicium & supplicium : Theologus verò omnibus modis prædictis agit de circunstantijs; sic tamen, quòd illæ rationes quæ formaliter se habent ad alios, materialiter se habent ad Theologum in ordine ad propriam rationem, sub qua considerat circunstantias; quod explicuimus intriplici probatione conclusionis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm conuenienter enumerentur circunstantiæ in tertio Ethicorum.

AD tertium sic procedit. Videtur quòd inconuenienter enumẽrentur circunstãtiæ in 3. Ethicorum. *Circunstantia enim actus dicitur, quod exterius se habet ad actum: huiusmodi autem sunt tempus & locus*

4. dist. 16. q. 3. ar. 1. q. 2. & 3 & in ar. q. 2. a. 6. co. lec. 3. Eth. lec. 3. fin. Cap. 1. to. 5.

locus : ergo solum duæ sunt circunstantiæ, scilicet Quando & Vbi.

Præterea, ex circunstantijs accipitur quòd bene vel male fiat : sed hoc pertinet ad medum actus : ergo omnes circunstantiæ includũtur sub vna, quæ est modus agendi.

Præterea. Circunstantiæ non sunt de substantia actus : sed ad substantiam actus pertinere videntur causæ ipsius actus : ergo nulla circunstantia debet sumi ex substantia ipsius actus. Sic ergo neque Quis, neque Propter quid, neque circa quid, sunt circunstantiæ: nam Quis, pertinet ad causam efficientem ; Propter quid, ad finalem; Circa quid, ad materialem.

Cap. 1. post mediũ tomo 5.

Sed contra est Authoritas Philosophi in 3. Ethicorum.

Respõdeo dicendũ, quòd Tullius in sua Rhetorica assignat septẽ circunstantias, quæ hoc versu continetur. Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando. Considerandum est enim in actibus, quis fecit, quibus auxilijs vel instrumentis fecerit, quid fecerit, vbi fecerit, cur fecerit, quomodò fecerit, & quãdo fecerit. Sed Aristot. in 3. Ethicorũ addidit aliã, scilicet. Circa quid, quæ à Tullio comprehenditur sub Quid. Et ratio huius annumerationis sic accipi potest, nam circunstantia dicitur, quasi extra substantiam actus existens : ita tamen, quòd aliquo modo attingit ipsum. Contingit autem hoc fieri tripliciter. Vno modo in quantum attingit ipsum actum. Alio modo in quantum attingit causam actus. Tertio modo in quantum attingit effectum. Ipsum autem actum attingit vel per modum mensuræ, sicut tempus & locus, vel per modum qualitatis actus, sicut modus agendi. Ex parte autem effectus, vt cùm consideratur quid aliquis fecerit. Ex parte verò causæ actus quantum ad causam finalẽ, accipitur propter quid. Ex parte autem causæ materialis, siue obiecti, accipitur circa quid. Ex parte verò causæ agentis principalis, accipitur quis egerit. Ex parte verò causæ agentis instrumentalis, accipitur quibus auxilijs.

Cap. 1. post mediũ to. 5

Ad primum ergo dicendũ, quòd tempus & locus circunstant actum per modum mensuræ : sed alia circunstant actum, in quantum attingunt ipsum quocunque alio modo extra substantiam eius existentes.

Ad secundum, dicendum, quòd iste modus, qui est bene vel malè, non ponitur circunstantia, sed consequens ad omnes circunstantias : sed specialis circunstantia ponitur modus, qui pertinet ad qualitatẽ actus, putà quòd aliquis ambulet velociter vel tardè, & quòd aliquis percutiat fortiter vel remissè, & sic de alijs.

Ad tertium, dicendum, quòd illa conditio causæ, ex qua substantia actus dependet, non dicitur circunstantia, sed aliqua conditio adiuncta. Sicut in obiecto non dicitur circunstantia furti, quòd sit alienũ; hoc enim pertinet ad substantiã furti,

ti, sed quòd sit magnum vel paruũ. Et similiter est de alijs circunstantijs, quæ accipiuntur ex parte aliarum causarum; non enim finis qui dat speciem actus, est circunstantia, sed aliquis finis adiunctus. Sicut quòd fortis fortiter agat propter bonum fortitudinis, non est circunstantia; sed si fortiter agat propter liberationem ciuitatis, vel populi Christiani, vel aliquid huiusmodi. Intelligitur etiam ex parte eius quod est quid, nam quòd aliquis perfundens aliquem aqua, abluat ipsum, non est substantia ablutionis; sed quòd abluendo infrigidet vel calefaciat, & sanet vel noceat, hæc est circunstantia.

1. *Conclu.* Prima conclusio. Conuenienter numerat circunstantias Cicero in sua Rhetorica, cap. 1. ponendo istas septẽ, quæ isto versiculo continentur. Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando. Qui numerus etiam conuenit cum numero circunstantiarum quem constituit Aristot. 3. Ethic. cap. 1. quia licèt ibi addiderit Aristot. vt circũstantiam, Circa quid, vnde videbantur esse octo: illam tamen circũstantiam intellexit Cicero in illa quã ponit, scilicet, Quid. E conuerso autem Cicero distinxit in duas, Vbi & Quando; quæ Aristot. includit in vna, scilicet in quo, quia sic potest intelligi in quo tẽpore, vel in quo loco.

Antequàm prædictas circunstantias sigillatim exponamus, præsupponendum, quàm falsum sit quod dixit Occ. Occam in tertio distinctione 13. quòd vt aliquis actus sit bonus, est necessarium habere omnes septem circunstantias numeratas bonas; quia cùm bonum debeat esse ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu; vt opus sit malum, sufficit deficere aliquam illarum circunstantiarum: vt autem opus sit bonum, integritatem omnium illarum debet habere. Hoc (inquam) assertum alsum est; dilectio namque Dei super omnia est bona, & potest esse sine circunstantia temporis & loci: quia per se loquendo, nec dependet à tempore, vel loco. Sufficit ergo ad rectitudinem actus, habere omnes circunstantias bonas, ad hunc sensum, quòd nullam habeat malam: vnde tunc est integra causa ad bonitatem actus, quando habet omnes circunstantias bonas debitas inesse: si autem omnes septem non sunt debitæ; non requiritur habere omnes septem. Itaque non habere omnes circunstantias, potest sumi negatiuè, vel priuatiuè. Non facit ergo actum malum, non habere omnes negatiuè, si quæ deficit, non est debita actui.

Circa primam circunstantiam, quæ appellatur Quis, notandum, quòd Vazquez in præsenti intelligit per illam circunstantiam, ipsam substantiam personæ, videlicet quòd sit homo habens libertatem & vsum Rationis. Vnde dicit, explicationem Diui Thomæ esse contra Aristotelem; quia Aristoteles tertio Ethicorum, capite secundo, loquens de huiusmodi circunstantia, dicit, quòd nullus potest eam ignorare, nisi sit insanus: quia non potest nullus se ignorare, nisi insanus sit: sed sic est, quòd homo potest ignorare proprium statum & dignitatem, sine eo quòd insanus sit; vt si coniugatus, facta sufficienti diligentia, vtrum vxor eius viuat, vel non: Quod autem ignorare non potest, nisi sit insanus, est, quòd sit homo habens vsum liberi arbitrij: hoc ergo secundum, & non primum intelligitur per circunstantiam Quis. Sententia tamen huius authoris est falsa, & ex mala intelligentia Aristotelis (vt solet) procedit: sententiaque Diui Thomæ communis est inter omnes interpretes Aristotelis; & patet, nam substantia personæ, quòd habeat libertatem & vsum rationis, est de essentia actus humani in communi: ergo non est circunstantia. Patet consequentia, nam circunstantia, formaliter loquendo, præsupponit actum moralem constitutum quoad substantiam, & tantùm est accidens eius. Antecedens verò probatur, nam actus moralis idẽ est essentialiter ac actus liber dicens ordinẽ ad potentiam liberã subiectã regulis. Nomine ergo huius circũstãtię intelligitur

Nota. Vazq. Aristot.

Impugnatur Vazquez.

gitur qualitas personæ agentis, vt quòd sit Ecclesiastica, vel sæcularis, an Monachus vel Episcopus, an voto vel iuramẽto obligata: quæ circunstantia aliquando mutat speciem, aliquando verò non; & vt suprà diximus, etiam quæ mutat speciem, licèt respectu speciei ad quam mutat actum, non sit circunstantia sed constitutiuum illius: respectu tamen alterius speciei quam mutat, circunstantia est. Exemplum istarum est. Omnis enim qui non defendit pauperem in graui necessitate existentem, paccat contra Charitatem: si verò qui non defendit illum, est iudex, mutatur actus ad peccatũ iniustitiæ: quòd ergo ille sit iudex, est circunstantia peccati contra Charitatem; est verò constitutiuũ essentiale illius in ratione iniustitiæ. Idem dicẽdũ est, si Religiosus furetur, quia additur peccatũ contra votũ paupertatis, quę verò nõ mutat speciem, est illa quæ tantùm aggrauat in specie præexistente, nõ mutando ad aliã; vt (v. g.) si Religiosus proferat contra aliũ verbum iniuriosum, grauius est, quàm si à sæculari proferretur; non tamen mutat speciem ex circunstantia Quis, quia non est contra vota essentialia Religionis. Similiter quando Magnates fornicantur; vel committunt alia peccata mortalia, grauius peccant indiuidualiter in eadem specie, quia huiusmodi personæ plus tenentur ad bonum exemplum & bene viuendum, quàm alij, licèt ex peruersione mundana sit contrarium.

Ad argumentum Vazquez respondetur, quòd Arist. loquebatur per hyperbolẽ, quia summa stultitia est, quòd aliquis proprium statum & qualitatem ignoret, & id scire tenetur, vt agnoscat grauitatẽ maiorem vel minorem sui peccati. In casu autẽ illius coniugati dicimus, quòd si fecerit sufficientem diligentiam, & ignoret proprium statum, non erit insanus per talem ignorantiam: & si Arist. dicit esse insanum qui talem circũstãtiam personæ ignorat, loquitur regulariter de his quæ sciri possunt, non autem de his quæ facta diligentia sufficienti, ignorantur; hæc enim reputantur non scibilia.

Secunda circunstantia est Quid, per quam Vazquez intelligit ipsum obiectum primarium actus humani; vt si (verbi gratia) aliquis per ignorantiam reuelet secretum, tunc reuelare secretum, est circunstantia Quid, & ipsa substantia obiecti illius actus. Similiter si aliquis intendens occidere alium, vellet proijcere sagittam, & hoc solùm intẽdendo, interficit inimicum, ignorans quòd sit inimicus; talis actus est homicidium, & ibi interuenit circunstantia Quid, cùm tamẽ nõ sit ibi aliud quàm ipsa substãtia obiecti homicidij. Sed in hoc quidẽ Vazquez clariùs loquitur falsum, quàm in præcedenti circunstantia, quia circunstãtia (vt ipse fatetur) non est specificatiuũ actus humani; obiectũ autẽ primariũ specificat actũ; ergo substantia obiecti primarij nõ potest esse circunstantia; immò & vulgares extra Theologiã cõsentiunt nobiscũ; postquã enim in confessione dixerũt substantiã peccati, dicunt se velle explicare circũstantias præsupponẽtes tanquã certũ, quòd circunstantia non est ipsa peccati substantia, nec substãtia obiecti primarij à quo sumitur essentia & species peccati. Est igitur hæc circunstantia Quid, illud quod se tenet ex parte obiecti secundarij, tãquã accidẽs eius, vt optimè explicat D. Th. ad 3. Itaq; sicut circunstantia Quis, est accidens ex parte operantis; ita circunstantia quid, vel circa quid, est accidens obiecti circa quod operatur. Accidens (inquã) quod vel pertinet ad quantitatem, vel ad qualitatem obiecti. Ad quã titatem quidem, vt infurto substantia obiecti est, quòd res ablata sit aliena; circunstantia verò Quid, quòd sit in magna vel in parua quantitate res ablata. Similiter si persona à qua furatur, magna egestate laborabat, vel si cum grandi damno, siue salutis, siue aliorum bonorum, intulit iniuriam proximo; hæc enim ad quantitatẽ obiecti specificantis pertinet. Ad qualitatem autem pertinet dignitas personæ læsæ; vt si sit magnæ vel paruæ authoritatis, an pater, vel Prælatus, vel Sacerdos, quibus iniuriam irrogauit; vel si erat monialis, vel coniugata, cum qua fornicatur: quòd enim fornicetur cum soluta, non habet circunstantiam Quid; solùm enim habet quòd sit aliena, in quo consistit substantia fornicationis. Ad hoc autem superadditur vt accidens per modum qualitatis, quòd sit coniugata, vel monialis, vel cognata sua: vnde sequitur, quòd eadem materialiter circunstantia potest formaliter esse diuersa, & secundùm diuersam rationem esse simul circunstãtia & Quis & Quid; vt in exemplo posito, quando solutus ac

Impugnat Vazquez.

cedit ad coniugatam, quòd sit coniugata in ordine ad peccatum viri fornicantis, est circunstantia Quid, quia pertinet ad obiectum illius fornicationis; in ordine autem ad peccatum ipsius mulieris fornicantis, est circunstantia quis, quia pertinet ad ipsam personam operantem. Et è contra dicendum est, si vir sit coniugatus, mulier autem soluta. Si autem vterque sit coniugatus, in quolibet illorum simul est circunstantia Quis & Quid in ordine ad diuersa. Argumentum autem Vazquez nihil valet, nam quando quis reuelat secretum, vel occidit hominem culpabiliter per ignorantiam, illa ignorantia non tantùm terminatur ad substá tiam obiecti, sed etiam ad modum. Vel secundò dicitur, quòd Arist. non intendit in illis exemplis, quòd substantia & circunstantia sint idem, sed quòd cùm circunstantia supponat substantiam, qui ignorat substantiam, ignorat etiam circunstantiam Quid; quia cognitio circunstantiæ supponit cognitionem substátiæ; & propterea dixit, quòd qui ignorat substantiam, ignorat circunstantiam Quid.

Tertia circunstantia est Vbi, videlicet circunstantia loci; qui tripliciter potest aggrauare. Primò, ratione indecentiæ; vt si quis celebret vel oret in loco indecenti & innominato. Secundò, ratione excellentiæ loci; vt si quis fornicetur vel occidat hominem in domo Regis. Tertiò verò, ratione sanctitatis loci; quæ dupliciter potest considerari in ordine ad actum. Primò specialiter in quantum sanctitas & consecratio loci violatur per peccatum quod fit in tali loco; vt quando quis occidit hominem vel percutit vsque ad effusionem sanguinis, vel fornicatur vel polluit in Ecclesia, quibus quidem Ecclesia manet polluta. Et similiter quãdo quis furatur in Ecclesia ipsa bona Ecclesiæ: suppositis enim legibus Ecclesiasticis, hoc est contra sanctitatem talium bonorum. Secundò autem modo se habet sanctitas loci communiter, in quantum facit talem locum excellentem, & peccatum quod fit in tali loco, non est directè contra sanctitatem ipsius loci. Si ergo circunstantia sit primo modo, mutat speciem, & facit sacrilegium: si autem secundo modo, tantũ aggrauat intra eandẽ speciem indiuidualiter, vt si aliquis alteri dicat in Ecclesia verbum iniuriosum, nõ est sacrilegium, grauiùs tamen peccat in tra eandem speciem iniuriæ.

Quarta circunstantia est, Quibus auxilijs, nempe quibus instrumentis vtatur operans, vel quibus personis adiuuetur ad operationem exercendam, an vtatur auxilio hæreticorum vel Turcarum, gerat bellum iniustũ aduersus Christianos, an etiam per assassinos occidat hominem: an etiam auxilio incantatorum. Circa quam etiam circunstantiam aduertendum, quòd potest addere nouum peccatum mortale alterius speciei; aliquando verò tãtùm aggrauare intra eandem speciem. Verbi gratia, si operans moueat alium non paratum, vt sibi patrocinetur ad exequendum opus; nouum peccatum committit: S autem iam paratum adducat in suum iuuamen, non facit nouum peccatum; qui autem extraordinarijs instrumentis vtitur ad occidendum hominem, tantùm aggrauatur eius peccatum.

Quinta circunstantia est, Cur, idest, propter quem finem & qua intentione fecerit; an scilicet furatur vt mœchetur, vel vt propriã euadat inopiã; vel an furetur vt alteri noceat, vel iniuriam faciat.

Pro cuius tamen intelligentia notandum, non hìc loqui de fine operis; iste enim est obiectũ, & specificat essentialiter actum; vnde non potest esse circunstantia; sed loquimur de fine operantis, qui vtique extrinsecus est ipsi operi. Et hoc in super intelligendum est respectu actus exterioris; illi enim est extrinsec⁹ finis operantis, non enim intelligitur respectu actus interioris; nam respectu isti⁹ finis etiã operantis est obiectũ, & sic etiã essentialiter specificat. Nec hoc etiam intelligendum est respectu cuiuscunque actus interioris, sed respectu actus quo simul vult aliquis (verbi gratia) furari propter mœchiam, nam si duplici actu interiori vtrũque velit, finis operãtis, qui est obiectũ secundi actus, est tãtũ circunstãtia respectu actus prioris terminati, vt ad obiectũ ad furtũ: vnde tunc finis eodem modo cõparatur ad actũ primũ interiorẽ furti, atque si ad actũ exteriorem cõpararetur. Immò & si loquamur de illo vnico actu, quo simul vtrũq; vult, vnũ propter aliud, possumus loqui, vel formaliter secũdũ duplicẽ rationẽ quã habet: primã secũdũ quòd terminatur ad furtũ, & habet malitiã furti: secundam quatenus terminatur ad mœchiam, & habet malitiã mœ-

Not.

mœchiæ. Vel secundô potest considerari ille actus, prout hic & nunc exercetur per modum intentionis. Priori modo etiam finis est circustantia, qui etiam illi actui accidit, vt ad furtum terminatur, quód habeat malitiam mœchiæ. Consideratus autem secundo modo, non est accidens, sed substantia; quia vt hic & nunc exercetur, non fertur in furtum vtcunque, sed vt stat sub mœchia; vnde mœchia est ratio formalis specificans hunc actum, prout hîc & nunc fit. De quo latiús egimus quæst. 1. & iterum agendum est infrâ quæst. 18. & quia de actibus humanis iudicandum est prout in exercitio fiunt, absolutè dicendum est, finem operantis specificare actum interiorem, quo simul vult vnum propter aliud.

Sexta circunstantia est, Quomodo; in qua duo denotantur. Primum, modus committêdi peccatum; vt si per fraudem vel per insidias occiderit hominem; an verò manifestè. Vel etiam si ita trucidauerit hominem, atque si canem aut feram trucidaret, membratim auferendo partes eius. Secundum, importatur in hac circunstantia intensio ipsius operis, vbi.

Not. Notandum, quòd non quælibet intensio est circunstantia, quia necessariò actus (verbi gratia, fornicationis) cum aliqua intentione exerceri debet; sed quod habet rationem circunstantiæ, est intensio notabilis & extraordinaria, quæ à posteriori ex medijs extraordinarijs appositis colligi potest. Vnde qui fornicatur, non tenetur dicere habuisse delectationem, bene tamen tenetur dicere, si per multum temporis, vel nudus in lecto intensionem vel delectationem habuerit, vel alia huiusmodi.

Septima circunstantia est, Quando, idest, quo tempore; quod etiam duo potest importare. Primum, qualitatem temporis. Secundum, durationem. Qualitatem quidem, vt si commisit crimen nocte vel die; an die sacro vel feriato; vel si facit opus tempore quo tenebatur aliud facere cum isto incompossibili, vt verbi gratia, si quis sit in oratione, quando tenetur ministrare pauperibus, vel infirmis; tunc enim de effectu circunstantiæ têporis, opus efficitur malum; vt diximus de opere sacro facto in loco immũdo. Ad durationem autem pertinet, vt circũstantia temporis, explicare si per multũ vel parum, opus durauerit; & de hoc dicimus similiter sicut de intensione, non esse circunstantiam quamcunque durationem, quia aliqua debet esse, sed durationẽ notabilem & magnam.

Restat autem explicare circa istam vltimam circunstantiam, vtrùm circunstãtia têporis sacri aggrauet actũ, sicut loci sacri: videtur enim eadẽ ratio. Sicut enim locus sacer per crimen violatur; ita & sacrũ têpus specialiter Deo dicatũ, sicut & locus. Respondetur tamen pro nũc breuiter cũ Caietano, huiusmodi circunstãtia semper aggrauare peccatũ, nõ tamen semper mutare speciẽ; sicuti de circunstãtia loci sacri dictũ est. Itaque sicut in loco sacro si fiat peccatum contra sanctitatẽ loci, vt polluere, vel contra immunitatem eius, vt Ecclesiam deprędare, vel ex illa delinquẽtes extrahere, mutat speciẽ peccati; aliàs autem non mutatur species, licèt peccatũ aggrauetur; vt maledicere in Ecclesia, grauius peccatũ est quàm in agro, tamen intra eandẽ speciẽ. Ita dicendũ est de tempore sacro; si enim peccatũ fiat cõtra sanctitatẽ ipsius têporis directè, vt facere in contemptũ illius, mutat speciẽ, facere autẽ alia peccata, vt fornicationis, in die sacro nõ mutat speciẽ; intra eam tamen aggrauatur & fit maius. Si autẽ rursus dubitetur, vtrùm hæc circunstãtia tẽporis sacri semper sit explicanda in confessione; Scotus tenet partem affirmatiuam, generaliter loquendo: oppositam tamen sententia est vera, & dicendum, tunc solùm confitendam esse, quando tempus sacrum erat solemnissimum, & valde videtur derogare sanctitati temporis, vt tunc tale committatur peccatum; vt verbi gratia, si quis in die Parasceues turpiter aut impudenter Deum offendat; & similiter si in die quo sacram assumpsit Eucharistiam: & alij graues Authores semper addunt, si huiusmodi fiant, in die Natiuitatis, vel Resurrectionis Domini; aliàs enim non tenentur explicare in confessione. De quo latiùs 2.2.q.122. art.4. Et si contra arguas ex cap. Consideret, de pœnitentia distinct. 5. & ex D. Augustin. lib. de pœnitentia, cap. 14. vbi habetur, quôd pœnitens considerare debet qualitatem criminis, & in quo tempore; vt si infestis, aut diebus ieiunio rum peccauit: ergo qualitercunque fuerit hæc circunstantia, explicari debet: Respondetur, quòd, vt dictum est, omnis

Dubitatio.

Resolutio. Caiet.

Dubitatio

Obiectio.

Solutio.

nis talis circunstantia aliqualiter aggrauat peccatum; vnde omnis illa ad pœnitentiam & dolorem pertinebit interiorem; & de hac loquitur loco citato; non autem pertinet necessariò ad pœnitentiam Sacramentalem exteriorem confessionis, nec de hoc fit mentio in loco illo, vt patet; nam ibi etiam alia numerantur, vt quòd homo se priuauerit virtute, & quòd in vno offendens, factus est omnium reus; quæ tamen non sunt necessariò confitenda, dolore tamen interiori delenda. Quando autem dicimus, quòd circunstantia importans peculiarem impudentiam exercitam in diebus prædictis, debet explicari in confessione; non solùm intelligitur de circunstantia mutâte speciẽ, sed etiã si nõ mutet, dũmodò sit notabilis, aggrauans in infinitum intra eandem speciem Etsi interroges; quid sit aggrauare in infinitum intra eandem speciem: Respondetur, quòd quando circunstantia secundùm se & seorsum sumpta sufficiret ad peccatum mortale in illa specie; vt furatur quis decem aureos, alius uerò viginti; ille excessus à decem vsque ad viginti, circunstantia est intra eandem speciem in infinitum aggrauans; quia illa decem superaddita per se sufficerent ad constituendum mortale in specie furti. Similiter si aliquis vnico consensu, aut vnico ictu vel actu sulphureo occidit decem, est circunstantia intra eandem speciem aggrauatis in infinitum, & necessariò explicanda, nec sufficit dicere occidisse hominem; quia occisio cuiuscunque superadditi ad primum, sufficit ad mortale. Similiter si durauit odium, vel intentio occidendi per plures dies. Similiter si accessit ad sororem; quæ circunstantiæ in infinitum aggrauant, quia per se solæ important mortale. Vel faciliùs ponitur regula, quôd omnis circunstantia, siue variet, siue non variet speciem, debet explicari in confessione, si sit notabilis. Dicitur notabilis, quando ad iudicium virorum prudentum fœdiùs & turpiùs concipitur, moraliter loquendo, de illo peccato, quàm si tali circunstantia non esset vestitum. Quæ autem ex istis sit maior vel minor, non pertinet ad iudicium confitentis, cui sufficit concipere se grauiùs peccasse, & ita proponere confessario; isti tamen pertinet iudicare & scire de quantitate & pondere circunstantiæ aggrauantis; ad hoc enim ponitur sacerdos, vt iudicet inter lepram & lepram, & maiorem lepram.

Quæstio.

2. Solut.

Demũ in hoc articulo aduertendum ex Caietano, ita sufficienter per numerum prædictum septenarium manere explicatas circunstãtias peccatorum, quôd etiam si numerum peccatorum debeat manifestare necessariò in confessione, non tamen est circunstantia; vt compertum est apud Arist. Ciceronem, & Diuum Thomam, qui diligenter circunstãtias numerantes, inter illas non computauerunt vt specialem circunstantiam Quoties. Et ratione patet, nam circunstãtia, vt D. Thom. dicit, est circa eundem actum moralem quem circunstat; numerus verô ipsarum actionum, non circunstat eandem operationem, sed addit aliã & aliam: ergo non est circunstantia; furtũ enim secundum superaddit aliam rationem, non autem circunstat primum. Quòd autem debeat confiteri numerus peccatorum, patet; quia qua ratione tenetur confiteri primum, tenetur confiteri secundum; non quia secundum sit circũstantia primi, sed quia & ipsum secundũ est furtum, & ideò eodem præcepto tenetur confiteri secundum, atque teneba tur cõfiteri primũ; tenetur enim integre confiteri, & id non facit, nisi numerum peccatorum confiteatur. Hoc dixerim contra Ioannem Maiorem, in 4. dist. 17. q. 4. qui putat, specialem circunstantiam esse Quoties, & contra D. Bonauent. 4. dist. 16. dub. 9. circa literam, qui numerãdo circunstantias, progreditur vsque ad quatuordecim.

Impugnatur Ioannes Maior, & D. Bonauentura.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm sint principales circunstantiæ propter quid, & ea in quibus est operatio.

4. dist. 16. q. 3 art. 2. q. 2 & dist. 33. q. 1. art. 3. q. 2. ad 4. & 3. Ethic. lect. 3 fin.

** c. 1. a. medio tom. 5.*

AD *quartum sic proceditur. Videtur quôd non sint principales circunstantiæ Propter quid, & ea in quibus est operatio, vt dicitur in 3. Eth. Ea enim in quib⁹ est operatio, videtur esse loc⁹ & tem*

& tempus, quæ non videntur esse principalia inter circunstantias, cùm sint maxime extrinseca ab actu: ea ergo in quibus est operatio, non sunt principalissimæ circunstantiarum.

2. Præterea: Finis est extrinsecus rei, non ergo videtur esse principalissima circunstantiarum.

3. Præterea: Principalissimum in vnoquoque, est causa eius & forma: sed causa ipsius actus est persona agens; forma autem actus est modus ipsius: ergo istæ duæ circunstantiæ videntur esse principalissimæ.

Sed contra est quod * *Gregor. Nyssen. dicit, quòd principalissimæ circunstantiæ sunt cuius gratia agitur & quid est quod agitur.*

Respondeo dicendum, quòd actus * *q. 1. art. 1* *propriè dicuntur humani (sicut* * *suprà dictum est) prout sunt voluntarij. Voluntatis autem motiuum & obiectum est finis, & ideò principalissima est omnium circunstantiarum illa quæ attingit actum ex parte finis, scilicet, cuius gratia; secundaria verò quæ attingit ipsam substantiam actus (ideſt) quid fecit. Aliæ verò circunstantiæ sunt magis vel minus principales, secundum quod magis, vel minus ad has appropinquant.*

Ad primum ergo dicendum, quòd per ea in quibus est operatio, Philosophus non intelligit tempus & locum, sed ea quæ adiunguntur ipsi actui: * *Loco citato in arg. sed contra.* *vnde* * *Greg. Nyssenus, quasi exponens dictum Philosophi, loco eius quod Philosophus dixit, In quibus est operatio, dicit Quid agitur.*

Ad secundum dicendum, quòd finis etsi nō sit de substantia actus, est tamen causa actus principalissima, in quantum mouet agentem ad agendum, vnde & maximè actus moralis speciem habet ex fine.

Ad tertium dicendum, quòd persona agens, causa est actus secundùm quòd mouetur â fine, & secundùm hoc principaliter ordinatur ad actum. Aliæ verò conditiones personæ non ita principaliter ordinantur ad actum. Modus etiam non est substantialis forma actus; hoc enim attenditur in actu secundùm obiectum vel finem & terminum, sed est quasi quædam qualitas accidentalis.

IN præsenti articulo loquitur D. Thomas de circunstatijs comparatiuè. Supposito enim quod omnes illæ sint accidentia, quia tamen inter accidentia alia alijs sunt proximiora substantiæ & essentiæ, ideò in præsenti quærit, vtrùm circunstantia Quod & Propter quid, sint principaliores. Ad cuius resolutionem præmittit fundamentum, quòd cùm actus propriè humanus dicatur quia voluntarius, illa circunstantia erit principalior, quæ magis ad obiectum accedit, & ad obiectum Voluntatis, & sic ad quæsitum respondetur, quòd cùm finis sit primum motiuum & obiectum Voluntatis; circunstantia finis potissima erit. Post hanc autem, secundum obtinebit locum circunstantia Quid. Quod & probat; etiam authoritate Gregorij Nysseni lib. 5. de homine, cap. 2. in fine. Post prædictas autem inter alias suo ordine illa erit principalior circunstantia, quæ magis ad istas appropinquauerit. *Nyssenus.*

Circa istum articulum notandum, Magistrum Medinam, In præsenti recolete distinctionem supra positam, quòd species actus humani duplex sit: altera essentialis; altera verò accidentalis. Essentialis, quæ desumitur à fine operis; accidentalis verò, quæ *Not. Ex Medina*

à fine operantis sumitur : quapropter quia fini operis tribuenti speciem essentialem; nihil proximius est quàm circunstantia finis operātis, ideò hæc inter omnes est potissima. Aliqui tamen Thomistæ prædictam Magistri Medinæ distinctionem non admittunt, non capientes qualiter aliquid possit speciem constituere, & esse accidens & circunstantiam; quia quod speciem constituit, quid essentiale esse debet. Doctrina tamen Medinę verissima est; quia, vt suprà diximus, quod est essentiale & constitutiuū vnius speciei, accidens esse potest respectu alterius, sicut & ipsa species quam cōstituit. Vt (verbi gratia) albedo essentialis est albo, & speciem illius constituit; est tamen accidens hominis, sicut & esse album. Ita ergo in præsenti, circunstantia essentialis est & constituit secundam speciem (verbi gratia) sacrilegij, manet tamen circunstantia & accidens, sicut ipsum sacrilegium respectu furti cui coniungitur. Bene ergo illa secunda species potest vocari accidentalis respectu prioris furti, quæ absolutè est substantialis & essentialis in illo actu.

QVÆSTIO VIII.

De voluntate quorum sit vt volitorum.

POstquàm D. Thom. egit de actibus voluntatis in genere & in vniuersali, scilicet de voluntario & de circunstantijs eius; nunc progreditur disputare de singulis actibus voluntarijs, magna certè cum dispositione & ordinatissimo ordine: ait enim, quòd actus Volūtatis sunt in duplici differentia. Quidam sunt elicti ab ipsa Voluntate, quidam verò imperati. Primò agit de elicitis; posteà autem quæst. 17. tractare incipit de imperatis. Eliciti autem adhuc sunt in duplici differentia. Quidam circa finem; quidam verò circa media. Priùs ergo de elicitis agit qui sunt circa finem, posteà autem quæst. 13. agit de elicitis qui circa media sunt. Et rursus quia actus eliciti circa finem, sunt tres, scilicit velle, & frui, & intendere, in hac quæstione agit de volitione: in quæst. 11. agit de fruitione, & quæst. 12. agit de intentione.

ARTICVLVS I.

Vtrūm Voluntas sit tantūm boni.

AD primum sic proceditur. *Videtur quòd Voluntas non tantum sit boni. Eadem enim est potentia oppositorum; sicut visus albi & nigri: sed bonum & malum sunt opposita: ergo Voluntas non solūm est boni, sed etiam mali.* 1. q. 19. ar. 9. cor. Et 1. dis. 46. art. 2. ad 2. & 2. d. q. 4. ad 2. & 4. dist. 49. q. 1. art. 3. q. 1. cor. & 1. contr c. 96. §. 2. & veri. q. 14 art. 2. cor.

2. Præterea: Potentiæ rationales se habent ad opposita prosequenda secundùm * *Philosophum: sed voluntas est potentia rationalis; est enim in ratione, vt dicitur in 3* † *de anima: ergo Voluntas se habet ad opposita: non ergo tantùm ad volendum bonum, sed etiam ad volendum malum.* * Libr. 9. met. text. 3. tom. 3. † Libr. 3. de anima text. 42. tom. 2.

3. Præterea: Bonum & ens conuertuntur: sed Voluntas non solūm est entium, sed etiam non entium; volumus enim quandoque non ambulare & non loqui, volumus etiam interdum quædam futura quæ nō sunt entia in actu: ergo Voluntas non tantum est boni.

Sed contra est quod * *Dionys. dicit 4. cap. de diuinis nominibus, quòd malum est præter voluntatem, & quòd omnia bonum appetunt.* * c. 4. par. 4 aliquantulū ante fin.

Respondeo dicendum, quòd Voluntas est appetitus quidam rationalis; omnis autem appetitus non est nisi boni. Cuius ratio est, quia appetitus nihil aliud est, quàm quædam inclinatio appetentis in aliquid: nihil au-

tem

tem inclinatur nisi in aliquid simile & conueniens: cùm igitur omnis res, in quantum est ens & substantia, sit quoddam bonum, necesse est, vt omnis inclinatio sit in bonum; & inde est quod Philosophus dicit in 1. Ethicor. * quòd bonum est quod omnia appetunt.

* Libr. 1. Ethicor. in princ. li. to. 5

Sed considerandum est, quôd cùm omnis inclinatio consequatur aliquam formam, appetitus naturalis consequitur formam in natura existentem: appetitus autem sensitiuus, vel etiam intellectiuus seu rationalis, qui dicitur Voluntas, sequitur formam apprehensam: sicut igitur id in quo tendit appetitus naturalis, est bonum existens in re, ita id in quo tendit appetitus animalis vel voluntarius, est bonum apprehensum. Ad hoc igitur vt Voluntas in aliquid tendat, non requiritur quôd sit bonum in rei veritate, sed quòd apprehendatur in ratione boni; & propter hoc Philosophus dicit in 2. Phys. * quôd finis est bonum, vel apparens bonum.

D. 1020. * Text. 31. tom. 2.

Ad primum ergo, dicendum, quòd eadem potentia est oppositorum, sed non eodem modo se habet ad vtrunque. Voluntas igitur se habet & ad bonum & ad malum. sed ad bonum, appetendo ipsum ad malum verò, fugiendo illud: ipse ergo actualis appetitus boni vocatur Voluntas, secundùm quod nominat actum voluntatis; sic enim nunc loquimur de voluntate; fuga autem mali magis dicitur nolũtas, vnde sicut Voluntas est boni: ita noluntas est mali.

Ad secundum, dicendum, quôd potentia rationalis non se habet ad quælibet opposita prosequenda, sed ad ea quæ sub suo obiecto conuenienti continentur; nam nulla potentia prosequitur nisi suum conueniens obiectum. Obiectum autem Voluntatis est bonum; vnde ad illa opposita prosequenda, se habet volũtas, quæ sub bono comprehenduntur, sicut moueri & quiescere, loqui & tacere, & alia huiusmodi; in vtrunque enim horum fertur Voluntas sub ratione boni.

Ad tertium dicendum, quòd illud quod non est ens in rerum natura accipitur vt ens in ratione: vnde negationes & priuationes, entia dicuntur rationis. Per quem etiam modum futura, prout apprehenduntur, sunt entia. In quantum igitur sunt huiusmodi entia, apprehenduntur sub ratione boni, & sic Voluntas in ea tendit; vnde Philosophus dicit in 5. * Ethicor. quòd carere malo habet rationem boni.

* c. 1. circa med. tom. 5.

Prima conclusio est affirmatiua. 1. Concl.

Secunda conclusio. Vt Voluntas feratur in aliquod bonum, non est necessarium quòd sit verum bonum, sed sufficit quòd sub ratione boni apprehendatur. 2. Concl.

Tertia conclusio. Sicut voluntas est boni, ita nolitio est mali. 3. Concl.

DVBIVM. I.

Vtrùm prima conclusio Diui Thomæ verum habeat.

PRobatur quôd nõ. Primô. Qui peccat ex certa malitia, peccat vidẽs & sciẽs 1. Arg.

illud esse malum: ergo vult malum sub ratione mali. Consequentia est nota. Antecedens probatur. Nam penes hoc distinguitur qui peccat ex certa malitia ab illo qui ex ignorãtia peccat, quòdille peccat sciens & videns esse malũ quod facit; quod tamen alter nõ videt: ꝙ insinuatur Prouerb. 2. lætantur cũ male fecerint, & exultant in rebus pessimis. *Confirm.* Cõfirmatur, nã potest aliquis ita esse malus & peruersus, quòd velit peccare vt peccet, & vt faciat malum.

2. Arg. Secundò arguitur. Potest quis velle malum sub ratione mali alicui: ergo & sibi. Patet consequentia, quia Voluntas non habet obiectum latius circa alium, quàm circa se ipsum: ergo si alteri potest velle malum sub ratione mali, etiam poterit sibi, quia si talis impossibilitas esset ex eo proueniret, quia malum vt sic, non esset obiectum volibile. Antecedens verò est manifestum in eo qui odio prosequitur inimicum, cui exoptat malũ sub ratione mali, vt ipsum omnino perdat. *D. Thom.* Et hanc apponit differentiam D. Thom. inter odium & inuidiam & iram, q. 12. de malo, art. 4. quòd ira non quærit malum proximi, nec impedit bonum eius, nisi sub ratione boni, nempe sub ratione iusti vindicatiui: at verò odium quærit malum proximi sub ratione mali, & inuidia odit bonum proximi sub ratione boni, & idẽ ait 2. 2. q. 158. art. 4. dicit enim, quòd odium est grauius quàm inuidia & ira; quia peius est appetere malum sub ratione mali, quàm sub ratione boni.

3. Argu. Tertiò arguitur. Potest per Intellectum Voluntati repræsentari malum aliquod sub ratione mali, videlicet odium Dei, aut idololatria: ergo Voluntas poterit illud velle sub illa ratione. Antecedens experientia constat, ita præsentari Voluntati malum, sicut & bonum. Consequentia probatur, nam si non potest Voluntas velle illud malum præsentatum sub tali ratione, non poterit demereri volendo illud sub tali ratione, neque poterit mereri nolendo illud, & repudiãdo tale malum sub tali ratione: quod falsum & absurdum videtur. Quôd autem istud sequatur, probatur, nã nõ potest esse meritum vel demeritum in re necessaria; necessarijs enim nec meremur nec demeremur: si autem non potest velle illud malum sic præsentatũ, necessarium erit non velle & repudiare illud.

Quartò arguitur argumento septimo Diui Thomæ quæst. 22. de veritate, artic. 1. Aliqui sunt, qui volunt non esse simpliciter secundùm corpus & animam vt hi qui sunt in inferno: sed eiusdẽ rationis est, velle non esse, & velle nõ esse beatus: ergo illi volendo non esse, volunt nõ esse beati; quia esse est necessarium ad esse beatum. Tunc vltra: ergo nolunt bonum sub ratione boni; quia beatitudo & bonum in communi idem sunt, & consequenter volunt malum sub ratione mali; excludendo enim à tali volitione rationem beatitudinis, excludunt omnem rationem boni, & consequenter volitum remanens non potest esse sub ratione boni, sed sub ratione mali, quia extra omnem rationem boni non manet nisi ratio mali, sub qua sit illud volitum. *4. Arg.* *Confirm.* Confirmatur, nam damnati bene possunt conformare suam voluntatem voluntati diuinæ: sed Deus potest illis præcipere quòd velint non esse beati; ergo sic possunt velle esse damnati, & consequenter volent malum sub ratione mali. Et idem potest probari de homine cui Deus reuelaret suam damnationem; posset vtique talis velle suam damnationem, & consequenter respuere bonum beatitudinis, & consequenter velle malum & miseriam sub ratione mali.

Quintò arguitur. Verum & falsum est obiectum Intellectus, nam vtrunque apprehendit Intellectus, & in vtrunque tendit per actum suum: ergo bonum & malum est obiectum voluntatis. *5. Arg.* Patet consequentia exparitate rationis, & etiam quoniam Voluntas aliquem actum habet circa malum, nolendo & fugiendo: ergo obiectum illius, est etiam malum. Et præterea probatur, nam si obiectum adæquatum voluntatis tantùm esset bonum, non posset Voluntas velle malum, etiam sub ratione boni; si quidem vnum contrarium non potest induere rationem formalem alterius contrarij. Et præterea probatur, quia nec etiam posset ferri Voluntas in malum per actum nolitionis, contra Diuum Thomam in præsenti, quia etiam actus nolitionis; actus positiuus est voluntatis, & non poterit esse nisi circa obiectum illius.

Sextò arguitur. Habitus voluntatis *6. Arg.* potest versari circa malum vt malum est:

ergo

ergo etiam ipsa Voluntas. Consequentia patet, quia habitus est inferior ad potentiam; vnde subquacunque ratione formali attingit habitus: ergo & potētia potest attingere. Antecedēs probatur, quia iustitia & iniustitia formaliter distinguūtur per hoc quòd iustitia est circa bonū, iniustitia verò circa malum: non enim distinguuntur penes diuersa bona inter se sicut alij habitus boni virtutis: ergo cùm iustitia tendat ad bonum, iniustitia tendet ad malum.

Vlt. arg. Vltimò arguitur, quia hæc videtur expressa sententia D. Thomæ, q. 17. de veritate, art. 7. vbi dicit, quòd qui vult dare eleemosynam propter vanam gloriam, vult bonum sub ratione mali: ergo à fortiori poterit appetere malum sub ratione mali.

Ocham. Maior. Almain. Scotus. Propter argumenta posita tenet hanc sententiam Ocham q. 13. in 3. ad 3. dubium, & Ioannes Maior in 2. dist. 28. q. 1. & in 4. dist. 49. q. 7. & Almain tractatu 3. Moralium, cap. 4. & cum istis multa ex Nominalibus turba. Scotus autem satis dubiè & lubricè loquitur in hac parte, nam in 1. dist. 1. q. 4. dicit, quòd non sufficienter probatur quò voluntas non possit velle malum sub ratione mali, & nolle bonum sub ratione boni; & in 2. dist. 6. q. 2. vbi loquitur de peccato primi Angeli, & dist. 43. vbi disputat de peccato in Spiritum sanctum, reliquit hāc rem sub dubio. Cæterùm in 4. dist. 49. manifestè sententiam huius articuli amplectitur, & planè dicit, quòd voluntas nostra necessitatur quantū ad specificationē ad appetē dū beatitudinēm cōmuni & ad odiēdū infelicitatē & miseriā. Verū tamē est, quòd loquens de dilectione Dei in 3. dist. 27. ait. quòd tā potentia intellectiua, quā volitiua, respicit pro obiecto terminante totum ens; vnde aliqui possent opinari quòd ponat ens obiectum Voluntatis, & non bonum: attamen non loquitur de obiecto motiuo, sed determinatiuo: & ita verum est quòd voluntas potest velle quodcunque ens, sub ratione tamen boni.

Conclu. D. Thom. Conclusio tamen Diui Thomę est certissima, quòd Voluntas quidquid vult, vult sub ratione boni, & nullatenus potest velle malum sub ratione mali. Hanc tenet in præsenti, & infrà quæstio 23. artic. 2. & quæstio. 27. artic. 1. ad 1. & quæstio. 28. articul. 4. & 22. quæstio. 64. artic. 2. & in 4. distinct. 49. quæstio 1. artic. 2. quæstiunc. 1. & 1. contra Gent. c. 38. & 62. & 3. cont. Gent. cap. 16. 17. & quæstio. 6. de potentia, artic. 3. & quæstio. 1. de malo, artic. 1. & quæstio 16. artic. 2. & quæstio. 25. de veritate, artic. 2. & quæstio. 22. artic. 1. & 1. part. quæstio. 56. sequunturque illum omnes discipuli eius, immò & Vazquez in præsenti, & *Vazquez.* similiter omnes scholastici communiter tenent hanc sententiam. Almain in 1. *Almain.* Moralium. Marsilius in 3. quæstio. 16. *Marsilius.* Burindanus 3. Ethicor. quæstio. 5. & lib. *Buridanus* 10. quæstio. 5. Richardus in 2. distinct. *Richardus.* 24. artic. 3. quæstio. 2. Gabriel distin. 24. *Gabriel.* quæst. 1. artic. 3. Henricus quodlibet. 1. *Henricus.* quæstio. 16. & pro complemento totius scholæ D. Bonauent. in 2. distin. 34. art. 5 *D. Bonauē.* quæstio. 3. est etiam expressa sententia Aristot. qui velut fundamentum ad omnes libros Ethic. præmisit, inquiens: Omnis ars, omnisque doctrina, & actus, itidem & electio, bonum appetere videntur. Quapropter benedixerunt antiqui: Bonum est quod omnia appetunt. & 8. Ethicor. cap. 2. ait: Amabile quidem bonum, vnicuique autem proprium. Inter Ethnicos, etiam Seneca grauissimus au- *Seneca.* thor lib. 4. de beneficientia, cap. 17. sic inquit: Nec quisquam tantùm à naturali lege desciuit, & hominem exuit, vt animi causa malus sit. Est etiam communis sententia inter Doctores sacros. Diuus Dio *D. Dionys.* nysius cap. 4. de diuinis nominibus, sic dicit: Omnia bonum & optimum concupiscunt. Ex quibus verbis deducitur illud commune prouerbium quod ei tribuitur; Nemo intendens ad malum, operatur. Gregor. Nyssenus libr. de hominis *D. Gregor.* opificio, expresse hoc docet, & in confir- *Nissenus.* mationem huius, adducit illud Genesis, quòd arbor in qua primus Parens peccauit, appellatur arbor scientiæ boni & mali, vt insinuetur, etiam in peccato sic bonum coniungi malo, vt malum appeti non possit nisi sub ratione boni. Et Diuus Anselmus libro de concordia liberi *D. Anselm.* arbitrij & prædestinatione, sic ait: Nihil vult voluntas, nisi commoditatem aut rectitudinem: quidquid enim aliud vult, aut propter commoditatem, aut propter rectitudinem vult. Et ad hæc, etiam si fallatur, putat se referre quòd vult, & vt vnus, qui pro mille computatur, addu catur. Sic tenet D. Augustinus inter omnes *D. Aug.* Doctores Sapientissimus; passim enim

tanquam notum supponit hoc fundamẽtum, & expresse de hoc agit lib. 2. Confessionum, à capit. 4. vsque ad decimum, vbi admodùm Christianè inquirit, quid nam amauerit in quodam furto quod cõmisit ætatis suæ anno decimo sexto, pro comperto supponens, quòd nihil potest amari nisi sub ratione boni; quod inductiuè probauerat cap. 5. vbi in omni vitio aliquid apparens & infimum bonum quæri & à facinorosis hominibus demonstrat: Nam & de quo dictum est (inquit) vecordi & nimis crudeli homine, quòd gratuitò potiùs malus atque crudelis erat: prædicta tamen est causa, ne per otium (inquit) torpesceret manus aut animus? Quare id quoque? Cur ita? Vt scilicet illa exercitatione scelerum, capta Vrbe, honores, imperia, diuitias assequeretur, & careret metu legũ, & difficultate rerum propter inopiam rei familiaris, & conscientias scelerum. Nec ipse igitur Catilina amauit facinora sua, sed vtique aliud, cuius causa illa faciebat, Quid ergo miser inte amaui, ò furtum meum, ò facinus meum nocturnum decimi sexti, anni ætatis meæ non enim pulchrum eras, cùm furtum esses: aut ergo aliquid es, vt loquar ad te? &c. Et in Inchiridione ad Laurentium, tomo 3. cap. 24. loquens de natura rationali, ait: Quia tamen natura in malis suis non potuit amittere beatitudinis appetitum. Ac si dicat, etiã in suis actibus malis, quæ ex libertate sua deficiente operatur, non potuit velle malum sub ratione mali, vel nolle bonum aut amittere beatitudinis felicitatem, quod est summum bonum appetitum. Et lib. 13. de Trinitat. cap. 3. in fine tomo 3. postquàm asseruit, omnes nos beatitudinem velle, inquit: Quidquid enim aliud quisque latenter velit, ab hac Voluntate, quæ omnibus hominibus satis nota est, non recedit. Immò in tantum est verum, quòd, omnis appetitio & dilectio debeat esse alicuius boni, siue veri, siue apparentis, quòd in omni appetitione, & dilectione diligimus etiam summum bonum, vt docet D. Thom. 1. part. quæstio. 44. artic. 4. ad 3. Vnde sic ait D. Agustin. in Soliloquijs: Deum diligit, quidquid diligere potest, vt refert D. Tho. q. 22. de veritate art. 2. Et certè pro ista sententia sufficere deberet experientia, quæ est mater rerum; nam authores contrariæ sententię aiunt, quòd ad experiendum propriam libertatem, illud potest velle Voluntas. Rogarem autem ergo Ocham ipsum; Vtrùm hanc libertatem experiatur, quòd possit velle malũ sub ratione mali: inductiuè enim potest hoc fieri non posse, nam quidquid homo vult, & ipsi dæmones id non facerent, nisi aliqua ratione boni allicerentur. Verbi gratia, si Deum odio habent, aut ipsum blasphemant, id faciunt vt de Deo vindictam quam possint assumant; quæ vtique apparens ratio boni est. Et qui se ipsos interimunt, & desiderant non esse & annihilari, etiam si malum videantur eligere, & propter malũ facere; adhuc hoc faciunt vt euadant mala, & grauissimis liberentur cruciatibus; quæ etiam est aliqua ratio boni: carere enim malo, bonum est. Secundò autem probatur ratione. Vna quæque potentia debet habere suum obiectum formale proprium, in quod & sub ratione cuius feratur, & non in aliud: sed respectu voluntatis tale obiectum est bonum: ergo quidquid vult, debet esse bonum, aut sub ratione boni. Si respondeas cum Ocham, quòd obiectum Voluntatis est ens, & sic apprehendit bonum & malum, & vtrunque potest esse volitum sub ratione sui obiecti: Contra arguitur. Intellectus & Voluntas sunt distinctæ potentiæ: ergo debent habere distincta obiecta formalia secundùm diuersum modum operandi vtriusque potentiæ, siue distinguatur, siue non ab essentia animæ; diuersus enim modus operandi est velle, alius intelligere; nam intelligere fit per receptionem obiecti, patiendo ab illo: velle autem, per inclinationem ad extra fit; vt nos ipsa luce clariùs experimur: ergo alia est ratio formalis Intellectus, & alia Voluntatis, nempe prioris verum, & secundi bonum. Immò Aristot. has duas passiones entis, verum & bonum aliter nesciuit distinguere, nisi quia vnum est in ordine ad Intellectum, & alterum in ordine ad voluntatem; vt est videre in D. Th. 1. p. q. 5. & q. 16. ar. 3. & 4. & q. 22. de veritate, ar. 1. & 3. Et certè idẽ si esset obiectũ vtriusque, nõ appareret quomodo essent duæ potentiæ, nam si Auditus perciperet colores, sicut Visus; eadem potentia esset cum Visu: vnde secundùm sententiam omnium rectè sentientium, formale obiectum Intellectus est ens vt verum. Voluntatis autem vt bonum.

Solut.

Impugn.

Arist.

D. Tho.

Con-

Confirm. Confirmatur, nam si propterea ens esset formale obiectum Voluntatis, vt volebat Ocham, quia omne ens potest esse volitum: eadem ratione deberet asserere, quòd vnũ est obiectum Voluntatis, quia similiter vnum potest esse volitum; quia omne ens est vnum: consequens autem manifestè est falsum: ergo illa ratio est insufficiens. Si rursus respondeatur cum Ocham, bonum accipi dupliciter. Primò, vt diuiditur in honestum vtile & delectabile. Secundò, vt idem est quod appetibile, seu volitum, probat agumentũ, quòd obiectum Voluntatis debet esse secundo modo, non autem primo: Contra *Impugn.* arguitur, nam ista distinctio ridicula est, quia non potest assignari appetibile, quod in illis tribus membris non includatur; & solutio Ocham petit principiũ; hoc enim intendimus, quòd nihil sit volitum vel appetibile, nisi illa tria bona. Tertiò probatur conclusio. Ex appetibilibus quædam sunt propter se; vt finis; quædam verò propter aliud. Si ergo ratio appetibilis & ratio entis sunt idem: ea quæ sunt entia propter se, erunt etiam & propter se appetibilia, & consequenter cùm omnis substantia sit ens propter se, omnis illa erit propter se appetibilis. Cõsequens autem est falsum, nam etiã multas substantias propter aliud appetimus: ergo formaliter non est eadem ratio entis & appetibilis. Quartò probatur. Magis mouet voluntatem magis bonum, & eã allicit & inclinat: ergo bonum est propria & primaria ratio obiectiua voluntatis. Patet consequentia, nam sicut optimè sequitur, Quod est magis dulce, mouet magis Gustum: ergo dulcedo est obiectũ Gustus: & sic similiter sequitur, Quod est magis lucidum, magis mouet Visum: ergo lucidum est obiectum Visus: ita similiter si magis bonum magis mouet voluntatem, bonum est obiectum Voluntatis. Corfirmatur, quia si ens formaliter est obiectum Voluntatis, secundùm differentias entis, magis vel minus perfectas, erit maior & melior motio Voluntatis: vnde magis calidum, vel magis album, quod est melius in ratione entis, magis moueret voluntatem: quod experientia patet falsum. Quintò probatur, Animalia bruta, immò omnia alia entia, *Solutio.* nihil appetunt nisi bonum, aut sub ratione boni: ergo similiter homo. Si respondeatur cum Ocham, negando consequentiam, quia appetitus naturalis, est ab Authore naturę, vnde necessariò in bonum: appetitus autem rationalis est liber, nec ab Authore naturæ determinatus; vnde pro libito in bonum & malum potest tẽdere: Contra arguitur, quia libertas ne- *Impugntio.* que consistit in posse velle malum sub ratione mali, nec minuitur ex hoc quòd nõ possit velle malum sub tali ratione: inquit enim D. August. in Enchiridione, *D. Aug.* tomo 3. cap. 105. Nec enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volumus, vt esse miseri non solùm nolimus, sed nequaquàm prorsus velle possimus. Item etiã impugnatur solutio, quia cùm appetitus liber sit inferior ad appetitum in communi; consideratio enim appetitus in communi, est respicere bonum: Similiter & de ratione appetitus rationalis, quia quod est de ratione generis, cuilibet speciei debet conuenire. Sextò probatur, quia omne agens, & præcipuè Voluntas, in omni opere agit propter finem: ergo propter bonum. Patet consequentia, quia finis & bonum sunt idem, vt suprà ostendimus. Septimò probatur, quia vt Arist. dicit 3. de anima, textu 46. *Arist.* & 47. Intellectus speculatiuus non mouet voluntatem, sed practicus: ergo quod mouet Voluntatem, non est ens, sed bonum. Patet consequentia, quia Intellectus practicus nõ respicit ens vtcũq; sicut speculatiuus, sed sub ratione conueniẽtis: ergo sub ratione boni, idem est conueniens & bonum. Octauò probatur, quia, vt suprà diximus, tunc cogeretur voluntas, si vellet malum sub ratione mali: sed non potest cogi: ergo. Si respon- *Solut.* deatur cum Ocham, negando maiorem, quia si diximus, quòd tunc cogeretur, erat quia supponebamus, inclinationem Voluntatis ad bonum tantúm esse; & vel le malum sub ratione mali, esset contra inclinationem Voluntatis, & consequenter cogeretur. Non autẽ est vera illa maior; dicendo enim, quòd inclinatio voluntatis est ad bonum & malum, tunc enim & velle malum, est secundùm inclinationem Voluntatis, & consequenter non cogitur tunc: Contra arguitur, quia volun- *Impugn.* tas est quædam determinata potentia: ergo habet determinatam inclinationem, & determinatum obiectum, & determinatã rationẽ obiecti: ergo non potest ferri nunc sub ratione boni, nũc verò sub ratione

tione mali. Vltimò probatur eleganti ratione Diui Thomæ quæstio. 22. de veritate, art. 1. Omnis appetitus, siue solùm à Deo directus, vt in rationalis, siue etiam se ipsum mouens, vt rationalis, mouetur à Deo, & ab ipso est talis inclinatio: ergo licèt qua ratione appetitus rationalis mouetur â se, possit tendere in malum; qua tamen ratione mouetur & habet esse à Deo, necessariò debet tendere in bonum; Deus enim ad malum inclinare non potest. Cùm ergo in quocunque opere simul concurrat Deus cum appetitu, etiã si appetitus ex parte sui tendat in malũ, ex parte Dei tendet in bonum, & consequenter illa ratio mali vestietur ratione boni. Nec potest dici è contra, quòd ratio boni vestiatur ratione mali, quia cùm cõcursus appetitus, prout ex parte Dei, sit intimior & vniuersalior, quàm concursus ex parte ipsius appetitus, vt se mouẽtis; ratio mali, quã vt se mouens respicit appetitus, debet induere rationem boni, quod & â Deo motus respicit, & non è contra. Contra quod & de peccatoribus *Esaiæ.5.* Esaias insinuauit cap. 5. vç qui dicitis malũ bonum, & bonũ malum; quia etiã in peccatoribus simul sunt bonum & malũ; *Psalm.4.* alterũ vt volitum, alterũ vt ratio volendi. Et Psalm. 4. Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendatium? Appellatur peccatum mendatium, quia qui peccat, quodãmodo mentitur, eo quòd tendat ad malum sub ratione boni. Alias plures *D. Thom.* rationes videatis in Diuo Thoma 3. contra Gent. c. 2. & 3. & 16. & 17.

Ad 1. Arg. Ad primũ argumentũ in principio respondetur, quòd peccare ex certa malitia, non est eligere malũ sub ratione mali, vt dicetur infrâ quæst. 78. art. 1. quia etiam sic peccans sua bona intendit, licèt vilia & minima; dicitur tamen peccare ex malitia, quia non ex ignorantia, nec ex passione impellente, sed per corruptionem ipsius Voluntatis, vel per consuetudinẽ *Iob.34.* vel habitũ. Vnde de his dicitur Iob. 34. Quasi de industria recesserunt â Deo: & *Prouerb. 2.* de illis dicitur Prouerb. 2. lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. Et Psalm 62. Prodijt quasi ex adipe *Psalm. 62.* iniquitas eorũ: transierunt in affectũ cordis. Vnde & Seneca lib. 5. epist. 39. Sa- *Seneca.* pienter ait: Tunc est consummata infelicitas, quando vitia non solùm delectant, sed & placent. Secundò respondetur faci- *2. Solut.* liùs, quòd licèt qui peccant ex malitia, non attendant ad aliquã bonitatẽ moralem; attendunt tamen ad aliquã bonitatẽ physicam. Et per hoc patet ad confirmationem; quantũcunque enim flagitiosus, semper tendit in rationem boni, physicã saltim.

Ad secundũ argumentũ respondetur, quòd quando quis vult alteri malũ, non *Ad 2. arg.* vult illud malũ sub ratione mali, sed sub ratione boni ipsius odiẽtis, siue veri, siue apparentis. Itaque licèt velit alteri malũ sub ratione mali alterius, non tamen absolutè sub ratione mali; quia hoc ipsum vult sub ratione proprij boni. Et sic patet, qualiter intelligatur D. Tho. dicens, quòd odiũ appetit malũ sub ratione mali illius quem odit, quod tamen, vt dictũ est, reputat sibi bonũ. Ita verò quærit malum proximi, non vt malũ illius est, sed vt vindicta est; quòd etiã est quærere malum sub ratione boni. Itaque siue odiẽs, siue iratus, sub ratione boni generaliter operantur, & sic in aliquo conueniunt: specialiter tamen & in particulari, differunt, quia iratus quærit malum proximi vt vindicta est; odiens verò quærit malũ proximi vt malũ eius est. Sicut & inuidus quærit etiã malũ proximi vt augeat propriã gloriã siue excellentiam. Et hoc generaliter inuenitur in omnibus actibus voluntatis; omnibus enim illis debet assignari vna ratio generica, & rationes obiecti, & prætereâ vnicuique suũ obiectum formale particulare, secundũ quod vnaquæque operatio distinguitur ab alia. Vnde in obiecto cuiuscunque potẽtiæ potest reperiri gẽmina ratio formalis; altera cõmunis, sub qua omne obiectũ refertur ad potentiã; altera verò particularis, secundũ quam vna operatio distinguitur specie ab alia operatione eiusdẽ potentiæ. Prima potest dici ratio formalis per modũ mouentis, quia nihil mouet potentiam nisi sub illa ratione. Secunda verò potest dici ratio formalis per modũ terminãtis, quia operatio terminatur ad ipsam & ab ipsa sumit speciẽ. Verbi gratia; Quãdo videtur albũ, prima ratio formalis per modũ mouentis Visum, est coloratũ; quia nihil potest mouere Visũ, nisi coloratum sit: at verò ratio formalis terminans & specificans hanc visionẽ, est albũ; nam hac ratione visio albi distinguitur specie à visione nigri: ita similiter cõtingit in obiecto voluntatis: prima enim ratio formalis mouẽs est ratio boni, quia

nihil

nihil potest allicere Voluntatẽ, nisi bonũ: altera verò est particularis ratio formalis in vnoquoque actu; & hæc in odio est malũ sub ratione mali; qua ratione, vt dictũ est, specie distinguitur odiũ ab ira, quæ terminatur & specificatur ad malũ proximi sub ratione iusti vindicatiui, apparentis aut veri; de quorũ distinctione amplius videatur D. Thom. 2. 2. quæst. 158. art. 4. Et si cõtra facias argumentũ, nam licèt doctrina tradita possit verificari de odio respectu alterius, cui vtique vult malũ sub ratione mali illius; sub ratione tamen boni odientis: hoc tamen verificari non poterit, quando aliquis odit se ipsum; nã si se ipsum odit, vult sibi malũ sub ratione mali proprij, quia hoc est de ratione odij, vt diximus, quòd vellit malũ sub ratione mali illius quem odit: non ergo restat, qualiter odiũ sui ipsius possit tendere sub ratione motiua boni proprij. Respondetur tamen ita supponendũ esse, quòd sicut licèt aliquis naturaliter diligat Deũ, tamen contra supernaturalẽ amorem charitatis potest illum odio habere, vt habetur 1. part. quæst. 6. art. 5. De quo etiam Capreolus in 1. dist. 1. quæst. 3. ad argumentum Aureoli contra rationẽ quartã pro prima conclusione in Sõcina. Ita similiter licèt naturaliter quis diligat se ipsum, actu tamen elicito & libero, potest se ipsum odio habere, licèt non per se, tamen per accidens, vt dicitur infra quæst. 29. art. 4. Tunc ergo dicitur, quòd etiam ille actus odij ipsius, dimanat ex alio primo actu amoris sui ipsius, vt dicitur infrà, quæst. 29. artic. 2. & D. Augustin. 14. de Ciuitate Dei cap. 7. omnes affectiones voluntatis ex amore dicit causari: vnde licèt particulare obiectũ, & ratio formalis illius, respectu odij sui ipsius, sit propriũ malum sub ratione mali, ratio tamen formalis obiecti cõmunis est bonũ; & hoc originatur ex illo alio priori amore sui ipsius, à quo mouetur, vt in hac particulari actione se odio habeat. Hęc enim natura est facultatis rationalis, vt supra se ipsam & supra suos actus sic possit reflecti, ita vt quando videatur secundũ rationẽ formalem particularem terminantẽ hunc actũ resilire à proprio obiecto, maneat tamen intra ipsum, & à proprio obiecto mota tendat in illud quod à proprio obiecto videbatur alienum. Vnde etiam in odiente se ipsum illa duplex ratio reperitur; altera motiua boni; & altera terminatiua mali; sicut diximus de odiente proximum. Ex quo sequitur, quòd potest aliquis velle malũ omnibus modis, ita vt ex parte illius cui vult malũ, nulla sit ratio boni; sibi autem non potest velle malũ omnibus modis; quia, vt dictum est, licèt secundũ aliquam rationẽ particularẽ velit sibi malũ, tamen secundùm aliã rationem priorẽ & cõmunem, vult sibi bonum, sub cuius ratione prorũpit in illam secundã volitionẽ mali: & sic generaliter habet verũ proloquium illud, quòd nemo vnquam carnẽ suã odio habuit; quia etiam odium sui, ex amore proprio procedit, vt suprà diximus. quæstio. 1. art. 6. quod etiam in odio intensissimo Dei latenter includitur, quòd fiat propter ipsum Deum, quatenus fit propter bonũ in cõmuni, quod secũdùm plenitudinẽ non nisi in Deo reperitur. Et si contra prædictã doctrinam facias argumentũ, nam idẽ debet esse obiectum motiuũ & terminatiuũ, nec potest esse amplior terminatio, quã motio: ergo totũ fundamentum positũ ruit. Antecedens probatur. Primo, nam Intellectus sicut non potest moueri nisi ab ente, ita nec terminari nisi ad ens, vel quod participat rationem entis; quia etiã si ad non ens terminatur, hoc est sub ratione entis, saltem rationis. Et similiter visus sicut solùm mouetur à colore, ita solùm ad colorem vel sub ratione coloris terminatur; vt si videt parietem, est sub ratione colorati. Secundò probatur etiam in ipsa Voluntate, ex D. Thoma; dicit enim, quòd voluntas semper est boni, quia semper tendit in sibi conueniens: ergo loquitur etiam de obiecto terminante, quod sit etiã bonũ, sicut fuerat mouens: nam hoc sonat ly Tendere; tẽdere enim est ad obiectum terminãs: malè ergo distingui mus in Voluntate, quòd malũ sub ratione mali possit terminare, licèt non mouere: & semper manet difficultas, quomodò conclusio D. Thom. sit vera, quòd Voluntas est tantùm boni, si terminatiuè est ad malum sub ratione mali. Respondetur tamen, hoc argumẽtum probare euidenter, etiam ipsum obiectum terminatiuum non posse omnino nudari à motiuo, sed quantumcunque formalizetur, ratio terminatiua semper includit rationem motiuam boni. Pro cuius intelligentia.

D. Tho. Obiectio. *Solut.* *Capreolus.* *D. Aug.* *Obiectio.* *D. Thom.* *Solutio.*

Notandum, quòd in illo obiecto terminan- *Not. 1.*

minante, etiã formaliter vt terminante, duplex ratio potest considerari. Prima in adæquata & particularis, vt terminans hunc actum, prout distinctũ ab alio. Secunda autẽ, prout terminat hunc actum, vt Voluntatis est, & vt cum alijs conuenit. Prima ergo ratio potest esse malũ vt malũ. Secunda autem necessariò est bonũ; & quia in exercitio, in quolibet actu vtrũque simul reperitur; & quòd sit volũtatis conueniens cum alijs, & quòd sit talis ab alijs distinctus, ideò in exercitio in obiecto terminante quẽcunque actum, necessariò etiam ratio boni reperitur, vt adæquata ratio motiua voluntatis inclusa in quocunque obiecto, etiam terminante. Exemplum clarũ est in visione; potest enim visio considerari vt visio est conueniens cũ quacunque visione, vel vt talis visio, est ab alijs specie distincta. Primo modo terminatur ad colorem sub ratione coloris. Secundo autem modo ad albũ sub ratione albi; & quia in exercitio non potest separari quòd sit talis visio, & non sit visio, ideô nõ potest terminari ad albũ, quim ad colorem terminetur: vnde ratio coloris nõ solùm se habuit vt motiua, sed vt terminatiua adæquata inquocunque obiecto particulari terminante inclusa. Sicut ergo hac ratione comparatur albũ ad colorem, ita etiam cõparatur malũ ad bonũ; quod licèt sub ratione mali, vt sub ratione inadæquata & particulari, terminet hunc actum, vt distinctum: tamen vt terminet hunc actum, vt voluntatis est, & cum alijs conueniens; debet induere, vt rationem adæquatam etiam in terminando, rationem boni. Licèt enim bonũ & malum opponantur, si sumantur eodẽ modo & secundùm eandem rationem; nõ tamen diuersimodè sumptum, quapropter si ratio particularis & inadæquata huius actus est malum sub ratione mali, nõ potest esse bonũ Et similiter si ratio adæquata est bonũ sub ratione boni, nõ potest esse malũ; quia sunt opposita; nõ tamẽ opponũtur in eo quod malũ habẽs rationẽ inadæquatam: terminãdi; super induat rationẽ boni, vt rationẽ adęquatam: quia cũ volũtas agat ex apprehẽsione, potest etiã reflecti supra oppositũ, induẽdo illud per imaginationem ex propria ratione sui obiecti & boni. Secundo principaliter respõdetur ad argumentũ principale, quòd actus voluntatis est duplex, vt dicit D. Thom. hîc; alter per modum prosequutionis & volitionis; alter verò est actus per modum fugę & nollitionis. Primus actus necessario est circa bonũ. Secundus autem necessariô debet esse circa malũ; quia eiusdẽ est prosequi bonũ, & fugere malum. Vnde Diuus Thomas infrà quæst. 23. art. 2. optimè dicit, quòd bonum non potest esse obiectum Volũtatis vt à quo, sed vt in quod tendimus: malum verò ê contra non potest esse obiectum vt in quod, sed vt à quo: vnde passiones concupiscibilis, vt amor & desiderium, sunt ad bonum, vt ad quod: aliæ verò sunt à malo, vt à quo; & inter istas enumerat D. Thom. passiones odij. Sentit ergo, quòd odium est actus refugitiuus. Si militer quæst. 29. arti. 1. dicit, quod odiũ est quædam dissonantia, qua fugimus illud quod apparet nobis non esse bonũ, sed disconueniens. Hoc ergo supposito, dicimus, quòd quando Diuus Thomas dicit, Voluntatem esse circa bonum, intelligitur de actu prosequutiuo Voluntatis, non autem de fugitiuo; sed potiùs dixit, quòd sicuti Voluntas est boni, ita nolitio est mali: vnde argumẽtum de odio, quòd sit de malo, nihil contra Diuũ Thomam. Tertiò respondetur cũ Caieta no quæst. 29. arti. 1. quòd odium non est purè actus prosequutiuus, nec purè refugitiuus; sed alterum prosequitur, & alterum fugit. Si enim loquamur de odio cõtrario amori concupiscentiæ, oppositò modo se habet, prosequitur personam, & refugit malum illius: & licèt vtrunq; reperiatur in odio, formalissimè tamen est fugere, & non prosequi; vt in amore amicitiæ, principale quod intenditur est persona, & non bonum: ita in odio cõtrario, principale est fugere personam, & minus principale prosequi malum: vnde iam manet principalius & formalius fuga in tali odio. Similiter in amore concupiscentiæ principalis ratio est bonum, & non persona: vnde in odio oppositò principalis & formalis ratio erit malũ, & non persona; & cùm respectu mali tale odiũ se habeat vt fuga, formalius in tali odio est fuga. Remanet ergo, quòd odium si consideretur vt prosequutiuum, vel est circa bonum, vel circa malum sub ratione boni; quod est recurrere ad primam solutionem. Si verò consideretur vt refugitiuum, nihil incõuenit esse circa malum, recurrendo ad secundam solutionẽ. Cùm autem ratio fugæ sit formalior in odio,

2. Solutio. ad 2. principale.

3. Solutio. Caietani.

abso-

absolutè dicēdum est, odium esse actum refugitiuum, & versari circa malum.

Ad 3. arg. Ad tertiū argumentum respondetur, quòd si Intellectus proponit malū voluntati, non est vt prosequatur, sed potiùs vt fugiat: vel si proponat vt prosequatur, hoc est sub ratione boni adæquata, & ratio mali etiā sub ratione mali tantū est in adęquatè & vt ratio materialis respectu rationis boni in cōmuni. Ad illud autem de odio Dei, respondetur, bene posse in hac vita aliquē odire Deum, quia potest repræsentari Deus sub ratione mali. Dixi in hac vita, quia, vt suprà diximus, in Patria cùm nō possit apparere aliqua ratio mali in amore Dei, necessariò diligitur. *Obiectio.* Et si cōtra dicas, quòd odire Deū, est velle, ipsum odientē nō esse; quia qui per odiū destrueret Deum, destrueret se ipsum, cùm ipse sine esse Dei existere non possit: *Solutio.* Respondetur, quòd nō semper Intellectus hoc cōsiderat, licèt in re ita futurū esset, quòd Deo destructo, destrueretur & ipse odiens: & cùm, vt dictū est voluntas sequatur apprehensionē Intellectus, potest odire Deū, sequendo ignorātiā vel errorē Intellectus. Quapropter de Angelo, quia in ipso nō potuit esse talis error, dixit D. Tho. quòd non potuit appetere esse Deū, & ipsum Deū non esse. Ad illud autē quòd tangitur in argumēto, si circa malū sub ratione mali præsentatū potest esse meritū, vel demeritū; Respondetur, primò, non esse necessariū q̄ circa quodcunq; obiectū, & subquacunque ratione cognitū vel propositū, possīmus mereri vel demereri. Licèt ergo circa malū sub ratione mali sub hac formalissima ratione non possimus mereri aut demereri, quia nec possumus illud velle aut non refutare, & impossibilibus & necessarijs nec possum⁹ mereri vel demereri: absolutè tamen circa malū meremur vel demeremur sub ratione boni quā induit, vel vtilis, vel delectabilis, vt contingit in peccatis eligendis: & licèt circa tale malū demeritū esse non posset, nō ideò sequitur, circa illud meritū esse non posse: Angelus enim in prima volitione nō potuit demereri, vt docuit D. Tho. cùm tamen in tali actu meritū esse potuerit, vt suprà latiùs ostendimus. Vel secūdò dicitur, q̄ licèt circa malū sub ratione mali absolutè cōsideratū non possit esse meritū vel demeritū; bene tamen circa ipsum in ordine ad aliquē finem; vt si ad auaritiā vel vanā gloriā ordinetur nolitio, erit demeritoria: si autē propter Deum nolit malum, meretur. Sicut circa felicitatem in cōmuni contingit; absolutè enim circa ipsam nec potest esse meritū, vel demeritū; quia nec potest repudiari; vel non amari: inordine tamen ad finē operantis circa felicitatē potest esse demeritū; vt si quis amaret illā, vt vacaret luxuriæ, vt putant Mahometici; vel meritum, vt si quis eā amet vt Deo placeat. Vel tertiò clariùs respondetur, quòd licèt circa malū sub ratione mali sit necessitas quoad specificationē, ita vt non possit amari, sed necessariò repudiari debeat: quoad exercitiū tamen est libertas: vnde per hoc meritū vel demeritū esse potest quòd habeat vel non habeat actū circa ipsum, sicut supra diximus de bono in communi necessitante quoad specificationem, vt ametur relinquēdo libertatem in exercitio talis amoris; ita malū è contra netessitat ad nolitionem quoad specificationem, manet tamē libertas in exercitio talis nolitionis.

Ad quartū argumentū respondetur, *Ad 4. Arg.* quòd etiā qui desiderant nō esse, desiderant bonū, nimirū liberari à miseria & à cruciatibus: carere autē malo quodam, bonū est: ita D. Tho. de veritate, q. 22. ar. 1. ad 7. Pro cuius claritate notandum, quòd non esse, potest considerari dupliciter. Primò secundū se, & vt opponitur *Not.* ipsi esse. Secundo modo consideratur nō esse vt subleuatiuū alicuius miseriæ coniunctæ cū ipso esse. Similiter ipsum esse potest dupliciter cōsiderari. Primò secūdùm se. Secundò vt habet coniunctā miseriā, quale est esse dānatorū. Primo modo voluntas nō potest appetere nō esse, quia vt sic non potest habere rationē boni. nec induere rationē sui contrarij. Secundo verò modo bene potest appeti ipsum non esse, quia vt sic induit rationem boni & entis, quia melius est nō esse, quā esse cū tanta miseria. Et si contra arguas, *Obiectio.* quòd ipsum esse est fundamentū totius boni & felicitatis: ergo non potest quærere bonū in non esse: Respōdetur, quòd *Solut.* esse absolutè consideratū, est fundamētū felicitatis & boni: esse autē cōiunctū doloribus & miseriæ, potiùs habet rationē mali, vnde oppositū, & non esse, vt exclusiuū huius miseriæ, habebit rationē boni & appetibilis. Ad confirmationē respodetur, quòd dānatti nolunt beatitudinē, & illā respuūt, non quidē vt volūtati *Adconfirm.*

diuinæ

diuinæ suã voluntatẽ conforment; licèt enim hoc Deus illis præciperet, nõ obtẽperarẽt: sed propter odiũ quo prosequũtur ipsum Deum, quẽ ideò videre nolũt; & id quidẽ non est nolle bonũ sub ratione boni, sed sub aliqua ratione mali, videlicet sub ratione inimicitiæ, quę malum est: quærunt autẽ & appetunt inimicitiã sub ratione boni, quia scilicet se volũt de suo hoste Deo, saltem in hoc, vindicare. At verò si alicui in hac vita Deus reuelaret suã dãnationẽ; non propterea statim eã vellet: si tamen id Deus illi pręciperet, quòd dãnationẽ scilicet vellet, & obediret, non quidẽ id facere posset volendo illam suam summam miseriã sub ratione mali, sed sub aliqua ratione boni, qualis est obedientia Dei.

Ad 5. argu. Ad quintũ respondetur, quòd licèt Intellectus posset apprehendere verũ & falsum; tamen quo ad iudicium & assensum nõ potest tendere nisi in verũ: in falsum autẽ tẽdit per dissensum. Cùm ergo Voluntas nõ debeat cõparari ad Intellectũ secundũ apprehẽsionẽ, sed secundũ assensum vel dissensum & iudiciũ quo proponit Voluntati vt agat; ita Voluntas cõparatur ad bonũ & malũ; ad bonũ appetendo; ad malũ autẽ respuendo illud. Ex eo autẽ quòd habeat nolitionẽ circa malũ, non sequitur, quòd malũ sit obiectũ, sed potiùs quod contrarietur obiecto. Cùm enim voluntas sit appetitus, debet tẽdere id suũ obiectũ prosequutiuè: in quod autẽ tendit fugitiuè & nolendo, non est vt in obiectũ, sed vt in non obiectũ; quia in prosequutione & in Volitione boni vt obiecti, fundatur & radicatur nolitio mali vt non obiecti. Ad aliã verò probationẽ respondetur, quòd sicut Intellectus nõ assentitur falso, nisi sub ratione veri, ita nec Voluntas in malũ nisi sub ratione boni: & sicut Intellectus, etiã si videatur formaliter tendere in falsum, vt quãdo affirmat falsũ esse quòd homo sit equus, hoc ipsum est sub ratione veri, quia verũ est, esse falsum quòd homo sit equus; ita & Voluntas licèt aliquando videatur tẽdere in malũ formaliter sub ratione mali, hoc ipsum est sub alia ratione formali superiori boni, vt dictũ est; & etiã explicuimus qualiter vnũ contrariũ possit inducere rationẽ alterius respectu voluntatis cõsequẽtis ipsam apprehensionẽ, & Intellectus imaginationẽ. Ad vltimã probationẽ respondetur, quòd etiã si illa nolitio sit actus positiuus, est tamẽ per modũ fugæ, & sic bene potest tendere in malũ sub ratione boni & proprij obiecti, vt dictũ est.

Ad sextũ argumẽtũ respõdetur, quòd obiectũ habitus mali, non est malũ sub ratione mali; quia, vt dicitur in materia de peccatis, essentiale peccati, nõ est aliquid priuatiuũ, sed aliquid positiuum, cui anectitur priuatio: illud autẽ positituum nõ est simpliciter malũ, sed malum morale, quòd simpliciter est bonũ bonitate naturali. Licèt ergo actus vitiosus tendat in peccatũ, & ab illo specificetur; nõ tendit in malũ sub ratione mali sed sub ratione boni. Secundò respõdetur negando cõsequentiã, obiectũ enim Voluntatis formalius & vniuersalius est obiecto cuiuscunque actus vel habitus illius; vnde licèt obiectum specificatiuũ habitus sit malum, obiectũ specificatiuũ potẽtię erit bonũ, & potentia exiẽs per illũ habitum, in obiectũ malum illius tendet sub ratione formali propria potentiæ, quæ est bonũ: & sic illud malum quod se habebat formaliter respectu actus, habebit se materialiter respectu Voluntatis. Verbi gratia; Ratio specifica habitus Philosophię est ens mobile; Intellectus autem, ens & mobilitas, quæ respectu Philosophiæ se habet formaliter, respectu Intellectus se habet materialiter: vnde si Intellectus mobilitatẽ attingit; hoc est sub ratione entis: Ita similiter in præsenti, cũ Volũtas operatur per habitũ iniustitiæ, ratio boni est ratio formalis; ratio autem mali iniustitiæ, est materialis respectu Voluntatis, licèt respectu habitus se habeat vt fomalis.

Ad 6. arg.

Solut. 2.

Ad vltimũ argumentũ respondetur, D. Tho. loqui de malo morali, non de malo simpliciter: vnde licèt in illo casu vellit sub ratione morali, vult tamen sub ratione boni naturalis, vtilis vel delectabilis.

Ad vlt. arg.

DVBIVM II.

Vtrũm omnis inclinatio sit ad bonũ.

1. *Arg.* PArs negatiua probatur. Primò, ex illo Genesis 6. Videns Dñs quòd multa malitia hominũ esset in terra, & cũcta cogitatio hominis esset ad malũ. Et Sapientiæ 12. dicitur: Non ignorans quoniã nequã est natio illorũ, & naturalis malitia illorũ; vt dicitur ad Rom. 7. Scio quòd nõ habitat in me bonũ; hoc est in carne mea, & ad Rom. 8. Si secundùm carnem vixeritis, moriemini. & ad Galatas. 5. Caro concu-

cõcupiscit aduersus spiritũ: ergo inclinatio carnis mala est secundũ loca prædicta.

2. Arg. Secundò arguitur. Quod adducit ad peccatum, est malum: sed inclinatio appetitus sensitiui adducit ad peccatum: ergo. Probatur minor, Iacobi. 1. vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.

3. Arg. Tertiò arguitur. Nam experientia cõstat, quosdam homines esse ad furta proclives; alios ad stupra, &c. ergo non omnis inclinatio est ad bonum.

Not. 1. Pro intelligentia notandũ. Primò, ex D. Th. q. 22. art. 2. ad 2. ad diuinam prouidentiã pertinere, permittere aliqua mala in rebus, quoniam si omniũ malorũ occasiones auerteret, multa bona deessent in mũdo. Ex quo fit, quòd ad iudicandũ de aliqua re, an sit mala, non est sufficiens indiciũ, quòd ex ea sequatur aliquod malum, vel sequatur ex aliquo malo.

Not. 2. Secundo notandũ, quòd ad iudicandũ an inclinatio alicuius naturæ sit bona; respiciendũ est, an feratur in id quod est cõueniens tali naturæ, & nõ ad effectus per accidens subsequutos; vt ad definiendum (v. g.) an serra sit bona, inspiciẽdũ est, an sit ad secandũ accommodata, & ex materia idonea ad id cõfecta, non autem quod per accidens illa possit fieri occisio hominis, aut q̃ possit contrahere rubiginem.

1. Concluſ. Prima conclusio. Omnis inclinatio hominis, in quantũ homo, est bona & ad bonũ. Probatur primò. Talis inclinatio est propria passio naturæ rationalis: sed natura rationalis secundũ Fidem est bona: ergo. Maior patet, quoniã est intrinseca ipsi naturæ rationali, & pondus eius, iuxta illud. Omnia in numero pondere & mensura constituisti. *Confirm.* Confirmatur. Omnis propria passio est impressio generantis: sed non potest esse aliqua impressio Dei quæ tendat in malũ: ergo. Maior patet in grauibus & leuibus, quoniũ motus generanti tribuitur. Et minor etiã patet, quoniã eo ipso quòd sit impressio Dei, est quidã motus rei in sibi cõueniens, & etiã quia tale malũ Deo tribueretur. Secũdò probatur. Nõ potest esse aliquis habitus naturalis inclinans ad malũ: ergo nec inclinatio naturalis. Cõsequentia patet ex paritate rationis. Antecedens probatur, quia tunc actus eliciti à tali habitu, nõ essent digni punitione, cũ naturalibus non demereamur. Tertiò probatur. Natura humana est capax beatitudinis: ergo omnis eius inclinatio fertur in illã, & est idonea ad eius assequutionẽ: sed inclinatio ad malũ, non est via ad assequendã beatitudinẽ: ergo nulla inclinatio naturæ rationalis vt sic, est mala. Cõfirmatur. Omnia opera virtutũ sunt conuenientissima humanæ naturæ: ergo eius inclinatio nõ est ad malũ. Cõsequentia patet ex illo Philosophi, vnũquodque agitur in quãtũ aptũ est agi: ergo si secundũ regulas virtutũ apte Volũtas agitur, sic erat apta agi, & cõsequenter nõ erat inclinata ad malum. *Confirm.*

Secunda conclusio. Nulla inclinatio appetitus sensitiui per se est mala. Probatur primò. Omnis eius inclinatio fertur in id quod est conueniens ipsi proprię naturæ: ergo nõ est ad malum, sed ad bonũ. Antecedens patet, quoniã semper fertur in bonũ sensibile, quod vtique suę naturæ cõuenit. Secũdò probatur: Appetitus sensitiuus secundũ se non apprehendit malũ culpę: ergo eius inclinatio non fertur in malũ morale, vt est tale: Oporteret enim ad id, quòd tale malũ apprehenderetur ab ipso appetitu sensitiuo, vel ab imaginatione qua dirigitur. Tertiò probatur. Omnis actꝰ appetitꝰ sensitiui potest esse virtutis instrumẽtũ; vt enim suprà dicebamus, passiones appetitus sensitiui idoneæ sunt ad virtutẽ, & ab ipsa excitantur, vt melius exequutioni mãdetur actꝰ virtutis: sed malũ, vt malũ, nõ potest esse virtutis instrumentũ: ergo inclinatio appetitus sensitiui secũdùm se nõ est mala. *2. Concl.*

Tertia conclusio. Inclinatio appetitus sensitiui in homine, per accidens tẽdit in malũ. Probatur primò. Appetitus tendit in bonũ sensibile: sed bono sensibili aliquãdo est adiuncta culpa: ergo aliquãdo appetitus tẽdit in malũ. Secũdò probatur Inclinatio grauis per accidẽs est mala naturæ sensitiuæ: ergo & inclinatio naturæ sensitiuæ per accidens poterit esse mala naturæ rationali, quia eadẽ est cõparatio vtriusq;. Antecedẽs patet, quoniã aliquãdo ratione grauitatis animal cadit deorsũ, ex quo casu vita periclitatur. Tertiò probatur. Effectus qui coniungũtur per accidens effectui per se intẽto, sunt effectus per accidens: sed malũ culpæ cõiungitur per accidens effectui per se intento ab appetitu sensitiuo: ergo est per accidens respectu illius, ac proinde appetitus per accidens fertur in malum. *3. Concl.*

Ad primũ argumentũ respondetur, quòd locus Genesis loquitur de propen- *Ad 1. arg.*

sione deliberata, qua homines in vitia ferebantur, non autem de propensione naturali. Locus Sapientiæ loquitur de Chananæis, quibus propter consuetudinem peccâdi, erat velut in natura versa pronitas ad peccandum. Locus Pauli intelligitur iuxta communem modum loquendi, quo dici solet, aliquem nunquam aliquid boni egisse.

Ad 1. arg. Ad secundum respondetur, quod concupiscentia boni delectabilis sæpe alliciũtur homines ad peccandum: nihilominus inclinatio in bonum delectabile secundũ appetitum sensitiuum considerata, bona est, licèt per accidens sit mala.

Ad 3. arg. Ad tertium respondetur, quòd diuersa complexio corporis est in causa vt diuersæ sint inclinationes ad bonum delectabile, quæ respectu appetitus sensitiui bonæ sunt, licèt per accidens sint malæ.

ARTICVLVS II.

Vtrùm voluntas sit tantum finis, an etiam eorum quæ sunt ad finem.

Veri. q. 22. art. 3. ad 9. AD secundum sic proceditur. *Videtur quòd Voluntas non sit eorum quæ sunt ad finẽ, sed tantùm finis. Dicit enim Philosophus in 3. Ethic.* * *quòd Voluntas est finis, electio autem eorũ quæ sunt ad finem.*

** Cap. 2. in med. tom. 5.*

2. Præterea: Ad ea quæ sunt diuersa genere, diuersæ potentiæ animæ ordinantur, vt dicitur in 6. Ethic. * *sed finis & ea quæ sunt ad finem, sunt in diuerso genere boni; nam finis, qui est bonum honestum vel delectabile, est in genere qualitatis vel actionis aut passionis, bonum autem quod dicitur vtile, quod est ad finem, est in ad aliquid, vt dicitur in 1. Ethic.* * *ergo si Voluntas est finis, non erit eorum quæ sunt ad finem.*

** Cap. 1. à mediotom. 5*

** Cap. 7. circa princ. to. 5.*

3. Præterea: Habitus proportionãtur potentijs, cùm sint earum perfectiones: sed in habitibus, qui dicuntur artes operatiuæ, ad aliud pertinet finis, & ad aliud quod est ad finem; sicut ad gubernatorem pertinet vsus nauis, qui est finis eius, ad nauifactiuam verò constructio nauis, quæ est propter finem: ergo cùm voluntas sit finis, non erit eorum quæ sunt ad finem.

Sed contra est, quia in rebus naturalibus per eandem potentiam aliquid pertransit media, & pertingit ad terminum; sed ea quæ sunt ad finem, sunt quædam media per quæ peruenitur ad finem, sicut ad terminum: ergo si Voluntas est finis, ipsa etiam est eorum quæ sunt ad finem.

Respondeo dicendum, quòd Voluntas quandoque dicitur ipsa potentia qua volumus, quandoque autem ipse Voluntatis actus. Si ergo loquamur de Voluntate secundùm quòd nominat potentiam, sic se extendit, & ad finem, & ad ea quæ sunt ad finẽ. Ad ea enim se extendit vnaquæque potẽtia, in quibus inueniri potest quocunque modo ratio sui obiecti; sicut Visus se extendit ad omnia quæcunque participant quocunque modo colorem. Ratio autem boni, quod est obiectum potentiæ Voluntatis, inuenitur non solùm in fine, sed etiam in his quæ sunt ad finem. Si autem loquamur de Voluntate secũdùm quòd nominat propriè actum, sic propriè loquendo, est finis tantùm, omnis enim actus denominatus à potentia, nominat simplicem actum illius potentiæ: sicut intelligere nominat simplicem actum Intellectus. Simplex autem D. 628.

actus

actus potentiæ est in id quod est secundum se obiectum potentiæ, id autem quod est propter se bonum & volitum, est finis; vnde Voluntas propriè est ipsius finis: ea verò quæ sunt ad finem, non sunt bona, vel volita propter se ipsa, sed ex ordine ad finem; vnde Voluntas non fertur in ea, nisi quatenus fertur in finem: vnde hoc ipsum quod in eis vult, est finis, sicut & intelligere propriè est eorum quæ secundum se cognoscuntur, scilicet principiorum. Eorum autem quæ cognoscuntur per principia, non dicitur esse intelligentia nisi in quantũ in eis ipsa principia cõsiderãtur. Sic enim se habet finis in appetibilibus, sicut se habet principium in intelligibilibus, vt dicitur in 7. Eth. *

* *Libr. 2. Phis. text. 29. Ethic. 7 Ethic c. 8. à medio tom. 2. & 5.*

Ad primum ergo dicẽdum, quod Philosophus loquitur de Volũtate secundùm quòd propriè nominat simplicem actum Voluntatis, non autem secundùm quòd nominat potentiam.

Ad secundum dicendum, quòd ad ea quæ sunt diuersa genere ex æquo se habentia, ordinantur diuersæ potentiæ; sicut sonus & color sunt diuersa genera sensibilium ad quæ ordinantur Auditus & Visus: sed vtile & honestum non ex æquo se habent, sed sicut quod est secundùm se & secundùm alterum: huiusmodi autem semper referuntur ad eandem potentiam, sicut per potentiam visiuam sentitur & color & lux per quam color videtur.

Ad tertium dicendum, quôd nõ quidquid diuersificat habitum, diuersificat potentiam, habitus enim sunt quædam determinationes potentiarum ad aliquos speciales actus, & tamen quælibet ars operatiua considerat & finem, & id quod est ad finem; nam ars gubernatoris considerat quidem finem, vt quẽ operatur: id autem quod est ad finẽ, vt quod imperat, è contra verò nauificatiua, considerat id quod est ad finem, vt quod operatur: id verò quod est finis, vt ad quod ordinat id quod operatur. Et iterum in unaquaque arte operatiua est & aliquis finis proprius, & aliquid quod est ad finem, quod propriè ad illã artem pertinet.

Prima conclusio. Volũtas sumpta pro potentia, non tantúm est finis, sed etiam eorum quæ sunt ad finem. 1. *Conclusio.*

Secunda conclusio. Voluntas vt dicit simplicẽ actum Volũtatis tantũ est finis. 2. *Concl.*

DVBIVM I.

Vtrûm verũ habeat illa diuisio D. Thomæ quòd actus voluntatis alius est circa finem, & alius circa media: quod alys verbis solet dubitari, vtrùm detur actus neuter; & alijs verbis solet moueri, vtrũ detur actus medius inter actum circa finẽ, & actum circa media.

IN hac re est opinio Scoti in 1. dist. 1. q. 3. & Ocham dist. 1. tenent dari actũ medium vel neutrũ, & sic diuisionem D. Thomæ esse insufficientem. Hęc sententia probatur primò. Intellectus potest apprehendere bonum, abstrahendo à fine & à medijs; sicut potest apprehendere animal; abstrahendo ab homine & leone: bonum enim quid commune est ad finem & ad media, sicut animal ad hominem & leonem: sed tale bonum sic apprehensum potest Intellectus proponere Voluntati: ergo voluntas poterit ferri in illud: sic enim Voluntas tendit in bonũ, sicut ei proponitur ab Intellectu, & tunc talis actus nec erit circa finem, nec circa media. *Scotus. Ocham. 1. Arg.*

2. *Arg.* Secũdò arguitur. Martyres pro Christo patientes habebant actum Voluntatis circa propriam vitam, quam naturaliter diligebant: sed talis actus nec erat circa vitam, vt circa finem vel circa mediũ: ergo datur actus neuter. Prima pars minoris patet, nam finis sic est volitus propter se, vt alia propter ipsum appetantur; est enim cuius gratia omnia fiunt: sed vita martyris non sic erat volita, quia non omnia propter ipsam diligebant, cùm potiùs vellent vita priuari, quàm Deum deserere: ergo non amabant vitam vt finẽ. Secunda pars minoris probatur, nam tũc vita amabatur finevlla relatione ad aliud sed vt in se ipsa amabilis erat: ergo non amabatur vt medium, de cuius ratione est propter aliud esse volitum.

3. *Argu.* Tertiò arguitur. Deus ante mundi creationem amabat suam bonitatem, & non tanquàm finem, nec tanquàm mediũ: ergo datur actus neuter. Prima pars minoris probatur, namvt aliquid ametur vt finis, requiritur, vt diximus, quòd alia propter ipsum diligantur: tunc autem Deus nihil aliud extra se propter se diligebat, quia extra se nihil erat: ergo non diligebat se ipsum vt finem. Secũda pars minoris probatur, quia bonitas diuina ad nihil aliud potest vt medium ordinari cùm ipsa sit fons totius bonitatis: non ergo poterat amari vt medium. *Confirm.* Confirmatur, nam amor diuinus ad intra, nec est circa finem; quia sicut ad intra non est agens, ita nec finis, vt dicit Caiet. 1. p. q. 44. art. 4. nec etiam est circa mediũ, quia Deus tali dilectione dilectus respectu nullius finis potest esse medium, cùm ipse omnium sit finis.

4. *Arg.* Quartò arguitur. Aliquãdo amamus scientiam, tamen nec vt finem, nec vt mediũ: ergo. Prima pars minoris probatur, quia nihil appetimus propter scientiam. Et itẽ pluries scientia ordinatur ad aliud, videlicet ad Deũ: ergo non amatur vt finis. Prædicta ergo cum ratione finis contradicunt. Secunda pars probatur, quoniã scientiã propter se amamus, & non propter aliud, vt dicitur de actibus specu latiuis 9. Metaph. & 1. Ethicorum.

5. *Arg.* Quintò arguitur. Velle est actus voluntatis distinctus ab intentione & fruitione, & ab electione & vsu, & similibus: ergo debet habere distinctũ obiectũ: sed intentio & fruitio versantur circa finem electio & vsus & similes circa media: ergo huius actus, qui est velle, debet assignari obiectũ, quod nec sit finis, nec mediũ

6. *Arg.* Sextò arguitur. Ita se habet finis & medium respectu Voluntatis, sicut principiũ & conclusio respectu Intellectus; sed multa cognoscit Intellectus, quæ neque principiũ; nec conclusio sunt: ergo similiter de voluntate multa vult & potest appetere, quæ nec sint finis, nec mediũ. Minor probatur, quia istæ propositiones, Petrus currit, Petrus est albus, nec principia sunt, nec cõclusiones; quia nullo modo ad scientiã pertinent, vel ad habitum principiorũ, quia cõtingentes sunt.

7. *Arg.* Vltimò arguitur. Si propter aliquam rationẽ non daretut habitus medius, vel neuter, maximè quia, vt statim dicemus, esse volitũ propter se, vel propter aliud, q̃ est esse volitũ vt finis, vel vt mediũ, opponuntur contradictoriè; & inter contradictoria mediũ non datur: sed hæc ratio falsum supponit: ergo. Probatur minor, quia isti termini, volitũ propter se, & propter aliud, sunt termini positiui: non ergo sunt contradictoriæ. Item etiã quia eidem possunt simul conuenire, vt si Medicina sit delectabilis, simul est propter se ipsam volita, & propter sanitatem.

Not. 1. Pro intelligentia huius dubij notandũ, quòd finis dupliciter potest considerari, & duo ad rationẽ finis pertinent. Primũ, quòd propter se amabilis sit; quodvtique non est intelligendum quasi finispartiatur in duo, ita vt finis ipse ad se ipsum ordinetur, & ipse respectu. Sui rationem habeat finis, propter quẽ ipsemet diligatur: sed hoc quòd propter se sit amabilis, tantũ sonat quòd non propter aliud amatur, nec ratione bonitatis alterius, sed quòd sua propria bonitas est ratio diligẽdi ipsum. Secundũ autẽ quod ad rationẽ finis pertinet est, quòd alia propter ipsũ diligantur; hac enim ratione finis consideratur in ordine ad media, quatenus est ratio diligendi media.

Not. 2. Secundò notandũ, quòd finis in ordine ad media dupliciter potest amari. Primò, formaliter & explicitè & in actu signato, cognoscẽdo habitudinẽ finis ad media. Secũdo autẽ modo potest amari finis inordine ad media in actu exercito; quia licèt nõ consideret habitudinẽ vtriusque in exercitio tamen operis, tendit in finem vt in rationem volendi medium vel in medium vt bonitatem finisparticipãs. Vt (verbi gratia) quando quis sumit potionem

tionem amaram, licèt actu de sanitate nō cōsideret, in exercitio tamen propter sanitatem sumit illam.

1. Concl. Prima cōclusio. Loquendò de fine in ordine ad media, & de medio in ordine ad finem, sumpta habitudine vtriusque in actu signato & explicito, datur actus medius & neuter, qui nec sit circa finem, nec circa media. In hac conclusione debet *Scotus.* Scotus conuenire loco citato, & illam asserit in 4. dist. 49. q. 10. & *Durandus* Durandus in 2. *D. Thom.* dist. 38. q. 2. est etiam Diui Thomæ articulo sequenti. Et probatur, quia cùm aliquod bonum honestum vel delectabile appetitur propter bonitatem quam habet, non referendo in aliud, nec alia in ipsum, nec cum istius habitudinis aduertētia, tunc Voluntas fertur in bonum, & non sub ratione actuali & formali finis, nec sub ratione formali medij: ergo datur talis actus medius & neuter in tali cō sideratione.

2. Concl. Secunda conclusio. Si finis considere tur secundùm rationem adæquatam, & quatenus propter se amabilis, & quatenus alia amabilia sunt propter ipsum; sumendo etiam talem habitudinem ad media in actu exercito; tunc posito ex vna parte fine, & ex alia medio, nullus potest dari actus neuter & medius, qui nec sit vnius nec alterius, sed necessariò debet esse vel circa finem, vel circa medium. Si autem finis consideretur secundùm rationem inadęquatam, quatenus alia amabilia sunt propter ipsum, siue talis habitudo ad media sit in actu signato, siue in actu exercito, tunc actus medius & neuter potest dari, qui nec sit circa finē, nec circa medium, vt patet euidenter in simplici volitione finis, quando intrinsecè & absolutè propter suam intrinsecam bonitatem appetitur; nulla interueniente habitudine, nec formali, nec exercita, ad medium. In hoc enim distinguitur intentio à simplici volitione finis, quòd illa est cum habitudine finis, siue formali, siue exercita, ad media; ista verò est ad finem absolutè sine respectu ad media. Prima ergo pars conclusionis, in qua est difficultas, videtur expressa Diui Thomæ hîc, *D. Thom.* *Gregorius.* quem etiam sequitur Gregorius de Arimino in 1. dist. 1. q. 1. art. 1. Licèt alijs rationibus non adeò fortibus ille moueatur. *Arist.* In super videtur clara sentētia Arist. in 3. Ethic. c. 2. vbi ait: Voluntas est magis finis, electio autem eorū quæ sunt ad finē. Et c. 5. inquit: Finis affectabilis est, scilicet volibilis: ea verò quibus vtitur ad finem, eligibilia sunt; vbi nullam mentionem de alio actu facit, quàm circa finē & media. Et 2. Physicorū, ex diffinitione finis, quòd sit illud cuius gratia aliquid fit, patet, quòd in finibus non possit esse abitio in infinitum, sed quòd oporteat in omni appetitione dari vnum, in quo Voluntas quiescat tanquam in fine, ratione cuius cætera omnia velit. Hic autem discursus Arist. nullus esset, si sententia Scoti esset vera, quòd possit esse actus neuter, nec circa finem, nec circa media quæ ad finem sunt. Ratione autem probatur. Primò. Id in quo voluntas fertur, vel habet bonitatem secundùm se & propriam vel ab alio, vel in ordine ad aliud. Si primum, appetitur vt finis: si secundum, vt medium: ergo necessariò quicūque actus vel est circa finem, vel circa medium. Secundò probatur. Voluntas necessario fertur in bonum, honestum, vel vtile, vel delectabile; ista enim exhauriunt totam boni amplitudinem: sed si feratur in bonū, honestum vel delectabile, fertur in illud vt in finem, quia tale bonum est propter se amabile; quod pertinet ad rationem finis. Si autem feratur in bonum vtile, fertur in illud vt in medium; hoc enim dicit vtile, quòd sit ad aliud assequendū; quod pertinet ad rationem medij; ergo necessariò quicunque actus est circa finem vel medium. Tertiò probatur. Inter contradictoria non datur medium: sed finis secūdùm adæquatam rationem & mediū opponuntur contradictoriè: ergo nō datur medium inter illa. Minor probatur, quia in ratione adæquata finis, includitur quòd sit propter se amabilis; hoc est (vt explicuimus) quòd non propter aliud ametur: mediū autem dicit, quòd ametur propter aliud: ergo opponūtur contradictoriè; contradictoria enim sunt, amari propter aliud, & nō amari propter aliud.

Not. Sententia Vazquez & Lorca reijcitur.

Circa hanc vltimam rationem notandū, quòd Vazquez communiter à veritate deuians, in hac tamen cōclusione vt notissima conuenit cum Diuo Thoma, suo tamen modo, si non substātiam, modum tamen intendit calumniari. Duo enim dicit. Primò, quò falsò imponitur Scoto opposita sententia à Thomistis, quia in loco allegato nunquam dicit dari actum neutrū; sed solùm dicit, dari actū, qui nec sit vsus, nec fruitio: alius tamen quem

vltra hos potest ponere Scotus, etiam erit circa finem; quia multi alij actus circa finem possunt esse: vnde ponere Scotum actum vltra vsum & fruitionem, non est ponere actũ, qui nec sit finis, nec medij. Et in hoc primo dicto cõuenit cum Vazquez Lorca hic disputatione 8. qui ad lõgum nititur probare, Scotum non esse nobis contrarium. Secundò dicit Vazquez, quòd licèt in re ita sit, quòd non dãtur actus neuter, qui non sit circa finem vel medium; hoc tamen non est propter vltimam rationem nostræ conclusionis, quæ Caietani est: falsum enim assumit in illa, quòd esse diligibile propter se & propter aliud, contradictoriè opponantur; quia esse diligibile propter se, non dicit negationem, sed positiuam & intrinsecã bonitatem finis; licèt ex hoc virtualiter inferatur negatio, quòd non sit propter aliud. Cum hoc tamen concedit Vazquez, esse immediatè oppositа, esse appetibile propter se, & propter aliud. Et potest confirmari argumentum illius, nam contradictoria debent immediatè comparari secũdùm affirmationẽ & negationẽ; nam quòd sit negatio consequuta, nõ facit cõtradictoria; cõtraria enim habent ad inuicem negationem consequutam, & illa non obstante medium potest dari inter vtrumque; quia immediatum quod importatur in vtroque, positiuum est. Si ergo propter se & propter aliud appetibile, important rationes positiuas, licèt ex appetibili propter se inferatur negatio quòd non sit propter aliud, non erũt oppositа contradictoria.

Nihilominus tamen quæ diximus in ratione Caietani vera sunt, & ad rationes Vazquez respondetur. Ad primam quidem, quòd si Scotus non sit nobis contrarius, tanto melius: ipse tamen Scotum nõ intellexit: licèt enim Scotus non ponat expresse actum neutrum, necessariò tamen infertur ex ratione illius, si aliquid probat, ponit enim vt fundamẽtum suæ rationis, quòd voluntas potest tendere in bonum, quod nec sit appetibile propter se, nec propter aliud: & si hoc est verum datur actus neuter; nam medium est propter aliud, & finis propter se: ergo si secũdùm Scotum datur bonum, nec propter se nec propter aliud, secundùm Scotum datur medium & actus neuter, qui nec sit circa finem, nec circa medium. Ad rationem autem respõdetur, quòd, vt dicit Caietanus, idem est in præsenti oppositio cõtraria & cõtradictoria; quia licèt finis importet aliquid positiuũ, nõ tamẽ absolutè, sed vt subest negationi huius quod est esse propter aliud. Cõtraria autẽ physica licèt negationẽ includant, non tamẽ importatur ipsum positiuum, vt formaliter negationi subest, sed absolutè album & nigrum significant formas positiuas; qua propter inter contraria physica potest dari medium, non autẽ inter finẽ & media, quia, vt dictum est, finis importat formaliter positiuũ vt negationi subest: vnde vt contradictorium reputatur. Vel secundò respondetur, solum esse differentiam in modo loquendi inter Caietanum & Vazquez quia etiã iste cõcedit, quòd licèt sint contraria, non tamen datur medium inter vtrunque; quod certè aliquid amplius est ponere, quàm contrarietatẽ; contrarietas enim medium admittit: si ergo istа mediũ nõ admittunt, amplius quã contrarietatẽ habent. Vnde licèt in rigore contradictoria non sint, quia vtrunq; importat positiuum: quatenus tamẽ medium non admittunt, contradictoria reputantur. Si autem quæras, vnde proueniat; vtrumque positiuum importare, & nihilominus non esse purè cõtraria quæ admittant mediũ, sed quo ad hoc reputari contradictoria: Respondetur, quòd ex eo quòd positiuum vtriusque, videlicet finis & medij, comparantur adinuicem relatiuè; hæc autem est differentia inter opposita contrariè, & opposita relatiuè, ꝙ oppositа contrariè mediũ habent; opposita autẽ relatiuè nõ ita. Vnde hoc participant oppositionis cõtradictoriæ, licèt ex oppositione contraria participet quòd vtrũque extremũ sit positiuũ. Quòd autem finis & media relatiuè cõparentur, manifestũ est, cũ mediũ sit per ordinem ad finẽ, finis autẽ per habitudinem ad media; cui tamẽ adiũgitur negatio, vt dictũ est, huius quod est ad alterum ordinari.

Dubitatio

Solut.

Tertia conclusio. Absolutè & sine distinctione dicendũ est, non dari actũ neutrũ & mediũ; sed quòd absolutè omnis actus vel est circa finẽ vel circa media. Probatur, nã, vt dictũ est, finis & habet propriã bonitatẽ, qua ratione nõ est ad aliud & qua ratione alia sunt ad ipsum, siue formaliter, siue virtualiter: ergo nullus actꝰ potest esse, qui nõ sit circa media vel circa finẽ secũdũ aliquã istarũ rationũ. Secũdũ quãcũque autẽ illarũ sufficit vt actus

3. Concl.

dica-

dicatur circa finem vel media: ergo. Probatur ista minor, quia si tendit in bonitatem absolutè, non propter aliud in finem tendit secundùm vnam rationem finis: si autem in talem bonitatem, vt alia sunt propter ipsam, etiam tendit circa finem secundùm alteram rationem finis: si autè tendit in aliquod in ordine ad aliud, tendit vt in medium: ergo. Quòd autem tendatur secundùm habitudinem formalem vel virtualem, nihil interest, vt non dicatur esse circa finem vel medium; quia sicut vt aliquid sit absolutè volnntarium, sufficit esse formaliter vel virtualiter volitum; ita vt absolutè sit circa finem, vel media, sufficit habitudo vnius ad alterũ, siue formalis, siue virtualis in actu exercito.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum à principio respondetur. Primò, negando, posse abstrahi vnam rationem communem, etiã analogam, vnius conceptus à fine & medio; sicut nec abstrahi potest vnus cõceptus à sanitate animalis & vrinæ: sic enim etiam bonum intrinsecè tantum dicitur de fine; de medio autem solùm extrinsecè. *2. Solut.* Secundò respõdetur, dato quòd ratio communis abstrahatur, quòd non potest ab Intellectu sic in communi proponi Voluntati, nec Voluntas sic in illud incõmuni potest ferri, quia Voluntas fertur circa bonum existens; vt sic enim tãtùm sibi est conueniens, & non prout in communi concipitur; bonum autem existẽs & in particulari necessariò debet esse finis vel medium, & sic in Voluntate actus neuter nõ potest dari: de quo latiùs videatur Caiet. 1. p. q. 80. art. 2. circa 2. D. Thomæ. *3. Solut.* Tertiò respõdetur, adhuc dato quòd tale bonum in communi proponatur Voluntati, & Volũtas in illud feratur, quòd tunc ferretur in illud bonum, vt in finem quatenus appeteret illud, non propter aliud, sed propter se ipsum. Itaque illud bonum sic apprehensum in actu signato & quasi speculatiuè & logicè, esset commune, & abstrahens à fine & medio; practicè autem & in exercitio, prout terminat actum Voluntatis, haberet rationẽ finis, & induceret rationẽ vnius inferioris ad se ipsum: hæc enim natura est transcẽdentium, vt potentia rationalis supra ipsa possit reflecti, & illa aliqua ratione particulari induere; & ad ipsa sic determinata tendere: vnde illa ratio sic abstracta, quantũ ad substantiã esset quid commune, quãtum ad modum esset quid particulare.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum respondetur, quòd vita martyris si comparetur ad dilectionem naturalem, habet rationẽ finis; quia non diligitur propter aliud, sed propter se. Si autem comparetur ad dilectionem charitatis, diligebatur vt mediũ in ordine ad Deum; immò vt meliùs loquamur, cõtemnebatur in ordine ad Deũ quatenus vt Deum non defererent, vitam contemnebant.

Ad 3. arg. Ad tertium respondetur, quòd ante mundi creationem Deus diligebat se ipsum vt finem creaturarum possibilium. Vel secundò dicitur, quòd diligebat se ipsum vt finem etiam amore ad intra, nõ vt finis dicit ordinem ad media, sed negatiuè, vt finis dicit non propter aliud: & sic patet ad confirmationem.

Ad 4. Arg. Ad quartum patet ex dictis, quòd scientia si ad aliud nõ ordinatur, amatur propter se, & sicut finis. Si autem ex parte operantis ad aliud ordinetur, respectu illius habet rationem medij.

Ad 5. arg. Ad quintum argumentum patet etiã ex dictis, quòd simplex velle est circa finem, non vt finis dicit ordinem ad media; in quo distinguitur ab intentione; sed vt finis dicit bonum non propter aliud.

Ad 6. arg. Ad sextum argumentum respondetur, illas propositiones accidẽtales aliquo modo, licèt largè & non ita propriè, habere rationem principiorum, quatenus immediatè & euidentia quadam in se ipsis cognoscuntur: euidentia (inquã) si nõ intellectuali, tamen experimentali. *2. Solut.* Secũdò respondetur, non esse eandem rationẽ de principio & conclusione respectu Intellectus, atque de fine & medio respectu Voluntatis; quia cùm cõclusio habeat in se formaliter veritatẽ, obiectũ Intellectus non potest esse tantùm ipsum principiũ, sed aliquid cõmune, amplectens tam veritatẽ principiorũ quàm conclusionũ: & sic datur mediũ inter principiũ & conclusionẽ. Media autem non habẽt bonitatẽ formalem & intrinsecam, vt media sunt, sed tantùm dicuntur bona extrinsecè à bonitate finis. Vnde non necesse est esse aliquid supperius vtrumque amplectens vel neutrum ad vtrumque; sed obiectum Voluntatis necessariò est bonum & finis, vt suprà diximus: & consequenter si obiectum illius est, necessariò fertur in illud, vel sub ratione illius;

quod iam erit in media tendere: media enim sunt quæ sub ratione finis & in ordine ad finem appetuntur.

Ad vlt. arg. Ad vltimum respondetur, vt patet ex dictis in secunda conclusione circa vltimam probationẽ illius, qualiter, licèt isti termini propter se & aliud videatur positiui, & solùm contratij, habent tamen negationem formaliter importatam, & reputantur vt contradictorij inter quos non est medium. Ad illud autem de medicina delectabili, dicitur, quòd tunc duplici actu ferretur Voluntas circa ipsam, vt in finem, vt delectabilis, vt in medium autem, vt vtilis ad salutem: non autem inconuenit, quòd idem secundum diuersam rationem sit medium & finis; sicut etiam secundùm diuersam rationem potest induere rationem contradictoriam.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Voluntas eodem actu moueatur in finem, & in id quod est ad finem.

*Inf. q. 12 ar. 4. cor. & 3. dist. 14. ar. 2 q. 4. corp. & veri. q. 2. ar. 14. corp. & ad 3. *Li. 3. top. c. 2. parũ â prin. tom. 1*

AD tertium sic proceditur. *Videtur quòd eodẽ actu Voluntas feratur in finẽ, & in id quod est ad finem. Quia secundùm Philosopum, vbi est vnum propter aliud, ibi est vnum tantùm: sed Voluntas non vult id quod est ad finem, nisi propter finem: ergo eodem actu mouetur in vtrumque.*

2 *Præterea: Finis est ratio volendi ea quæ sunt ad finem, sicut lumen est ratio visionis colorum: sed eodem actu videtur lumen & color: ergo idem est motus voluntatis quo vult finem, & ea quæ sunt ad finem.*

3. *Præterea: Idem numero motus naturalis est, qui per media tendit ad vltimum sed ea quæ sunt ad finem, comparãtur ad finem sicut media ad vltimum: ergo idem motus voluntatis est, quo Voluntas fertur in finem, & in ea quæ sunt ad finem.*

Sed contrà. Actus diuersificantur secundùm obiecta: sed diuersæ speeies boni sunt finis & id quod est ad finem, quod dicitur vtile: ergo non eodem actu voluntas fertur in vtrũque.

Respondeo dicendum, quòd cùm finis sit secundùm se volitus; id autẽ quod est ad finem, in quantum huiusmodi, non sit volitum nisi propter, finẽ manifestũ est, quòd voluntas potest ferri in finem, in quantum huiusmodi, sine hoc quòd feratur in ea quæ sunt ad finem: sed in ea quæ sunt ad finem, in quantum huiusmodi, nõ potest ferri nisi feratur in ipsum finem. Sic ergo Volũtas in ipsum finẽ dupliciter fertur, scilicet, vno modo absolutè secũdum se: alio modo sicut in ratione volendi ea quæ sunt ad finem. Manifestũ est ergo, quòd vnus & idẽ motus volũtatis est quod fertur in finẽ secũdùm quòd est ratio volẽdi ea quæ sũt ad finẽ, & in ea ipsa quæ sunt ad finẽ: sed alius actus est, quo fertur in ipsum finem absolutè, & quandoq; præcedit tempore; sicut cùm aliquis primò vult sanitatem, & posteà deliberans quomodo possit sanari, vult conducere Medicum vt sanetur: sic etiam & circa Intellectum accidit, nã primò aliquis intelligit ipsa principia secundùm se, postmodum autem intelligit ea in ipsis conclusionibus, secundùm quòd assentit conclusionibus propter principia.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd ratio illa procedit secundùm quòd voluntas fertur in finem, vt est ratio volendi ea quæ sunt ad finem.

Ad

Ad secundum dicendum, quòd quandocunque videtur color, eodem actu videtur d *lumen; potest tamen videri lumen sine hoc, quòd videatur color. Et similiter, quandocunque quis vult ea quæ sunt ad finem, vult eodem actu finem: non tamen ê conuerso.* D.745.

Ad tertium dicendum, quòd in executione operis, ea quæ sunt ad finem, habent se vt media: & finis vt terminus. Vnde sicut motus naturalis interdum sistit in medio, & non pertingit ad terminum: ita quandoque operatur aliquis id quod est ad finem, & tamen non consequitur finem. Sed in volendo est è conuerso, nam voluntas per finem deuenit ad volendum ea quæ sunt ad finem, sicut & Intellectus deuenit in conclusiones per principia, quæ media dicũtur: vnde Intellectus aliquando intelligit medium, & ex eo non procedit ad conclusionem. Et similiter voluntas aliquando vult finem, & tamen non procedit ad volendum id quod est ad finem.

Ad illud verò quod in contrarium obijcitur, patet solutio per ea quæ * *supra dicta sunt; nam vtile & honestum non sunt species boni ex æquo diuisæ, sed se habent sicut propter se & propter alterum: vnde actus Voluntatis in vnum potest ferri, sine hoc quòd feratur in alterum; sed non ê conuerso.* 1.ar.2.ad 2.

1.Conclusio. Prima conclusio. Voluntas aliquando eodem actu, aliquando diuersis actibus, fertur in media & in finem.

2.Concl. Secunda conclusio. Quando voluntas fertur in finem secundùm se & absolutè, non eodem actu fertur in ipsum, vt in ea quæ sunt ad ipsum finẽ; quia bene possumus velle finem secundùm se, non volendo ea quæ sunt ad finem.

Tertia cõclusio. Quando voluntas fertur in finem, prout est ratio & causa volẽdi media, eodem actu fertur in finem, & in ea quæ ad finem ordinantur. 3. Concl.

Quarta conclusio. Quandocunque voluntas fertur in media aut sic, scilicet quatenus sunt ad finem, simul eodẽ actu fertur etiam in ipsum finem. 4. Concl.

DVBIVM I.

Circa titulum articuli.

Vtrùm loquatur Diuus Thomas nomine Voluntatis, de potentia volitiua, an verò de actu illius.

PRo cuius intelligentia notandũ, quòd hoc nomẽ Voluntas nõ solùm sumitur pro ipsa potentia, sed etiam pro actu primo ipsius potentiæ circa finem, quæquidem acceptio est, Arist. 3. Ethic. cap. 5. vbi ait, quòd voluntas tantùm est finis; electio verò est mediorum. Sicut Intellectus est tantùm circa principia, scientia verò circa conclusiones. Ecce qualiter Arist. docet, quòd sicut hoc nomen Intellectus non solùm sumitur pro potentia intellectiua, sed etiã pro actu primo eius circa principia; ita similiter hoc nomen Voluntas, & accipitur pro potentia, & etiam pro actu eius circa finem: Sic enim se habet finis respectu Voluntatis, sicut principium respectu Intellectus. Vnde sicut actus Intellectus circa per se intelligibile, quale est principium, sortitur nomen ipsius potentiæ: ita actus Voluntatis circa per se volibile, quale est finis, sortitur etiam nomen ipsius voluntatis. Et iste est communis modus loquendi; dicimus enim; Hæc est voluntas Regis, aut Prælati: vnde certè Voluntas pro actu sumitur, & non pro potẽtia. Ex quo sequitur, quòd non est idem voluntas & volitio; nam istud secundum est quid generale ad omnes actus Voluntatis; nam siue sit circa finẽ, siue circa media, volitio est. Primum verò non conuenit nisi actui tãtùm finis secundùm se. *Not.* *Arist.*

Hoc supposito, in hac re est prima sententia Caietani, quòd Diuus Thomas hic non loquatur de voluntate & sumi- 1.*Sent.* *Caiet.*

tur pro potentia, sed vt sumitur pro actu illius circa finem; vbi notat, quòd talis actus circa finem, qui voluntas appellatur, & habet rationem simplicis volitionis, & habet etiam rationem cuiusdam motus Voluntatis in finem; in quantum ergo simplex volitio, tantùm est in finem, & nullo modo in media; tamen in quantum quidam motus in finem, non excludit quòd etiam ferri possit in media; quia vt sic, habet rationem intentionis. In præsenti ergo articulo (ait Caietanus) agit Diuus Thomas de tali actu circa finem, qui appellatur voluntas non vt simplex volitio est, sed vt quidam motus; & de hoc inquirit, vtrùm possit ferri in finem, & in media simul. Et ad hoc respondet affirmatiuè, & sic est distinctio inter doctrinam huius & præcedentis articuli: in illo enim docuit, quòd Voluntas, in quantum nominat primum actum Voluntatis, tantùm est finis: in præsenti autem de eodem primo actu dicit, quòd potest esse circa finem, & circa ea quæ sunt ad finem; quia considerat prædictum actum secundùm diuersam rationem assignatam: Secundùm enim quòd est simplex volitio, tantùm est finis; vt autem quidam motus, habens, etiã rationem intentionis, non tantùm est circa finem, sed etiam circa media. Et Caietanum sequuntur multi moderni doctissimi. Quæ sententia probatur ex intentione ipsius Diui Thomæ, qui in principio huius quæstionis statuit agere de actu voluntatis, qui est velle, qui & voluntas appellatur, & de illo egit. 1. & 2. articulo. Vt ergo continuet intentum, etiam nomine Voluntais, de prædicto actu debet agere in præsenti.

2. Sent. Conrad. Secunda sententia est Conradi hîc, quòd Diuus Thomas loquitur nomine voluntatis, de potentia, & non de actu prædicto à Caietano; quia licèt intentũ Diui Thomæ in hac quæstione sit agere de prædicto actu voluntatis; quia tamen (inquit) in secundo articulo docuit, quòd Voluntas sumpta pro potẽtia, & potest esse finis, & eius quod est ad finẽ, in quo distinguit illam ab actu qui est velle, qui tantùm est circa finem, ideò incidenter mouet hoc dubium in isto articulo 3. vtrùm ipsa potentia, quæ potest esse circa finem & media, feratur eodem actu in vtrumque, vel diuerso. Conradum etiam sequuntur alij multi Thomistæ graues. Quæ sententia probatur ex litera articuli, nam loquitur de voluntate, quę fertur & mouetur in obiectum: at vero ipsa potentia est quæ per actus mouetur & fertur: ipse autem actus voluntatis non fertur alio actu: ergo loquitur de potentia, & non de actu illius. Secundò probatur; nam etiam in articulo dicitur, quòd Voluntas potest ferri in ea quæ sunt ad finem, in quantum huiusmodi, simul in finem mouendo: sed actus voluntatis qui est velle non potest facere huiusmodi; ergo non loquitur de tali actu. Minor probatur, quia actus qui fertur in ea quæ sunt ad finem, est electio: ergo non est illud simplex velle; quod electio esse non potest. Tertiò probatur, nam de illo actu qui dicitur voluntas, iam egerat D. Tho. articulo præcedenti, & de illo dixerat, quòd propriè tantùm est finis: ergo superfluum erat, modô quærere, an ille actus feratur in finem & in media.

Conclusio tamen sit, quòd vtraque sententia probabilis est, vt probant fundamenta vtriusque: & licèt sententia Caietani sit acutior, sententia tamen Conradi apparet verior & clarior: clariùs enim apparet, qualiter potẽtia Voluntatis possit in vtrumque, & in finem, & in media tendere, quàm quod id possit ille vnicus & simplex actus, qui dicitur Voluntas. Vnde ad argumenta vtriusque sententię oportet respondere. *Conclus.*

Ad argumentum pro Caietani sententia respondetur, quòd licèt principalis intentio Diui Thomæ in hac quæstione sit, agere de primo actu Voluntatis, qui voluntas dicitur; extendit tamen sermonem ad alios actus voluntatis incidenter ad explicationem sui intenti; vt patet in articulo primo, vbi quærens vtrùm Voluntas sit tantùm boni, ad omnem actum Voluntatis extendit sermonem, respondendo, quòd omnis actus Voluntatis prosequutiuus est boni fugitiuus autem mali; sicut ê contra in sequentibus quæstionibus, cùm instituat agere de alijs Voluntatis actibus, incidenter iterum reuoluit sermonem de simplici volitione, de qua iam egerat in ista quæstione. Et similiter agit de ipsa potentia voluntatis, tanquàm de principio omnium illorum actuum. Eo vel maximè, quòd cùm ille actus, qui dicitur simplex velle, sit primus, maximam habet connexionem, & cum potentia, & cum *Ad arg. Caiet.*

ratione

ratione communi ad cæteros actus: vnde agendo de simplici volitione, necessum est aliquantulum diuertere, vt de his & de alijs actibus, & de ipsa potentia agat.

Ad 1. arg. Conrad. Ad primum argumentum pro Conradi sententia respondetur, quòd licèt actus Voluntatis non feratur in obiectum medio alio actu, cùm ipse actus sit quædam naturalis inclinatio, & naturalis appetitus, se ipso fertur, & per ipsum potentia, sicut color videtur per lucem, & lux per se ipsam; & relatiuum refertur per relationē & relatio se ipsa; & quantum diuiditur per quantitatē & quantitas ex se ipsa est diuisibilis. Quod ergo D. Thomas dicat de voluntate de qua agit, quòd fertur in obiectum, non obuiat quominus de ipso actu, qui Voluntas appellatur, loquatur.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum respondetur, quòd idem actus numero potest habere illam duplicem rationem, & simplicis volitionis, & etiá intentionis, & quod sub prima ratione non feratur in media: bene tamen sub secunda consideratione.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum respondetur, non superfluè iterum texere sermonem D. Thom. de simplici volitione, de qua egerat articulo præcedenti; nam ibi loquutus est de prædicto actu sub formalitate simplicis volitionis; modò autem progreditur vt de eodem agat sub ratione intentionis; & sic ibi dixit, quòd tantùm est circa finē, modò autem ait, quòd etiam potest ferri circa media.

Not. Notandum tamen, quòd illa simplex volitio, non dicimus quòd semper feratur circa media, & tantùm sit distinctio rationis; & quatenus simplex velle, & quatenus intentio; sed loquimur permissiuè: aliquando enim sic potest esse, quòd idem numero actus sit simplex volitio & intentio, & solùm distinguantur ratione, quatenus fertur in finem secundùm se, & in ipsum vt est ratio volendi media: aliquando enim sic potest esse quòd realiter distinguantur, & quòd detur simplex volitio circa finem secundùm se tantúm, & non attingat ipsum vt rationem volendi media; & tunc intentio erit actus realiter distinctus circa finem, vt rationem volendi media.

DVBIVM II.

Vtrùm voluntas possit ferri in finem, in quantum huiusmodi, sine eo quòd feratur in media.

PRobatur quòd non. Primò. Non potest Voluntas ferri in finem, vt est ratio volendi media, nisi etiam feratur in media, vt hìc dicit D. Thom. sed nūquàm potest ferri in finem, in quantum huiusmodi, quin feratur in ipsum, vt in rationem volendi media: ergo nunquàm potest ferri in finem, in quantum huiusmodi, quin etiam feratur in media. Probatur minor, nam de ratione finis in quantum finis, est quòd sit ratio volendi media; cùm finis sit cuius gratia aliquid fit: ergo non potest ferri in finē vt finis, & nō vt est ratio volēdi media. *1. Arg.* *Solutio.* Si respōdeatur, non posse ferri Voluntatem efficaciter in finem, quin etiam feratur in media; vt probat argumentum; bene tamen inefficaciter & quadam velleitate: *Impugn.* Contra arguitur, nam D. Thom. hìc non loquitur de velleitate, sed de actu perfecto, qualis est actus primus, qui dicitur simplex volitio: ergo restat soluendum argumentum, qualiter ille actus, cùm sit perfectus, possit attingere finem in quātum finis, non attingendo media. Item etiam, quia etiam si loqueretur de actu imperfecto velleitatis, adhuc remanet argumentum, quòd eo modo quo fertur in finem, debet ferri in media, si efficaciter & perfectè in vnum, efficaciter & perfectè in aliud; & sic inefficaciter & per velleitatem in finem, eodem modo etiam in media.

Secundò arguitur. Ista consequentia *2. Arg.* est bona, Voluntas non vult media; ergo neque finem. Ergo è contra, Vult finem; ergo media etiam. Antecedens probatur, nam qui non vult media necessaria ad cō sequendam beatitudinem, non amat illā; nam qui Deūdiligit vt vltimum finem, necessariò etiam eligit media necessaria ad consequendum illum: vnde qui non eligit, non amat: & sic cōmuniter dicitur in omni materia, quòd qui non vult media, non vult finem. Consequentia verò patet, quia tenet ex oppositō consequentis ad oppositum antecedentis.

Tertiò arguitur. Qui amat medium, *3. Argu.* necessa-

necessariò amat finem, vt docet D. Tho. hic: ergò è conuerso, similiter qui amat finem, amat & media. Patet consequentia. Primò, quia eandem dependentiam habet medium à fine, & finis à medio, sumptis formaliter: sunt enim correlatiua, & sic est mutua dependentia. Secundò probatur, quia finis, vt finis, importat quòd media referantur ad ipsum, vt patet ex definitione eius, videlicet cuius gratia aliquid fit: ergo sicut non potest esse medium nisi ad finem, ita finis nisi ad medium.

1. *Sent.* *Bañes.* *Ioãnes Vincentius.*

Propter hæc argumenta, vt refertur, tenuerunt hanc sententiã sapientissimus Magister Bañez, & Magister Ioannes Vincentius, videlicet quòd conclusio D. Thom. intelligatur, posse appeti finẽ sine appetitione formali mediorũ; dicunt tamen, ꝙ qui appetit finẽ, necessario appetit media virtualiter. Et si cõtra illos facias argumentum, quia potest quis assentiri principio sine eo quòd assentiatur cõclusioni, etiam virtualiter: ergo poterit quis velle finem sine eo quòd velit media, etiam virtualiter; quia vt sæpissimè dictum est à Diuo Thoma, sic se habent principia in speculabilibus, sicut finis in practicis; & semper habitudo & motus Voluntatis circa finem & media explicatur per motum Intellectus circa principia & conclusiones. Antecedens verò patet, quia bene potest aliquis assentiri huic principio, Omne totum est maius sua parte absolutè & secundùm se, sine eo quòd feratur assensus, etiam virtualiter, in aliquam conclusionem. Ad hoc respondent, quòd assensus principiorum potest esse dupliciter. Primò circa principia vel præmissas legitimè dispositas in modo & figura. Secundò autem modo circa principia vel præmissas non ordinatas, sed seorsum & secundùm se in hoc vel in illud principium. Si quidem feratur primo modo, tunc qui assentitur principijs, necessariò assentitur conclusioni, saltem virtualiter: qui autem assentitur principijs secundo modo, non necessariò assentitur conclusioni, nec formaliter, nec virtualiter: immò stante assensu principij, potest esse error contrarius conclusioni. Finis ergo non comparatur principio seorsum & non ordinate sumpto, sed comparatur principio dispositio & ordinato ad inferendum conclusionem: vnde sicut non potest assentiri principio ordinato, quin virtualiter assentiatur conclusioni; ita nec potest moueri in finem, quin virtualiter moueatur in media: vnde non admittunt distinctionẽ finis secundùm se, velut ratio volendi media, sicut fit distinctio de principio; sed semper dicunt, finem vt finem esse rationem volendi media, siue formaliter, siue virtualiter.

Solut.

Secunda tamen sententia est communior inter grauissimos Thomistas, quòd videlicet possit appeti finis absolutè & secundùm se, sine eo quòd appetantur media, neq; formaliter, neque virtualiter. Quę sententia probatur primò ex Diuo Thoma, qui in præsenti ponit differentiam inter finem & media, quòd media non possunt appeti nisi per ordinem ad finem: finis autẽ appeti potest sine ordine ad media: hæc autem differentia nulla esset, si finis nõ posset appeti etiam sine ordine virtuali ad media: ergo. Probatur minor, nam etiam media non requiritur quòd appetantur cum ordine formali ad finem, sed sufficit cum ordine virtuali, immò multi Theologi probabiliter tenent, non posse eodẽ actu appeti mediũ cum ordine formali ad finẽ, sed tantùm cum virtuali: ergo si finis non posset appeti nisi cum ordine virtuali ad media, nulla manet differentia posita inter finẽ & media: ergo vt differentia posita consistat, dicendũ est, quòd mediũ non potest appeti nisi cũ ordine formali vel virtuali finis: finis autem appeti potest sine ordine formali nec virtuali ad media. Secundò probatur. Tantũ requiritur quòd virtualiter feratur in media qui fertur in finẽ, quando fertur in finẽ, vt est ratio volendi media; nã aliàs finis non habet cõnexionẽ cum medijs: sed multoties potest ferri in finem non vt est ratio volẽdi media: ergo multoties potest ferri in finem sine eo quòd feratur in media. Minor probatur primò, nam alias omnis actus circa finẽ, esset intentio, cõtra D. Thomã distinguentẽ actum circa finẽ, in intentionẽ & simplicem volitionem. Sequella autẽ probatur, nam intentio est actus circa finem, vt est ratio volendi media, & prout dicit habitudinẽ ad illa: ergo si nõ potest ferri circa finẽ nisi vt est ratio volendi media, omnis actus circa finem, erit intentio: Secundò probatur eadẽ minor, nam vt constat ex D. Thoma, q. 22. de veritate, art. 14. finis dupliciter potest consideriri.

2. *Sent.*

siderari. Primô absolutè & secundùm bonitatem quã habet secundùm se. Secũdo verò respectiuè, vt dicit habitudinem ad media, vt ratio volendi illa: ergo vtroque modo potest appeti. Sed quando appetitur secundũ se & absolutè, non consideratur in ordine ad media; quia iã esset coincidere in alterũ membrũ distinctionis: ergo quando sic appetitur, non appetitur vt ratio volendi media, & consequenter talis appetitio finis nullo modo dicit ordinem, etiam virtualẽ, ad media. Tertiò probatur, licèt effectus necessariô dependeat à causa, causa tamen est independẽs ab effectu: sed finis est causa, mediũ verò est effectus: ergo etiam si mediũ dependeat in appetibilitate à fine, vt à causa, nõ tamen è contra. Et si respõdeas, nam licèt ordine intentionis, finis sit causa; ordine tamen exequutionis, est effectus: vnde sicut mediũ non potest appeti nisi ad finẽ, ita nec finis nisi per ordinẽ ad media. Cõtra arguitur, nã aliud est considerare media & finẽ, quantũ ad esse; aliud verò quãtũ ad appeti; quantũ ad esse enim ita est, quòd mediũ est causa finis; & hoc sonat quantũ ad exequutionẽ; quantũ ad appetitionem verò nunquã medium est causa finis, sed finis necessariò est causa medij; cùm finis habeat bonitatẽ secundùm se, mediũ autẽ solùm participatam â fine. Cùm autẽ in præsenti non agatur de existentia finis & mediorũ, sed de appetitione vtriusque; ideô dicendũ erit, quòd mediũ non potest appeti nisi ad finẽ; quia in esse appetibili semper est effectus: finis autẽ poterit appeti sine ordine ad media, quia in esse appetibili semper est causa; hoc enim sonat, quòd ordine intentionis finis sit causa; hoc est, quòd in ratione appetendi semper finis est causa, & nunquã effectus: ex quo, vt infrà dicetur, etiã quãtũ ad existẽtiã act⁹ Volũtatis, actus circa finẽ, est causa act⁹ electionis circa media, & nullo modo è contra. Itaq; licèt mediũ sit causa existentiæ finis, nõ tamen actus Voluntatis circa mediũ, est causa existẽtiæ actus circa finẽ, sed necessariô è cõtra.

Solut.

Impugn.

3. Sent. Tertia sententia est media, quæ distinguit, quòd finis aliquãdo consequitur fine alio modo quàm per ipsum actum & operationẽ consequutiuã illius: vt quãdo quis vult intelligere, intelligere est finis illius volitionis, qui tamen finis sine alio medio consequitur, quàm per ipsam intellectionẽ: aliquando autẽ finis qui appetitur, vt cõsequatur necessariô, importat media. Vt quandoquis vult sanitatẽ, sanitas est finis, qui necessariò per aliqua media debet cõsequi. Tũc ergo dicit hęc sententia. Primò, quòd loquendo de fine priori modo, appeti potest sine aliquo ordine formali vel virtuali ad media; quia talia nõ sunt. Secundò dicit, quòd loquẽdo de fine posteriori modo, tunc qui appetit finẽ, necessariô appetit & media, saltẽ virtualiter; quia qui vult antecedens, necessariô vult & cõsequẽs quod innuiitur in tali antecedenti necessariô. Si ergo finis talis est, quod necessario exposcit media vt consequatur, tunc qui vult finem, necessariò debet & velle media, sine quibus talis finis esse non potest.

4. Sent. Quarta sententia est aliorũ, etiam distinguens de fine consequẽdo necessariò per media, quòd media vel sunt necessaria & in particulari determinata ad talem finem, vel sunt media indifferẽtia & libera in singulari, licèt in cõmuni necessariô exposcat media vt consequatur. Si finis sit primo modo, nõ potest appeti sine ordine virtuali ad media; bene autem si sit secundo modo.

Conclus. Conclusio tamen sit, secundã sententiam esse veram & tenendam, videlicet quòd si finis consideretur vt ratio volendi media, non potest appeti, quin etiam formaliter vel virtualiter appetantur media. Si autem finis consideretur secundũ se, appeti potest non appetendo media, nec virtualiter nec formaliter, quia in fine sic considerato, nec continentur media formaliter, nec virtualiter, sed solùm radicaliter; cùm bonitas finis secundùm se ad omnem progressum voluntatis suppona tur vt radix omnium actuum illius.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum in principio respondetur, bene impugnatam esse solutionem ibi datam, & sic non esse bonam; sed dicimus, quòd licèt simplex vel le sit actus absolutus circa finem, non tamen circa illum vt est ratio volendi media; quia, vt dictum est, vtramque considerationem finis habet, & secundùm se, & in ordine ad media, vt ratio vollendi illa: vnde quando definitur, finis, quòd sit cuius gratia aliquid fit, intelligitur de fine secundùm rationem completam illius; sic enim etiam habet ordinem ad media; potest autem ferri voluntas circa rationem in adæquatam finis, secũdùm quam non dicat ordinem ad media. Et si contra

Impugnat. dicas,

dicas, causam importare relationem ad effectum: vnde cùm finis sit causa mediorum; necessariò videtur importare habitudinem ad media; vnde numquàm poterit considerari nisi in ordine ad media: Respondetur, quòd causa non importat essentialiter relationem ad effectum, sed est aliquid absolutum. Verum est tamen, consequenter fundare & importare relationem, secundùm quam si consideretur, nec habet prioritatem ad effectum, nec potest esse nisi in ordine ad illum: cõsiderata tamen causa secundùm essentialia & requisita in esse causæ, & est prior effectu, & aliquid absolutum, quod etiam sine effectu, sed secundùm se potest cõsiderari. Et si rursus arguas, quòd licèt ita verum sit, quòd causa in actu signato constituatur per propriam & intrinsecam entitatem secundùm se, independentem & priorem ad effectum; tamen causa in exercitio simul est cum effectu, nec sine illo vel sine ordine ad illum esse potest: Respondetur, quòd etiam causa in exercitio consideratur per prius ad effectum. Sed quidquid de hoc sit, dicimus, tantùm probare, quòd finis in exercitio causandi, non possit appeti, nisi media etiam appetantur. Sed hoc iam est cõsiderare finem vt rationem volendi media, & non probat, quòd absolutè & secundùm sè, quatenus est causa in actu signato, vel, vt meliùs loquamur, vt radicaliter est causa secundùm propriam bonitatem absolutè sumptam, non possit appeti sine ordine ad media.

Solutio. *Impugn.* *Solutio.* *Al 2. arg.*

Ad secundum argumentum respondetur, negando consequentiam, loquendo de medio & fine, non vt important relationem consequentem, sed secundùm rationem formalem medij vel finis. Ad probationem dicitur, quòd si finis & medium considerentur secundùm mutuam habitudinem, quod est considerare finem vt rationem volendi medium; tunc illa consequentia est bona, etiam ex opposito consequentis. Si autem sumatur finis secundùm bonitatem absolutam & secũdùm se, tunc nec prima consequentia est bona, nec secunda quæ fit ex opposito consequentis; non enim valet, Non vult medium: ergo non vult finem secundùm se, vnde nec è contra, Vult finem secundùm se: ergo vult media. Itaque medium non potest considerari nisi in ordine ad finem. Finis autem, vt dictum est, potest considerari sine ordine ad media; vnde licèt semper sequatur, Vult medium: ergo finem; non tamen è contra, Vult finem; ergo medium. Et per hoc patet ad tertiũ. Ad illud de relatione, iam est dictum.

DVBIVM III.

Vtrùm Voluntas volendo finem vt rationem volendi media possit velle vtrumque vnico & eodem actu.

PArs negatiua probatur. Primò, ex Diuo Augustino, 11. de Trinitat. cap. 6. vbi sic dicit: Voluntas videndi habet vt finem visionem; & Voluntas hanc rem videndi, habet vt finem huius rei, visionem. Voluntas itaque videndi cicatricem, finem suum habet, scilicet visionem cicatricis: voluntas enim probandi vulnus, alia est, quanuis ex illa religetur, cuius item finis est probatio vulneris: & voluntas videndi fenestram, vt finem habet fenestræ visionem: altera enim est quæ ex ista connectitur voluntas per fenestram Videndi transeuntes, cuius item finis est visio transeuntium. Ecce qualiter Augustin. dicit, voluntatem probandi an fuerit vulnus, quæ est voluntas finis, distinctam esse â voluntate medij, quæ est voluntas videndi cicatricem: & similiter quòd voluntas videndi fenestram, quæ est voluntas medij, sit distincta â voluntate videndi transeuntes, quæ est voluntas finis. Nec valet, dicere, quòd Augustin. non loquitur de voluntate finis & medij, sed de voluntatibus duorũ finium; nam & si semper vsus fuerit nomine finis, appellat ipsum medium, finem; quia terminus & finis est propriæ volitionis; nam loquitur de visione fenestræ secundùm quòd ordinatur ad visionem transeuntium: vnde loquitur de medio, etiam si vtatur nomine finis, ratione dicta. Nec valet etiam, respondere, quòd loquatur de volitione finis secundùm se, quam diximus esse distinctam à volitione mediorum, & sine illa esse posse. Non (in quam) valet solutio, siquidem dicit, quòd volitio videndi transeuntes, connectitur volitioni videndi fenestram; & tunc dicit, quòd est alia volitio: ergo intendit Augustin.

1. Argum.

Solutio. *Impugntio.* *Solutio.* *Impugn.*

quòd

quòd volitio finis & volitio medij sunt diuersæ, etiam quando finis est ratio volendi media.

2. Arg. Secundò arguitur. Volitio finis verè & propriè est causa volitionis mediorũ: ergo est impossibile quòd sit vnica volitio realiter. Consequentia patet, quia eadẽ res non potest esse causa sui ipsius: qua propter D. Tho. 1. part. q. 19. dicit, quòd Deus nõ vult vnũ propter alterum, si ly Propter, referatur ad ipsas volitiones; quia tunc significaretur quòd vna volitio est causa alterius. Antecedens verò probatur, quia cõmunis sententia est in D. Tho. quòd volumus mediũ propter finem, etiam si ly Propter, referatur ad volitiones.

3. Arg. Tertiò arguitur. Intẽtio & electio differunt specie, & consequenter etiã numero, vt docet Arist. 2. Physic. sed actus circa finem est intentio, circa mediũ autẽ electio: ergo differunt specie, & cõsequẽter numero, & sic non erunt vnica & eadem volitio realiter. *Solut.* Si respondeatur, quòd quæ differunt specie, differunt numero formali, non verò reali & entitatiuo: calor enim ignis specie difert secundùm q̃ est naturalis potentia à seipso, secundùm quòd est passibilis qualitas; cùm tamẽ sit vnus & idem realiter, & in illo non sit distinctio numerica, sed formalis: *Impugn.* Cõtra arguitur; quia quando quæ differunt specie, sic se habent, quòd vnum ab alio separatur realiter, distinctionem numericam etiam realem habent: volitio autem finis & mediorum secundùm D. Tho. in præsenti sic se habent, cùm volitio finis possit esse sine volitione mediorum: ergo.

4. Arg. Quartò arguitur. Quando aliquis dat eleemosynam propter finem charitatis, tunc appetit illud medium propter vltimũ finem, nec tamen eodẽ actu, sed diuersis: ergo finẽ & mediũ non potest eodẽ actu appetere. Probatur minor, nam illa volitio attingens eleemosynam, est actus Misericordiæ, vt dicit D. Tho. 2. 2. q. 32. vt autẽ attingit finem Charitatis, est actus illius: sed idẽ numero actus non potest esse simul Charitatis & Misericordiæ, cùm sint virtutes distinctæ realiter: ergo talis volitio, vt attingens mediũ & finem Charitatis, realiter est diuersa.

5. Arg. Quintò arguitur. Si propter aliquã rationem vtrũque attingeretur eodẽ actu, maximè propter rationem D. Tho. quia medium non potest attingi nisi sub ratione finis, & consequenter actus attingens medium, attingit finem: sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor, quia, vt dicit idẽ D. Tho. in frà, q. 84. ar. 1. ad 2. auaritia attingit suũ obiectum sub ratione boni vtilis: ergo attingit illud sub ratione medij, & non sub ratione finis. Patet consequentia, nam vtile formaliter est ratio medij; ratio verò finis nõ est nisi ratio delectabilis vel honesti: ergo bene potest attingi mediũ, & non sub ratione finis.

6. Arg. Sextò arguitur. Vt sæpe dictum est, sic se habent in appetibilibus medium & finis, sicut in speculabilibus principia & conclusiones: sed assensus conclusionis & principij, sunt omnino realiter diuersi assensus: ergo similiter appetitio finis & mediorum.

7. Arg. Septimò arguitur. Aliquãdo quis vult mediũ sanitatis, nihil cogitans de ipsa sanitate, vt experientia constat. Similiter potest quis velle finẽ & medium simul, & postea cæssare à volitioni finis, permanente eadem volitione medij: ergo non sunt idem volitio medij & finis. Patet consequentia, quia idem non potest cæssare manens.

8. Arg. Octauò arguitur. Si volitio finis & medij est eadẽ numero, sequitur quòd vnus & idem actus, sit volitio & nolitio, amor & odiũ, fuga & prosequutio, tristitia & gaudium: consequens est absurdũ: ergo. Sequella probatur, nam detestatio peccatorum propter Deũ, si esset vnicus actus, simul esset respectu vnius, scilicet respectu peccati, nolitio, odium, & fuga, & tristitia; respectu verò alterius, scilicet Dei habentis rationẽ finis, respectu illius detestationis esset volio, amor & prosequutio. Itẽ sequeretur, quòd eadem volitio simul esset intensa & remissa; vt cùm quis vult potionem amarã propter salutem, illa volitio respectu potionis amaræ esset remissa; & respectu sanitatis esset intensa. Absurditas verò consequentis probatur. Nam multa prædictorum pertinent ad Irascibilem, alia verò ad concupiscibilem, & consequenter in eodem numero actu esse non possunt.

Propter argumẽta posita tenuit hanc sententiã Gregorius in 1. dist. 1. q. 1. ar. 2 *Gregorius* & Marsili⁹. q. 4. art. 1. dub. 2. & Vazquez *Marsilius* hic disp. 13. cap. 1. dicit, quòd licẽt sentẽ- *Vazquez.* tia D. Thomæ sit cõmuniter recepta; tamen sentẽtia Gregorij est vera, quã ipse sequitur, licẽt postmodùm asserat, quòd

senten-

sententia D. Tho. potest trahi ad sententiã Gregorij, & cõciliari cum illa: ex more enim, vt inimicitiã gerat cum D. Tho. non vult in ore eius veritatem agnoscere: sed si conuincitur illam venerari, potiùs vult inspicere in ore Gregorij, quàm in ore D. Thomæ.

Not. 1. Pro intelligentia notandum. Primò, quòd, vt dictũ est, finis consideratur dupliciter; & secundùm se, & vt ratio volendi media. Similiter & mediũ dupliciter consideratur. Primò materialiter, secundùm bonitatem quam ex se potest habere. Secundò formaliter, vt medium, & prout respicit finem. In præsenti ergo non loquimur de fine & medio, primo modo; certum est enim, tunc diuersis actibus appeti, quia mediũ illo modo nõ consideratur vt mediũ, sed potius si secundùm illã bonitatem sibi propriã appetitur, appetitur vt finis: sed loquimur de illis, prout ad inuicem se respiciunt, & formaliter sumptis; qua ratione tota formalitas medij est ad finẽ, vt dicit *Aristot.* 1 Ethic. cap. 7. & *D. Thom.* infrà, q. 7. ar. 1.

Not. 2. Secundò notandũ, quòd etiam sumptis formaliter fine & medio, dupliciter appeti possunt. Primò vtrũque in recto, & vt quod secundò alterum in recto & vt quod, alterũ verò in obliquo & vt quo. Verbi gratia, quandoquis appetit sanitatẽ vt consequibilẽ per medicinã; tunc sanitas appetitur vt quod; medicina vero vt quo; & sic iste actꝰ est intẽtionis, quia in recto respicit finem, mediũ autẽ tantũ in obliquo. E contrà autẽ quando appetimus medicinam propter sanitatẽ consequendã, tunc medicina appetitur in recto vt quod, sanitas verò tãtũ in obliquo; vnde iste actus est electionis. Itaque tam intentio, quàm electio attingit finem & mediũ; distinguntur autẽ, quia intentio attingit finẽ in recto, medium autẽ in obliquo: electio autẽ è contra, attingit mediũ in recto, finem autem in obliquo.

1. Concl. Prima conclusio. Bene potest Volũtas vnico & eodem actu attingere finem & medium formaliter sumpta, prout ad inuicem se respiciunt. Hæc est *D. Thomæ* in hoc articulo, vbi expressè asserit, quòd licèt finis secundùm se appetatur diuerso actu atque medium; vt autẽ finis est ratio volendi medium, eodem actu appeti potest finis & medium: & idem docet infrà, q. 12. art. 4. & cum Diuo Thoma tenet Conradus & Caietanus locis citatis, illasque sequuntur cuncti Thomistæ, & insuper D. Bonauent. in 2. dist. 38. dub. 4 circa literam, & Durandus, q. 3. Richardus, art. 3. q. 4. Capreolus in 1. distinct. 1. q. 14. Gabriel. q. 1. artic. 1. Maior. 2. Holcoth. q. 4. art. 3. Ocham. 1. dist. 1. q. 1. dub. 2. Aliacensis. 1. q. 2. Ægidius. 1. dist. 38. ar. 3. immò contra Vazquez tenet nostrã sententiã Valentia hic disp. 2. q. 3. punct. 3. & q. 7. pũct. 3, & Molina 1. p. q. 19. ar. 5. & Salas hic tract. 4. disp. 1. sect. 6. Respondet autem Vazquez, quòd locis prædictis, non est intentio Diui Thomę esse vnicum actum simpliciter & entitatiuè, sed esse vnum subiecto & via & spatio; quia eadem est via à fine ad medium, & à medio ad finem; & probat ex contextu Diui Thomæ constituentis exemplum in ascensione & descensione; cùm tamen certum sit, ascensum & descensum esse motus realiter distinctos, & solùm eundem via & spatio vel subiecto. Et confirmat, quia & ipse Diuus Thomas concedit, appetitionem finis esse distinctam ab appetitione medij, quando appetimus finem non per media determinata. Sed certe occasiones querit qui vult recedere ab amico. Exẽplum enim illud non tenet in omnibus, præcipuè quòd exemplorum non requiritur Veritas, & multa alia exempla posuit D. Tho. ad explicandã entitatem, & ad illa noluit attẽdere Vazquez, sed ad istud quod tãtum adduxit D. Tho. ad explicandum qualiter motus voluntatis, vel incipit à fine, vt ad media pergat, vel dum versatur circa media, pergit ad finem, vt in ascensu & descensu. Ratione autem probatur nostra conclusio, quia Intellectus vnico actu cognoscit medium & finem, prout ad inuicem ordinantur, ergo sic vtrumque simul potest proponere voluntati: ergo poterit voluntas vnico & eodem actu in vtrumque ferri. Ista secunda consequentia patet, quia voluntas ita vniuersalis & spiritualis est, sicut Intellectus: cùm ergo Intellectus proponat illi illa multa per modum vnius; eodẽ actu poterit voluntas ferri in vtrũque. Antecedẽs probatur, nã si cõmuniter docetur à Metaphysicis, q Intellectꝰ simul plura potest cognoscere per modũ vnius, in quantũ ad inuicẽ, vel ad vnũ ordinãtur; immò potentiæ inferiores id possũt; vt patet in visione hominis, in quo vnico actu videtur palliũ & tunica; quãto magis poterit id In-

D. Bonauẽ. Durandus. Richardus. Capreolus. Gabriel. Maior. Holcoth. Aliacensis. Ocham. Ægidius. Valentia. Molina. Salas. Vazquez

Impugn. Vazquez.

Vazquez Cauillatio.

id intellectus? Respondet Vazquez, quòd quãdo illa quæ ad inuicem ordinantur, sic se habent, quòd vnum est ratio alterius, ita vt alterum non habeat vnde terminet actionem, nisi per illam rationem formalem alterius cum quo ordinatur, tũc est verum, quòd vnico actu fertur in vtrũque; vt contingit in exemplo D. Tho. de colore & luce: color enim non est visibilis nisi per lucem, vnde idem actus fertur super vtrumque. Quando verò vtrumque habet ex se vnde terminare possit, & solùm dicuntur ad inuicem ordinata, quia alterum comparatur vt imperfectum, ad alterũ vt perfectum, & ideò terminat relatũ ad alterum, tunc diuersis actibus fertur super vtrumque: vt patet in principijs & cõclusionibus, quæ diuersa cognitione cognoscuntur, licèt conclusio cognoscatur ratione principij; quia ipsa conclusio habet suam veritatem, ratione cuius potest terminare. Cùm ergo medium habeat suam bonitatẽ, ratione cuius terminare potest, ideò habet appetitionem distinctam à fine, licèt appetatur ratione finis. Contra istam solutionem arguit quidam Thomista modernus, quia bene stat, quòd ex duobus quodlibet habeat ex se vnde terminare possit actum alicuius potentiæ, & tamen quòd vtrumque simul attingatur eodem actu: vt patet in tunica & pallio quæ vnica visione videntur: cùm tamen quodlibet ex se habeat vnde videri possit: ergo doctrina Vazquez est nulla. Sed certè hæc impugnatio non placet, quia Vazquez non dicit, debere esse distinctas volitiones circa medium & finem, ex hoc solùm, quòd medium habeat, vnde terminet volitionem, sed quia illa bonitas, ratione cuius medium terminat volitionem, & bonitas qua terminat finis, sunt diuersæ rationes, & ita non eodem actu, sed pluribus debet attingi: vnde impugnatio de tunica & pallio, nulla est; quia licèt pallium & tunica, quodlibet illorum habeat vnde terminet, eiusdem tamen rationis est in vtroque id per quod habeat terminare visionem, nempe color: immò & ratio formalis, est eadem, nempe lux. Vnde non est contra Vazquez ponentem in medio rationem terminandi diuersę rationis â fine: vnde legitima impugnatio est recurrendo ad supra dicta, vbi ex professo disputauimus, qualiter medium formaliter nullam habet rationem boni & appetibilis, nisi rationem finis participatam ab ipso medio; & si medium habet aliquam bonitatẽ, est materialiter, & quatenus ipsum medium aliàs potest appeti, & habere rationem finis. Quod autem maiorem difficultatem habet, est, examinare, qualiter Voluntas vnico & eodem actu feratur supra medium & finem, si supra vtrumque formaliter, vel tãtùm virtualiter supra vnum, & formaliter supra alterum. Et certè videtur hoc secundum, nam appetibilia appetuntur quatenus sunt in se: sed sic se habẽt in se finis & medium, quòd finis habet formaliter bonitatem, medium autem solùm virtualiter; quia, vt dictum est, medium tantùm est bonum proportione ad finem, & tantùm bonitatem finis habet virtualiter participatam: ergo sic tantùm appetibilia sunt, quòd finis appetatur formaliter, medium autem tantùm virtualiter, quando idem actus fertur supra vtrũque. Pro decisione tamen sit

Impugnat. quorũdam.

Legitima.

Legitima impugnat.

Secunda conclusio in ordine. Non volitio, quæ simul attingit medium & finem, attingit formaliter vtrumque. Hæc patet exemplis, quia multoties appetimus medium, nihil expressè cogitando de fine, sed tantũ implicitè & virtualiter: ergo tũc volitio formalis medij non erit formalis, sed tantùm virtualis ipsius finis. Consequentia patet, quia talis est volitio, sicut & cognitio; cùm volitio sequatur cognitionem. Antecedens verò probatur, quia multoties appetit quis potionem, nihil expressè cogitando de sanitate; & similiter dùm quis ieiunat propter satisfactionem & gloriam Dei, non semper istorum meminit per totum diem, aut per totam Quadragesimã, sed pluries ieiunare vult, sistente tantùm cognitione expressa de ieiunio. Similiter dum quis Romam pergit fine acquirendi beneficium, multis diebus iter agit: ergo nõ recordatur expressè Romæ, aut acquisitionis beneficij. *2. Concl.*

Tertia conclusio. Omnis volitio formalis & expressa medij, virtualiter ad minus & interpretatiuè, est volitio finis; & è contra volitio formalis & expressa finis, vt est ratio volendi media, virtualiter est volitio ipsius medij; & hoc videtur intendere Diuus Thomas in præsenti, & patet, quoniam medium vt sic, non habet aliquam bonitatem nisi ratione finis: vnde omne volibile in medio vt sic, est consequi finem: ergo ad minus virtualiter tunc volumus finem, quando volumus medium. Consequentia patet, nam talis *3. Concl.*

actus non exerceretur nisi ratione finis. Secundò probatur. Quandocunque volumus media, vt media sunt & sine actuali memoria finis, illa volitio medij imperatur à volitione præcedenti ipsius finis: ergo talis volitio medij, virtualiter est propter finem. Tertiò probatur. Cuicunque conclusioni assentimur in virtute assensus principiorum: ergo quæcumque media velimus, ea volumus in virtute volitionis finis. Patet consequentia ex sæpe dictis, quia sic se habet principium & conclusio, sicut finis & medium. Quartò probatur ex illa maxima, Vbi est vnum propter aliud, ibi est vnum tãtũ: sed medium est propter finẽ: ergo reputantur vt vnum, vt sic actus terminatus ad alterum, etiam ad alterum terminetur, saltem virtualiter.

4. Concl. Quarta conclusio. Bene potest esse, quòd aliquando idem actus formaliter & expresse feratur in medium & finem simul; vt dum aliquis vult dare eleemosynam propter Deum ex presse intentum, & de vtroque expresse cogitando. Hæc probatur primò. Eadem actione fertur formaliter potentia in obiectum, & in rationem formalem sui obiecti; sicut eadem visione formaliter videmus coloratum & lucidum, & similiter quantitatem & colorem: ergo eadem volitione possumus velle formaliter medium & finem. Patet consequentia; nam sicut lux est ratio formalis videndi colores; ita finis est ratio formalis volendi media. Secundò probatur. Vt sæpe dictum est, sic se habet principium & conclusio, sicut finis & medium: sed aliquando Intellectus formaliter eodẽ actu attingit principium & conclusionem: ergo similiter Voluntas finem & medium. Confirmatur, nam eodem amore Charitatis potest quis formaliter diligere proximum propter Deum, cùm Deus sit ratio formalis diligẽdi proximum: ergo eodem amore formaliter possumus attingere medium & finem; cùm finis sit ratio formalis volendi mediũ. Tertiò probatur. Vnus & idem motus est, quo mobile fertur in terminum per media, ac per consequens vna est inclinatiò qua inclinatur in terminum per mediũ, vel in medium propter terminũ, vt patet in lapide descendẽte: sed electio Voluntatis, est inclinatio eius qua tendit in media, vt per media ad terminum & finem perueniat: ergo eodem actu formaliter fertur Voluntas in media & in finem; nam motus animæ, vt spiritualis, faciliùs tendit, quàm corporalis. Quartò probatur. Si Voluntas non posset ferri formaliter in vtrumque; maximè quia sunt diuersa: sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor, quia simul potest Volũtas velle furari res à Petro, & simul illum occidere; maximè quando talia ad inuicem ordinantur, qualia sunt finis & medium. Denique hæc conclusio videtur sententia Diui Thomæ hic, & infra, quæstione 12. articulo 4. Verum est, quòd aliqui Thomistæ moderni oppositum tenent, & existimant sic etiam sentire Caietanum hic, dubio secundo ad 1. & secundum, vbi ad explicandum quomodò Voluntas possit ferri in medium & finem eodem actu, videtur recurrere ad actum virtualem. Cæterùm nostra conclusio communior est inter Thomistas, & illam tenent Capreolus in 1. dist. 1. quæst. 1. ad argumentum Gregorij contra quartam conclusionem. Ferrara. 1. contra Gentes capit. 87. Conradus & Medina hic: immò & Caietanus loco citato à contrarijs, si rectè inspiciatur. Dicit ergo, quòd ad minus ille vnus actus, qui fertur in media propter finẽ, & in conclusiones propter principia, debet virtualiter attingere finem ipsum vel principia; & addit: Dixi autem, ad minus, quia nihil prohibet etiam actualiter vnico actu tendere in eleemosynam propter Deum; in illam vt materiam, in istum vt formam. Ecce qualiter summit ly Actualiter, vt distinguitur contra virtualiter, & sic intendit, quòd ad minus vnico actu potest attingere vtrumque Virtualiter; bene tamen aliquando formaliter. Et certè exemplum Diui Thomæ hoc conuincit: dicit enim, sic posse ferri Voluntatem in vtrumque eodem actu, sicut vnica visio corporalis tendit in colorem & lumen.

D. Tho. *Capreol.* *Greger.* *Ferrar.* *Conrad.* *Medin.* *Caiet.*

Obiectio. Si respondeatur cum contrarijs. Primò, quòd hoc exemplum non adducitur à Diuo Thoma, intendente quòd sicuti vnica visio formaliter attingit colorem & lumen, ita vnica volitio attingit formaliter medium & finem: sed ad hoc tantum adducitur, quòd sicut lux potest videri sine colore, non tamen è contra: ita finis potest appeti sine medijs, non tamen media sine fine; ad quod vtique sufficit, quòd qui attingit medium, attingit virtualiter finem. Quare autem qui videt colorem, necessariò etiam formaliter videat lucem; qui autem appetit medium, non

non formaliter appetat finem; explicant per hoc, quod lux formaliter & inhærēter est in ipso colore secū. ū probabilē sentētentiā: vnde non stat, quòd formaliter feratur & non formaliter in lucē. Finis autem, non est formaliter & inhæsiuè in medijs, neque media formaliter in finem, sed tantum vnum est in in aliud virtualiter; vnde sic attingitur. Secundò respondent, exemplum non esse contra suam sententiam; quia lux secundùm probabiliorem sententiam solùm concurrit ad visionem ex parte medij, non autem ex parte obiecti: vnde eodem actu formaliter potest videri cum colore, non autem finis cum medio. Sed certè istæ solutiones non satisfaciunt, quia, vt patet ex Diuo Thoma, intendit, quòd obiectum & ratio formalis illius possunt simul attingi eodem actu, vt color, & lux, & consequenter cum medium habeat se vt obiectum, finis autem vt ratio formalis obiecti, eodem actu possit vtrumque attingi; & sicut color & lux formaliter, ita medium & finis. Et si dicas, ex hoc sequi, non solùm quòd aliquando, sed quòd semper attingatur finis formaliter in appetitione medij, quia ratio formalis obiecti semper attingitur formaliter ab actu attingente obiectum, vt patet in scientia & in exemplo visionis: Respondetur, ad hoc facere solutionem contrariorum, quòd cùm ratio formalis obiecti sit formaliter in ipso obiecto, semper formaliter debet attingi: cùm autem finis tantùm sit virtualiter in medio, potest non formaliter attingi, non autem probatur, quòd aliquando formaliter attingi non possit, quia potest expresse attendere ad id quod virtualiter continetur in medio, vt quod virtualiter continetur, formaliter appetatur. Vnde regula vt cognoscatur quando attingit finem formaliter & medium eodem actu, sit doctrina modò dicta, quòd quando Intellectus formaliter & expresse aduertit ad medium & ad finem, tunc Voluntas eodem actu formaliter vult vtrumque; quia sic procedit Voluntas, sicut dirigitur ab Intellectu. Et hac ratione concedit D. Tho. 1. p. quæstione 19. quòd Deus eodē amore quo amat se & creaturas, attingit vtrumque formaliter, quia vnum est ratio volendi aliud, & vtrūque formaliter & expresse cognoscitur. Quando autē tantū ad vnū attēdit formaliter, ad alterū verò virtualiter, sic & appetit vnū formaliter, alterū verò virtualiter: & si ad vtrumque tantum attendit virtualiter, vtrumque tantū appetit virtualiter. Secunda etiam solutio contrariorum est nulla, quia si lux secundùm illos tantùm se tenet ex parte medij, & nihilominus potest attingi formaliter cum obiecto; à fortiori finis cum medio, cùm sit ratio formalis illius.

Solutio.

Obiectio.

Solutio.

D. Tho.

Quinta conclusio: Ille vnicus & idem actus, qui formaliter fertur in medium & in finem, non potest ferri supra vtrumque sumptum vt quod, sed in alterum vt quod, in alterum verò vt quo: itaque si attingit finem vt quod, tunc tantùm attingit medium vt quo, & in obliquo: si autem attingit medium vt quod, tunc tantùm attingit finem vt quo. Sicut etiā & in Intellectu patet; non enim potest ferri in principium & conclusionem, in vtrumque vt quod & in recto: sed si fertur in principium vt quod, fertur in conclusionem in obliquo & vt quo, & è contra. Hæc conclusio probatur. Voluntas in tantum potest ferri eodem actu in finem & medium, in quantum ad inuicem coordinantur & habent rationem vnius; sed finis & medium non ad inuicem coordinantur, nec habēt rationem vnius, si vtrumque sumatur vt quod: ergo. Probatur minor, nam finis in tantum habet coordinationē cum medio, in quantum est consequibilis per medium; vnde quando finis consideratur vt quod, iam medium consideratur vt quo & in obliquo. Similiter mediū tunc coordinatur ad finem, vt consideratur vt appetibile propter finem, in quo iam vides medium vt quod, finem verò in obliquo: vtrumque autem in recto hāc mutuam coordinationem habere non potest, sed considerantur vt obiecta distincta, ac per consequens attingibilia per actus diuersos. Et si contra facias argumentum, nam nulla est repugnantia, vt idem simul respectu eiusdem actus comparetur vt quod & vt quo; ergo poterit ferri supra vtrūq; vt quod, seruato alias quòd alterū respectu alterius habeat rationē vt quo, vt sic possint esse coordinata & habere rationē vnius. Antecedēs probatur primò in colore & luce: lux enim nō solū videtur vt quo, sed etiā vt quod, vt sæpissime D. Tho. dicit, & cū aliàs color vt quod videatur, vtrūq; videtur vt quod. Secundò probatur in verbo mētis, de quo etiā passim D. Tho. dicit, q̄ intelligitur vt quod & vt quo: obiectū autē ad extra, certū est in-

5. *Conc.*

Obiectio.

telligi vt quo: ergo iã vtrumque vt quod intelligitur. Tertiò probatur in visione qua simul videtur album & nigrũ,& vtrũque certè vt quod,quia netrũ est ratio vidē di vt videatur vt quo.Quartò probatur in actu quo quis vult furari propter mœchiã: tunc enim certum est quòd furtum est volitum vt quod,& formaliter.Quòd autem mœchia etiã sit volita vt quod, probatur, nam ille actus est intentionis:ergo respicit formaliter mœchiam vt finem & in recto.

1. *Solut.* Respondetur tamen negando antecedēs. Ad primam probationem respōdetur primò,quòd lux nōn videtur vt quod,quando simul videtur cum colore & vt quo, sed quando se sola seorsum videtur;vnde nunquàm simul color & lux videntur vt quod:sicut de anima rationali dici solet, quòd habeat esse vt quod & vt quo:quod vtique non sic debet intelligi,quod quando anima est in corpore, & habet esse vt quo,simul etiam habeat esse vt quod;sedsi

2. *Solut.* seperetur & seorsum maneat.Secũdò respondetur, non esse eandem rationem de colore & luce, atque de medio & fine; nã color nullam visibilitatem habet nisi per lucem formaliter existētem in colore: vnde visio quæ formaliter terminatur ad colorem vt quod, terminatur etiam vt quod, ad lucem formaliter existentem in colore: bonitas autem finis non est formaliter in medio, nec est appetibile medium vt quod per bonitatem finis formaliter existentem in illo,sed per bonitatem participatam finis in ipso medio,& in illo existentem virtualiter; vnde actus electionis terminatus ad medium vt quod,non attingit vt quod bonitatem formalem finis, sed bonitatem virtualem & participatam in medio;quod non est attingere vt quod nisi ipsum medium: quia nonest aliud formalissimè medium, nisi illud bonum participatum & proportione

Obiectio. existens ad bonitatem finis. Et si instes, quòd etiã color est quædã participatio lucis,& nihilominus visio nō solũ terminatur vt quod ad illã participationē lucis virtualē,quod est terminari adcolorē,sedetiã terminatur ad ipsã lucē formalē vt quod, prout distinctam à colore: ergo similiter actus Volũtatis nō solũ terminabitur vt quod ad illã bonitatē finis participatã virtualiter existentē in medio,quod est attingere formalissimè ipsum mediũ;sed etiã attingetvt quod,ipsam bonitatē finis formalē &distinctã âbonitatevirtuali participata medij:Respondetur, quòd licèt color sit *Solutio.* quædã participatio lucis,tamē est adeò imperfecta,vt per se attingi non possit, nisi etiam formaliter ponatur ipsa lux in ipso colore,qui est eius participatio: vnde eo ipso quòd attingit colorem vt quod,similiter attingit ipsam lucem formalem: medium autem sic participat bonitatem finis per proportionem ad ipsum,quòd per talem bonitatem virtualem & participatam est appetibilis;vnde terminare potest per illã actũ electionis qui solũ respiciat bonitatem formalē finis in obliquo & vt quo. Ad secũdã probationē posset dici,probabilius esse,quòd verbum mentis tantũ intelligitur vt quo,& non vt quod:illo tamē admisso, respondetur,quòd verbũ potest attingi dupliciter.Primò in actu exercito, quatenus est idem motus in imaginē & in rem imaginatam.Secundò in actu signato & per modum rei,quatenus attingitur cognitio cognitione reflexa Quãdo primo modo cognoscitur, tantũ cognoscitur vt quo:obiectum autem vt quod.Quãdo autē cognoscitur secundo modo,verbũ cognoscitur vt quod,obiectum autem in obliquo,vt terminus similitudinis verbi: nunquàm ergo eadem cognitione simul cognoscuntur verbum & obiectum vt quod: vnde nihil contra nos. Secundò respondetur,non esse eandem rationem ,nã cùm verbum habeat rationem imaginis, in illa tãtũ admittitur posse attingi vtroque modo,& in actu signato, & in actu exercito; ac per consequēs vt quo & vt quod.Obiectum autem Voluntatis (verbi gratia)medium & finis,non habent rationem imaginis,sed rei; vnde nō habet locũ distinctio posita deverbo,sed tantum in exercitio simul attingitur vnum cum alio,& per cōsequens alterũ vt quod,alterum vt quo.Et si *Quæstio.* dicas,non assignari rationem quare verbũ & obiectũ attingãtur vt quod eodē actu, sed tantùm quòd vtrumque potest attingi,quia etiã potest verbũ attingi in actu signato:sed hoc non probat,quòd actu illo quo attingitur obiectũvt quod,sedalio,nē pe reflexo,vt dicebat prima solutio: Respōdetur,hoc eodēactu posse fieri,quiaverbũ & obiectũ sunt omnino idē in esse intelligibili;vnde idem est quòd intellectio terminetur ad obiectũ vt quod,& terminari etiam ad ipsum verbum vt quod:hoc autem non habet locum inter medium & finem,distinguuntur enim in esse volito:aliter enim estvolibile medium,&aliter finis:

vnde

vnde attingere vnum vt quod, non est attingere aliud nisi vt; plurimū vt quo, quatenus vnum cum alio coordinationē habet.

Ad tertiam probationē respōdetur, quod album & nigrum obiecta eidem visioni, non sunt duplex obiectum, sed idem totale; vnde vtrūque potest terminare vt quod partialiter: medium autem & finis sumpta vt quod, sunt diuersa obiecta formaliter; habentia enim diuersam rationem formalē volibilis, vt dictum est, & sic eodem actu simul vt quod, attingi nō possunt. Ad quartam probationem respondetur, illum actū esse electionis; vnde tantum attingere vt quod, furtum, finem autem, scilicet mœchiam, tantum in obliquo. *Obiectio.* Et si dicas, quod furtum tantum se habet materialiter; mœchia verò formaliter; vnde dicit Aristotel. quòd ille potiùs est mœchus, quàm fur: ergo à fortiori attingitur vt quod, & formaliter mœchia potius quàm furtū. *Solutio.* Respondetur, furtum quod assumitur vt medium, posse cōparari vel ad finem mœchiæ, vel ad actum Voluntatis, quo vult furari propter mœchiā. Primo modo furtum cōsideratur materialiter, vt probat argumentum. Secundo tamen modo furtū cōsideratur formaliter, quia specificat illū actum electionis, & per consequens in ordine ad illum actum considerātū vt quod; finis autem & mœchia tantum vt quo & in obliquo se habet.

Corol. Ex dictis in hac conclusione sequitur. Primo, quod, vt infrà dicetur contra aliquos Thomistas, non potest idem actus numero simul esse intentio & electio, quia intentio debet attingere finem vt quod, electio autem medium vt quod: si ergo idem actus non potest simul attingere finem & medium vt quod, non poterit idē actus simul esse intētio & electio; sed si attingit mediū vt quod, & finem vt quo, erit electio: si autem finem vt quod, & mediū vt quo, erit intentio.

Corol. 2. Secundo sequitur, quòd ad dignoscendum cuius virtutis sit aliquis actus, non est inspiciendum qualia obiecta attingat, sed qualiter attingat, ad illā solā virtutem pertinet elicitiuè cuius obiectum attingit vt quod, & in recto; non autem ad aliam, cuius obiectum solùm attingit in obliquo, nisi vt plurimum imperatiuè. Verbi gratia, vult aliquis dare eleemosynam propter Deum; ille actus elicitur & est in specie Misericordiæ, non autem Charitatis, quia solùm attingit vt quod, obiectum Misericordiæ, solùm autem in obliquo obiectū Charitatis; vnde imperatur à Charitate, & elicitur à Misericordia. E contra autem si respiceret vt quod & in recto finem Charitatis, vt consequibilem per eleemosynam, esset actus Charitatis, non autem Misericordiæ. Similiter cùm quis dolet de peccatis propter Deum, non est actus Charitatis, vt statim dicemus, sed pœnitentiæ, quia tantùm respicit vt quo obiectum Charitatis, vt quod autem, obiectū pœnitentiæ.

Ad argumenta facta à principio respōdetur. Ad primū, quòd D. August. loquitur secundum quòd vtrumque habet ratio nem finis, & non secundùm quòd apertio fenestræ ordinatur ad visionem transeuntium, sed secundùm quòd in ipsa apertione fenestræ potest aliquid curiositatis aduerti per modum finis: & sic certum est requirere diuersos actus circa vtrumque. *Ad 1. arg.* Solutio est D. Tho infrà q. 12. art. 4. Secundò respondetur quòd loquitur de fine & medio, non vt finis est ratio volendi medium, sed secundum se: sic autē iam diximus, quāliter actus, circa finem debeat esse distinctus ab actu qui debet esse circa medium. *2. Solutio.* Tertiò respondetur, quòd loquitur de fine & medio, sumēdo vtrūque vt quod; sic enim exposcunt diuersos actus, vt iam diximus, non autē loquitur sumendo vnum vt quo, alterum verò vt quod; & sic vnico actu attingi possunt. *3. Solutio.*

Ad secundū argumentum respōdetur, non esse idem, dicere quòd intētio est causa electionis & dicere quòd volitio finis est causa volitionis mediorū. Prima enim propositio admittitur ab omnibus, vt regulariter vera; quia regulariter sunt actus distincti intentio & electio; non autem admittitur vt semper vera, cū aliquri teneant, aliquando eundem actum esse simul intentionem & electionem; & in eodem numero actu non potest esse causa & effectus, quia idem esset causa sui. Hac tamen sententia admissa, concedendum erit, quòd intentio est ratio formalis electionis; ad hoc enim non requiritur distinctio realis, immò nec formalis: in Deo enim conceditur, quòd immutabilitas est ratio æternitatis, inter quæ tamen nulla est distinctio realis nec formalis. Similiter, etiamsi idem sit actus quo attingitur finis & medium, vt nos docuimus, licet non per modum intentionis & electionis simul, quia non potest attingere simul vtrūq; vt quod: nihilominus debet cōcedi *Ad 2. arg.*

quòd vult medium propter finem; quia ly Propter, non dicit causam volitionis, sed voliti; hoc est, non denotat aliam volitionem causantem ipsam, sed dicit causam quare illud medium terminat actum volendi. Sicut quando dicimus, quòd videmus colorem propter lucem, non multiplicantur visiones, quasi vna sit circa lucem, & altera circa coloratum, & vna sit causa alterius: sed tantùm denotatur vnica visio eorum quorum alterum est causa vt alterum attingatur per talem visionem. Similiter quando dicimus, quod Deus vult creaturam propter suam bonitatem, non est sensus quòd sint duæ volitiones diuinæ, & quòd volitio suæ bonitatis sit causa volitionis creaturarum: sed est sensus, quòd est ordo in ipsis volitis. videlicet quòd creatura sit propter Creatorem & bonitas creaturæ propter bonitatem sui Conditoris. Secunda autem propositio ab omnibus Thomistis cõceditur, quia secundum Diuum Thomam, vt supra docuimus, semper præcedit volitio finis secũdum se, vt actus distinctus realiter, à quo omnis electio mediorum originatur: vnde generaliter habet verum, quòd volitio finis est causa volitionis mediorum.

Ad 3. arg. Ad tertium, secundum sententiam tenentium quòd idem actus potest esse intẽtio & electio, bene illis respõsum est. Et ad replicam dicitur, quod volitio finis secundùm se realiter distinguitur, & realiter separatur ab electione: volitio autem finis, vt ratio est mediorum, & vt per modum intentionis attingit illũ, ad hunc sensum potest realiter separari ab electione, quia à principio potest per distinctũ actũ intendere & eligere: quando autem semel vnico actu intendit & eligit: non potest intentio realiter separari ab electione, cùm sit eadem entitas vtriusque: forsitan autem posset separari formaliter; manente enim eodẽ actu, posset retinere formalitatẽ intentionis, & amittere formalitatem electionis: hoc autem non probat distinctionem realem, sed tantùm formalem requisitam ad distinctionem specificam, secundùm tamen nostram sententiam argumentum positum non currit; diximus enim, intentionem & electionẽ esse diuersum actum; neque in hoc verificamus, posse eodem actu attingere finem & medium, quia simul posset intendere & eligere: sed per hoc, quòd siue sit intentio, siue electio, attingit vtrumque, alterum vt quod, & alterum vt quo, vt iam explicuimus. *Ad 4 arg.*

Ad quartum argumentum, patet ex dictis, qualiter ille actus simul attingit obiectum Misericordiæ & Deum, nec propterea est actus duarum virtutum, sed tantùm Misericordiæ; quia tantùm attingit illud medium (scilicet obiectum Misericordiæ) vt quod; finem autem Charitatis vt quo. Vt autem esset actus Charitatis, & consequenter realiter distinctus, requirebatur quòd attingeret obiectum Charitatis vt quod. *Ad 5.*

Ad quintum argumentum respondetur, quòd in tãtum dicit D. Th. quòd auaritia attingit vtile vt vtile, quia ab illo specificatur vt sic, nõ autẽ hoc tollit, q̃ in ipso vtili formaliter vt vtili attingat rationem finis vt quo, quia formalissime vtile per ordinem ad alterum: scilicet finem, constituitur, vnde nunquam est attingere formaliter medium, quin etiam attingatur finis.

Ad 6. arg. Ad sextum argumentum respõdetur, quòd idem dicendum est de principio & de conclusione, quòd si alterum sumatur vt quod, alterum verò vt quo, idem assensus potest attingere vtrumque eodẽ actu: nõ autẽ si vtrũque cõsideretur vt quod: si enim principiũ & cõclusio sumãtur in recto, diuersimodè se habet Intellectus circa illa; circa principiũ enim versatur vt Intellectus circa conclusionẽ autẽ vt ratio, per discursum & scientiã, licèt enim potẽtia intellectiua sit vna hãc duplicẽ considerationẽ habet, & secũdũ illas act⁹ diuersa tionis. Ita ergo similiter dictũ est de Volũtate, q̃ circa finẽ & mediũ potest ferri eodẽ actu, sumẽdo alterũ vt quod, alterũ verò vt quo: nõ autẽ si vtrũq; sumatur vt qd: vnde etiã Volũtas, sicut & Intellectus, dupliciter cõsideratur. Primò vt Volũtas, secũdò vt libera: circa finẽ ergo fertur vt Volũtas, circa media verò vt quod, fertur vt libera. *D. Tho.* Quapropter D. Thom. 2.2. quæstione 24. art. 1. ad. 3. dicit, quòd licèt Voluntas & liberum arbitrium sint eadem potentia, Charitas tamen dicendum est quòd sit in Voluntate, & non in libero arbritrio; quia Charitas non est circa finem quem respicit Voluntas; liberum autem arbitrium tantùm est circa media.

Ad 7. arg. Ad septimum argumentum respondetur, probare, quòd tunc non attingat simul medium & finem formaliter, non autem quòd non attingat finem virtualiter, vt dictum est: & hæc attingentia finis, siue formalis, siue virtualis, inseparabilis

bilis est ab attingentia medij : alteram enim illarum necessariò debet includere.

Ad 8. arg. Ad octauum argumentũ respondetur. Primò cum Caietano & Durando, non esse incoueniens, quòd idem actus numero, sit volitio & nolitio respectu diuersorum, & omnem rationem oppositam enumeratã in argumento claudat: omne enim odium claudit in se amorem oppositi quod odit; & similiter amor claudit oppositi odium: vnde detestatio peccati propter Deum, respectu peccati est nolitio, respectu verò Dei, est volitio & amor. Eandem solutionem adhibet & Crapreolus *Capreol.* in 1. dist. 1. quæst. 1. ad argumenta contra quartam conclusionem. Aduertendum tamen, quòd sustinendo istam solutionem, licèt concedatur quòd idem actus est nolitio & volitio, non tamen debet concedi, quòd volitio est nolitio, quia ista facit sensum formalem falsum; sicut conceditur quòd idem motus est actio & passio, negatur tamen quòd actio sit passio. Hæc tamen solutio licèt probabilis sit, mihi tamẽ iuxta prædicta non videtur vera; dependet enim ex resolutione illius dubij in materia de pœnitentia, vtrùm cõtritio sit etiã actus charitatis. Et licèt aliqui teneãt partem affirmatiuam, iuxta quam procedit ista solutio data; opposita tamen sententia est probabilior, quia, vt diximus, idem numero actus licèt possit imperari ab vna virtute, & elici ab alia; non tamen potest simul elici à duabus; quia non potest respicere obiectum vtriusque virtutis in recto & vt quod: vnde contritio tantùm elicitur à pœnitentia, licèt imperetur à charitate: vnde formaliter ille actus habet esse nolitionem & detestationem peccati: esse autem amorem & volitionem Dei, tantùm habet virtualiter, quatenus amorem necessariò supponit: sicut omne odium necessariò supponit amorem oppositi. *Obiectio.* Et si contra dicas, nos dixisse, quòd volitio medij potest etiã attingere finẽ formaliter, licèt nõ in recto, tamẽ in obliquo: ergo ille actus contritionis etiam formaliter, licèt in obliquo, poterit attingere finem charitatis, & iam sic erit nolitio peccati & volitio Dei: *Solut. 1.* Respõdetur primò, quòd vt esset amor Dei, requirebatur attingere finẽ Charitatis in recto: nam quod tãtum attingitur in obliquo, non tribuit denominationem: quapropter diximus, quòd etiam si electio attingat formaliter finem, non *Solut. 2.* denominatur intentio, quia non attingit finem in recto. Secundò respondetur acutiùs, quòd contritio non attingit Deum etiam in obliquo, vt secundùm se amabilis est, & obiectum amoris; sed attingit illum vt rationem formalem odiendi peccatum. Est autem formaliter ratio odiendi peccatum, non vt secundùm se bonus, & obiectum Charitatis, sed vt offensus & vt iniuriatus: vnde qui per contritionem fertur in peccatum detestatiuè, non per modum amoris, formaliter loquendo, sed per modum detestationis, fertur in Deum vt in rationem formalem odiendi peccatum. Sicut enim detestatur peccatum, ita detestatur, Deum esse iniuriatum & offensum: vnde in destructionem vtriusque tendit, & peccati, & Dei offensi. Sicut cùm quis ieiunat propter Deum, non attingit Deũ secundũ se, vt rationẽ formalẽ ieiunandi; sed attingit Deũ placãdũ, quia vt sic, est ratio ieiunandi: vnde aliud est velle dolere de peccato, propter Deum; aliud verò est dolere de peccato & amare Deum. Primũ *D. Tho.* potest velle vnico actu; secundum necessariò exposcit actum diuersum: quapropter D. Tho. infrà quæst. 113. ar. 1. dicit, quòd in iustificatione duplex motus reperitur; alter in iustitiã, quæ infunditur, alter verò in peccatum quod expellitur. Primus est amoris & charitatis: secundus verò detestationis & pœnitẽtiæ. Sentit ergo D. Thom. non esse eundem motum nolitionis peccati, & amoris Dei.

QVESTIO. IX

De Motiuo Voluntatis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Voluntas moueatur ab Intellectu.

AD primum sic proceditur. Videtur quòd Voluntas non moueatur ab Intellectu. Dicit enim Aug. super illud Psalm. Concupiuit *Infra q. 17 ar. 1. & 1. q. 82. ar. 4. Et ver. q. 14. ar. 1. & 2. & q. 22. art. 11. Et*

mal. q. 4. ar. 2. ccr. & ad 13 & q. 6. ccr. ad 10 & 12. Ps. 118. ser. 8. non procul. à fin. to. 8.

anima mea desiderare iustificationes tuas: præuolat Intellectus, sequitur tardus aut nullus effectus: scimus bonum, nec delectat agere. Hoc autem non esset, si Voluntas ab Intellectu moueretur: quia motus mobilis sequitur motionem mouentis: ergo Intellectus non mouet Voluntatem.

Secundò præterea. Intellectus se habet ad Voluntatẽ, vt demõstrans appetibile; sicut imaginatio demõstrat appetibile appetitui sensitiuo: sed imaginatio demõstrans appetibile, non mouet appetitũ sensitiuũ; immò quãdoque itanos habemus ad ea quæ imaginamur, sicut ad ea quæ in pictura nobis ostenduntur, ex quibus non mouemur, vt dicitur in libro de Lib. 2. tex. 154. to. 2. *anima: ergo nec etiã Intellectus mouet Voluntatem.*

Tertiò præterea: Idem respectu eiusdem non est mouens & motum: sed Voluntas mouet Intellectũ; intelligimus enim quando volumus: ergo Intellectus non mouet Voluntatem.

SED contra est quod Philosophus dicit in 3. de anima, † *quòd appetibile Intellectum est mouens, non motum; Voluntas autem est mouẽs motum.* Tex. 54. to mo. 2.

Respondeo dicendum, quòd in tãtum aliquid indiget moueri ab aliquo, in quantum est in potentia ad plura; oportet enim, vt id quod est in potentia, reducatur in actum per aliquid quod est in actu; & hoc est mouere. Dupliciter autẽ aliqua vis animæ inuenitur esse in potentia ad diuersa. Vno modo, quantum ad agere hoc vel non agere. Alio modo, quantum ad agere hoc vel illud: sicut visus quandoque videt actu, & quandoque non videt, & quãdoque videt albũ, & quandoq; videt nigrum: indiget igitur mouente, quantum ad duo, scilicet quantũ ad exercitium vel vsum actus, & quantum ad determinationem actus: quorum primum est ex parte subiecti, quod quandoque inuenitur agens, quandoque non agens: aliud autem est ex parte obiecti, secundũ quod specificatur actus: motio autẽ ipsius subiecti est ex agente aliquo; & cùm omne agens agat propter finem, vt suprà † *ostensum est, principium huius motionis est ex fine. Et inde est, quòd ars ad quam pertinet finis, mouet suo imperio artem ad quam pertinet id quod est ad finem; sicut gubernatoria ars imperat nauifactiuæ, vt in 2.* † *Physic. dicitur. Bonũ autem in communi, quod habet rationem finis, est obiectum Voluntatis: & ideò ex hac parte Voluntas mouet alias potentias animæ ad suos actus; vtimur enim alijs potentijs cùm volumus; nam finis & perfectiones omnium aliarum potentiarum comprehenduntur sub obiecto Voluntatis, sicut quædam particularia bona: semper autem ars vel potentia ad quam pertinet finis vniuersalis, mouet ad agendum artem vel potentiam, ad quam pertinet finis particularis sub illo vniuersali comprehensus: sicut Dux exercitus, qui intendit bonum commune, scilicet ordinem totius exercitus, mouet suo imperio aliquẽ ex Tribunis, qui in* q. 1. ar. 2. Tex. 25. to mo 2.

tndeit

tendit ordinē vni⁹ actiui: sed obiectū mouet determinando actum ad modum principij formalis, à quo in rebus naturalibus actio specificatur, sicut calefactio à calore. Primum autem principium formale est ens & verum vniuersale, quod est † *obiectum Intellectus, & ideò isto modo motionis, Intellectus mouet Volūtatem, sicut præsentans ei obiectum suum.*

D.752.

Ad primum ergo, dicendum, quòd ex illa authoritate non habetur, quòd Intellectus non moueat, sed quòd non moueat ex necessitate.

Ad secundum, dicendum, quòd sicut imaginatio formæ, sine æstimatione conuenientis vel nociui, nonmouet appetitum sensitiuum; ita nec apprehensio veri, sine ratione boni nec appetibilis: vnde Intellectus speculatiuus non mouet, sed Intellectus practicus, vt dicitur in 3. † *de anima.*

Tex. 46. & seqq. to. 2.

Ad tertium, dicendum, quòd Voluntas mouet Intellectum, quantum ad exercitium actus; quia & ipsum verum, quod est perfectio Intellectus, continetur sub vniuersali bono, vt quoddam bonum particulare: sed quantum ad determinationem actus, quæ est ex parte obiecti, Intellectus mouet Volūtatem; quia & ipsum bonum apprehenditur secundum quandam specialem rationem comprehensam sub vniuersali ratione veri: & sic patet quòd non est idem mouens & motum secundum idem.

Prima conclusio fundamētalis. Omnis in vniuersum potentia, quæ indifferens est ad agere & non agere, & ad agere hoc vel illud, duplici motore indiget; altero quoad exercitium, altero quoad specificationem. 1. Concl.

Secunda conclusio. Quantum ad exercitium actus, quod est agere vel non agere, Voluntas mouet Intellectum & alias potentias animæ ad suos actus. 2. Concl.

Tertia conclusio. Quantum ad specificationem actus, quod est agere hoc vel illud, Intellectus mouet ipsam Volūtatem. 3. Concl.

Pro intelligentia notandum, quòd in Voluntate duo possunt considerari. Primum est, principium actus volendi, secundum, actus ipse volendi. Primum quidem debet esse vel ipsa voluntas, vel aliquid se tenens ex parte illius, qualis est habitus: nihil enim aliud potest assignari ex parte Voluntatis, quod sit principium actus illius; cùm in Voluntate non constituatur species, vel aliquid tenens se ex parte obiecti, quod cum Voluntate posset esse principium actus. Et rursus principium actus volendi, adhuc dupliciter potest intelligi. Primò per modum efficientis; & sic sola est Voluntas, vel habitus eius, vel Deus per modū primę causę cōcurrens cū Voluntate. Secundò potest intelligi per modum inclinantis ipsam Voluntatem, vt prorumpat in actū; & hōc adhuc dupliciter. Primò, inclinando Voluntatē ex parte ipsius Voluntatis, vel producendo illam, vel eius inclinationem & propensionem: qua ratione solus Deus potest inclinare Voluntatem. Secundò aliquid inclinare potest voluntatem ex parte obiecti; hæc enim natura est obiecti, vt propositum Voluntati ipsam moueat, & inclinet vt operetur. D. ergo Thomas in hac quæstione disputat de mouente Voluntatem, tam ex parte potētiæ, quàm ex parte obiecti, & cum id quod mouet ex parte obiecti, possit esse vel ipsum obiectum, vel quod applicat obiectum; & cùm etiam quod applicat potentiam vel obiectum, possit esse aut intrinsecum, sicut Intellectus, vel appetitus, vel imaginatio: aut verò quod applicat, possit esse extrinsecum, qualis est Deus, vel Angelus, vel corpus cœleste; idcò in tribus prioribus articulis agit D. Tho. de applicantibus intrinsecis, in alijs verò de extrinsecis. Not.

Secundò notandum, quid sit determinatio vel motio quoad exercitium, vel Not. 2.

quoad ſpecificationem: non enim eſt determinatio quoad exercitiũ, determinare potentiam ad actum ſecundùm rationem genericam; & determinatio quoad ſpecificationem, non eſt determinare potentiam ad actum ſecundùm rationem ſpecificam; quia cũ Volũtas mouet Intellectũ quoad exercitium, non tantum mouet illum vt producat intellectionem ſecundùm rationem genericam, ea ſola ratione qua intellectio eſt; ſed etiam vt producat intellectionem ſecundùm rationem ſpecificam, ea videlicet ratione qua intellectio eſt hominis, aut equi: non enim ſolùm mouet vt intelligat, ſed etiam vt intelligat hoc aut illud obiectum ſpecificum. Determinare ergo, vel mouere potentiam quoad exercitium, nihil aliud eſt, quàm mouere potentiam vt hic & nunc producat actum extra ſuas cauſas: actum (inquam) & ſecundũ rationem genericam, & ſpecificam. Determinare autem vel mouere potentiam ad actum quoad ſpecificationem, nihil aliud eſt, quàm eſſe cauſam quare actus qui hic & nunc ducitur extra cauſas, ſit potiùs huius rationis, vel ſpeciei, quàm alterius. Verbi gratia, quia actus qui elicitur à Voluntate, habet ab obiecto propoſito per Intellectum, vt potiùs ſit huius, quàm alterius ſpecici; quod videlicet potius ſit volitio pecuniarum, quàm honoris: ideò Intellectus proponens voluntati obiectum, dicitur mouere illam quoad ſpecificationem. Ex quibus ſequitur, quòd rectè à Philoſophis & Theologis motio & determinatio quoad exercitiũ appellatur contradictionis; explicatur enim per operari & non operari, quæ contradictorie opponuntur: determinatio autem vel motio quoad ſpecificationem, appellatur contrarietatis, quia explicatur per operari circa hoc aut illud obiectum, quæ contrarie opponuntur.

DVBIVM PRIMVM,

Vtrum prima concluſio Diui Thomæ ſit vera.

1. *Arg.* PRobatur quòd nõ. Primò, quia aqua eſt in potentia quoad exercitium ad patiendum & non patiendum, & etiã eſt in potentia quoad ſpecificationem, videlicet ad patiendum ſecundùm hanc vel illam formam, verbi gratia, raritatem vel denſitatem; & tamen quoad vtrumque determinatur ab eodem mouente: ergo falſa eſt cõcluſio, indigere duplici motore. Probatur minor, nam ab eodem agente à quo patitur, patitur raritatem. Si reſpondeatur, *Solutio.* Diuum Thomam non loqui de potentijs paſsiuis, ſed de actiuis: Contra

2. *Arg.* Secundò arguitur, nãviſus eſt etiã in potentia in exercitio & ſpecificatione, nẽpe ad videre, & videre album & nigrũ permodum potentiæ actiuæ; & tamen quoad vtrumque mouetur ab eodem, nempe ab obiecto; quod docuit Ariſt. 2. de anima, cap. 5. textu. 56. dicens, duplicem mutationem ſenſus fieri ab obiecto.

3. *Arg.* Tertiò arguitur. Vni potentiæ paſsiuæ vnatãtũ potentia actiua correſpondere debet; cũ debeat ſeruari debita proportio inter agẽs & patiẽs, mouẽs & mobile: ergo cũ ſit eadem potẽtia, quæ determinatur quoad exercitium & quoad ſpecificationem, vnum etiam debet eſſe mouens, quod vtrãque potentiam modo vtroque determinet. Si reſpondeatur, non etiam loqui D. Thom. de omnibus potentijs actiuis, ſed ſolùm de illis quæ ſubduntur, & quatenus ſubduntur imperio Voluntatis: Contra *Solutio.*

4. *Arg.* Quartò arguitur, quia hoc eſt petere principium; nam quod D. Tho. intendit, eſt, aſsignare duplicem motorem quoad exercitiũ & quoad ſpecificationem in alijs potentijs, & quòd motor quoad exercitium ſit Voluntas. Si ergo ſupponi debet, quòd tantùm agat de potentijs ſubditis motioni Voluntatis, ſupponitur probãdum, nempe quod à Voluntate moueantur.

5. *Arg.* Quintò arguitur, nam in omnibus potẽtijs, tam actiuis, quàm paſsiuis, tam ſubditis, quàm non ſubditis Voluntati, reperitur, quòd moueãtur â ſe ipſis quoad exercitium, & ab obiecto quoad ſpecificationem; ergo reſpectu cuiuſcunque potentiæ datur duplex motor, & conſequenter propoſitio D. Tho. non debet limitari ad hoc vel illud genus potentiarum.

In hac re eſt diuerſus modus explicandi inter Thomiſtas prædictam propoſitionem Diui Thomæ. Aliqui enim dicunt, quòd quando D. Thom. dicit, potentiam indifferentem modo prædicto indigere duplici motore, non intelligitur indigere duplici motore diſtincto realiter, ſed quòd aſsignari debeat motor, ſiue idem, ſiue diſtinctus, reducens talem potentiam ad actum vtroque modo, & quoad exerci-

exercitium,& quoad ſpecificationem: & ſic cõſequenter dicunt, illã propoſitionẽ habere verum vniuerſaliter in omni potẽtia,tam actiua,quã paſsiua,tam determinata ad vnũ,quã non determinata, vna tantũ excepta Voluntate, quæ cùm formaliter ſit libera,ſe ipſam quoad exercitiũ mouet, & non requirit aliũ motorem extrinſecũ. Cæterùm vniuerſæ aliæ potentiæ motorẽ extrinſecum expoſcunt,& quoad exercitium,& quoad ſpecificationem: aliquãdo quidem motorem diſtinctum, aliquando vero eundem determinantemvtroque modo; quando videlicet in talibus potentijs nõ diſtinguitur exercitiũ ab ſpecificatione & natura: Verbi gratia,potẽtia calefactiua ignis determinatur ad actionẽ talisſpeciei, nempe calefaciendũ per calorem;quia tamen ignis non ſemper eſt approximatus paſſo,vt paſſum recipiat calorem, indiget alio motore applicante ignẽ paſſo calefactibili.Similiter potẽtia paſsiua aquæ determinatur quoad ſpecificationẽ à calore; quia tamen nõ ſemper aqua mutatur huiuſmodi paſsione, indiget alio mouente quoad exercitiũ, quod cauſet paſsionẽ & immutationẽ,quæ prius non erat in aqua. Similiter patet in deſcenſu lapidis, quem quidẽ quoad exercitiũ mouet generans, quoad ſpecificationẽ autem, vt motus ſit huius vel illius ſpeciei,mouet centrum, vt docet Ariſt.1. Phyſic.c.4.& 5.Hæc tamen explicatio nõ eſt bona. Primò enim malè excipit Voluntatem ab intelligentia illius propoſitionis D. Tho. nam etiã reſpectu Voluntatis aſsignãdus eſt duplex motor, quoad ſpecificationẽ quidẽ, Intellectus, vt infrà dicetur:quoad exercitiũ autẽ licèt nõ aſsignetur motor diſtinctus, eſt tamen huiuſmodi ipſa Volũtas,quę non tantum alias potẽtias,ſed etiã ſe ipſam quoad exercitiũ mouet.Secundò etiã contra mentem D.Tho.extendunt prædictam propoſitionem ad potẽtias paſsiuas,cùm ipſe expreſſe dicat,quòd vis animæ quæ eſt in potentia,ad agere & non agere, & ad agere hoc vel illud,indiget mouente & determinante quoad vtrumque.Ecce qualiter expreſſe de potentijs actiuis loquitur. Item falſò nituntur aſsignare in potentijs paſsiuis & actiuis determinatis ad vnum, duplicem motorem;nam in huiuſmodi potentijs ad vnum determinatis,idem omnino eſt principium quo determinantur ad agere,& ad agere hoc vel illud;vt patet in calore & potentijs generatiuis & vegetatiuis, omnino enim ſunt determinatæ quoad vtrumque, & ſi quandoque calor (verbi gratia) mutabiliter inducit formam diuerſam,vt raritatem vel denſitatem; non prouenit ex aliqua indeterminatione potentiæ,cui,vt determinetur,aſsignandus ſit peculiaris motor;ſed poſita omnino determinatione caloris,illa diuerſitas ſolùm prouenit ex diuerſa diſpoſitione ſubiecti patientis.

Alij ergo aliter explicant prædictam propoſitionem D.Tho.quòd non ita vniuerſaliter debeat extendi ad omnes potentias paſsiuas & actiuas: ſed dicunt, debere coarctari ad potẽtias actiuas; non quidem omnes,ſed tantũ ad illas quæ non ſunt determinatę ad vnum;quales ſunt omnes potentiæ apprehenſiuæ & appetitiuæ,tã ſenſitiuæ,quã intellectiuæ partis:& qualis eſt potentia motiua ſecundũ locum, quæ eſt in animali;iſtæ enim cùm indifferentiã habeant ad agere & nõ agere,& ad agere hoc vel illud,indigent duplici motore determinante quoad vtrumque.

Pro cuius intelligentia notãdum,quòd huiuſmodi potentię dupliciter poſſunt cõſiderari.Primò ſecundũ quòd antecedunt deliberationẽ Rationis,immò omnem motionẽ,tam Volũtatis,quã appetitus ſenſitiui;quo pacto quoad exercitiũ quidẽ mouẽtur à ſe ipſis per propriã actiuitatẽ:quãtũ quoad ſpecificationem verò à proprijs obiectis:neutrũ enim ſine altero ſufficit, nec obiectũ ſine actiuitate potẽtiæ, nec actiuitas potẽtiæ ſine obiecto:& hoc quidẽ verũ habet de omnibus ſenſibus, tã internis,quã externis:immò etiã habet verũ de ipſo appetitu ſenſitiuo, immò & de ipſa Voluntate:Voluntas enim, vel appetitus ſenſitiuus,in actibus qui antecedunt omnino Voluntatem,mouẽtur à ſe ipſis quoad exercitiũ,quoad ſpecificationem verò mouentur ab obiecto præſentato per Intellectum Voluntati, vel per imaginationem appetitui ſenſitiuo.Secundo autem modo poſſunt conſiderari prædictæ potentiæ indifferentes,quatenus imperio Volũtatis ſubijciuntur,& ab eius impulſu & motione pendent:& hac etiã ratione duplici motore indigent, quoad exercitium quidem indigent Volũtate, quoad ſpecificationẽ verò indigent Intellectu proponente obiectum. Indigent quidem quoad exercitium Voluntate mouente,non quia ipſæ potentiæ nõ ſe moueant quoad exercitiũ per propriam actiuitatem: ſed quia iſtam vim & actiuitatem propriam exercent depen-

Arist.

Net.

dependenter à Voluntate mouente & applicante. Hæc tamē distinctio locum non habet de potentia motiua secundùm locū; in hoc enim differt ab alijs, quòd illa nunquā operatur, nisi cum actuali motione & dependentia à Volūtate, aut ab appetitu sensitiuo; cū tamen reliquæ potentiæ interdū absque tali motione operari possint. Licèt autē multa ex dictis in his sentētijs verum habeāt, in multis tamē deficiūt: tamen vera & legitima explicatio est, quā adhibet dominus Caietanus, quòd D. Tho. loquatur tantū de potētijs subditis imperio & motioni Volūtatis, & prout ei subdūtur: aliæ enim potētiæ naturales, siue etiā animales, quatenus imperio Volūtatis nō subdūtur, sic se habent, quòd exercitiū & specificatio nō distinguūtur; vnde duplici motore nō egent: in potētijs autē subditis Volūtati, vsus & specificatio distinguuntur; nam exercitiū & vsus nihil aliud est, quā quædā applicatio, quę actiuè sumpta, est operatio Volūtatis mouentis tales potētias: passiuè autē est ipse motus causatus à Volūtate in talibus potentijs; vnde ab alio debet sumi motio quoad exercitiū, nēpe à Voluntate applicāte tales potētias; ab alio autē specificatio, nēpe ab obiecto. Quòd autē hæc sit mens D. Tho. patet primò ex verbis ipsi⁹; dicit enim, potentiam indeterminatā, &c. indigere duplici motore; primò quantū ad exercitiū vel vsum actus; secūdò quātum ad specificationē. Vsus autē potentiarum (vt infrà dicit ipse Doctor Sanctus) pertinet ad Volūtatē; vnde q. 16. art. 1. refert se ipsum ad istū articulū, quòd iā in illo ostēderit, quòd Voluntas est quæ mouet alias potētias ad suos actus; quod est applicare illas quoad operationē. Ex quo colligit, q vsus est actus Volūtatis, sicut primi mouētis, & aliarum potentiarum sicut exequentium. Secundò probatur, quia intentio D. Tho. in hac quæstione est, agere de motione Volūtatis, qualiter moueat se ipsam & alias potētias: nō autē intendit agere qualiter aliæ potētiæ mouentur, nō à Voluntate; de hoc enim iā egerat 1. p. q. 82. ar. 4. vbi docuit, quādoque applicari Intellectū ad intelligendū, nō à Volūtate, sed à Deo ante actū Voluntatis: quod etiā docet in hac quæstione, art. 4. de primo actu Volūtatis, & infra q. 17. art 8. & 9. docet de potentijs animæ vegetabilibus, & de corde, quòd nō mouentur à Volūtate. In hac ergo agit de potentijs tantū subditis Voluntati, quatenus ab illa mouētur. Tertiò probatur, quia

Legitima explicatio Caiet.

D. Th. in præsenti non procedit vt Philosophus naturalis, sed moralis: ergo intēdit agere de mouēte quoad exercitiū, non tamū physico, sed morali; illud autē tantum est Voluntas: ergo agit de potentijs motis quoad exercitiū à volūtate; quia, vt ipse docet 1. p. q. 82. art. 4. Voluntas est quæ mouet moraliter omnes animæ potentias, exceptis viribus naturalibus partis vegetatiuæ, quæ libero arbitrio nō subduntur. Itaque D. Th. in præsenti intēdit assignare duplicē vniuersalissimū motorem respectu omniū potentiarū, quatenus ad genus moris possūt pertinere in suis actibus per subiectionē & motionē Rationis; & primus motor quoad exercitiū assignatur Voluntas; quoad specificationem autem Intellectus proponens obiectū; licèt vterque nō eodē modo cōcurrat; nam voluntas concurrit ad exercitiū prædictarum potentiarum immediatè, applicādo quamlibet illarū. Intellectus autem nō cōcurrit ad specificationem illarū immediatè, sed mediatè, quatenus ex iudicio Intellectus pendet, q reliquæ potentiæ imperio Volūtatis subditæ sint, vt operentur potius circa vnum, quā circa aliud obiectū. Si enim aliqua potentia potiùs in hoc, quàm in illud obiectū tendit, quod est determinari quoad specificationē; ideò est, quia à Voluntate sic applicatur. Quòd autem à Voluntate sic applicetur, ex iudicio Rationis prouenit, quatenus Intellectus proponit Voluntati vt conueniēs, quod moueat illam potentiā potiùs ad hoc, quàm ad aliud. Specificatio ergo illius potentiæ motæ reducitur mediatè ad Intellectum, exercitiū autem immediatè ad Voluntatem: vnde quoad exercitium, primus motor est Volūtas, quoad specificationem autem Intellectus. Si autē quæras, quare Volūtas ex eo quòd est primus motor quoad exercitium, potest immediatè mouere quamlibet potētiam sibi subditam & Intellectus, etiāsi quoad specificationē sit primus motor, nō possit immediatè mouere illas: quod & cōfirmatur, quia ex eo Voluntas immediatam superioritatem habet ad alias potentias, quia obiectum eius est vniuersale bonum, sub quo bonum particulare cuiuscunque alterius potentiæ continetur: sed similiter obiectum Intellectus est vniuersale verum & ens, sub quo continetur quodlibet particulare obiectum aliarum potentiarum: ergo similem habitudinem motionis immediatam quoad specificationem

Obiectio.

Confir.

nem habebit Intellectus ad alias potẽtias:

Solutio. Respondetur, quod Voluntas respicit bonum prout in re, ac per consequẽs quodlibet bonum quantuncunque particulare alterius potentiæ, cadit sub obiecto Volũtatis, & sub modo quo Voluntas tendit in suum obiectum; & consequenter quamlibet potentiam poterit Voluntas immediatè mouere, quia quodlibet obiectũ illarum poterit immediatè attingere. Intellectus autem fertur in verũ & in ens, prout est in ipso Intellectu spiritualiter, cum denudatione à materia: vnde solùm potest immediatè mouere quoad specificationem entis, potentiam sibi proportionatam, qualis est Voluntas, quæ etiam spiritualis est, & bonum vniuersale respicit: alias autem potentias, quarum obiecta sunt particularia & materialia, immediatè mouere non potest, sed mediante motione & applicatione Voluntatis.

Ad 1. & 2. arg.

Ad primum & secundum argumentũ in principio, respondetur ex dictis, non hic loqui de illis potentijs, sed tantùm de Voluntati subditis.

Ad 3. arg.

Ad tertium respondetur, nullum esse inconueniens, quòd vni & eidem potentiæ secundùm diuersam considerationem correspondeant duo mouentia, alterũ quoad

Ad 4. arg. exercitium, & alterum quoad specificationem.

Ad quartum respondetur, quòd non præsupponit D. Thom. quod intendit probare, quia quod supponit, est, alias po-

2. Solut. tentias moueri à Voluntate: probat autem modum quo ab illa moueantur, videlicet quoad exercitium. Secundò respondetur, illam probationem non solùm non petere principium, sed à priori procedere; ex eo enim quòd aliæ potentiæ sint subditæ Voluntati, & aliàs in potentia ad agere & non agere, &c. rectè infertur, debere reduci in actum à Voluntate cui subduntur;

Ad 5. arg. quia proprium est inferioris potentiæ, moueri à superiori: & ad hoc inducit exemplum gubernatiuæ.

Ad quintum argumentum respõdetur, nos non negare, quòd debeat assignari respectu cuiuscunque potentiæ mouens quoad exercitium & specificationem: sed dicimus, in alijs potentijs mouentẽ adexercitium, esse intrinsecum, & forte nõ diuersum à mouente quoad specificationem: in potentijs autem subditis Volũtati damus, vt peculiarem motorem quoad exercitiũ, aliquid extrinsecum, nempe ipsam Volũtatem applicantem ad operandũ reliquas potentias: & D. Tho. hic non agit de mouente intrinseco, quod in qualibet potẽtia supponit, sed de principio extrinseco, quod specialiter assignatur respectu potẽtiarum quæ Voluntati subduntur.

DVBIVM II.

Vtrùm Voluntas moueat Intellectũ & reliquas potentias in vniuersum quoad exercitium: quod est quærere, vtrùm omnes potentiæ subdantur Voluntati, vel quæ sunt quæ non subduntur.

PRobatur quòd non. Primò. Sunt multi actus Intellectus omnino indepen- *1. Arg.*
dentes à Volũtate: ergo Volũtas non semper mouet Intellectũ quoad exercitiũ. Antecedẽs probatur. Primò, in cogitationibus anteuertẽtibus Volũtatẽ & vsum Rationis, quas passim experimur. Secũdo probatur idẽ antecedẽs, quia nihil est volitũ, nisi præcognitum, vt dicit Aug. 10. de Trinit. to. 1. c. 3. ergo ex necessitate deueniendũ est ad aliquã intellectionẽ priorẽ omni actu Volũtatis; alioquin abiremus in infinitũ; nã si Volũtas mouet Intellectũ ad intelligendũ, oportebit quòd illud velle præcedat aliud intelligere, & illud intelligere aliud velle, vsque in infinitum: ergo sistendũ est in aliquo intelligere, quod nõ præcesserit velle. Tertiò probatur idẽ antecedens, quia frequẽtissimè, cotradicẽte Volũtate, occurrũt Intellectui nostro cogitationes pluriũ rerũ, quæ animũ rapiunt in diuersa; vt in oratione quotidie experimur: vnde magis clamandũ est in illa cũ cæco illo Euãgelij, qui magis ac magis clamabat, quãdo ipsum qui præibãt, increpabant vt taceret; vt dicitur Lucæ 18. sicut optimè explicat D. Greg. hom. 2. super Euangeliũ in Quinquagesima, & Beda super Euãgeliũ Dominicæ 2. in Quadragesima, Matt. 15. vnde adducunt illud, Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti. Si ergo contradicente Voluntate, distrahatur animus prauis cogitationibus: ergo Voluntas non semper mouet Intellectum.

Secundò arguitur. Potùs Intellectus *2. Arg.*
mouet Voluntatem quoad exercitium: ergo Voluntas non mouet Intellectum in isto genere. Antecedens probatur, nam Voluntas mouetur ad exercitium per imperium; imperium autem est actus Intelle-

Confir. Intellectus, vt infrà dicetur. Confirmatur, nam aliqua virtus quæ est in Intellectu, mouet quoad exercitium virtutem quæ est in Voluntate; verbi gratia, Fides Religionem: ergo Intellectus mouet Voluntatem quoad exercitium. Antecedens est Diui Thomæ; docet enim, quòd sicut gubernatiua mouet nauifactiuam, & reliquas inferiores, quoad exercitium: ita in virtutibus, quæ vniuersalior est, mouere debet inferiorem sibi subordinatam: Fides autem & Religio, quæ inter se subordinationem habent, sic se habent, quòd Fides est vniuersalior; respicit enim obiectum excellentius, nempe Deum, in recto: Religio verò respicit illum in obliquo: ergo ad Fidem pertinet mouere Religionem quoad exercitium.

3. Arg. Tertiò arguitur, quia, vt docet Diuus Thomas, prima parte, quæstione 82. ad potentiam perfectiorem pertinet mouere minùs perfectam: sed Intellectus est perfectior Voluntate, cùm habeat perfectius obiectum à quo specificatur: ergo ad Intellectum pertinet mouere Voluntatem, & non e contra.

4. Arg. Quartò arguitur. In actibus gratiæ operantis Voluntas non mouet alias potentias; cùm tamen sint actus humani: ergo non in omnibus actibus pertinet ad voluntatem mouere alias potentias quoad exercitium. Antecedens probatur, nam hæc est differentia inter actus gratiæ operantis & cooperantis, quòd in prioribus Voluntas tantùm se habet vt mota, in posterioribus autem, simul mouens, & mota.

1. Concl. Pro decisione dico primò. Voluntas non mouet quoad exercitium potentias animæ vegetatiuæ, videlicet nutritiuam & augmentatiuam. Ita docet Diuus Thomas *D. Thom.* 1.p.q.82.art.4. & Damasc. 2. de Fide, cap. *Ð Damas* 21. Nyssenus lib. 4. de homine, cap. 4. Ne- *D. Nysse.* misius lib. de natura hominis, cap. 15. *Nemisius.* Istæ enim potentiæ non dependent à Voluntate per se, nisi vt plurimum, maximè per accidens, quatenus ex Voluntate prouenit, quòd per potentiam exequutiuam vel motiuam secundùm locum, quibus vtitur ipsa Voluntas, applicetur alimentum his potentijs; quod est materia circa quam istę potentiæ versantur: quod etiam contingere potest, quando ex nimia alicuius potentiæ applicatione facta à Voluntate, ita ad ipsam potentiam sic applicatam aduocantur spiritus; quod ex nimia attentione animæ per sensus internos aut externos prouenire potest, quòd potentiæ vegetatiuæ remittantur in suis operationibus, aut verò intendantur, quando Voluntas deapplicauerit prædictos sensus, & ipsos reuocauerit ab illa vehementi attentione.

2. Concl. Dico secundò. Loquendo de sensibus exterioribus, operationes illorum, per se loquendo, non dependent à Voluntate, sed per accidens, quatenus Voluntas applicat sensus ad obiectum, vel obiectum ad sensum, vel quaten⁹ remouet impedimẽtum quod est inter vtrumque: potentiæ enim, quę libertatem formaliter non habẽt, non indigent per se applicatione Voluntatis, vel alterius extrinseci ex parte potentię, sed tãtũ applicatione obiecti: qua applicatione facta, ex sua natura mouentur ad agẽdũ: sicut ignis posito passo intra sphęrã suæ actiuitatis, ex se determinatur ad agendum. Ex quo sequitur, quòd quando renitente Voluntate causatur ab aliquo extrinseco agente operatio in aliquo sensu externo, non per se patitur Voluntas violentiam, quia non per se habebat mouere illam potentiam, sed, vt dictum est, per accidens. Vtrùm verò præter istum modum accidentalem, quo Voluntas mouet sensus externos, habeat aliquam vim, qua per se illos moueat quoad exercitium, applicando ipsorum conatum ad operandum, aut verò illos per se distrahat quantum ad cessationem operationis, infrà dicetur.

3. Concl. Dico tertiò. Intellectus, imaginatio, appetitus sensitiuus, & potentia motiua secũdùm locum, non in omnibus operationibus à Voluntate mouentur quoad exercitiũ, vt patet ex primo argumento & illius probationibus; & in scrupulosis quotidie experitur, quòd renitente voluntate, solẽt importunis infestari cogitationibus. Item etiam exteriora membra absque eorum Voluntate moueri possunt, ex sola imaginatione & impetu appetitus sensitiui, ante omnem aduertentiã Intellectus, vt patet in fricatione barbę, & motione manus absque aduertentia. Quapropter D. Thom. *D. Tho.* prima parte, quæstione 81. art. 3. ad 2. ait, Voluntatem non imperare despoticè, sed polytice; qua ratione alię potentiæ ab eius imperio & motione resilire possunt: & *Arist.* de appetitu sensitiuo id docent Aristot. 1. Ethicor. & primo Polyticorum, cap. 3. *D. Damos* Damascenus secundo Fidei, capite 12. *D. Nyss.* & Nyssenus libro quarto de homine, capite 8. & 9.

Dico

4. Conclus. Dico quartò. Intellectus & aliæ potentiæ posteriores ipsa Voluntate, quantum ad actus humanos & liberos, mouentur à Voluntate quantum ad exercitium: & hoc intendit D. Thom. hic. Ratioque eius est efficacissima, quæ est huiusmodi. Sicut enim se habet supremus & vltimus finis ad fines peculiares, qui in ipsum vltimum in genere causæ finalis ordinantur; ita se habet primum & supremum efficiens respectu cæterorum agentium quæ sibi subordinantur secundum genus causæ efficientis: sed fines peculiares finalizant & mouent per habitudinem ad finem supremum: ergo similiter agentia particularia, quæ fines particulares respiciunt, agunt & mouent mota & applicata à supremo agente respiciente supremum finem, ad quem fines particulares agentis ordinantur. Sed sic est, quòd Voluntas respicit bonum in communi & totius suppositi tanquàm primum & vniuersalem finem, ad quem ordinantur obiecta potentiarum quæ Voluntati subduntur, tanquàm fines particulares: ergo Voluntas erit primum agens mouens cæteras potentias in proprios fines, quantum ad exercitium. Et iste modus loquendi conformis est morali Philosopho, immò & sacræ Scripturæ consonus, Ecclesiast. decimoquinto: Deus abinitio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Ecce quomodò asserit, totum hominem reliquisse in manu proprij consilij; hoc est, in propria potestate & libero arbitrio; cùm tamen habeat multas operationes naturales, quæ arbitrio non obediunt nec subduntur. Loquitur tamen de operationibus humanis, & hominis vt homo est.

Ecclesi. 15

Ex quo à Sanctis infertur, quòd peccatum in tantum est peccatum, in quantum est voluntarium; quia vt sit peccatum, debet esse actus humanus; & omnis actus humanus, cuiuscunque sit potentiæ, ex applicatione Voluntatis debet exerceri. Hinc etiam inferunt, quòd nulla potest esse virtus, nulla laus, nullum præmium absque Voluntate: ita dicit Bernardus sermone tertio Resurrectionis, incipit: Sicut in corporum medicina. Quid enim odit vel punit Deus, præter propriam Voluntatem? Cessat Voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ille desæuiet, nisi in propriam Voluntatem? Et subdit: Nam Voluntas illa propriè dicitur, cui assentimur, & cui se liberum inclinat arbitrium. Hæc autem desideria & concupiscentiæ, quæ inuitos tenent, non Voluntas, sed corruptio Voluntatis est. Explicuit autem ampliùs, quam vocaret propriam Voluntatem, dicens: Voluntatem dico propriam, quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantùm, quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad vtilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo, prodesse fratribus, sed satisfacere proprijs motibus animorum.

D. Bern.

Videatur qualiter Voluntas etiam Intellectum possit mouere, August. decimo de Trinitate, capite secundo, & primo, & tertio, & libro 11. capite tertio, & quinto, & libro 15. cap. 27. & 2. de libero arbitrio, cap. 19. Damascenus secundo de Fide, capite 22. Anselmus libro primo de similitudine, cap. secundo, & libro de conceptu Virgin. capite quarto. Caietanus, Conradus, Medina, & alij discipuli Diui Thomæ hic, & Capreolus secundo, distinctione tertia, quæstione secunda, ad quintum, contra 9. conclusionem. Hispalensis primo, distinctione 45. quæstione prima, artic. 3. not. 3. & Scotus secundo, distinctione 43. quæstione quarta, & Buridanus 3. Ethic. quæstione 6. est etiam communis omnium sententia, extra scholam D. Thomæ.

D. Aug. *D. Damas* *D. Ansel.* *Caiet.* *Conrad.* *Medin.* *Capreol.* *Hispalen.* *Scotus.* *Buridan.*

Ad 1. arg.

Ad primum argumentum à principio respondetur ex dictis, omnes illas operationes non esse liberas & humanas: vnde non oportebit fieri ex applicatione Voluntatis. Et idem dicendum est de primo actu Intellectus, qui non ex applicatione voluntatis, sed Authoris naturæ fit. Licèt enim ille primus actus sit eiusdem rationis cum reliquis subsequētibus in ratione intellectionis: differunt tamen in ratione actus humani & liberi: nam primus actus, nec humanus, nec liber est, sicut alij; vnde non mirum, quòd in ratione humani & liberi, alij actus Intellectus habeant diuersum motorem, scilicet Voluntatem: primus autem actus, vt naturalis, Authorem naturæ.

Ad 2. arg.

Ad secundum respondetur, quòd Intellectus non mouet Voluntatem quoad exercitium, sed quoad specificationem tantùm,

tùm, vt dicetur infrà : vnde non obstat quòd in alio genere, scilicet quoad exercitium, & in genere causæ efficientis, à Voluntate moueatur. Ad confirmationem respondetur, quòd etiam Fides residens in Intellectu, non mouet Religionem existentem in Voluntate, nisi quoad specificationem & ex parte obiecti: & si aliqualiter quoad exercitiũ mouerit, hoc non habet Fides ex parte Intellectus, sed ex parte Voluntatis, cuius piam affectionem & motum, etiam Fides præsupponit.

Ad confir.

Ad 3. arg. Ad tertium respondetur ex Diuo Thoma prima parte, quæstione 82. articulo tertio, quòd maior perfectio potentiæ non attenditur per motionem efficientem, sed per finalem, quæ perfectior est: omnis enim perfectissima causa, est finalis: Intellectus ergo, quia perfectior potentia, finaliter mouet; Voluntas verò efficienter & quoad exercitium.

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur, quòd actus gratiæ operantis non sunt in potestate liberi arbitrij, sed omnino Voluntas se habet vt mota: vnde de illis non procedit doctrina dicta, quæ solùm intelligitur de actibus humanis & liberis: & si actus huiusmodi gratiæ aliqualiter sunt liberi, quatenus Voluntas eis consentit, ea ratione etiam sunt ex applicatione Voluntatis.

DVBIVM III.

Vtrùm Voluntas moueat Intellectum, & alias potẽtias sibi subditas, efficienter.

1. Arg. PRobatur quòd non. Primò. Voluntas nihil reale influit in Intellectum, vel in alias potentias quas mouet : ergo non mouet illas efficienter physicè. Consequentia patet, nam efficientia physica per verum influxum realem debet esse. Antecedens probatur primò, quia Voluntas non potest influere secundùm se ipsam, cùm sit potentia distincta & separata alias non tangens. Secundò probatur. Etiã non potest influere, causando & producendo actus aliarum potentiarum, quantum ad substantiam & entitatem; quia Intellectus, verbi gratia, est qui producit totam substatiã, & totã entitatẽ suorũ actuũ: ergo Volũtas nõ producit entitatẽ illorũ. Tertiò, etiam non potest influere producendo aliquam qualitatem, vel habitum, vel dispositionem in potentia sibi subdita, per quam talis potentia moueatur ad operandum; quia talis qualitas fictitia est, & vsque adeò à nullo posita, vt potentia inferior mota suam operationem exerceat; & etiam, quia secundùm bonam Philosophiam, in causis inferioribus vel instrumẽtis nulla qualitas assignatur, vt à superiori causa moueatur ad proprias operationes. Quartò, quia non potest influere (vt alij dicunt) producendo in actibus aliarum potentiarum esse liberum, licèt non substantiam talium operationum. Non (inquam) sic potest influere, quia influxus Voluntatis eodem modo se habet in pueris & adultis, quantum ad motionem aliarum potẽtiarum. Certum est autem, quòd in pueris non sic influit, vt producat libertatem in actibus aliarum potẽtiarum; quia in pueris libertas non est: ergo nec sic etiã influit in adultis. Quintò, quia non etiam potest dici quòd influat ex eo quòd Voluntas & aliæ potentiæ sibi subditæ versentur circa idem obiectum, vt alij volunt, nõ (inquam) hoc sufficit, quia ex hoc non potiùs dicetur quòd Voluntas influat in alias potentias, quàm quòd aliæ potentiæ influant in Voluntatem. Sextò nec etiam potest dici, quòd influat, per hoc quòd Volũtas applicet alias potentias ad operandum hic & nunc: non (inquam) hoc potest dici quia hoc inquirimus, in quo genere & qualiter fiat applicatio: in naturalibus enim applicatio est quidam motus, quo virtus actiua applicatur passo secundùm locum; qui motus efficienter fit à causa applicante & tunc applicans, est causa per accidens effectus, licèt causa per se illius applicationis. In Voluntate verò non potest assignari aliquis motus ab illa productus, & in alijs potentijs receptus, quo mediante dicatur applicari: ergo non potest dici quòd Voluntas illas applicet. Cõfirmatur. Illud quod Voluntas causat in alijs potentijs, vel est aliqua entitas, vel qualitas, & hoc non, vt iam est impugnatum, vel est aliqua relatio, & hæc impertinẽter se habet ad actionem, & etiam quia relatio non consurgit de nouo, sine alicuius mutatione; potentia autẽ mota nihil absolutũ de nouo acquirit in se, quo mutetur, vt cõsurgat talis relatio; nec potest dici quòd sit ipsum agere potentiæ applicatæ; quia illud agere, est ipse actus totaliter productus ab ipsa potentia mota : ergo nihil

Confir.

nihil remanet productũ à Volũtate, quo ab illa dicatur moueri potẽtia inferiori; & etiã quia agere (verbi gratia) Intellectus, est cognoscere: ergo illud agere non potest esse a Voluntate, quæ cognoscitiua non est. Item quia illud agere Intellectus, est vitale: ergo est à principio intrinseco ipsius Intellectus, & non à voluntate, quæ extrinsecè comparatur ad Intellectum.

2. Arg. Secundò arguitur. Omnis actio voluntatis est immanens: ergo non potest habere effectum physicum in alijs potentijs, vt dicatur illas efficiẽter mouere. Patet consequentia, quia hæc est differentia inter actionem immanentem & transeuntem, quòd prima, suum effectum tantùm producit in operante, & non in alio passo. *Solutio.* Si respondeatur, quòd licèt formaliter sit actio immanens, virtualiter est transiens, & sic aliàs potest mouere: *Impugn.* Contra, quia omnes actus Voluntatis sunt eiusdem rationis: sed alij nõ sunt virtualiter transeuntes: ergo nec isti quibus dicitur voluntas mouere alias potentias.

3. Argu. Tertiò arguitur. Quælibet potentia inferior ad voluntatem, habet sufficientia principia physica intrinseca ad agendum: ergo non est necessarium ponere aliud principium physicum ex parte Voluntatis. Antecedens probatur, nam ad actum cuiuscunque potentiæ, tantùm requiritur (verbi gratia) lumen ex parte potentiæ, & species ex parte obiecti: sed ista reperiuntur in alijs potentijs secluso concursu physico voluntatis: ergo iste non est necessarius.

4. Arg. Quartò arguitur. Si voluntas efficienter reduceret intellectum de potentia ad actum, esset præstantior potentia ipso Intellectu: hoc est falsum: ergo. Sequela probatur, quia, vt supra dixit D. Thom. nihil perficitur nisi à perfectiori: sed reduci de potentia ad actum, est maximè perfici: ergo id quod reducit, est perfectius reducto.

5. Arg. Quintò arguitur. Voluntas nõ habet aliam operationem & motum, prẽterquã appetere: sed istam actionem vel motum non imprimit in Intellectu; nam aliàs Intellectus per illam appeteret; ergo nõ mouet Intellectum.

1. Sent. Propter argumẽta posita in hac re, est prima sentẽtia aliquorũ, quòd Voluntas nullam efficientiam habet respectu aliarũ potentiarũ, sicut nec appetitus respectu potentiarũ quæ sibi subduntur, sed tãtũ per hoc dici mouere efficiẽter alias potentias; quia ex colligatione volũtatis cũ alijs potentijs, simul Voluntas operatur cũ alijs potentijs, & statim quo Volũtas vult vt alia potentia operetur, eo ipso operatur, sine eo q̃ Voluntas in talẽ potentiã influat, solùm per colligationẽ vtriusque in eadem indiuisibili anima: sicut (verbi gratia) imaginatiua, ita connectitur Intellectui, vt nihil Intellectus intelligat in hoc statu sine concursu imaginatiuæ; cùm tamen imaginatiua nihil actiuitatis conferat ad intellectionem.

Secunda sentẽtia est Scoti in 2. dist. 42 q. vnica, cõclusione 3. respõsiua, quòd Voluntas dicitur mouere alias potentias, nõ quia physicè efficiat in illas, sed quia Voluntas intendit operationem alicuius potentiæ, & complacet sibi in ea; ideò sequitur, quòd operatio talis potentiæ sit intensior, quàm si voluntas non illã intẽderet, nec in ea sibi complaceret. Quia ergo ex complatentia & intentione voluntatis, operatio alicuius potentiæ est intensior; ideò dicitur voluntas talem potẽtiam mouere, sine aliqua physica efficientia circa talem potentiam. *2. Sent. Scotus.*

Prima conclusio. Voluntas mouet reliquas potẽtias quantum ad exercitium in genere causæ efficientis. Hæc est D. Thom. hic; & infrà q. 16. art. 1. vbi dicit, alias potentias cõparari ad Voluntatem, tanquàm instrumenta ad operandũ: Cõstat autem, instrumentum comparari ad illud quod mouet instrumentũ, tãquàm ad causam efficiẽtem. Et apertiùs 1. p. q. 82. art. 4. dicit, quòd Intellectus mouet Volũtatem per modum finis, volũtas verò mouet Intellectum per modũ efficientis. Vbi non valet explicatio aliquorum, quòd potiùs ex hoc loco sequitur contrariũ, quia dixit D. Tho. per modũ efficiẽtis, vt insinuaret, nõ esset efficientiã per se, sed habere tantùm modũ efficientiæ. Ista (inquam) explicatio non valet, quia dum loquẽs de Intellectu, dicit quòd mouet Voluntatẽ per modũ finis, ly Per modum, non tollit veram rationem causæ finalis: ergo dũ dicit quòd voluntas mouet Intellectũ per modum efficientis, ly Per modũ, non tollit verã rationem efficiẽtis: quod & exemplis adductis à D. Thom. fit manifestum: subdit enim, quòd sicut alterãs mouet alteratũ, & impellẽs mouet *1. Concl.*

impulsum; ita voluntas reliquas potentias, vt Intellectum, &c. Certum est autẽ, quòd alterans & impellens verè & propriè mouent efficienter. Est etiam ista conclusio Arist. 3. de anima, text. 55. vbi dicit, quòd appetitus media potentia motiua, vt instrumento, mouet animal; vt autem diximus, instrumentum ad causam efficientem comparatur. Item eodem libro, cap. 11. dicit, quòd Voluntas mouet appetitum sensitiuum, sicut sphœra superior inferiorem certum est autem, quòd sphæra superior mouet inferiorem in genere causæ efficientis. Probaturquè conclusio ratione D. Thom. 1. p. loco citato, quòd videlicet supposita vnione potentiarum ad vnam indiuisibilem animam, cùm Voluntas sit appetitus totius hominis, respiciatqué, vt obiectum formale, finem vniuersalem omnium potentiarum, colligitur à priori, quòd ad Voluntatem pertinet, in ordine ad talem finẽ vniuersalem consequendum, habere efficientiã mouendi vniuersas alias vires animæ, & applicandi ad suos actus in ordine ad bona particularia; vt isto modo ipsa voluntas possit attingere bonum vniuersale; aliàs enim esset insufficienter ordinata voluntas ad illud bonum, si ex tendentia ad illud, non posset exequi & mouere ad omnia media necessaria ad illius consequutionem, qualia sunt bona particularia aliarum potentiarum; & ad hoc adduxit exemplum de arte superiori respiciẽte finem communem, quòd ad illam pertinet mouere & applicare artes inferiores circa fines particulares, vt per adeptionem illorum deueniat ars superior ad finis communis & vniuersalis consequutionẽ: hoc enim tam in naturalibus, quã polyticis & moralibus ostendit D. Tho. habere verum. Secundò probatur, quia quando aliqua plura sic se habent, quòd non sunt disparata, sed adinuicem ordinata, deueniendũ est ad vnum primum: ergo cùm Voluntas & potentiæ sibi subditæ habeant ordinem adinuicem, deueniendum est ad vnum primum, quod habeat rationem primi agentis: sed voluntas est primum in genere actuum humanorum: ergo illa mouet cæteras potentias, & cùm non possit illas mouere per modum finis & obiecti, mouebit per modum agentis.

Sed circa intelligentiã huiusconclusionis, in qua omnes Thomistæ debent conuenire, est multiplex modus explicandi qualiter se habeat huiusmodi efficientia Volũtatis circa alias potentias subditas. Primus modus est aliquorum, quòd ista efficientia non est physica, sed moralis; solùm enim se habet voluntas per modũ applicantis: applicans autem in physicis non habet propriè rationem efficientis, sed solùm est causa per accidens, licèt cõditio sine qua non: in moralibus autem etiam applicãs habet esse causam per se: vt (verbi gratia) applicans ignem ad comburendum, physicè solùm est causa per accidens combustionis; moraliter autem est causa per se, cui imputatur tale peccatum, & obligatio restitutionis: cùm ergo Voluntas sit, in qua primò & per se est ratio virtutis & peccati, ad ipsam pertinet applicatio ad operandum moraliter, & in illo genere est prima causa.

Secundus modus dicèdi est Vazquez, quem etiam sequitur Salas hîc, tractat. 5 disp. 1. sect. 1. & ad hunc modum dicendi intendit reducere alios multum diuersos videlicet quòd etiam in genere physico voluntas est causa efficiens; & licèt videatur recedere ab opinione Scoti, incidit in illam, dicit enim, quòd huiusmodi efficiẽtia nõ est per aliquem influxum in alias potentias, sed solùm per colligationem in eadem anima; quod vtique erat opinio Scoti. Qualiter autem dicatur efficiens, nihil reale influendo in potentijs motis, explicat dicens, ad hoc sufficere habere rationem applicantis; sicut causæ vniuersales verè dicuntur causæ effectiuæ inferiorum, cùm tamen nihil producant in effectibus, sed solùm applicent causas inferiores ad productionem taliũ effectuũ. Sed certè Vazquez ignorãter loquitur; per hoc enim solùm ponit voluntatem causam efficiẽtem per accidens, & in Philosophia ostendit ignorantiam: causas enim vniuersales quis vnquam dixit solùm habere rationem applicantis, & non verè causæ efficientis & producentis effectum inferiorẽ, licèt hoc media causa secunda? Quapropter Arist. 1. & 8. Physic. & 1. Metaph. multoties repetit, quòd Sol & homo generant hominem; quia verè ab vtroque producitur, & vtraque causa verè influit in effectum genitum.

Arist.

Vazquez.

Salas.

Tertius modus dicendi est, q̃ Volũtas est intimè efficiens, in quantum applicat alias potentias ad operandũ. Itaque visio

po-

potest considerari dupliciter. Primò, vt procedit à potentia visiua absolutè; & sic est actus eius. Secundò, vt procedit à potentia visiua, vt applicata à Volũtate, & sic est effectus volũtatis. Si autẽ quæras ab istis, per quod volũtas applicet tales potẽtias; dicunt, quòd ex colligatione potentiarũ in eadẽ anima, prouenit, vt dũ volũtas appetit videre (v.g.) anima maneat affecta ad videndũ, & sic prorũpat in actũ videndi per potentiã visiuam. Super addunt tamẽ isti, quòd licèt volũtas tantũ se habeat vt applicans, non tamen est causa per accidens, sed per se, quia in naturalibus si applicans est causa per accidens, ideò est, quia talis effectus nõ requirit ex natura rei talem causam applicantẽ, quia quod fit ab ista, potest fieri ab alia quacũque: applicatio verò aliarũ potentiarum ex natura rei postulat vt fiat à Voluntate; quia cùm aliæ potentiæ solùm habeãt libertatem quoad exercitium participatiuè, Voluntas verò habeat illam per essentiam, necessariò exercitiũ liberũ aliarũ potentiarum debet esse ex applicatione voluntatis; quia quod est per accidens & participatiuè tale, debet reduci ex natura rei ad id quod est per se tale. Et itẽ, quia cùm aliæ potẽtiæ sint inclinationes particulares, Volũtas verò sit inclinatio vniuersalis, ad ipsam pertinet applicare & dirigere alias potentias secũdũ peculiares inclinationes. Itaque sicut sphæra maior non est causa per accidens motus sphęræ inferioris, licèt solùm cõcurrat applicando sphæram inferiorem ad motum; quia ex natura rei est, vt sphæra inferior applicetur ex motu sphæræ superioris; ita de libertate aliarum potentiarum.

Corol. Ex quo sequitur, efficientiã Voluntatis esse quasi mediũ inter causas effectiuas physicas, & causas applicãtes; nõ enim ita propriè est efficiens, sicut ignis respectu calefactionis, quia, vt dictũ est, nõ attingit substantiã operationis alterius potentiæ, sed solũ applicationẽ illius vt operetur: non tamen ita distat ab efficienti physico, sicut causa purè applicans in naturalibus, quæ solũ est causa per accidẽs; quia licèt Volũtas solũ applicet, habet tamẽ aliquam perfeitatem, in quantum talis applicatio ex natura rei petit vt fiat à Voluntate, nec ab alio potest fieri.

Quartus modus dicendi est melior, q̃ Voluntas in tantũ efficienter concurrit ad operationes aliarũ potentiarũ, in quã tum determinat illas, vt hîc & nunc operẽtur. Itaque sicut quælibet causa naturalis, est in potentia ad duo: primò, ad operandum; secundò, ad hic & nunc operandum: ad primum determinatur per propriam formam; ad secundum verò determinatur ab intelligẽtia mouẽte vel intelligẽte, vel ab alijs causis superioribus determinantibus inferiores, vt hic & nunc operentur. Ita similiter aliæ potẽtiæ, quã tũ ad potentiam ad operandũ, determinãtur per proprias formas; quãtũ ad potentiam autẽ vt hic & nunc operentur determinantur à voluntate, vt à causa vniuersali. Itaque actus alterius potentiæ licèt quãtũ ad substantiã solũ fit à propria potentia; prout tamẽ hic & nunc exercetur fit à Voluntate: vnde ad huiusmodi motionẽ nõ requiritur aliqua qualitas, vel quid aliud distinctũ, prẽter actũ Voluntatis, & actũ potentiæ motæ: sed talis motio ex parte Volũtatis est ipse actus voluntatis: ex parte autẽ potẽtiæ motæ, est operatio illius, prout hic & nunc determinata ab actu volũtatis: itaque actus Volũtatis licèt formaliter sit immanens in illa, virtualiter tamen est transiens in aliã potentiã, determinando illã ad hic & nunc operandũ. Sicut dicitur 1.p.q. 107.art.1. quòd conceptus vnius Angeli ordinatus per voluntatẽ illius per modũ loquentis: ad alterũ Angelũ, habet quandã vim excitauã alterius Angeli audientis: quæ vtique excitatio non est aliud ex parte loquentis, quã actus Intellectus & Volũtatis illius; nec ex parte audientis est aliud, qnã ipsa aduertentia & actus Intellectus excitati. Similiter patet in opinione probabili Caietani, quòd bonũ apprehensũ mouet efficienter volũtatẽ; tunc enim ad talẽ efficientiã nõ est assignare aliud, quã verbũ ex parte Intellectus, & ipsam operationẽ ad quã mouetur ex parte volũtatis. Similiter patet in eo quod solet dici, virtutẽ existentẽ in vna potentia, elicere actũ in alia; vt Religio existens in Volũtate, elicit orationẽ in Intellectu, ad cuius efficientiã nõ est assignare aliud quod licèt quantũ ad substantiã fit ab Intellectu quantũ ad determinationẽ hic & nunc, est à Religione existente in voluntate.

Corol. Ex quo sequitur, q̃ inter Voluntatẽ mouentẽ & potentiã motã bene potest esse relatio realis mouẽtis & moti, quia ad talẽ relationẽ nõ requiritur vt fũdamẽtum aliquid distinctum ab operatione

vtriusque,sed,vt dictum est,operatio(v. g.)alterius potentiæ,non absolutè,sed vt subest voluntati;quod licèt in tali operatione non sit aliqua entitas noua, est tamẽ aliquis modus realis sufficiens ad fundandam huiusmodi relationem realẽ moti ad voluntatem mouentem. Etsi contra arguas,quia applicatio passiua præsupponitur ad operationem;prius enim est, potentiam applicatam esse,quàm operari:ergo applicatio passiua non est ipsa operatio potẽtiæ applicatæ, vt diximus: Respondetur,quôd illa met operatio cõsideratur dupliciter,& in ratione applicationis,vt se tenet ex parte voluntatis, & in ratione operationis,vt se tenet ex parte potentiæ applicatæ â qua elicitur, & primo modo supponitur ad se ipsam secundo modo: & sic verificatur,quôd talis potentia priùs sit applicata,quàm operetur,saltem prioritate rationis. Etsi rursus arguas, quia hoc modo non est ponere quòd voluntas influat in potentiam motam, applicando illam, sed quòd influat in operationem potentiæ motæ, quia vt influeret in potẽtiam,deberet assignari receptus influxus ante omnem operationem: Respõdetur,quôd,vt dicitur in materia de auxilijs, licèt auxiliũ secundum opinionem probabilem non distinguatur ab operatione ipsius potentiæ; tamẽ verificatur quòd per auxilium efficax per prius Deus influat in potentiam, quàm in operatione in illo prioriori quo consideratur operatio non per modum operationis,sed per modum auxilij tenẽtis se ex parte Dei, ita in præsenti *V*oluntas influit in aliàs potentias per operationem illarum, non vt habet rationem operationis,sed vt habet rationem motionis voluntatis,& vt passiuè consideratur in ordine ad voluntatem agẽtem per illam. Et si rursus arguas,quia consideratio operationis alterius potentiæ,vt â *V*oluntate, est consideratio illius vt in exercitio & hîc & nunc;quod quidem est considerare talem operationem vt liberam, sed vt sic non ratione præcedit, vt dicatur quòd voluntas per illam, vt se tenet ex parte *V*oluntatis,influit in aliam potentiam vt ôperetur:ergo ponendum est aliquid prius operatione,per quod dicatur *V*oluntas influere in alias potentias. Minor probatur, nam in operatione prius est esse vitalem,quàm esse liberam: ergo ratio liberi non præcedit,vt per illam dicatur talis potentia determinata ad operandum:sed quando illa ratio liberi intelligitur,iam erit præintellecta determinatio requisita ad productionem vitalitatis præcedentis rationem liberi: Respondetur,quòd licèt in communi prius sit vitale,quàm liberum;immò licèt in particulari prius sit vitalitas huius operationis, quàm intelligatur libertas perfecta &cõpleta talis operationis;in esse tamen imperfecto & quasi initiatiuè priùs intelligitur libertas,quàm ipsa vitalitas operationis,quatenus priùs ratione consideratur libera applicatio & determinatio â voluntate hic & nunc, vt talis potentia mota operationem,& quantum ad vitalitatem,& libertatem eliciat. Et si rursus arguas,quia si voluntas sic habeat mouere & determinare alias potentias physicè, influendo in illas vt operentur; eodem modo se habebit ad aliàs potentias,sicut & ad potentiam motiuam secũdùm locũ: cõsequens est falsum : ergo. Minor probatur;quia ab Arist.3.de anima capit.6. potentia appetitiua specialiter appellatur motiua potentiæ secundùm locum: ergo specialiter influit in potentiam motiuam,& non amplius influit,quàm physicè applicando & determinando: ergo id ipsum non habet *V*oluntas respectu aliarum potentiarum. Propter hoc argumentum. D. Caietanus & Medina hìc dicunt,vt assignent discrimen inter potentiam motiuam secundùm locum, & reliquas potentias,& vt verificetur quod voluntas magis influit in potentiam motiuam,dicunt(inquam)quòd potentia corporalis motiua tantùm est passiua,& nullo modo actiua,ac per consequens voluntas est causa particularis immediatè producens motum localem receptũ passiuè in potentiam motiuam sicut intelligentia vt causa particularis producit motum in cœlo,ipso tantùm passiuè se habente. Cùm enim motus localis in ipsa potentia motiua recipiatur, nequit ab illa actiuè prouenire,esset enim idem agens & patiens respectu eiusdem: cùm autẽ respectu aliarũ potentiarũ *V*oluntas se habeat vt causa vniuersalis,& aliæ potentiæ actiuè concurrant ad suas operationes, licèt voluntas attingat illas quantũ ad determinationẽ & applicationẽ(vt dictũ est:) non influit in illas tam specialiter, sicut influit in potentiam motiuam localem. Hæc quidẽ explicatio probabilis est: sed tamen

Obiectio. *Solutio.* *Obiectio.* *Solutio.* *Obiectio.* *Solut.* *Obiectio.* *Caietanus. Medina.*

tamen probabilior est sententia, quòd potentia motiua est quidem actiua motus localis, & cõsequenter causa particularis illius, & Volũtas solũ causa vniuersalis & æquiuoca, vt diximus, respectu aliarũ potentiarũ; quia hęc videtur sententia D. Th. opusc. 43. c. 5. vbi dicit, quòd potentia appetitiua imperat motũ locali; æstimatiua dirigit; potentia verò corporalis motiua exequitur. In quibus verbis manifestè significatur, quòd etiã ipsa potẽtia motiua se habeat actiuè; causa enim particularis nõ dicitur imperare, vt forma nõ dicitur imperare materiæ; sed hoc tãtũ dicitur de causa superiori & vniuersali. Cùm ergo D. Th. dicat, quòd Volũtas imperat & quòd potẽtia motiua exequitur; planè dicit, Voluntatẽ esse causam vniuersalẽ; potentiã verò motiuã esse causam particularẽ actiuã motus. Et hoc ipsũ dicit Arist. *Arist.* 3. de anima, c. 6. vbi dicit, triplicẽ esse motorẽ respectu motus localis; alterũ mouẽs immotũ, quod est bonũ apprehẽsum, alterũ verò mouens motũ, quod est ipsa potẽtia appetitiua: tertiũ verò est mouens instrumentaliter, quod est ipsa potẽtia corporalis motiua exequutiua motus. Ecce qualiter potẽtiã motiuã ponit inter principia motũ actiua. Vbi tamẽ aduertas: illã dictionem, Instrumentaliter, non sumi rigurosè; nam potẽtia motiua causa principalis est, & non solùm instrumentũ: dicitur autẽ ab Arist. instrumẽtalis, quia est subordinata alteri superiori, sine cuius motione & influxu operari non potest. Ratione etiam probatur hęc sententia; nam motus localis & vbicatio passiua, cùm sit effectus particularis, causam particularẽ sibi adæquatam & proportionatam debet habere; quæ alia esse non potest, nisi potentia motiua; quia Volũtas causa vniuersalis est, & æquiuoca multorum effectuũ, & superioris ordinis ad vbicationẽ passiuam. Item probatur, quia in neruis & iuncturis ossium infirmatur virtus languore, & non potest animal ita facile moueri localiter: ergo signum est quòd talis virtus actiua est; quia si virtus actiua solùm esset Volũtas, cùm illa nõ langueat, ita moueretur in infirmitate, sicut in salute, ex infirmitate enim potentiæ passiuæ non ita remitteretur motus: vt patet, quando corpus ab Angelo mouetur; licèt enim corpus sit infirmum, ita mouetur ab Angelo, sicut corpus sanum; quia in tali motu corpus se habet passiuè. Nec valet *Solutio.* solutio, quòd etiam ad motum requiritur recta dispositio passi: & item licèt in anima secundùm se non cadat infirmitas, infirmatur tamẽ virtus eius, vt actus est corporis, per infirmitatem ipsius corporis; vnde corpore infirmato, non ita facile mouetur, licèt tantùm se habeat passiuè, & Volũtas solùm sit principiũ actiuũ. Hęc (inquam) solutio nõ valet; quia licèt *Impugn.* per hoc aliquantulũ deficeret motus, nõ tamen tãtũ quãtũ in infirmitate deficit, nisi etiam ipsa potentia motiua corporalis infirmitate deficiens concurreret actiuè ad motum.

Ad argumentum autem alterius sententiæ respõdetur, nõ esse inconueniens potentiam motiuã esse agens & patiens respectu diuersorũ; suppositum enim simul se mouet ratione formæ, & mouetur ratione materiæ vt quod. Similiter potẽtia motiua vt quo, quatenus corporalis est, respicit motũ; in quantũ verò est passio & virtus quæ sequitur formam, causat motũ. Vnde sequitur ex hac sententia differentia quã poterat argumentũ propositũ in Voluntate respectu potentiæ motiuæ, & aliarũ potẽtiarũ, dicimus enim, quòd licèt respectu vtriusque Volũtas solùm cõcurrat vt causa vniuersalis; & tam potẽtia motiua, quàm aliæ potentiæ cõcurrant actiuè ad suas operationes vt causæ particulares: hæc tamen seruatur differentia, quòd potẽtia motiua nunquã potest exercere motũ, nisi mota ab appetitu; aliæ verò potentiæ non motæ ab appetitu possunt operari; quia, vt diximus, solũ depẽdẽt ab appetitu, vt liberè & humano modo operẽtur nõ autẽ vt absolutè operẽtur; vnde maior est depẽdẽtia potẽtiæ motiuæ, quã aliarũ potẽtiarũ.

Ad primũ argumẽtũ à principio respõ- *Ad 1. argu.* detur, manere explicatũ, qualiter Voluntas physicè influat in alias potẽtias, nõ imprimendo aliquã qualitatẽ, sed applicãdo potentias, per hoc quòd attingat actus illarũ, nõ absolutè, sed vt hìc & nunc, & in exercitio & liberè fiũt; quę cõcursum in pueris nõ habet; quia licèt actꝰ illorũ, quãtũ ad substãtiã, sint eiusdẽ rationis cũ actibus adultorũ, nõ tũ quãtũ ad modũ humani & liberi, quẽ in adultis volũtas attingit.

Ad vltimã autẽ confirmationem res- *Ad confirm.* pondetur, quòd Voluntas non attingit actũ Intellectꝰ, vt intellectio est, nec vt vitalis est; quia, vt probat argumentũ, totũ hoc ab Intellectu prouenit, nec à Volũ-

tate potest prouenire; prouenit autè ab illa determinatio, & exercitium ipsius intellectionis quantum ad libertatem, & esse humanam, vt dictum est.

Ad 2. arg. Ad secundum respondetur, bonam esse solutionem ibi datam, & dicimus, inter actionē immanentē & transeuntē, multiplicē esse differētiā. Prima quidē, si teneatur cū Magistro Soto, quòd actio est in passo, cōsistit in hoc, quòd actio trāsiens non ponit effectū ad extra, distinctū ab actione; immanens verò etiāsi aliquando ponat ad extra effectū, est quidē distinctū ab ipsa actione manente in agēte. Sustinēdo autē opinionē Caiet. quòd actio etiam trāsiens sit in agente, est differētia, quòd actio transiens ex natura sua habet ponere effectū ad extra; immanens verò licèt aliquādo ponat effectū ad extra, hoc non habet ex natura sua. Exemplū est manifestū in calefactione & volitione: calefactio enim dari nō potest, quæ nō producat calorē in passo ad extra; volitio verò aliquādo ponit effectū ad extra; vt patet in motione aliarū potentiarū, aliquādo verò nō ponit, vt patet in volitione, puré manente in Voluntate, & nō mouente aliā potētiā vt operetur. Tertia differentia est, q̄ actio immanens nō causat effectū, qui sit finis ipsius operationis, de quibus amplius videatur Bañez & Zum. 1. p. q. 27. art. 1 ad 2. Ex quibus, liquet, qualiter non repugnet, & quòd volitio sit actio immanens formaliter & nihilominus potest esse trāsiens virtualiter, influendo in aliàs potētias quas mouet; & qualiter licèt omnes actus Volūtatis in ratione volitionis sint eiusdē rationis, alia possit influere ad extra in aliàs potentias, alia volitione nō influente, quia cùm sic influere ad extra, non conueniat immanenti ex natura sua potest alteri conuenire, & non alteri.

M. Soto. *Caiet.* *Bañez. Zumel.*

Ad 3. arg. Ad tertiū respondetur, quòd licèt quælibet alia potentia habeat sufficiētia principia ex se ad operationem quātū ad substantiam, quantum ad modū autem exercitij & applicationis, & vt talis operatio sit humana, & libere fiat, dependet à Voluntate applicante, vt dictum est.

Ad 4. Arg. Ad quartū respōdetur ex supradictis, quòd licèt Voluntas moueat efficienter omnes alias potētias, etiam Intellectum, nō ideò est præstantior omnibus: quia præstantior est motio finalis, qua Intellectus mouet Voluntatem.

Ad 5. arg. Ad quintū respōdetur, quòd licèt quælibet operatio Voluntatis immanens in illa, sit appetitio, non tamen omnis operatio, quā vt effectū transeuntem respicit in alia potētia: per appetitionē enim manentē in Voluntate, attingit cognitionē in Intellectu, & sic effectus Volūtatis in Intellectu, nō est appetitio, sed cognitio.

DVBIVM IIII.

Vtrū Volūtas illas potētias quas mouet ad exercitiū, applicet ad operationes immediatè, an verò mediante appetitu, & an Voluntas possit applicare tales potētias absq; appetitu, & appetitus absq; Volūtate.

Dico primo. Operationes quæ liberè exercētur, nō possunt fieri ab applicatione appetitus, renitente Voluntate. Hoc patet, quia Voluntas est primū principiū actuū humanorū; vnde ipsa remōtè nō manet vnde actus, humanus & liber possit esse. Si autē actus aliarū potentiarū humani nō sint, bene possūt esse ab applicatione appetitus sine Volūtate illa non attēdente: si autē attēdit, neutiquā potest appetitus hoc facere Voluntate nō permittente; nec propterea est peioris cōditionis, quā in bruto, quia aliàs nobilitatur ex libertate participata per cōiunctionē ad Voluntatē, quod non est in bruto. *1. Dictum.*

Dico secundò. Voluntas quando non contranititur est tamen impedita ad applicandum aliàs potētias, vt contingit in dormiētibus, & pueris, & amētibus, aut etiā si impedita non sit; si tamē se habeat negatiuè, tunc appetitus poterit applicare aliàs potētias vt operētur. Hoc patet, nā in primo casu cū appetitus nō impediatur à Volūtate, habet se sicut in brutis, in quibus quidā appetitus est primū mouēs cui aliæ potentiæ subordinantur: in secūdo autē casu etiā patet, quia tunc Volūtas cēsetur virtualiter cōsentire, vt ex applicatione appetitus aliæ potētiæ operētur. *2. Dictum.*

Dico tertio. Regulariter loquēdo, Voluntas mouet alias potentias medio appetitu sensitiuo. Ita D. Th. 1. p. q. 80. art. 2. ad 3. vt colligit Cai. & Cōrad. infrà citati; quia appetitus paullatim ducit Voluntatē incōsensū, & mouet alias potentias simul cū ipsa Volūtate; & hoc petit rerū suauis dispositio, quòd inferiora moueantur à superioribus per inter media, quando intermedia non repugnant. Cùm ergo appeti- *3. Dictum.* *D. Thom.* *Caiet.* *Conradus.*

petitus sit intermedius inter Volũtatem & aliàs potentias, si appetitus non contrarietur Voluntati; hoc erit dispositio suauis, vt à Voluntate medio appetitu aliæ potentiæ moueantur. Si autem quæras, an renuente appetitu, possit Volũtas mouere aliàs potentias, & specialiter potẽtiã motiuam secundùm locum,

4. Dictum. Dico quartò de alijs potentijs, quòd bene potest, propter plenũ dominiũ Voluntatis. Sic D. Th. q. 10. art. 3. ad 3. & Cõrad. q. 22. art. 3. & Caiet. 1. p. q. 80. art. 2. ad 3. De potentia autẽ motiua loquendũ est sub distinctione iuxta diuersitatẽ opinionũ. Si enim teneatur, quòd potentia motiua nõ distinguitur ab appetitu, sed quòd ille elicit motũ localẽ, tunc nequit Volũtas imperare motũ localem absque appetitu; nam sicut voluntas nequit imperare actũ videndi, sine potentia visiua, quia illa est potentia vitalis elicitiua visionis; ita similiter si appetitus est elicitiuus motus localis, non poterit Voluntas absque ipso appetitu motum localẽ imperare. Si autẽ teneatur, quòd potẽtia motiua sit potentia actiua residens in mẽbris corporalibus, de quo vide 4. p. q. 78. tũc quidẽ bene poterit Voluntas imperare motũ localẽ, absque appetitu sensitiuo, quia tunc loquendũ est de tali potentia, sicut de qualibet alia in ordine ad Voluntatẽ, quæ propter plenũ dominiũ ab omni alio independet, & sicut potest immediatè applicare visum ad videndũ absque appetitu, ita similiter potentia motiua.

D. Thom. Conrad. Caiet.

DVBIVM V.

Vtrùm bonũ apprehensum moueat efficienter Voluntatẽ, sicut dixímus quòd mouet efficienter Intellectũ. Quod aliter solet proponi, an appetibile moueat appetitum efficienter.

1. Arg. D. Tho. PArs affirmatiua probatur. Primò ex D. Th. qui passim dicit, Voluntatem esse potentiam passiuã vt est videre, 1. p. q. 80. & 1. 2. q. 22. art. 1. vbi expresse cõcludit, quòd ratio passionis magis inuenitur in parte appetitiua, quàm in apprehensiua; quia magis pati (inquit) est magis trahi ad id q̃ est agentis, & hoc magis cõtingit, cùm fertur res ad extra, quàm solùm cùm respicit: Voluntas verò fertur ad extra, Intellectus verò respicit obiectũ, & sic Voluntas magis, erit passiua. Itẽ probat, quia ratio potentiæ & passibilis, quę quidẽ pertinet ad imperfectionẽ, magis inueniri debet in ente imperfectiori; sicut è contra ratio actus, & actionis quę ad perfectionem pertinent, magis debẽt inueniri in ente perfectiori: cùm ergo Intellectus sit præstantior quàm Volũtas, minus debet habere de passibilitate & potentialitate, quàm illa, & cõsequenter cũ Intellectus patiatur ab obiecto concurrẽte effectiuè respectu illius, à fortiori; ex mente D. Thom. dicendũ erit, quòd obiectũ Voluntatis, quod est bonum apprehensum, concurrat actiuè respectu Voluntatis; nam aliàs non esset verum quòd Volũtas est magis passiua à suo obiecto. Idem colligitur ex art. 3. ad 2. illius q. 22 vbi dicit D. Th. quòd obiectũ appetitus intellectiui est magis actiuũ. Itẽ q. 27. ar. 1. & 2. quatuor videtur docere D. Th. & quòd vis appetitiua est passiua, & quod obiectũ eius est causa actiua, & quòd bonum effectiuè causat amorẽ, & vniuersaliter quòd obiectum propriũ cuiuscunque actionis appetitus, est causa actiua illius actionis. Itẽ 1. p. q. 80. art. 2. expressè dicit, quòd Voluntas est potentia passiua, quæ patitur à bono apprehenso. Immo in hoc ponit distinctionem specificã inter appetitũ sensitiuũ & intellectiuum quòd habent distincta principia actiua, à quibus specificentur, scilicet bonum apprehensum per sensum, & bonũ apprehẽsum per Intellectũ. Immò hic dicit, quòd Voluntas mouetur à bono apprehenso, & infrà q. 30. art. 3. ad 1. dicit, quòd obiectũ appetitus, quod est bonũ apprehensum, est actiuũ, ex quo causantur cõcupiscentiæ, siue naturales, siue non naturales, quæ fiunt cum ratione & deliberatione. Videatur etiã q. 10. de potentia & 1. p. q. 36. & de veritate q. 6. ar. 1. ad 13. & 1. p. q. 19. art. 1. ad 6. vbi dicit, quòd Volũtas vt operetur, debet moueri ab aliquo mouente extrinseco; quod non potest assignari nisi bonũ apprehensum ex parte Intellectus. Explicare autẽ quod prædicta loca intelligãtur de motione finali, nõ est adẽmtè D. Th. quia illa est metaphorica & nõ deberet D. Th. passim loqui metaphoricè; & sic Ferrar. 1. cont. Gent. c. 72 intelligit D. Th. de motione propria in genere causæ efficiẽtis, vt videtur colligi ex eodẽ D. Tho. hoc vltimo loco citato, vbi dicit, quòd inclinatio Volũtatis sequi-

tur ad formam apprehensam; sicut inclitio naturalis ad formam naturalem. Certũ est autem; quòd inclinatio naturalis effectiuè sequitur ad formam naturalem.

Confirm. 1. Cõfirmatur ex D. Aug. 15. de Ciuit. cap. 23. & 26. vbi dicit, quòd amor procedit de scientia, vt filius à generãte. Certũ est autẽ, quòd filius efficienter procedit. Itẽ 15. de Trinit. c. 25. & 27. & lib. 1. ad Simplicianũ q. 2. dicit, quòd notitia est effectrix Voluntatis bonæ. Confirmatur secundò ex Arist. 3. de anima, à textu 48. vsque ad 54. vbi expresse probat, quòd appetibile apprehensum est mouens immobile. Quòd autem loquatur de motione efficienti, patet, quia inquit, quòd appetibile concurrit ad mouẽdum in genere quo ipse appetitus: sed appetitus concurrit in genere causæ efficientis: ergo sic loquitur de appetibili. Itẽ, nam si loqueretur de motione finali, manifestam commisisset æquiuocationem, nam ibi intendebat reducere omnia in homine ad vnum primum motorem penitus immobilem, qui omnia regit & gubernat, & sic procedit enumerando vsque ad appetibile, vt ad primũ motorem. Si autem loqueretur de motione finali, loquens de appetibile, interrũperet processum, & faceret transitũ à causa efficienti (de qua procedebat) ad causam finalem, quæ certè manifesta esset æquiuocatio: vnde sic intellexit illum Auerroes 12. Metaph. Commento 36. dicens, quòd appetibile mouet appetitum in duplici genere, vt apprehensum quidem in genere causæ efficientis, vt autem à parte rei, in genere causæ finalis. Sicut in obiecto cuiuscũque alterius potentiæ contingit; visibile enim, vt se tenet ex parte potẽtiæ, immittendo speciem in illã, cõcurrit effectiuè; vt autem est à parte rei terminans ipsam visionẽ, concurrit finaliter: sic ergo dicẽdũ erit de obiecto volũtatis, quòd quatenus se tenet ex parte ipsius, scilicet apprehẽsum, cõcurrit actiuè; vt autẽ à parte rei terminat actũ volũtatis cõcurrit finaliter.

2. Arg. Secũdò arguitur. Subsistentia addita causæ, non mutat genus causandi: non enim concurreret calor separatus & subsistens in alio genere quãmodò cõcurrit coniunctus & inhærens igni: sed Verbũ diuinũ subsistens tenens se ex parte Intellectus, concurrit efficienter nostro modo intelligẽdi ad productionem amoris, vt dicit Fides: ergo similiter verbũ nostri Intellectus. Vnde D. Th. 1. p. q. 36. art. 2. ad 5. dicit, quòd verbũ diuinis dicitur ad similitudinẽ verbi mẽtalis, à quo amor procedit. Si respondeatur, Verbũ diuinũ *Solut.* hoc habere non in ratione verbi, sed in ratione verbi infiniti; quæ ratio non currit de verbo nostri Intellectus: Cõtra, quia *Impugn.* vt D. Th. probaret processionẽ amoris à Verbo diuinis, assumpsit propositionẽ vniuersalẽ, quòd procedit vt amor: ergo procedit à Verbo; quod vtique nihil valeret, si non sentiret in vniuersum, quòd amor vt sic, vt se extẽdit ad creatũ, habet procedere à Verbo: nam si solũ assumeret propositionẽ vt se extendit solùm ad diuina, esset probare idẽ per idẽ. Si rur- *Solut.* sus respõdeatur, quòd diuinus est ordo originis, non autem in creatis: vnde amor diuinus procedit quasi efficienter à Verbo, non autem amor creatus: Cõtra, quia *Impugn.* hoc inquirit argumentũ, quòd solũ fit distinctio per subsistentẽ, & nõ subsistẽtẽ: tamen quòd vterque amor à Verbo originetur, licèt alter subsistẽs, quia in Deo procedit, alter verò nõ, quia procedit vt creatus amor.

Tertiò arguitur. Experientia cõstat, *3. Argu.* quòd nobis aliquando nolẽtibus à malis futuris apprehẽsis incutitur timor & pauor, sicut & à præsentibus tristitia & dolor; & similiter à bonis delectabilib⁹ præsentibus & apprehẽsis gaudiũ & lætitia; de quo habet verũ quod dixit Aug. 3. de libero arbitrio, & vltimo, nec enim est in potestate nostra, quin visis tangamur: ergo experientia erit cõpertũ, quòd bonũ, vel malũ apprehensum efficiẽter mouet appetitũ. Patet cõsequẽtia, nam si posita tali apprehensione, statim sequitur actus Volũtatis, vt dictũ est, non alia via id potest prouenire, nisi quia bonũ apprehensum efficit in Voluntate. Nisi quis vellet recurrere; vt dicat quòd appetitus se mouet ad præsentiã appetibilis præsentati per Intellectũ & sensum; tunc autẽ periret omnis via efficax ad probandũ quòd aliquid patitur ab alio propriè; idẽ enim de omnibus diceremus; v. g. de Intellectu respectu intelligibilis, & de sẽsu respectu sensibilis; immò de ligno respectu cõburentis, videlicet quòd omnia ista mouent se ad præsentiam suorum obiectorum, & quòd nõ patiuntur ab illis.

Quartò arguitur Intellectus practic⁹ *4. Arg.* mouet efficienter voluntatem: ergo absolute

lutè dicendum est, quòd Intellectus mouet efficienter Voluntatē. Consequētia patet, quia solùm Intellectus practicus mouet Voluntatē, non autem speculatiuus. vt dicit D.Tho.ad.2.& Aristo.3.de anima: ergo si practicus mouet efficienter, absolutè dicetur quòd Intellectus mouet efficienter. Antecedēs probatur, nam prudentia, quæ est in Intellectu practico, efficienter mouet Voluntatem; mouet enim præcipiendo & imperādo, estque habitus operatiuus & effectiuus.

5. Arg. Quintò arguitur. Voluntas est in potentia ad multa bona distincta, & ad hāc, & illam operationem; nō enim est determinata in particulari ad istā operationē; quia aliàs solùm istā produceret: ergo assignādū est à quo, vt à forma, determinetur ad istam operationē: sicut etiā Intellectus, quia est in potentia ad plura intelligibilia, assignatur à quo, vt à forma, determinetur ad hoc intelligibile, videlicet species impressa huius intelligibilis: sed non potest assignari aliqua forma determinās Volūtatē, nisi bonū apprehēsum: ergo, & si semel assignatur vt forma determinans, videtur clarè inferre, quòd cō currat actiuè vt quo, & vt principium agendi ipsi Voluntati; quia in vniuersum omne agens agit mediante forma, qua cō stituitur & determinatur ad agendum, & forma determinans agit vt quo, sicut & subiectum determinatū à tali forma agit

Solut. vt quod. Si respondeatur, hoc habere verum, quando forma determinans ad agendum, est inhęsiue in subiecto quod determinat, vt patet in omnibus agentibus naturalibus. Bonum autē apprehēsum licèt sit forma determinans Voluntatē, non tamen inhęsiuè est in illa, sed in Intellectu; vnde nō potest agere etiā vt quo cū Volū

Impugn. tate quā determinat: Contra, quia phantasma producit speciē intelligibilem in Intellectu possibili, cōcurrente Intellectu vt quod, & phantasmate vt quo; cùm tamē phantasma nō inhæreat in Intellectu quē determinat ad agendū. Similiter lucidū effectiuè producit speciē visibilē vt quod concurrente luce effectiuè vt quo, vt forma determinante lucidū & coloratū ad agendum; cùm tamen lux non inhæreat in colorato, sed in aëre: ergo.

6. Arg. Sextò arguitur. Volitio considerata quantū ad specificationē, est aliquis effectus in rerum natura: ergo debet assignari aliqua causa efficiēs illius, nō Volūtas: ergo bonū apprehensum; quia nō potest assignari aliud. Minor probatur, quia Voluntas est indifferens & in potētia quantū ad specificationē actuum: ergo nō est causa effectiua specificationis; quia vnūquodque operatur in quantū est in actu, & nō in quantū est in potentia. Si reipō *Solut.* deatur, probare, quòd sola Voluntas, seclusō omni alio, nō potest producere talē effectū, videlicet specificationē; bene tamen per ordinē ad hoc vel illud obiectū propositū per Intellectū, sicut qui proijcit lapidē sursū, causa totalis effectiua est talis motus, per ordinē tamē ad concauū lunæ, vt ad terminum: itaque concauum non concurrit actiuè, sed solùm proijciēs per ordinem ad concauum lunæ; ita similiter Voluntas per ordinem ad bonū

Impugnat. apprehensum: Contra, quia vt dictum est, Voluntas non potest producere illam specificationem, in quantum est in potentia ad illam, sed quantum est in actu; sed non fit in actu nisi per bonum apprehensum: ergo illud concurrit actiuè, saltem vt quo, vt anteà dicebamus.

7. Arg. Septimò arguitur. Omnia alia obiecta efficienter concurrunt cum suis potentijs ad producendam actionem: ergo idem dicendum erit de obiecto Voluntatis; quia non poterit assignari specialis ratio de illo.

8. Arg. Octauò arguitur. Actio specificatur à suo principio efficienti, vt communiter asserit D.Tho.& Arist. sed bonū apprehensum est specificans actionē Voluntatis: ergo est etiā eius principiū efficiens.

Confirm. Confirmatur, quia aliàs si sola Voluntas est principiū efficiens, sequeretur, quòd omnes actiones Voluntatis essent eiusdē specie, quod est falsum. Sequela probatur, quia, vt dicebamus, actiones specificantur à principio efficienti: ergo si sola Voluntas est principium efficiens, cùm illa sit vnicum tantūm principium, omnes actiones eius erunt vnius speciei.

9. Arg. Vltimò arguitur. Cùm causæ habent ordinem inter se, qua ratione prima mouet secundā, ita & secunda mouet tertiā; sed sic se habent obiectū Intellectus & volitio, quòd inter se habēt ordinē: ergo vt obiectū mouet efficienter Intellectū, & eu eo actiue causat intellectionē; sic etiā & Intellectus efficienter mouet Voluntatē, & cum ea actiuè causat volitionem.

1. Sent. Goffredi In hac re est prima sentētia cuiusdam Goffredi, vt refert Gregorius in 2. dist. 25

Gregorius Scotus. Henricus. q. 1. & vt refert Scotus ibidē, fuit etiā Hēriq. quodlib. 12. q. 5, quòd non solū obiectū concurrit actiuè, verum etiam quòd ipsum solū est causa efficiens actus Volūtatis: Ita quod Voluntas nihil agit, sed merè passiue se habet. Hanc sententiam ibidem impugnat Greg. & relinquenda est vt stulta; nā operatio Voluntatis est vitalis; de cuius ratione est quòd efficienter producatur à principio intrinseco vitali, ipsa scilicet Voluntate. Deinde etiam; quia hoc esset tollere libertatē Volūtatis, si ipsa actiuè nō concurrit ad suos actus; ac demiq; sequeretur, quòd volitio non esset actus immanens; si enim volitio est in Volūtate, & producitur solùm effectiue à bono apprehenso in Intellectu, non manet in agente quod requiritur ad actionem immanentem.

Reijcitur.

2. Sent. Secunda sententia est in alio extremo, quòd sola Voluntas est causa totalis actiua suorum actuū, & quòd Intellectus se habet per accidens; vnde isti tenēt, quòd etiam Voluntas potest ferri in rem incognitā. Hanc sententiā refert dominus Caiet. 1. p. q. 80. ar. 2. & Capreol. in 2. dist. 29 q. vnica, & hanc tenent (vt videtur) Scotus in 2. dist. 25. Hæc etiam est relinquenda vt stulta, quia supponit contra totam Philosophiam moralem, in qua habetur vt principiū, quòd nihil est volitū, quin prācognitū; de quo August. 8. de Trinit. c. 8. & lib. 9. c. 3. & lib. 10. c. 1. & nos infrà.

Caieta. Capreolus. Scot.

Reijcitur.

D. Aug.

3. Sent. Soncinas. Media autem via procedunt alij, inter se multipliciter diuisi. Vnde sit tertia sentētia, quam refert Sōcinas. 9. Metaph. q. 10 quòd sicut datur Intellectus agens & possibilis, ita datur Volūtas agens & possibilis; & si loquatur de Voluntate agente, illa simul cū bono apprehenso cōcurrit actiuè: loquendo verò de Voluntate possibili, patitur ab vtroque prædicto, & ipsa actiuè non concurrit. Sed hęc etiā reijcitur à Theologis & Physicis, vt fictitia, qua ratione distinguit Voluntatem in agentem & possibilem.

4. Sent. Quarta sentētia est, quòd obiectū cognitū, & simul Voluntas, cōcurrūt vt vnū principiū actiuū ad producendā volitionē: itaque quodlibet illorum cōcurrit vt causa partialis, & Voluntas & obiectū, & obiectū non vtcūque, sed vt apprehensum; quia sæpe appetitur quod nō est in re, nunquā tamen quod non sit apprehēsum. Hanc tenet Greg. in 2. dist. 25. q. 2. & Gabriel ibidē, q. 1. dub. 3. Paludanus in 4. dist. 49. q. 3. ar. 1. & Soncinas 9. Metaph. q. 10. & 13. quam nititur probare testimonijs Cōmentatoris 3. de anima, & 12 Metaph. & ex D. Tho. in 2. d. 24. q. 2. a. 1.

Gregor. Gabr.

Palud. Soncin.

Quinta sententia est dñi Caiet. infrà q. 22. art. 2. & 1. p. q. 17. art. 1. & 3. & 4. & q. 80. ar. 2. & q. 82. ar. 4. & super libros de anima, lib. 3. c. 6. dicit enim, quòd in actu volitionis duo sunt cōsiderāda. Alterum est ipsa substantia actus, hoc est ratio generica, & quidquid significatur nomine volitionis, nō verò talis volitionis, cōpertū est enim in Metaphysica & Logica, q̄ substantia rei pro ratione generica sumi cōsueuit; vnde dicitur, q̄ genus prædicatur in quid, differētia verò in quale quid. Secundum verò quod reperitur, est eius specificatio, videlicet quòd sit huius, vel illius speciei. Dicit ergo Caiet. quòd bonū apprehensum nō concurrit efficiēter ad substantiā actus volitionis; hoc est, nō concurrit efficienter quantum ad exercitiū, nec totaliter, nec partialiter; sed ipsa Volūtas se mouet ad appetendū; cōcurrit tamē bonū apprehensum effectiuè ad specificationē ipsius volitionis, non quidem æqualiter cū Voluntate, sed illa vt causa principalis, bonū autem apprehēsum minùs principaliter, attingēdo autē actum Volūtatis, sine eo quòd aliquid in Voluntate producat; sicut diximus de Voluntate mouente quoad exercitiū Intellectū; cùm enim exercitiū & specificatio actus secūdi sint diuersa, quoad vtrūque debet habere causam efficientē; & cùm Voluntas sit causa efficiens quoad exercitium, assignanda erit ex parte intellect⁹ causa efficiens quoad specificationem. Hanc sequitur Conrad. hic, & dicunt esse Cōmentatoris dictis quòd balneum in re ad extra mouet vires sesitiuas; at verò balneū in anima agit desiderium.

5. Sent. Caiet.

Conrad.

Sexta sentētia est Magist. Cano. 1. p. q. 27. & 28. quòd actus Voluntatis est duplex; alter quidē liber, alter verò naturalis. Ad volitionē liberā dicit quòd Intellectus vel bonū apprehensum concurrit solùm per modū proponentis & illuminantis finaliter, & nullo modo efficienter; libertas enim à sola Volūtate dependet & à nullo alio quod non sit dñs sui actus. Patet autē, quòd appetibile non est dñs sui actus, cùm agat merè naturaliter; vnde actionē liberam efficienter producere non potest; & etiā quia quod patitur & mouetur ab alio, seruit, & nō dominatur in illo:

6. Sent. Cano.

in illo:si ergo voluntas in actionibus liberis mouetur efficienter ab alio,nō esset libera in illis;aduersatur enim libertati seruitus,& subiectio: cæterū(ait Magister) ad volitionē naturalem cōcurrit Intellectus efficiēter,& actiuè;quapropter Verbū indiuinis quasi efficienter producit Spiritum sanctū,quia est amor naturalis. Et hinc etiā est,quòd in motibus primo primis Voluntas rapitur,& necessariò & naturaliter mouetur, quia huiusmodi actus efficienter ab apprehēsione Intellectus proficiscuntur. Sed certè hæc sentētia nō seruat mentem D.Tho.qui non solùm quærit de actionibus naturalibus, sed potiùs de liberis:vnde dixit ad primum,quòd non mouet Intellectus ex necessitate Voluntatem. Vnde de actibus etiam liberis dicit,quòd Intellectus mouet Voluntatem; & remanet, examinandum , in quo genere moueat huiusmodi actiones.

7.Senten. Ferrar. Septima sententia est Ferratæ 1.contra Gentes.c.44.&74.asserit enim,quòd si bonum apprehensum comparetur respectu actus voluntatis , quo vult finem, non mouet effectiuè,sed formaliter vel finaliter : cæterum si bonum apprehēsum comparetur ad Voluntatē,repectu actus electionis mediorum propter finem apprehensum;tunc mouet efficienter, quatenus volitio finis est causa volitionis mediorum:& hanc intendit esse sententiam *D.Tho.* D.Thomæ in hac q.art.3.ad primū , vbi dicit,quòd Voluntas in quantū actu vult finem,reducit se de potentia in actū, respectu eorum quæ sunt ad finem ; & 1.p.q.19.art.2.ad 2.dicit,quòd in his quæ volumus propter finem,tota ratio mouendi est finis. Sed certè in hac sentētia Ferr. non assignat aliquā actiuitatem ex parte Intellectus,vt magis se explicat 4.contra Gentes,c.19.circa 5.corollariū , vbi dicit expresse,verbum mentis tantùm formaliter cōcurrere ad specificationem actus Voluntatis. Vnde in.c.44.allegato tantùm vult , quòd finis moueat Voluntatē ad electionem mediorum,vt ratio actiua, in quantum Voluntas ex intentione finis mouetur actiuè ad electionē mediorū;vnde volitio finis,est ratio agendi Voluntati respectu electionis;sicut ex assensu præmissarū determinatur Intellectus ad assensum conclusionis:vnde actiuitas quam assignat Ferrara ad electionē mediorū,nō est ex parte Intellectus,sed Voluntatis;quod illa extrema sententia non negat,quòd vnus actus Voluntatis possit esse principium actiuū respectu alterius actus eiusdem potentiæ.

8.Sent. Capreolus. Hispal. Iauel. Torres. Bañez. Octaua sententia est Capreoli in 2.distin. 25.q.1.quem sequitur Hispalensis eadem quæstione,& Iabelus 9.Metaph. q.6.& Torres de Trinitate. c.27.ar.2.& M.Bañez 1.p.q.80.ar.2.dicit enim,quòd Intellectus, & similiter bonum apprehēsum,mouet Voluntatem,& concurrit ad volitionē in genere causæ formalis,vel finalis tātùm,& nullo modo in genere causæ efficientis:quam sententiam sic explicat M.Soto,quòd est differentia inter cō *Soto.* currere effectiuè & obiectiuè,quòd causa efficiens concurrit tanquàm principiū quòd,obiectū verò & finis tāquām principiū quo,Sicut in igne,principiū quod, est ignis,principium quo,est calor;ita Intellectus est potētia quę efficit notitiam & cognitionē:sed obiectū mediante specie,est principiū quo intelligimus: ita ergo dicit, quòd Voluntas est quæ efficit volitionē;sed principium quo efficit, est obiectū cognitum;quòd licēt non sit subiectiuè in Voluntate, sicut species, est subiectiuè in Intellectu ; satis est quòd sit in eadē anima;propriè enim volens nō est volens vt quod,sed homo per volūtatem;vnde sufficit quòd bonum apprehēsum fit subiectiuè in homine,licèt mediāte Intellectu , vt determinetur Voluntas ad appetendum mediante tali apprehensione,vt principium quo agendi.Sed certe hæc explicatio Magistri Soto non est ad mētem Capreoli,omnes enim Thomistę conueniunt,& cum illis quicūque bonus Philosophus, quòd bonum apprehensum nō est agens vt quod volitionis, sed Voluntas,solùm autem est inter illos quæstio,si bonum apprehensum concurrat actiuè vt quo;vnde Capreolus asserēs contra alios,quòd bonum apprehensum non concurrit actiuè,dicit,quòd nec etiā vt quo concurrit actiuè.

Pro intelligentia notandum,quòd hîc *Not.* duo tanguntur.Primum,vtrùm Intellectus,vel bonum apprehensum , moueat efficienter Voluntatem. Secundùm verò,vtrùm concurrat effectiuè cū Voluntate ad eius operationes:hęc enim duo diuersa sunt;nam bene stat,quòd aliqua forma concurrat actiuè ad operationes alicuius agentis,& quòd non moueat efficienter ipsum agens;sicut calor effectiuè

con-

concurrit ad calefaciendum cum igne, & tamen nō mouet efficienter ipsum ignē. Similiter è conuerso, bene stat, mouere efficienter aliquam potentiam, & tamen non cōcurrere efficienter ad operationē talis potentiæ, vt Voluntas effectiuè mouet potentiā visiuā, applicando illam ad videdū, vt diximus: cum tamē nō actiuè concurrat ad ipsum actū visionis, qui vt sic, solùm est effectiuè à potentia visiua.

2. Not. Secundò notandū, quòd ex diuersitate specifica effectuū nō potest colligi diuersitas specifica agentis; potest enim idem agēs effectus diuersos specie producere; vt Sol indurare, & liquefacere; & generans simul mouere lapidē deorsum, & ignē sursum; immò idem agens particulare idem potest facere, cùm possit proijcere lapidē sursum & deorsum, qui tamē motus specie distinguntur ad diuersitatē specificam, vel vnitatem: ergo inspiciendum est ad formam vel finē, vel diuersam dispositionem materiæ, non verò ad agens.

1. Conclusio. Prima cōclusio. Obiectū Voluntatis secundùm esse quod habet in re, certum est mouere Voluntatē finaliter, & nullo modo efficiēter. Hęc ab omnibus recipitur. Prima pars patet, nā obiectū secundū esse quod habet in re, verū vel existimatū, est id cuius gratia aliquid fit: ergo mouet finaliter. Et præterea, nā actiones Voluntatis specificātur ab obiecto sic sumpto: ergo sic concurrit finaliter & per modū formę. Secunda pars etiā patet ex D. Tho. & Arist. dicentibus cōmuniter, ꝙ motio finis tantū est metaphorica; quod ad minus debet intelligi de fine prout in re, vt sic ab illo excludant motionē effectiuā, quę propriè est motio; quidquid sit de fine vt stat sub apprehensione. Itē patet, quia vt finis secundū se moueat, sufficit esse verum, vel apparēs, vel existimatū possibile, licet in re sit impossibile: ergo motio eius non est effectiua. Patet cō sequētia, nā motio effectiua supponit existentiā verā, & realem ipsius mouentis. Ex quo sequitur, hoc debere acceptare etiā, qui tenēt, obiectū apprehensum per apprehensionē cōcurrere actiuè; quia si cōtra illos fiat argumentū, qualiter bonū apprehēsum cōcurrat actiuè, quando tale obiectū in re nō existit; possunt respōdere, ꝙ licèt obiectū non existat, existit tamen apprehensio practica, quam assignant vt principiū effectiuum volitionis.

2. Concl. Secunda conclusio. Voluntas in omnibus suis operationibus, siue primis, siue secundis, liberis, vel necessarijs, in eodem genere causæ mouetur à bono apprehenso. Probatur, quia respectu cuiuscunqe operationis Voluntatis eodē modo proponitur obiectum ab Intellectu per iudicium practicum per modum conuenientis & boni: ergo eodē modo, & in eodem genere mouetur in quacunq; operatione voluntatis. Nec argumentum Mag. Cano habet vires, quod in actionibus necessarijs rapitur Voluntas; quod videtur signum, tunc pati ab Intellectu, & apprehensionem efficere in Voluntate talem actum; Potest enim responderi; hoc prouenire, nō ex efficiētia Intellectus, sed ex eo quòd tunc præuenitur deliberatio, & consequenter Voluntas debet agere per modum causæ naturalis & necessariæ, cuius natura est, vt statim posito obiecto operetur; non quia ab obiecto efficientia proueniat, sed quòd posito obiecto, hæc est natura causæ necessariæ, vt statim in actionē prorūpat; quod quidem & respectu appetitꝰ sensitiui patet, dixim⁹ enim suprà, mouere Voluntatem, & multoties anteuertendo deliberationem, rapi Voluntatem à passione appetitus; cùm tamē nullus dixerit, quòd appetitus moueat efficienter Voluntatem, sed tātùm ex parte obiecti. Vtrùm autem eodem modo moueat Intellectus Voluntatem per imperium in omnibus operationibus, tā liberis, quàm necessarijs, maiorem habet difficultatem.

Solut.

Obiectio.

Pro quo notandum ex Caiet. infrà, q. 17. ar. 1. quòd imperium rationis tria includit, ordinationem, intimationem, & motionem. Quoad exercitium duo prima habet Intellectus ex se, tertium autē habet ex virtute Volūtatis; quia, vt dixi mus; in isto genere Voluntas est primū mouēs; vnde Intellectus si per imperium mouet Volūtatē quo ad exercitiū, hoc debet esse ex virtute ipsius volūtatis, quia omnis causa secūda ex virtute recepta à prima, debet causare. Hoc suppositō, dicēdū est, ꝙ voluntas in actionibus liberis mouetur efficienter quoad exercitium per imperiū rationis, licèt hæc efficiētia nō sit ex parte Intellectus, sed ex virtute ipsius Voluntatis, vt dictū est. Itaq; ad actiones liberas nō sufficit iudiciū practicū, sed vltra requiritur imperiū; ad operationes autē necessarias imperiū nō requiritur, sed sufficit iudicium practicum, vt

Not. Caiet.

picit

D.Thom. dicit D.Thom.quæst.17.ar.1.dicit enim, quòd ad huiusmodi actiones,posito iudicio practico,sine imperio applicaturquo ad exercitium abAuthorç naturæ.Quid verò dicẽdũ sit, quando actio est mixta, videlicet necessaria quoad specificationẽ & libera quo ad exercitium;diuersimodè opinantur Thomistç.Resolutoriè tamen dicẽdum secundùm veritatem,quòd qua parte actio illa est libera,& in illa Voluntas se debet mouere, requiritur imperiũ ex virtute ipsius Voluntatis applicãs ad exercitium.

3. Concl. Tertia conclusio. Intellectus ex se & ex proprijs sine participatione à Voluntate, nullo modo habet mouere Voluntatem efficienter quo ad exercitium,nec in actionibus liberis,nec necessarijs. Istam conclusionem tenent communiter Thomistæ,& illam amplectitur Lorca,& extra scholam D.Thomç moderni,& hanc ad minus probant omnia loca D.Thomç posita à principio,in quibus asserit,Intellectum tantùm concurrere finaliter vel formaliter, & quòd ad Voluntatẽ solùm pertinet mouere efficienter quoad exercitium;ad minus enim loquitur de Intellectu & Voluntate ex proprijs,sine participatione vnius ab altero. Et ratio est manifesta,quia impossibile est,in eodem genere causæ idem esse mouens & motũ: cùm ergo Voluntas ex propria natura moueat efficienter quo ad exercitiũ Intellectum, non poterit in eodem genere ab illo moueri,nisi motio eius tandem reducatur ad Voluntatem,vt sic recurrendo ad radicem,dicatur moueri efficienter quo ad exercitiũ à se ipsa, Vnde & idem D.Thom.infrâ.q.10.ar.2. vt ibi optimè explicat Caiet.hoc dicit,& explicat, dicens,quòd etiam in Patria ille actus naturalissimus,& necessarius amandi Deum, quo ad exercitium non fit efficienter ab ipso Deo clarè viso,qui est obiectũ illius, sed â natura ipsius Voluntatis, quæ existens in tali dispositione circa tale obiectum,habet producere in exercitio talẽ actũ naturalẽ. Et tandẽ concludit, quod Volũtas quo ad exercitium tantũ à tribus potest moueri , à se, à natura sua,à Deo vt agente,non autem vt obiecto apprehenso;in actionibus quidem liberis à se;in necessarijs â sua natura & à Deo; & in hoc perpetuus est D.Thom.& Caiet quia si in alijs locis allegatis in relatione suæ sentẽtiæ posuit efficientiã ex parte Intellectus, non est ad exercitium actus Voluntatis,sed ad specificationem illius, vt ibi explicuimus.

Lorca. *D.Thom.* *D.Thom. Caiet.*

Quarta conclusio. Bonum vt stat sub apprehensione (& modò non determinamus si est conditio,vel ratio formalis) est forma determinans Voluntatem quo ad specificationẽ actus. Probatur,quia Voluntas nudè cõsiderata,est generale principium omnium suarum actionum:ergo vt eliciat potius hanc,quàm illam,& huius,quàm alterius speciei, requiritur aliqua forma determinans; quæ alia esse nõ potest nisi bonum apprehensum; quantum ad hoc enim eadẽ est ratio atque de potẽtia visiua,quæ cùm cõmuniter se habeat ad omnem visionem, agit forma determinante quãtum ad specificationem, scilicet specie visibili;& hoc videtur expressè docere D.Thom.hic, vbi sic dicit: Obiectum mouet potentiam determinãdo actum ad modum principij formalis, à quo in rebus naturalibus actio specificatur,sicut calefactio à calore. Dixit autem,admodum principij formalis, quia est extrinsecum, non verò intrinsicè informans. Et idem dicit infrà,q. 19.art.2. ad 2.vbi sic dicit: Obiectum non est materia ex qua,sed circa quã, & habet quodammodo rationem formæ in quantum dat speciem. Ex quo sequitur, quòd quãuis obiectum sit terminus & finis,& aliquando,vt in alijs potentijs,â Voluntate sit actiuum,tamen obiectum nunquàm specificat in quãtum finis, vel terminus; sic enim tantùm habet finalizare & terminare,nec in quantum actiuũ (sic enim tãtùm habet agere)sed specificat in quã tum forma. Quando verò D. Tho. dicit, quòd actus humanus,in quantum actio, specificatur â fine,qui est principium humanorum actuũ,sicut calefactio specificatur â calore,non intendit, quòd specificetur â tali principio vt actiuum est, sed vt formale,cui etiã aliquando ratio actiui coniungitur.

4. Concl.

5. Concluſ. *D.Tho.*

Quinta conclusio.Bonum apprehensum non habet actiuitatem super potentiam Voluntatis; itaque non mouet efficienter illã. Hæc videtur clara D.Th.hìc & 1.p.q 84.ar.4.vbi dicit,quòd quanuis Voluntas in genere causæ efficiẽtis moueat Intellectum,tamen ipse Intellectus mouet Voluntatem in genere causæ formalis,& finalis; & sic quod diuersimode se mouent ad inuicem in diuersis generibus

bus causarum: & clariùs q. 22. de veritate, ar. 12. ait; Mouere per modum causæ agentis, est Voluntatis, & non Intellectꝰ. *Arist.* Et sic dicit Arist. quoties loquitur de modo quo Intellectus mouet Voluntatẽ. Ratione autem probatur. Primò. Bonũ apprehensum nihil ponit in Voluntate præuium, quod sit effectiuum volitionis: ergo non mouet illam efficiẽter. Cõsequentia patet, quia efficientia non est nisi per influxum realem. Antecedens autem probatur, quia antecedenter ad operationem Voluntatis nihil poterit assignari, quod à bono apprehenso proueniat. Secũdò probatur. Vt Voluntas operetur, tantùm opus habet vt Intellectus proponat ei bonum, & conueniens, statimque Volũtas ad illud afficitur; perinde ac si quispiã mihi proponeret numos, statim illos accipio, in qua acceptione nummi non concurrunt actiuè, sed tãtùm obiectiuè, à quo obiecto operatio sumit speciem. Tertiò probatur, quia aliàs Volũtas non esset potentia libera; consequens est falsum: ergo. Sequella probatur, nam bonum apprehensum concurrit naturaliter: ergo si antecedenter ad actum Volũtatis, patitur ab illo concurrente actiuè, sic erit determinata ad illũ actum, vt oppositum elicere non possit. Confirmatur. Si bonum apprehensum actiuè concurreret in Voluntate, stante eadem apprehensione, eodem modo ageret Voluntas ex æquali determinatione Intellectus quod est falsum; cum æquali enim cognitione & propositione obiecti hodie nolo quod heri amaui, & è contra. Confirmatur *D. Aug.* secundò ex Augustino 12. de Ciuitate, cap. 6. in medio, vbi sic ait: Si enim aliqui duo æqualiter affecti animo & corpore videant vnius corporis pulchritudinem; qua visa, vnus ad illicitè fruendum moueatur, alter in voluntate pudica perseueret, quis putas esset causa vt in illo fiat, & in illo non fiat voluntas mala? Et respondet, quòd vnus eorum cadere est solùm â Voluntate: ergo Voluntas non agit, ex aliqua prędetermination actiua *D. Aug.* Intellectus. Vnde optimè dixit D. Aug. lib. 1. retracta. c. 22. quòd nihil est tam in potestate nostra, quàm ipsa Voluntas. Confirmatur tertiò, nam ex eo solùm dicimus quòd Voluntas effectiuè præmota à Deo non necessitatur, quia Deus est prima causa, vt Author ipsius Voluntatis; potestq; efficere in illam sine lęsione suæ libertatis & indifferentiæ: ergo ponere prædeterminationem effectiuam in Voluntate ab Intellectu ante operationem Voluntatis, erit tollere libertatem eius, quia bono apprehenso, sic determinanti nõ poterit attribui maxima & propria Dei excellentia, vt præmoueat efficienter Voluntatem sine lęsione illius in differentię. Vltimò probatur, nam ex eorum sententia Voluntas mouet efficienter Intellectum: ergo non potest Intellectus mouere efficienter Voluntatem; nã aliàs idem esset mouens & motum in eodem genere causę. Vnde D. Thom. art. 3. *D. Tho.* ad 3. concludit, quòd Voluntas mouetur ab obiecto secundùm rationem obiecti.

Sexta conclusio. Probabilis est sentẽtia Caiet. quòd bonum apprehensum cõcurrat simul cum Voluntate vt principium actiuum ad actum ipsius Voluntatis, non quidem quo ad exercitium, sed quo ad specificationem. Itaque sententia Caiet. vt sit probabilis, non sic est intelligenda, vt ab aliquibus interpretatur, q̃ bonum apprehensum efficiat specificationem actus, & Voluntas efficiat substãtiam illius, quasi sint duæ causæ & duo effectus; altera causa vnius effectus, & altera alterius: idem enim effectus est, & sic eadẽ causa debet assignari effectiua vtriusque. Sensus ergo Caiet. debet esse, quòd ex Voluntate & bono apprehẽso fit vna causa totalis, ita vt Voluntas determinata â bono apprehenso habeat se vt quòd; bonum autem apprehẽsum habeat se vt principium quo effectiuum; vnde applicando singula singulis, Voluntas est efficiens substantiæ actus; bonum autem apprehensum est efficiens vt quo specificationis illius; quia licèt Voluntas habeat virtutem ex se ad appetendum, non autem ad appetionem talis speciei; nisi vt determinatur vel vt forma bono apprehenso. *6. Conclus.*

Hæc conclusio sic explicata probatur ferè omnibus, argumentis positis à principio; & insuper, nam etiam secundùm contrariam sententiam, bonum apprehẽsum est forma determinans Voluntatem ad specificationem actus: sed sic est, quòd omnis forma in vniuersum est principiũ actiuum vt quo, respectu illius cuius est forma, ad operationes illius; quia licèt officium formæ, in quãtum talis, non sit efficere, sed specificare, vt dicit D. Thom. q. 2. de Veritate, art. 2. in fine corporis, huic tamen *D. Thom.*

tamen coniungitur esse principium quo effectiuum, quatenus vnumquodq; operatur vt est in actu: ergo si semel concedi tur, quòd bonum apprehensum est forma determinans Voluntatem, & specificans actum illius, dicendum erit, esse prin

Solutio. cipium quo effectiuum Voluntatis. Si respondeatur, hoc habere verum, quando forma est intrinseca & inhærens, bonum autem apprehensum est forma extrinseca non inhærens Voluntati, ac per consequens non potest esse principium quo effectiuum illius. Sicut hac ratione Religio existens in Voluntate, licèt possit imperare actum orationis in Intellectu, non tamen potest elicere illum; quia

Impugatio. Religio est extrinseca Intellectui efficiẽti actum orationis: Contra argumentor pro sententia Caiet. quia ad efficientiam prædictam non requiritur inhæsio, sed sufficit maxima coniunctio Intellectus cum Voluntate; vnumquodque enim agens debet agere qua ratione constituitur per formam, & habet esse per illam; quia ergo alia agentia constituuntur per formam inhærentem, Voluntas autem non nisi per formam maximè conũctã, non tamen inhærentem; ideò vt in alijs agentibus forma efficiat vt quo, requiritur inesse, non autem respectu Voluntatis. Eo vel maximè, quòd multa exempla sunt superiùs allata, in quibus efficiẽs vt quo, non inhæret; multi enim probabiliter tenent, quòd essentia diuina vnita Intellectui beati in ratione speciei, concurrit efficienter vt quo, ad visionem beatificam; cùm tamen essentia diuina non inhæreat Intellectui beati, sed intimè coniungatur, & vniatur illi. Item essentia Angeli vnitur proprio intellectui, vt principium quo effectiuum intellectionis sui ipsius, & tamen non inhæret proprio intellectui. Item 1. part. quæstio. 79. artic. 3. admittitur vt magis probabile, quòd phantasma concurrit effectiuè ad productionem speciei in Intellectu possibili cum Intellectu agente: cum tamen phantasma non inhæreat Intellectui agenti. Item totus homo compositus ex materia, & forma, efficit intellectionem; cùm tamen materia non sit in Intellectu elicienti, sed satis est, vt dicit

Bañez. Bañez 1. p. q. 49. arti. 5. quòd Intellectus non eliciat nisi vt determinatus per materiam pro isto statu. Similiter lux inhęret colori, vt est principiũ quo emittendi speciem coloris. Item D. Thom. concedit q. 4. de Veritat. artic. 1. quòd verbum mentis, est causa efficiens verbi vocalis; cùm tamen verbum mentis non sit in ore. Itẽ forma artificialis, vel artificis, concurrit effectiuè ad artificiatum; cùm alterum sit ad intra, alterum ad extra. Exemplũ autem de Religione, est nullũ, quia idé dicimus de illa, quòd propter coniunctionem ad Intellectum, non solùm imperat, sed etiam elicit actum orationis in Intellectu. Sicut etiam de Fide dixit D. Tho. quòd existens in Intellectu, elicit confessionem Fidei in ore. Et si rursus respon-

D. Thom.

Obiectio. deatur, omnia exempla allata, non esse ad propositum, quia bonum apprehensum solùm se habet intentionaliter: vnde non potest esse principium quo effectiuum physicè: Contra argumentor, quia

Impugn. etiam species intelligibilis tãtùm habet esse intentionaliter, & tamen est principium quo effectiuum physicè intellectionis. Et si rursus respondeatur, quòd spe-

Obiectio. cies physicè inhæret Intellectui, licèt tantùm sit intẽtionaliter obiectum. Contra,

Impugnat. quia etiam finis apprehensus licèt tãtùm sit bonum intentionaliter, est tamen cognitus realiter; vnde ipsa cognitio realis realiter coniuncta Voluntati, licèt non inhæsiuè, sufficit ad eliciendum physicè in Voluntate. Vnde de fine secundùm rem, verum habet quòd tantum concurrit finaliter, vt cognitus autem etiam efficienter; quia licèt finis quando mouet, non existat, & sic nõ possit mouere nisi metaphoricè, non autè propriè, qualis est motio effectiua: cognitio tamen ipsius finis, etiam non existentis existit, & sic potest esse principium propriè mouens effectiuè Voluntatem. Nec est argumentum, quòd mouetur efficienter à Voluntate, & sic esset mouens & motum in eodem genere; quia hoc secundùm diuersam rationem non inconuenit. Eo vel maximè, quia efficientia ex parte Intellectus reducitur ad ipsam Voluntatem, vt suprà diximus. Nec etiam valet argumẽtum, quòd actus Voluntatis non esset immanens, quia nõ esset à principio in quo manet; quia non manet ab Intellectu: Respondetur enim, quòd esse immanens vel transiens, sumitur â potentia eliciente, non à principio quo eliciendi, & cùm maneat in Voluntatẽ eliciente, actio est immanens. Non etiam valet argumentum, quòd non est assig-

nare

nare inter bonum apprehensum & Voluntatem aliquid medium per quod efficiat: Respondetur enim, sufficere immediatam coniunctionem; sicut & species concurrit vt quo, cum Intellectu, & nihil mediat inter speciem & Intellectum, nisi coniunctio; quia aliàs abiretur in infinitum. Et obiter notate argumenta quæ hìc soluuntur, vt defedatur ista conclusio; quia ista faciunt pro conclusione sequenti, quam vt probabiliorem defendemus, ne ibi itidem eadem re petamus.

7. Conclusio. vera. Vltima conclusio. Sententia Capreoli est verior, quòd bonum apprehensum, nec etiam vt quo, est principium agendi cum Voluntate. Hæc videtur

D. Thom. expressa Diui Thomæ locis citatis in 4. conclusione, vbi tantùm tribuit Intellectui & bono apprehenso concurrere formaliter, vel finaliter quantum ad specificationem; actiuitatem autem solùm tribuit Voluntati; vnde infrà quæstio. 72. articul. 3. ad 1. expresse dicit, quòd Voluntas, quæ est principium actiuum actus humani, cùm non sit determinata ad vnum, non sufficit ad producendum humanos actus, nisi determinetur ad vnum per intentionem finis; vt patet per Philosophum 9. Metaphys. text. 15. & 16. & ideò à fine perficitur esse, & species actus. Quod etiam dicit ibi solutione ad 2. Et probatur ratione. Proposito bono per Intellectum Voluntati, si Deus auferret omnem efficientiam ex parte Intellectus, Voluntas posset illud amare: mirum enim esset, quòd Voluntas haberet bonum præsens, & quòd non posset ferri in ipsum: at verò si esset peccatum quod præsentatur, erroneum videtur asserere, quòd non posset respuere aut velle illud: ergo superfluè ponitur efficientia ex parte Intellectus, si sine ipsa fit idem quod cum ipsa. Secundò probatur. Aliquando potest Intellectus simul proponere duo bona indifferenter, & æqualiter allicientia Voluntatem: & tunc non est maior ratio quare vni magis quàm alteri tribuatur efficientia volitionis vnius: ergo tota efficientia aliunde erit sumenda, scilicet ex parte *V*oluntatis, quæ poterit eligere quod maluerit; non enim manebit suspensa vt appetitus bruti; potest enim pro libito eligere minus bonum, quanto magis æquale. Tertiò probatur. Sic se habet quantum ad hoc, obiectum *V*oluntatis, sicut terminus in alijs motibus; sed terminus in alijs motibus non concurrit actiuè, vt patet in motu locali: ergo nec obiectum *V*oluntatis. Quartò probatur. In quodcunque tendit efficienter Intellectus, tendit sub ratione veri: ergo nullo modo efficientia eius potest extendi ad *V*oluntatem; quæ enim ad *V*oluntatem pertinent, vt sic, non habent nisi rationem boni, quod est obiectum eius. Quintò probatur. Non potest esse causa principalis, nec instrumentalis actiua: ergo nullo modo. Prima pars antecedentis probatur, quia si esset principalis, maximè vt quo, & vt forma: sed sic nõ, quia non est intrinsicè inhærens *V*oluntati; quod in omni agenti requiritur: ergo. Secunda pars probatur. Causa instrumentalis ordinatur & est inferior causæ principali; sed hoc non potest conuenire Intellectui respectu *V*oluntatis; cùm sit excellentior, & perfectior quàm *V*oluntas: ergo. *V*ltimò probatur. Esse cogniti in bono apprehenso est esse intentionale: ergo per illud non potest esse causa efficiens volitionis. Patet consequentia; nam esse causæ efficientis debet esse reale & physicum. Et si contra arguas, nam spe- *Obiectio.*
cies intelligibilis concurrit actiuè; cum tamen esse eius sit intentionale: ergo hoc non obstat: Respondetur, quòd cùm se- *Solutio. Arist.*
cundùm Aristot. 6. Metaphysic. text. 8. verum & falsum habeant esse in Intellectu, & pertineant ad genus intelligibile; ideò causa actiua intellectionis sufficit, vt constituatur per esse illius generis, quale est esse intentionale: bonum verò & malum cùm non habeant esse in Intellectu, sed in rebus; quando enim bonum repræsentatur in conceptu, non habet verum esse in genere appetibilium; ideò bonum vt apprehensum, non potest concurrere ad volitionem, nisi tantùm formaliter; vt causa autem actiua physica, & realis debet esse qualis est ipsa voluntas. *V*erum est, quòd licèt causa actiua sit sola *V*oluntas, requirit tamen determinationem formalem ex parte Intellectus vt agat, & secundùm diuersam propositionem Intellectus diuersimodè agit; vt in motu locali, licèt mobile sit causa efficiens motus, vt tamen motus distinguantur specie, vt quòd sit sursum

vel de

vel deorsum, requiritur & determinatio diuersorum terminorum, licèt termini ad motum actiuè non concurrãt denique probatur. De ratione causę efficientis est, quòd non possit agere nisi mota à fine: ergo si finis est causa efficiens, necessarium erit fini assignare alium finem, vt ipsum moueat; & iterum interrogabo de illo fine si effectiuè concurrat, & assignandus erit illi alius finis, & sic in infinitum. Si respondeatur, deuiniendum esse ad vnum agẽs, quod simul sit finis, vt est Deus: Cõtra, quia licet hoc sit verum nõ est ad propositum; quærimus enim definibus particularibus, vtrùm cùm sanitas cogita mouet ad sui desiderium, concurrat vt mota ab alio bono particulari; & hoc dicimus esse non posse, cùm enim sanitas non sit cognoscitiua, non potest moueri ab alio bono, vt ipsa efficienter moueat. Si respondeatur, non requiri cognitionem in sanitate, quia agit naturaliter, sed sufficere cognitionem in Authore naturæ. Cuius participatione bonitatis mouet sanitas: Contra; quia licèt ita sit alia tamen est motio, qua Deus mouet vt finis, & bonum, & obiectum voluntatis; & qua mouet vt agens: ergo respectu actiuitatis, sanitatis si illam haberet, prẽter concursum actiuum Dei debebat assignari concursus illius, vt finis vltimi & aliorũ, vt finiũ particularium, à quibus finaliter mouetur sanitas, vt actiuè operetur; & sic qua ratione ponitur vt agẽs, ponitur vt nõ finis: quapropter implicatio est ponere concurrere vt finẽ & cõcurre re actiuè, cũ sẽper agẽs præsupponat finẽ.

Obiectio. *Solutio.*

Ad primum argumentum à principio collectum ex multis locis D. Thom. in quibus duo asserit; alterum, quod appetitus est potentia passiua; alterum verò, quôd obiectum est actiuum: Respondetur, quòd cùm in hoc art. & 1. par. quæs. 82. vbi ex professo & altissimè tractat hanc rem, expressè asserat, quòd intellectus non est causa efficiens, sed formalis & finalis, per hunc alia loca sunt regulanda, nec debent putari alijs locis non ita claris oppositum sensisse.

Ad 1. arg. *D. Thom.*

Pro cuius tamen intelligentia notandum quòd hęc tria nomina, mouere, influere, causare, cõmunia sunt & causę efficiẽti & finali, & propriè loquẽdo, finis enim mouet, influit, & causat sicut & efficiens: at verôsunt alia nomina specialia his causis finis enim dicitur finalizare, & agens agere; nec enim finis agit propriè, nec agẽs finalizat; tamen hoc vocabulum agere, licèt propriè adaptetur tantùm causę efficienti, potest tamen latiùs extendi, vt cõprehendat omnem motionem; sic enim multoties reperitur in D. Thom. vt infrà quæs. 85. ar. 1. ad 4. vbi ait, quòd accidens non agit effectiuè in subiecto; agit tamẽ formaliter, eo modo loquendi, quo dicitur quôd albedo facit album: & 1. p. q. 48. art. 1. ad 4. ait, quòd tripliciter aliquid dicitur agere, & per modum formę, & efficientis & finis. Ecce qualiter verbum Agere, extendit etiam ad alias causas prẽter efficientem. Et hoc etiam consuetum est apud Arist. dicit enim multoties, ꝙ vt finis agat, nõ requiritur quôd existat: in hac enim acceptione intelligendus est D. Thom. quando locis prædictis dicit, quòd obiectum Voluntatis agit in Voluntatem; loquitur de actione largè sumpta, vt extenditur ad finem & formã & similiter loquitur enim de passione, quando dicit, quòd Voluntas patitur ab obiecto; loquitur enim de passione per ordinem ad agere prædicto modo sumptum. Et sic etiam potet ad id quod potest colligi ex doctrina illius. Nam 1. part. q. 77. art. 3. dicit. Esse differentiam inter potentiam actiuam & passiuam, quòd obiectum actiuè comparatur ad ipsam, vt terminus & finis, obiectum verô passiuè cõparatur, sicut principium & causa mouẽs Et cùm videatur dicere quæs. 16. de Veritat, art. 7. ad 13. quòd Voluntas est potentia passiua, videtur bene inferre, ꝙ obiectum eius comparetur ad ipsam non solũ vt terminus & finis, sed etiam vt principiũ, & causa mouens; hoc est, vt efficiens. Patet tamẽ ex dictis, negãdo cõsequẽtiã quia in primo loco loquitur de actione & passione propriè, vt restringitur ad efficiẽs; in secũdo verò loquitur cõmuniter, vt agere & pati extẽditur ad alias causas; & sic dicit, volũtatẽ esse potẽtiã passiuã. Secũdò respõdetur ad loca D. Th. ꝙ effiiciẽtia, seu mouere efficiẽter, stat dupliciter. Primò, physice; secũdo moraliter. Dicim⁹ enim, ꝙ Intellect⁹ non mouet efficiẽter physicè Voluntatẽ, nisi impropriè, & larga acceptione, vt est dictũ: moraliter tamẽ & propriè loquẽdo, dicitur, ꝙ Intellect⁹ efficit, & mouet Voluntatẽ; bene enim in moralib⁹ potest dici propriè causa efficiẽs ꝙ in physicis nõ meretur hoc nomẽ nisi improprie; vt applicans ignem ad con-

Not.

burendam domum, in physicis non est propriè causa efficiens, sed tantum causa per accidens; in morabilibus verò est causa perse efficiens illud damnum. Cum ergo D. Thom. procedat vt Philosophus moralis, loquens de motione Intellectus respectu Voluntatis, bene dicit, mouere efficienter illam, licèt physicè tantum moueat formaliter, vel finaliter. Ad illud autem quod adducitur ex Aristot. 3. de anima, & 12. Metaphi. quòd commisisset æquiuocationem, &c. Respõdetur, quòd in 12. Metaph. non probat, quòd sit vnum primum mouens, ex eo quòd deueniendum sit ad vnum appetibile, sed potius è contra, illud primum mouẽs quod sic ponit esse, vel alijs demõstrationibus demonstrat necessariò dari; probatque de illo, quòd omnibus modis sit immobile; quoniam non solùm non mouetur ab alio efficienter, sed nec finaliter; ipsum enim primum mouens, est simul primũ mouens efficienter, & primum mouens finaliter, cum etiam sit appetibile: & sic nos etiam fatemur quod est vnum & idẽ primum principium & finis omnium, Alpha & O. scilicet Deus. Aliud autem est quod docemus de alijs finibus creatis quòd huiusmodi non habent rationem efficientis, sed solum finis, & sic Arist. nõ est contrarius. In tertio verò de anima, intendebat probare, quòd animalia mouentur motu locali per appetitum, & in ordine motionis illius considerauit absolutè rationem mouentis & moti. Dico absolutè, hoc est, non solum rationem mouentis effectiuè tantùm, aut finaliter tantùm, sed mouentis vtroque modo; & sic asseruit, quòd in anima erat vnum mouens immobile, quod est appetibile bonum, siue finis præsentatus, qui quidem mouet, & nullo modo mouetur, nec finaliter, nec efficienter ab alio, ipsum tamen mouet finaliter appetitum, & sic est omnino mouens immobile; appetitus verò est primum mouens motum, scilicet primum mouens efficienter; motum verò finaliter ab appetibili, & fine, & ideò motus animalis tribui debet efficienti appetitui, & sic dicuntur animalia moueri per appetitum, non autem quod ab appetibili aliqua efficientia proueniat.

Ad 2. Arg. Ad secundum argumentum bene ibi, respondetur, licèt enim Verbum in diuinis dicatur ad similitudinem verbi mẽtalis, illa tamen similitudo non est omnimoda & efficax, sed quædam congruentia ad id quod iam Fide tenemus, & omnino est indemostrabile per totam naturam, qua propter Verbum diuinum non habet producere amorem per modum efficientis, quatenus Verbũ est; sic enim probaret, quòd etiam verbo nostrò conueniret; nec quatenus subsistens est vtcũque, quatenus Verbum diuinum est; & quatenus subsistens est subsistentia diuina; itaque sic producere, habet ratione materiæ, quoniam in diuinis est; sicut dici solet, quòd processio amoris in diuinis est secundùm similitudinem, non formaliter, ex vi processionis, prout amor est, sed materialiter, prout amor in diuinis est. Sic dicimus de Verbo, quod formaliter ex vi suæ processionis non habet cõcurrere effectiuè, quatenus Verbum est, sed materialiter, quatenus Verbum in diuinis est. Vnde ex verbo diuino non licet inferre, quòd verbum nostrum ita cõcurrat; sicut nec valet ex idea diuina ad ideam nostram illa enim est causa efficiens rerum, non tamen nostra. Ad illud autem quod D. Thom. explicat Verbũ diuinum quantum ad productionem amoris per similitudinem verbi cordis nostri producentis amorem creatum. Respondetur, assignare similitudinem quantum ad aliquid, non tamen quantum ad omnia. Similitudo autem consistit, quòd sicut amor procedit ex verbo nostro, siue efficienter, sue finaliter; ita amor diuinus procedit a Verbo diuino; sic enim procedebat argumentum D. Thomę, quòd ex verbo nostro nõ procedit amor ergo nec ex verbo diuino; & respondet, quòd ex verbo nostro vocali non procedit amor: tamen ex verbo nostro mentali, cui assimilatur Verbum diuinũ, amor procedit, non curando an effectiuè, an finaliter.

Ad 3. arg. Ad tertium respondetur, probare, q̃ obiectum voluntatis aliquando necessario mouet, vt contingit in appetitu sensitiuo in actionibus non subiectis rationi, sed purè naturalibus; in his enim sicut bruta necessitantur & rapiuntur; sic etiam volũtas in prima appetitione finis, & in motib⁹ primo primis necessario mouetur & rapitur; ista tamen motio necessaria ab obiecto est finaliter, & ab ipsa voluntate solũ efficienter, quę necessario producit huiusmodi actiones ex naturali inclinatione, data sibi ab Authore natu-

ræ; sicut lapis necessariò descendit ad cẽtrum, & ignis necessariô comburit applicata stupa; licèt nec stupa, nec centrũ concurrant efficienter, sed solùm finaliter. Nec est eadem ratio de Intellectu & alijs potentijs apprehensiuis, quoniam huiusmodi potentię aliquid recipiunt à suo obiecto, scilicet speciem, ratione cuius euidenter patiuntur, & obiectum efficienter concurrit; appetitus verô maximè Voluntas nihil recipit ab intellectu, ratione cuius Intellectus actiuè concurrat. Item est differentia, quòd volũtas ex sua ratione nominat appetitum & inclinationem; vnde proposito appetibili, sequitur inclinatio & appetito, quę est actus Voluntatis; quod de Intellectu & alijs potẽtijs non currit; vnde necessario determinantur effectiuè ab obiecto vt operentur.

Ad 4. ar g. Ad quartum respondetur, non posse negari, quin aliquando Intellectus moueat efficienter Voluntatem; vt quando mouet per imperium; non tamen semper & in omnibus actibus; quia non omnes actus Voluntatis imperantur; nec quando per imperium efficienter mouet, id habet intellectus secundùm se, vel à se; q quærebamus; non enim dubitamus quòd Volũtas moueatur, etiam quo ad exercitium, ab imperio existente in Intellectu, vt infrà dicitur quæst. 17. art. 5. hanc tamen motionem & virtutem effectiuam nõ habet imperium ab Intellectu in quo *D. Tho.* est, sed à voluntate, vt dicit D. Thom. de Veritate, quęs. 22. ar. 12. ad 4. est enim Voluntas primum mouens ad exercitiũ in viribus animę; vnde nullum potest esse mouens ad exercitium, nisi ex virtute Voluntatis qua propter si imperium mouet à Voluntate habet mouere; vt etiam dicit D. Thom. infrà quęst. 17. art. 1. ad 1. & art. 3. ad 1. Et si contra arguatur *Obiectio.* quòd omnis volitio efficax dependet ex imperio efficaci Intellectus, & non est abire in infinitum: ergo deueniẽdum est ad vnum imperium, quod moueat efficiẽter Voluntatem, & non supponat actum Voluntatis à quo habeat efficaciam, sed *Solutio.* illam habeat pręcisè ab Intellectu: Respõdetur, quòd, vt dictum est, non omnis volitio efficax supponit imperium, sed tantùm volitio libera circa media; ad omne autem imperium concurrens effectiuè ad volitionem mediorum, supponitur volitio finis, à qua imperium habet efficatiam; vnde non est abire in infinitum, sed deueniendum ad primam volitionem finis, quę non sit ex imperio, sed ex instinctu naturæ, vt dicit D. Tho- *D. Tho.* ma infrà, quæstione 17. articul. 5. ad 3. supposita tamen cognitione, quæ non erit imperium, sed propositio boni, & iudicium, quod explicatur his verbis, Hoc est amandum. Itaque Voluntas respectu volitionis mediorum, ad quam in potentia est reducitur efficienter in actum â se ipsa secundùm quod est in actu per volitionem finis, mediante imperio rationis participante efficaciam ab huiusmodi volitione finis ipsius Voluntatis; sicut & Intellectus existens in actu circa principia, reducit se de potentia ad actum circa conclusiones, vt dicit D. Thom. quæstione 6. de malo, articulo 1. ad 20. quia licèt idem secundum idem non possit reducere se ipsum de potentia ad actum; bene tamen secundum diuersa: quatenus ergo Voluntas est in actu, per volitionem finis reducit se ad actum ad volitionem mediorum; ad volitionem autem ipsius finis reducitur ad actum ex instinctu naturę, & impressionis Authoris naturę (supposita ostensione boni ex parte Intellectus) cui primus actus Voluntatis tribuitur. Quapropter dici solet, quod in tali primo actu nec potest esse peccatum, nec libertas aut deliberatio, nec in tali actu dicitur Voluntas se ipsam mouere, sed moueri à Deo, quamuis iuxta modum suę naturę producendo Voluntas vitalem talem actum, vel actionem; de quo vide Ferrara & D. Thom. tertio contra Gentes, cap. 89. argumento 6. Verum est ta- *Ferrar.* men, quod licèt huiusmodi actus quan- *D. Tho.* tum ad inceptionem sit ab Authore naturę, & non liber; est tamen liber quantum ad continuationem, & sic Voluntas se mouet & poterit statum cessare, vel vltra progredi. Et in hoc differt Voluntas ab alijs quę mouentur â generante: lapis enim non solùm mouetur ab Authore naturæ, quantum ad inceptionem motus, sed etiam quantum ad prosequutionem, & consummationem illius; vnde semel motu incepto, lapis cessare non potest ab illo; Voluntas vero, vt est dictum naturaliter incipit in prima volitione, liberè tamen prosequitur, & potest desistere, vt sibi placuerit.

Ad 5.arg. Ad quintum. Respondetur quòd cùm Voluntas sit vniuersalis appetitus, & omnino determinata in genere causæ efficientis ad quamcunque actionem, siue quo ad exircitum, siue quo ad specificationem; sumpta tamen determinotione formali, vel finali ex parte Intellectus, vt dictum est; quia causæ sibi inuicem sunt causæ, & alia concurrere non potest, altera non concurrente; vt ergo Voluntas efficienter concurrat ad quamqunque actionem volitionis, requiritur concursus formalis exparte intellactus; ex tali tamen concursu non probatur quòd Voluntas non sit totalis causa efficiens.

Ad 6.arg. Ad sextum respõdetur similiter, quod spicificatio & exercitium actus non sunt duo effectus, sed idem, & sola ratione distinguntur: vnde etiam specificatio effectiuè est à Voluntate, specificatiuè verò vel formaliter ab Intellectu; vnde potentialitas Voluntatis redducitur ad actum per aliquid intra voluntatem effectiuè, per illud autem exparte intellectus solũ formaliter. Ex quo sequitur explicatio D. Thomæ cùm ait, quòd vis animę indiget duplici motore, vno quantum ad agere, altero vero quantum ad agere hoc vel illud; non enim intelligitur quòd vterq; motor debeat concurrere in eodem genere causæ, sed motor quantum ad agere, concurrit actiuè; moues autem quantum ad agere hoc vel illud, concurrit formaliter vel finaliter; effectiuè autem, vt dictũ est, idem est motor vtriusque. Verbi gratia, lapis in motu descensus indiget duplici motore; alio quantum ad descendere, & aliud quidem est generans actiuè cõcurrens, non tantum ad substantiam, sed etiam ad speciem motus. Indiget etiam alio quantum ad hoc descendere, & tale mouens est centrum, â quo sumitur species motus, illud tamen solùm mouet finaliter.

Ad 7.arg. Ad septimum respondetur, esse discremen, quòd aliæ potentiæ recipiunt ab obiecto speciem per quam determinãtur in ratione actiui. Voluntas autem, vt dictum est, nihil recepit ab obiecto, per quod in genere actiui determinetur, sed ipsa ex se est omnino determinata in ratione actiui ad quamcunque volitionem; vnde concursus obiecti solùm est formalis, vel finalis.

Ad 8.arg. Ad octauum respondetur, quòd omnis actio specificatur à principio, non tamen semper necessariò à principio actiuo, semper tamen à principio formali; proprium enim est formæ tribuere speciem, quia tamen regulariter quod habet rationem formæ, etiam constituit agens, regulariter dicitur specificari à principio actiuo: quia tamen in voluntate quod habet rationem formæ, non cõstituit ipsam in ratione actiui, ideò specificatio actuum illius non summitur ab illa, nisi effectiuè vt dictum est: formaliter verò sumitur specificatio à forma ex parte Intellectꝰ. Vel dicito, quòd specificatio actuum Voluntatis sumitur ab ipsa Voluntate, nõ vtcunque, sed vt formaliter determinata per intellectum; actio enim specificatur à principio actiuo, vt determinato per formam, vnde cum forma ex parte Intellectus determinans formaliter Voluntatem ad agendum sit multiplex & diuersæ speciei; ideò non requiritur, etiam si sola Voluntas sit efficiens, quòd omnes actus illius sint eiusdem speciei.

Ad.9.arg. Ad vltimum respondetur, quod illa non sunt causæ subordinatæ essentialiter quoniam Intellectus non est propriè causa volitionis, sed applicans obiectum. Secundò etiam meliùs respondetur, quòd subordinatio non debet esse in eodem genere; sed exparte intellectus est genꝰ formale, exparte volũtatis efficiens: & hoc patet in alijs effectibus naturalibus; cùm enim generatur homo, concurrunt quatuor causæ, & inter illas est ordo & subordinatio, non tamen in eodem genere, sed quælibet iuxta propriam naturam, & in genere proprio.

DVBIVM VI.

Vtrùm concursus Intellectus, & motio eius, siue in genere causæ formalis, siue efficiẽtis, vt alij volunt, ita sit necessaria Voluntati, vt absque ipsius Intellectus præuia cognitione Voluntas nequeat aliquam operationem habere, siue de facto, siue depossibili etiam de potẽtia Dei obsoluta. Quòd clarius quæritur, vtrùm etiam de potentia Dei absoluta possit aliquid esse volitum, quin sit præcognitũ.

Pro-

PRobatur quòd sic. Primò. Actus Voluntatis nō pendet ab actu intellectus vt à subiecto, ne vt à dispositione, nec vt à forma, nec vt à fine, nec vt ab efficienti, nec vt à correlatiuo: ergo potest esse actus Volūtatis sine actu intellectus præuio. Consequentia patet, quia non videtur quòd aliam dependentiam possit habere, si prædictis modis non dependet. Antecedens probatur, quòd non dependeat vt à subiecto; quia cùm intellectus & Voluntas sint potentiæ realiter distinctæ, actus illarum manentes in ipsis, vt intellectio, & volutio, sic realiter erūt separati, vt vnus alterius nequeat esse subiectum, & eadem ratione patet, non esse dispositionem, quia dispositio in eodem subiecto debet esse: Quòd non dependeat vt à forma, iam patet, quia intellectio, non est forma volitionis, cùm non in hæreat illi. Quòd non dependeat vt à fine, patet, quia intellectio, maximè in practicis, potius ordinatur ad volitionem, tanquàm ad finem; cùm intellectio practica proponat Voluntati obiectum vt prosequendum. Quòd non dependeat vt ab efficienti, supra probauimus: & etiam si illud esset verum, potius sequitur nostrum intentum: quia concursum efficientis deus supplere potest, & sic sine intellectione posset Deus causare volitionem: denique quod non dependeat, *Confirm.* vt à correlatiuo, probatur; quia correlatiua sunt simul natura; cognitio autem natura præcedit vt moueat volitionē. Confirmatur, nam actus Voluntatis non dependet ab actu intellectus necessariò quātum ad specificationem, nec etiam secundum rationem operationis vitalis: ergo nullomodo; quia hæc est considetatio actus Voluntatis. Prima pars antecedentis probatur, quia actus Charitatis in Via, & in Patria sunt eiusdem speciei, cùm tamē cognitio regulans in Via, vt est Fides, & regulans in Patria, vt est clara Dei visio, sit diuersæ speciei; ergo actus Voluntatis non dependent ab actu intellectus quantum ad speciem. Secunda pars antecedētis probatur, quia operatio vnius potentiæ totam vitalitatem habet à propria potentia; cùm de ratione vitalitatis sit à principio intrinseco: ergo actio Voluntatis in esse vitalis non dependet ab actu Intellect⁹; quia esset à principio extrinseco *2. Arg.*

Secundò arguitur. Intellectio, vt suprà diximus, non est de ratione essentiali volitionis, sed tantum conditio: ergo poterit à Deo suppleri: non enim est repugnantia, aliquid à Deo fieri sine illo quod non est de eius essentia; vt sepe facit supplendo conditiones causarum. *3. Arg.*

Tertio arguitur. De⁹ repræsentatur immediatè per se ipsum sine mediaspecie in ratione primę veritatis Intellectui bactis: ergo similiter per se ipsū inmediate absq; actu intellect⁹ potest repræsctari Volūtati vt summūbonū. Patet cōsequētia, quia nō videtur minùs necessaria species ad intellectionem, quā cognitio ad volitionē: ergo si præsentatur Intellectui sine primo, similiter & voluntati sine secundo. *Confirm.* Confirmatur. Voluntas fertur in res, prout sunt in se: ergo si res, vt est in se, cō iungatur Voluntati, sine præuia cognitione poterit Voluntas ferri in illam. *4. Argum.*

Quarto arguitur. Voluntas habet aliquem actum naturalem: ergo ad minus illum poterit elicere sine præuia cognitione. Antecedens patet, quia frequens consideratio est voluntatis vt natura, & vt liberæ: aliquos ergo actus habet naturales, consequentia vero probatur. Appetitus naturalis in hoc distinguitur ab intellectio & sensitiuo, quòd primus fertur sine cognitione; vt patet in lapide; secundus verò cognitionem supponit: si ergo Voluntas quantum ad aliquos act⁹ est appetitus naturalis, quantum ad illos feretur sine cognitione. *1. Senten.*

In hac re est prima sententia Gerson *Gerson.* Alphabeto bb. absolutè asserentis, volitionem esse posse sine cognitione. Secun *2. Senten.* da sententia est, quam refert Iabellus 9. *Iabellus.* Metaphisicæ q. 9, quòd prima volitio est sine cognitione, quia aliàs abiremus in in finitum. Tertia sentētia est, quam refert *3. Senten.* Ferrara secundo contra Gentes cap. 101. *Ferrar.* quòd licèt volitio necessariò exigat cognitionē habitualem, non tamen actualē, sed potest esse sine illa. Quarta sentētia est D. *4. Senten.* Bonauenturæ tomo 2. opusculorum, tra *D. Bonauē.* ctatu de mistica Theologia, q. vnica, & Itenerario mentis in Deum, capit. 7. asserentis, in viris præstantissimæ & eximiæ sanctitatis id sæpe contingere, per extasim amare quod nullo modo cōtēplātur: distinguit enim de amore, q̄ alter sit scholastic⁹, qui procedit ex cō tēplatione per modū inquisitionis; alter vero mysticus, consistens in desiderio, qui vtique peraffectiones quasi caligino sas ad superiora aspirat, nō secus atq; lapis

sine cognitione mouetur ad centrum. Huius autem sententię assumitur fundamentum ex Diuo Dionysio cap.7. de diuinis nominibus, asserente: Est quędam augustissima Dei scientia, quæ per ignorantiam scitur in coniunctione illa quæ exuperat sensum, quando mens omnia alia transiliens, & se ipsam derelinquens, coniuncta fuerit lucidissimis radijs. Et epistola 5. ad Dorotheum, cùm dixisset de caligine diuina inaccessibili lucem accessibilem inhabitante, subdit: In qua eo ipso quòd nec vidit quis, nec cognouit, illi qui visionē omnemq; cognitionem transcendit, familiatiùs iungitur. Et cap.1. de mystica Theologia, loquens ad Timotheum de diuina caligine, dicit: Tu verò, Timothee, intēsissima cōtuendis spectaculis mysticis exercitatione, & sensus linque, & intellectuales operationes, & sensibilia & intelligibilia omnia, vt illi iūgaris, qui suprà omnem substantiam omnemque scientiam est. Et alia plura dicit ad hoc propositum; ad quòd etiam facit Psalmo 33. Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. Et Prouerbiorum 31. Gustauit & vidit quia bona est negotiatio eius. In quibus verbis significatur, non aliud requiri ex parte eius, quām quod se tenet ex parte appetitus, quod multoties nomine visionis nuncupatur. Quapropter dicit Augustinus lib.10. confessionum cap.35. tomo 1. quòd illud quod gustu, siue alio quocunque sensu percipimus, dicimur videre: vnde solet dici: Vide an hoc sapiat, vel olfaciat; quasi dicat, Experire an hoc sapiat; hæc enim experientia ipsius gustus, quasi quædam visio est.

D. Dionys. *Psalm. 33.* *Prouerb. 31* *D. Aug.*

5. Sent. Vltima sententia est in alio extremo, quòd ad volitionem nunquām potest deficere cognitio, quia, vt aliqui Philosophi dixerunt, nunquām in homine actualis cognitio potest cessare: sicut enim anima secundùm partem inferiorem sensibilem vel vegetabilem semper est in actu per vegetationem & sensationem; (ita dicebant) secundùm partem superiorem intellectiuam semper est in actu intelligens.

1. Concluſ. Prima conclusio. Stando in Philosophia naturali, & secundùm rationem naturalem, & ex natura rei, nunquàm potest dari aliquis actus in voluntatē, quem non præcedat aliqua cognitio Intellectus; quia, vt dicitur in Philosophia, obiectum Voluntatis, est bonum apprehensum per Intellectum; qua ratione Voluntas dicitur appetitus rationalis. Et non aliam distinctionem inuenit D. Thom. 1. part. quæstio. 8. artic. 1. & 2. inter appetitum naturalem sensitiuum & intellectiuum, nisi quòd naturalis sequitur formam naturalem, intellectiuus autem sequitur formam apprehensam per Intellectum; sensitiuus formam apprehensam per sensum: ergo nequit esse actus Voluntatis, non præuia cognitione, hoc enim esset contra Voluntatis naturā. Et hæc est sententia Arist. 6. Ethic. c. 2. asserentis, appetitum nihil prosequi vel fugere, nisi quod in cognitione fuerit per modū affirmationis, vel negationis. Et 2. de anima. c. 3. tex. 27. & 28. & 7. Ethic. c. 11. & 12. dicit, quòd Voluntas, aut dolor, non est sine perceptione iocundi, vel molesti. Idem dicit Augustinus 8. de Trinitate. c. 4. & lib. 10. c. 1. dicens nullo modo posse amari ignotum, licēt possit sciri quod non diligitur. Ex quo ortū habuit illud dictum, Nihil volitū, quin precognitū. Vnde ad rationē secundę sententiæ (quæ etiam manet destructa cum prima sententia per hanc conclusionem) respōdetur, non dari processum in infinitū; quia, vt supra diximus, etiam ad primā volitionem præcedit cognitio, quam vtique non præcesserit volitio, sed ex applicatione Authoris naturæ est habita.

D. Thom. *Arist.* *D. Aug.*

Secunda conclusio. Cognitio quæ debet præcedere ad volitionē, non sufficit tantùm esse habitualem, sed requiritur actualis siue formalis, siue virtualis. Hæc ponitur cōtra tertiā sententiam, optimè tamē illā probat Scotus in 2. dist. 42. q. 1. §. sed contra omnes, hac ratione. Nam si sufficit cognitio habitualis, sequitur, q etiam in dormientibus possit esse vsus libertatis; quia in illis est cognitio habitualis; non enim habitus & scientiæ somno perduntur: hoc autē est falsum: ergo. Secundò probatur, Quoniā ex hoc nō magis Voluntas ferretur in vnū, quàm in alterū bonum; quia si solùm precedit cognitio habitualis, non magis determinatur ad hoc, quàm ad illud; quia habitus est indifferens ad plura: requiritur ergo cognitio actualis huius determinatè, vt potiùs in hoc, quàm in aliud tendat Voluntas ex determinatione talis cognitionis.

2. Concl. *Scotus.*

Tertia conclusio. Etiā stando in ordine gratiæ secundùm legem ordinariā & de facto

2. Concl.

de facto, quantumcunque aliquis raptũ, vel extasim patiatur, falsum est esse actũ amoris sine præuia cognitione.

Not. Pro intelligentia huius est priùs notã dum, quod modis accipiatur extasis. Primò accipitur pro quodam metu & pauore. Sic explicat D. Hieronym. illud Psalmi 30. Ego dixi in excessu mentis meæ, &c. in ingẽti metu, & pauore animi. Secũdò pro amẽtia, istæ tamen acceptiones sunt impropriè. Propriè verò iuxta sanctorũ Patrum doctrinã Extasis significat excessum quendã mẽtis, quo Intellectus alienatur & distrahitur ab obiectis, in quę secundùm suam naturam tendebat, vt attendat ad illa quæ sunt præter eius naturam. Vnde videtur idem extasis, quod raptus, licèt aliqualem differentiam assignet D. Thom. 2.2. quæst. 175. art. 2. ad primũ, dicens, quòd extasis importat simpliciter excessum à seipso supra propriã naturam: Raptus autem superaddit violentiam. Ex quo infert, quòd raptus formaliter non est in Voluntate, sed in Intellectu; quia cùm Voluntas respiciat bonũ, ad quodcũq; feratur, per se mouetur, & ad nullum bonum rapitur, vnde suprà diximus, violentari non posse. Reperitur autem in Voluntate raptus vel extasis causaliter; quatenus aliquãdo ex vehementia amoris mens extra se fertur ad considerationẽ eorum quæ pertinent ad rem amatam, & distrahatur à consideratione obiectorum sibi naturalium, & in altiora & diuina obiecta feratur; de quo vide D. Thom. infrà, q. 28. art. 3. qua ratione huiusmodi amor solet appellari feruens, per similitudinem ad feruorem aquæ, quæ ebulliendo extra egreditur.

D. Hiero. *D. Thom.*

Hoc suppositio, multis in locis probat D. Thom. extasim, vel raptum, esse non posse absque cognitione, vt infrà q. 28. art. 3. dicit, quòd extasis contingit secundùm vim apprehensiuam, & secundùm vim appetitiuam simul, & quòd amor facit meditari rem amatam. Et 2.2. q. 195. art. 1. dicit, raptum consistere in abstractione à sensibus diuina virtute facta; ita tamen, vt homo eleuetur ad supernaturalium cognitionem. Et artic. 3. ad primum, cùm numerasset tres modos raptus, in omnibus illis asserit inueniri contemplationem. Et solutione ad quartũ, optimè aduertit, signãter dixisse D. Paulum, non tantùm esse raptum vsque ad tertium cœlum, ratione scilicet contemplationis, sed etiam in paradisum, ratione scilicet delectationis consequentis; quia in raptu vtrunque interuenit, alterum ex parte Intellectus, & alterum ex parte Voluntatis. Idem D. August. 10. de Trinitate, per plura capita, & epistola 65. & super Psalm. 30. vbi agit de extasi & mentis excessu. Idem D. Anselmus, & Beda, & D. Thom. super illud secundæ ad Corinth. 5. Siue mẽte excedimus, Deo; siue sobrij sumus, vobis; dicunt, huiusmodi verba esse explicanda de cœlestium rerum amore, in quo non â contemplatione, sed à sensibus tantùm fit abstractio. Et D. Gregor. lib. 5. Moralium, cap. 21. & 22. cùm egisset de somno spirituali, postea cap. 23. concludit, quòd qui in diuina contemplatione proficit, videt aliqualiter eũ quẽ amat; nec enim posset eum tam ardenter diligere, nisi aliqualiter videret. Et D. Bernard. tractatu de gratia & libero arbitrio, dicit, Voluntatem semper habere Rationem comitẽ, & quasi pedisse quam. Et D. Ansel. super Matth. 17. loquens de Transfiguratione, dicit, quòd in somno spirituali licet mens dormiat per quietem à rebus sensibilibus, vigilat tamen per rerum diuinarum cognitionem, iuxta illud Cant. 5. Ego dormio, & cor meũ vigilat. Et Abulensis super caput 13. Genes. quæst. 356. & quæst. 400. dicit, in omni excessu mentis intercedere cognitionem. Et Albertus Magnus lib. de adhærendo Deo, cap 9. Idem etiam Henric. quodlibeto 1. q. 15. & Gabriel in 2. dist. 25. quæstio. vnica, art. 3. dub. 3. propositione 2 & 4. & reliqui omnes Scholastici vnanimi consensu hoc asserunt. Ratione ergo probatur conclusio, quia de facto, etiam in perfectissimis, & valde spiritualibus, etiam Angelis, dum in via steterunt, omnes asserunt habuisse perfectissimam cognitionem. Sponsa etiam quando Cantic. 5. per diuinæ quietis amorem dormiebat, cor eius in altissima contemplatione vigilabat. Et Dauid Psalm. 28. dicebat: In meditatione mea exardescet ignis. Et Diuus Paulus in terram prostratus, sensuumque minesterio destitutus, semper habuit intellectualem cognitionem, iuxta sententiam D. August. in Psalm. 77. ibi: Beniam in adolescentulus in mentis excessu. Si ergo præstantissimi amatores non habuerunt amorẽ absque cognitione, signũ est, nulli Sãcto

D. Aug. *D. Anselm.* *Beda.* *D. Greg.* *D. Bernar.* *D. Anselm.* *Cant. 5.* *Abulens.* *Alb. Mag.* *Henric.* *Gabriel.* *Cant. 5.* *Psal. 28.* *D. Paul.* *D. Aug.*

rum de facto huiusmodi amorem fuisse communicatum, & consequenter hoc non pertinere ad legem communem & ordinariam gratiæ; quia aliàs alicui fuisset concessum. Nec potest dici; experientiam esse contrariam; nam ab eo qui sic dicit expertum fuisse; interrogo, an recordetur se habuisse amorem absq; cognitione, vel non. Si secundum, quo modò hoc refert. Si primum, impossibile est quod affirmat: quomodo ergo potest recordari se dilexisse Deum quē non cognouit? reminiscentia enim non est nisi eius quod quis quandoque cognouit: sed non potest quis cognoscere quòd Deum dilexit, nisi simul cognouerit ipsum. Secundò probatur. Secundùm doctrinam omnium Sanctorum, amor Charitatis, siue in Via, siue in Patria, sequitur cognitionem: ergo oppositum non pertinet ad legem gratiæ. Patet consequētia, nam aliàs magnis amicis, maximè in Patria, hoc Deus communicaret, & Christus Dominus, & Beata Virgo, in quibus tanta est charitas, & supremus amor, nō præcederet in eis cognitio. Antecedens probatur. In *V*ia Charitatem præcedit cognitio Fidei, & in Patria, clara Dei visio; qua propter, vt videre est in D. Thom. 2. 2. quæstio. 17. artic. 7. probari solet, Fidem esse priorem Spe, ordine generationis; quia ostendit Spei bonum, quod sperandum est: quod insinuatur ad Hebræ. 11. Accedentem ad Deum oportet credere, &c. Tertiò probatur. Nam si aliqua ratione ad augmentum amoris cessaret cognitio, maximè quia cognitio impediret intensionem amoris; hoc est falsum: ergo. Probatur minor, quia potiùs ad augmentum cognitionis augetur amor, vt patet in Patria; quia enim clarè vident, immobiliter, & intēsissimè per amorem adhærent. Si respondeatur, quòd attentio per Intellectum ne essatio debet minuere tendentiam Voluntatis & conatum illius: Contra, quia licèt daretur, ex attendentia Intellectus aliquantulum impediri conatum Voluntatis ex vna parte; ex alia tamen dicendum est absolutè amorem crescere, quia quo maior est cognitio, melius apparet voluntati vt bonum, & consequenter magis allicitur, & propensiùs tendit in illud; quod insinuatur Psalm. 38. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis; quasi dicat, quòd calor diuini amoris exiſtens in corde, ex mediatione exardescit, & ex calore fit ignis. Et si aliquando viri sancti in intensione amoris & extasis huiusmodi cognitionem non percipiunt, non est quia illam non habeant, sed quia ex feruore charitatis ad id non attendunt: sicut optimus Citharædus ad cognitionem præuiam musicę non attendit, licèt perfectissimam habeat; non enim ita perfectus esset in pulsatione, si ad cognitionem artis esset intentus.

D. Thom. *Solut.* *Impugn.* *Psal. 38.*

Vnde ad argumentum D. Bonauent. respondetur, quòd Dionysius tantùm intendit modum cognoscendi Deum in *V*ia per remotionem, & negationem imperfectionum creaturarum ab ipso; quod potius est intelligere quid non sit, quàm quid sit. Hanc ergo cognitionem per negationem, appellauit Dionys. ignorantiam, vt optimè Diuus Albertus, & D. Thom. 1. contra Gentes, cap. 14. explicat: vnde monet Timotheum, per ignorantiam amare, scilicet per cognitionem negatiuam ad Dei amorem ascendere.

Ad argum. D. Bonauē. *D. Dionys.* *D. Alber.* *D. Tho.*

Quarta conclusio. Etiam de potentia Dei absoluta dari non potest actus Voluntatis absque præuia cognitione. Hæc probatur ex præcedentibus propter necessariam connexionem & dependentiam vnius ab altero. Modo autem specialiter probatur. Primò à Diuo Anselmo in Monologio, cap. 48. nam in diuinis amor notionalis necessariò, & essentialiter supponit cognitionem notionalem; immo amor essentialis cognitionem essentialem: ergo inter vtrumque est necessaria connexio, etiam increatis, vt à Deo suppleri non possit. Antecedens patet, & adeò est verum, quia si per impossibile non procederet *V*erbum per cognitionem, nec etiam esset Spiritus sanctus. Nec valet, dicere, hoc esse materialiter; quia in diuinis sicut Spiritus sanctus est similis principio, licèt id non habeat essentialiter in quantum amor, contra, quia ex modo procedendi & ex vi processionis & formaliter, processio Spiritus sancti supponit processionem Filij: ergo amor in ratione amoris supponit cognitionem; quia aliàs id non haberet Spiritus sanctus ex vi processionis suæ. Secundò probatur, quia ideò Voluntas dicitur appetitus essentialiter, quia Voluntas essentialiter præ

4. *Concl.* *D. Anselm.* *Solut.* *Impugn.*

suppo-

D. Thom. ſupponit Intellectum, vt dicit D. Thom. 1. part. quæſtio 77. articul. 7. ergo etiam actus Voluntatis habebit eandē dependentiam ab actu Intellectus. Nec valet ſolutio, quòd inter potentias eſt eſſentialis ordo, non verò inter actus illarum: non (inquam) valet, quia ſubordinatio potentiarum eſt in ordine ad actus: ergo ſi ſublato Intellectu, nō manet Voluntas, ſimiliter ſublato actu Intellectus, nō manebit actus Voluntatis.

Solutio.

Impugatio.

Ad 1. argū. Ad primum argumentum cum ſua cōfirmatione reſpondetur, actum Voluntatis dependere ab Intellectu in genere cauſæ formalis, vt dictū eſt; non q̄ ſpecificatio ſumatur ab ipſa apprehēſione, ſed ab ipſo bono apprehēſo, apprehēſio autē habet ſe vt conditio ipſius ſpecificantis, ſic enim debet intelligi ſuprà dictum, quòd Intellectus concurrit ad ſpecificationem actus Voluntatis, nō quòd ſit forma ſpecificans, ſed conditio neceſſaria ex parte formæ ſpecificantis.

Ad 2. arg. Ad ſecundum reſpondetur, quòd licēt intellectio ſit tantùm conditio, eſt tamen conditio intrinſeca & in ſupplebilis; non enim eſt vt applicatio ad comburendum; vt enim diximus, intellectio eſt conditio ex parte ſpecificantis, quatenus ſine illa non intelligitur obiectum præſens Voluntati; quia præſentiam obiecti Voluntati non ſufficit eſſe realem, ſed requiritur intentionalis: hæc verò ſine cognitione non intelligitur. Nec mirum nec nouum eſſet, eſſe conditionem, & tamen in ſupplebilem, etiam per potentiam Dei abſolutā; nam ſingularitas & exiſtentia tantùm ſunt conditiones agentis ad agendum, & tamen impoſsibile eſt quòd aliquid operetur, niſi ſit ſingulare & exiſtens.

Ad 3. arg. Ad tertium reſpondetur, non eſſe eandem rationem de vtroque; nam obiectum Intellectus conſtituitur per ſpiritualitatem, & denudationem à materia; vnde ſi ſpecies ponitur, ideò eſt, vt obiectum in illa à materia denudetur, & ſpiritualizetur, & ſic fiat intelligibile in actu primo. Si autem obiectum ipſum ex ſe à materia ſit denudatum, & omnino ſpirituale, & intelligibile, quale eſt Deus, ſpecie nō indiget: obiectum verò Voluntatis non intelligitur approximatum nec proportionatum Voluntati per quamcunq; bonitatē, etiam infinitam à parte rei; quia, vt dictum eſt, proportio & approximatio debet eſſe intentionalis: vnde impoſsibile eſt, eſſe obiectum Voluntatis cognitione non interueniente: nec illā Deus poteſt ſupplere, quia cum eſſe apprehenſum, ſit quid vitale, neceſſariò à principio vitali debet eſſe, nec à Deo poteſt fieri immediatè, vt ſuprâ docuimus.

Adconfirm. Ad confirmationē patet ex dictis, quia licèt ratio eſſentialis obiecti Voluntatis ſit à parte rei; cōditio tamen neceſſaria & inſupplebilis tenet ſe ex parte Intellect⁹.

Ad quartum reſpondetur, quòd licèt Voluntas aliquando agat per modū naturæ, agit tamen per modū talis naturæ, ſcilicet volitiuę; cuius natura eſt nō operari niſi præuia cognitione, quia, vt dictum eſt, eſt appetitus rationalis cognitionem præſupponens.

DVBIVM VLTIMVM.

Vtrûm id quod requiritur ad volitionem ex parte Intellectus, ſufficiat quòd ſit ſimplex apprehenſio boni, an verò requiratur iudiciū.

1. Arg. QVòd ſufficiat primū, probatur primò. Appetitus ſenſitiuus poteſt moueri ex ſola apprehenſione ſenſus: ergo appetitus rationalis ex ſola apprehenſione Intellectus. Conſequentia patet, nā eadem videtur cōparatio vtriuſq; appetitus ad ſenſum & Intellectū. Antecedens verò probatur, ex Ariſt. 2. de anima, tex. 1. vbi ait, eſſe quędā animalia imperfecta, ſolū Tactum habentia, quæ tamen lætantur ac triſtantur; qui vtiq, actus ſunt appetitus ſenſitiui, & tamen nullum habēt iudicium, cùm ſolū habeant ſenſum Tactus: ergo ad actus appetitus ſenſitiui nō requiritur iudicium, ſed ſufficit illa apprehenſio habita per Tactum.

2. Arg. Secundò arguitur. Pueri & amentes habent multa deſideria & appetitiones, ſine aliquo iudicio Rationis, cùm eius vſu careant: ergo ſufficit ſimplex apprehenſio ad eiuſmodi motus Voluntatis. Item *Confirm. 1.* confirmatur in motibus primoprimis, in quibus mouetur Voluntas, non ex iudicio Rationis; quoniā id circò appellantur primo primi; quoniā præueniūt iudiciū Rationis, & ideò excuſantur â culpa. Itē *Confirm. 2.* cōfirmatur in citharędis & velociter ſcribentibus, in quibus non ad quēlibet ictū vel deſcriptionē literæ præcedit iudiciū;

aliàs enim non ita velociter exequerẽtur opus; & tamen voluntariè mouentur ad omnes illos actus: ergo nõ requiritur iudiciũ ad quamcumq; motionẽ Volũtatis.

3. *Arg.* Tertiò aguitur. Vt Voluntas moueatur, sufficit ei præsentari proprium obiectum, vt iam suprà diximus; habet enim in se virtutem sufficientem ad tendendum in obiectum sibi præsens: sed per simplicem apprehensionem sufficienter sibi præsentatur: ergo illa sufficit ad mouendum Voluntatem. Minor probatur, quia ita coniunctus est Voluntati Intellectus simpliciter apprehendens; sicut Intellectus iudicans: ergo ita præsens est Voluntati id quod simpliciter apprehenditur, sicut quod iudicatur.

4. *Arg.* Quartò arguitur. Homo potest cessare ab actu appetendi, absq; iudicio Rationis: ergo etiam potest habere actum absque tali iudicio. Cõsequentia patet, quia cõtrariorũ eadẽ est ratio. Antecedens verò probatur, quia non quotiescunq; cessamus ab actu, volum⁹ ab eo cessare; aliàs enim esset processus in infinitum: si enim ad cessandũ ab hoc actu, requiritur alius actus, & iudicium Rationis, etiam ad cessandũ ab hoc iudicio requireretur alius actus, & aliud iudicium, & sic in infinitũ: ne ergo detur talis processus, peterit quis cessare sine tali iudicio Rationis.

5. *Arg.* Vltimò arguitur per aliud extremũ, ex D. Thom. in 2. dist. 24. q. 3. art. 1. vbi ait, esse in homine aliquem appetitũ, quẽ nõ imaginatio gignit, sed sola naturaliũ qualitatũ dispositio: ergo nõ tãtùm non requiritur iudicium, sed nec apprehẽsio.

Propter hæc argumenta tenet hanc sententiam

Senten. *Marsil.* Marsil. in 2. quæst. 16. art. 1. quem multi alij sequuntur. Ita etiam

Scotus. *Gabriel.* *Maior.* *Holcoth.* *Vazquez.* Scotus 2. d. 6. q. 1. §. ad argumenta, & cum illo Gabriel 2. d. 6. quæst. 1. art. 3. dub. 2. & alij Nominales, vt Maior. q. 1. in fine quæstionis. Holcot. 1. p. q. 3. & istos sequitur Vazquez disp. 44. cap. 2. dicens, quòd licèt respectu aliquorum actuum, requiratur iudicium, vt respectu electionis; tamen respectu aliorum sufficit simplex apprehensio.

Not.1. Pro intelligentia tamen notandũ. Primò, quòd in præsenti; nomine iudicij nõ intelligitur enuntiatio iudicatiua, sed accipitur pro æstimatione alicuius rei sub ratione conuenientis, vel disconuenientis, siue hoc sit simplex, siue compositũ; aliâs enim cùm in brutis non recipiantur propositiones iudicatiuæ, non possent moueri ad prosequendum bonum, si talia iudicia requirerentur. Item non sumitur iudicium pro sententia ex deliberatione & consultatione resultante, qualiter sumitur. 1. ad Timoth. 5. dum dicitur; Nihil sine præiudicio facias, id est sine pręuio iudicio, & maturo consilio: sed, vt est dictum, sumitur pro ęstimatione conuenientis, vel disconuenientis; siue talis ęstimatio sit deliberata, siue subita & perturbata.

Not.2. Secundò notandum, quòd iudiciũ est duplex aliud speculatiuum, quo de rei quidditati absolutè iudicatur; vt bonum esse ieiunare, iustà agere, & similia in cõmuni; aliud verò est iudicium practicũ, quo iudicatur de conuenientia rei cum ordine ad operationem hìc & nunc.

Concl. Conclusio est. Simplex boni apprehẽsio non sufficit ad mouendũ Voluntatẽ, nec etiã iudiciũ speculatiuum, sed requiritur iudiciũ practicũ. Hæc videtur clarè

D. Thom. *Arist.* *Lorca.* *Belar.* D. Tho. hic ad 2. & Arist. 2. de anima. c. vltimo & lib. 3. c. 1. textu 134. Illam tenent Thomistæ hic, & Lorca disp. 10. & Belarminus lib. 3. de libero arbitrio. c. 8. Probatur primò. Intellectus aut sensus, vt tantùm apprehendit, solùm habet habitudinem ad obiectum, & obiectum ad ipsam potentiam cognoscitiuã: ergo non dicit habitudinem ad appetitũ, ac proinde vt sic, non habet rationem mouentis, nec efficientis, nec finalis. Secundò probatur. Vt Volũtas feratur in bonũ, oportet illi esse præsens in ratione obiecti, sed hoc non fit per simplicem apprehensionem: ergo illa non sufficit ad volitionem. Maior patet, nam ex eo habitus existens in Intellectu, non terminat actum intelligendi; nisi per reflexionem supra ipsum, quia ante reflexionẽ licèt sit prę-sens Intellectui in ratione rei nõ tamẽ in ratione obiecti. Minor verò probatur, quia præsentare obiectũ Voluntatis, prę supponit apprehẽsionem illius; nõ enim præsentatur nisi bonum apprehensum: ergo non est idẽ apprehendere & præsentare, ac proinde per apprehensionẽ non fit prę-sens Voluntati bonũ in ratione boni. Tertiò probatur. Bruta ostẽsio sibi cibo & apprehẽso per potẽtiã cognoscitiuã, aliquãdo nõ mouẽtur ad illũ capiendũ, licèt fame laborent: ergo apprehẽsio sola non sufficit ad motionem appetitus.

D. Tho. Antecedens patet ex D. Tho. infrâ q. 40 art. 4.

art 4. dicente, desperationē esse in brutis; vnde videntes prędam qua indigent valde longè, non persequuntur eā, quia desperant; & tamen eā apprehendunt: ergo oportet obiectum apprehendi sub ratione conuenientis, & potentialis, nec sufficit simplex apprehensio. Quartò probatur. Per simplicē apprehensionē non determinatur Voluntas magis ad agendū nūc, quàm alio tēpore, vel hic quàm alio loco: ergo simplex apprehensio non sufficit. Cōsequentia patet, nā actio in singulari tēpore, & loco debet fieri; vnde illam determinationē requirit. Antecedēs verò probatur, quia potest Intellectus apprehendere bonum sine huiusmodi circunstantijs an expediat hic & nunc, ac per consequens apprehensio erit indifferēs. Confirmatur, quia vt volitio fiat hic & nunc, requirit quòd apprehendatur esse conueniens hic & nunc fieri: talis autem apprehensio non est simplex, sed quædā extimatio conuenientiæ, quam diximus esse iudiciū: ergo illud est necessarium. Vltimò probatur, quia aliàs omnia æqualiter appeterentur, cùm omnia possint simpliciter apprehendi sub ratione boni. Item sequitur, quòd miseria possit appeti, cùm possit apprehendi vt bona, licèt non iudicari vt bona. *Not.* Notandum tamen, quòd in iudicio Intellectus dupliciter potest esse praxis. Primò in ordine ad obiectum volitum; secundò in ordine ad ipsam volitionem, prout talis actus Intellectus habet efficaciam mouendi hic & nunc Voluntatem ad operandum, ex apprehēsione cōuenientiæ ipsius operationis. Dicimus ergo contra Lorcam hic, ad quācunq; operationem *V*oluntatis non sufficere iudicium speculatiuum, siue sit actus Voluntatis circa Deum in Patria, siue circa creaturam; sed necessariò requiri iudicium practicū, siue praxi circa obiectū, siue circa ipsam operationem. Quando non versatur circa obiectum non operabile à nobis, vt circa Deum, est iudicium practicum praxi circa operationem. Quādo verò versatur circa obiectū operabile modo operabili, tendendo ad exequutionem eius, tūc iudicium habet praxim vtroque modo, & circa operationem vt exerceatur, & circa obiectū practicè tendit vt acquiratur.

Corol. Ferrar. Ex dictis in hac conclusione sequitur, falsam esse etiā sententiā Ferrariæ 7 cōtra Gent. c. 102. in fine commenti, vbi ait, q Voluntas dupliciter potest considerari moueri ab Intellectu. Primò potest moueri ad amandū vel quærendū bonum. Secundò adquiescendum in illo. Dicit ergo, quòd ad primū requiritur iudiciū practicum, & existimatio conuenientiæ; ad secundum autem sufficit adeptio boni, & cognitio simplex adeptionis illius. Et videtur sibi colligere ex D. Thom. infrà q. 32. art. 1. dicente, quòd ad delectationem appetitus ista duo prædicta sufficiunt. Et si contra obijcias ex D. Tho. hic ad secundū, vbi expresse ait, quòd Intellectus speculatiuus non mouet Voluntatē, sed practicus; Respondetur per distinctionē datam, quòd loquatur primo modo, non secundo quantū ad consequutionem, nō quantū ad quietem in bono adepto perfruitionem, vel delectationē. *Obiectio.* *Solutio.* Hęc tamen sententia expresse est cōtra D. Tho. hic, & Arist. 3. de anima, tex. 154. qui sine ali qua distinctione absolutè & doctrinaliter docent, quòd ad æstimationem, & nō ad phantasiam sequitur appetitus sensitiuus, & similiter ad Intellectum practicū & non speculatiuū sequitur appetitus rationalis. Videatur etiam D. Thom. super Aristot. loco citato, dicens, quòd quando opinamur (scilicet existimam⁹) aliquod terribile, statim cōpatimur. Cōpatimur (inquit) vel timendo, vel tristādo; & quādo practicè iudicamus bonū, cōfidimus. Cōfidimus (inquit) vel per desideriū, vel per gaudiū. Ecce qualiter D. Tho. ad tristitiā, quę est de malo prę senti & ad gaudiū quod est de bono prę senti adepto, ponit necessariā apprehēsionē practicā boni vel mali, non minus quàm ad desideriū vel timorem, quæ sunt de futuris; eadem enim videtur ratio; immò cùm delectatio boni possessi, sit prę stantior, melius videtur requirere ex parte Intellectus existimationem cōuenientiæ boni possessi; & experientia id constat; non enim quis gaudet de dignitate vel honore adepto, licèt cognoscat adeptionem illius, nisi apprehendat illud vt sibi conueniens, & sic proponatur Voluntati; quia obiectū formale delectationis est bonū coniunctū & conueniens, vt infrà docet D. Tho. q. 33. art. 1. Hæc autē coniunctio boni ad Volūtatē, non fit nisi per Intellectū practicū, quia speculatiuus non extenditur ad Volūtatem; quia Intellectus per extensionē fit practicus: quæ doctrina etiam colligitur ex D. Tho. 1. 2. quæst. 180. art. 7. quæ *D. Thom.* *D. Thom. Arist.* *D. Thom.*

etiam

etiam habet verũ in patria: non enim delectatio beatorum consequitur ad visionem vt speculatiua est, sed vt practica, & vt extenditur ad Voluntatem, vt supra diximus. Vtrùm autem prẽter iudicium practicum requiratur etiam imperium ex parte Intellectus, vt Voluntas operetur, manet sub lite; aliqui enim tenẽt partem affirmatiuam. Deueniẽdo autem ad primũ imperium, à quo ipsi dicunt quòd procedit prima volitio, dicunt, quòd inter tale imperium & primam volitionem est mutua dependentia in diuerso genere causæ. In genere efficientis, imperium dependet à Volitione: in genere autem causæ formalis, volitio ab imperio. Sed certè hæc doctrina male capitur; nam imperium licèt ex his quæ habet ab Intellectu, solùm concurrat formaliter, ex eo tamen quòd participat à Voluntate, qua ratione habet vim imperandi, concurrit efficienter, vt supra diximus: vnde tollere ab illo concursum effectiuum est tollere rationem imperij; vnde impossibile est quòd sit imperium respectu primæ volitionis, à qua primum imperiũ habet virtutem effectiuam. Vnde meliùs dicitur iuxta supra dicta, quòd primum imperium nõ mouet ad primam volitionem, sed potiùs à prima volitione habet efficatiam mouendi ad secundam. Illa autem prima volitio cùm sit naturalis, procedit à iudicio practico, sine imperio: est enim determinatio Authoris naturæ, vt solo ostenso practicè sibi bono, prorumpat in actum naturalem. Et idem dicendum est de quocunque actu Voluntatis non libero, sed naturali, & necessario. Ad act' verò subsequentes liberos cùm debeat à se ipsa moueri Voluntas, requiritur etiã imperium Intellectus mouens Voluntatem ex virtute radicata in ipsa Voluntate. Tandem nontandnm, non bene intulisse Magistrum Medinam solutione ad vltimum, in Angelo fuisse errorem practicum in Intellectu ad peccatum illius, iuxta illud Prouerbiorum 14. Errãt qui operantur malum; licèt asserat, quòd talis error non præcesserit peccatum, sed pertinebat ad ipsum peccatum. Sicut quando furatur homo, error practicus pertinet ad ipsum peccatum furti, & non est nouũ peccatum. Ista tamen sententia est contra D. Thom. 1.p.q.73.art.1.ad 4. asserentẽ, peccatum Angelorum non processisse ex errore vel ignorãtia, sed ex inconsideratione eorum quæ considerandа erant. Immô & q.94.art.4. non admittit errorem ante peccatum in primis parentibus. Et certè si cum Magistro Medina poneretur error in eodem instanti peccati Angelorum, illud peccatũ processisset ex illo errore, contra D. Tho. id enim in exẽplo furti fit manifestũ: licèt enim ille error non sit nouum peccatum; tamen peccatũ furti ex illo errore procedit. Si respondeatur pro Magistro Medina, q̃ ille error licèt fuerit concomittanter ad peccatum, non tamen causa illius, vt probatur ex D. Tho. sed potius fuit pœna, & effectus: Contra, quia hoc alienum est à Magistro Medina, vt patet in exemplo furti allato ab illo; ille enim error non est effectus, sed causa furti: ergo intendit idẽ de errore Angelico. Item quia tenet suã sententiam propter locum adductũ Prouerbiorum; in illo autem loco intẽditur, quòd peccatum ex errore procedat, & q̃ error moueat Voluntatem vt cadat: si ergo intendit id contingere in Angelis, intendit, peccatum illorum ex errore processisse. Tandem quia si ponitur error simul cum peccato, debet assignari ordo inter vtrunque, vel quòd natura præcedat error vt causa, & hoc erit contra D. Tho. vel quòd natura subsequatur vt effectus & pœna: & hoc iam non est ponere errorem formaliter simul cum peccato Angelorum, sed posteriùs, quod etiam concedit D, Tho. Ad locum autem Prouerbiorum respondetur ex D. Thom. 1.p.q.77. quòd intelligitur de ignorantia quadam electionis, quæ voluntaria est, & potest esse per quandã inconsiderationẽ, & defectum inspectionis eorũ quæ agenda & considerandа erant; non autẽ intelligitur solùm de errore practico positiuo; fuit ergo in Angelis primum, non tamen secũdum; quia & in hominibus id potest contingeere; vt cùm quis eligit orare, non attendens sua culpa ad ordinem ab Ecclesia institutum; iste enim peccaret, nõ ex errore practico positiuo, sed ex priuatione considerationis debitæ.

Vlt. Not. Impugn. Medina. *Prouerb. 14* *D. Thom.* *Solutio:* *Impugn.* *D. Thom.*

Ad primum argumentum à principio respondetur, quòd illa animalia habent imperfecta iudicia, sicut & imperfectam phantasiam; non autem carent omnino æstimatione boni & mali. *Ad 1. arg.*

Ad secũdũ respõdetur similiter, quòd licèt amentes non habeant iudicia ex deliberatione, & consultatione præcedentia, *Ad 2. arg.*

tia, habent tamen quædam subita & indeliberata, quæ ad motionem Voluntatis sufficiunt. Similiter dicitur, quòd in motibus subitis interueniunt iudicia subita, licèt aliqui asserant, ad eos propter sui imperfectionem sufficere apprehensionem simplicem boni vel mali. Similiter de velociter scribente vel pulsante dicitur interuenire iudicium, siue actuale, siue virtuale; quod sufficit.

Ad 3. arg. Ad tertiũ, iam dictum est, qualiter per apprehensionẽ nõ sufficiẽter repræsentatur, vel approximatur obiectũ Volũtati.

Ad 4. arg. Ad quartũ respõdetur, quòd licèt quis possit negatiue cessare ab actu sine iudicio conuenientiæ cessationis; vt cùm incipit habere oppositũ actum, vel somnum capit; tamen positiuè, & voluntarie cessare non potest nisi per actum formalẽ vel virtualẽ, quo vult cessare, ad quẽ vtiq; iudiciũ cõueniẽtiç cessationis requiritur.

Ad 5. arg. Ad vltimũ respondetur, quòd D. Tho. non negat iudicium etiã ad illos actus, sed tantũ intẽdit, quòd ex dispositione qualitatum multoties ita subitò rapitur, quòd etiã iudicio imperfecto præcedente, anteuertant deliberationem, ac proinde in illis non reperiatur peccatũ. Et alij explicãt, quòd loquatur de appetitu negatiuç, vt fames, quę etiã sine iudicio habetur.

ARTICVLVS II.

Vtrũm Volũtas moueatur ab appetitu sensitiuo.

Infr. art. 5. cor. fin. & q. 10. art. 3. & q. 77. art. 1. & veri. q. 5 art. 10. corp. q. 22. art. 9. ad. 3. & 6. lib. 12. c. 16 circa mediũ tom. 3.

AD secũdum sic proceditur. *Videtur quòd Voluntas ab appetiu sensitiuo moueri non possit. Mouens enim & ages est præstantius patiente, vt* † *Aug. dicit 12. super Gen. ad literam; sed appetitus sensitiuus est inferior Voluntate, quæ est appetitus intellectiuus, sicut sensus est inferior Intellectu: ergo appetitus sensitiuus non mouet Intellectum.*

2. *Præterea. Nulla virtus particularis potest facere effectum vniuersalẽ: sed appetitus sensitiuus est virtus particularis, cõsequitur enim particularem sensus apprehensionem: ergo non potest causare motum Voluntatis qui est vniuersalis, velut cõsequens apprehensionem vniuersalem Intellectus.*

3. *Præterea. Vt probatur in* ✠ *Phy sic. mouens non mouetur ab eo quod mouet vt sit motio reciproca: sed voluntas mouet appetitum sensitiuum; in quantum appetitus sensitiuus obedit rationi: ergo appetitus sensitiuus non mouet Voluntatem.* *Text. 40. to. 2.*

Sed contra est quod dicitur Iacobi. 3. Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus: non autem abstraheretur quis à concupiscentia, nisi Voluntas eius moueretur ab appetitu sensitiuo, in quo appetitu est concupiscentia: ergo appetitus sensitiuus mouet Voluntatem. *ar. præced.

Respondeo dicendũ, quòd, sicut suprà dictum est, id quod apprehenditur sub ratione boni & conueniẽtis, mouet Voluntatem per modum obiecti: Quòd autem aliquid videatur bonũ & conueniens, ex duobus cõtingit, scilicet ex conditione eius quod proponitur, & eius cui proponitur; conueniens enim secundùm relationem dicitur; vnde ex vtroq; extremorum depẽdet. Et inde est, quòd iustus diuersimodè dispositus non eodẽ modo accipit aliquid vt conueniẽs, & vt non cõueniens. Vnde, vt Philosophus dicit in 3. ✠ *Ethicorum, Qualis vnusquisq; est, talis finis videtur ei. Manifestũ est autem, quòd secundũ passionem appetitus sensitiui immutatur homo ad aliquam dispositionem* *Tex. 4. to. 5*

tionem

tionem; vnde secundùm quòd homo est in passione aliqua, videtur sibi aliquid conueniens, quod non videtur ei extra passionem existenti; sicut irato videtur bonum quod nõ videtur quieto, & per hunc modũ ex parte obiecti appetitus sensitiuus mouet Voluntatem.

Ad primum ergo dicendum, quòd nihil probabet, id, quod est simpliciter & secundũ se præstantius, quoad aliquid esse debilius; Voluntas igitur simpliciter præstantior est quàm appetitus sensitiuus: sed quoad istũ in quo passio dominatur, in quantum subiacet passioni, præminet appetitus sensitiuus.

Ad secũdũ, dicendũ, quod actus & electiones hominum sunt circa singularia; vnde ex hoc ipso quod appetitus sensitiuus est virtus particularis, habet magnam virtutem ad hoc quòd per ipsum sic disponatur homo, vt ei aliquid videatur sic, vel aliter circa singularia.

Ad tertium, dicẽdum, quòd sicut Philosophus dicit in * 1. Polyt. Ratio in qua est Voluntas, mouet suo imperio irascibilem, & concupiscibilẽ, non quidem despotico principatu, sicut mouetur seruus à domino, sed principatu regali, seu polytico, sicut liberi homines reguntur à gubernante; qui tamen possunt contramouere. Vnde & irascibilis, & concupiscibilis possunt in contrarium mouere ad Voluntatẽ, & sic nihil prohibet, Voluntatem aliquando ab eis moueri.

Cap. 3. post med. to. 7.

Concl. Conclusio est quod voluntas mouetur ex parte obiecti ab appetitu sensitiuo.

DVBIVM I.

Vtrùm appetitus sensitiuus solùm moueat volũtatem ex parte obiecti, an verò etiam ex parte subiecti. Quod est querere, vtrũ non solũ moueat quoad specificationẽ, proponẽdo obiectũ, sed etiã quoad exercitiũ, impellendo efficienter.

PRobatur quòd etiam efficienter. Primò ex locis sacræ Scripturæ, in quib⁹ dicitur, quòd appetitus captiuat, & trahit Voluntatẽ, vt ad Galat. 5. & ad Rom. 7. Sẽtio aliam legem in membris meis repugnantẽ legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati. Et Iacobi. 3. Vnusquisque tentatur à propria concupiscentia abstractus & illectus; quę loquutiones efficientiam significant ex parte appetitus circa Voluntatem. 1. Argum.

Secundò arguitur ex D. Tho. qui multis locis id videtur insinuare, infra q. 77. art. 1. & q. 26. de veritate art. 7. & 1. p. q. 111. art. 2. vbi postquàm dixerat, quòd Voluntas â solo Deo mouetur, tanquàm ab interiori principio, dicit, quòd ab exteriori principio mouetur dupliciter; cuius hæc sunt verba. Alio modo mouetur Voluntas ab exteriori principio; & hoc quidem in Angelis est tantùm vno modo, scilicet à bono apprehenso per Intellectum. Sed præter hunc modum etiam aliter mouetur in hominibus Voluntas ab exteriori principio, scilicet ex passione existẽte in appetitu sensitiuo; sicut cõcupiscentia vel ira inclinatur Voluntas ad aliquid volendum. Ecce qualiter D. Thom. pręter modum mouẽdi quem habet ex parte obiecti, dicit esse alium quẽ habet appetitus, qui esse non potest nisi modus mouendi efficienter: quæ clariùs videtur docere q. 25. de veritate. art. 6. & 7. vbi ponit duos modos quibus appetitus sensitiuus mouet Voluntatem. Primum ex parte obiecti; secũdum verò ex parte subiecti; ratione cõnexionis & colligationis inter has duas potentias. 2. Arg.

Tertiò arguitur. Appetitus sensitiuus mouet Voluntatem sine iudicio sensus: ergo potest mouere sine iudicio Intellectus. Cõsequentia patet, quia cùm appetitus reguletur, & sequatur iudicium sensus, si sine illo potest mouere Voluntatẽ, 3. Arg.

melius

melius poterit sine iudicio Intellectus, à quo sensus nec dependet, nec regulatur. Antecedēs verò probatur, quia multoties mouetur Voluntas à passione appetitus sensitiui ad blasphemandum contra Deū, vel è contra ad diligendū Deū, vel dolendū de peccatis: quod tamen fieri non potest media cognitione sensitiua; quia sensus nō potest Deum cognoscere.

4. *Arg.* Quarto arguitur, quia experientia patet, quòd multoties ex passione appetit⁹ sensitiui subitò rapitur Voluntas ad appetendum sine aliquo iudicio conuenientiæ; immò multoties existente iudicio cōtrario: ergo tunc sicut in casu præcedentis argumenti appetitus mouet Voluntatem efficienter, quia mouere tātum ex parte obiecti, est mouere per cognitionem, proponendo obiectum: si ergo multoties mouet sine iuditio & cognitione,

5. *Arg.* efficienter mouebit.

Quintò arguitur, quia ex oppositā sententia sequitur, quod habitus continētiæ (verbi gratia) non sit ponēdus in Voluntate, sed in Intellectu consequens est falsum, & contra D. Thom. infrà q. 58. art. 3. ad 1. & 2. 2. q. 155. art. 3. Sequella verò probatur, nam talis habitus ponitur in potentia in qua est difficultas ad resistendum passionibus; sed si appetitus non potest mouere Voluntatem efficienter, sed tantùm obiectiuè per iudicium, tota difficultas erit in eo, quòd iudicet, vel non, esse conueniens vt Voluntas consentiat, vel non consentiat: ergo in Intellectu ponendus erit habitus vt bene iudicet, & sic difficultas auferatur.

6. *Arg.* Sextò arguitur. Nulla est repugnantia vt intelligamus quòd Voluntas inclinatur à passione appetitus sine media cognitione: ergo tunc mouebitur efficiēter ab illa. Probatur antecedens, quia Voluntas potest moueri ab habitu existente in illa, sine eo quòd interueniat cognitio; vt quando cætera sunt paria ex parte cognitionis & iudicij, qui habet habitum in Voluntate, magis inclinatur, quàm qui non habet: ergo similiter de passione appetitus, etiam si cætera sint paria ex parte Intellectus, qui habet passionem, magis inclinabitur; & tunc illa maior inclinatio vel motio non erit tātùm obiectiuè, cùm ex parte obiecti non sit inæqualitas, sed erit effectiuè ex passione imprllente.

7. *Arg.* Septimò arguitur. Appetitus sensitiuus est inclinatio & impulsus in bonum sensibile: ergo mouet per modum impulsus, & consequenter non tantùm ex parte obiecti. Patet consequentia, quia motio ex parte obiecti non est per impulsum, sed per apprehensionē. Antecedns probatur, quoniā sic se habet appetitus sensitiuus ad bonū sensibile, sicut Voluntas ad bonū rationis; sed Voluntas est inclinatio in bonū rationis: ergo appetitus est inclinatio in bonum sensus: vt ergo Voluntas cùm mouet, mouet inclinando, sic etiam appetitus sensitiuus.

8. *Argū.* Octauo arguitur. Appetitus mouet mediantibus suis passionibus; sed illæ non se tenent ex parte Intellectus: ergo nec ex parte obiecti; & consequenter nec mouent ex parte obiecti: Minor probatur, quoniam passiones sunt actus potentiæ appetitiuę: ergo non possunt se tenere ex parte Intellectus, qui est potentia apprehensiua, potentiæ enim apprehensiuæ distinguuntur ab appetitu.

9. *Arg.* Nono arguitur. Voluntas mouet appetitum sensitiuum per redundantiam, qui est quidam modus impulsus, & efficientiæ, ex eo quòd Voluntas est radicata in eadem essentia animæ, in qua est appetitus: ergo eadem ratione appetitus poterit mouere Voluntatem per redundantiam, quando passio fuerit vehemens ratione eiusdem radicationis.

10. *Arg.* Vltimò arguitur. Si sint duo homines habentes æqualia iudicia de conuenientia vindictæ, quorum vnus sit valde affectus ira, alius verò non ita; primus magis mouebitur ad vindictam, quàm alius: ergo appetitus impulit Volūtatem illius. Antecedens patet experientia. Cōsequētia verò probatur, quoniā illa maior motio Voluntatis nō potest tribui obiecto, cùm supponatur esse æqualia iudicia: ergo tribuenda est appetitui sensitiuo.

In hac re notandū, quòd hic aliud supponitur, & aliud quæritur. Suppōnitur quòd appetitus mouet voluntatē, quod quidem est compertum apud omnes, & insinuatur loco allegato ad hom. 7. vt explicat August. 5. contra Iulianum, cap. 5 *D. Aug.* & D. Clemens 2. Stromatum, & hoc omnes experientia comperimus: quæritur autem de modo quo appetitus moueat Voluntatem. *D. Clemens*

Pro intelligentia huius supponendū, *Not.* quòd tripliciter potest intelligi quòd appetitus moueat Voluntatem, sicut & tripliciter

pliciter potest Voluntas mouere appetitũ. Primo modo ex parte obiecti, proponendo aut causando quòd sic, vel sic proponatur, immutãdo phantasmata, vel mouendo imaginatiuã, vt repręsentet appetitui id quod Voluntas vult. Verbi gratia, vult dolere de peccatis; cõsiderat pœnas inferni mouendo Intellectũ, & simul imaginatiuã, vnde cõmouetur ipse appetitus sensitiuus; & hæc quidem motio est quoad specificationẽ mediatè; nã immediatè ex parte Voluntatis nõ est nisi motio quo ad exercitiũ: mouet enim Voluntas Intellectum, & imaginationẽ ad exercitium, & ex ipsa imaginatione mouetur appetitus quantum ad specificationem; vnde non videtur ita philosophicè dictũ, quòd Voluntas moueat alias potẽtias ad specificationẽ, sed quo ad exercitiũ principaliter & immediatè; aliqualiter autem & mediatè potest dici quòd moueat appetitũ ad specificationẽ, quatenus mouẽdo ad exercitium imaginatiuã, ipsa imaginatiua concurrit ad specificationẽ appetitus sensitiui, proponendo illi obiectũ, secundo modo voluntas mouet appetitum inferiorem, quantum ad exercitium, imperando quòd appetat, sicut imperat alijs potentijs omnibus vt exerceant suos actus, videlicet cõmouendo, & concitando affectionẽ conuenientẽ in ipso appetitu; sicut dicit Arist. quòd vir fortis concitat iram in appetitu sensitiuo, vt vehementius aggrediatur pericula belli; & mulierecula (Vulgo *hazañera*) cui placet mors viri, per imperium Voluntatis concitat dolorem ad experimendas lachrymas. *Arist.*

Tertio modo Voluntas mouet appetitum per quandam concomitantiam, & redundantiam ex colligatione naturali quæ est inter has secundas potẽtias. Verbi gratia, ex eo quòd aliquis per Voluntatem vult ardenter vindictam de hoste, ipse appetitus continuò habet eandã appetitionem; nõ quia Voluntas id semper imperet aut concitet, sed quia appetitus naturaliter concomitatur sociam suam Voluntatem in suis volitionibus intensis, præsertim quando appetitio Voluntatis non est in re aduersa & cõtraria quæ litati appetitus sensitiui. Vbi notãdum, quòd per ly Radicari in eadem anima, non intelligitur idem quod subiectiuè in esse, sed habere originem ab illa, velut à fonte, & ab illa in suis operationibus dependere: Potentiæ enim corporeæ non subiectantur in anima, sed in corpore: ex quo fit, vt omnes potentiæ applicentur ab anima ad suas operationes, & cum anima sit finitæ virtutis, & de ratione finiti sit, vt per diuisionẽ minuatur, ideò quo fuerit vehementiùs applicata virtus animæ ad plures potentias, eo sit minor in applicatione singularum; & quo intensius fuerit applicata vni, eo remissiùs se habeat in applicatione alterius. Ex his ergo tribus modis, quibus voluntas mouet appetitum sensitiuum, possumus viceuersa inuestigare, vtrùm appetitus sensitiuus eisdem modis moueat etiam ipsam Voluntatem. Et de primo modo non est difficultas; probatur enim in articulo, quòd moueat Voluntatem ex parte obiecti specificatiuè, faciendo quòd obiectũ ipsius Voluntatis iudicetur per Intellectum magis conueniens & bonum vnde allicitur & mouetur Voluntas. De secundo etiam modo certum etiam est quòd appetitus sensitiuus non mouet Voluntatem per imperium, quantum ad exercitium operis; nam appetitus sensitiuus est quædamuis animæ particularis, & materialis, cuius obiectum est bonum particulare sensibile, voluntas autem est quædam potentia animæ vniuersalis cuius obiectum est finis & bonum vniuersale, quod habet sub se omnes alios fines, & omnia alia bona aliarum potentiarum: igitur Voluntas non potest imperari, & moueri hoc secundo modo ab appetitu sensitiuo & corporeo, sicut Dux totius exercitus non habet imperari à Tribuno, cuius munus solùm est procurare bonum vnius aciei; sed potius Tribunus imperatur a Duce, cuius imperio subijcitur ex vi sui officij. De tertio ergo modo manet difficultas, vtrùm per coligationem, & coniunctionem vtriusque appetitus in anima, sensitiuus moueat Voluntatem ampliùs quàm ex parte obiecti, seruata libertate ipsius Voluntatis.

In hac re est prima sententia affirmatiua, quam tenet Medina hic; pro qua dicit tria. Primò, quòd appetitus sensitiuus aliquando mouet Intellectũ & Volũtatẽ, sine aliquo iudicio sensus. Secundò dicit, etiam Volũtatẽ mouere multoties appetitum sensitiuũ sine aliquo iudicio sensus, per solã connexionẽ & redundãtiã: itaq; ex eo q̃ in volũtate sit gaudium mag- *1. Sententia Medinæ.*

magnum, vel tristitia, redundat ad appetitum sensitiuum, sine aliquo medio iudicio sensus. Tertio dicit, quod etiam appetitus sensitiuus aliquando mouet Voluntatem sine aliquo iudicio Intellectus, ac per consequēs sine omni prorsus iudicio, siue sensus, siue Intellectus, potest mouere Voluntatem: nihilominus tamen hoc non facit sine motione Intellectus; mouet enim Voluntatem per imperium Intellectus, etiāsi Intellectus nihil iudicauerit de obiecto ad quod mouetur Voluntas. Hanc etiam sententiam sequitur Salas hic, tractat. 5. disp. 1. sect. 4. & Valentia quæst. 4. puncto. 3.

Salas. *Valentia.* *2. Sent.* *Caiet.*

Secunda sentētia negatiua, est communis Thomistarum. Illam tenet Caiet. hic, & infrà, quæst. 77. art. 1. & 1. part. quæst. 111. art. 2. & super istum articulum solet referri Magister Victoria pro eadem sententia, & Magist. Soto defendit vtramque problematicè, asserit tamen, istam esse magis ad mentem D. Thom. & Lorca hic disput. 12. & Vazquez disput. 37. cap. 2.

Vict. *Soto.* *Lorca.* *Vaz quez.*

Prima Conclusio. Appetitus sensitiuus non potest mouere Voluntatem nisi medio iudicio sensus. Hæc videtur expressa D. Thom. 1. part. quæst. 84. art. 7. ex quo sumitur hoc argumentum: nam, vt statim dicemus Voluntas non potest moueri nisi medio iudicio Intellectus: sed cognitio Intellectus dependet à iudicio sensus: ergo, de primo ad vltimum, motio Voluntatis ab appetitu, non potest esse nisi medio iudicio sensus. Minor probatur ex illo axiomate Arist. 3. de anima, cap. 7. Oportet intelligentem phantasmata speculari; cuius sensus est, cognitionem semper necessariò præsupponere speciem sensitiuā, ex qua species intelligibilis causetur: vnde si ad speciem intelligibilem species sensitiua præsupponitur, ita & ad cognitionē intelligibilem præsupponitur cognitio sensitiua; quia species sensitiua præsuppositа non minus causat cognitionem sensitiuā insensu, quàm species intelligibilis cognitionem intelligibilem in Intellectu: cuius signa manifesta sunt (inquit D. Thom.) quòd læsa phantasia, aut impedita personum læditur etiam aut impeditur operatio Intellectus. Item cū rem aliquam volumus perfectè intelligere, conamur formare in imaginatione similitudinem eius sensibilium. Item etiam, quæ quis docet, per sensibilem exempla solet explicare. Vnde manifestè colligitur, quòd cognitio intelligibilis à sensitiua dependet, & consequenter si appetitus non mouet Voluntatem nisi media cognitione Intellectus, cō sequenter nec sine cognitione sensus. Secundo probatur. Illa motio & passio appetitus sensitiui est actus illius: ergo non potest esse absque iudicio sensus præcedente. Patet consequētia, quia sicut actus Voluntatis necessario supponit actum Intellectus, ita & actus appetitus necessariò supponit actum cogitatiuæ: sic enim comparatur appetitus ad cogitatiuā, sicut Voluntas ad Intellectum: immò in hoc distinguuntur, vt suprà diximus, quòd appetitus sequitur apprehensionem sensus, sicut Voluntas apprehensionem illius.

D. Thom. *Arist.*

Secunda conclusio. Magis est impossibile quòd appetitus sensitiuus moueat Voluntatem sine cognitione intellectiua. Hæc etiam videtur expressa D. Tho. dum hic, & infrà quæst. 10. art. 3. docet, Voluntatē moueri ab appetitu ex parte obiecti, immutando iudicium Intellectus practici; quod iudicium Voluntas sequitur. Et quæstio. 22. de veritate, art. 9. ad 6. expressè asserit, quòd illud quod est inferius Voluntate, vt corpus, vel appetitus sensibilis, non immutat directe Voluntatem, directe in Voluntatem agendo, sed solùm ex parte obiecti: redditque huius rationē, quia obiectum Voluntatis est bonum apprehensum; quod tamen debet intelligi de apprehensione sibi proportionata, qualis est per Intellectum; hanc enim, vt diximus, sequitur Voluntas. Secundo probatur ex communi doctrina Theologorum, quòd in Volūtate nunquàm est peccatum ex passione, quin simul sit in Intellectu practico aliquis error, vt est videre apud Diuus Thom. & eius discipulos infrà quæst. 77. art. 2. ergo nunquàm Voluntas trahitur à passione nisi medio Intellectus: & hoc cōsonat suprà dictis, quòd Voluntas necessariò supponit cognitionem, vtique sibi proportionatā, qualis est Intellectus. Tertiò probatur. Quando Voluntas mouetur à passione, si actio Voluntatis est humana, simul debet esse deliberata, vt suprà dicit D. Thom. quæst. 1. art. 1. ad 2. sed actio deliberata debet procedere à Voluntate, præmissa deliberatione Rationis; quæ vtique consultationem & iudicium importat. Ad hæc argumenta respondet Media, sufficere ex parte Intellectus imperiū, non autē requiri iudicium: per hoc enim importat, vt sequatur Voluntas; non quia iudicet de conuenientia obiecti, sed quia

2. Concl. *D. Thom.* *D. Thom.* *D. Thom.* *Solutio Medinæ.*

dissimulat vel non considerat, & sic per redundantiam sequitur actus Voluntatis sine præuio iudicio Intellectus. Sed hęc doctrina pro libito est tradita, & est abuti nomine Imperij, appellando ipsum dissimulationē vel inconsiderationē, quæ potiùs sunt negationes actuum, quàm actus. Eo vel maximè, quòd implicatio est, ponere imperium sine præuio iudicio; nam vt infrà dicetur, q. 17. imperium sequitur ad iudicium & consilium de bono.

Impug.

3. Concl. Tertia conclusio. Similiter dicendū est è conuerso, quòd Voluntas nō potest mouere appetitum sensitiuum sine præuio iudicio Intellectus, nec sine præuio iudicio sensus; sed necessariò vtrumque iudicium debet interuenire, siue vt appetitus moueat Voluntatē, siue vt Voluntas moueat appetitum. Hæc patet ex præcedentibus; nam vt Voluntas moueat appetitum, vel è conuerso, requiritur actus vtriusque, & Voluntatis mouentis, & appetitus moti; vel appetitus mouentis, & Voluntatis mota; mouet enim per actum, & mouetur ad actum, sed sic est, quòd actus appetitus necessariò supponit apprehensionem sensus; & actus Voluntatis necessariò præsupponit apprehensionē Intellectus, quia, vt diximus, in hoc distinguuntur appetitus & Voluntas: ergo si quandocunq; mouet appetitus Voluntatem, vel è conuersos, simul est actus appetitus & Voluntatis, simul necessariò debet esse vtrumque iudicium, & sensus ad actum appetitus, & Intellectus ad actum Voluntatis.

4. Concl. Quarta conclusio Non solùm requiritur iudicium sensus & Intellectus, vt appetitus moueat Voluntatem, sed etiā quo intensior fuerit actus Volūtatis, eo requiritur iudicium maius; itaque iudicium & actus Voluntatis debent commensurari, & intantum magis appetit, in quātum magis iudicat de cōueniētia; vnde nulla prorsus est motio appetitus respectu Voluntatis, nec quantum ad substantiam & modū & intensionem actus Voluntatis, quæ nō fit medio iudicio. Hæc manifestè patet ex dictis; nam sic se habet simpliciter ad simpliciter, sicut magis ad magis: si ergo actus Volūtatis esse nō potest sine præuio iudicio cōueniētiæ, nec etiā maior & intēsior appetitio sine maiori iudicio cōueniētiæ.

5. Concl. Quinta conclusio. Quantū ad actus liberos Voluntatis tantū mouet appetitus sensitiuus ex parte obiectiper iudiciū, proponendo conuenientiā illius: quantū ad actus verò necessarios, in quibus Volūtas agit vt natura omnino determinata, probabiliter potest dici, quòd Voluntas, vltra quā ex parte obiecti moueatur per redundantiam ab appetitu sensitiuo. Prima pars probatur. Nam Voluntas in quantum libera, est superior, & domina & imperatrix omnium potentiarū, & consequenter primū efficiens, & primū applicans quoad exercitium respectu omniū potentiarum: ergo nullo modo potest moueri ab alia potentia inferiori; nisi tantum ex parte obiecti; nā si quæ alia esset motio, reduceretur ad efficientē & applicantē, & consequenter Voluntas non esset primū efficiens & applicans. Secunda verò pars probatur, quia Voluntas vt natura in actibus necessarijs non sic procedit vt domina, maiorēque conuenientiā habet cū appetitu sensitiuo, cū vt sic sit potentia naturalis, & determinata: ergo vt sic poterit rapi per redūdantiā à passione, vt sic veniat in obiectū concupitū ab appetitu sensitiuo: hic autē raptus non facit vt appetitus dicatur applicare vel mouere efficienter Voluntatem, nisi fortè imperfectissimo modo & reductiuè. Hanc autem motionem per redundantiam non ponimus sicut authores primæ sententiæ, quia, vt diximus in conclusionibus, nullo modo mouet appetitus Voluntatē, etiam quoad actus necessarios sine præuio iudicio sensus & Intellectus. Nihilominus tamē dicimus, in illa motione ex parte obiecti, quam importat iudicium, esse imbibitam motionem, quasi effectiuam vel imperfectam per modum redundantiæ, ratione maximè colligationis quam habet appetitus cum Voluntate vt natura; bene enim compatitur prædicta motio inseparabilis à motione obiectiua iudicij, vt apparet in motione Voluntatis mouentis appetitum; nunquàm enim mouet appetitū, nisi medio iudicio, vt dictū est, quæ vtiq; est motio obiectiua. Nihilominus tamē in hac motione obiectiua est imbibita etiam motio effectiua, quatenus Voluntas applicat appetitum, licèt nō applicet nisi medio iudicio, & concomitante motione obiectiua.

Ad primum argumentū à principio respōdetur, in illis locis tantū intēdere, quòd appetitus maximè inclinat Voluntatē, & quòd difficile est illi resistere; non tamen negatur hoc facere mediāte propositione affectuosa sensibili obiecti, nec insinuatur aliquis raptus per redundantiā, nisi fortè

Ad 1. arg.

in

in ordine ad actus necessarios & naturales, nec ad illos insinuatur redundantia excludens iudicium.

Ad 2. arg. Ad secundũ respõdetur, quòd D. Tho. in illis locis non docet aliquã motionem ex parte appetitus, quæ nõ sit ex parte obiecti, sed docet diuersum modũ mouendi obiectiuè; quòd aliquando mouetur pernudã propositionẽ obiecti; vt quãdo mouetur ab Angelo: aliquando autẽ per propositionẽ obiecti affectuosè vestiti perpassionem appetitus; & hoc vocat moueri ex parte subiecti; quatenus ex subiecto insurgit aliquid, nẽpe passio, aliter proponens obiectũ, vt fortiùs moueatur Voluntas; nõ autem intelligit per moueri ex parte subiecti, moueri quasi effectiuè & applicatiuè; quia hoc nõ habet appetitus nisi imperfectè, respectu actus necessarij.

Ad 3 arg. Ad tertium respondetur, negando antecedens; vt enim diximus, vtrũq; iudiciũ requiritur. Ad probationẽ dicetur, quòd sensus licèt non iudicet in particulari de illo quod tunc odit Voluntas, nẽpe Deũ, iudicat tamen in cõmuni se ab aliquo malũ pati; & quia per Intellectũ determinatè iudicat hoc â Deo prouenire, ideò iracundia mouetur ad blasphemandũ Deũ; non enim requiritur tanta identitas vtriusque iudicij circa idẽ, quoniã potiùs requiritur, obiectũ vtriusq; aliqualiter esse diuersum.

2. Resp. Vel secundò respõdetur, quòd sensus etiã potest formare aliqua idola corporalia de Deo, per quæ de illo aliqualiter possit iudicare ex coniunctione ad Intellectũ; & hoc sufficit ad mouendũ Voluntatẽ, interueniente proprio iudicio Intellectus.

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur, etiam in illis motibus interuenire iudicium, subitũ tamen, & ideò non facilè percipitur.

Ad 5. arg. Ad quintum respõdetur, illud etiã procedere contra tenẽtes oppositã sententiã, quia Magister Medina licèt tollat iudiciũ ex parte Intellectus, dicit tamẽ requiri imperiũ: vnde vt Intellectus imperet, currit idem argumentũ, vtrùm habitus sit ponẽdus in Intellectu, vt tollatur difficultas imperandi: quia ista ablata, nulla maneret in Volũtate ad operandũ. Item etiã, quia ipsi contrarij concedũt, quòd licèt aliquãdo possit moueri Voluntas sine præuio iudicio, regulariter tamen iudicium præcedit: cùm ergo habitus potiùs debeat poni adid quod regulariter cõtingit, quare etiã ipsi non ponunt in Intellectu habitũ continẽtiæ? Vnde non est speciale argumentũ cõtra nos, sed in omni sententia debet solui. Vnde ad ipsum respõdetur, ad Intellectũ nõ pertinere consentire vel nõ consentire passionibus, sed hoc solũ pertinet ad Voluntatẽ, vt dicitur infra q. 15. arti. 2. Vnde cũ habitus continẽtis ponatur ad nõ consentiendũ, sed resistendũ passionibus, non in Intellectu, sed in Volũtate debet poni, & per rectificationẽ Voluntatis vincitur difficultas quæ erat in Intellectu ad bene iudicandũ; quia cũ Voluntas sit primũ mouens, si semel sit rectè disposita, faciliter bene iudicat Intellectus; in bene enim iudicãdo dependet à bona dispositione Volũtatis, vt docet D. Tho. infra q. 19. ar. 3. ad 2. *D. Thom.* & q. 57. ar. 5. ad 3. & 22. q. 60 ar. 1. Eo vel maximè, quia ad rectificandũ Intellectũ, sufficit prudẽtia, quæ ponitur in Intellectu practico, vt perscribat modũ virtutibus moralibus, rectè iudicando, & dirigendo, vt ab extremis recedant.

Ad 6. arg. Ad sextũ respondetur, quòd quãdo habitus mouet Volũtatẽ, iam multa ex parte Intellectus præcesserũt, vnde non datur, q̃ sine iudicio moueat; vnde nec hoc appetitui potest cõuenire, vt iã ostẽsum est.

Ad 7. arg. Ad septimũ respondetur, quòd appetitus habet rationẽ impulsus respectu aliarũ potentiarũ corporaliũ quæ sibi subdũtur; vnde respectu illarũ probat argumentũ, quòd nõ tantũ ex parte obiecti debet moueri, sed sic cõparatur ad illas, sicut Voluntas, vt impulsus generalis respectu omniũ potentiarũ; respectu autẽ Volũtatis cũ sit potentia superior, nõ cõparatur appetitus vt impulsus, nisi fortè secundùm quid respectu actionũ naturaliũ, vt diximus; sed tãtũ cõparatur vt mouẽs & excitãs ex parte obiecti, immutãdo iudiciũ per passionẽ.

Ad 8. arg. Ad octauũ argumentum respondetur, quòd licèt passio se teneat ex parte appetitus elicitiuè; diximus tamẽ, qualiter etiam pertineat ad Intellectũ, immutando iudiciũ illius; vnde iudiciũ Intellectus originẽ trahit â passione, & illa non existente, aliter se haberet iudicium.

Ad 9. arg. Ad nonũ respondetur, quòd vt dictũ est, nec etiã Voluntas mouet appetitũ sine iudicio: si autẽ simul admiscetur efficientia, ideò est, quia Volũtas est superior, & primũ mouens, & nõ quia vtrũque simul cũ appetitu radicatur in anima: hæc autem ratio nõ currit de appetitu respectu Volũtatis, nisi vt natura cõsideretur, vt diximus.

Ad 10. ar. Ad vltimũ respõdetur, non admittẽdo casum, sed eo ipso quòd rascitur, & magis

propenditur ad vindictam, mutabit iudicium, licèt imperceptibiliter.

Ex dictis sequitur, quòd omnis qui ex passione peccat, præsupponitur in Intellectu eius error practicus, & malum iudiciũ de re in singulari, quòd iudicat hic & nunc sibi conueniens id ad quod passio inclinat, licèt in communi maneat iudicium oppositum: licèt enim incõmuni qui fornicatur, iudicet esse malam fornicationẽ; in particulari tamen hic & nunc iudicat sibi conuenientem; & hac ratione non est hæreticus, quia manet rectum iudiciũ speculatiuum, & in communi, licet practicũ in particulari sit erroneum: & hac etiam ratione seruatur quòd agat contra conscientiam, quia agit cõtra rectum iudiciũ quod habet in communi.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Voluntas moueat se ipsam.

Veri.q.22 a.9.cor. & ad 1. & ma. q.3. art.3. cor. & q.6. cor. & ad 4. & 10.

AD tertium sic proceditur. Videtur quòd Voluntas nõ moueat se ipsam. Omne enim mouens, in quantum huiusmodi, est in actu: quod autem mouetur est in potentia, nam motus est actus existentis in potentia, in quantum huiusmodi: sed non est idem in potentia & in actu respectu eiusdem: ergo nihil mouet se ipsum: nec ergo Voluntas se ipsam mouere potest.

Ar.1.huiꝰ quæst.

Secundò præterea. Mobile mouetur ad præsentiam mouentis: sed Voluntas semper sibi est præsens. si ergo se ipsam moueret, semper moueretur: quod patet esse falsum.

Tertiò præterea. Voluntas mouetur ab Intellectu, vt dictum est; si igitur Voluntas mouet se ipsam, sequitur, quòd idem simul moueatur à duobus motoribus immediatè; quod videtur inconueniens: non ergo Voluntas mouet se ipsam.

Sed contra est, quia Voluntas domina est sui actus. & in ipsa est velle & non velle; quod non esset. si nõ haberet in potestate mouere se ipsam ad volendum: ergo ipsa mouet se ipsam.

Respondetur, dicendum, quòd, sicut suprà dictum est, ad Voluntatẽ pertinet mouere alias potentias ex ratione finis, qui est Voluntatis obiectum; sed, sicut dictum est, hoc modo se habet finis in appetibilibus, sicut principium in intelligibilibus. Manifestum est autem, quòd Intellectus per hoc quòd cognoscit principium, reducit se ipsum de potencia in actum quantum ad cognitionem conclusionum; & hoc modo mouet se ipsum; & similiter Voluntas per hoc quòd vult finẽ, mouet se ipsam ad volendum ea quæ sunt ad finem. *Ar.1. huiꝰ quæst. q. præced. art. 2.*

Ad primũ ergo, dicendum, quòd Voluntas non secundùm idem mouet & mouetur, vnde nec secundùm idem est in actu & in potentia, sed in quantum actu vult finem, reducit se de potentia in actum, respectu eorum quæ sunt ad finem, vt scilicet actu ea velit.

Ad secundum, dicendum, quòd potentia Voluntatis semper actu est sibi præsens: sed actus Volũtatis quo vult finem, aliquando, non semper, est in ipsa Voluntate: per hunc autẽ modum mouet se ipsam: vnde non sequitur, quòd semper seipsam moueat.

Ad

Ad tertium, dicendum, quòd non eodem modo Voluntas mouetur ab Intellectu & à seipsa, sed ab Intellectu quidem mouetur secundùm rationē obiecti, à seipsa verò, quātum ad exercitium actus, secūdùm rationem finis.

Concl. Conclusio est, quòd Voluntas ex appetitione finis se mouet ad appetenda media.

Not. 1. Notandum, quòd D. Thom. non respondet generaliter, quòd Voluntas se moueat in omni actione, sed in aliqua, nempe in appetitione mediorum. Vtrùm autem in appetitione finis se moueat, disputabitur articulo sequenti. Qualiter autem se moueat Voluntas, quando se mouet, explicat solutione ad primum, dicens, quòd Voluntas non secundùm idem, sed ratione diuersorum mouet & mouetur; secundùm quòdest in actu, per appetitionem finis mouet, secundùm verò quòd est in potentia, ad appetitionem mediorum mouetur, nec propterea potest dici, quamcunque rem mundi se posse mouere, quia in quacunque re, maximè in substantijs, est forma per quam sit in actu, & materia, per quam sit in potentia, & nulla est res creata, quæ ex actu & potentia non constet. Non (inquam) valet, nec generaliter potest dici, quia non omnis forma est actiua, vt per illam possit mouere se ipsam vt in potētia. Eo vel maximè, quòd actus & potentia debent distingui realiter, vt secundùm vnū moueat, & secundum alterum moueatur: hæc autem distinctio non in omnibus rebus reperitur; verificatur autem in Voluntate; nam appetitio finis realiter distinguitur, & est forma superior ad appetitionem mediorum, & quid vitale; vnde sufficiens forma vt per ipsam Voluntas moueat se ipsam vt in potentia.

Not. 2. Secundò notandum, quòd in rigore tātum hoc est qui se mouet & mouetur, in appetitionibus, nā actiones & passiones sunt suppositorum: dicitur tamen, quòd Volūtas vult, sicut, & quòd Intellectus intelligit; quia potentia est vitalis & vniuersalis; vnde non solùm in homine, sed etiam in ipsa Voluntate assignari debet dictum principium mouens à principio moto.

Not. 3. Tertiò notandū circa solutionem ad secundum, in qua dicit D. Thom. quòd Voluntas non semper se mouet ad finē, quia non semper habet præsentem appetitionē finis, ex qua debet se mouere ad finē; hoc enim dixit D. Tho. vt sufficiens ad argumentum; non tamē quia sufficiat esse præsentem appetitionem finis, vt actu se moueat ad finem; illud enim requiritur, sed nō sufficit; sed vltra est necessaria applicatio Voluntatis facta ab ipsa Volūtate, cūenim sit libera, etiam se ipsam potest applicare.

ARTICVLS IIII.

Vtrùm Voluntas moueatur ab aliquo exteriori principio.

Inf. q. 17. art. 5. ad 2. & q. 80. ar. 1. cor. & 1. q. 105. art. 4. & q. 106 art. 2. cor. & q. 111. a. 2. cor. & 3. cont. ca. 88. & 89. q. 6. ar. 4.

IN ad quartum proceditur. Videtur quòd Voluntas non moueatur ab aliquo exteriori. Motus enim Voluntatis est voluntarius: sed de ratione Voluntarie est quòd sit à principio intrinseco, sicut & de ratione naturalis: non ergo motus Voluntatis est ab aliquo extrinseco.

Secundò præterea. Voluntas violentiam pati non potest, vt suprà ostensum est: sed violentum est cuius principium est extra: ergo Voluntas non potest ab aliquo exteriori moueri.

Tertiò præterea. Quod sufficienter mouetur ab vno motore, non indiget moueri ab alio: sed Voluntas sufficienter mouet se ipsam: non ergo mouetur ab aliquo exteriori.

Ar. 1. huius quæst. *Sed contra, Voluntas mouetur ab obiecto, vt dictū est; sed obiectū Volūtatis potest esse aliqua exterior res sensui proposita: ergo Voluntas potest ab aliquo exteriori moueri.*

Respond. dicendum, quòd secundum quòd Voluntas mouetur ab obiecto, manifestū est quòd moueri potest ab aliquo exteriori; sed eo modo quo mouetur quantū ad exercitiū actus,

adhuc necesse est ponere, Voluntatē ab aliquo principio exteriori moueri: omne enim quod quādoq; est agēs in actu & quandoque inpotentia, indiget moueri ab aliquo mouēte. Manifestum est autem, quòd Voluntas incipit velle aliquid, cum prius non vellet: necesse est ergo quòd ab aliquo moueatur ad volēdum: & quidem, sicut dictū est, ipsa mouet se ipsam, in quantum per hoc quòd vult finem, reducit se ipsam ad volendū ea quæ sunt ad finem: hoc autē non potest facere nisi cōsilio mediante; cū enim aliquis vult sanari, incipit cogitare quomodò hoc consequi possit, & per talem cogitationem peruenit ad hoc, quòd potest sanari per Medicū, & hoc vult; sed quia nō semper sanitatē actu voluit, necesse est quòd inciperet velle sanari ab aliquo mouente: & si quidem ipsa moueret se ipsam ad volendū, oportuisset quòd mediante consilio hoc ageret, ex aliqua Volūtate præsuppositā; hoc autē non est procedere in infinitum; vnde necesse est ponere quòd in primum motum Voluntatis Voluntas prodeat ex instinctu alicuius exterioris mouentis, vt Arist. concludit in quodam cap. Ethicæ Eudemianæ.

Art. præc.

Lib. 7. mō. Eudemior. c. 18. to. 5.

Ad primum ergo, dicendum, quòd de ratione voluntarij est, quòd principium eius sit intra; sed nō oportet quòd hoc principium intrinsecum sit primum principium non motū ab alio; vnde motus voluntarius etsi habeat principium proximum intrinsecum; tamen principium primum est ab extra, sicut & primum principiū motus naturalis est ab extra, quod scilicet mouet naturam.

Ad secundum, dicendum, quòd hoc non sufficit ad rationem violenti, quòd principium sit exta, sed oportet addere, quòd nullam conferat vim patiens; quod non contingit, dū Voluntas ab exteriori mouetur; nam ipsa est quæ vult; ab alio tamen mota: esset autem motus iste violētus, si esset contrarius motui Voluntatis; quod in proposito esse nō potest, quia sic idem vellet & non vellet.

Ad tertium, dicendum, quòd Voluntas quantum ad aliquid sufficienter se mouet & in suo ordine, scilicet sicut agens proximum, sed non potest se ipsam mouere quantum ad omnia, vt ostensum est; vnde indiget moueri ab alio, sicut à primo mouēte.

In cor. art.

Prima conclusio. Quantum ad specificationem actus Voluntas potest moueri ab aliquo exteriori, videlicet ab obiecto. 1. Conc.

Secunda conclusio. Quantum ad exercitium, & in ordine ad eaque sunt ad finē, Voluntas mouetur à se ipsa. 2. Conc.

Tertia conclusio. Quantum ad exercitium etiam cùm Voluntas incipit velle finem, non se mouet, sed ab aliquo exteriori principio debet moueri. Circa istam cōclusionem. 3. Concl.

DVBIVM I.

Vtrùm Voluntas in prima volitione totius vitæ circa finem se moueat; an verò applicetur & moueatur à Deo Authore naturæ concurrente non solum vniuersali concursu, videlicet tanquàm prima causa vniuersalis, sed etiam concursu peculiari & vt causa particularis.

PRobatur primò quòd se ipsam moueat. Vt voluntas dicatur se mouere, sufficit vt agat ex precedenti cognitione finis: 1. Arg.

aliter explicant hic, vt nos explicabimus in conclusionibus, sequentes explicationem & intelligentiam communem Thomistarum.

1. Concl. Prima conclusio, de qua non est difficultas. Voluntas, suppositâ volitione finis, mouet se ipsam ad eligenda media. Ita Philosophus. 3. Ethicor. & probatur primò. Illa potentia se mouet ad operandum, quæ applicat se ad motum: sed Voluntas applicat se ad eligenda media per propriam deliberationem & consilium: ergo Voluntas mouet se in electione mediorum. Secundò probatur. Intellectus ex assensu principiorum mouet se per discursum ad assensum conclusionum: ergo Voluntas ex volitione finis mouet se ad eligenda media Patet consequentia, quia sic se habet assensus principiorum respectu assensus conclusionum quæ virtualiter continentur in principijs, sicut volitio finis respectu volitionis mediorum, quæ virtualiter in fine continentur: vnde patet manifestè, qualiter Voluntas secundùm diuersa & non secundùm idem, est mouens & mota, in quantum in actu per volitionem finis mouet se ipsam ad volitionem mediorum, ad quam erat in potentia; sic enim sufficienter explicatur dictum Philosophi 8. Physicorum; Omne quod mouetur, ab alio mouetur. Ab alio (inquam) ratione distincto, vel ab alio formaliter diuerso, quod est à se ipso secundùm aliā rationem: nam motus quidem alius est physicus, qui est actus entis in potentia, secundum quòd in potentia, imperfectéque complens potentiam subiecti; sicut calefacere & dealbare; quando enim aqua calefit, ex parte fit calida, & ex parte non; vnde ex parte qua est potentia calida, non est actu calida; alter verò est motus, qui non ita perfectè est motus, sed metaphoricè; & ille quidem est actus perfecti entis, quatenus perfectus est omnino perficiens subiectum ipsum; sicut intelligere & velle: in motibus ergo primi generis semper subiectum reducitur de potentia ad actum ab alio realiter distincto; aqua enim vt reducatur ad calorem, debet fieri ab agente realiter distincto, nempe ab igne: & de his forsitan loquutus est Physosophus loco citato. Cæterū in motibus secundi generis non requiritur reduci de potentia ad actum ab agente realiter diuerso, sed aliquo externo & diuerso præsuppositō, reducitur ad actum à se ipso. Verbi gratia, Intellectus per speciem intelligibilem receptam ab obiecto exteriori, reducit se ad actualem considerationē, licèt non sine Intellectu agente; similiter Voluntas per volitionem finis fit in actu, & reducit se ad volenda media, quoties sibi placuerit.

2. Concl. Secunda conclusio. Voluntas in prima volitione finis concurrit effectiuè ad illam eliciendam, nec merè passiuè se habet, vt volebat Capreol. Hæc est D. Tho. hic, ait enim ad primum, quòd motus voluntarij principium proximum intrinsecum est Voluntas; & ad secundum dicit, quòd Voluntas confert vim in primo eius actu; & ad tertium dicit, quod Voluntas respectu sui actus est agens proximū. Idem docet 1. quæst. 27. art. 4. & cum D. Tho. conuenit Scotus, Henricus, Duran. Gregorius, & ferè omnes extra scholam D. Tho. etiam iuniores. Et probatur clarè, nam etiam prima volitio est actio vitalis: sed actionē vitalem, vt suprà dictum est, q. 3. art. 2. impossibile est immediatè à Deo produci, potentia vitali non concurrente actiuè: ergo illa prima volitio etiam à Voluntate effectiuè est. Secundò probatur. Quod denominatur ab actione, est agens illius: sed ab illa prima actione non denominatur Deus volens sed Voluntas: ergo non Deus, sed Volūtas est agens proximū illius volitionis. Tertiò probatur; nā si aliqua ratione illa prima operatio tantū esset effectiuè à Deo, maximè quia est naturalis & necessaria: sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor, quia dilectio in Patria, est magis necessaria, quia est necessaria quo ad exercitiū & specificationem: prima autē volitio, vt statim dicemus, tantùm est necessaria quo ad specificationē libera autem quo ad exercitium; & nihilominus dilectio in Patria, est efficienter à Voluntate, vt suprà ostensum est: ergo à fortiori prima volitio. Quartò probatur. In primo instanti vsus rationis potest homo, mediāte proprio actu, cū gratia iustificari: ergo ad illum actum non concurrit passiuè tātùm. Antecedens patet. Nullū enim est instans, in quo non possit quis iustificari, dū est in Via. Consequētia verò probatur ex Concil. Trid. sess. 6. c. 5. & Can. 4. vbi asseritur, hominem non se habere merè passiuè in sui iustificatione. Et si contra conclusionem facias argumentum, nam vt aliquid sit causa efficiens, debet habere

D. Thom. Scotus. Durandus. Henric. Greg.

Conc. Tri.

Impug.

aliquid in se, per quod cõstituatur in actu primo ad operandum: sed Voluntas ante primum actum non habet per quid constituatur in actu primo: ergo nõ est causa effectiua primi actus. Maior patet, quia vnũquodq; operatur in quantũ est in actu. Minor verò probatur, quia ante primum actũ Voluntas est nuda & pura potentia; nam si aliquid posset vltra potentiam assignari, maximè bonum apprehẽsum ea parte Intellectus: hoc autem suprà diximus non constituere Voluntatem in actu ad agendum: ergo nihil tale constitutiuum potest assignari. *Solutio.* Respondetur tamẽ, quòd ipsa potentia nuda Voluntatis, præsuppositа apprehensione Intellectus, licèt non sit in actu formali ad volitionem finis, est tamen in actu virtuali; habet enim in se & ex se virtutem, qua possit producere volitionẽ finis, sine eo quòd recipiat in se aliquã formam, vt volebant Capreolus & Ferrara. Sicut enim ignis in se habet virtutem, scilicet calorem, quo possit effectiue calefacere, si applicetur passis; ita similiter Voluntas in se habet virtutem ad producendum volitionem finis; proposito & applicato fine per Intellectum, & penes hoc differt Voluntas ab Intellectus; Intellectus enim à principio est in pura potentia ad intelligendum: vnde non potest quidquam intelligere, nisi recipiat speciem, ad quam se habet merè passiuè: Voluntas autem proposito sibi fine ab Intellectu, absq; eo quòd aliquid recipiat, potest elicere volitionẽ finis. *D. Thom.* Fundamentum autem huius assignauit D. Thom. infrà, quæst. 51. artic. 1. & clariùs quæst. 62. art. 3. ad primum, & quæstio. 24. de veritate, art. 4. ad 9. assignans discrimen inter Intellectum & Voluntatem, quòd cùm Intellectus sit potentia apprehensiua, non inclinatur de se ad obiectum; vnde indiget habitu & qualitate inclinante etiam ad prima principia. Cùm autem Voluntas sit ipsa inclinatio in finẽ & in bonum, ideò circa volitionem finis non ponitur in ipsa aliquis habitus quo inclinetur, si finis sit naturalis & proportionatus; nam respectu finis supernaturalis, propter improportionem, habitus infusi necessariò sunt assignandi. Qua ratione *D. Thom.* etiam D. Thom. infra quæst. 56. artic. 6. & quæst. 1. de virtutibus in communi, art. 5. docet, quòd Voluntas non indiget habitu virtutis ad bonum proprium & sibi cõnaturale; licèt talis habitus sit necessarius in ordine ad bonum alienum vel supernaturale. Et certè mirum esset, quòd in appetitu brutorum non requiratur aliquid superadditum, etiam ad primò operandum, & id requireretur in Voluntate, quæ excellentior est appetitu. Et si rursus arguas, *Obiectio.* nam, vt statim dicemus, Voluntas in primo actu non se mouet, sed mouetur ab Authore naturæ: ergo passiuè se habet, & non effectiuè concurrit; si enim agit, qualiter mouetur? & si mouetur, qualiter agit? Respondetur tamen, quod moueri, *Solutio.* est reduci de potentia in actum; cùm autem Voluntas reducatur in actum à Deo, ab illo mouetur, non tamen sine concursu & efficientia ipsius Voluntatis, iuxta eius propriam naturam; vt graue, verbi gratia, in descensu, ab alio mouetur; & nihilominus grauitas lapidis, licèt vt à generante concurrit actiuè. Vel melius, visus (verbi gratia) quando liberè applicatur à Voluntate ad videndum, concurrit actiuè, alliciendo visionem, & tamen mouetur ab alio, videlicet à Voluntate. Idem patet de primo actu Intellectus, cùm enim sit naturalis, in illo mouetur Intellectus ab Authore naturæ; & nihilominus efficiendo ipse Intellectus talem actum. Itaque moueri, importat applicari. Cùm ergo licèt habeat virtutem effectiuam, applicatio possit fieri ab alio, ideò bene stat, quòd actiuè concurrat, & ab alio moueatur; vt ignis à propria forma habet efficienter calefacere, ab extrinseco autem habet moueri per applicationem externam, vt effectiuè concurrat. Ita ergo de Voluntate. Nec contra istam doctrinam facit D. Au- *D. Aug.* gust. libr. de gratia, & libero arbitrio, cap. 17. dicens de volitione finis, quòd vt velimus, Deus sine nobis operatur. Intelligitur enim, non quidem sine nobis actiuè concurrentibus, sed sine nobis consulentibus aut deliberantibus circa finem; Deus enim est qui incipit mouere, & excitare Voluntatem nostram ad finem supernaturalem per gratiam prœuenientem; de qua excitatione loquebatur ibi D. Augustin. Exemplum etiam est manifestum huius doctrinæ infrà quæst. 11. art. 2. vbi distinguitur inter gratiam operantem & cooperantem, & respectu operantis consideratur Voluntas vt mota; respectu verò cooperantis consideratur vt se mouens; & tamen in vtraque consideratione Voluntas concurrit actiuè.

Tertia conclusio. Volũtas respectu pri- *3. Concl.* mæ volitionis est agens principale quod, & non

nis:sed etiã in prima volitione agit ex cognitione finis:ergo etiam in illa se mouet. Maior probatur ex D.Thom. supra q. 1. art.2.vbi dicit, quòd homo ideò agit propter finem mouendo se in finem,quia agit ex cognitione finis:& quæst.6.ar.1. dicit, quòd illud quod mouetur â principio intrinseco cum cognitione finis, habet in se sufficiens principium, non solùm vt agat propter finem, sed etiam vt moueat se in finem. Et articulo secundo illius quæstiones docet, quòd in homine est perfectè voluntarium; quia perfectè cognoscit finem, & mouet se in illum. Prima autem volitio maximè voluntaria est & perfecta, & sic in illa debet se mouere procedens ex perfecta cognitione.

2. *Arg.* Secundò argumentor. In prima volitione homo agit liberè: ergo mouet se. Consequentia patet,quia agere liberè, est agere cum domino sui actus;quod maximè importat se mouere. Et articulo præcedenti in argumento Sed contra, ex eo probauit D.Thom.Voluntatem se mouere,quia est domina sui actus. Antecedens verò probatur. Primò, quia in potestate Voluntatis est,elicere,vel non elicere illũ actum: ergo est libera respectu illius; in hoc enim consistet libertas quoad exercitium.Secundò probatur,quia prima volitio potest esse meritoria;vt de facto fuit in Angelo;vt docet D.Thom.1.part. quæst. 62.art.4.ergo illa volitio est libera; meritum enim libertatem requirit;quia necessarijs nec meremur nec demeremur. Tertiò probatur idem antecedens, quia prima volitio potest esse mala, vt si quis inciperet velle sanitatem, constituendo in illa vltimum finem:ergo potest esse ex libertate Voluntatis:Patet consequentia, quia ad malitiam libertas requiritur. Item etiam, quia malum in Deum reduci non potest: ergo debet reduci in ipsam Voluntatem liberè se mouentem. Ex quibus etiam manet confutata solutio aliquorum, quòd in illa prima volitione mouet se homo physicè,sed non moraliter;quia sine prima volitione potest esse meritum vel demeritũ, si nõ solùm physicè,sed etiam moraliter se mouet;ratio enim liberi, & meriti vel demeriti ad genus moris pertinet.

3. *Arg.* Tertiò argumentor.Tunc actio tribuitur agenti,quando agens operatur iam cõstitutum in esse perfecto:sed in prima volitione Voluntas operatur vt iam constituta in esse perfecto: ergo illi tribuitur prima actio;hoc enim est se mouere. Maior patet,nam ex eo motus lapidis non tribuitur lapidi,sed generanti,quia lapis nõ mouetur vt in esse perfecto cõstitutus, sed potius vt ad esse perfectum tendens.

4. *Arg.* Quartò argumentor,quia hæc est differentia suprà assignata inter bruta & hominem;quòd illa non se mouent in finem:homo autem mouet se in finem; non autem in alio actu melius se potest mouere in finem,quàm cùm pergit per primam volitionem in ipsum finem: ergo in tali prima volitione se mouet.

5. *Arg.* Quintò argumentor. Si propter aliquã rationem non se moueret in prima volitione,maximè quia,vt dixit D. Thom.se mouere,dicit agere ex alio præcedenti actu; in prima autem volitione non potest agere ex alio præcedenti actu,quia sic daretur processus in infinitum,ac per consequens in prima volitione nõ se moueret:sed hæc ratio est nulla:ergo.Probatur minor,quia licèt agere ex consilio, & deliberatione & actu præcedenti,faciat se mouere, nihilominus sine tali actu poterit se mouere per modum tendendi & procedendi in ipso primo actu; quia hæc est natura primi alicuius generis,vt sit causa sui ipsius;sicut & cæterorum.Verbi gratia,existentia est causa existendi aliorum & sui ipsius;, & motus cordis,est principium mouendi se animal in motibus subsequentibus, & etiam quòd in ipso motu cordis se moueat, nec ad hoc requiritur alius motus præcedens: ergo idem poterit dici de primavolitione, quòd sit causa mouendi se Voluntatem in actibus circa media, & etiam quòd se moueat in ipsa prima volitione. Confirmatur,nam,vt suprâ diximus,voluntariũ dupliciter dicitur.Vno modo,sicut obiectũ est volitum per actum Voluntatis, vt comedere,legere.Secundo modo dicitur voluntarium, nõ quia est obiectum volitum, sed quia est actus elicitus Voluntatis: licèt ergo prima volitio non sit voluntaria primo modo,vt obiectum,quia non præcessit alius actus,cuius sit obiectum,est tamen voluntaria secundo modo, vt actus elicitus Voluntatis;& hoc sufficit, vt in illa dicatur Voluntas se mouere sine præcedenti consilio vel alio actu. Nec hoc erit contra Arist. vt insinuat D.Tho. quia tantum docet,quòd Author naturæ habet peculiarem prouidẽtiam in tellectualium creaturarũ, mouens eas ad primas intellectiones vitæ,&ad plures alias circa particularia negotia

Conf.

D. Thom.

gotia sine prævio consilio; quod sæpe in nobis experimur; non tamen id docet de Voluntate.

D. Thom. Arist. In hac re præmittendum, quòd D. Th. hic nihil aliud vult dicere, nisi quod Arist. docet 3. Ethic. c. 5. quòd consilium & deliberatio nō est respectu finis, sed respectu mediorū, ait enim: Finis affectabilis est, ea verò quibus itur ad finē, cōsultabilia sunt. Verbi gratia, nullus in cōsultatione ponit, an velit sanitatem, sed illam naturali instinctu appetimus; qua suppositā volitione, cō sultamus qui cibi conferant ad salutē, quis medicus vocandus, & quę medicina sumē da, vnde in re nullus potest dissentire à sententia D. Thom. quæ sine dubio est Arist. attamen est differentia inter D. Thom. & alios in modo loquendi; nā hoc quod est moueri per deliberationem & consultationē, vocat D. Thom. moueri à se; dicit autē, quòd moueri sine consilio & deliberatione, vt fit in prima volitione, nō est à se moueri, sed ex instinctu naturæ. Alij verò nō sic loquuntur, vt videbimus infrà. Sed certē modus loquendi D. Thom. est communis; nā cùm quis vult viuere, dicimus quòd naturaliter vult viuere; & tantùm intendimus, quòd non per cōsultationem vel deliberationem, ordinando ad alium finem; quia non est motus aliunde, nec ab alio fine: cùm autem quis mouetur ad matrimoniū, vel ad Religionis ingressum, non dicitur quòd naturaliter mouetur, quia mouetur aliūde, & ab alio fine quē intendit; de quibus videatur Soto. 1. de natura & gratia, c. 16. circa finem, & D. August. lib. 3. de libero arbitrio, c. 2. tom. 1. fol. 150. Hoc præmisso,

Soto. D. Aug.

1. Sent. Scot. Prima sententia affirmatiua est Scoti quodlibeto 21. & in secundo sententiarū, dist. 5. q. 2. art. 1. §. dico ad istud argumentum, quē etiam sequuntur aliqui moderni ex aduersarijs D. Tho. & adducunt etiam pro se Soncinatē. 9. Metaphy. q. 11. & 14.

2. Sent. vera. Secunda sententia est huic opposita, & cōmunis inter Theologos discipulos D. Tho. videlicet quòd Volūtas in prima volitione finis non se mouet, sed mouetur à Deo Authore naturæ: non tamen omnes conueniunt in modo explicādi istam sententiam. Nam Capreolus in 2. d. 24. q. vnica, art. 3. ad 8. argumentum contra quintā conclusionem, & dist. 25. sequenti, q. vnica, arti. 3. ad primum argumentū Henrici contra secundā cōclusionem, & ad primū eiusdem Henrici cōtra tertiam conclusionem, dicit, quòd Voluntas in prima volitione non se mouet, sed mouetur à Deo; quia non elicit actiuè Voluntas illā volitionē, sed ipsa merè passiuè se habēte, producitur efficientia effectiuè à solo Deo; quia respectu electionis habet Voluntas per quid constituatur in actu secundo ad eliciendū illam; constituitur enim in actu primo per intentionē & volitionē finis: cùm autem ipsa volitio finis sit per quod Voluntas constituatur in actu primo, ab alio debet effici in ipsa Voluntate, quia ante actum primum non potest præintelligi per quod Voluntas constituatur in actu primo, vt possit effectiuè producere volitionem finis, quā dicimus esse actū primū: & si aliqualiter (inquit Capreolus) Voluntas elicit illam primā volitionē, ad hoc ipsum debet assignari prævia motio, vel aliquid à Deo fluens, receptum in Voluntate, per quod in actu primo constituatur.

Capreol.

Ferrara autem primo contra Gentes c. 23. circa secundam rationē D. Tho. impugnat hanc explicationem, & adducit in memoriam illam duplicem sententiam superiùs relatam de bono apprehenso, de quo quidam dicunt, quòd actiuè concurrit ad volitionem; alij verò quòd non: & secundùm priorē sententiam, quæ vera non est, aliter procedit: tamen secundùm verā sententiam, quòd non actiuè concurrit bonū apprehensum, dicit, quòd illa prima volitio effectiuè est à Volūtate, & inquit, quòd ante productionē illius volutionis, vt Voluntas constituatur in actu primo ad eliciendum illam, necessariò præsupponenda est aliqua forma quasi habitualis; sicut in Intellectu constituitur habitus primorum principiorum ad producendum primum assensum circa prima principia; quia sic se habet finis in Voluntate, sicut prima principia in Intellectu. Insuper dicit ibidem, & lib. 3. c. 86. circa sextam rationem, quòd licèt illa prima volitio sit effectiuè à Voluntate, nihilominus etiam taliter est à Deo: quia Deus respectu illius volitionis est agens principale quod, Voluntas verò tantùm est agens quo mediante Deus producit illam volitionem. Sicut in motu grauium & leuiū, generans est mouens quod, forma verò ipsius grauis est mouens quo respectu generantis; vnde dicitur graue non se mouere, sed moueri à generante. Nihilominus Dominus Caietan. & Conradus, & Medina, quos etiam sequitur Lorca, Salas, Vazquez, & Valentia, aliter

Impug. Ferrar.

Caiet. Conrad. Medina. Lorca. Salas. Vezquez. Valentia.

& non tantùm quo, vt volebat Ferrara. Hæc videtur Diui Thomæ hic ad secundum, vbi negat Deum esse volentem per nostram Voluntatẽ, sed quòd nostra Voluntas est quæ vult, mota tamen ab ipso Deo: ergo ex mente D. Thom. Voluntas agit vt quod; quia si tantùm ageret vt quo, & Deus vt quod, potius Deus diceretur velle, quàm Voluntas: quia actio potius denominat agens quod, quàm quo. Et ratione probatur. Si propter aliquam rationem Deus tantùm diceretur agens quod, & Voluntas quo, maximè quia Voluntas agit à Deo mota: sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor, quia etiam ignis (verbi gratia) agit motus à Deo & à causis vniuersalibus; & nihilominus ignis est agens quod, proximum & immediatum. Secundò probatur. Actio prima Voluntatis, est actio libera, & aliquando meritoria, vt fuit in Angelo & primo parente: ergo respectu illius homo est agens quod. Antecedens communiter recipitur à Thomistis, nec contra hoc est Caie. licèt enim asserat, illam primam volitionem esse naturalem & necessariam; ipse tamen se explicat 1. part. quæst. 63. artic. 5. quòd sit necessaria quoad specificationem, non tamen quoad exercitium; nulla enim est actio voluntaria in vita præsenti necessaria quoad exercitium; bene tamen quoad specificationem, quia sicut Voluntas est determinata ad bonum, ita & ad finẽ; nec enim finem vel bonum potest odire; vnde si aliquando odit aliquem finem, etiam particularem, est materialiter, non autem formaliter vt finem: vnde qui odit Deum vltimum finem, apprehendit practicè illum tanquàm medium in ordine ad finem deprauatum sibi propositum. Ex quo sequitur, non bene loqui quendam modernum dicentem, sic se habere Voluntatem respectu primi actus, sicut lapidem respectu descensus; vnde sicut lapis semper descenderet quousque esset in centro, nisi poneretur impedimentum; ita similiter Voluntas semper esset in actuali appetitione finis, nisi esset impedimentum ex parte corporis; hoc enim falsum est, non enim solùm per impedimẽtum extrinsecum, sicut lapis, potest cessare, sed ab intrinseco, cùm Voluntas sit libera in illo actu: agens enim naturale est determinatum ad vnum opus, toto impetu faciens quidquid facit: ignis enim vnum opus caloris præcipuè facit, semperque calefacit eodem modo & tenore, omnesque gradus caloris, quantum est ex se, producit vbique: quòd enim magis vel minus in vno quàm in alio producat, non procedit ex agentis ordinatione, sed ex varia materiæ dispositione: Voluntas autem, vt est dictum, est libera, & sic ab intrinseco & ex parte ipsius Voluntatis potest operari, vel non operari, vt sibi placuerit.

Caiet.

Quarta conclusio. Voluntas in prima volitione finis non se mouet. Hanc docet D. Thom. hic & 3. contra Gentes, cap. 89. ex Arist. 7. Ethic. cap. 18. ad Eudemium, (sunt enim alij libri Ethicorum Aristo. ad Nichomachum patrem suum, qui cõmuniter circunferuntur, & illos commentatus est D. Tho.) in his autem quos scripsit ad Eudemium loco citato docet nostram conclusionem, dicens, quòd hoc quòd aliquis consilietur, habet causam, quia omne nouum habet causam, & non habet vt causam aliud cõsilium; quia sic abiretur in infinitum: ergo deueniendum est ad aliquod melius & altius ipso Intellectu & Voluntate, à quo tale primum consilium habeatur: melius autem & altius Voluntate & Intellectu non est nisi Author naturæ: ergo. Et ratione probatur. Primò. Quælibet res mũdi in actione naturali, ad quam ex propria natura inclinatur, mouetur ab Authore naturæ, ad quem pertinet talem inclinationem rei tribuere: sed prima actio Voluntatis est naturalis, ad quam ex propria natura inclinatur: ergo erit ab Authore naturæ. Confirmatur, nam actus Voluntatis sequitur & sapit naturam iudicij intellectualis ad quod sequitur: sed iudicium ad quod sequitur prima volitio, non est ex deliberatione aut consultatione, vel aliqua Voluntatis libertate, sed omnino est naturale, referendum in Deum tanquàm in causam extrinsecam proponentem obiectum; vel immediatè per se ipsum, vt est respectu Angelorum; vel mediatê, vt est respectu hominum, quibus vel ministerio Angelorum, vel consilio alterius hominis, vel media alia causa naturali, quam Deus specialiter ad hoc gubernat, infundit huiusmodi iudicium: ergo idem dicendum est de primo actu Voluntatis, qui ad hoc iudicium sequitur, cùm debeant proportionari, vt optimè explicat Caiet. 1. par. quæstio. 41. art. 2. circa solutionem ad 3. & quæstio. 82. art. 4. circa solutionem ad 3. vbi etiam videatur Bañez. Secundò probatur. Intelle-

4. Concl.

D. Thom. Arist.

Caiet.

Intellectus in assensu primorum principiorum non se mouet, sed mouetur ab Authore naturæ; quo fit, vt talis assensus non possit esse falsus; procedit enim ex naturali lumine; quod si nos deciperet, Deus etiã nos deciperet, à quo immediate participatur tale lumen: ergo Voluntas in prima volitione finis mouetur ab Authore naturæ; quia, vt dictum est, sic se habet principium respectu Intellectus, sicut finis respectu Voluntatis; quapropter & prima actio Voluntatis mala esse non potest, quia Deus ad malum inclinaret; vnde de rectificatione vtriusque primi actus Intellectus & Voluntatis dicitur Psalm. 144. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis; quod quidem non solùm intelligitur de Verbo & amore ad intra, in quibus est prima veritas, & summa bonitas; nec solùm intelligitur de supernaturalibus verbis, quibus fidelissimè per Fidem loquitur, & sanctissimè in summum bonum per Charitatem inclinat; sed verificatur etiam de lumine naturali Rationis quoad verum naturale, & respectu primorum principiorum, ad quæ Deus infallibiliter Intellectum inflectit, vt sic fidelis in suo verbo inueniatur & similiter sanctus in opere, quo Voluntatem nostram in finem conuertit ac propendit, vt sic vndique & per omnia, & fidelis, & simul absque vlla iniquitate sit Deus noster; tã alienus enim est à falsitate, quàm ab iniquitate, non solùm in se, verum etiam in omni opere ad quod mouemur ab ipso Deo: impossibile enim est, quòd à summa bonitate iniquitas & malitia dimanaret; sicut quòd à fonte veritatis mendacium proflueret. Videte primæ parte quæstione 60. articulo primo ad tertium, & 2. 2. quæstione 26. articulo sexto, vbi dicit, non minus esse ordinatum affectum Charitatis, quæ est inclinatio gratiæ, quàm appetitus naturalis, qui est inclinatio naturæ: assurgit enim Theologia, vt doceat quòd Charitas ad malum esse non potest, ex eo quòd inclinatio naturalis & ab Authore naturæ in malum esse non potest; quia sicut appetitus naturalis comparatur ad naturam, ita Charitas ad gratiam, quæ in supernaturalibus est natura & essentia. Tertiò probatur conclusio. Sicut se habet in rebus inanimatis appetitus & inclinatio naturalis, ita se habet in substantia spirituali Voluntas, quæ est appetitus intellectualis: sed dare inclinationes naturales, est eius solius qui nutriuit, aut genuit naturam: ergo similiter inclinare Voluntatem per primum sui actum ad volendum finem, pertinet ad eum qui Voluntatem instituit, nempe Authorem naturæ, & ad illum prima actio erit referenda. Et hac ratione sacri Doctores, & Theologi asserunt, Angelos non potuisse peccare in prima sua operatione quam habuerunt in primo instanti suæ conditionis; quia tunc mouebantur ab Authore naturæ, & in illum erat referenda illa prima actio. Ita Origenes Homilia 1. super Ezechielem, vbi sic ait. Diabolus in primo instanti non fuit malus, quia Deus malum non facit. Et Diuus Anselmus libro de casu Diaboli, capit. 12. dicit: Angelus non habuit primum actum à se. Et Diuus Augustinus 11. de Ciuitate Dei, capit. 15. ait, nullum naturale esse omnino peccatum; vnde Angelus in primo instanti non peccauit. Et D. Leo Epistola 93. capitulo sexto ad Tirbutium Episcopum Astoricensem, ait: Fides Catholica confitetur, mali nullam esse naturam; quia Deus qui vniuersitatis est conditor, nihil non bonum fecit, vnde & diabolus bonus esset, si in eo quod factus est permaneret: sed quia naturali male vsus est, &c. Aduerte illud verbum, Vsus est; nam vsus non est circa finem, sed circa media: vnde in vsu dicit diabolum peccasse. Videantur etiam Theologi prima parte quæstione 63. articulo quinto. Ex quibus quidem colligitur, quòd si descensus lapidis esset malus, imputaretur generanti; & si assensus Fidei esset fallax, imputaretur primæ veritati inclinanti ad illum assensum: & similiter si actus Charitatis esset malus; vnde & sic potest intelligi illud primæ Ioannis 3. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. Ideò enim sic loquitur Ioannes, quia nullus, quatenus operatur ex inclinatione & semine Spiritus sancti, quæ est gratia & Charitas, peccare potest; sed si peccat, ex propria Voluntate peccat. Hoc etiam sonat illud Prouerbiorum 21. Cor Regis in manu Domini, quòcunque voluerit, vertet illud. Vnde Psaltes orabat dicens: Inclina cor meum, Deus, in testimonia tua. Quod maximè verificatur in his primis & sine deliberatione volitionibus, in quibus Deo præcipuè tribuitur inclinatio & conuersio

Pſal. 144.

Orig.

D. Anſel.

D. Aug.

D. Leo.

Ioann. 3.

Volun-

Voluntatis, quæ aliquando, homine alia cogitante & intendente, etiam contraria, subitò flante Austro fugatur vitiorum tempestas, & inclinatur in bonum, in tantum, vt fluant aromata virtutum, vt Sponsa per desiderium deprecabatur Canti. 4. Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius. Et sic etiam ait Esai. 65. vt refertur à Paulo Roman. 10. Inuentus sum à non quærentibus me; palam apparui his qui me non interrogabant. Et Apocalyp. 3. Ego sto ad ostium, & pulso. Et Ioannis 3. Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde venit, aut quò vadat; in istis enim locis clarè ostenditur, qualiter incipere sit à Deo, homine non se mouente. Vltimò probatur conclusio ratione Diui Thomæ. Mouere se, est agere ex præcedenti actu applicante ad motum, quia vt se moueat, necessarium est assignare partem motam distinctam à parte mouente: sed respectu primæ volitionis, in qua mouetur Voluntas, non potest assignari alius præcedens actus applicans ad istum motum, & qui habeat rationem partis mouentis; quia sic abiretur in infinitum: ergo respectu illius primi actus non se mouet Voluntas. Confirmatur ex D. Tho. Opusc. 35. de motu cordis, hac enim ratione animal se mouet in alijs motibus, nō autem in motu cordis, quia ad alios motus præsupponitur motus cordis habens rationem partis per se mouentis & applicantis; ad ipsum autem motum cordis non præsupponitur alius: ergo similiter dicendum est de Voluntate, quòd in electione mediorum se mouet, quia præsupponitur intentio finis, ex qua possit se applicare ad electionem; ad ipsam autem volitionem finis non se mouebit, quia ad illam non præsupponitur alia ex qua applicetur. Ex quo sequitur, non esse legitimam rationem huius conclusionis, quam assignauit Diuus Thomas articulo præcedenti, in argumento Sed contra, quòd Voluntas mouet se, quia in potestate illius est velle & non velle; quia, vt diximus, in volitione finis libera est, & non se mouet. Rationes ergo quas Diuus Thomas assignat in argumentis Sed contra, non semper efficaciter probant conclusionem, nec adducuntur ad decisionem veritatis, sed ad reddendum quæstionem dubiam; vnde multoties ipse respondet ad argumenta Sed contra.

Cant. 4.

Esaiæ 65.
Rom. 10.
Apocal. 3.
Ioann. 3.

D. Thom.

Vltima conclusio. Si propriè loquamur, non solùm moraliter non se mouet Volūtas in primo actu, sed nec etiam physice. Probatur, quia eodem modo loquendum est in genere physico, sicut in genere moris; sicut enim vt se moueat moraliter, requiritur præcedere aliquid in genere moris, nempe consiliū & consultatio, &c. ex quibus moraliter applicetur ad operandum; ita similiter vt se moueat physicè, debet præsupponi aliquid in genere physico, ex quo applicetur ad operandum: sed sicut non potest assignari ante primam volitionem aliquid morale ex quo applicetur, & dicatur se mouere moraliter; ita nec potest assignari aliquid physicum precedens, à quo applicetur, cùm ille sit omnium primus actus: ergo nec etiam in genere physico dicetur se mouere. Secundò probatur. Ita Deus est author Voluntatis, vt ipsa est principium physicum agendi, sicut vt est principium morale: ergo eodē modo debet tribui Deo inceptio eius physica, sicut & inceptio moralis, quia inceptio cuiuscūque naturæ in operando debet tribui Authori naturæ, sicut & esse ipsius operantis. *5. Conc.*

Ad primum argumentum à principio respondetur, non sufficere præsentationē finis ex parte Intellectus, sed, vt dictū est, ex parte ipsius Voluntatis requirebatur aliquid præcedere, ratione cuius se applicaret ad operandum. Diuus autem Thomas solùm intendit, ad rationem voluntariam, vel liberam, requiri cognitionem, & hac ratione non reperiri perfectè in brutis non cognoscentibus; vnde per cognitionem dicit hominem se mouere in finē, quia loquitur per contrapositionē ad bruta, & pro eodem sumit mouere se in finē, adq; agere finē perfectè, dum autē appetit finē, cū appetat ex perfecta cognitione illi? perfectè agit propter finē: nō vt ly Propter, dicat causalitatem, vt quando vult media in ordine ad finem, sed vt dicit rectam directionem ad finem, & etiam dicit motum perfectum. Secundò respondetur, assignare D. Thom. quod requiritur ad mouere se, non autem quod sufficit; tantùm enim intendebat, quòd homo se mouet in finē, non autem brutum, quia in bruto non est cognitio quæ requiritur ad hoc, homo autem potest se mouere, quia habet cognitionem, non autē respectu cuiuscunq; actus, sed respectu illorum ad quos potest se applicare; vnde est electio mediorum, nō autem respectu volitionis finis, vt dictū est. *Ad 1. arg.* *2. Solut.*

Ad

Ad 2. arg. Ad ſecundū reſpondetur, ita eſſe quòd prima volitio eſt libera quoad exercitiū, licèt neceſſaria quoad ſpecificationē; nihilominus tamē iam diximus, qualiter in illa non ſe moueat Voluntas, quia nō agit applicata â ſe, ſed â Deo; amplius enim requiritur adſe mouere, quā ad liberè agere; nec applicatio à Deo facta tollit libertatē, quia applicat Voluntatē iuxta illius naturam, vt liberè agat, vt optimè explicat D. Auguſt. ſerm. 13. de verbis Apoſtoli, ſuper illud ad Rom. 8. Qui ſpiritu Dei aguntur; vbi dicit: Sic aguntur, vt ipſi liberè operētur. Sed contra hoc eſt fortiſsimum argumentū, nam ſi illa prima volitio eſt libera quoad exercitiū, Voluntas habet libertatē in producendo illam, & conſequenter ſupponitur in Intellectu libertas radicalis, cùm omnis libertas formalis Voluntatis radicetur in Intellectu: ergo præceſsit in Intellectu quædam indifferentia ad illum actum: ergo ad determinationem illius & vnius partis præceſsit in Intellectu conſilium & deliberatio: ergo iam Voluntas quando prorūpit in actum, & determinate in alteram partem, prorūpit ex conſilio & deliberatione, & ſic mouetſe in illo actu: nam ex eo voluit D. Tho. quòd nō ſe moueret in illo, quia non agebat ex conſilio & deliberatione. Propter hoc aliqui dicūt, illum primū actum non eſſe humanū, nec deliberatū, licèt ſit liber; quia non procedit ex conſilio. Nihilominus tamen dico, quòd licèt non præcedat conſilium, & deliberatio plena & perfecta, præcedit tamen aliqua deliberatio, ſiue formalis, ſiue virtualis, cauſata quidem, non ab ipſa Voluntate, ſed ab ipſo Deo, quia vt patet ex D. Tho. & Ariſt ſicut Deus eſt Auhor primæ volitionis, ita & primi conſilij habiti in inſtanti, hoc enim non repugnat, vt docet D. Tho. q. 29. de veritate, ar. 8. ad primum, dicens, quòd in Chriſto Domino ſicut fuit meritum, ita & deliberatio, ſecundùm quidem quòd deliberatio importat perceptionem rationis cum certitudine iudicij; licet non ſecundùm quòd importat inquiſitionem vel dubitationem de agēdis, hæc enim important imperfectionem & diſcurſum, & conſumunt tempus. Vnde per hoc intelligetur quod poſteà dicit, 3. part. quæſt. 34. ar. 2. quòd in Chriſto Domino non fuit deliberatio in illo primo inſtanti, negat quidem deliberationem, vt importat inquiſitionem, & dubitationem de agendis; non autem ſecundum rationem eſſentialem deliberationis; qualiter etiam eſt in Deo conſilium & deliberatio, vt importat perceptionem rationis cum certitudine iudicij. Sic etiam intelligitur quod dicit infra, quæſtio. 113. arti. 7. ad 1. quòd non ſemper cùm quis iuſtificatur, præcedit aliqua deliberatio, quia illa non eſt de ſubſtantia iuſtificationis; loquitur enim de deliberatione quantum ad inquiſitionem & dubitationem, non autem quā tum ad perceptionem rationis, & deliberationem iudicij: qua ergo ratione actus eſt liber, etiam debet eſſe humanus, & conſequenter deliberatus: & cùm prima volitio ſit libera quoad exercitium, & eodem modo deliberata: quia tamen illa deliberatio non eſt ab ipſa Voluntate ſe mouente, ſed ab Authore naturæ; ideò prima volitio ex illa deliberatione procedens etiam Authori naturæ tribuitur. Verum eſt, quòd in puero perueniente ad vſum rationis, quanuis conuerſio in Deum fiat in inſtanti; conſultatio tamen & deliberatio præcedens primam volitionem, regulariter non fit in inſtāti, quia ab imperfectioribus paulatim procedit ſed: hoc nihil ad præſens; quod enim dicimus, eſt, quòd illa deliberatio præcedens, ſiue fiat in tempore, ſiue in inſtanti, eſt imperfecta, non ſufficiens vt Voluntas ſe moueat per illam; ſed ſicut prima volitio, ita & prima deliberatio eſt à Deo, & in vtroque mouetur ab illo. Et ſi dicas, quia ſi primus actus eſt deliberatus, etiam haberet rationem electionis; deliberatio enim eſt, vt inter multa vnum præeligatur: ergo non poterit eſſe in inſtanti, & conſequenter prima volitio quæ in inſtanti habetur, nō eſt deliberata: Reſpondetur ex Conrado infrà quæſt. 112. art. 7. & Caiet. hic, quòd ille actus cùm ſit immediate circa finem, formaliter eſt intētio; quatenus autem quaſi reflectitur Voluntas per deliberationem ſupra ſe ipſam, vt eligat talē actum, virtualiter erit aliqualiter electio; & hæc non repugnat eſſe in primo inſtanti intētionis, vt dicit D. Tho. 3. part. quæſt. 34. art. 2. quòd Chriſtus Dominus in illo primo inſtāti habuit actum, qui non ſolum terminaretur ad finem, ſed etiam ad medium.

Obiectio. *Solutio.* *D. Thom. Ariſt.* *Obiectio.* *Solutio Cōradi & Caiet.* *D. Thom.*

Ad tertium reſpondetur, quòd Voluntas ante primum actum non eſt conſtituta in eſſe perfecto, ſed potiùs per illum conſtituitur, vt ad alios ſe poſsit mouere: vnde ad primum mouetur ab Authore naturæ, vt dictum eſt. *Ad 3. arg.*

Ad

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur, quòd licèt homo non se moueat in primo actu, multipliciter tamen in illo etiam distinguitur à brutis. Primò, quia brutum necessitatur in illo quoad exercitium & quoad specificationem; homo verò tantùm quoad specificationem. Secundò, quia licèt homo aliquando quoad actus subitos necessitetur etiam quoad exercitium; hoc tantùm est quoad primum esse exercitij, quia postmodùm in quolibet puncto prosequutionis potest cessare pro libito; quod non potest lapis, vel brutum, nisi cesset motio obiecti, aut præualeat altera; vnde quãuis omnis actio, siue lapidis, siue bruti, siue hominis, Deo tribuatur, tamen iuxta suam sapientiam quelibet tribuitur iuxta suam naturam, lapidis quidem merè naturaliter & insensibiliter; bruti autem naturaliter, tamen sensibiliter; hominis verò licèt naturaliter quoad specificationem, liberè quoad exercitium, vel saltem quoad prosequutionem. Vel dicitur, quòd licèt prima actio non esset libera in esse, esset tamen libera in effectu, quia est causa actuũ liberorum; siquidem naturalis volitio finis, est causa liberæ electionis mediorum; quod non habent actiones brutorum; omnes enim illæ sunt naturales.

Ad 5. arg. Ad vltimum respondetur, probare, primum actum per se ipsum posse esse liberum, & voluntarium, non autem in illo se mouere; quia ad hoc requiritur, partem distinctam assignare per se mouentem; quæ alia assignari non potest nisi per actum præcedentem; iste autem *Ad Conf.* respectu primi esse non potest. Ad confirmationem respondetur, quòd licèt Aristotel. solùm docuerit de Intellectu: consequenter tamen docet de Voluntate, quę consequitur Intellectum: vnde si primę intellectiones sunt à Deo, ita & primæ volitiones, quæ ad intellectiones consequuntur: prima enim intellectio cum prima volitione non ponit in numero, nec prima volitio potest appellari secunda respectu primæ intellectionis, sed absolute est prima: quia non solùm ex parte Intellectus, sed etiam ex parte Voluntatis deberet alia actio procedere, ex qua diceretur se mouere.

DVBIVM II.

Vtrùm in volitionibus finium particularium Voluntas etiam moueatur à Deo; an verò moueat se ipsam, propriè loquendo.

PRobatur primò quòd se ipsam moueat. Nam hoc videtur colligi ex ipsa ratione D. Thom. Ideò enim asserit in volitione finis moueri à Deo, ne detur processus in infinitum: sed hæc ratio tantùm currit de fine vniuersali & omnium primo, & de prima omniũ volitione circa ipsum, non autem de volutione circa fines particulares: ergo in huiusmodi poterit se ipsam Voluntas mouere. Probatur minor, nam etiamsi in huiusmodi se moueat, non dabitur processus in infinitum; poterit enim recurri ad omnium primam volitionem circa finẽ vniuersalem, in qua sistatur, vt ab Authore naturæ proueniente, & ex qua Voluntas procedat se ipsam mouens circa alios fines particulares; & hoc videtur etiã insinuare ipse D. Tho. 1. p. q. 82. art. 4. ad tertiũ, sequens Arist. 7. Ethic. vbi ad euitandũ processum in infinitũ, de primo tantũ actu Voluntatis docet, quòd sit ex motione Authoris naturæ; & art. præcedenti ad secundũ, dicit, quòd actus Volũtatis, quo vult finẽ, aliquãdo, nõ semper, est in ipsa Volũtate, & per hũc modũ Voluntas mouet se ipsam: & cùm hoc nõ possit intelligi de prima omniũ volitione circa finẽ vniuersalem, restat vt intelligatur de volitione finium particulariũ, quod in illa Voluntas moueat se ipsam. *1. Arg.*

Secundò argumentor. Fines particulares habẽt se vt media respectu vltimi finis: cùm ergo Voluntas moueat se respectu mediorum, etiam se mouebit respectu huiusmodi finiũ. Antecedens probatur, quia fines particulares respectu vltimi habent se sicut principia particularia respectu primi principij: sed principia particularia respectu primi sunt cõclusiones: ergo & fines particulares respectu vltimi sunt media. Confirmatur. In volitione finiũ particulariũ agit Voluntas formaliter, vel virtualiter propter vltimũ finem: ergo versatur circa huiusmodi fines vt circa media, mouẽdo se in illa. Consequẽtia patet, quia hoc denotat illud verbum Propter, & habitudinem medij ad finẽ, & quòd Volũtas *2. Arg.* *Confir.*

ex

ex motione finis vltimi in particulares moueatur; quod vtique est se ipsam mouere. Antecedens verò est communis doctrina Thomistarum, quòd quando quis à principio (verbigratia) retulit se in Deum, quãdo postmodum repentinè nec præuia cogitatione de huiusmodi relatione, exercet aliquod opus bonum, ad minus virtualiter, operatur in illo propter vltimum finem, ad quem primò se retulerat.

3. *Arg.* Tertiò argumentor. Intellectus informatus habitu principiorum, constituitur in actu primo, vt possit se reducere de potentia ad actum, assentiendo ipsis principijs; quapropter assensus principiorũ Intellectui tribui potest informato tali habitu principiorum: ergo similiter Voluntas per primam volitionem finis sufficienter erit cõstituta in actu primo, vt possit se reducere de potentia ad actum, appetendo fines particulares, sic vt talis appetitio Voluntati tribuatur, quia sic se habet finis in appetibilibus, sicut principium in speculabilibus.

4. *Arg.* Quartò argumẽtor. Volitio circa fines particulares est libera, & quo ad exercitiũ, & quo ad specificationẽ; potest enim velle, & non velle, & velle talem finem & oppositum eius: ergo in tali volitione se ipsam mouet. Patet consequentia, quia non videtur qualiter perfecta & omnimoda libertas reperiri possit in non se mouente; certè enim si lapis pro suo libito descenderet ad centrum, vel cessaret à motu, vel è contra ascenderet sursum, non diceretur à generante moueri, sed mouere se ipsum.

5. *Arg.* Quintò argumẽtor. Si volitio finis particularis est ab Authore naturæ, sequitur, quòd nulla illarum possit esse mala, & peccatum: consequens est falsum: ergo. Cõsequentia patet, nam hac ratione docuit D. Thom. 1. part. quæst. 63. artic. 5. quod prima volitio Angeli mala esse non potuit, quia erat ab Authore naturæ, & ideò illi tribueretur malitia talis volitionis. Minor verò probatur, quia cùm quis vult sanitatem vt finem particularem, potest apponere simul aliquam malam circunstantiam: ergo poterit esse peccatum.

6. *Arg.* Vltimò argumentor. Quando quis peccat mortaliter, tendit in finem, & nihilominus mouet se ipsum in tali volitione, quia à Deo in malum moueri non potest: ergo bene potest Voluntas se ipsam mouere circa finem. Maior probatur, nam per peccatum mortale constituit sibi homo finẽ vltimum in creatura: ergo illa volitio mortalis est circa finẽ. Confirmatur, nam, vt docet D. Thom. infra quæst. 88. hæc differencia reperitur inter mortalia & venialia, quòd venale est deordinatio circa media, mortale verò deordinat circa finem vltimum: relicto enim vltimo fine vero, auertitur peccator, vt amplectatur vltimum finem falsum, vtique creaturam ad quam cõuertitur; & hęc est vox omnium & doctrina Sanctorum, potissimè D. August. lib. 83. quæstionum, quæst. 30. tomo 4. vbi sic ait: Omnis itaque humana peruersitas est, quod & vitium vocatur, fruendis vti velle, atque vtendis frui: fruimur autem creatura, quandocunque in ea constituimus vltimum finem. *Conf.*

Propter hæc argumenta aliqui ex Thomistis tenẽt, circa fines particulares se mouere Voluntatem. Nihilominus tamen oppositam sententiam tenent communiter discipuli D. Thom. Caiet. infrà quæst. 111. art. 2. & 1. p. quæst. 82. art. 4. circa solutionem ad 3. D. Thom. Conradus hic, Ferrara. 3. contra Gentes, cap. 89. circa sextam rationem. Victoria relectione de eo qui peruenit ad vsum rationis, parte prima, circa finem. Medina hic, & Soto libr. primo de natura & gratia, cap. 16. Plures alij referri solent, inter quos AEgidius in 2. distinct. 25. quæst. 2. & quodlibet. 3. quæst. 16. *Sent.* *Caiet.* *Conrad.* *Ferrar* *Victoria.* *Medina.* *Soto.* *AEgidius.*

Pro intelligentia notandũ, finem, aliũ esse vltimum seu vniuersalem, quale est bonum, seu beatitudo in communi: alium verò particularem, quem quis in hoc vel in illo negotio intendit; & iste quidem finis duplicem inducere potest rationem, & medij, & finis. Si enim in ordine ad vltimum finem consideretur, rationem habet medij, & sic attingitur actu electionis. Si autem consideratur vt ipse actu intentionis attingitur, & vt est ratio volendi media quæ sunt ad ipsum, habet rationem finis. Hic ergo non agimus de fine particulari primo modo; sic enim, sicut diximus, Voluntatem se mouere circa media, sic etiam dicendum est se mouere circa finem particularem sumptum prędicto modo. Agimus ergo formaliter de fine particulari, vt finis est, secundum quòd ad ipsum tenditur prima volitione; prima (inquam) si nõ absolutè prima, quam nulla in tota vita præcesserit; prima tamen, quam nulla alia in hoc peculiari negotio præcesserit. In hac *Not.*

ergo

ergo prima volitione circa finē particularem, quæritur, vtrum Voluntas se ipsam moueat.

Concluſ. Concluſio ſit, In tali actu nullo modo ſe mouere Volūtatē, ſed moueri ab Authore naturæ, ſi finis eſt naturalis; vel ſi ſupernaturalis eſt, ab Authore gratiæ. Hæc videtur expreſſa D. Th. hic, vbi cū doceat, Voluntatem moueri à Deo circa finē, appoſui exē dum de fine particulari; de eo videlicet qui incipit velle ſanari; & infrà, q. 11. ar. 2. expreſſe docet, quòd cū Volūtas incipit velle bonum, quæ prius malum volebat, habet ſe vt mota à Deo; Deus vero habet ſe vt mouens: quod ibi explicat *Caiet.* Caiet non de inceptione totius vitæ tātū, ſed de quacunque inceptione ad bonū in progreſſu vitæ: propterea enim dixit D. Th. Cùm Voluntas incipit velle bonum, quæ prius malū volebat; vt denotaret, illā inceptionem volendi bonum, nō eſſe omnium primam volitionem; cùm ipſam iam præceſſiſſet volitio peccati; ſed eſſe primā in hoc peculiari negotio conuerſionis peccatorum. Secundò probatur. Mouere ſe Voluntatem, eſt procedere ex conſilio & deliberatione, vt ſuprà diximus: ſed actus circa finem etiam particularem non procedit ex conſilio & deliberatione, quia de fine nec eſt conſilium, nec deliberatio, vt *Ariſt.* docet Ariſt. 3. Ethic. c. 3. & *D. Tho.* D. Tho. infrà, q. 14. ar. 2. ergo in tali actu circa finem Voluntas non ſe mouet. Tertiò probatur. Licèt in Intellectu præceſſerit aſſenſus cōmuniſſimi principij, Quodlibet eſt, vel nō eſt: quando tamen poſtmodùm aſſentitur alijs principijs particularibus, non ex virtute prioris, nec per illationem ex illo, ſed immediatè & abſolutè, ipſis adhærendo, Intellectus tunc non ſe mouet, quia modus ſe mouendi eſt per diſcurſum, & tunc ſine illo adhæret talibus principijs: ergo ſimiliter licèt in Voluntate præceſſerit volitio finis vniuerſalis, non ſe mouebit, quādo poſtmodùm fertur circa fines particulares, ſi circa illos fertur, non ex vi prioris volitionis finis vniuerſalis, quod eſſet ferri in illos fines vt in media; ſed ſi fertur in illos abſolutè, & immediatè & per modū finium quod eſt non ratione alterius, ſed ratione propriæ bonitatis illos appetere. Cōſequētia iſta patet, quia, vt ſæpe diximus, ſic loquēdū eſt de finibus in ordine ad Volūtatē, ſicut de principijs in ordine ad Intellectum. Quartò probatur, quia experientia cōſtat, quòd ſæpe nihil nobis cogitantibus veniat in mētē cogitatio, & deſideriū rapiens Volūtatē reſpectu alicuius finis; ſed huiuſmodi volitio nec poteſt nobis tribui, qui nihil vnquàm cogitauimus de tali re, nec etiam tribui poteſt Angelo, qui Voluntatem noſtram efficaciter mouere non poteſt, vt ſuprà diximus: ergo hoc tribuendum eſt Deo rapienti Volūtatem ad bonum, vt verificetur illud Prouerbiorum. 21. Cor Regis in manu Domini; quocunque voluerit, inclinabit illud. *Prouer. 21* Et. 1. Machab. 4. Incidit illi conſilium bonū. *1. Mac. 4.* Quintò probatur, nā Deus, vt Author gratiæ, mouet hominē ad fines particulares ſupernaturales, qui vocāturmotus Spiritus ſancti, quos homo ignorat vnde proueniāt, iuxta illud Ioannis. 3. Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat: ergo ſimiliter vt Author naturæ, propter peculiarem prouidētiā quā gerit naturæ intellectualis, mouebit Volūtatem humanam ad peculiares fines naturales. *Ioan. 3.* *Obiectio.* Et ſi contra prædicta facias argumentum; nam in ſupernaturalibus, quando quis incipit velle bonū, ille actus eſt meritorius: ergo mouet ſe Voluntas in illo; naturalibus enim, & his in quibus Voluntas agitur, nec meremur, nec demeremur: quapropter & huiuſmodi actus à Cōcilio Trid. ſeſſe. 6. c. 5. appellatur gratiæ cooperantis, cū dicitur, quod gratiæ Dei excitāti liberè aſſentimur & cooperamur. *Conc. Trid.* Si autē non ſe moueret, ſed moueretur, nō ad cooperantem, ſed ad operantem gratiā pertineret. Vnde & in ſacris literis ad huiuſmodi actus prouocamur, tanquàm ſi ad illos nos ipſos mouēamus, cū dicitur: Cōuertimini ad me: & fruſtra eſſent conſilia & monitiones, ſi Deus in nobis id deberet facere, & nō nos ipſi ad tales actus moueremur à nobis ipſis. *Solutio.* Reſpōdetur, q̄ primus actꝰ cōuerſionis, prout natura gratiā præcedit, ad operantē pertinet, & in illo nō dicitur Volūtas ſe mouere, ſed moueri à Deo, licèt iuxta naturā ipſius Volūtatis; liberè; vnde locum habēt admonitiones prædictæ: qua enim parte liberi ſumus, dicitur, Cōuertimini ad me; qua verò parte ad gratiā operantem pertinet cōuerti, qua ratione nos ipſos nō nos mouemus, dicimus, Cōuerte nos, Domine, ad te, & cōuertemur: & hac ratione actus cōuerſionis meritorius nō eſt: ſecūdū autē quòd talis natura ſubſequitur gratiā, eſt meritorius, & vt ſic, Volūtas mouet ſe ipſam, quia vt ſic, pertinet ad gratiam cooperantem.

Ad 1. arg. Ad primũ argumentũ à principio respondetur. Primò, illam rationem D. Th. procedere de actu circa finem vltimum: sunt autem aliæ rationes assignatæ ex ipso D. Tho. vt etiam circa fines particulares nõ se moueat Voluntas, quia circa illos non procedit ex consilio & deliberatione. Secundò respondetur, quòd cùm fines particulares etiam in peculiari negotio, debeãt habere rationem primi, probatur, quòd vt non abeatur in infinitum, deueniendũ est ad ipsum finẽ, in quo sistatur, & à quo procedat tota series illius negotij, ita vt volitio talis finis non ex alia procedat, & consequenter in illa non se mouet Voluntas; quia se mouere, est ex alio priori præcedente agere. Itaque sicut Intellectus in aliqua peculiari scientia deuenit vsque ad principia illius, in quibus sistit, tãquam in primis, licet aliàs alia communiori ratione possit illa reducere ad communissima principia, qua ratione iã non cõsiderãtur vt principia, sed vt cõclusiones; ita Voluntas licèt finem particularem possit reducere ad finem vltimum, qua ratione finis particularis habet rationem medij; secundùm tamen quòd hoc peculiare negotiũ gerit, tendit in finem particularem huius negotij, non ex alio priori se sistens in illo, vt in primo: de quo videatur Caiet. infrà q. 88. art. 5.

2. Solutio.

Caiet.

Ad 2. arg. Ad secundum arg. resp. probare de fine particulari vt habet rationem medij, nõ autem vt habet rationẽ finis; vt sic enim non tẽdit in ipsum ratione vltimi finis, nec formaliter, nec virtualiter, sed per accidẽs omnino se habuit antecedẽter actũ intẽtionis circa finẽ vltimũ. Sicut quãdo fertur Intellectus in principia alicuius scientiæ particularis, vt principia sunt, & nõ vt cõclusiones; nõ fertur in illa ratione cõmunissimi principij, nec formaliter, nec virtualiter, sed omnino per accidẽs præcessit assẽsus circa cõmunissimum principium. Ad illud autẽ, quòd quando aliquis prius se retullerat in Deum, quando postmodùm peculiariter incipit aliquod negotium bonum, meretur: ergo prior relatio influit in hanc inceptionem negotij particularis, & cõsequenter ratione huius mouebit se in hac inceptione: Respondent aliqui, quòd ad meritũ sufficit relatio habitualis, nec requitur actualis; hoc est, sufficit subiectum esse in gratia, licet virtute prioris actus modò in hac inceptione negotij nõ referatur, nec formaliter, nec virtualiter: est ergo hæc inceptio meritoria, quia fit à subiecto grato, non autem mouet se in illa, quia non agit ex virtute prioris actionis. Sed melius respondetur secundùm alios, actum subsequentem non esse meritorium nisi per influxum formalem, vel virtualem prioris relationis in Deũ; vnde semper quòd meretur, mouet se in tali actione, quia iã agit ex priori actu formaliter vel virtualiter; & sic tunc non fertur in finem particularem, vt finis est, sed vt medium est.

Ad 3. arg. Ad tertium resp. quòd Intellectus etiã informatus habitu principiorum, non se mouet ad assensum communissimi & primi principij, quia non procedit per discursum quo se deberet mouere, sed mouetur & applicatur ab Authore naturæ, posito autem illo primo assensu, bene potest seipsum mouere per discursum ad assensum principiorum particularium, secundùm quòd sunt conclusiones primi principij. Si autem debeat ferri in principia particularia absolutè, vt principia sunt, non se ipsum mouet Intellectus, quia non per discursum procedit, sed simplici intuitu per applicationem Authoris naturæ. Ita ergo dicitur de Voluntate, quòd ad vltimum & comunissimum finem non se mouet, sed à Deo mouetur: ex tali autem motu potest se ipsam mouere ad fines particulares consideratos vt media respectu finis communissimi. Si autem debeat ferri in tales fines vt fines sunt, debetesse à Deo mota: quia vt sic, non supponitur prior actio concurrẽs ad talẽ volitionẽ, quia quæ præcesserat cõmunissimi finis, per accidens se habet, nec influit in istam, quia eo ipso quòd influat, iam non tenditur in finem particularem vt finis, sed vt medium, de cuius ratione est quòd propter aliud operetur.

Ad 4. arg. Ad quartum argumentum respondetur, quòd in prima volitione aliquãdo Voluntas ita subitò & indeliberatè incipit, quòd non liberè incipiat, licèt postmodũ liberè continuet: potest enim in continuatione actus superuenire aduertẽtia; aliquãdo tamen etiam à principio incipit liberè velle & ex aduertẽtia procedere: nihilominus etiã tunc non se mouet, sed mouetur à Deo, iuxta naturã ipsius Volũtatis, liberè: vnde ex libertate non infertur, q à se ipsa moueatur, potest enim liberè à Deo moueri, quia supra liberè agere, addit se mouere, quòd applicatio sit à se ipsa; quod nõ reperitur etiam respectu primæ volitionis liberæ; cùm ad illam non præcedat delibe-

ratio,

ratio, ratione cuius pōssit applicari. Aduer te tamen, quòd licèt inceptio primæ volitionis, liberæ siue necessariæ, semper sit à Deo mouente; continuatio tamen potest esse à Voluntate se mouente: quia licèt ad primā inceptionē nō præcedat cōsultatio, ratione cuius à se ipsa moueatur: potest tamen, semel incepta volione, superuenire consultatio, vt amplius continuetur; & sic continuatio erit ex cōsultatione, & cō sequenter Voluntas mouebit se in tali cō tinuatione: quapropter talis continuatio non est formalissimè circa finem, sed circa medium: ex consultatione enim comparatur continuatio, velut medium ad ipsam inceptionem, veluti ad finem: per continuationem enim, veluti per medium, obtinet conseruationem actionis inceptæ.

Ad 5. & 6. arg. Ad quintum & sextum argumentum aliqui respondent, quòd D. Tho. non loquitur de omni fine, sed tantùm de fine bono; sic enim posuit exemplum; vt cū quis incipit velle bonum: vnde quando ad malum finem tendit, se ipsam Voluntas mouet, & non à Deo mouetur. Cæterùm hęc solutio insufficiens est, quia destruit generalem doctrinam D. Th. & rationem eius, quæ de omni fine currit. *2. Solut.* Secūdò ergo alij respondent, quòd etiam quando Voluntas tendit in malum finem per peccatum, mouetur à Deo, non quidem ad malitiam, sed ad substantiam actus; vnde malitia tantùm Voluntati humanæ tribuitur; & quātuncunque fiat reduplicatio, quòd ille actus, vt malus & peccatū mortale, habet rationem intentionis: ergo vt sic etiam erit à Deo: Semper debet responderi distinctione assignata; Quantum ad substantiam cōcedo; quantum ad malitiam, nego. *Obiectio.* Et si rursus arguas, quia sic etiam posset dici, quòd prima omnium volitio à principio vitę (v. gratia, in Angelo) potuerit esse mala, quia quando arguitur, quòd malitia tribueretur Authori naturæ, poterit respōderi, negando consequentiam; quia licèt substantia illius actus sit à Deo, malitia tamen tantùm à Voluntate creata: Hoc autem est contra D. Tho. asserentem, quòd quia illa prima actio est à Deo, ideò non potest esse peccatum; quia malitia tribueretur Deo causanti specialiter illum actum: ergo idem dicēdum erit de prima volitione in peculiari negotio, vel quòd non est à Deo specialiter mouēte, vel quòd nō potest esse peccatū: *Solutio.* quia tūc malitia, & nō solū substātia actus tribueretur Deo: Respōdetur tamē, sustinēdo prædictā secūdā solutionē, nō esse eādē rationē de prima omniū volitione, & de prima tātū in peculiari negotio; nā illa cū sit quasi primus fructus naturæ, in quē primò natura prorūpit, in integrū Authori naturæ debet attribui; vnde mala esse non potest, ne malitia Deo tribuatur. Prima autē volitio in peculiari negotio nō ita naturæ cōiūcta est, vt in integrū Authori naturæ tribuatur; vnde sufficit tribui quantū ad substātiā, & nō quātū ad malitiā: sed hæc in Voluntatē creatā refundi debet. Tertiò tamē melius respōdetur, quòd prima volitio, etiā in peculiari negotio, secūdū quòd habet rationē intētionis, nullatenus potest esse peccatū; sed cū sit à Deo, semper est bona: si autē in cōtinuatione peccatū euenerit, iā deficiet à ratione intētionis, & induet electionis rationē: peccatū enim mortāle, consiliū & deliberationē supponit; vnde necessariò circa media debet esse; nec in hoc à peccato veniali distinguitur. Qualiter autem dicatur, quòd peccatū mortale ponit vltimū finem in creatura: Respondetur, quòd non dicitur versari circa finē vltimū, sed quòd ponit vltimū finē in creatura; quia dū versatur circa propriū obiectū, quod habet rationē medij deliberati, & cōsultati, destruit vltimū finē verū; scilicet Deū, in quē tale obiectum peccati vt mediū ordinari non potest, & cōsequēter ponitur vt vltimus finis ipse operās, ad quē vt mediū ordinatur obiectū peccati mortalis. *3. Solut.* *Obiectio.* Et si rursus quæras, quòd si ille actus peccati mortalis semper est electio, assignari debebit alius prior actus intētionis, à quo Volūtas moueatur per cōsiliū & deliberationē ad talē electionē peccaminosam; & tūc inquiro: Vel ille actus prior intentionis est malus, vel bonus. Si primū, manet soluēdū argumētū, qualiter actus intētionis est malus, cū sit à Deo. Si secūdū, qualiter intētio bona est principiū se mouēdi ad malū; *Solut. 1.* Respōdetur tamen, quòd omni actui peccati mortalis, cū habeat rationē electionis, assignādus est prior actus intentionis, à quo proficiscatur; & iste talis est amor sui naturalis; ex proprio enim amore omne peccatū originatur, vt frequēter reperitur in *D. Aug.* Augustino in libris de Ciuit. quòd amor sui vsque ad cōtēptū Dei, ędificat ciuitatē Babylonis; & iste quidē amor ex se bonus est, & prout habet rationem intētionis, & à Deo: potest autem postmodùm ex praua electione vitiari; finis enim secundū se

bonus,ex parte operantis vitiatur,cùm intenditur per malum medium,vt si quis furatur ad dandam eleemosynam; vnde formalissimè loquendo illa malitia non est in intentionis,etiã prout in ipsa intentione reperitur,sed electionis, ad intẽtionem deriuata; vnde semper malitia illa se tenet ex parte Voluntatis se mouentis per electionẽ,& non ex parte Dei mouentis ad intẽtionem;vnde si ille finis tũc dicitur malus, & sic specificat actionem malam,quæ ex fine speciem sumere debet,non est quiaipse finis absolutè habeat malitiam,sed vt consequibilis per tale mediũ,quod vtique est reducere totam malitiam ad medium,&ad Voluntatem se mouẽtem ad illud. Vel clariùs respõdetur,quòd actus intẽtionis proprij amoris licèt sit bonus, potest tamen esse origo prauæ electionis, non secundùm se,sed ex malitia operantis;sic enim se habet deliberatio & cõsultatio originata ab intẽtione perueniens ad electionem ,sicut discursus incipiens à principio ,terminatus ad conclusionem: sicut ergo ex principio vero per rectum discursum,falsum inferri non potest,bene tamẽ per malam cõsequentiam,& prauũ discursum;sic in Voluntate ex intentione bona proprij amoris, si deliberans & consultans rectè procedat,praua electio deduci non potest;sequitur autẽ praua electiomoralis ex bona intẽtione amoris naturalis, defectu consilientis ,errat enim omnis qui peccat.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Voluntas moueatur à corpore cœlesti.

1.q.15.ar. 3.& 4.& 2.2.q.95. ar. 5.6.& 7.& 2.d. 15.q.1.ar. 2.& 3.& 3.contr.c. 84. vsque ad 93.& verit.q.5. ar.9.& 10 & opus.2. & 129. 130.& 161 & opus.10 art.19.&

AD quintũ sic proceditur. *Videtur quòd Voluntas humana à corpore cœlesti moueatur. Omnes enim motꝰ varij, & multiformes reducũtur,sicut in causam,in motũ vniformẽ,qui est motus cœli ; vt probatur octauo † Physic. Sed motus humani sunt varij,& multiformes,incipiẽtes postquã prius nõ fuerãt: ergo reducũtur in motũ cœli,sicut in causam, qui est vniformis secundumnaturam.*

2 Præt.Secũdũ Aug.in.3 .de Trinit.corpora inferiora mouẽturpercorpora superiora : sed motus humani corporis,qui causatur à Voluntate, nõ posset reduci in motũ cœli,sicut in causam,nisi etiã Volũtas à cælo moueretur:ergo cælũ mouet Volũtatem humanam. opus.2. c. 5.& opus. 26.libr.8. tex.76.to. 2. Cap. 4. in princ.to.3.

3.Præterea.Per obseruationẽ cælestiũ corporũ Astrologi quædã vera prænũtiãt de humanis actibus futuris qui sunt àVolũtate:quod nõ esset si corpora cælestia Volũtatem hominis mouere non possent :mouetur ergo Voluntas humana à cælesti corpore.

Sed cõtra est quod † Damas. dicit in.2.lib. quòd corpora cælestia non sunt causa nostrorũ actuum ; essent autẽ,si Voluntas,quæ est humanorũ actuũ principium,à corporibus cælestibus moueretur:non ergomouetur Voluntas à corporibus cælestibus. Cap.7.parũ à med.

Respon.dicendum , quòd eo modo quoVoluntas mouetur ab exteriori obiecto,manifestum est quòd Voluntas potest moueri à corporibus cælestibus,in quantũ scilicet corpora exteriora,quæ sensui proposita mouẽt Voluntatẽ,& etiam ipsa organa potentiarũ sensitiuarũ , subiacẽt motibus cælestiũ corporũ: sed eo modo quo Volũtas mouetur quantũ ad exercitiũ actus ab aliquo exteriori agente,ad huc quidã posuerũt,corpora cælestia directè imprimere in Voluntatem humanam: sed hoc est impossibile ; Voluntas enim, vt dicitur in.tertio de anima,† est in Ratione .Ratio autem est potentia animæ Text. 42. tom.2.

non

non alligata organo corporali: vnde relinquitur, quòd Voluntas sit potentia omnino immaterialis & incorporea: manifestum est autẽ, quòd nullum corpus agere potest in rem incorpoream, sed potius è conuerso, eo quòd res incorporeæ & immateriales sunt formalioris & vniuersalioris virtutis, quàm quæcunque res corporales; vnde impossibile est, quòd corpus cæleste imprimat directè in Intellectum aut Voluntatem. Et propter hoc Arist. in lib.† de anima, recitans opinionem dicentium quòd talis est Voluntas in hominibus, qualem in eis inducit pater deorum, virorumque, scilicet Iupiter, per quem totum cælum intelligunt, attribuit eis qui ponebãt, Intellectũ non differre a sensu; omnes enim vires sensitiuæ, cũ sint actus organorũ corporaliũ, per accidens moueri possunt à cælestibus corporibꝰ, motis scilicet corporibus quorum sunt actus. Sed quia dictum est, quòd appetitus intellectiuus quodammodo mouetur ab appetitu sensitiuo, indirectè redũdant motus cælestium corporum in Voluntatem, in quantum scilicet per passiones appetitus sensitiui Voluntatem moueri contingit.

Lib. 2. tex. 150. to. 2.

Ad primum ergo, dicendũ, quòd multiformes motus Volũtatis humanæ reducuntur in aliquam causam vniformem, quæ est in Intellectu & Voluntate superiorum: quod nõ potest dici de aliquo corpore, sed de aliqua superiori substantia immateriali; vnde non oportet quòd motus Voluntatis in motum cæli reducatur, sicut in causam.

Ad secundum dicendum, quòd motus corporales humani reducuntur in motum cælestis corporis, sicut in causam, in quantum ipsa dispositio organorum congrua est ad motum aliqualiter ex impressione cælestium corporum, & in quantũ etiã appetitus sensitiuus commouetur ex impressione cælestium corporum: & vlteriùs in quantum corpora exteriora mouentur secundum motũ cælestium corporum, ex quorum concursu Voluntas incipit aliquid velle & non velle: sicut adueniente frigore incipit aliquis velle facere ignem: sed ista motio Voluntatis est ex parte obiecti exteriùs præsentati non ex parte interioris instinctus.

Ad tertium, dicendum, quòd, sicut † dictum est, appetitus sensitiuus est actus organi corporalis; vnde nihil prohibet, ex impressione corporum cælestium aliquos esse habiles ad irascendum vel concupiscendum, vel aliquã huiusmodi passionem: sicut & ex complexione naturali plures hominum sequuntur passiones quibus soli sapientes resistunt, & ideò vt in pluribus verificantur quæ pronuntiantur de actibus hominum secundum considerationem cælestium corporum: sed tamen vt Ptolemæus dicit in† Centiloquio, sapiens dominatur astris, scilicet qui resistens passionibus, impedit per Voluntatem liberam, & nequaquàm motui cælesti subiectam, huiusmodi cælestium corporum effectus: vel vt † Augustinus dicit

† Art. 2. huius q. & p. q. 80. & 81

† Parum à princ. libri.

† Cap. 17. cit fin. to. 3.

cit 2. super. Genes. ad literam, fatendum est, quando ab Astrologis vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici quæ nescientes humanæ mentes patiuntur: quod cùm ad decipiendum homines fit, spirituum seductorum operatio est.

1. *Concl.* Prima conclusio. Voluntas potest moueri à corpore cœlesti ex parte obiecti.

2. *Conc.* Secũda conclusio. Impossibile est quòd corpora cœlestia aliquid imprimant directè in Intellectũ aut Volũtatem influẽdo.

3. *Concl.* Tertia conclusio. Per accidens & indirectè potest Voluntas moueri à corpore cœlesti, scilicet ex parte appetitus sensitiui per redundantiam.

Not. Circa primam conclusionem huius articuli notandum, quòd corpora cœlestia nullo modo possunt mouere directè nostrã Voluntatẽ, ratione D. Th. quę optima est. Quod enim inferius & corporale est, in spirituale & superius directè agere nõ potest: semper enim causa directè agens superior & eminentior debet esse; ex se quidẽ, si est causa principalis; ex eleuatione verò, vel adiunctione ad aliud, si est causa instrumentalis: quapropter species existens in cogitatiua, si efficienter concurrit ad producendum speciẽ eminentiorem & spiritualẽ in Intellectu, hoc habet ex adiũctione & cõcursu Intellectus agẽtis eleuãtis ipsam ad genus spiritualium; & si Voluntas mouet Intellectũ efficienter, ideò est, quia aliqualiter in genere mouentis excedit ipsum: habent enim se Voluntas & Intellectus sicut excedens & excessum; & licèt absolutè Intellectus sit superior, in genere tamen mouentis Voluntas superioritatẽ habet. Cũ ergo corpora cœlestia, nec ex se, cùm corporalia sint, nec ex adiunctione ad aliud, sint supra Volũtatẽ; ideò nec principaliter, nec instrumẽtaliter possunt efficienter in Volũtatem agere: licèt enim Angelo mouenti coniungãtur, prædictum influxum habere nõ possunt; quia nec Angelus habere potest; soli enim Deo immediatè subijcitur Voluntas nostra. Si autem à Deo corpus cœleste de potentia absoluta eleuari possit, vt instrumentaliter efficiat in nostram Voluntatem, nihil ad præsens; licèt de hoc non debeat esse dubium: de facto tamẽ corpora cœlestia tãtũ cõcurrũt ex parte obiecti; & nullo modo efficiẽter, nec etiã indirectè; quia quod dixit D. Tho. indirectè posse mouere Volũtatẽ, nõ est in genere efficienti, sed ex parte obiecti; vt enim aliquid obiectiuè moueat, non requiritur esse superius potẽtia mota: immò regulatur obiectũ inferius & imperfectius est, & ab ipsa potentia eleuatur & nobilitatur. Mouent ergo corpora cœlestia Volũtatẽ ex parte obiecti dupliciter. Primò, secundũ quòd impressiones corporum cœlestium in ista inferiora corpora aliquid influunt; ex quo causatur in nobis (sensibus ea percipiendo) aliqua electio, quæ aliàs nõ fieret; vt cũ ex impressione cœlesti disponitur aer ad frigus intẽsissimum, eligimus calefieri, vel quoduis aliud quod tẽpori cõueniat. Secũdo modo corpora cœlestia mouere possunt, nõ solũ immutando res exteriores, sed immutãdo etiam organa nostrarũ potẽtiarũ sensitiuarũ, & ex cõsequẽti efficiẽdo quòd aliquid appareat conueniens vel disconueniens, quod antea nõ apparebat. vnde Volũtas mouetur ad volẽdũ quod aliàs nõ vellet. Verbi gratia, ex impressione cœlesti potest taliter lingua affici cholera, quòd appareat amarũ, quod re vera est dulce: & oculus similiter immutari potest, vt aliter res visæ appareãt & percipiãtur. Similiter homines ex aliqua cœlesti influentia reddi possunt faciles & habiles ad aliquas passiones; sicut cholerici sunt proni ad irã: Hispani, qui natura sunt calidiores, faciliùs eligunt bella & discordias, quãuis & hoc ex superbia etiam proueniat; inter superbos enim semper sunt iurgia, vt testatur Sapiẽs: Germani verò, qui natura sunt frigidiores, faciliùs eligunt vinũ, & potiùs merum quã bellũ. Sic ergo mouere corpora cœlestia nostrã Volũtatem, nõ est aliquid agere aut imprimere in ipsam Volũtatem, sed solũ est applicare materiam, vt præsentet obiectum, vel admouere ipsum obiectũ. Quapropter D. Th. 1. p. q. 84. ar. 6. ait, *D. Tho.* quòd tota actio sensibiliũ rerũ nõ potest quicquã imprimere in Intellectũ aut Voluntatem.

Secũdò notãdũ circa secũdã cõclusionẽ, *Not.* q̃ licèt corpora cœlestia possint imprimere & immutare corpora & sẽsus humanos, vt ex ipsorũ impressione aliqui fiãt amẽtes, & omnino priuativ su rationis, qui solũmodo ueãtur per instinctũ naturalem, sicut bruta animalia: verũtamẽ hoc nõ est mouere Volũtatẽ directè, nec inclinare illã quoad exercitiũ, sed solũ est ex parte obiecti cõcurrere,

rere, immutando iudicium practicum, vel ex parte appetitus sensitiui concurrendo per quandam redundantiam ex passione affectando, & aliter obiectum proponendo: quapropter hæc secunda cõclusio eadem certitudine Fidei est habenda, qua habetur, in nobis esse liberum arbitrium ad prosequendum bonum, & fugiendum malũ. Si enim corpus cœleste imprimeret in Voluntatem efficienter & directè, non libere, sed ex determinatione ageret, contra illud Iob 35. vbi illi amicus arguit Iob, quòd non dixerit: Vbi est Deus qui fecit me? qui dedit carmina in nocte, qui docet nos super iumenta terræ & super volucres cœli erudit nos? Dat enim Deus carmina in nocte, hoc est, hominibus in aduersitatibus quasi in nocte & nubilo tribulationũ degentibus ita suam consolationem, & internum gaudium immittit, vt etiam cantare eos faciat, & gratias agere in cordis lætitia. Vel aliter interpretatur, quòd dedit carmina in nocte, quia per reuelationem in somnio nocturno, vel inquiete cõtemplationis Patribus antiquis dogmata humanę instructionis dabat, quæ vtique antiquitus carminibus comprehendebantur. Ecce in prædicta sententia qualiter nostræ intelligentiæ & prouidentię & eruditiones non reducuntur ad impressionem corporum cœlestium, sicut in auibus contingit, quæ ex impressione cęli garriunt; sed ad ipsum Deum super hæc omnia homines eruditen tem rediguntur. Hoc ipsum etiam clariùs habetur Ieremiæ 10. Iuxta vias Gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes, quia leges populorum vanæ sunt. Et Deutero 4. Ne forte eleuatis oculis ad cœlum, videas Solem & Lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt. Licèt enim ad literam loquatur Moyses de errore infidelitatis, quò putarêt astra esse Deũ, insinuat tamen, quòd medium ad id existi mandum proueniat ex eo, quòd quis credat ea mouere & causare aliquid in spiritu nostro: quapropter docemur, quòd Volũtates nostræ eleuatæ sint supra virtutẽ corporũ cœlestiũ; sic vt vera sit illa sententia Ptolemæi relata à D. Th. ad tertium, quòd vir sapiens dominabitur astris, per liberũ vtique arbitrium; vt verificetur sententia Chrysost. quòd nemo lædatur nisi à seipso. Videatur Castro lib. 7. aduersus hæreses, verbo Fatũ, vbi ad longũ docet, Volũtatẽ nostram syderibus non esse subiectã. Videatur etiã Bañez 1. p. q. 83. ar. 1. vbi docit de Fide, in nobis esse liberũ arbitriũ supra influxum syderum. Videatur etiã D. Tho. ratione naturali id demonstrans 3. contra Gent. à c. 84. vsque ad 87. vbi elegãter docet, quid possint corpora cœlestia in animam & Voluntatem nostram. Videatur etiam 1. p. q. 115. & 116.

Iob 35. *Ierem. 10.* *Deut. 4.* *Ptolom.* *D. Chrys. Castro.* *Bañez.* *D. Tho.*

Tertiò notandũ circa solutionẽ ad tertiũ D. Th. dupliciter enim respondet ad argumentũ positũ de Astrologis prænũtiãtibus futura. Primò dicit, q licèt sydera nõ agant directè in animam: agunt tamen in corpora, causando diuersas complexiones, quę vtique causant diuersas passiones, quas plerique sequimur per Voluntatem. V. g. qui nascuntur sub Mercurio, inclinãtur ad scientias; qui sub Ioue, ad principatus; qui sub Marte, ad bella: & cùm hæc dignoscere possint inspectis cœlis ex dispositione syderum, ideò aliquando vera præ nuntiant: verumtamen hæc nõ faciunt certitudinẽ, vt aliqui ipsorum putant, nec possunt quidquam certi de his à Volũtate pẽdentibus statuere; semper enim superest in nobis liberum arbitrium ad sequẽdum quod placuerit, & multo plus facit educatio & consuetudo recta, & societas bonorum, quàm quæcunque inclinatio syderum: maiorem enim vim habet Voluntas ex se ad hæc, quàm cœlum & omnes Angeli habeant supra corpus; præsertim quòd opitulante Christi gratia, facilè possumus ista omnia incommoda rescindere, sicut alter Sanson, Iudicum 16. facilè omnia disrumpebat vincula ex fortitudine proueniente à capillis residentibus in capite. Sunt ergo mentitores impudentissimi aliquando isti Astrologi, quando diuinant de futuris euentibus humanis; tùm quoniam aliquando sunt ignorantes in consideratione syderum, cùm innumerabilium stellarum influentias ignorent; tùm etiam, quoniam cogitationes cordium & futura contingentia, vt dictum est, non proueniunt ex necessitate à corporibus cœlestibus; vnde nec ipsi dæmones ea possunt cognoscere, sed solus Deus, vt dicitur Esaiæ 41. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis vos, quasi pro comperto habito, quòd solus Deus potest futura annũtiare & prædicere. Et Ieremiæ 17. Prauũ est cor hominis & inscrutabile; quis cog-

Not. 3. *1. Solut.* *Indic. 16.* *Esaiæ. 41.* *Ierem.*

noscet illud? Ego Dñs scrutans cor, & probans renes. Et 3. Regum 8. & 2. Paralip. 6. in illa sapientissima deprecatione ait Salomon: Tu enim solus nosti corda filiorum hominum. Et 1. Corinthior. 2. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Secundo respondet D. Th. ex Aug. 2. super Genes. ad literam, c. 17. tom. 3. quòd aliquãdo vera dicunt isti Astrologi de occultis vel futuris: id tamen faciunt instinctu dæmonum, qui conijciunt res non solum ex cælo, sed ex multis alijs, cũ sint viuacissimi ingenij, & malitia vetustissimi; idq; etiam Deo permittente propter nostra delicta; non quòd sciant res futuras certo, sed valde probabiliter conijciunt illas. Quapropter valde timendum est de Astrologo pluries dicente verum, & nimis assertiuè. Et pro clariori huius intelligentia

3. *Reg.* 8.
2. *Paral.* 6.
2. *Cor.* 2.
2. *Solut. D. Aug.*

Not. 4. Notandum quarto, quòd illa de quibus Astrologi possunt iudicare, sunt in quadruplici differẽtia. In primo genere sunt eccly pses, & ortus, & occasus Solis, syderũque oppositiones. De istis quidem veram habent scientiam, & certè de illis possunt iudicare secundum cuentum naturalem, cũ reuerentia tamen debent huiusmodi sententias proferre, quia Deus est supra scientiam naturalem, & potest facere vt oppositum contingat: vt accidit in Christi passione, & refertur etiam Iosue 10. & 4. Reg. 20. immò de facto aliquando decepti sunt Astrologi sua scientia iudicantes de ecclypsi: quod etiam nostris temporibus vidimus non esse adimpletum. In secundo genere sunt de quibus Astrologus potest iudicare sua scientia: verbi gratia, siccitas & humiditas terræ; licèt etiam in istis multoties decipiantur, dum in singulari voluntista prædicere; contingit enim aliquando oppositum, vel quia Deus impedit effectum istarum causarum, vel quia aliquando tribuit pluuiam pro orationibus hominum; vel etiam aliquando negat, in punitionem peccatorum; quapropter in istis sæpissime miracula contingunt iuxta illud psalmi 106. Posuit flumina in desertum, & terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea. Decipiuntur etiam regulariter, quia non possunt cognoscere omnium syderum cõiunctiones, & oppositiones, neque omnium influentias; quia & inter ipsos Astrologos variè sunt de his sententiæ; & etiam quia huiusmodi effectus non solùm dependent à corporibus cœlestibus, sed etiam ab elementis & mixtis concurrentibus vt causa pluuiarum: quæ omnia simul Astrologꝰ cognoscere nõ potest, vt insinuat Iob. 38. Nunquid nosti ordinem cœli? quasi reputans hoc non esse possibile. In tertio genere sunt effectus in ipsis hominibus recepti, vt quòd vnus inclinetur ad diuitias, alius ad dominãdũ, alter ad actꝰ venereos, &c. quę in compositione & cõplexione hominis consistunt. De istis etiã potest Astrologus cognoscere perinfluentias cœlestes, licèt regulariter errent propter rationes positas in secundo genere; & quia etiam huiusmodi complexiones non solùm à cælestibus, sed etiam à complexione parentum & duorum generantium dependent, quorum omnium complexiones Astrologus cognoscere non potuit; quapropter ex complexionibus frustrà diuinant de futuris contingentibus. Vbi notandum, quòd licèt complexiones & huiusmodi inclinationes ex influentia cœlesti proueniant, non est dicendum, quòd cœlestia inclinent ad furtum, vel adulterium, &c. quia influentia non inclinat ad malum, sed ad bonum per se: potest autem dici, per accidens inclinare ad malum, quia inclinat ad actus qui à parte rei sunt mali & prohibiti, licèt inclinatio non sit ad ipsam malitiam, sed ad entitatem, quæ absolutè est bona. In quarto genere sunt omnes effectus contingentes, vt cogitationes cordium, & actus etiam externi, præsentes & præteriti, facti in occulto, de quibus in particulari nullum fit indicium. De istis ergo Astrologi nullo modo iudicare possunt magis quàm non Astrologi: vnde de istis dicere vel iudicare, non solùm est vanum, sed pernicioſum, & in materia Fidei temerarium, & periculosum; & de cogitationibus dicere quòd aliquis possit illas cognoscere, est hæreticum, vt habetur 2. Paralip. Tu solus nosti corda hominum. Similiter de futuris contingentibus, vt patet Esaiæ 41. citato; Dicite nobis quæ futura sunt, &c. vnde qui illos consulũt, maximè de Fide sunt suspecti; & à fortiori dicendũ est esse impossibile, huiusmodi Astrologos iudicare de rebꝰ Fidei; cũ hæc solũ depẽdeãt à diuina Volũtate: vnde quotiescũque de prædictis loquuntur, id faciunt ex cõsortio dæmonũ, vt dictũ est. Videatur D. Aug. lib. 4. Cõfes. cap. 3. & libr. 2. de Doctrina Christiana, cap. 21.

Iob 38.
2. *Paralip.*
Esaiæ 41.
D. Aug.

Iosue 10.
4. *Reg.* 20.
Psal. 106.

Ex

Corol. Ex dictis sequitur, q̃ licèt sciẽtia Astrologiæ cõprehẽdat, & se extẽdat ad effectus trium generum, parua fides ad hibenda est Astrologis in prædictione taliũ effectuũ; quia in ipsis scientia perfecta nõ est: in effectibus autem quarti generis nulla fides ad hiberidebet, quia neque etiam Astrologia ad tales effectus se extendit; & quia si de hoc loquuntur, ore diabolico loquũntur, vt diximus. Vbi obiter aduertatis, blasphemum esse, asserere, quòd Propheta Balaã prædixerit illa mysteria supernaturalia, quæ habentur Nume. 23. & 24. secundùm eminentem sapientiam Astrologiæ quam habebat; quia licèt insignis fuerit Astrologus, immo & magnus dæmonum inuocator: tamen in illo casu impeditus est à Deo ne dæmones inuocaret, & Deus in ore illius posuit illa futura mysteria, vt benediceret populo Dei; & vt Gentiles illius regni aliquam haberent supernaturalem cognitionem, vt si vellent, possent ad veram Fidem conuerti. Multa alia de diuinitate possent hic tractari, nõ tamẽ sunt huius loci; vnde censeo illa omittenda. Videantur multi authores, quos citat hic Salas, vbi multa de hoc congerit per nouẽ sectiones.

Num. 23. & 24.

Salas.

ARTICVLVS VI.

Vtrũ Voluntas moueatur à Deo solo, sicut ab exteriori principio.

Infr. q. 80 ar. 1. & 1. q. 105. art. 4. & q. 111 ar. 2. & 3. cont. c. 88. 89. 91. & 92. prin. & mal. q. 3. ar. 3. cor. & q. 16. artic. 5. cor. & ad 13.

AD sextum sic proceditur. Videtur quòd Voluntas non à solo Deo moueatur, sicut ab exteriori principio. Inferius enim natũ est moueri à suo superiori; sicut corpora inferiora à corporibus cælestibus: sed Volũtas hominis habet aliquid superius post Deũ, scilicet Angelũ: ergo Voluntas potest moueri, sicut ab exteriori principio, etiam ab Angelo.

2. Præt. Actus Volũtatis sequitur actũ Intellectus: sed Intellectus hominis reducitur in suũ actũ, nõ solũ à Deo, sed etiam ab Angelo per illuminationes, vt † Dionys. dicit: ergo eadem ratione & Voluntas.

Cap. 4. de diui. nom. non remote à prin.

3. Præt. Deus non est causa nisi bonorũ, secundùm illud Gen. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona: si ergo à solo Deo Volũtas hominis moueretur, nũquã moueretur ad malũ; cũ tamẽ Volũtas sit qua peccatur, & recte viuitur, † vt Augustin. dicit.

Libr. 1. retract. c. 9. in med. tomo 1.

Sed cõtra est quod Apostolus dicit ad Philip. 2. Deus est qui operatur in nobis velle & perficere.

Respondeo, dicendum, quòd motus Volũtatis est ab intrinseco, sicut & motꝰ naturalis. Quãuis autẽ rẽ naturalẽ possit aliquid mouere quod non est causa naturæ rei motæ; tamẽ motũ naturalem causare nõ potest, nisi quod est aliqualiter causa naturæ; mouetur enim lapis sursum ab homine, qui naturã lapidis nõ causat: sed hic motus non est lapidi naturalis: naturalis autem motus eius non causatur nisi ab eo quod causat naturã: vnde dicitur in 8. Physicor. † quod generans mouet secũdùm locum grauia & leuia: sic ergo hominem Voluntatem habentem contingit moueri ab aliquo qui non est causa eius; sed quòd motus voluntarius eius sit ab aliquo principio extrinseco, quod non est causa Volũtatis, est impossibile; Voluntatis autem causa nihil aliud esse potest quã Deus: & hoc patet dupliciter. Primò quidem ex hoc, quòd Voluntas est potentia animæ rationalis, quæ à solo Deo causatur per creationem, vt in 1. dictum

Tex. 17. 29 30. 31. 32. tom. 2.

1. p. q. 90. art. 2. & 4

est. Secundò verò ex hoc quòd Voluntas habet ordinem ad vniuersale bonum; vnde nihil aliud potest esse Voluntatis causa, nisi Deus, qui est vniuersale bonum: omne autem aliud bonum per participationem dicitur, & est quoddam particulare bonum: particularis autem causa nõ dat inclinationẽ vniuersalem; vnde nec materia prima, quæ est in potentia ad omnes formas, potest causari ab aliquo particulari agente.

Ad primum ergo dicendum, quòd Angelus non sic est suprahominem, quòd sit causa Voluntatis eius; sicut corpora cœlestia sunt causa formarum naturalium ad quas consequuntur naturales motus corporum naturalium.

Ad secundum, dicendũ, quòd Intellectus hominis mouetur ab Angelo ex parte obiecti quod sibi proponitur virtute Angelici luminis ad cognoscendum, & sic etiam Voluntas ab exteriori creatura potest moueri, vt † *dictum est.* Art. 4.

Ad tertium, dicendũ, quòd Deus mouet Voluntatem hominis, sicut vniuersalis motor, ad vniuersale obiectum Voluntatis, quod est bonũ: & sine hac vniuersali motione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est verè bonum, vel apparens bonum: sed tamen interdum specialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum quod est bonum: sicut in his quos mouet per gratiam, vt † *infrà dicetur.* q. 109. & 112.

Conclusio sit. Impossibile est, quòd Voluntas moueatur ab alio, nisi à solo Deo, tanquàm ab exteriori principio. *Concl.*

DVBIVM PRIMVM,

Vtrùm conclusio D. Thom. verum habeat.

PRobatur quòd nõ. Primò, nam si propter aliquam rationem haberet verũ, maximè propter rationem illius, quòd omnis motus Voluntatis est naturalis; quia à principio intrinseco & ad motum naturalem nulla res moueri potest ab agẽte extrinseco, nisi à generãte, vel producente ipsum mobile: sed hæc ratio supponit falsum: ergo. Probatur minor, quia ignis, velut extrinsecum agens, mouet aquã motu naturali, ipsam calefaciendo; qui motus vtique naturalis est aquæ; & nihilominus ignis non est generans, nec causa productiua aquæ. Similiter Angelus non causat naturam cœli, & nihilominus mouet ipsum ad motum qui cœlo est naturalis. *1. Arg.*

Secundò argumentor, nam Voluntas mouetur ab habitibus; habent enim habitus mouere, & inclinare Voluntatem: ergo non solum à Deo mouetur Voluntas, vt ab exteriori principio; habitus enim quid exterius est ipsi Voluntati.

Tertiò argumentor, nam, vt suprà ar. 1. huius, quæstionis diximus, aliqui discipuli D. Thom. docuerunt, quòd obiectum Voluntatis & bonum apprehensum concurrrit efficienter ad volitionem: ergo secundùm illam sententiam probabile erit moueri posse ab aliquo exteriori principio efficienter quod ab ipso Deo; obiectum enim quid extrinsecum est Voluntati. *2. Arg.*

Propter argumenta posita author Mallei maleficarum, parte prima, quæstione quinta, tenet, Intellectum posse directè & immediatè moueri ab Angelis; & ex hoc facilè deducitur, & tenetur concedere idem de Voluntate. Nihilominus conclusio D. Tho. est verissima, & cõmuniter ab omnibus recepta, & eius ratio est manifesta; non enim potest mouere aliquid ad motum naturalem, nisi quod est causa ipsius mobilis: cùm ergo omnis *3. Arg.*

omnis motus Volũtatis sit naturalis, cũ sit à principio intrinseco, à nullo potest causari efficiẽter, nisi ab eo quod est causa ipsius Volũtatis: hic autẽ solus est Deꝰ: ergo. Secũdo prob. Omne agẽs vt agat, debet cõtingere ipsum passũ in quod agit: sed nihil præter Deũ potest contingere Volũtatẽ: ergo nihil præter Deum potest agere in illam. Probatur minor. Vt aliquid attingat aliud, debet intrare terminos illius: sed nihil præter Deum potest intrare terminos Volũtatis, vel essentiæ animæ: ergo nihil præter Deũ potest attingere illã. Probatur ista minor, nã terminus essentiæ est existẽtia, sicut terminus corporis est quãtitas; sed existentiæ terminum nõ intrat nisi author & causa ipsius existẽtiæ, qui est Deus: ergo. Itaque Angelus potest intrare terminũ corporis, nẽpe quantitatẽ, & sic agere in corpus; terminũ autem essentiæ, nempe existentiã, intrare nõ potest; quia non potest esse causa illius, & sic non potest agere in essentiam, nec in potentias spiritualiter manãtes ab essentia, quæ potentiæ sint spirituales. Sed de hac ratione, qualiter Angelus nõ possit illabi in essentiã, vel in Intellectũ, & Voluntatẽ, sed solus Deus, videatur D. Th. 1. p. q. 111. art. 2. & q. 105. art. 4. & q. 106. & 2. & q. 6. de potentia, artic. 7. ad 14. & in 2. dist. 8. q. vnica, art. 5. ad 3. & 3. p. q. 8. ar. 8. ad 1. & q. 64. art. 1. & 2. cõtra Gẽt. cap. 88. & c. 96. & 4. cõtra Gent. c. 17. & D. Augustl. lib. de Eccles. dogmatibꝰ, c. 82. Etsi fiat argumẽtũ, qꝑ Angelus est superior ad hominẽ: ergo poterit habere influxũ prædictũ suprà ipsiꝰ Volũtatẽ: Respõdetur, qꝑ est superior in essendo, non tamen in causando, sicut homo superior est in essendo ad brutũ, nõ tamẽ in causando; quapropter non potest mouere efficienter sensus brutorum. Ita de Angelo respectu hominis. Veritasq; nostræ conclusionis, quantum ad id quòd Deus non solùm est causa Voluntatis nostræ, verum etiam causat & concurrit cũ ipsa potentia ad omnes motus & operationes, aliquando quidem solùm generali auxilio, interdum verò particulari concursu, est veritas Fidei; vt patet Esaiæ 26. Omnia opera nostra operatus est in nobis Dominus. Et Prouer. 21. Cor Regis in manu Domini; quocunque voluerit, vertet. Vertere autẽ, nõ solũ est esse causam Voluntatis, sed etiam ipsius operis. Etad Philip. 2. Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona Voluntate. Et in bona Philosophia ratio manifesta per hoc reperitur; motio enim & causalitas primæ causæ necessaria est in omni motione causæ secundæ, etiam libere, nam in rebus spiritualibus perfectiùs reperitur ordo, quàm in corporalibus: cùm ergo omnis motus corporalis cũ causetur à cœlesti corpore, similiter in rebꝰ spiritualibꝰ nulla motio potest esse nisi cũ Volũtate & cõcursu Dei; in tantũ, vt etiã quando vitia perpetrambꝰ, licèt peccatũ nõ causetur à Deo, nec illa actio in genere morisad Deũ reducatur; in genere tamen naturæ à Deo est, vt à prima causa. Quãtum autem ad id quod conclusio docet, quòd nullus alius à Deo ad actus nostrę Voluntatis efficiẽter cõcurrat: ita certum est, vt recedere ab illo, sit temerarium: quia pro constanti ab omnibus Theologis habetur, præterquàm à Durando in 2. dist. 3. quòd cũ nulla creatura possit illabi in essentiã, vel Intellectũ & Volũtatem, nulla creatura potest agere in illam. Vnde ex dictis sequitur, quòd Deus secundũ omnẽ modũ potest mouere Volũtatem, & ex parte obiecti, & etiã dando Volũtati inclinationẽ naturalem, qua ratione generans mouet lapidẽ, sic enim diximus, quòd per institutũ naturę respectu finis Deus mouet Volũtatẽ. Denique mouet generaliter ad omnem actum Voluntatis efficienter, & speciali quodam cõcursu ad bona opera, iuxta illud Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum: hoc est, mouerit eum.

D. Th. *D. Aug.* *Obiectio.* *Solutio.* *Esai. 26.* *Prouer. 21* *Phelip. 2.* *Durand.* *Ioan. 6.*

Ad primum ergo arg. à principio resp. propositionem D. Th. nõ debere intelligi respectu cuiuscunque motus naturalis, sed tantùm respectu illius, respectu cuius mobile concurrit actiue, siue vtquod, siue vt quo: ad hunc enim motũ naturalẽ nihil nisi causans vel generans mobile potest ipsum mouere efficiẽter. Quãdo autem mobile solùm se habet passiuè ad motum, & motus tantùm est naturalis ratione principij passiui, tunc non requiritur quòd mouens ad talem motum sit causa ipsius mobilis, sed quòd sit causa naturalis formę vel effectus, ad quã talis motus disponit vel tẽdit: cùm ergo ignis sit causa naturalis formæ ignis generandæ, ad quam calefactio aquæ disponit, hinc est, quòd ignis possit aquam ad motum naturalem calefactionis mouere: & similiter Angelus, quia est causa naturalis generationis rerum, ad quam motus cœlestis tẽdit, ideò potest cœlũ mouere. Motꝰ autẽ lapidis deorsum, est naturalis lapidi, vt principio effectiuo, saltẽ vt quo,

Ad 1. arg

quò, & motus Voluntatis sunt naturales Voluntati vt quod; vnde huiusmodi motus non potest mouere principium extrinsecum, nisi quod est causa lapidis vel Voluntatis. Si autem quæras, ex quo hæc differentia proueniat: Respondetur, quod vnaquæque actio respiciat esse, quia vnumquodque agit in quantum est, ideo quando motus comparatur actiuè ad mobile, non attingitur motus, nisi à quo attingitur esse mobilis. Quando autem motus tantùm passiuè ad mobile comparatur, non respicit esse mobilis, sed esse formæ inducendæ, cuius est dispositio; vnde ab eo tunc attingitur motus, à quo attingitur forma inducenda, & cuius esse motus respicit.

Ad 2. arg. Ad secundum respondetur, nihil extrinsecum, præter Deum, posse inclinare effectiuè Voluntatem; habitus verò in ipsa existens ipsam inclinant ex parte ipsius Voluntatis, cui attribuitur inclinatio habitus eius: est enim habitus inclinatio ipsius Voluntatis; vnde sicut ipsa potest se ipsam mouere, ita & per habitus acquisitos se ipsam inclinat. Si autem habitus sunt infusi; (vt Religio, verbi gratia) illa inclinatio est ex diuino numine, cui etiam tribuuntur

2. Solutio. ipsi motus. Secundò respondetur, quòd quando docet Soto, quòd solus Deus mouet Voluntatem tanquàm externum principium; loquitur de motione efficaci rapiente ipsam Voluntatem; habitus autem non mouet isto modo: vtimur enim habitibus cùm volumus: quare motio tribuitur Voluntati.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum respondetur, quòd Intellectus non censetur externum principium, quia est in eadem anima, & idem potest dici de appetitu, quia est in eo

2. Solu. dem supposito. Secundo meliùs respondetur, quòd quandocunque Intellectus efficienter mouet Voluntatem, id habet ab ipsa Voluntate, vt suprà diximus; & ideò tunc ipsa Voluntas mouet se ipsam, & non censetur ab externo principio moueri: de appetitu verò iam diximus solùm mouere ex parte obiecti, & idem dicendum est, quando vnus Angelus detinet alium in loco pœnali contra suam Voluntatem, causando in illo tristitiam & afflictionem, qui verè sunt actus Voluntatis; tunc enim solùm causant tristitiam & afflictionem ex parte obiecti, proponendo ei & applicando malum & disconueniens.

(?)

DVBIVM II.

Vtrùm de potentia Dei absoluta fieri possit, vt Voluntas moueatur efficienter quoad exercitium ab alio exteriori principio, quam à Deo.

PRobatur quòd nō. Primò. In tantum *1. Arg.* Deus sic potest mouere Voluntatem, in quantum est author illius, vt diximus: sed de potentia absoluta nequit esse vt alia creatura sit author Voluntatis: ergo nec de potentia absoluta potest fieri vt alia creatura sic moueat Voluntatem. Minor patet, quia Voluntas habet concreari cum ipsa anima: creare autem nulli creaturæ potest competere, etiam de potentia absoluta.

Secundò argumentor. Ideò Deus sic *2. Arg.* potest mouere Voluntatem, quia intime est intra ipsam, vt diximus: sed nulla creatura, etiam de potentia absoluta, potest esse intimè intra Voluntatem: ergo. Minor patet, quia etiam de potentia absoluta nulla creatura potest illabi mēti hominum, vt docet D. Tho. locis suprà citatis.

Tertiò argumentor. Deus non potest *3. Arg.* quietare & terminare desiderium Voluntatis, nisi per se ipsum: ergo nequit etiam eam mouere efficienter nisi per se ipsum. Antecedens patet, quia Voluntas non satiatur & quietatur nisi vniuersali bono, quod tantum est Deus. Consequentia verò probatur, quia causalitas vltimi finis & efficientia primæ causæ æqualiter se habent, ac proinde cui non potest competere ratio finis & termini voluntatis, non potest cōpetere ratio causæ efficientis quoad exercitium.

Prima conclusio. Impossibile est, etiam *1. Concl.* de potentia absoluta, vt Voluntas moueatur directe quoad exercitium ab aliqua creatura, velut à principali causa. Hæc cōclusio solet ab aliquibus probari hac ratione, quia nulla creatura potest esse causa principalis iustificationis: ergo nec etiam vt causa principalis poterit mouere efficienter Voluntatem. Antecedens docetur 3. p. q. 13. vbi asseritur, nec humanitatem Christi Domini esse causam principalem efficientem iustificationis; quapropter minus

nus poterit alteri creaturæ conuenire. Cõ sequentia verò probatur, quia ad iustificationem adulti requiritur motio Voluntatis, vt præuia dispositio: ergo qui non potest esse causa principalis iustificationis, nõ poterit esse causa principalis dispositionis illius. Sed certè hæc ratio nihil valet, quia plus requiritur ad esse causam principalem iustificationis, quàm ad esse causam principalẽ motionis Voluntatis; vnde nõ sequitur, quòd qui non potest plus, non possit & minus: præterquàm quòd motus Voluntatis requisitus ad iustificationem, debet esse supernaturalis: nos autem hic solùm quærimus de actu Voluntatis naturali: vnde ex eo quòd non possit creatura esse causa principalis iustificationis, vel motus Voluntatis supernaturalis requisiti ad iustificationem, nihil deducitur ad probandum quòd non possit esse causa principalis effectiua actus naturalis Voluntatis. Legitimè ergo probatur conclusio proposita tribus argumentis positis à principio dubij: & præterea probatur, quia causa principalis est illa, quæ propria virtute producit effectum: sed implicat contradictionem, quòd aliqua creatura propria virtute moueat efficienter Voluntatem: ergo. Minor iam est probata, qualiter nulla creatura potest habere propriam virtutem, vt agat in Voluntatem; vnde si agere potest, hoc debet esse ex virtute diuina sibi communicata: quod vtique erit agere ex virtute aliena, & consequenter non vt causa principalis, sed vt instrumentum.

Obiectio. Et si contra facias argumentum, quia Intellectus noster eleuatur ad videndum Deum, ad quod propriam virtutem non habebat, quia viribus naturæ Deus clarè videri non potest, & tamen ex eleuatione concurrens non concurrit vt instrumentum, sed vt causa principalis: ergo non inconuenit, quòd creatura, quæ non eleuata non habebat virtutem ad agendum in Voluntate, eleuata concurrens concurrat vt causa principalis, etiamsi ex eleuatione concurrat.

Solutio. Respondetur, quòd Intellectui potest communicari qualitas ex natura rei productiua visionis; quale est lumen gloriæ, & consequenter per illam constituitur Intellectus in esse causæ principalis: nulla autem qualitas potest dari ex natura rei productiua Voluntatis, per quam aliquid constituatur in esse causæ principalis mouentis Voluntatem. Et si arguas, quare non possit dari huiusmodi qualitas; quia cùm Voluntas sit finita & limitata, non videtur requirere ampliorem perfectionem in causa, quàm finitam & limitatam, quæ vtique alicui creaturæ poterit à Deo communicari: Respondetur, quòd licèt Voluntas in esse rei sit finita, in esse tamen effectus quandam infinitatem habet: quatenus enim respicit vt obiectum, bonum vniuersale, exposcit vt causam aliquid infinitum, quod sit vniuersale bonum. Et si rursus arguas, hoc probare de potentia ordinaria, & ex natura rei, non autem de potentia absoluta vel supernaturali; quia etiam ex natura rei, & per vires proprias Intellectus non potest clarè videre Deum; & superadditio qualitatis fit per supernaturalia: quare ergo non similiter dicetur, quòd licèt ex natura rei non detur qualitas productiua Voluntatis, non possit dari per supernaturalia; quia quod ad huiusmodi qualitatem solùm sit creatura in potentia obedentiali, non tollit quòd semel posita tali qualitate in creatura, per ipsam constituatur in esse causæ principalis; quia etiam Intellectus ad illam qualitatem supernaturalem luminis, per quam constituitur in esse causæ principalis, solùm habet potentiam obedentialem: Respondetur, quod licèt Intellectus ex viribus naturalibus non respiciat Deũ clarè visum, tanquàm obiectum proportionatum; bene tamen Deus clarè visus continetur intra obiectum adæquatum Intellectus: vnde bene habet radicalia per quæ adaptetur lumini, & per ipsum constituatur in esse causæ principalis ad Deum clarè videndum: Voluntas autem non solùm non continetur intra obiectum proportionatum potentiæ actiuæ creaturæ, sed nec intra adæquatum; vnde nulla qualitas potest dari, etiam à Deo, cui coaptetur creatura per sua radicalia, & sic constituatur causa principalis per talem qualitatem adiunctam. Et si rursus arguas: Vnde colligitur, Deum clarè visum contineri intra obiectum adæquatum Intellectus, vt sic Intellectus eleuatus attingat illum vt causa principalis, & non etiam Voluntas contineatur intra obiectum adæquatum potentiæ productiuæ creaturæ, vt sic etiam creatura eleuata possit, vt causa principalis, attingere ipsam Voluntatem? Respon-

Obiectio. *Solutio.* *Obiectio.* *Solutio.* *Obiectio.*

Respondetur, quòd quia obiectum Intellectus est ens, vel verum vt sic, intra quod nulli dubium quòd Deus clare visus contineatur, obiectum autem potentiæ creatæ non est ens; hoc enim soli potentiæ diuinæ reseruatur, quapropter & solus ipse potest creare: vnde cum obiectum potentiæ creatæ sit determinatum, non adeò excellit, vel transcendit, vt intra ipsum, quantuncunque adæquatè sumptum, contineatur nostra Voluntas, vt sic creatura eleuata possit vt causa principalis attingere nostram Voluntatem, vt quid contentum sub suo obiecto adæquato.

2. Concl. Secunda conclusio. De potentia absoluta bene potest fieri vt aliqua creatura instrumentaliter moueat nostram Voluntatem efficienter, & quoad exercitium. Probatur primò, quia nulla est Dei actio transiens (tantum excepta creatione) ad quam non possit assumere creaturam vt instrumentum, sed mouere Voluntatem, etiam directè efficienter, est Dei actio transiens, & non creatio: ergo potest ad illam motionem assumere creaturam vt instrumentum. Maior patet, quoniam in alijs operationibus non procedit ratio quæ de creatione, videlicet quod creatura non potest operari circa nihil, sed necessariò dicit supponere subiectum, quia producere ex non subiecto, requirit potentiam absolutè infinitam: quia est efficere ipsum esse vt sic. Hæc (inquam) ratio non currit in alijs actionibus, nec in motione Voluntatis: quia iam supponitur vt subiectum ipsa Voluntas: ergo poterit creatura assumi vt instrumentum ad talem motionem. Secundò probatur. Sacramenta attingunt animam efficienter, vt instrumentum diuinum, cùm efficienter producant gratiam: ergo de potentia absoluta nihil vetat quòd possint attingere Voluntatem efficienter, eamque mouere ad exercitium. Patet consequentia, quia sicut Voluntas non potest produci nisi à solo Deo: sic nec essentia animæ: ergo sicut hoc non obstante, creatura potest instrumentaliter operari circa animam; ita similiter poterit operari efficienter circa Voluntatem, illam mouendo vt instrumentum. Confirmatur, quia ad attingendam animam instrumentaliter, non est necessarium quòd ipsum instrumentum secundùm suam substantiam sit intimè intra ipsam animam per illapsum: ergo similiter ad mouendam Voluntatem instrumentaliter, non est necessarium vt ipsum mouens sit intra Voluntatem. Antecedens patet in Sacramentis, quæ vtique non sunt secundùm suam substantiam intra essentiam animæ, cùm sint signa externa; & tamen efficienter immutant animam, faciendo illam de non grata gratam, vel de grata efficienter, magis gratam. Vltimò probatur, quia modò etiam de facto est probabilis sententia Medinæ tertia parte, quæstione 13. articulo secundo, dub. vltimo ad 3. quòd anima Christi Domini concurrit efficienter ad immutandam Voluntatem hominis iustificandi, quanto magis loquendo de potentia absoluta, vt nos loquimur in præsenti. *Medin.*

DVBIVM III.

Vtrùm Deus inclinauerit omnes Voluntates æqualiter ad bonum.

PARS affirmatiua probatur. Primò, quia omnes Voluntates sunt eiusdem speciei indiuisibilis & atomæ: ergo inclinatio omnium illarum est indiuisibilis & æqualis. Antecedens patet, quia omnium Voluntatum est idem penitus obiectum, scilicet bonum, & finis; ex obiecto autem desumitur vnitas aut diuersitas specifica potentiæ. Consequentia verò probatur, quoniam stante indiuisibili vnitate essentiæ, non potest stare diuersitas & latitudo passionum: inclinatio autem ad bonum, habet se vt passio Voluntatis. 1. *Arg.*

Secundò argumentor. Inclinatio ad bonum, est naturalis Voluntati: ergo in omnibus Voluntatibus est eiusdem perfectionis & modi. Patet consequentia, quia natura vt sic, est principium agendi vnum, & vno modo: ergo si talis inclinatio est naturalis, vno modo se habebit in omnibus. 2. *Arg.*

Tertiò argumentor. Illa diuersitas maioris aut minoris inclinationis, nec potest 3. *Arg.*

proue-

prouenire ex parte obiecti, nec ex parte Dei, nec ex parte modi tendendi in obiectum: ergo omnino sunt æquales illæ inclinationes. Prima pars antecedentis probatur, quoniam omnium Voluntatum est obiectum idem & vnum, scilicet bonum, & finis, eiusdemque latitudinis: non ergo ex parte illius diuersitas potest prouenire. Secūda pars antecedētis probatur, quoniā causa vniuersalis nō producit diuersos effectus, nisi propter diuersitatē causarū secundarum; sed Deus produxit Volūtates immediate sine causis secundis: ergo omnes Volūtates produxit æquales. Tertia pars probatur, quia æque intense potest ferri vna Voluntas, sicut & alia.

4. Arg. Quarto arg. Si omnes Volūtates nō essent æqualis inclinationis, sequeretur, q̄ nec essent æqualis libertatis: hoc autem est falsum: ergo. Probatur sequella, quia tā naturale est Volūtati esse liberā, sicut inclinari ad bonū: ergo si est inæqualitas in inclinatione, erit etiam inæqualitas in libertate. Minor vero probatur, quia si esset inæqualitas in libertate, posset produci aliqua Volūtas tā exiguæ libertatis, vt non posset superare tentationes, ac proinde succumbēdo illis, non peccaret.

In hac re nō disputamus, an in Volūtate sit aliqua inclinatio naturalis ad malum; hoc enim disputatur 2.2. q. 26. art. 3. & 1. p. q. 60. art. 4. & q. 82. art. 2. Nec etiam disputamus, vtrum Volūtas naturaliter inclinetur ad bonū, & consequenter vtrū malum sit cōtra eius naturā, de hoc enim agitur sequenti q. art. 1. & infra q. 71. artic. 29. sed supposito quòd inclinatio Volūtatis est ad bonū, inquirimus, vtrū hæc inclinatio æqualiter se habeat in omnibus Voluntatibus. Quæ quidem quæstio depēdet ex resolutione alterius, quæ discutitur 1. p. q. 85. art. 7. vtrum omnes animæ essentialiter indiuidualiter sint eiusdem perfectionis. Si enim æqualis perfectionis sint, similiter & Volūtates æquales erunt, & consequenter inclinationes naturales illarum: hæc enim sunt passiones, quæ per essentiam mē surari debent, cùm ab illa per naturalem resultantiam habeant esse: vnde impossibile est, in passionibus ponere inæqualitatem, si in essentia inæqualitas nō ponatur. Circa *Soto.* prædictam ergo quæstionem Magister Soto in Logica, q. 2. super cap. de substantia, tenet, essentialiter etiam indiuidualiter omnes animas æqualis esse perfectionis. Contrariam tamen sententiam tenet Caiet. 1. p. *Caiet.* loco citato, & Magister Cano, & Ferrara primo contra Gent. cap. 3. licèt forsitan solùm sit quæstio de nomine: certū enim debet esse, quòd ex parte corporis, & materiæ, & conditionum indiuiduantium, est inæqualitas in animabus; siquidem conditio corporis, & principia indiuiduantia, diuersa & inæqualia sunt, & non ex alia parte potest in animabus esse inæqualitas. Hanc autem inæqualitatem dicit Soto esse accidentalem, & non essentialem: Caiet. autem dicit, illam esse essentialem, non absolutè, sed cum hoc addito, videlicet essentialem indiuidualem. Et certè Caiet. bene loquitur, quia conditiones indiuiduales de essentia sunt indiuidui: quapropter impossibile est in alio reperiri. Si ergo indiuiduum essentiam in diuidualem habet constitutam per principia indiuidualia, sicut indiuidua diuersa sunt & inæqualia, ita & essentiæ indiuiduales, diuersæ & inæquales erunt. Quando autem Arist. dixit, essentiam consistere in indiuisibili, & esse sicut numerum, loquitur de essentia formali & specifica, quæ in omnibus indiuiduis vna, indiuisibilis & inuariabilis manet; non autē loquitur de essentia materiali, & indiuidua; tantùm enim intendit Arist. assignare differentiam inter genus & speciem, quòd illud habet essentiam diuisibilem formaliter, non autem species. Non autem negat, & speciem in essentias indiuiduales multiplicari, sicut & indiuidua: sed quòd hæ essentiæ indiuiduales non comparantur formaliter ad speciem, sicut species ad genus, sed solùm materialiter: vnde & hic est modus loquendi sacræ Scripturæ, vt patet ex illo: Sortiti sunt animam bonam; non quòd anima sit natura sua mala, sed quòd vna est melior altera.

Ad primum ergo & secundum argumentum respondetur, procedere de perfectione essentiali specifica, non autem de numerica & indiuiduali. *Ad 1. & 2 arg.*

Ad tertium respondetur, illam inæqualitatem, velut ex prima causa, prouenire à Deo, vt probat Diuus Thomas prima parte, quæstione 47. articulo secundo, qualiter inæqualitas rerum proueniat ex Dei sapientia, quatenus ad pulchritudinem pertinet distinctio & inæqualitas rerum, sumitur etiam talis inæqualitas; ex quo sumitur inæqualitas indiuidualis animarum, scilicet ex diuersa habitudine ad corpora diuersa. *Ad 3. arg.* *D. Tho.*

Ad

Ad 4. arg. Ad quartum argumentum, conceditur sequella. Ad probationem autem minoris respondetur, quòd licet possit vna Voluntas esse minus libera, quàm alia, nulla tamē potest esse, quæ non sit sufficienter libera quoad exercitium, vt possit peccare.

QVÆSTIO. X.

De modo quo Voluntas mouetur.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Voluntas ad aliquid naturaliter moueatur.

1.q.41.ar. 2. corp. & ver. q. 20. artic. 5. & 9.ma.q.15 ar.4.ad 5.

AD primum sic proceditur. *Videtur, quòd Voluntas non moueatur ad aliquid naturaliter. Agens enim naturale diuiditur contra voluntarium, vt patet in principio 2. † Physicor. non ergo Voluntas ad aliquid naturaliter mouetur.*

Et etiam tex.49.to. 2.

Secundò præterea. Id quod est naturale, inest alicui semper: sicut igni esse calidum: sed nullus motus inest Voluntati semper: ergo nullus motus est naturalis Voluntati.

Tertiò præterea. Natura est determinata ad vnum; sed Voluntas se habet ad opposita: ergo Voluntas nihil naturaliter vult.

Sed contra est, quòd motus Volũtatis sequitur actũ Intellectus: sed Intellectus aliqua intelligit naturaliter: ergo & Voluntas aliqua vult naturaliter.

Respondeo dicendum, quòd sicut Boetius dicit in libro de duabus naturis. † & Philosophus in 5. Metaphysic. natura dicitur multiplici-

Boet. paulo â princi. lib.

ter. Quandoque enim dicitur principium intrinsecum in rebus mobilibus; & talis natura est, vel materia, vel forma materialis; vt patet in 2.† Physic. Alio modo dicitur natura, quælibet substantia, vel quodlibet ens, & secũdũ hoc illud esse naturale rei, quod conuenit ei secũdùm suam substantiam; & hoc est quod per se inest rei. In omnibus autem ea quæ non per se insunt, reducuntur in aliquid quod per se inest, sicut in primum; & ideò necesse est, quòd hoc modo accipiendo naturam, semper principium in his quæ conueniunt rei sit naturale: & hoc manifestè appareat in Intellectu, nam principia intellectualis cognitionis sunt naturaliter nota. Similiter etiã principium motiuum voluntariorum oportet esse aliquid naturaliter volitum: hoc autem est bonum in cõmuni, in quod Voluntas naturaliter tendit; sicut etiam quælibet potentia in suum obiectum, & etiam ipse finis vltimus, qui hoc modo se habet in appetibilibus, sicut prima principia demonstrationũ in intelligibilibus; & vniuersaliter omnia illa quæ conueniunt volenti secundùm suam naturam: non enim per Voluntatem appetimus solum ea quæ pertinent ad potentiam Voluntatis, sed etiam ea quæ pertinent ad singulas potentias, & ad totum hominem: vnde naturaliter homo vult non solùm obiectum Voluntatis, sed etiam alia quæ conueniunt alijs potentijs, vt cognitionem veri, quæ conuenit Intellectui, & esse, & viuere, & huiusmodi alia quæ respiciunt cõsistentiã

Tex. 5.to. 2.

Tex.4 videatur esse tom.2.

d. 196.

natura-

naturalem; quæ omnia comprehenduntur sub obiecto Voluntatis, sicut quædam particularia bona.

Ad primum ergo, dicendū, quòd Voluntas diuiditur cōtra naturam, sicut vna causa contra aliam: quædam enim fiūt naturaliter, & quædam fiunt voluntariè. Est autem alius modus causandi proprius Voluntati, quæ est domina sui actus, præter modum qui conuenit naturæ, quæ est determinata ad vnum: sed quia Voluntas in aliqua natura fundatur, necesse est quòd modus proprius naturæ, quantum ad aliquid participetur à Voluntate, sicut quod est prioris causæ, participatur à posteriori. Est enim prius in vnaquaque re ipsum esse, quod est per naturam, quàm velle, quod est per Volūtatem; & inde est, quòd Volūtas naturaliter aliquid vult.

Ad secundum, dicēdum, quòd in rebus naturalibus id quod est naturale quasi consequens formam tantùm, semper actu ineſt; sicut calidū igni: quod autem est naturale sicut consequens materiam, non semper actu ineſt, sed quandoque secundùm potentiā tātùm. Nā forma est actus, materia verò potētia. Motus autē est actus existens in potentia, & ideò illa quæ pertinent ad motū, vel quæ sequuntur motum in rebus naturalibus, non semper insunt: sicut ignis non semper mouetur sursum, sed quando est extra locum suum. Et similiter non oportet quòd Voluntas, quæ de potentia in actum reducitur dum aliquid vult, semper actu velit; sed solùm quando est in aliqua dispositione determinata. Voluntas autem Dei, quæ est actus purus, semper est in actu volendi.

Ad tertium, dicendū, quòd semper naturæ respondet vnū proportionatū naturæ. Naturæ enim in genere respondet aliquid vnum in genere, & naturæ in specie acceptæ respondet vnum in specie: naturæ autem indiuiduatæ respondet aliquid vnum indiuiduale. Cùm igitur Voluntas sit quædam vis immaterialis, sicut & Intellectus, respondet sibi naturaliter aliquod vnum commune, scilicet bonum: sicut etiam Intellectui aliquid vnum commune, scilicet verum, vel ens, vel quicquid est huiusmodi: sub bono autem communi multa particularia bona continentur, ad quorum nullum Voluntas determinatur. d. 1209.

Conclusio est, quòd Voluntas mouetur naturaliter ad suum proprium obiectum & finem, scilicet ad bonum in communi, & ad id quod pertinet ad consistentiam totius suppositi, vt ad esse & viuere, & etiam ad actus aliarum potentiarum, vt intelligere, &c. Antequam disputationem huius quæstionis aggrediamur, præsupponendum est, quòd necessarium & liberum opponuntur, quia liberum dicit indifferentiam ad vtrumque; necessarium autem dicit determinatum ad alteram partem. Hoc dixerim contra Scotum, qui 1. d. 1. q. 4. & 4. d. 49. q. 9. ait, bene stare, aliquid esse necessarium, & nihilominus liberum; & sic ait, processionem Spiritus sancti esse liberam, licèt sit necessaria. Sed certè modus loquendi Scoti est singularis, & in vniuersum omnes Theologi conueniunt cum Diuo Thom. ratione iam dicta, quòd necessarium & liberum opponuntur: vnde quia processio Spiritus sancti est necessaria, dicitur non esse liberam, & quia Deus liberè amat & producit creaturas, propterea dicitur, non necessariò producere, nec amare illas; & dicitur, Deum *Concl.* *Scot.*

Deum amare necessario suam bonitatem, quia non liberè. Videantur omnes interpretes D Tho. qui ita sentiunt cum illo 1. p.q.41.art.2.& q.19.artic.3.quæst.60.art. 1.& 2. vbi distinguitur in Angelis dilectio naturalis seu necessaria, à libera seu electiua, tanquàm hæc inter se diuersa sint. Videatur Angestus in Moral. cap. 3. & D. Bonauent. 4. distin.49. part. 1. quæst. 2. Richardus ibidem, artic. 2. quæst. 2. Gabriel 1. dist. 16. quæst. 2. Greg. & Herbæus quæst.2.& Durand.quæst.1. & 2. & in 2. distin. 39. quæst.3. Iste est etiam modus communis loquendi Sanctorum. Ita August.lib.3.Hypog.& lib.2.de liber.arbit.cap.11.& lib.3.cap.1.& 3.& in Inchiridione, cap. 3. D. Hieronym. epist.ad Damas. Damascen.2.Fidei, cap.27.& 28. Bernard.lib.de gratia & liber. arbit. circa principium, & Concil. Triden. sessione 6. cap.5.& Can.4.propterea dicit,conuersionem peccatoris esse liberam, quia est in potestate hominis, iuxta illud Eccles. 15. Reliquit Deus hominem in manu consilij sui: apposuit ei ignem & aquam, &c. In quo insinuat, libertatem excludere necessitatem. Sed de hoc latius 1. part. locis citatis.

Angest.
D.Buena.
Richard.
Gabriel.
Gregor.
Herbæus.
Durand.
D.Aug.
D.Hier.
D.Damas
D.Ber.
Conc. Tri.
Eccles. 15.

DVBIVM PRIMVM,

Vtrùm conclusio Diui Thomæ verum habeat.

1. *Arg.* PROBATVR quòd non. Primò. Si propter aliquam rationem esset vera, maxime propter rationem Diui Tho. quòd cũ Voluntas sit appetitus totius hominis, naturaliter dicit appetere omnia quę pertinent naturaliter ad totum hominem & ad omnes potentias eius; sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor, quia ex hoc sequeretur, quòd omnia quæ homo appetit, appetat naturaliter; cùm omnia quæ appetit, pertineant ad aliquam potentiam eius, vt bonum proprium illius: consequens autem est falsum, cùm clarè constet, Voluntatem esse liberam, & circa multa liberè versari, non solùm quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem; si autem liberè versatur circa illa, non versatur naturaliter, quia naturale & liberum opponuntur.

2. *Arg.* Secundò argumentor. Voluntas non inclinatur naturaliter ad virtutes morales: ergo nec ad scientias, & multo minus ad actus aliarum potentiarum. Consequentia patet, quia virtutes morales subiectantur in ipsa Voluntate, ac per consequens magis intrinsecè comparantur ad illam, quàm scientiæ, quæ sunt in Intellectu: si ergo ad magis intrinseca non naturaliter inclinatur, minus naturaliter inclinabitur ad ea quæ non tã intrinseca sunt. Antecedens verò probatur, quia Voluntas non magis inclinatur ad virtutes, quàm ad earum obiecta: sed ad obiecta illarum non inclinatur naturaliter: ergo nec ad ipsas virtutes. Ista minor probatur, quia obiecta virtutum moralium sunt media: sed circa media simpliciter est libera Voluntas: ergo non naturaliter fertur in illa. Et idem argumentum currit de inclinatione ad scientiam: scientia enim est de conclusionibus, ad quas Intellectus fertur per discursum, & sicut Volũtas circa media; quia sic se habent conclusiones respectu Intellectus, sicut media respectu Voluntatis; ac proinde sicut nec motus discursus ad conclusiones potest esse naturalis, consequenter nec motus inclinationis ad scientiam specificatam à conclusionibus poterit esse naturalis.

3. *Arg.* Tertiò argumentor. Si Volũtas aliquã inclinationem habet ad prædicta in conclusione D. Th. illa est, considerata Voluntate vt natura, & vt res quædam, & non vt libera, & vt Voluntas, vt dicit D. Tho. ad primum: ergo non est vera propositio D. Th. quòd Voluntas inclinatur naturaliter ad prædicta. Patet consequentia, quia non dicitur res inclinari nisi ad quod secundùm rationem specificam inclinatur, & vt ab alijs naturis distinguitur: si ergo Volũtas, vt Voluntas, & secundùm rationem specificam, non inclinatur ad prædicta, nõ absolutè est verum quòd inclinatur naturaliter ad illa.

4. *Arg.* Quartò arg. Modus operandi naturaliter & liberè est oppositus: ergo nõ potest eidem rei conuenire. Antecedens probatur, quia liberè operari, est cum indifferentia: operari verò naturaliter, sine indifferẽtia, sed potius cũ determinatione ad vnum.

5. *Arg.* Quintò arg. Quòd cõuenit naturaliter, semper conuenit: sed inclinatio ad prædicta, non semper conuenit; ergo non est naturalis. Si resp. cum D. Th. hoc esse verum de his quę conueniunt naturaliter ratione formæ, non verò de his quæ conueniunt

Solutio.

natura-

Impug. naturaliter ratione materiæ: Cōtra, quia voluntas quædam forma est: quod ergo ratione illius cōuenerit, naturaliter ratione formæ cōueniet. Item quia appetitio & inclinatio actualis, actus secundus est supponens actum primum: ergo si talis appetitio naturaliter conuenit, illud est ratione formæ, & non ratione materiæ. Item quia si solutio D. Th. esset vera, sequeretur, quòd etiam dilectio Dei in Patria non semper conueniret, quia & illa etiam conuenit ratione materiæ, iuxta prædictā doctrinam; cùm etiam in Voluntate recipiatur, & illius sit actus.

6. Arg. Sextò argumentor, quia multoties contingit, quòd quis non solùm non velit viuere & esse, sed quòd velit oppositum; vt patet in desperantibus & damnatis, qui volunt non esse, & vita carere: ergo non tendit Voluntas naturaliter in esse & viuere. Patet consequentia, quia si naturaliter tenderet in illa, iam quòd non semper tenderet ratione D. Th. o. nunquàm tamē posset tendere in oppositum.

7. Arg. Septimò argumentor, quia esse & viuere, non dicunt omnimodam rationem boni: ergo non tendit Voluntas naturaliter in illa. Consequentia patet, quia ideò dicitur naturaliter tendere in beatitudinem, quia beatitudo dicit omnimodam rationē boni. Antecedens verò probatur, quia esse & viuere, sunt gradus perfectionis distincti: ergo neuter dicit omnimodam rationem boni.

8. Arg. Vltimò argumentor, quia & multi affectant ignorantiam, & volūt illam: ergo nō naturaliter fertur Voluntas in scientiam. Consequentia patet ex dictis, quia non potest tendere ad oppositum inclinationis naturalis. Antecedens verò probatur ex illo, Noluit intelligere vt bene ageret; & ex illo, Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.

Not. 1. Pro intelligentia notādū. Primò, quòd Voluntas consideratur dupliciter. Primò, in ordine ad proprium obiectum, vt peculiaris potentia est, distincta ab alijs. Secundò, vt appetitus est vniuersalis totius hominis, extendens se etiam ad obiecta aliarum potentiarum, & ad bonum illarum. Rursus adhuc sumitur dupliciter, & vt natura, & vt libera est. Rursus vt natura, dupliciter, & secundùm pondus & inclinationem, & etiam secundùm actum elicitū; non enim solùm habet se vt natura, secundùm pondus, vt lapis; sed etiam secūdum aliquos actus elicitos; quia inclinationa turalis in vnaquaque re, debet esse iuxta naturam talis rei, & cùm natura Voluntatis sit, esse potentiam elicitiuam actionum, etiam in elicientia talīū actionum aliquana turalitas potest reperiri. Hic ergo nō procedit quæstio de inclinatione naturali Voluntatis per modum pōderis; sic enim milli dubium est, quin Voluntas naturaliter inclinetur ad esse, viuere &c. sed procedit dubium de Voluntate vt potentia operatiua, vtrum per actum elicitum naturaliter ad prædicta inclinetur.

Secundò notandum, quòd cùm necessarium opponatur libero, tot modis sumitur necessarium, sicut liberum; & cùm libe- *Not. 2.*
rum aliud sit quoad exercitium, quantum ad agere & non agere; aliud verò quoad specificationem, quantum ad agere hoc & oppositum; ita similiter necessarium, siue naturale, alterum est quoad exercitium, importans actualem operationem necessariam in actu nunquàm deficientem; alterum verò naturale quoad specificationē, quod taliter est necessarium, quod hoc debet esse, & nullo modo oppositum potest esse, si alterum illorum in esse debeat poni.

Tertiò notandum, quòd esse & viuere, *Not. 3.*
&c. possunt dupliciter considerari. Primò vt habent connexionem necessariam præ suppositionis cum ipsa beatitudine: non enim potest esse beatitudo sine esse & viuere. Secundò, vt huiusmodi sunt impedimēta ad aliquod bonum, vel vt coniuncta alicui malo & miseriæ.

Quartò notandū, naturale etiā sumi du- *Not. 4.*
pliciter. Alterum, quod fluit & dimanat ex principijs naturæ rei, vt sunt propriæ passiones. Alterum verò est naturale, quod licet non fluat ex rei principijs, res tamē ordinatur ad ipsum tāquā ad propriam perfectionem: & hoc quidem secūdum reducitur ad primum: quando enim est hęc inclinatio, reducitur ad alteram radicalem naturalem primo modo, qua ratione scientiæ & virtutes dicuntur homini naturales.

Prima conclusio. Omnia prædicta in *1. Concl.*
conclusione D. Tho. sunt homini naturalia, & ad ipsa naturaliter inclinatur. Quod etiam docet, quæstione 6. de malo, art. vnico, & quæstione 22. de veritate, art. 6. Hęc est Arist. statim à principio Metaphy. vbi *Arist.*
dicit, quòd omnis homo naturaliter scire desiderat; vbi optimè prosequitur, qualiter homo naturaliter diligit omnes sensus, quia naturaliter inclinatur ad actus illo-

rum.Idem docet 1.Ethic.c.2.& lib.7.Po-
Augusti. lytico.c.17.Augusti.13.de Trinit.c.3.& 4.
& præterquàm in hoc artitulo etiam D.
D.Th. Tho.1.p.q.82.art.1.&.2.vbiprobat,quod
Voluntas necessario vult vltimum finem,
& ea quæ habent intrinsecam connexio-
cum illo,idem probat q.22.de verit,art.6.
Immò inter D.Tho.& Scotum in 4.dist.
49.q.9.tantum est diuersitas in modo lo-
Scotus. quendi: Scotus enim non vult concede-
re quòd volitio circa vltimum finem,sit na
turalis,sed dicit quod est in natura:sed mo
dus loquendi D.Th. est aptior;illud enim
naturale,debet dici,quod naturæ quidem
est conforme; & quando Scotus dicit,
quòd illa volitio est in natura,vel intelligit
quòd conuenit Voluntati vt natura, vel
non.Si primum,idem est quod esse natu-
rale;quia conuenire Voluntati vt natura,
est naturaliter conuenire.Si autem dicatse
cundum,non assignat peculiarem distin-
ctionem inter volitionem vltimi finis, &
alias volitiones, quam enim aliam po-
test assignare, nisi quòd volitio vltimi
finis conuenit Voluntati vt natura; aliæ
verò conueniunt illi vt Voluntas & vt li-
2.Concl. bera?

Secũda cõclusio.Necessitas&naturalitas
Voluntatis ad prædicta in conclusione D.
Tho. non est quoad exercitium,sed quo-
ad specificationem;in hac enim vita nul-
lus actus elicitus est necessarius quoad
exercitium.Hęc patet primò experientia;
multoties enim cessamus ab omni volitio
ne,saltem cum rapit nos somnus. Secun-
dò,quia actus Voluntatis non est sineactu
Intellectus proponẽtis:constat autem etiã
experientia, quòd Intellectus multoties
cessat à tali propositione. Confirmatur,
quia sic se habet Voluntas circa vltimum
finem,sicut Intellectus circa prima prin-
cipia:constat autem,quòd non semper In
tellectus est in actuali assensu circa princi
pia:ergo nec Volũtas in actuali volitione
circa vltimum finem.

Vltimò probatur,quia Intellectus mul
toties potest iudicare,immò de facto iudi-
cat,esse bonum cessare ab actuali appeti-
tione finis,vt alijs necessarijs occurrenti-
bus attendat:ergo tunc cessabit Voluntas,
3.Concl. quia illa non potest velle nisi secundũ iu-
dicium practicum Intellectus.

Tertia conclusio. Omnia prædicta
Prob. in conclusione D.Thom. non æqualiter
conueniunt naturaliter Voluntati, sed
inæqualiter inclinatur ad illa.Hæc est Ca-
iet.proqua notat,quòd sicut in rebus natu
ralibus,& quæ necessariò eueniunt, sunt
gradus;quædã enim sunt adeò necessaria,
q̃ per naturã nequeãt non esse,& nunquã
deficere possunt;vt motus orbiũ cœlestiũ.
Alia verò sunt in secundo gradu,quæ qui
dem naturalia sunt,licèt non semper infal
libiliter eueniant,sed vt in plurimum; vt
quòd in Vere sint tonitrua, vel quòd ho-
mo nascatur cum quinque digitis in vna
quaque manu; hæc enim aliquando defi-
ciunt,& fiunt monstra:& licèt id quod ali
quando contingit, etiamsi regulariter op-
positum fiat,sufficiat ad hoc quòd dicatur
contingens Logicè;nõ tamen obest,quo-
minus dicatur naturale physicè: vt patet
in exemplo posito de tonitruis in Vere;
& hic loquimur de naturalitate physica,
vt opponitur contingentiæ physicæ; quæ
contingentia consistit in hoc,quòd non
magis regulariter euenatvnum oppositũ,
quàm aliud.Similiter ergo se habet in ope
ribus Voluntatis,etiã naturalibus; quædã
enim adeò naturales sunt Volũtati, q̃ per
naturã nõ possunt aliter se habere,nec op-
positum fieri:sicut velle bonum aut beati-
tudinem in communi, & nolle miseriam
sub ratione miseriæ. Aliæ verò sunt, quæ
naturales sunt quoad specificationem, nõ
secundùm infallibilitatem, sed quia vt in
plurimum eueniunt, & plerunque con-
tingunt,licèt aliquando etiam in his mon
strum reperiatur,& oppositum fiat. Ver-
bi gratia,naturaliter homo scire desiderat,
naturalitate quoad specificationem regula
rem:potest tamen reperiri mõstrum homi
nis, qui omnes scientias abominetur, &
nolit addiscere.Similiter omnes naturali-
ter desiderant viuere & esse;potest tamen
reperiri mõstrũ hominis,qui vitã sibi adi-
mat,& mortem sibi paret & quærat.Si au-
tem inquiras,vnde proueniat, quòd natu- *Obiectio.*
ralitas quoad specificationem boni & bea
titudinis in communi sit infallibilis; aliæ
autem solùm regulares, & quòd oppositum possit fieri; Respondetur, quòd quia *Solutio.*
bonum & beatitudo in communi non
potest exuere rationem formalem obie-
ctiuã Volũtatis,nec opositã induere;vnde
si circa illa fertur, necessariò per appetitũ
fertur,quia bonũ vt bonũ non potestodio
haberi,sed appeti;alia verò,vt esse, & viue
re,&c. possunt apparenter secundùm ali-
quam miseriam coniunctam exuere ratio-

nem

nē boni, & induere rationē mali; vnde possunt aliquando nō appeti, sed odiò haberi. De quo videatur Durand. in 4. d. 46. q. 3.

Durand.

Corolar. 1.

Ex quo sequitur primò, quòd inter enumerata in secundò gradu etiam est latitudo, licèt enim in omnibus illis, præter bonum, & beatitudinem in communi, possit aliquādo esse volitio cōtraria; magis tamē vel minus, secūdū quòd illa magis vel minus sunt intrinseca; vnde rariùs contingit odio habere esse, quàm scire; & rariùs odiò habere scire, quàm finem aliarum potentiarum inferiorum.

Corol. 2.

Secūdò sequitur, quòd esse & viuere, pertinet ad secundum gradum, & numeratur inter illa quæ regulariter sunt naturalia ratione appetitus, si esse & viuere considerentur secundùm se, non autem si considerentur vt necessariò coniūcta & requisita ad beatitudinem. Prima pars huius corollar ijest D. Tho. q. 22. de veritate, art. 1. ad. 7. & Caiet. art. sequenti circa solutionem ad. 3. Et ratione patet, quia esse & viuere secundùm se, est quod potest exuere rationem boni, vel induere rationem mali, vt aliquam habet miseriam adiunctam: ergō vt sic, possunt non appeti & odio haberi à Voluntate. Antecedens patet, quia impeditiuum boni habet rationē mali, sicut & id quod iuuat ad assequutionem boni, habet rationē boni: ergo si esse & viuere considerantur vt impeditiua boni, quatenus essendo impediūtur à liberatione miseriæ adiunctæ ipsi esse, considerantur vt induunt rationem mali, & ipsum non esse vt induit rationem boni, quatenus ipsum non esse aufert miseriam adiunctam ipsi esse; quia, vt inquit Diuus Thomas loco citato, eiusdem rationis est, aliquid esse bonum, & esse corruptiuū mali; & similiter esse malum, & esse corruptiuum boni: quod ergo est corruptiuum mali, bonum censebitur; ac proinde cùm non esse corrumpat miseriam, induit rationem boni. Secunda verò pars corollarij probatur, quia Voluntas nō potest nolle beatitudinem: ergo nec potest nolle ea sine quibus beatitudo consistere non potest: sed esse & viuere sunt talia, sine quibus haberi non potest beatitudo: ergo vt sic coniuncta beatudini non potest illa refutare Voluntas. Secundò probatur. Supposito quòd aliquis velit finem, si cognoscat aliquid esse medium necessarium ad ipsum, non potest non velle tale medium: ergo supposito quòd quis velit naturaliter beatitudinem; non poterit non velle ipsum esse, animaduersa cōiunctione quam habet esse cum beatitudine. Tertiò probatur. Voluntas non fertur in rationem beatitudinis formalis, velut Intellectus, abstrahendo ab existentia, sed respicit beatitudinem cum esse existentiæ: esse autem existentiæ beatitudinis formalis, est in existere subiecto; quod quidem præsupponit existere ipsius subiecti: ergo non potest repudiari existentia subiecti, desiderata existentia beatitudinis, & cognita illa connexione. Qualiter autem esse cadat sub appetitu naturali, latè prosequitur Marsilius Ficinus libro 14. capite primo. Tertiò sequitur, pro eodem accipi à Diuo Thoma in hoc articulo & sequenti naturale & necessarium; nec ex hoc sequitur aliqua contradictio, vt sentit Lorca hic, ex eo quòd modò dicat, quòd naturaliter appetit beatitudinē in communi & bonum aliarum potentiarum; in secundo autem articulo dicat, solùm necessariò moueri quoad specificationem à bono in communi; quia vtrumque dictum est verum, sumendo pro eodem naturale & necessarium; si, vt dictum est, alia enumerata præter bonum in communi, sumantur non secundùm se, sed in communi, & prout media necessaria sunt ad consequutionem boni in communi: quia vt sic non ponunt in numero cum bono in communi; vt est illud est necessarium quoad specificationem, ita & illa prædicta; & sic formaliter habet verum, quòd solum bonum & beatitudo in communi est necessaria & naturalis quoad specificationem. Quartò sequitur, conclusionē Diui Thomæ non debere extendi ad beatitudinem, siue naturalem, siue supernaturalem, siue in communi, siue in particulari; vt vult Salas hic tract. 5. disp. 4. sect. 2. & Valentia disp. 1. quæst. 5. puncto 1. & disput. 2. quæstione 5. puncto. 1. Nam doctrina D. Thom. solùm currit de beatitudine naturali, & bono in communi, & de illis quæ cum istis habent necessariam connexionem; in prædictis enim non potest apparere aliqua ratio mali, vt odio habeantur: in beatitudine autem particulari, siue etiam in supernaturali, prout in Via repræsentatur, potest aliqua ratio mali apparere ex ignorantia, vel alias, & sic odio haberi: secus est in Patria, vbi

Marsil. Corol. 3.

Lorca.

Corol. 4.

Valent. Salas.

clarè videtur Deus, vt in quo plenè ratio totius boni reperitur, vt sæpe diximus. Nisi velis quasi insensu composito loqui de bono & beatitudine particulari; prout bonum est, sic enim etiam ad bona particularia necessitatur Voluntas quoad specificatum, quia si retineat in apprehensione rationem boni, odio haberi non potest. Cæterùm hoc non est ad rem, licèt à Vazquez. Vazquez sic doceatur disp. 9. cap. 2. quia D. Tho. in hoc intendit ponere differentiam inter bonum in communi, & particularia bona, quòd de particularibus potest mutari iudicium, & quæ apprehendebantur bona, modò apprehendi vt mala, & sic non tenetur necessario amare illa, sed poterunt odio haberi. Bonum autem in communi neutiquam vt malum, & fugiendum, apprehendi potest; quia quocunque se vertat per desiderium, & prosequutionem, ad bonum in communi, & beatitudinem vt sic, oculos dirigit: vnde circa ipsum necessitatur quoad specificationem; quia tamen in prosequutione, & adeptione illius aliquod malum laboris vel difficultatis apprehendere potest, ab exercitio cessare potest, & idcò quoad exercitium manet libertas, vt dicetur articulo sequenti, dubio 3. Immò dico, quòd etiam si non mutetur iudicium circa bonum particulare, apprehendendo vt malum, sed adhuc retinendo apprehensionem boni; non necessitatur Voluntas quoad specificationem; quia potest etiam oppositum apprehendi vt bonum & appetibile, isto relicto: itaque oppositum boni in communi, est malum & non appetibile; vnde necessitatur ad bonum in communi; oppositum autem boni particularis non necessariò est malum, sed potest esse bonum, & in illud potest Voluntas tendere, isto bono particulari relicto; quapropter ad istud particulare non necessitatur, etiam quoad specificationem, licèt retineat rationem boni. Verum est, quòd si istud deseritur, vt sequatur oppositum, est quatenus iudicat oppositum vt magis bonum hic & nunc, & sic bonum particulare relictum, reputatur quasi malum, quàm minus, bonum respectu maioris; vel prout impeditiuum alterius quod iudicatur maius habet rationem mali, & sic formaliter potest verificari aliqualiter, quòd circa bonum, etiam particulare necessitatur Voluntas quantum ad specificationem.

Ad primum argumentum à principio respondetur, quòd Voluntas sicut naturaliter diligit bonum commune, licèt liberè bona particularia quæ sunt obiecta secùdaria, vel materialia illius; ita similiter vult naturaliter quoad specificationē in secundo gradu naturalitatis, quod pertinet primario ad alias potentias, non autem quæ materialiter & secundariò pertinent ad illas. Verbi gratia, Naturaliter desiderat videre & audire, &c. hanc autem visionem in particulari, vel illam auditionem eligit liberè; vnde licèt sit appetitus totius hominis qui extenditur ad bona aliarum potentiarum, non sequitur, in omnibus agere vt naturā, sed in vnūquodq; iuxta propriā rationem, in bonū cuiuscūque potentiæ in cōmuni, naturaliter; in quodlibet autem in particulari, liberè. *Ad 1. arg.*

Ad secundum argumentum respondetur, quòd Voluntas non solùm inclinatur naturaliter in virtutem vt sic, sed etiam in omnes virtutes particulares, qualibet in sua specie considerata: non enim solum virtus vt sic, sed omnes particulares in sua specie requiruntur ad integritatē rationis, sine qua nō cōsequitur finis naturalis, ad quē naturaliter est propēsa natura rationalis; qualiter ergo tēdit naturaliter in finē vltimū naturalē, tēdit etiā per naturalē inclinationē ad integritatē rationis consurgentē ex rectitudine omniū virtutum in particulari, qualibet in sua specie considerata. Intra speciem autē cuiuscunque virtutis sunt actus singulares multi exerciti circa diuersa obiecta materialia contenta sub obiecto communi illius virtutis, vt actus abstinentiæ circa carnes, vel circa pisces, &c. circa ista ergo particularia & singularia cuiuscunque virtutis Voluntas fertur liberè, quia Voluntas nō solùm fertur naturaliter in finē, sed etiā in media necessaria, & quæ necessariā habent connexionē cū fine: immedia autē quæ huiusmodi necessariā connexionem nō habēt, fertur liberè obiectū: ergo cuiuscūq; virtutis in sua specie sumptę sit aleobiectū sumatur in cōmuni, vt abstrahit ab obiectis materialibus illius virtutis, est mediū necessariū & necessariā cōnexionē habēs cū vltimo fine naturali; vnde in illud naturaliter inclinatur Voluntas: obiecta autēma terialia cuiuscūq; speciei virtutis nō habēt prædictā necessariā connexionē cū vltimo fine; vnde circa illa merè libere versatur Voluntas. *Ad 2. arg.*

Ad

Ad 3.arg. Ad tertium argumentum respondetur, quòd non solum dicuntur naturalia quæ conueniunt ratione specifica, sed etiam quæ conueniunt ratione generica; non enim solùm est naturale homini discurrere, sed etiam sentire; licèt aliud conueniat ratione specifica, & aliud ratione generica. Licèt ergo tendentia, & inclinatio ad bonum, & ad esse & viuere, &c. conueniat Voluntati ratione communi, non obstabit quominus ei naturaliter conueniat. Vel secundò dicitur, quòd huiusmodi inclinatio etiam conuenit Voluntati secundùm rationem specificam, & vt ab alijs distinguitur, licèt in hac ratione specifica ab alijs distincta, sit considerare duo; alterum per prius præsuppositum, quod est ratio naturæ; alterũ verò per posterius se habẽs, quod est ratio liberi; in illa enim prima ratione Voluntatis vt natura, licèt non intelligatur libertas formalis, intelligitur tamen radicalis; sic enim naturaliter intelligitur tendere in finem vt natura, vt ex tali tendentia naturali possit prorũpere in tẽdentiam liberam circa media; vnde in ipsa tendentia naturali circa finem, distinguitur ab alijs in finem etiam tendentibus: quapropter & illa ratio Voluntatis vt natura, ad rationem specificam pertinet, tanquàm primum, & præsuppositum, licet non tota species completa intelligatur, nisi etiam adiungas rationem liberi, hæc enim est completa species Voluntatis, vt in finem naturaliter, in media verò liberè tendat: licèt enim nostra ratione imperfecta distinguantur, vnum tamen specificum est in ipsa Voluntate.

Ad 4.arg. Ad quartum argumentum respondetur, probare, illa esse opposita respectu actus, vnde eidem actui vtrumque non potest conuenire; respectu tamen potentiæ non opponũtur; vnde simul potest respectu diuersorum, & naturaliter & liberè tendere.

Ad 5.arg. Ad quintum argumẽtum respondetur, bonam esse solutionem ibi positam. Ad primam improbationem respondetur, quòd Voluntas licèt formaliter comparetur ad animam, est tamen potentia respectu actus, quem dicimus naturaliter conuenire respectu talis potentiæ. Et sic etiam patet ad secundam improbationem: actus enim secundus supponit actum primum; iste tamen licèt respectu subiecti sit forma, respectu tamen actus secundi habet se vt materia; quia vt potentia se habet. Ad tertiam improbationem respondetur, quòd perpetuitas dilectionis in Patria, non prouenit solùm ratione materiæ, sed ex alia adiuncta causa; vtique quia fluit vt passio ex beatitudine. Sed de hac propositione D. Tho. qualiter ea quæ competunt naturaliter, non oportet vt semper actu conueniãt, videatur latiùs Ferrara primo contra Gent. cap. 7. & etiam 2. contra Gentes c. 8. vbi præter explicationem hic traditam à D. Thom. adhibet & alias duas. Prima est, quòd quando aliquid competit naturaliter vt actus primus, semper competit: quando verò vt actus secundus, aut vt terminus actus secundi, non semper competit actualiter. Cuius ratio est, quoniam primum conuenit per se principaliter; secundum autem non sic, sed reductiuè; & etiam quia primum aut est principium essentiale, aut cõsequens principia essentialia; ac proinde non impedibiliter competit: secũdum autem sequitur impedibiliter, ac proinde nõ oportet vt semper actu sit in subiecto, licèt semper sit inclinatio ad illud. Exemplum est in grauitate & descensu respectu lapidis: grauitas competit vt actus primus, & vt consequens principia essentialia lapidis, & sic non impedibiliter, vnde semper competit: descensus autem est actus secundus, respectu cuius possunt esse impedimẽta, & sic non semper conuenit, quanuis cùm exercetur motus, naturaliter competat, & inclinatio ad illum semper conueniat. *Ferrar.*

Secundam explicationem adhibet, quòd id quod naturaliter competit, non potest separari per se loquendo, bene tamen per accidens, cùm illud conuenit in ordine ad aliquod extrinsecum; vt esse sursum, est igni naturale: quod tamen ratione dicta ab eo potest separari.

Ad 6.arg. Ad sextum argumentum, patet ex dictis, qualiter esse & viuere secundùm se sumpta possunt odio haberi; & solùm naturaliter appetuntur, regulariter loquendo, non autem infallibiliter.

Ad 7.arg. Ad septimum argumentum respondetur, quòd esse & viuere, secundùm se non habent omnimodã rationem boni, & sic possunt aliquando non appeti: vt autem coniunguntur beatitudini, reputãtur idẽ cum illa, & sic secundùm plenam rationẽ boni, vt odio haberi non possint.

Ad 8.arg. Ad vltimum respondetur sicut ad sextum, scientiam esse ex his quæ regulariter

naturaliter appetuntur; aliquando autem potest desiderari & affectari ignorantia, si scientia consideretur vt impeditiua alicuius boni.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Voluntas moueatur de necessitate a suo obiecto.

Infr. q. 80. ar. 1. c. 41. & 1. q. 82. ar. 1. & 2. & veri. q. 22. art. 5. & 6. & mal. q. 6. cor. & ad 7 & 10.

AD secundum sic proceditur. Videtur quòd Voluntas de necessitate moueatur à suo obiecto. Obiectum enim Voluntatis comparatur ad ipsam, sicut motiuum ad mobile; vt patet in 3. † de anima: sed motiuum si sit sufficiens, ex necessitate mouet mobile: ergo Voluntas ex necessitate potest moueri à suo obiecto.

Tex. 54. 10mo 2. ar. 1. ad 3.

Secundò pretereà sicut Voluntas est vis immaterialis, ita & Intellectus, & vtraque potentia ad obiectum vniuersale ordinatur, vt † dictum est; sed Intellectus ex necessitate mouetur à suo obiecto: ergo & Voluntas à suo.

Tertiò pretereà. Omne quod quis vult, aut est finis, aut aliquid ordinatum ad finem: sed finem aliquis ex necessitate vult, vt videtur, quia est sicut principium in speculatiuis, cui ex necessitate assentimus; finis autem est ratio volendi ea quæ sunt ad finem, & sic videtur etiam quòd ea quæ sunt ad finem, ex necessitate velimus: Voluntas ergo ex necessitate mouetur à suo obiecto.

Sed contra est, quòd potentiæ rationales secundùm Philosophum sunt ad oppositа: sed Voluntas est potentia rationalis; est enim in ratione, vt dicitur in 3. † de anima; ergo Voluntas se habet ad oppositа: non ergo ex necessitate mouetur ad alterum oppositorum. Text. 42. tom. 2.

Respondeo dicendum, quòd Voluntas mouetur dupliciter. Vno modo quantum ad exercitium actus. Alio modo quantum ad specificationem actus, quæ est ex obiecto. Primo ergo modo Voluntas à nullo obiecto ex necessitate mouetur. Potest enim aliquis de quocunque obiecto non cogitare: & per consequens nec actu velle illud: sed quantum ad finis motionis modum Voluntas ab aliquo obiecto ex necessitate mouetur, ab aliquo autem non: in motu enim cuiuslibet potentiæ à suo obiecto consideranda est ratio per quam obiectum mouet potentiam; visibile enim mouet Visum sub ratione coloris actu visibilis: vnde si color proponatur Visui, ex necessitate mouet ipsum, nisi aliquis Visum auertat; quod pertinet ad exercitium actus: si autem proponeretur aliquid Visui, quod non omnibus modis esset color in actu; sed secundùm aliquid esset tale, secundùm autem aliquid non, ex necessitate Visus tale obiectum videret. Posset enim intendere in ipsum ex ea parte qua non est coloratum in actu, & sic ipsum non videret. Sicut autem coloratum in actu est obiectum Visus, ita bonum est obiectum Voluntatis. Vnde si proponatur aliquod obiectum Voluntati; quod sit virtualiter bo-

num

num, & secundùm omnem considerationem, & ex necessitate Voluntas in illud tendit, si aliquid velit; non enim poterit velle oppositum: si autem proponatur sibi aliquod obiectum, quod non secundùm quamlibet considerationem sit bonum, non ex necessitate Voluntas fertur in illud; & quia defectus cuiuscumque boni habet rationem non boni, ideò illud solum bonum quod est perfectum, & cui nihil deficit, est tale bonum quod Voluntas non potest non velle, quod est beatitudo. Alia autem quælibet particularia bona, in quantum deficiunt ab aliquo bono, possunt accipi vt non bona; & secundùm hanc considerationem possunt repudiari, vel approbari à Voluntate, quæ potest in idem ferri secundùm diuersas considerationes.

Ad primum ergo, dicendum, quòd sufficiens motiuum alicuius potentiæ non est nisi obiectum, quod totaliter se habet ratione motiui: In cor. art. *si autem in aliquo deficiat, non ex necessitate mouebit, vt dictum est.* †

Ad secundum, dicendum, quòd Intellectus ex necessitate mouetur à tali obiecto, quod est semper & ex necessitate verum, non autem ab eo quod potest esse verum & falsum, scilicet à contingenti, sicut & de bono dictum est. In cor. art. †

Ad tertium, dicendum, quòd finis vltimus ex necessitate mouet Voluntatem, quia est bonum perfectum: & similiter illa quæ ordinantur ad hunc finem, sine quibus finis haberi non potest, sicut esse & viuere, & huiusmodi. Alia verò sine quibus finis haberi potest, non ex necessitate vult qui vult finem; sicut conclusiones, sine quibus principia possunt esse vera, non ex necessitate credit, qui principia credit. 1. Concl.

Prima conclusio. Quantum ad exercitiũ actus à nullo obiecto de necessitate mouetur. 2. Concl.

Secunda conclusio. Quantum ad specificationem ab aliquo obiecto mouetur ex necessitate, à multis autem non.

DVBIVM PRIMVM,

Vtrùm prima conclusio D. Tho. verum habeat.

PROBATVR quòd non. Primò, nam in Patria Voluntas necessitatur ab obiecto quantum ad exercitium; siquidem beatus non potest cessare à tali dilectione: ergo vniuersaliter loquendo, conclusio D. Thom. est falsa. 1. Arg.

Secundò argumentor, quia etiam in Via datur aliqua volitio necessaria quantum ad exercitium; quæ necessitas non potest prouenire nisi ab obiecto: ergo. Probatur minor, quia potentia secundùm se est libera: ergo si necessitatur, ab obiecto necessitatur. Maior verò probatur in prima volitione, quæ impediri non potest, cùm non præcedat alia per quam possit impediri. Patet etiam in motibus primoprimis, in quibus naturaliter mouetur Voluntas sine peccato, etiamsi sit circa obiectum secundum se malum. Patet etiam in pueris & amentibus, in quibus omnes actus sunt necessarij, etiam quoad exercitium. Si respondeatur, in his casibus non prouenire necessitatem ex obiecto, sed ex natura ipsius Voluntatis, & ex Deo authore illius; est enim natura Voluntatis vt sic, dispositа, vt in prædi- 2. Arg. Solutio.

Impug. dictis casibus naturaliter moueatur: Contra,quia probabile est, obiectum concurrere efficienter respectu Voluntatis ; & hoc præcipuè habet verum in Patria,quia dilectio est propria passio visionis : essentia autem quodammodo efficienter concurrit ad passionem: ergo si obiectum aliquando naturaliter mouet, illa motio est effectiua, & per consequens quoad exercitiū: bene ergo quoad exercitiū potest necessitari ab obiecto. *Confir.* Cōfirmatur,nam motus primoprimi multoties sunt circa obiectum malum:ergo talis naturalis tendētia & exercitium non potest tribui Voluntati,vel Authori eius,qui ad malum inclinare non potest: erit ergo hoc tribuendum ipsi obiecto rapienti & necessitanti quoad exercitium ipsam Voluntatem.

3. Arg. Tertiò argumentor, nam D.Thom.articulo præcedenti dicit,quòd Voluntas in ordine ad ea quæ naturaliter vult,habet se vt natura, hoc est vt causa naturalis; sed causa naturalis operatur necessariò etiam quoad exercitium : ergo id affirmandum est de Voluntate etiam in Via.

1. Sentent. Capreol. In hac re est multiplex sententia,& modus dicendi. Prima est Capreoli in primo, distinctione prima,quæst.3.circa quartam conclusionem,& Hispalensis,quæst.3.nota.4.& Conradi hic,quòd necessitas quoad exercitium amoris in Patria, prouenit ab obiecto , non vt obiectum est præcise, sed vt tale obiectum est summum bonum clarè visum,in quo nulla ratio mali appareret,ob quam Voluntas ab actu possit cessare. *Hispal. Conrad.* *Impug.* Et si aliquis obijciat huic sententiæ, quòd etiam summa bonitas clarè visa totum quod importat,est ex parte obiecti & ex parte Intellectus; sed tam obiectum, quàm Intellectus , duntaxat mouent Voluntatem quantum ad specificationem, & nullo modo quoad exercitium, vt constat ex suprà dictis quæst.9.artic.1.ergo à fortiori non poterit obiectum mouere necessariò quoad exercitium;quia prius est mouere quoad exercitium, quàm mouere necessariò quoad exercitium:ergo si nullum obiectum mouet quoad exercitium , nullum mouebit necessariò quoad exercitium: & D. Thom. in hoc articulo expresse id docet, Voluntatem à nullo obiecto posse necessitari quoad exercitium. *Solutio.* Respondent authores prædictæ sententiæ,D.Thom. tantùm loqui de statu Viæ, in quo potest repræsentari vt bonum cessatio amoris; non autem de statu Patriæ; quod videtur colligi ex contextu; ex eo enim dicit non posse Voluntatem nostrā moueri necessariò quoad exercitium ab obiecto,quia de quocunque obiecto potest quis non cogitare:quæ ratio non currit in statu Patriæ,in quo quidem non potest Intellectus cessare à visione clara, & consequenter nec Voluntas ab amore:tātùm ergo loquitur de statu Viæ, in quo potest circa quodlibet obiectum diuertere cogitationem. Vnde ipse D. Th. q.22. de veritate,art.6.circa finem corporis,docet, quòd quantum ad exercitium actus inest libertas Voluntati in quocunque statu naturæ,& respectu cuiuscunq; obiecti. Signanter dixit,in statu naturæ , vt excluderet statum Patriæ,quem statum posteà quæst.24.art.8.ad 2.excludit ab ista libertate quoad exercitium. Cum hac sententia coincidit quod alij Theologi dicunt, D. Th.in hoc art.loqui de Voluntate vt Voluntas est,cui vt sic competit liberè operari;non autem loqui de Voluntate vt natura est; quæ ratio ei conuenit præcipuè, quando cōsideratur in ordine ad summū bonum clarè visum. Hæc tamen sententia insufficienter procedit;non enim assignat qualiter ab obiecto etiam beatifico proueniat motio effectiua quoad exercitiū, vel à quo illa proueniat;quod est intētum huius dubij:vnde vt radicem huius effectiuæ motionis ostendat Magister Medina hic, *Medina.* dicit,illam esse imperium efficax ex parte Intellectus,cui Voluntas non potest non obedire. Sed nec hoc etiam consonum videtur,quia imperium totam efficaciam habet à Voluntate,tanquàm à primo mouēte quoad exercitium: vnde assignare imperium vt causam exercitij,non est reducere necessitatem exercitij ad Intellectum vel obiectum,sed ad Volūtatem. Tùm etiam, quia respectu dilectionis in Patria non est imperium,quia imperium tantùm est circa actus liberos: cùm autem dilectio in Patria sit necessaria , non procedit ex imperio,sed tantùm ex iudicio & clara Dei visione præsuppositā.

Ad fund. sent. Ad fundamentum ergo huius sentētiæ respondetur,etiam rationem D.Th. procedere de Voluntate in Patria;si enim obiectum formaliter,vt obiectum est,consideretur;potest Voluntas diuertere Intellectum à cogitatione illius, & sic formaliter vt obiectum non necessitatur quoad exercitium; sed potest à volitione cessare ex hac parte;vnde si ad exercitiū in Patria necessi-

necessitatur, ab alia radice prouenit, quàm ab obiecto vt obiecto formaliter sumpto, vt infra explicabitur.

2. Senten. Ferrar. Secúda sententia est Ferrar. 3. cõt. Gent. c. 62. circa 5. conclusionem in fine, vbi supponit, & verè, quòd beati in Patria diuersas habent cognitiones de Deo, alterã quidẽ in Verbo per beatificam visionem; alteram verò extra Verbum, per nouas reuelationes, vel per alias scientias, vt constat ex D.Th. 1. p. q. 12. ar. 9. & ex D. Aug. distinguente cognitionem in Patria, in matutinam, & vespertinam: quæ habetur in Verbo, vocant matutinã; quæ autẽ extra Verbum, vespertinam: similiter ergo habent secundum actum Voluntatis consequutũ ad istam secundam cognitionem. Qui sequitur ad visionem beatificam & cognitionem in Verbo, est actus necessarius quoad exercitium; actus verò qui sequitur cognitiones alias extra Verbũ, est liber quoad exercitium. Ratio huius est, quia Intellectus non potest diuertere à prima cognitione: potest autem diuertere à secunda: vnde primus actus Voluntatis necessarius est, non autem secundus. Dicit ergo Ferm. D. Thom. esse, quòd Voluntas in quocunque statu & circa quodlibet obiectum est libera, & à nullo obiecto necessitari quoad exercitium: quia etiam in Patria circa ipsum Deum libertatem exercet Voluntas, si non in actu consequuto ad cognitionem in Verbo, tamen in actu cõsequuto ad cognitionem extra Verbum. Itaque intendit D. Th. quòd circa quodlibet obiectum in quocunque statu Voluntas est libera, nõ autem quòd in omni actu in quocunque statu circa quodlibet obiectũ Volũtas sit libera. Hæc etiã sentẽtia in

D.Tho. sufficiẽter explicat mentẽ D. Th. qui sine distinctione statuũ vel actuũ prædictorũ, absolutè dicit, quòd in quocunque statu à nullo obiecto necessitatur Volũtas quoad exercitium. In eo autẽ quod dicit, à nullo obiecto necessitari ad exercitiũ, nõ solũ intendit, nullũ esse obiectũ circa quod non liberè operetur in aliqua actione: sed quòd in nulla actione necessitatur ad exercitiũ necessitate prouenìente ab obiecto. Et fundamentũ huius sentẽtiæ per distinctionem duorũ actuum Voluntatis, est fal-

D.Th. sum: Diuus enim Thomas docet infrà q. 67. ar. 6. in corpore & ad primũ & secundũ, quòd eadẽ numero Charitas manet in Via, & in Patria, & quòd actui Charitatis accidit, quòd sit de obiecto clarè, vel non clarè viso: ergo idẽ actus Charitatis numero, & specie, poterit sequi cognitionẽ clarã in Verbo, & obscurã extra Verbũ: quia duæ dilectiones eiusdẽ speciei nõ possunt esse in eodem subiecto: essent autem, si ille essent duæ volitiones: cùm clarum & non clarum non diuersificent illas specie. Si respondeatur cum Medina art. 3. sequenti, dub. 2. circa finem, illos duos actus dilectionis esse eiusdem speciei in esse moris, non tamen in esse naturæ, & hoc sufficere vt possint esse in eodem subiecto: vt verbi gratia, iustè iudicare, & debitum alteri reddere, in esse moris pertinent ad eandem speciem iustitiæ, non tamen in esse naturæ: quapropter simul in eodem subiecto esse possunt: Contra argumentor, quia secundùm Diuum Thomam, actui dilectionis accidit esse de obiecto viso, vel non viso: ergo tam in esse moris, quàm in esse naturæ, est idem, siue sequatur ad claram Dei cognitionem, siue non. Nec exemplũ illorum duorum actuũ iustitiæ est ad propositũ, quia licet obiectũ vtriusque in esse moris sit idem: tamen in esse naturæ est diuersum: vnde in esse naturæ poterũt distingui: obiectum autem dilectionis, siue consequatur ad claram cognitionem, siue non, est idem etiam in esse naturæ: vnde & talis actus dilectionis etiã in esse naturæ erit idem. Si respondeatur cum alijs, illum duplicem actum distingui genere ex diuerso modo tendendi in obiectum, videlicet amissibiliter & inamissibiliter: Contra argumentor, nam actus dilectionis in Via, & in Patria, habet prædictum modum amissibilitatis, & inamissibilitatis, & vtrumque dicit D. Tho. accidere tali actui. Videatur D. Tho. q. 29. de veritate, art. 6. ad 6. vbi docet, vnicũ tantùm esse actum dilectionis supernaturalis Dei in Christo Domino, licèt dicatur actus Viatoris & Comprehensoris secundùm diuersas rationes: dicit enim, quòd eadem Charitate Dominus Christus merebatur & fruebatur, & quòd eadem Charitas erat principium merendi in quantum erat Viatoris, non autem in quantum erat Comprehensoris.

Solut. Medin. Impug. Solut. Impug. D.Tho.

3. Sentent. Caiet. Soto. Medin. Tertia ergo sentẽtia, vera & tenẽda, est D. Caiet. hic, quã etiã sequitur Soto & Medina, & plures alij, q; aliud est dicere; Volũtas necessariò mouetur ab obiecto ad exercitiũ actũ, & aliud est dicere; Volũtas sic dispositа vel in tali statu, necessariò mouetur ad exercitium actus circa tale obiectum:

Primum

Primũ enim denotat efficaciã obiecti supra Voluntatem, secundùm quã posſit illã ad exercitium actus neceſſariò ducere; & hoc negat D. Thom. hic, quia iam quæſtione præcedenti, artic. primo, docuerat, obiectum non mouere Voluntatem ad exercitium; ſed, vt dixit artic. tertio, & quarto, ad exercitium tantùm mouetur Voluntas à ſe ipſa & à Deo. Secundum autem dictum denotat neceſsitatem exercitij circa tale obiectum cum tali diſpoſitione vel ſtatu; non tamen dicit, quòd talis neceſsitas ab obiecto proueniat, ſed vel à natura ipſius Voluntatis, vel Charitatis, cuius proprium eſt in illo ſtatu non liberè, ſed neceſſariò tendere in illud obiectum clarè viſum. Vnde Diuus Thomas hic ad ſecundum, neceſsitatem exercitij Voluntatis diuinæ non reducit in obiectum, ſed in hoc, quòd ipſa Voluntas Dei eſt actus purus. Ecce qualiter reducit neceſsitatem exercitij ad naturam Voluntatis Dei. Ita ergo dicendum eſt de Voluntate creata in Patria, quòd neceſsitas exercitij amoris beatifici prouenit ex ipſa natura Voluntatis in tali ſtatu: eſtque exemplum in omnibus alijs potentijs; potentia enim viſiua non impedita neceſſariò fertur in colorem præſentem; nutritiua circa alimentum, graue ad centrum; neceſsitas tamen talis exercitij nec prouenit à colore, nec ab alimento, nec à centro, ſed prouenit à natura talium potentiarum, vel ab Authore illarum; ſicut & in Via, quòd Voluntas neceſsitetur ad finẽ, & liberè ſe habeat erga media, ex natura ipſius Voluntatis vtrumque prouenit: ſic ergo in Patria neceſsitas exercitij amoris prouenit à natura Voluntatis in tali ſtatu, vel ab ipſo Deo mouente ipſam Volũtatẽ ex parte principij effectiui, nõ autẽ à Deo mouente ex parte obiecti, vt clarè viſus.

Not.1. Pro cuius ſententiæ maiori intelligentia notandum. Primò, quòd vt ſæpe D.Th. & hic aſſerit, multum differt modus mouendi obiecti vt ſic, à modo mouendi cauſæ efficientis; obiectum enim vt ſic, ſolùm concurrit per modum finis ad quem actus ordinatur, aut per modum formæ, in ordine ad quam actus ſpeciem deſumit, non autem vt ſic habet rationem efficientis & inclinantis ad actum.

Not.2. Secundò notandum, quòd cùm operationes ſequantur diſpoſitiones agentis, & iuxta illas aliquando ſequatur actio intenſior, aliquando remiſſior: ita fieri poteſt, vt ex eodem agẽte aliquando ſequatur actio liberè, aliquando neceſſariò, vel ſecũdùm quòd agens eſt in diuerſo ſtatu, vel ſecundùm quòd comparatur ad diuerſa obiecta, vt dilectio ipſius Dei eſt neceſſaria reſpectu ſuæ eſſentiæ, libera autẽ reſpectu creaturarum: ſic etiam & Voluntas humana in volitione beatitudinis in communi nõ eſt libera quoad ſpecificationem, licèt ſit libera quoad exercitiũ. Sic ergo ſimiliter poteſt fieri, vt quoad exercitiũ in vno ſtatu ſit libera, in alio verò nõ circa idem obiectũ, ſecundùm quòd Voluntas in tali diuerſo ſtatu eſt diuerſimodè diſpoſita. Iſta ſententia ſic explicata, videtur clarè D.Tho. hic, vbi cùm quærat, an Voluntas neceſſariò moueatur à ſuo obiecto; reſpondet, quòd quantum ad ſpecificationem neceſſariò mouetur ab aliquo obiecto, quantum ad exercitium autem à nullo obiecto mouetur neceſſariò. Sed mens Diui Thomæ in primo dicto eſt, quòd motio ad ſpecificationem ſit ab obiecto vt obiectum: ergo in ſecundo dicto ſentit, motionem ad exercitium non eſſe ab obiecto vt obiectum; aliàs enim ſermo eius non eſſet formalis in vtroque dicto, ſed diuerſimodè loqueretur in vno & in alio. Confirmatur, quia quando D. Thom. quæſt. 9. artic. 1. docuit, quòd Voluntas non mouetur ad exercitium ab obiecto, vt loquatur formaliter, debet intelligi ab obiecto vt obiectum: ergo quando hic docet, Voluntatẽ nõ moueri neceſſariò quoad exercitiũ ab aliquo obiecto, debet intelligi de obiecto vt obiectũ eſt: quia doctrina huius articuli fũdatur, & ſupponit doctrinã alterius articuli. Cõfirmatur ſecũdò, quia etiã q. 9. art. 2. docuit D. Th. quòd Volũtas nõ mouetur quoad exercitiũ à paſsione appetitus ſenſitiui; ſed tantũ ex parte obiecti: ergo ſentit, quòd formaliter loquendo, motio ex parte obiecti non eſt motio quoad exercitiũ; vnde ſi poſteà in art. ſequenti 3. huius quæſtionis docet, quòd Voluntas quandoque ſequitur paſsionem appetitus ſenſitiui neceſſariò quoad exercitiũ, quando videlicet paſsio aufert iudicium Rationis; non ſic debet intelligi, q̃ ipſa paſsio moueat in genere efficientis, ſed quòd dũ paſsio mouet obiectiuè, auferens iudiciũ Rationis, ipſa Volũtas ex ſua natura in tali diſpoſitione conſtituta mouetur neceſſariò quoad exercitiũ. Vltimò probatur. Si à Deo clarè viſo, vt obiectum eſt, neceſſariò moueretur quoad exercitiũ, id eſſet, quoniam

D.Tho.

D.Tho.

quoniam est præstantissimum obiectum Voluntatis, & præstantissimo modo applicatū: sed hoc non sufficit: ergo. Probatur minor, quia hoc quod est mouere quoad exercitium, non est applicari Voluntati, sed applicare Voluntatē ipsam: ergo esse obiectū præstantissimum præstantissimè applicatum, non est mouere quoad exercitium.

Ad 1. arg. Ad primum arg. resp. illam necessitatē, vt dictum est, non prouenire à Deo, vt obiectum beatificum, sed ab ipso vt consideratur ex parte efficientis beatitudinem; vnde beatus præcisè ex parte obiecti posset diuertere cogitationem, & cessare ab actu Voluntatis; & si id non potest, necessitas prouenit ex parte subiecti, & ex natura Voluntatis in illo statu, vt dictum est.

Ad 2. arg. Ad secundum arg. bene ibi responsum est. Ad replicam, dicitur, illam sententiam esse falsam, quod bonum apprehensum concurrat efficientia: & si ex parte Intellectus debet poni aliqua efficienter respectu Voluntatis, illa ad ipsam Voluntatem debet reduci, in cuius virtute Intellectus mouet ipsam Voluntatē efficienter; vnde non datur q̄ efficientia sit ab obiecto ex proprijs illius, sed ab ipsa Voluntate. Ad illud autem, quòd in Patria dilectio est passio visionis: Respondetur, non est passionem visionis consideratæ ex parte obiecti, sed ex parte subiecti, quatenus talis visio est inamissibilis ex proprijs principijs, vnde dimanatio dilectionis non est ab obiecto, sed à subiecto; & sic in illud reducitur efficientia si talis debet nuncupari dimanatio passionis. Ad confirmationem respon-

Ad confi. detur, quòd motus primo primus nullum est peccatum; vnde bene potest exercitiū eius esse à Deo: quòd autem obiectum talis mot⁹ primi aliàs sit malum in ordine ad aliam operationē, nihil interest, si in ordine ad istum motum primum, obiectū malum non est, vt verbi gratia, nihil interest quòd occisio hominis aliàs esset mala, si fieret ab alio homine, vt quando fit à tauro, non fiat à Deo concurrente per instinctū naturæ cum tauro: sufficit enim, quòd talis occisio Deo possit tribui, quòd in ordine ad actionem tauri mala non sit.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum respondebitur dubio 3. Modo autē supposito, quòd necessitatē exercitij in Patria reduximus ad Deū, vt ex parte efficiētis mouet Volūtatem, & connaturaliter illi statui mouet illam, sit

DVBIVM II.

Vtrū Deus necessitet Volūtatē ad exercitiū illius actus per cōcursum generalē ordinis naturæ: an verò cū cōcursu supernaturali. Et rursus, vtrū per cōcursum supernaturalē generalē, an verò per specialē, qualis est habitus Charitatis, quomodo etiam in Via inclinatur Voluntas ad diligendum Deum supernaturali dilectione.

IN hac re Magister Soto super hunc articulum, & suprà q. 1. ad 4. artic. 4. dicit, quòd posita visione, ad quam Deus supernaturaliter concurrit sine alio speciali concursu & motione, sed solo concursu generali, videns Deum, necessariò amaret illum; sicut graue non impeditum descenderet, & sicut omnibus entibus mundi commune est quòd necessariò ferantur in suum finem, si non impediātur. Vbi manifestè videtur concedere, quòd sine habitu Charitatis, & sine inclinatione supernaturali superaddita Volūtati, Voluntas ex natura sua necessariò ferretur in Deum clarè visum. Probat suam sententiam; nam aliàs non necessitaretur Voluntas ad amandum viso Deo, sed posset non amare, si non daretur ei habitus Charitatis: immò etiam posito tali habitu non necessitaretur, si ex sola visione non erat necessitata; quia habitus Charitatis est electiuus, & cōsequenter non necessarius in opere. Nec valet, quòd hoc habet habitus Charitatis in Via, non autem in Patria, ibi enim necessarius est talis habitus in operando. Non (inquam) valet, quia habitus Charitatis in Via & in Patria est idem, & cùm in Via sit electiuus & liber, non poterit in Patria esse necessarius; quia idem numero habitus non potest habere diuersos modos agendi, alterum liberum in Via, & alterum necessarium in Patria.

Sent. Soto.

1. Concl. Prima conclusio. Ad talem dilectionem in Patria, etiā posita visione ex parte Intellectus, non sufficit generale auxiliū naturale ex parte Voluntatis, sed requiritur inclinatio & motio supernaturalis. Hæc probatur, quia quælibet potētia requirit proportionē ex parte sui ad operationem

tionē eliciendū:cū enim ipsa principaliter, & vitaliter operetur,in ipsa proportio debet poni:quælibet autem potentia secundū vires naturales est improportionata ad actū supernaturalem: ergo necessariò debet superaddi potentiæ principium supernaturale eleuans ipsam ad ordinem & perfectionem actus eliciendi: & hoc etiam in Via apparet manifestè; Intellectus enim requirit principium supernaturale Fidei ad actum credendi, & rursus in Voluntate aliud principium supernaturale Charitatis ad amandum.

2. Concl. Secunda conclusio. Principium supernaturale,quod ponitur in beatitudine respectu Voluntatis vt operetur necessariò, est habitus Charitatis,& non solùm auxilium supernaturale vtcunque. Hæc videtur D.Th.q.de virtutibus in communi,ar. 5.ad 8.vbi sic ait. Aliquis actus est virtutis, qui est essentialiter ipsa felicitas;& aliquid est in felicitate,sicut perfectiuum felicitatis, scilicet delectatio; & hoc pertinet ad Voluntatem, & in ordine ad hoc perficit Voluntatē Charitatis,si loquamur de beatitudine cœlesti, quæ Sanctis repromittitur:at verò si loquamur de felicitate & vltimo fine naturali proportionato, ad hoc amandum Voluntas naturali desiderio est inclinata. Ecce qualiter ad amandum finē supernaturalem ponit habitus Charitatis. Et amplius probatur,nam sic se habet Intellectus ad prima principia,sicut & Voluntas ad vltimumum finem: sed Intellectus nō potest tendere in primā veritatem clarè (quæ est primum principium supremi ordinis) nisi eleuetur per habitū luminis gloriæ: ergo nec Voluntas potest ferri in vltimū finem supernaturalem per actum dilectionis,nisi inclinata per habitum Charitatis ad tale obiectum,quod aliàs in cor hominis non valeret ascendere.

D.Tho.

Ad argu. M.Sot. Ad arg. ergo Magistri Soto respondetur,quòd,vt patet ex propria definitione, causa naturalis & necessaria est illa, quæ positis omnibus requisitis ad agendū, nō potest nō operari: sicut è contra causa libera est,quæ positis omnib⁹ requisitis,potest operari & nō operari. Inter requisita autē ad actionē supernaturalē, est cōcursus & motio supernaturalis: nò ergo desinet Voluntas nostra,respectu dilectionis Dei clarè visi,esse causa naturalis & necessaria ad amādū supernaturaliter,per hoc q̄ nō amaret sine Charitate vel concursu supernaturali; quia tunc esset non operari per defectum requisitorum. Exemplum est in igne,si auferretur ab illo calor, etiāsi applicaretur lignum,nō calefaceret; nihilominus est causa naturalis & necessaria calefactionis,quia tunc non calefacere,esset defectu alicuius requisiti, & tantum probaretur, non necessariò calefacere,si positis omnibus requisitis,posset non calefacere. Quod ergo Voluntas necessariò diligat in Patria,in eo consistit, quòd posita Charitate requisita ad diligendum, non potest Voluntas non diligere: & quia etiam sicut ex potētia cognoscitiua naturaliter & intrinsecè dimanat appetitiua, & ex intellectiua dimanat volitiua, cū naturale inclinatione ad bonum propositum per Intellectum; ita etiam ex visione Dei, vel ex concursu, quo cum lumine gloriæ concurrit,intrinsecè dimanat in Voluntate inclinatio supernaturalis necessaria per Charitatem ad obiectum cognitum per illud lumen: sicut & in Via ex gratia existente in anima dimanāt virtutes in potentijs, sine quibus non possent aliæ potentiæ exercere sua munia conformiter ad gratiam;& sicut visio per lumen gloriæ inest in Intellectu per modum permanentis,ita & inclinatio in Voluntate inde dimanans,inest permanenter per Charitatem, vt sic inclinatio Voluntatis ad bonum parificetur visioni & inclinationi ad verum; ex qua dimanat talis inclinatio supernaturalis Voluntatis ad bonū. Ad illud autē,quòd in Via Charitas nō est causa necessaria dilectionis: ergo nec in Patria necesitas à Charitate potest prouenire: Respondetur,quòd cùm venerit perfectum,euacuabitur quod ex parte erat; vnde si in Via Charitas erat causa non necessaria,erat quia in Via est de obiecto non viso,in Patria autem de obiecto clarè viso: pertinet autem ad eandem naturam Charitatis liberè versari circa non visum,necessariò autem circa clarè visum, vt summum bonum; sicut & de ipsa potentia Voluntatis dictum est,natura eius esse,quòd sit Intellectus sit solutus, & capax deliberationis & consilij, Voluntas liberè agatisi autem Intellectus sit determinatus, nec capax delberandi in aliquo iudicio practico, tunc Voluntas necessariò & naturaliter agat; vt patet in amentibus & pueris,& dormientibus; de quo videatur Victoria relectione de perueniente ad vsum Rationis, quæ est vltima, §.7. fol.335.circa quintum propositionem. *V.Victoria.*

Not. Notandum tamen, doctrinam prædictam

ctam debere intelligi de lege ordinaria; nam de potentia absoluta, sicut probabiliter potest dici de Intellectu, quòd possit videre Deum sine lumine gloriæ per modum habitus, si poneretur per modum auxilij; ita similiter potest dici, quòd de potentia absoluta posset Voluntas necessitari in Patria ad amandum sine habitu Charitatis; dummodò poneretur in illa cõcursus & auxilium supernaturale illius ordinis: & hoc fortè voluit Magister Soto.

DVBIVM III.

Vtrùm fieri possit, quòd Voluntas in statu Viæ necessariò moueatur ad exercitium circa aliquod obiectum.

1. *Arg.* PRobatur quòd sic. Primò. Voluntas respectu eorum quę appetit naturaliter, vt respectu beatitudinis & boni in communi, habet se vt natura: ergo fertur necessariò quoad exercitium circa illa. Antecedens patet ex D. Thom. hic; & consequentia probatur, quia, vt diximus, agens naturale non potest non operari, nec cessare ab operatione, sublatis impedimentis.

2. *Arg.* Secundò argumentor. Datur aliquod obiectum, etiam in Via, in quo nulla apparet ratio mali: ergo in tale obiectum necessariò fertur Voluntas quoad exercitium. Antecedens patet, quia in beatitudine & bono in commni nulla apparet ratio mali. Consequentia verò probatur, quia ꝙ Voluntas se cõtineat, aut cesset ab amore alicuius obiecti, non prouenit nisi propter aliquod malũ vel incomodum in eo repertum.

3. *Arg.* Tertiò argumentor. Volitiones liberæ quantum ad specificationem, præsupponunt aliquid necessarium quoad specificationẽ: ergo volitiones liberæ quoad exercitiũ, præsupponũt aliquã necessariã quoad exercitiũ. Antecedẽs patet articulo prę cedẽti, & cõsequẽtia probatur ex paritate rationis; quia omnia varia & mutabilia debẽt reduci in aliquid firmum & necessarium; aliàs enim in volitionibus liberis abiretur in infinitum. *Confir.* Confirmatur, quia in Angelis omnes volitiones liberæ quoad exercitium, reducũtur ad aliquã necessariã quoad exercitium, qualis est dilectio sui & Authoris naturæ: ergo similiter in nobis.

4. *Arg.* Quartò argumentor. Beatitudo in communi, habet se ad Voluntatem vt prima principia ad Intellectum: sed apprehensis primis principijs, necessitatur Intellectus ab eis ad iudicandum in exercitio, & assentiendum illis: ergo & Voluntas, proposita sibi beatitudine in communi per iudicium practicum, necessitabitur ad exercitium amoris illius; quia, vt sæpe dictum est, sic fertur Voluntas in beatitudinem in communi, sicut Intellectus in prima principia.

5. *Arg.* Quintò argumentor. Ex eo dicit D. Tho. non necessitari Voluntatem ab obiecto quoad exercitium, quia potest auertere cogitationem à quocunque obiecto: ergo interim dum non auertitur cogitatio beatitudinis in communi, Voluntas necessariò fertur in illam quoad exercitium.

6. *Arg.* Sextò argumentor. Voluntas diuina fertur necessariò quoad exercitium in propriam beatitudinem, & in propriam bonitatem: ergo similiter Voluntas humana. Patet consequentia. Primò, quia Voluntas humana non est liberior quàm diuina: si ergo diuina necessariò quoad exercitiũ fertur in propriam beatitudinem, à fortiori humana, quæ non est tam libera. Secundò etiam patet consequentia, quia modus agendi liberè præstantior est, quàm modus agendi necessario; vndedicitur, Deum esse causam liberam rerum, non verò necessariam; quia primus modus causandi est præstantior: ergo si Voluntas humana tẽderet in propriam beatitudinẽ liberè quoad exercitium, Volũtas verò diuina necessario, præstantiori modo ageret Voluntas humana.

7. *Arg.* Septimò argumentor. Iudicium antecedens volitionem simpliciter primam, est necessarium etiam quoad exercitiũ: ergo & ipsa volitio. Consequentia patet; cùm ex paritate rationis; tùm etiam, quia indifferẽtia vel necessitas Volũtatis sequitur indifferentiam vel necessitatem iudicij. Antecedens verò probatur, quia illud primũ iudiciũ antecedit quemcunque actũ Voluntatis: ergo non est in potestate Volũtatis diuertere illud iudicium, & sic illud erit necessarium quoad exercitium.

1. Sent. Caiet. Propter hæc argumenta in hac re est prima sententia affirmatiua, licèt authores illius diuersimodè procedant. Caiet. enim in hoc articulo, §. & similiter, videtur absolutè docere, actũ primũ circa finẽ, absolute esse necessariũ quoad exercitiũ. *Ferrar.* Fer. verò. 3. cõt. Gen. c. 62. circa quintã ratio-

rationem, docet, Voluntatem necessitari quoad exercitiũ ad beatitudinem in communi, non absolute, sed ex suppositione, supposito iudicio practico Intellectus proponentis Voluntati talem beatitudinem; absolutè autem non necessitatur, quia absolutè posset Voluntas retrahere tale iudicium. Alij autem, vt Durand. in 4. dist. 49. q. 8. paullò ante solutionem ad argumenta in oppositum, & Paludan. eadem distinctione q. 7. in probatione tertiæ opinionis, & in solutionibus argumentorum, mediam viam sequuntur, distinguentes duplicem actum Voluntatis; primum absolutũ & efficacem, qualis est actus amoris, desiderij & delectationi; alterum verò ineffi cacem, qui est quasi quædam complacentia & velleitas obiecti. Dicunt ergo, quòd Voluntas etiam circa beatitudinem in cõmuni non necessitatur ad exercitium prioris actus; bene tamen ad exercitiũ secundi actus, licèt & hoc non absolutè, sed supposito iudicio practico Intellectus, vt dicebat Ferrara.

Durand. *Palud.*

2. Sent. Secunda sententia est omnino negatiua, nullum actum Voluntatis etiam circa finem vltimum & beatitudinem in communi esse necessarium quoad exercitium. Hanc tenet Capr. in. 1. dist. 1. q. 3. ad argumenta Aureoli contra primam conclusionem, Conrad. & Medin. in hoc articulo, & suprà, q. 5. ar. 8. conclusione 1. & Dominus Caiet. 1. p. q. 41. articulo. 2. circa solutionem ad 3. expresse docet, Voluntatem circa beatitudinem in communi necessitari quoad specificationem, non verò quoad exercitium: quod etiam de prima volitione finis in Angelo asserit postea q. 63. ar. 5. circa solutionem ad. 3. D. Th. & Magister Soto in 4. d. 49. q. 2. ar. 1. cõclusione 3. & plures alij discipuli D. Tho. & præter illos etiam Scotus in 1. dist. 1. q. 4. & in 4. dist. 49. q. 10. & Richardus eadem distinctione ar. 2. q. 2. Gabr. in. 1. dist 1. q. vltima, ar. 2. conclusione 1. & Marsil. in illa distinctione 49. q. 8. & Ocham in 4. quæst. vltima art. 3.

Capreol. *Caiet.* *Conrad.* *Medin.* *Soto.* *Scotus.* *Richard.* *Gabriel.* *Marsil.* *Ocham.*

Not. 1. Pro intelligentia notandum, quòd si hic fiat sermo in ordine ad supernaturalia, nullũ est dubiũ, quin in ordine ad illa nũquam Voluntas necessitetur quoad exercitium; cùm enim illa omnino superexcedant naturam, nullatenus Voluntas erit necessitata & determinata; sed satis erit si etiam liberè possit illa attingere. Loquendo ergo de obiecto naturali,

Not. 2. Notandum secundò, quòd possumus etiam loqui dupliciter: vel per se, vel per accidens. Tũc necessitaretur per se ad exercitium, quando ex propria natura exposceret Voluntas in ordine ad aliquod obiectum, non cessare ab operatione: per accidens autem diceretur necessitari ad exercitium, quando id non exposcente natura Voluntatis, ex aliquo incidente & casuali proueniret non posse non operari.

1. Concl. Prima conclusio. Loquendo per se, circa nullum obiectum necessitatur Voluntas quoad exercitium in hac vita. Hæc est authorum secundæ sententiæ, & probatur à Maiori & Ocham falso fundamẽto, quia Volũtas potest velle malũ sub ratione mali, & odio habere bonum inquantũ bonũ; vnde in ordine ad nullũ obiectũ necessitatur; quia si ad aliquod, maximè ad bonum. Ad hoc autem nõ, quia potest velle malum sub ratione mali: ergo ad nullũ necessitatur ad exercitiũ. Admittimus istorum sententiam, sed nõ rationẽ. Similiter Scotus probat illam innixus alio falso fundamento: Voluntas enim (inquit) est altior potentia, quàm Intellectus: ergo non potest beatitudo, etiam in communi proposita per Intellectum, mouere necessariò quoad exercitium Voluntatem; quia inferior potentia non potest inferre necessitatem superiori. Sed de falsitate antecedentis videatur contra Scotum 1. p. q. 82. art. 3. Et probatio etiam consequentiæ impugnatur à Durando loco citato in prima sententia ad primum proprima opinione, & assignat instantiam de sensu, qui etiamsi sit inferior Intellectu, plerumque tamen necessitat Intellectum ex parte obiecti, ita vt non possit Intellectus non cogitare. Aliam probationem ad hibet Scotus in 4. loco citato, quòd si Voluntas in Via moueretur necessariò ad exercitium circa beatitudinem in communi, eadem necessitate moueretur circa beatitudinem in particulari, etiã in Via; quia si perfectio in obiecto reperta, sit ratio necessitandi Voluntem, cùm non minor perfectio inueniatur in beatitudine in particulari, quàm in beatitudine in communi, nõ minus necessitabitur â beatitudine in particulari, quã à beatitudine in communi: quod tamẽ est falsum. Hæc etiam probatio Scoti displicet Soto loco citato, conclusione 5. & Medinæ suprà, q. 5. art. 8. ad primum Scoti, & Caietano 1. p. q. 82. art. 1. ad primum Scoti; & Bañez eadem quæstione,

Maior, & Ocham fal so fundamento vtitur. *Scotus.* *Durand.* *Bañez.*

art.

art. 2. dub. 1. quia optimum discrimen potest assignari Scoto inter vtramque beatitudinem, quia beatitudo in communi applicatur Voluntati cognitione euidenti; beatitudo autem in particulari cognitione obscura. Constat autem, quòd obiectum euidenter cognitum maiorem vim habet ad mouendum Voluntatem, quàm obscure cognitum. Obiectio autem aliquorum modernorum pro Scoto contra istam nostram solutionem, quod sicut beatitudo in particulari applicatur Voluntati in Via per cognitionē obscuram, ita etiam & beatitudo in communi saltē respectu aliquorum; verbi gratia, respectu rustici, qui videtur non habere cognitionem euidentem beatitudinis in communi: Nihil valet hæc obiectio, quia licèt non omnes euidenter cognoscant beatitudinem in communi in actu signato & sub expressa ratione beatitudinis; nemo tamen ignorat illam sub ratione obiecti expletiui omnium desiderio rum, & in quo Voluntas rectè se habeat. Relictis ergo his probationibus, probatur primò nostra conclusio, nam si in aliquod obiectum Voluntas tenderet necessariò quoad exercitium, maximè circa beatitudinem in communi: sed in illam non tendit isto modo: ergo. Probatur minor, quia, vt est dictum suprà, volitio beatitudinis in communi potest esse meritoria: ergo est libera, saltem quoad exercitium, quia necessarijs nec meremur nec demeremur. Confirmatur, quia si aliqua actio deberet esse necessaria, maximè omnium prima, cùm sit ab Authore naturæ, & necessariò circa bonum; illa autem, probat D. Thom. 1. part. quæst. 63. qualiter in Angelis fuerit libera quoad exercitium, & meritoria; & similiter probat quæstione 95. articulo primo de prima operatione hominis, qualiter quoad exercitium fuerit libera. Secundò probatur ratione Diui Thomæ hic, quia Voluntas in Via potest auertere cogitationem à quocunque obiecto: ergo & cessare à volitione illius. Patet consequentia, quia non stat, cessare actum Intellectus, & manere actum Voluntatis. Et si dicas, hoc probare, absolutè non necessitari Voluntatem ad exercitium; sed nunquid in sensu composito, manente iudicio Intellectus, necessitabitur Voluntas ad exercitium actus? sicut dici solet de electione medij necessaria ad finem, quod licèt absolutè sit liberum, quia potest

D. Tho.

Obiectio.

desistere ab intellectione finis; supposita tamen finis intellectione, electio talis medij est necessaria, vt docet Diuus Thomas infra quæstione 13. articulo 6. De quo etiam videatur Bañez 1. parte q. 82. articulo secundo, dubio vltimo: Respondetur tamen, in primis supponendum, quòd licèt apprehensio sit vehemens, quandiu manet libertas, potest Voluntas diuertere cogitationem, quanquàm cum magno labore, & nimia difficultate; & licèt aliquando à principio non possimus diuertere vehementem apprehensionem præuenientem libertatem; possumus tamen in progressu, & paulatim; quod sufficit vt absolutè Voluntas non necessitetur quoad exercitium: supposita tamen apprehensione & cogitatione Intellectus, aliqui existimant, in sensu composito necessitari Voluntatem ad exercitium, & putant esse mentem Diui Thomæ. In tantum enim ait non necessitari Voluntatem ad exercitium, in quantum potest diuertere cogitationem, stante ergo, & non diuersa, cogitatione in sensu composito, ex mente Diui Thomæ necessitabitur ad exercitium. Ego tamen hoc reputo falsum; & dico, quod si Intellectus proponat Voluntati etiam felicitatem in communi speculatiuè, non necessariò sequitur volitio. Verbi gratia, me disputante de felicitate in communi, non necessariò gignitur volitio illius; sed potest suspendi actus Voluntatis, quia Intellectus speculatiuus non mouet Voluntatem, sed practicus: si autem Intellectus proponat Voluntati felicitatem in communi per iudicium practicum, quod explicatur his verbis; Felicitas est summè amanda; adhuc non necessariò sequitur volitio, quia iudicium practicum non habet huiusmodi efficaciam secum rapiendi Voluntatem; vnusquisque enim nostrum etiam practicè iudicat bonū esse sequi virtutem, non tamen statim vnusquisque sequitur illam; sicut & practicè assentimur Apostolo asserēti sequēda esse charismata meliora; nec tamen sequimur illa: sic autem Intellectus proponat Voluntati felicitatē in communi per imperium Intellectus practici; quod explicatur his verbis; Fac hoc, dilige, ama; statim sequitur volitio, nec potest Voluntas in sensu composito oppositū facere, nisi variet volitionē, qua imperare facit Intellectum; quod est posse in sensu diuiso, non autem in

D. Tho. Bañez.

Solutio.

sensu composito : & ad hoc nihil refert quòd sit volitio circa bonum in communi, vel circa quodlibet particulare ; quodcunque enim sit, stante imperio, non potest non velle ; absolutè tamen potest, quia potest tollere imperium, cùm imperium habeat efficaciam ex ipsa Voluntate.

Ad argu. D.Tho. Ad argumentum Diui Thom. contra prædictam resolutionem, respondetur, quòd ipse non docuit nisi modum faciliorem & notissimum, quo Voluntas potest cessare ab opere, diuertendo cogitationem, siue speculatiuam, siue practicam, siue imperialem; quòd sufficiebat ad illius intentum, quòd Voluntas non necessitetur ad exercitium : non autem negat, quominus etiam stante iudicio speculatiuo vel practico, non necessitetur ad exercitium. Tertiò probatur ratione *Capreol.* Capreoli in primo, distinctione prima, quæstione 3.art. 1. post tertiam conclusionem §.ad primum dubium: imò est Diui Thom. quæst. 24. de veritate, art 8.ad 2. & 3. Vt Voluntas necessariò moueatur ad exercitium, non solùm requiritur vt Intellectus non inueniat rationem mali in obiecto volito, sed quòd nec etiam reperiat illam in ipso exercitio & tendentia circa tale obiectum, nec possit in cessatione inuenire aliquam rationē boni & conuenientiæ: sed exercitium volitionis etiam circa bonum in communi in hac vita non est huiusmodi: ergo potest cessare à tali exercitio volitionis. Probatur minor, quia in hac vita sunt plura impedimenta ; sunt etiam & multa necessaria, & indigentiæ corporales, vt comedere, dormire, &c. quibus homo priuaretur, si semper esset intentus exercitio talis volitionis : ergo potest ei apparere malum in continuatione talis exercitij; & bonum cessare ab illo : quæ ratio non currit de exercitio volitionis beatificę in Patria, vbi non solùm non potest non apparere ratio mali in obiecto beatifico, sed nec in exercitio volitionis circa illud. *Impug.* Et si cōtra facias argumentum, nam etiam in cessatione amoris beatifici potest apparere aliqua ratio boni ; & nihilominus necessitatur Voluntas ad tale exercitium : ergo ratio prædicta est nulla. Probatur antecedens, nam si præciperet Deus beato vt ab ipsius amore cessaret, tunc ei appareret cessatio talis amoris sub ratione boni, videlicet sub ratione impletiui diuinæ Voluntatis: Respōdetur primò, hoc tantùm probare de potentia Dei absoluta, non de ordinaria, qualiter hic disputamus. Secundò respondetur, quòd si beatus tunc vellet cessare, hoc esset ex amore ipsius Dei precipientis talem cessationem; vnde videtur implicatio, quòd Deus hoc ei præcipiat: nam esset præcipere cessare, & non cessare ab illius amore : dum enim videbatur amorem fugere, manibus illius manebat comprehensus. Tertiò respondetur, quòd etiam si Deus præciperet talem cessationem, non esset in potestate beati talis cessatio : quia cùm talis amor beatificus, sit necessarius quoad exercitium, nec dependeat à libertate illius, nec etiā si Deus præciperet, ipse posset cessare, ac proinde nec Deus posset præcipere, quia præcepta non dantur nisi de his quæ sunt in nostra potestate. Aliam rationem huius impossibilitatis assignat Ferrara. 3. contra Gent. cap. 62. §. ad casus propositos. Sed de hoc latiùs suprà actum est, q. 4. art. 4. & q. 5. art. 4.

Solut. 1. *Solut. 2.* *Solut. 3.* *Ferrar.*

2. Concl. Secunda conclusio. Per accidens bene potest esse, vt aliquādo Volūtas necessitetur quoad exercitiū, etiā in hac vita. Hæc patet in pueris & amentibus, & motibus primoprimis; in his enim necessario mouetur, hoc tamen per accidens, ex priuatione vel subreptione Rationis, vel anteuersione deliberationis; non autem ex natura ipsius Volūtatis vel obiecti; quod requirebatur ad necessitatem per se.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum à principio respondetur, in hac vita Voluntatē non habere se vt naturam quoad exercitium, sed quoad specificationem; vnde est determinata quoad specificationem, non verò quoad exercitium.

Ad 2. arg. Ad secundùm respondetur, quòd licèt in tali obiecto non apparet ratio mali, bene tamē potest apparere in exercitio circa illū; vnde necessitatur ad specificationē ex parte obiecti, nō autē ad exercitium circa illud.

Ad 3. arg. Ad tertiū arg. respondetur processus in infinitū, nō requiri, actiones liberas quoad exercitium, reduci ad aliquam necessariā quoad exercitiū, sed sufficit, omnēindifferentiā libertatis exercitij reduci ad necessitatē determinationis quoad specificationem.

Ad confir. Ad confirmationem respondetur, negando consequentiam, ex diuersitate naturæ Angelicæ & humanæ ; Angelus enim in dilectione sui, & Authoris naturæ

turæ,non potest reperire,vel rationē difficultatis,vel impedimenti,respectu aliorum quibus egeat;quapropter etiam quoad exercitium illa prima volitio potest esse necessaria:quæ ratio non currit in homine;nam,vt dictum est, quælibet operatio potest esse molesta & laboriosa, vel aliorū quibus homo eget impeditiua,vnde nulla quoad exercitium est necessaria. Vel secundo dicitur,quòd sicut in homine omnis volitio non solum circa bona particularia,sed etiam circa bonum in cōmuni,est libera quoad exercitium, & ista vltima tantum necessaria quoad specificationem,ita similiter in Angelo:præter has autē datur in Angelo alia particularis volitio,quæ in homine non reperitur,videlicet amor innatus sui & Authoris naturæ, necessarius etiam quoad exercitium,de cuius actus peculiari conuenientia & assignatione agitur in sua materia de Angelis.

Ad quartum argumentum respōdetur, illam conuenientiam principiorum & boni in communi positam à D. Th. & Arist. cōsistere in duobus. Primò,quòd sicut Intellectus necessitatur quoad specificationem ad principia,ita & Voluntas ad bonū in communi.Secundo, quantum ad hoc, q̄ sicut prima principia sunt intelligibilia per se,vnde & sunt ratio & causa assentiendi conclusionibus,ita & beatitudo, & bonum in communi est appetibile per se, & consequenter ratio & causa appetitionis mediorum quæ in beatitudinē ipsam ordinantur.Est tamen differentia inter vtrumque,quòd Intellectus,cognita cōnexione terminorum,necessariò quoad exercitiū assentitur primis principijs,quia Intellectus non est potētia libera,vt pro suo libito ab illo actu possit cessare: Voluntas verò cùm sit libera,etiam circa apprehensam beatitudinem potest non operari: cùm,vt dictum est,in tali operatione aliquam rationem mali possit inuenire. *2.Solut.* Vel secundò respondetur,quòd Voluntas sicut pro suo libito potest operari vel non operari circa beatitudinem in cōmuni,ita & pro suo libito potest applicare,vel non applicare Intellectum ad exercitium assensus principiorum;quia & in ipso exercitio assensus Intellectus potest inuenire rationem mali, ob quam diuertat Intellectum ab assensu.

Ad 5.arg. Ad quintum, patet ex dictis, qualiter etiam stante cogitatione & iudicio speculatiuo vel practico,manet libertas exercitij in Voluntate,stante autem imperio, necessitari in sensu composito & secundùm quid,absolutè autem manere liberam;quia & imperium ex ipsa libertate manat: vnde manere & stare imperium,est exercitiū ipsius libertatis.

Ad sextum argumentum,negatur consequentia, estque aperta differentia, quia cùm Deus sit purus actus,in ipso idem est posse & esse; vnde nunquam in potentia esse potest,& consequenter necessarium est semper esse in actu suæ dilectionis, & in exercitio illius;quod non reperitur in Voluntate humana, vt exercitium actus in illa sit necessarium. Vel secundò respō- *2.Solut.* detur,quòd cùm diuina bonitas repræsentetur diuinæ Voluntati vt summum bonū,in quo & in cuius volitione nulla appareret ratio mali, appliceturq; perfectissimo modo per actū diuini Intellectus,qui eminēter est iudicium practicum & imperiū, ideò exercitium talis volitionis est necessarium:hoc autem non currit de volitione humana,etiam respectu boni in communi,vt dictum est. Ad probationem consequentiæ respondetur,quòd modus agē di liberè,non est perfectior modo agendi naturaliter,quādo actio libera terminatur ad intrinseca rei, actio verò naturalis ad *Ferrar.* intrinseca. Sic respondet Ferrara.2.contra Gentes,c.23.immò & D.Tho.q.3. de potentia artic. 15. Ex quo fit, vt productio necessaria diuinarum personarum sit perfectior productione libera creaturarum,quia prima terminatur ad id quod est intra essentiam diuinam; secunda verò ad aliquid extrinsecum. Vel secundò dicitur, quòd quādo necessitas appetitionis prouenit ex imperfectione cognitionis, vt in brutis, vel amentibus, tunc perfectior est actio libera quæ ex meliori cognitione prouenit;quando verò necessitas appetitus prouenit ex optima intellectione obiecti, in quo videt non esse rationem mali, nec intendentia circa ipsum, vt etiā est in beatis;tunc appetitio necessaria perfectior est quàm libera procedens ex cognitione non ita perfecta.

Ad septimum resp.etiam illud primū *Ad 7.arg.* iudicium esse liberum quoad exercitium. Ad improbationem resp.quòd licèt priùs natura antecedat in genere causæ obiectiuæ, semper tamen est in potestate Volūtatis cessare ab illo;mouet enim Deus Intellectum in ordine ad illud primum iu-

dicium, vt potentiam liberam, per subiectionem ad Voluntatem: vt enim docet D. Th. infra art. 4. & 1. p. q. 83. art. 1. ad. 3. semper Deus mouet potentias liberas secundùm conditionem illarum, non necessariò, sed liberè.

D. Tho.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Voluntas necessariò moueatur ab appetitu inferiori.

AD tertium sic proceditur. Videtur quòd Voluntas ex necessitate moueatur à passione appetitus inferioris. Dicit enim Apostolus Roman. 7. Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio: quod dicitur propter concupiscentiam, quæ est passio quædam: ergo Voluntas ex necessitate mouetur à passione.

Cap. 4. to. 5 2. Præt. Sicut dicitur in 3. † Ethic. qualis vnusquisque est, talis finis videtur ei: sed non est in potestate Voluntatis, quòd statim passionē abijciat: ergo non est in potestate Volūtatis, quòd nō velit illud ad quod passio se inclinat.

3. Præt. Causa vniuersalis non applicatur ad effectum particularem nisi mediante causa particulari; vnde ratio vniuersalis non mouet nisi mediante estimatione particulari; vt dicitur in 3. de Anima: † sed sicut se habet ratio vniuersalis ad æstimationē particularē, ita se habet Volūtas ad appetitum sensitiuū: ergo ad aliquod particulare volendum non mouetur Voluntas, nisi mediante appetitu sensitiuo: ergo si appetitus sensitiuus sit per aliquam passionem ad aliquid dispositus, Voluntas nō potest in contrarium moueri.

Tex. 58. tomo 2.

Sed contra est quod dicitur Genes. 4. Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius: non ergo Voluntas hominis ex necessitate mouetur appetitui inferiori.

Respondeo, dicendum, quòd, sicut suprà dictum est, † passio appetitus sensitiui mouet Voluntatē ex ea parte qua Voluntas mouetur ab obiecto, in quātum scilicet homo aliqualiter dispositus per passionem iudicat aliquid esse conueniens & bonū, quod extra passionem existens non iudicaret: huiusmodi autem immutatio hominis per passionem duobus modis contingit; vno modo sic, quòd totaliter Ratio ligatur, ita quòd homo vsum Rationis non habet; sicut contingit in his qui propter vehementē iram vel concupiscentiam, furiosi, vel amentes fiunt; sicut & propter aliquā aliam perturbationem corporalē; huiusmodi enim passiones nō sine corporali transmutatione accidūt & de talibus eadē est ratio, sicut & de animalibus brutis, quæ ex necessitate sequuntur impetū possionis; in his enim non est aliquis rationis motus, & per consequens nec Voluntatis. Aliquando autem Ratio non totaliter absorbetur à passione, sed remanet quantum ad aliquid iudiciū Rationis liberum, & secundùm hoc remanet aliquid de motu Voluntatis:

q. præ. ar. 2

tis: inquantum ergo Ratio manet libera, & passioni non subiecta, in tantum Voluntatis motus, qui manet, non ex necessitate tendit ad hoc ad quod passio inclinat: & sic aut motus Voluntatis non est in homine, sed sola passio dominatur: aut si motus Voluntatis sit, non ex † necessitate sequitur passionem. D.981.

Ad primum ergo, dicendum, quòd etsi Voluntas non possit facere quin motus concupiscentiæ insurgat, de quo Apostolus dicit Rom. 7. Quod odi malum, illud facio, id est, concupisco; tamen potest Voluntas non velle concupiscere, aut concupiscentiæ non consentire, & sic non ex necessitate sequitur concupiscentiæ motum.

Ad secundum, dicendum, quòd cũ in homine duæ sint naturæ, intellectualis scilicet & sensitiua, quãdoque quidem est homo aliqualis vniformiter secundùm totam animam; quia scilicet vel pars sensitiua totaliter subijcitur Rationi; sicut contingit in virtuosis; vel è conuerso Ratio totaliter absorbetur à passione, sicut accidit in amẽtibus. sed aliquãdo etsi ratio obnubiletur à passione, remanet tamẽ aliquid Rationis liberum, & secundùm hoc potest aliquis vel totaliter passionem repellere, vel saltẽ se tenere ne passionẽ sequatur; in tali enim dispositione, quia homo secundùm diuersas partes animæ diuersimodè disponitur, aliud ei videtur secundùm Rationem, & aliud secundùm passionem.

Ad tertium, dicendum, quòd Voluntas non solùm mouetur à bono vniuersali apprehenso per Rationem, sed etiam à bono apprehenso per sensum, & ideò potest moueri ad aliquod particulare bonum absque passione appetitus sensitiui. Multa enim volumus & operamur absque passione, per solam appetitus electionem; vt patet in his in quibus Ratio renititur passioni.

Prima conclusio. Cùm passio est vehemens, ita vt auferat iudicium Rationis, Voluntas necessariò sequitur passionem. 1. Concl.

Secunda conclusio. Quando non aufert iudicium Rationis, sed manet Voluntas libera, tunc non sequitur Voluntas necessariò passionem. 2. Concl.

DVBIVM PRIMVM,

Vrùm passio appetitus possit in tantum crescere, vt superet & necessariò vincat Voluntatem.

PArs affirmatiua probatur primò. Voluntas est finitæ resistentiæ: ergo potest superari ab aliqua vehementissima passione. Antecedens patet, quoniam Volũtas est quædã potẽtia finita, ergo omnis eius virtus, tã ad agẽdũ, quã ad resistendũ, debet esse finita. Consequẽtia verò patet, quoniã omne finitũ potest ab alio finito excedi, cùm habeat proportionem cum illo; & quia omne finitum per ablationem tandem finitur: cùm ergo à passione paulatim minuatur resistentia Voluntatis, poterit tandem finiri, & omnino subijci. 1. Arg.

Secundò argumentor. Aliqua passio reperitur, aut tentatio, quæ vinci non potest sine auxilio diuino: ergo ad vincendum illam non est in Voluntate sufficiens potestas. Antecedens patet ex illo primæ Corint. 10. Fidelis Deus, qui nõ patietur vos tentari supra id quod potestis: ergo aliqua tentatio est supra vires hominis, secluso diuino auxilio. Confirmatur ex illo Iob 41. Non est potestas quæ comparetur ei; loquitur enim de potestate maligni spiritus: ergo potestas Voluntatis est longè inferior eius impugnatione. 2. Arg.

3. *Arg.* Tertiò argumentor. Intellectus est superior ad sensum & appetitum sensitiuũ: & nihilominus multoties superatur à passione appetitus, vt quando ex passione amittitur vsus Rationis: ergo etiam Voluntas poterit immediatè superari à passione. Patet consequentia ex illa regula, Si vinco vincentem te, à fortiori vincam te: Intellectus autem vincit Voluntatem, quia potest necessitare illam: ergo si passio vincit Intellectũ, poterit à fortiori vincere Voluntatem.

Greg. Ruardus. Propter argumenta posita tribuitur hęc sententia affirmatiua ab aliquibus Gregorio Ariminẽsi in. 1. dist. 1. q. 2. art. 2. Ruardus tamẽ ar. 7. contra Lutheranos ait, non fuisse Gregorium talis sententiæ, sed loquutum fuisse de tristitia & volitione naturali & indeliberata, quæ necessariò & naturaliter oritur in Voluntate subitò ex vehementi dolore: & si hoc dixit, verum sensit, vt postea dicemus.

Not. 1. Pro intelligentia notandum, experientia esse compertum, passionem multoties ita ligare vsum Rationis, vt vertat in amẽtiam; quia, vt docet Arist. 6. & 7. Ethicorum, perturbationes & passiones impediunt iudicium Rationis: ergo tantumpost sunt crescere, vt omnino tollant vsum Rationis: quare (inquit) qui in perturbationibus sunt constituti, eodem modo se habent, sicut dormientes & furiosi & ebrij; eodem enim modo falluntur, & consequenter impossibile est, incontinentes, esse sapientes aut prudentes; & expressius 7. Ethicorum dicit, quòd ira & cupiditates Venereæ, cæteraque similia, nonnullos in furorem & insaniam redigunt, & communius (inquit) inueniuntur qui ex iniuria infamire incipiunt; aliquando autem passiones non ita sunt vehementes, vt priuent vsu Rationis: dubitatio ergo præsens non est de passione priori modo; certum enim est, illam priuare libertate, quæ sine vsu Rationis esse non potest. Procedit ergo quæstio de passione secundo modo, vtrum non amisso vsu Rationis, possit in tantum crescere passio, vt in Volũtate nõ maneat libertas & vires ad resistendum.

Not. 2. Secundò notandum, quòd etiam non amisso vsu Rationis, potest actus Voluntatis se habere dupliciter. Primò antecedenter ad vsum Rationis; potest enim passio ita esse vehemens, quòd Voluntas in actum prorumpat, nulla præsupposita consideratione & actu Rationis. Secundo modo potest actus Voluntatis habere se consequenter ad vsum Rationis: in qua consideratione reperitur libertas in Volũtate: nõ ergo procedit quæstio primo modo; sic enim bene potest Volũtas necessitari à passione: quia vt sic, habet se vt natura, & nõ vt libera; naturale est enim ei, ante aduertẽtiã Rationis stillari de malo, & gaudere de bono sibi proposito à sensu. Sic docet D. Th. q. 22. de veritate, art. 9. ad. 6. & Arist. 3. Ethic. c. 9. & Damascenus lib. 4. c. 26. Aug. 9. de ciuitate, c. 4. & Scotus in 3. dist. 15. q. vni. art. 1. Quapropter in motu Volũtatis sic considerato nullum est peccatum; & isti vocantur motus primoprimi. Loquimur ergo de Voluntate secundo modo, vtrùm supposita aduertentia & vsu Rationis, passio possit esse ita vehemens, vt absorbeat libertatem illius, ita vt non possit resistere passioni.

D. Tho. Arist. D. Dam. D. Aug. Scotus.

Concl. D. Tho. Conclusio est, de Fide tenendum esse, quòd stante aduertentia & vsu Rationis, nulla potest esse ita vehemens passio, vt Voluntatem superet. Hæc est D. Tho. loco citato, q. 22. de veritate, art. 9. Et probatur primò ex loco allegato in argumento Sed contra, Subter te erit appetitus; quem locum intelligunt Sancti de dominio Voluntatis supra appetitum & quamcunque passionem illius. Ita D. Gregorius lib. 4. moral. c. 22. & D. Bernar. serm. 5. de Quadragesima. Patet etiã Ecclesiastic. 18. Post concupiscentias tuas non eas. Et ad Galat. 5. Spiritu ambulate, & desideria carnis nõ perficietis: vbi supponitur, in Voluntatis potestate esse, non sequi passiones: vnde subiunxit Apostolus: Caro concupiscit aduersus spiritũ, & spiritus aduersus carnẽ; quasi dicat: Licet inter vtrumque sit pugna, in vestra tamen potestate est victoria. Secundò probatur, quia si manet vsus Rationis, tunc Intellectus potest iudicare esse bonum oppositum illius ad quod inclinat passio, & proponere Voluntati: ergo Voluntas poterit ferri in illud. Patet consequentia, quia Voluntas sequitur iudiciũ Intellectus, & ex illius indifferentia in iudicando, sequitur in Voluntate libera electio. Tertiò probatur, quia si manente vsu Rationis, necessitaretur Volũtas à passione, ita vt non posset resistere, nullum esset peccatum elicere talem actum; quia nemo peccat in eo quod vitare non potest: consequens autem est falsum: ergo. Probatur ista minor ad Roman. 7. vbi affectiones appetitus sensitiui vocantur passiones

D. Greg. D. Ber. Eccles. 18. Ad Gal. 5.

Rom. 7.

siones peccatorum; & nō alia ratione, nisi quia peccata causant; dicitur enim in illo capite sic: Passiones peccatorū operabātur in membris nostris, vt fructificent morti; scilicet vt generent mortale; quia licèt passiones peccatorum possent appellari, quia ex primo originali peccato dimanāt; melius tamen passiones peccatorum dicuntur, quia ad actualia nos inducunt, quærētes per hoc originali fructificare. Item Iacobi 1. cobi. 1. Vnusquisque (ait) tentatur à concupiscentia sua, abstractus & illectus: deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem. Eccequaliter dicitur peccatum partum esse concupiscentiæ. Quartò probatur, quia in Cōcilio Tridētino sess. 5. can. 5. asseritur, quòd Conc. Trid. cōcupiscentia quæ remanet in baptizatis, non potest nocere non consentientibus. Si autem concupiscentia in tantum posset crescere, vt ei Voluntas non posset resistere, maximè esset noxia. Eo vel maximè, quòd in eo quod dicitur, Non consentiētibus, supponitur, in potestate Voluntatis esse, consentire, vel non consentire. Cō firmatur varijs exemplis, quæ refert Lactā Confir. Lactan. tius lib. 5. diuinarum Institutionum, c. 14. & 19. & per plura alia capita, de fortitudine Christianorum. Aliaque refert Nice- Nicephor. phorus lib. 7. c. 11. cum sequentibus, præsertim c. 13. vbi postquàm retulit miram victoriam Euphrasiæ, quæ appellata est Lucretia Christiana, subiungit aliud non minus mirabile de quodam, nomine Astetes, in hæc verba: Eodem tempore Astetes quidam castitatem & virtutes alias sedulò meditans & exercens, equali certauit agone. Is cùm ex pugnari non potuisset, nullamque aduersarijs vincendi spem reliquisset, post innumera tormenta, in lecto vinculis ligatus reponitur, & mulier impudica ad eum immittitur, quę illum complectens & osculans, manusque petulanter ad membra secreta adhibens, procacissimè ad rem illicitam, nihil prorsus lasciuiæ prætermittens, concitat: aliud ille quod faceret non habens, linguam ipse suam morsu consciſſam in faciem mere- D. Hiero. tricis expuit. Et idem D. Hieronym. super vitam Pauli. Diximus autem in conclusione, Stante vsu Rationis, quia vt dictum est, ex passione vehementi bene potest preueniri vsus Rationis, & tunc Voluntas necessariò commouetur naturali actu tristitiæ aut delectationis, de quo videatur D. Tho. in 2. dist. 24. q. 3. qualiter huiusmodi sint motus primoprimi, nec imputentur ad culpam, & in illis Voluntas non se habet vt libera, sed vt natura, & consequenter ex huiusmodi necessitate actus non potest dici quòd Volūtas superetur à passione, quia cùm tunc non agat vt Voluntas, & vt ab appetitu distinguitur, sed potiùs vt natura; quæ ratio communis est Voluntati & appetitui, est vinci formaliter appetitum, non autem Voluntatem. D. Tho.

Ad primum argumentum respondetur, quòd licèt Voluntas sit finitæ resistentiæ; vnde non potest resistere Deo, sed, vt dictum est, potest ab eo necessariò moueri ad exercitium, & quò voluerit, inclinare, siue perse ipsum, siue per instrumentum aliquod: nihilominus respectu tentationis cuiuscunque passionis appetitus sensitiui, stante vsu Rationis, semper ipsa Voluntas potest permanere superior & victrix. Exemplum est: Charitas finitæ actiuitatis est: nihilominus in quocunque gradu sit, potest quodcunque peccatum efficienter pellere. Sic Voluntas vt libera potentia, potentior est quacunque passione. Ad 1. arg.

Pro cuius maiori intelligentia notandum, quòd consimile argumentum soluit D. Tho. infrà quæstione 85. art. 2. ad primum, & 1. p. quæstione 48. art. 4. ad. 3. & quæstione 2. de malo, art. 8. vbi quærit, vtrùm peccatum possit corrumpere totum bonum naturæ: & facit hoc ipsum argumentum: Nam omne finitum per continuam diminutionem potest totaliter auferri: sed bonum naturæ, quod est habilitas ad bonum operandum, est finitum & limitatum, & semper magis ac magis minuitur per peccatum; quia peccata possunt multiplicari in infinitum syncathegorematicè: ergo bonum naturę potest totaliter auferri. Respondet D. Tho. negando consequentiam. Pro cuius solutione aduertit, quòd aliquid potest minui dupliciter. Primo modo per subtractionem propriæ entitatis. Secundo modò per appositionem contrarij. Primo modo contingit in corpore calido; est enim corpus habile ad calefaciendum per calorem quem habet; diminuto autem calore, diminuitur talis habilitas corporis ad calefaciendum, per hoc quod paullatim deperditur, & corrumpitur calor; vnde ad totam corruptionem caNot. D. Tho.

loris corrumpitur totaliter habilitas subiecti ad calefaciendum. Secundo verò modo fit diminutio per appositionem contrarij Verbi gratia, quando recipitur calor in aqua, per quam receptionem minuitur habilitas aquæ ad frigefaciendum, nunquàm tamen totaliter corrumpitur, dum manet aqua. Itaque diminutio frigiditatis dupliciter potest fieri, vel perueniendo ad corruptionem subiecti, & tunc consequenter corrumpitur habilitas frigefaciendi ipsius aquæ: secundo verò modo, non corrumpendo subiectum; & tunc talis diminutio non potest terminari ad totalem ablationem habilitatis aquæ ad frigefaciendum. Concludit ergo D. Thom. quòd quia peccatum solùm minuit habilitatem animæ ad bene operandum per appositionem contrarij, & non potest ipsum subiectum corrumpere, nunquàm potest totaliter auferre habilitatem animæ ad bene operandum, quantuncumque minuat illam in infinitum syncathegorematicè. Similiter ergo respondendum est ad nostrum præsens argumentum; passiones enim insurgentes inappetitu, non minuũt libertatem Voluntatis per subtractionem entitatis, vel corruptionem subiecti, sed per solam appositionem extrinsecam contrarij; & ideò neque possunt omnino auferre libertatem, quantumcunque magis ac magis in infinitum syncathegorematicè illam diminuant.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum respondetur, quòd non posse resistere passioni, stat dupliciter. Primò absolutè, & physicè loquendo. Secundo modo moraliter. Primo modo contingit, cùm in se non habet sufficiens principium ad resistendum. Secundo verò modo contingit, cùm licèt habeat tale principium, est tamen tam difficilis resistentia, vt non sit restitura: illa ergo tentatio quæ vinci non potest sine auxilio gratiæ, intelligitur moraliter, nam physicè etiam sine auxilio gratiæ quamcunque passio-
Ad confir. nem potest superare. Ad confirmationem respondetur, quòd potestas dæmonis licèt sit maior, quàm Voluntatis humanæ ad alios effectus: quantum autem attinet ad vincendum Voluntatem humanam, non sunt illi superiores; quia solùm se potest dæmon habere vt suadens; vt dicitur prima parte, quæstione 114. art. quarto. Suasio autem non inducit necessitatem, ac proinde physicè loquendo, nequeunt tentare dæmones supra id quod Voluntas potest; possunt tamen supra id quod potest moraliter sustinere, si à Deo permitterentur; non tamen permittuntur, vt ait Paulus. Possent etiam in amentiam conuertere, & priuare vsu Rationis ex permissione Dei; in quo sensu interpretantur aliqui locum illum Iob 2. vbi post permissam sæuitiam dæmonis, additur: Verumtamen animam illius serua; id est, ne in amentiam conuertas, nec priues Rationis vsu, sensuum organa lædendo.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum respondetur, quòd passio, sicut nec immediatè potest vincere Volũtatem, auferendo libertatem illius: ita nec Intellectum, auferendo vsum Rationis eius: sed si hoc faciat, est mediatè, lædendo organa corporea præuiò requisita ad vsum Rationis. Hoc autem non est vincere Rationem; sicut nec fortis diceretur victus, si ab eo esset furtim sublatus gladius quo esset pugnaturus; sed requireretur, quòd ipso gladium manu tenente, contrarius victoriam obtineret: sic nec Intellectus dicitur victus per corruptionem sensus, quo Intellectus præuiò deberet vti: sicut nec libertas dicitur victa per destructionem vsus Rationis præuiò requisiti.

DVBIVM II.

Vnde proueniat, quòd vnus homo habeat vsum Rationis, etiam cum passionibus appetitus sensitiui; alius verò non habeat, sed vsu Rationis maneat priuatus; vtrum hoc proueniat ex varietate passionũ, an ex varietate sensuum, tam interiorum, quàm exteriorum, vel etiam ex diuersitate habituum. Et item, an prouenire possit ex differentia ipsius potẽtiæ intellectiuæ, aut Voluntatis secundùm se cõsideratæ.

REspondetur cum Victoria, relectione de perueniente ad vsum Rationis, parte 1. §. 8. Vnde sit prima conclusio. Quòd vnus homo habeat vsum liberi arbitrij, *Victor. Conclus. 1.*

arbitrij, alius verò non, prouenire non potest immediatè ex parte Intellectus aut Voluntatis secundùm se consideratæ. Probatur, nam licèt reuocetur in dubium, an Intellectus vnius hominis sit essentialiter perfectior Intellectu alterius; & similiter de Voluntate; non tamen potest esse tanta differentia, & inæqualitas, vt sufficiat facere amentiam, vel sanitatem mentis. Item quia non posset reddi ratio, quare vnus & idem homo nunc sit amens, nunc verò cordatus; cùm sint semper eædem potentiæ animæ spirituales, inuariabiles secundùm se, ab initio creationis vel generationis. Secundò probatur, nam si amentia conueniret alicui Intellectui secundùm se, aut ex Voluntate immediatè, sequeretur, quòd in animab⁹ separatis possent reperiri quędam amentes & insanæ, aliæ verò cordatę; quod non solùm est absurdum, sed etiam impium asserere; omnes enim animæ extra corpus, vel sunt sapientissimæ, clarè videntes Deum, vel percipientes condignam pro delictis pœnam, integroque iudicio & sana mente patiuntur, siue in purgationis loco, siue in inferno punitionis.

Concl.2. Secunda conclusio. Quòd vnus homo sit amens, alter verò cordatus, non prouenit ex aliquo habitu naturali & concreato in Intellectu vel Volũtate, qui sit in vno, & nõ sit in alio; aut sit vno tempore, & nõ alio tẽpore ætatis hominis. Probatur, nam anima à principio est tãquã tabula rasa, in qua nihil est depictũ, vt cõtra Platonẽ describit Arist. ergo nõ potest hæc differẽtia prouenire ex habitu concreato. Et quidẽ si aliquis est in nobis habitus insitus à natura, ille est habitus primorum principiorũ, qui cunctis hominibus est communis, & manet habitualiter, etiam in amentibus, & dormientibus, & pueris: cùm ergo non sit assignare habitum connaturalem in vno, qui non sit in alio, non potest ex aliquo habitu prædicta differentia prouenire.

Arist.

3. Concl. Tertia conclusio. Posita omnimoda rectitudine ex parte portionis sensitiuæ, ita vt omnes sensus sint recti, non potest tolli vsus Rationis & liberi arbitrij per aliquem habitum acquisitum, vel per aliquem actum existentem in Voluntate, vt ex amore vel odio. Probatur primò. Nam si habitus praui Voluntatis sufficerẽt tollere vsum Rationis, sequeretur, quòd qui esset insanus in corpore, permaneret insanus extra corpus, cùm habitus praui Voluntatis perseuerent in animabus separatis: consequens autem est falsum, nam impium esset, asserere de animabus inferni non habere vsum Rationis. Secundò probatur, Nam habitus praui Voluntatis non possunt producere suas operationes nisi liberè & ex imperio Voluntatis; habitibus enim vtimur cùm volumus: ergo habitus praui, quantumcunque crescant in infinitum, nunquàm possunt destruere vsum Rationis. Confirmatur. Habitus boni, quantunuis crescant in infinitum, non auferunt vsum Rationis, nec necessitant Voluntatem in bono: ergo neque habitus praui in malo. Patet consequentia, nam bonum fortius est ad agendum, quàm malum; cùm malum agat in virtute & apparentia boni. Explicatur hæc ratio, nam operationes sensus quæ sunt de bono, ita perturbant aliquando vsum Rationis, vt superflua lætitia & immoderatum gaudium, aliquando causant extasim & turbationem, & animi deliquium; sicut & operationes sensus quæ sunt de malo: ergo idem possent facere habitus aut actus boni in Voluntate, si mali hoc possent. Tertiò probatur. Actus peccatorum, quantunuis multiplicentur, non tollunt vsum Rationis, nisi perturbent sensus: ergo nec habitus. Patet consequentia, nam actus fortiùs agit & operatur, quàm habitus. Denique certa Fidei diffinitio est, quòd peccata diuturna consuetudine obfirmata non tollunt omne bonum naturale Voluntatis, vt docet Diuus Thomas prima parte, quæstione 48. articulo quarto, & 1.2. quæstione 85. articulo secundo: ergo certũ etiam est, quòd habitus praui, quantumlibet obstinatissimè radicentur in Voluntate, non anferunt vsum Rationis totaliter, nisi sensus turbentur. Contra hanc tamen conclusionem sunt nonnulla argumenta Magistri Victoriæ, qui oppositam sententiam reputat probabilem. Primò. Mali habitus & actus, vt experientia & Aristot. sexto Ethicorum, docet, perturbant iudicium Rationis: ergo taliter possunt crescere, quòd superent virtutem naturalem Intellectus, & auferant vsum Rationis. Patet consequentia, nam certum omnino est, quòd sicut in bono, quandiu sumus in Via, nullus est ita magnus, quin possit fieri melior; ita etiam in malo nullus est ita prauus, quin possit fieri peior per augmentum malitiæ: ergo

D.Tho.

Impug. 1. Concl. Victor.

ergo cùm facultas ad deliberandum, *Confir.* sit finita, & magis ac magis perturbetur per maiorem malitiam, tandem omnino impedietur & auferetur. Confirmatur, nam habitus praui, & amor & odiũ in Voluntate aliquando tantum & magis *Impug. 2.* impediunt iudicium Rationis, quàm impediant passiones sensitiuæ: sed passiones vehementes aliquando auferunt vsum Rationis: ergo & habitus praui. Secundò argumentor, quia à sensibus non recepit Intellectus nisi species: sed præter species ad vsum Rationis sanum & integrum vltra requiritur discursus & ratiocinatio recta & iudicium verum: ergo licèt sensus sint recti, & aptè exhibentes Intellectui species, aliunde ex alijs requisitis poterit *Ad 1.imp.* prouenire delirium & amentia, siue ex Intellectu, siue ex Voluntate.

Nihilomius respondetur ad primum argumentum, negando consequentiam, estque instantia in dęmonibus & quibuscunque spiritibus existentibus in inferno, in quibus malitia creuit quantum in tali natura crescere potuit; auersi enim sunt secundùm totum conatum naturæ, sicut & boni spiritus conati sunt quantum potuerunt in bono; nec tamen hæc maxima illorum malitia ex toto destruxit naturalem libertatem illorum.

Ad probationem verò respondetur, quòd licèt diminuatur & perturbetur iudicium Rationis, & facultas sit finita, non tamen consumitur tota, sed semper in infinitum syncathegorematicè est ampliùs & ampliùs perturbabilis; quia fortè non *2. Solut.* diminuitur per ablationem, sed per appositionem contrarij impedimenti, de quo iam suprà. Vel potest etiam dici secundò ad argumentum, & meliùs, quòd triplici de causa non valet consequentia. Primò, quia habitus praui sunt causæ morales, de quarum ratione est quòd operentur moraliter, non necessitando. Secundò, quia reperiuntur in potentia libera, qualis est Voluntas; quapropter vtitur habitibus etiam prauis pro suo libito. Tertiò, quia potentia in qua recipiuntur isti habitus, est quodammodò infinita, & ideò licèt in *Ad confir.* infinitum multiplicentur & augeantur habitus praui, non possunt infinitam Voluntatis libertatem destruere. Ad confirmationem, negatur consequentia; est enim discrimen inter passionem appetitus sensitiui & Voluntatis, quòd passiones sensitiuæ cùm sint in corpore, immutant corpora, ex quorum mutatione immutantur organa; ex quo læditur phantasia, ex cuius detrimento sequitur delirium. Et præterea passiones appetitus sensitiui non semper obediunt Voluntati, habitus verò acquisiti Voluntatis ad nutum obediunt ei. *Ad 2.imp.* Ad secundum argumentum respondetur, quòd præter species receptas à sensibus ad vsum ipsarum specierum, ad discursum & ratiocinationem, aptamque ipsarum specierum coordinationem, potissimùm in materia morali, requiritur cogitatiua sensitiua, quæ iudicat de rebus singularibus, ex cuius læsione potest prouenire delirium, etiam receptis speciebus, non autem ex habitibus Intellectus & Voluntatis, inter quos & vsum ipsarũ potentiarum non potest mediare aliquid, ex cuius læsione proueniat delirium.

Quarta conclusio. Priuatio vsus Rationis semper prouenit immediatè & proximè ex defectu, & imperfectione, siue læsione aut ligamine partis sensitiuæ cognoscitiuæ interioris; vnde colligimus, quòd illa causa quæ ligauerit, aut notabiliter læserit, vel infirmauerit sensus, potissimè interiores, erit similiter causa priuationis vsus Rationis & libertatis; & talis causa est aliquando somnus, aliquando debilitas ætatis, vt in pueris, in quibus propter nimium humorem, vel quid simile in cerebro, pars sensitiua non est apta ad officium sentiendi: interdum id prouenit ex infirmitate, vt in phreniticis; interdum ex influentia corporis cœlestis, vt in lunaticis & amentibus: interdum autem ex malignis spiritibus, vt in arreptitijs, interdum autem etiam est causa huius læsionis sensuum vehemens passio appetitus sensitiui, vt locis citatis docuit Aristotel. & experientia est compertum, quòd cùm passiones fiant cum corporali mutatione, tantum potest corpus immutari, quòd simul immutentur, & grauiter lædantur organa sensuum interiorum, quibus turbatis, turbatur vsus Rationis. Probatur ergo conclusio, nam effectus communis debet habere causam communem: sed carere vsu Rationis, commune est omnibus supradictis, scilicet dormientibus, pueris, & arreptitijs, & quomodocunque amentibus: ergo debemus assignare in his omnibus causam cõmunem, videlicet imperfectionem, *4. Concl.*

tionem, aut defectum sensuum. Secundò
Arist. probatur, nã, vt inquit Philos. 1. Posterior. nihil est in Intellectu, quin priùs fuerit in sensu; & similiter iuxta aliud dictum illius. 3. de anima, necessarium est, intelligentem phantasmata speculari: ergo necessarium est, quòd corruptio & defectus sensuum redundet in Intellectum, in tantum vt faciat delirium & amentiam: quapropter diuersitas & inæqualitas ingeniorum etiã prouenit ex differentia sensuum: dicitur enim secũdo de anima, quòd carnimolles, siue delicati, aptiores sunt & ingeniosiores mente, quia omnes sensus fundantur in tactu, qui vtiq; perfectior est in carne perfectiori. Hanc conclusionem pro-
D.Tho. bat D. Tho. 1. p. q 84. art. 8. Vnde concluditur, quòd quandiu æqualiter perseuerãt sensus sani & integri, bene ministrantes, permanet etiam in nobis vsus Rationis, & facultas libertatis, dummodò habeamus acquisitas species sufficientes rerum; nã ex defectu huius, pueri non statim habent vsum Rationis.

DVBIVM III.

Vtrũ aliqua passio appetitus sensitiui, vel quoduis aliud impedimẽtũ ex prædictis, possit priuare hominẽ vsu Rationis circa aliquã materiam vel obiectum, & non circa aliam, vtpote circa materiam Iustitiæ, & non circa materiam Temperantiæ, vt sit capax Rationis ad deliberandum & iudicandum an sit nocendum alicui, & non sit capax ad consultandũ de fornicatione, sed habeat se ad illã vt omnino amẽs aut dormiens, aut sicut brutum.

1. *Arg.* PArs affirmatiua probatur. Primò, quoniam aliquæ materiæ sunt multo notiores alijs; vt quòd non est occidendum, notius est, quàm quòd non est fornicandum. Et item species non simul acquiruntur circa omnem materiam: ergo potest aliquis habere defectũ iudicij Rationis circa ea quę ignotiora & occultiora sũt, & tamen circa aliã materiã magis notã, vel de qua habet sufficiẽtes species, habere sufficiens iudicium, & vsum Rationis; quod quidem videtur compertum in pueris, qui paullatim & successiuè vtuntur Ratione, & non statim in omni materia.

2. *Arg.* Secundò argumentor, nam maniaci videntur carere vsu Rationis circa aliquam peculiarem materiam, & non semper circa omnes: vidimus enim quosdam insanos circa cibos aliquos, quos dicunt venenosos, & fœtidos; alios verò circa principatum, asserentes ad se redactum imperium, quoniã primogeniti sunt Cæsaris; & si eis loquamur de alijs materijs, optimè respõdent, & optimè & ordinatè operantur.

3. *Arg.* Tertiò argumentor, nam multi istorum qui incidunt in amentiam, habent sufficiẽtia iudicia & discursus, in speculatiuis materijs acutè & consequenter respondentes, & similiter in practicis circa aliquas artes quas priùs didicerant, vt Grãmaticam; & sciunt scribere, legere, pingere, syllogismos facere, & similia: ergo similiter poterunt in materia morali esse cordati & prudentes in vna materia, & non in alijs, cùm principia moralia non æqualiter inclinẽt ad omnes materias.

1. *Concl.* Prima conclusio. Contingere potest, quòd aliquis habeat sufficientem Intellectum ad aliquas artes exercendas, & quòd non habeat vsum Rationis & libertatem ad opera moralia sequenda & diiudicanda. Hanc cõclusionẽ probant argumenta prædicta, & experientia illos vidimus. Item patet, nam pueri ante vsum Rationis imbuuntur & instituuntur in aliqua arte, vt etiam docet experientia: ergo stat vsus Intellectus ad artem sine sufficienti vsu ad moralia. Vel si contrarium velitis pro libito defendere, quòd exercitium illarum artium non prouenit ex rectitudine Intellectus circa artificialia, & quòd illa rectitudo stare nõ potest sine rectitudine circa moralia; quia principia moralia notiora & faciliorà sunt, quàm artificialia; Tunc dicatis, quòd illi amen-
Impug. tes ordinatissimè fabricantes artificialia, id faciunt velut bruta quædam; sunt namque sicut naturalia determinata,

minata, & regulariſsima, ſine libertate tamen circa illa. Nec valet, replicare, quòd videmus eos rogatos, & propter beneuolentiam, ſiue amicitiam agere talia: Reſpondetur enim, quòd id etiam quædam belluæ faciunt, vt canes ſaltantes, & elephantes.

Solut.

2.Concl. Secũda cõcluſio. Impoſsibile eſt vt quis habeat vſum Rationis circa vnã materiam moralẽ, & nõ circaaliã, per ſe loquendo, & ſecũdũ cõmunẽ loquẽdi modũ. Probatur, quia omnes materiæ morales ſunt cõnexę inter ſe, ſicut & ipſæ virtutes morales, quarum ſunt materiæ, neceſſario conectũtur; quare non poteſt reperiri vna ſine alia: ergo ſimiliter non poteſt reperiri ſufficiens vſus Rationis & liberi arbitrij circa vnam materiã moralem, & nõ circa aliam; aliàs enim, ablato caſu illius materiæ, circa quam non habet facultatem arbitrij, ageret cõtra illam virtutem, cuius eſt materia, & ſic nõ haberet illam, & conſequenter nec haberet omnes virtutes; quia ſi vna careat, carebit omnibus. Secundò probatur. Principia moralia ſunt communiſsima, & eodẽ modo ſe habentia ferè ad omnes materias; vnde qui ſcit & iudicat quòd eſt aliqua lex diuina quam tenemur ſeruare, habet ſufficiens principium, tam ad materiam Iuſtitiæ, quàm ad materiam Temperantiæ: ſicut qui nouit quòd conſequentia de Barbara eſt bona, ſcit hoc tenere in omni materia: ergo impoſsibile eſt vt quis habeat vſum Rationis ad conſultandum in materia Iuſtitiæ, & non Temperantiæ. Explicatur antecedens. Verbi gratia, in materia Iuſtitiæ deliberatio incipit ab hoc principio, quòd oportet ſeruare præcepta Dei, ex hoc quod præcepta Dei continentur in ſacra Scriptura, vel in doctrina Eccleſię. Vel incipit hoc modo, quòd oportet ſequi lumen Rationis ſignatum in nobis, & in omnibus prudentioribus: vnde ſtatim ſequitur, quòd in agendis, ſi de re non conſtat an ſit mala, oportet conſulere peritiores; vnde hac via idem eſt principium, & modus procedendi in quacunque materia. Denique probatur, nam quicunque habet vſum Rationis, habet hoc principium, quòd in actionibus ſuis poteſt bene & malè agere: ſed quicunque habet hoc principium, poteſt deliberare de omni agendo: ergo qui deliberat in vna materia, poteſt in omni deliberare. Probatur minor, quia omnis talis poteſt deliberare, & quærere, ſi ignorat, an tale agendum, ſit bonum, vel malũ; & vtrùm erret, vel non; & ſic illud opus ex deliberatione procedit. Diximus in concluſione, Per ſe, & ſecundùm communem modum naturæ; quia ſtare poteſt ex permiſsione Dei, quòd miniſterio ſpirituum immundorum aliquis habens vſum Rationis, quandocunque ei reducitur in memoriam aliqua ſpecialis materia, turbentur ſtatim ſenſus; & quãdiu vtitur illius materię phantaſmatibus, amittat vſum rectum Rationis; & fortè de hoc eſt aliqualis experientia.

Ad primum argumentum à principio reſpondetur, quòd in moralibus ita eſt, quòd aliquæ materiæ ſunt notiores alijs; non tamen inde infertur, quòd poſsit aliquis deliberare circa magis nota, & non circa minus nota; quia ad deliberandum circa minus nota, ſufficit habere principium, ſecundùm quod poteſt de illis dubitare, & conſulere peritiores. *Ad 1.arg.*

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, probare primam concluſionem, quòd maniaci poſſunt retinere vſum Rationis circa aliquas artes, & circa quædam ſpeculatiua; cùm tamen non habeant vſum Rationis circa moralia; quia illa cum iſtis non habent neceſſariam connexionem: non autem poteſt retinere vſum Rationis circa vnam materiam moralem, & non circa aliam; quia, vt dictum eſt, materiæ morales ſunt inter ſe connexæ, ſicut & morales virtutes, quæ circa tales materias verſantur. Et per hoc etiam patet ad tertium. Verum eſt, quòd licèt iſti habeant ſufficientem vſum Rationis circa omnem materiã moralem, circa aliquam tamen ita debilem ſolent habere, quòd in ſyllogizando in illa materia ſæpe fallantur, quaſi naturaliter, propter aliquem errorem vehementem, à quo non poſſunt reuocari, qui eſt velut ignorantia inuincibilis prouenies ex aliqua apprehenſione fortiſsima; & hoc frequentius contingit in his quæ pertinent ad Intellectum, quàm in his quæ pertinent ad Voluntatem; quia cùm Voluntas feratur ad res, prout ſunt in ſe, Intellectus verò trahat res ad ſe, ſecundùm apprehenſionem, maiorem connexionem habent quæ pertinent ad Voluntatem, quàm quæ pertinent ad Intellectum; quia Intellectus ex apprehenſione quaſi impoſsibilia componit; *Ad 2.arg. & ad 3.*

ponit, vt v. g. habens vsum rationis circa moralia, in hoc solet errare, dicens se esse summũ Põtificem, ex defectu, vt diximus, & vehementi apprehensione, qua deficit in syllogizando ex principio quod aliàs habebat vt hoc non sentiret: cùm enim habeat Fidem, ad quam pertinet, quòd Paulus V. sit Papa, bene posset syllogizare q̃ ipse non est Papa: impeditur tamen, vt dictum est, aliquo errore, vel passione vehementi: vnde talis si blandè tractetur, & bonis rationibus ducatur, poterit persuaderi ex illo principio Fidei, quòd ipse non est Papa; non autem in confessione iste talis iudicandus est hæreticus; quia licèt habeat sufficiens principium ad inferendum oppositum, ex illa tamen vehemẽti apprehẽsione inuincibiliter excusatur; vnde nec multũ est premendus rationibus ad oppositũ; sed si facilè nõ reuocatur, relinquatur, ne fortè oppressus in amentiã simpliciter cadat. Huiusmodi autem error impediens bonã syllogizationem, nõ ita facilè reperitur in his quæ pertinent ad Voluntatem; difficilius enim est, scientem furtũ esse malum, habere errorem quòd adulterium sit bonum.

Not. In calce huius dubij notandũ, quòd licèt tanta sit dependentia Intellectus & Voluntatis à sensibus ad rectè & ordinabiliter operandũ, nihilominus non æqualiter debet comparari Voluntas ad appetitum sensitiuũ, sicut Intellectus ad cogitatiuam, vel ad potentias sensitiuas: Intellectus enim nihil potest intelligere, quod priùs non fuerit in sensu; Voluntas tamẽ potest aliquid velle, licèt illud non appetierit priùs appetitus sensitiuus: vt patet, quandò Volũtas & appetitus appetunt opposita: itaque cognoscitur res singularis à sensibus; postèà autem tam singulare, quàm vniuersale cognoscitur ab Intellectu, & cognitum proponitur Voluntati, Voluntas autẽ sic propositum potest appetere, sine eo quòd ab appetitu sensitiuo fuerit appetitum. Itaq; necessariò dependet Voluntas ab Intellectu, & à potentijs cognoscitiuis sensuum, non autem necessariò dependet ab appeti

Obiectio. tu sensitiuo. Si autem interroges, vtrùm tanta sit dependentia Voluntatis ab Intellectu & cogitatiua, quòd non possit operari nisi dependẽter ab vtraque simul, immediatè quidem ab Intellectu, mediatè verò à cogitatiua, an verò sufficiat solùm propositio cogitatiuæ immediatè facta Volũtati, sine interuentu propositionis Intellectus: Respondetur, necessariò dependere *Solut.* ab vtroque, nec posse talem propositionem fieri immediatè à cogitatiua Voluntati; sed necessariò debere fieri ab Intellectu, quia Voluntas non potest operari extra proprium obiectum: proprium autem obiectum Voluntatis est bonum propositum per Intellectum, vt suprà diximus, vnde implicat, fieri immediate propositionem obiecti à cogitatiua. Et si *Obiectio.1* contra arguas. Primò, quòd D. Th. ad tertium, dicit, quòd Voluntas nõ tantùm vult quod cognoscitur per Intellectum, sed etiam quod cognoscitur per sensum: ergo cognitum per sensum, potest immediatè appetere. Secundò, quia cognitio non *Obiect.2.* est ratio formalis volendi, sed tantùm conditio & applicatio obiecti, vt suprà diximus: ergo à quocũque applicatio fiat, etiã à cogitatiua, poterit operari Volũtas, vt à quocunque applicetur combustibile, potest cõburere ignis. Tertiò, quia propositũ *Obiect. 3.* cum indifferentia, est obiectum Voluntatis, etiam liberæ; sed cogitatiua cognoscit cum indifferentia: ergo est sufficiens proponere obiectum appetibile à Voluntate. Minor probatur, quia cogitatiua discurrit circa singularia, & est regula actus liberi, qui est in appetitu sensitiuo. Ad primũ *Ad 1.obie.* respondetur, quòd D. Thom. non loquitur diuisiuè, sed complexiuè: intendit enim, quòd Voluntas aliquando fertur in rem cognitam, simul per sensum & Intellectum. Ad secundum respondetur, quòd *Ad 2.obie.* licèt cognitio Intellectus sit tantùm conditio, non tamen vtcunque, sed insupplebilis. Verbi gratia, existentia tantùm est conditio causæ efficientis, non tamen quæcunque existentia, sed quæ propria est essentiæ cui respondet talis operatio; non enim potest operari homo operationes humanas, nisi habeat existentiam humanam, nec ad hoc sufficiet existẽtia equina, quia licèt existẽtia humana tantũ sit cõditio ad operationem humanã, est tamen conditio insupplebilis. Ita dicendum est de cognitione Intellectus respectu Voluntatis. Ad tertium respondetur, quòd *Ad 3.obie* indifferentia cogitatiuæ cùm sit corporalis, & in subiecto corporali, tantùm potest esse circa singularia, & tantùm potest esse regula appetitus corporalis circa singularia, qualis est sensitiuus: cùm autem Voluntas sit appetitus spiritualis, qui & circa vniuersalia, & circa singularia potest versari, tantùm potest regulari ab indifferentia

rentia spirituali Intellectus, qui circa vtrũque, tam vniuersale, quàm singulare, potest versari.

DVBIVM IIII.

Vtrùm in pueris & amentibus & alijs prædictis sint actus aliqui Intellectus & Voluntatis liberi.

Sent. Vic. IN hac re est sententia Magistri Victoriæ relectione vltima de eo ad quod tenetur veniens ad vsum rationis, quod omnes supra dicti habent actus Intellectus & Voluntatis liberos: itaque positis omnibus requisitis ad agendum, possunt agere, & non agere.

1. Arg. Hæc sententia probatur. Primò, nam pueri & amentes multa agunt rogati & persuasi: ergo habent libertatem ad illos actus ad quos persuadẽtur, aliàs frustra persuaderentur, & rogarentur.

2. Arg. Secundò argumentor. Pueri & amentes aliquando discernunt & comparant inter eligibilia, ad alterum illorum eligendum: ergo habent actus liberos, & deliberatos ex consilio & ratione proficiscentes. Antecedens probatur experientia, nam puer ex vna parte confert an ibit in schclas ne flagelletur, ex altera verò an non ibit, quoniam friget.

3. Arg. Tertiò argumẽtor. Motus subiti, quos Theologi vocant primoprimos, non sunt necessarij, sed liberi: ergo etiam actus puerorum & amentium. Consequentia patet, nam actus primoprimi videntur sicut actus amentium, cùm in illis nec sit meritum, nec demeritum. Antecedens verò probatur, nã eadem notitia quæ est in illo instanti in quo est actus primoprimus, mouet posteà Voluntatem liberè: ergo etiam in illo primo instanti mouebat liberè. Patet consequentia, quia in prosequutione fortiùs mouet illa notitia, cùm moueat cum maiori aduertentia & perfectione: ergo si tunc fortior, nihilominus mouet liberè, meliùs à principio inefficacior mouebit liberè.

4. Arg. Quartò argumentor. In pueris, & amẽtibus, & somniantibus, &c. sunt aliqui actus Intellectus & Volũtatis, vt statim probabimus; sed tales actus non sunt necessaris, sed liberi: ergo in prædictis actus liberi esse possunt. Minor probatur, quia tunc nec potest prouenire necessitas ab obiecto, nec ex propria natura Voluntatis, nec ab appetitu sensitiuo, vel notitia illius, nec etiam à notitia Intellectus: ergo à nullo necessitatur, quia nullũ aliud potest assignare à quo sit talis necessitas. Prima pars probatur, quia, vt suprà diximus ex D. Tho. Voluntas nunquàm necessitatur ab obiecto quantum ad exercitium. Secunda pars patet, quia Voluntas ex sua ratione est potentia libera formaliter, quoniã omnes potentiæ rationales sunt ad oppositа, vt dicitur 3. de anima, & solùm necessitatur ad finem adequatè proportionatum ipsi. Tertia pars etiam patet, quia, vt suprà diximus, appetitus sensitiuus nõ mouet nisi ex parte obiecti, vnde si ab obiecto non necessitatur Voluntas, nec etiam ab appetitu sensitiuo. Et item, quia sensus, vt etiam diximus, non potest mouere Voluntatem nisi per Intellectum, vt dicitur 3. de anima; ergo sola notitia sensitiua sine intellectiua non poterit necessitare actum Voluntatis. Item quia si appetitus necessitaret, hoc esset ex passione vehementi, quòd de amẽtibus dici non potest, nam plures amẽtes, & pueri operantur sine passione, vel ad minus potest esse tã magna passio in sano, sicut in amente, & puero; & adhuc sanus liberè & non necessariò operaretur. Quarta verò pars probatur, quia notitia Intellectus non necessitat, si sit indifferens, sed solùm quando est determinata: in amentibus autem notitia Intellectus indifferens est, & non determinata, vt diximus de puero deliberãte vtrum eat ad scholas. Item, quia quæcunque notitia, etiam iudicatiua, quæ est in amente, potest esse in cordato, illum tamen non necessitando: ergo nec amentem necessitat. Item, nam talis notitia Intellectus vel est simplex apprehensio, vel iudicium imperfectum, vel perfectũ: neutrum autem horum potest necessitare Voluntatem: ergo. Prima pars probatur, quia simplex apprehensio non solùm non necessitat, verum nec mouet Voluntatem, vt suprà diximus ex Arist. 3. de anima. Secũda verò pars probatur, quia iudicium imperfectum in cordato non necessitat: ergo nec in amente. Iudicium autem perfectum in amente non reperitur, & licèt reperiretur, non necessitaret, cùm cordatum non necessitet. Confirmatur, quoniã anima separata à corpore, non necessitaretur ab

ab vlla notitia illarū quas habent pueri vel amentes: ergo necessitas non prouenit ex notitia. Patet consequētia, quia si necessitas proueniret ex notitia, vbicūq; permaneret eadē notitia intellectiua, eodem modo moueret Voluntatem.

Not. 1. Pro intelligentia notandum, quòd hic aliqui male distinguunt, aliud esse actū liberū aliud verò esse deliberatū; dicentes, libertatem esse potestatē quantū ad facere vel non facere; deliberationem verò vltra hoc addere consultationē & dij iudicationem de agendis, & potestatē eligendi vnū relicto alio: quapropter dicūt, in pueris & amentibus reperiri libertatē, nō verò deliberationē; quia reperitur potestas faciendi vel nō faciendi: nō verò reperitur potestas cōsultādi & eligēdi: quapropter in eis nō reperitur peccatū, quia ad hoc non sufficit quomodocūque libertas, sed simul cū deliberatione. Sed certè ego hanc distinctionem nō capio; in ratione enim libertatis intrinsecè clauditur deliberatio: si enim libertas est potestas faciendi vel nō faciendi, & cōsequenter importat indifferentiā ad vtrūque, nequit intelligi ad alteram determinari, nisi ex præelectione, & consultatione: vnde in exercitio operandi, idem erit, actū esse liberum, & deliberatum: secus est, quòd, vt suprà diximus, poterit esse libertas, & consequenter deliberatio circa speculabilia, vel circa artes, & non circa moralia; vel, vt etiam superiùs diximus, poterit esse in pueris libertas, & cōsequenter deliberatio physica, quæ non sufficit ad peccatum, & non erit libertas moralis: cæterùm separare libertatem à deliberatione, & quòd in aliqua materia sit libertas, & in eadem non sit deliberatio, omnino est in intelligibile,

Not. 2. Secundò notandum, quòd, vt Philosophus ait primo Posteriorum, qui caret aliquo sensu, necessarium est vt careat iudicio circa tale sensibile; & etiam cùm sensus interni passione vēhementi perturbantur, similiter & iudicium Rationis perturbatur, & aliquando in totum aufertur, vt asserit Arist. 7. Ethic. c. 3. loquens de ira & libidine, quarū excessu aliquos in insaniam versos esse asserit: quod etiā docet D. Th. 2. 2 q. 150. ar. 4. ad 3. cuius rei extant apud authores innūmera exempla, quorum aliqua refert Petrus Gregorius in commentarijs artis mirabilis, cap. 6. & Ficinus libr. 1. cap. 1.

Not. 3. Tertiò notandum ex 1. parte, q. 83. ar. 3. quòd licèt libertas formaliter tantū sit in Voluntate, radicaliter tamen est in Intellectu. Licèt enim nō sit in potestate Intellectus ex parte sui, sic, vel aliter intelligere, sed hoc habere debeat à Voluntate sic vel sic mouente ipsum (cuius cōtrarium sentiebat Durandus) tamen quia Intellectus est discursiuus, & homo per Intellectū habet facultatem consultandi & deliberandi quid bonū sit, quid verò malū, quid sit consequendū, vel fugiendū; & quia plura adinuicem potest conferre, iudicādo hoc esse melius illo, hinc, vt à radice, prouenit, quòd Volūtas manet formaliter libera ad eligendum hoc vel illud; vnde si æstimatiua bruti discurreret, aut indifferenter conferret, etiā appetitus brutorum esset liber: cæterum quia æstimatiua illorum est determinata ad vnum, propterea appetitus nō est liber. Ex quo sequitur, quòd libertas Voluntatis pensanda est ex indifferentia, vel determinatione Intellectus, ita vt si Intellectus sit solutus & capax deliberationis & consilij, tunc Voluntas liberè agit, indifferenter se habens ad multa: si autem Intellectus in aliquibus non sit solutus, & capax deliberationis, sed determinatus ad vnum, cōsequēter Volūtas respectu illius est determinata, vt necessariò moueatur, & naturaliter agat circa illud.

Not. 4. Quartò notandū, amentes esse in quadruplici differentia; quidam enim sunt maximè accedentes ad cordatos, quia regulariter loquendo, videntur discurrere, & habere vsum rationis. In secūdo gradu sunt, qui regulariter loquendo, non loquuntur consequenter, licèt aliquando videantur loqui cum consequentia; vnde de illis manifestè constat esse amentes. In tertio gradu sunt amentes ita stupidi, vt bestijs peiores appareant; quia neque sentiunt quādo flagellantur, neque cibum humanum, sed bestialem comedunt, neque sciunt fugere pluuiā, grandinem & similia: & vt de quodam fertur, oblatis duobus pomis, ad nullum se determinabat; & item non flectebat caput ad ingrediendum per ostia se ipso minora, nec sciebat descendere scalas; & de alio experti sumus, qui nesciebat oneratus lignis proijcere illa à se, sed sic manebat: & similia leguntur de Nabuchodonosor. Ratio autem quare huiusmodi peiores bestijs maneant, est, quia bruta cùm nō habeant vsum rationis, habent ab ipsa natura instinctus naturales, quibus regantur: cæterùm homo non habet à natura instinctus

ctus naturales, quia ab illa accipit aliquid excellētius, nempe vsum Rationis: vnde si hunc amittit, cùm nec instinctum naturalem habeat, manet peior bestia. In quarto gradu sunt amentes, appellati maniaci, qui in aliquibus materijs semper ordinatè loquuntur, in alijs verò materijs, vel in aliqua determinatè, semper disparatè. Quæstio ergo præsens procedit de primo & secundo gradu tantum, nam de tertio certum est nullum vestigium libertatis manere in eis, & de quarto iam dictum est suprà, qualiter illi habeant vsum Rationis, & libertatem in omni materia, & non defectu huius, sed ex aliquo errore interueniente prouenire, vt in aliqua peculiari materia disparatè loquantur.

1. Concl. Prima conclusio. Pueri & amentes, immò etiam aliqui dormientes, habent aliquos actus Intellectus & Voluntatis. Probatur primò, quia huiusmodi multoties habent actus circa res spirituales, & earundem rerum habent desideria; vt patet ex his quæ faciunt, & ex his quæ loquuntur; nam loquuntur de Deo & de Angelis, disputantque de Dialecticis, & amore, vel odio eadem prosequuntur. Item dormiens aliquando intelligit futura, immò & de Galeno fertur à Ficino vbi suprà, cap. 2. reperisse in somno cuiusdam morbi remedium, quod in vigilia non fuerat assequutus. Item habent aliquos actus circa vniuersalia. Hæc autem omnia à sensu esse non possunt, quia sensus nec circa spiritualia, nec circa futura, nec circa vniuersalia esse potest. Sunt ergo prædicti actus Intellectus & Voluntatis. Ita D. Thom. 1. *D.Tho.* part. quæst. 84. artic. 3. ad 2. vbi ad longum agit, quomodò sensus, & imaginatio plus vel minus ligentur in dormientibus; & ponit quatuor gradus somniorum, & concludit sic. Sic igitur per modum quo sensus soluitur, & imaginatio in dormiendo, liberatur iudicium Intellectus, non tamen ex toto, vnde illi qui dormiēdo syllogizant, cùm excitantur, semper recognoscunt se in aliquo defecisse; igitur si habent actus Intellectus, habere possunt & actus Voluntatis. Et quæstione 28. de veritate, art. 3. ad 6. ait, quòd perfectum iudicium non potest esse in dormiente, quia non potest resolui ad propria principia, &c. Et subdit: Et propterea non potest ibi esse vsus liberi arbitrij sufficiens, etsi sit aliquis motus Voluntatis. Idem clariùs docet in 4. distinctione 9. q. 1. art. 4. quæstiuncula 1. ad 3. & 4. vbi dicit, quòd contingit, quòd aliquis in somno aliquando consentiat turpitudinem, aliquando verò non, sed quia iudicium rationis non est omnino liberum, nec talis consensus, vel dissensus potest esse meritorius, vel demeritorius in se. Videatur etiā 2. 2. quæst. 154. art. 5. incorpore, & ad 2. & quæst. 172. art. 1. ad 2. Secundo probatur ratione. Nam amentes habent Intellectum agentem, & motus phantasmatum: ergo & species intelligibiles quæ hac via habentur, & abstrahuntur: ergo & actus Intellectus esse potest procedens ab Intellectu his speciebus informato: præsertim quia sæpe incidunt in amentiam, postquàm tales species abstraxerant, quæ in memoria conseruatæ possunt esse intelligendi principia. Tertiò probatur, quia amentes & pueri habent plures actus quos bruta habere non possunt: ergo tales actus non prouenium à solo sensu, sed ab Intellectu & Voluntate. Patet consequentia, nam aliàs tales actus in brutis esse possent. Quartò probatur, quia ratio amentiæ non stat in hoc, quòd Intellectus careat omni actu intelligendi; sed in hoc, quòd sequitur motum sensuum, & phantasiæ, quæ sine aliquo ordine habet phantasmata disposita & perturbata, ac proinde iudicium Rationis sequitur absque aliquo ordine. Sicut actum esse otiosum, non stat in hoc, quòd omni careat fine, sed in hoc, quòd nō habet finē debitū.

Et si contra cōclusionē arguas, nā in amen- *Obiectio.*
tibus sunt ligatæ illæ potētiæ: ergo nō habent aliquos actus illarū. Cōsequētia patet ex analogia ad potentiā motiuā, quæ si ligata sit, nō potest habere aliquē motū progressiuū: immò & hoc videtur habere D. *D.Tho.*
Th. hic, dicens quòd in his (& loquitur de furiosis & amentibus) nullus manet Rationis motus, & per consequēs nec Voluntatis: vnde ait, per inde eos sequi impetū passionis, sicut bruta. Sentit ergo, in talib⁹ potētias rationales manere otiosas, & prorsus *Solut.*
absq; vllo actu. Respōdetur tamen, q̄ ligatio illarū potentiarū non est talis, vt omnino potentiā intellectiuā cohibeat ab actu; sed impedit ne expeditè & ordinatè possit ratiocinari, & cōsequenter impedit Voluntatem, ne possit cum dominio in actū exire. Et exēplū argumēti est pro nobis, cū enim alicui sunt cōpedes iniecti, quia ligatio nō est totalis, ambulat quidē, sed malè & inordinatè: ita etiā Volūtas amētis vult, & Intellectus intelligit, licèt inordinatè.

Secun-

2. Con. In. Secunda conclusio. Certum omnino debet esse, quòd amentes, & pueri, & dormientes non habent actus liberos, nec positis omnibus requisitis ad operandũ, possunt operari, & non operari. Probatur, nã si habent actus liberos: ergo possunt mereri, & demereri. Patet consequentia, nam nihil amplius requiritur ad meritũ vel demeritum, quam liberè operari contra legẽ, vel secundùm illam; in hoc enim iustus de virtute laudatur, quòd potuit transgredi, & non est transgressus. Nec solutio aliquorum, quòd illæ operationes licèt sint liberę, non tamẽ deliberatę; aliquid valet, quia, vt probauimus, in exercitio idem est liberum & deliberatum. Confirmatur, nam si Voluntas amentium non est determinata ad vnum, sed positis omnibus requisitis ad operandum, potest operari & non operari: ergo est capax virtutis. Patet consequentia, quia virtus & habitus ad hoc ponitur, vt determinet Voluntatem in bonũ, aut in malum, quando non est determinata. Secundò probatur ex D. Thom. hic dicente, quòd in talibus non est motus rationis nec Voluntatis: sed, vt diximus in prima conclusione, id non potest intelligi de motibus Voluntatis secundùm substantiã: ergo intelligendum est de motibus Volũ

Obiectio. tatis liberis. Et si contra conclusionem arguas, Nam aliqui amentes & pueri cognoscunt mediorum conuenientiam ad finem, & consequenter finem formaliter: ergo liberè agunt. Probatur antecedens in casu pueri nolentis ire ad scholas, qui vtique cognoscit propter hoc flagellari, & similiter amentes cæsi dicunt se iterum non facturos, & suadentibus quòd quædam turpia agant, vel loquantur, respondẽt se nolle ne flagellentur à præposito: ergo cognoscunt vnum fieri propter aliud, & quòd

Solut. 1. hoc habet conuenientiam ad illud. Prima verò consequentia probatur; nam propterea supra D. Thom. probauit quòd bruta non agunt liberè, quia nesciunt conferre, nec agnoscunt ordinem mediorum ad finem, sed solùm materialiter agnoscunt finem & quærunt media: ergo si cognoscerent formaliter finem, ex D. Thom. agerent liberè: ergo similiter amens, & puer, si cognoscit finem formaliter, liberè agit:

1. Solut. Respondetur. Primò, quòd aliqui pueri quando hęc cognoscunt, iam habent vsum Rationis: amentes autem, vt suprà diximus, aliquando habent sufficientem vsum Rationis circa aliqua speculabilia, & circa aliquas artes, sed non circa moralia. Secun-

2. Solut. dò respondetur, quòd amentes & pueri licèt quodammodò conferendo & cognoscendo vnum fieri propter aliud, agant, id quodammodo faciunt vt bruta; nam etiam brutum, si pluries percutiatur, non audet iterum eadem agere, sed deterretur. Tertiò respondetur, quòd cognoscere media

3. Solut. & finem formaliter, contingit dupliciter. Primò, cum quadam determinatione ad vnum. Secundò cum indifferentia & indeterminatione. Primum non sufficit ad libertatem, sed exigitur etiam secundum; nam beati in visione & fruitione beata licèt cognoscant optimè finem formaliter, non tamen liberè agunt, quia nimis determinatè cognoscunt sine vlla indeterminatione, immò & suprà diximus, quòd respectu mediorum necessariorum est eadem necessitas quæ de fine: & D. Thom. optimè probat ex eo, quòd bruta conferre nõ possunt nec cognoscunt ordinem ad finem, quòd agant naturaliter, & non liberè, quia ad libertatem id requiritur, sed nõ sufficit, nisi etiam sit cognitio cum indifferentia & indeterminatione: nam si cognitio est naturalis & necessaria, sicut æstimatio bruti non sufficit ad libertatem: optimè autem probatur, quòd creaturæ quæ cognoscunt media & finem formaliter, sunt ex natura sua libera, sed non in omnibus operibus, sed in illis quæ agunt vt talia. Videte infra quæst. 13. ar. 2. in corpore, & ad 3. vbi nostra conclusio comprobatur, & videtur manifestè esse D. Gregorij *Greg. Nic.* Niceni lib. 5. de homine, cap. 4. vbi ait: Pueri & irrationalia voluntarie quidẽ faciunt, non tamen sunt eligentia; vt enim suprà diximus, ad voluntarium sufficit esse à principio intrinseco cum quacunque cognitione finis, perfecta vel imperfecta; ad liberum autem requiritur vltrà indifferentia, vt est dictum.

Ad 1. arg Ad primum argumentum à principio respondetur, quòd etiam animantia id faciunt; elephantes enim multa agunt rogati ad modum quo homines solent operari, & canes assuescunt ad nunc saltandum, & posteà ad cessandum alia voce; quod quædam alia animalia facere non possunt, vt asinus aut bos; nec propterea asserimus, quòd in quibusdam animalibus sunt opera libera; qua propter non frustrà increpantur & instruuntur pueri etiam ante vsum Rationis, licèt non agant liberè; tùm, quia sicut brutà propter terrorem sensibilem

fortiùs mouentem desistunt à quibusdam prauis,& sic assuefiunt bonis,nec acquirũt malos habitus vel consuetudines , quod non paruæ vtilitatis est,tum etiam id proficit multum ad acceierandum vsum Rationis,nam apprehensio in pueris non est ligata;vnde acquirunt plures species , quas per instructionẽ ordinatè acquirũt; quod iuuat ad rectè iudicandum ; & potissimè hæc regulariter fiunt, quando paullatim incipiunt ratiocinari & proficere in vsum Rationis , cuius punctum instantaneum nescimus.

Ad 2.arg. Ad secundum argumentum respondetur,illud non fieri per collationem mediorum ad finem, nec per cognitionem formalem illius;sed per destructionem primi iudicij,& acquisitionem secundi; quæ mutatio fit per terrorem naturaliter, non autem per collationem;sicut bruta(verbi gratia)licèt naturaliter per instinctum velint comedere,& accedere ad pabulum, si terreantur, naturaliter excluditur primum iudicium aut instinctus, & ponitur aliud iudicium non comedendi; non quia iudicat quòd magis conueniat ad finem; vnde illa apparet collatio,non tamen est nisi naturalis mutatio . Vel secundo respondetur, quòd licèt prædicti habeant aliquem imperfectum modum conferendi & syllogizandi, non tamen quæcunque collatio sufficit ad libertatem,& peccatum vel meritum;vt probatur in dormientibus,in quibus non reperitur libertas nec peccatum, licèt conficiant syllogismos;sunt enim illi motus necessarij & naturales, prout nunc in somno magis determinat hoc phantasma, non verò illud , & ita nunc consentit, nunc verò dissentit: & similia ferè reperimus in brutis.

2.Solut.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum respondetur, quòd in illis motibus non est libertas; necessitamur enim ex motione phantasiæ, quæ non paret rationi in his motibus, sed statim commouet Intellectum ad iudicia quædam subita; sed adueniente vsu Rationis iam non habent vires huiusmodi iudicia ad necessitandum:licèt enim quantum ad substantiam iudicium maneat idem , non tamen quantum ad modum, quia continuatum fit deliberatum, quod â principio fuerat indeliberatum & insufficiens ad peccatum vel ad meritum; eadem enim ratio est circa bonum ad meritum , & circa malum ad demeritum : ità Soto libro primo de natura & gratia capitulo 16.in medio,ex Diuo Ambrosio & Augustino.

Ad 4.arg. Ad quartum argumentum respondetur , quòd quamuis Voluntas ex sua ratione tantùm necessitetur ad finem per se loquendo , per accidens tamen etiam potest necessitari circa media; quia licèt circa illa sit libera ex sua ratione , hoc tamen est ad eum modum quo fuerit indifferentia , vel indeterminatio iudicij in Intellectu ; radix enim libertatis in Intellectu est, vt diximus: quare & natura ipsius Voluntatis est, vt si iudicium Intellectus sit determinatum & efficax , ipsa similiter sit determinata , & naturaliter agat: si verò iudicium fuerit solutum , & capax deliberationis , & indifferentiæ, ipsa similiter Voluntas non sit determinata , sed libera, habens in sua potestate velle aut non velle . Quapropter cùm quæritur, à quo necessitatur Voluntas in amente ad necessariò operandum; Respondetur, quòd à natura ipsa Voluntatis, quæ , posita determinatione, & necessitate iudicij efficacis, necessariò habet agere ; sicut & appetitus brutorum necessitatur à propria natura , suppositа determinatione stimati,quæ cõferre non potest; & sic debet intelligi D. Thom. supra quæstio. 6. articul. 2. ad 2. & quæst. 17. articul. 1. ad 2 . & similiter Aristotel. 8. Ethicorum , quòd desiderium , siue electio necessitatur ex consilio ; loquitur enim radicaliter , & fundamentaliter, quia quale fuerit iudicium , talis erit electio Voluntatis ex natura sua; vnde semper erit hæc differentia in sano & in amente , siue inter animam in corpore insanientem , & extra corpus non insanientem , quòd licet habeant idem iudicium, in amente tamen est determinatum ad vnum sine potestate deliberandi : quapropter necessitatur Voluntas ; in cordato verò & in anima separata iudicium non est determinatum ad vnum; quapropter non necessitatur Voluntas . Et per hæc patet ad confirmationem.

(.?.)

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Voluntas moueatur de necessitate ab exteriori motiuo, quod est Deus.



IC ad quartum proceditur. Videtur quòd Voluntas ex necessitate moueatur à Deo. Omne enim agens, cui resisti non potest, ex necessitate mouet: sed Deo, cùm sit infinitæ virtutis, resisti non potest; vnde dicitur Rom. 9. Voluntati eius quis resistit? ergo Deus ex necessitate mouet Voluntatem.

Art. 1. huius quæst. Cap. 5. ante med. to. 6

Secundò præterea. Voluntas ex necessitate mouetur in illa quæ naturaliter vult, vt dictum est: sed hoc est vnicuique rei naturale, quod Deus in eo operatur, vt Augustinus dicit 26. contra Faustum: ergo Voluntas ex necessitate vult omne illud ad quod à Deo mouetur.

Tertiò præterea. Possibile est, quo posito non sequitur impossibile; sequitur autem impossibile, si ponatur quòd Voluntas non velit hoc, ad quod Deus eam mouet, quia secundùm hoc operatio Dei esset inefficax: non ergo est possibile, Voluntatem non velle hoc, ad quod Deus eam mouet: ergo necesse est eam hoc velle.

Non procul à fin.

Sed contra est quod dicitur Ecclesiast. 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui: non ergo ex necessitate mouet voluntatem eius.

Respondeo dicendum, quòd sicut Dionys. dicit 4. cap. de diu. no. ad prouidentiam diuinam non pertinet, naturam rerum corrumpere, sed seruare; vnde omnia mouet secundùm eorum conditionem, ita quòd ex causis necessarijs per motionem diuinam sequuntur effectus ex necessitate; ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingenter. Quia igitur Voluntas est actiuum principium, non determinatum ad vnum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam mouet, quòd non ex necessitate ad vnum determinat, sed remanet motus eius contingens, & non necessarius, nisi in his ad quæ naturaliter mouetur.

Ad primum ergo dicendum, quòd Voluntas diuina non solùm se extendit, vt aliquid fiat per rem quam mouet; sed vt etiam eo modo fiat, quo congruit naturæ ipsius; & ideò magis repugnaret diuinæ motioni, si Voluntas ex necessitate moueretur; quod suæ naturæ non competit; quàm si moueretur liberè, prout competit suæ naturæ.

Ad secundum, dicendum, quòd naturale est vnicuique quod Deus operatur in ipso vt sit ei naturale; sic enim vnicuique conuenit aliquid, secundùm quod Deus vult quòd ei conueniat: non autem vult quòd quicquid operatur in rebus, sit eis naturale, puta, quòd mortui resurgant: sed hoc vult vnicuique esse naturale, quòd potestati diuinæ subdatur.

Ad tertium, dicendum, quòd si

Deus mouet Volũtatem ad aliquid, impossibile est huic positioni quòd Voluntas ad illud non moueatur, nõ tamẽ est impossibile simpliciter; vnde non sequitur, quòd Volũtas à Deo ex necessitate moueatur.

Conclusio est negatiua.

Circa istum articulum magna se offerebat de auxilijs materia, de qua multa agun tur in prima parte. Primum enim, quomodò saluetur certitudo diuinæ præscientiæ cũ contingentia futurorum, agitur prima parte, quæst. 14. artic. 13. Secundum etiam, quo pacto propositum diuinæ Voluntatis sit immutabile, cum tanta mutabilitate & variabilitate rerum volitarum, agitur quæstion. 19. articul. 8. Tertium autem, qualiter ex immota & infallibili Dei prouidentia, atque ex certissima & indeficienti Dei prædistinatione, non imponatur necessitas rebus prouisis & determinatis, agitur quæstion. 22. articul. 4. & quæstion. 23. articul. 6. Similiter ad hoc pertinebat agere de motionibus supernaturalibus ex diuina gratia, cui tribuitur initium & consummatio nostræ iustificationis; sed de hoc etiam agitur 1. 2. quæstion. 113. Denique multa alia poterant disputari de auxilio præuio naturali & supernaturali, de sufficienti & efficaci: sed hæc omnia longam expectant materiam; modò autem solùm intendimus disputare quæstionem attinentem ad titulum articuli. Vnde sit

DVBIVM I.

Vtrùm conclusio D. Thom. verum habeat.

1. Argu. PRobatur quòd non. Primò, Motio Dei efficax omnino determinat ad vnum, neque relinquit locum consilio & deliberationi: ergo Voluntas ex necessitate & non liberè mouetur. Consequentia patet, nam moueri liberè, est moueri cum indeterminatione. Antecedens verò probatur, quia hoc sonat, motionem esse efficacem, quòd ad vnum omnino determinet; & hoc etiam insinuat D. Thom. hic ad tertium, dicens, quòd si Deus mouet Voluntatem ad aliquid, impossibile est ponere quòd Voluntas non moueatur ad illud: ponit ergo talis motio determinationem ad illud. Item etiam, quia si motio Dei non determinaret ad alteram partem, sed solùm inclinaret ad illam, relinquendo indifferentiam ad oppositam; tunc motio Dei tantùm se haberet sicut quilibet habitus, & consequenter sicut etiam stante habitu potest potentia facere oppositum illius ad quod habitus inclinat, ita similiter stante motione efficaci, & eius inclinatione, posset poni oppositum illius ad quod talis motio inclinat; quod est contra D. Thom. & veritatem: ergo si non stant simul motio efficax & oppositum facere, signum est, quòd talis motio non solum mouet ad hanc partem, sed etiam determinat ad illam. Si respondeatur, hoc argumentum conuincere, quòd in sensu cõpositonecessitatur Voluntas, ita vt stante motione, non stet facere oppositum; non autem in sensu diuiso; absolutè enim, etiam si Voluntas à Deo moueatur, oppositum potest facere: Contra arguitur, quia si in sensu composito necessitat & determinat: ergo saltem in sensu composito non manet libera; necessarium enim & liberum opponuntur, ac per consequens eo modo quo fuerit necessarium, non erit liberum, ac proinde motio Dei efficax non relinquit Voluntatem omnibus modis liberam.

Solut.

Impug.

Secundò argumentor, & confirmatur præcedens argumentum. Quia licèt necessitas sensus compositi, quando est consequens, non minuat libertatem; tamen quando talis necessitas est antecedens, minuit illam: sed necessitas sensus compositi in motione Dei est necessitas antecedẽs: ergo minuit libertatem. Maior probatur, explicando illam. Quando enim inter formam & actum illius est necessaria connexio; non tamen inter formam & subiectum, quia forma subditur libertati subiecti; tunc licèt talis effectus sit necessarius in sensu composito suppositæ formæ, absolutè tamen est liber, quia forma cuius est effectus, omnino liberè habetur; vnde talis necessitas est consequens ad libertatem, ac proinde non minuit illam; quia prius non dependet à posteriori. Quando tamen non solum effectus habet necessariam connexionem cum forma, sed etiam ipsa forma antecedenter se habet ad libertatem, ita vt illi non sit subdita, talis necessitas sensus compositi formæ tollit libertatem, quia nec libertas potest remouere effectum

2. Argu.

mam, vnde si sine libertate formam habet, & ex forma, sine libertate, sed necessariò, sequitur effectus, nullatenus talis effectus potest dici liber, quia talis necessitas est antecedens libertatem. Minor verò probatur, quia non solùm est necessaria connexio inter Dei motionem efficacem, & actualem operationem, sed & ipsa Dei motio sine libertate habetur; antecedenter enim ad libertatem habetur Dei motio, ipso subiecto merè passiuè se habente in recipiendo talem motionem: si enim vt reciperetur, deberet præcedere motus libertatis, ad hunc deberet præcedere alia Dei motio, & sic in infinitum: sistendum est ergo, quòd Dei motio non liberè, sed necessario recipiatur. *Solut.* Si respondeatur, quòd licèt recipere motionem, sit necessarium, & non pendeat â libertate; quātum ad operationem tamen, & vsum talis motionis, est liberum; sic enim explicatur locus Cōcilij, quòd in nostra iustificatione non se habet quis vt exanime instrumentū & merè passiuè, non quia in recipiendo auxiliū aliquid Voluntas agat, sed quia passiuè recipiendo illud, liberè se habet ad operationē, ad quam datur tale auxilium: *Impug.* Contra, quia, vt diximus, inter illam motionem & operationem est necessaria connexio propter efficaciam ipsius motionis: ergo non solùm est necessitas in recipiendo motionem, sed etiam in eliciendo operationem; aliàs enim non omnino certò Deus cognosceret operationē in collatione motionis efficacis: si enim tantùm esset necessitas recipiendi motionem, non autem operandi per illam, sed indifferēs maneret ad operandum, tantùm certò cognosceret receptionem motionis, non autem ipsam operationem; quia, vt inquit D. Tho. in principio indifferenti & non determinato non potest certò cognosci effectus: si ergo Deus in collatione motionis efficacis certò cognoscit operationem, nō solùm erit necessaria receptio motionis, sed & ipsa operatio ex motione procedens.

3. Argu. Tertiò argumentor. Voluntati absolutę Dei non potest resisti, de hac enim dicitur ad Rom. 9. Voluntati eius quis resistit? sed motio Dei efficax pertinet ad Voluntatem absolutam: ergo illi non potest resisti, & consequenter non liberè, sed necessariò mouetur Voluntas. Probatur minor, quia hæc est differentia inter auxiliū efficax & sufficiens, quòd sufficiens prouenit à Voluntate antecedenti, efficax verò à Voluntate consequenti & absoluta. *Confirm.* Confirmatur. Manus & pedes, & cætera mēbra necessariò mouentur à Voluntate, quia imperio Volūtatis, & ipsius motioni cui subiectantur, resistere nō valent: appetitus verò sensitiuus aliqualiter libere mouetur, quia potest contra niti & non obedire; sed nostra Volūtas magis subijcitur diuinæ Volunti, & minus potest resistere motioni illius, quā brachia Voluntati: ergo minus liberè, & magis necessariò mouebitur Voluntas nostra à Volūtate diuina, quā brachia moueantur â Voluntate nostra. *Conf. 2.* Secūdo cōfirmatur. Mors dicitur inuitabilis & necessaria, quia hominū ingenia nō possunt inuenire remedia quibus morti resistant; sed neq; etiā hominum ingenia, remedia quibus resistant diuinæ motioni, inuenire possunt: ergo tā necessaria & inuitabilis est diuina motio, sicut mors. *Conf. 3.* Tertiò confirmatur. Si in Voluntate nostra resideret aliquis habitus, qui sic adeò nos inclinaret ad operandū, quòd ei resistere non valeremus, in illis operibus nulla esset nostra libertas: sed diuina motio & Voluntas in omni opere nostro priùs cōcurrit, & est validissima, cui resistere nō valemus, omnia enim quæcunque voluit, fecit in cœlo & in terra: ergo in operibus nostris nulla est libertas nostræ Voluntatis motæ à Deo. *Conf. 4.* Quartò confirmatur, quia si nobis fortior moueret nostrā manum ad scribendum, vel percutiendum, cui ego resistere non valerem, ille actus non esset liber, sed necessarius; sed Deus nobis fortior, & omniū fortissimus, sic etiam mouet nos ad operandum: ergo actus nostri nō sunt liberi, sed necessarij.

4. Arg. Quartò argumentor. Deus de sua potētia absoluta potest necessitare Voluntatē ad aliquē actum, vt suprà diximus q. 6. sed id non potest facere per virtutē efficaciorē, quā absolutè volendo vt talis actus eliciatur, & apponendo auxiliū efficax præ determinans Voluntatē ad talē actum: ergo prædeterminatio per auxilium efficax necessitat Voluntatem. Minor patet, quia non apparet alius modus necessitādi, quā prædictus. *Solut.* Si respondeatur, Deū posse necessitare Voluntatē, non tamen per appositionē motionis efficacis, sed per appositionē iudicij omnino determinati, in quo nulla sit indifferētia; cùm enim libertas formalis Voluntatis radicetur & præsupponat indifferentiā iudicij ex parte Intellectus, tūc si Deus auferat indifferentiam ex

parte iudicij,& apponat illud omnino determinatũ,tollitur Voluntatis libertas per ablationẽ radicis,& manet omnino necessitata;motio autẽ efficax ponitur ex parte Voluntatis,relinquẽdo indifferentiã iudicij ex parte Intellectus; vnde etiã si efficaciter moueat,nõ necessitat, nec tollit libertatẽ,quæ adhuc in illa indifferẽtia iudicij remanente manet radicata & fundata: Cõtra argumentor,quia ad libertatẽ Voluntatis nõ minus requiritur indifferẽtia ex parte iudicij,quàm indifferentia ex parte Voluntatis,quia licèt illa sit radix, ista tamen est proximè & formaliter requisita ad actũ libertatẽ:sed si tollatur indifferẽtia iudicij, vt asserit prædicta solutio, tollitur libertas actus:ergo similiter si tollatur indifferẽtia ex parte Volũtatis,etiam si remaneat indifferẽtia ex parte iudicij:sed sic est, quòd motio efficax tollit hanc indifferentiã Voluntatis,quia in hoc consistit eius efficacia, vt omnino determinet Volũtatem ad alteram partẽ,ita vt stante tali motione, impossibile sit ponere contrarium actum: ergo omnino tollit libertatem. Confirmatur,nãm ex eo nostra Voluntas non est libera quo ad specificationem circa bonum in cõmuni, quia est determinata ad illud, vt docuit D.Thom.supra art.1. & 2. ergo neque etiam erit libera quoad exercitium circa aliquem actum,ad quem determinatur motione efficaci. Patet consequentia, quia non est minor determinatio quoad exercitium per motionem efficacem, quã sit determinatio quoad specificationẽ circa bonum in communi.

Impug.

Confirm.

5.Arg.

Quinto argumentor. Bene sequitur, Deus mouet efficaciter Volũtatem: ergo Volũtas mouetur,nam aliàs Dei motio esset inefficax, si daretur oppositum consequentis:ergo posita motione efficaci, operatio Voluntatis est necessaria:nam in bona consequentia,stante veritate antecedentis,non potest non stare veritas consequẽtis. Si autem operatio Voluntatis esset libera, posset non stare veritas illius consequentis: ergo si ex eo quòd illa consequẽtia est bona, illud consequens non potest non esse verum, consequenter nec est in potestate nostræ libertatis. Confirmatur, nam ex eo actus gratiæ operantis nõ sunt liberi,quia stante motione gratiæ operantis, non est in nostra potestate applicatio ad talem actum;sed similiter posita motione efficaci, non est in nostra potestate applicatio ad opus, quia per bonam consequentiam & naturalem sequellam sequitur ad motionem efficacem:ergo talis applicatio ad opus non est nobis libera. Confirmatur secundo,nã motus primo primi ex eo sunt necessarij,& non liberi, quia sequuntur vel naturalem complexionẽ, vel ineuitabilem occursum obiecti: ergo si actus nostri sequuntur ineuitabiliter ad dispositionem motionis efficacis non subditæ nostræ potestati,non erunt liberi, sed omnino necessarij.

Conf.1.

Conf.2.

Fundam. verum.

In hac re est primum Fidei certissimũ fundamentum,quòd homo verissimè habet liberũ arbitrium.Locus proprius huius veritatis est 1.p.q.83.vbi contra hæreticos disputatur. Videatur Roffensis ar. 36 aduersus Lutherum, & Ioannes Driedo lib.de gratia & libero arbitrio,& Magister Soto primo de natura & gratia,cap.15.16. 17.78.& D.Augustin.tribus libris de libero arbitrio,tom.1.fol.140.& tomo.2. fol.33. & lib.de hæresibus,hæresi 35.tomo.6.& libro de natura & gratia,tom.7.fol. 157. & lib.de gratia & libero arbitrio,tomo.7.fol. 280.& Hypognosticon lib.3. & duabus epistolis ad Valentinum,46.& 47. & D. Bernardus lib.de libero arbitrio, Tolle,inquit,liberum arbitrium, & non erit quod saluetur;tolle gratiam,& non erit vnde saluetur.Vt autem hic aliquantulum hæc difficultas tangatur,

Roffensis.
Ioannes Driod.
D.Bern.

Notandum, fuisse hæresim Manichæorum vetustissimã, negantem quòd homo in operibus suis liberè moueatur, sed quòd habet duas animas; alteram rationalem ex bono principio, quæ ex necessitate bona operatur; alteram verò sensualem & malam ex malo principio,quæ similiter ex necessitate mala operatur.Eandem hæresim suscitauit postea Vvicleph. damnatus in Concilio Constantiensi, & tandem in his vltimis temporibus calamitosis Martinus Lutherus homo diabolicus, & omnium hæresum sentina,negat esse in homine liberum arbitrium, sed ait, post peccatum esse rem de solo titulo, sed quòd est figmentum in rebus, seu titulus sine re: postea tamen ipse & sequaces eius euidentissimis sacris testimonijs & experientijs deuicti coeperunt se vertere in vtrumque latus, dicentes quòd homo habeat liberum arbitrium in naturalibus, quæ subiecta sunt naturali rationi & sensui, vt plãtare vineas, construere domos, sedere, ambulare, &c. quod prius negauerat Lutherus artic.36.ad Leonem Decimum:in operi-

Not.

Vvicleph.

Luther.

operibus autem gratiæ omnino negant liberum arbitrium, sed quòd omnia ex necessitate eueniunt. Fundamẽtum illorum est à nobis positum de infallibilitate diuinæ præscientiæ & prædestinationis: nam inquit: Quidquid in rebus humanis contingit, ab æterno fuit præordinatum & volitum à Deo: Voluntati autem diuinæ nemo potest resistere. Non tamen argumentum tenetur ipse soluere de operibus naturalibus quæ fuerunt præscita & volita à Deo; & nihilominus ipse asserit, non esse necessaria, sed libera. Contra istam tamen hæresim (inquit Roffensis) est manifesta experientia nostri liberi arbitrij; ita enim euidenter experimur, quòd ego nunc quando loquor, possum tacere, quàm quòd ignis est calidus: & mirabile est, quòd isti cæci non videant differentiam, saltem quæ est inter hominem amẽtissimum, & prudentem, & inter actionem meam, & actionem ignis necessariã. Et rursus inquit Roffensis. Si non est situm in nostra potestate operari vel non operari, & operari hoc vel illud, quid est quod Lutherus tantoperè vituperat Papam & alios Catholicos de his quæ dicunt vel faciunt, postquàm non possunt non facere? Certè eodem modo deberet vituperare ignem quia comburit domum. Sed certè hoc aliud non est, nisi quòd tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt vel ex hoc manifestissimo errore conijciant homines, qualiter in alijs errant. Ad fundamentum autem Lutheri iam Summulistæ satis sciunt respondere, quòd præscientia Dei, aut eius Voluntas non ponit necessitatem rebus; sed sicut Deus ab æterno agnouit me hodie lecturum, ita & agnouit me hodie liberè lecturum, & eodem modo voluit, & eodem modo mouet, vt habet D. Thom. hic ad primum; de qua re latiùs 1.part. quæst. 14. art 15. & pro nunc satis nobis erit, quòd simus liberi, nõ obstante decreto Dei; sicut ipsemet Deus liber fuit ad producendum orbem, licèt ab æterno statuit & decreuit se productorum illum: cùm ergo Dei propositũ suam non auferat libertatem, ita quòd necessariò produxerit orbem, quia qui hoc diceret, non solùm hæreticus, sed stultus esset: ita si militer ego nũc liberè lego, nihil impediẽte diuina præscientia, aut motione. Hoc argumẽto vtitur D. Aug. cõtra eos qui existimãt certitudinẽ diuinæ prouidẽtiæ cõtrariari, aut repugnare cõtingẽtiæ, aut libertati rerum, 3. lib. de libero arbitrio, c. 3. & 4. tom. 1. fol. 150. pertinet enim ad diuinam prouidentiam, vt effectus eueniant eo modo quo Deus vult eos euenire, & in hoc nemo potest resistere diuinæ voluntati; & quia Deus voluit quosdam effectus euenire contingenter & liberè, adhibuit causas liberas; & quia voluit quosdam alios effectus euenire necessariò, apposuit causas necessarias, & cũ omnibus his cõcurrit Deus ad modum conditionis illarũ, iuxta illud Sapientiæ 8. Attingit â fine vsque ad finẽ fortiter, & disponit omnia suauiter. Quapropter rectè ait D. Tho. ad primũ, quod magis resisteret diuinæ motioni, si Voluntas moueretur ex necessitate, & nõ liberè: quia Voluntas Dei est, vt liberè moueatur iuxta propriam naturam. Tota autẽ difficultas remanet, qualiter huiusmodi libertas ex efficacia & prædetermination diuinæ motionis non lædatur; vt enim rectè ait Augustinus lib. 1. de gratia Christi, cõtra Pelagium, c. 47. quæstio vbi de arbitrio Volũtatis & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, vt quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur cum Pelagio: quando autem asseritur Dei gratia, libetum arbitrium putetur auferri cum alijs hæreticis. In concordia ergo vtriusque est opus & labor. In cuius compositione est Prima sententia, quã refert se audisse Magister Soto, quòd concursus Dei generalis cum Voluntate, semper est vniformiter applicatus à Deo, quãdo non mouetur, & quando mouetur Voluntas creata: itaque est velut qualitas quędam per modum permanentis, vt albedo, vel nigredo, quæ semper permanent vniformiter: sicut ego habeo linguam quãdo taceo, sicut & quando loquor; ita habeo cõcursum Dei, vt vtar illo si velim, & modò vtor illo, & antè non vtebar. Sed hæc certè sententia intolerabilis est, nam in primis cõcedit, quòd stat, Deũ mecum concurrere actu, & me non agere, concurrere mecũ ad loquendum, & me nõ loqui; quod est inauditũ, & inopinabile. Nam quid (rogo) aliud est, Deũ concurrere mecũ, quàm me cum agere? quid est cõcurrere, nisi agere? & sic fatetur D. Tho. in articulo, quòd quandocunq; Deus concurrit cũ Volũtate, Voluntas agit, licèt liberè. Confirmatur, nam Deus concurrit cũ Voluntate generali cõcursu, sicut cũ alijs agentibus, siue liberè, siue naturaliter; sed nõ concurrit cũ igne ad agendũ, nisi quando actu agit, & calefacit; sicut

Roffens. *Ad funda. Luther.* *D. Thom.* *D. Augu.* *D. Augu.* *1. Sent. Soto.* *Impug.* *Conf.*

ſicut cœlũ non concurrit cum alijs inferioribus cauſis actuali concurſu, niſi quando actualiter agunt, & operantur: ergo cõcurſus diuinus cum noſtra Voluntate ad volendum non eſt niſi quãdo actu aliter vult. Probatur minor, nam quis dicat quòd corpora cœleſtia cõcurrunt cũ planta ad germinandũ, niſi quãdo actu germinat? Deinde, Deus non ſolùm concurrit cũ noſtra Volũtate, ſicut alia cauſa particularis coadiuuans; ſicut Petrus iuuat Paulum ad deferendum lapidem ita vt vterq; faciat partem effectus: ſed Deus concurrit tanquàm cauſa totalis in ſuo genere; tota enim mea volitio producetur totaliter a Deo, & etiã à mea Voluntate totaliter; à Deo quidẽ tanquam à cauſa prima & vniuerſali; à mea autem voluntate, tanquàm à cauſa particulari Sequitur ergo, quòd Deus non concurrit ad agendum mecum, niſi quando ego ago. Patet iſta conſequentia, nam alias effectus (verbi gratia volitio) ſequeretur, quando cauſa ſecũda, ſcilicet mea Voluntas, nõ ageret; nam Deo mouenti debet aſsignari effectus; & cùm alius non ſit niſi mea volitio, cùm, vt diximus, debeat eſſe idem effectus atque cauſæ ſecundæ operantis; iam quãdo Deus mouet, eſſet volitio antequã Voluntas agat. Præterea probatur. Si quãdo actu Voluntas non vult, Deus mouet illam, ſequitur, quòd moueat ad contraria, nam qua ratione dicis, quòd quando ſedeo, Deus mouet ad ambulandum verſus Orientem, debes dicere, quòd mouet etiã verſus Occidentem, & ſic ad omnia cõtraria quæ agere aut velle poſſumus, ſimul nos mouet: quod eſt inauditum. Præterea probatur, nam ſequeretur, quòd initium cuiuſuis motionis noſtræ eſſet à nobis: cõſequens eſt contra Fidem, iuxta illud Pauli; Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis: ergo. Sequella probatur, nam ſi Deus adhuc quando quis ſedet, mouet illum ad ambulandum, & adhuc non ambulat, principium vt actu ambulet, aliunde erit dicendum, nempe à Voluntate. Denique ſequeretur ſecundũ prædictam ſententiam, quòd præcipuum in opere eſſet nobis tribuendum, Deo autẽ quod minus perfectũ eſt. Sequella patet, nã nobis tribuendũ eſſet operari actualiter, & nos ipſos mouere ad operãdũ; Deo autem tantùm eſſet tribuenda motio quaſi habitualis, & potẽtialis, cõtra bonã Philoſophiã docentẽ, non ſolùm eſſe Dei effectus principia potẽtialia, vel habitualia ad egendũ, ſed etiam ipſum exercitium potẽtiarum, nihil enim prodeſſet habuiſſe oculos niſi Deus actu moueret ad videndum, nec habuiſſe aures, &c.

2. Sent. Almain.

Secũda ſentẽtia eſt Alm. c. 1. ſuorũ Moralũ, dicit enim primo, & recte, libertatem in eo conſiſtere, quòd poſitis omnibus requiſitis ad agendũ, poſsit agere, & poſsit non agere: ſicut è cõtra cauſa naturalis eſt, quę poſitis omnibus requiſitis ad agendũ, non poteſt non agere. Hinc ergo progreditur, & dicit ſecundò, quòd cõcurſus Dei non eſt vnum de requiſitis ad agendũ, ſed eſt quid concomitans; ad hoc enim quòd ſit prærequiſitum, nõ debet valere mutua conſequentia, ſicut valet reſpectu concurſus Dei: ſequitur enim; Volitio eſt: ergo concurſus Dei eſt; & è contra, Concurſus Dei eſt: ergo volitio eſt. Hac ergo ratione concurſus Dei eſt quid concomitans. Stat ergo libertas Voluntatis, quia licèt poſitò concurſu Dei, non poſsit non agere, ante concurſum tamen Dei poterat non agere; vndè cùm ante concurſum Dei aſsignentur omnia requiſita ad agendũ, & illis ſtantibus, Voluntas poſsit non agere, optimè habet libertatem, licèt poſtmodùm adueniente cõcurſu Dei non poſsit non agere. Sed iſta ſententia etiã plura falſa inuoluit. Primũ quidem eſt, quòd concurſus Dei non ſit de prærequiſitis: ſic enim impugnatur: Nã Dei cõcurſus eſt cauſa noſtræ volitionis: ergo eſt prærequiſitus: nihil enim magis prærequiſitũ ad effectum, quã cauſa illius vt cauſans: nã ſi ego moueo lapidem, profectò cõcurſus meus requiritur ad motum lapidis, cùm ſit cauſa effectiua illius: ergo eodẽ modo concurſus Dei. Confirmatur primò, quia ipſi concedũt, quòd Deus non ſolùm eſt cauſa volitionis, ſed etiã eſt cauſa quòd Volũtas mea eliciat volitionẽ: ergo Dei motio eſt prærequiſita, vt voluntas mea operetur. Cõfirmatur ſecundò, nã vt aliquid ſit prærequiſitũ, ſufficit quod ſit prius natura; nõ autẽ requiritur quod mutuò non cõuertatur: ergo licèt mutuò cõuertantur Dei motio & operatio Voluntatis, cùm tamen Dei motio ſit prius natura ad actũ Voluntatis, Dei motio erit prærequiſita ad talẽ actum. Antecedens probatur, nã Sol prærequiritur ad illuminationẽ propriã, licèt non poſsit eſſe quin illuminet & mutuò conuertatur cũ illuminatione, quia prius natura ſe habet Sol vt cauſa illius. Secundò impugnatur, nã ſi cõcurſus Dei non eſſet prærequiſitus ad operandum,

Confir. 1.

Confir. 2.

dum sequitur, quòd nunquã dabitur sufficiens numerus requisitorũ, quibus positis, Voluntas possit agere & non agere. Probatur sequella, nã si cõcursus Dei non numeratur inter requisita, interrogo, quando potest assignari numerus requisitorũ? Nõ ante ipsum concursum Dei, quia ante illũ non potest Voluntas agere; nec post concursum, quia illo posito, vt isti aiunt, Volũtas iã necessariò mouetur: ergo nunquã assignabitur numerus requisitorum, quibus positis possit agere & non agere, nisi annumerando inter requisita ipsum cõcursum, vt illo iam intelligatur cõpleta in esse potẽtiæ ad posse operari. Secundũ etiam dictũ istorũ peius est, videlicet quòd posito Dei cõcursu, Volũtas non potest nõ velle, ita vt hæc modalis diuisa, sit falsa, pro instanti quo Deus concurrit, Voluntas nunc potest non velle; sic enim argumẽtor contra hoc dictum: Nam sequeretur, quòd Volũtas necessitetur in omni opere suo, nã bene sequitur; si altera contradictoriarum est falsa, quòd alia sit vera: sed istæ sunt contradictoriæ, Voluntas possibiliter nõ vult; Omnis volũtas necessariò vult. Prima est falsa secundùm istos, quacunque operatione Voluntatis signata, nam in omni operatione signata pro eodẽ instanti concurrit & mouet Deus; posita autẽ motione Dei secundùm illos, Voluntas non potest nõ velle: ergo inquacunque operatione signata hæc est falsa secundùm illos: Voluntas, possibiliter non vult: ergo alia remanet vera, Omnis volõtas necessario vult; & sic in omni operatione necessario agit Volũtas; quod est plusquàm falsum. Quod amplius declaratur, nã quotiescũque Volũtas agit, ponitur concursus Dei: posito autem concursu, dicunt ipsi, non potest non agere: ergo quotiescunque agit, necessariò agit. Præterea impugnatur & confirmatur, nam vt Deus necessitet Voluntatem, quid amplius requiritur, quã quòd faciat vt ipsa nõ possit nõ agere? ergo si per concursum facit vt non possit non agere, per cõcursum necessitat illam. Nec valet solutio istorum, quòd vt concursus necessitaret Voluntatem, requirẽbatur esse prævium; non autem sufficit esse concomitantem, vt ipsi ponunt, concursum Dei. Hæc (inquam) solutio nihil valet, nam per hoc, quòd ponẽretur prævius concursus, quid amplius posset fieri, quàm tollere indifferentiam Voluntatis, & facere vt illa non possit non operari? ergo si per concursum, etiam concomitantem, secundùm illos fit vt Voluntas non possit non operari; per talem concursum necessitatur Voluntas, & tolletur indifferentia & libertas illius. Vltimò probatur, nam si posito Dei concursu, Voluntas nõ potest nõ agere, sequitur, quòd posita Dei volitione ab æterno, qua voluit me nunc agere, ego nũc nõ possum nõ agere; & similiter quòd posita diuina præscientia & prædestinatione ab æterno, nũc ego non possim non agere, & consequẽter non sim liber in agẽdo. Sequella probatur, nam sicut isti dicũt posito auxilio non posse non agere, quia fieret resistentia Dei motioni; ita secundùm eandem rationẽ dicitur, quòd posita volũtate Dei ab æterno, nunc non possum nõ agere, quia aliàs fieret resistentia illi Dei volitioni, & illa præscitia Dei falleretur. Sicut ergo isti debent componere libertatem cũ Voluntate & præscientia ab æterno, ita & nos illam componemus cũ motione Dei modò interueniente cum ipsa operatione Voluntatis.

Tertia sententia cõponit libertatẽ cum auxilio, dicẽs, auxiliũ non esse quid physicũ intrisecè inhærens, & determinans Voluntatẽ sed quid extrinsecũ, & ideò libertatẽ non auferre; auferret autẽ illam, si esset quid physicum inhærens, prædeterminãs Voluntatem. Sic tenet Molina in Concordia q. 14 art. 13. 1. p. disp. 37. & 38. & 48. & Suarez lib. 1. de auxilijs c. 89. & 10. & 14. & lib. 3. capit. 8. & 9. & 12. & 13. & Vazquez prima parte, disputatione 89. capit. 10. & disputatione 99. communiter consodales illius familiæ. Immò & aliqui super addunt, etiam auxilium extrinsecum & prædeterminationẽ Dei extrinsecam, licèt non omnino, aliqualiter tamẽ minuere libertatem. 3. *Sent.* *Molina.* *Suarez.* *Vazquez.*

Pro intelligentia huius quæstionis recolenda sunt quæ suprà hactenus diximus de libertate, & de requisitis ad illam, qualiter libertas alia sit contrarietatis ad bonum & malum, alia verò contradictionis ad facere hoc & non facere illud; & quòd vt aliquis sit perfectè liber, non requiritur habere libertatem primo modo, sed sufficit secundo: Deus enim, & etiam Christus Dominus in quantum homo, & Angelus in primo instanti suæ operationis, perfectissimè sunt liberi; cum tamen peccare non possint. Recolendum est etiam, quatenus ad libertatem requiratur operari à principio intrinseco, non solùm *Nota.*

physicè,sed moraliter,mouẽdo se ipsum; quòd est operari ex præuio consilio & deliberatione;qua propter diximus, libertatẽ tantũ esse circa media, non verò circa finẽ;qua propter subintulimus,definitionẽ liberi esse,illud,quod positis omnibus requisitis ad operandũ,potest ex se ipso moueri ad operandum & non operandum; ex se ipso,inquam, non vt ex prima radice;hoc enim solùm pertinet ad primum liberum,quod est Deus;sed si sit secundum liberum & creatum,debet operari ex se ipso,excludẽdo causas extrinsecas,moto tamẽ à primo motore,& primo libero; quia omnis secunda causa includit motionem causæ primæ; quapropter etiam subintulimus, ad libertatem prærequiri ex parte Intellectus indifferentiam iudicij,& in tali indifferentia radicari libertatem:quapropter licèt Deus possit necessitare Voluntatem,hoc tamen debet esse auferendo indifferentiam iudicij,ponendoq; illud omnino determinatam,hac enim ratione dixi mus, beatos necessitari in Patria ad amorem,quia iudicium illorũ de bonitate obiecti beatifici & exercitij ipsius operationis,est omnino determinatum, quatenus in opposito nulla ratio boni, & conueniẽtiæ potest apparere eis: manẽte autem indifferentia iudicij,necessitas in Voluntate esse non potest: de quo videatur Bañez 1.p.q.19.art.10.dub.1.prope finem,& Zumel lib.3.de auxilijs, discursu 5. sectione 22. suppositione 3. qui hoc optimè explicant,quidquid reclamet Suarez lib. de auxilijs,c.2.num.12.& c.3.num.5.

Bañez. Zumel. Suarez. 2.Nota.

Supponendum est secundò,non quamcunque determinationem destruere indifferentiam requisitam ad libertatem; determinatio enim duplex esse potest: altera in ipsa potentia in actu primo; altera verò in actu secundo. Prima importat, potentiam taliter esse ad hoc, vt non possit ad oppositum,vt potentia ignis taliter est ad calefaciendum,vt non sit ad oppositum. Secunda autem determinatio consistit in exercitio huius actus,& non oppositi; ad quem etiam erat in potentia:certã est enim,quòd cùm esset in potẽtia ad vtriumque,si exerceat hãc operationẽ & nõ oppositã, quòd indifferẽtia potẽtiæ manet determinata in actu secundo;& nihilominus liberè exercetur,in quantũ procedit à iudicio & principio indifferẽti: itaq; ad libertatẽ in actu secũdo,sufficit indifferẽtia obiectiua,licèt sit determinatio exercitij ipsius actus.

Prima conclusio. Decretum vel determinatio Dei extrinseca, seu absoluta voluntas eius & efficax de aliquo actu eliciendo à nostra Voluntate,non tollit eius libertatem. Hæc est D. Thom. 3. contra Gent.cap.94.& 111.vbi ostendit,prædiffinitionem & ordinationem extrinsecam Dei non tollere contingentiam & libertatem à rebus Idem docet August. lib. Hypognosticon,& D. Prosper responsione 14.ad Gallos,D. Fulgentius lib. 2. ad Minimum cap.7. Leo Papa Epistola 9. decreti ad Petrum Antiochenum, D. Anselmus de concordia prædistinationis,cap.2. Videatur Caietan. super illud ad Romanos 8. Quos præsciuit & prædestinauit, &c.& super illud ad Colossen. 1. Adimpleo ea quæ de sunt passionum Christi. Et ratione probatur. Primò,nam voluntas & prouidentia Dei,&c.sunt causa rerũ quoad substantiam & modum illarum, vt docet D.Thom. 1.part.quæst.19.art. 8. & q. 22.artic.4.ad primum & secundum; sed voluit & prouidit & prædestinauit vt plura opera fierent liberè:ergo ita fiunt, non obstante volũtate, & prædestinatione extrinseca. Minor probatur, nam alias talia opera quoad modum & libertatem fierẽt à casu respectu Dei, cùm fierent præter intentionem & prædiffinitionẽ illius. Secundò probatur,nã huiusmodi decreta extrinseca nihil reale important vel ponũt in nostra Volũtate,sed tantũ important actũ realem ex parte Dei:ergo non tollitur per talia decreta nostra libertas. Patet consequẽtia,nã vt tolleretur,aliquid reale deberet poni in Volũtate determinãs ipsam,& tollens eius indifferentiã;hac enim ratione dicitur, Petrũ liberè peccasse innegatione, licèt prius fuerit dictũ à Christo Domino; quia per eius dictũ nihil reale est positũ vel ablatũ à volũtate Petri. Tertiò probatur, quia huiusmodi decreta no auferũt indifferentiã obiectiuã iudicij proponẽtis bonũ Volũtati, nec faciũt obiectũ apparere cũ omnimoda ratione boni:ergo non tollũt libertatẽ. Patet consequẽtia,nam, vt dictũ est,stante indifferentia iudicij, libertas auferri nõ potest;cùm in tali indifferentia libertas radicetur. Quartò probatur. De fide est,dari in nobis actus liberos,vt probauimus cõtra Caluinũ & alios hęreticos,quos refert Belarminius lib.4.de gratia & libero arbitrio:sed certũ est, etiã ex sacra Scriptura,Deum operari prædeterminãdo actus nostros: ergo prædeterminatio Dei non tollit

1. *Conclu D. Thom.*

D. Augu. D. Fulg. D. Prosp. D. Leo. D. Ansel.

Ad Ro. 8.

Ad Col. 1.

Belarm.

Esai.26. tollit libertatem. Minor probatur Esaiæ 26.Omnia opera nostra operatus es in nobis,Domine.Quòd autē illa operetur præ
Ephes.1. determinando,patet ad Ephesios. 1. Qui operatur omnia secundū consilium volū tatis suæ: si ergo præcedit consilium Dei,
Lucæ.22. præcedit & prædiffinitio & prædeterminatio actuum nostrorum,dequibus consi
Act.4. liat. Item patet Lucæ. 22. Filius hominis vadit sicut scriptum est de illo. Et Actorū 4. Conuenerunt in ciuitate ista aduersus puerum sanctum Iesum,quē vnxisti,Herodes & Pilatus cum Gentibus, & populis Israel,facere quæ manus tua & consiliū tuum decreuerunt fieri. Ecce prędiffinitio mortis Christi,ab ipso tamen liberē passæ,
Isaiæ.53. secundùm illud Esai. 53. Oblatus est, quia ipse voluit. Plura alia loca videātur in Ma
Cabrera. gistro Cabrera. 3.p.q.18.ar.4.§.6.nu.225.
Solutio. Si respondeatur cum Vazquez 1.p. disp.
Vazquez. 74.cap.8.in fine,quòd licèt Deus prædiffiniat vt homo liberè operetur opera bona circa aliquod obiectum particulare, non tamen prædiffiniuit, quo actu in particulari debeat operari circa tale obiectum. Verbi gratia,determinauit vt Christus Dominus vellet mori, non tamen determinauit, quo actu particulari deberet id velle:vnde actus particularis quo id vult,est liber. Cō
Impug. tra argumentor, nam hoc est incidere in
D. Augu. sententiam Ciceronis,vt Grāmatici discipulus,quem refert Augustō.tomo.5.lib.5. de ciuitate Dei.cap.9.& non fugit vim loci D.Pauli,non enim sic Deus operaretur omnia secundùm consiliumvolūtatis suæ,
Sapien.8. nec attingeret à fine vsque ad finem fortiter,vt dicitur Sapient.8. si ratio numerica actus nostri non attingeretur à Dei prouidentia & consilio,& secundùm illam rationem particularem fierent à casu respectu Dei,contra Augustō.tomo.4.lib.83.quæs-
D.Thom. tionum,q.24.&D.Thom.1.p.q.22.art.2. ad primum, & quæst.103.art 7.ad secundum & tertium. Item impugnatur, nam iste modus prædiffiniendi, arguit imperfectissimam prouidentiam,& tantùm esse in Deo prouidentiam secundùm quid, si tantùm prouidet rationes communes, non autem singularitatem actuum: perfectior enim est prouidentia de rebus in particu-
Impug.2. lari,quàm solùm in cōmuni. Item tunc homo esset primus prædeterminans, & primus prædiffiniens singularitatem actus, independenter à Deo,immò & prouidentia hominis perfectior esset,quàm prouidentia Dei,si prouidet de singularitate rei, quam Deus non prouidet. Item impugnatur,quia in tantum se extendit prouidentia Dei,in quantum se extendit eius causa-
Impug.3. litas,cùm causet & operetur per Intellectum & Voluntatem:sed Deus causat etiā singularitatem actus, illa enim aliqua entitas est,& Deus omnium entium & modorum entis est prima causa: ergo etiam habet prouidentiam huius singularis actus.
Impug.4. Vltimò impugnatur,nam Deus ab ęterno statuit conferre auxilium efficax ad exercitium singularitatis huius actus: Nisi velit dicere,singularem illum actum exercere sine Dei auxilio,quod peius esset: ergo etiam ab ęterno decreuit singularitatem illius actus:si enim prouidit de causa singularitatis actus,prouidentiam etiam habuit
Solu.2. ipsius singularitatis actus. Si respondeatur
Suarez. secundò cum Suarez locis citatis, & lib. 1.
Belar. de auxilijs c.16.& lib.3.c.17.& cum Belarmi.lib.4.de gratia & libero arbitrio,cap.19
Vazquez. & cum Vazquez vbi supra, quòd licèt Deus prædiffiniat & prędeterminet actus bonos,etiam in singulari, hoc tamē est dependenter à nostra Voluntate;itaque non absolutè,sed quasi conditionaliter prædeterminat actum,si homo illum voluerit eligere.Dicunt enim, Deum per scientiam
Impug. mediam præuidisse,nostram Voluntatem in tali occasione tali modo se determinaturam, & quia sic vidit,ideò ipse determinauit,vt ita Voluntas operaretur: Contra tamen argumentor, quia isti videntur contradicere Concilio Trident.sessione 6. c. 15.vbi postquam Cōcilium dixit, hominem non se posse mouere ad iustificationem sine gratia,id probat ex illo Threno-
Threnor.5. rum 5.Conuerte nos,Domine,ad te,& cō uertemur: & subdit Concilium, quòd ibi nos Dei gratiam præuenire confitemur. Videntur etiam aduersari Cocilio Araucano, canone 25. sic diffinienti: Salubriter profitemur, quòd in omni opere bono nos non incipimus: Inciperemus autem, si nostra determinatio expectaretur Item prædicta solutio non euadit vim argumentorum quæ posuimus cōtra præcedentem; si enim nostra determinatio expectatur,non fit opus ex consilio Dei,sed secundùm consilium nostrū. Item si hāc ipsam nostram determinationem Deus causat,etiā de illa prouidet, & prędiffinit. Item homo respectu illius prædetermina tionis expectatæ esset prima causa. Tandē hæc solutio est contra D.Augustō. tom. 4. lib.1.ad Simplicianū, vbi expressē docet,

esse

esse contra D.Paulum,dicere,Deũ aliquid prædiffinire circa nostros actus,quia præuidit nos inclinatos ad illos, tunc enim non fieret actus secũdùm propositũ & electionem Dei, sed secundũ propositum & electionẽ hominis, si primũ propositum, & prima determinatio hominis à Deo nõ
D. Augu. præuenitur,& sequeretur(inquit Augu.) Deum non dedisse hominibus Fidem, sed ipsos illam sibi cõparasse, si ex determinatione illorum à Deo non præuenta incipit processus Fidei. Item sequeretur (inquit) mortem Christi, redemptionem generis humani,incarnationem eius,& omnẽ dispositionem Ecclesiæ militantis debere tribuis Voluntati humanæ, tanquàm primo determinanti; nam si non determinauit cõsensum B. Virginis,sed talis consensus est ante prædiffinitionem Dei,ex propria determinatione,Voluntati humanæ reducitur totus progressus status Ecclesiæ,& mysteriorum humanitatis Christi. Item sequeretur,falsum esse modum loquendi sacræ Scripturæ,cùm dicitur: Ego non veni vt faciam voluntatẽ meam,si prima determinatio est à Voluntate humana Christi
Ioan. 15. Domini:& Ioannis 15. falsum esset, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos:nam si prima determinatio est Apostolorum,ipsi elegerunt. Item sequeretur,hominẽ non debere orare vt à Deo conuertatur in bonum;cõtra illud Gen.43. Deus autẽ meus omnipotens faciat vobis eum placabilem; & alias precationes quæ passim in sacra Scriptura reperiuntur: nam si à nobis debet incipere,quid necessarium est ad Deũ per orationẽ recurrere? Tãdem impugnatur hæc solutio per ostensionẽ qualiter auxiliũ Dei sit efficax ex natura sua,& prout à Deo,& non ex consensu,& cooperatione nostræ Voluntatis præuisa per scientiã mediam. Et ad hoc etiam facit quod docetur 1.p.q.14.art. 13. Deum non posse scire certo & infallibiliter aliquod futurum cõtingens,nec quid sit operatura nostra Voluntas,nisi in decreto efficaci & inuolunta
D. Augu. te absoluta qua ipse statuit dare auxilia efficacia. Videatur Augustt.tomo 7.lib.de prædestinatione Sanctorum,c.3.& 12.& 13.& tom.1.lib.1.Retractationum,c. 16.vbi reprehendit hũc modũ loquẽdi, Quia Deus sciuit aliquẽ crediturũ, dedisse illi auxiliũ quo credidit,quod nõ contulit alteri, quẽ præsciuit nõ crediturũ. Et quia ipse Augustinus similẽ propositionẽ dixerat, super
D. Hilar. ad Rom. retractat illã;quia initiũ Fidei (inquit) nõ esset ex gratia Dei. Vnde D.Hilarius apud Augustt.tom.7.in quadã epistola illius,hanc sententiã tribuit Marsilienſibus: & idẽ facit D.Prosper in Epistola ad D.Augustt.quæ habetur ibidem. Omnes *D. Prosp.*
enim isti sancti primã determinationẽ ponunt ex parte Dei; ponere autẽ ex parte Voluntatis,dicũt esse errorẽ Marsilienſiũ.
Nec valet solutio,quòd nõ expectatur determinatio nostræ Voluntatis facta ex viribus naturæ,vt illi hæretici volebant, sed facta cũ auxilio Dei, in quo ab hæreticis differtur;& sic saluatur,initiũ Fidei non esse ex nobis. Non(inquam) hæc solutio valet;nam vel sentiunt,illã primã determinationem Voluntatis causari ab auxilio, vel non. Si primũ, iam auxilium est prœuium & prædeterminãs, si quidẽ causa prior est effectu,& consequẽter prima determinatio nõ est Volũtatis. Si autẽ dicas secundũ, quòd auxiliũ non est causa illius determinationis,sed habere se cõcomitanter ad illã;tũc est ponere ibi auxiliũ, ac si nõ esset, & determinationẽ esse ab ipsa Voluntate ex viribus naturæ;& consequẽter videtur quòd erit incidere in errorẽ Marsilienſiũ.
Si tertiò respondeatur cũ Vazquez. 3.p. *Solut. Vazquez.*
disp.74.c.5.quòd actus nostri,etiã in particulari, sunt prædefiniti & determinati à Deo quoad substantiã, non tamẽ quoad circunstantias loci,&tẽporis,&intẽsionis, &c. quapropter licèt sint necessarij quoad substantiã ex tali prędetermination diuina,sunt tamẽ liberi quoad circũstantias nõprędiffinitas:Etiã hæc solutio nõ euadit vim argumentorũ. Si enim circunstantias actus Deus non prædiffinit, nõ operatur omnia secundum consiliũ voluntatis suæ, & tales circunstantię erunt à casu respectu Dei. Et etiã impugnatur,quia si libertas tãtùm est in actu secundũ circunstãtias non *Impug. 1.*
prędiffinitas:ergo similiter meritũ tantùm erit in actu secundũ circunstantias,& non secundũ substantiã;quia libertas est de ratione meriti;quia necessarijs nec meremur *Impug. 2.*
nec demeremur: ergo si tales circũstantiæ non prædefiniũtur à Deo,sed sunt ex prædetermination Voluntatis primò se determinãtis quoad circunstãtias, meritũ similiter reducetur ad Voluntatẽ humanã,vt ad primã radicẽ: vnde sicut hæc est vera secundũ illos,Iste actus est liber, prout & à Volũtate primò se determinãte;ita hęc erit vera,Iste actꝰ est meritorius,prout à Volũtate primò se determinãte;& sic meritũ erit ex facultate naturæ Voluntatis; quod est

hære-

hæreticum; dicere enim quòd meritũ Christi Domini, & redemptio nostra reducitur vltimo in determinationem humanæ Voluntatis, est contra illud ad Ephesios 1. Deus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiam Charitatem conuiuificauit nos in Christo; vt ostenderet abundantes diuitias gratiæ suæ. Et contra illud Ioannis 3. Sic Deus dilexit mundũ, vt Filiũ suũ vnigenitum daret. Item impugnatur, quia mors Christi non solum insinuatur in sacra Scriptura quòd fuerit determinata quo ad substantiã, vt patet Lucæ. 22. Filius hominis vadit sicut scriptum est de illo; illud enim verbum, Vadit, importat totũ progressum substantiæ & circunstantiarũ passionis; & Lucæ vltimo, sic scriptum est: Et sic oportebat Christum pati. Illud autem verbum, Sic, importat modum & ordinẽ totius passionis, vt ibi notat Caie. Vnde D. Thom. 3. p. q. 47. art. 9. & 10. ostendit, congruo tempore & loco Christum fuisse passum, quia sic prædefinitũ erat à Deo; multa enim loca sunt in sacra Scriptura determinãtia locum passionis, quòd esset in Ierusalẽ, vt patet Lucæ 13. Non capit prophetam perire extra Ierusalem, quod ideò dixit secundùm Theophylactum, quia sic erat diffinitum in sacra Scriptura, vt in Ierusalem pateretur. De circunstantia verò temporis etiam habetur ad Galat. 4. Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, &c. Dicitur autem plenitudo temporis, determinatio illius, vt exponit D. Thom. & Caie. ibidem. Quod & clarius dixit ad Ephesios. 1. Proposuit in dispensatione plenitudinis tẽporis instaurare omnia in Christo; hoc est in tẽpore prædefinito, vt ibi explicat D. Tho. & D. Augustin. tract. 104. in Ioannẽ, & Lyra Math. 26. super illud; Tunc venit Iesus cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani: Et hoc insinuatur Actorum. 1. Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate; vbi determinationem temporum reducit ad positionẽ Patris. De circunstantia verò finis patet etiã fuisse diffinitam Lucæ 19. & Ioannis 3. & in 1. ad Timotheum, vbi dicitur, Christũ Dominum venisse in remedium peccati.

Ad Ephe. 1. *Ioan. 3.* *Lucæ. 22.* *3. Impug.* *Lucæ vlt.* *Caiet.* *D. Thom.* *Lucæ. 13.* *Galat. 4.* *D. Thom.* *Caiet.* *Ephes. 1.* *D. Aug.* *Lyra.* *Lucæ. 19.* *Ioan. 3.* *1. Ad Thi.*

4 *Impug.* Item impugnatur prædicta solutio, quia quando huiusmodi actus fit in singulari, siue à Christo, siue à quocũque alio, Deus causat huiusmodi circunstantias, quia cuiuscunq; entitatis vel modi entis Deus est prima causa: ergo sic decreuit ab æterno causare, nã aliàs Deus in tempore mutaretur: ergo iã circunstãtiæ prædictæ erãt prædefinitæ ab æterno. Tandẽ impugnatur, quia circunstãtiæ tẽporis & loci, &c. individuãt actũ, & faciũt illũ singularẽ & hũc: ergo inuoluunt contrarij contradictionẽ, dicentes Deũ determinare singularitatem actus quoad substantiã, & non quoad circunstantias; quia substantia singularitatis consurgit ex circunstantijs. *Impu. vlt.*

Secunda conclusio. Auxilium physicũ intrinsecũ & ex natura sua efficax & infallibiliter prædeterminans Voluntatẽ prius natura quã ipsa se determinet, nõ tollit eius libertatẽ, nec minuit, sed potiùs auget, & perficit. Itaq; tale auxiliũ licèt determinet Voluntatẽ infallibiliter ad hunc actũ, non tamẽ tollit potentiã Voluntatis ad non elicere hũc actum, vel potẽtiã ad elicere oppositũ, & sic nõ tollit eius libertatem, quæ in eo consistit, vt positis omnibus requisitis, etiã ipso auxilio possit operari, & non operari, & possit operari hũc actũ & actũ oppositũ. Itaq; vt dicit D. Tho. 1. p. q. 22. art. 2. ad tertiũ, & de potentia, q. 3. art 7. ad 13. aliter Deus determinat causas naturales ad vnum, & aliter Voluntatẽ. Causas quidẽ naturales taliter determinat, vt non maneat in eis potẽtia ad oppositũ. Voluntatẽ autem determinat, potentiã ad oppositum relinquendo, quia vnũ quodq; Deus determinat iuxta naturã suam, necessaria necessariò, libera autẽ liberè: & sic dicitur Ecclesiastici 15. quòd hominem Deus reliquit in manu consilij sui. Prima pars conclusionis probatur primò Esther. c. 15. vbi dicitur de Assuero: Cumque eleuasset faciẽ, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, Regina corruit, conuertitq; Deus cor Regis in mansuetudinem, &c. Ecce qualiter ponit auxilium intrinsecum inhærens, quod vocamus physicum, ad actum liberum, præueniendo cor illius ad mansuetudinem; id enim nõ fecit, vt rectè explicat Augustin. tom. 7. lib. de gratia, & libero arbitrio, c. 21. & lib. de gratia Christi. c. 24. id (inquam) non fecit Deus solùm lege aut Doctore sonante forinsecus quæ sunt auxilia moralia, vt dicit ipse Augu. c. 10.) Sed id fecit interna, occulta, mirabili atq; ineffabili potestate: quæ vtique verba Augustini significant motionem physicã internam mouentem cor Regis; motio enim per auxilia moralia extrinseca non ita est mirabilis, vt ait Augustinus fuisse illam. Et Ezechielis 35. dicitur: Spiritum meum

2. Conc. *D. Tho.* *Eccles. 15.* *Esther. c. 15.* *D. Augu.* *Ezech. 38*

meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis: Hæc verba non intelliguntur de donis habitualibus Spiritus sancti, sed secundũ glossam interlinealem intelliguntur de donis actualiter datis, quando homo operatur, quia dona habitualia non faciunt vt operentur quando infundũtur, sed hoc habẽt auxilia ac dona actualia. De his etiã asserit, esse auxilia physica, vt patet in illo verbo, Ponã in medio vestri; & hæc dicit esse præuia, vt insinuatur in illo verbo, Faciam vt ambuletis, ambulare enim in præceptis, est adimplere illa: dicere autem, Faciã vt ambuletis, est dicere, motionem Dei esse præuiam ad operationem impletiuã præcepti. Ecce ergo, qualiter auxilium præuium physicum & efficax non tollit libertatẽ operationis impletiuæ præcepti. *D. Aug.* Videatur de hoc loco Augustin. lib. de gratia & libero arbitrio, c. 16. vbi dicit: Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit vt faciamus, super addẽdo vires ad nostrã Voluntatẽ, quibus efficaciter & infallibiliter operetur. Cùm autẽ vires Volũtatis sint physicæ, similiter & quæ superadduntur. Secũdò probatur cõclusio ex locis Cõciliorũ. Ex Tridẽti. sess. 6. *Trident.* Cano. 4. vbi dicitur, Si quis dixerit, liberũ hominis arbitriũ à Deo motum & excitatũ nihil cooperari assentiẽdo Deo excitãti atq; vocãti, quo ad obtinendũ iustificationis gratiã se disponat ac præparet, nec posse dissentire, si velit, sed velut ex anime quoddã nihil omnino agere, sed mere passiuè se habere, anathema sit. Ecce qualiter loquitur de actibus liberis, vt patet ex illis verbis, Posse dissentire si velit; & ad has operationes ponit auxiliũ præuiũ, & præueniens cõsensum Voluntatis; vt etiã concedit Suarez lib. 1. de auxilijs c. 10. nu. 5. & *Suarez.* lib. 3. c. 15. nu. 11. ponit etiam auxiliũ efficax, & de tali loquitur Cõciliũ; vt etiã cõcedit Suarez li. 3. de auxilijs, c. 9. Et ratione etiã patet, quia loquitur de auxilio inducente operationẽ, cùm dicat, liberũ arbitriũ cooperari aliquid tali auxilio. *Greg.* Ponit etiã auxiliũ physicum, & nõ solũ morale, vt etiã concedit Gregorius de Valẽtia 1. 2. disp. 8. q. 3. pũcto 4. c. de gratia efficaci, cõclusione 1. & patet ex illis verbis, Motũ & excitatũ. Ly excitatũ, importat auxiliũ morale extrinsecũ. Ly autẽ Motũ, importat auxiliũ physicũ intrinsecè receptũ; nõ enim mobile mouetur nisi per aliquid receptum in ipso. Ecce ergo secundùm Cõciliũ, qualiter auxiliũ physicũ efficax & præuiũ nõ tollit libertatẽ operationis. Etiam ex Cõc. Senonensi, decreto 15. vbi dicitur, Volũtatẽ humanã gratiæ præuenientis auxilio suffultã, & occulto secretioris inspirationis afflatu cõtactã sese conuertere in Deũ. Et Conc. Maguntino c. 7. de iustificatione, dicitur; Eidẽ gratiæ excitanti & adiuuãti cõsentiẽtes & cooperantes, &c. Ecce ponit auxiliũ excitans; quod est morale, & adiuuans, quod est physicũ, & illi dicitur cõsentire Volũtatẽ, vt significetur eius libertas. Et ex Conc. Arausicano, Canone. 24. vbi (occasione illius, Ioannis 15. Ego sum vitis, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multũ, dicit Conciliũ, Deũ influere in iustificatos, tanquã caput in mẽbra, & tanquàm vitẽ in palmites; & virtutẽ quam influit, semper antecedere, & cõcomitari. Ecce qualiter ponit ad opera libera motionẽ physicã; quia influxus capitis in membra, & vitis in palmites, physicus est: & similitudo non teneret, si concursus auxilij physicus non esset. Tertiò potest probari conclusio authoritate Sanctorũ, quæ cõgerit Zumel lib. 1. de auxilijs, disput. 5. conclusione 3. & Cabrera vbi suprà. Quartò probatur ratione. Voluntas se ipsam efficaciter & physicè applicat, & determinat ad actus liberos; quia aliàs intelligi non potest, qualiter physicè eliciat operationẽ liberam, ad quã erat indifferens: sed hoc nõ facit Voluntas vt prima causa, sed vt secũda; quia nostra Voluntas nõ est primũ liberorũ, sed secundũ: ergo quãdo liberè operatur, operatur physicè, præmota à primo libero, quod est Deus. Patet consequentia; nã hęc est natura secũdæ causæ, vt à prima moueatur; quia aliàs non esset secunda, sed prima: ergo qualiter fuerit causa secunda, debebit moueri à prima: si ergo causa secũda est physica & physicè operans, physicè debebit moueri à prima causa, iuxta naturã tamen ipsius causæ secundæ; vt si causa secunda est naturalis, physicè moueatur à prima; vt naturaliter operetur: si autẽ causa secunda fuerit libera, physicè moueatur à causa prima libera, vt liberè operetur; in hoc enim cõsistit esse primã causam, vt cõcursus eius intimè imbibatur in concursu cuiuscunq; causæ secũdæ, se ipsam attẽperãdo; vt dũ in concursibus aliarũ causarum imbibitur, naturã & distinctionẽ illarũ nõ destruat, sed seruet. Quintò probatur, & cõfirmatur præcedens, nã Deus habet omnipotentiã physicam ad inclinandũ Volũtatem liberè in obiecta repræsentata sub indiffe

Conc. Seno. Conc. Magnu.

Cõc. Arau. Ioan. 15.

Zumel. Cabrera.

differentia, & non sub omnimoda ratione boni; sed hanc potentiam non potest exercere nisi per auxilia physica eficacia, quæ huiusmodi indifferentiam obiecti re præsentatam in iudicio non tollunt: ergo auxilia physica non destruunt libertatem.

D. Augu. Maior probatur ex D. Augustt.tom 7. lib. de correctione & gratia, cap. 14. vbi post quàm multa dicit de omnipotenti potestate Dei ad inclinandum Voluntatem infallibiliter quò ipse voluerit, in fine capitis ait, quòd Deus magis habet in sua potestate Voluntates hominum, quàm ipsi suas. Hoc autem verum nõ esset, si Deus supra Voluntatem humanam, omnipotentiam physicam non haberet; quia homo supra suam Voluntatem etiam potestatem physicam habet: & hoc etiam pertinet ad plenissimam potestatẽ Dei supra hominem, vt non solùm moralem, sed etiam physicã potestatem habeat. Minor verò probatur, quia per auxilia moralia solùm exercet Deus potentiam moralẽ: ergo vt exerceat potentiam physicam, hoc debet facere per auxilia physica. Sextò probatur, nam gratia inhærens animæ, secundùm quòd habet rationem auxilij, determinat efficaciter Voluntatem ad primum actum

D.Tho. Caiet. Suarez. contritionis, vt docet D. Thom. & Caiet. 1.2.quæst.113.ar.8.ad 2.quod & concedit Suarez tomo 4 tertiæ partis, disputatione 4.sectione 7.nume. 8. Et tamen talis actus est liber: ergo auxilium physicum efficax non tollit libertatem. Vltimò probatur. Dona Spiritus sancti sunt aliquid physicũ & reale inhærens, & tamẽ dantur ad actus liberos: ergo quod auxilium sit physicum & inhærens, non tollit libertatem. Maior

Ad Ro. 8. est D. Tho. & glossæ super illud ad Rom. 8 Quicunque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei, dicit enim D. Thom. quod agi à Spiritu Dei, est plusquam regi & gubernari ab illo, est enim, interiùs moueri, impelli & inclinari ad aliquid agendum per instinctum Spiritus sancti: ad hoc enim ponuntur dona; vt ad eorum actus simus bene mobiles motione physica & efficaci Spiri

D. Aug. tus sancti. Minor verò probatur ex Aug. tom. 1. serm. 13. de verbis Apostoli, & probatur ab ipso ex verbis sequẽtibus D. Pau

D. Thom. li: Non accepistis Spiritum seruitutis, sed Spiritum filiorũ Dei: Vtiq; (dicit D. Tho. 3. contra Gent. c. 22.) non spiritum seruitutis, quia seruus nõ agit liberè quod vult, sed spiritum filiorũ, quia filius liberè agit. Secunda verò pars conclusionis probatur etiam ex concilio Senonensi in decreto Fidei, vbi diffinitur, prædictã gratiam libero arbitrio non præiudicare. Et ex concilio Carthaginensi; Epistola ad Innocentium, vbi ait, ipsam gratiã nostræ Voluntatis liberum facere arbitriũ. Et ex D. Aug. Epistola 89. dicente, Voluntatẽ tanto esse magis liberã, quantò fuerit prædictæ gratiæ magis subiecta. Et lib. de correctione & gratia, c. 8. ait, quòd Volũtas coniuncta gratiæ, consequitur libertatẽ. Et D. Prosper contra Collatorem, c. 38. docet, opitulationes diuinæ gratiæ, stabilimenta esse Volũtatis humanæ. Secundò probatur ratione, quia omne inferius essentialiter subordinatum alicui superiori, perficitur ex coniunctione ad illud; vt docet D. Tho. 2.2.q. 2.art. 5 sed liberum arbitriũ, cùm sit secundum liberum, subordinatur essentialiter Deo, vt primo libero: ergo perficitur ex coniunctione ad illud per motionem & auxiliũ. Tertiò probatur. Per hoc quòd Voluntas se ipsam determinet, non minuitur eius libertas, sed potiùs exercetur, & sit in actu, quæ tantùm erat in potentia. ergo similiter per hoc quòd à Deo physice & efficaciter moueatur. Patet consequẽtia, quia magis est Deus supra ipsam Voluntatem sine læsione propriæ naturæ, quàm sit ipsa Volũtas supra se ipsam, vt supra diximus.

Concil. Senonense. *D. Augu.* *D. Prosp.* *D. Thom.*

Ad primũ argumentũ à principio respondetur, bonã esse solutionem ibi datã, nam distinctio de sensu cõposito & diuiso, est D. Tho. 1.p.q.23.art.5.ad tertiũ, vbi ait, quòd quãuis non possit simul stare cũ diuina voluntate defectus & actus contrarius, tamen potentia deficiendi & actus cõtrarij, simul constat cum diuina voluntate; non enim sunt ista impossibilia, Deus vult istũ saluari, &, Iste potest dãnari. Idem docet.q.6.de veritate.ar.3.ad 7.& 8. & 1.2.q. 24.art.11.vbi ait, quòd si Charitas consideretur ex parte Spiritus sancti mouẽtis animã, Charitas impeccabilitatẽ habet; quia Spiritus sanctus infallibiliter operatur quodcũq; voluerit; vnde impossibile est, hæc duo esse vera, quòd Spiritus sanctus velit aliquẽ mouere ad actũ Charitatis, & quòd ipse amittat Charitatẽ per actũ cõtrariũ peccati Itaq; esse necessariũ actum, ad quẽ Deus mouet in sensu cõpositõ, nõ verò in sensu diuiso, est dicere, simul starenõ posse actũ ad quẽ Deus mouet, & actũ cõtrariũ; nec simul Dei motionẽ efficacẽ, & actũ cõtrariũ illius, ad quẽ mouet; bene autẽ possunt simul stare potentia ad actum

Ad.1.arg. *D.Tho.*

ad quem

ad quem Deus mouet,& potẽtia ad actum cõtrarium;& similiter simul stare possunt diuina motio efficax,immò & actus secundus ad quem mouet,ex vna parte,cum potentia ad actum contrarium ex altera: Sicut (verbi gratia)albedo & nigredo simul non stant in subiecto,& stare,est impossibile,potentia tamen ad albedinem & nigredinem,simul est in subiecto,immò & cum albedine in subiecto simul est potentia ad nigredinem; itaque simul est potentia ad esse nigrum & album diuisiuè ex parte albedinis & nigredinis,licèt complexiuè ex parte potentiæ ad albedinem & nigredinem;nunquàm tamen est potentia ad hoc vt simul sit albedo & nigredo.Ex quo colligitur, distinctionem de sensu composito & diuiso, non esse interpretandam vt contrarij volunt,quòd sensus compositus sit,stante auxilio & motione in subiecto, sensus verò diuisus sit, separato auxilio & motione à subiecto: Hæc enim intelligentia falsissima est;non enimponimus solùm potentiam ad actum contrarium,separato auxilio,sed etiam stante & inhærente,quia hoc docet Concilium,quòd liberum arbitrium motum & excitatum potest dissentire:vbi supponit,quòd stante motione & excitatione, manet potẽtia ad contrarium actum &dissensum:sicut diximus de albo, quòd non solum habet potentiam ad nigredinem separata albedine, sed etiam illa inhærente, remanet potentia ad nigredinem. Quapropter nescio qualiter Suarez lib. 3. de auxilijs capit. 6. non contradicat Concilio, dicens quòd non solùm cum prædicto auxilio nunquam coniungendus est dissensus,sed neque simul cum auxilio manere potentiam ad dissentiendum:& Lorca 2.2.disput.21.de gratia, in fine,vbi ait,quòd homo non potest resistere auxilio efficaci, potest tamen operari oppositum eius ad quod mouet tale auxilium:Non enim bene loquitur iuxta Concilium;quia dissentire, resistere est; immò maior resistentia esse non potest,quàm facere oppositum: si ergo Concilium dicit, quòd potest dissentire, & ipse Lorca concedit quòd potest facere oppositum,qualiter asserit, quòd auxilio efficaci resistere non potest? Maneat ergo,quòd etiam stante & inhærente auxilio in subiecto,manet potentia ad oppositum,& ad dissensum,& ad resistentiam auxilij, licèt non per hoc, quòd stante efficacia in sensu composito, stet oppositum.Per quod respondetur ad quoddam friuolum argumentum, quod est huiusmodi. Nam si manente auxilio, est potentia ad oppositum, talis potentia ponetur in esse;quia posito in esse,nullum sequitur inconueniens; posito autem in esse,erit simul actus oppositus & efficacia auxilij:hoc autem est impossibile secundùm Thomistas: ergo etiam quòd manente auxilio maneat potentia ad oppositum.Respondetur,quòd illa potentia potest poni in actu in sensu diuiso,destructo auxilio, non autem in sensu composito, dum ipsum manet: sicut diximus de albo, quòd manente albedine manet potentia vt ponatur nigredo;vt ponatur(inquam)destructa albedine,non autem vt ponatur albedine manente. Si ergo distinctio sensus compositi &diuisi,manente forma in subiecto, habet locum, restat explicare,qualiter hoc sit intelligendum.Vnde dicimus, quòd sensus compositus est, quando in propositione reduplicatur forma; sensus verò diuisus, quando tantùm specificatur; vt patet in exemplo albi: hæc enim propositio,Album potest esse nigrum, in sensu diuiso est vera; quia tantùm specificatur forma albedinis,& facit sensum,quòd subiectum quod est album, habet potentiam ad esse nigrum; in sensu verò composito est falsa,quia reduplicatur albedo,&fit sensus,quòd in quantum habet albedinem,est in potentia ad nigredinem: quod vtique falsum est,vt patet ex exponenti vna reduplicatiuæ,quæ ista est; Et quia albedinem habet,est in potentia ad nigredinem; Hoc (inquam)falsum est;quia subiectum albedinis non habet potentiam ad nigredinem ab ipsa albedine. Ita ergo similiter in nostro casu,in sensu composito auxilij, Voluntas non potest facere oppositum; hoc est,reduplicando auxilium, quia falsa est causalis exponens quòd potentia ad oppositum actum proueniat ab auxilio vt à causa; quia auxilium potiùs determinat ad hunc actum cum impossibilitate componendi simul actum contrarium, licèt hoc faciat sine destructione libertatis & potentiæ ad actum contrarium, quæ alias erat in subiecto; vnde in sensu diuiso propositio est vera,quòd stante auxilio, potest facere opposita;quia tantùm specificatur forma auxilij in subiecto, per cuius positionem potentia ad oppositum in subiecto non destruetur. Quapropter Concilium Tridentinum dixit, quod arbitrium motum & excitatum potest dissentire; quod vtiq; tantùm

Impugna. Suarez.

Lorca.

tantùm est specificare formam auxilij in subiecto, & facere sensum diuisum; non autem dixit, quòd in quantum motũ potest dissentire, quia hic esset sensus cõpositus & falsus. Ad replicam ergo positam in argumẽto aliqui dicunt quòd in sensu composito, in quo actus est necessarius, non est liber; quia necessarium & contingens opponuntur, & cõsequẽter vnũ dicit negationem alterius: si ergo in sensu cõposito est necessarium, in sensu cõposito non est contingens, & cõsequenter in sensu cõposito non est liberũ; tenet enim â negatione superioris, ad negationem inferioris; quia liberum inferius est ad cõtingens. Nec est incõueniens, non esse liberum in sensu composito, quia hoc tantum est secundũ quid, absolutè, tamẽ manet liber & magis liber; bene enim potest libertas augeri absolutè, licèt nõ fit secũdũ quid in aliqua cõsideratione, vel reduplicatione; quod quidem non cõducit vt ratio meriti vel demeriti diminuatur, quia hæc ratio non respicit sensum cõpositũ, sed absolutũ: vnde si absolutè est liberũ; absolutè est meritoriũ vel demeritorium; quia etiã ille actus in quantum est in homine nigro non est meritorius, vel demeritorius, & non propterea fit minùs meritorius vel demeritorius; quia non in ordine ad quẽcunque sensum cõpositum debet habere rationem meriti vel demeriti, vt absolutè sit meritorius vel demeritorius. Doctrina tamen prædict a intelligẽda est de libertate in actu primo; cùm enim auxiliũ efficax supponat libertatẽ, in actu primo illã causare nõ potest, quia prius non dependet à posteriori; non tamen intelligitur de libertate in actu secũdo; auxiliũ enim efficax est præuium ad actũ secũdũ, & sic libertatis eius potest esse causa. Nec huic contradicit, quód auxiliũ determinet ad vnũ, quia determinatio ad Vnũ in actu secundo præcedente ex principio indifferẽti, non tollit libertatẽ actus secũdi; cũ enim auxiliũ sit participatio libertatis Dei in actu secũdo, bene potest determinare actũ secùdum liberè, & iuxta naturã ipsius actus secũdi procedẽtis liberè ex principio indifferenti, quod fortè erit explicare radicem solutionis sequentis. Secundò respondetur comunius & clariùs ex notabilibus positis, quòd licèt in sensu cõposito Volũtas maneat determinata ad hunc actũ, nihilominus etiã in sensu cõposito manet libera ad illum; quia illa determinatio nõ est in actu primo Volũtatis tollẽs indifferẽtiã iudicij & potentiã advtrũque, sed est determinatio in actu secundo; quæ determinatio cùm nõ tollat indifferentiã iudicij, nec potentiã in actu primo advtrũque, non tollit libertatẽ: non solùm non tollit libertatem actus primi, sed nec libertatem actus secũdi; quia libertas actus secundi tantùm est cum indifferentia obiecti quod respicit, & cum determinatione actus & exercitij illius; quia hoc denotat actus secũdus, vt determinatè fiat hìc & nunc in exercitio. Cùm ergo auxilium, etiã in sensu composito, tantùm ponat determinationẽ exercitij actus, non autẽ determinationẽ obiecti talis actus, sed relinquat illud propositũ cum indifferentia, ideò auxilium etiã in sensu cõposito non tollit libertatẽ etiã in actu secundo; sicut quando ipsa Volũtas se determinat ad hîc & nunc operandũ, nõ amittit libertatem, nec in actu primo, nec in actu secundo ex tali determinatione; quia talis est determinatio in exercitio actus, quòd potiùs est exercere libertatẽ, quàm illam amittere, cùm ex tali determinatione non auferatur indeterminatio obiectiua. Et si contra arguas, q Voluntatẽ se ipsam determinare, non est contra libertatẽ; quia est determinatio in trinseca ipsius liberi, & cõsequẽter exercitiũ ipsius libertatis; determinari tamen etiã in actu secúdo à Deo, est determinari ab extrinseco, & sic talis determinatio videtur cõtradicere libertati: Respondetur, quòd quando Volũtas se ipsam determinat, nõ se determinat vt primũ liberũ, sed vt secũdũ liberũ, vnde in eo quod est se ipsam determinare; imbibitur non extrinsicè, sed intrinsecè determinatio primi liberi, videlicet Dei, per auxiliũ determinantis Voluntatẽ vt secundũ liberum: vnde si determinatio propria libertatis nõ prẽiudicat ipsam, ita nec determinatio Dei, sine qua propria determinatio Volũtatis esse nõ potest, vt acutissimè ostendit D. Th. 1. p. q. 105. ar. 4. & q. 83. ar. 1. ad 3. & de potentia, q. 3. ar. 7. ad 12. & 3. contra Gent. c. 90. Quia determinatio Dei (inquit D. Tho.) est vt primi liberi determinatis secũdum iuxta propriã naturã, & facientis vt secundũ liberum se determinet per consilium, & deliberationem: si ergo determinat medio proprio consilio & deliberatione, determinat liberè, quia hoc est liberè agere ex consilio

Ad replic.

Obiectio.

Solutio.

D. Thom.

& deliberatione, Itaque sicut ex eo quòd Deus sit Dñs omnium, non tollitur dominium nostrum, quia illud est dominiũ primum, istud verò secũdum; & sicut ex eo quòd faciat opera nostra, non tollitur vt nos eadẽ faciamus, sed iuxta dicta facit vt faciamus: ita determinatio primi liberi non tollit determinationem liberam secundi liberi: de qua ratione videatur D. Prosper. lib. contra Collatorẽ, c. 38. Ad rationẽ autem in contra positã in præcedenti solutione, quòd si in sensu composito est necessariũ, qualiter vt sic potest esse liberũ & contingens, cùm necessarium & cõtingens opponantur: Respondetur ex D. Tho. 1.2.q.112.ar.3. quòd necessarium sumitur dupliciter: primò pro necessitate infallibilitatis, secundò pro necessitate coactionis. Quod aliter solet dici, necessariũ aliud esse cõsequentię aliud verò consequentis. Suppositio ergo auxilio, actus est necessarius, non necessitate coactionis, vel consequẽtis, sed necessitate infallibilitatis & consequentiæ, quatenus simul cum auxilio infallibilis est actus bonus, & nullo modo stat esse cõtrarium: necessarium ergo cõsequentis, vel coactionis opponitur contingenti, & sic non stat cũ libero, necessariũ verò consequentiæ, & infallibilitatis nõ opponitur contingenti; vnde stat simul cum libero, quatenꝰ licèt infallibiliter sit talis actus, adhuc tamen manet potentia indifferens ad oppositum, vt dictum est: & sic debẽt intelligi loca sacræ Scripturæ & Sanctorum, quando dicitur, diuinæ voluntatis
Esther. 14. nostrã non posse resistere, vt Esther 14. Non est qui tuæ possit resistere voluntati. Et Ioannis 12. Non poterant credere,
Ioan. 12. quia Esaias dixit: Excæca cor populi huius. Tantùm enim intendunt infallibilitatem effectus, non autem quòd in nobis non sit libertas ad oppositum.

Corol. Ex dictis sequitur, quàm falsa sit sentia Ocham in primò, dist. 28. & in quodlibetis. q. 16. quem sequitur Gabriel etiam in primo, distin. 38. q. 1. dicit enim, quòd res quando est, pro illo instanti non po-
Impugn. Senten. test nõ esse. Hęc (inquam) sentẽtia falsissima est, sequitur enim ex illa, quòd nulla propositio vera sit cõtingens, nec possit esse cõtingens pro illo instanti quo est vera; nam si, vt dicit Ocham, pro instanti
Ocham. Gabrielis. quo loquor, non possum non loqui, non erit cõtingens, sed necessaria propositio dicere, Ego modò loquor. Sequellã cõcedit Ochã, quòd pro tẽpore quo est vera propositio, est necessaria: dicit tamẽ, esse propositiones cõtingentes per hoc, quòd postquã propositio est vera, vel antequã fuisset vera, potuit esse falsa. *Solutio.* Contra tamen argumentor, quia si pro tunc, quando est vera, non est cõtingens sed necessaria, & non potest non esse vera, similiter quando est falsa, siue anteà, siue post, etiã non poterit pro tunc esse vera, & sic nunquàm assignabitur quãdo sit cõtingens *Impugn.* ad esse verã, vel falsam. Et similiter sequeretur, quòd quãdo Deus creauit mundũ, pro illo instanti necessariò creauit, quod videtur absurdũ. Ista non reputat inconuenientia Ocham; sed certè tanquã maxima inconuenientia intulit Arist. 9. Me- *Arist.* taph. text 5. contra quosdã Philosophos Megaricos; dicebãt enim, quòd nihil potest esse nisi quando est, nec non esse, nisi quãdo non est, quod tanquàm absurdissimũ reputat Arist. & hæc eadem videtur sententia Ohã, quòd quando non loquor, non possum loqui, & quando loquor, nõ possum non loqui, & hæc & alia argumẽta facit contra Ocham Greg. in 2. dist: 5. *Greg.* Nam sequeretur vlteriùs, quòd Deus nõ potuit creare mundum ab æterno: nam quando non creat, nõ est verum secundũ Ocham, quòd potest creare: sed ab æterno nõ erat: ergo ab æterno nõ potest creare. Itẽ sequeretur, quòd nunquàm aliquis peccaret, nã antequàm operetur (v.g. odium Dei) nõ peccat, quia quando operatur, necessariò operatur: ergo nõ peccat, quia necessarijs nõ demeremur. Respon- *Solutio.* det Ochã, quòd peccat, quia antequàm operaretur, poterat, & tenebatur euitare. *Impugatio.* Contra tamen argumẽtor, quia antequã operetur vel tenebatur euitare, vel non. Si nõ tenebatur: ergo tunc antequã operaretur nõ peccauit, quia tunc nõ tenebatur euitare quod non eliciebat: quãdo autẽ iã operatur, necessariò operatur: ergo nunquã peccabit. Si verò dicas, ꝙ antequã operetur, tenebatur, & non quando operatur. Tunc sequitur, ꝙ peccauit ante operationẽ odij, & nõ quãdo operatur illud: sicut ebrius nõ peccat propriè quãdo ebrius, sed ante ebrietatẽ, quãdo tenebatur illã vitare. Itẽ sequeretur, ꝙ Petrus per totã horã est liber ad loquendũ & nõ loquendũ, & pro nullo instanti est liber, sed pro quolibet instanti necessariò operatur vel non operatur. Item non esset differentia inter motus primo primos. &

deli-

deliberatos;nam vterque pro instanti in quo est,est necessari⁹.Sed dices, Si sentẽ tia Ocham nõ habet verum,qualiter stat propositio Arist. quòd omne quod est, quando est,necesse est esse: Ad hoc dicit Greg.loco citato;& Scot⁹ in primo dist. 39.q.1.quòd illa propositio potest sumi dupliciter;vel in sensu cathegorico , vel hypothetico.In cathegorico facit hũc sẽ sum;Omne ens est,quando est,vel omne ens est si est: vbi totum illud ens si est,vel ens quando est , fit prædicatũ , & sic talis propositio est vera quia illa est necessaria,Omne ens est quando est;nam etiam destructo mũdo,subiectũ supponit pro Deo,& prædicatũ pro eodẽ; sumitur au tem hypotheticè illa propositio in sensu vnius conditionalis , & tunc dupliciter; vel in sensu cõposito; vel in sensu diuiso. Primo modo Si ly Necessariũ,feratur in totã consequentiam,vt sit sensus,Hęc cõ sequentia est necessaria,Si omne ens est, omne ens est;& sic etiã est vera , nam illa cõsequentia est bona. Sumitur autem in sensu diuiso , vt ly Necessariò , teneat se incõsequenti; vt sit sensus,Dequocunq; ente est verũ dicere,quòd si est , necessariò est;& talis sensus est falsus;nam de en te contingenti illa consequentia non valet,Si hoc ens est , hoc ens necessariò est; & sic dicunt isti,quod Arist. loquitur in duobus sensibus prioribus.Sed certè nõ est necessariũ ad hæc figmenta attẽdere, sed dicimus,quòd intentio Arist.tantum est statuere differentiã inter propositio-nem veram de præsenti;& verã de futu-ro.Si autem esset vera intelligentia Scoti,nulla esset differentia; quia sicut verũ est dicere,Omne ens est quãdo est,ita es-set verũ, Omne ens erit quando erit; & sic dequocunque ente,siue prẽsenti,siue futuro,illa consequentia esset bona & ne cessaria; de præsenti quidem , si hoc ens est,hoc ens est ; & ita de futuro esset bo-na,Si hoc ens erit,hoc ens erit. Item quia intelligere,vt Scotus,est nihil dicere ; nã tantumdem valeret , Omne ens quando est,necesse est esse;sicut dicere. Impos-sibile est in sensu composito rem simul es-se,& non esse;&tunc idem est de futuro, quòd impossibile est rem fore , & non fo re.Dicendum ergo iuxta ea quæ dici so-lent 1.p.q.14.art.13. & iuxta quæ dixi-mus in hoc dubio , quòd illic Necessariũ sumitur pro determinato; Vnde in hoc ponit differentiã à propositione de futu ro:vnde dicitur, quòd propositio deter-minatè vera est illa;quę taliter est vera,ꝙ licèt possit nõ esse vera , nõ tamẽ potest non fuisse vera;quia dũ Petrus loquitur, potest non loqui;nõ tamen potest nõ lo-quutus fuisse; quia in quocũque instanti cessauerit loqui , iam est loquutus; & in hoc stat differentia à propositione de fu turo,quæ taliter est vera,ꝙ potest non es se vera,nec fuisse;quia si ante quàm eue-niat determinetur oppositũ,iam nec est, nec erit vera ; vnde veritas eius non est determinata.Notandũ tamen,aliud esse, veritatẽ esse determinatam, & aliud,esse immutabilẽ.Veritas enim propositionis cõtingentis de præsenti determinata est, vt diximus,nõ tamen immutabilis; quia potest cessare pro quocũq; instãti ; quòd autem sequatur operatio stante auxilio, non est quid determinatum vtcũque,sed cũ immutabilitate:quia scięntia &Dei vo luntas quã exequitur auxilium efficax, est immutabilis , vnde maior est hæc ne-cessitas,quãm quòd res sit dum est.

Greg. Scotus.

Ad secundum aliqui respondent , auxilium efficax,non esse omnino antece-dens nostram libertatẽ,quia ex parte Vo luntatis dependet à quadam dispositione negatiua libera,videlicet ab eo ꝙ Volun tas non reluctetur,sed sinat se moueri ab auxilio;vnde tale auxilium efficax non lædit libertatem,quia liberè negatiuè an tecedit libertas.Ita Belarm.lib.4.de gra-tia & libe.arbitrio,cap.16. Alij vero di-cunt,tale auxilium non esse omnino an-tecedens;quia licèt actus liberi sequantur ad tale auxilium in genere causæ efficiẽ-tis; tamen in genere causæ materialis a-ctus liberi antecedunt: & hoc ideò di-cunt,quia existimant, quòd auxilium ef ficax,præter vocationem,& alia extrin-seca auxilia moralia, non important in-trinsecum nisi gratiam habitualem , & cæteras virtutes. Verum est autẽ , quòd gratia , licèt in genere causæ efficientis, præcedat actus liberos , in genere tamen causę materialis actus liberi præcedunt. Ita Valẽtia 2.2.disp.7.pũcto.1.§.de gra-tia efficaci,propositione 4.&. 5. Alij di-cũt,auxiliũ efficax nõ distingui ab ope-ratione Volũtatis,sed esse eadem prout à Deo,& cõsequenter sicut operatio Volũ tatis nõ necessitat illã, ita nec auxiliũ ef-ficax,quod est ipsa operatio.Ita Lorca.1. 2.disp.21.de gratia.Sed certè isti modi in sufficientes sunt. Primus quidem, quia

Ad 2.arg. 1.Solut. aliquorum

Belarm. Solutio.2. Valentiæ.

Solutio. Lorca.

Impugn. 1. Solut.

illa dispositio negatiua, vel est ab auxilio, vel non. Si primũ, iam auxilium omnino est antecedens; cum & ipsa dipositio negatiua sit effectus eius; & sic restat soluendum argumentum, qualiter auxilium non necessitat, cùm omnino antecedat quodcunque se tenens ex parte Voluntatis. Si secundùm, est contra D. August. lib. de correctione & gratia, cap. 11. vbi dicit, auxilium tribuere Volũtati vt velit; quod vtique est tribuere vt non resistat; per hoc enim quòd vult, nõ resistit. Et lib. de prædestinatione Sanctorũ. c. 8 dicit, auxilium efficax esse, quod à nullo corde duro respuitur; ideo enim datur, vt cordis duritia auferatur, & ex corde lapideo fiat cor carneũ: ergo mollities & nõ resistentia cordis, est ab ipso auxilio. Et certè aliàs esset reducere progressum iustificationis ad vires naturales liberi arbitrij, si tandè efficacia auxilij reducitur ad non resistentiã habitã ex vi Voluntatis.

Suarez. Impugnat. 2. Solut. Vide circa hoc Suarez lib. 1. de auxilijs. c. 9. num. 6. & lib. 3. c. 13. num. 7. Secũdus modus dicendi etiã est insufficiens; auxiliũ enim efficax supponendũ est ex alibi disputandis, esse quid distinctũ à gratia habituali & virtutibus; vnde per hoc nõ soluitur argumentũ. Tertius etiã insufficiens est, quia licèt auxilium non distinguatur ab operatione, nihilominus erit ipsa operatio, prout à Deo & prout natura antecedit ipsam operationẽ Volũtatis, prout operatio Volũtatis est; & sic restat soluendũ argumentũ, qualiter si est antecedens omnimodo libertatẽ, nõ destruat illam. Respondetur ergo, solutionẽ datã inter arguendum, esse bonam, quòd licèt auxilium in esse formæ receptę omnino sit antecedens, & indepẽdens à libero arbitrio; in ratione tamen principij actiui non est sine actu liberi arbitrij; non quia actus arbitrij antecedat, sed quia non intelligitur esse principium actiuum, nisi per hoc quòd actionem liberam in Volũtatem inducat vt proprium effectum, per necessariam & infallibilem consequẽtiam non tollentem libertatem; quia, vt dictum est, licèt infallibiliter consequatur, tamen iuxta propriam naturam libere; quia illa necessitas est consequentiæ non consequentis; vnde licèt pro aliquo priori antecedat auxilium, non tamẽ præcedit determinãdo ex parte actus primi; quod deberet facere determinando iudicium; sed præcedit determinando ex parte actus secundi, quod libertatem non destruit: quia licèt pro illo priori non intelligatur actus secundus completus & perfectus, intelligitur tamen initiatus & inchoatus: Vnde etiam pro illo priori intelligitur talis determinatio auxilij, vt determinatio actus secundi incipientis & inchoati. Ad replicã autem ibi positã respõdetur, sufficere necessitatem consequętię & infallibilitatis effectus, vt possit Deus certò illum cognoscere in determinatione suæ Volũtatis, & incollatione auxilij efficacis, licèt ex tali auxilio libere consequatur effectus.

Impugatio. 3. Solut.

Vera Solut.

Ad tertium argumentũ respõdetur, Voluntati Dei efficaci nõ posse resisti in sensu cõposito; bene tamen in sensu diuiso, vt explicuimus. Itaque non stat simul cũ auxilio actus oppositus, bene tamẽ potentia ad oppositũ; vnde cũ auxilio stat simul libertas. Ad omnes cõfirmationes respõdetur, in illis casibus illa dici simpliciter necessaria necessitate coactionis, quia non manet potentia ad oppositum, sed ponitur omnimoda determinatio: cũ autem cum auxilio maneat potentia ad oppositum, non est similis necessitas, sed solùm infallibilitatis, vt dictum est. *Ad 3. arg.*

Ad quartũ bene respõsum est ibi. Ad replicã dicitur, quòd si auferetur indeterminatio voluntatis in actu primò, auferretur libertas, sicut auferetur per ablationẽ indifferentię iudicij, quia tamen, vt dictũ est, per auxilium efficax tantùm tollitur indeterminatio in actu secũdo, quo ad exercitium, ideò non tollitur libertas, quia de illius ratione nõ est indifferentia in actu secundo, sed potius determinatio actus secundi est exercitium ipsius libertatis, vt diximus. *Ad 4. arg.*

Ad cõfirmationẽ respondetur, necessitatẽ quoad specificationẽ circa bonum in cõmunni, esse omnimodam in illo genere, quia non manet potentia in illo genere ad oppositũ; quia tamen in exercitio, non obstante determinatione exercitij, manet potentia ad oppositũ, propter indifferentiam obiectiuã, manentem etiam cum determinatione exercitij; ideò absolutè cùm auxilio manet libertas. *Ad cõstr.*

Ad quintũ respondetur, illã consequẽtiam esse bonã propter infallibilitatem, non propter omnimodam necessitatem; vnde propterea dicitur necessitas consequentiæ, quia vt consequentia sit necessaria, sufficit vt nõ sit potentia, vt simul po- *Ad 5. arg.*

natur

natur in actu veritas antecedentis & falsitas consequentis,licèt absolutè sit potẽtia ad falsificandũ consequens; vnde non est necessitas consequentis. Ad primam confirmationẽ,Caiet.1.2.q.111.ar.2.dicit,actus gratiæ operantis posse esse liberos. Melius tamen dicitur, illos esse omnino necessarios, quia gratia operans nõ solùm in ratione formæ, sed etiam in ratione principij actiui est omnino antecedens,tenẽs se ex parte Dei; & volũtas tãtùm se habet vt mota in ordine ad illos actus,prout super naturales sunt,& dispositiones ad gratiam habitualẽ, licèt aliàs tales actus secundùm substantiam vitalitatis naturalis,sint ab ipsa Volũtate: qua ratione dicit Concilium,non merè passiuê se habere ad iustificationem.

Caiet. Ad 1.Conf.

Ad 2.Conf. Ad vltimã confirmationem respondetur,quôd etiam motus primo primi sunt necessarij & naturales simpliciter, quia nulla est in eis indifferentia iudicij; quapropter pro tunc nulla est potẽtia ad oppositum. Et ex hoc patet,quid sit dicendũ de necessitate Sũmi Pontificis ad diffiniendũ veritatem in rebus Fidei;dicendum est enim,quòd vel ratione auxilij efficacis infallibilis infallibiliter determinat veritatem,licèt liberè: vel dicendum, quòd licèt sit liber quo ad execitium, est tamen necessitatus quoad specificationẽ,quia nulla potest ei apparere ratio boni indiffiniendo oppositum: vnde quia iudicium quoad specificationem omnino est determinatũ, ideò necessitas diffiniendi veritatẽ,est necessitas simpliciter.

DVBIVM II.

Vtrùm Voluntas non solùm sit libera ad eliciendum actum, sed etiã ad continuandum illum. Quod aliter solet proponi, vtrum actus Voluntatis necessariò debeat durare per tempus, etiam si liberè fuerit inceptus.

IN hac re Gregorius in primo,dist. 38. ar.2.& in 2.dist.4.&.5.q.vnica, respõsione ad 4.tenet,quôd in omni actu Voluntas licèt liberè inceperit,necessariô,tamen debet continuare per tempus.

1.Senten. Grego.

Secũda sentẽtia est, q̃ licet Voluntas Angelica,vel humana in anima separata possit durare tãtũ per instãs in sua operatione,& sic sit libera etiam ad cõtinuãdum actũ per quodcunq; tẽpus;tamen Voluntas humana in anima cõiuncta corpori,& pro hoc statu necessario debet durare per tẽpus aliquod. In hoc tamen differt â Greg.quòd ille dicit,necessitari Voluntatẽ etiã in omni statu ad continuãdũ actũ per aliquod tẽpus determinatum, v.g.per millesimam partẽ horæ. Ista verò sententia solùm ponit necessariam continuationẽ actus pro hoc statu, & istam non pro tẽpore determinato, sed indeterminato,ita vt quocunq; signato pro minori,potuerit tãtũ durare;vnde pro quolibet tempore determinato est libera Voluntas incontinuando actum.

2.Sent.

Tertia sententia est omnino negans pro quocunq, statu esse necessariam continuationem,sed posse tantum per vnicũ instans durare, & liberè continuare per quodcunque tempus, siue determinatũ, siue indeterminatum. *3.Senten.*

Quarta sententia est,quam explicabimus in conclusionibus. *4.Senten.*

Pro cuius intelligentia,Notandum,q̃ de actibus Voluntatis possumus loqui dupliciter, vel regulariter,vel secundùm propriã naturam actus,secundùm ea quę requirit;siue secundùm se inquocunque statu,siue secundùm ea quæ requirit pro hoc statu.Item notandũ, quòd actus Volũtatis potest desinere esse dupliciter.Primò per solam cessationem actus: secũdò per aduentum actus contrarij. *Not.1.* *Not.2.*

Prima cõclusio.Actus Volũtatis secũdũ se & ex propria ratione,siue in Angelo,siue in anima separata, siue in cõiũcta corpori,pro isto statu non necessariô requirit tẽpus determinatũ.Probatur primò.Sit casus,quôd Voluntas eliciat actũ in instãti A. & quôd secũdùm Gregoriũ debeat continuari necessariô vsq; ad instans,C.tunc in instãti C. tanta est difficultas,quòd corrũpatur,sicut in interme dio tẽpore inter A.& C.ergo si in medio tẽpore non potest corrũpi secundũ Gregorium,nec corrũpetur in instãti C. Antecedens probatur, quia suppono quòd in instãti C.actus sit ita intensus sicut an teà;immò per continuationẽ potest esse tunc intẽsior.Et supono etiã, quòd Voluntas eodẽ modo tunc se habeat, Ergo tanta erit tunc difficultas vt corrũpatur, & consequenter si tunc non potest corrũpi, durabit etiã post instans C. & per aliud tẽpus determinatum, & tunc deter *1.Concl.*

minato tali tẽpore faciam idem argumentũ,& sic nunquàm dabitur quando talis actus posit corrũpi. Si respõdeatur cum Greg. quòd ille actus durans per tempus determinatum ab instanti A. vsque ad instans, C. non corrumpitur instanti C. iutrinsecè per vltimum sui esse, sed extrinsecè per primum non esse sicut motus; resistit enim quælibet res suæ corruptioni, & sic non potest desinere esse in instanti intrinseco; consumitur enim tẽpus in tali resistẽtia & defensione proprij esse, vsq; dum extrinsecè per primum nõ esse desinat; vnde cùm iam actus Voluntatis in instanti C. nõ habeat esse, nõ currit argumentũ propositũ. Contra tamen argumentor, nã saltem in instãti B. inter medio talis tẽporis determinati ab A. vsque ad C. talis actus Voluntatis, supposita eadem intensione, & quòd Voluntas eodẽ modo se habeat, tantæ difficultatis est vt corrũpatur, sicut in instãti A. quia tunc etiã resistit suę corruptioni: ergo necessariò debet continuari per tẽpus determinatũ eiusdẽ durationis, sicut ab A. vsque ad C. & consequẽter durabit ab instanti B. vsq; ad instans. D. quia eadẽ est distantia ab A. vsq; ad C. sicut ab instanti B. vsque ad instãs D. & tunc de hac secunda duratione faciã idem argumentũ, sistẽdo in instãti intermedio illius, quod est C. quòd debeat durare ab illo vsq; ad instãs E. & sic in infinitum, & cõsequenter nunquàm dabitur quando talis actus posit corrũpi. Confirmatur, nã sit Petrus qui elicit illum actũ in A. & sit Paulus eliciens omnino cõsimilẽ actũ in B. actus Pauli necessariò continuabitur vsq; ad D. quæ est eadem distantia, & tunc actus Petri in B. eodẽ modo se habet, sicut actꝰ Pauli: ergo cõtinuabitur vsq; ad D. sicut actus Pauli, & eodem modo cõsequenter vsq; in infinitũ fiet argumentũ. Secundò probatur conclusio. Si ille actus Voluntatis sit, verbi gratia, dilectio Dei super omnia, in medio instanti illius temporis potest Intellectus immutare iudicium, vt etiam ipse Greg. concedit: ergo in illo instanti poterit Voluntas ex tali iudicio contrario elicere actum odij: ergo vel dicendũ est, tunc in instanti inter medio esse duos actus cõtrarios simul, vel corruptum iam fuisse actum dilectionis, & consequenter non exigisse necessariò tẽpus determinatũ à Gregorio. Tertio probatur. Motus corporalis non requirit determinatum tẽpus vt continuetur, sed quocunq; instanti dato post inceptionem ante illud potest desinere: ergo nec motus spiritualis necessariò requirit tempus determinatum. Patet cõsequentia, nam motus corporalis potiori iure requirit successionem, quàm motus spiritualis: ergo si corporalis non requirit determinatum tempus, nec etiam spiritualis. Quartò probatur. Illuminatio fit & desinit in instãti (ad minus potest) quia caret cõtrario, vt dicit Arist. 2. de anima, tex. 70. sed volitiones & intellectiones etiã propriè carent contrario: ergo etiam, &c. Minor batur, quia contraria in nostro Intellectu carent repugnãtia, nec mutuò se expellunt, sed potiùs mutuò se iuuant; quia vnum est medium ad cognoscẽdũ aliud. Quintò probatur contra rationem Gregorij, scilicet quòd actus Voluntatis resistit suæ corruptioni, &c. nã id solùm est verum de effectibus qui dependent ab agente solùm fieri, & non inconseruari; quia huiusmodi effectus non corrumpũtur per solam absentiam agẽtis, sicut ego non corrumpor per mortẽ patris; & ideò debent corrumpi per actionẽ contrariã, quæ necessariò est successiua. Quando tamen effectus dependet in fieri & conseruari ab agente, non resistit corruptioni, sed per solam absentiam agentis desinit esse; vt patet de luce: cùm ergo actus Volũtatis & Intellectus sit huiusmodi, depẽdens à potentia in fieri & conseruari, per solam cessationem potentiæ corrumpitur; & licèt cessatio potentiæ non posset esse in primo instanti inceptiuo, tamen inquocunque instanti signato post illud certum est posse cessare; quia pro quolibet instanti signato est libera, & sic dato requiri tempus successionis post primum istans, euidenter tamen probatur, illud tempus non necessariò debere esse determinatum. Confirmatur, nam aliàs est loqui contra libertatem Voluntatis, si assignatur tempus determinatum, in quo ab actu non potest cessare; & inde sequeretur, non posse hominem inquocunque instanti iustificari, & sic dari tempus in quo esset extra statum salutis; quod est error in Fide, vt patet Ezechielis 18. Inquacunque hora ingemuerit peccator, &c. vbi secundùm omnes Doctores & Concilia idem valet ac dicere, inquocunque instãti ingemuerit. Et. c. 33. Iustitia iusti non

Solut. *Impugn.* *Confirm.* *Arist.* *Ezech. 18.*

libera

liberabit eum inquacũq; die pœcauerit, & impietas impij non nocebit ei in quacunq; die conuersus fuerit ab impietate sua,Ibi etiã,Inquacunque die,secundùm Sanctorum sententiam & Fidei dogma sumitur proquocũque instanti. Item sequeretur,facienti quod in se est, Deũ negare gratiã;quia in medio temporis illius posset homo facere quod in se est,conando ad pœnitẽtiam;& si vsque ad determinatum tempus peccatum cessare non potest, pro illo tempore negaretur gratia, quæ cum peccato esse non potest. Videãtur Doctores in 4.condẽnantes Scotũ & alios sequaces illius,ex eo quòd in materia de pœnitentia,doceãt,requiri certum tẽpus post peccatum ad contritionẽ.Et si contra istã conclusionẽ arguas,quia si nõ est certum tempus necessariò requisitum ad cõtinuandũ actum, sequitur, quòd in quolibet opere meritorio possit esse infinitum meritum: consequens est falsum: ergo. Sequella probatur, nam inquolibet instanti meremur,cùm non sit maior ratio de vno,quàm de altero instanti:ergo si non est determinatio temporis,potest ampliùs & ampliùs in infinitum mereri: Respondetur tamen, hoc argumentum etiã debere solui in sententia Greg. nam etiã in tempore determinato sunt infinita instantia:ergo si inquolibet instanti est meritum, etiam in tempore determinato erit infinitum meritum; vnde vt in omni sententia respõdeatur, dicimus, hoc esse sophisma quo vtebatur Zeno.6. Physic.text.77.ad probandũ nõ dari motum;nam inquirebat,si mobile priùs debet pertransire medium, quàm perueniat ad extremum,& priùs quàm pertrãseat medium, debet pertransire primam quartam, & priùs primam octauam,& sic in infinitum,cùm spatium sit diuisibile in infinitum,inferebat, quod vel non potest esse motus, vel quòd infinita spatia breuissimo tempore pertransiret. Sicut ergo respondetur ad argumentum de motu,ita respondendum est ad argumentum demerito: Sicut enim in motu continuo locali datur spatium cõtinuum diuisibile in infinitas partes correspondentes infinitis partibus tẽporis, in quo fit motus:nihilominus motus est finitus in actu,& consummatur in tempore finito, quia & spatium in actu est finitũ; ita similiter licèt instantia temporis in quo fit meritũ,sint infinita, & inquolibet illorũ seorsum possit esse meritũ;tamen in actu meritum est finitũ, sicut & tẽpus in quo fit.Nec valet arguere,si meritũ esset diuisum in quolibet instans, seorsum esset infinitum,sicut& instantia sunt infinita:ergo ex eo quòd omnia illa instantia coadunentur & copulentur in vno tẽpore finito, non tollitur infinitas ipsius meriti. Non(inquam)hoc valet,quia vt inquolibet instãti seorsum esset meritũ, debebãt esse in infiniti actus meritorij,sicut & instantia infinita erãt: vt autẽ sit meritũ in omnibus instantibus illis copulatis & cõtinuatis in vno tẽpore, sufficit vnicus actus determinatus & finitus ex determinatione obiecti & intensionis talis actus. Sed de hoc plura videantur infrà,q.114. & q.118.art.11. vbi latius de hoc puncto agetur contra Vazquez & Suarez. Et si arguas argumento iam insinuato, quòd quælibet res mundi resistit fuæ corruptioni:secũdo ergo actus Voluntatis ratione huius resistentię debet durare per aliquod tẽpus:Respondetur, quod hoc antecedens non habet verum in rebus spiritualibus,qualis est volitio & intellectio; quia huiusmodi non requirunt necessariò corrũpi per contrariũ, sed possunt desinere esse per solã cessationem; sicut lumen per solã cessationem luminosi;vnde huiusmodi possunt durare tãtùm per instans.Et si tertiò arguas,quòd actus Voluntatis non desinit esse per vltimũ sui esse:ergo ad minus per primũ non esse:ergo requirit tẽpus,nam inter vnum & alterum instans tẽpus debet mediare: Respondetur,res spirituales desinere esse per vltimum sui esse,vt patet in Angelis, si Deus illos anihilaret; & in lumine:cùm ergo actus Intellectus & Voluntatis spirituales sint, per vltimũ sui esse possunt desinere.Vel respondetur, quòd secundum & tertium argumentum non probant requiri tempus determinatum, sed vt plurimum indeterminatum; qualiter autem nec hoc probent,ostendetur conclusione sequenti. Deduratione autem, & desitione intellectionis & volitionis videatur Magister Soto lib.1.Posteriorum,q.1.solutione ad 6. vbi sapienter de more hoc tractat.

Obiectio. *Solutio.* *Obiectio.* *Solutio.* *Obiectio.* *Solut.* *Solutio.*

Secunda conclusio. Actus Voluntatis secundùm se & ex propria ratione, etiã si pro isto statu cõsiderẽtur in anima coniuncta corpori, non requirũt tẽpus, nec etiam indeterminatum ad sui duratio- 2.*Concl.*

nẽ, sed possunt solùm durare per instans. Probatur primò. Intellectio & volitio in Angelis, & in anima separata, possunt durare tantum per instans: ergo etiam in anima coniuncta corpori. Antecedens patet, quia illorum operationes nec mensurantur tempore, nec pendent à cœlo. Consequentia verò probatur, quia animæ separatæ & cuniunctæ est idem esse: ergo idem modus operandi quantum ad hoc. Secũdò probatur, nam etiã pro isto statu potest cessare per solam cessationẽ & suspensionem Voluntatis, à conseruatione propriæ volitionis: sed in quocumque instanti potest Voluntas huiusmodi cessationem & suspensionem facere, pręter primum instans, in quo incipit operari: ergo inquocunque instanti præter primum potest non esse volitio, & sic necessariò tãtum durat per primum instãs; vt sit verum dicere in illo primo instanti. Nunc est volitio, & immediatè post hoc potest nõ esse. Maior probatur, quia volitio dependet in fieri & conseruari, à Voluntate: ergo per solam cessationem illius potest desinere esse. Minor etiam patet, quia Voluntas est libera: ergo quolibet instanti, præter primum (in quo in sensu composito necessitatur) poterit cessare ab operatione. Tertiò probatur, nam Deus in eodem instanti in quo producit Angelum, potest illum anihilare per vltimum sui esse, ita vt tantúm duret per instans: ergo idem potest contingere in Voluntate respectu propriæ volitionis; quia sicut Angelus à Deo, ita volitio à Voluntate dependet in fieri & conseruari. *Obiectio.* Et si contra arguas, quia Voluntas non potest cessare ab actu, nisi in Intellectu mutetur iudicium quòd sit bonum cessare: sed huiusmodi iudicium cõtrarium non potest haberi nisi in altero instanti distincto à primò; quia aliàs duo iudicia contraria essent simul: sed si habetur in altero instanti, necessariò tempus pertransijt, quia Duo instantia immediata esse non possunt; ergo etiam ad cessandum requiritur necessariò tempus: *Solut.* Respondetur, quòd ad cessandum Voluntatem à suo actu, non requiritur nouum iudicium, sed solũ destructio primi, à quo sua volitio depẽdebat; cùm autem primũ iudiciũ possit destrui per suspensionem pro quolibet instanti prẽter primum, ita similiter & volitio pro quolibet instanti præter primum potest non esse.

Tertia cõclusio. Prima & secunda cõclusio loquuntur de actu Voluntatis ex propria ratione, inquocunque statu consideretur; quia ex propria ratione, vt diximus, potest desinere inquocunq; statu per solã cessationem: si autem desinat esse, non persolam cessationem, sed per aduentum alterius actus, tunc impossibile est durare tatùm per instans, sed necessariò debet durare per tempus, si talis act⁹ est in anima coniuncta corpori pro isto statu. Hanc tenet Soto vbi supra, & Medina hic ad primum, & probatur primò ex D. Tho. infrà, q. 113. artic. 7. ad 5. vbi ait, quòd licèt in volitionibus & intellectionibus Angelorum non oporteat dari tempus intermedium, sed datur vltimum esse prioris actus, & primum esse posterioris: in intellectionibus tamen & volitionibus animę vnitę corpori, pro hoc statu intercedit tempus, nec datur vltimum esse præcedentis. Itaque non intendit D. Thom. quòd intellectio & volitio, etiam pro hoc statu, necessariò debet durare per tempus, si vtcunque consideretur de sitio eius; sed hoc intẽdit de volitione desinente per aduentum alterius actus, & in hoc ponit differentiam inter actus animæ pro isto statu, & actus Angelorum, quòd in Angelis etiam si volitio desinat esse per aduẽtũ alterius volitionis, potest prima durare tantũ per instans, licèt secũda incipiat etiã per primũ sui esse; quia in mensura Angelorũ cũ detur tempus discretũ, non incõuenit dari duo instãtia immediata, & sic qôd primus actus desinat esse per vltimũ sui esse in priori instanti, & secundus actus incipiat per primũ sui esse in secũdo instanti, absq; eo quòd inter vtrũque mediet tẽpus: in actibus autem Voluntatis pro isto statu hoc reperiri nõ potest, quia cùm mens humana pro isto statu per accidens subdatur temporis ratione phantasmatum quibus vtitur ad intellectionem, iudicandum est de intellectionibus & volitionibus pro isto statu quantum ad durationem, secundùm conditionem temporalium motuum: vnde cùm informis, siue habitualibus, siue actualibus, mutuo sibi succedentibus in tẽpore nostro hoc reperiatur, q; si vna incipit per primũ sui esse, altera exclusa nõ potuit desinere per vltimum esse, quoniam in tempore nostro nõ dãtur duo instantia immediata, sed inter vtrũque necessariò interuenit tempus, in quo vtiq; subie

3. *Senten.* *Soto.* *Medi.* *D. Thom.*

subiectum esset sine vtraque forma; & sic non verificatur quòd secunda excludit priorem; quia ad hoc requiritur immediata successio: si ergo debent continuari, necessum est quòd si secunda incipit per primũ sui esse, prior desinat esse per primũ nõ esse, & sic necessariò duraverit per tẽpus: si ergo actus nostræ Voluntatis hoc modo debent mensurari pro isto statu, eodẽmodo iudicatũ est de illis.

4. Concl. Quarta conclusio. Communiter, & regulariter actus nostræ Voluntatis pro isto statu durant per aliquod tempus, nec solùm durant per instans. Hæc patet experientia, quòd semel incepta volitione, non ita instãtanee desistimus ab illa. Item probatur, nam actus Voluntatis cõmuniter rescinduntur per actum contrarium, vel per alium actum quo volumus ad alia diuertere cogitationem, vel volitionem, sed, vt dictum est, quando actus desinit esse per aduentum alterius, necessariò durat per tempus: ergo communiter dicendum est, actus nostrę voluntatis per tempus durare. Ad pleniorem intelligentiam dubij videatur D. Tho. infrà quæst. 13. art. 7. ad 5. & 1. par. quæst. 85. art. 4. ad 1.

DVBIVM VLTIMVM.

Vtrùm confirmati in gratia, sint liberi ad peccandum & non peccandum.

1. Arg. PRobatur quòd non. Primô. Confirmatus in gratia per se & ab intrinseco est impotens ad peccandum: ergo necessariò non peccat, ac proinde non est liber ad peccandum. Antecedens probatur, quia non posse peccare, competit cõfirmato in gratia ratione alicuius doni permanentis & in hærentis, quia alias nulla esset differentia inter confirmatos, & non confirmatos non peccantes mortaliter; quia isti non peccant ratione alicuius auxilij transeuntis; ergo confirmato in gratia conuenit impeccabilitas ab intrinseco. Patet ista consequentia, quoniam hac ratione beati dicuntur ab intrinseco impeccabiles; quia hoc habent ratione alicuius doni inhærentis & permanentis, scilicet ratione luminis & visionis beatæ.

2. Arg. Secundò arguitur. Per gratiam corroboratur quis in bono, ad non peccãdum; ergo in tantum potest augeri gratia vt taliter sit firmatus, quòd peccare non possit. Antecedens patet, quia cum gratia eleuet ad esse supernaturale & sublimius, constituit ingenere operantis eleuatiori & perfectiori modo firmans in bono, & retrahens à malo. Consequentia verò probatur, quia gratia Viatoris potest esse maior, quàm multorum beatorum: ergo si illorum gratia ratione augmenti facit eos impeccabiles, id ipsum poterit gratia in Via, si sic potest esse maior, & aliàs eiusdem speciei cum illa.

3. Arg. Tertio arguitur. Si confirmatus in gratia est liber ad peccandum: ergo potest peccare, ac proinde non erit inconueniẽs quòd peccet de facto: hoc autẽ est falsum ergo. Minor probatur, quia implicatio est, quòd confirmatus in gratia peccet mortaliter, si enim est cõfirmatus in gratia, retinet illam; si peccat mortaliter, non retinet eam: ergo non stant simul, esse confirmatum in gratia, & peccare mortaliter.

Senten. Ocham. Gabriel. Almain. Impugn. In hac re Ochan. in 3. quæst. 2. & q. 3. & Gabriel. distin. 3. in. 3. quæst. 2. & Almain etiam in 3. dist. 12. & dist. 15. tenent hanc partem nagatiuam. Etsi contra illos fiat argumentum, quia Beata Virgo confirmata in bono Dei priuilegio habebat vsum rationis integrum; ergo poterat iudicare bonum esse cœnare in die ieiunij ad extinguendam famem, quantum erat ex facultate arbitrij: ergo poterat peccare id volendo; & eodem modo de peccato omissionis, tempore quo tenebatur ire ad Ecclesiam, poterat iudicare id esse malum propter frigus, & per consequens poterat ille non ire ad Ecclesiam, & non audire Missam, & sic peccare? Respondent isti mirabiliter, aliter quidem de peccato omissionis, & aliter de peccato commissionis. De peccato quidem commissionis dicunt, quòd Deus statuit non concurrere concursu generali ad materiale illius operis: quapropter licèt per Intellectum iudicaret esse bonum cœnare in die ieiunij, non tamen poterat velle cœnare, quia Deus suspendebat generalem concursum necessarium ad illam operationem. Sed hoc certè quod isti dicunt, esset maximum miraculum, & sic non aliter Deus confirmasset Beatam Virginẽ, nisi faciendo infinita miracula. Sed peiùs

Solutio.

loquuntur de peccato omissionis; dicunt enim, quòd Beata Virgo bene poterat omittere volitionem eundi ad Ecclesiam & audiendi Missam, sed tunc Deus solo produceret in Voluntate Beatæ Virginis volitionem eundi ad Ecclesiam, & audiendi Missam, & per illam volitionẽ ipsa Beata Virgo non meruisset, euitasset tamen peccatum contra præceptum affirmatiuum audiendi Missam.

Senten.

Impugn. Sed contra insaniam istorum argumẽtor, nam sequeretur, quòd Beata Virgo non merebatur in impletione præceptorum Dei, quia non liberè seruabat legem. Ad hoc argumentum quidam magister grauis refert, se audisse quosdam concedentes quòd Beata Virgo non meruit in tota sua vita, sed totam gratiã quã habuit in fine, habuisse â principio: quod quidem asserere, non solùm inauditum & fatuum est, sed & temerarium; nam asserere quòd Beata Virgo non meruit, quando dixit: Ecce ancilla Domini, &c. magis quam si pica aut pythacus hoc dixisset, absurdum est. Item quæ nam apparentia est, dicere quòd Beata Virgo nõ merebatur in operibus saltem consilij, ad quę non tenebatur, sed liberè poterat facere & non facere illa? Ochan tamen respondet ad argumentum, quòd in operibus præcepti merebatur, non quia posset non facere sed solùm quoniam referebat illa in finem vltimum supernaturalem; sicut possemus dicere nos, quòd nullus potest mereri, vel de mereri volendo bonũ in communi; quod necessariò vult, sed solùm quia refert ad bonum vel malum finem. Almain autem dicit de Christo Domino & de Beata Virgine, quòd de lege communi non merebantur, nec mereri poterant per ad impletionem præceptorum; merebantur tamen ex lege speciali, licèt non liberè adimplerent præcepta; & sic concedit, quod Christus Dominus, quia habuit præceptum moriendi, & aliàs peccare non poterat, non libere mortuus est, sed ex necessitate. Sed tunc interrogo qualiter poterunt intelligi loca sacrę Scripturæ, vt Esaiæ, & actorum Oblatus est quia ipse voluit? Et præterea quid deberemus Christo Domino, si merè necessariò hoc fecit, sicut post mortem necessatiò sanguis de latere exiuit? Nunquid non est differentia inter ea quę passus est viuens quia voluit, & ea quæ iam mortuus perpessus est ex necessitate? Omissis igitur delirijs istorum, pro intelligentia.

Ochan.

Almain.

Notãdũ primô, q̃ in peccabilitas potest cõpetere dupliciter, sicut inmortalitas aut incorruptibiiitas. Primò ab intrinseco, quia nullũ est principiũ intrinsecũ in re, ratione cuius ad corruptionem tendat, vt in cœlis, & in anima rationali. Secundo modo ab extrinseco, quia licèt in re sit tale principium ratione cuius esset illi naturale corrumpi; tamen ab extrisecq̃ seruatur, vt contingeret in statu iustitiæ originalis: sic ergo similiter potest contingere, de impeccabilitate. *Not. 1.* *Not. 2.*

Secundò notandum, quòd gratia in Via cùm non sit in suo connaturali statu, sed veluti in extraneo, licèt quantum in se est, sit inamissibilis; ratione tamen subiecti amissibilis est, nec firmat eum in quo est in bono inamissibiliter. Vnde si aliquando contingat, Viatorem non posse mortaliter peccare, aliunde & ab extrinseco petenda est ratio, quàm ex ipsa gratia, vel magnitudine, & intensione eius, quia alius habens vberiorem gratiam, labi posset & peccare vnde sit.

Concl. Conclusio, quòd Viator confirmatus in gratia, non est ab intrinseco in peccabilis, sed attendendo ad omnia intrinseca simpliciter, & absolutè est liber ad peccãdum vel non peccandum. Probatur primò, quia confirmatus in gratia non recipit in se aliquam qualitatem, ratione cuius dicatur imppeccabilis: ergo non est impeccabilis ab intrinseco. Consequentia patet, quia vt ab intrinseco esset impeccabilis, hoc deberet habere ratione alicuius principij intrinsicè recepti. Antecedens verò probatur, quia talis qualitas vel est gratia, vel virtutes, vel dona Spiritus sancti; quia alia qualitas non potest assignari: Sed illa non faciunt Viatorem impeccabilem ab intrinseco: ergo Minor probatur, quia, vt diximus, potest contingere vt habens minorem gratiam, esset confirmatus in illa, & habens maiorẽ, non esset confirmatus; & primus nõ posset peccare; bene tamen secundus; ergo ex his qualitatibus, quantum ad intrinseca, non prouenit in peccabilitas. Secundo probatur, nam ex opposita sententia sequeretur, quod confirmatus in gratia, non posset mereri seruando mandata, & tunc in obseruantia mandatorum esset peioris conditionis, quàm non confirmatus

tus; hoc autem est falsum: ergo. Se quella verò prouatur, quoniam si ab intrinseco est impeccabilis talis confirmatus, etiam ab intrinseco necessariò seruat mandata: necessarijs autem per se & ab intrinseco quis non meretur? Si respondeatur, consequentiam prædictam non valere, quia Christus Dominus ab intrinseco erat impeccabilis, & nihilominus nulla est consequētia; ergo necessariò obseruauit præceptum moriendi, & consequentet non meruit: ergo similiter consequentia â nobis facta erit nulla. Contra argumentor, quia licèt in Christo Domino consequētia prædicta non teneat, quia impeccabilitas competebat ab intrinseco, nulla supposítione facta necessitas autem acceptā di mortem ab extrinseco, videlicet supposito diuino præcepto, quæ tantum est necessitas consequentiæ & ex suppositione, minime tollens libertatem; in alijs tamen confirmatis in gratia consequentia est bona, quia vtrumque procedit eodem pacto, nec vnum competit magis ab intrinseco, quàm aliud. Neutrum enim eorum competit ex natura sed ex gratia, ac proinde aliqua suppositione facta; quocirca si suppositā tali gratia & auxilio, est impeccabilis, necessariò & ab intrinseco eadem suppositione ab intrinseco etiam necessariò seruabit mandata, ac proinde non merebitur. Quod clariùs dicitur; impeccabilitas ab intrinseco in Christo non tollit libertatem operationū illius, quia impeccabilitas est ratione suppositi antecedenter ad potentias, in quibus manet indifferentia ad operandum; in confirmatis autem in gratia si ponitur impeccabilitas per aliquid intrinsecum, hoc debet esse faciens determinationem in ipsis potentijs, & consequenter tollens earum libertatem, quæ in ipsis potentijs indifferentiam requirit. Tertiò probatur conclusio. In quolibet puro Viatore, etiā confirmato in gratia, non est euidēs cognitio omnium ad se pertinentium: ergo ex natura sua potest deficere, aliquid ignorando, vel non considerando: ergo ꝙ non erret de facto, habebit expeculari manu tenentia & concursu Dei. Antecedens patet, quia hæc est differentia inter Beatos, & puros Viatores, quòd illi per lumen glorię & visionem Beatificam euidenter cognoscunt omnia pertinentia ad proprium statum, nec potest in eis esse aliquis error aut inconsideratio; in alijs autem sic.

Solutio.

Impugn.

Ex dictis sequitur, quòd si confirmatus in gratia potest dici aliquo modo impeccabilis, hoc erit ab extrinseco. Pro cuius intelligentia notandum, quòd cārere libertate, contingit tripliciter. Primò ex natura subiecti; quę potiùs dicitur negatio, quàm carentia, vel priuatio, quæ vtique requirit subiectum aptū; & hoc quidem reperitur in brutis, quorum opera nec sunt bona, nec mala, nec laude, nec vituperio digna; & ad hunc etiam modum operantur amentes, & pueri, & dormientes, regulariter loquendo. Secunda est carentia libertatis, non absolutè, sed ad malum: & hęc est duplex; alia quidem quasi naturalis, & ab intrinseco, qualis reperitur in beatis; nam ex illo Dei ineffabili intuitu naturali consequentia procedit quidam amor efficacissimus excludens omnem posibilitatē peccandi, quamuis nimis voluntariè ament; quia ex voluntate Deo fixa illud expontaneè valde faciunt; videlicèt opera illorum sint laude dignissima, nullo tamen modo sunt meritoria ad augmentum prēmij; quia potiùs habent rationem præmij. Et idem existimo dicēdum de dilectione Beatifica Christi Domini, quam habebat adhuc in hac vita; per illam enim non merebatur, saltem de lege, sed merebatur per dilectionem quam habuit vt *Viator*, & per opēra inde procedentia. Videte enim 3. p. q. 9. vsque ad 12. qualiter in Christo Domino & erat scientia beata, & scientia infusa, & item scientia acquisita; & similiter in Voluntate poterat esse dilectio beatifica, & etiam dilectio Viatoris, per quā merebatur, quæ vtique non erat necessaria, sed libera. Qualiter autem cùm posset mereri, nō posset peccare, videte 3. p. q. 15. art. 1. & qualiter potuerit simul esse Viator & Comprehensor, vt alia ratione potueri mereri; alia verò non, videte ibidem articulo vltimo. Tertia carentia libertatis est ad malum, non vt præcēdens, quasi naturalis & ab intrinseco sed ab extrinseco, ex quodam fauore & priuilegio diuino; quia nimirum non stat in sensu composito, aliquid esse præceptū, & non fieri sicut est prēceptum: & hęc vtique est in confirmatis in gratia, quæ tamen non tollit libertatem absolutè ad peccandum, nec verò rationem meriti. Apostoli enim post confirmationem licèt insensu composito non possent transgredi

Corol.

gredi prȩcepta mortaliter, poterant tamen insensu diuerso. Item poterant pati labores in obseruātia legis atq; adeò quoniā ex obediētia strictissima id faciebāt, optimè merebantur; aliàs enim, vt diximus, donum confirmationis hoc illis dam nū reportaret, quòd opera quę in nobis sunt meritoria, & augent gratiam & prȩmium, in illis nō fuissent meritoria; Quare dicimus, quòd confirmati Viatores liberè implent prȩcepta, nec confirmatio tollit libertatem, siue ad bonum, siue ad malum; sed solùm est quædā manu tenētia specialis Dei, nec Beata Virgo vllo modo peccaret, & nec Apostoli mortaliter delinquerēt, vnde pro illo instāti quo tenebātur audire Missam, adhuc erant liberi ad non audiendū, & similiter ad furādum, vel occidendum. Vnde simpliciter poterant, hęc facere, & tantùm delege nō poterant; erat enim lex statuta, ꝙ Deus semper manu teneret illos ne talia vellēt; non ꝙ Deus non cōcurrerret concursu generali, si ipsi vellent hęc facere, sed quod Deus auxilio; speciali assisteret & teneret illos, ne tale quid vellent, & similiter dejomisione, quadā manu tenentia fulciebātur, ne in peccata laberentur; sicut infirmus qui amici manu sustentatus gradi tur, quamuis semper potest cadere, non tamen cadit amici iuuamine fulcitus; qua propter semper fuerunt liberi, & simpliciter merebantur meliùs quàm nos? Sed dices, quæ ergo est differentia inter confirmatum Apostolum, vel Baptistam, & inter alium non confirmatū, qui tamē nūquā mortaliter peccauit, vt Beat' Dominicus Pater noster, quia & iste prædictum iuuamen & manu tenentiam habuit vt non caderet? Respondetur, quòd confirmatus habet prędictum iuuamen, & manu tenentiam de lege statuta; non confirmatus autem non habet illam de lege, sed ex casu: itaque vterque, confirmatus, & non confirmatus, poterat peccare simpliciter; sed confirmatus non poterat de lege, non confirmatus autem, & simpliciter & delege poterat peccare, licèt aliqui istorum de facto mortaliter nō peccauerint. Et si rursus dicas; Quę ergo differentia erit inter confirmatum in gratia Viatorem & Beatum? Respondetur, quòd Beatus non solùm non potest peccare delege, sed nec simpliciter, neque ad hoc est liber, sed, vt diximus, ab intrinseco est impeccabilis, suppositа enim

Obiectio.

Solut.

Obiectio.

Solutio.

visione, necessitatur ad amorē Dei, etiam quo ad exercitium, & quantum ad hoc habet se sicut lapis ad descensum: in Via autem etiam Beata Virgo confirmata habebat libertatem ad peccandum, licēt Deus eam teneret ne male vteretur tali libertate.

Ad primum argumentum patet ex dictis, qualiter confirmatus in gratia non sit impeccabilis ab intrinseco, sed solum ab extrinseca manutenentia Dei, quę ex lege adest in quo à non confirmato etiā non peccante distinguitur. *Ad 1. arg.*

Ad secundum argumentum respondetur, gratiam quantumcunque intensam in Via non facere impeccabilem; se id tātùm habet in Patria coniuncta lumini gloriæ & visioni Beatificæ, & per illam regulata. *Ad 2. Arg.*

Ad tertium etiam patet, qualiter confirmatus absolutè & simpliciter, & in sensu diuiso possit peccare non autem in sensu composito & secundùm quid quapropter non potest poni in esse simul quòd peccet mortaliter, & sit confirmatus in gratia, ita vt hæc copulatiua sit vera; Hic peccat mortaliter & hic est confirmatus in gratia. *Ad 3. arg.*

QVÆSTIO XI.
De Fruitione.

ARTICVLVS I.

Vtrùm fruitio sit actus potentiæ appetitiuę.

AD primum sit proceditur. *Videtur quòd frui, non sit solùm appetitiuæ potentiæ. Frui enim nihil aliud esse videtur, quàm fructum capere; sed fructū humanæ vitæ, quæ est beatitudo, accipit Intellectus, in cuius actu beatitudo consistit, vt supra ostēsum est: ergo frui non est appetituæ potentiæ sed intellectus:* *Inf. art. 2. cor & 1. d. 1. q. 1 ar. 1.* *q. 3. ar. 2.*

Secundò præterea. Quælibet potentia

tentia habet proprium finem, qui est eius perfectio: sicut Visus finis est cognoscere visibile, Auditus, percipere sonos, & sic de alijs: sed finis rei est fructus eius: ergo frui est potentiæ cuiuslibet, & non solùm appetituæ.

Tertio præterea. Fruitio delectationem quandam importat; sed delectatio sensibilis pertinet ad sensum qui delectatur in suo obiecto, & eadem ratione delectatio intellectualis ad Intellectum: ergo fruitio pertinet ad apprehensiuam potentiam, & non ad appetitiuam. Sed contra est quod Aug. dicit 1. de doctrina Christiana, c. 4. in prin. & 10 de Trinit. cap. 10. to. 10 Frui, est amore inhærere alicui rei propter se ipsam: sed amor pertinet ad appetitiuã potentiam: ergo & frui est actus appetitiuæ potentiæ. Respondeo, dicendum, quòd fruitio & fructus ad idem pertinere videntur, & unum ex altero deribari. Quid autem â quo, nihil ad propositum refert, nisi quòd hoc probabile videtur, quòd id quod magis est manifestum, prius etiam fuerit nominatum. Sunt autem nobis primò manifesta quæ sunt sensibilia magis: unde à sensibilibus fructibus nomen fruitionis derivatum videtur. Fructus autem sensibilis est id quod vltimum ex arbore expectatur & cum quadam suauitate percipitur unde fruitio pertinere videtur ad amorem vel delectationem quam aliquis habet de vltimò expectato, quod est finis. Finis autem & bonum est obiectum appetitiuæ potentiæ: unde manifestũ est, quod fruitio est actus appetitiuæ potentiæ.

Ad primum ergo, dicendum, quòd nihil prohibet, unum & idem secundùm diuersas rationes ad diuersas potentias pertinere. Ipsa igitur visio Dei, in quantum est visio est actus Intellectus: in quantum autem est bonum, & finis, est Voluntatis obiectum, & hoc modo est eius a fruitio: & finem hunc Intellectus consequitur tanquàm potentia agens: Voluntas autem tanquàm potentia mouens ad finem, & fruens fine iam adepto. D. 656.

Ad secundum, dicendum, quòd perfectio & finis cuiuslibet alterius potentiæ continetur sub obiecto appetitiuæ, sicut peoprium sub communi, vt dictum est suprà: q. 9. ar. 1. unde perfectio & finis, cuiuslibet potentiæ in quantum est quoddam bonum, pertinet ad appetitiuam, propter quod appetitiua potentia mouet alias ad suos fines; & ipsa consequitur finem, quando qualibet aliarum pertingit ad finem.

Ad tertium, dicendum, quòd in delectatione duo sunt, scilicet perceptio conuenientis, quæ pertinet ad apprehensiuam potentiam; & complacentia eius quod offertur vt conueniens, & hoc pertinet ad appetitiuã potentiam, in qua ratio delectationis completur.

Conclusio est affirmatiua.

DVBIVM I.

Vtrùm conclusio D. Thom. verum habeat.

PArs negatiua probatur primò, argumento D.Thom.nam frui, idem est; quod fructum & delectationem capere vt ex communi modo loquendi, & ex significationevocabuli patet,vt dicitLaurentius Valla lib.5. elegentiarum,cap.5. & D.Aug.lib.83. quæstionum, quæst. 30.vbi pro comperto relinquit,ea re frui de qua voluptatem capimus; sed capere fructum,pertinet ad Intellectum: ergo & frui. Minor probatur, quia Intellect⁹ est potentia apprehensiua, non autem Voluntas;ergo ad Intellectum pertinet fructum capere & apprehendere & non ad Voluntatem.

2. *Arg.* Secundò arguitur eodem modo se habet fruitio respectu boni sensibilis, sicut respectu finis vltimi; sed fruitio bonorũ sensibilium pertinet ad alias potentias quàm appetitiuam: ergo similiter fruitio vltimi finis pertinet ad aliã potentiã quã ad Voluntatẽ Minor probatur, quia per Gustum fruimur cibo,per Visum fruimur pulchro,per Auditũ fruimur sonoro;istæ autẽ potẽtiæ sunt apprehẽsiuę.

3. *Arg.* Tertio arguitur. Fruitio est præstantissimus actus:ergo prę̃stantissimæ potentię:talis autem est intellectus:ergo ad illum pertinet fruitio,Minor patet ex supradictis. Maior autem probatur, nam fruitio est præmium: ergo est quid prę̃stantissimum. Consequentia patet, nam præmium est ad quod cætera omnia ordinatur:ergo est quid prę̃stantissimum, nam præstantior est finis, quàm ea quæ sunt ad finem.

4. *Arg.* Quartò arguitur. Intellectus sume delectatur in visione Beatifica:ergo & summe fruitur, nam, vt diximus frui est delectari. Antecedens patet, quia delectatio secundùm Arist. est perfectio operationis,sicut decor iuuentutis: ergo vbi est operatio, ibi est delectatio; perfectio enim debet esse in suo perfectibili,ac proinde delectatio visionis debet esse,vbi est visio, cùm sit eius perfectio,& consequẽter debet esse in Intellectu.

5. *Argu.* Quintò arguitur. Meritũ pertinet ad alias potentias quàm ad voluntatem non enim solùm meremur operationibus Voluntatis,sed etiam aliarũ potentiarum,vt actu Fidei,qui est actus intellectus: ergo præmiũ non solum pertinet ad Voluntatẽ,sed etiam ad alias potentias;dicit enim prę̃mium habitudinemm ad meritum,ac proinde ad potentiam meritoriam, præmium autem,vt dicebamus,est fruitio:ergo si prę̃mium pertinet ad alias potentias etiam & fruitio.

6. *Arg.* Sexto arguitur ex pluribus locis D. Augustformando sic argumentum. Visio est tota merces; sed summa merces est vt Deo fruamur; ergo fruitio idem est prorsus quod visio Dei. Maior habetur lib.1.de Trinitate cap.9.& minor lib. 1,de doctrina Christiana, c. 32. & lib. 1. *D.Aug.* de Moribus Ecclesiię cap. 3.dicit: Quid est aliud frui, quàm præsto habere quod diligis? Sed constat quod habemus Deũ per intellectum:ergo. Confirmatur etiã ex diuersis locis D.Thom.1.p.q.26.ar.2. *Confirm.* in argumento. Sed contra,vbi ait, Deum esse beatum, quia se ipso fruitur per Intellectum,& art.3.ad 2.dicit,quod Deus est nostra beatitudo obiectiua vt res,Beatitudo autem creata,est fruitio Dei:constat autem,quòd beatitudo creata, est visio:fatetur ergo quòd viuisio est fruitio. Et quæst.5.de potentia, art. 1. ad 15. dicit, quòd fruitio Dei est rationalis creaturę beatitudo. Et in hoc ar.ad 1.inquit, quòd visio secundum quandam rationem est fruitio. Et in art.3.sequenti ad tertium, ait,quòd fruitio est vltimus finis, sicut adeptio vltimi finis:constat autem,quòd adeptio vltimi finis est visio: ergo. Item super Epistolam ad Hebræos,cap.11.lectione 4.docet,quod fruitio consistit in Dei visione & delectatione. Cõfirmatur secundò ex Clementina ad nostrum, de *Confirm.* hæreticis,vbi diffinitur,quòd lumen glorię requiritur ad visionem Dei & fruitionem:& tamen si fruitio nõ esset actus Intellectus,nõ requireretur ad ipsam lumẽ glorię,quòd vtique tantùm ponitur ad intelligendum,eleuando potentiam intellectiuam,vt habeat actum respectu primæ veritatis,clarè intuendo illam. *1.Sentẽ.*

In hac re est prima sententia Soti in 4. *Soti.* dist.46.q.1.art.4.& super Epis.ad Rom. c.6.quem etiam sequuntur Cano & Victoria hîc,quòd videlicet fruitio est actus *Cano Vict.* Intellect⁹, distinguitq; de actu elicito,& imperato,& ait,fruitionẽ imperatiuè esse à Voluntate,elicitiuè autẽ ab Intellectu. Itẽ q̃ fruitio potest cõsiderari efficiẽter, vel formaliter:efficiẽter quidẽ est ab intellectu,formaliter autẽ à Voluntate, quia recipitur in illa;vnde formaliter sumpta fruitio non est actio, sed passio;sicut receptio speciei intelligibilis non est actio, sed passio intellectus.

Secun-

1. Sent. D. Bonauē. Secunda sententia est cōmunis Theologorum, fruitionem esse actum Voluntatis. Est tamen differentia inter Doctores, assignando quis nam actus sit ille. D. Bonauentura in 1. distin. art. 1. q. 4. dicit, fruitionem consistere in duplici actu Voluntatis simul, nempe in amore & delectatione, vnde ait fruitionem esse, cum delectatione rem amare. Scotus autem in primo distin. 1. quæst. 3. & in 4. distin. 49 quæst. 3. tenet, quòd fruitio solum est amor rei præsentis: & Scotum sequitur Richardus 1. dist. 1. art. 2. quæst. 1. & Gabriel 1. distin. 1. pro intelligentia tamen supponendum, quòd licèt delectatio videatur importare passionem; nihilominus est actio vitalis appetitus, vt probat Caiet. infrà q. 31. ar. 4. cōtra Scotū & nos suprà probauimus in materia debeatitudine. Restat tamē scire, quis nā actus sit ille.

Scot. Richard. Gabriel.

Caiet.

1. Conclu. Prima conclusio. Fruitio non est actus Intellectus, sed Voluntatis. Hæc est contra magistrum Soto; est tamen expressa D. Thom. in hoc articulo, & sequenti, vbi apertè ait. Frui non est actus peruenientis ad finem per suam exequutionē, sed est potentiæ imperantis ipsam exequutionem, qualis est Voluntas; & etiam art. 3. ait esse actum potentiæ appetitiuę; & supra in proximo quæstionis octauę enumerat fruitionem inter actus elicitos Voluntatis; & idem insinuat in primo distin. 1. quęst. 1. art. 1. & eius sententia, vt diximus, est communis inter Doctores. Tenet eam Ægidius ibidem quest. 1. Gabr. & Gregor. quæst. 2. D. Bonauent. ibidem Scotus, quæst. 3. & ratione probatur Primò, nam secundùm *D.* Augustinum primo de doctrina Christiana, c. 4. frui, est amore inhærere alicui rei propter se ipsam; sed inhærere amore, non est actus Intellectus sed Voluntatis, ergo nec frui tio Minor patet, quia Intellectus non inhęret obiecto nisi intellectione. Secundò probatur, nam si aliquis actus Intellectus esset fruitio, ille esset visio beatifica: sed illa non: ergo nullus. Probatur minor Visio est obiectum fruitionis: ergo non est fruitio. Antecedens est D. Tho. hic ad primū. Consequētia verò probatur, quia obiectum antecedit actum quē terminat. Tertio probatur, & confirmatur; nā fruitio est alicuius obiecti habiti & obtenti: sed obtinetur per intellectū: ergo actus Intellectus est prę requisitus ad fruitionē, & nō ipsa fruitio. Quartò probatur. Obiectū fruitionis pertinet ad Voluntatē: ergo & ipsa fruitio. Antecedens patet, quia obiectū fruitionis est bonum & finis vltimus: hæc autē pertinet ad Voluntatē vt obiectū ilius. Consequentia verò patet, quoniā ad eandē potentiā pertinet actus quo attingitur obiectū, ad quā pertinet & ipsum obiectū. Quintò probatur. Ad eandē potentiā pertinet quiescere in termino, ad quā pertinet moueri in ipsum. sed ad Voluntatē pertinet tēdere per desideriū in bonū & finē, quādo ad eādē pertinet in eo quiescere per fruitionē; nihil enim aliud est fruitio, quā satietas & quies appetitus & desiderij. Maior verò patet, quia idcirco dicitur naturā esse principiū motus & quietis, Sexto probatur ex illo Eccles. 2. Vadā & fruar bonis, & secūdū aliā literā. Experiar quanti sit boni: experientia autē boni fit per actū Volūtatis: ergo, &c. Itē ibidē dicitur, Nec prohibui cor meū quin omni voluptate frueretur, nomine autē cordis in sacra Scriptura intelligitur Volūtas & affectus. Vltimò argumentor ad hominē contra Soto. Nā secundū ipsum, fruitio recipitur & passiuè est in voluntate: ergo & actiuè est ab illa. Patet consequentia, quia actio vitalis ab eo est actiuè, in quo passiuè recipitur.

Ægidius. Gabriel. Greg. D. Bonauē Scot. D. Aug.

Eccles. 2.

2. Concl. Secunda conclusio. Fruitio non cōsistit in duplici actu, sed in vnico tantū. Probatur primò, nā obiectū eius est vnū formaliter: ergo & actus est vnus. Antecedens probatur; nā obiectū eius est fructus, qui habet rationē vltimi finis: vt autē suprà dictū est, nequeunt esse duo vltimi fines vnius hominis. Secundò probatur, nā si fruitio esset duplex, actus deberent esse, aut eisdē potētię Voluntatis, aut duarū; ita vt alter esset Voluntatis, alter verò Intellectus; & si essent eiusdē potentiæ Voluntatis deberent differre specie, quia solo numero differentes non possunt existere in eodē subiecto: si autē pertinerēt ad diuersas potentias, à fortiori deberēt differre numero & specie & cōsequenter non possent versari circa idē obiectū formale: si ergo vt diximus, obiectum formale fruitionis est idem, fruitio in dupli ci actu consistere nequit.

3. Concl. Contra Scot. Tertia conclusio. Fruitio non est actus Voluntatis, qui est amor rei præsentis. Hæc est contra Scotum. Probatur tamē contra ipsum optimè à Caietano hic ex ipso quid nominis: aliud enim est amare, aliud verò frui; frui enim suprà amorem

superaddit iocunditatẽ;multa autẽ amantur cũ tristitia & mœrore,vel ad minꝰ per prius se habet amor quã iocũditas superaddita ad possessionẽ rei amatę.Itẽ prouatur ex eo quod dicitur Prou.7.à fœmina illa procacissima,garrula,&c. quę blanditur viro,&c. Veni inebriemur & fruamur cupitis amplexibꝰ;certè nõhabet hũc sensum,Veni,amemus amplexus;nam in eo quod dicit;cõcupitis, supponi tã amari; sed sensus erit,capiamus delectationẽ, & iocũdemur in mutuis diu desideratis amplexibꝰ?Itẽ patet ex illo Apostoli ad Philemonẽ,quando ait.Ego te fruar in Dño; nõ habet sensum,Ego te amabo in Dño; sed ego delectabor & cõgaudebo de te in Dño:quapropter fruitio non propriè sumitur pro amore, formaliter agendo de fruitione; sed si aliquando sumitur pro amore,miscetur æquiuocatio.

Prouerb. 7.

Apostolus ad Philimẽ.

4.Concl. Quarta cõclusio. Fruitio est actus volũtatis,qua est delectatio, & gaudiũ de re possessa & obtẽta, & priùs desiderata & amata. Hęc cõclusio patet à sufficiẽti diuisione;nã si nõ est actus Intellectus,nec actus Intellectꝰ & Volũtatis simul,nec etiã amor & delectatio simul,nec solus amor: nullus alius remanet assignandus,quã delectatio,& gaudiũ prędictũ: & semper hoc nomine loquitur de fruitione *D.* Th. vt spetialiter est videre ar.3.sequẽti,& D. Aug. primo de doctrina Christiana c.33. vbi copiosè disputat de fruitione,& semper insinuat,ꝙ sit iocũdatas & delectatio, & affert illud ad Philemonẽ. Ego te fruar in Dño;cuius forte sensus est,Te cũ delector in futura beatitudine;& illud Prou. 7. Veni inebriemur.&c.& nullus Latinꝰ actenus asseruit fruitionẽ significare cõsequutionẽ boni,sed potiꝰ delectationẽ iocũdã, quæ deré consequuta dimanat: de quo videatur Vala loco citato. Itẽ communis modus loquẽdi nostrã sentẽtiã cõfirmat,nã quãdo dicitur: Det tibi Deus perfrui cõcupitis;sensus est,Vtinã delecteris & gaudeas ex adeptione & possessione rerũ quas desideras;& ita Hispanè dicitur,*Gozarse.y Dios os dexe gozar de lo q̃ desseays.* Tandẽ probatur,nã fructus dicitur illud quod vltimo expectatur ex arbore & cum quadam suauitate percipitur, sed vltimum quod de Deo percipimus,& de quacunque re obtenta,est delectatio: ergo frui est delectatio.

D.Tho. D.Ang.

Laurentius Vala.

Ad 1.arg. Ad primũ argumẽtũ à principio respõdetur,ꝙ frui est, capere fructũ causaliter & fundamẽtaliter,& hoc est ex parte Intellectus; ille enim est qui capit id quod est causa fruitionis: formaliter autẽ frui, non est nisi delectari in vltimo expectato iam adepto,& hoc quidem ad Voluntatem pertinet.

Ad.2.arg. Ad secundum respondetur,quòd licèt videndo pulchrũ,fruatur homo pulchritudine,non tamen visio est fruitio,sed aliquid prærequisitum necessariò de cibo, quòd gustu non fruitur quis illo,sed præ requiritur gustus ad fruitionẽ post modũ habitã de cibo:& ita dicendum est de fruitione, quæ post modũ habetur per appetitũ. Idem dicendũ est de actu Intellectus respectu Volũtatis;præ requiritur enim ad fruitionẽ Voluntatis,visio Intellectus,non tamne ipsa visio est fruitio.

Ad 3. arg. Ad tertiũ patet ex supra dictis materia de beatitudine, qualiter fruitio nec est pręstãtissimus actꝰ, licèt sit vltimus, nec pertinet ad præstãtissimã potètiã, sed ꝙ visio est actus pręstãtissimus pertinẽs ad præstãtissimã potentiã, nẽpe Intellectũ.

Ad 4.arg Ad quartũ respondetur, ꝙ Intellectus delectatur videndo Deum,non tamen delectatione elicita ab ipso intellectu sed elicita à Voluntate,& redundante in Intellectum;vt solet dici,actum vnius potentiæ posse redundare in alteram, iuxta illud;Cor meum & caro mea exultauerunt,&c. Vel secundò respondetur,delectationem esse in duplici differentia:alteram concomitantem actionem, alteram verò quæ ad actionem sequitur: prima quidem habet pro obiecto ipsam actionem:secunda verò habet pro obiecto ipsum obiectum talis actionis. Verbi gratia,in visione pulchri est duplex delectatio:prima de ipsa visione pulchri;secunda verò de ipso pulchro;& prima non est actus elicitus distinctus ab ipsa visione, sed quidam modus vel passio concomitãs uisionem ex connaturalitate & proportione obiecti conuenientis. Secunda verò est actus elicitus,non â potentia visiua,sed ab appetitiua. Ita similiter Intellectus delectatur intelligendo Deum;delectatur (in quam)& delectatione concomitante ipsam visionem,& de ipsa visione;& hæc nõ est distincta ab ipsa visione. Delectatur etiam delectatione obiecti visi, & hęc est actus elicitus Voluntatis. Et hac etiã duplici solutione potest respõderi ad secundũ argumẽtũ,& in idẽ venit ꝙ dicit Cõradus hic,Intellectũ delectari impro-

S.Ref.

impropriè, non tamen propriè.

Ad 5. arg. Ad quintum respondetur vt ad præcedens.

Ad 6. arg. Ad sextum respondetur, Diuum Thomam in duobus prioribus locis intelligendum esse, vt diximus ad primum, in sensu causali; hic autem solutione ad primum, habet planam constructionem; cùm enim ait, visionem pertinere ad Voluntatem vt obiectum, & subiungit: Et ita est eius fruitio; non est sensus quem appellant intrãsitiuum, videlicet quòd visio sit fruitio: sed sensus est transitiuus, videlicet quòd visionis est fruitio, vt obiecti frutionis.

Ad loca D. Aug. resp. 1. Ad loca autem D. Aug. respondetur similiter, quòd quando ait: Summa merces est causa quòd Deo fruamur; loquutio est causalis multũ vsitata apud Philosophos & Theologos; id est: Summa merces est causa quòd Deo fruamur, nam ex possessione summi boni & summæ mercedis causatur frutio: & iste potest esse sensus, quòd complementum summæ mercedis, est fruitio; completur enim & decoratur beatitudo per fruitionem, sicut iuuentus per pulchritudinem. Similiter intellegitur in secunda authoritate ex lib. de moribus Ecclesiæ, quando dicit: Quid est frui, nisi præsto habere quod diligis? fit enim sensus causalis, videlicet, fruitio ex nullo alio causatur, præterquàm ex possessione rei dilectę.

2. Resp. Vel potest secũdò responderi, quòd ad perfectam fruitionẽ requiruntur duo: alterum formaliter, nempe delectatio; & alterũ præsuppositiuè, videlicet visio: quapropter sancti Patres nunc dicunt, quòd fruitio sit visio, nunc verò quòd sit delectatio; sicut & beatitudo in sacris literis nunc appellatur visio, nunc verò gaudiũ, & lętitia, &c. quia vtrumque ad perfectam beatitudinem requiritur. Ad locũ autẽ ex Clementina, Respondetur, quòd illa diffinitio potiùs est pro nobis: nam si visio & fruitio penitus essent idem, superuacaneũ esset addere, quòd requiritur lumen ad vidẽdum & fruendum, nã sufficeret dicere, ad vidẽdum: quòd autem dicitur necessarium lumen ad fruendum, nõ denotat quòd fruitio sit actus Intellectus, sed quòd est necessarium lumen ad immediatè intuẽdũ Deũ clarè, ex cuius faciali intuitu sequitur fruitio in Volũtate: vnde lumẽ proximè & immediatè requiritur ad visionẽ; mediatè autẽ ad fruitionẽ; quatenus ea quæ sunt, præ requiruntur ad ea quæ sunt Voluntatis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm fruitio conueniat tantùm rationali creaturæ; an etiã animalibus brutis.

AD SECVNDVM *sic proceditur. Videtur quòd frui, solummodò sit hominum. Dicit enim Augustinus in primo de Doctrina Christiana,* † *quòd nos homines sumus qui fruimur, & vtimur: non ergo alia animalia frui possunt.* *Infr. q. 22. art. 5. ad 2. & 1. d. 1. q. 4. ar. 1. c. 3. & 22. to. 3.*

Secundò præterea. Frui est vltimi finis: sed ad vltimum finem non possunt pertingere bruta animalia: ergo eorum non est frui.

Tertiò præterea. Sicut appetitus sensitiuus sub intellectiuo, ita appetitus naturalis est sub sensitiuo: si igitur frui pertinet ad appetitum sensitiuum, videtur quòd pari ratione possit ad naturalem pertinere; quod patet esse falsum, quia non est delectari: ergo appetitus sensitiui non est frui, & ita non conuenit brutis animalibus.

Sed cõtra est quod August. dicit in libro 83. † *quæstionũ, Frui quidem cibo & qualibet corporali voluptate non absurdè existimantur & bestiæ. Respondeo, dicendũ, quòd sicut ex prædictis habetur,* † *frui non est actus potentiæ peruenientis ad finem, sicut exequentis, sed potentiæ imperãtis exequutionẽ. Dictum* † *est enim, quòd est appetitiuæ potentiæ. In rebus autem cognitione carẽ-* *q. 30. ante med. to. 4.* *ar. præced. ad 2.* *Ar. præce. ad 1. & in corp.*

tibus inuenitur quidem potentia pertingens ad finem per modum exequentis, sicut graue tendit deorsum, & leue sursum: sed potentia adquã pertinet finis per modum imperantis, non † *inuenitur in eis, sed in aliqua superiori natura, quæ sic mouet totã naturam per imperium, sicut in habentibus cognitionem appetitus mouet alias potẽtias ad suos actus: vnde manifestum est, quòd in his quæ cognitione carent, quanuis pertingant ad finem, non inuenitur fruitio finis, sed solùm in his quæ cognitionẽ habẽt: sed cognitio finis est duplex; perfecta, & imperfecta. Perfecta quidem qua non solum cognoscitur id quod est finis & bonum, sed ratio vniuersalis finis & boni: & talis cognitio est solius rationalis naturæ. Imperfecta autem cognitio est, qua cognoscitur particulariter finis & bonum, & talis cognitio est in brutis animalibus, quorum & virtutes appetitiuæ non sunt imperantes liberè, sed secundùm naturalem instinctum ad ea quæ apprehendunt mouentur: vnde rationali naturæ cõuenit fruitio secundùm rationem perfectam; brutis autem animalibus secundùm rationem imperfectam, aliis autem creaturis nullo modo.*

d.724.

Ad primum ergo, dicendum, quòd Augustinus loquitur de fruitione perfecta.

Ad secundum, dicendum, quòd nõ oportet quòd fruitio sit vltimi finis simpliciter, sed eius quod habetur ab vnoquoque pro vltimo fine.

Ad tertium, dicendum, quòd appetitus sensitiuus consequitur aliquam cognitionem, non autem appetitus naturalis, præcipuè prout est in his quæ cognitione carent.

Ad quartum, dicendum, quod Augustinus ibi loquitur de fruitione imperfecta; quod ex ipso modo loquẽdi apparet; dicit enim, quòd frui, non adeò absurdè existimantur & bestiæ, scilicèt sicut vti absurdissimè dicerentur.

Lib. 83. q. 30.

Supponit D. Tho. quòd fruitio non est actus potentiæ peruenientis ad finem, & sicut exequentis, sed est potentiæ imperantis & mouentis aliam potẽtiam ad finem, qualis est Voluntas, quæ exequutionem ipsam imperat. Hoc supposito, est

Prima conclusio. In rebus cognitione carentibus, quanuis pertingant ad suos fines, non reperitur frutio finis. Hanc probat, quia in istis non inuenitur potentia ad quam pertinet finis, sicut ad imperantem & mouẽtem, sed in eis solùm reperitur potentia pertingens ad finem, sicut exequẽs: ergo nullo modo fruuntur. Antecedens patet, nam appetitus lapidis (verbi gratia) non mouet lapidem ad finem, sed mouetur à superiori natura, quæ per cognitionem dirigit & imperat, & quodammodò vtitur lapide ad illum finem, & sic lapis nõ vtitur se quãdo mouetur, sed solũ exequitur motũ à superiori natura imperatũ. quare quãdo est in centro, nõ fruitur, licèt in illo quiescat: & hæc est differẽtia inter appetitũ naturalem rerum insensatarũ, & appetitum animalium, & rerum cognoscentium, quòd appetitus naturalis solũ est exequens & obediens, non autem imperans vel vtens; appetitus verò animalis imperat, & mouet alias potentias ad exequutionem, & ideo vtitur illis & fruitur. Vnde sit 1. Conclu.

Secunda conclusio. In quibuscunque est cognitio finis, est aliquo modo vsus & fruitio; sed si cognitio est imperfecta, vt in brutis, etiam fruitio est imperfecta: si autem cognitio est perfecta, vt in natura rationali, fruitio etiam est perfecta. Itaque brutum per cognitionem herbæ vtitur membris 2. Con. l.

bris mouendo se ad pabulum herbæ, & quodammodò fruitur quando comedit, licèt imperfectè, quia nõ cognoscit rationem finis, nec operationes suas potest ordinare in finem.

Not. Pro intelligentia huius articuli notandum, hanc esse differentiam inter intentionem & electionẽ ex vna parte, & fruitionem ex altera, quòd intentio non est circa finem vtcunque, sed vt respicit media per quę debet acquiriri, vt nomẽ ipsum sonat; intẽdere enim est per aliquid in aliud tẽdere. Similiter electio nõ est circa mediũ vtcunque, sed vt respicit finem, quia medium formaliter nullam dicit bonitatem, nisi quã à fine participat; vnde appetit nõ potest nisi per ordinem ad finem à quo habet bonitatem; frutio autem respicit finem absolutè vt in se bonum, & appetitũ satiãtem atque delectãtem; quapropter licèt in brutis non sit intentio, vt docet D. Tho. in

D. Tho. frã q. 12. art. 5. nec etiam in eis sit electio, vt etiam docet q. 16. art. 2. quia in eis non est cognitio habitudinis mediorum ad finẽ, nec finis ad media: tamen in brutis, vt docet hic, reperitur fruitio, licèt imperfecta; quia ad hoc non requiritur cognitio finis formaliter, sed tantùm ipsum capere & tenere cum delectatione: quod vtique in brutis reperitur, licèt non tam perfectè sicut in cognoscente rationali; & licèt in eis sit fruitio, non tamen gaudium, quia gaudium cõnotat naturam rationalem; vnde licèt in illa gaudium & fruitio sint idem actus, ex propria tamen significatione latiùs patet frutio, quàm gaudium: vnde in quocunque est gaudium, est etiam fruitio, non tamen è contra, vt patet in brutis. Et si dicas,

Obiectio. quòd fruitio est perfectior actus quàm electio, quia excellentius obiectum habet, nempe finem; qualiter ergo si electio, quæ imperfectior est, non potest reperiri in brutis, poterit reperiri nobilior, qualis est

Solutio. fruitio? Respondetur, quòd licèt electio non sit tam perfecta sicut fruitio, supponit tamen in habente, maiorem perfectionem, nempe deliberationem & cognitionem habitudinis vnius ad alterum; quod fruitio nõ supponit: vnde licèt perfectior actus, qualis est fruitio, reperiatur in brutis, non tamen imperfectior, qualis est electio, ratione perfectionis prædictæ, quæ ad electionem supponitur, in brutis nequit esse.

ARTICVLVS III.

Vtrùm fruitio sit tantùm vltimi finis.

AD tertium sic proceditur. Videtur quòd fruitio non sit tantũ vltimi finis. Dicit enim Apost. ad Philem. Ita frater, ego te fruar in Domino. Sed manifestum est quòd Paulus non posuerat vltimum suũ finem in homine: ergo frui non est tãtùm vltimi finis. q. 12. ar. 1. ad 3.

2. Præt. Fructʾ est quod aliquis fruitur: sed Apost. dicit ad Galat. 5. Fructus Spiritus est Charitas, gaudiũ, pax, &c. huiusmodi, quæ non habent rationem vltimi finis: non ergo fruitio est tantùm vltimi finis.

3. Præt. Actus Voluntatis supra se ipsos reflectuntur; volo enim me velle, & amo me amare: sed frui est actus Voluntatis, Voluntas enim est per quam fruimur, vt August. dicit 10. de Trinit. † ergo aliquis fruitur sua fruitione: sed frutio non est vltimus finis hominis, sed solùm bonum increatum quod est Deus; nõ ergo fruitio est solùm vltimi finis. Cap. 10. ante med. to. 3.

Sed contra est quòd Aug. dicit. 10. de Trinit †. Non fruitur, si quis id, quod in facultatem Voluntatis assumit, propter aliud appetit: sed solùm vltimus finis est, qui non propter aliud appetitur: ergo solius vltimi finis est fruitio, Cap. 10. ante me. to. 3.

Ar. 1. huius q.

Respondeo dicendum, quòd, sicut dictum est †, ad rationē fructus duo pertinent, scilicet quòd sit vltimum, & quòd appetitum quietet quadam dulcedine, vel delectatione. Vltimum autem est simpliciter & secundùm quid: simpliciter quidem, quod ad aliud non refertur, sed secundùm quid, quod est aliquorum vltimum. Quod ergo est simpliciter vltimum in quo aliquid delectatur sicut in vltimo fine, hoc quippe propriè dicitur fructus, & eo propriè dicitur aliquis frui. Quod autem in se ipso non est delectabile, sed tantùm appetitur in ordine ad aliud, sicut potio amara ad sanitatē nullo modo fructus dici potest. Quod autem in se habet quādā delectationem, ad quam quædam præcedentia referuntur, potest quidē aliquo modo dici fructus: sed non propriè & secundùm completam rationem fructus eo dicimur frui. Vnde Augustin. 10. de Trinitate dicit †, quòd fruimur cognitis, in quibus Voluntas delectata conquiescit, non autem quiescit simpliciter nisi in vltimo; quia quandiu aliquid expectatur, motus Voluntatis remanet in suspenso, licèt iam ad aliquid peruenerit, sicut in motu locali, licèt illud quod est medium in magnitudine, sit principium & finis, non tamen accipitur vt finis in actu, nisi quando in eo quiescitur.

Cap. 10. antemed. to. 3

Ad primum ergo, dicendum, quòd sicut Augustin dicit in primo de doctrina Christiana †, si dixisset, Te fruar; & non addidisset, In Domino, videretur finem delectationis in eo posuisse: sed quia addidit, in Domino, in Domino se posuisse finē, atque in eo se frui significauit, vt sic fratre se frui dixerit, non tanquàm termino, sed tanquàm medio.

Cap. 33. post med. tom. 3.

Ad secundum, dicendum, quòd fructus aliter cōparatur ad arborē producentem, & aliter ad hominem fruentem. Ad arborem quidem producentem comparatur vt effectus ad causam: ad fruentem autem, sicut vltimum expectatum & delectans. Dicuntur igitur ea quæ enumerat ibi Apostolus, fructus, quia sunt effectus quidam Spiritus sancti in nobis, vnde & fructus Spiritus dicuntur; non autem ita quòd eis fruamur tanquàm vltimo fine. Vel aliter dicēdū, quòd dicūtur fructus secūdū Ambros. † quia propter se petenda sunt; nō quidem ita quòd ad beatitudinem non referantur; sed quia in se ipsis habent vnde nobis placere debeant.

Glos. Interlin. ad Gal. 5. id habet & refertur 1. sent. d. 1.

Ad tertium, dicendum, quòd, sicut suprà dictum est, † finis dicitur dupliciter. Vno modo ipsa res: alio modo adeptio rei: quæ quidē nō sunt duo fines, sed vnus finis in se consideratus, & alteri applicatus. Deus igitur est vltimus finis, sicut res quæ vltimò quæritur: fruitio autem, sicut adeptio huius vltimi finis. Sicut igitur non est alius finis Deus & fruitio Dei, ita eadem ratio fruitionis est, qua fruimur Deo, & qua fruimur diuina fruitione: & eadem ratio est de beatitudine creata, quæ in fruitione consistit.

q. 1. art. 8. & q. 2. artic. 7.

Vt

Vt reſpõdeat D. Tho. ſupponit fundamentum, quòd ad rationem fructus, ad cuius ſimilitudinem dicimur frui, duo requiruntur, & quòd ſit vltimum, & quòd delectet vel quietet quadam dulcedine. Eſt autem aliquid vltimum dupliciter, vel ſimpliciter vltimum, quia non eſt amplius referibile aut ordinabile in aliud, ſicut Deus; vel aliquid dicitur vltimum, non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid in tali genere; quia inter ea illius generis eſt vltimũ & finis aliorum. Hoc ſuppoſito, eſt

1. Concl. Prima concluſio. Loquendo propriè de fruitione, ſolo vltimo fine ſimpliciter, qui eſt Deus, fruimur; cùm enim ſolus ille ſit ſimpliciter vltimus, quandiu ad illũ nõ peruenit mot⁹ Volũtatis, permanet in ſuſpẽſo, licet iã ad aliquid aliud peruenerit.

2. Concl. Secunda concluſio. Quando aliquid ſolum eſt bonum propter aliud, & nullam aliã bonitatẽ, ſeu delectationem habet ex ſe, tunc nullo modo illo fruimur; vt patet in potione amara, tantũ enim eſt illius electio, & nullo modo fruitio.

3. Concl. Tertia concluſio. Quando aliquod nõ ſolùm eſt medium ad aliud, ſed etiam finis reſpectu aliorũ mediorũ, quod eſt eſſe finẽ intermedium; tunc aliquo modo dicimur illo frui, licèt nõ propriè & cõpletè. Itaque licèt de tali fine intermedio nõ ſit fruitio ſecundùm Theologos, iſti enim tãtũ aſſerunt fruitionem reſpectu vltimi finis; tamẽ ſecũdũ Philoſophos morales dicimur frui quocunque fine, etiã præter vltimum, habente ex ſe aliquam delectationem & appetibilitatẽ; vt fruimur cibo, fruimur amico, fruimur vita honeſta, & contemplatione ſcientiarum.

Not. 1. Pro intelligẽtia notãdũ, hãc eſſe differẽtiã inter intẽtionẽ & fruitionẽ, vt patet ex D. Tho. infrà q. 12. ar. 2. q⁹ intẽtio tãtũ reſpicit finẽ vt acquiſibilẽ per media; fruitio autẽ reſpicit finẽ vt quietãtẽ, & delectãtẽ: cũ ergo finis intermedius ſimpliciter & abſolutè & propriè terminet habitudinẽ mediorũ quæ ſunt ad ipſum, ſimpliciter & abſolutè eſt finis, & cõſequenter circa ipſum ſimpliciter & abſolutè eſt intẽtiõ: cũ autẽ quietare, & delectare ſimpliciter & abſolutè tãtũ ſit in fine vltimo, in intermedijs autẽ ſolũ ſecũdũ quid; ſolus enim Deus habet plenã ſatietatẽ appetit⁹, & in omnibus creaturis ſolũ reperitur ſecũdũ quid: quapropter rectè iebat Aug. Feciſti nos, Domine, adte, & inquietũ eſt cor noſtrũ, donec reuertamur ad te; inquietũ (inquã) quia licèt in creaturis aliqua quies reperiatur, ſimpliciter tamẽ & abſolutè ſolũ reperitur in vltimo fine, qui eſt Deus. Hinc eſt, quòd fruitio ſimpliciter & abſolutè tantùm eſt vltimi finis, intermediorũ autem finium ſolùm eſt fruitio ſecundùm quid.

Augu. Secundò notandum, quòd quando dicit D. Th. ſolùm eſſe fruitionem ſimpliciter de vltimo fine; non intelligitur de vltimo omnibus modis & in re, ſed de vltimo in ordine ad tale operans; quapropter cũ reſpectu hominis vltimus finis ſolus ſit Deus, ſolũ in Deo ſimpliciter & abſolutè poteſt homo fruitionem habere; reſpectu autem bruti cũ aſsignetur vltimus finis citra Deum, quia brutum tendendo ad vltimum potẽtiæ, circa Deum operari nõ poteſt; hinc eſt, quòd brutum ſimpliciter fruatur bono creato, quod reſpectu ſuæ operationis eſt vltimũ, alijs autẽ ordinatis ad prędictum bonum fruatur ſecundũ quid.

DVBIVM PRIMVM,

Vtrùm obiectum immediatum fruitionis ſit ipſe Deus; an verò viſio beatifica.

Not. 2. PRobatur q⁹ viſio. Primò. Beati fruuntur viſione, vt ait D. Tho. hic ad primũ, quòd viſionis eſt fruitio, quia illa viſio eſt bonuũ præſtãtiſsimũ: ergo viſio eſt obiectũ fruitionis: ſed non mediatũ: ergo immediatũ. Probatur iſta minor, quia beati fruuntur Deo viſione: ergo viſio nõ eſt mediatũ, ſed immediatũ obiectũ, aut ſaltẽ immediatius ipſo Deo, cùm ea mediante quis Deo fruatur. 1. Arg.

Secũdò arg. Viſio eſt beatitudo: ergo vltim⁹ finis: ergo & obiectũ immediatũ fruitionis. Antecedẽs cũ prima cõſequẽtia patet materia de beatitudine; ſecũda verò cõſequẽtia probatur ex D. Tho. hic, & ar. ſequẽti, vbi aſsignat vt propriũ & immediatum obiectum fruitionis perfectę & propriæ vltimum finem. 2. Arg.

Tertiò arg. Fruitio, vt ſuprà diximus, eſt delectatio rei priùs deſideratę, & iã obtẽtę: ergo idẽ eſt obiectũ materiale deſiderij & fruitionis: ergo quod nõ poteſt eſſe obiectũ immediatũ deſiderij, non poteſt eſſe obiectũ immediatum fruitionis: ſed Deus nõ eſt immediatũ obiectũ deſiderij: ergo nec fruitionis. Iſta minor probatur, quia obiectũ deſiderij eſt aliquod bonum propriũ ſibi obtinẽdũ: bonũ autẽ proprium obtinẽdũ & futurum non eſt Deus in ſe, ſed Deus vt viſus, vel viſio futura Dei. 3. Arg.

4 *Arg.* Quartò argumentor. Tantùm actus virtum Theologicarum habent Deum pro immediato obiecto: sed fruitio non est actus virtutis Theologicæ: ergo nō habet Deum pro immediato obiecto, sed visionem Dei. Maior patet, quoniā in hoc differunt virtutes Theologicę à nō Theologicis. Minor etiam patet inductione, non enim est actus Fidei, nec luminis gloriæ succedētis loco Fidei, cùm illi habitus pertineāt ad Intellectum: & iam dictū sit, fruitionem non esse actum Intellectus, nec etiam est actus Spei, cùm illa non maneat in Patria, sicut nec etiam Fides: nec etiam est actus Charitatis quia actus Charitatis est amor; fruitio autem, vt dictum est, realiter distinguitur ab amore: ergo fruitio nō est actus alicuius virtutis Theologicæ.

Med. Propter hæc argumenta & alia quæ affert ex Durando, tenet hic Medina, obiectum immediatum fruitionis esse visionē, & non Deum.

Not. 1. Pro intelligentia notandum primò, q visio potest considerari dupliciter. Primo, vt distincta ab ipso Deo obiecto illius; Secundò, vt est adeptio, & consequutio Dei; vt vltimi finis, & beatitudinis obiecti uæ. Recolenda est etiam illa distinctio suprà posita de fine qui intenditur, & cuius gratia cætera fiunt, & de fine quo obtinetur.

Not. 2. Secundò notandum, quòd fruitio alia est propria, alia verò impropria. Primo modo est amore inhærere alicui rei propter se ipsam, cæteris illam anteponēdo. Secundo verò modo est inhærere alicui rei propter se ipsam, illam simpliciter acceptādo, non tamē cæteris præferendo; quo pacto (inquit August.) lib. 83. quæstionū, q. 30. & bruta frui suis voluptatibus.

Not. 3. Tertiò notandum, quòd fruitio propria alia est ordinata, alia verò inordinata. Prima est, cùm aliquis adhæret alicui rei propter se, præferendo illam cæteris quæ verè preferenda est. Secunda verò est, cùm adhæret rei propter se, taliter præferendo, quòd non esset ita preferenda: in quo summa peruersitas peccati mortalis, vt ait August. loco citato, consistit

Not. 4. Quartò notandum, quòd fruitio propria & ordinata, alia est perfecta, alia verò imperfecta. Prima est veri finis vltimi in re habiti & obtenti. Secunda verò est veri finis vltimi habiti in spe, vt docet D. Th. art. sequenti.

1. Concl. Prima conclusio. Obiectum propriæ & ordinatæ fruitionis immediatum non potest esse aliqua creatura. Probatur primò. Obiectum talis fruitionis est id quod propter se est diligendum, cæteris omnibus illud præferendo; sed nulla creatura est huiusmodi: ergo non potest esse obiectum propriæ & ordinatæ fruitionis. Maior patet ex tertio notabili. Minor verò, quia solus Deus hoc pacto est diligendus. Secundò probatur cōclusio. Frui propriè & ordinatè est, in eo quòd verè est vltimus finis, conquiescere, & delectari: nulla autē creatura est vltimus finis simpliciter: ergo nulla creatura est talis fruitionis obiectū. Tertiò probatur. Omnis creatura est obiectum ordinati vsus: ergo nulla est obiectū ordinatæ fruitionis. Antecedēs patet, quia omnis creatura est medium tendendi in Deum, & instrumētum ad id conducens: ergo est obiectum vsus ordinati. Consequētia verò probatur, quia vsus habet pro obiecto id quod est medium; fruitio autē habet pro obiecto finem: ergo quod est obiectum ordinati vsus, nō potest esse obiectum ordinatæ fruitionis: vnde clarè cōstat, quòd si visio beatifica consideretur non vt assequutio Dei, sed vt res condistincta à fine vltimo quem obtinet, non potest esse immediatum obiectum propriæ & ordinatæ fruitionis; est enim illa visio quędā creatura. Et præterea, quia beati magis & perfectiùs delectātur de diuino bono in se ipso, quàm ex eo quòd ad ipsos pertinet, & quòd sit illis applicatum interuentu visionis qua ipsum attingunt, eamque visionem referunt in ipsum Deum.

2. Concl. Secunda conclusio. Obiectum immediatum fruitionis propriæ & ordinatæ & perfectæ est Deus. Probatur primò, quia, vt dicebamus, obiectum immediatum fruitionis propriæ ordinatæ est illud quod propter se est diligibile, & ad nihil aliud referē, nec est referibile in vlteriorē finē; sed talis est Deus: ergo ipse est obiectum immediatum talis fruitionis. Secundò probatur. Deus est obiectum immediatum spei, cùm sit virtus Theologica: ergo & fruitionis. Patet cōsequētia, quia fruitio succedit spei: ergo circa id in quo tēdebat spes, debet versari fruitio, vt dictū est de motu & quiete, de desiderio & delectatione.

3. Concl. Tertia conclusio. Obiectum immediatum prędictæ fruitionis non est Deus prę cisè & vt in se, sed vt clarè visus; itaque nec visio seorsum, nec Deus secundùm se seorsum, sed Deus vt visus, est obiectum immedia-

immediatum fruitionis completum ex vtroque. Hæc probatur primò. Res & assequutio eius nõ sunt duo obiecta, sed vnũ: ergo Deus clarè visus est immediatum obiectum fruitionis perfectæ. Antecedens patet, quia assequutio rei non ponit in numero cum ipsa re in ratione obiecti; quoniam aliàs nulla potentia attingeret immediatè proprium obiectum, cùm semper attingat media actione. Item etiam, quia sequeretur, quòd omnis delectatio consequeretur actum reflexum quo percipiretur illa actio attingens directè obiectum; quod est falsum; quoniã in brutis est propria delectatio, tamen non est huiusmodi reflexio supra proprias operationes. Item etiam, quoniam absurdum est dicere, aliud esse desiderare pecunias, quàm desiderare habere pecunias: sic ergo est dicendum iuxta Doctrinam D. Tho. visionem consideratam vt est bonum delectabile, esse fruitionis obiectum, non tamen ponens in numero in ratione obiecticum re visa, ac proinde vnica fruitione fruitur beatus Deo & visione ipsius, sicut & eadẽ visione videt Deum, & visionem qua ipsum videt; de quo plura diximus materia de beatitudine.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum à principio respondetur, quòd visionis est fruitio, & visio est obiectum fruitiouis, non tamen distinctum ab ipso Deo, vt dictum est, nec ponens in numero cum illo.

Ad 2. arg. Ad secundum respondetur, quòd visio est beatitudo formalis, nõ tamen obiectiua; & similiter est finis quo, non tamen finis qui: vnde obiectum frutionis non debet esse visio vtcunque, sed simul cũ Deo vt viso, & principaliùs Deus, quàm visio, tanquàm finis, qui est beatitudo obiectiua.

Ad 3. arg. Adtertium respondetur, quòd Deus est obiectum desiderij, iuxta illud Psalm. 41. Sicut desiderat ceruus, &c. ita desiderat anima mea ad te. Ad probationem autem respondetur, quòd licèt Deus secundùm se non habeat rationem futuri, bene tamẽ Deus vt videñ: vnde obiectũ desiderij est Deus videndus, & similiter obiectum fruitionis Deus vt visus, & principaliùs Deus quàm visio

Psal. 41.

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur, quòd fruitio est actus virtutis Theologicæ, videlicet Charitatis, quia, vt dicit D. Tho. 2. 2. q. 28. & 29. gaudiũ & pax sunt actus Charitatis, & similiter fruitio, vt nos latè ostẽdimus suprà, materia de beatitudine: nec oportet semper actum denominari à potẽtia vel habitu cuius est actus, præcipuè quando non est actus primarius; electio enim actus est Volunt atis, nec tamen appellatur volitio: ita ergo fruitio licèt nõ appelletur amor, est tamen actus Charitatis, licèt non primus, qui tantùm nomine amoris gaudet; quapropter fruitio immediatè potest erga Deum versari.

D. Tho.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm fruitio sit tantùm finis habiti.

AD quartũ sic procedi tur. *Videtur quod frutio non sit nisi finis habiti. Dicit enim Aug. 10. de Trinit.* † *quòd frui est cum gaudio vti, nõ ad huc spei, sed iam rei: sed quandiu nõ habetur, nõ est gaudium rei, sed spei: ergo fruitio non est nisi finis habiti.* † *Cap. 11. ante med. to. 3*

2. Præt. Sicut dictum est, † *fruitio non est propriè nisi vltimi finis, quia solus vltimus finis quietat appetitũ; sed appetitus non quietatur nisi in fine iam habito: ergo fruitio, propriè loquendo, non est nisi finis habiti.* *Art. 3.*

3. Præterea. Frui, est capere fructum; sed non capitur fructus, nisi quando iam finis habetur: ergo fruitio non est nisi finis habiti.

Sed contra, frui est amore inhærere alicui rei propter se ipsam, vt Aug. dicit †; *sed hoc potest fieri etiã dere non habita: ergo frui potest esse etiam finis non habiti.* *Lib. 1. de doctrina Christiana, c. 4. in prin. to 3*

Respondeo, dicendum, quòd Frui importat comparationem quandam Voluntatis ad vltimum finem, secundùm quòd Voluntas habet ali-

quid pro vltimo fine. Habetur autem vltimus finis dupliciter. Vno modo perfectè, & alio modo imperfectè. Perfectè quidem, quando habetur non solùm in intentione, sed etiam in re. Imperfectè autem, quando habetur in intentione tantùm. Est ergo perfecta fruitio iam habiti finis realiter, sed imperfecta est etiã finis non habiti realiter, sed in intentione tantùm.

Ad primum ergo, dicendũ, quòd Aug. loquitur de fruitione perfecta.

Ad secundum, dicendum, quòd quies Voluntatis dupliciter impeditur. Vno modo ex parte obiecti, quia scilicet non est vltimus finis, sed ad aliud ordinatur. Alio modo ex parte appetentis finem, qui nõdum adipiscitur finem. Obiectum autem est quod dat speciem actui, sed ab agente dependet modus agendi vt sit perfectus vel imperfectus secundùm conditionem agentis: & ideò eius quod non est vltimus finis, fruitio est impropria, quasi deficiens à specie fruitionis; finis autem vltimi non habiti est fruitio, propria quidẽ, sed imperfecta, propter imperfectũ modum habendi vltimum finem.

Ad tertium, dicendum, quòd finem accipere vel habere dicitur aliquis, non solùm secũdũ rẽ, sed etiã secũdũ intentionem, vt dictum est †. *In cor. art.*

Conclusio est, quòd fruitio perfecta est finis iam habiti realiter, imperfecta verò fruitio est finis non habiti realiter, habiti tamen in intentione & spe.

Probatur, quia perfectio actus prouenit ex modo quo agens se habet in ordine ad obiectũ: vnde cũ sit melior modus, fruitionis habendi obiectum in re, quàm in spe, inde est, quòd fruitio perfecta sit de obiecto in re habito, imperfecta verò de obiecto habito in spe.

DVBIVM I.

Vtrũ conclusio D. Th. verũ habeat.

PRobatur quòd non. Fruitio est vltimi finis possessi & habiti, vt dicit D. Tho. sed quando restantum est in intentione & spe, non est possessa & habita: ergo de tali re prout sic, & de Deo in hac vita, nullo modo potest esse fruitio. Minor probatur, quia habitio & possessio superuenit spei tẽdẽti ad possessionẽ: ergo quãdiu tantũ erat in spe, non erat possessa. Secundò probatur eadẽ minor, quia res dum tantum est in spe, & in intentione, est obiectum desiderij: ergo non est habita & possessa, nec est obiectum fruitionis. Patet cõsequentia, quia obiectũ desiderij est futurum, non autẽ habitum & possessum. Cõfirmatur, quia vt dicit D. Tho. supra art. 2. fruitio est quies in fine: sed quãdo tãtũ est in spe & intentione, nõ est quies in illa: ergo tunc non est fruitio illius. Minor probatur, quia quandiu est in spe & intentione, est motus & tendẽtia ad finẽ: ergo tũc non est quies, quies enim supponit motũ præteritum, & tantũ est in termino extrinseco motus. 1. Arg.

Nihilominus cõclusio D. Th. est vera, vt patet eius authoritate.

Ad arg. resp. quòd possessio & habitio Dei est duplex: altera perfecta, altera verò imperfecta. Prima est in beatis; secunda in iustis viatoribus. Prima habetur per clarã visionem; secunda per gratiam; vnde respectu vnius potest esse fruitio, respectu verò alterius desiderium: desideratur enim Deus habendus in gloria, est autẽ fruitio illius habiti per gratiam. Si autẽ dicas, quòd per gratiam nõ habetur Deus, sed aliquod donum & effectus, tanquam pignus Dei habendi per gloriam: Respondetur, quòd qui est in gratia, non solùm habet donum gratiæ, sed, vt inquit D. Tho. 1. p. q. 43 art. 3. in ipso dono gratiæ gratum facientis Spiritus sanctus habetur, & inhabitat hominem; vnde ipsemet Spiritus sanctus datur & mittitur. Et solutione ad primum iterũ ait; Per donũ gratiæ gratũ facientis perficitur creatura rationalis ad hoc quòd liberè nõ solũ ipso dono creato vtatur, sed vt ipsa diuina persona fruatur, & ideò missio inuisibilis fit secundùm donum gratiæ gratum facientis; & tamen ipsa persona diuina datur; & hoc ipsum docet Magister in 1. dist. *Ad arg.* *Obiectio.* *Solutio.* *D. Tho.* *Magister.*

1. dist. 14. & cum illo Theologi; quæ veritas adeò est certa, vt oppositum sit error, vt patet ex illo ad Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctũ qui datus est nobis; vbi distinguit inter ipsum donum Charitatis, & ipsam personam Spiritus sancti quæ datur nobis. Et Actorum. 8. cùm vidisset Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, &c. Et Ioānis 14. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis. Ecce qualiter dicitur dari ipsum Spiritũ sanctum, quia ille est qui promittitur. Et 1. ad Cor. 3. Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis, & tẽplũ Dei sanctũ est quod estis vos? Templũ autem non dicatur dono, sed ipsi Deo: ipsa ergo persona Spiritus sancti habitat hominẽ iustũ. Hoc ipsum docet Augusti. tracta. 74. super Ioannem, & 15. de Trinit. c. 26. & Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto, c. 4. dicens: Licèt multi dicantur spiritus, vnus est tamen Dei Spiritus, quem consequuti sunt Apostoli & Prophetæ, qui Spiritus sanctus non de substantia rerum est corporalium, nec de substantia inuisibilium creaturarum. Et Leo Papa in festo Pentecostes inquit: Spiritus sanctus datur non solùm secundùm virtutem, & operationem, sed etiam secundùm præsentiam maiestatis. Qualiter autem ipsa persona diuina habeatur à iusto, difficiliter explicatur; non enim est per vnionem substantialem, vt materia & forma vniuntur; nec per accidentalem, vt accidens in subiecto; nec per vnionem hypostaticam, vt Verbum diuinum humanitati; sed quadam vnione ineffabili proprio nomine carente, pertinente tamen ad genus vnionis amati & intellecti. Si autem interroges, vtrùm etiam hoc modo habeatur Deus, vt aliqualiter illius possit esse fruitio ab habente tantùm Fidem, & non Charitatem; quia sicut Charitas specialis est effectus Spiritus sancti, ita & Fides specialis est effectus Verbi diuini pertinentis ad Intellectum: sicut ergo per Charitatem habetur persona Spiritus sancti, ita & per Fidem solam habebitur ipsa persona Filij: Respondetur tamen ex D. Th. loco citato, art. 5. ad 2. quòd cùm Filius sit Verbum, non qualecunque, sed spirans amorem, vnde Aug. 9. de Trin. c. 10. ait: Verbum autem quod insinuare intendimus cum amore notitia est; ideò ergo nõ secundùm quamlibet perfectionem Intellectus habetur Filius, sed secũdùm talem, qua prorumpat in affectum amoris, vt insinuatur Ioan. 6. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me: & in Psalmo, In meditatione mea exardescit ignis: & hac ratione Verbum dicitur Sapiẽtia, quasi sapita scientia; quod importat etiam perfectionem Voluntatis: per Fidem ergo mortuam non habetur persona Verbi, nisi Charitas adiungatur.

Ad Ro. 5. *Actor. 8.* *Ioan. 14.* *1. ad Cor. 3* *D. Aug.* *D. Ambr.* *D. Leo Papa.* *Obiectio.* *Solut. D. Tho. Augustt.* *Ioan. 6.*

DVBIVM II.

Vtrùm fruitio imperfecta, quæ habetur in Via, differat specie à fruitione perfecta Patriæ.

PArs negatiua probatur. Primò. Versantur circa idẽ obiectũ: ergo nõ differũt specie. Antecedens patet, quia vtraque versatur circa ipsum Deũ, & solũ differũt penes magis vel minus perfectè eũhabere. *1. Arg.*

Secũdò arg. Charitas Viæ & Charitas Patriæ nõ differũt specie: ergo nec fruitiones. Antecedens est notũ, & cõsequẽtia probatur, quia fruitio est actus cõsequẽs amorẽ: ergo si amor in Via & in Patria nõ differt specie, nec etiã fruitio cõsequẽs amorem. *2. Arg.*

Tertiò arg. quia D. Th. art. præsenti ad 2. ait, esse propriã fruitionẽ quæ habetur in Via: ergo est eiusdem speciei cũ fruitione Patriæ. Cõsequẽtia probatur, quia fruitio nõ est species subalterna, sed atoma actionis Volũtatis, sicut intẽtio & simplex voli tio: ergo si propriè est fruitio, erit eiusdem speciei. *3. Arg.*

Propter hæc argumenta tenet hanc sententiam Med. hic, & idem videtur tenere Gab. in 1. d. 1. q. 4. ar. 2. cõcl. 5. & certè sentẽtia probabilis est, maximè propter secundũ argumentũ, & videtur esse D. Th. asserẽtis, delectationẽ in genere moris pertinere ad eãdẽ speciẽ, ad quã pertinet operatio quã delectatio cõsequitur: cũ ergo fruitio sit delectatio cõsequẽs amorẽ, si amor nõdi fert specie in Via & Patria, nec etiã fruitio. *1. Sent. Med. Gab.*

Secũda tamen sentẽtia est etiã probabilis, quã tenet Cõrad. hic, ar. 4. in expositione corporis, & ad secundũ, & Scot. in 4. d. 49. q. 7. quòd fruitio Viæ & Patriæ specie differãt: quæ probatur primò, nã beatitudo Viæ & Patriæ differũt specie: ergo & fruitiones. Antecedẽs patet, præcipuè iuxta nostrã sentẽtiam, qua asseruimus suprã, beatitudinẽ Patriæ cõsistere in actione Intellectus, nẽpe in visione clara, beatitudinẽ tamen Viæ cõsistere in actione Volũtatis: *2. Sent. Conrad. Scot*

& in quacunque opinione, etiamsi consistat in actu Intellectus, est per donum Sapientiæ, quod alterius rationis est à visione clara Patriæ. Consequentia verò probatur, quoniam fruitio est velut propria passio cuiuscunque beatitudinis: ergo si beatitudines specie differunt, etiá fruitiones. Secundò probatur. Deus clarè visus & præsentialiter habitus, est aliud obiectũ â se ipso habito solùm in spe & per cognitionem obscuram; sed fruitio Patriæ habet pro obiecto Deum clarè visum, & in re habitum, fruitio autem Viæ non sic: ergo licèt fruitio Viæ sit verè & proprie fruitio, quoniam est propriè & verè de re fruibili, & propter se amabili, alijsque omnibus præferibili, & de eodem cuius est fruitio Patriæ, non tamen erit formaliter eiusdem obiecti, nec eiusdem speciei.

Conclus. Conclusio tamen sit, quòd licèt hæc secunda sententia sit probabilis, prima tamẽ est probabilior, maximè iuxta dicta in præcedenti dubio, quòd idem Deus substantialiter & personaliter habetur à iusto in Via atque in Patria: & solùm est differentia ex parte Intellectus per clarè vel obscurè cognoscere; quod non sufficit variare speciem actuum Voluntatis, quia illud nõ est ratio formalis, sed solùm conditio. Vnde

Ad 1. arg. Ad primum argumentum secundæ sententiæ respondetur, negando consequentiam. Ad probationem dicimus, amorem & delectationem non esse propriè & in rigore proprias passiones gratiæ & gloriæ, sed habere se quodammodò vt passiones, quantum ad hoc quòd delectatio vel fruitio infallibiliter concomitatur beatitudinem, & vbicunque est gratia aut gloria, est etiam amor & delectatio; vnde non sequitur, quòd etiamsi beatitudo sit alterius speciei, similiter debeat esse & fruitio, eo vel maximè, quòd potiùs debet attẽdi ad principia proxima: proximum autem principium fruitionis est amor: vnde cùm amor Viæ & Patriæ sit eiusdem speciei, similiter & fruitio.

Ad 2. arg. Ad secundum respondetur, quòd esse clarè vel obscurè cognitum, diuersificant obiectum Intellectus in ratione cognoscibilis, non tamen diuersificant obiectum Voluntatis; vnde nec fruitionem pertinẽtem ad Voluntatem; quia adhuc erit idem obiectum in ratione fruibilis.

QVÆSTIO XII.

De Intentione.

ARTICVLVS I.

Vtrùm intentio sit actus Voluntatis.

SIC ad primum procedi- 2.2.q.108. artt. 1. cor. & 2.d.38. ar.3.& veri,q.23.ar. 13.& mal. q.16.ar.11 ad 3.
tur. Videtur quòd intẽtio sit actus Intellectus, & nõ Volũtatis. Dicitur enim Matth.6. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: vbi per oculum significatur intentio, vt dicit Augustinus † *in lib. de sermone Domini in monte; sed oculus cùm sit instrumentum visus, significat apprehensiuam potentiam: ergo intentio non est actus appetitiuæ potentiæ, sed apprehensiuæ.* Lib.2.c.1 circ.in.4.

2. Præterea. Ibidem Augustinus dicit, † *quòd intentio lumen vocatur à Domino, vbi dicit: Si lumen quod in te est, tenebræ sunt, &c. sed lumen ad cognitionem pertinet: ergo & intentio.* Lib.2.cap. 21.in.4.

3. Præt. Intentio designat ordinationem quandam in finem: sed ordinare, est Rationis; ergo intentio non pertinet ad Voluntatem, sed ad Rationem.

4. Præt. Actus Voluntatis non est nisi finis, vel eorum quæ sunt ad finem: sed actus Voluntatis respectu finis vocatur Voluntas, seu fruitio; respectu autem eorum quæ sunt ad finem, est electio; à quibus differt intẽtio: ergo intentio non est actus Voluntatis.

Sed

Sed cõtra est quod Aug. dicit in 10. de Trin.† quòd Voluntatis intẽtio copulat corpus visum visui: & similiter speciem in memoria existentem ad aciem animi interius cogitantis: est igitur intentio actus Voluntatis.

Cap. 7. circa finem & libr. 11. c. 3. & 4. clarius, & c. 6. to. 3.

Respondeo, dicendum, quòd intẽtio, sicut ipsum nomen sonat, significat, in aliud tendere. In aliquid autem tendit, & actio mouentis, & motus mobilis: sed hoc quòd motus mobilis in aliquid tendit, ab actione mouentis procedit. Vnde intentio primò & principaliter pertinet ad id, quod mouet ad finem; vnde dicimus, Architectorem, & omnem præcipientem mouere suo imperio alios ad id ad quod ipse tendit. Voluntas autem mouet omnes alias vires animæ ad finem, vt suprà† habitũ est; vnde manifestum est, quòd intentio propriè est actus Voluntatis.

q. 9. ar. 1.

Ad primum ergo, dicẽdum, quòd intentio nominatur oculus metaphoricè, non quia ad cognitionem pertinet, sed quia cognitionem præsupponit, per quam proponitur Voluntati finis ad quem mouet: sicut oculo præuidemus quò tendere corporaliter debeamus.

Ad secundũ, dicendũ, quòd intẽtio dicitur lumen, quia manifesta est in tẽdẽti; vnde & opera dicũtur tenebræ, quia homo scit quid intendit, sed nescit quid ex opere sequatur, sicut Augustꝰ† ibidem exponit.

Libr. 2. de ser. Dñi in mont. c. 21. à med. ad fin. vsque tom. 4.

Ad tertium, dicendum, quòd Volũtas quidem non ordinat, sed tamẽ in aliquid tendit secũdùm ordinem rationis; vnde hoc nomen Intentio nominat actum Voluntatis, præsupposita ordinatione Rationis ordinantis aliquid in finem.

Ad quartum, dicendum, quòd intẽtio est actus Voluntatis respectu finis: sed Voluntas respicit finem tripliciter. Vno modo absolutè, & sic dicitur Voluntas, prout absolutè volumus vel sanitatẽ, vel si quid aliud est huiusmodi. Alio modo consideratur finis secundùm quòd in eo quiescitur, & hoc modo fruitio respicit finem. Tertio modo consideratur finis secundùm quòd est terminus alicuius quod in ipsum ordinatur: & sic intẽtio respicit finẽ; nõ enim solũ ex hoc intẽdere dicimur sanitatẽ, quia volumus eam, sed quia volumus ad eam per aliquid aliud peruenire.

Conclusio est affirmatiua.

DVBIVM I.

Vtrũ conclusio D. Th. verũ habeat.

PRobatur quòd nõ. Primò. Intentio dicit ordinẽ mediorũ ad finẽ: ordinatio autẽ pertinet elicitiuè ad Intellectũ: ergo & intendere. Maior patet, quia in hoc differt intẽtio à simplici volitione & fruitione, vt ait D. Th. ad 4. quòd intẽtio respicit finẽ, vt terminũ mediorũ ordinatorum ad ipsum; alij autẽ nõ sic. Minor etiã patet, quia ea ratione dictũ est suprà, bruta nõ se mouere in finẽ per intentionẽ, quia nõ se ordinant in illũ: cũ ordinare sit actus Rationis, qua carent. Si resp. cũ D. Th. intentionẽ importare ordinationem Rationis præsuppositiuè, nõ autẽ formaliter, sed ad actũ tendentiæ Volũtatis ab vno in aliud: Cõtra arg. nã intendere formaliter, est ab vno ad aliud tẽdere: sed nequit intelligi tẽdentia vnius ad aliũ, sine ordine vnius ad aliud: ergo ordinatio vniꝰ ad aliud, formaliter includitur in intẽtione, & sic intentio pertinebit ad Intellectũ, cuiꝰ est ordinare; & hac ratione D. Th. q. sequẽti, ar. 1. docet, q licèt electio materialiter, & quantũ ad substãtiam, sit actus Volũtatis; tamen formaliter est actus Intellectus: ergo eadem ratione dicendum erit de intentione.

1. Arg.

Solut.

Impug.

Secundò

2.Arg. Secundò argumentor,nã in sacra Scriptura intentio comparatur oculo,vt patet ex Aug.citato à D.Th. argumento primo & secundo explicante illud Matth. 6. & Luc. 11.Si oculus tuus fuerit simplex,&c. Sed oculus animæ non est Voluntas,cùm potius sit potentia cæca : ergo est Intellectus, & consequenter intentio est actus eius.

3.Arg. Tertiò argumentor.Intentio est circunstantia actionis Voluntatis : ergo non est actus ipsius. Antecedens patet, quia inter circunstantias præcipua est, cuius gratia aliquid fit ; quod nomine intentionis importatur. Consequentia verò probatur, quia circunstantia est aliquid extra essentiam actus,quæ non est ab eodem agente, â quo & ipsa substantia actus, ac proinde non est à Voluntate.

4.Arg. Quartò argumentor,nam actus Voluntatis correspondẽt passionibus, quæ sunt in appetitu sensitiuo;vt verbi gratia, simplex volitio correspondet amori, fruitio autem delectationi:sed non potest assignari passio cui correspondeat intẽtio ex parte Voluntatis:ergo illa non est actus Voluntatis.

D.Bona. In hac re D.Bonauent.in 2. dist.38.art. 2.q.2. tenet, intentionem importare duplicem actum ; alterum ex parte Intellectus, videlicet ordinationem mediorum ad finem:alterum verò ex parte Voluntatis, videlicet tendentiam ex medijs ad finem, & vtrumque importare formaliter & essentialiter.*Conclu.D. Tho.* Conclusio tamen D. Tho. omnino est tenenda, quòd licèt intentio præsupponat actum Intellectus, non tamen consistit formaliter & essentialiter nisi in actu Voluntatis.*M.Sent.* Sic etiam tenet Magister Sententiarum in secundo, distinctione 38. *Scot. Durán. Gabr. Richard. Conrad.* Scotus eadem distinctione, q. vnica,Durand.q.2.vbi optimè de hoc loquitur,Gabr.q.vnica,art.3. Richardus art. 3.q.1.Conrad.& omnes discipuli D. Th. hic,quæ probatur primò ratione D. Tho. hic, nam intendere,dicit in aliud tendere, & consequenter importat motum, & ex parte passi tendentis, & ex parte agentis à quo habet tendere;& cùm in motu præcipuè consideretur agens quã passum, ideò intẽtio pertinet ad agens & mouẽs;sed sic est,quòd inter potentias primũ mouens & agens est Voluntas,vt suprà dictum est,ad quã pertinet,vt ad superiorẽ,mouere inferiores potẽtias : ergo ad Voluntatẽ pertinet formaliter intẽtio.Secundò probatur etiã ratione D.Th.in 2.d.38.q.1.ar.3.quia cũ intẽdere sit in aliud tẽdere,ad illã potẽtiã pertinet intẽtio,ad quã pertinet prosequutio vel fuga:hęc autẽ nõ est Intellectus, sed Volũtas:ergo intẽtio nõ est formaliter Intellectus,sed Volũtatis. Minor probatur,quia nec est Intellectus speculatiui,cũ ad illũ nõ solũ non pertineat prosequi vel fugere,sed neque dictare aliquid esse prosequendũ vel fugiendũ. Nec etiã pertinet ad Intellectũ practicũ,quia licèt ad illum pertineat dictare prosequutionẽ vel fugã, nõ tamen ipsum prosequi vel fugere ; sed hoc habet Volũtas ex tali dictamine Intellectus:ergo ad Volũtatem & nõ ad Intellectũ pertinet intentio. Tertiò probatur. Intẽtio est actus qui versatur circa finẽ : finis autẽ vt sic est obiectũ Voluntatis: ergo & intẽtio est eius actus. Maior est D.Th. supra q.8.in proœmio,& hic ad quartũ. Minor probatur, quia cùm bonũ & finis sint idẽ,& bonũ sit obiectũ Voluntatis,similiter & finis.Quartò probatur. Volũtas mouet sed aliquos actus:ergo ex præuolitione alicuius obiecti. Antecedens patet,quia nõ est potẽtia purè passiua.Cõsequẽtia verò probatur,quia sicut omnis cognitio secũdaria fit ex præexistente cognitione,ita & omnis volitio ad quã se mouet Voluntas,cũ sit secundaria,debet esse ex præexistente volitione formali aut virtuali alicuius obiecti. Tunc vltra: Voluntas mouet se ex præuolitione alicuius ad volendum aliud:ergo in ipsa est intentio. Patet consequentia,quia,vt dictum est, nihil aliud est intentio,quàm motio ex vno ad aliud. Alia videantur circa hanc conclusionem in D.Th.q.22.de veritate,art.13. *D.Tho.*

Ad primũ arg.resp.bonam esse illã solutionẽ.Nec replica aliquid facit, quia quãtuncunque in proprio conceptu intẽtionis includatur ordinatio,tantũ est vt quid præsuppositum,nec est eadem ratio de elẽctione,quæ formaliùs importat talem ordinationem,vt dicitur quæstione sequẽti. *Ad 1.arg.*

Ad secundum respõdetur, quòd vt intentio appelletur oculus vel lumen, sufficit præsupponere lumen & oculum Intellectus. Vel præterea appellatur oculus, vt insinuat Aug.lib.de opere monachorum, c.26.per similitudinem ad oculum;quia sicut oculus dirigit gressus nostros, ita & intentio dirigit actiones nostras in finẽ, non per modum ordinantis, quod pertinet ad Intellectũ,sed per modũ mouentis; quod pertinet ad Voluntatẽ. Aut tertiò dicitur oculus, *Ad 2.arg.* *2.Solut.* *3.Solut.*

Gabr. oculus, quia, vt dicit Gab. loco citato, dub. 3. per intentionem discernitur quæ operatio sit bona, quæ verò mala; quã explicationem expresse adhibet Aug. libr. 4. contra Iulianum, c. 3. circa finem. Aut quartò vocatur oculus, quia iuxta intentionem nostram apparent opera nostra lucida vel tenebrosa ante Deum; quod insinuat ipse Christus Dominus dicens: Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidũ erit; si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Hanc explicationem adhibet D. Greg. 28. moralium, c. 13. & homil. 7. super Ezechielem, in princip.

Aug. 4. Solut.

D. Greg.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum, quod est Aureoli apud Capreol. in 1. distin. 1. q. 1. contra quartam conclusionem, vbi alia argumenta videantur. Respondetur negando consequentiam, quia accidentia sunt extra substantiam rei genitæ, & tamen efficienter ab eodem generante, à quo & substantia. Secundò respondetur, quòd intentio sumpta pro fine intento ab operante, vt alibi dicitur, est circunstantia; sumpta autem pro actu, non est circunstantia actus, sed ipse actus Voluntatis.

2. Solut.

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur, quòd etiam ex parte appetitus correspondet aliquid intentioni, nempe Spes & desiderium, licèt aliqua sit differentia, quòd Spes & desideriũ potest esse de medijs, intentio autem tantùm de fine; conueniunt tamen aliqualiter, quòd tam intẽtio, quã desideriũ, sunt de futuro. Pro cuius maiori intelligẽtia diximus, quòd desideriũ, spes & intentio, habent se sicut superius & inferius; latiùs enim patet desiderium, quàm spes, & spes quàm intentio: vnde valet, si est intentio, quòd est desiderium vel spes; non tamen è contra, quia desiderium tantùm dicit appetitum futuri, qualecunque illud sit: spes autem dicit appetitum futuri difficilis, intentio autem dicit futurum, prout consequibile per media; quare desideriũ & spes possunt etiam esse de medijs, quòd & hæc futura sunt, intentio autem solùm de fine.

DVBIVM II.

Vtrùm simplex volitio, intentio & fruitio, differat specie & essentialiter.

1. Arg. VIdetur quòd non. Primò, quia ratio finis est quid commune in terminãdo omnia prædicta: non ergo differunt essentialiter & specificè, sed vt plurimum accidentaliter secundùm diuersum modũ attingendi finem.

2. Arg. Secundò argumentor. Quies & motus tantùm opponuntur priuatiuè, nõ autem tanquàm duæ species: sed intentio & fruitio, vt dictum est suprà, comparantur ad finem per modum motus & quietis: ergo erit oppositio priuatiua inter illa, & non distinctio specifica.

3. Arg. Tertiò argumẽtor. Tam intentio, quàm simplex volitio, respiciunt finem secundùm rationem formalissimam finis: ergo non distinguuntur specie. Consequentia patet, quia distinctio specifica ex distinctione formali obiecti deberet sumi. Antecedens verò probatur, quia finis formaliter vt finis, dicit bonitatem vt acquisibilem per media: cùm ergo simplex volitio attingat bonitatem, intentio autem attingat illam vt acquisibilem per media, tam intentio, quàm simplex volitio attingunt formaliter finem sub ratione finis.

4. Arg. Quartò argumentor. Circa media non sunt actus distinctæ speciei: ergo nec circa finem; eadem enim est ratio medij ad finem, atque finis ad media.

5. Arg. Quintò argumentor. Finis (verbi gratia) Temperantiæ est vnus specie, quia & virtus Temperantiæ, quæ à tali fine specificatur, est vna specie atoma: ergo actus circa talem finem, siue per modum intentionis, siue per modum fruitionis, &c. non poterunt distingui specie. Patet consequentia, quia non potest intelligi quòd actus proficiscantur ab eadem virtute specie, & terminentur ad eundem terminum specificum, & nihilominus distinguantur specie; quia motus species non desumitur nisi à termino ad quem, & vt plurimũ, prout respicit terminum â quo: si ergo finis, qui est terminus ad quem, & virtus eliciens actum, qui est veluti terminus à quo, sunt eiusdem speciei, similiter & actio quæ habet rationem motus inter vtrumque.

Conclusio tamen D. Tho. ad quartũ, est tenẽda, quòd prædicti actus distinguũtur specie, quatenus licèt omnes respiciant finem alia & alia ratione formali, sicut contingit in lapide, appetit enim centrũ, descẽdit ad centrũ, & post motum quiescit in centro: certũ est tamẽ, quòd appetere centrũ, descendere ad illud, & quiescere in illo, sunt diuersæ rationis & speciei; quia licèt principium & terminus omnium illorum sit idem materialiter, & entitatiuè; formaliter tamen distinguuntur, vt patet.

Ad

Ad 1.arg. Ad primũ resp.quòd ratio finis licèt materialiter sit eadem,& quasi communis omnib⁹ illis actibus; formaliter tamẽ,vt dictũ est,distinguitur respectu illorũ, quatenus alia ratione attingitur ab vno & alio.

Ad 2.arg. Ad secundũ resp.q̃ quies sumitur dupliciter.Primò priuatiuè,vt dicit negationem motus:secũdò positiuè, vt dicit peculiarẽ actũ in viuentibus, scilicet delectationẽ,quam diximus esse actũ elicitũ potentiæ appetitiuæ. Primo modo tantùm opponitur priustiuè actui. Secundo modo etiam specificè.Fruitio autem est quies in fine secundo modo,vnde & specie distinguitur ab intentione habente rationem motus.

Ad 3.arg. Ad tertium resp. quòd licèt ad rationẽ finis vtrumque pertineat,& ratio boni, & quòd tale bonũ sit acquisibile per media: primum tamen pertinet ad primariam & propriam & intrinsecam, & absolutam cõsiderationem finis:secundum autem pertinet ad secundariam rationem finis, vt suprà dictum est:bene ergo habent intentio & simplex volitio per quid specie distinguantur,quia vnum attingit finem secundùm primariam rationem absolutè, alterũ autem secundùm rationem secundariam.

Ad 4.arg. Ad quartũ resp.quòd medium cùm tantum habeat bonitatem participatam finis, & tantũ consideretur in ordine ad illum, tantùm est vnicus modus tendendi in medium per electionem;cùm autẽ finis præter habitudinem ad media,habeat alias cõsiderationes prædictas,plurimis potest esse modis tendentia in illum

Ad 5.arg. Ad quintũ resp.quòd finis Tẽperantiæ & actus illius possunt dupliciter cõsiderari. Primò in ratione formali illius virtutis, & sic sicut virtus est vna species atoma, ita & omnes actus illius & finis sunt eiusdem speciei.Secũdò autẽ possunt cõsiderari in ratione fruitionis vel intẽtionis; quæ ratio quasi materialiter se habet ad rationẽ Tẽperãtiæ,& isto modo specie distinguũtur: sicut enim nullus potest negare, q̃ electio & intentio temperata licèt in ratione tẽperatæ sint eiusdem speciei; tamen in ratione electionis, & intentionis specie distinguuntur;ita & intentio & fruitio licèt in ratione temperatæ conueniant in eodem fine specifico, in ratione tamen intentionis & fruitionis absolutè specie possunt distingui. Verbi gratia,actus Intellectus circà principia Physicę, & circa cõclusiones illius in ratione formali Physicæ,sunt eiusdem speciei:tamen in ratione actuum Intellectus specie distinguuntur, quatenus alius actus est Intellectus, & alius ratiocinatio.

ARTICVLVS II.

Vtrùm intentio sit tantùm vltimi finis.

AD *secundum sic proceditur.Videtur quòd intentio sit tantùm vltimi finis.Dicitur enim in libro Sententiarum Prosperi.* † *Clamor ad Deum, est intentio cordis*; *sed Deus est vltimus finis humani cordis:ergo intentio semper respicit vltimum finem.* 2.2.q.180 ar.1.cor.& 2.d.38.ar. 3. & ver. q. 22.art. 13.cor.

Secundò præterea.Intentio respicit finem secundùm quod est terminus,vt dictum est : † *sed terminus habet rationem vltimi finis:ergo intentio semper respicit vltimum finem.* Sent.110. ar.1.ad 3.

3.Præt.Sicut intentio respicit finẽ, ita & fruitio:sed fruitio semper est vltimi finis:ergo & intentio.

Sed contra,vltimus finis humanarum Voluntatum est vnus, scilicet beatitudo,vt suprà dictum est:† *si igitur intentio esset tantùm vltimi finis,non essent diuersa hominum intentiones*; *quod patet esse falsum.* q.1.ar.7.

Respondeo,dicendum,quòd,sicut dictum est, † *intentio respicit finem secundùm quòd est terminus motus respectu Volũtatis. In motu autem potest accipi terminus dupliciter. Vno modo ipse terminus vltimus,in quo quiescitur, qui est terminus totius motus. Alio modo aliquod medium, quod est principium vnius partis motus, & finis,vel terminus alterius;* art.1.huius quæst.

alterius; sicut in motu quo itur de A. in C. per B. C. est terminus vltimus, B. autē terminus, sed nō vltimus, & vtriusque potest esse intentio; Vnde etsi semper sit finis, non tamen oportet quòd semper sit vltimi finis.

Ad primum ergo, dicēdum, quòd intentio cordis dicitur clamor ad Deum, non quòd Deus sit obiectum intentionis semper, sed quia est intentionis cognitor: vel quia cùm oramus, intentionem nostram ad Deum dirigimus; quæ quidē intentio vim clamoris habet.

Ad secundum, dicendum, quòd terminus habet rationem vltimi finis, sed non semper vltimi respectu totius, sed quandoque respectu alicuius partis.

Ad tertium, dicendum, quòd fruitio importat quidem quietē, quæ est in fine, quod pertinet solum ad vltimum finem: sed intentio importat motum in finem, non autem in quietem: vnde non est similis ratio.

1. Concl. Prima conclusio. Intentio semper respicit finem secundùm quod est terminus motus Voluntatis.

2. Conc. Secunda conclusio. Intentio non tantùm est finis vltimi, sed etiam non vltimi.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Voluntas possit intendere duo.

AD tertium sic proceditur. Videtur quòd non posset aliquis simul intendere plura. Dicit enim Augustin. in libro de sermone † Domini in monte, quòd non potest homo simul intendere Deum, & cōmodum corporale: ergo pari ratione neque aliqua alia duo. lib. 2. ex c. 21. 22. 24. & 25. 10. 4

Secundò præterea. Intentio nominat motum Voluntatis ad terminum: sed vnius motus non possunt esse plures termini ex vna parte: ergo Voluntas non potest simul multa intendere.

Tertiò præterea. Intentio præsupponit actum Rationis, siue Intellectus; sed non contingit simul plura intelligere, secundùm Philosophum: † ergo etiam neque contingit simul plura intendere. Lib. 2. Topic. 4. in declaratione 23. loci. tomo 1.

Sed contra. Ars imitatur naturam: sed natura ex vno instrumento intendit duas vtilitates, sicut lingua ordinatur ad gustum & ad loquutionem, vt dicitur in 3. de anima: † ergo pari ratione ars, vel ratio potest simul aliquid vnum ad duos fines ordinare; & ita potest aliquis simul plura intendere. In fine & lib. 2. text. 88.

Respondeo, dicendum, quòd aliqua duo possunt accipi dupliciter, vel ordinata adinuicem, vel non ordinata: & si quidem adinuicem fuerint ordinata, manifestum est ex præmissis, † quòd homo potest simul multa intendere; est enim intentio non solùm finis vltimi, vt dictum est, sed etiam finis medij; simul autem intendit aliquis & finem proximum, & vltimum, sicut confectionem medicinæ & sanitatem. Si autem accipiantur duo adinuicem non ordinata, sic etiam simul homo potest † plura intendere; quod patet Art. 2. huius q. Ar. 2. huius q.

Veri. q. 13 ar. 13. cor.

d. 199.

ex

ex hoc, quòd homo vnum alteri præ elegit, quia melius est altero. Inter alias autem conditiones quibus aliquid est melius altero, vna est, quòd ad plura valet: vnde potest aliquid præeligi alteri, ex hoc quòd ad plura valet, & sic manifestè homo simul plura intendit.

Ad primum ergo, dicendum, quòd Augustinus intelligit, hominem non posse simul Deum, & commodum temporale intendere sicut vltimos fines: quia, vt suprà ostensum, † q.1.ar.5. *non possunt esse plures fines vltimi vnius hominis.*

Ad secundum, dicendum, quòd vnius motus possunt ex vna parte esse plures termini, si vnus ad aliũ ordinetur; sed duo termini adinuicem non ordinati ex vna parte vnius motus esse non possunt. Sed tamen considerãdum est, quòd id quod non est vnum secundùm rem, potest accipi vt vnum secundùm rationẽ. Intentio autem est motus Voluntatis in aliquid præordinatũ in Ratione, sicut dictum est, † Arti.1.ad 3. *& ideò ea quæ sunt plura secundùm rem, possunt accipi vt vnus terminus intentionis, prout sunt vnum secundùm rationem; vel quia aliqua duo concurrunt ad integrandum aliquid vnũ; sicut ad sanitatem concurrunt calor & frigus cõmensurata: vel quia aliqua duo sub vno cõmuni cõtinẽtur, quod potest esse intentũ; puta acquisitio vini & vestis cõtinetur sub lucro, sicut sub quodam cõmuni; vnde nihil prohibet, quin ille qui intendit lucrum, simul hæc duo intendat.*

Ad tertium, dicendum, quòd sicut in primo dictum est, † q.85.ar.4. *contingit simul plura intelligere, in quantum sunt aliquo modo vnum.*

Prima conclusio. Si illa duo sint subordinata, potest ea simul intendere. 1.Concl.

Secunda conclusio. Etiamsi subordinata non sint, potest ea intendere simul. 2.Concl.

DVBIVM I.

Vtrùm ista secunda conclusio Diui Thomæ sit vera.

PROBATVR quòd non. Primò, argumento 3. Diui Thomæ, nam Intellectus nequit intelligere plura simul per modum plurium: ergo nec Voluntas potest sic in ea tendere. Antecedẽs est Arist. 2. Topicorum, c. 4. & Diui Tho. 1. part. quæst. 85. art. 4. Consequentia verò probatur, quia quod non potest intelligi, nec potest amari nec intendi, quia, vt diximus quæst. 9. artic. 4. nihil potest esse volitum, quod non fuerit prægnitum: ergo quæ non possunt simul esse cognita per modum plurium, nec etiam poterunt esse amata & intenta. 1.Arg.

Secundò argumentor. Non possunt esse duo fines respectu eiusdem agentis: ergo non possunt duo simul intendi. Antecedens est D. Th. hic ad primum. Consequentia verò probatur, quia impossibile non potest esse obiectum intentionis, vt dicetur infrà: ergo si est impossibile esse duos fines nõ subordinatos, etiam erit impossibile duo non subordinata intendi, cũ intentio sit de fine. Si respondeatur, antecedens esse verum de fine vltimo, non verò de fine intermedio; vltimus enim tantũ est vnus, nec de hoc loquitur D. Th. in cõclusione, sed de intermedijs; isti enim diuersi esse possunt, & nõ adinuicẽ subordinati, & sic potest plura intendere simul, quatenus potest non solũ tendere in vltimũ finẽ & in aliũ intermediũ ordinatum ad ipsum, sed etiam potest simul tẽdere ad duos intermedios adinuicem non subordinatos: Cõtra argumentor, nã intentio proprie & perfectè non solũ versatur circa finem vltimũ, sed etiã circa non vltimum: ergo si nõ potest versari circa duos vltimos simul, nec etiam circa duos intermedios. Consequentia patet ex paritate rationis, & antecedens est D. Th. ar. 1. præcedenti. 2.Arg. Solut. Impug.

In

1. Senten. Conr. Med. Ferrar.

In hac re est prima sententia Conradi & Medinę hic & Ferrara 1. cõtra Gentes, cap. 55. circa secundam rationem, & aliorum Thomistarum asserentium, quod sicut intellectus licèt non possit intelligere plura per modum plurium perfectè, tamen imperfectè bene potest: quo pacto intelligendus est Arist. loco citato, vt bene explicat Soto 1. Posteriorum, q. 1. ad quartum argumentum, & in 4. sententiarum dist. 49. q. 3. art. 3. circa conclusionem 9. & D. Gregor. in Pastorali, parte prima cap. 4. dicens: Impar quisquam inuenitur ad singula, dum confusamente diuiditur ad multa: quod alijs verbis solet ferri in prouerbio, Pluribus intentus, minor est ad singula sensus. Et Ecclesia. 11. Fili, ne in multis sint actus tui. Ita similiter Voluntas non potest plura vt plura simul intendere perfectè, bene tamen imperfectè, quia Voluntas in omnibus & per omna sequitur Intellectum.

Eccls. 11.

2. Sent. Caiet.

Secunda sententia est Caiet. hic, quòd etiam perfectè voluntas possit intendere diuersa nullo modo subordinata subordinata; quia cum hęc sit differentia inter Intellectum & Voluntatem, quòd Intellectus fertur ad res prout sunt in ipso; Voluntas verò fertur in res, prout sunt in seipsis, vt docet D. Thom 1. p. q. 16. arti. 1. hinc est, quòd cùm res in Intellectu sint vnitæ per speciem & in vno principio, in seipsis autem sint diuisæ & diuersæ, licèt à ratione possint vnum ad alterũ ordinari ad inuicem, hanc ratione non est idem de Intellectu & Voluntate, sed licèt Intellectus necessariò debeat ferri indiuersa per modũ vnius, tamen Voluntas potest ferri indiuersa per modũ pluriũ.

1. Concl.

Prima conclusio. Voluntas bene potest intendere plura non subordinata ad inuicem, vt plures fines intermedios, quorum neuter ad alterum ordinetur. Hęc est D. Thom. hìc, & probatur primò; Nã bene potest Voluntas velle rem aliquam propter pluras vtilitates ex ea prouenientes, aut quia idonea est ad plura assequenda etiam non subordinata: ergo tunc intendit plura simul antecedens patet, quia qui vult medicamentum propter sanitatem, vtrũque vult simul ergo qui vult sanitatẽ quia vtilis est ad assequẽdos honores & diuitias, & delectationes, etiã vult & intẽdit simul illa tria, quæ tamẽ subordinata non sunt, cũ quolibet eorũ sine ordine ad aliud per sanitatẽ appetatur. Secũdò probatur, nã actus (verbi gratia) dandi eleemosynã, cũ aliquis tenebatur ex præcepto, & etiã ex voto, melior est, quã si feret solũ ad implendã obligationẽ præcepti, sed ea ratione est melior, quia ad plures fines studiosos ordinatur, qui tamẽ subordinati nõ sunt: ergo potest Volũtas simul intendere duo non subordinata.

2. Concl.

Secunda conclusio. Quando quis intẽdit per dictos diuersos fines, intermedios simul etiã ad inuicẽ nõ subordinatos, licèt vt in plurimũ tẽdat in illos diuersis actib⁹ bene tamẽ potest eodẽ actu ferri in vtrũq; Prima pars est intẽta à D. Th. hic ad secũdũ & rationẽ patet, quia vnius motus terminus vnic⁹ debet assignari: si ergo termini multiplicentur, etiã & mot⁹ debẽt multiplicari. Secũda tamẽ pars probatur, quia licèt in motu physico omnino sit impossibile q idẽ motus terminetur ad terminos nõ subordinatos; in motu tamẽ Volũtatis & morali bene potest, quia plures termini nõ subordinati nõ habẽt à quo possint terminare simul eundẽ motũ physicũ, habẽt tamẽ à quo possint terminare simul eũdẽ motũ moralẽ, nẽpe à Ratione, à qua vterq; finis subordinatur fini vltimo: Itaque motus physicus nõ potest simul tendere in duos terminos diuersos etiã in ordine ad aliũ tertiũ, cui vterq; subordinetur, nisi & ipsi duo inter se sint subordinati, & ex vno mobile perueniat ad alterũ, vt sic ad tertium possit peruenire. Volũtas tamen intendendo peruenire ad tertium & vltimum, potest simul eodẽ actu tendere in duo intermedia, sine eo q ex vno perueniat ad alterum, quia cũ sit motus moralis sufficit cõuenientia vtriusq; in ordine ad tertium per Rationem.

3. Concl.

Tertia conclusio. Voluntas nõ potest velle diuersa ita omnino diuersa, vt in nullo conueniant, sed necessario in ordine ad aliquod tertium debet vtrumque appeti. Itaque licèt ad inuicem vnum alteri non subordinetur; alteri tamen vtrumq; debet subordinari. Hæc est D. Tho. hic ad 3. vbi ait, quod contingit plura cogitare simul, in quantum sunt aliquo modo vnum: quod longiùs explicat 1. p. q. 85. art. 4. & ita similiter contingit plura intendere, & idem ait ad secundum, distinguit enim hanc propositionem, Vnius mot⁹ non possunt esse plures termini; si enim (inquit) illi taliter se habeãt, vt vn⁹ ordinetur in alium, vel ambo accipiantur in ratione vnius; quia continentur in

D. Tho.

vno,vel integrant vnum aliquod intentum, neganda est propositio : si autem nec vnus ordinetur in alterum, nec accipiantur vt vnum,concedenda est propositio:ergo demente D. Tho. non potest Voluntas habere intentionem plurium disparatorum;alias enim vnius motus essent plures termini,quorum nec vnus ordinaretur in alterum,nec ambo acciperẽtur vt vnum. Idem docet quæst.8. de veritate,art.14.ad 2.argumentum secundo loco positum,vbi quantum ad hoc nullum assignat discrimen inter Intellectũ & Voluntatem;cùm tamen argumẽtum postularet talem differentiam. Idem etiã docet quæst.13.de veritate art. 3. in corpore , & vnica ratione probatur, quia vnus actus Voluntatis prout semel ab illa egreditur non potest ad duo obiecta omnino disparata terminari exequo; sed si Voluntas posset simul plura intendere videlicet duos fines omnino disparatos, tunc vnus actus Voluntatis terminarentur ad duo obiecta omnino disparata ex ex æquo:ergo Maior est D. Tho. supra quæst.1.art. 3. Minor autem patet quia duo finis omnino disparati sunt duo obiecta omnino disparata. Etsi contra dicas, quia cum hac conclusione non stabit vera prima conclusio, quòd absolutè loquẽdo, Voluntas potest intendere plura nõ subordinata;nam ex eo non conceditur absolutè quòd intellectus possit cognoscere plura vt plura , quia licèt cognoscat plura inter se non subordinata ; quia tamen ad minus debent vni tertio subordinari,ideò non dicuntur plura vt plura: ergo si Voluntas etiam si possit intendere duo non subordinata ad inuicem, si tamen non potest intendere ille nisi alteri tertio ad minus subordinentur,non dicetur plura vt plura intendre: Respondetur primò , quò Intellectus non potest cognoscere duo ad inuicẽ non subordinata nisi in altero terti;ovel vti in principio communi proximo,coniungantur : non enim sufficit illa coniungi in aliquo principio communi remoto,nam sic forsitam omnia in vno primo & remoto principio continentur , quale est . Quodlibet est vel non est;nec propterea potest plura simul cognoscere nisi in aliquo principio proximiori coniungantur. Voluntas autem potest duo ad inuicem non subordinata intendere , etiam si in aliquo tertio proximo non coniungantur;sed sufficit coniungi vdi remotissimo vltimo fini;hac enim solam subordinationem necessariò postulat Voluntas in omnibus quæ appetit,quatenus plures vltimos fines habere non potest: subordinatio autem ita remota non tollit , quatenus illi duo fines particulares ad inuicem non subordinati;dicantur diuersi absolutè loquendo. Secundo respondetur,hanc esse differentiam inter Intellectum & Voluntatem,quòd cum Intellectus respiciat vt obiectum verum; verum autem formalius sit Intellectu , quàm in rebus in quibus tantum est fundamentaliter , illa dicentur absolutè in ordine ad Intellectum plura,quæ prout in Intellectu vnitatem non habent,& illa dicentur vnum quę prout in Intellectu vniuntur , licet prout in re sint diuersa. Voluntas autem cùm , respiciat bonum quod vtique formaliter est in rebus ; quod autem est ex parte Intellectus solum se habeat vt conditio;hinc est quòd quando volita prout in re,non habent subordinationem , vel vnitatem,licèt illam habeant ex apprehensione & ordinatione Intellectus , absolutè dicuntur plura in ordine ad Voluntatem,quia ex ratione formali habẽt pluralitatẽ & tantũ ex conditione habẽt vnitatem:licèt ergo tam Intellectus , quã voluntas necessariò requirant aliquam vnitatem apprehensionis in pluribus,ad quæ tendunt,Intellectus non dicitur tendere in plura,quia vnitas quę in illis pluribus reperitur ; est secundùm rationem formalem ipsius Intellectus ; Voluntas autem absolutè dicitur tendere in plura, quia pluralitas est secundum rationem formalem ipsius Voluntatis,& vnitas tãtùm secundùm conditionem, vt dictum est. Et hoc forsitan voluit Caiet. per discrimen assignatum,quòd Intellectus trahit res ad se,Voluntas vero fertur ad res in se;& propterea Intellectus non potest intendere in plura vt plura absolutè,bene tamen Voluntas.

Obiectio.

Solutio.1.

Solutio.2.

Ad 1. arg.

Ad primum argumentum respondetur ex dictis , quod sicut Intellectus non potest intelligere plura vt plura , nisi vt in aliquo conueniunt ; ita & Voluntas:nihilominus dicit absolutè intendere plura,ratione mododicta

Ad 2.arg.

Ad secundum bene ibi responsum est. Ad replecam respondetur,non esse eadẽ rationem de vltimo fine & intermedio,vt si non potest intendere duos vltimos, nõ possit

possit intendere duos intermedios; quia duo vltimi nec inter se, nec respectu tertij possunt habere vnitatē, cùm quelibet supponatur esse vltimum inter medij autem licèt inter se non subordinentur, est tamen tertium (adminus finis vltimus) in quo vniantur, vt simul possint intendi à Voluntate.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm intentio finis sit idem actus cum Voluntate eius, quod est ad finem

Supra q. 8. ar. 3. & 2. q. 38. art. 4. & 3. d. 14. ar. 1 q. 4. cor. & veri q. 22. ar. 14. *cap. 7. ad fi & lib. 11. c. 6. & 4. to. 3.

AD quartum sic proceditur. *Videtur quòd non sit vnus & idem motus, intentio finis & voluntas eius quod est finem. Dicit enim Aug. in 10. de Trinit.* quòd voluntas videndi fenestram, finem habet fenestræ visionē & altera est voluntas per fenestram videndi transeuntes, sed hoc pertinet ad intentionem, quòd velim videre transeuntes per fenestram: hoc autem ad voluntatem eius quod est ad finem, quod velim videre, fenestram: ergo alius est motus voluntatis intentio finis, & alius voluntas eius quod est ad finem.*

Secundo præterea. Actus distinguuntur secundum obiecta; sed finis, & id quod est ad finem sunt diuersa obiecta: ergo alius motus voluntatis est intentio finis & voluntas eius quod est ad finem.

Tertio præterea. Voluntas eius quod est ad finem, dicitur electio sed non est idem electio & intentio: ergo non est idem motus intentio finis cum voluntate eius quod est ad finem.

Sed contra est, quòd id quod est ad finem, se habet ad finem vt medium ad terminum sed idem motus est qui per medium transit ad terminum in rebus naturalibus; ergo & in rebus voluntarijs idē motus est intentio finis & voluntas eius quod est ad finē.

Respondeo, dicendum, quòd motus Voluntatis in finem, & in id quod est ad finem potest considerari dupliciter. Vno modo secundū quòd Voluntas in vtrumque fertur absolutè & secundum se sic sunt simpliciter duo motus Voluntatis in vtrumque. Alio modo potest considerari secundùm quòd Voluntas fertur in id quod est ad finem propter finem, & sic vnus & idem subiecto motus Voluntatis est tendens ad finem, & in id quod est ad finem. Cum enim dico: Volo medicinam propter sanitatem, non designo, nisi vnum motum Voluntatis: cuius ratio est, quia finis ratio est volendi ea quæ sunt ad finem. Idem autem actus cadit super obiectum & super rationem obiecti, sicut eadem visio est coloris & luminis, vt supra dictum est. Et est simile de Intellectu, quia si absolutè principium & conclusionem consideret, diuersa est consideratio vtriusque: in hoc autem quòd conclusioni propter principia assentit, est vnus actus Intellectus tantum.* * q. 8. art. 3. ad 2.

Ad primum ergo, dicendū, quòd Aug loquitur de visione fenestræ & visione transeuntium per fenestram secundum quòd Voluntas in vtrumque absolute fertur.

Ad secundum, dicendum, quòd finis in quantum est res quædam, est aliud Voluntatis obiectum, quam id quod est ad finem: sed in quantum est ratio volendi id quod est ad finem, est vnum & idem obiectum.

Ad tertium, dicendum, quòd motus qui est vnus subiecto, potest ratione differre secundum principium & finem, vt ascensio & descensio, sicut tex. 22. to. 2 *dicitur in 3. Phys.* * *sic igitur in quantum motus Voluntatis fertur in id quod est ad finem, prout ordinatur ad finem, est electio; motus autem voluntatis, qui fertur in finem secundū quod acquiritur per ea quæ sunt ad finem, vocatur intentio: cuius signum est, quòd intentio finis esse potest, & ia nondum determinatis his quæ sunt ad finē; quorum est electio*

1. Concl. Prima conclusio. Si voluntas in vtrūque feratur absolutè, & secundùm se, tūc simpliciter sunt duo motus.

2. Concl. Secunda conclusio. Quando voluntas fertur in id quod est ad finem, propter finem, tunc vnus & idem motus est ad finem & ad id quod est ad finem.

De dubio & conclusione huius articuli iam egimus suprà quæst. 8. artic. 3. contra Gregor. qualiter Voluntas vno actu feratur in media & in finem: vnde hic breuiter est notandum, tripliciter posse appeti medium, Primò propter aliquam conuenientiam & vtilitatem quam in se habet, etiam si aliàs conducat ad finem: vt cum quis vult medicinam suauem propter dulcedinem eius; & hęc appetitio nō est propriè & formaliter medij. Secundò potest appeti mediū in ratione medij formaliter pręcisè propter aliud, & nullomodo propter se; vt cùm quis appetit potionem amarā, & hæc appetitio propriè & formaliter est electio, licèt formaliter non consideret de fine, sed tantùm virtualiter agat propter illum. Tertiò modo potest appeti medium formaliter propter aliud quod actu & formaliter, & explicitè considerat & intendit. Hoc suppositō.

1. Concl. Prima conclusio D. Thom. dupliciter explicatur à Thomistis, quòd intelligatur de fine & medio considerato primo modo, vnoquoque secundùm propriam commoditatem; qua ratione volitiones medij & finis non sunt intentio & electio quia non appetuntur, prout ad inuicem dicunt ordinem, sed sunt quædam simplices volitiones, quæ explicatio videtur fundari in ipso D. Thom. dicente, quòd tunc Voluntas fertur in illa absolutè, & secundùm se, & in eo quod docuit articulo 1. ad 4. quòd quando Voluntas fertur in aliquod bonum absolutè, ille actus dicitur, simplex volitio boni. Secundo potest explicari, quod motus in finem & in media sunt duo actus, quando vnus fertur in finem primò & per se, licè cum ordine ad media; non tamen determinando illa in particulari. Alter verò actus fertur in media primò & per se, licèt sub ratione finis & in ordine ad illum; tunc enim isti actus propriè sunt, primus intentio, & secundus electio, & realiter distincti, & hæc etiam explicatio fundatur in ipso D. Thom. ad tertium dicente, q̄ motus Voluntatis in id quod est ad finē, prout ordinatur in finem, est electio; motos verò Voluntatis in finem secundùm quòd acquiritur per ea quæ sunt ad finē, est intentio, vbi sopponit, quòd quando sic fertur in finem & media, diuersis motibus fertur; quidquid reclamet Durand. in 2. dist. 28. q. 2. ad 1. quem, sequitur etiam Palatius in eadem distinctione q. 2. dicēs quòd intentio & electio fortasis non differunt realiter, sed tantum ratione. Vera tamen sententia, secundùm doctrinā D. Tho. est q̄ intētio & electio differūt realiter, & entitatiuè; quā etiā sequitur Gabri. eadē dist. q. vnica dub. 2. & generaliter omnes Thomistę; quę probatur hac vnica ratione. Nā intētio respicit formaliter finē, vt quod est in recto; media verò respicit in oblico, vt ordinabilia ad ipsū finē, electio verò ecōtra respicit formaliter & in recto media, finē verò in obliquo: erūt ergo distincti numero actus, cū obiecta formalia sint diuersa: itaq; intētio respicit bonitatē finis in se ipsa electiò verò respicit bonitatē finis participatā in medijs in ordine ad ipsū finē, ad hoc enim cōmunicatur medijs, vt rursus per media ad finē tēdatur; qui mod⁹ respiciēdi bonitatē diuersus, est sufficiēs causare diuersitatē actus. Etsi contra facias argumentum, quia *Obiectio.* D. Tho.

D. Thom. in secunda conclusione ait, q quando Voluntas fertur in media propter finem, eodem actu fertur in vtrumq; sed electio est circa media propter finem ergo erit idē numero cū actione quę fertur in finem, & sic intentio & electio nō erit distinctus actus. Respondetur tamen

Solutio. quòd cùm medium formaliter nullam habeat bonitatē nisi bonitatem finis, in idē est, nec appeti posse medium nisi per ordinem ad finem: & similiter finis formaliter actu intentionis attingi non potest nisi in ordine ad media; nihilominus potest attingere vtrumque formaliter & explicitè, vel alterum formaliter & alterum solum implicitè & virtualiter; quando attingit ergo vtrūq; formaliter, & in recto vt dictū est, hoc debet esse diuersis actib⁹ altero qui terminetur ad medium, altero verò qui terminetur ad finem; quando verò attingitur vnum formaliter & in recto alterum verò tantum virtualiter & in obliquo, vt electio formaliter attingit medium, virtualiter autem finem; intentio verò ecōntra attingit formaliter finē, virtualiter autem media; tunc idem actus attingit, simul vtrumque; & hoc intendit D. Tho. in 2. conclusione. Nec est cōtra primam, in qua intendit intentionem & electionē esse diuersum actum, in ista verò solùm intendit, quòd quilibet illorum, siue intentio, siue electio simul, attingit medium & finem, licèt non æqualiter, & eodem modo, vt dictum est: & apponit exemplum in visione, quòd eadem attingit colorem & luminē: ita ergo Vo

Obiectio. luntas eadem appetitione vult medium & finem primum quidem sub ratione secundi, sicut colorem sub ratione lucis. Et si adhuc instes exemplum non habere verum, nam coloratum & lucidū sunt duo obiecta: ergo distinctis visionib⁹ vidētur, quia in vniuersum actus distingūtur per obiecta.

Solut. 1. Ad hoc respondetur multipliciter. Primō, quòd licèt coloratum & lucidum differant in genere naturæ, non tamen in genere visibilis, & ideo vnica visione videri possunt. Secundo respondetur, quòd bene possunt plura percipi eadem notitia; quando vnum percipitur vt quod, aliud verò vt quo; & vt ratio cognoscendi, sicut vna notitia scientifica isto modo

Solut. 2. attingit principium & conclusionem. Tertio dicitur, quòd vbi est vnum propter aliud, ibi est tantùm vnum, vt habet

Solut. 3. maxima Arist. & ita loquitur D. Thom. ad secundum; ea enim quæ in vno genere sunt plura, possunt in alio esse vnum ex ordinatione vnius ad alterū; sicut domⁿ est plures res, & vna domⁿ, & locus est omninoidē, variatis pluribⁿ superficiebⁿ vt dicitur 4. Phisy. ita ergo licet color & lux sint duæ res, reputantur vnum obiectum, quia vnum est propter aliud. Et

Solutio. 4 idem dicendum de medio & fine. Quartò dicitur, quòd licèt lumen & coloratum differant realiter, sunt tamen essentialiter subordinata, & ideo possunt videri vnica visione; sicut propter talem subordinationem etiam eadem visione videtur Pe-

Solutio 5. trus & eius accidentia. Quinto respondetur, tantum probare argumentum, colorem & lumen videri diuersis qualitatibus, & speciebus, non tamen diuerso intuitu & visione; coaptatur enim vtraque species ad eliciendum eundem actū propter coordinationem predictam obiectorum; sicut (verbi gratia) in oposita nobis ante oculos imagine de picta diuersis coloribus, species immissę sunt diuersę; altera quidem nigredinis, altera verò albedinis, &c. nihilominus tamen omnes illæ coaptantur ad eliciendum vnicum intuitum totius imaginis.

ARTICVLVS V.

Vtrùm intentio cōueniat brutis animalibus.

2.2.q. 110. ar. 1. sor. & 2 d. 38. art. 3. cor. & ad 2.

AD quintum sic proceditur. *Videtur quòd bruta animalia intendāt finē. Natura enim in his quę cognitione carēt, magis dictat ràtionali natura, quā naturā sensitiua quæ est in animalibus brutis; sed natura intendit finem etiam in his quę cognitione carent, vt probatur 2. Phis. ✠ ergo multo magis bruta animalia intendunt finem.*

li. 2. tex. 77. & seq.

Secundo praterea, sicut intentio est finis ita & fruitio: sed fruitio cōuenit brutis animalibus; vt dictū est: † ergo & intentio.

q. 11. ar. 2.

Tertio præterea eius est intendere finem, cuius est agere propter finem cũ intendere, nihil sit nisi in aliud tẽdere; sed bruta animalia agunt propter finem: mouetur enim animal vel ad cibum quærẽdum, vel ad aliquid huiusmodi: ergo bruta animalia intẽdunt finem.

Sed contra. Intentio finis importat ordinationem alicuius in fidem quod est rationis, cùm igitur bruta animalia habeant rationem, videtur quòd non intendat finem.

*Respondeo, dicendum, quòd, sicut suprà dictum est, * intendere est in aliud tendere; quod quidem est & mouentis, & moti. Secundùm quidem igitur quod dicitur intendere finem, id quod mouetur ad finem ab alio: sicut natura dicitur intendere finem quasi mota ad suum finẽ à Deo; sicut sagitta à sagittante: & hoc modo etiam bruta animalia intendunt finem, in quantum mouentur ab instintu naturali ad aliquid. Alio modo intendere finem, est mouentis, prout scilicet ordinat motum alicuius vel sui, vel alterius in finem quod est rationis tantùm; vnde per hunc modum bruta non intendunt finem, quod est propriè & principaliter intendere, vt dictum est.**

Art.1.huius qnæst.

Art.1.

Ad primum ergo, dicendum, quòd ratio illa procedit secundùm quòd intendere est eius quod mouetur ad finem.

Ad secundum, dicendum, quòd fruitio non importat ordinationem alicuius in aliquid, sicut intentio; sed absolutam quietem in fine.

Ad tertium, dicendum, quòd bruta animalia mouentur ad finem, non quasi considerantia quòd per motum suum possint consequi finem, quod est propriè intendentis, sed quasi concupiscentia naturali instinctu mouentur ad finem, quasi ab alio mota; sicut & cætera quæ mouentur naturaliter.

Prima conclusio. Si intendere finem, accipiatur pro eo quod est moueri ab alio ad finem, sic bruta intendunt finem. 1.Conclu.

Secunda conclusio. Secundùm quòd intendere finem, est actus ordinantis motum in finem, sic brutis non conuenit intentio finis, sed solum creaturæ rationali; & hoc est proprium intendere. 2.Concl.

Pro intelligentia huius recolenda sunt quæ suprà diximus quæst.1. qualiter bruta licèt agant propter finem propriè, licet imperfectè, non tamen mouent se in finem; nam illa dictio. Propter tantùm importat tendentiam in finem, siue per directionem sui, siue alterius, & sic dicitur, quòd natura agit propter finem: illa vero dictio, In, denotat propriam ordinationem in finem, quæ brutis conuenire non potest, cùm ab Authore naturę ordinẽtur, vt ibi diximus, proportionabiliter: ergo hìc dicendum est de intentione. Si enim sumatur communiter & largè pro tendentia in finem per media proportionata, siue hoc fiat cum cognitione finis siue non, hoc pacto non solùm bruta, sed etiam in sensibilia dicuntur intendere finem. Si autem intentio accipiatur magis propriè pro eo quod est intendere in finem per media proportionata cum cognitione finis, sic specialiter conuenit intendere finem brutis, quàm in sensibilibus; quia tamen ista cognitio finis in brutis non est finis vt finis, quia non est cognitio ordinis mediorum ad finem, sed tãtum rei quæ est finis formaliter autem cognitio finis isto modo solùm reperitur in creatura rationali, ideò perfectè loquẽdo de intentione, solùm in creatura rationali reperitur. Itaque licèt comparatiuè ad insensibilia; proprius reperiatur intentio

tio in brutis, comparatiuè tamen ad rationalia, solùm est in eis intentio impropriè loquendo; quapropter D. Thom. concludit in fine articuli: Vnde per hunc modũ brutã non intẽdunt finem, quod est proprie & principaliter intendere; quod etiã docuit ad secundum, quapropter non est eadem ratio de fruitione & intentione, quia, vt suprà diximus, fruitio tantùm importat delectationem in fine, non autem habitudinem & ordinem ad media; quapropter in brutis potest reperiri proprie fruitio, licèt non tam perfectè sicut in natura rationali, non autem in eis potest reperiri proprié intentio, quæ, vt dictum est, respicit finem cum ordine ad media: & hoc modo intelligendus est. D. Thom. quæst. 16. de malo, ar. 11. ad 3. vbi intentionem tribuit appetitui sensitiuo; loquitur enim de intentione impropriè, sicut in brutis loquamur de appetitu sensitiuo, absolutè & secundùm se; nam si loquamur de illo prout in homine tunc ex coniunctione ad rationem aliquo modo potest habere propriè intentionem, sicut & habere potest peccatum ex participatione rationis & libertatis; quia vt sic etiam est subiectum virtutis.

QVÆSTIO XIII.

De electione.

ARTICVLVS I.

Vtrùm electio sit actus Voluntatis, an verò sit actus Rationis.

1. q. 83. ar. 3. cor. & 2. d. 24. q. 1. ar. 2 & veri. q. 22. ar. 15. & 3. Ethic. lect. 6. c. 2. lib. 6. lect. 2. fin. c. 3. to. 5.

AD primum sic proceditur. *Videtur quòd electio non sit actus Voluntatis, sed Rationis. Electio enim collationem quandam importat, qua vnum alteri præfertur: sed conferre est rationis; ergo electio est rationis.*

Secundo præterea. Eiusdem est Syllogizare, & concludere, Syllogizare autem in operabilibus est Rationis: cùm igitur electio sit quasi conclusio in operabilibus, vt dicitur in 7. Ethic. videtur q; sit actus Rationis.

Tertio præterea Ignorantia non pertinet ad Voluntatem, sed ad vim cognoscitiuam: est autem, quædam ignorantia electionis, vt dicitur 3. Ethic. ergo videtur quòd electio non pertineat ad Voluntatem, sed ad Rationem. 1. tom. 58

Sed contra est quod Philosophus dicit in 3. Ethinc. quòd electio est desiderium eorum quæ sunt in nobis; desiderium autem est actus Voluntatis: ergo & electio. 3. prope finem tom. 5.

Respondeo dicendum, quòd in nomine electionis importatur aliquid pertinens ad Rationem, siue ad intellectum: & aliquid pertinens ad Voluntatẽ: dicit enim Philosophus in 6. Ethic. quòd electio est appetitus Intellectus, vel appetitus intellectiuus. Quandocumque autem duo concurrunt ad aliquid vnum constituẽdum vnum eorum est vt formale respectu alterius Vnde Gregor. Nicenus† dicit, q; electio nec est appetitus secundùm se ipsam, neque consilium solùm; sed ex his aliquod compositum: sicut enim dicimus, animal ex anima & corpore compositum esse, neque vero corpus esse secundùm se ipsum, neque animam solam, sed vtrumque; ita & electionem. Est autem considerandum in actibus animæ, quòd actus qui est essentialiter vnius potentiæ vel habitus, respicit formam, & speciem a superiori potentia vel habitu, secundùm quòd ordinatur inferius à lib. 6. Ethic. tom. 5. † lib. 5. c. 4.

superiori: si enim aliquis actum Fortitudinis exerceat propter Dei amorem, actus quidem ille materialiter est Fortitudinis formaliter verò Charitatis. Manifestum est autem, quòd
D.771. *ratio* d *quodam modò voluntatem præcedit, & ordinat actum eius, in quantum scilicet Voluntas in suum obiectum tendit secũdùm ordinem Rationis eo quòd vis apprehensiua appetitiuæ suum obiectum repræsentat. Sic igitur ille actus, quo Voluntas tendit in aliquid quod proponitur vt bonum, ex eo quòd per Rationem est ordinatum ad finem; materialiter quidem est Voluntatis, formaliter autem Rationis: in huiusmodi autem substantia actus materialiter se habet ad ordinem qui imponitur à superiori potentia, & ideò electio substantialiter non est actus Rationis sed voluntatis; perficitur enim electio in motu quodam animæ ad bonum quod eligitur: vn-*
D.541. *de* d *manifestè actus est appetitiuæ potentiæ.*

Ad primum ergo, dicendum, quòd electio importat collationem quandam præcedentem, non quòd essentialiter sit ipsa collatio.

Ad secundum, dicendum, quòd conclusio syllogismi, quæ sit in operabilibus, ad Rationem pertinet, & dicitur scientia, vel iuditium, quã sequitur electio: & ob hoc ipsa cõclusio pertinere videtur ad electionem tanquàm ad consequens.

Ad tertium, dicendum, quòd ignorantia dicitur esse electionis; non quod ipsa electio sit scientia, sed quia ignoratur quid sit eligendum.

Prima conclusio. Electio substantialiter & elicitiuè est actus à Voluntatis. 1. *Concl.*

Secunda conclusio. Electio formaliter importat aliquid pertinens ad Rationem 2. *Concl.*

DVBIVM I.

Vtrum prima conclusio D. Thom. verum habeat.

PRouatur quòd non. Primò. Species, & substantia actus debet desumi a forma, sed formale electionis pertinet ad Intellectum, vt asserit D. Thom. conclusione secunda: ergo electio est species actus Intellectus. 1. *Arg.*

Secundò arguitur. Electio est actus Prudentiæ: sed Prudentia est in Intellectu: ergo & electio elicitiuè est in illo. Maior patet, quia electio est præ acceptatio alicuius ordinati ad finem, vt ait D. Thom. infrà quæst. 56. art. 4. ad 4. Præ acceptatio autem pertinet ad Prudentiam, vt ait Phi. 6. Ethic. c. 2. Minor verò est manifesta, quia prudentia est habitus intellectualis. 2. *Arg.*

Tertiò arguitur, quia in appetitu sensitiuo sunt virtutes morales, ergo & in eo est electio, & consequenter non erit elicitiuè à Voluntate. Antecedens est D. Thom. infra quæst. 56. art. 4. ad 4. vbi ait etiam appetitum sensitiuum esse subiectum virtutum; subiectantur enim in illo Fortitudo & Temperantia. Consequentia ergo probatur, quia virtus moralis est habitus electiuus: ergo vbi est talis virtus, erit etiam subiectiuè electio, & consequenter elicitiuè, quia, vt dictum est, ab eo est efficienter actio immanens, in quo subiectatur: non ergo electio tantum pertinebit elicitiuè ad Voluntatem. 3. *Arg.*

Confirm. Confirmatur: nam Continentia est in Intellectu: ergo & electio. Antecedens est D. Thom. 2. 2. q. 53. art. 5. ad 3: Consequentia verò probatur, quia in illa potentia est electio, in qua est cõtinentia, vt docet D. Tho. 2. 2. q. 155. ar. 3.

Quartò probatur. Electio importat directionem ex parte Intellectus, licèt sit actus Voluntatis quantum ad substantiam: ergo absolutè dicendum est pertine- 4. *Arg.*

re

re ad Intellectum, & non ad Voluntatē. Patet consequentia, nam ex eo D. Tho. 2.2.q.124.ar.2.ad 2.dicit, quòd Martyrū principaliùs est actus Charitatis, quā Fortitudinis; quia licèt eliciatur à Fortitudine, dirigitur tamen à Charitate. Cō firmatur, nam D. Thom. hic ait, quód electio materialiter pertinet ad Voluntatē, formaliter verò ad Intellectū: ergo principalius pertinet ad Intellectum, quia in qualibet re principalius est formale, quā materiale.

Confirm.

Hanc difficultatem videtur Philosophus reliquisse indecisam, quia in 3. Ethi cor. cap. 2. sentit esse actum Voluntatis, cùm ait: Electio vtique erit consiliabile desiderium; desiderium autē certum est esse actum Voluntatis. In 6. autē Ethic. c. 1. lectione 2. apud D. Thom. sic ait: Appetitus Intellectus electio, vel appetitus intellectiuus; quibus verbis insinuat, electionem esse actum Intellectus.

Arist.

Concl.

Conclusio tamen D. Thomæ est certa, quòd electio substantialiter & elicitiuè est actus Voluntatis, quanuis præsuppo nat formaliter actum Intellectus. Hæc est communis omnium Theologorum & Philosophorum moralium. Videatur Alexander 1. part. quæst. 30. Albertus 2. dist. 24. art. 7. Ægidius 1. dist. 24. 1. p. distinctionis. dub. 6. Richardus eadem distinctione, art. 2. q. 3. D. Bona. 1. dist. 40. 2. p. distinctionis, q. 1. Durand. 1. dist. 40 q. 1. Capreol. 1. d. 1. q. 2. ar. 1. con. 3. & ar. 3. ad argumenta cōtra tertiā cōclusionē. Buridanus 3. Ethic. q. 13. Damascenus 2. de Fide. c. 22. Nissenus lib. 5. philosoph. c. 4. docet illam Arist. 3. Ethic. c. 2. & lib. 1. Magnorum Moralium, c. 18. vbi electionem vocat desiderium eorum quæ sunt in nobis. Et probatur primò, ratione D. Thomæ, hic & 1. part. quæstio. 83. art. 3. quia obiectum electionis est bonū ordinatum in finem; sed bonum est obiectum Voluntatis: ergo & similiter obiectum electionis, & consequenter actus tē dens in illud obiectum erit actus Voluntatis. Maior est Arist. 3. Ethicorū. c. 2. & minor habetur supra, q. 1. ar. 2. vbi est dictum, quód tam bonum per se, quàm bonum per aliud & ratione alterius, cōprehenditur sub obiecto Voluntatis. Confirmatur. Electio versatur circa medium vt sic: sed medium vt sic, est bonum vtile: ergo electio versatur circa bonum vtile, ac proinde non potest esse actus alterius potentiæ, quàm Voluntatis; sicut circa colorem vt sic, non potest esse actus nisi potentiæ visiuæ. Secundò probatur electio substantialiter pertinet ad potentiā liberam; sed Voluntas essentialiter est potentia libera: ergo ad eam pertinet electio vt actus eius. Maior patet, quia in nullo magis exercetur libertas, quàm in eligendo & acceptando vnum omisso alio. Minor verò sæpe superiùs est asserta. Tertiò probatur. Prosequutio alicuius boni, aut fuga mali, pertinet elicitiuè ad Volūtatē; sed electio est prosequutio alicuius boni: ergo. Maior patet ex differētia assignata inter potētias apprehēsiuas & appetitiuas. Quartò probatur. Qui aiūt, prædistinationē esse actū Voluntatis diuinæ, eo præcipuè mouentur, quia secūdùm illos prædistinatio est actus electionis, iuxta illud ad Ephes. 1. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem: ergo procomperto habetur, & ab omnibus supponitur, electionem esse actum Voluntatis.

Ad primum argumentum respondetur, quòd species sumitur à forma intrinseca, non autem ab extrinseca; electio autem ex parte Voluntatis habet elicitiuè formam intrinsecam, extrinsecè autem & regulatiuè, & ex parte obiecti; habet ab Intellectu. *Ad 1. arg.*

Ad secundum argumentum respondetur, quòd electio non semper procedit à prudentia; est enim etiam imprudētium hominum eligere; vnde electio secūdùm substantiam a Voluntate procedit; rectā autem electionem verum est à prudentia procedere, hoc tamen non est elicitiuè, sed regulatiuè, vt constat ex D. Tho. 2.2.q.57.art.1, ad 2. & ex Conrad. infrà, q.76. citata. *Ad 2. Arg.*

Ad tertium respondetur, quòd in appetitu sicut sunt virtutes, ita & electio; participata tamen à Voluntate; vnde elicitiuè electio Voluntatis est: sufficit autem in appetitu participari, vt in illo sint actus virtutum. Ad confirmationem respondetur, quòd continentia non est in Intellectu subiectiuè, cùm sit pars constantiæ; est tamen in Intellectu tāquām in mouēte, vt explicat Caiet. 2.2.q.155. & author tabulæ aureæ, dub. 391. *Ad 3. arg.*

Ad quartum argumentum respondetur, quòd iste terminus Principaliter, sumitur dupliciter: primò, vt idem sit quod primordialiter; secundò, vt idem sit quod vlti- *Ad 4. arg.*

vltimũ & cõpletiuum. Quando ergo D. Tho. asserit, pertinere ad Intellectu principaliter, loquitur primordialiter, quia ex Intellectu incipit electio, quatenus Intellectus dat regulam Voluntati ad regẽ dũ pertinet autẽ completiuè ad Voluntatẽ, quia non intelligitur posita in re substantia electionis, nisi per elicientiam Voluntatis; & sic etiam dicit D. Thom. martyrium principaliter pertinere ad Charitatẽ; hoc est primordialiter; quia ex Charitate incipit, vt postea per Fortitudinem eliciat actum martyrij.

Ad confir. Ad confirmationem respondetur, hãc esse differentiã inter naturalia & artificialia, quòd substantia naturaliũ principaliùs consistit in forma, quàm in materia; substantia verò artificialium é contra; vt substantia hominis vel equi principaliùs consistit in anima, quàm in corpore, substantia verò statuæ vel Cathedræ principaliùs cõsistit in materia, videlicet in ferro, vel lapide, quàm in figura, videlicet in lineamentis; quia materia est substantia, forma verò est accidens. Cùm ergo actus Voluntatis & morales sint quasi quid artificiosum dependentes ex arte & industria Rationis, sustantia illorũ præcipuè cõsistit in materia, quàm in forma; vnde cùm materiale pertineat ad Voluntatem secundũ D. Tho. dicendũ est, quòd secundũ substantiã & absolutè ad Voluntatem

2. Solut. pertineãt. Vel secundò respondetur, vt iam est dictũ, quòd non solùm materiale actus electionis pertinet elicitiuè ad Voluntatẽ, sed & ipsum formale. Dicitur autẽ formale pertinere ad Intellectũ formaliter & obiectiuè, non autẽ elicitiuè. Pro quo amplius supponendũ ex D. Tho. q. 22. de veritate ar. 3. ad 5. & 6. quòd ordinatio Rationis mediorũ ad finẽ sumitur dupliciter. Primò actiuè, & sic est actus Rationis manens in Intellectũ; qua ratione non est forma intrinseca ipsius actus electionis, nec pertinens ad essentiã eius, sed solùm quid præsuppositũ, quatenus ad actũ Voluntatis supponitur actus Intellectus. Secundo autẽ modo ordinatio Rationis sumitur passiuè pro effectu resultãte in Voluntate ex tali ordinatione actiua Intellectus, & isto modo electio includit formaliter ordinationẽ Rationis, tãquàm propriã formã intrinsecã existẽtẽ in ipsa Voluntate. Et si statim ex dictis colligas obiectionem, Quia si electio

Obiectio. præsupponit ita formaliter consiliũ & ordinationẽ Rationis, qua ratione nõ prius egit D. Tho. de cõsilio, quàm de electione? Respondetur primo ex dño Caiet. q. hic est mos D. Tho. prius agere de substãtia rei; & deinde de causis illius, vt infrà q. 49. tractat de substantia habituũ, & posteà tractat de causis illorũ; & q. 55. tractat de substãtia virtutis, & postmodùm de causis illius; quod vtiq; maximè consonat doctrinę Arist. 1. Phy sic. cap. 1. & 1. Ethic. c. 4. vbi docet, quòd in omni disciplina bene ordinata prior est notitia confusa subiecti, quàm notitia causarũ illi⁹. Meritò ergo modò agit de electione, posteà autẽ infrà de consilio, tãquàm de causa illius. Vel secundò respondetur, quòd electio est finis cõsilij; quia secũdũ Arist. & bonã Philosophiã moralem, rectũ consiliũ ordinatur ad rectam electionem, vnde ordine intentionis & cognitionis, finis est prior, quàm ea quę sunt ad finem, vt constat ex Arist. 2. Physic. c. 9. vnde bene incipit ab electione.

Solutio.

3. Solutio. Tertiò respondetur, quòd cũ relatiua sint simul natura & cognitione, statim vt agitur de vno, debet incipere tractatus de alio: cùm autem intẽtio & electio, medium & finis, correlatiuè dicantur, postquàm q. præcedenti actum est de intentione, recto ordine sequitur, vt statim hic agatur de electione.

DVBIVM II.

Vtrùm sit proprium electionis, vt eius formale pertineat ad Intellectum.

PRobatur q̃ non. Primò, nã si id esset verũ, maximè propter rationẽ D. Th. videlicẽt quia electio dicit ordinẽ ad Rationẽ: sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor, quia omnis actus Voluntatis dicit ordinẽ ad Rationẽ; & tamen non cuiusuis actus Voluntatis formale pertinet ad Rationẽ; ergo vel illa ratio est nulla, vel de omni actu Voluntatis procedit; cũ omnis actus Voluntatis præsupponat actum Intellectus; siquidem nihil est volitum, quin sit præcognitum.

1. Arg.

2. Arg. Secundò arguitur, quia idem actus nõ potest pertinere formaliter ad duas potentias; sed electio pertinet formaliter ad Voluntatem: ergo non ad Intellectũ. Maior patet, quia omnia essent confusa, & intellectio esset volitio, & volitio intelle-

tellectio,& visio auditio,& è contra. Minor verò probatur,quia electio pertinet secundùm substantiam ad Voluntatem: ergo & formaliter ad illam pertinet; formale enim in substantia rei debet esse.

3. Arg. Tertiò arguitur,& confirmatur præcedens. Materiale electionis, vt ait D. Thom. pertinet ad Voluntatem: ergo & intellectionis formale. Patet consequentia,quia formale nihil aliud est, quàm ordinatio Rationis mediorum ad finẽ,subiectata in ipso materiali ; & formale vel modus rei elici debet ab eadem potentia, à qua elicitur ipsa substantia in qua subiectatur; vt intentio vel remissio,quæ sunt modi qualitatis,vel velocitas aut tarditas, quæ sunt modi motus,ab eodem producuntur, à quo producitur qualitas, vel motus.

4. Arg. Quartò arguitur. Intentio est actus quo fertur Voluntas in rem,non absolutè, sed in ordine ad Rationem ; & tamen non dicitur intentionem pertinere formaliter ad Intellectum: ergo nec de electione hoc est dicẽdum. Maior patet ex D. Tho,q. præcedenti,ar. 1. & q. 22. de veritate ar. 13.

Not. 1. Pro intelligentia notãdum primò ex D. Thom. loco modo citato, quòd causæ subordinatæ alicui superiori,possunt cõ petere actiones in duplici differẽtia; quædam competunt secundùm suam naturã solùm cõcurrente causa superiori cõcursu quodam communi ; aliæ verò competunt, non ex propria natura talis causæ inferioris,sed ratione peculiaris concursus causę superioris;adhibetque D. Tho. exemplum in sphæra lunæ, cui ex propria natura conuenit motus ab Occidente in Oriens;ex superiori autem mobili specialiter concurrente competit ei motus ab Oriente in Occidens. Item etiam aquæ maris ex propria natura competit ei moueri deorsum vsque ad superficiem terræ;ex impressione autem lunę conuenit illi motus fluxus & refluxus. Item ponit exemplum in magnete, quod ibi potest videri. Si ergo similiter contingit in Voluntate & Intellectu; Voluntas enim est potentia subordinata Itellectui, quapropter & habet operationes ex propria natura sibi conuenientes , & habet etiam alias expeculiari concursu & influxu Intellectus. Et idem etiam reperitur in Intellectu respectu Voluntatis: quia & in alio genere Voluntati subditur: habet namque Intellectus quasdam operationes sibi proprias solùm proposito generali concursu Voluntatis applicantis illum ad intelligendum hoc vel illud; habet verò alias expeculiari Volũtatis concursu, vt impernum,& votum,&c.

Not. 2. Secundò ergo notandum, quòd Intellectus est duplex concursus respectu Voluntatis. Alius est communis,qui est proponere obiectum;quod vtiq; ad omnem actum Voluntatis requiritur , cùm per cognitionem applicetur obiectum Volũtati. Alius verò est concursus peculiaris, quiquidem est proponere obiectum cũ quodam ordine vnius ad alterum, & cũ consultatione,&c. Habet ergo Voluntas actus in duplici differentia; aliquos solùm cum illo primo generali concursu; alios verò ex secundo speciali concursu; primi quidem dicuntur competere Voluntati absolutè, & non per ordinem ad causam extrinsecam, quia de generali cõcursu non est specialis consideratio : Secundi autem dicuntur competere per ordinem ad Rationem,propter concursum peculiarem ipsius Rationis.

Not. 3. Tertiò notandum, quòd Intellectus & appellatur Intellectus, & appellatur Ratio, licêt sit eadem potentia Ratio & Intellectus, propter diuersum modum procedendi in operationibus suis; vt enim simpliciter apprehendit, dicitur Intellectus, vt verò ex vno intellecto procedit ad alind intelligendum , dicitur Ratio, vt ait D. Thom. 1. part. quæstio. 79. art. 8.

Concl. Conclusio tamen sit, quòd peculiare est actui electionis inter omnes actus Voluntatis, vt formaliter pertineat ad Intellectum; & hoc intendunt Thomistæ cõmuniter,& Capreolus in 2. dist. 1. q. 2. ad argumenta contra tertiam cõclusionem, *Capreol.* & Gregor. Nyssenus lib. 5. Philosophiæ c. 4. dicentes, quòd electio non est solus actus Voluntatis,nec solius Intellectus; sed quid compositum ex consilio Intellectus & appetitu Voluntatis;non enim intendunt, esse duplicem actum inter se compositum facientem vnum,ita vt alter componens vt forma,sit actus,& alter cõponens vt materia, sit actus Voluntatis: hoc enim est impossibile,quia cùm act⁹, tam Intellectus,quàm Volũtatis, sint immanentes in propria potentia , non possunt confluere ad inuicem vt tertium cõponat,sed solùm intendunt nostram con- *Greg. Niss.*

clusionem,

clusionē, q actus electionis licèt elicitiuè sit actus solius Voluntatis; tamen formaliter importat ordinem rationis passiuū, vt diximus; & non solùm dicit dependētiam generalem ab Intellectu, vt quilibet alius actus Voluntatis. Probatur ergo primò cōclusio; nam actus electionis dicit formaliter ordinem ad Rationem vt ratio est; sed hoc non competit alijs actibus voluntatis: ergo peculiare est actui electionis, formaliter pertinere ad Rationem. Maior patet, quia electio dicit ordinem ad Intellectum, vt ordinantem, & conferentem vnum cum altero: hoc autem est officium Intellectus vt Ratio est. Minor verò probatur, quia amor vel desiderium vel fruitio, non dicunt eiusmodi ordinem. Secundò probatur conclusio ex Arist. 3. Ethic. c. 3. vbi de sola electione dicit, esse appetitum præconsiliati; & Damascenus lib. 2. Fidei orthodoxæ, c. 22. dicit, quòd vbi non est consultatio, nec est propriè electio: de quo specialiter etiam agit D. Thom. 3. p. q. 18. art. 4 ad 1. & 2. & q. 22. de veritate, artic. 13. & 15. vbi licèt agat de intētione, obiter hoc optimè declarat de electione. Sed talem consultationem, quæ est actus Rationis, nō requirunt alij actus voluntatis: ergo peculiare est electioni formaliter pertinere ad Rationem. Et si contra dicas. Nam si consultatio requiritur ad electionem, sequeretur, in Deo non esse electionem, quia in eo non potest esse consultatio & inquisitio mediorum; & si in illo est electio, non necessario exposcit præuiā consultationem: Ad hoc aliqui respondent, concedendo quòd in Deo non sit propriè electio, quia nec propriè est consultatio, vt probat argumentum: falluntur tamē, quia in sacra Scriptura sæpe reperitur in Deo esse electionem, vt ad Ephesios. 1 Elegit nos in ipso, &c. & alibi sæpe; quæ cùm in sensu proprio possint interpretari sine aliquo incommodo, sic sunt accipiendę. Item etiam id ratione patet, quia in Deo propriè est liberū arbitriū; proprius autē actꝰ liberi arbitrij, est eligere: ergo propriè in Deo est electio; quod & docet D. Thom. q. 24. de veritate ar. 3. in corpore. Fundamentum autem oppositę sententiæ est falsum; reperitur enim etiā in Deo propriè & formaliter consilium absque metaphora, vt probat Magister Bañez 1. p. q. 19. art. 10. conclusione 1. & patet ad Ephesios. 1. Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ: & cùm consilium formaliter not sit Voluntatis, idem est ac si diceret Apostolus, Qui operatur omnia secundùm Voluntatem præconsiliatam & decretam iudicio practico suæ sapientiæ. Quapropter electio, siue in nobis, siue in Deo, formaliter dicit ordinem ad consultationem Rationis. Notandum tamen, quòd consilium dicit inquisitionem & inuestigationem cum dubietate, ex imperfectione subiecti creati in quo reperitur; formaliter autem & ex propria ratione, qualiter etiam in Deo reperiri potest, cōsilium tantùm dicit determinationem medij non habentis necessariam connexionem cum fine; Cùm esset aliud medium quod posset determinari.

Aristot. *Ad Ephe. 1* *Not.*

Ad primum argumentuum à principio respondetur, quòd, vt patet ex notabilibus, actus electionis peculiari iure inter omnes actus Voluntatis dicit ordinem ad Rationem, vt Ratio est, & præcōsiliatiua. *Ad. 1. arg.*

Ad secundum argumentum respondetur, quòd eodē modo & eadē ratione idē actus nō potest pertinere ad duas potentias; secundum tamē diuersam rationem bene potest: vnde actus electionis secundùm substantiam & entitatem pertinet ad Voluntatem; tamen secundum formale & ordinationem passiuam pertinet ad Intellectū; illud enim formale nihil aliud est, quàm quidam modus realis causatus ab Intellectu consiliante, vel formaliter & obiectiuè, vt dictum est, concurrente Voluntate in genere causæ efficientis etiam ad illud formale & modum realē. Vel etiam dici potest, quòd illud formale & modus realis est efficienter ab Intellectu, licèt substantia cuius est modus, sit efficienter à Voluntate; cùm enim Volūtas & Intellectus sibi inuicem sint causæ, & maximam connexionem habeant, bene potest esse, quòd actus ab vna potentia elicitus, recipiat modum etiam efficiēter ab alia; vt patet ex D. Thom. 2. 2. q. enim 81. docet, Religionem subiectari in Volūtate; in quæstionibus autem sequētibus docet, Orationem, Votum, & Iuramentum, esse actus Religionis; cùm tamē de his asserat q. 83. pertinere & subiectari in Intellectu; & cùm hæc videantur cōtraria, arguit contra seipsum q. 81. in hūc modum: Religio subiectatur in Voluntate; sed Oratio pertinet ad Intellectum: ergo *Ad. 2. arg.* *Solut. 2.*

D. Thom. ergo nō est actus Religionis; quia virtus & eius actus debent esse in eadem potentia. Respondet ipse, quòd Voluntas mouet alias potentias animæ in suum finē; & id circò Religio, quæ est in Voluntate, ordinat actus aliarum potētiarum ad Dei reuerentiam, & præcipuè actus Intellectus, qui inter omnes potentias propinquior est Voluntati. Ecce qualiter D. Thom. asserit, quòd actus Religionis licèt secundùm substantiam eliciatur ab Intellectu, tamen formaliter secundùm rationem cultus attingitur à Religione, quæ est in Voluntate. Etiam est optimū exemplum in exteriori confessione Fidei, quam asserit D. Thom. esse actum Fidei existentis in Intellectu; cùm tamen secundùm substantiam confessio eliciatur ab ore; vtique quia Fides attingit formalitatem illius actus, prout respicit obiectū Fidei. Nec sufficit, respondere, quòd talis concursus ex parte vnius potentiæ ad actum alterius, tantùm est concursus moralis; nostra autem quæstio procedit de concursu physico. Non (inquam) hoc valet, quia licèt ita verum sit, quòd talis concursus est moralis; nihilominus verè est concursus realis ponens aliquid formale reale in tali actu alterius potētiç, propter coordinationem enim potentiarum hoc potest vna in actu alterius causare. Si autem quæras, quid sit illud reale formale quod causat, dico, non esse aliquid realiter distinctum à substantia ipsius actus, sed aliquid modaliter diuersum; tantùm enim est modus realis prouenies à virtute influente ex parte alterius potentiæ. Et si contra arguas, nam modus talis actus, & formale illius, verbi grata forma le actus electionis, pertinet ad Rationem obiectiuam Voluntatis, cùm sit modus actus illius: ergo non potest attingi ab Intellectu efficienter, quia Intellectus non efficit nisi circa verum vt verum. Respōdetur, quod, vt suprà diximus, omne verum est quoddam bonum, & omne bonum est quoddam verum. Vnde ille modus, licèt vt modus actus Voluntatis, & prout pertinens ad ipsam, sit quoddam bonum; alia tamen ratione est quoddam verum, prout effectus consultationis; & sic potest attingi ab Intellectu etiam in alia potentia; quod enim pertinet ad verum, per modum actus, tantùm potest in Intellectu manere: quod autem ad verum pertinet tātùm vt modus, etiam extra intellectum in alia potentia reperiri potest causatum ab ipso Intellectu. Et si iterum arguas, nam etiam si Charitas hoc modo in ordine ad proprium obiectum attingat actus aliarum virtutum in alijs potētijs; non tamen illi actus dicuntur Charitatis, sed aliarum virtutum: ergo quòd hoc modo Ratio attingat actum electionis in Voluntate, non sufficiet vt electio dicatur pertinere ad rationem, & esse actum formaliter illius: Respōdetur, quòd quando actus ex parte illius potentiæ à qua elicitur, habet propriam formalitatem in ordine ad obiectum virtutis existentis in tali potentia eliciente, tūc quòd attingatur ab alia virtute superiori existente in alia potentia, non facit vt iste actus virtutis dicatur actus virtutis illius alterius potentiæ: & sic contingit in Charitate; attingit enim (verbi gratia) actum Fidei in ordine ad proprium obiectum; quia tamen ille actus ex parte Intellectus & in ordine ad obiectum Fidei, habet esse actum virtutis, prout à Fide elicitur; tunc quod attingatur à Charitate, non facit esse actum Charitatis, licèt ab illa dirigatur, sed absolutè est actus Fidei: quando verò actus vnius potentiæ attingitur à virtute alterius potentiæ, taliter, quòd antequàm attingeretur, nō habebat formaliter respicere obiectum virtutis ex parte potentiæ à qua elicitur, sed per hoc quòd ab alia attingitur, obiectum virtutis habet respicere; tunc talis actus elicitus à diuersa potentia, dicitur actus illius virtutis in alia potentia existentis; vt verbi gratia, actus Religionis; ex parte enim Intellectus non habet attingere obiectū virtutis, ante quàm talis actus attingatur à Religione existente in Voluntate; vnde talis actus Religionis licèt elicitus ab Intellectu, secundùm substantiam est formaliter in ratione virtutis, actus Religionis existentis in Voluntate: Sic ergo cōtingit in nostro casu, quòd actus electionis existentis in Voluntate, nō intelligitur constitutus formaliter in esse electionis, antequàm attingatur à ratione consiliāte, & sic formaliter debet dici actus Rationis cōsiliantis, licèt sit alia potentia ab ea in qua existit.

Obiectio. *Solutio.*

Ad tertiū, patet ex dictis, qualiter modus actus vnius potentiæ possit attingi ab alia sub ratione formali obiectiua alterius. *Ad 3. arg.*

Ad quartum respondetur, quod ordi- *Ad 4. arg.*

natio

natio quæ reperitur in intentione, non est tam propria Rationis, vt ratio humana est; sicut ordinatio quæ reperitur in electione; quia ista est per consultationem, vt diximus; illa verò non; quia, vt suprà diximus, de fine non est consultatio, sed determinatè fertur in illum, licèt cũ ordine ad ea quæ sunt ad ipsum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm electio conuenit brutis animalibus.

2. dist. 25. a. 1. ad 6. & 7. & 5. Metaphi. lect. 15. fin.

AD Secundum sic proceditur. *Videtur quòd electio brutis animalibus conueniat. Electio enim est appetitus aliquorũ propter finem, vt dicitur in 3. Ethic.* ✻ *Sed bruta animalia appetunt aliquid propter finem; agunt enim propter finem & ex appetitu: ergo in brutis animalibus est electio.*

c. 3. circa fi. to. 5.

2. Præterea. Ipsum nomen electionis significare videtur, quòd aliquid præalijs accipiatur: sed bruta animalia accipiunt aliquid præalijs, sicut manifestè apparet quòd ouis vnam herbam comedit, aliam refutat: ergo in brutis animalibus est electio.

3. Præterea. Vt dicitur in 6. Ethic. ✻ *ad prudentiam pertinet, quòd aliquis bene eligat ea quæ sunt ad finẽ: sed prudentia conuenit bratis animalibus; vnde dicitur in principio Metaphys.* ✻ *quòd prudentia sunt sine disciplina, quæcunque sonos audire nõ potentia sunt, vt apes; & hoc etiã sensui manifestum videtur: apparẽt enim mirabiles sagacitates in operibus animalium, vt apum & aranearum, & canum; canis enim insequens ceruum, si ad triuium venerit odorat quidem explorat, an cerous primam vel secundam viam transierit, quòd si inuenerit non transisse, iam securus per terciam viam incedit, vt exlorando, quasi vtens syllogismo diuisiuo, quo cõcludi posset, ceruum per illam viam incedere, ex quo non incedit per alias duas, cum non sint plures; ergo videtur quòd electio brutis animalibus conueniat.*

Cap. 12. post med. to. 5.

Cap. 1. non procul à prin ci. to. 3.

Sed cõtra est quod Gregorius Nicenus dicit, ✻ *quòd pueri & irrationalia voluntariè quidem faciunt, non tamen eligentia: ergo in brutis animalibus non est electio.*

Lib. 5. c. 2. 4 circa princ.

Respondeo, dicendum quod cum electio sit præceptio vnius respectu alterius, necesse est quòd electio sit respectu pluriũ quæ eligi possunt, & ideò in his quæ sunt penitus determinata ad vnum electio locum non habet. Est autem differentia inter appeticum sensitiuum & Voluntatẽ; quia, vt ex prædictis ✻ *patet, & appetitus sensitiuus est determinatus ad vnum particulare secundum ordinem naturæ, Voluntas autem est quidem secundùm naturæ ordinem determinata ad vnum commune, quod est bonum, sed indeterminatè se habet respectu particularium bonorum, & ideò proprie Voluntatis est eligere, non autem appetitus sensitiui, qui solus est in brutis animalibus, & propter hoc brutis animalibus electio nõ conuenit.*

q. 1. ar. ad 3. & q. 16. a. 1.

Ad primum ergo, dicẽdum, quòd non omnis appetitus alicuius propter finem vocatur electio, sed cum quã

ã am.

dam discretione vnius ab altero, quæ locum habere non potest nisi vbi appetitus potest ferri ad plura.

Ad secundum, dicendũ, quòd brutum animal accipit vnum præ alio, quia appetitus eius est naturaliter determinatus ad ipsum, vnde statim quando per sensum vel per imaginationẽ repræsentatur sibi aliquid, ad quod naturaliter inclinatur eius appetitus, absque electione mouetur ad ipsum, sicut etiam absque electione ignis mouetur sursum & non deorsum.

Ad tertium, dicẽdum, quòd sicut dicitur in 3 Physic. Motus est actus mobilis à mouẽte, & ideô virtus mouentis apparet in motu mobilis, & propter hoc in omnibus quæ mouentur à Ratione, apparet ordo Rationis mouentis, licet ipsa quæ à Ratione mouentur, rationẽ non habeant; sic enim sagitta directè tendit ad signum ex motione sagittantis, ac si ipsa rationem haberet dirigentem: & idem apparet in motibus horologiorũ, & omnium ingeniorum humanorum quæ arte fiunt. Sicut autem comparantur artificialia ad artem humanam, ita comparantur omnia naturalia ad artem diuinam, & ideô ordo apparet in his quæ mouẽtur secũdùm naturam, sicut in his quæ mouentur secundùm artem; vt dicitur in 2. Physic.† Et ex hoc contingit, quòd in operibus brutorum animalium apparent quædam sagacitates, in quantum habent inclinationem naturalem ad quosdam ordinatissimos processus, vt petè à summa arte ordinatos: & propter hoc etiã quædam animalia dicuntur prudentia, vel sagacia, nõ quòd in eis sit aliqua ratio vel electio; quòd ex hoc apparet, quòd omnia quæ sunt vnius naturæ similiter operantur.*

Tex. 11. & sequẽtib. vsque ad 19. præcipue 3. to. 2.

Tex. 49. to. 2.

Conclusio est negatiua.

DVBIVM I.

Vtrùm conclusio D. Thomæ sit vera.

PRobatur quòd non. Primò, nam D. Thom. assumit principium falsum ad probandum illam, dicens, quòd appetitus sensitiuus sit determinatus ad vnum, & ideò respectu illius non potest esse electio quæ exposcit indifferentiam; ergo propter illam rationem non est tenenda illius conclusio. Antecedens probatur, nam D. Thom. vel intelligit quòd appetitus sensitiuus determinatus est ad vnũ numero singulare delectabile hic & nũc, & hoc est manifestè falsum: nam experiẽtia est compertum, quòd ouis nunc capit istam herbam, nunc verò aliam; & equus & bos pascuntur multis generibus ciborum, vt hordeo & quacunque differentia frumenti; ergo appetitus brutorum non est determinatus ad vnum in singulari. Vel secundò intelligit D. Tho. quòd appetitus sensitiu⁹ est determinatus ad vnũ in genere, videlicet ad delectabile secundùm sensum, in quo differt à Voluntate, quę indifferenter se habet ad omnem bonum; & hoc quidem verum est: sed tunc ratio D. Tho. non probat intentum, quia quanuis appetitus sensitiuus sit determinatus, ita vt non possit appetere nisi bonũ delectabile secundùm sensum; tamen subiecto bono delectabili cõtinẽtur multa bona particularia, diuersa scilicet genera, & diuersæ differentiæ ciborum & herbarum, ad quæ appetitus potest esse indifferens; sicut Voluntas sub vniuersali bono habet indifferentiam ad hoc vel illud particulare; quapropter respectu illorum particularium quæ sub bono sensibili cõtinẽtur, poterit in brutis esse electio; & tantùm probabit ratio D. Thom. quòd bruta non possint eligere inter tot bona, sicut potest homo; quia bruta solũ poterunt eligere ex bonis sensibilibus; homo verò ex omni bono particulari. 1. Argum.

Secundò arguitur, & confirmatur præcedens 2. Arg.

cedens, nam appetitus bruti respicit aliquid in vniuersale: ergo non determinatur ad vnum. Antecedens patet ex *D.* Tho. infrà, q. 39. art. 6. & probatur, quia æstimatiua bruti percipit aliquid vniuersale; verbi gratia, ouis percipit, lupos sibi esse noxios & fugiendos: ergo & appetitus potest habere odiũ, quo feratur vniuersaliter in omnem lupũ; nam qualis est cognitio vel æstimatio, talis est & appetitio. Hoc vltimũ antecedẽs patet, quia quãdo ouis fugit lupum, habet speciẽ impressam ab Authoræ naturę, qua percipit inimicitiam; cùm autem non habeat tot species, quot sunt singulares lupi, habebit vnicam, qua iudicet de inimicitia luporũ in communi.

3. Arg. Tertio arguitur, nam equus titiens desiderant aquã, & tamen non magis hanc aquã, quàm illã; cùm nullã videat, aut sentiat: ergo desiderat aquã in cõmuni, & cõsequenter differentia signata D. Thomæ erit nulla.

4. Arg. Quarto arguitur, & confirmatur, nam eiusmodi equus constitutus inter duas aquas omnino æqualiter se habẽtes, omnibusq; paribus constitutis, mouebitur ad vnũ eorum; ergo nõ est determinatus ad vnũ, sed poterit eligere inter illa. Minor patet, quia non est credibile, ꝙ eiusmodi equus fame pereat vel siti. *Confirm.* Cõfirmatur & explicatur magis. Canis vocatus â duobus simul & æqualiter, tunc quasi ex quadã deliberatione determinat se ad alterũ illorũ: ergo eligit vnum ex duobus.

5. Argu. Quinto arguitur. In appetitu sensitiuo hominis subiectantur virtutes electiuę: ergo in illo verè est electio. Tunc vltra: Sed appetitus sensitiuus hominis & brutorũ sunt eiusdem speci & rationis, cũ sint circa idẽ obiectũ formale, scilicet bonũ sẽsibile: ergo in appetitu bruti potest esse electio, sicut in appetitu sensitiuo hominis.

6. Arg. Sexto arguitur. Nã idem D. Tho. ad secundũ, concedit, ꝙ brutum accipit vnũ præalio: ergo eligit; nam hoc est eligere, vnũ præalio accipere. Dicere autẽ, quòd accipit vnũ præalio materialiter, nõ satisfacit; quia formaliter eligere, nihil aliud superaddit, quàm vnũ præalio accipere.

7. Arg. Septimò arguitur. Nam vt D. Tho. cõcedit ad tertium, in brutis reperitur id quod pertinet ad discursum & electionẽ: ergo verè discurrit & eligit brutum. Nõ enim sufficit solutio, illud fieri in brut ab Authore naturæ; nã quod in illo bruto exercetur, fit efficienter & vitaliter ab ipso cane, tanquam à causa particulari, à Deo autẽ solũ vt à causa vniuersali: ergo si in tali cane reperitur id quod requiritur ad discursum & electionẽ, si illud fit vitaliter ab ipso cane, ipse canis verè discurrit & eligit; nam concursus generalis Dei hoc nõ tollit; nam etiã si cõcurrit cũ homine, & nihilominus homo verè discurrit, quia est causa particularis illius actus. Nec valet solutio D. Tho. ꝙ licèt id fiat â cane, non fit tamen cũ indifferentia quã ipse habeat, sed cum omnimoda determinatione ad vnũ ab Authore naturę; cuius signũ est, omnes canes æqualiter & eodem modo se habere inconsimili euentu. *Solut.* Non (inquã) hoc valet, nam D. Tho. supponit falsum; videmus enim quosdã canes sagatiores ad venandum, & ad insequendum lepores, quàm alios. *Repli.*

Hanc quæstionẽ resoluit Caiet. acutè, quòd Volũtas & appetitus sensitiuus cõueniunt in hoc, quòd vtraque potentia est determinata, quantũ est ex parte potentiæ, ad vnum in genere, nẽpe ad rationem communem sui obiecti; sub illo tamen non est determinata ad aliquod individuum contentum sub tali genere & obiecto cõmuni; nam etiam appetitus bruti ex parte potentię potest appetere multa delectabilia sensus; Cùm enim appetitus sequatur potentiam apprehensiuam, sicut potentia apprehẽsiua potest apprehendere plura; verbi gratia, Visus potest videre albedinem & nigredinem, & omnia contenta sub colore; ita & appetitus omnia cõtenta sub bono sensibili potest appetere; est tamen differentia inter vtrãque potentiã quantum ad actus, quòd in ipso exercitio actus positi inesse Voluntas potest habere actum, qui nõ sit circa aliquod bonum in particulari, sed circa bonum in cõmuni; vt Volo commedere, non determinãdo aliquem cibum in particulari; sed vniuersaliter quemcunque cibum: appetitus verò sensitiuus non potest ferri nisi in bonum particulare; verbi gratia, si vult comedere, necessariò vult hoc hordeũ, vel hanc herbam hic & nunc sic applicatã; sicut & cognitio apprehensiua eius non potest apprehendere aliquod commune, sed necessariò aliquod particulare; sic enim se habet appetitus sensitiuus respectu boni sensibilis, sicut Visus respectu coloris; Vnde sicut *Caiet.*

Visus

Visus licèt ex parte potentiæ tantùm determinetur ad colorem in communi, à quo specificatur; tamen in exercitio actus non potest videre nisi aliquem colorem in particulari, non autem colorem in communi; ita & appetitus sesitiuus quantum ad specificationem potentiæ determinatus ad bonum sensibile in communi in exercitio actus, non potest nisi circa bonum sensibile in particulari determinatum tendere. *Obiectio.* Et si contra facias argumentum, nam quando ouis tempore hiemis nullam videt herbam, cruciatur fame, appetitque herbam & vult comedere, non se determinando ad hanc vel illam herbam, quia nullam habet præsentem, & quia statim quacunque visa se moueret ad illam, sine noua vel distincta appetione: ergo signum est quòd appetebat aliquid communiter, & non erat appetitus determinatus ad aliquid singulare. *Solut.* Respondetur tamen, quòd nunquàm brutum habet talem actum, nec potest habere, Volo comedere pabulum communiter, sed semper est appetitio alicuius in singulari, cuius habet singularem notitiam fortiùs mouentem, siue intuitiuam, siue abstractiuam, verbi gratia, illius quòd vltimò comedit, vel bibit, vel vidit; potest enim illius recordari, vel ratione loci, vel distantiæ, &c. & si tunc oue appetente illam singularem herbam, quam vltimo vidit & recordatur, offeratur alia herba quam nunquàm viderat vel senserat, statim se mouebit ad illam, non per appetitionem antiquam, sed per nouiter inceptam; variata enim notitia per præsentiam noui obiecti, imperceptibiliter mutatur & appetitio; quia impossibile est, quòd notitia iam fit alia, & appetitio naturalis non sit diuersa, cum appetitio sequatur notitiam & instinctum. *Obiectio.* Et si contra arguas ex D. Tho. infrà, q. 29. art. 6. vbi ait, quòd potentia sensitiua, siue apprehensiua, siue appetitiua, potest ferri in aliquid vniuersaliter; vnde ait, quòd ouis odit generaliter lupum: *Solutio.* Respondetur, hoc debere intelligi secundùm habitudinem potentiæ secundùm se; vt diximus de Visu respectu coloris; non autem quantum ad exercitium actus; sic enim nunquàm odit nisi hunc in singulari lupum quem fugit. *Obiectio.* Et si rursus arguas, quia tunc nulla erit differentia signata ibi à D. Thom. inter odium, & iram, quòd ira semper est ad aliquod in particulari; odium verò potest esse ad aliquid in genere; & loquitur expresse de odio partis sensitiuæ. *Solut.* Respondetur, quòd differentia assignata non consistit in hoc, quòd actus odij exercitus sit circa aliquid in genere, & actus iræ circa aliquid singulare; sed differētia consistit in hoc, quòd obiectum odij formale est aliquid in genere, formale verò iræ aliquid particulare, quod per suam lęsionē particularem commouit irā; materiale verò terminatiuum vtriusque actus semper est aliquid singulare hic & nūc; sicut dicimus, quòd obiectum formale visionis & huius visionis est color vt color, quamuis semper visio exercita sit de colore singulari, licèt non videatur hic color in quātum hic color, sed in quātum est color. Similiter ergo nihil odio habetur, odio appetitus sensitiui, nisi aliquid singulare, odio tamen habetur in quātum in communi est tale; vnde ouis non odit hunc lupum quia hic lupus, sed quia lupus: ira vero est contra ledētem quia hic ledens; & in hoc consistit differentia ibi assignata inter iram & odium. *Obiect.* Et si contrafacias argumentum: Quando prima vice brutum animal appettit cibum aut coitum, cuius nullam notitiam nunquàm habuit, tunc quidnam in particulari appetere potest? ergo solùm videtur appetere cibum communiter, siue istū, siue illum; quia de nullo singulari potest esse maior ratio. *Solut.* Respondetur primò, quòd res certissima debet esse, quòd appetitio appetitus sensitiui non potest esse nisi præuia aliqua notitia apprehensiua; sicut nec actus Voluntatis elicitus esse potest, nisi præcedat cognitio Intellectus; vniuersaliter enim habet verum, nihil esse volitum, siue ab homine, siue à bruto, nisi priùs sit cognitum. Ex quo sequitur, quòd quando prima vice, siue puer recenter natus, siue brutum, appetit cibum appetitu elicito, priùs debet habere aliquam notitiam illius quod appetit; quæ notitia cùm sit sensitiua, semper est alicuius singularis hic & nunc, & consequenter quod appetit, est aliquid singulare. *Solutio.* Et si rursus quæras, quidnam sit illud singulare quod appetit & quod cognoscit, cùm nullam herbam, seu cibum viderit vel gustauerit; nō enim talis notitia potest esse intuitiua cùm non habeat obiectum præsens, nec abstractiua, cùm non præcesserit aliqua intui-

intuitiua: nullius ergo rei singularis habet notitiam. Est clarissimum exemplũ in catulo masculo nutrito vbi nusquam persenserit alterum suæ speciei, adhuc cùm ad tempus peruenit vt lasciuiat, mugire incipiet, & quærere fœminam cum appetitu ad id mouente, nec certè quærit aliquam singularem, cùm nullam vsquam cognouerit: ergo appetit in communi quamcunque fœminam suæ speciei. *Soluti* Respondetur, quòd in tali casu talis appetitio non est singulariter de coitu aut cibo, sed immediatè & proximè quòd appetit prosequi aut fugere, est id quod persentit, nempe calorem aut siccitatem; deficiente enim nutrimento in stomacho, calor naturalis agit in humidum naturale, & causat siccitatem inflammatam, quam dolet appetitus sensitiuus, & clamat, gemitque, & huc illucque discurrere facit, vt euadat id quod patitur. Et simile quid erit in appetitu coitus; persentit enim aliquam passionem, siue caloris, siue pruritus, siue cuiusuis alterius, quam euadere curat & appetit, & propterea gemit & mugit, quo vsque prima vice experiatur remedium; & ita infrà docet D. Tho. quòd corporales delectationes sunt velut quædam remedia & medicinæ faciles ad defectus quosdam corporales, de quibus sine dubio notitiam habet brutum sensitiuã intuitiuamque; sicut quando applicatur ignis pedi per tactum, habemus notitiã sensitiuam illius caloris quem appetimus fugere. Secunda differentia, quæ inter Voluntatem & appetitum sensitiuum reperitur, est, quòd Voluntas proposito aliquo bono particulari per Intellectũ, potest velle illud & non velle, agere & non agere, agere hoc & contrarium eius; quia vtrunque cadit sub obiecto formali Voluntatis; siue enim operari vel non operari, siue operari hoc & oppositum, continetur sub ampla ratione boni in communi, saltem apparentis; immò & in hoc particulare bonum in quod tendit sub diuersa ratione boni, potest tendere; appetitus verò sensitiuus bruti in omnibus his degenerat à Voluntate; appetitus enim ex necisitate debet esse alicui⁹ boni particularis, quo proposito, per apprehensionem particularem estimatiuæ non potest non ferri, sed necessariò fertur in illud, nec in aliud potest diuertere, sed necessariò in hoc propositum, nec potest in illud ferri sub alia ratione, quàm sub ratione delectabilis; vnde appetitus sensitiuus vndequaq; est determinatus, neque aliqua in illo manet indifferentia in exercitio operationis.

Conclusio ergo D. Thomæ, quòd in brutis non sit electio, manifestè patet ex dictis, ex quibus in forma sic probatur. *Concl.* In brutis nõ est indifferentia in potentia cognoscitiua ad iudicandum: ergo nec in potentia appetitiua ad prosequendum. Consequentia patet, quia in differẽtia potentiæ appetitiuæ radicaliter est & dimanat ex indifferentia potentiæ cognoscitiuæ in iudicãdo. Antecedens verò probatur, quia species impressæ brutis, sunt materiales, & similiter iudicia, cùm sint in subiecto materiali receptæ: ergo sunt determinatæ ad vnum in exercitio. Secundò probatur. Electio, vt est dictum, est actus liberi arbitrij; sed in brutis nec essentialiter, nec participatiuè est libertas: ergo in illis nullo modo est electio. Minor verò quo ad secundam partẽ probatur, quia in appetitu sensitiuo hominis id circò est quædam participata libertas, quia est coniuncta libertati volũtatis; & hac ratione, vt dicebamus, habet participatã electionẽ: cùm ergo in brutis non sit huiusmodi coniunctio appetitus sensitiui cum Voluntate, non erit in eis libertas vel electio etiam participatiuè. Tertiò probatur, nam electio, vt est dictum, dicit in trinsecum ordinem ad consiliũ: cùm ergo consilium in brutis nequeat esse consequenter nec electio. Vnde cum Plutarcus in lib. quòd animalia ratione vtantur, introducit quendam hominem in suum conuersum à Circe, & ait, se mirari quo pacto Philosophi asserant, quòd cætera animantia non vtantur ratione, non loquitur ibi vt Philosophus seriò, quia nullus Philosophus in tantam dementiam posset incidere, sed velut Poeta, causa exercendi ingenium, lusit in illo argumento. Et si contra facias argumentum, nam bruta possunt acquirere quosdam habitus, vt patet in cane venatico, qui per assuefactionẽ plura addiscit; & ita concedit hic Caietan. circa secundum & tertium argumentum: ergo bruta possunt eligere. Patet consequẽtia, quia potentia in his in quibus est determinata, nullo indiget habitu, vt infrà docet D. Thom. Si ergo in illis ponitur habitus, consequẽter & indifferẽtia sufficiens

Obiectio. *Caiet.*

Solutio. ciens ad electionem: Respondetur, quòd bruta propriè loquendo, non acquirunt habitus, sed ex consuetudine habent potẽtias magis habilitatas ad id ad quod sua natura inclinabantur, & eo modo quo ex sua natura inclinabantur, videlicet cum determinatione ad vnum, ex necessitate inclinando se ad id quod agit.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum à principio respondetur ex dictis, quòd D. Tho. loquitur ex parte quidem potentiæ, & quantum ad specificationem, de determinatione ad vnum incommuni; quantum verò ad exercitiũ actus, loquitur de determinatione ad vnũ numero & in singulari proposito; ad illud enim determinatur omnino brutum, nõ determinatione proueniente ab ipso obiecto, quia, vt suprà diximus, nulla potentia determinatur necessariò quoad exercitium ab ipso obiecto, sed determinatione proueniente ex ipsa natura potentiæ brutalis; hæc enim natura illius est, vt specificata ab obiecto communi in exercitio necessario, tendat in obiectum particulare sibi propositum; & hoc secundum radicaliter continetur in primò; sicut in specificatione Voluntatis à bono in communi continetur radicaliter indifferentia circa bona particularia; ita & in specificatione appetitus sensitiui à bono sensibili, cõtinetur radicaliter omnimoda determinatio circa singulare obiectum sibi propositum, vt sic semper habeat verum, quòd vnumquodque operatur in quãtũ habet esse.

Ad 2. arg. Ad secundum argumẽtum, patet etiã ex dictis, qualiter licèt obiectum quo & ratio terminandi sit aliquid cõmune, nẽperatio boni sensibilis; tamen obiectum quòd, & in exercitio terminans, debet esse quid singulare propositum; & quia vt in exercitio tendat, non requiritur quòd proponatur in particulari hoc sensibile singulare, sed quodcunque singulare proponatur, ferretur in illud; ideò habet verum, quòd licèt non feratur in exercitio circa bonum sensibile vniuersale, fertur tamen in bonum sensibile vniuersaliter, quatenus hoc, vel illud, vel aliud, potest proponi, & in illud ferri; licèt semel vno proposito, necessariò fertur in illud.

Ad 3. arg. 1. Solutio. Ad tertium aliqui respondent, quòd quando equus nullam videt nec vidit aquam, appetit aquam absolutè, quatenus conducit ad propriam conseruationem; & illam apprehendit ex instinctu naturæ, licèt nullam viderit; quod videntur sibi colligere ex D. Thom. 1. p. q. 78. artic. 4. in corpore, vbi ait, quòd brutum aliquando mouetur intentionibus, quas vocant non sensatas, vt amicitiæ & inimicitiæ, quæ quidem æstimatiua percipiuntur, non autem exteriori sensu. Sed certè hæc solutio non bene intelligitur, nam tunc non poterit explicari qualiter appetat aquam in singulari, sed quòd tunc appeteret aquam in communi. Vnde melius respondetur, vt iam diximus, quod in illo casu non appetit aquã, cùm illius speciẽ non habeat neccognitionem, sed tãtùm appetit fugere sitim & calorem siccantem quem patitur, & quem habet præsentem, licèt non appetat per quid debeat talem sitim fugere; quia illud non cognoscit; bene enim stat, etiam in homine, quòd appetat curari morbo quem patitur, & quòd non appetat aliquam in singulari medicinam, si nullam agnoscit. Secus est quòd homo appetit medicinam in communi, quia ipsam potest apprehẽdere, brutum autem nec in particulari, nec in communi tunc appetit aquam satiantem, quia tunc nullam apprehendit. *2. Solutio. Verior.*

Ad 4. arg. Ad quartum respondent aliqui, quòd illa determinatio bruti ad vnum è duobus in illo casu prouenit ex impressione cœlesti; sicut quòd filum vniforme frangatur in vna parte potiùs quàm in alia, prouenit ex impressione constellationis cœlestis. Sed hæc solutio non est vera, oportet enim semper assignare causam particularem effectus particularis; causæ enim vniuersales agere non possunt nisi determinatæ à causis particularibus & proximis; quia nulla talis est vt supponimus in casu, sed omnes sunt æquales. Vnde respondetur secundò, quòd casus per naturam est impossibilis, semper enim é duobus in vno reperitur aliqua differentia, propter aliquam conditionem indiuidualem ipsius, vel approximationis passi, vel ipsius appetentis, propter quam magis mouet phantasma vnius, quàm alterius. Sed dato casu, saltem super naturaliter, dicimus, quòd tale brutum, quandiu manet illa æqualitas ex omni parte, ad neutrum tendit; vt communiter dicitur de Asino Buridani; vt patet, nam brutũ mouetur ad suum obiectum naturaliter, & non libere; *2. Solutio. Vera.*

berè; & tunc non est maior ratio quòd se moueat ad vnũ, quã ad aliud: sicut si corpus æqualiter esset graue & leue, vt dicitur primo Metaphy. non ascenderet nec descenderet, cùm ad neutrum locum haberet maiorem inclinationem: & sicut ig niculus paruus indiuisibilis si poneretur in medio centri terræ, ad neutram partem concaui lunæ ascẽderet; & sicut filum ex omni parte vniforme, si æquali violentia ex vtraque parte distrahatur, frangetur in medio; & sicut docet Arist. 4. Physic. quòd si daretur corpus graue inuacuo, non moueretur, quia non est maior ratio quare in hanc potius quàm in illam partem moueatur: ita similiter brutum in ca
3. *Solutio* su posito. Tertiò etiam posset responderi, quòd tunc equus appeteret alterum illorum obiectorum, non tanquàm aliquid distinctum ab alio, sed ambo simul per modum vnius obiecti integrati ex illis; nihilominus quòd de facto accederet priùs ad vnum, quàm ad aliud, esset à casu; sicut à casu est, quòd in eodem pabulo hordei priùs accedat ad vnum granum, quàm ad aliud, non minùs quàm si accederet oculis clausis.

Ad confirm. Ad confirmationẽ respondetur, quòd appetitus canis in illo casu habet se admodum linguæ in bilance; quando enim vtraque lanx habet æquale pondus, lingua non fertur magis in vnam partem, quàm in aliam; quia vtrũque habet æqua le pondus; ita appetitus bruti manet suspensus ad æquale bonum. Verum est tamen, quòd sicut lingua bilancis adducta modico & tenuissimo vento inclinatur in vnam partem; ita appetitus bruti ex leuissima imaginatione, vel specie facilima præponderanti inclinat se magis ad vnum, quàm ad alium vocantem.

Ad 5. arg. Ad quintum argumentum respondetur, quòd appetitus sensitiuus hominis est subiectum virtutum, non ex se, sed ex coniunctione ad libertatem Voluntatis; & sic etiam electionem participare potest: appetitus autem bruti cùm huiusmodi coniunctionem non habeat, electionem nullo modo participare potest. Ad illud autem, quòd vterque appetitus est eiusdem rationis; respondetur, hoc habere verum, si considerentur in ratione potentiæ & ex parte obiecti secundùm se, non autẽ si considerentur in ratione passionũ; Vnde qua ratione appetitus in homine est passio eius, aliquid potest habere quod non in bruto? Et si contra facias argumentum; nam si appetitus hominis in ratione potentiæ est eiusdẽ rationes cũ appetitu bruti: ergo obiectũ â quo vterque specificatur, ita erit patens in vno, sicut in alio, vnde etiam in homine licèt sit passio eius, non poterit ex parte obiecti aliquid attingere, quod alius non possit; quia iam non solùm in ratione passionũ, sed etiam in ratione potentiæ, quæ ex obiecto pensatur, distinguerentur; Respon *Solut.* detur tamen, quòd ideò diximus, huiusmodi potentias esse eiusdem rationis ex parte obiecti & in ratione potentiæ secũ dùm se, nam etiam in ratione potentiæ est propria passio; & sic si vt potentia hominis consideretur, alterius rationis est, & obiectum potest attingere ad quod potentia bruti peruenire non potest; itaque ex obiecto & ex ratione passionis habet maiorem amplitudinem ex parte obiecti, & sic etiam vt potentia; non vt potentia secundùm se, sed vt potentia hominis dimanãs ab illo, excellẽti obiectũ habet, & alterius rationis est à potentia bruti. *Obiectio.*

Ad sextũ argumentũ respondetur, q brutũ accipit vnũ præalio, ita vt ly Præ, sumatur materialiter, quatenus assumit vnũ, & non assumit aliud, non autẽ ita vt ly Præ, sumatur formaliter, ex eo quòd consideret per aliquã deliberationẽ hoc magis conueniens, quàm illud; vnde in bruto non est electio, quia ad electionem requiritur acceptare vnum præalio; ita vt ly Præ, sumatur formaliter. *Ad 6. arg.*

Ad septimũ argumentũ, bona est illa solutio. Ad replicã dicitur, q licèt canis verè sit causa efficiens illius actus incipientis à medio & perueniẽtis ad finẽ, non tamẽ cũ cognitione habitudinis vnius ad alterũ, sed hoc solùm fit à Deo; homo autẽ vtrumque facit, vnde licèt in homine, nõ tamen in bruto reperitur discursus. *Ad 7. arg.*

ARTICVLVS III.

Vtrùm electio sit finis, vel potiùs eorũ quę sunt ad finem.

*Inf. ar. 4. & 6. cor. & 3. q. 18. art. 4. cor. & lib. 4 cõt. c. 95. fi. & opus. 2. c. 177. & 3. Ethi. lect. 1. & 1. periher. lect. 14. fin. * c. 12. post med. to. 5.*

*Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd electio non sit finis eorũ quæ sunt ad finẽ. Dicit enim Philosophus in 6. Ethicorũ, * q electionem rectũ facit vir*

tus. Quæcũque autẽ illius gratia nata sunt fieri, non sunt virtutis, sed alterius potentiæ: Illud autẽ cuius gratia fit aliquid, est finis: ergo electio est finis.

2. Prætereà. Electio importat præacceptationẽ vnius respectu alterius: sed sicut eorũ quæ sunt ad finẽ, vnũ potest præaccipi alteri; ita etiam diuersorum finium: ergo electio potest esse finis, sicut & illorum quæ sunt ad finem.

Sed contra est quod Philosophus dicit in 3. Ethic.* quòd Voluntas est finis, electio autem eorum quæ sunt ad finem.

*c. 2. t. 9. ar. 1. ad 2.

Respondeo dicendũ, quôd sicut iã dictũ est, electio consequitur sententiã vel iudicium, quod est sicut conclusio syllogismi operatiui, vnde illud cadit sub electione, quod se habet vt cõclusiio in syllogismo operabiliũ. Finis autem in operabilibus se habet vt principiũ, & non vt conclusio, vt Philosophus dicit in 2 Physic.* Vnde finis in quantũ est huiusmodi non cadit sub electione; sed sicut in speculatiuis nihil prohibet, id quod est vnius demõstrationis, vel scientiæ principiũ, esse conclusionem alterius demonstrationis, vel scientiæ: primũ tamen principiũ in demõstrabile non potest esse conclusio alicuius demonstrationis, vel scientiæ; ita etiã contingit, id quod est in vna operatione vt finis, ordinari ad aliquid vt ad finem, & hoc modo sub electione cadit. Sicut in operatione medici sanitas se habet vt finis; Vnde hoc non cadit sub electione medici, sed hoc supponit tanquàm principiũ, sed sanitas corporis ordinatur ad bonũ animæ: vnde apud Deum qui habet curã de animæ salute, potest sub electione cadere, esse sanum, vel esse infirmum: Nam Apostolus dicit. 2. Corinth. 12. Cùm enim infirmor, tunc potens sum: sed vltimus finis nullo modo sub electione cadit.

*Tex. 89. 10. 5.

Ad primum ergo, dicendũ, quôd fines proprij virtutum ordinantur ad beatitudinem, sicut ad vltimum finem, & hoc modo potest esse eorum electio.

Ad secundum, dicendum, quôd sicut suprà habitum est, vltimus finis est vnus tantùm, vnde vbicunque ocurrunt plures fines, inter eos potest esse electio, secundùm quod ordinantur ad vltimum finem.

Prima conclusio. Finis vt sic, non cadit sub electione, vt autem ordinatur in vltetiorem finẽ, potest cadere sub electione. 1. Concl.

Secunda conclusio. Finis vltimus nullo modo cadit sub electione. 2. Concl.

Tertia conclusio. Electio, formaliter loquendo, tantùm est mediorum. 3. Concl.

DVBIVM I.

Vtrùm secunda conclusio D. Thomæ verum habeat de vltimo fine vero & reali, qualis est Deus clarè visus.

PRobatur quòd sic. Primò. Visio beatifica nullo modo habet rationẽ medij: ergo nullo modo cadit sub electione. Patet cõsequentia, quia si finis debet cadere sub electione, id debet esse sub ratione medij, vt dicit D. Tho. Antecedens verò probatur, nam illa visio est finis vltimus simpliciter; ergo nullo modo habet rationẽ medij. Patet consequentia, quia quod habet rationẽ medij, habet rationẽ nonvltimi; cùm ordinetur ad aliud: ergo nõ potest simpliciter esse vltimum: quod ergo simpliciter est vltimum, medium esse non potest. 1. Argũ.

2. *Arg.* Secundò arguitur,& cõfirmatur præcedens,nam habere formam aliquam,nõ est medium ad essendum tale, quale illa forma constituit; vt habere albedinem, non est medium ad essendum album,sed est ipsum met esse album; & habere diuitias, non est medium ad essendum diuitem,sed est esse diuitem: sed visio beatifica est forma constituens beatum in esse beati; & ipsa beatitudo; ergo non est medium ad essendum beatũ, nec ad beatitudinem.

3. *Arg.* Tertiò probatur. Quę necessaria sunt, non cadunt sub electione; sed visio beatifica est quid necessarium;ergo non cadit sub electione. Maior patet ex Aristot.3. Ethic.& ex D.Thom.asserente, electionem esse eorum quæ sunt in nostra potestate. Minor verò probatur, nã visio beatifica non cadit subconsultatione, cùm sit per se euidens eius conuenientia, nec est in potestate beatorũ ab ea abstinere: ergo omnino est necessaria, ac proinde nõ cadens sub electione. Si respõdeatur, visionẽ beatificã non cadere sub electione beatorũ in Patria;bene tamen Viatorũ in Via? Cõtra argumentor,quia quod est electionis obiectũ, In quocunq; statu potest cadere sub electione: ergo per oppositũ si visio beatifica nõ potest esse obiectũ electionis beatorũ, nec poterit esse obiectum electionis Viatorum.

Solutio.

Impugnat.

Not.1. Pro intelligentia notandũ,visionẽ beatificam posse considerari dupliciter. Primò in Patria respectu Beati. Secundò in Via respectu Viatoris illã expectantis. In Patria quidẽ apparet euidenter Beato talem visionẽ esse summum bonũ, quod formaliter potest haberi, extra quã non potest alius finis vltimus formalis eis repræsentari;in Via autem non apparet id euidenter.

Not.2. Secundò notandum,quòd cùm beatitudo & vltimus finis verus & realis,qualis est Deus clarè visus, includat duo, & visionẽ ipsam,& ipsum Deũ visum,quæstio potest procedere de vtroque, vtrùm ipsa visio sit eligibilis, vel etiã vtrùm sit eligibilis ipse Deus.

Not.3. Tertiò notandum, quòd cùm in Via electio sit duplex; alia ordinata iustorũ, alia inordinata peccatorũ,quęstio potest procedere de vtroque, vtrùm peccator secundũ inordinatã electionem possit eligere vt medium visionẽ beatificam,& ipsum Deum ad aliquẽ finem vltimũ sibi constitutũ. Et similiter disputari potest de iusto, vtrùm secundùm ordinatã electionẽ possit assumere vt medium,tam visionẽ beatificam,quàm ipsum Deum,ad aliquẽ finem vltimum rectum.

Not. 4. Vltimò notandũ, q̃ omnimoda determinatio, tã quoad specificationẽ, quàm quoad exercitiũ absolutè, repugnat actui electionis;cùm electio,vt est dictum, habeat se liberè ad vtrũque. Restat autẽ examinare, vtrũ posita determinatione quoad specificationẽ respectu vltimi finis,per hoc solũ q̃ maneat indeterminatio quoad exercitium, possit esse electio etiã de ipso vltimo fine. Hoc suppositio.

1. Senten. Medi. Prima sententia est Magistri Medina, quod in hac vita,tã visio beatifica, quàm ipse Deus,possunt cadere sub electione, & assumi vt medium ad aliud, tanquàm ad vltimum finem, videlicèt respectu boni in communi.

2. Sent. Vazquez. Secunda sententia est in alio extremo, quòd licèt respectu electionis inordinatę peccatoris Deus & visio eius possint assumi vt mediũ respectu alicui⁹ finis creati;tamen respectu electionis ordinatę,neque Deus,neque illius visio possunt cadere sub electione, nec assumi vt mediũ ad aliquem vltimum finẽ. Hãc sequitur Vazquez in isto articulo.

3. Senten. Tertia sententia est media, quòd licèt in Via visio Dei cadere possit sub electione etiam ordinata, non tamen ipse Deus; quia cùm in re sit vltimus finis, impossibile est, si ordinatè procedatur,assumere illum vt medium ad aliud.

1. Concl. D. Thom. Arist. Prima conclusio. Vltimi finis formaliter,vt vltimus est,impossibile est quòd sit electio. Hæc est Diui Thomæ hic, & expressa Aristotelis 3. Ethicorum,cap.2 & lib.6.cap.12. Et ratio eius est manifesta,quia vltimum vt vltimum non est ad aliud, quia iam non esset vltimum: sed quod cadit sub electione,est ad aliud:ergo finis vltimus formaliter sub electione non cadit; vnde formaliter electio si est de aliquo vt ad aliud,formaliter est de medio; Vnde si aliquando versatur circa finem inter medium,non est formaliter vt circa finem, sed vt circa medium. Dixi autem,non cadere sub electione vltimum finem formaliter, quia si loquamur de vltimo fine materialer, nempe de Deo,qui in re est vltimus,statim examinabitur,si ex apprehensione,siue ordinata, siue non ordinata possit assumi vt

medium

medium ad vltimum finem formaliter. Et si contra facias argumentum, quia etiam volitio boni in communi (quod est vltimus finis formaliter) est libera quo ad exercicium: ergo etiam respectu illius potest esse electio, & deliberare vtrùm conueniat habere vel non habere illam in exercitio; nihil enim aliud est eligere, quàm ex deliberatione secundùm quod conueniens apparet, aliquid aceptare: Respondetur, quòd aliud est loqui de vltimo fine & bono in communi, aliud verò de volitione ipsius boni in communi. De primo electio esse non potest, cùm necessitet quoad specificationem; exercitium autem non est in ipso, sed in operatione circa ipsum. De secundo autem per quandam reflexionem potest esse electio; quia cùm exercitium actus sit liberum, de ipso potest deliberare, vtrùm hic & nunc expediat vel non expediat. & consequenter eligere operare, vel non operare; & assumere ipsam operationem in exercitio, vt medium ad ipsum bonum in cõmuni; prout in exercitio enim habet rationem boni particularis, quod vt medium potest ordinari ad bonum in communi: licet enim ille actus in exercitio sit bonum in communi vt quo, est tamen bonum in particulari vt quod; quapropter etiam vt quo, in exercitio potest induere rationem obiecti quod, & boni particularis ex electione assumpti ad aliud.

Solut:

2. Conclu. Secunda conclusio. Loquẽdo de vltimo fine in particulari vero & reali, de fine (inquam) vltimo, quo qualis est visio beatifica, non cadit sub electione, nec potest assumi vt medium à Beatis. Hæc patet argumentis à principio positis, & præterea, quia, vt dictum est, Volũtas nõ potest eligere illud respectu cuius est determinata necessariò quoad specificationẽ & exercitium, sed respectu visionis beati omnino sunt determinati necessariò, & quoad exercitiũ, & quoad specificationẽ, vt suprà diximus: ergo respectu illi? nõ possunt habere electionẽ. Et hoc etiã

D. Thom. insinuat D. Tho. in 2. dist. 7. q. 1. art. 1. ad 1. vbi ait; in Angelis beatis esse electionem, non finis, sed eorum quæ non deuiant à fine, sed ad ipsum ordinantur.

3. Concl. Medina. Tertia conclusio. Visio beatifica obscurè proposita in Via per Fidem bene potest cadere sub electione. Hęc est Medinę hîc, & præter eius rationes probatur. Primò, nam visio illa non appetitur necessariò in Via, nec repræsentatur sub omnimoda ratione boni, sed sub ratione boni particularis: ergo bene potest esse obiectum electionis, & ordinari vt medium ad beatitudinem in communi assequendam. Antecedens probatur, quia cùm visio beatifica in Via non necessitet etiam quoad specificationem; vt patet in peccatore diuertente ab illa, non repręsentatur sub ratione boni in cõmuni, sed boni particularis; si enim repręsentaretur sub ratione boni in cõmuni, necessitaret quoad specificationem. Consequentia vero probatur, quia bonũ particulare ordinatur ad bonum in communi; quapropter Salas hic tractatu 6. disput. 1. sect. 5. q. 3. cõclusione 1. non bene asserit, quod etiam de visione in Via possit fieri electio in ordine ad alios fines particulares per cõsultationem vtrùm expediat magis tendere ad beatitudinem, quam in delitijs vel diuitijs immorari; tamen hanc electionem facere non potest de visione beatifica respectu boni in communi; quia medium debet distingui realiter à fine; visio autem beatifica non distinguitur realiter à bono in communi, hoc enim falsum est, sufficit enim distinctio finis particularis & communis per rationem & æstimationem, vt per electionem tendat in finem particularem; non vt finis, sed vt medium ad finem vltimum vt communem, quem existimat consequi per hunc finem particularem. Secundò probatur, nam visio beata potest cadere sub consultatione, vtrùm expediat, vel non: ergo etiam sub electione. Antecedens patet, quia non est euidens Viatori in illa visione comprehendi omnem suam perfectionem, & totalem rationem boni. Consequentia verò probatur, quia eorum est electio, quorum est consultatio.

Salas.

4. Concl. Quarta conclusio. Deus consideratus vt obiectum formalis beatitudinis, bene potest in Via cadere sub electione, præcipuè suppositа aliqua ignorãtia. Hæc primò patet ex præcedenti, nam, vt suprà diximus, Deus formaliter vt visus non ponit in numero cum ipsa visione: ergo si visio Dei potest in Via cadere sub electione, similiter & Deus vt visus. Secundò probatur sicut & præcedens, quia sic Deus consideratus potest concipi vt medium ad assequendum beatitudinẽ in cõmuni: ergo potest cadere sub electione

etiam recta. Antecedens probatur, quia si non potest sic cõcipi, sequeretur, quòd nec posset cadere sub electione inordinata peccatoris; quia omnis electio, siue recta, siue inordinata, debet versari circa medium; consequens autem est falsum: ergo. Tertiò probatur, quia Viator potest ignorare inuincibiliter, Deum clare visum, esse suum finem vltimum: ergo potest deliberare & consultare, vtrùm Deus clarè visus expediat sibi ad beatitudinem, & sic eum eligere. Antecedens probatur, quia quod de se non est medium, suppositа ignorantia, potest eligi vt medium inordine ad aliquem finem; vt quando suppositа ignorantia quòd est malum, ordinatur ad aliquem bonum finem malum; non enim est medium ad assequutionem boni: ergo eadem ratione, suppositа ignorantia, Deus, qui medium non est, poterit eligi vt medium ad beatitudinem. Vltimò probatur, quia ex eo diximus posse eligere beatitudinem formalem, quia poterat considerari vt bonum particulare: sed similiter Deus clarè visus potest considerari vt bonum particulare: ergo similiter potest cadere sub electione. Quòd & videtur insinuasse D. Thom. ad secundùm, cùm ait, quòd cùm plures fines occurrunt, potest esse electio inter illos, ac proinde cùm possint simul cum beatitudine obiectiua occurrere alij fines particulares, poterit esse electio beatitudinis obiectiuæ.

5. Concl. Quinta conclusio. Etiam Deus secundùm se cadere potest sub electione recta in Via. Hæc probatur Deutero. 26. *Deut. 26.* Dominum Deum tuum eligisti hodie. qui locus licèt explicetur quantum ad Dei cultum & ceremonias, sicut & etiam eligimus amorem eius in Via, vt medium ad assequutionem eius in Patria; qua ratione etiam intelligitur illud Genes. 28. *Genes. 28.* quòd Iacob fecit votum, quòd Dominus futurus esset illi in Deum; videlicet per specialem cultum & amorem; sic enim explicat D. Thom. 2. 2. quæstio. 88. artic. 2. ad primum; nihilominus intelligi potest in sensu nostræ conclusionis. Et secundò probatur, nam virtutes quæ versantur immediatè circa Deum, sunt excellentissimæ virtutes, & consequenter definitio virtutis perfectissimo modo debet illis conuenire. Cùm autem definitio virtutis importet quòd sit electiua, hoc etiam virtutibus quæ immediatè versantur circa Deum, debet conuenire. Sed contra arguit Vazquez, quia electio virtutis fit mediante prudentia determinante materiam & quantitatem: sed hoc non potest esse respectu Dei & vltimi finis particularis: ergo circa ipsum non potest esse electio. Minor probatur, quia prudentia non potest versari circa vltimum finem, sed circa media. Confirmatur, quia electio, vt diximus, tantùm est de medijs: sed Deus nullo modo potest esse medium, nec ordinari ad aliud tanquàm ad finem secundùm rectum ordinem; esset enim maxima imperfectio Dei, quòd aliquid aliud esset finis illius: ergo de ipso non potest esse electio. Respondetur tamen, quòd licèt electio naturalis fiat à prudentia acquisita, & electio supernaturalis circa media supernaturalia, fiat â prudentia infusa; electio tamen circa vltimum finem in particulari, vt est ad vltimum finem in communi, non fit â prudentia, sed immediatè ab ipsa Fide, quæ quidem est quædam excellens & eminens prudentia; in quantum regulat actus Spei & Charitatis: Fides enim formaliter facit comparationem inter Deum vltimum finem verum, & alios vltimos fines falsos confictos à peccatoribus, & iudicat sine mensura Deum esse eligendum & diligendum.

Impugn. Vazquez. *Confirm.* *Solutio.*

Ad confirmationem respondetur, quòd licèt Deus secundùm se cadat sub electione modo prædicto, non tamen dicèdum est in ordine ad rectam electionẽ virtutũ habere rationem medij; medium enim imperfectionem videtur importare, licèt ei conueniat esse id quod est ad finem, semotis imperfectionibus: vt enim suprà diximus, posse reperiri rationem finis sine ratione causalitatis, & consequenter dici posse quòd sit aliquis finis Dei, licèt non causa finalis Dei; ita similiter potest ei conuenire esse id quod est ad finem, non tamen quòd sit medium; quia esse medium, non respicit finem vtcunque, sed vt causam; vnde medium importat rationem effectus causæ finalis. Sicut ergo Deo potest assignari finis, non verò causa finalis, ita similiter & ei potest conuenire quòd sit ad finem; quod sufficit ad electionem, non verò quòd sit medium; quòd importat imperfectionẽ effectus; quia quòd Deus respiciat bonũ in cõmuni: vt finem, non est vt

Ad confir.

aliquid

aliquid distinctum realiter; quod requirebatur ad rationem medij & effectus; sed tantùm vt aliquid distinctum ratione; quod quidem potiùs est assignare bonum in communi ex imperfectione nostræ cognitionis, vt rationem amandi Deũ & vt quo, quàm sit assignare illud vt distinctum finem vt quod. Etsi contra facias argumentum, quia licitum est nobis amare Deum amore concupiscentiæ, vt docet D. Thom. 2.2.q.26.art.3. ad tertium, & Caiet. q.17.ar.5. ergo tunc Deus habebit rationem medij in ordine ad nos, vt ad aliquid distinctum realiter ab illo; quòd enim ametur amore concupiscentiæ, est in ordine ad nos amari. Respondetur tamen, quòd amor concupiscentiæ non respicit Deum vt medium ordinatũ ad nos sicut ad finem, sed è conuerso respicit ipsum vt finem concupitum nobis, vt medijs volitis propter ipsum Deum, tanquàm propter vltimum finem, vt docet Caiet. loco citato, & Magister Bañes ibidem contra Durandum.

Obiectio. *D.Thom.* *Caiet.* *Solutio.* *Bañes.*

Ad.1.arg. Ad primum argumentum à principio respondetur ex dictis, quòd visio in Via ex imperfectione cognitionis potest concipi vt medium ad beatitudinem in communi.

Ad 2.arg. Ad secundum respondetur similiter, id habere verum de visione, si perfectè secundum propriam naturam cognoscatur, vt cognoscitur à beatis. Et per hoc etiam patet ad tertium, quòd visio respectu beatorum habet rationem necessarij in Via autem liberè proponitur.

Ad replicam autem dicitur, quòd idẽ in diuerso statu, & diuersi modè propositum, diuersi modè se potest habere, quòd in vno statu sit obiectum electionis, in alio verò non.

In primo argumento D. Thom. explicat verba Philosophi, in quibus fundatur eius doctrina; quę quidem difficilis *Arist.* est; dicit enim Arist. 6. Ethic. c. 12. quòd virtus est quæ facit electionem rectam; quę autem fiunt propter electionem virtutis, vel gratia ipsius electionis virtutis, non sunt ab ipsa virtute morali, sed ab alia potentia nempe à prudentia existente in intellectu. Verbi gratia virtus Temperantiæ facit hanc electionem. Volo tẽperatè viuere, vel agere; quod verò ad tẽperatè agendum, velim comedere tali hora talem cibum, & tali mensura, hoc non prouenit a Temperantia, sed à Prudẽtia; & idem est in alijs virtutibus. Tunc ergo est argumentum: Si electio illa recta, quã facit Temperantia, videlicet, Volo temperatè agere, est finis, vt docet Philosophus: nam *Prudentia* ex cogitat media ad talem finem: ergo electio quam facit virtus moralis Temperantiæ versatur circa finem. Respondet D. Thom. quòd licèt electio quam faciunt virtutes morales, sit finis respectu aliorum mediorum quę excogitantur per prudentiam; ille tamen finis mediorum Prudentiæ, videlicet temperatè viuere, cùm non sit vltimus, ex medium in ordine ad alium vlteriorem finem, & ideò potest cadere sub electione talis virtutis.

Obiect. *Solut. D.Tho.*

Circa hoc multę aliæ difficultates possent moueri; quę tamen omituntur, quia ad alium locum pertinent, videlicet quomodo morales virtutes, præstituant finẽ Prudentię; & rursus quomodò virtutes morales non præaccipiant media in ordine ad finem, sed potiùs hoc sit officium Prudentiæ; cùm tamen de ratione virtutis sit quòd sit habitus electiuus mediorum, cum in mediocritate consistat; & rursus quomodò Prudentia sit præstantior inter omnes virtutes morales; & tamẽ aliæ virtutes præstituant illi finem. Denique quomodò asserit Arist. & D. Thom. sæpe quòd virtus moralis facit rectã electionem, cùm plures dicant, quòd virtus moralis facit rectam intentionem finis. De his tamen difficultatibus infrà agitur in materia de virtutibus q.58.art.4. & 5, & q.66.art.3.ad 3.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm electio sit tantum eorum quæ per nos aguntur.

SIC ad quartum procedi-
tur. Videtur quòd electio
non sit solùm respectu humanorum actuum. Electio enim est eorum quæ sunt ad finẽ: sed ea quæ sunt ad finem non solum sunt actus, sed etiam organa, vt dicitur in 2. Phys. ergo electiones non sunt tantùm humanorum actuum.

Infra ar.5. co.q.1.art.5.

Secundo præterea. Actio à contẽplatione distinguitur: sed electio etiam in contemplatione locum habet, prout scilicet vna opinio alteri præ eligitur: ergo electio non est solùm humanorum actuum.

Tertio præterea. Eliguntur homines ad alia officia, vel secularia, vel Ecclesiastica, ab his qui nihil erga eos agunt: ergo electio non solùm est humanorum actuum.

Sed contra est quod Philosop. di
c. 2 *cit in 3. Ethic. quòd nullus eligit nisi ea quæ existimat fieri per ipsum.*

Respondeo dicendum, quòd sicut intentio est finis, ita electio est eorum quæ sunt ad finem, finis autẽ vel est actio vel res aliqua; & cùm res aliqua fuerit finis, necesse est quòd aliqua humana actio interueniat, vel in quantum homo facit rem illã quę est finis; sicut Medicus facit sanitatem quę est finis eius, vnde & facere sanitatem dicitur finis Medici: vel in quantum homo aliquo modo vtitur, vel fruitur re, quæ est finis, sicut auaro est finis pecunia, vel possessio pecuniæ; & eodem modo dicendum est de eo quod est ad finem, quia necesse est vt id quod est ad finem, vel sit actio, vel res aliqua, interuenien te aliqua actione per quam facit id quod est ad finem, vel vtitur eo; & per hunc modum electio semper est humanorum actuum.

Ad primum ergo, dicendum, quòd organa ordinantur ad finem in quantum homo vtitur eis propter finem.

Ad secundum dicendum, quòd in ipsa contemplatione est aliquis actus Intellectus assentientis huic opinioni vel illi actio verò exterior, est quæ contra cõtemplationem diuiditur.

Ad tertium, dicendum, quòd homo qui elegit Episcopum: vel Principem ciuitatis, eligit nominare ipsum in talem dignitatem, alioquin si nulla esset eius actio ad constitutionem Episcopi vel Principis, non competeret ei electio. Eo similiter dicendum est, quòd quandocumque dicitur aliquares præ elegi alteri, adiungitur ibi aliqua operatio eligentis.

Conclusio est affirmatiua.

Hanc conclusionem explicat D. Tho. D. Tho.
sic, quòd licet electio aliquando sit alterius rei, tamen talis res debet subsistere nostræ actioni. & sic vniuersaliter verificatur quôd electio est eorum quæ per nos aguntur: qua etiam ratione explicat ad tertium, quôd quando electio est circa aliquam personam suppositò distinctam ab eligente, tunc talis persona electa coniungitur eligenti mediante actione ipsius eligentis; vt quando quis eligit Principem vel Episcopum, coniungitur electus eligenti mediante actione nominandi Episcopum vel Principem; quapropter falluntur qui existimant, quôd ipsa persona non eligatur, sed ipsa actio nominandi; mens enim D. Thom. tantùm est, quôd cùm electio sit actus virtutis vel vitij, non potest esse immediata respectu personæ, sed respectu operationis, per quam tribuitur ius personæ electæ: nihilominus tamen ipsa etiam persona vere & propriè eligitur, licèt media operatione; & hic est communis modus loquendi, quòd Petrus in Episcopum eligatur. Quod autem hic potest ingerere difficultatem, est, vtrùm predicta conclusio etiam habeat verum de intentione Vazquez enim tenet par- Vazquez.
tem negatiuam, eius tamen sententia expressa est contra D. Thom., hic qui eodem

eodem modo loquitur de vtroque, & eadem etiam ratione probat, quòd intentio est eorum quæ per nos aguntur. Et probatur, quia intentio non respicit finem quomodocunque, sed vt acquirendum per media: cum ergo media propria actione acquirantur, similiter & finis. Item etiam, quia, vt suprà diximus, intentio virtualiter includit electionem: cum ergo electio respiciat ea quę per nos aguntur, similiter & intentio, quæ virtualiter includit electionem. Item etiam quia intentio est quidam motus quo peruenitur nisi proprijs operationibus: ergo intentio propriam operationem respicit, & sic erit de illo quod à nobis agitur. Si autem hoc suprà non determinauit D. Th. ideò est, quia illud ad præsentem locum reliquit, vt de electione & intentione hoc idē determinaret, cùm de vtroque sit eadem ratio. Si autem Arist. 3. Ethic. cap. 2. ait, quòd Voluntas esse potest etiam de illo quod à nobis non agitur, in quo ponit differentiam ab electione; intellexit vtique Arist. nomine Voluntatis simplicem volitionem; quæ acceptio communis est apud D. Tho. & istam ait esse posse etiā de non agendis â nobis: intentio autem nequaquàm, vt probauimus. Etsi contra

Obiectio. arguas, quia multoties contingit desiderare quod noster amicus aliquid faciat, quòd in nostra potestate non est, vt faciat: ergo non semper intentio est de agē

Solut. dis â nobis. Respondetur, quòd in illo casu qui desiderat, vel desiderat: per media, vt per consilium vel preces, &c. vel sine medijs. Si primo modo, est intentio, & sic etiam actus alterius est à nobis agendus, vt effectus nostrarum precum & cōsiliorum. Si autem secundo modo, tunc non est intentio, sed simplex volitio quæ de non agendis à nobis potest esse, vt diximus. Etsi rursus arguas, quod intentio immediatè est de ipso fine;

Obiectio. sed finis non est operatio nostra, sed res ad extra: ergo intentio non est de operabili à nobis, quoniam operabili à nobis tantùm

Obiectio. est ipsa operatio circa rem exteriorem: Respondetur, quòd tunc rex exterior, est finis qui; operatio autem finis; quo qui autem & quo non ponunt in numero; vnde licèt media operatione, ipsa tamen res est finis, & à nobis agitur.

ARTICVLVS V.

Vtrûm electio sit solûm possibilium.

AD quintum sic proceditur. *Veri q. 22. ar. 13. ad 12. & 3. Ethic. lect. 5. fi. ar. 1.*

Videtur quòd electio non sit solùm possibilium electio enim est actus Voluntatis, vt dictum est: sed Voluntas est possibilium & impossibilium, vt dicitur in 3. Ethic. ergo & electio.

Secundo præterea electio est eorum quæ per nos aguntur, sicut dictum est, nihil ergo refert quantum ad electionem vtrûm eligatur id quod est impossibile simpliciter, vel id quod est impossibile eligenti; sed frequenter ea quæ eligimus, perficere non possumus, & sic sunt impossibilia nobis: ergo electio est impossibiliū † *c. 2. parum ante med. ar. 4. huius q.*

Tertio præterea. Nihil homo tentat agere nisi eligendo: sed beatus Benedictus dicit: quòd prælatus aliquid impossibile præceperit, tentandum est; ergo electio potest esse possibiliū.

Sed contra est quod Philosophus dicit in 3. Ethic. quòd electio non est impossibilium.* * *c. 2. parum ante me. to. §.*

Respondeo, dicendum, quòd sicut dictum est, electiones nostræ referuntur semper ad nostras actiones ea autem quæ per nos aguntur, sunt nobis possibilia: vnde necesse est dicere, quòd electio non sit nisi possibiliū Similiter etiam ratio eligendi aliquid, est, vt ex hoc possimus consequi finem, vel ex hoc, quòd ducit ad finem. Per id autem quod est impossibile, non potest aliquis cōsequi finem* * *art. 4.*

cuius

cuius signum est, quia cùm inconsiliando perueniunt homines ad id quod est eis impossibile, discedunt, quasi non valentes vlterius procedere. Apparet etiam hoc manifestè ex processu Rationis præcedẽte, sic enim se habet id quod est ad finem, de quo electio est ad finem, sicut cõclusio ad principiũ. Manifestum est autẽ, quôd conclusio impossibilis nõ sequitur ex principio possibili: vnde non potest esse quòd finis sit possibilis, nisi id quod est ad finem fuerit possibile. Ad
D.394. id autẽ quôd est [d] impossibile nullus mouetur, vnde nullus tenderet in finẽ nisi per hoc quod apparet id quod est ad finem esse possibile, vnde id quod est impossibile, sub electione nõ cadit.

Ad primũ ergo, dicendũ, quòd Volũtas media est inter Intellectũ & exteriorẽ operationem; nam Intellectus proponit Voluntati suũ obiectũ, & ipsa Volũtas causat exteriorẽ actionẽ: sic igitur principiũ motus Volũtatis consideratur ex parte Intellectus, qui apprehendit aliquid vt bonũ in vniuersali: sed terminatio, seu perfectio actus Voluntatis attenditur secũdùm ordinem ad operationẽ, per quam aliquis tendit ad consequutionem rei: nã motus Voluntatis est ab anima ad rẽ, & idcò perfectio actus Voluntatis attenditur secũdùm hoc quòd est aliquid bonũ alicui ad agẽdum. Hoc autem est possibile, & ideô Voluntas cõpleta nõ est nisi de possibili bonum volenti, sed Voluntas incompleta est de impossibili, quæ secundũ quosdam velleitas dicitur: quia licet aliquis vellet illud si esset possibile: electio autem nominat actum Voluntatis iam determinatum ad id quod est huic agendum, & ideò nullo modo est nisi possibilium.

Ad secundum, dicendũ, quòd cùm obiectum Voluntatis sit bonum apprehensum, hoc modo, iudicandum est de obiecto Voluntatis secundùm quod cadit sub apprehensione, & ideô sicut quandoque Voluntas est alicuius quod apprehenditur vt bonum, & tamen non est verè bonum: ita quandoque est electio eius quod apprehenditur vt possibile eligenti; quod tamen non est ei possibile.

Ad tertium, dicendum, quôd hoc ideò dicitur, quia, an aliquid sit possibile, subditus non debet suo iudicio diffinire: sed in vnoquoque iudicio superioris stare.

Prima cõclusio est affirmatiua. 1. *Concl.*
Secunda cõclusio. Voluntas determinata & completa tantùm est possibiliũ; incompleta autem, quæ solet vocari velleitas, etiam est impossibilium. 1. *Argu.*

DVBIVM I.

Vtrùm impossibilium possit esse electio, saltem inefficax.

PRobatur quòd non. Primò. Voluntas nec potest velle id quod est per se impossibile, nec quod per accidens est tale: ergo nullum impossibile & nullo modo potest eligere. Prima pars antecedentis probatur, nam quod est impossibile per se non potest apprehendi in ordine ad esse, cùm impossibile sit esse: ergo nullo modo potest appeti; quia sicut Intellectus abstrahit ab esse, sic obiectum Voluntatis dicit ordinem ad esse. Secunda pars antecedẽtis probatur similiter, quia impossibile etiam per accidens, idem ex 2. *Concl.*

suppositione stante illa apprehenditur vt impossibile, & consequenter non in ordine ad esse: ergo tali suppositione facta, nec illud potest Voluntas appetere.

2. *Arg.* Secundô arguitur, & confirmatur præcedens. Non esse non potest aliquo modo appeti: ergo nec quod est impossibile. Antecedens patet, quia non potest aliquis appetere non esse beatum: si autem quis appeteret non esse, appeteret non esse beatum; quia esse necessariô præsuponitur ad esse beatum. Consequentia verò probatur, quia vt non esse non potest habere rationem entis, sic nec boni, nec appetibilis. Vnde D. Tho. 1. part. quæstione 63. articul. 3. hanc assignat rationem quare Angelus non potuit appetere æqualitatem Dei per essentiam, quia tunc (inquit) appeteret non esse.

3. *Argu.* Tertio arguitur. Appetitus naturalis non fertur in aliquid impossibile: ergo nec appetitus rationalis. Consequētia patet, quia illi appetitus non differunt in obiecto materiali. Antecedens verô probatur, quia materia non habet appetitum ad formam semel amissam; quia impossibile est per naturam illam recuperare, licèt illa impossibilitas solùm sit per accidens: ergo appetitus naturalis non fertur in impossibile, etiã si illud sit per accidens tale.

4. *Arg.* Quarto arguitur. Quod est impossibile per accidens, solùm est bonum sub conditione: ergo Voluntas non potest ferri absolutè in illud; immo nullo modo. Patet consequentia, quia Intellectus non assentitur ei, quod sub aliqua conditione est verum. Verbi gratia, verum esset hominem esse irrationalem, si esset hinnibilis; & tamen non assentitur Intellectus huic propositioni, Homo est irrationalis.

5. *Arg.* Quinto arguitur. Potest quis desiderare finem per volitionem efficacem & inefficacem; ergo ita similiter potest desiderare medium per volitione m efficacem & inefficacem. Tunc vltra: Ergo sicut datur volitio rei impossibilis, ita etiã poterit dari electio rei impossibilis. Patet ista consequētia, quia actus circa medium apponendum à se ipso, est electio.

Confirm. Confirmatur & explicatur, nam ex eo D. Thom. ait, electionem esse non posse de impossibile, quia electio est de aliquo à nobis agendo; impossibile autem non est de agendo à nobis. Sed hoc tantum probat de electione efficaci, quæ debet agere quod elligitur; ergo non habebit curam de electione inefficaci, sed ineffi-

Confirm. caciter poterit eligi etiam impossibile. Confirmatur secundô, nam D. Thom. ad secundum, ait, electionem esse posse rei impossibilis, quando apprehendatur vt possibilis: ergo iam per se loquendo, electio est impossibilium. Patet consequentia, quia actus voluntatis non specificatur ab apprehensione: sed ab ipso fine à parte rei.

6. *arg.* Sexto arguitur. Qui habet istum actum, Vellem non esse Deum, grauissimè peccat: ergo in illo verè inuenitur electio. Patet consequētia, quia perfecta libertas, qualis est in grauissimo peccato, non reperitur nisi in electione; & tamen certum est, quòd talis homo cognoscit illud obiectum esse impossibile: ergo electio etiam est impossibilium. Et idem argumentum potest fieri de pœnitente: maximum enim meritum habet per hunc actum. Nollem peccasse, & consequenter in tali actu est libertas, ac proinde erit electio, cùm tamen sit rei impossibilis; impossibile enim est nõ peccasse.

7. *Arg.* Septimo arguitur. Angeli in primo peccato verè elegerunt, quia iam peccatum fuit in secundo instanti; in quo habebãt libertatem, etiam quo ad specificationem, & nihilomius illa electio fuit rei impossibilis: ergo. Probatur minor, quia electio peccati illius est quod asserit Esai. 14. Similis ero Altissimo, & Ezech. 28. Deus ego sum. Hęc autem impossibilia erant.

Isai. 14. Ezech. 28. 1. Senten. Scot. Gabriel.

In hac re est prima sententia Scoti in secundo, dist. 6. quæst. 1. in corpore, quem in omnibus sequitur Gabri. ibidem q. vnica artic. 3. dub. 2. quod volitio efficax vt, verbi gratia, quam habet infirmus respectu sanitatis quam sperat se consequuturum, non potest esse de obiecto impossibili, bene tamen de illo potest esse volitio inefficax, quæ nihil aliud est secũdum Scotum, quam actus quidam simplex complacentiæ; vt verbi gratia, infirmus simpli complacentia appetit sanitatem quam etiam non sperat, nec aliquo medio procurat; ita etiam in solutione ad primum loquitur de electione, quòd sit duplex; altera quæ sequitur ad plenam apprehensionem Intellectus, absque prę uia consultatione aut discursu, qualis

fuit

fuit in Angelo appetente æqualitatem Dei, quando primô peccauit; altera verò est quæ sequitur ad conclusionem syllogismi practici, & quam antecedit consultatio. De hac secunda electione dicit quòd sit efficax, apponendo medium ad consequutionem finis priùs intenti; quapropter circa impossibile esse non potest; prima autem, quia efficatiam non habet, nec ad exequutionem mediorum procedit, bene esse potest etiam de obiecto impossibili. Secunda sententia est Domini Caietani 1.p. quæst. 63. art. 3. dub. 1. & 2. circa primam conclusionem, & Conradi hic & Ferrariæ 3. contra Gentet cap. 109. in dubio circa secundam conclusionem, & Capreoli in 2. dist. 4. quæst. vnica ad argumenta Scoti contra secundam cõclusionem, & est communis Thomistarum; quæ sententia duo dicit. Primó, quod de impossibili per se & simpliciter; quod in se inuoluit contradictionem, non potest esse volitio per se ratione sui; bene tamen per accidens ratione alterius boni illi adiuncti; vt damnati appetunt Deum non esse, non quidem ratione sui, sed ratione alicuius boni quod ipsi apprehendunt eis prouenire ex eo quòd non sit Deus, videlicet quod sic suam damnationem euaderent. Secundò dicit, quod de impossibili ex suppositione & per accidens potest esse volitio per se, & ratione sui; vt cùm peccator habet hunc actum. Vellem non peccasse; cum enim hoc quod est hominem non peccasse, in se sit bonum, & cõueniens, licèt ex suppositione præteritionis sit impossibile, bene poterit voluntas illud velle per se & ratione sui.

2. *Sent. Caiet. Conrad. Ferrar. Capreol.*

Tertia sententia est Vazquez hic disp. 42. cap. 4. & ferè consentit Salas tractatu 6. disput. 1. sect. 5. q. 6. contra vtramque prædictam, quæ quidem in primis negat distinctionẽ de impossibili per se & per accidens, & similiter negat distinctionẽ de actu Voluntatis conditionato & absoluto; vnde dicit, quòd quando aliquid secundùm se est impossibile, habet tamẽ aliquod bonum adiunctum, vt in exemplo damnatorum; tunc quidem non appetitur per accidens, vt dicebat Caiet. sed per se, quia appeti per accidens (inquiũt isti) est appeti implicite vt in alio volitũ; quod autem explicite est volitum, per se est volitum; sicut malum quod appetitur ratione boni resplendentis in illo, nonditur per accidens volitum, sed per se, quia explicitè est volitum, licèt ratione alterius; & similiter quodlibet bonum in particulari appetitur propter bonum in cõmuni, resplendens in illo, & nihilominus nõ appetitur per accidens, sed per se. Secundò etiam dicit hæc sententia cum Scoto, sufficere simplicem apprehensionem boni veri vel apparentis, vt Voluntas aliquid velit, etiam secluso iudicio de possibilitate existentis illius, & conuenientiæ seu compositionis illius cum altero, quæ simplex apprehensio boni licèt non sufficiat ad intentionem, vel electionem, quia isti actus versantur circa bonum in exequutione futurum, sufficit tamen ad simplicem volitionem, quæ à futura existentia abstrahit. Dicunt tamen, quòd ideò hæc simplex volitio appellatur conditionata, verboquè optatiui explicatur, quia posita huiusmodi simplici volitione, de facto sequeretur intentio vel electio, nisi aliunde adesset iuditium de impossibilitate obiecti.

3. *Senten. Vazquez. Salas.*

Quarta sententia est Lorca hic disput. 17. membro 2. qui primo dicit, acceptandas esse volitiones conditionatas ex parte obiecti, tam in nobis, quàm in Deo. In nobis quidem contingunt frequenter in contractibus, tam ciuilibus, quam matrimonialibus. Et in Deo, vt quam habuit transfundendi iustitiam originalem in posteros, si Adamus non peccasset: vel quam habuit perpetuando Regnum in domo Dauid, si filij eius custodirent Testamentum eius. Secundo dicit, quod nullus actus est conditionatus, quasi debeat explicari, per verbum optatiui, vel Subiunctiui, in rigore loquendo; sed omnis actus qui est in voluntate, per indicatiuum debet explicari. Vocãtur autem actus conditionati, quia imperfecti. Tertio dicit, quod impossibile est duplex, aliud secundùm se; aliud verò mihi. Primũ vt Deum non esse; secundũ, vt quod ego sim Angelus, non est impossibile esse Angelum absolute, sed mihi. Dicit ergo non esse opus distinguere impossibile, quòd aliud sit per se, aliud verò per accidens, sed quomodocumque sit impossibile, siue sit per se, siue per accidens, si sit impossibile primo modo hic assignato, nullo modo appeti potest, si autem sit impossibile secundo modo, appeti potest sub conditione. Superadditautem,

4. *Senten. Lorca.*

quòd

quòd hæc conditio non debet sic explicari, quòd vellem hoc, si foret possibile, vel si foret sub tali vel tali conditione: Sed sic explicari debet. *Volo* hoc, si fuerit possibile, & tunc talis volitio non est efficax intentionis vel electionis, sed tantùm volitio simplicis complacentiæ. Sed certè hæc sententia nihil noui affert, nam in primo dicto conuenit nobiscum, & in secundo conuenit cum Vazquez, in tertio verò dicto videtur absolutè negare circa impossibile cognitum, vt sic posse esse appetitum; nam si ponatur conditio. Volo hoc si fuerit possibile, ponitur vt apprehensum vt possibile; nam si dicatur, si fuerit possibile, supponit non constare de eius impossibilitate: tunc autem videtur constare de impossibilitate, quando dicitur, si foret posibile: si ergo asserit, quòd si dicatur, si foret possibile, non potest appeti, si autem dicatur, si fuerit posibile, appeti potest, idem est ac dicere, quod si apprehenditur vt posibile; appeti potest; si autem vt impossibile, non potest appeti.

Not. 1. Pro intelligentia notandum, omnino esse admittendam distinctionem Domini Caietani, quod impossibile aliud est per se, aliud verò per accidens: Primum quidem est, quod nulla suppositione facta, sed ex propia ratione includit in se repugnantiam, vt Deum non esse, vel hominem esse irrationalem. Secundum verò est, quod ex se non importat eiusmodi repugnantiam, sed tantùm ex aliqua suppositione; verbi gratia, Petrum non peccasse ex se & ex sua natura, non dicit repugnantiam; potuit enim sic fieri vt non peccasset, sed semper in gratia pars litisset: supposito tamen quòd iam peccauit, iam est impossibile non pecasse; quia ad præteritum non manet potentia. Ista quidem distinctio fundamentum habet in D. Thom. 1. p. quæst. 5. art. 2. ad. 3. vbi ait, quod ipsum non esse, non est appetibile per se, est tamen appetibile per accidens, in quantum ablatio mali quæ illi coniungitur, est appetibilis. Et similiter, quæst. 19. art. 9, ait, quod malum per se non appetitur, sed per accidens, vt consequitur ad aliquod bonum. Simile est quod asserit, q. 25. art. 5. & quæst. 1. de potentia, art. 3. ad nonum; & similem etiam distinctionem assignat Arist. 2. de anima, tex. 65. dicēs, quòd substantia videtur per accidens, quia non ratione sui, sed ratione coloris adiuncti videtur, non autem videtur per se, Secundò notandum contra Vazquez hic disp. 42. cap. 3. admittendam esse illā distinctionem de acto voluntatis, quòd alius sit efficax & absolutus; alius verò inefficax & conditionatus, qui explicatur verbo optattiuo; de quo intelligitur illud ad Galatas 4. Vellem nunc esse apud vos, & mutare vocem meam. Hęc enim distinctio admittitur à D. Tho, hic ad primum, & q. 19. art. 6. ad primum, & in prima part. & 3. part. quæst. 21. art. 4. & ratione patet, nam hac distinctione ablata, sequitur, constituendam esse in Christo Domino volitionem aliquam absolutam rationalem & deliberatam, contrariam diuinæ Voluntati: Consequens autem est falsum, vt docetur 3. p. quæst. 18. art. 5. Sequella probatur, nam Christus Dominus voluit non mori, cùm dicebat. Si posibile est, &c. Si autem illa volitio erat absoluta, iam datur in illo volitio absoluta contraria voluntati diuinæ volenti mori. Dicendum ergo, quòd talis volitio tantùm erat in efficax & conditionata, vt diuinæ voluntati non sit contraria; quia cùm tali velleitate in efficaci manebat in Christo volitio absoluta & perfecta morien di, conformis voluntati diuinæ. Hęc autem conditionata volitio non dicitur conditionata ex parte operationis, quasi posita conditione esset operatio; & nunc non est; de facto enim & formaliter est talis actus Voluntatis, sed dicitur conditionatus ex parte obiecti, non quidem vt tertia asserebat sententia, talem actum esse conditionatum, quia obiectum illius est bonum sub conditione; hoc est, esset bonum, si talis conditio ad esset, de facto tamen bonum non est, quia talis conditio non adest. Non sic (inquam) debet explicari; sed dicitur conditionatum, quia secundùm se bonum erat, licet ex suppositione & per accidēs sit impossibile; ex quo prouenit, Voluntatem non posse ferri in ipsum absolutè, & perfectè; sed tantùm conditionaliter. Si talis conditio non ad esset, vellem illud fieri.

Not. 2.

Tertiò notandum, quòd in hac difficultate possumus loqui dupliciter. *Not. 3.* Primò, secluſa ignorantia, sed cognita impossibilitate obiecti. Secundo verò mo-

do

do possumus loqui supposita ignorãtia.

1. Concl. Prima cõclusio. Dei impossibilis, quæ existimatur possibilis, bene potest esse electio hęc est. D. Thomę ad secundum, & probatur. Voluntas prosequitur aliquãdo rem malam reputatam vt bonam: ergo similiter potest velle impossibile existimatum vt possibile. Patet consequentia, quia ita alienum est malum ab obiecto Voluntatis sicut impossibile.

2. Conclu. Secunda Conclusio. Voluntas non potest ferri in impossibile per se cognitum vt impossibile appetitione per se; bene tamen poterit appeti per accidens. Prima pars patet, nam quod est impossibile per se, nullam rationem bonitatis vel entitatis includit, nullam que conuenientiam: ergo non potest appeti. Antecedens probatur, nan bonum & conueniens conuertuntur cum ente, dicuntquè ordinem ad existentiam; quod ergo est impossibile, cùm non sit ens consequenter nec bonun nec conueniens. Consequentia verò probatur, quia appetibilitas est de bono & conuenienti. Secunda pars conclusionis probatur, quia Deum non esse est impossibile per se; & tamen appetitur à damnatis; appetitur quidem non per se: ergo per accidens. Minor probatur; quia si appetunt Deum non esse, ideò est, vt miseria careant: ergo non appetunt illud proter se, sed propter aliud, & consequẽter non appetunt illud per se, sed per accidens. Secundôprobatur, & confirmatur. Damnati non appetunt solùm Deũ non esse punitorem, sed etiam ex odio appetunt ipsum Deum absolutè non esse, vt ipsi miseria careant; ergo id quod est impossibile per se, potest esse volitum per accidens. Minor patet ex communi consensu; & præterea à quia si cùm quis peccat mortaliter, asseritur quôd ex modo operandi; quantum est in se tollit Deum, & vult Deum non esse; à fortiori damnati; qui non solum implicite, sed etiam formaliter & explicitè Deũ odio prosequuntur; appetunt ipsum non esse. Verum est tamen, quod appetitio huiusmodi impossibilis, non est appetitio absoluta & efficax, sed ineffícax & conditionata, quæ appellatur velleitas: signum autem ad cognoscendum quæ sit Voluntas absoluta, quæ verò sit tantùm conditionata, non vnifirmitèr ab omnibus assignatur, sed indubium vertitur. Vtrùm vt volitio sit absoluta, debeat ex primi per verbum indicatiui, scilicet Volo; an verò detur aliqua volitio absoluta, & tamen non per verbũ indicatiui exprimatur. Videtur enim hoc secundum, nam voces sunt signa passionum quæ sunt in anima, sed aliquando exprimimus volitionem absolutam per optatiuum, vt quando dicitur. Vtinam ditarer ergo. Respondetur tamen, quòd forsitan est disputatio de nomine, & forsan datur talis volitio simplex & absoluta optatiui, nihilominus absolutè dicendum, quod omnis volitio absoluta per indicatiuum exprimi debet, quia quod non est indicatiui, virtualiter est conditionalis; quia illa optatiui vel est de re impossibili vel difficili, vel illicita, & sic virtualiter est velleitas, si esset possibile, vel licitum, vel facile. Et si contra conclusionem adhuc arguas argumento, quod magnificat Vazquez quod impossibile, etiam super addita conditione, est impossibile, & non ens: ergo nullo modo bonum nec appetibile. Respondetur, quod etiam super addita conditione, non est ens absolutè; est tamen ens & bonum sub conditione, & sic non potest appeti absolute; potest tamen appeti sub conditione.

Obiectio.

Solutio.

3. Concl. Tertia Conclusio. Quod est impossibile per accidens, & tantum ex suppositione, bene potest esse volitũ per se. Probatur primô, nam illud potest esse per se volitum, quod in se & ratione sui potest appeti: sed tale est id quod est impossibile per accidẽs: ergo potest appeti per se. Maior patet ex terminis; id enim ꝙ in se appetibilitatem habet, potest per se appeti, aliàs enim esset potentia quæ nullo modo posset reduci in actum; & vt iam diximus, etiam patet à simili; nam illud est per se visibile, quod in se habet rationem coloris. Minor verò probatur, nã impossibile per accidens est illud quôd secũdùm suam naturam habet entitatẽ, & possibilitatem, licèt ex suppositione hic & nunc nõ habeat rationem possibilis: ergo tale impossibile potest esse volitũ per se. Patet ista consequentia ex differẽtia impossibilis per se, & impossibilis per accidens, quòd primũ cùm ex sua natura nullã habeat rationẽ entitatis & bonitatis, nõ potest esse per se volitũ, seclusa ignorantia, secun-

secundum autem per se quidem vt possibile, vnde & per se potest appeti. Itaque vt appellatur aliquid per se, sufficit & requiritur, in se & ex se habere bonitatem: quod autem tantùm habet illam per accidens ex adiuncto, tantùm per accidens ratione adiuncti potest appeti: cùm ergo Deum non esse, non habeat ex se bonitatem, sed tantũ ratione adiuncti, quòd damnati careãt sua miseria; ideò tantùm per accidens illud appeti potest: me autẽ nõ peccasse, vel quòd pater meus mortaliter infirmus non moriatur, in se & ex se bonitatem habet, licèt ex suppositione non sit possibile; vnde per se huiusmodi appeti possunt. Ex quo etiam patet ad illud argumetum tertiæ sententiæ; bona enim particularia per se appetibilia sunt, quia licèt sint bona participatiuè â bono incommuni, in se tamen formaliter bona sunt; vnde per se appetibilia. Secundò probatur conclusio. Infidelis, qui non habet resurrectionis fidem, appetit vitam filij iam mortui; & tamen scit illud esse impossibile per accidens, supposito quòd iam decesserit: ergo tale impossibile potest appeti. Maior patet experientia. Tertiò probatur, nam in damnatis manet appetitus beatitudinis, eamque per se appetunt: sed illa per accidens est illis impossibilis: ergo. Maior probatur, quia appetitus beatitudinis in communi, est naturalis: ergo manet etiam in damnatis; non enim gratia vel pœna destruit naturam. Quartò probatur. Anima separata appetit per se vnionem ad proprium corpus; & tamẽ illa vnio est impossibilis per accidẽs secundùm naturam: ergo. Maior latè probatur à Ferrara 2. cõtra Gentes, c. 79. est enim anima ex sua natura pars, ac proinde dicit naturalem ordinem ad totum. Vtrùm autem hæc appetitio impossibilis per accidẽs, sit appetitio absoluta, an verò conditionata, examinabitur dubio sequenti.

Ferrara.

4. Concl. Quarta conclusio. De impossibili, siue impossibile sit per se, siue per accidens, nõ potest esse volitio efficax, qualis est electio, prout hic loquitur D. Tho. de electione. In ista conclusione omnes conueniũt, etiam Scotus & Vazquez. Sic asserit Aristot. 3. Ethic. c. 2. & probatur, nam Voluntas efficaciter & per electionẽ tantùm fertur in bonum & conueniens hic & nunc ad finem intentum: sed quodcunque impossibile non habet rationem boni & conuenientis hic & nunc ad finem intentum: ergo non potest appeti efficaciter per electionem. Probatur minor, nam bonũ & conueniens hic & nunc, dicit existentiam, talem existimatam; quod de quocũque impossibili verificari no potest. Item etiam, nam bonum & conueniens appetitur, vt habeatur & eo fruatur appetẽs: sed impossibile nõ potest haberi: ergo nec appeti efficaciter. Secundò probatur, nam voluntas efficax vocatur à Theologis illa ad quã sequitur opus: sed ad voluntatem impossibilis non sequitur opus: ergo talis voluntas non est efficax. Confirmatur, quia nec potest haberi iudicium absolutum de tali obiecto per imperium: ergo nec Volũtas efficaciter potest prosequi illud.

Scotus. Vazquez. Arist.

5. Concl. Quinta conclusio. Volitiones conditionatæ & incompletæ iam numeratæ, licèt excludantur à ratione completa electionis, vt est ad rem assequendam vel disponendam, non tamen excluduntur à genere moralium operationum deliberatarum capacium meriti & demeriti; sunt enim bonæ & malæ; vt patet in illo qui desideraret Deum non esse; peccaret quidem mortaliter; & similiter in eo qui agit pœnitentiam, & vellet non peccasse, est maximum meritum.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum respõdetur, iam patere ex conclusionibus, qualiter impossibile per se, sit appetibile per accidens, & impossibile per accidens, possit appeti per se.

Ad 2. arg. Ad secundum respondetur, quòd, vt sæpe dictum est, dupliciter potest quis beatitudinem appetere. Primò per modũ prosequutionis, vt cùm quis appetit sibi aliquod bonum. Secundò per modũ remotionis; vt cùm quis appetit aliquod malum remoueri à se, nam & per hoc beatitudinẽ appetit, cui malum contrariatur, & sic se habet qui appetit nõ esse, vt miseria careat: qui ergo appetit beatitudinem primo modo, necessariò appetit esse: qui verò secundo modo, non ita. Et ratio differentiæ est, quam assignat D. Thom. q. 16. de dæmonibus, art. 3. ad quintum, quia cùm aliquis appetit sibi bonum, vtitur se ipso, & accipit se pro termino ad quem: terminus autem ad quem, in omni motu debet remanere; cùm autem appetit remotionem mali à se, vtitur se ipso pro termino à quo; terminũ autem à quo, non est necesse in motu permanere, & proinde qui appetit beatitudinẽ per modum remotionis mali, nõ oportet vt appetat esse.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum, Magister So

Soto.

to. 1. Physic. q. 8. ad secundum, ait, materiã habere priuationem formæ amissæ, & consequenter appetitum; cùm priuatio sit causa appetitus. Oppositum tenet Ferra. 2. cõtra Gent. c. 60. & Sonci. 5. Metaphy. quæst. 18. Sententia tamen Magistri Soto verior est, & tenebatur illam habere Ferrara, quia cap. 79. ait, in anima separata permanere appetitum ad proprium corpus: eadem ergo ratione deberet diceret, quòd in materia manet appetitus ad illam animam. Et præterea, quòd cæcus habet naturalem appetitum videndi; quia licèt ex suppositione nequeat naturaliter visum recuperare, absolutè tamen est illi possibilis. Vnde ad argumentum, negatur antecedens, & supponit falsum. Secundò respondetur negãdo consequentiam; & ratio differentiæ est, quia cùm obiectum Voluntatis sit bonum propositũ per Intellectum, & Intellectus possit ea quæ coniuncta sunt, in recogitatione separare, poterit bonitatẽ ab impossibilitate illi per accidens coniuncta separatam & abstractam proponere Volũtati, & sic Voluntas poterit in eam ferri: in appetitu autẽ naturali nõ contingit talis abstractio, & sic non potest manere appetitus ratione impossibilitatis adiunctæ.

Ferrar. *Soncin.* *2. Solut.* *Ad 4. arg.*

Ad quartum iam patet, quòd impossibile per accidens & ex suppositione simpliciter & secundùm suam naturam est possibile, & bonum, & appetibile: quod autem est verũ ex suppositione, simpliciter est falsum; vnde non potest Intellectus illi assentiri: vnde verum & bonũ ex suppositione nõ eodem modo se habent ad Intellectũ & Voluntatẽ. Secũdò respondetur, quòd etiam Intellectus potest assentiri sub conditione, vt assentitur huic, quòd Petrus volaret, si haberet alas; non solùm assentitur consequentiæ, sed etiam consequenti, sub illa tamen conditione, si haberet alas.

2. Solut. *Ad 5. arg.*

Ad quintum respondetur, negando cõsequentiam, quia finis & potest appeti simplici volitione, & intẽtione; & cùm efficacia tantùm pertineat ad intentionẽ, potest non efficaciter appeti, dũ appetitu simplici volitione: medium autem tantùm est appetibile per electionem: & cùm hæc correlatiuè se habeat ad intentionem, includit efficaciam; vnde efficaciter appeti non potest, quia nec eligi. Ad primam confirmationẽ, patet; per hoc non posse appeti non efficaciter medium, quia tantùm potest appeti per electionem, de cuius ratione est efficacia, cùm importet ordinẽ prosequutionis ad finem. Ad secundam confirmationem respondetur, quòd cognitio est tãtùm conditio respectu vltimæ specificationis actus Voluntatis; tamẽ respectu aliquarum conditionum generalium, verbi gratia, vt actus sit absolutus vel cõditionatus, non solùm est conditio, sed tribuit differẽtiã & constitutionã tanquã propria regula.

Ad 1. conf.

Ad sextum argumentum respondetur etiam ex dictis, quòd appetitio impossibilis, siue ex suppositione, siue simpliciter, siue sit conditionata, siue absoluta, metaphysicè loquendo (de quo dicemus dubio secundo) tamen moraliter sunt actus perfecti ex plena deliberatione ad meritum, vel demeritum; eo vel maxime, quòd in prædictis actibus, regulariter loquendo, est reflexio, saltem virtualis, in qua ille actus conditionatus se habet vt obiectum respectu actus absoluti circa ipsum; & talis actus absolutus est electio. Quod manifestiùs patet in exemplo pœnitentis; vult enim absolutè habere dolorem, per quem conditionaliter vult non peccasse.

Ad 6. arg.

Ad septimum argumentum respondetur, non appetijsse esse Deum per æqualitatẽ, sed per similitudinẽ sibi possibilẽ; loca autem allata intelligũtur virtualiter, & per consequentiam, quia ita practicè se habet peccator in suis operationibus, ac si ipse esset Deus: peccauit ergo Angelus, non ex appetitione impossibilis, sed ex modo indebito, nõ referẽdo in Deũ: quod alibi erit explicandũ. Et si contra omnia prædicta arguas cũ Vazquez, quòd ex parte Intellectus non potest esse actus cõditionatus: ergo nec ex parte Voluntatis quæ sequitur Intellectum: Respõdetur, quòd Intellectus trahit res ad se; vnde ita se habent ad Intellectum possibilia, & impossibilia, vt vtrumque absolutè intelligere possit: Voluntas verò fertur ad res prout à parte rei, conando vt constant: cùm ergo impossibilia existere non valeant, etiamsi absolutè ab Intellectu cognoscantur, Voluntas in illa absolutè tendere non potest, sed tantũ conditionaliter.

Ad 7. arg. *Obiectio.* *Solutio.*

DVBIVM II.

Vtrùm id quod est impossibile per accidens, possit esse volitum volitione absoluta.

PRobatur quòd sic. Primò, Potest appeti volitione perfecta: ergo absoluta. Patet cõsequentia, quia idem est quòd

1. Arg.

sic

sit perfecta & absoluta, vt colligitur ex D. Thom. in corpore. Antecedens verò probatur, quia, vt suprà diximus, Intellectus potest repræsentare bonitatẽ illius rei quę est impossibilis, ab impossibilitate separatam: bonitas autem sic repræsentata nõ habet quare non possit perfectè appeti.

2. Argu. Secundò argumentor. Vt iam diximus, volendo impossibile per accidens, meretur: ergo illa volitio est absoluta. Patet consequentia, quia in velleitate nec est meritũ, nec demeritum, secũdùm D. Thom. q. 16. de malo, art. 3. ad 9.

3. Argu. Tertiò argumentor. Voluntas antecedẽs, qua Deus vult omnes homines saluos fieri, est alicuius impossibilis ex suppositione: ergo. Maior patet, quia cum decreto prædistinationis non stat omnes saluari; ac proinde illo supposito, impossibile est saluari omnes. Minor verò probatur. Volitio conditionata & imperfecta explicatur per modum Optatiui vel Subiunctiui; id est per Vellem; volitio autem perfecta & absoluta per modum Indicatiui: sed voluntas qua Deus vult omnes saluos fieri, non exprimitur per modũ Optatiui, sed per modũ Indicatiui, scilicet dicẽdo, Vult omnes saluos fieri; primæ ad Timoth. 2. ergo illa voluntas est absoluta. *1. Timot.* Confirmatur ex illo Matth. 26. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu; vbi explicuit Christus Dominus per verbum Indicatiui, volitionem cuiusdam impossibilis ex suppositione, videlicet euasionis mortis, supposito decreto diuino. *Matth. 20.*

4. Argu. Quartò argumentor. Appetitus beatitudinis manens in damnatis, & animæ separatæ ad proprium corpus, est absolutus; & similiter peccantes mortaliter cõstituunt vltimum finem in creatura absoluta volitione; & tamen omnia illa versantur circa impossibilia, licet diuersimodè: ergo volitio absoluta potest esse huius quod est impossibile per accidens.

In hac re, supposito quod suprà diximus, quod circa impossibile per se, Voluntas non potest ferri volitione absoluta; quę quidem est sententia cõmunis Thomistarum, Capreo. in 2. dis. 4. ad argumẽta Scoti cõtra secundã conclusionem, & in 4 dis. 49. q. 3. ad argumenta Durandi contra secũdam conclusionem, & ipsius Durandi ibidem q. 8. & Ferrar. in 1. contra Gentes c. 48. solùm remanet difficultas de impossibili per accidens, an secluſa ignorantia, Voluntas possit ferri circa illud absoluta volitione. Et aliqui quidem tenent parte affirmatiuam, propter argumẽta posita, licet talis volitio appellatur velleitas, ex eo quod imperfecta sit, & ex illa non sequatur intẽtio nec electio. Sic tenet Vazquez hic loco citato. *Capreol.* *Duran.* *Ferrar.* *Vazquez.*

Pro intelligẽtia notandũ quod suprà diximus, quòd volitio potest esse conditionata dupliciter. Primò conditione cadente super ipsum actũ; vt cùm dicitur, Vellẽ hoc, nisi esset peccatũ; & tunc non se determinat Voluntas ad habendũ actum circa tale obiectũ, sed potius se cõtinet. Secundò potest esse conditionata cõditione cadẽte super ipsum obiectũ; vt cùm dicitur, Vellem non peccasse; tunc enim Voluntas determinat se ad habendũ actũ circa illud obiectum, sub conditione tamen, propter impossibilitatẽ illi adiunctã: sensus enim huius est, Vellem peccatũ meũ non fuisse, si nũc esset possibile. Item recolendũ, quòd volitio, alia est efficax, quæ dicit ordinẽ ad opus, taliter, vt ex vi illi' exerceatur prout est dictatũ ab Intellectu: alia verò est inefficax, quæ non importat ex se ordinem ad opus, sed solùm est quædã inclinatio & affectio Voluntatis ad obiectũ; de quo intelligitur illud, Vult & non vult piger; vult enim inefficaciter, & non vult efficaciter; &, vt diximus, electiõ nõ est volitio vtcũque, sed efficax. Vnde sit

Prima conclusio. Rerum impossibiliũ, etiam per accidens & ex suppositione, nõ potest esse electio; potest tamen esse aliqua volitio. Hanc docuimus suprà contra Scotum: est tamẽ Arist. 3. Ethic. c. 2. & D. Tho. hic. Ratioque est manifesta, nã electio supponit consilium, quod vtique nõ est de impossibili, nisi interueniat amentia: nemo enim consiliatur qualiter nõ moriatur; cũ hoc sit impossibile, vt probat D. Tho. art. 4. vnde cùm consultores perueniũt ad impossibile, statim desistunt. Itẽ nam electio sequitur ad iudiciũ practicum decernens quid sit agendũ; sed impossibilium nõ potest esse iudiciũ practicũ efficax vt fiant: ergo nec electio circa illa. Similiter secũda pars patet ex dubio præcedẽti. Vnde sit *1. Concln.* *Arist.* *D. Tho.*

Secunda conclusio. Volitiones rerũ impossibilium ex suppositione, non sunt cõditionatæ cõditione cadente super ipsum actum, sed conditione cadẽte super obiectũ. Prima pars probatur, quia tunc determinat se Voluntas ad habendũ actum circa illud obiectum: ergo si est conditionata illa volitio, conditio non se tenet ex par- *2. Concl.*

te actus, cũ ille ponatur in re. Secũda pars probatur. Primò, nam actus Volũtatis absolutus & perfectus est ille, ad quem & ex quo sequitur operatio; sed ad volitionem rei impossibilis per accidens, seclusa ignorãtia, nõ sequitur operatio: ergo talis actus non est absolutus & perfectus. Minor cũ consequẽtia patẽt. Maior verò est D. Tho. hic. Secundò probatur, quia si talis rei impossibilis, esset voluntas absoluta & perfecta, sequeretur, quòd aliqua volitio perfecta & absoluta Christi Domini non fuisset conformis in volito materiali volũtati diuinæ; hoc autẽ est falsum, vt asseritur. 3. p. q. 18. art. 5. ergo. Sequella verò probatur, quia in Christo Domino fuit voluntas nõ moriendi; diuina autem voluntas erat vt moreretur: ergo si illa volũtas non moriẽdi erat absoluta & perfecta, & consequenter rationalis & deliberata, aliqua voluntas Christi absoluta, rationalis & deliberata, fuisset nõ conformis diuinæ volitioni. Tertiò probatur sic ab aliquibus. Illud obiectum est hic & nũc imperfectum quoddã bonum propter impossibilitatem annexã: ergo & volitio illius erit imperfecta & cõditionata, vt inter obiectum & actum seruetur proportio. Hæc tamen probatio nõ videtur efficax, potest enim obiecti exiguæ bonitatis esse volitio intensissima & perfecta. Vnde probatur quartò. Talis res per accidens impossibilis, non potest esse obiectũ intentionis & fruitionis, nec vsus nec electionis: ergo nec volitionis absolutæ. Antecedens patet, quia obiectum intẽtionis est finis vt acquisibilis per media; nullum autẽ impossibile potest aliquo medio acquiri, vnde nec intendi. Item fruitio est finis habiti in re vel in spe: impossibile autem nec in re, nec in spe haberi potest, & sic nec esse obiectum fruitionis. Item etiã, Vsus est actus Voluntatis actualiter applicantis alias potentias ad operationes: ad obiectum autem impossibile Voluntas alias potentias applicare non potest, & sic impossibile nec potest esse obiectum vsus. Quòd autem non possit esse obiectum electionis, iam patuit suprà. Consequentia verò probatur, quia, vt dixit D. Thom. hic ad tertium, actus prædicti & volitio perfecta & absoluta, circa idem obiectũ materiale versantur sola consideratione diuersum: ergo quod non potest esse obiectum illorum actuũ, nec etiã poterit esse obiectum volitionis absolutæ & perfectæ.

Ad 1. arg. Ad primũ argumentũ à principio respondetur, negãdo antecedens. Ad probationẽ respondetur, fieri posse illã præcisionẽ & abstractionẽ cognitione speculatiua & sine ordine ad opus, non tamen cognitione practica dicẽte ordinẽ ad opus; quæ vtiq; cognitio requirebatur præuia ad volitionem absolutam & perfectam.

Ad 2. arg. Ad secundũ argumentum, negatur cõsequẽtia, dicimus enim, quòd volitionibus cõditionatis conditione cadẽte super obiectum, potest quis mereri aut demereri; vt cùm quis vult non peccasse; volitionibus autẽ conditionatis cõditione cadẽte super actũ, non meretur quis aut demeretur; & de illis loquebatur D. Tho. illo loco citato, quia tunc Voluntas non determinat se ad volendũ id quod Intellectus iudicat esse impossibile. Explicatio est Capreoli in 2. d. 4. allegata, & est legitima: vnde nõ est acceptãda quã alij assignãt, quòd D. Tho. loquebatur ibi de volitionibus cõditionatis indeliberatis; quia etiã Voluntas absoluta indeliberata, non est meritoria: ergo cũ D. Tho. dixit, illas volitiones esse extra rationẽ meriti, alia ratione eas excluſit, quã defectu deliberationis: idq; patet ex cõtextu, & ex argumẽto ad quod ibi respõdebat.

Ad 3. arg. Ad tertiũ argumentũ, negatur minor. Ad probationem dicitur, ideò D. Paulum explicuisse illã volitionẽ diuinã verbo Indicatiui, dicẽdo, Vult, & non dicẽdo, Vellet, vt significaret, actum diuinæ volũtatis non dependere ex aliqua cõditione extranea: vel quia quantũ est ex se, adhibuit media necessaria, vt omnes possent saluari. Alias explicationes assignat D. Tho. 1. p. quæst. 19. art. 6. ad 1. vbi Magister Bañez quinque assignat. Et ex hoc patet ad cõfirmationẽ illam voluntatem Christi Domini fuisse conditionatã: quod satis explicuit dicens; Verũtamen nõ sicut ego volo, sed sicut tu.

Ad 4. arg. Ad quartum argumentũ respondetur, quòd nostra conclusio procedit de appetitu deliberato alicuius particularis boni, de quo non procedunt exẽpla posita in argumento, præter illud de peccante mortaliter, ad quod dicitur, quòd talis nõ appetit velut obiectũ quod, creaturã esse suũ vltimũ finẽ; sed ex modo appetẽdi sic se habet erga creaturã, ac si illud appeteret; & ideò dicitur, illã sibi cõstituere vltimũ finẽ; sicut dictũ est de Angelo desiderãte deitatẽ, nõ vt obiectum quod, sed in modo appetendi propriam excellentiam, non referendo se & omnia sua in Deum.

ARTI-

ARTICVLVS VI.

Vtrùm homo ex neceſsitate eligat, vel liberè.



1. q. 115. ar. 4. co. & 2. 2. q. 104. ar. 1. co. & ver. q. 22. ar. 6. & q. 24. ar. 1. & ma. q. 6. 1. periher. lec. 14. fin.

AD ſextũ ſic proceditur. Videtur quòd homo ex neceſsitate eligat. Sic enim ſe habet finis ad eligibilia, vt principia ad ea quæ ex principijs coſequuntur, vt patet in 7. Eth. ſed ex principijs ex neceſsitate deducũtur concluſiones: ergo ex fine de neceſsitate mouetur aliquis ad eligendum.

Lib. 7. Ethic. c. 8. â medio to. 5. Ar. 1. huius quæſt.

Secundò præterea. Sicut dictum eſt, electio conſequitur iudicium Rationis de agendis: ſed Ratio ex neceſsitate iudicat de aliquibus propter neceſsitatem præmiſſarum: ergo videtur quòd etiam electio ex neceſsitate ſequatur.

Hoc habetur in 2. de cœlo, te. 75 & 90. ex ſen. Anax.

Tertiò præterea. Si aliqua duo ſunt penitus æqualia, non magis mouetur homo ad vnũ, quã ad aliud; ſicut famelicus ſi habet cibum æqualiter appetibilem in diuerſis partibus, & ſecundùm æqualem diſtantiam, non magis mouetur ad vnum, quàm ad alterum, vt Plato dixit, aſſignans rationem quietis terræ in medio; ſicut dicitur in 3. de cœlo: ſed multo minus poteſt eligi quod accipitur vt minus, quàm quod accipitur vt æquale; ergo ſi proponantur duo, vel tria, vel plura, inter quæ vnũ maius appareat, impoſsibile eſt, aliquod aliorum eligere: ergo ex neceſsitate eligitur illud quod eminentius apparet: ſed omnis electio eſt de omni eo quod videtur aliquo modo melius: ergo omnis electio eſt ex neceſsitate.

Sed contra eſt, quòd electio eſt actus potentiæ rationalis, quæ ſe habet ad oppoſita ſecundùm Philoſophum.

Lib. 9. metaph. text. 3. tom. 3.

Reſpondeo, dicendum, quòd homo non ex neceſsitate eligit: & hoc ideò, quia quod poſsibile eſt non eſſe, non neceſſe eſt eſſe; quòd autem poſsibile ſit non eligere, vel eligere, huius ratio ex duplici hominis poteſtate accipi poteſt. Poteſt enim homo velle & non velle, agere & non agere; poteſt etiam velle hoc aut illud; cuius ratio ex ipſa virtute rationis accipitur. Quicquid enim Ratio poteſt apprehendere vt bonum, in hoc Voluntas tendere poteſt: poteſt autem Ratio apprehendere vt bonum, non ſolùm hoc quod eſt velle aut agere, ſed hoc etiam quod eſt nõ velle & non agere. Et rurſum, in omnibus particularibus bonis poteſt conſiderare rationem boni alicuius, & defectum alicuius boni, quod habet rationem mali, & ſecundum hoc poteſt vnũquodque huiuſmodi bonorũ apprehendere vt eligibile vel fugibile; ſolum autem perfectũ bonũ, quod eſt beatitudo, non poteſt Ratio apprehendere ſub ratione mali, aut alicuius defectus, & ideò ex neceſsitate beatitudinem homo vult, nec poteſt velle non eſſe beatus, aut miſer. Electio autem cùm non ſit de fine, ſed de his quæ ſunt ad finem, vt iam dictum eſt, non eſt perfecti boni, quod eſt beatitudo, ſed aliorum particularium bonorum, & ideò homo nõ ex neceſsitate, ſed liberè eligit.

Articul. 3. huius q.

Ad

Ad primum ergo, dicendū, quòd non semper ex principijs ex necessitate procedit conclusio, sed tunc solùm, quando principia nō possunt esse vera, si conclusio non sit vera. Et similiter non oportet quòd semper ex fine insit homini necessitas ad eligendū ea quæ sunt ad finem; quia non omne quod est ad finem, tale est, quòd sine eo finis haberi non possit; aut si tale sit, non semper sub tali ratione consideratur.

Ad secundum, dicendum, quòd sententia, siue iudicium Rationis de rebus agendis, est circa contingentia, quæ à nobis fieri possunt, in quibus cō clusiones non ex necessitate sequuntur ex principijs necessarijs absoluta necessitate, sed necessarijs solùm ex conditione, vt, si currit, mouetur.

Ad tertium, dicendum, quòd nihil prohibet, si aliqua duo æqualia proponantur secundum vnam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio, per quam emineat, & magis flectatur Voluntas in ipsum, quàm in aliud.

Confir. Conclusio est. Homo semper eligit libere, & quoad exercitiū, & quoad specificationem.

DVBIVM I.

Vtrùm supposita efficaci intentione finis, Voluntas necessariò eligat medium vnicum, si non est aliud ad talem finē. Verbi gratia, Aliquis appetit efficaciter sanitatē, & agnoscit abscissionem manus esse necessarium & vnicum medium ad salutē, vtrùm necessariò eligat talem abscissionē manus.

1. Argu. PRobatur quòd non. Primò, ex D. Tho. qui absolutè hic asserit, quòd Voluntas liberè eligit: ergo etiamsi medium sit vnicum in casu posito, electio erit libera.

2. Arg. Secundò argumentor. Illa necessitas electionis, nec prouenit ex ipso medio, nec etiam ex fine cuius est medium: ergo ex nullo talis necessitas potest prouenire; quia nullum aliud potest assignari. Prima pars antecedentis probatur, nam illud medium non est perse appetibile, sed propter aliud: ergo non prouenit ex illo necessitas appetitionis. Secunda pars antecedētis probatur, quia finis non potest mouere magis ad amandum aliud à se, quàm se ipsum: sed ad amandum se ipsum non mouet necessario: ergo nec ad amandum aliud. Maior patet, quia sicut non potest esse in conclusione maior aut euidentior veritas, quàm in principio; cùm ex principio refundatur veritas in conclusionem, sic nequit esse, vt maiorem rationem diligibilitatis refundat finis in medium, quàm ipse finis habeat respectu sui: vnde cùm respectu sui non habeat appetibilitatem necessariam, nec illam medio poterit comunicare. *Conf.* Confirmatur. Appetitio finis tantùm est necessaria quoad specificationē; libera tamen quoad exercitium: appetitio verò medij est libera, & quoad exercitium, & quoad specificationē: ergo etiam stante appetitione finis, nō erit necessaria electio. Patet consequentia, quia ex eo medium est liberū quoad exercitium & specificationem, quia habet bonitatem finitam & limitatam, in qua Intellectus aliquam rationē mali potest apprehendere; sed etiā stante appetitione finis, hanc naturam non mutat: ergo etiam stante tali appetitione, adhuc illud mediū manebit liberum vtroq; modo. Confirmatur secundò, quia vt suprà diximus q. 10. ar. 2. Voluntas in Via nunquàm necessitatur quoad exercitiū actus; quia solùm in summo bono clarè viso apparet necessitas exercitij in Patria: ergo in Via, etiam quacūq; volitione finis supposita, manet Voluntas libera ad acceptandum, vel refutandum quodcunque medium; aliàs enim non esset libera quoad exercitium.

3. Argu. Tertiò argumentor. Nam ex oppositā sententia sequeretur, quod esset licitum eligere irrogare iniuriam proximo, surripiendo eius bona extra necessitatem extremam; immò & extra grauem; immò & sequeretur, quòd non vxoratus possit accedere ad mulierem absque peccato. Hæc autem sunt absurda. Sequella probatur, nam si amicus petat ab aliquo mutuata centum,

isque

isque à quo petit, velit efficaciter mutuare,& petenti subuenire;reperiat tamē nullo modo id posse facere,nisi furripiendo à vicino,tunc iuxta oppositam sententiam electio illius medij est necessaria:ergo non est peccatum nec demeritum, quia, vt sæpedictum est, necessarium est extra genus boni aut mali moralis. Similiter patet de casu non vxorati, quia si ille appetat efficaciter sanitatem, & cognoscat euidenter non posse sanari nisi accedendo ad mulierem,tunc talis accessus necessario appetitur:ergo non peccabit in illo, eadem ratione,sicut in præcedenti casu. Nec valet

Solut. solutio,quòd tunc talis electio furripiendi,vel fornicandi,est mala in sua causa,nēpe in volitione finis,ratione cuius necessitatur ad tale medium eligendum; non (in-

Repl. quam) valet solutio, quia talis volitio finis sanandi,vel subueniendi proximo,secundùm se est bona: ergo ex tali appetitione medij mala esse non potest.

4. Arg. Quartò argumentor. Nam experientia patet, quòd maximo desiderio desiderat quis saluari,& tamen non vult media quæ cognoscit necessaria ad salutem: & similiter contingit, quòd quis intēsissime velit sanari, & cogitat euidenter esse medium necessarium abscisionem membri;& nihilominus non vellet abscindi:ergo non necessariò eligitur medium vnicum, etiam stante appetitione finis.

5. Arg. Vltimò argumentor, quia sequeretur, quòd non esset meritoria obseruantia Mādatorum Dei volenti efficaciter consequi vitam æternam;hoc autem est hæreticum: ergo.Sequella probatur,nam talis obseruatio Mandatorum tunc est necessaria &vnicum medium,vt patet Matth.19. Si vis ad vitam ingredi, serua Mandata: ergo non erit meritoria,quia,vt diximus, necessarijs non meremur.

Propter argumēta posita aliqui tenent partem negatiuam, quòd etiam supposita volitione efficaci finis, non necesitatur quis ad volitionem medij, etiam vnici & necessarij:quanuis esse vnicum cognoscatur ab ipso. Magister Victoria sentit,vtrāque partem posse defendi vt probabilem.

Victoria.

Not. 1. Pro intelligentia tamen notandum primò,quòd electio sumitur dupliciter. Primò strictè & propriè, vt est præacceptatio alicuius præconsiliati, alio,vel alijs præter missis:vel acceptatio vnius medij secundū vnam rationem,& non aliam, cùm secundùm multiplicem rationem erat eligibile ad talem finem,vt ait Aristot.3.Ethic.c.3.Secundò accipitur magis latè pro acceptatione medij ad finem, etiāsi medium sit vnicum,& non sit præacceptatum,sed acceptatum.Sic Ferr. 1. contra Gent. c.88.circa tertiam rationem, cui videtur fauere D. Tho.infrà,q.15.ar.3.ad 3.

Aristot.

Ferra.

Secundò notandum est,quòd necessitas quoad exercitium in actu Voluntatis est induplici differentia:altera absoluta;altera verò ex suppositione.Prima est quæ competit actui secundùm se,nulla præsuppositione facta, & sic habet necesitatem actus amoris beatifici. Secunda est,quando non competit actui secundū se,sed aliquo præsuppositō;vt dici solet in consequentijs cōditionalibus,quòd consequens est necessarium,supposita veritate antecedentis; vt, Necessarium est quòd habeat alas, si volat.

Not. 2.

Tertiò notandum est, quòd volitio est duplex:alia quidē absoluta & efficax; alia verò conditionata,& inefficax.Est autem difficultas in explicanda natura vtriusq;. Quidam enim dicunt, quòd absoluta & efficax est,ex qua sequitur effectus,&procedit ad opus. Sed hæc declaratio tantùm est ab effectu;debet autem explicari natura eius in quo consistat,quòd sequatur,vel non sequatur effectus: quid enim amplius habeat volitio Petri,vt efficax sit, & sequatur effectus,quàm volitio Pauli inefficax, ad quam effectus non sequitur? Alij dicūt, quòd esse efficacem, consistit in intensione,vt sit (verbi gratia) intensa vt quatuor. Sed certè intensio non facit vt volitio sit efficax; datur enim velleitas conditionalis multo magis intensa quàm voluntas absoluta,ad quā efficaciter sequatur opus. Verbi gratia,infirmus desperans de salute, & iudicans iam impossibile sanari,habet velleitatem salutis multo intensiorem, quàm ego modò habeam.Item etiam,quia si intensio requireretur ad efficaciam,maximè quia Voluntas agit cum resistentia membrorum:sed membra non resistunt Voluntatis motui,quia quamuispassio resistit Voluntati antecedenter,ne Voluntas velit;tamen si Voluntas vult,in membris non est resistentia:ergo intensio nō requiritur necessariò vt voluntas sit efficax, licēt cæteris paribus,intensio conducat ad maiorem efficaciam. Alij dicunt, vt Altisiodorensis, quòd volitio,vt sit efficax,hoc habet ex natura sua, sicut & alia ex natura rei habet vt efficax non sit; & idem dicunt de dilectione Dei super omnia, nempe quòd vt hæc

Not. 3.

dilectio sit super omnia, non habet ex obiecto, scilicet quia in obiecto habeat, Volo placere Deo in omnibus & super omnia; siquidem & hoc manet in peccato: sed dicunt, ex natura dilectionis pensandum esse quòd hæc sit dilectio super omnia disponens ad gratiam; alia verò non. Sed certè neque hoc satisfacit; hoc enim quærimus, quæ natura sit illa ex propria ratione habens, vel non habens. Vera ergo explicatio est, quòd volitio absoluta & efficax est quæ tendit in obiectum, nulla conditione præsuppositâ: conditionata verò vel inefficax est, quæ non tendit nisi præsuppositâ conditione, vnde prima explicatur per verbum Indicatiui, secunda verò per verbum Optatiui, vel Subiunctiui. Notandum tamē, quòd ad esse absolutam vel efficacem, non sufficit vtcunque sine conditione tendere per modum Indicatiui, licèt hoc requiratur; sed vltra est necessariū tendere cum alijs conditionibus singularibus, vt quòd velit obiectum particulare, & tali loco & tempore, &c. vt declarabitur infrà quæst. 17. art. 3. quia iste actus, Volo comedere, non est efficax, nec sufficit ad comedendum, nisi determinetur quid & quando. *4. Nota.* Similiter notandum, quòd vt sit volitio conditionata, sufficit quòd conditio sit expressa vel subintellecta, etiam si à volente non cognoscatur: immò etiam si oppositum existimet; sic enim multoties contingit, quòd in apparentia volitio videatur efficax, cùm tamen in re sit inefficax ex conditione inclusa, à volente tamē ignorata. Vnde dixit D. Gregorius: Sæpe fallitur mens humana cogitans de bono opere se amare quod non amat, & de malo opere se non amare quod amat. Item non sufficit quæcumque cōditio præsuppositâ, vt actus sit inefficax & condicionatus; requiritur enim conditio peculiaris, generales enim non sufficiunt; vt cùm quis efficaciter vult martyrium pati; subintelligitur conditio generalis, scilicet, si Deo placuerit, vt aiebat D. Iacobus c. 4. *D. Iacob.* Pro eo quod dicatis, si Dominus voluerit. Hic ergo non procedit quæstio de volitione conditionata & inefficaci finis; certum est enim, quòd etiam stante tali volitione finis, non necessitatur Voluntas ad electionem medij, etiam vnici & necessarij; sed procedit de volitione absoluta & efficaci, vtrùm tali suppositâ, respectu finis, necessitetur ad electionem medij necessarij & vnici.

Vltimò notandum, quòd non est par ratio de voluntate inefficaci & conditionata ratione impossibilitatis, vel quando tantùm est inefficax ratione difficultatis, quā do operans cessat à prosequutione, quia media sunt rigida; nam in primo casu licèt sit inefficax physicè, moraliter tamen efficax dici potest quoad meritum vel demeritum, vt diximus: de illo enim verificatur illud D. Bernar. Voluntas pro facto reputatur, quando factū excludit necessitas; vnde tunc contingit multoties, volitionem esse intensissimam: in secundo verò casu inefficacia nō tantùm est in esse physico, sed etiam in esse morali; vnde nunquàm talis volitio est intēsa; si enim talis esset, ô difficultate mediorum non detineretur. *Vlt. not.* *D. Bernar.*

Prima conclusio. Nulla electio cuiuscū que medij siue vnici, siue nō vnici, est necessaria, absolutè loquēdo. Hęc est D. Th. hic, & probatur primò. Actus absolutè necessarius est ille, cui secundùm se, & nulla suppositione facta, competit necessitas: sed nulli electioni competit sic necessitas: ergo nulla electio est absolutè necessaria. Minor probatur, quia nulla electio versatur circa bonum quod sit totaliter perfectiuū, & euidenter cognoscatur vt summū bonum; quæ quidem requiruntur, vt Voluntas absolutè necessariò tēdat in ipsum; vt patet ex supradictis. Secundò probatur, nam in casu dubij agens liberè, vult finem absolutè, & liberè iudicat de eius conuenientia, potest enim nec iudicare de eo, neque ipsum velle: ergo & medium liberè eligit absolutè. Patet consequentia, quia, vt diximus, minus habet medium vnde necessariò appetatur, quàm finis. Tertiò probatur, & confirmatur. Eo pacto est aliquis causa effectus, quo est causa causę talis effectus: sed Voluntas volitionis efficacis finis, est causa libera, etiam in quantum talis volitio finis est causa efficax volitionis medij: ergo & ipsius effectus, scilicet electionis medij, est Volūtas causa libera absolutè. Maior patet ex illa maxima, Quod est causa causæ, est causa causati; quæ cum eodem addito debet verificari. Quartò probatur. Actus electionis est à Voluntate, in quantū liberū arbitrium est, vt suprà diximus: ergo procedit liberè absolutè ab illa. Patet consequentia, quia actus procedens à Volūtate vt libera, in hoc distinguitur ab actu procedente à Voluntate vt natura. *1. Concl.*

Secunda cōclusio. Stante volitione absoluta & efficaci finis, necessariò sequitur cle- *2. Concl.*

electio medij vnici, si vt sic cognoscatur; vnde talis necessitas non est absoluta, sed ex suppositione & insensu cõposito. Hæc est D. Tho. hic ad primũ & secundũ, & clarius prima parte q. 19. art. 3. in corpore, vbi ait; Et quæ sunt ad finẽ, non ex necessitate volumus volẽtes finem, nisi sint talia, sine quibus esse non potest: sicut necessariò volumus cibũ, volentes conseruationẽ vitæ; & q. 82 art. 1. ad secundũ, estq; communis Thomistarũ, Conradi hic, & Caiet. 1. q. 81. art. 1. circa finẽ, & Medina hic, & Adrianus eam supponit quodlibeto 4 art. 1. & Almayn in suis Moralibus, tracta. 3. c. 18. & ratione probatur. Primò. Finis vt obiectũ intentionis dicit intrinsecũ ordinẽ ad media: ergo impossibile est velle efficaciter finẽ per intentionẽ, & nõ velle aliquod medium: ergo si mediũ tantũ est vnũ, & iudicatur ab Intellectu vt necessariũ, fertur Voluntas in illud quoad exercitium ex necessitate. Patet consequentia, quia sicut se habet mediũ absolutè ad finẽ, ita determinatũ mediũ ad determinatũ finẽ, & è conuerso: ergo vt stante volitione efficaci finis, est necessaria electio volitionis medij absolutè; ita stante efficaci volitione finis particularis, est necessaria electio medij particularis vnici & necessarij sic iudicati. Secundò probatur. Si ex tali volitione finis non sequitur necessariò talis electio, sequitur, q̃ possit stare volitio efficax finis sine volitione medij: consequẽs est falsum: ergo. Probatur sequella, quia vt stare potest veritas principij sine veritate conclusionis, quæ non sequitur necessariò ex illo; sic etiã potest stare efficax volitio finis sine volitione medij, si non sequatur necessariò. Minor autem probatur, quia tũc fieri posset, vt quis vellet efficaciter placere Deo, & nõ vellet efficaciter Mãdata seruare. Itẽ quòd velit efficaciter studiosè viuere, & non vellet efficaciter vitare occasiones peccãdi; & alia absurda similia sequerẽtur. Tertiò probatur. Natura intendens aliquem finẽ, necessariò apponit media necessaria, vt ait Philosophus 2. Physic. tex. 87. necessitatem rerũ naturaliũ potiùs sumi ex fine, quàm ex materia: ergo similiter & agens liberũ, cum sibi constituit aliquẽ finem liberè, tali volitione stante, necessariò apponit mediũ iudicatum vt necessariũ ad assequutionẽ talis finis. Patet consequentia à simili, & præterea, quia est nec essaria cõnexio inter illud mediũ, & assequutionem finis, & in exequutione mediũ se habet vt antecedens ad illũ finẽ; ex medio enim sequitur assequutio finis: ergo vt natura intendẽs producere animal ad videndũ, necessario cõfert ei potentiã visiuã; sic etiã ex suppositione volitionis efficacis finis, sequitur necessariò electio medij. Quartò probatur. In Deo concedũt Theologi, quòd essent huiusmodi volitiones necessariæ, si supponatur quòd velit aliquid, cũ quo habet necessariã cõnexionẽ effectus aliquis; vt dicitur, quòd si vellet omnẽ formã à materia separare, necessariò deberet velle materiã anihilare, & tamẽ Deus est perfectissimè liberè agens: ergo similiter si quis velit aliquid, ad quod necessariò sequatur aliud, necessariò etiã debet velle & illud aliud tali suppositione facta. Vltimò probatur, nã aliàs plures dicerẽt se velle aliquid, dũ delectari cupiũt, & nõ velle deformitatẽ consequentẽ annexã tali delectabili; & sic excusarentur à peccato, quod tamẽ est falsum; conuincũtur enim ex consequenti voluisse deformitatẽ, quã sciebant necessariò sequi; sicut ad minus ex cõsequenti vult Sacerdotiũ, qui vult Episcopatũ, sciens Episcopatui annexũ sacerdotiũ; quomodò autẽ vocãdus sit talis actus necessarius ex suppositione circa mediũ, quæstio est denomine; aliqui enim dicũt, reduci ad intentionẽ, quatenus necessitas eius nõ est nisi ex suppositione finis, & in sensu cõposito nõ est deliberatio de tali medio, sicut nec de fine, nec apprehẽditur vt bonũ distinctũ ab ipso fine: meliùs tamen dicitur, vt tetigimus, reduci ad electionẽ, licèt non propriè & in rigore, sed largè sic sit appellandus.

Conra. Caiet. Medi. Adrian. Almay.

Ad primũ argumentũ à principio respondetur, verũ esse, quòd absolutè liberè eligit; hoc tamen nõ tollit esse verũ quod diximus, eligere ex necessitate secundùm quid, quia hæc non opponuntur. *Ad 1. arg.*

Ad secundum argumentum respondetur, quòd illa necessitas prouenit à fine, vt stat sub illa efficaci volitione, & connexione medij cum illo; itaque non prouenit à fine secundùm se, quia vt sic, non mouet Voluntatem necessariò ad exercitiũ, nec maiorem potest causare necessitatem in Voluntate in ordine ad aliud, quàm in ordine ad se: nihilominus vt stat sub illa volitione, potest causare huiusmodi necessitatem secundùm quid, respectu actus electionis. Ad primam cõfirmationem respondetur, probare de medio absolutè & secundùm se, non autem in sensu composito; vt sic enim eandem necessita- *Ad 2. arg.* *Ad 1. con.*

tem habet sicut & finis, vnde suppositâ volitione finis, & volitio medij est necessaria etiam quoad exercitium, non ex plenitudine bonitatis medij, sed ex connexione necessaria ad finem, vt dictum est. Ad secundam confirmationem respondetur similiter, solùm in Patria respectu summi boni clarè visi esse necessitatem exercitij, absolutè loquendo: in Via autem omnis actus est liber quoad exercitium, absolutè loquendo: cum hoc tamē stat, vt diximus, prædictum actum esse necessarium secundùm quid ex suppositione.

Ad 2. cõf.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum respondetur, tunc esse peccatum in appetitione finis per illud medium; quia licèt posset appetere licitè illum finem secundùm se, supposito non esse aliud medium nisi illicitum, tenetur cessare à volitione talis finis; quia iam tunc ratione medij, finis vt consequibilis per illud, est malus.

Ad 4. arg. Ad quartum argumentum respondetur, quòd qui non vult apponere media ad salutem æternam, vel ad corporalem, in casu posito non vult efficaciter finem, sed apparet sibi absolutè velle illum; in re tamen non vult nisi inefficaciter & conditionaliter. Verbi gratia, vult gloriam, si stare possit cum sua delectatione & permanentia in peccato; & vult salutem, si stare posset cum non abscisione membri; volens autem in peccato manere, vel membrum non abscindi, non vult absolutè & efficaciter gloriam & salutem; & quòd volitio sit intensa, vel non, non est argumentum in contra, vt diximus. Verum est, quòd huiusmodi volitiones finium aliquando incipiunt absolutæ & efficaces, & vbi peruenitur ad exequutionem mediorum difficilium & acrium, retrahitur Voluntas, & non vult apponere talia media; sed tunc iam cessat esse efficax & absoluta volitio finis. Et Diuus Thomas non dicit, quòd vbi præcessit efficax volitio finis, sit necessaria quoad exercitium volitio medij vnici; sed quòd stante efficaci volitione finis, &c. Itaque non stant simul efficax volitio finis, & repudiatio medij vnici, ratione vltimi argumenti.

DVBIVM II.

Vtrùm electio medij vnici & necessarij in casu præcedentis dubij sit meritoria nouo merito ab eo quod fuerat in volitione finis.

PRobatur quòd non. Primò, illo argumento posito, quia huiusmodi electio est necessaria etiam quoad exercitium: ergo erit extra genus meriti, cuius genus est actio libera. *1. Arg.*

Secundò argumentor. Actus ebriorum qui in sua causa fuerunt voliti, non habent nouam rationem demeriti, præter eā quā habuerunt in causa: ergo electio studiosa medij necessarij non habet nouam rationem meriti, præter meritum efficacis volitionis ipsius finis. Antecedens communiter conceditur, & consequentia probatur; quia ea ratione illi actus non habent nouā rationem demeriti, quia in se non sunt liberi, sed solùm in sua causa: sed illa electio similiter se habet, quòd in se non habet libertatem, sed solùm in sua causa: ergo non habet nouam rationem meriti: *2. Arg.*

Tertiò argumentor. Actus exterior nō addit nouam bonitatem vel malitiam supra actum interiorē: ergo nec electio medij, de qua est quæstio, habebit nouam rationem meriti supra efficacem volitionem finis. Antecedens est D. Tho. infrà, q. 20. & consequentia probatur; nam idcircò actus exterior non addit nouam bonitatem, quia totum voluntarium quod in eo reperitur, oritur ex interiori: sed similiter voluntas eligendi medium necessariū, oritur ex intentione efficaci finis: ergo similiter totum meritum erit in illa intentione, & nullum meritum nouum in electione. *3. Arg.*

Quartò argumentor. Si in tali electione esset nouum meritum vel de meritum, sequeretur, quòd cùm quis hominem occidit, cōmittat duplex peccatum explicandū in confessione: hoc autem est falsum: ergo. Sequella probatur, quia ibi interuenit intentio occidendi, quæ est peccatum habens suum proprium demeritum; interuenit etiam electio medij ad occisionem: ergo si ista habet nouam rationem demeriti, est nouum peccatum, ac proinde vtrumq; est in confessione explicandum. *4. Arg.*

Propter argumēta posita Almayn in suis moralibus, tracta. 3. c. 18. tenet hanc partem negatiuam vt probabiliorem. *1. Sent. Almayn. 2. Sent.*

Secunda *3. Sent.*

Secunda sententia est opposita, quã ibidem ait esse probabilem. Tertia sententia est aliorum, quasi media, asserens, quòd si electio auget difficultatem & efficaciã volitionis finis, augetur etiam meritum: si verò hæc non augeantur, nec meritum augetur: vnde dicunt, quòd quando ratione difficultatis medij, augetur meritum, non est per hoc quòd in ipsa electione sit meritũ, sed fit maius meritum in ipsa intentione, ratione maioris intensionis & efficaciæ prouenientis ab electione medii difficilis.

Conclus. Conclusio tamen sit, quòd electio studiosa medij vnici & necessarij (de qua procedit dubium) hominis existentis in gratia, est meritoria, nouam in se habens rationem meriti. Hæc est cõmunis Thomistarum, & probatur primò; Nam talis electio est operatio humana libera simpliciter procedens à gratia, distinctaque ab intentione finis: ergo est in illa distincta ratio meriti. Antecedens patet, quia, vt dictum est superiori dubio, licèt illa electio secundùm quid sit necessaria, absolutè tamen & simpliciter omnis electio est libera. Consequentia verò probatur, quia si in operatione studiosa est meritum, in distinctis operationibus studiosis erit distincta & noua ratio meriti. Secundò probatur. Si necessitas ex suppositione repugnaret cum merito, & eius tolleret rationem, sequeretur, quòd nullus actus esset meritorius; omnes enim actus habent aliquam necessitatem ex suppositione: hoc autem apertè est falsum: ergo. Tunc vltra: sed electio illa tantùm habet necessitatem ex suppositione: ergo nõ tollitur quin sit meritoria; & cùm sit noua actio, cum noua libertate, erit nouiter meritoria. Tertiò probatur, nam suprà diximus de confirmatis in gratia, meruisse, etiã si habuissent preceptum eliciendi actum hic & nunc, circa tale obiectum, & cum tãta intensione; quem actum non poterant ex suppositione non elicere, quia absolutè & simpliciter poterant non elicere; hoc enim sufficit, vt non priuentur merito: ergo similiter dicendum est de electione necessaria secundùm quid. Patet consequentia ex paritate rationis; sicut enim suppositã confirmatione in gratia, nõ poterant nõ implere præceptum: ita suppositã efficaci intentione, non potest nõ esse electio prædicta: ergo sicut illa necessitas quæ sequitur ex confirmatione in gratia, non tollit nouam rationem meriti, ita nec necessitas electionis, quæ sequitur ex suppositione intentionis efficacis. Supponimus tamen in ista conclusione, quôd in tali medio sit distincta ratio bonitatis; nam si sit eadem atque in fine, non est nouum meritum: si tamen bonitas diuersa reperitur in illo, similiter & nouum meritum: itaque solùm intendimus, quòd defectu libertatis non deficiet ratio meriti noui respectu medij, si alia requisita ad meritum adsint.

Ad primum argumentum respondetur ex dictis, illam necessitatem esse tantùm secundùm quid & ex suppositione, quæ nõ tollit rationem meriti. *Ad 1. arg.*

Ad secundum argumentum, negatur consequentia; estque differentia, quôd in actibus ebriorum non est noua libertas quàm fuerit in causa, & consequenter nec noua malitia vel bonitas: in electione autẽ prædicta noua libertas est, & tale medium in se ipso est volitum, atque adeò noua ratio meriti esse potest. *Ad 2. arg.*

Ad tertium argumentum respõdetur, etiam esse differentiam, quòd actus interior & exterior habent idem obiectum, & in exteriori non est alia libertas quã actus interioris; vnde libertate interioris ablata, exterior nõ manet humanus: cæterùm intẽtio efficax finis, & electio necessaria prædicta, diuersa habent obiecta, & vnusquisque illorum actuum per se suam habet libertatem; vnde seorsum quilibet suam rationem meriti potest habere; quod nõ currit de actu interiori & exteriori. *Ad 3. arg.*

Ad quartum argumentum respondetur, quòd licèt metaphysicè sit distincta ratio libertatis & meriti vel demeriti in intẽtione homicidij & in electione ad illud; moraliter tamen, & prout pertinet ad cõfessionem, tantùm reputatur vt vnum; vnde sufficit explicare se occidisse, vel habuisse intentionem occidendi. *Ad 4. arg.*

DVBIVM III.

Vtrùm propositis Voluntati duobus bonis æqualibus, æqualiq; iudicio practico, possit Voluntas eligere aliquod eorum.

1. Sent. Auerr. Henri. Richar. Marsil. Ioã. Mai. Bur. Soto. Victoria. Medina. Salas.

IN hac re prima sentẽtia est affirmatiua, quã videtur tenere Auerroes lib. 2. Ethi. c. 11. & Henri. quodlib. 1. q. 16. Richar. in 2. distinctione 38. art. 2. q. 4. Marsilius q. 16. ar. 4. Ioãnes Maior in secũdo, distinctione citata, q. 1. Buridanus 3. Ethic. q. 4. Soto & Victoria & Medina hic, & Salas hic tractatu 6. disp. 1. sect. 5. q. 8. qui fal-

falsò citat pro hac sententia omnes authores tenentes secùdam. Inter illos citat Valentiã disp. 2. q. 8. puncto. 3. Suarez. 9. Metaphy. c. 5 q. 3. & disp. 19. sect. 6. præsertim num. 13. & Vazquez disp. 43. c. 2. Sed tantùm Vazquez expresse tenet in illo loco secundãsententiã, quã statim proponemus.

Vazquez.

Quæ sententia probatur primò. Nullũ illorum mediorum necessitat Voluntatẽ, vel quoad specificationẽ, vel quoad exercitium: ergo potest eligere quodlibet illorum. Antecedẽs patet ex multoties dictis, quòd in Via nullum bonũ necessitat quoad exercitium.

1. Arg.

Secundò argumentor. Medium minus conueniens habet rationem boni: ergo potest Voluntas in illud ferri. Antecedens patet ex D. Augustino lib. de natura boni, c. 14. quòd minus bonum, etiam cõparatum maiori bono, non habet rationẽ mali, sed boni, & consequenter rationem appetibilis. Et ratione etiam patet, quia si seorsum fuisset propositum Voluntati illud minus bonum, posset tẽdere in ipsum; sed ex eo quòd proponatur cum maiori, non amittit suam bonitatem: ergo poterit eligi: & si quòd minus est, poterit eligi, à fortiori quod æquale, & non erit necesse semper eligere maius bonum.

2. Arg.

Tertiò argumentor. In electionibus ad dignitates & beneficia contingit de facto vt quis eligat minus dignum, digniori relicto: ergo & Voluntas poterit ex duabus medijs eligere minus idoneũ. Antecedens patet, quoniã aliàs non posset contingere peccatum acceptionis personarũ, quod in hoc stat, quòd propter indebitam causam aliquis præferatur digniori; & in speculatiuis etiam potest quis eligere inter scientias probabiles minus probabilem, & iuxta illam operari: ergo similiter in nostro casu.

3. Arg.

Quartò argumentor, quia aliàs nõ esset differentia inter voluntatẽ hominis & appetitũ bruti, quia, vt suprà diximus, oblatis æquo duobus pabulis, in omnibus paribus, nequit tendere in vnum eorũ: ergo si oblatis Voluntati duobus medijs in omnibus æqualibus, nequit alterũ eorũ eligere, nullã habebit differentiã ab appetitu brutorũ.

4. Arg.

Quintò argumentor ex D. Bernardo de libero arbitrio, columna 2. vbi sentit, quòd Voluntas pro sua libertate, etiam stante iudicio de maiori perfectione alicuius boni, potest in minus bonũ declinare; & D. Augustinus lib. 12. de Ciuitate, c. 6. ait, posse contingere, vt eadem pulchritudo obijciatur duobus hominibus æqualiter affectis, & vnus se cõtineat in officio virtutis, & alius in prauã concupiscentiã declinet: ergo similiter poterit idem homo, oblatis duobus æqualibus bonis, in vnum declinare, & ab alio se abstinere. Confirmatur, quia inter articulos Parisienses dicitur; Duobus bonis propositis ipsi Voluntati, quod fortius est, fortiùs mouet. Error ergo nullo pacto dici potest, nõ posse eligere mediũ minus conueniens.

5. Arg. D. Bern. D. Aug.

Conf.

Sextò argumentor. Deus eligit minus bonũ in effectibus ad extra; potuit enim condere meliorẽ mundũ quàm quem elegit producere, vt ait D. Tho. 1. p. q. 25. art. 6. ergo & Voluntas creata potest eligere minus bonũ. Patet consequẽtia, quia ideò Deus potuit eligere minus bonũ, quia est summè liber: ergo cùm Voluntas sit etiam libera, poterit pro sua libertate eligere, vel æquale, vel minus bonum.

6. Arg.

Et si contra prædictã sententiã fiat argumentũ ex D. Th. hic ad tertiũ, vbi ait, quòd oblatis Volũtati duobus bonis æqualibus, nihil impedit quin possit Volũtas applicare Intellectũ, vt aliquãrationẽ inuestiget in vno potiùs quã in alio, vt possit potiùs in illũ declinare: sentit ergo, oportere vt Volũtas eligat quod sub ratione cõuenientioris boni repræsentatur: Respondent isti, quòd D. Tho. loquitur moraliter, & vt in plurimũ; sic enim homo nõ sequitur nisi quod melius iudicat. Vel dicũt, quòd solũ asserit D. Th. quòd ea quæ sunt æqualia secundũ vnam considerationẽ, possunt esse inæqualia secundũ aliam; nunquà tamen docet, quòd permanẽtibus duobus æqualibus per omnia, neutrum possit eligi. Et si iterũ arguas, quòd sequeretur, quod non semper Voluntas sequatur iudiciũ Rationis, si nulla posita inæqualitate iudicij, Volũtas inæqualiter operatur, & consequẽter radix libertatis nõ erit in Intellectu: Respondent isti, quòd quãdo dicitur, radicẽ libertatis esse in Intellectu, nõ intelligitur quòd actus Voluntatis semper debet esse cõformis iudicio Rationis; nã potest Intellectus iudicare hoc esse bonũ, & quod Volũtas negatiuè se habeat, & quòd Intellectus iudicet aliquod bonũ esse magis cõueniẽs, & q Volũtas sequatur quod minus conueniens est; sequitur autẽ Voluntas naturam Intellectus in hoc, quòd sicut Intellectus est talis naturę, quòd iudicium eius nõ est determinatũ ad vnum in assensibus; ita Voluntas sequens hãc indeterminatio

Impug.

Solut. 1.

Solut. 2.

Impug.

Solut. 1.

nem.

nē, est talis naturæ, quòd nō determinatur ad vnum in electione. Dicunt prætereà prædicti authores, quòd in illo casu posito licèt iudicia Intellectus sint paria, tamen imperia ipsius Intellectus sunt inæqualia; quia Intellectus imperat Voluntati vt sequatur hoc, & non illud.

Solutio.

2. Sent. Secunda sententia est in alio extremo, quòd in prædicto casu nō potest Volūtas eligere minus bonū neq; æquale, sed semper, formaliter loquēdo, eligit melius bonum. Sic tenet Caiet. hic bene inspectus, licèt pro opposita sententia soleat citari. Similiter Conradus hic, & Ferrar. 3. contra Gentes, c. 163. & Soncin. 9. Metaph. q. 14. & Grego in 1. dist. 41. q. 1. art. 2.

Caiet. *Conrad.* *Ferrar.* *Soncin.* *Greg.*

1. Argu. Et probatur primò ex D. Th. hic ad tertium citato, & ex Arist. & Platone citatis etiam in eodem argumento. Idem habet Arist. 3. de anima, c. 11. & c. 3. etiam docuerat multis verbis, quòd Volūtas semper eligit medium in quo Intellectus cognoscit aliquam bonitatem, quam in alio non cognoscit. Idem docet 3. Ethic. c. 2. vbi ait: Eligimus quæ iudicantur optima. Et Damasc. lib. 2. Fidei Orthod. c. 22. & Greg. Nyss. lib. 5. Philosophiæ, c. 4.

Arist. *Damasc.* *Nyssen.*

2. Argu. Secundò probatur, quia electio præsupponit consilium & consultationem, vt dictum est. sed consultatio ad hoc tendit, vt quid sit maius bonum, cognoscatur: ergo electio semper est de meliori bono. Minor patet, nam inquisitio frustra esset, si non ad melius tenderet.

3. Argu. Tertiò probatur, nam electio, vt etiam dictum est, est præacceptatio vnius medij præ alio: illa autem particula Præ, videtur importare melioritatem in electo.

4. Argu. Quartò probatur, quia, vt ait Aristot. 3. Ethic. cap. 1. omnis peccans est ignorans; quod explicans D. Tho. ait, talem ignorantiā in electione interuenire, quatenus peccans iudicat vt melius quod erat deterius: ergo supponit Arist. & D. Tho. electionē semper esse de iudicato meliori.

5. Argu. Quinto probatur. Impossibile est eligere malum repræsentatum vt malum; sed minus bonum respectu melioris repræsentatur vt malum: ergo impossibile est illud eligere, quousq; iudicetur vt melius. Minor patet, quia medium comparatum ad vnum extremum, sapit naturam alterius oppositi: minus autem bonum mediū est inter malum, & melius bonum comparatum: ergo respectu melioris habebit rationem mali.

6. Argu. Sextò probatur, quia, vt suprà diximus, si daretur corpus æqualiter graue & leue, nec ascenderet, nec descenderet; sed ita se habet Voluntas inter media omnino equalia & æqualiter iudicata: ergo non poterit moueri ad alterum illorū, quia non poterit assignari à quo proueniat determinatio ad vnum potius quàm ad aliud. *Confir.* Confirmatur, & explicatur hæc ratio, quia Volūtas non potest moueri ad vnum magis quàm ad aliud, nisi sit aliquid determinans illam magis ad vnū quā ad aliud: sed in casu posito nullum est determinās magis ad vnū, quàm ad aliud: ergo ad neutrū mouebitur. Maior patet ex supra dictis q. 9. ar. 1. Minor verò probatur, quia sicut se habet Volūtas vt moueatur in aliquod obiectum, sic etiāvt magis se moueat in vnū, quā in aliud; sed si omnia sunt æqualia, non potest assignari quod sit determinans; quia nec obiectum, quia, vt supponitur, est æquale; nec etiam Intellectus, quia iudicia & dictamina sunt æqualia; nec etiam ipsa Voluntas, quia illa est indifferens ad eiusmodi æqualia bona, sicut materia prima respectu formarum; vnde ab aliquo alio ipsa debet determinari, non enim sufficit, ipsam ex se liberam esse, nisi ex parte Intellectus & obiecti assignetur aliquid specialiter illam inclinans in alteram partem.

7. Argu. Septimò probatur, quia si propositis duobus, eligit hoc & non illud, ideò est, quia considerat Intellectus hoc vt conueniens, & non illud: ergo semper electio est melioris boni, saltem iudicati & apprehensi.

3. Sententia Lor.æ. Tertia sentētia est media, quā tenet Lorca hic, disp. 18. quòd Voluntas eligere nō potest minus bonū, bene tamē potest eligere ex æqualibus quodlibet illorū. Inquisitus tamē â quo determinetur ad vnū potius quàm ad aliud; respōdet, quòd ex impetu naturæ, & quasi fortuitò; vnde tūc ait non esse perfectā electionem; & sic explicat D. Tho. quòd quando asserit nō posse eligi nisi melius, loquatur de electione propriè dicta, vt dicit amorē & præacceptationem vnius cum contemptu alterius. Sed certè in illo casu Lorca facit hominem quasi brutum operans ex determinatione naturæ.

Not. 1. Pro intelligentia notandum, quòd licèt, vt suprà diximus, Voluntas non determinetur ad exercitium ab obiecto, nec ab alio gente extrinseco, sed à se ipsa, ratione propriæ libertatis, hoc tamen

non

non facit Voluntas immediatè, sed mediãte Intellectu, per apprehensionem, iudicium & imperium: vnde vt assignatur ratio quare Voluntas ad exercitium moueatur vel non moueatur, vel quare ad hoc, & non ad aliud, licèt vltimò sit recurrendum ad indifferentiam ipsius Voluntatis, proximè tamen ponenda est differentia vel ratio operandi vel non operandi; vel operandi hoc vel illud, in ipso Intellectu, quo mediante Voluntas se ipsam mouet.

2. Nota. Secundò notandum, quòd ex parte Intellectus duplex iudicium potest supponi; alterum speculatiuum; alterũ verò practicum, includens imperium quo Voluntatem mouet ad opus: non enim stat motio & imperium sine iudicio practico (vt falsò asseruit Medina) nec stat nouum imperium & motio sine nouo iudicio, & è cõtra. Hoc supposito, dicimus, quòd licèt prima sententia sit probabilis, vt patet ex rationibus & authoribus illius; secunda tamen est probabilis ratione prædicta in notabilibus illius, secunda tamen est probabilior ratione prædicta in notabilibus, quia nequit intelligi ex parte Voluntatis moueri vel non moueri, moueri ad hoc vel ad illud nisi hoc faciat mediante Intellectu: vnde si hoc eligit, & non illud, necessariò iudicauit Intellectus de conuenientia huius & non illius, vel de maiori conuenientia huius; vnde ratione talis iudicij semper electio est formaliter de meliori existimato hic & nunc practicè loquendo, quapropter posita omnimoda æqualitate ex parte Intellectus, impossibile est intelligere inæqualitatem in tendendo ex parte Voluntatis. Diximus autem, practicè debere iudicari vt melius, quia speculatiuè bene poterat iudicare vtrũque æquale; immo esse melius illud quod reliquit; vnde quod iudicatur speculatiuè minus bonum, potest eligere; hoc tamen ideò, quia practicè apprehendet vt melius hic & nunc, quòd speculatiuè iudicauerat minus conueniens; quia speculatio nõ inducit ad opus, sed praxis, & quando alia maior excellentia nõ appareat practicè in eo quod speculatiuè iudicabatur vt minus bonum, quã quod est ipsam Voluntatem exercere suam libertatem, hoc sufficit, vt formaliter & in praxi semper verificetur tendere in melius. Verbi gratia, quãdo quis peruenit ad duas vias omnino æquales respectu alicuius termini, pro suo libito eligit alterã; & similiter ex duobus oppositoribus ad Cathedrã, vel beneficium in omnibus æqualibus, eligit vnum; quia in exercitio & experientia ipsius libertatis practicè sit maior bonitas in electo. *Obiectio.* Et si arguas, quia sequeretur, quòd semper Volũtas necessitaretur in electione, supposita intentione finis, sicut quãdo nõ erat nisi vnicũ medium necessariũ: cõsequẽs est falsum. Sergo equella probatur, quia si Voluntas debet eligere melius, cum tantùm sit vnicũ melius, semper necessitabitur ad vnũ: *Solutio.* Respondetur, quòd in re & secundùm iudiciũ speculatiuũ, tantùm est vnicũ melius; in apprehensione autẽ, & in praxi, non est determinatũ vnicũ melius, sed secundùm diuersam apprehensionem pro libito potest superinduere quod maluerit in ratione melioris; vnde licèt formaliter determinetur ad melius, in hoc stat eius indifferentia, quòd inquolibet materialiter signato potest ex apprehẽsione cõstituere rationẽ melioris. *Obiectio.* Et si in casu quòd duo omnino æqualia proponuntur, inquiras, quid fiet, appetet vtrũque, vel neutrũ, vel alterũ? si alterum, habet verum prima opinio; si vtrumque, videtur superfluũ, si vnum sufficit; si neutrum, manet sicut asinus Buridani. *Solutio.* Respondetur, posse eligere alterum per hoc quòd possit iudicare de facili melioritatẽ in vno, & nõ manere sicut asinus suspensus; ex suppositione autẽ q̃ nolit melioritatẽ indagare vel fingere, nihil interest quòd suspensus maneat, quòd tunc pro suo libito sic manet; quod nõ habet asinus, sed necessariò.

Ad 1. arg. Ad primũ argumentũ â principio respõdetur, nullũ mediũ necessitare materialiter sumptũ; vnde quodcũque potest eligere, vel neutrum: ex suppositione tamen quòd eligere velit, necessitatur ad melius formaliter: quã rationẽ melioris inquocũque potest constituere ex apprehẽsione, vt sibi placuerit.

Ad 2. arg. Ad secundum respondetur, quòd licèt quodlibet illorũ seorsum & secundũ se sit bonũ, vt seorsum obiectũ possit acceptari; nihilominus si cõcurrant simul, id quod repræsentatur minus bonũ, habet rationem mali respectu melioris, vt in concurrẽtia illius illud eligi nõ possit. Sicut dici solet in moralibus de cõcursu cõpetentium ad obtentionẽ beneficij, dignũ quidem esse indignum respectu dignioris.

Ad 3. arg. Ad tertium respondetur, quòd in illo casu licèt eligatur speculatiuè cognitus vt minus dignus, practicè tamen & hic & nunc eligitur secundùm aliquam rationem

tionem melioris, etiam si iniustè sit apprehensa vt talis, qua ratione cõmittit acceptionem personarum; quia indebitè assumit vt causam melioritatis, quod secundũ rectam rationem non erat causa; verbi gratia, quia consanguineus, vel seruus, &c.

Ad 4. arg. Ad quartum argumentũ respondetur, differentiam consistere, quòd brutum determinatur ad melius, taliter, quòd melioritas immobiliter sistit in vno, Voluntas autem, vt dictum est, potest applicare Intellectum, vt pro suo libito apprehendat melioritatem in quo sibi placuerit.

Ad 5. arg. Ad quintum respondetur, quòd Bernardus & Augustinus solùm intendunt, quòd Voluntas pro sua libertate potest operari circa rationem, apprehendendo vt melius, quod secundùm rem & rectam rationem erat minus; non tamen negant, quòd practice & in exercitio semper tendat Voluntas ex apprehensione sub ratione melioris: vnde si duobus obijciatur eadem pulchritudo, potest vnus in illam declinare, & alius se continere: id tamen prouenit, quia vnus pro tunc apprehendit illam sub ratione conuenientis & melioris; alter verò nõ. Et idem contingit, si respectu eiusdem hominis duo æqualia proponuntur, quòd poterit tendere in vnum ex apprehensione melioris, alio relicto: si autem vt melius vnum non apprehenderit, in neutrum tendere poterit. *Ad conf.* Ad confirmationem respondetur, tantùm intendere, quòd melius bonum non necessariò est fortius, vt moueat Voluntatem; quia, vt dictum est, potest ad neutrum moueri; vel ad minus bonum secundùm se declinare, ex apprehensione quòd sit melius; non autem intendit, quòd Voluntas formaliter non debeat tẽdere semper in melius. Vel dicitur, quòd articuli Parisienses non transeunt Sequanam.

Ad 6. arg. Ad sextum argumentum respondetur, quòd Deus non eligit minus bonum, sed absolutè voluit creare hunc mundum, qui licèt non sit ita perfectus, vt alij quos poterat creare, est tamen bonus, ac proinde absolutè consideratus potuit eum velle, sicut & nostra Voluntas potest in minus bonũ tendere cõsideratum absolutè, & seorsum propositum. Sed quia hæc solutio non assignat melioritatem in hoc mundo electo *2. Solut.* præ alijs relictis, saltem ex iudicio Intellectus, ideò secundò respondent alij, quòd licèt absolutè hic mundus non sit melior, nihilominus hic & nunc secundùm ordinem diuinæ sapientiæ fuit melior & conuenientior, ac proinde iuxta talem considerationem elegit melius, licèt secundùm se & in re non esset melius; sicut dictum est de nostra Voluntate contingere. Sed hæc solutio etiam habet suam difficultatem, quia de illo ordine diuinæ sapientiæ restat quare sic disposuerit ostendere diuitias bonitatis suæ potiùs in conditione huius mũdi, quã in factione alterius præstantioris. Vnde *3. Solut.* tertiò alij respõdent, quòd absolutè & simpliciter condidit melius; quia licèt consideratus hic mundus secundùm essentiam, nõ esset melior, sed alij plures vsque in infinitum essent meliores; tamen factus est melior, quia factus est existens, & minor essentia cum existentia, melior est quàm excellentior essentia nuda, vt melius est argentum habitum, quàm aurum possibile. Sed etiam hæc solutio non satisfacit, quia licèt post factũ esse sit melior, in illo tamen priori quo intelligimus Deum se determinare ad conditionem huius & non alterius, debet explicare, qua re se determinauit ad eligendum minùs perfectum. Quartò respõdetur, esse differentiam inter voluntatem diuinam & creatam, quòd illa non supponit bonitatem in re dilecta, sed potiùs diligendo illam, causat bonitatem: vnde non dependet à bonitate præsuppositа in ipsa re; ac proinde non necessitatur Dei voluntas ad eligendum rem meliorem, ex bonitate obiecti; quia non mouetur ab ea; creata autem voluntas cùm non causet bonitatem obiecti, sed illam præsupponat, & ab ea moueatur, ideò necessarium est, suppositò quòd velit eligere, quòd eligat id quod melius est, saltem secundùm existimationem practicam, vt diximus. Et hæc de articlo & quæstione. *4. Solut.*

QVAESTIO XIIII.

De consilio.

IN hac quidẽ quæstione determinat D. Thom. similes conclusiones, atque determinauerat de electione; vt enim est dictum, electio est alicuius præconsiliati, ac proinde circa ea circa quæ versatur electio, versatur & consilium.

ARTI.

ARTICVLVS I.

Vtrùm consilium sit inquisitio.

2. 2. q. 49. ar 5. cor. & 3. dist. 35. q. 2. q. 1. cor. Lib. 2. Orth. fidei c. 22.

IC Ad primũ proceditur. Videtur quòd consilium non sit inquisitio. Dicit enim Damas. quòd consilium est appetitus: sed ad appetitum non pertinet inquirere; ergo consilium non est inquisitio.

Secundò præterea. Inquirere, Intellectus discurrentis est, & sic Deo non conuenit, cuius cognitio non est discursiua, vt in primo habitum est: sed consilium Deo attribuitur, dicitur enim ad Ephes. 1. quòd operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ: ergo consilium non est inquisitio.

Tertiò præterea. Inquisitio est de rebus dubijs: sed consilium datur de his quæ sunt circa bona certa, secundùm illud Apost. 1. ad Corinth. 7. De virginibus autem præceptum Domini non habeo; consilium autem do: ergo consilium non est inquisitio.

Sed contra est, quod Gregorius Lib. 7. c. 5. Nyssenus dicit: Omne quidem consilium, quæstio est: non autem omnis quæstio, consilium.

Respondeo, dicendum, quòd electio, sicut dictum est, consequitur iudicium Rationis de rebus agendis: in rebus autem agendis multa incertitudo inuenitur, quia actiones sunt circa singularia contingentia, quæ propter sui variabilitatem incerta sunt. In rebus autem dubijs & incertis Ratio non profert iudicium absq; inquisitione præcedente; & ideò necessaria est inquisitio Rationis ante iudicium de eligendis: & hæc inquisitio cõsilium vocatur; propter quod Philosophus dicit in 3. Ethic. quòd electio est appetitus præconsiliati. Cap. 2. circa fi. & 10. 5

Ad primum ergo, dicendũ, quòd quando actus duarum potentiarum ad inuicem ordinantur, in vtroque est aliquid quod est alterius potẽtiæ, & ideò vterque actus ab vtraque potentia denominari potest. Manifestum est autem, quòd actus Rationis dirigentis in ijs qui sunt ad finẽ, & actus Voluntatis secundùm regimen Rationis in ea tendentis, ad se inuicẽ ordinantur: vnde & in actu Voluntatis, quæ est electio, apparet aliquid Rationis, scilicet ordo; & in consilio, quod est actus Rationis, apparet aliquid Voluntatis, sicut materia; quia consilium est de his quæ homo vult facere; & etiam sicut motiuum, quia ex hoc quòd homo vult finem, mouetur ad consiliandum de his quæ sunt ad finem; & ideò Philosophus dicit in 6. Ethic. quòd electio est intellectus appetitiuus, vt ad electionem vtrumque concurrere ostẽdat. Ita Damascenus dicit, quòd consilium est appetitus inquisitiuus; vt consilium aliquo modo pertinere ostẽdat & ad Voluntatem circa quam & ex qua fit inquisitio; & ad Rationem inquirentem. Cap. 2. circa finẽ 10. 5 Lib. 2. Ortho. fidei, c. 22.

Ad secundum, dicendum, quòd ea quæ dicuntur de Deo, accipienda sunt absque omni defectu qui inuenitur in nobis: sicut in nobis scientia est conclu-

conclusionum per discursum à causis in effectus; sed scientia dicta de Deo, significat certitudinem de omnibus effectibus in prima causa absque omni discursu, & similicer consilium attribuitur Deo, quantum ad certitudinem sententiæ vel iudicij, quæ in nobis prouenit ex inquisitione consilij: sed huiusmodi inquisitio in Deo locum non habet; & ideò consilium secundùm hoc Deo non attribuitur; & secundùm hoc †*Damascenus dicit, quòd Deus non consiliatur, ignorantis enim est consiliari.*

Lib. 2. Orthod. Fidei c. 22.

Ad tertium, dicendum, quòd nihil prohibet, aliqua esse certissima bona secundùm sententiam sapientum & spiritualium virorum, quæ tamen non sunt certa bona secundùm sententiam plurium, vel carnalium hominum, & ideò de talibus consilia dantur.

Conclusio est affirmatiua. Et dubitatur de veritate illius,

Vtrùm sit vera.

1. *Arg.* PROBATVR quod non. Primò. Nam in Angelis est consilium, & tamen non inquisitio: ergo consilium non est inquisitio, nec eã includit. Maior patet, quia, vt suprà diximus, non tantũ in illis, sed etiam in Deo est proprie electio & consilium. Minor verò probatur, quia inquirere, est discurrere; in Angelis autẽ non est discursus.

2. *Arg. & confir.* Secundò argumentor, & confirmatur præcedens, quia Christus Dominus consiliabatur, & in eo erat consilium, quia, vt dicitur Esaiæ. 9. appellandus erat Admirabilis consiliarius, &c. & c. 11. dicitur requieturus in eo Spiritus Cõsilij, &c. & tamẽ nihil inquirebat; nã inquisitio habet dubitationem admixtam: Christus autem nullã habuit dubitationẽ, sed omnis eius cognitio erat euidens, vt dicitur 3. p. de scientia Christi: ergo consilium nõ dicit inquisitionem.

Esai. 9.

3. *Arg.* Tertiò argumentor. Consiliare & iudicare, pertinet ad diuersas virtutes: ergo cõsilium non includit etiam iudicium, nec ẽ conuerso: ergo consilium non est inquisitio, etiamsi inquisitio sumatur pro termino inquisitionis, quod est iudicium. Antecedẽs patet ex D. Tho. 2. 2. q. 51. ar. 1. & 3. vbi ait, Eubuliam esse virtutem ad bene consiliandum positam, Synesin autem ad rectè iudicandum.

4. *Arg.* Quartò argumentor, quia, vt insinuat D. Tho. incorpore, priùs homo ad eligẽdũ inquirit quod medium sit melius, & posteà profert sententiam & iudiciũ quòd hoc sit melius, & statim eligit: ergo si consiliũ aliquid hominis debet esse, erit illud iudicium quod est vltimum ad eligendum, & non illa inquisitio remota & præcedens: & hic est communis modus loquendi, Do tibi hoc consilium, hoc est meum iudicium, & hac sententia mea, & ita iudico debere fieri.

5. *Arg.* Quintò argumentor contra solutionẽ ad primũ D. Tho. vbi ait, quòd sicut electio est in Voluntate, habet tamen aliquid pertinẽs ad Intellectum; ita similiter consilium est in Intellectu, & tamen habet aliquid pertinens ad Voluntatem, videlicet materiam consilij, quia est circa media. Cõtra hoc argumẽtor, quia sequeretur, quòd sicut electio formaliter pertinet ad Intellectum, vt suprà diximus, ita consilium formaliter pertineat ad Voluntatem: hoc autẽ est falsum. Sequella probatur ex paritate rationis, & eo vel maximè, quia id quod consilium includit ex parte Voluntatis, est materia & obiectum, & consequẽter inde sumit totam suam essentiã, & ideò absolutè pertinebit ad Voluntatem, & cõsequẽter non erit absolutè vera conclusio D. Th. cõsiliũ sit inquisitio: quia inquisitio pertinet ad Intellectũ, &, vt probauimus, consiliũ ad Voluntatẽ, & non potest dici quòd id quod pertinet ad Voluntatem, sit id quod pertinet ad Intellectum.

Not. Pro intelligentia notandũ, quòd vt intelligatur qualiter consiliũ sit inquisitio, præsupponendum, quòd in inquisitione sunt duo. Primũ quidẽ ipse progressus, & discursus, & inuestigatio de medijs. Secũdũ autem quod reperitur in inquisitione, est terminus talis progressus & inuestigationis, videlicet iudiciũ & cõclusio quòd hoc medium sit melius, ad quod postmodùm sequitur electio illius: sic ergo consilium aliquando sumitur pro inquisitione, vt importat illud primum; dicitur enim

consilium quasi consedium,eo quòd plures debeant conuenire ad expendendum rationes hinc inde allatas, vt rectè iudicetur de medijs. Aliquando autem consilium sumitur pro inquisitione,vt inquisitio dicit terminum discursus,& conclusionem syllogismi practici. Sic ait Cicero *Cicero.* lib.1.de Inuentione,quòd consilium est aliquid faciendi vel non faciendi excogitata ratio;& idem repetit lib.2 Rhetoricorum,c.2.& sic sæpissime vtitur hac voce Consilium,vt est videre in obseruationibus: & hic est communis noster modus loquendi; Dedi tibi probatum consilium, quod Hispane dicitur, *Di os vn buen parecer.* Hoc ergo supposito,de consilio possumus loqui dupliciter. Primò in communi & ex propria ratione. Secundò in particulari, prout in tali subiecto,nempe in homine.Primo modo nullam inuoluit imperfectionem,cùm in Deo reperiatur:ac proinde consilium isto modo non est inquisitio,nisi vt importat terminum syllogismi practici, videlicet iudicium quòd hoc sit aptum vt eligatur.Secundo autem modo consilium prout in homine,importat imperfectionem; vnde non tantùm est inquisitio,vt dicit terminum syllogismi practici & iudicium,sed etiam vt inquisitio dicit discursum cum dubietate: vnde consilium secundùm se tantùm importat primũ; ex imperfectione autem subiecti potest importare secundum.Sicut dici solet de sapientia,importare quidem accidens ex imperfectione subiecti creati,non autem secundùm se,cùm reperiatur in Deo,in quo accidentia esse nequeunt.

Ad 1. arg. Ad primum arg.resp.ex dictis,quòd in Deo & Angelis est consilium, & consequenter inquisitio sumpta pro termino, scilicet pro iudicio;non autẽ sumpta pro discursu dubio: hoc enim accidit ex parte subiecti, nec pertinet ad essentiam consilij.Verum est,quod Magister Medina in Angelis ponit aliquale discursum,vt propriè in eis sit inquisitio;& aliqui ad minus hoc asserũt de malo Angelo circa supernaturalia sibi occultata;appetit enim illa scire, &sic cũ dubietate illa inquirit;nã bonus Angelus non curat nec se intromittit de his quæ videt sibi occultari. Nihilominus tamen hoc non videtur conforme veritati, nec doctrinæ D. Tho.1.p.q.54. vbi ait, Angelos vnico intuitu intelligere,& 3. p. q.11.ar.3.ad 3.ait,animabus beatis esse cõnaturale vti discursu,nõ tamẽ Angelis.

Ad secundum argumentum respondetur eodẽ modo:Christus enim Dominus erat beatus,&omni scientia plenus,& cõsequenter in illo erat cõsiliũ;ablata tamẽ imperfectione puri Viatoris inquirentis cũ dubietate. *Ad 2. arg.*

Ad tertium argumentur respõdetur,bene põsse vnum actum secundùm diuersas rationes ad plures virtutes pertinere: & sic consilium pertinet ad Eubuliam & ad alias virtutes morales, vt ait D.Tho. ibidem. *Ad 3. arg.*

Ad quartum respondetur, vtrumque importare consilium, vt dictum est;iudicium quidem secundùm essentiam, progressum autem dubium antecedentem ex imperfectione subiecti rationalis:absolutè autem conclusio D.Thomæ est vera, quòd consilium est inquisitio; quia, vt diximus, inquisitio aliquando sumitur pro ipso discursu dubio, & aliquando pro ipso termino discursus & iudicio. Nisi dicas,quòd hic D.Tho. agit de actibus humanis,& prout in homine,& sic est inquisitio, non tatum vt importat viam dubiã,sed vt importat discursum cõpletũ intermino ad quem vtrumque pertinet,& iudicium in quo vltimo completur, & progressum dubium per quem ad iudiciũ tendit. *Ad 4. arg.*

Ad quintũ argumẽtũ resp.ita esse,quòd sicut electio,licet sit actus Volũtatis, importat aliquid ex parte Intellectus,ita cõsiliũ licèt sit actus Intellectus, importat aliquid ex parte Voluntatis; quia istæ duæ potentiæ,vt diximus, ad inuicem habent dependentiam;aliter tamen & aliter, nam electio importat aliquid ex parte Intellectus formaliter,vt diximus: consiliũ autẽ importat aliquid ex parte Volũtatis tantũ materialiter:importat enim medium circa quod versatur,& de quo est cõsiliũ; vnde mediũ quod est materia electionis,est etiã materia cõsilij; nec tamẽ est materia cõsilij, vt materia importat obiectũ formale, sed tãtũ est materia & obiectũ materiale cõsilij:mediũ enim & habet rationẽ boni,& rationẽ veri,& quidẽ ratiõ boni principaliter cõsideratur in medio,licèt secũdũ se ratio veri sit excellẽtior.Cõsiliũ ergo nõ attingit formaliter mediũ in ratione boni,sed in ratione veri,rationẽ autẽ boni materialiter:vnde cõsiliũ formaliter ad Intellectũ pertinet:quia tamen ex parte operãtis ad hoc est cõsiliũ de vero formaliter,vt quærat rationẽ boni intẽti,ideò cõsiliũ inter actus *Ad 5. arg.*

ctus Voluntatis numeratur,& de illo agit D.Tho.agendo de actibus Voluntatis.

DVBIVM II.

Vtrùm liceat alicui consulere quod minus malum est.

1.Arg. PRobatur quòd nō.Primò.Min⁹ malū non extrahitur à ratione mali moralis:ergo semper manet cum suaintrinseca malitia:ergo nullo modo licet illud consulere.Patet hæc vltima consequentia,quia quod intrinsecè malū est,nec potest fieri,nec persuaderi.

2.Arg. Secundò argumentor Consulere malum, est concurrere vt causa moralis ad illud:sed nō licet cōcurrere vt causam moralem ad malum:ergo nec consulere.Maior patet,quia inter causas morales cōcurrentes ad malum enumerat D.Tho.2.2.q. 62.art.7. consiliantem & præcipientem. Minor verò probatur,quia taliconsultori non minus imputatur malum, quàm ipsi exequenti:&ideò dicitur,Deum non esse causam peccati,quia nō concurrit ad illud etiam vt causa moralis.

3.Arg. Tertiò argumentor,quia aliàs sequerētur,quòd liceret superiori præcipere alicui vt faceret minus malū: consequens est falsum:ergo. Sequellaprobatur, quia qđ potest cadere sub consilio, potest cadere etiam sub præcepto;& sic soletdici de martyrio,quòd aliquando est sub consilio,aliquādo verò sub præcepto. Minor autem patet;tùm quia tunc cōmittens maius malum,pecaret duplici peccato,aut vnoęquivalenti duobus;quia scilicet cōmisithomicidiū,& quia non cōmisit furtū;quod erat minus malū à prælato præceptum;tū etiā quia lex aut præceptum non potest cadere contra obiectum quod est contra rationem,cùm lex dimanet à ratione & à lege æterna.

4.Arg. Quartò arg.Omne quod est licitū,est cōforme diuinæ legi & diuinæ Volūtati, & sapientiæ:sed consulere minus malū secūdū aliā sententiam est licitū:ergo conforme legi æternæ,& diuinæ Volūtati & sapientię.Tūc vltra:Ergo Deus posset cōsulere minorapeccata.Patet cōsequētia,quia quod est cōsentaneū legi ęternę & suę Volūtati, potest Deus cōsulere & præcipere, & nō tantū se habere permissiuè ad illud.

Not.1. Pro intelligētia notādū primò,quòd,vt suprà dictū est ex Arist.minus malū collatū maiori malo,induit rationē boni,& cō sequēter rationē eligibilis;vnde cōmuniter dicitur:Ex duobus malis minus est eligendū;& sic habetur.c. duo mala,13.dist. ex D.Greg.32.Moralium,c.18.

Not.2. Secundò notandū,quòd cōsulere minus malū, potest dupliciter cōtingere.Primò,cùm vtrūque malū potest vitari.Secūdò cū vitari vtrūque est impossibile,Rursus cùm vtrumque vitari nō potest,aut est respectu ei⁹dē personæ euentus talis mali,aut respectu diuersarū personarū,ita vt ad euitandum maius malum vnius,inferatur minus malum alteri.

1.Concl. Prima conclusio.Regulariter loquendo,cùm talia mala respiciunt diuersas personas quibus sunt inferenda, non potest quis consulere vt minus malum inferat vni,vt abstineat à maiori malo inferēdo alteri.Probaturprimò.Petrus(verbi gratia) in cuius detrimentū efficitur,vt qui paratus erat inferre mortem Ioāni,vt desistat ab illa,inferat ipsi Petro minus malū,est rationabiliter inuitus; habet enim ius ad conseruationem honoris,vitæ, & aliorū bonorum fortunæ:ergo irrogat iniuriam Petro talis consulens,& consequenterno licet persuadere determinato ad inferendū iniuriā vni,vtflectat in alium.Secundò probatur,Loth offerēs filias suas pessimis Sodomitis,vt abstinerent àviris,non excusatur à peccato,nisi id fecerit animi perturbatione,vt ait August.q.42.in Genesin; & Caiet.c.19.Iudicum:& Abulens.q.25. nō excusat Leuitā illum, qui vxorem suā obtulit virisGabaa,vt ipsemet à turpidine esset immunis:ergo non licet ad vitandū maius malum vnius personæ, persuadere detrimentum alterius. Tertiò probatur,& confirmatur ex illa regula iuris;Nemopotest in alterius detrimentum consiliū suū mutare:ergo nec alienum.Diximus in cōclusione,Regulariter loquendo, vt excipiātur aliqui casus,in quibus præsumi potest prudenter,illā tertiam personā cōsentire in tali detrimēto: quod potest colligi, si detrimentum inferendum illi, est leuissimum,& quod erat irrogādum alteri,erat grauissimum:tunc enim licebit consulere minus malum, in detrimentum etiam tertiæ personæ.

D.Aug. Caiet. Abulen.

2.Concl. Secunda conclusio. Si aliquis firmiter statuerit inferre alicui mortē in vindictā, licebit consulere illi conditionaliter,vt virga,aut fuste percutiat, & à morte inferenda desistat;& similiter in alijs casibus erit licitum sic consulere minora mala.Hanc te

Medin. Navar. Soto. Adrian. Caiet. net Medina hic, & Navarro in manuali, cap. 17. num. 163. Soto 6. de iustitia, quæstione 1. art. 5. Adrianus quodlibeto 9. vbi ait, hoc non posse tedere in dubium. Caiet. etiam opusculo 17. responsionum, responsione 14. tomo 1. & opusculo 31. responsione 13. dub. 3. & 2. 2. quæst. 95. artic. 8. ad finem, & in Summa, verbo Tyrannus, & colligitur ex August. c. si quod verius, 33. quæst. 2. vbi si quis paratus est ad homicidium & fornicationem, dicit, Adulterium committas, non homicidium: &

D. Chrys. D. Chrysost. homil. 22. & 26. & 27. ad populum, ait, assueto ad iurandum, consulendum esse vt iuret per caput suum, cùm hoc etiam prohibeatur Matth. 5. ne talis iuret per Deum. Et probatur primò. Nec obiectum talis actus, nec finis, nec circunstantiæ sunt mala, ergo nec actus ipse. Antecedens patet, nam obiectum est, vt sit contentus minori malo; finis autem, vt desistat à maiori; circunstantias autem supponimus interuenire: ergo ille actus vndequaque est bonus. Secundò probatur. Consulens minus malum, non se habet vt causa mouens ad minus malum vt malum est, sed vt tic habet se tantùm permissiuè; sed solùm se habet vt causa motiua ad desistendum à maiori malo: mouere autem ad recessum à maiori malo, sanctum & bonum est: ergo ille actus est bonus. Tertiò probatur. Cùm talis consulens dicit: Fac hoc, & desiste ab illo; sic se habet, ac si diceret, Nullum horum malorum suadeo vt facias: sed si facturus es aliquod, melius tibi erit, si minus malum facias; minorem enim pœnam incurres, quia minus damnum inferes proximo: hoc autem totum vndequaque bonum apparet. Quartò probatur. Si paratus ad male faciendum, accederet ad Petrum consulendum, & diceret: Ego occisurus sum Ioannem, vel abscisurus sum manum eius, quod dixeris faciam: & si nihil responderis, vtrũque sum facturus: tũc certè malè faceret Petrus, si non diceret; Abscinde manum: ergo licèt consulere minus malum. Minor patet, quia Petrus tunc tenetur vitare mortem Ioãnis, & medium ad hoc omnes reputarent licitum, nec hoc reputabunt malum, sed bonum Ioannis: ergo tenetur illud medium apponere; quemadmodùm si alicui (vt Dauid fuit data optio trium malorũ) daretur etiam eiusmodi electio à latrone, vt eligeret quod sibi vellet vt faceret latro, surripere pecuniam, an interimere; certè deberet respondere; Accipe pecuniam: ergo, &c. Notandum tamen, quòd illa conditio sub qua consulendum est minus malum, non oportet vt semper exprimatur, vt notat Caiet. loco citato; pro loco enim & tempore & alijs circunstantijs aliquando satis intelligitur. *Not.*

Ad primum argumentũ respondetur, quòd ratio minoris mali, vt minus malum est, est ratio boni, sicut minus bonum vt minus bonum, est malum: quando ergo quis suadet minus malum, non consulit malum, sed minoritatem & diminutionem mali, vt sit minori cõtentus; vnde sic consulit bonum: quapropter respectu diminutionis consulens habet se vt causa mouens; respectu autem mali tantùm per modũ permittentis: sic Caietanus loco citato. *Ad 1. arg.*

Ad secundum argumentum respondetur, quòd consulere malum mouendo ad ipsum, est esse causam moralem illius, non autem consulere habendo se permissiuè, vt dictum est: consulens ergo minus malum, tantùm permissiue se habet respectu mali, vt diximus; ad minoritatem autem habet se vt mouens & agens, quod est agere ad bonum; nec hac ratione ei imputatur malũ; immò potius aliquãdo ei imputaretur maius malum, si cùm posset, non retraheret ab illo per consilium minoris mali. *Ad 2. arg.*

Ad tertiũ, conceditur sequella, quòd eo modo quo potest esse consiliũ de minori malo, potest etiã esse præceptũ, scilicet sub cõditione, habendo se tantùm permissiue ad malũ, motiuè autẽ ad minoritatẽ maioris mali; sic dicendo: Si facturus es talẽ maximam iniuriam proximo, præcipio tibi vt tali minori sis contentus. Ad probationem autem minoris respõdetur, quòd tũc, stante tante tali præcepto, si faceret maius malũ, vltra peccatũ homicidij (v. g.) peccaret peccatum inobedientiæ: non quia nõ fecit minus malum, quia sic non erat præceptum minus malũ; sed quia non destitit à maiori malo, quod erat bonum & præceptum; non enim intendebat prælatus præcipiẽdo minus malũ, vt faceret malũ, sed illud permittẽdo, præcipiebat vt desisteret à maiori malo; vnde si nec minus malũ faceret, nec maius, nõ peccaret cõtra obedientiam; quia formaliter intentum à prælato erat vt desisteret à maiori malo, quod implet, si non faciat maius malũ, etiamsi non faciat minus malũ. Et sic etiã patet ad aliam improbationẽ, q' minus malũ, vt min' est, formaliter diuertens à maiori, consonum est rationi & regulæ & legi, quia vt sic, est bonum, vt diximus. *Ad 3. arg.*

Ad

Ad 4. arg. Ad quartum argumentum respondetur similiter, concedendo intentum; quia obiectum illius, siue consilij, siue præcepti, bonum est, vt diximus, vt explicat Caiet. vbi suprà. Hic aliqui tractant, vtrùm cum alicui iniungitur vt faciat aliquid de cõsilio aliorum, teneatur eorum sequi cõsilium. Et resolutio breuis est, tunc teneri eum congregare ad consilium, non tamẽ tenetur consiliantium sequi sententiam, sed illis auditis, potest facere quod sibi visum fuerit. Sic tenet Glo. c. cũ olim, de arbitris, verbo, Discorde, &c. ne pro defectu, verbo consilio, de electione, &c. cũ in veritate, verbo expectatum, eodem titulo.

ARTICVLVS II.

Vtrùm consilium sit de fine, vel solùm de his quæ sunt ad finem.

2.2.q.33 1 ad 2. & q. 47 ar. 1. ad 2. et 3. d. 35 q. 2. ar. 4. q. 1. co. & 3. Ethic. lect. 8.

IC ad secundũ proceditur. Videtur quòd consilium non solùm sit de his quæ sunt ad finem, sed etiam de fine. Quæcunque enim dubitationem habent, de his potest inquiri: sed circa operabilia humana contingit esse dubitationem de fine, & non solùm de his quæ sunt ad finem: cùm igitur inquisitio circa operabilia sit consilium, videtur quod consilium possit esse de fine.

In princip. lib. *Secundò præterea. Materia consilij sunt operationes humanæ: sed quædam operationes humanæ sunt fines, vt dicitur in primo † Ethicorum. ergo consilium potest esse de fine.*

Lib. 5. c. 5. à med. *Sed contra est quod † Gregorius Nyssenus dicit, quòd non de fine, sed de his quæ sunt ad finem, est consilium. Respondeo, dicendum, quòd finis in operabilibus habet rationem principij, eo quòd rationes eorum quæ sunt ad finem, ex fine sumuntur. Principium autem non cadit sub quæstione, sed principia oportet supponere in omni inquisitione; vnde cùm consilium sit quæstio, de fine non est consilium, sed solùm de his quæ sunt ad finem: tamen contingit, id quod est finis respectu quorundam, ordinari ad alium finem: sicut etiam id quod est principium vnius demostrationis, est conclusio alterius, & ideò id quod accipitur vt finis in vna inquisitione, potest accipi vt ad finem in alia inquisitione, & sic de eo erit consilium.*

Ad primum ergo, dicendum, quòd id quod accipitur vt finis, est iam determinatum: vnde quandiu habetur vt dubium, non habetur vt finis, & ideò si de eo consilium habetur, non erit consilium de fine, sed de eo quod est ad finem.

Ad secundum, dicendum, quòd de operationibus est consilium, in quantum ordinantur ad aliquem finem; vnde si aliqua operatio humana sit finis, de ea in quantum huiusmodi non est consilium.

Prima conclusio. Consilium tantùm est de medijs. 1. Concl.

Secunda conclusio. Aliquando consilium est de re quæ est finis, non tamen est de illo vt finis, sed vt medium ad vlteriorem finem. 2. Concl.

Arist. *Damasc.* *Nyssen.* Resolutio D. Tho. est, Arist. 3. Ethic. c. 3. & Damas. lib. 2. Fidei Orthodoxæ, c. 22. & D. Nyssen. lib. 5. suæ Philosophiæ, c. 5. Et ratio D. Tho. est manifesta, nam cōsilium solùm est de his de quibus est electio, cùm ordinetur ad illam, vt diximus: est autem probatum suprà, electionem tā tùm esse de medijs, formaliter loquendo: ergo & consilium.

1. Arg. Sed contra hanc conclusionem sunt aliquot argumenta. Primò, nam consilium & prudentia sunt circa idem; sed prudentia est etiam de fine: ergo & consilium. Minor probatur. Primò, quia prudentia versatur circa materiam omnium virtutum: ergo circa finem; quia materia virtutis est finis. Secundò probatur eadem minor, quia & prudentia habet regulare intentionem quę est circa finem, vt velle temperate comedere etiam in communi, & non solùm in tali vel tali materia. Nec valet

Solut. solutio D. Thom. quòd sit circa finem, ordinando ad vlteriorem finem: non (inquam)

Impug. valet, quia prudentia non respicit vt obiectum aliquid superius & commune ad omnes virtutes morales, ad quod possit ordinare, vt ad vlteriorem finem, finem virtutum moralium.

2. Arg. Secundò argumentor, nam qui dubitat vtrùm sibi conueniat cōstituere vltimum finem in Deo, vel in voluptatibus, per deliberationem se determinat quòd sibi conueniat (verbi gratia) cōstituere in voluptatibus: ergo consiliatur de fine, & non ordinando ad vlteriorem, cum ibi constituat finem vltimum.

3. Arg. Tertiò argumentor, quia bonum honestum & delectabile, vt sic, tantùm est finis, & nullo modo medium: tamen de his est consilium: ergo. Maior patet, quia illa tria bona ex æquo distinguūtur, & consequēter vnū ad aliud vt medium ordinari nō potest. Minor verò probatur, quia multoties quis consiliatur inter delectationes (verbi gratia) quæ sit melior, & similiter inter honesta virtutum.

Salas. In hac re Salas hic tractatu 6. disp. 2. sect. 1. dist. 3. ait, quod licèt regulariter de fine nō sit cōsultatio, bene tamen aliquandò, si de bonitate & cōueniētia finis non cōstat, tunc consulitur, vt constet de eius bonitate, & sic consultatio etiā est de fine vt finis formaliter.

Ad 1. arg. Sed nihilominus ad primū resp. quòd prudētia nō tantū est de medijs, sed etiā de fine; aliquādo quidē ordinādo ad alium finē, vt finem vnius virtutis ordinando ad aliam, vt finem Temperantiæ ad finē Iustitiæ, vt per parsimoniam soluat debitū: aliquādo autem versatur circa finem, etiam non ordinando ad alium, & tunc quidem tendit prudentia per intentionem, vel per simplex iudicium sine inquisitione & consultatione; pertinet enim ad prudentiam de his quæ certa sunt sine dubitatione iudicare, & oppositum esset imprudētia; vnde negatur, æqualiter se habere cōsiliū & prudentia; quia, vt dictum est, prudentia extenditur etiam ad finem, consilium autem tantùm est de medijs. Vel secundò respon- *2. Solut.*
deri potest, quòd sicut consilium non est de fine formaliter, sed materialiter, quatenus ordinat in aliū finē, vel de ipso exercitio circa finem, qui quo ad exercitiū est liber, vt suprà diximus; ita similiter prudētia est de fine, non formaliter, sed materialiter respectu alterius, vel de ipso exercitio, in quo aliqualiter distinguitur ab electione mediorum, quę vtique est de medijs, & quoad exercitium, & quoad specificationem: immò, vt quæstione præcedenti diximus, etiam finis exercitij cadit sub electione; quia exercitium habet quasi rationem medij respectu ipsius finis, circa quem est exercitium. Et per hoc etiam patet, qualiter debeat explicari D. Tho. suprà, q. 6. ar. *D. Tho.*
2. dicens, quòd apprehēso fine, aliquis potest deliberans de fine & de alijs quæ sunt ad finē, moueri in finem, vel non moueri. Debet enim intelligi, vt diximus, de fine non formaliter vt finis, sed materialiter; & vt respectu alterius habet rationē medij. Vel clarius dicitur, ipsum D. Th. se explicare, dum ait, deliberantē de fine, & de his quæ sunt ad finē, posse moueri vel nō moueri; intendit enim loqui de exercitio, & exequutione ipsius finis, quæ est per media; & de hoc dicit esse deliberationem.

Ad secundū respondetur, quòd illa de- *Ad 2. arg.*
liberatio & cōsiliū circa voluptates, etiā in cōmuni, est formaliter de medio, quia est de illis in ordine ad bonū in cōmuni, & vt beatitudinem in communi assequatur.

Ad tertium respondetur, quòd quādo *Ad 3. arg.*
consiliatur inter voluptates in particulari, non dubium quin consilietur de medio in ordine ad delectationem in cōmuni quā intēdit peccator: sed quando cōsiliatur de voluptatibus, etiā in cōmuni, contra bonū honestū, dicimus, quòd tūc etiam consiliatur de medio, quia etiam tria prædicta bona in cōmuni habēt se ad inuicē velut trās-

cer-

cendentia; non enim taliter distinguuntur, quòd vnum ad alterum nō ordinetur, & rationē illius non induat: si enim de delectabili vt sic, consiliatur, est per aliquāvti litatem apparētem ex illo sibi prouenire; & tunc licet verificetur quòd tendit in delectabile inquantū delectabile, tamē ly In quantū, nō reduplicat adæquatè rationem delectabilis, præscindēdo ab vtili; sed reduplicat inadæquatè, etiā rationē vtilis inuoluēdo; vnde cū respiciat aliud quod inuoluit, nō cōsideratur delectabile in tali cōsilio formaliter vt finis, sed vt mediū; quādo autē sumitur vt finis, & cū reduplicatione adæquata, tantùm est materia intentionis, non autem consilij.

ARTICVLVS III.

Vtrùm consilium tantùm sit de his quæ à nobis aguntur.

2.2.q.47. ar.2.corp. & 3.d.55. q.2.ar.4.q. 1.co. & 3. Ethic.lect. 7.

Sic ad tertium proceditur. Videtur quòd consilium non sit solū de his quæ aguntur à nobis. Consiliū enim collationem quandam importat: sed collatio inter multos potest fieri etiā de rebus immobilibus quæ non fiunt à nobis, puta, de naturis rerum: ergo consilium est de his quæ aguntur à nobis.

Secundò prætereà. Homines interdum consilia quærūt de his quæ sunt lege statuta; vnde & Iurisconsulti dicūtur; & tamen eorū qui quærunt huiusmodi consilium, nō est leges facere: ergo consilium non solùm est de his quæ à nobis aguntur.

Tertiò prætereà. Dicuntur etiam quidam consultationes facere de futuris euentibus, qui tamen non sunt in potestate nostra: ergo consilium non solùm est de his quæ à nobis fiunt.

Quartò prætereà. Si consilium esset solùm de his quæ à nobis fiunt; nullus consiliaretur de his quæ sunt per alium agenda: sed hoc patet esse falsum: ergo consilium non solùm est de his quæ fiunt.

Sed contra est quod † *Greg. Nyssenus dicit: Consiliamur de his quæ sunt in nobis, & per nos fieri possunt.* † Lib. 5.c.5.

Respondeo, dicendum, quòd consilium propriè importat collationem inter plures habitā: quod & ipsum nomen designat: dicitur enim consilium quasi considium, eo quòd multi considunt ad simul conferendū. Est autem considerandum, quòd in particularibus contingentibus, ad hoc quod aliquid certum cognoscatur, plures conditiones, seu circunstātias considerare oportet, quas ab vno facile est considerari, sed à pluribus certiùs percipiuntur, dum quod vnus considerat, alij non occurit. In necessarijs autem & vniuersalibus est absolutior & simplicior consideratio, ita quòd magis ad huiusmodi considerationem vnus per se sufficere potest, & ideò inquisitio consilij propriè pertinet ad contingentia singularia. Cognitio autem veritatis in talibus non habet aliquid magnū vt per se sit appetibilis, sicut cognitio vniuersalium, & necessariorum; sed appetitur secūdū quòd est vtilis ad operationē; quia actiones sunt circa contingētia singularia; & ideò dicendum est, quòd propriè consiliū est circa ea quæ aguntur à nobis.

Ad primum ergo, dicendum, quòd

consilium importat collationem, non quamcunque, sed collationem de rebus agendis, ratione iam dicta.

In corp. art. *Ad secundum, dicendum, quòd id quod est lege positũ, quamuis non sit ex operatione quærentis cõsilium, tamen est directiuum eius ad operãdum; quia ista est una ratio aliquid operandi secundùm mandatum legis.*

Ad tertium, dicendum, quòd consilium non solùm est de his quæ aguntur, sed de his quæ ordinantur ad operationes; & propter hoc consultatio dicitur fieri de futuris euentibus, in quantum homo per futuros euẽtus cognitos dirigitur ad aliquid faciendum, vel vitandum.

Ad quartum, dicendum, quòd de aliorum factis consilium quærimus, in quantum sunt quodammodò unum nobiscum, vel per unionem affectus; sicut amicus solicitus est de his quæ ad amicum spectant, sicut de suis: vel per modum instrumẽti; nam agens principale & instrumentale sunt quasi una causa, cùm unum agat per alterum: & sic dominus cõsiliatur de his quæ sunt agẽda per seruum.

Concl. Cõclusio est affirmatiua. Ratio D. Th. consistit in hoc, quia consilium tantùm est collatio & inquisitio de rebus singularibus, quia tantùm est de dubijs, & nõ certis; vniuersalia autem secũdũ se certitudinem habent: de singularibus autem est dubietas, & ad determinationem illorũ multi cõgregantur ad consilium, vt certa resolutio de eis habeatur: sed sic est, quòd singularia solũ considerantur vt agantur à nobis, quia speculatio illorũ minimæ perfectionis est, vt cura habeatur de illa: ergo cõsilium tantùm est de agendis.

1. Impug. Sed contra hanc resolutionem sunt aliqua argumenta. Primò quidem, quia D. Tho. supponit falsum, quòd ad consilium multi debeant congregari: potest enim vnus tantùm eligere: ergo & consiliari, quia consilium ordinatur ad electionem: ergo qui potest eligere, potest consiliari.

2. Impug. Secundò, quia etiam supponit falsum, quòd vniuersalia habent certam cognitionem: immò difficiliùs à nobis cognoscuntur, quàm singularia; quia ista cognoscuntur à quolibet per sensum & experientiã, illa verò solùm per discursum, quem non ita faciliter omnes habere possunt.

3. Impug. Tertiò, quia cognitio singularium licèt non sit magnæ perfectionis, tamen est alicuius, & alicuius delectationis: ergo de illis, etiam vt speculabilibus, & non solùm vt agendis, potest esse consilium. *Conf.* Confirmatur, quia multoties contingit, vt de paruis, etiam cognitis vt paruis, quis cõsilietur, ex errore, vel malo modo procedendi: ergo non est hæc optima ratio D. Tho. quòd ideò de speculatione singularium non sit consultatio, quia talis est parui momenti.

4. Arg. Quartò argumẽtor, nã multoties quis cõsiliatur de his quæ ab amico fieri debẽt, & quid bene sit illi: ergo nõ tãtũ de hisquę à nobis aguntur.

Ad 1. imp. Ad primũ resp. ita verũ esse, q; etiã quilibet homo seorsum, sicut potest eligere, potest cõsiliari: posuit autẽ D. Th. exẽplũ in cõmuniorib⁹ & notiorib⁹, &, quod magis est, in acceptione cõmuni; cõmuniter enim consultatio accipitur pro congregatione multorum consiliantium, & hoc insinuat etymologia nominis Consilium. Primò, quia, vt suprà diximus, idem est cõsiliũ, atque consedium, vel, vt alij dicunt, consiliũ idem est atque conciliũ, quod dicitur à syncalco, quod est, cõuoco: vel à verbo Sileo, quòd vno loquente, cæteri sileant: vel à saliendo, quia dum vnus loquitur, alter salit in aliam sententiam.

Ad 2. imp. Ad secundum respondetur, aliud esse loqui de cognitione; aliud verò de cognitione certa. Quantum ad cognitionem ergo faciliora sunt singularia, quia statim apprehenduntur: tamen quantum ad cognitionem certam, è contra: semel enim cognitis vniuersalibus, certitudo habetur de illis, & ideò non est necessarium consilium circa illa: de singularibus autem etiamcognitis manet passim magna incertitudo expellenda per consultationem. Verum est, quòd aliquàndo vniuersalia etiã cognoscuntur non certò, sed opinatiuè: hoc tamen

men est per accidens ex parte subiecti; nam secundum se certissima sunt; quod non habent singularia, quæ de se incerta, contingentia, & variabilia sunt. Necetiam est idem, loqui de vniuersalibus, & de cognitione illorũ, quia licèt de vniuersali non sit consilium, bene tamen de cognitione illorum; quæ quoddam singulare est, de quo potest esse consultatio vtrùm expediat, vel non, in exercitio.

Ad 3.imp. Ad tertium respondetur, illam minimam perfectionem vel delectationẽ prouenientem ex cognitione speculatiua singularium, nõ cadere sub consilio, nec esse

Ad confir. dignam illius. Ad confirmationem respõdetur, hanc prædictam solutionem habere verum per se loquendo; nam per accidens, ex errore vel malo modo procedendi, poterit esse consilium.

Ad 4.imp. Ad quartum respondetur, quòd amicus est alter ego; vnde idem est consiliari de agendis ab amico, & de agendis à nobis; quatenus amicus nobis coniungitur. Pro cuius maiori intelligentia nota, quòd dupliciter potest quis consultare de his quæ pertinent ad amicum. Primò, vt tradendo ei consilium, ipse faciat quod debet. Secundò possumus consiliari, vt nos operãdo aliquid subueniamus ei. Prima consultatio est speculatiua, & sufficit amicum nobis esse coniunctum per affectum. Secunda consultatio est practica, & tunc nobis coniungitur per operationem quam ex consultatione exercemus in bonum illius; vnde formaliter tunc est de agendis à nobis. Et D. Thom. hic loquitur de consultatione practica, & sic asserit esse de agendis à nobis. Ex quo sequitur, consultatum, & inquisitum habere se sicut superius & inferius; inquirimus enim & propria & aliena agenda & non agenda à nobis: solùm autem in rigore consultamus nobis propria, & nobis agenda; & sic valet, quòd si consultamus, inquirimus; non autem si inquirimus, consultamus.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm consilium sit de omnibus quæ per nos aguntur.

AD QVARTVM sic proceditur. *Videtur quòd consilium sit de omnibus quæ sunt per nos agenda. Electio enim est appetitus præconsiliati; vt dictum est:* † *sed electio est de omnibus quæ per nos aguntur: ergo & consilium.* *Et 3.d.35. q.2.ar.4.q. 1.corp. & Ps.19. & 3. Ethic. lect.7.ar.1.* † *Art.1.*

Secundò præterea. Consilium importat inquisitionem Rationis: sed in omnibus, quæ non per impetum passionis agimus, procedimus ex inquisitione Rationis: ergo de omnibus quæ aguntur à nobis, est consilium.

Tertiò præterea. Philosophus dicit in tertio † *Ethicor. quòd si per plura aliquid fieri potest, consilio inquiritur per quod facillimè & optimè fiat: si autem per vnum, qualiter per illud fiat: sed omnequod fit, fit per vnum, vel per multa: ergo de omnibus quæ fiunt à nobis, est consilium.* *Cap.3. in med.to.5.*

Sed contra est quod † *Greg. Nyssenus dicit, quòd de his quæ secundũ disciplinam, vel artem sunt operibus, non est consilium.* *Lib.5.c.5.*

Respondeo, dicendum, quòd consilium est inquisitio quædam, vt † *dictum est: de illis autem inquirere solemus, quæ in dubium veniunt: vnde & Ratio inquisitiua, quæ di-* † *Art.1.huius q.*

catur argumentum, est rei dubiæ faciens fidem. Quòd autem aliquod inoperabilibus humanis non sit dubitabile, ex duobus contingit. Vno modo, quia per determinatas vias procceditur ad determinatos fines, sicut contingit in artibus, quæ habent certas vias operandi: sicut scriptor non consiliatur quomodò debet trahere literas: hoc enim determinatum est per artem. Alio modo, quia non multum refert, vtrũ sic vel sic fiat: & ista sunt minima quæ parum adiuuant, vel impediunt, respectu finis consequendi. Quod autem parum est, quasi nihil accipit Ratio, & ideò de duobus non consiliamur, quanuis ordinentur ad finem, vt Philosophus dicit † *, scilicet de rebus paruis, & de his quæ sunt determinata qualiter fieri debent; sicut est in operationibus artium, præter quasdam coniecturales, vt Gregorius* † *Nyssenus dicit, vt puta medicinalis, negotiatiua, & huiusmodi.*

Libr. 3. Ethic. c. 2. to. 5.

Lib. 5. c. 5.

Ad primum ergo, dicendum, quòd electio præsupponit consilium ratione iudicij vel sententiæ: vnde quando iudicium vel sententia manifesta est absque inquisitione, non requiritur consilij inquisitio.

Ad secundum, dicendum, quòd Ratio in rebus manifestis non inquirit, sed statim iudicat, & ideò non oportet in omnibus, quæ ratione aguntur, esse inquisitionem consilij.

Ad tertium, dicendum, quòd quando aliquid per vnum potest fieri, sed diuersis modis, potest dubitationem habere; sicut & quando fit per plura, & ideò opus est consilio: sed quando determinatur non solùm res, sed modus, tunc non est opus consilio.

Conclusio est negatiua. Excipit enim D. Thom. res parui mouenti, & illa quæ sunt determinata qualiter debeant fieri; hæc enim licèt agibilia à nobis sint, non tamen cadunt sub consilio, licèt cadant sub electione. *Concl.*

Contra hanc conclusionem tenet Vazquez, asserens, omnino esse conuertibilia consilium & electionem: & aliquando intendit exponere D. Thom. & aliquando videtur ipsum negare: ipse tamen sibi contrarius est, quia postea concedit, in Christo Domino fuisse veram electionem, & non fuisse verum consilium; quia consilium est de incertis; Christo autem Domino certa fuerunt omia: pro comperto ergo debet haberi vt vera conclusio Diui Thomæ, quia electio tantùm dicit assumptionem medij in ordine ad finem; consilium autem dicit inquisitionem dubiam circa media eligibilia. Quando ergo medium certum est esse conueniens, nulla erit necessitas inquirendi; & similiter si res est parui momenti, etiam non est curandum cum anxietate quam importat inquisitio, apponere hoc vel illud medium: datur ergo electio sine consilio, licèt non è contra: quia semper consilium est ad electionem. *Vazquez.*

Notandum tamen, quòd D. Thom. hic sumit consilium, vt communiter accipitur, pro inquisitione dubia; nam si sumatur consilium pro termino, & pro iudicio practico de conuenientia medij, de quo iam diximus, isto modo conuertibilia sunt; de nullo enim est electio, de quo non sit consilium isto modo, & è contra: nequit enim esse electio, nisi præcedat iudicium practicum Intellectus. *Not.*

Sed

1. Arg. Aristot. Sed contra hanc conclusionem argumentor ex Aristotel. 7. Ethicor. cap. 3. vbi ait, quod de certis & determinatis non est consilium, sed cùm de magnis agitur, alios ad consilium adhibemus; vbi non videtur Arist. negare consilium de paruis, sed tantùm consilium multorum; non autem quòd quis secum non consilietur.

2. Arg. Secundò argumentor. Obiectum consilij & electionis conuertuntur: ergo de quo est electio, est & consilium; & in tantum extenditur vnum, sicut alterum. Consequentia patet, quia actus conuertitur cum obiecto: ergo si obiecta sunt idem, similiter & actus inter se conuertentur; quia quæ vniuntur vni tertio, erunt & inter se vnita. Antecedens verò probatur ex Nyssen. Aristotel. loco citato, & Nysseno libro quinto suæ Philosophiæ, cap. quarto, vbi ait, quòd eligibile est quod ex consilio decernitur, & addit: Nullus enim de- D. Damas cernit non prius consilians, neque elegit non iudicans. Et ex Damasceno libr. secundo Fidei Orthodoxæ, cap. 22. vbi ait, electionem fieri post consultationem & sententiam.

Ad 1. & 2 arg. Ad primum argumentum respondetur, quod licèt aliqua res sit certa eligenti, vel parua respectu illius, contingit quòd respectu alterius sit dubia, vel magna, & ideo semper quod est eligibile, est consiliabile: non tamen in particulari in hoc eligẽte semper quòd est electio, requiritur consilium. Primum ergo docet Aristotel. Secundum autem D. Thom. hic. In exercitio enim potest in hoc esse electio, & non consilium; quia (verbi gratia) non est dubietas, vel quia res est parui momenti, non digna consilij; vt quando quis peruenit ad duas vias omnino æquales, verè eligit vnam sine præuio consilio. Et per hoc patet ad secundum; prædicti enim sancti Doctores tantùm intendunt, eligibile & consiliabile esse idem; non autem quòd semper quòd quis eligit, consilietur; quia verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem; & sufficit vt quod eligitur ab hoc, sit consiliabile respectu alterius forsitan dubitantis; quod hic pro comperto habetur.

ARTICVLVS V.

Vtrùm consilium procedat modo resolutorio.

AD QVINTVM sic proceditur. *Videtur quòd consilium non procedat modo resolutorio. Consilium enim est de his quæ à nobis aguntur: sed operationes nostræ non procedunt modo resolutorio, sed magis modo compositiuo, scilicet de simplicibus ad composita: ergo consilium non semper procedit modo resolutorio.*

Secundò præterea. Consilium est inquisitio Rationis: sed Ratio à priori bus incipit, & ad posteriora deuenit secundùm conuenientiorem ordinẽ: cùm igitur præterita sint priora præsentibus, & præsentia priora futuris, in consiliando videtur esse procedendum à præsentibus & præteritis in futura; quòd non pertinet ad ordinem resolutorium: ergo in consilijs non seruatur ordo resolutorius.

Tertiò præterea. Consiliũ non est nisi de his quæ sunt nobis possibilia, vt dicitur in 3. † Ethicor. sed an sit nobis aliquid possibile, perpenditur ex eo quod possumus facere, vel non possumus facere, vt perueniamus in illud: ergo in inquisitione consilij à præsentibus incipere oportet. Cap. 3. paulo post princip. to. 5.

Sed contra est quod Philosophus dicit in 3. † Ethicor. quòd ille qui consiliatur, videtur quærere & resoluere. Cap. 3. post med. to. 5.

Respon-

Respondeo, dicendum, quòd in omni inquisitione oportet incipere ab aliquo principio; quod quidem sicut est prius in cognitione, ita etiam sit prius in esse, non est processus resolutorius, sed magis compositiuus. Procedere enim à causis in effectus, est processus compositiuus; nam causæ sunt simpliciores effectibus. Si autem id quod est prius in cognitione, sit posterius in esse, est processus resolutorius; vtpote cùm de effectibus manifestis iudicamus resoluendo in causas simplices. Principium autem in inquisitione consilij est finis, qui quidem est prior in intentione, posterior tamen in esse; & secundum hoc oportet quòd inquisitio consilij sit resolutiua, incipiendo scilicet ab eo quod in futuro intenditur, quousque perueniatur ad id quod statim agendum est.

Ad primum ergo, dicendum, quòd consilium est de operationibus; sed ratio operationum accipitur ex fine, & ideò ordo ratiocinandi de operationibus, est contrarius ordini operandi.

Ad secundum, dicendum, quòd ratio incipit ab eo quod est prius secundum rationem; non autem semper ab eo quod est prius tempore.

Ad tertium, dicendum, quòd de eo quod est agendum propter finem, non quæreremus scire an sit possibile, si non esset congruum fini: & ideò prius oportet inquirere an conueniat ad ducendum in finem, quàm consideretur an sit possibile.

Conclusio est affirmatiua. Probat illam D. Tho. hac ratione, quia processus à causa ad effectum, est processus compositiuus; quia causa est simplicior effectu; vnde procedere à causa ad effectum, est procedere à simplici ad compositum: sed consilium procedit ab effectu ad causam: ergo non est compositiuum, sed resolutorium. Minor probatur, quia consilium procedit ab eo quod est posterius in exequutione, nempe à fine exequendo per media: ergo incipit ab effectu ad causam, quia finis exequutus per media, effectus est illorum, & media verè sunt causa illius. *Conclu.*

Contra hanc conclusionem argumentor primò, quia ex hac ratione posita potiùs videtur sequi oppositum, quia finis est verè causa mediorum: ergo si consilium procedit à fine ad media, procedit à causa ad effectum, & consequenter compositiuè. *1. Arg.*

Secundò argumentor, quia principium assumptum à Diuo Thoma, videtur falsum; alias enim omnes scientiæ speculatiuæ compositiuè procederent, & non resolutoriè; cùm scientiæ speculatiuæ procedant à causa ad effectum per demonstrationem propter quid. *2. Arg.*

Tertiò, quia consilium est quædam cognitio practica, cùm sit actus prudentiæ, quæ habitus practicus est: ergo procedit compositiuè. Patet consequentia, quia hæc est differentia inter cognitionem practicam & speculatiuam, quòd ista procedit resolutoriè, illa compositiuè. *3. Arg.*

Quartò, quia aliàs sequeretur, quòd omnis processus operabilis, sit resolutorius; quia in practicis semper proceditur à simplicioribus ad composita; vt faciens domum, à partibus incipit ad totum: ergo si secundum Diuum Thomam procedere à simpliciori, est procedere resolutoriè, processus practicus erit resolutorius. *4. Arg.*

Ad primum aliqui respondent, quòd consilium nō incipit à fine, vt à causa, sed vt ab effectu, quia incipit ab illo vt posterius in exequutione, cuius vt sic medium est causa efficiens. Hæc tamen solutio nō satisfacit, quia quod consiliatur, verè finalizatur à fine, à quo incipit consilium: ergo habet se vt causa finis, vt respicitur à cōsilio. Eo vel maximè, quòd consilium non est posterius exequutione finis, sed prius *Ad 1. arg.*

ad

ad illa m: ratio verò effectus consistit in exequutione finis: ante exequutionem vero non habet nisi rationem causæ finalis: non ergo attingitur â consilio vt effectus, sed vt causa; quia attingitur ante exequutionem, vt potiùs per consiliũ ad exequutionem tendat. Vnde secundò respondet Caiet. quòd finis tripliciter potest comparari ad media. Primo, vt causa ad effectum. Secũdò, vt ad causam. Tertiò vtroque modo simul, qualiter explicatur hoc complexo, Finis agendus; ly enim Finis, dicit causam; ly Agendus, dicit effectum: finis autẽ agendus vtrumque dicit, & rationem causæ, & rationem effectus simul. Hoc ergo supposito, processus à fine vt à causa, est compositiuus, vt ab effectu autem, resolutorius: quando autem fit processus ab vtroque simul, dicendus est resolutorius, quia in illo complexo Finis agẽdus, præeminet & principaliùs sumitur ratio agendi, quàm ratio finis; vnde ab illo sumitur denominatio, & sic talis processus dicitur resolutorius procedens ab effectu, licèt etiam incipiat & attingat finem in ratione causæ & finis. Hanc solutionem reijcit Vazquez; dicit enim esse ingeniosam, sed non veram; quia potiùs in illo complexo præeminet ratio causæ, quã ratio effectus; sed hoc ipse nõ probat, sed pro libito hoc affirmat, nec aliam meliorem solutionem adhibet: vnde vt vera tenenda est Caietani. Si autem contrà dicas, quòd tunc non erit formaliter vera propositio, quòd consiliũ incipit à fine, si, vt dicit hæc solutio, non incipit à fine vt finis, sed vt effectus; & hęc est ratio præeminens & principaliter considerata: Respondetur, quòd illa ratio effectus non consideratur vtcunque, sed vt ratio excellentis effectus, cui cõiungitur ratio finis; vnde formaliter vtrumque importatur, & ratio effectus, & ratio finis, & sic verificatur, quòd incipit à fine, & similiter quòd procedit ab effectu: licèt hoc secundum formalius in ratione processus, vt appellandus sit resolutorius, vel compositiuus. Itaque quando quis vult sanari, & de hoc consiliatur, primò apprehendit sanitatem, & supponit illam tanquàm principium inquirendi media, & sic sanitas vt rè habet rationẽ finis: quatenus autem nõ præsupponitur vtcunque, sed vt posteà in exequutione ponatur, consideratur vt effectus; vnde processus consilij vtrumque complectitur, & rationem finis, & rationẽ effectus, licèt, vt diximus, in ratione processus consilij principaliùs attendat rationem effectus. Et pro maiori intelligentia notãdũ, quòd consiliũ potest considerari dupliciter, & quantũ ad inceptionẽ & originẽ, & etiã quantũ ad progressum & terminũ ad quem tẽdit. Primo modo respicit finẽ; secundo verò modo respicit finẽ vt effectũ; incipit enim cõsiliũ à fine præsupposito, progrediẽdo ad hoc vt talẽ finem præsuppositũ exequatur; vnde ratio finis est quasi terminus à quo cõsilij; ratio verò effectus ipsius finis, est quasi terminus ad quẽ tendit consiliũ: & quia in vnoquoq; motu principaliter consideratur terminus ad quẽ, ideò in progressu cõsilij principaliùs cõsideratur ratio effectus, quàm ratio finis, à quo formaliter incipit, & ideò vocatur progressus resolutiuus.

2. Sol. Cai.

Vazquez.

Impug.

Solut.

Ad secundũ arg. resp. quòd scientiæ speculatiuæ licèt in apparentia per demõstrationẽ propter quid procedãt à causa, formaliter tamen re cõsiderata, nõ procedũt nisi ex effectu ad causam; quia quod intẽdit scientia speculatiua, est cognoscere effectũ in causa; hoc enim est munus scientię, reducere effectũ ad causam, & cõclusionẽ ad principiũ; & in hoc distinguitur à scientia à posteriori, quia illa cõsiderat causam in effectu: illa verò effectũ in causa: propterea ergo scientia à priori erit resolutoria, quia ducit per cognitionẽ effectuũ ad causam; & hęc est demonstratio propter quid, licèt communi vocabulo dicatur procedere à causa. *Ad 2. arg.*

Ad tertiũ arg. resp. quòd practicũ potest cõsiderari dupliciter. Primò quãtum ad exequutionem: secundò quantum ad præuiam dispositionẽ: prius enim quis disponit per cõsiliũ & deliberationem, qualiter aliquid debeat exerceri, postmodùm autẽ in re exequitur & facit qualiter priùs disposuerat: practicum ergo, vt dicit exequutionẽ, importat modũ cõpositiuum, quia procedit à causa ad effectũ, nempe à medijs ad ipsum finem exequutũ; practicũ verò, vt dicit præuiã ordinationẽ Intellectus, cũ procedat, vt dictũ est, à fine exequendo, & ab effectu ad media disponenda, quæ sunt causæ ipsius finis exequendi, importat modũ resolutoriũ. Dixi autem, cognitionem practicam præuiam importare modũ resolutoriũ, quia cognitio practica concomitans, & actualiter dirigens ipsum opus externũ, quãdo fit, etiam importat modũ cõpositiuum, sicut & ipsum opus externum, cum quo non ponit innumero, *Ad 3. & 4. arg.*

mero. Vel secundò respondetur, quòd hic non sumitur processus resolutorius, vt distinguitur ab operabili; sed vt distinguitur à compositiuo: scientiæ ergo speculatiuæ dicunt modum resolutorium, & vt distinguitur à modo compositiuo, & à modo operabili; scientiæ verò practicæ semper procedunt modo operabili, possunt tamen procedere resolutorie, vt resolutorium opponitur compositiuo, licèt non vt opponitur operabili. Et per hoc patet ad quartum.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm consilium procedat in infinitum.

Ic ad sextũ proceditur. Videtur quòd inquisitio consilij procedat in infinitum. Consilium enim, inquisitio est de particularibus, in quibus est operatio: sed singularia sunt infinita: ergo inquisitio consilij est infinita.

2. Præt. Sub inquisitione consilij cadit considerare non solũ quid agẽdũ sit, sed etiã quo modò impedimenta tollãtur: sed quælibet humana actio potest impediri, & impedimentũ tolli potest per aliquã rationem humanam: ergo in infinitum remanet quæ rere de impedimentis tollendis.

3. Præt. Inquisitio scientiæ demõstratiuæ nõ procedit in infinitũ, quia est deuenire in aliqua principia per se nota, quæ omnimodã certitudinẽ habent: sed talis certitudo nõ potest inueniri in singularibus contingentib⁹, quæ sunt variabilia & incerta: ergo inquisitio consilij procedit in infinitum.

Sed cõtra. ⁶Null⁹ mouetur ad id ad quod impossibile est quòd perueniat, vt dicitur in 1. † de cælo. sed infinitũ impossibile est trãsire: si igitur inquisitio cõsilij sit infinita, nullus cõsiliari inciperet; quod patet esse falsũ. Ex lib. 4. de cælo, tex. 35.

Respondeo, dicendum, quòd inquisitio consilij est infinita in actu ex duplici parte, scilicet ex parte principij, & ex parte termini. Accipitur enim in inquisitione consilij duplex principium; vnum proprium ex ipso genere operabilium, & hoc est finis, de quo non est consilium, sed supponitur in consilio vt principium, vt dictum est: † aliud quasi ex alio genere assumptum; sicut & in scientijs demonstratiuis vna scientia supponit aliqua ab alia, de quibus non inquirit. Huiusmodi autem principia, quæ in inquisitione consilij supponuntur, sunt quæcunque sunt per sensum accepta, vtpotè quòd hoc sit panis, vel ferrum, & quæcunque sunt per aliquam scientiam speculatiuã, vel practicam in vniuersali cognita; sicut quòd mœchari est à Deo prohibitum, & quòd homo non potest viuere nisi nutriatur nutrimento conuenienti; & de istis non inquirit consiliator. Terminus autem inquisitionis est id quod statim est in potestate nostra vt faciamus; sicut enim finis habet rationem principij, ita id quod agitur propter finem, habet rationem conclusionis: vnde id quod primò agendum occurrit, habet rationem vltimæ conclusionis, ad quam inquisitio terminatur. Nihil autẽ prohibet, consilium potentia infinitum esse secundùm quòd in infinitum possunt aliqua occurrere consilio inquirenda. Art. 2. huius q.

Ad

Ad primum ergo, dicēdum, quòd singularia non sunt infinita, sed in potentia.

Ad secundum, dicendum, quòd licèt humana actio posset impediri; non tamen semper habet impedimentum paratum, & ideò non semper oportet consiliari de impedimento tollendo.

Ad tertium, dicendum, quòd in singularibus contingentibus potest aliquid accipi certum, etsi non simpliciter, tamen vt nunc, prout assumitur in operationem. Socratem enim sedere, non est necessarium; sed eum sedere dum sedet, est necessariū: & hoc per certitudinem accipi potest.

1. Concl. Prima conclusio. Inquisitio consilij semper est finita in actu, tam ex parte principij, quàm ex parte termini.

2. Concl. Secunda conclusio. Consilium potest esse in infinitum in potentia, secundum quòd possunt offerri infinita media inquirenda. Hic Vazquez asserit, D. Th. deceptum fuisse in hoc articulo, non sequendo veram translationem Aristotelis; cùm tamen ipse, quæ sit vera translatio, non assignet. Et quamuis D. Thom. non veram translationem sequeretur, non ideò iste deberet negare conclusionem Diui Thomæ, quam quidem non fundat in tali trāslatione, sed in vera Philosophia, cuius melior Princeps est D. Thom. quàm Arist. vnde licèt posset controuerti, vtrum hæc fuerit sententia Arist. vel non; non tamen potest controuerti veritas conclusionis; cùm certum habeatur in Philosophia, 3. Physic. infinitum in actu dari non posse; bene tamen infinitum in potentia & syncathegorematicè. Hoc ergo contingit in consilio; tot enim media possunt offerri & multiplicari, vt nunquàm sistatur in vltimo, & sic in potentia in infinitum potest abiri; & experientia constat, aliquos esse homines, qui nunquàm vltimam resolutionem assumant, sed semper sint inquirētes quid debeant facere. Sed contra hoc est argumentum, quia media quæ occurre re possunt, sunt singularia & existentia; hæc autem semper sunt finita & limitata: ergo nunquam consilium potest syncathegorematicè abire in infinitum. Respondetur, D. Thom. hic loqui moraliter, vt Philosophum moralē, & regulariter loquendo; sic autem simul occurrere non possunt omnia media, etiamsi metaphysicè finita sint; finitum enim metaphysicè, multoties reputatur infinitum moraliter, & moraliter impertransibile. Vel secundo respondetur, quòd etiam metaphysicè media formaliter vt assumptibilia sunt infinita syncathegorematice; quia licèt singularia quę de præsenti sint finita, sunt tamē semper in continua successione sine termino: vnde dum quis consiliatur de præsentibus finitis, antequàm resoluantur, iam sunt alia singularia etiam finita noua, de quibus consiliari iam potest; & dum de illis consiliatur, iam alia de nouo succedunt, & sic in infinitum potest abire consilium. Et dato etiam, quòd eadem finita indiuidua sine nouitate aliorum permanerent, adhuc per combinationem illorum posset consilium in infinitum abire; posset enim consiliari de quolibet seorsum, & de hoc cum mixtione alterius, & de altero cum altero, & sic in infinitum; cùm reflexiones combinationis in infinitum prolongari possunt. Defacto tamen nunquàm abitur in infinitum; quia sicut in causis efficientibus subordinatis non potest progredi in infinitum; quia cùm infinitum sit impertransibile, nunquàm peruenireturad effectum; ita si consilium abiret in infinitum, nunquàm peruenireturad electionem; quia electio est post consilium; & si consilium diuagaretur per infinita media, nunquàm finiretur, & sic nunquàm fieret electio de facto: ergo vt fiat electio, consiliū & inquisitio est finita; potest tamen in infinitum syncathegorematicè procedere, nunquàm deueniendo ad electionem.

Vazquez.

Obiectio.

Solutio. 1.

Solut. 2.

(?)

QVÆSTIO XV.

De Consensu.

ARTICVLVS I.

Vtrùm consentire sit actus potentiæ apprehensiuæ, an verò appetitiuæ.

AD primum sic proceditur. *Videtur quòd consentire pertineat solùm ad partem animæ apprehensiuam. Augus. enim 12. de Trinit.* † *consensum attribuit superiori Rationi: sed Ratio nominat apprehensiuam virtutem: ergo consentire pertinet ad apprehensiuam virtutem.*

Infr. q. 74. art. 7. ad 1. & 4. d. 29. ar. 1. cor. c. 12.

Secundò præterea. Consentire est simul sentire: sed sentire est apprehensiuæ potentiæ: ergo & consentire.

Tertiò præterea. Sicut assentire dicit applicationem Intellectus ad aliquid, ita & consentire: sed assentire pertinet ad Intellectum, qui est vis apprehensiua: ergo & consentire ad vim apprehensiuam pertinet.

Cap. 2. post med. & c. 22.

Sed contra est quod † *Damasc. dicit in 2. lib. quòd si aliquis iudicet, & non diligat, non est sententia, id est consensus: sed diligere ad appetitiuam virtutem pertinet: ergo & consensus.*

Respondeo, dicendum, quòd consentire importat applicationem sensus ad aliquid: est autem proprium sensus, quòd cognoscitiuus est rerum præsentium; vis enim imaginatiua est apprehensiua similitudinum corporaliũ, etiam rebus absentibus, quarum sunt similitudines: Intellectus autem apprehensiuus est vniuersaliũ rationũ, quas potest apprehẽdere indifferẽter, & præsentibus & absẽtibus singularibus: & quia actus appetitiuæ virtutis est quædã inclinatio ad rem ipsam secundùm quãdam similitudinem; hinc est, quòd ipsa applicatio appetitiuæ virtutis ad rem, secundùm quam ei inhæret, accipit nomen sensus, quasi experientiam quandam sumens de re cui inhæret, in quantum complacet sibi in ea. Vnde Sap. 1. dicitur: Sentite de Domino in bonitate: & secundùm hoc, consentire est actus appetitiuæ virtutis.

Ad primum ergo, dicẽdum, quòd sicut dicitur in 3. † *de Anima, Voluntas in Ratione consistit; vnde cùm August. attribuit consensum Rationi, accipit Rationem secũdùm quòd in ea concluditur Voluntas.* Tex. 42.

Ad secundũ, dicẽdũ, quòd sentire propriè dictum ad apprehensiuam potentiã pertinet: sed secundùm similitudinẽ cuiusdam experientiæ pertinet ad appetitiuã, vt dictum est. † In cor. art.

Ad tertiũ, dicendũ, quòd assentire, est quasi ad aliud sentire, & sic importat quandam distantiam ad id cui assentitur: sed consentire, est simul sentire, & sic importat quandã coniunctionem ad id cui cõsentitur; & ideò Voluntas, cuius est tendere ad ipsam rem, magis propriè dicitur consentire. Intellectus autem, cuius

opera-

*operatio non est secundùm motum ad rem, sed potiùs è conuerso, vt in primo * dictum est, magis proprie dicitur assentire: quamuis vnum pro alio poni soleat. Potest etiam dici, quòd Intellectus assentit, in quantum à Voluntate mouetur.*

p.q.16.ar.2 & q.27. ar. 4. & q. 59. art. 2.

1. Concl. Prima conclusio. Consensus, propriè loquendo, est actus potentiæ appetitiuę.

2. Conclu. Secunda cõclusio. Intellectus propriè loquendo, dicitur assentire, non tamen consentire, licèt aliquando ista duo pro eodem accipiantur.

D. Damasc. Prima conclusio D. Thomæ est certa, & recepta inter omnes Philosophos. Ideò enim peccatum formaliter & per se primò est in Volũtate, quia ipsa est quæ consentit in opus, & hoc docet Damascenus lib. 2. Fidei orthodoxæ, cap. 22. licèt enim prima facie videatur reducere consensum ad Intellectum, appellans illum sententiam; re tamen bene inspecta, non asserit nisi esse actum Voluntatis, & acceptationem illius; & tantum intendit, ad consensum antecedere sententiam Intellectus, non tamen consistere in illa, sed in acceptatione talis sententiæ; quæ acceptatio, actus est Voluntatis: vnde consensus supponit in recto pro actu Voluntatis; connotat autem actum Intellectus, non autem supponit nec pro actu Intellectus, nec pro vtroque simul, vt volebat D. Bonauent. in 2. distin. 38. art. 2. quæst. 2.

Obiectio. Et si contra conclusionem arguas, nam ad probationem illius assumit D. Thom. multa principia falsa: ergo non est tenenda. Antecedens probatur, dicit enim, q̃ Voluntas applicat sensum ad operandum, & sensus tantùm versatur circa præsentia. Item quòd Intellectus tantùm versatur circa vniuersalia; Voluntas verò etiam circa singularia; hæc autem omnia falsa sunt, quia obiectum Voluntatis & Intellectus conuertuntur; habebit ergo tantam vniuersalitatem obiectum vnius, sicut alterius; & sicut Intellectus considerat præterita, præsentia & futura; ita Voluntas omnia illa potest diligere; & sicut Volũtas potest amare singularia, ita & Intellectus intelligere illa; & sicut Intellectus cognoscit verum in communi; ita & Voluntas bonum in cõmuni amare potest.

Obiect. 2. Secundò arguitur, quia consentire, est simul sentire cum alio: Intellectus autẽ simul sentit cum sensibus, illos dirigendo & gubernando in suis cognitionibus: ergo consensus ad Intellectum pertinet.

Obiectio. 3. Tertiò arguitur, quia Voluntas non simul sentit cum alijs potentijs: ergo non cõsentit. Antecedens probatur, quia Voluntas circa alias potentias non habet nisi illas applicare ad opus: talis autẽ applicatio est vsus, de quo agetur quæstione sequenti, & actus est actus distinctus à cõsensu: ergo non habet Voluntas cũ alijs potentijs sentire; quia non poterit assignari quem actum habeat circa alias potẽtias, nisi prædictam applicationem.

Ad 1. obiectio. Ad primũ respondetur, pro comperto debere haberi; quòd cùm obiectũ Volũtatis sit bonũ; & bonum dicat cõsummatã perfectionẽ; & hæc non sit sine existẽtia, de primo ad vltimum, obiectum Voluntatis existentiam importat; & hoc appetit Voluntas, vt quod amat existat, & in re ponatur; vnde licèt obiectũ eius ita sit vniuersale, sicut obiectum Intellect⁹; quia tamen respicit illud in ordine ad existentiam, magis pertinet ad Voluntatem respicere singularia quorum est existentia & applicare ad opus, quàm pertineat ad Intellectum; & magis pertinet ad Voluntatem respicere præsentia, quorum etiã est existentia; & si præterita vel futura respicit, semper est in ordine ad existentiam præsentem; quia vt præterita, vel futura, formaliter entia rationis sunt neque existentiam important.

Ad 2. obiectio. Ad secundũ respondetur, quòd Intellectus non consentit, quia cõsentire non est vtcũque cum alio ire, vel cum alia potentia operari; sed est cũ alio operari, quasi eundo ad illũ, non autẽ attrahendo; trahere enim ad se, potius est facere q̃ alius sibi cõsentiat: cùm ergo Intellectus operetur trahendo, Volũtas autẽ ad aliud eundo, nõ Intellectus, sed Voluntas dicitur cõsentire. Et si contra arguas, nã Volũtas nõ accedit proximè ad sensum, sed ad Intellectũ: quare ergo vocatur consensus, & nõ cointellectus? Respondetur, q̃ consensus est quædam cõplacentia Voluntatis in opere alterius; & quia cõplacentia vel delectatio propriè pertinet ad sensũ, vt distinguitur ab æstimatiua & Intellectu; ideò à sensu sumpsit nomen, & non

Impugn: Solutio.

ab Intellectu. Nisi dicas, q̃ nomen Intellectus est particulare, nomen verò sensus est commune, & extenditur etiam ad Intellectum; & quoniam Voluntas potest trahi; tam ad sensum, quàm ad Intellectũ, sumat nomen à communi, & non à particulari, & appelletur consensus.

Ad 3. obiectio. Ad tertium respõdetur, quòd consensus non est idem quod vsus, vt patebit ex infra dicendis.

ARTICVLVS II.

Vtrũm consensus inueniatur in brutis animalibus.

Infr. q. 16. ar. 2. corp. AD secundũ sic proceditur. *Videtur quòd consensus conueniat brutis animalibus. Consensus enim importat determinationem appetitus ad vnum: sed appetitus brutorũ animalium sunt determinati ad vnum: ergo consensus in brutis animalibus inuenitur.*

2. Præterea Remoto priori, remouetur posterius: sed cõsensus præcedit operis exequutionẽ: si ergo in brutis nõ esset cõsensus, nõ esset in eis operis exequutio; quod patet esse falsum.

3 Præterea. Homines interdũ consentire dicũtur in aliquid agẽdũ ex aliqua passione, putà, cõcupiscẽtia, vel ira: sed bruta animalia ex passione agunt: ergo in eis est consensus.

Lib. 2. ortho. fidei. cap. 22. *Sed contra est quod* ✻ *Damascenus dicit, q̃ post iudiciũ homo dispo nit & amat quod ex cõsilio iudicatũ est; quod vocatur sententia, id est cõsensus: sed consiliũ nõ est in brutis animalibus: ergo nec consensus.*

Respõdeo, dicendũ, q̃ consensus, propriè loquendo, nõ est in brutis animalibus; cuius ratio est, quia consensus importat applicationẽ appetitiui motus ad aliquid agendum; eius autem est applicare appetitiuũ motum ad aliquid agendum, in cuius potestate est appetitiuus motus: sicut tangere lapidem, conuenit quidem baculo; sed applicare baculum ad tactum lapidis, est eius qui habet in potestate mouere baculum: bruta autem animalia non habent in sui potestate appetitiuum motum, sed talis motus in eis est ex instinctu naturæ, vnde brutum animal appetit quidem, sed non applicat appetitiuum motum ad aliquid, & propter hoc non propriè dicitur consentire, sed solùm rationalis natura quæ habet in potestate sua appetitiuum motum, & potest ipsum applicare, vel non applicare ad hoc, vel ad illud.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd in brutis animalibus inuenitur determinatio appetitus in aliquid passiuè tantum: consensus verò importat determinationem appetitus, non solùm passiuam sed magis actiuam.

Ad secundum, dicendũ, q̃ remoto priori, remouetur posterius, quod propriè ex eo tantũ sequitur, si autem aliquid ex pluribus sequi possit, nõ propter hoc posterius remouetur, vno priorũ remoto, sicut si induratio possit fieri & à calido & frigido (nã lateres indurãtur ab igne, & aqua cõgelata induratur ex frigore) non oportet q̃ remoto calore, remoueatur induratio. Exequutio autẽ operis nõ solũ sequitur ex cõsensu, sed etiã ex impetuoso appetitu, qualis est in brutis animalibus.

Ad tertium, dicendũ, q̃ homines, qui ex passione agunt, possunt passio-

nem

nem non sequi, nō autē bruta animalia: Vnde non est similis ratio.

Concl. Conclusio est, quòd in brutis non est cōsensus, propriè loquēdo, sed solùm in natura rationali, cuius est applicare & nō applicare potentias ad operandū, vel applicare ad hoc vel illud. Dicit autē. D. Tho. propriè, nam impropriè, quodāmodo etiā in brutis reperitur consensus.

1. Argu. Sed cōtra argumentū, nam cōsentire, est applicare potentias ad operādum; sed appetitus bruti verè & propriè mouet & applicat alias potentias ad operandum: ergo verè in illo est consensus.

2. Arg. Secundò, nam appetitus bruti habet pro obiecto bonum: ergo applicat alias potentias in singulari in ordine ad existētiā, & cōsequenter rationes D. Tho. quæ probāt cōsensum in Volūtate, procedūt etiam de appetitu; immò fortiùs de appetitu, qui semper tendit ad singulare.

Ad 1. & 2. argum. Ad primū respondetur, quòd consentire, non est quomodocūque alias potentias applicare, sed importat applicationē quę sit in potestate applicantis; quia agēs quod agit necessariò, potiùs applicatur, quia nō se determinat, sed determinatur ex natura sua ab Authore naturæ; & hac ratione D. Tho. ad primum, ait, in brutis non esse determinationē actiuam, sed passiuā; non quia non actiuè, agant, sed quia non se determināt & applicant, sed determinātur, cùm agāt necessarió. Et per hoc patet ad secūdū. Licēt enim appetit⁹ bruti respiciat existens & singulare, quia tamen non habet vt possit se applicare, cōsequenter nec habet vt possit cōsentire; quia, vt dictū est, cōsentire, dicit applicationem quæ fit in potestate applicantis.

ARTICVLVS III.

Vtrûm consensus sit de fine, an verò tantûm de his quæ sunt ad finem.

AD tertiū sic proceditur. Videtur q. consensus sit de fine, Quia propter quod vnūquodque, & illud magis: sed his quæ sunt ad finē, cōsentimus propter finē: ergo fini consentimus magis.

2. Præterea. Actio intemperati est finis eius, sicut & actio virtuosi, est finis eius: sed intemperatus non consentit in proprium actum: ergo consensus potest esse de fine.

3. Præterea. Appetitus eorum quæ sunt ad finem, est electio, vt ✻ *suprà dictum est: si igitur consensus esset solùm de his quæ sunt ad finem, in nullo ab electione differre videretur: quod patet esse falsum per* ✻ *Damasc. qui dicit, quòd post dispositionem, quam vocauerat sententiam, fit electio: non ergo consensus est solùm de his quæ sunt ad finem.* q. 13. ar. 3. *Lib. 2. Orthō. fidei. c. 22.*

Sed contra est quòd ✻ *Damascenus ibidē dicit, quòd sensus, siue sententia est, quando homo disponit, & amat quod ex consilio iudicatū est; sed consilium non est nisi de his quæ sunt ad finem: ergo nec consensus.* *Lib. 2. Orthod. fidei. c. 22.*

Respondeo, dicendum, quòd consensus nominat applicationem appetitiui motus ad aliquid præexistens in potestate applicantis, in ordine autē agibilium, primò quidem oportet sumere apprehensionē finis, deinde appetitū finis; deinde consiliū de his quæ sunt ad finem, deinde appetitum eorum quæ sunt ad finem. Appetitus autem in vltimum finem tendit naturaliter; vnde & applicatio motus appetitiui in finem apprehensum, non habet rationem consensus, sed simplicis voluntatis. De his autem quæ sunt post vltimum finem, in quantum sunt ad finem, sub consilio cadunt, & sic potest esse de his consensus, in quantum motus appetitiuus applicatur ad id quod ex con-

silio iudicatum est. Motus verò appetitiuus in finem, nõ applicatur consilio, sed magis consilium ipsi; quia consilium præsupponit appetitum finis; sed appetitus eorum quæ sunt ad finem, præsupponit determinationem consilij. Et ideô applicatio appetitiui motus ad determinationem consilij, propriè est consensus; vnde cùm consilium non sit nisi de his quæ sunt ad finem, consensus, propriè loquendo, non est nisi de his quæ sunt ad finem.

Ad primum ergo, dicendum, quôd sicut conclusiones scimus per principia, horum tamen non est scientia, sed quod maius est, scilicet intellectus; ita consentimus his quæ sunt ad finem, propter finem, cuius tamen non est consensus, sed quod maius est, scilicet voluntas.

Ad secundũ, dicendũ, quôd intẽperatus habet pro fine delectationem operis, propter quã consentit in opus, magis quàm ipsam operationem.

Ad tertiũ, dicendũ, quôd electio addit supra consensum quandã relationẽ respectu eius cui aliquid præeligitur, & ideô post consensum ad hoc remanet electio. Potest enim contingere, quôd per consilium inueniantur plura ducentia ad finẽ, quorum dum quodlibet placet, in quodlibet eorum consentit: sed ex multis quæ placent, præaccipimus vnũ eligendo: sed si inueniatur vnũ solùm, quòd placeat, non differunt re consensus & electio, sed ratione tantùm, vt cõsensus dicatur secundùm quod placet ad agendum, electio autem secundùm quod præfertur his quæ non placent.

Conclusio est, q propriè loquẽdo, cõsensus non est de fine, sed de his quę sunt ad finẽ. Ratio D. Tho. est, quia cõsentire, dicit applicationẽ in potestate applicatis; appetitio autẽ finis non est in potestate operãtis: ergo cõsensus nõ est de fine, sed de medijs, quę in potestate operãtis sunt. *Concl.*

Sed contra resolutionẽ articuli argumẽtor, quia appetitio finis est libera quo ad exercitiũ; vnde potest esse meritoria: ergo est in potestate operãtis, vt in illa possit esse consensus. Item, nam D. Thom. in corpore, & ad tertium, dicit, quôd cõsensus est ante electionẽ, per quam determinatur hoc mediũ in particulari, vnde cõsensus fertur ad media in communi: circa media autem in communi non est nisi intentio: ergo si consensus est circa media in communi, in intentione versatur. 1. *Arg.*

Secundo arguitur contra solutionem ad secundum, vbi ait, quôd intemperatus non consentit in delectationem finis, sed in operationem assumptam vt medium; hoc enim videtur falsum, quia intemperatus multoties non recordatur operationis, sed solius delectationis, & illam volendo peccat: ergo in volitione finis verè est consensus. 2. *arg.*

Tertio arguitur contra solutionem ad tertiũ, vbi ait, quôd electio tantùm addit supra consensum relationem. Hoc enim videtur falsum, quia electio esset in prædicamento Relationis, contra supradicta, vbi asseruimus, omnes actus interiores esse in prædicamento Qualitatis. Item sequeretur, quod consensus & electio non distinguantur specie; quia actus Voluntatis nõ distinguuntur specie, nisi per diuersam rationem boni, quod est obiectũ illius: relatio autem non addit nouam rationem boni; vnde si electio tantùm superaddit relationem, non habet ex quo specie distinguatur à consensu. 3. *Arg.*

Quartô arguitur, nam, vt ait D. Tho. cõsensus est per hoc quôd operãti placeant multa media; electio verò per hoc quôd placeat tantùm vnum: sed vnũ & multa non variant speciẽ: ergo nec consensus & electio specie distinguuntur. Confirmatur, nam in omnibus medijs est eadẽ bonitas secundùm speciem atomam: ergo actus circa media non possunt specie distingui; quia hęc distinctio ex obiectis per 4. *Arg.* *Confirm.*

per diuersam rationē boni deberet esse. Antecedens verò probatur, quia media sunt bona extrinsecè per eandē bonitatē finis; sicut omnes vrinæ eiusdē speciei sunt, quia omnes sunt sanę extrinsicè, ab eadem sanitate finali animalis.

3. Arg. Quintò arguitur cōtra id quod ait D. Tho. ꝙ cōsensus & electio distinguūtur realiter, quando sunt multa media quæ placent; quando verò solùm est vnū medium quod placeat, sunt idem realiter, & distinguuntur sola ratione: Hoc enim videtur falsum, quia quæ differunt specie, differunt numero: sed consensus & electio specie distinguuntur: ergo realiter idem esse non possunt. Maior patet, nam aliàs teneret consequentia per syllogismum expositoriū; verbi gratia, hic actus est consensus, & hic actus est electio, etiā formaliter loquendo: ergo consensus est electio, etiam formaliter loquendo.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum respondetur ex supradictis, quòd licèt intentio sit actus liber, non tamen in illo quis se mouet, quia non agit ex applicatione præcedentis actus; vnde consensus tantùm erit in electione in qua quis se mouet. Rursus autem dicimus, quòd inter actus Voluntatis hic est ordo; priùs enim est simplex volitio finis in se ipso: secundò est intentio finis in ordine ad media. Tertiò est consensus de medijs cognitis & signatis ad finem: quartò electio quæ determinatè est de medio in particulari quod magis placet; vnde consensus medius est inter electionem & intentionem; nec propterea quòd respiciat media in communi, est intentio, quia non respicit illa in fine, qualiter respiciuntur ab intentione, sed in se ipsis; nec propterea etiam est electio, quia non respicit determinatè medium in se, vnum præalio, vt respicit electio; sed respicit communiter media apta ad finem præfixum. Vel dici potest, differre consensum & electionem, sicut simplex volitio & intentio; vtraque est circa finem; sed simplex volitio non dicit efficatiam ad acquisitionem, sicut intentio; ita consensus est complacētia mediorum, sine efficatia tamen ad opus; electio autem est efficax determinatio mediorū vt iam per illa exequatur finis. Vnde male intulit Lorca disp. 19. quòd si consensus non dicat efficaciam & determinationem medij electi, sed tantùm complacentiam mediorum absolutè, quòd etiam cōsensus esset de fine, nam vt dictum est, complacentia de fine, secluſa efficacia ad opus, est simplex velle, & nō consensus; consensus autem est simplex complacentia mediorum ante efficacem determinationē alicuius in particulari; & sic distinguitur ab electione & intentione, & simplici volitione finis.

Refutatur Lorca.

Ad 2. arg. Ad secundū respondetur, quòd quādo delectatio consideratur vt finis, tantùm est de illa simplex volitio, vel intentio, & tunc circa illā peccatum esse non potest, sed tantū circa opus ordinatum ad talem delectationem: potest autem ipsa delectatio habere rationē medij in ordine ad bonum in communi: consensus ergo potest esse circa delectationem secundo modo sumptam, non autem primo modo.

Ad 3. arg. Ad tertiū argumentum respondetur, nō loqui D. Tho. de relatione prędicamētali, sed transcendentali: vnde distinctio est inter obiectum consensus & delectationis secundùm diuersam rationē bonitatis, quia relatio transcēdentalis quoddā bonū esse potest; quia est quid absolutū, licèt explicetur nomine relationis; vnde superaddere prædictā relationē, est superadere diuersam rationē boni, secūdū quā vn⁹ act⁹ ab alio specie distinguatur.

Ad 4. arg. Ad quartum argumentum respondetur, non tantùm esse differentiam penes vnum & multa, sed quia, vt diximus, medium respicitur determinatè & in particulari ab electione, communiter autem à consensu; vndè licèt appareat, quòd electio respicit vnum medium, consensus verò multa, in re tamen illud respicere determinatè vel communiter, diuersam rationem bonitatis importat, sufficientem ad distinctionem specificam actuum.

Ad confirm. Ad confirmationem respondetur, quòd ordine intentionis consensus magis accedit ad intentionem secundùm ordinem prædictum in primo argumento; ordine verò exequutionis magis accedit electio; vnde secundùm hoc diuersa est ratio bonitatis ad distinctionem specificam, quæ in diuersis vrinis reperiri non potest respectu sanitatis, quæ eadem & eodem modo cōparatur ad omnes vrinas.

Ad 5. argu. Ad vltimum argumentum respondetur, in substantijs habere verum, quòd quæ differunt specie, differunt numero & realiter; quia cùm substantia consistat in indiuisibili, vna & eadem ad diuersas species pertinere non potest,

& minus ad diuersa prædicamenta: in accidentibus autem licèt habeat verum quòd quæ differunt specie, differunt numero formaliter secundùm diuersam positionem prædicamenti sub diuersa specie; non tamen habet verum, quòd debeant differre numero realiter; idem enim calor ad diuersas species potest pertinere, vt idem calor ad speciem passibilis qualitatis, & ad speciem naturalis potentiæ; immò & idem realiter accidens pertinere potest ad diuersa prædicamenta; vt si albedo & similitudo realiter non distinguuntur, simul eadem realitas pertinet & ad prædicamentum qualitatis, & ad prædicamentum relationis; & hoc ideó, quia cùm accidens consistat in affectione subiecti: idem realiter diuersimodè potest afficere: esse autem substantiæ est in se & per se; in se autem diuersum esse habere non potest.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm cõsensus in actum pertineat ad superiorem partem animæ.

AD quartum sic proceditur. *Videtur, quòd consensus ad agendum, non semper pertineat ad superiorem rationem; delectatio enim consequitur operationem, & perficit eam, sicut decor iuuentutem; sicut dicitur in 10 Ethicorum. Sed consensus in delectationem pertinet ad inferiorem rationem, vt dicit Augustin. 12. de Trinitat. ergo consensus in actum non pertinet ad solam superiorem rationem.*

Cap.4.paulopost med. to.5.

Cap.12.to.3.

2. *Præterea. Actio in quam consentimus, dicitur esse voluntaria: sed multarum potentiarum est producere actiones voluntarias: ergo non sola superior ratio consentit in actum.*

3. *Præterea. Superior ratio intendit æternis inspiciendis, & consulendis, vt Aug. dicit in 12 de Trinit. sed multoties homo consentit in actum, non propter rationes æternas, sed propter aliquas rationes temporales, vel etiam propter aliquas animæ passiones: non ergo consentire in actum, pertinet ad solam superiorem rationem.*

Cap.7.in fine to.3.

Sed contra est quod Aug. dicit 12. de Trinit. Non potest peccatũ efficaciter perpetrandum mente decerni, nisi illamentis intẽtio, tenes quã Summa potestas est, membra in opus mouendi, vel ab opere cohibẽdi, malæ actioni cedat & seruiat.

Cap.12.circa medium. to.3.

Respondeo, dicendum, quòd finalis sententia semper pertinet ad eum qui superior est, ad quem pertinet de alijs judicare; quandiu enim iudicandum restat quod proponitur, nondum datur finalis sententia. Manifestum est autem, quôd superior Ratio est quæ habet de omnibus iudicare, quia de sensibilibus per Rationẽ iudicamus: de his verò quæ ad rationes humanas pertinent, iudicamus Secundùm rationes diuinas, quæ pertinent ad Rationem superiorem; & ideô quandiu incertum est, an secundùm rationes diuinas resistatur, vel non, nullum iudicium Rationis habet rationem finalis sententiæ. Finalis autem sententia de agendis est consensus in actum: & ideò consensus in actum, pertinet ad Rationem superiorem, secundùm tamen quòd in Ratione Voluntas includitur, sicut supradictum.

Ar.1.ad.1.

Ad

Ad primum ergo, dicendū, quòd consensus in delectationē operis pertinet ad superiorem Rationem, sicut & consensus in opus: sed consensus in delectationem cogitationis pertinet ad Rationem inferiorem, sicut ad ipsam pertinet cogitare: & tamē de hoc ipso quod est cogitare, vel non cogitare, in quantum cōsideratur vt actio quædam, habet iudicium superior Ratio, & similiter delectatione cōsequēte: sed in quantum accipitur vt ad actionem aliam ordinatum, sic pertinet ad inferiorem Rationem: quod enim ad aliud ordinatur, ad inferiorem artem, vel potentiam pertinet, quàm finis ad quem ordinatur: vnde ars quæ est de fine, architectonica, seu principalis vocatur.

Ad secundum, dicendum, quòd quia actiones dicuntur voluntariæ, ex hoc quòd eis consentimus, nō oportet quòd consensus sit cuiuslibet potentiæ, sed Voluntatis à qua dicitur voluntarium, quæ est in Ratione, sicut ✻ *dictum est.* q.6.art.1.

Ad tertium, dicendum, quòd Ratio superior dicitur consentire non solùm quia secundum rationes æternas semper moueat ad agendum, sed etiā quia secundùm rationes æternas nō dissentit.

1.Concl. Prima conclusio. Cōsensus in actum, pertinet ad Rationem superiorem, vt Ratio Voluntatem includit.

2.Concl. Secuda conclusio. Consensus indelectationem operis pertinet ad Rationem superiorem, sicut consensus ipsius operis: consensus verò in delectationem cogitationis pertinet ad Rationē inferiorem, sicut & consensus ipsius cogitationis.

3.Concl. Tertia conclusio. Omnia prædicta, vt ordinantur ad opus, pertinet ad Rationem superiorem.

Quarta concusio. Ratio superior dicitur consentire, non solùm quia monet secundùm rationes æternas, sed etiam quia secundùm illas non dissentit. 4. Concl.

DVBIVM I.

Vtrùm dicta in hoc articulo verum habeant.

PRobatur quòd non. Primó, nā quādo aliquis deliberatè cōsentit indelectationē cogitationis quæ est peccatū mortale, tūc peccat mortaliter; sed peccatum mortale tantùm est in ratione superiori: ergo male dicit D. Tho. ad primum, quòd consensus indelectationē cognitionis pertinet ad Rationē inferiorē. Maior patet, quia delectari de peccato mortali, mortale est. Minor verò supponatur ex dicendis infrà q.74. Nec valet solutio, tūc esse peccatū mortale, quia non solùm est consensus in delectationem cogitationis, sed etiam in ipsum opus cogitatum. Non (inquam) valet, quia supponimus in argumento, quòd taliter delectetur de cogitatione (verbi gratia) fornicationis, quòd habeat firmum propositū non perpetrā di ipsum opus cogitatum. 1. Argu. Solut. Impugn.

Secundò arguitur contra illud quod ait D. Tho. peccatū mortale esse in Ratione superiori, non vt procedit secūdùm regulas eternas, sed potiùs vt non procedit secundùm illas, quando tenebatur procedere, & ad illas attēdere. Contra argumētor, quia sequeretur, omne peccatū mortale esse omissionis: consequens est falsum: ergo. Sequella patet, quia non moueri secundùm regulas æternas, cùm tenebatur, non importat aliquem actum positiuum quem exposcit peccatum cōmissionis, sed potius importat non actū, in quo consistit peccatum omissionis. 2. Arg.

Tertiò arguitur etiam contra solutionem ad primum, quia ex illa sequitur, quòd si aliquis delectetur in cogitatione virginis, vel consecratæ Deo, cum intentione tamen non fornicandi exteriùs, illud peccatum non habeat circunstantiam stupri, vel sacrilegij: consequēs est falsum: ergo. Sequella probatur, quia in casu posito ille homo sistit in cogitatione illa, & secundùm doctrinā D. Tho. ex cogitatione sumitur malitia, & non ex opere externo: ergo non habet circunstantiam stupri, vel sacrilegij, quæ 3. Argu.

tantùm attenditur ex persona ipsa externa, virgine, vel consecrata.

Concl. Resolutio tamẽ D.Thom. in articulo est vera & tenẽda, & modus loquendi illius est communis inter omnes Doctores in 2.dist.24. Videatur etiam D. Tho. 1. p.q.79.ar.9. D.Augustin. 12. de Trinit.c. 12.vbi dicit, quòd sicut in peccato primorum parentũ fuerunt tria, videlicet Vir, Mulier, & Serpens; ita inquocunq; peccato nostro sunt tria, videlicet Ratio superior habens locum Viri, & ratio inferior habens locum Fœminæ, & sensualitas habens locum Serpentis.

D.Thom. D.Aug.

Not.1. Pro intelligẽtia tamen notandũ, quòd Ratio superior & inferior non sunt duæ & distinctæ potẽtiæ, sed eadẽ secdùm diuersam rationẽ; sicut eadẽ potentia est Intellect⁹ qui assentitur principijs, & Ratio quæ assentitur conclusionibus, licét in eadem potentia sit diuersa ratio ad vtrũque. Ita hic eadem potentia dicitur Ratio superior, secundùm quòd procedit per causas superiores æternas & diuinas; dicitur verò Ratio inferior, secundùm quòd procedit per causas inferiores & humanas & temporales, vt nobis conuenientes, non attendendo quòd sint, vel non sint secundùm leges æternas & diuinas. Potest autem contingere, vt idem sit secundùm regulam vtriusque Rationis; quia conforme potest esse & regulis humanis, & simul æternis; & potest contingere quòd sit tantùm secundùm Rationem inferiorem, & quod opponatur & contrarietur Rationi superiori & regulis æternis. Itaque esse secundùm Rationem inferiorem, nec arguit conformitatem, nec contrarietatem ad Rationem superiorẽ; quia, vt dictum est, vtroq; modo se potest habere. Et idẽ dicẽdũ est de sensualitate respectu ratiõis inferioris; quod enim sit ex sensualitate, nec ex propria ratione habet esse cõforme, vel cõtrariũ Rationi inferiori; sed aliquando erit secũdũ Rationẽ inferiorẽ; aliquãdo verò contrariabitur illi; vtiq; quia ratio inferior nec determinatè tẽdit ad bonũ, nec determinatè ad malum, sed est indifferens ad vtrumque; quia, vt diximus, leges humanæ & inferiores, quibus Ratio inferior regulatur, aliquando conformantur ætternis, aliquando verò illis contrariantur. Sensualitas ergo licèt semper tendat ad malũ, potest concordare cũ Ratione inferiori respiciente regulas inferiores contrarias æternis & diuinis: discordabit autem Sensualitas à Ratione inferiori, quãdo Ratio inferior processerit secundùm regulas inferiores cõformes legibus ætternis & diuinis.

Rursus notandum, quòd cogitatio potest dupliciter considerari. Primò, vt ordinabilis ad obiectum exterius, & prout habet rationem medij ad patrationẽ operis exterioris. Secundo, vt ipsa cogitatio habet rationẽ finis, & vt sistitur in illa, ita vt non attingatur ordinabiliter ad opus exterius. Dixi; Vt ordinabilis, vel non ordinabilis; quia nihil ad rẽ quòd de facto ordinetur vel non ordinetur, si ipsa cogitatio attingitur vt ordinabilis; tunc enim si operans firmiter statuat non perpetrare opus externũ, consentit in cogitationem vt ordinabilẽ ad opus externũ, non solùm dicendùm est delectari de cogitatione, sed etiam de ipso opere externo. Et licèt prædicta distinctio locum habeat in alijs materijs, vt in homicidio, vel lusu armorũ, &c, in materia tamẽ venerea, & alijs huiusmodi, moraliter loquendo, nõ est admittẽda eiusmodi distinctio, sed semper quòd quis delectatur de cogitatione, iudicandum est delectari etiam de opere, & tendere in cogitationem vt ordinabilem ad opus, & nõ sistere in illa vt in fine. *Not.2.*

Ad primum argumentũ à principio respõdetur ex modò dictis, quòd si consentiat in delectationem cognitionis per modũ finis, non stante ordinabilitate ad opus, tunc pertinet ad Rationẽ inferiorẽ, & nõ est mortale: quãdo autẽ attingit talẽ delectationẽ vt ordinabilẽ ad op⁹, etiã si statuat nõ perpetrare opus, tunc peccat mortaliter, & non solùm pertinet ille cõsensus ad rationem inferiorem, sed etiam ad superiorem non dissentientem nec cohibentem Rationẽ inferiorem, quam per regulas æternas tenebatur cohibere. *Ad 1. arg.* *Ad 2. arg.*

Ad secundum argumentum respondetur, quòd vt sit peccatum commissionis, non requiritur actus ex parte Rationis superioris, sed sufficit actus ex parte rationis interioris, non cohibente ratione superiori per regulas æternas; quia ille actus rationis inferioris non cohibitus à superiori cùm tenebatur cohibere, imputatur superiori, & habetur vt actus eius; eo vel maximè, quòd cùm Ratio superior aduertit, & tenetur cohibere Rationem inferiorem, & non cohibet, habet

habet actum virtualem, per quem nō solùm omissiuè, sed comissiuè peccat. Nec valet etiam impugnatio, quòd tunc peccatū mortale propriùs & formaliùs erit in ratione inferiori, quàm in superiori; contra D. Thomam; quia si est in superiori, quatenus actus positiuus inferioris tribuitur superiori, non cohibēti; per prius & formaliùs erit in inferiori, à quo participat superior. Non (inquam) hoc valet, quia licèt loquendo de entitate actus, per prius pertineat ad inferiorem in qua est, & aqua Rationi superiori tribuitur; loquendo tamen de formalitate, & de deformitate actus, & mortalitate illius, per prius & formaliùs est in Ratione superiori; quia ex non prohibitione & non regulatione Rationis superioris, habet esse illum actum peccatū mortale, vnde mortalitas originatur à superiori; & communicatur inferiori; licet entitas actus è conuerso.

Ad. 3. arg. Dub. Ad tertium Respōdetur, mouere magnam difficultatem, in qua quidam moderni tenēt, quòd quando quis etiam morosè delectatur de cogitatione venerea, siue sit circa coniugatam, siue circa virginem &c. Non habet circunstantiam vel speciē adulterij, vel stupri sed tantùm simplicis fornicationis, vnde non tenetur confiteri talem circunstantiam, si propositum non habuit exteriùs committendi tale peccatum.

1. arg. Hec sententia probatur primò in tali casu omnes cogitationes sunt eiusdem speciei: ergo nulla habet ampliorem malitiam, quàm simplicis fornicationis. Antecedens probatur, nam si aliqua esset distinctio, maximè ex obiectis extrinsecis; sed inde non: ergo. Probatur ista minor, quia, vt supponimus, non intendit patrare obiectum exterius, sed tantùm sistitur in ipsa cogitatione: ergo talia obiecta extrinseca impertinenter se habent ad tales cogitationes de quibus delectatur. *Confirm.* Confirmatur, nam qui delectatur de tali cogitatione, non intendit iniustitiam stupri, vel adulterij, sed solum delectationem cogitationis: ergo non induit malitiam homicidij.

2. Arg. Secundò probatur. Qui delectatur de cogitatione circa consanguineam in gradu tantum prohibito ab Ecclesia, sine intentione patrandi exterius delictū, & nō quia consanguinea est, sed quia mulier, non committit incestum: ergo similiter in alijs casibus, cùm eadem ratio reperiatur, non intendens opus, nec cogitet de illa quia nupta vel virgo, sed quia mulier sibi incogitatione complacens. Antecedens verò videtur verum in sententia probabili aliquorum, tenentium quòd qui delectatur de cogitatione rei prohibitæ tantùm iure positiuo, cum animo non patrandi opus, non peccat mortaliter, nisi delectetur de tali re quia prohibita.

Nihilominus tamen sententia prædicta est plusquàm falsa; immò errori proxima, sufficit enim, scire talem mulierē de qua cogitat, esse coiugatam, vt deliberata cogitatio circa illam, etiā animo nō accedendi ad eā, habeat malitiam adulterij probatur. Matth. 5. Quiuiderit mulie rē ad concupiscendū eam, iam mœchatus est in corde suo. Oseæ 9. facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt. Et ratione probatur. Talis cogitans non tantùm sistit incogitatione, sed vère attingit obiectum ad extra: ergo verè habet malitiam illius obiecti: Antecedens probatur, quia vt tantùm sisteret in cogitatione, deberet versari circa illam speculatiuè, non autem practicè: sed in casu præsuppositio practicè attingit illam: ergo attingit illam in ordine ad obiectum perpetrabile. Ista minor probatur, quia si non attingeret illam practicè, nec etiam talis cogitatio esset peccatum mortale; sicut nec delectatio de cogitatione digladiationis speculatiuæ, si ergo semel supponunt contrarij esse malitiam mortalem in tali delectatione, praticè attingitur talis cogitatio, & consequenter in ordine ad opus etiam si proponat non facere illud; at queadeò participat illam malitiam operis, quia vt latè monstrat D. Thom. q. 18. tota malitia actus exterioris est in actu interiori. Secundo probatur. Si non induceret malitiam adulterij, maximè quia non respicit illam fœminam vt coniugatam, sed vt fœminam; sed hęc ratio est nulla: ergo. Probatur minor, quia vt sit adulterium, non requiritur vt sit circa coniugatam, quia coniugata; hoc enim tantùm facit ad grauissimum adulterium, sed tātùm requiritur vt sciat & videat illam esse coniugatam; aliàs enim, regulariter loquendo, nullum adulterium committeretur; quia regulariter nulla fœmina appetitur quia coniugata, sed quia formosa, vel sibi complacens: ergo etiam

Math. 5. Oseæ 9.

si non fiant reflexiones, verè in tali cogitatione erit malitia adulterij. Tertio probatur, quia ex opposita sententia sequitur, quòd tale peccatum nec habeat malitiam simplicis fornicationis; quod est erroneum: ergo. Sequella probatur, quia sicut in casu nuptæ ex eo dicunt non habere malitiam adulterij, quia non dilectatur quia nupta est, sed quia pulchra, ita quando accedit absolutam nō propriam, non accedit ad illā, nec delectatur de illa quia non propria, sed quia mulier, & quia formosa: ergo sicut in primo casu non induit malitiam adulterij, ita nec in secundo malitiam fornicationis.

Not. Et pro intelligentia notandum ex D. Tho. 2.2. quæst. 154. art. 1. quòd simplex fornicatio non est genus, sed quædam species in genere fornicationis condistincta ab adulterio, stupro, incestu, &c. species (in quam) constituta per suam vltimam differentiam, videlicet quod mulier sit omnino soluta, & etiam vir; & sic ex hoc planè constabit probatio nostræ conclusionis; si enim, vt sit simplex fornicatio, sufficit vt videat illam esse solutam, licèt non delectetur quia soluta: quare non erit idem de adulterio, si quidem ita species constitutiua in vna, est mulierem esse solutam, sicut in alia, esse coniugatam. Superaddit autem D. Tho. eodem loco, quòd in genere fornicationis est quædam ratio iniustitiæ, quæ intrinsecè clauditur in omnibus speciebus fornicationis, licèt magis appareat in raptu vel adulterio, vbi expressè fit iniustitia viro contra commutatiuā, non minus si alia ratione ab illo res familiaris auferatur: qua propter obligationem restitutionis inducit, licèt alias communiter excusetur; quia non apparet per quod talis iniustitia compensetur: vt etiam contingit in eo qui abscindit brachium peccat enim contra commutatiuam inducentem restitutionem, licèt aliàs ab illa excusetur, quia per nihil talis abscisio potest compensari, licèt teneatur ad damna subsequuta. Si autem quæras, vtrùm consentiente viro commitatur talis iniustitia, & obligatio restituendi, & talis actus habeat malitiam adulterij.

Obiectio.

Solutio. Respondetur, quòd in adultero duplex ratio iniustitiæ reperitur, Prima ex propria ratione specifica, intra genus fornicationis, ratione damni prolis generandæ; quod magis reperitur in accessu ad coniugatam, quæ minùs poterit procreare prolem ex adulterio; & quia etiam fit iniuria ipsi statui matrimonij. Secunda iniustitia est particularis contra virum, qui Dominus est corporis vxoris. Prima quidem est iniustitia: argē sumpta intrinsecè pertinens ad genus fornicationis; quapropter siue consentiat, siue non consentiat vir, hanc malitiam specificam intrisecam adulterij habet talis actus. Secunda autem iniustitia est proprie iniustitia, & accidit generi fornicationis, & sic actus sine illa potest reperiri; & sic contingit quando consentit; vir potest enim cedere iuri suo, & non potest esse iniustitia in ablatione rei volente Domino: iuri autem & decentiæ matrimonij status vir cedere non potest, nec huius est Dominus; vnde nihil ad rem quòd ipse consentiat.

Ad primum argumentum Respondetur, quòd talis homo licèt fiſtat incogitatione quantum ad actualem ordinationem; virtualiter tamen transit ad obiectum, quia, vt dictum est, tendit in illam cogitationem practicè, maximè in materia venerea, licèt in alijs posset admitti quod ocioſè versaretur circa cogitationem, non transeundo ad obiectum. Et si contra arguas, quia per expressam volitionem non perpetrandi opus tollitur volitio virtualis: ergo ista non manet: Respondetur, quod hoc foret, si expressa & formalis esset omnino contraria; sed talis non est, si quidem non excludit velle delectari practicè de cogitatione, quod est virtualiter velle obiectum; vnde verificatur quod communiter dicitur de peccatore, quod velit quodam modo contradictoria; qui enim furatur, dicit expræsè se nolle facere iniuriam alteri; sed subuenire propriæ necessitati; in re tamen volendo auferre alienum, vult facere iniuriam.

Ad 1. arg. *Obiect.* *Solutio.*

Ad secundum argumentum. Respondetur, quod in illo casu non solum est delectatio cogitationis de re prohibita iure positiuo, sed etiam iure naturali; præceptum enim naturale est non contrahere cum consaguinea, licèt iure positiuo determinetur gradus consaguinitatis: licèt enim matrimoniū quātū ad substantiam sit iuris naturæ, explicatio tamē, vel appositio conditionum pertinet ad ius

2. Argu.

ad ius positiuum; cùm sit contractus ciuilis, antea quidem ad rem publicam sæcularem, postquam autem eleuatus est talis contractus ad esse Sacramentum, pertinet huiusmodi determinatio ad Ecclesiasticam potestatem. Et si contra arguas, idem contigere in alijs præceptis iuris positiui; quia etiam ius naturale dictat, leges positiuas, & ius positium esse seruãdum: Respondetur, quòd circa alia ius naturale dictat in communi de obedientia Principum & legislatorum; non autem in particulari de hac vel illa materia: Vnde obedientia legis posſitiuę in hac vel illa materia tota pertinet ad legem iuris positiui; in nostro autem casu non solum in communi, sed etiam in particulari dictat ius naturale non contrahere cum consanguinea, licèt cõditiones iure positiuo apponantur; vnde talis transgressio est etiam contra ius naturale prohibens in particulari talem contractum. Secundô Respondetur ad argumentum, Transeat antecedens, & nego consequentiam, estque differentia, quòd quando circunstantia est intrinseca obiecto, & accidentalis operi externo, non attingitur à delectatione cogitationis, nisi expresse sit intenta. Primum ergo contingit in prohibitis iure naturæ, & in casu nostri dubij. Secũdum autem contingit in prohibitis iure positiuo, & in casu argumenti.

Obiectio.

Solutio. 1.

Solut. 2.

QVÆSTIO XVI.

De vsu.

ARTICVLVS I.

Vtrũ vsus sit actus voluntatis.

1. dist. 1. q. 2 art. 2.

IC ad primum proceditur. Videtur quòd vti, nõ sit actus Voluntatis dicit enim Augustinus * in 1. de Doctrina Christ. quod vti, est id quod in vsum venit ad aliud obtinendum, referre: sed referre aliquid ad aliud, est rationis, cuius est conferre, & ordinare: ergo vti, est actus rationis: non ergo voluntatis.

* Cap. 4. & lib. 10. de Iri. cap. 10. Paulo apri. to. 3. lib. 2. ortho fidei cap. 22.

Idem Aug. 19. de ciuit. cap. 4.

2 Præterea Damascen. * dicit, q. homo impetũ facit ad operationẽ & dicitur impetus: deinde vtitur & dicitur vsus: sed operatio pertinet ad potentiam exequutiuam: actus autẽ Voluntatis nõ sequitur actũ exequutiuæ potẽtiæ, sed exequutio est vltimum: ergo vsus non est actus Voluntatis.

* Damas. lib. 2. cap. 22.

3. Præterea Aug. dicit in lib 83. * quod omnia quæ facta sunt in vsum hominis facta sunt, quia omnibus vtitur Ratio, iudicando ea quæ hominibus data sunt: sed iudicare de rebus à Deo creatis pertinet ad rationem speculatiuam, quæ omnino separata videtur á Voluntate, quæ est principium humanorum actuum: ergo vti non est actus Voluntatis.

* Quæst. 7. in fin. tomo 4

Sed contra est quod Aug. dicit. 10. de Tri. * Vti est assumere aliquid in facultatem Voluntatis.

Cap. 11. antemed. to. 3.

Respondeo, dicendum, quòd vsus rei alicuius importat applicationẽ rei illius ad aliquam operationem: vnde & operatio ad quam applicamus rem aliquã, dicitur vsus eius: sicut equitare est vsus equi, & percutere est vsus baculi. Ad operationem autem applicamus & principia interiora agendi, scilicet ipsas potentias animæ, vel membra corporis, vt intellectũm ad intelligendum, & oculum ad videndũ & res exteriores, sicut vaculũ, ad pertutiendũ: sed manifestũ est quòd res exteriores non aplicamus ad aliquã operationem nisi per principia intrinseca, quæ sunt potentiæ animæ, aut habitus potentiarum, aut organa, quæ sunt corporis membra. Ostensum est autem * supra, quod Voluntas est

* Quæstio. 9. art 1.

quæ

quæ mouet potentias animæ ad suos actus, & hoc est applicare eas ad operationem: vnde manifestũ est quòd vti, primo & principaliter est voluntatis, tanquàm primi mouentis; Rationis autem tamquàm dirigentis; sed aliarum potentiarum tanquàm exequentium, quæ comparãtur ad Voluntatem, àqua applicantur ad agendum, sicut instrumenta ad principale agens. Actio autem proprie non attribuitur instrumento sed principali agenti: sicut ædificatio ædificatori, non autem instrumentis: vnde manifestum est, quod vti propriè est actus voluntatis.

D. 1210. *Ad primum ergo, dicendum quòd Ratio quidem in aliud refert: sed Voluntas tendit in id quod est in aliud relatum per rationem; & secundum hoc dicitur, quòd vti, est referre aliquid in alterum.*

Ad secundum, dicendum, quòd Damascenus loquitur de vsu secundum, quod pertinet ad exequutiuas potentias.

Ad tertium, dicendum, quòd etiã ipsa Ratio speculatiua applicatur ad opus intelligendi, vel iudicandi à Voluntate, & ideò intellectus speculatiuus vt dicitur tãquã à Volũtate motus, sicut aliæ exequutiuæ potentiæ.

1. Concl. Prima Conclusio, Vsus primò & principaliter est actus Voluntatis tanquàm primo mouentis; Rationis verò tanquã dirigentis: aliarum verò potentiarum vt exequentium.

2. Concl. Secunda Conclusio. Vsus propriè tantum est actus Voluntatis.

D. Aug. Pro intelligentia præsupponendum, quòd D. Aug. lib. 83. quæstionum, q. 30. Sicut fruitionem vocat voluptatem desine, ita vsum vocat amorem mediorum in ordine ad finem; eodem modo loquitur primo de doctrina Christiana, cap. 3. & 4. Rursus 10. de Trinit. cap. 11. extendit vsum, vt comprehendat etiam fruitionẽ; qua propter, vt constat ex ipso 11. de ciuitate c. 25. vsus sumitur dupliciter Primò, largè. Secundò strictè; largè quidem confunditur etiam cum fruitione; strictè autem distinguitur ab illa modo prædicto in prioribus locis, quod fruitio est circa finem, vsus autem circa media; & in ista vltima acceptione loquitur de vsu Magister in 1. d. 1. & ibi omnes Scholastici: Scotus q. 1. Bonauentura 2. p. distinct. 15. art. 1. q. 1. Durandus q. 3. Greg. q. 1. Gabrielus q. 1. sed tamen Damascenus lib. 2. de fide. c. 22. aliter sumit vsum pro quodam peculiari actu Voluntatis applicantis alias potentias ad operandum, & in hac acceptione loquitur D. Tho. hic, & discipuli eius cum illo.

Magist. sent. *Scot.* *D. Bonauẽ.* *Gabriel.* *Greg.* *D. Damas.*

Tamen contra resolutionem huius articuli argumentor primò. Si propter aliquam rationem vsus esset actus Voluntatis, maximè, per rationem D. Thomæ quia vsus est applicatio potentiæ ad operandum. Voluntas autem est quæ applicat & mouet alias potẽtias ad suas operationes: sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor, quia multæ sunt operationes, in quibus aliæ potentiæ non mouentur à Voluntate; cùm tamen in eis sit vsus.

1. Ad arg.

Secundo arguitur; nam D. Tho. concedit, quòd vsus est Voluntatis vt mouentis; intellectus verò vt dirigentis: ergo formaliùs pertinet ad intellectum. Patet consequentia, quia principalius est dirigere, quàm mouere. Et hac ratione infra quæstione sequenti dicetur, imperium principalius pertinere ad intellectum, quia pertinet ad ipsum vt dirigentem, licèt ad Voluntatem vt mouentem. Confirmatur ex solutione ad primũ, vbi ait, quòd Intellectus refert vnũ ad alterum, Voluntas autem tendit in id quod relatum est: potiùs ergo colligitur oppositũ contra D. Tho. quòd vsus pertineat ad Intellectum, quia, excellentius est referre, quã tẽdere in relationẽ; & ut plurimũ solũ colligitur pertinere ad Voluntatẽ materialiter, formaliter autẽ ad Intellectũ ratione talis relationis, vt suprà diximus de electione.

2. Ad arg. Confirm.

Tertiò arguitur, nam si etiam haberet verum resolutio articuli, esset propter

3. Argum.

ter aliam rationem quam D. Tho. assignat, quòd aliæ potentiæ comparantur ad Voluntatem vt instrumeta ad causam principalem; vnde actio & vsus illarum in Voluntate debet esse: sed hęc ratio supponit falsum: ergò. Probatur minor, quia aliæ potentiæ non vt instrumenta, sed vt causæ principales, eliciunt suas operationes, & aliàs omnes actus illarum tribuerentur Voluntati, & non ipsis potentijs operantibus.

4. Arg. Quartò arguitur, nan etiam D. Tho. ad tertium, supponit falsum, quôd Volũtas mouet etiam Intellectum ad operationes speculatiuas: ergo. Probatur antecedens, quia Intellectus speculatiuus est prior Voluntate, & in prima intellectione à Voluntate independens. Secundò, quia aliás omnis actus Intellectus esset practicus, si omnis dicit dependentiam à Voluntate libera, Et tertiò, quia etiam Intellectus diceretur instrumentum Volũtatis, vt aliæ potentiæ; quod vtique esset contra excellentiam eius.

5. arg. Quintò arguitur. Vsus nihil aliud est, quàm ipsum operari aliquam potentiam vt vsus Intellectus est intelligere, & vsus potentiæ visiuæ, videre, &c. Ergo vsus non erit specialis actus Voluntatis, sed

Confirm. diuagans per omnes potentias, identificatus cum operationibus illarum. Confirmatur, quia in Voluntate non ponitur vsus distinctus ab actu volitionis quo aliquid vult: ergo similiter in alijs potentijs non est necessarium ponere vsum distinctum actum ab actibus particula-

1. Senten. bus talium potentiarum.

Sot. Propter argumenta posita Soto dicebat, quòd vsus est ipse actus elicitus ab alia potentia mota à Voluntate, licet per

Vazquez. talem actum dicatur Voluntas vti tali potentia: quem etiam sequitur Vazquez dicens, vsum esse ipsum actum potentiæ exterioris motæ à Voluntate; & hanc reputat sententiam D. Thomæ ex verbis in principio articuli, vbi ait: Vnde operatio, ad quam applicamus rem aliquam, dicitur vsus eius; sicut equitare, est vsus equi: Et rursus subdit: Vnde manifestum est, quòd vti, est primò & principaliter Voluntatis, tanquàm primò mouentis, Rationis tanquàm dirigentis; sed aliarũ potentiarum tanquàm exequentium: in quibus verbis videtur, quôd licet quantum ad directionem & motionem vsus pertineat ad Intellectum & Voluntatẽ; tamen quantum ad elicientiam & entitatẽ, actus pertineat ad alias potẽtias motas hoc enim significet illud verbũ, q̃ pertineat ad alias potentias, tanquam ad exequentes. Cum Vazquez etiam tenet Salas hic, tract. 6. d. sp. 1. sect. 7. Opposita tamen sententia est certa D. Thomæ vt patet ex titulo quæstionis, qui est de vsu, qui est actus Voluntatis; & manifestè in conclusionibus, præcipuè in secunda, vbi ait Manifestum est, quòd vsus, propriè loquendo, sit actus Voluntatis. Et idem repetit in argumento Sed contra & solutionibus argumentorum. Et hac ratione negat vsum in brutis articulo sequenti, & hæc est vniuersalis intelligẽtia omniũ Thomistarum. Sic Conradus & Medina hic, Capreolus in primo dist. 1. q. 2. art. 1. conclusione 1. immò extra scholam D. Thomæ, habetur vt certa. Illam tenet D. Bonauentura in 1. dist. 1. art. 1. q. 1. Richar. art. 1. q. 1. Gabriel q. 1. art. 1. Marsilius in 1. q. 4. art. 1. Greg. dist. 1. q. 1. art. 1. Durand, q. 1. vbi optimè explicat hanc sententiam; per hoc enim quod Voluntas mouet & applicat efficienter alias potentias ad operandum, vtitur illis, & talis applicatio est vsus.

Salas. *2. Senten.* *vera.* *D. Tho.* *Conradus.* *Medi.* *Capreol.* *D. Bonauẽ.* *Richard.* *Gabriel.* *Marsil.* *Grego.* *Not. Durã* *dus.*

Notandum tamen, quòd vsus sumitur dupliciter. Primò actiuè; secundò passiuè. Hoc secundo modo est in alijs potentijs motis, & non distinguitur realiter ab ipso actu alterius potentiæ, ad quem applicatur, & mouetur, licèt formaliter ab illo distinguatur; alia enim ratione (verbi gratia) est visio, & alia ratione est vsus; nam primum habet in ordine ad colorem, secundùm autem in ordine ad Voluntatem cui subijcitur talis operatio. Primo autem modo vsus est in Voluntate, tanquàm in applicante efficienter alias potentias. Et si contra arguas cum Vazquez, quia in appetitu bruti mouente potentiam motiuam localem, non est aliquis actus qui sit vsus sed tantùm actus appetitionis ambulandi, & ad hoc sequitur ambulatio: ergo similiter in Voluntate sufficit velle videre, & statim in oculo fit visio, & sic superfluè ponitur aliquis specialis actus qui sit vsus in Voluntatè. Respondetur, esse differentiam, quòd appetitus bruti operatur necessario, & ideo statim sequitur motio alterius potentię, & consequẽter nõ est necesse vt mediet vsus: Volũtas verò operatur liberè, & sic non statim se

Obiectio. *Solut.*

quitur

quitur actus in alia potentia, nisi interueniat vsus & applicatio ad operationem.

Obiectio. Et si rursus arguat Vaquez, quia licèt Voluntas non operetur necessariò, absolutè tamen insensu composito electionis necessariò sequitur motio alterius potentiæ: ergo posita electione, non est necessariò vsus: Respondetur, argumentũ valere, quando est consequutio simpliciter necessaria, & ex natura rei, vt contingit in bruto: quãdo autem tantùm est necessitas insensu composito, minimè valet; quia cùm simpliciter & absolutè sit consequutio contingens, absolutè potest impedire, & sic debet madiare vsus ad applicationem alterius potentiæ; & esse cõsequutionem necessariam insensu composito, non est per hoc, quòd vltimum sequatur ad primum, sed quia posito primo, nempe electione, ponitur etiam medium, videlicet vsus, & consequenter vltimum, scilet operatio potẽtiæ applicata.

Ad. 1. arg. Ad primum arguitur, â principio Respondetur, non esse vsum nisi quando aliæ potentię operantur libere ex aplicatione Voluntatis.

Ad 2. arg. Ad secundum Respondetur, quòd vsus non est perfectissimus actus, vt sic debeat pertinere ad Intellectũ; vnde licèt quod prẽcedit ex parte Intellectus, sit actus perfectior; non tamẽ ille est vsus, sed quem assignauimus in Voluntate: imperium autem quia assignatur excellentissimus actus animæ, assignatur vt actus Intellectus, qui excelẽtissima potentia est: vsus autem non assignatur nisi ex parte causæ efficientis, ad quam pertinet applicare, & vti. Primum autem efficiens & applicans, vt dictum est, est Volũtas. Verum est, quòd, vt probat argumentũ etiã vsus importat aliquid ex parte Intellectus, sed non consistit in illo; & alia est ratio de electione, quã diximus formaliter pertinere ad intellectũ, quia cũ electio dicat acceptationẽ vnius præ alio, formaliter importat cõparationem pertinentem ad Intellectũ; vsus verò tatũ dicit motũ applicationis in ordine adfinẽ per media & ꝙ ex parte Intellect⁹ solũ supponitur generaliter, vt adquẽcũque actũ Volũtatis.

Ad. 3. arg. Ad tertium Respondetur, loqui largè. D. Tho. appellando alias potentias instrumẽta Volũtatis, quia mouẽtur ab illa sicut & causæ particulares hac ratione solent appellari instrumenta Dei; & inde non sequitur, quòd operationes illarum potentiarum sint attibuendæ soli Voluntati, & non alijs potentijs.

Ad 4. arg. Ad quartum argumẽtũ, Respondetur, quòd illa propositio D. Thomæ non est vniuersalis, vt enim probat argumentũ, multi sunt actus Intellectus speculatiui, independentes à Voluntate: tantũ autẽ intendit, quòd Voluntas non solũ applicat, & vtitur intellectu practico, sed etiã speculatiuo, & non quia talis actus sit ex vsu Voluntatis, ideo desinit esse speculatiuus quantũ ad specificationẽ, licèt quãtũ ad exercitũ sit practicus, & possit esse meritorius vel demeritorius, nec inconuenit esse speculatiuũ quo ad specificationẽ, & praticũ, quoad exercitiũ quia cũ exercitiũ accidat specificationi, bene potest ex accidẽti esse practicũ, quod secũdũ speciẽ erat speculatiuũ. Ad vltimã probationem, dicitur, quòd licèt Voluntas vtatur Intellectu non tamen dicitur Intellectus instrumẽtũ Voluntatis, vt dicũtur aliæ potẽtiæ; quia licèt in genere causæ efficiẽtis moueatur à Volũtate, in alio tamẽ genere meliori mouet Volũtatẽ, & simpliciter est melior & perfectior illa.

Ad 5. arg. Ad quintum argumentum Respondetur, quòd vsus passiuus alicuius potẽtiæ non est aliud quàm operatio eius: vsus autẽ actiuus, vt diximus, actus est Volũtatis, quo applicat alias potẽtias ad suas operationes.

Ad confirm. Ad confirmationẽ Repõdetur, quòd id quod est causa aliorũ in aliquo genere, in illo non eget sibi alia causa; quia licet nõ sit causa sui, sibi tamẽ est ratio in illo genere: cùm ergo Voluntas sit causa vsus aliarum potentiarum, sibi ipsi est ratio vtendi, nec alio applicante eget, sed sicut alias potentias, ita se ipsam applicat ad operandum. Vtrùm autem vsus actiuus Voluntatis sit actus realiter distinctus ab actu electionis, iam ex parte manet resoluta pars affirmatiua; prior enim est electio postmodum autem sequitur vsus: electio enim non dicid aliud, quã acceptionem medij in singulari præ alijs; vsus verò dicit actuale exercitium, hic & nũc, & actualem exequutionem medij electi, Vnde est actus distinctus; potest enim quis hodie habito consilio præ acceptare aliquod medium, illud tamen ponere in exequutione cras: hodie ergo fuit electio; cras autem erit vsus.

Obiectio. Nec valet, si arguas, hoc probare de electione non efficaci, non autem de efficaci; nam ista posita, statim sequitur

vsus

Solutio. vsus & exequutio medij. Non autē hoc valet, quia licēt sequatur exequutio medij ad efficacem electionem, sequitur per actum distinctū, non per eūdem, vt ex efficaci volitione finis sequitur volitio medij; tamen volitio medij distinguitur ab intentione finis. Et vt clarius prædicti actus Voluntatis manifestētur, notate progressum Rationis in moralibus. Primò enim apprehendimus finem, postea appetimus illum; de inde quærimus media certa & determinata ad finem. Rursus cōsiliamur de medijs, quod illorum sit magis accomodatum; posteà Voluntas per consensum approbat media; de inde autem præfert vnum alijs; & ordinat ad finem per electionem: rursus per imperiū dicit. Fac hoc; ex quo vltimò sequitur, quòd Voluntas applicet potentias ad opus; & in hoc consistit vsus; si autem finem consequatur, fruitur quiescens in illo & cessat totus motus: si ergo imperium mediat inter electionem & vsum, clarè patet, vsum & electionem esse actus distinctos. Sed de hoc etiam redibit sermo articulo 4.

ARTICVLVS II.

Vtrùm vti conueniat brutis animalibus.

Sup. q. 21. art. 1. ad 4. Cor. 1. Paulo post princip.

AD *secundum* sic procedi tur. *Videtur quòd vti, cōueniat brutis animalibus. frui enim est nobilius quā vti: quia vt Aug. dicit in 10. de Trin. Vtimur eis quæ ad aliud referimus, quo fruēdū est. Sed frui, conuenit brutis animalibus, vt* * *supra dictum est: ergo multo magis conuenit eis vti.*

Quæst. 11. art. 2.

2. *Præterea Applicare membra ad agendum, est vti membris: sed bruta animalia applicant membra ad aliquid agendum, sicut pedes ad ambulandum, cornua ad percutiendum; ergo brutis animalibus conuenit vti.*

Sed contra est quod * *Augustinus dicit in lib. 83. q. 9. Vti aliquid non potest nisi animal quod rationis est particeps.*

Quæst. 30 circa med. tom. 4. art. præced.

Respondeo, dicendum, quòd sicut * *dictum est, vti, est applicare aliquod principium actionis ad actionem, sicut consentire, est applicare motum appetitiuum ad aliquid appetendum, vt* * *dictum est: applicare autem aliquid ad alterum, non est nisi eius quod habet super illud arbitrium; quod non est nisi eius qui scit referre aliquid in alterum; quod ad Rationem pertinet: & ideò solum animal rationale & consentit, & vtitur.*

Quæst præc. art. 1. 2. 3.

Ad Primum ergo, dicendum, quòd frui, importat absolutum motum appetitus in appetibile, sed vti, importat motum appetitus ad aliquid in ordine ad alterum: si ergo comparentur vti & frui, quantum ad obiecta, sic frui est nobilius quàm vti, quia id quod est absolutè appetibile, est melius, quam id quod est appetibile solùm in ordine ad aliud: sed si comparetur quantum ad vtem apprehensiuam præcedentem, maior nobilitas requiritur ex parte vsus, quia ordinare aliquid in alterum, est rationis: absolutè autem aliquid apprehendere potest etiam sensus.

Ad secundum, dicendum, quòd animalia per sua membra aliquid agunt instinctu naturæ, non per hoc quòd cognoscant ordinem membrorum ad illas operationes, vnde non dicuntur propriè applicarè mem-

membra ad agendum, nec vti membris.

Not.1. Conclusio est negatiua; & probatur, nam vti, est applicare potentiam ad opus sicut consentire, est applicare appetitum ad appetendum: sed bruta non se applicant: ergo.

Pro cuius intelligentia notandum, esse conuenientiam inter consensum & vsum, quòd vterque actus sit applicatio; videlicet consensus, applicatio appetitus ad appetēdū; & vsus, applicatio principij ad operandū: cū ergo applicatio nō pertineat, ad illā potētiā in cuius arbitrio est applicare vel nō applicare; hinc sequitur huiusmodi actus non esse in brutis: quia appetitus illorū agit ex determinatione naturæ, & eodē instinctu sequitur motus in mēbris: itaq; licet applicet brutā pedes ad ambulandum, quia tamen nō est in sua potestate non ambulare, sed statim posito appetitu ambulandi, sine nouo actu, necessariò sequitur ambulatio, ideo in bruto nec est consensus, nec vsus.

ARTICVLVS III.

Vtrum vsus possit esse etiam vltimi finis.

Cap. 11. ante med. tom. 3. loco nunc proximè dicto. Paulò post princ. lib.

AD tertium sic proceditur videtur, quod vsus possit esse etiam vltimi finis, dicit enim August. 10. de Trinit. *Omnis qui fruitur, vtitur: sed vltimo fine fruitur aliquis: ergo vltimo fine vtitur aliquis.*

2. Præterea. *Vsus est assumere aliquid in facultatem Voluntatis, vt* ibidem dicitur, *sed nihil magis assumitur à Voluntate, quàm vltimus finis: ergo vsus potest esse vltimi finis.*

3. Præterea Hilarius dicit in 2. de Trin. *quòd æternitas est in Patre species in imagine, id est, in filio, vsus in munere, id est in Spiritu Sancto: Sed Spiritus Sanctus cùm sit Deus, est vltimus finis.*

Quæst. 30. non procul à fine, to. 4. *Sed contra est quod dicit August. in lib. 83.* * *q. 9. Deo quo nullus rectè vtitur: sed solus Deus est vltimus finis: ergo vltimo fine non est vtendum.*

Art. 3. *Respondeo, dicendum, quod vti, sicut* * *dictum est, importat applicationem alicuius ad aliquid: quod autem applicatur ad aliud, se habet in ratione eius quod est ad finem & ideo vti, semper est eius quod est ad finem, propter quod & ea quæ sunt ad finem ac. commoda, vtilia dicuntur, & ipsa vtilitas interdum vsus nominatur. Sed considerandum est, quòd vltimus finis dicitur dupliciter. Vno modo simpliciter, & alio modo quo ad aliquem. Cùm enim finis, vt supra dictum est, dicatur quandoque quidem res, quandoque autem adeptio rei, vel possessio eius, sicut auaro finis est, vel pecunia, vel possessio pecuniæ, manifestū est, quòd simpliciter loquendo, vltimus finis est ipsa res. Non enim possessio pecuniæ est bona, nisi propter bonum pecuniæ. Sed quoad hunc adeptio pecuniæ est finis vltimus: non enim quæret pecuniam auarus, nisi vt haberet eam: ergo simpliciter loquendo & proprie, pecunia homo aliquis fruitur, quia in ea vltimum finem constituit: sed inquantum refert eam ad possessionem, dicitur vti ea.* Quæst. art. 1 & q. 5. ar. 2

Ad primum ergo, dicendum quòd August. loquitur de vsu communiter

ter secundùm quòd importat ordinẽ finis ad ipsam fruitionem, quam aliquis quærit de fine.

Ad secundum, dicendum, quòd finis assumitur in facultatem Voluntatis, vt Voluntas in illo quiescat; vnde ipsa requies in fine, quæ fruitio est, dicitur hoc modo vsus finis: sed id quod est ad finem, assumitur in facultatem Voluntatis, non solùm in ordine ad vsum eius quod est ad finem, sed in ordine ad aliam rem in qua Voluntas quiescit.

Ad tertium, dicẽdum, quòd vsus accipitur in verbis Hilarij, pro quiete in vltimo fine, eo modo quo aliquis, communiter loquendo, dicitur vti fine ad obtinẽdum ipsum, sicut * *dictũ est: vnde Aug. in 6. de* * *Trinit. dicit, quòd illa delectatio, felicitas vel beatitudo, vsus ab eo appellatur.*

In corp. & ad 1. Cap. 1. circa med. tom. 3.

1. *Concl.* Prima conclusio. Vsus, propriè loquẽdo, non est finis vltimi, sed solùm mediorum quæ ad finem consequendum ordinantur. Hæc probatur, quia vsus dicit applicationẽ potẽtiæ vel membri; aut cuiuscunque rei, ad aliud consequẽdum; quod autem applicatur ad cõsequẽdum aliud, medium est ad illud, & non vltimus finis: ergo de vltimo fine non est propriè vsus; & hoc importat ipsum nomẽ Vsus; vtilia enim dicuntur ab vsu; solùm autẽ media vtilia dicuntur; nam vtile ad aliquid aliud, dicitur vtile.

2. *Concl.* Secunda conclusio. Licèt vltimo fine simpliciter solùm fruamur; tamen secundùm quid & communiter potest dici quòd vtimur ipso, non quidem referendo ipsum ad aliud, sed in quantum referimus ipsum ad possessionem ipsius, & sic possumus dicere, quòd beati quodammodò vtuntur Deo; nam licèt ament ipsum propterse perfectissimo amore; tamen licitè amant illum vt ipsius possessione fruantur. Supponit enim D. Thom. in hac conclusione distinctionem sæpius recitatam, quòd finis sumitur dupliciter, & pro ipsa re quæ est finis, & etiam pro adeptione, vel possessione talis rei; & quòd simpliciter sumitur pro ipsa re; vnde cùm de ipsa re absolutè & simpliciter nõ sit vsus, de fine vltimo simpliciter non est vsus.

Conclusio D. Thomæ intelligenda est formaliter de vltimo fine vt sic; nam aliàs peccator vtitur ipso Deo, qui à parte rei est vltimus finis ordinans ipsum tãquam medium ad creaturã vt ad vltimum finẽ, in quo cõsistit peruersitas peccatoris, vt in multis locis ait Augustinus. licèt enim in re Deus mediũ esse nõ possit; ex modo tamen operandi assumitur à peccatore vt mediũ, non quidem in actu signato, quia tunc esset error contra Fidem, sed in actu exercito, cõstituendo vltimũ finẽ in creatura per peccatum mortale; nam qui venialiter tantùm peccat, non vtitur Deo, quia non cõstituit vltimũ finem in creatura; ille enim actus venialis habitualiter ordinatur in Deũ, tanquàm in vltimũ finẽ, & consequenter habitualiter fruitur Deo. Si autem quis interroget de actu Spei, quo volumus Deũ nobis, si vtatur Deo, vel non. Respõdetur, de Fide tenẽdã esse partem negatiuã; quia de Fide est, actum Spei esse bonum; si autẽ per Intaliactum Deo vteremur, esset malus; quia vt diximus, in hoc consistit peccatum, q̃ Deo vtamur, cùm illo sit fruendum. Et si contra dicas, nam vti, est ordinare aliquid ad aliud, tanquàm medium ad finem; sed actus Spei ordinat Deum nobis: ergo vtitur Deo: Respõdetur, quòd actus Spei nõ respicit Deum in ordine ad nos, vt medium in ordine ad finem; sed vt causam in ordine ad effectum; respicit enim Deũ vt in nobis aliquod bonũ causet, & hoc non sistendo in nobis tanquàm in vltimo fine, sed hoc ipsum bonum acceptum rursus referendo per Charitatem in ipsum Deum; ad hoc enim à Deo aliquod bonum speramus in nobis, vt Deus glorificetur in nobis. *Obiectio.* *Solutio.*

Sed maior difficultas est de secunda conclusione Diui Thomæ, videtur enim falsa. Primò, nam ex ea sequitur, quòd beati ordinent Deum in suam fruitionẽ; quod esset peruersum. Sequella probatur, nã iuxta dicta beati vtũtur Deo quodammodo: sed vti, est ordinare aliquam rem ad aliam habendam: ergo ordinant Deum ad possessionem ipsius. Secundò, nam etiam iuxta dicta, vltimum quod ex *Dubium.* *Argum. 1.*

pectat beatus ex Deo, est ipsum videre & possidere, & de illo delectari: ergo ordinat Deum in propriam fruitionem &

Arg.3. visionem. Tertiò, nam etiam inde sequitur, quòd Deus ipse secundùm se non sit finis vltimus, sed aliquid creatum habeat

Arg.4. rationem vltimi finis, nempe fruitio & possessio Dei. Quartò, quia etiam sequeretur, quòd beati non diligerent Deum amore amicitiæ, sed concupiscentiæ; vt amatur vestis, vel equus. Sequella probatur, quia si beatus diligit Deum propter fruitionem, diligit ipsum propter suum commodum, & consequenter amore concupiscentiæ.

Resol. Dub. Ad hoc tamen dubium respondetur, quòd quando D. Thom. ait, quòd fine vltimo quodammodò vtimur, non intendit, quòd Deus ordinatur ad aliquid vt ad vltimum finem; nam hoc esset peruersitas, vt sæpe probat August. specialiter lib. 11. de Ciuitate, c. 25. sed intelligitur quòd quodammodò vtamur vltimo fine, quatenus diligimus Deum, non solùm propter seipsum, sed etiam simul propter nostrum commodum, quod ex Deo, tanquàm ex causa, procedit in nobis, id ipsum ad Deum referendo, vt diximus: & hoc etiam sensu debet intelligi

D. Aug. D. Aug. 1. de Trinitat. c. 11. tom. 3. & D. Hilarius 2. de Trinitat. à principio, quæ sunt loca citata à D. Thom. 1. & 3. argumento. Itaque dicimus, quòd beati in Patria diligunt Deum amore amicitiæ absolutè & perfectè, quia se ipsos & cuncta creata referunt in Deum, tanquàm in vltimum finem; seruant enim rectum ordinem in sua dilectione; quia sicut cuncta creata sunt propter Deum, ita cuncta diligunt propter ipsum; nam, vt ait Augustinus in Confessionibus, Beatus est qui amat Deum & amicum in Deo, & cuncta propter Deum. Cum hoc tamen stat, quòd amant illum amore concupiscentiæ, nam volunt sibi Deum, quia est summum bonum illorum, & iste amor est perfectissimus in suo genere: hac ergo ratione sancti Patres locis citatis huiusmodi actum appellant vsum, non propriè, quia non ordinant Deum in aliud, vt in suam felicitatem vel vtilitatem, tanquàm in vltimum finem; immò propriam felicitatem & vtilitatem ordinant finaliter in ipsum Deum.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm vsus præcedat electionem.

AD quartũ sic proceditur. Videtur quòd vsus præcedat electionẽ. Post electionẽ enim nihil sequitur, nisi exequutio: sed vsus cùm pertineat ad Voluntatem, præcedit exequutionem: ergo præcedit etiam electionem.

2. Præterea Absolutum est ante relatum: ergo minus relatum est ante magis relatum: sed electio importat duas relationes, vnam eius quod eligitur ad finem, aliam verò ad id cui præeligitur: vsus autem importat solam relationem ad finem: ergo vsus est prior electione.

3. Præterea Voluntas vtitur alijs potentijs in quantum mouet eas: sed Voluntas mouet etiam se ipsam, vt ✻ *dictum est: ergo etiam vtitur se ipsa, applicando se ad agendum: sed hoc facit cùm consentit: ergo in ipso consensu est vsus: sed consensus præcedit electionẽ, vt* ✻ *dictũ est: ergo & vsus.* q. 9. ar. 3. q. 15. art. 3. ad 3.

Sed contra est quod ✻ *Damascen. dicit, quòd Voluntas post electionem impetum facit ad operationem, & posteà vtitur: ergo vsus sequitur electionem.* Lib. 2. orth. Fidei c. 22.

Respondeo, dicendum, quòd Volũtas duplicem habitudinem habet ad volitum. Vnam quidem, secundùm quòd est quodammodò in volente per quandam proportionem, vel ordinem ad volitum: vnde & res quæ naturaliter sunt proportionatæ ad

aliquem

aliquem finem, dicuntur appetere illum naturaliter: sed sic habere finẽ, est imperfectè habere ipsum. Omne autem imperfectum tendit in perfectionem, & ideò tam appetitus naturalis, quàm voluntarius, tendit vt habeat ipsum finem realiter; quod est perfectè habere ipsum: & hæc est secunda habitudo Voluntatis ad volitum. Volitum autem non solùm est finis, sed id quod est ad finem: vltimum autem quod pertinet ad primam habitudinem Voluntatis, respectu eius quod est ad finem, est electio: ibi enim completur proportio voluntatis, vt completè velit id quod est ad finem: sed vsus iam pertinet ad secundam habitudinem Voluntatis, qua tendit ad consequendum rem volitam; vnde manifestum est, quòd vsus sequitur electionem, si tamen accipiatur vsus secundùm quòd Voluntas vtitur exequutiua potentia, mouendo ipsam. Sed quia Voluntas etiam quodammodò Rationem mouet, & vtitur ea, potest intelligi vsus eius, quòd est ad finem, secũdùm quòd est in consideratione Rationis referentis ipsum in finem: & hoc modo vsus præcedit electionem.

Ad primum ergo, dicendũ quòd ipsam executionem operis præcedit motio qua Voluntas mouet ad exequendum; sequitur autem electionem; & sic cùm vsus pertineat ad prædictam motionem Volũtatis, medium est inter electionem & exequutionem.

Ad secundum, dicendum, quòd id quod est per essentiam suam relatum, posteriùs est absolutè: sed id cui attribuuntur relationes, non oportet quòd sit posterius, immò quanto causa est prior, tanto habet relationes ad plures effectus.

Ad tertiũ, dicendũ, quòd electio præcedit vsum, si referantur ad idẽ, nihil autẽ prohibet quòd vsus vnius præcedat electionem alterius; & quia actus Voluntatis reflectuntur supra seipsos, in quolibet actu Voluntatis potest accipi consensus, & electio, & vsus, vt si dicatur quòd Voluntas consentit se eligere, & consentiat se consentire, & vtitur se ad consentiendum & eligẽdum; & semper isti actus ordinati ad id quod est prius, sunt priores.

Prima conclusio. Vsus, quo Voluntas vtitur exequutiua potentia, mouendo ipsam ad opus, est posterior, & sequitur electionem; vt vsus quando applicat mẽbra exteriora ad ambulandum vel scribendum. 1. Concl.

Secunda conclusio. Vsus quo Voluntas applicat Rationem, videlicet potentiam intellectiuam ad deliberandum, & consultãdum de medijs, est prior, & præcedit electionem. 2. Concl.

Ad declarationem huius supponit D. Tho. quandam distinctionem, videlicet quòd Voluntas duplicem habet ordinẽ ad rem volitam; vnus est secũdùm quòd res volita quodãmodò est in Voluntate; omne enim volitũ habet quãdã cõueniẽtiam & proportionẽ ad Voluntatẽ, aliàs enim non esset volitũ; & in isto ordine Voluntas quodãmodò habet rem volitam; nam velle, est quodãmodo, habere volitũ, licét imperfectè. Alius tamen est ordo, quo Volũtas tendit in finẽ, ad cõsequendũ ipsum realiter in rebus existentem. Prima habitudo est intentionalis. quia obiectũ est intentionaliter in Volũtate. Secunda habitudo est realis, quia Voluntas procedit ad habendum obiectũ in re. Ista duplex habitudo peculiariter distinguitur in Volũtate, & nõ in potentia cognoscitiua; nam perfectissimus

ordo quem potest habere Intellectus ad rem, est quòd res sit in Intellectu per suã speciem, & ab illo cognoscatur; nec vltra tendit Intellectus ad consequendum realiter ipsam rem cognitam. Est autem proprium Voluntatis, priùs imperfectè habere rem, tendendo per volitionem ad ipsam; deinde autem tendere ad consequẽdum realiter ipsam rem volitam. Dicit ergo D. Thom. quòd electio est vltimum vbi finitur prima habitudo; illic enim perfectè vult finem, priùs enim habuerat simplicem volitionem finis, postea intentionem, deinde consilium, postea consensum, & postremò electionem, & sic perfectè est volitus finis illo primo ordine, sed iam vsus est primum, & principium secundæ habitudinis, nam per vsum iam mouetur realiter ad finem consequendum, & sic vsus sequitur electionem.

In hoc articulo supponit D. Thom. quod suprà diximus, vsum & electionem esse actus distinctos distinctione specifica, habereque diuersa obiecta, vt procedat ad quæstionem, quis nam illorum actuum sit prior altero. Licèt autem hoc præsuppositum ex parte suprà tractauerimus, ad plenam eius intelligentiam, modò notandum est, quód non agitur de electione & vsu prout determinãtur ad aliquam specialem virtutem, vel vitium; sic enim prout in eadem virtute sũt, erunt eiusdem speciei ex vnitate obiecti talis virtutis, & similiter electio vnius virtutis & vsus alterius non dubium quin specie distinguantur, sicut & ipsæ virtutes: immò & electio etiam in diuersis virtutibus diuersæ speciei erit, sicut suprà diximus de accidenti, quòd idem numero accidens diuersa ratione formali ad diuersas species, immò ad diuersa prædicamenta potest pertinere, & duo accidentia, quæ aliàs specie differebant, secundùm aliquam rationem formalem ad vnam speciem possunt pertinere. Ita dicitur de electione & vsu, q licèt secundùm se specie distinguantur, prout in vna & eadem virtute exercentur, sunt eiusdem speciei, quia sunt actus eiusdem virtutis; & è contra electio in duabus virtutibus est diuersæ speciei, sicut & ipsa virtus cuius actus est talis electio; solùm enim hic agitur de electione & vsu ex propria ratione electionis, & vsus in communi, formaliter loquẽdo de illis, & sic dicimus, esse actus Voluntatis diuersæ speciei, habereque diuersa obiecta formalia; quia obiectum electionis est medium, vt præaceptatum vnũ præalijs; obiectum autem vsus est medium vt in re positum & exequutum: licèt enim electio sit efficax, non includit exequutionem medij formaliter, sed tantùm causaliter; efficatia enim electionis est in causa vt prorumpat in vsum, per quem exequitur & in re ponitur medium: vnde *Solutio.* non valet argumentum, quòd posita efficaci electione, non est noua difficultas ad exequutionem medij: ergo sufficit electio, nec alius actus requiritur. Non (inquam) valet argumentum; tantùm enim *Impugn.* probat, quòd si non est noua difficultas, non requiratur nouus habitus, vel noua virtus, quæ ad vincendum nouam difficultatem ponuntur; non autem probat, quòd nõ ponatur nouus actus; quia licèt non sit noua difficultas, est noua formalitas obiectiua, & consequenter exposcit nouum actum specificatum, à tali noua formalitate. Nec etiam valet argumẽ- *Solut.* tum, quòd electio & vsus tandem tendũt ad exequutionem medij: ergo non per hoc ad inuicem distinguuntur. Non (in- *Impugn.* quam) valet, quia electio tendit ad exequutionem mediatè; vsus verò immediatè; cùm autem specificatio ex immediato debeat sumi, electio & vsus suam distinctionem specificam seruant.

Not.

Circa intelligentiam primæ conclusionis notat Caiet. hic, quod nos etiam su- *Caiet.* pra ex parte tetigimus, quòd in progressu morali duodecim actus concurrunt, tam ex parte Intellectus, quàm ex parte Voluntatis; quatuor quidem circa finem, quatuor autem circa media, & in his 8. finitur prima habitudo Voluntatis ad suum obiectum, de qua diximus: sunt autem alij quatuor actus circa operationes, qui pertinent ad secundam habitudinem, qua Voluntas realiter tendit ad consequendum obiectum. Primus actus est apprehensio finis, & non sumitur apprehensio contra iudicium; & talis apprehensio naturalis quidem est, vel ex inspiratione Dei, vnde nec est à casu, nec libera. Secũdus actus est simplex volitio finis, quæ vtiq; non sufficit ad mouendum ad opus, quia huiusmodi potest haberi antequàm iudicetur res facilis vel difficilis, possibilis vel impossibilis; quia solùm est quædam simplex complacentia

centia in obiecto. Tertius actus est quædam fruitio imperfecta, quãdo res volita per secundũ actum habetur in spe, quia non sufficit ad fruitionem etiã imperfectã velle finem, nisi Spes habeatur de illo. De huiusmodi tertio actu iam suprà docuimus contra Scotũ, esse distinctum ab amore, quia præter amorem ad huiusmodi fruitionẽ requiritur quædã præsentia rei desideratæ, siue in spe, siue in re. Quartus actus est intentio finis, scilicet volitio efficax, qua volumus finem per media accõmodata; prius enim supponitur spes de re, quàm intẽdatur; vnde intẽtio est Voluntas practica tendens ad finẽ per media. Isti quatuor actus sunt circa finem: circa media autem primus actus, & quintus in ordine, inquit Caietan. est vsus. Sextus actus est consilium, accipiẽdo pro eodẽ inquisitionem, deliberationem, &c. de quibus suprà. Septimus act⁹ est consensus, quo Voluntas approbat, & cõplacet de medijs. Octauus actus est electio, qua Voluntas acceptat vnũ præ alijs, vel vnicum medium ad finem; & sic completur habitudo Voluntatis circa rẽ volitam intra ipsum volentem. Nonus actus in ordine, & primus in secunda habitudine, qua realiter mouetur Volũtas ad habendum obiectum, est imperium, scilicet Fac. Nec obest D. Thom. dicens quòd primus actus secundæ habitudinis est vsus, quia loquitur de primo actu Voluntatis; imperium autem est actus Intellectus. Decimus actus est vsus, qui sequitur imperium, quo Voluntas applicat vires externas ad exequendum opus imperatum à ratione. Vndecimus actus est consequutio finis, quæ quidem pertinet ad diuersas potentias, secundùm qualitatem obiecti; pulchrum enim pertinet ad visum, & illo obtinetur; cibus gustu, musica auditu, &c. Duodecimus actus est fruitio: Fruitio enim à consequutione finis distinguitur, vt suprà docuimus contra Magistrum Soto; diximus enim, quòd fruitio est quædam delectatio consequens ipsam consequutionem finis. Isti quidem actus sunt qui possunt concurrere, sed non semper necesse est omnes concurrere; quia secundus actus potest non esse, sed statim oblato fine potest tendere Voluntas per intentionem in illũ, sine eo quòd simplex volitio præcedat, immò non necesse est, quòd alij numerati præcedant distincti; statim enim oblato fine, potest prorumpere in vsum, sine eo quòd præcedat formaliter electio, bene tamen numerantur; tùm quia omnes prædicti possunt cõcurrere; tùm etiã quia etiam si non sit nisi vnus ille actus, virtualiter tamen continet omnes præcedẽtes. Solùm autẽ errat Caiet. annumerando quintũ actũ, scilicet vsum ante electionem; hoc enim expresse est cõtra D. Thomam, qui hic ait, absolutè vsum sequi ad electionem. Et si contra facias argumentum, quia ad electionem supponitur actus Intellectus; ad actum autem Intellectus supponitur vsus, & applicatio ipsius Intellect⁹ vt operetur: ergo de primo ad vltimum, vsus supponitur ad electionem. Respõdetur, quòd tam electio, quàm vsus, possunt sumi dupliciter. Primò, pro vsu & electione perfecta. Secundò pro imperfecta & inchoata, vsus ergo perfectus sequitur ad electionem perfectam, & vsus imperfectus & inchoatus ad electionem imperfectam: Sumendo autem vsum inchoatum, bene potest præcedere electionem perfectam. Sed hoc non est contra conclusionẽ D. Thomæ, quia imperfectum regulatur per perfectum; vnde inchoatus vsus reducitur ad perfectum; & cùm iste sequatur ad electionẽ, absolutè dicendum est, quòd vsus sequatur ad electionẽ: vsus ergo qui præcedit actum Rationis præsuppositum ad electionẽ, est vsus imperfectus & inchoatus; vnde nihil interest, quòd præcedat electionẽ: eo vel maximè, quòd etiã ad ipsum præcedit imperfecta electio. Et si rursus arguas, quòd etiã ad illam imperfectã electionem præcedit alius vsus imperfectus: ergo vltimatè deueniendũ est ad vsum præcedentem omnem electionem, vel procedẽdũ est in infinitũ, si etiam ad aliũ vsum supponitur alia electio; quia etiã ad illam supponitur alius vsus, &c. Respõdetur, non procedi in infinitũ, sed sistẽdũ esse in electione imperfecta præsuppositа ad vsum imperfectum; & talis electio procedit ex simplici volitione, vel intentione finis sine aliquo vsu. Verum est, quòd per quandam reflexionem posset fieri ille processus vsq; in infinitum syncathegorematicè, sicut in actibus Intellectus reflexis; sed hoc est loqui de actibus Voluntatis per accidens; loquendo autem de illis per se, sistendum est in prima electione prædicta, ad quam vsus nõ præcedat. Hæc de quæstione.

Obiectio.

Solutio.

Obiectio.

Solutio.

QÆSTIO XVII.

De actibus imperatis à Voluntate.

ARTICVLVS I.

Vtrûm imperare, sit actus Intellectus, vel Voluntatis.

Inf.q.6.ar.1.cor.fin.& 22.q.83.ar.1.& 10.cor. Et ver.q.22 artic.12.ad quartum.& Quodl.9.ar.12.

AD primũ sic proceditur. Videtur quôd imperare, non sit actus Rationis, sed Voluntatis. Imperare enim, est mouere quoddã: dicit enim Auic. quòd quadruplex est mouens, scilicet, perficiens, disponens, imperans, & consilians: sed ad Volũtatem pertinet mouere omnes alias vires animæ, vt dictum est * suprà: ergo imperare est actus Voluntatis.

q.9.ar.1.

2. Præterea Sicut imperari, pertinet ad id quod est subiectũ: ita imperare, pertinere videtur ad id quod est maximè liberum: sed radix libertatis est maximè in Voluntate: ergo Voluntatis est imperare.

3. Præterea. Ad imperium statim sequitur actus; sed ad actum Rationis non statim sequitur actus; non enim qui iudicat aliquid esse faciendum, statim illud operatur: ergo imperare, non est actus Rationis, sed Voluntatis.

Lib.4.c.9. in princ.& cap.8. ante med. Arist. 1.Ethic. ca. vlti. tom.5.

Sed contra est quod * Greg. Nyssenus dicit, & etiam * Philos. quod appetitus obedit Rationi: ergo Rationis est imperare.

Respondeo, dicendum, quòd imperare, est actus Rationis, præsupposito tamen actu Voluntatis. Ad cuius euidentiam considerandum est, quòd quia actus Volũtatis & Rationis supra se inuicẽ possunt ferri, prout scilicet ratiocinatur de volendo, & Volũtas vult ratiocinari; contingit, actum Voluntatis præueniri ab actu Rationis, & è conuerso. Et quia virtus prioris actus remanet in actu sequenti, contingit quandoque, quod est aliquis actus Voluntatis secundùm quòd manet virtute in ipso aliquid de actu Rationis, * vt dictum est de vsu & electione; & è conuerso, aliquis est actus Rationis, secundùm quòd virtute manet in ipso aliquid de actu Voluntatis. Imperare autem, est quidem essentialiter actus Rationis; imperans enim ordinat eum cui imperat, ad aliquid agendum, intimando, vel denuntiando. Sic autem ordinare per modum cuiusdam intimationis, est Rationis: sed Ratio potest aliquid intimare vel denuntiare dupliciter. Vno modo absolutè, quæ quidem intimatio exprimitur per verbum Indicatiui modi; sicut si aliquis alicui dicat: Hoc est tibi faciendum. Aliquando autem Ratio intimat aliquid alicui, mouendo ipsum ad hoc: & talis intimatio exprimitur per verbum Imperatiui modi, puta, cùm alicui dicitur: Fac hoc. Primum autem mouens in viribus animæ ad exercitium actus, est Volũtas, vt * suprà dictum est: cùm ergo secundum mouens non moueat nisi in virtute primi mouentis, sequitur, quôd hoc ipsum quod Ratio mouet imperando, sit ei ex virtute

q.16.ar.1.& q.13.art.1.

q.9.art.2.

Volunta-

voluntatis. Vnde relinquitur, quòd imperare, sit actus rationis, præsuppo sito actu voluntatis, in cuius virtu te ratio mouet per imperium ad exercitium actus.

Ad primum ergo, dicẽdum, quòd imperare, nõ est mouere quocunq; modo, sed cũ quadã intimatione denũtiatiua ad alterũ, quod est Rationis.

Ad secundum dicẽdum, quòd radix libertatis est Voluntas, sicut subiectum: sed sicut causa, est Ratio; ex hoc enim Voluntas liberè potest ad diuersa ferri, quia Ratio potest habere diuersis conceptiones boni; & idcò Philosophi definiunt liberum arbitrium, quòd est liberum de Ratione iudicium; quasi Ratio sit causa libertatis.

Ad tertium, dicendum, quòd ratio illa concludit, quòd imperium nõ sit actus Rationis absolutè, sed cum
In corp. art. *quadam motione, vt* * *dictum est.*

1. *Concl.* Prima conclusio. Imperare, est actus Rationis, præsuppoſito actu Voluntatis; ſicut è contra ſuprà dictum eſt de electione, quòd eſt actus Voluntatis, præſuppoſito actu Intellectus.

2. *Concl.* Secunda concluſio. Imperare, eſſentialiter eſt actus Rationis: itaque imperium ſupponit pro actu Intellectus, connotando quòd moueatur à Voluntate: ſicut è conuerſo dicitur de electione, quòd ſupponit pro actu Voluntatis, connotans ordinem Intellectus; eſt enim imperium actus Intellectus, qui exprimitur per verbum Imperatiui modi, videlicet, Fac hoc; vt eſt ille, Fiat lux, & facta eſt lux.

D. Tho. Pro declaratione iſtarum concluſionum notat D. Thom. quòd Voluntas reflectitur ſupra Intellectum, & è conuerſo Intellectus ſupra Voluntatem; quia Intellectus dirigit actus Voluntatis, & Voluntas applicat Intellectum ad ratiocinãdum deuoliendis. Ex hoc ergo ſequitur, quòd in actu Voluntatis remanet & relucet aliqua virtus impreſſa ex priori actu Intellectus; vt diximus de electione, quòd eſt volitio medij præconſiliati ad finem. Itaque ille ordo ad finem remanet in actu voluntatis ex operatione Intellectus; ſimiliter in actu Intellectus remanet virtus ex priori actu Voluntatis: quod quidem magis apparet in imperio, ex hoc enim quòd Voluntas eligit medium ad finem, mouet Intellectum vt imperet fieri tale medium, & ſic Intellectus pronuntiat, Fac hoc. Quòd ergo ille actꝰ, fac hoc, ſit efficax & factiuus, hoc habet ex impreſsione Voluntatis mouentis; vnde imperare, dicit actum Intellectus de materiali: de formali verò motum Voluntatis. Oportet autem recolere ſupra dicta quæſtio. 13. artic. 1. quòd quando aliquis actus pertinet ad duas potentias, ad illam pertinet elicitiuè, ad quam pertinet ſubſtantia actus: tota autem ſubſtantia actus eſt materia, & pro illa ſupponit tantùm connotando formam; vt ſcamnum ſupponit pro ligno; ad illam enim potentiam pertinet talis actus imperatiuè, ad quam pertinet forma actus. Verbi gratia, quandoquis appetit mortem propter Deum, talis actus elicitur à Fortitudine, imperatur autem â Charitate. Ita ergo ſimiliter hîc in imperio tria concurrunt, ordinatio, denuntiatio, ſeu intimatio & motio. Verbi gratia, præcipio dilectionem Dei; ordino in finem, denuntio dilectionem, & moueo ad illam. Quantum ad duo priora quæ pertinent ad ſubſtantiam, actus imperij eſt actus Intellectus: quantum ad tertium verò, ſcilicet motionem, pertinet ad Voluntatem; nam Voluntas eſt primum mouens in actibus humanis; vnde vis motiua in imperio à Voluntate naſcitur. Vnde bene compatitur, quòd Voluntas non poſſit moueri efficienter ab aliquo extrinſeco; præterquàm à ſolo Deo, quantum ad exercitium, & tamen quòd ab imperio moueatur; quia moueri ab imperio, prouenit ab ipſa Voluntate; vnde idem eſt ab imperio moueri, & â ſe ipſa moueri. Videatur Capreo. in 3. diſt. 36. quæſt. 1. circa argumenta primæ & ſecundæ concluſionis.

Corolar. Ex dictis ſequitur, non eſſe idẽ, imperiũ, orationẽ, & deprecationẽ: licèt enim omnes iſti ſint actus Intellectꝰ exprimẽtes deſiderium Voluntatis; aliter tamen; & aliter; nam imperium exprimit, verbi

gratia, subdito desiderium, mouendo, ordinando, & denuntiando ad exequutionem desiderij. Oratio verò exprimit desiderium, siue æquali, siue maiori, siue motione, vel denũtiatione, vel intimatione: deprecatio autem exprimit desiderium tantùm superiori per modum submissionis. De qua definitione videatur D. Tho. in 4. dist. 15. q. 4. art. 1.

DVBIVM I.

Vtrùm actus imperij sit necessarius & ponendus.

1. *Argu.* PArs negatiua probatur. Primò, nam ex parte Intellectus sufficit cõsiliũ & iudicium, quo iudicat hoc mediũ esse cõueniens: ex parte autem Voluntatis sufficiũt actus de quibus hactenus diximus: ergo superfluè ponitur imperium. Patet consequentia, quia posito cõsilio, & iudicio practico cum illis actibus Voluntatis, nihil est quod impediat exequutionem.

2. *Arg.* Secundò arguitur, quia quando quis operatur, experitur iudicium, cõsilium, & electionem, non autem imperium: ergo non est talis actus imperij, vel non distinguitur ab aliquo illorum.

3. *Arg.* Tertiò arguitur, nam, vt diximus quæstione præcedẽti art. 4. vsus est talis actº, vt ad positionem eius ponatur ipsa exequutio operis: hanc enim differentiam assignauimus inter electionem & vsum, q vsus includit ipsam exequutionem, non autem electio: frustra ergo ponitur actº imperij.

Almain. Propter hęc argumẽta Almayn tract. 3. Moralium c. 2. sentit, superfluè constituihuiusmodi actum imperij. Cũ illo tenet Maior in 3. distin. 33. q. 7. Adrianus quodlib. 4. ar. 1. Buridanus 6. Ethic. q. 18 & 10. Ethic. q. 5. dicit enim, imperium esse actum iudicij practici: quapropter re ipsa sentit cum Almayn, licèt verbis videatur dissentire. Hos etiam sequitur Vazquez hic disput. 49. cap. 4. asserens non esse necessarium ponere imperium respectu propriarum actionum, licèt sit virtus imperatiua respectu aliorum; quia nullus actus Intellectus potest sic habere se respectu Voluntatis, vt habeat rationem intimantis, &c. quod requiritur ad imperium; quia intimare est respectu cognoscentis; Voluntas autem non cognoscit; vnde respectu illius imperium esse non potest. Eo vel maximè, quòd imperium ditit etiam efficacem motionem, quam Intellectus respectu Voluntatis habere nõ potest. Cum Vazquez tenet etiam Salas tractatu 6. disp. 1 sectione, 3. *Maior. Adrian. Buridan. Vazquez. Salas.*

Sit ergo conclusio. Necessariò est ponẽdus actus imperij ad exercitiũ operis. *Concl.*

Hæc conclusio est D. Thomæ & discipulorũ eius, & probatur primò ex Arist. 6. Ethic. c. 8. & sequentibus, vbi ait, aliam esse virtutem ad rectè consiliandum; aliã verò ad rectè iudicandum, aliam verò, scilicet Prudentiam, ad conuenienter imperandum: quod etiam docet D. Thom. explicans Aristotelem 2. 2. quæst. 47. ar. 8. & quęst. 51. est ergo necessarium imperium secundùm Aristotelem & D. Tho. distinctum à consilio & iudicio. Secundò probatur, quia sæpe contingit, vt bene consiliantes & iudicantes de medijs, rectèque eligentes, non exequantur opus propter difficultatem: ergo præter illa tria erat aliquid aliud necessarium, quod appellamus imperium. Antecedens est Aristotelis vbi suprà. Consequentia verò probatur, quia hæc assignatur ratio, quare consilium & iudicium & electio non prodierint in actum in illo casu, scilicet defectu imperij. Tertiò probatur, nã existentibus in aliquo superiore, videlicet Rege aut Prælato, illis tribus, scilicet consilio, iudicio & electione alicuius rei fiendæ per subditum, licèt de illis cõstet subdito, non constringitur obedire, donec adueniat imperium legis: ergo similiter in quolibet homine respectu sui est necessarium imperium, præter illa tria, vt reliquæ potentię obediant, & exequãtur suos actus. Antecedens patet in materia de legibus, & consequentia etiam ex Philosopho. 1. Politicorum, c. 3. vbi ait, quòd appetitus inferior natus est obedire rationi imperanti quodam imperio ciuili & libero. Denique hanc conclusionem præter D. Thom. & eius discipulos acceptat Scotus in 2. dist. 6. q. 1. & dist. 38. q. 1. & quodlibeto 17. Richardus in 4. dist. 15. artic. 4. Gabriel in Canonem, lectione. 61. Corduba lib. 1. Quæstionarij, q. 20. Henricus quodlibeto 9. q. 6. Medina, cod. de pœnitentia, tract. 6. & per hoc patet ad primum argumentum â principio, qualiter vltra illos actus requiratur imperium.

Adse-

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum etiam negatur, quòd non experiatur imperium, sicut alij actus, & dato, quòd non experiretur, negatur cõsequentia, multi enim motus propter subitaneum exercitium fiunt in nobis sine experientia illorum.

Ad 3. arg. Ad tertiũ respõdetur, ita esse, quòd posito vsu, ponitur operatio, inde tamen nõ sequitur, nõ esse necessarium imperium, quia non ponitur vsus, nisi præcedat imperium ad vsum & exequutionem. *Ad* rationem autem Vazquez facilè, respõdetur, quòd licet quãdo imperium est respectu alterius, requiratur vt imperatus sit cognoscens: qua propter dubio sequenti dicetur: non esse propriè imperiũ respectu non cognoscentium, tamen ad imperium respectu propriarum actionũ non requiritur cognitio in Voluntate cui imperatur, sed sufficit esse appetitum rationalem, sequentem cognitionem, vt dicatur ei fieri intimationem, & denuntiationem: quia operãs per Voluntatem, capax est omniũ istorum. Qualiter autem Intellectus respectu Voluntatis habeat efficaciam, etiam quoad exercitium, ex participatione ipsius Voluntatis, dicetur Dubio sequenti.

DVBIVM II.

Vtrùm imperium sit actus elicitus ab Intellectu.

1. Arg. PARS negatiua probatur. Primò ex *Arist.* 3. de anima, tex. 46. vbi secundũ expositionem Temistij dicit, practicum Intellectum non esse dominum motus, sed solùm appetitum esse dominum; actus autem imperij est actus dominij: pertinebit ergo ad Voluntatem dominam secundum *Arist.* Similiter D. Tho. infra quæst. 71. articulo 6. ad 2. & 2. 2. quæst. 4. art. 2. ad 2. & quæst. 10. art. 2. expressè dicit, imperium esse actum Voluntatis. Immò hic idem insinuat, siquidem titulus huius quæstionis est de actibus imperatis â Voluntate; & licèt in corpore articuli asserat, imperium esse actum Rationis; multa tamen admiscet, in quibus videtur dicere, quòd sit actus Voluntatis, adminus formaliter; sicut è contra diximus de electione formaliter esse actum Rationis, licèt quoad substantiam sit Voluntatis: docet enim, quòd imperare, est actus Intellectus, præsuppositotamẽ actu Voluntatis, in cuius virtute Ratio mouet ad exercitiũ actus: assignat ergo respectu imperij, tanquàm quid excellentius & superius, ipsam Voluntatem; quia quod præstat virtutem, quid excellentius est; & consequenter insinuat, imperium formaliùs pertinere ad Voluntatem; quia imperiũ est excellẽtissimus actus hominis, & sic ad id quòd excellentius est debet pertinere formaliter. Item solutione ad primum, dicit, quòd imperare, non est mouere quomodocunque, sed mouere cum quadam intimatione & denuntiatione ad alterum, quod est Rationis: insinuat ergo, quòd imperare in recto importat ipsum mouere; quod est Voluntatis; in obliquo verò intimationem & denuntiationem; quod est Intellectus, & consequẽter potiùs pertinere ad Voluntatem, quia potiùs debet considerari secundũ id quod importat in recto, quàm secundùm id quod importat in obliquo.

2. arg. Secundò arguitur ratione. Imperium importat exercitium & actualem efficientiam ad opus; sed motio, & efficiẽtia exercitij ad opus pertinet ad Voluntatem tanquàm ad primum mouens & efficiens: ergo & imperare ad Voluntatem pertinet.

Confirm. Confirmatur, nam licèt imperium importet denuntiationem & intimationem, non tantùm importat illam moralem, sed principaliùs physicam & realem: sed sic denuntiare, vel ordinare, pertinet ad Voluntatem: ergo. Maior patet, quia aliter imperat homo suis potentijs intrinsecè & efficaciter, quàm imperet alteri homini: præter intimationem ergo moralem, quam habet respectu alterius hominis, ponenda est intimatio, & ordinatio physica respectu suarum potentiarum. Minor verò probatur, quia tota motio physica non est nisi per efficientiam; efficatia autem, vt dictum est, ad Voluntatem pertinet.

3. Arguit. Tertiò arguitur. Imperiũ est actus formaliter, & intrinsecè liber: sed libertas formalis & intrinseca tantùm est in Voluntate secundùm D. Tho. in Intellectu autem solùm radicaliter & causaliter: ergo imperium, simpliciter loquendo, est actus Voluntatis. Maior patet experientia, quia in quo maximè relucet liber-

tas, est in imperare alijs potentijs.

4. Arg. Quartò arguitur. Imperans potest cōpellere ad obediendum illum cui imperat; sed intellectus non potest cōpellere aliquā potētiā ad obediēdū: ergo nō imperat. Minor probatur, quia compellere, dicit efficientiā, quā solū Volūtas habet, & nō intellectus; & maximè habet vires argumentū, de Intellectu respectu Voluntatis, quam nihil compellere potest, vt supra diximus.

5. Arg. Quinto arguitur. Actus Intellectus cadit sub imperio: ergo imperium non est actus elicitus ab Intellectu. Antecedens est D. Thomæ infra art. 6. & consequentia probatur, quia tunc idē imparet et sibi ipsi, & esset imperans & imperatus superior & inferior, quæ videntur implicare.

6. Argu. Sextò arguitur. Imperiū est actus potentiæ superioris in ratione mouendi, sicut ars militaris imperat frænifactiuæ; sed Voluntas est superior in ratione mouendi, vt iam sæpe diximus: Ergo eius erit imperare. Patet consequentia ex *D. Thom.* D. Tho. 2.2.q.83.art.1.vbi ait, ad potentiā superiorem pertinere imperare.

7. Arg. Septimò arguitur, & confirmatur præcedens. Charitas est habitus imperans alijs virtutibus, & ideò actus martyrij (verbi gratia) dicitur elicitus à fortitudine imperatus verò à Charitate, ergo potentia in qua subiectatur Charitas, erit imperans. Patet consequentia, quia actus, qui elicitur ab aliquo habitu principalius tribuitur potentiæ, quàm habitui, vt patet inductiuè; actus enim scientificus potius tribuitur Intellectui, quàm habitui scientiæ: si ergo Charitas subiectatur in Volūtate, & ad Charitatem pertinet imperare; hoc etiam pertinebit ad Voluntatem.

8. Argu. Octauò arguitur, quia per illud quis imperat, per quod habet dominum super alios: sed per Voluntatem homo est Dominus suorum actuum; ergo per Voluntatem imperat. Minor est D. Tho. suprà q.1.art.1.

9. Arg. Vltimò arguitur. Imperium non est simplex apprehensio, vel compositio, vel argumentatio: ergo non est actus Intellectus. Consequentia patet, quia non sunt plures operationes Intellectus secundū Arist. Prima verò pars antecedentis probatur, quia imperiū supponit consiliū, & colationē mediorū: ergo non est simplex apræhensio; hęc enim nullam aliam operationē Intellectus supponit. Quòd non sit compositio, probatur, quia in imperio non importatur verum vel falsum, quòd necessario debebat reperiri in cōpositiōne Intellectus: quòd nō sit argumētatio, etiam patet, quia per actum imperij non deducitur illatiuè vnum ex alio.

In hac re est prima sententia Scoti in secundo, dist. 6, q. 1. & dist. 38. q. 1. & in 3. dist. 33. q. vnica, & idem tenet D. Bonauētura in 3. dist. 17. art. 1. q. 1. & Ocan. q. 12 Henricus quodlibeto 9. q. 6. Almain in suis moralibus tract. 3. c. 2. Ioānes de Medina de pœnitentia tract. 6. c. 2. quòd imperium est actus elicitus à Voluntate, licēt supponat ex parte Intellectus conferentiam vnius ad alterum, &c. *1. Sent. Scot. D. Bonauē, Occan. Henrit.*

Secunda sententia est Gregorij in primo, dist. vltima, quod imperium æqualiter pertinet ad Voluntatem, & intellectum, quē sequitur Richardus in 4. dist. 15 art. 4. q. 1. Mouēturque hac ratione, quia lex & imperium pertinent ad eandē potentiam vel potentias; officium enim legis est imperare, vt ait D. Tho. infra q. 92. art. 2. lex autem videtur pertinere ad Intellectum & Voluntatem simul, vt colligitur ex D. Augustt. contra Faustum lib. 22. c. 27. vbi sic ait: lex æterna, est ratio diuina, vel voluntas Dei ordinem naturalem seruare iubens, perturbarique vetās. *2. Senten. Greg. Ricard. D. Aug.*

Tertia sententia est D. Thomæ & discipulorum eius, quam explicabimus in conclusionibus. *3. Sent.*

Pro intelligentia notandum, quòd imperium, vt suprà diximus, tria importat, ordinare, intimare, & mouere. Duo prima ex natura sua pertinent ad Intellectū tertium verò desumitur à Volūtate. Dubitatur ergo, vtrùm consistat essentialiter in duobus prioribus, & tertiū solùm sit quid ei adiunctum; & sic essentialiter pertineat ad Intellectum: vel è contra, vtrùm consistat essentialiter in tertio, & duo priora tantùm importet præsuppositiuè, & sic essentialiter consistat in Voluntate. *Not. 1.*

Secundò notādū, quod etiā, vt est dictū quando actus pertinet ad duas potentias, ab illa elicitur, ad quā materia & substantia actus pertinet, ad alteram autem, ad quam pertinet formaliter actus, solū pertinet per modū mouentis & imperantis; sic D. Tho. supra q. 13. art. 1. posito exemplo de martyrio elicito à fortitudine, & imperato à Charitate. *Not. 2.*

Tertiò notandum, quòd imperium sumitur *Not. 3.*

mitur dupliciter: Primô propiè, prout explicatur in primo notabili. Secundò impropriè,& sic nihil aliud est imperare quàm vnã rem in aliam mouere;quo pacto superior ars,vel virt⁹ dicitur imperare inferiori. Quærimus ergo de imperio primo modo,non verò secundo;nam isto secundo modo certum est, Voluntatem imperare actus aliarum potentiarum, cũ aliæ potentiæ ex motione Voluntatis operentur,& sic loquitur D.Tho.infra q. 71. articulo 6. ad 2. & 2.2.quæstione 4. articulo 2. ad 2.& August.8. confessionum cap.9.

1. Concl. D.Tho. Conrad. Medina. Caiet. Soto. Albert. Burid. Arist.

Prima cõclusio, Imperiũ propriè sumptũ solùm est actus elicitus ab Intellectu. Hęc est D. Thomę hic, & infra q.60. art.1.& 2.2.q.47.art.8. cum illo tenẽt discipuli eius,Caiet.& Conr.& Medina hic Soto 1.de iustitia,q.1.art.1. Tenent etiã illam Albertus Magnus, Sũma de homine,tract.de concupiscibili,q.1. ad primũ Buridanus vbi supra, immô est expressa Arist.6.Ethicorum à capite 8. vsque ad 12.vbi ponit differentiam inter Eubuliã, Synesim & Prudentiam, quôd Eubulia est virtus bene consiliatiua, & inquisitiua mediorum. Synesis autem bene iudicatiua, nam stat quòd aliquis subtiliter inueniat media, & non rectè iudicet de medijs;vnde propter illam nouam difficultatem ponitur illa noua virtus. Prudentia autem,inquit Arist.est virtus bene præceptiua:cùm ergo certum sit. Prudentiam ad Intellectum pertinere; si ad Prudentiam pertinet præcipere & imperare,imperium ad Intellectum pertinebit.Ratione autem probatur,Primo. Imperare, est ordinare,intimando quid sit faciendum: sed hoc pertinet ad Intellectũ:ergo.Minor probatur. Primò,nã hoc importat quandã loquellam,quæ vtique intellectus erit: quapropter imperiũ semper dirigitur ad creaturã rationalem; vnde propriè non dicitur quis imperare irrationabilibus,sed illa mouere. Dixi Propriè,quia impropriè aliquando sic dicitur,secundũ illud quòd Christus imperauit ventis & mari;sumitur imperare,pro efficaciter mouere;nã propriè imperare, vt diximus,importat loquutionẽ ordinatiuã,& intimatiuã præcepti;quæ solùm à creatura rationali capi potest, & sic solum rationali potest imperari propriè. Secundò etiam patet minor, quia omnis ordo, tam in rebus naturalibus, quam in moralibus, procedit ab Intellectu; & ideò de naturalibus dicitur,quòd opus naturæ,est opus intelligẽtiæ:quia est opus ordinatum;& in moralibus ordinem repertum in actu electionis,suprà diximus esse ex iudicio & consilio intellectus:si ergo imperium ordinationem importat,ad Intellectum pertinebit. Secundò probatur. Imperium quoad substantiam & materiam actus pertinet ad Intellectum: èrgo ab eo elicitur. Consequentia patet ex secundo notabili. Antecedens verò probatur, quia in actu imperij Intellectus se habet vt motus, Voluntas verò vt mouens: sed ad potentiam motam pertinet substantia actus: ergo ad Intellectum pertinet substantia actus imperij. Ista minor patet in exemplo martyrij respectu Charitatis. Tertiô probatur. Oratio est elicitiuè ab Intellectu:ergo & imperium. Antecedens est *D.*Thomæ 2.2.q.83. art. 1. Consequentia probatur, quia vterque est actus quo aliquis ab alio inducitur ad aliquid faciendum;hac tamen differẽtia, q̃ oratione inducitur superior per modum de precationis, per imperium autem inducitur inferior per modum necessitantis & constringentis obligatione imposita:ergo ambo pertinent ad Intellectũ,tã oratio,quàm imperium. Quarto probatur;nam conscientia habet obligare,& tenetur Voluntas non facere cõtra eam,etiam errantem;conscientia autem est actus Rationis:ergo ad Rationem pertinet imperare. Maior patet infra q. 19.vbi de hoc est agendum. Quintò probatur. Imperium magis & principaliter consistit in ordinatione & intimatione, quàm in motione:sed ordinare,& intimare,pertinet ad Intellectum,licèt mouere pertineat ad Voluntatem; ergo absolutè dicendum est pertinere ad Intellectum, & non ad Voluntatem. Maior probatur, nam vnus homo verè imperat alteri per hoc quôd ordinat & intimat illi quid sit faciendũ: cũ tamen nõ moueat illũ ad opus physicè. Sextò arguitur,quia imperare,pertinet ad legẽ;vnde lex præceptũ dicitur:sed lex non pertinet ad Voluntatẽ,sed ad Intellectum:ergo. Minor patet, nã de lege naturali dicitur Psal.4. Signatũ est super nos lumẽ vultus tui. Lumen autẽ ad intellectũ pertinet;& etiam Prouerbiorum 8,dicit enim diuina Sapientia; Per me Reges regnant, & legum condi-

Psal.4.

Prouerb.8.

conditores iusta decernunt. Per me Principes imperant : sapientia autem ad Intellectum pertinet. Si ergo prædicta à Sapientia participantur, ad Intellectum debent pertinere. Septimô probatur. Etiã secundùm contrarios debemus conformari legi diuinæ, & non tenemur conformari voluntati bene placiti Dei; quia cùm Deus vult patrem meum mori; ego non teneor velle mortem illius, sed potest me de illa pœnitere: ergo signũ est quòd præceptum diuinum non est actus Voluntatis, sed Intellectus eius. Confirmatur, quia etiam si ego scirem quòd Prælatus meus summè vult quòd ego legã aut prædicem cras, non teneor hoc facere; & nihil ominus teneor obedire præcepto illius: ergo præceptum non est actus Voluntatis, sed Intellectus intimantis.

2.Conclu. Secunda conclusio. Imperiũ præsupponit necessariò actũ Voluntatis mouẽtis Intellectum quoad exercitium vt imperet. Hæc etiam est D.Thomæ hic, & quodlibeto 9.art. 1. & probatur primò, nam secundum mouens non mouet nisi in virtute primi mouentis: sed Voluntas est primum mouens intrinsecum respectu humanorum actuum: ergo virtus qua imperium mouet ipsam Voluntatem, est ex ipsa voluntate. Hæc est ratio D.Thomæ in corpore. Secundò probatur. In imperio concurrrunt duo. Primum, inclinare ad aliquid faciendũ. Secundũ autẽ, ordinare id cui imperatur, ad exequutionẽ rei imperatæ; sed pri⁹ est inclinare, quod vtique fit per electionẽ, quę est actus Voluntatis, quàm sit ordinare, quæ se tenet ex parte Intellectus & imperij: ergo prę supponitur actus Voluntatis ad imperium. Hęc etiam est ratio D.Thomę quodlibeto 9.allegato.

D.Thom.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum à principio respondetur, forte non esse legitimã illã translationem Arist. illa tamen admissa, dicimus, loqui de actu Voluntatis præsuppositiuè. Ad D.Tho. respondetur, q⁹ ideô dicit se agere hic de actibus imperatis à Voluntate, quia licèt imperium sit actus Intellectus, vt ipse ait in corpore; nihil ominus virtus imperij vltimatè reducitur ad actum Voluntatis quem supponit, & aquò accipit virtutem motiuam, comparatio autem inter imperium & electionẽ non tenet in omnibus, tenet enim in hoc, quòd sicut electio est actus Voluntatis, supponens tamen actum intellectus; ita imperium est actus Intellectus, supponens actum Voluntatis. Est tamen differentia, quòd id quod supponitur ex parte Intellectus ad electionẽ, est formalissimum & excellentissimum imperij; quia Intellectus excellentior est Voluntate; vnde si adiungatur aliquid ex parte Intellectus, & aliquid ex parte Voluntatis, semper præeminet quod est ex parte Intellectus. Ad illud autem, quòd Volũtas præstat virtutem, & consequenter erit excellentior. Respondetur, præstare virtutem in genere mouentis & efficientis, non tamen simpliciter; quia licèt Voluntas sit primum mouens. Intellectus tamen est primum dirigens; quod quid excellentius est, quàm efficere & mouere; vnde accipere virtutem motiuam, nõ est esse quid inferius, vel minus excellens. Ad illud autem solutionis ad primum, respondetur, quòd cùm imperium includat vtrumque; alterum ex parte Intellectus, & alterum ex parte Voluntatis, vtroque modo potest explicari in verbis, ponendo in recto quod est ex parte Voluntatis, & inobliquo quod est ex parte Intellectus; vel è contra; licet in re principalius sit quod est ex parte Intellectus quàm quod est ex parte Voluntatis. In solutione ergo ad primum, explicuit, ponendo prius in recto quod est ex parte Voluntatis, sed in corpore articuli, vbi radicitus explicabat naturam imperij, posuit in recto quod est ex parte Intellectus, & ex corpore articuli debet constare clara mens D.Thomæ.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum respondetur, quòd imperium verum est quod importat motionem ad exercitium operis non solùm moralem, sed etiam physicam, principaliùs tamen & formalius importat ordinem & intimationem: vnde licet primum sit Voluntatis; quia tamen secũdũ est Intellectus absolutè, imperiũ pertinet ad Intellectũ, & non ad Volũtatẽ: & per hoc patet ad confirmationem.

Ad 3 arg. Ad tertium respondetur, quod libertas est duplex: altera causalis & radicalis; altera verò causata & formalis. Prima pertinet ad Intellectum: Secunda ad Voluntatem; & secunda est effectus primæ; licèt postmodùm quæ est in Voluntate causata ab Intellectu, redundet ad ipsum Intellectum, vt sit formaliter in illo per participationem

à Vo-

à Voluntate, quod prius erat ei intrinsecũ, vt in causa, & in radice, imperiũ, ergo vtrãq; libertatẽ habet, sed secũdã habet prę supositiuẽ à volũtatẽ. Primã autẽ in trinsicè ex proprijs ipsius Intellectus; & hęc est quę principaliùs & formaliùs pertinet ad rationẽ imperij, vnde per esse in trinsicè liberum tali libertate radicali, nõ probatur esse actum Voluntatis, sed potiùs Intellectus.

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur, quòd ad cõpulsionem vtrumque concurrit, & intimatio, & motio: & principaliùs intimatio, & cùm hæc pertineat ad Intellectum, imperium importans compulsionẽ, formaliùs & principaliùs ad Intellectum debet pertinere.

Ad 5. argu. Ad quintum respondetur, quòd cùm Intellectus & voluntas sint potentiæ immateriales, possunt reflecti supra se, Voluntas potest velle ipsum velle, & sic Intellectus potest sibi ipsi imperare, vt dicetur infra art. 6. & tunc vnus actus erit imperium & alius erit imperatus; & ratione vnius actus Intellectus erit imperans, & ratione alterius erit imperatus.

Ad 6. arg. Ad sextũ respondetur, quòd imperare, large loquendo, pertinet ad superiorem in ratione mouentis, & sic pertinet ad Voluntatem, vt dictum est, imperium autẽ, propriè loquendò, non pertinet ad superiorem vtcunque, sed ad superiorem simpliciter: simpliciter autem superior est Intellectus, & sic ad ipsum pertinet imperare.

Ad 7. arg. Ad septimum respondetur similiter, quod Charitas imperat imperio largè sumpto, & sic pertinet ad Voluntatem; non autem imperat propriè nisi per Intellectum, quem mouet ad imperandum.

Ad 8. arg. Ad octauum argumentum respondetur, quòd ad dominium non sufficit præcisse Voluntas, sed etiam requiritur Intellectus, immò & formaliùs, vt diximus, habet dominium per Intellectum, adquẽ pertinet imperare etiam ipsi Voluntati; quæ Intellectui tenetur obedire: vnde habetur illa vulgatissima sententia *Aristotelis* primo Politicorum, capite 3. quod Ratio principatur appetitui principatu quidem regali, licèt non despotico; hoc enim modo non solùm dominatur appetitu sensitiuo, sed etiam ipsa Voluntate: & sic intelligitur illud 1. Ethic. quòd Ratio deprecatur ad optima: non enim sumitur de precari vt importat inferiori tẽm, sed vt denotetur non dominari Rationem despoticè, necessitando & coercendo quasi seruum, sed regaliter, intimando & mouendo.

Ad 9. arg. Ad vltimum argumentum respondetur, quòd illa diuisio operationis Intellectus si in sua latitudine consideretur, est insufficiens, est enim diuisio operationis Intellectus speculatiui, de quo tunc agebat Arist. vt Logicus imperium autem pertinet ad Intellectum practicum, & sic non continetur in illa diuisione. Secundo Respondetur, quôd etiam in Intellectu practico consimilis diuisio potest fieri, & tunc imperium pertinet ad compositionem: sed compositio Intellectus practici non importat verum vel falsum, sicut compositio Intellectus speculatiui. Alij respondent, pertinere ad simplicem apprehensionem, quia sub illa comprehẽditur quęcumque notitia siue simplex, siue complexa, quæ non est propositio.

2. Solutio.

DVBIVM III.

Vtrùm imperium sit idem actus quod iudicium practicum; an verò ab illo distinguatur.

PRobatur ex D. Tho. hic, nam imperium est actus ordinans ad aliquid agendum cum quandam intimatione: sed hæc reperiuntur in iudicio practico: ergo illud est imperium. Minor probatur, quia iuditium practicum ordinat ad operationem; hoc enim est esse practicum, & præterea denunciat quid sit agendum, ergo. *1. Argu.*

Secundo arguitur: Ex iudicio pratico cum efficaci motione Voluntatis statim sequitur operatio: ergo illud est imperiũ & non est alius actus superfluè assignandus. Patet consequentia, quia imperium est ad quod statim sequitur effectus imperatus. Antecedens etiam patet, quia nihil est quod impediat exequutionem positis illis duobus. *2. Argu.*

Tertiò arguitur. Ad primũ actũ Intellectus & Volũtatis non requiritur actus imperij distinctus à iudicio practico: ergo nec ad alios actus subsequẽtes. Antecedens patet, quia aliâs procederetur in infinitum, consequentia verò patet exparitate rationis. *3. Arguit.*

Quartò arguitur. Actus significatus *4. Arg.*

his

his verbis, fac hoc, est imperiũ; sed actus qui significatur his verbis. Hoc est faciẽdũ, est idẽ quod, fac hoc: ergo etiã erit imperiũ. Tunc vltra: sed actus significatus his verbis. Hoc est faciendum, est iudiciũ practicũ: ergo imperium & iuditiũ practicum conuertuntur. Minor probatur, quoniam aliquando præcipit quis seruo, dicendo, Fac hoc; aliquando verò dicẽdo. Hoc est faciendum: ergo idem est vnum atque alterũ. Quintò arguitur. In Deo non distinguitur imperiũ â iudicio practico: ergo nec in nobis. *Antecedens* Patet, quia Deus est causa rerum per scientiam practicam, ad iuncta *Voluntate*: ergo non per imperium quod distinguatur ab ciusmodi scientia & voluntate.

1. Senten. Ioan. May. Henrit. Vazquez. Lorca. Buridan.

Propter argumenta posita tenet hanc sententiam Ioannes Maior in 3. dist. 33. q. 7. Henricus quodlib. 4. q. 1. Vazquez & Lorca hic, Buridanus 10. Ethicorum, q. 5 vbi distinguit de duplici iudicio; alterũ est quod præcedit electionem, quo iudicat de bonitate vel conuenientia rei: alterum verò quod post electionem sequitur. Dicit ergo, quòd primum iudicium est speculatiuum; secundum verò est practicum: imperium ergo non identificatur cum primo iuditio, bene tamen cum secundo. Sed certè Buridanus in hac parte loquitur vt asinus eius: Nam iudicium de bonitate & conuenientia, siue præcedat, siue sequatur electionem, semper est practicum; quia semper dicit ordinem ad opus; de quocunque ergo iuditio practico procedit quæstio.

Concl.

Conclusio sit, quòd imperium non est idem actus quod iuditium practicum Intellectus, sed alius distinctus, qui explicatur his verbis, Fac hoc. Hæc est Arist. vbi supra distinguentis, vt diximus, inter Synesim, quę ponitur ad iudiciũ, & Prudentiam, quæ ponitur ad imperium: si enim ad diuersas virtutes pertinent iudicium & imperium, diuersi actus debent esse. Est etiam D. Thomæ hic, & 2. 2. q. 51. art. 2. ad secundum, vbi dicit, præcedere consilium sequi iuditium, & vltimum esse præceptum. Illum sequitur Valencia disp. 2. q. 10. puncto 1. Cordubalibro 2. q. 10. Scotus 1. dist. 1. art. 1. Molina in concordia & 1. p. q. 23. art. 1. disp. 2. Ricardus 1. dist. 33. art. 2. q. 6. ad 3. Carthusianus in summa Fidei lib. 3. cap. 141. Gabriel super Canonem lectio. 61. Videatur Ferrara 3. contra Gentes, capit. 95. Capreolus 1. dist. 1. quæst. 2. consl. 9 & in 3. dist. 36. et quæ tenè omnium. Secundò probatur similibus rationibus, quibus probauimus non esse actum Voluntatis; nam iudicium non habet vim obligandi inferiores: imperium autem sic: ergo non sunt idem. Tertiò probatur; nam obstante iudicio de rebus agendis, aliquando non statim sequitur recta operatio: sed, vt dicebamus, stante imperio, statim sequitur operatio: ergo non sunt idem. Maior patet infra quæst. 77. art. 2. vbi agitur, qualiter rectè iudicantes à passione superati succumbant & prauè operentur. Quartò probatur; quia in legislatore ponitur imperium distinctum à iudicio practico: ergo etiam in priuatis hominibus respectu suarum operationum. Antecedens probatur, & habetur infrà q. 90. art. 1. legislatio enim qua coarctat subditos, quid distinctum est à iudicio.

Arist.

D Tho. Valencia. Corduua. Scotus. Molina. Ricard. Cartusian.

Ad 1. arg.

Ad primum argumentum respondetur, illa duo requiri ad imperium, sed non sufficere; quia præter ea requiritur motio ad opus, quam non habet iudicium practicum proximè & formaliter, sed solùm remotè, & radicaliter.

Ad 2. arg.

Ad secundum respondetur; quòd Voluntas non habet efficaciter mouere alias potentias, nec seipsam nisi mediante imperio superueniente ad iuditium.

Ad 3. arg.

Ad tertium, negatur consequentia: nã illi primi actus non sunt deliberati; vnde non cadunt sub imperio: sequentes autem cùm sint deliberati, deliberati, sub imperio cadunt, & illud requirunt.

Ad 4. arg.

Ad quartũ respondetur, quòd ly Hoc est faciendũ, potest tripliciter accipi. Primò nominaliter, & tunc est sensus, Dignum est vt hoc fiat. Secundò participialiter, & sic est quædam assertio simplex effectus futuri. Tertiò solet accipi æquiualẽter pro eodem quod Fac hoc Primo & secũdo modo pertinebunt ad iudiciũ, & sic non est imperiũ, quia sic nõ importat motionẽ. Tertio verò modo nõ est iudicium, sed imperium, & actus distinctus à iudicio.

Ad 5. arg.

Ad quintũ negatur cõsequẽtia, quia in Deo nõ sunt distinctæ potẽtiæ; quarũ vna obediat alteri, sicut in nobis, nec Dei actiones ordinantur infinẽ, sicut nostræ: cũ autẽ imperiũ sit superioris in ordine ad

ad inferiorem, & de actionibus ordinatis in finem, in nobis ponitur imperium, nō autem in Deo: vnde D. Tho. 1. p. q. 22. art. 1. ad primum, dicit, in Deo non esse prouidentiam sui ipsius, quia non ordinabilis in finem.

ARTICVLVS II.

Vtrûm imperare pertineat ad bruta.

Sup. q. 11. art. 1. cor.

AD secūdum sic proceditur. *Videtur, quôd imperare, cō ueniat brutis animalibus. Quia secundum Auic. virtus imperans motum, est appetitiua, & virtus exequens motum, est in musculis, & in neruis: sed vtraque virtus est in brutis animalibus: ergo imperium inuenitur in brutis animalibus.*

2. Præterea. De ratione serui est quòd ei imperetur: sed corpus comparatur ad animam, sicut seruus ad dominū, Cap. 1. ad med. *sicut dicit Philosophus in 1.* * *Polit. ergo corpori imperatur ab anima, etiam in brutis, quæ sunt composita ex anima & corpore.*

Lib. 2. c. 22 *3. Præterea. Per imperium homo facit impetum ad opus: sed impetus in opus inuenitur in brutis animalibus, vt* * *Dam. dicit ergo in brutis animalibus inuenitur imperium.*

Sed contra, Imperium est actus Rationis, vt dictum est: sed in brutis non est Ratio: ergo nec imperium.

Respondeo, dicendum, quòd imperare, nihil aliud est, quàm ordinare aliquem ad aliquid agendum, cum quadam intimatiua motione. Ordinare autem est proprius actus Rationis: vnde impossibile est, quôd in brutis animalibus, in quibus non est Ratio, sit aliquo modo imperium.

Ad primum ergo, dicendum, quòd vis appetitiua dicitur imperare motum, inquantum mouet Rationem imperantem: sed hoc est solûm in hominibus: in brutis autem animalibus virtus appetitiua non est propie imperatiua, nisi imperatiuum sumatur largè pro motiuo.

Ad secundum, dicendum quòd in brutis animalibus corpus quidem habet vnde obediat: sed anima non habet vnde imperet, quia non habet vnde ordinet, & ideò non est ibi ratio imperantis, & imperati, sed solûm mouentis & moti.

Ad tertium, dicendum, quôd aliter inuenitur impetus ad opus in brutis animalibus, & aliter in hominibus. Homines enim faciunt impetum ad opus per ordinationem Rationis, vnde habet in eis impetus rationem imperij: in brutis autem fit impetus ad opus per instinctum naturæ: quia scilicet appetitus eorum statim apprehenso conuenienti, vel inconuenienti, naturaliter mouetur ad prosequutionem, vel fugam: vnde ordinātur ab alio ad agendum, non autem ipsa seipsa ordinant ad actionem, & ideò in eis est impetus, sed non imperium.

Conclusio. Est impossibile quòd in brutis sit aliquomodo imperium. *Concl.*

Sed contra istam conclusionem argumentor primò ex D. Thoma supra quæstion. 11. art. 2. vbi ait, quòd potentiæ appetitiuæ brutorum non sunt impe- *1. Arg.*

imperantes libere: ergo supponit quod aliquo modo sunt imperantes, & consequenter cõtradicit sibi hic, cùm ait, quòd in brutis nullo modo est imperium.

2. Arg. Secũdo argumentor: nam in brutis aliquo modo est cognitio finis, qua etiã ratione dicuntur agere propter finem, si non formaliter, quia non cognoscunt habitudinem mediorum adfinem, tamẽ materialiter: ergo eodem modo erit imperium in brutis, si non formaliter, tamen materialiter.

Ad 1. arg. Ad hoc tamen respondetur per distinctionem supra positam de imperio propriè sũpto & largè accepto. Primo enim modo in brutis esse non potest, quia imperium isto modo dicit libertatem & formalem habitudinem ad finem cum collatione mediorum, quibus omnibus bruta carent; & quia D. Tho. hic agit de imperio isto modo, quatenus aliquis per imperium est Dominus suorum actuum, ideô dicit, nullo modo imperium reperiri in brutis. Si autem loquamur de imperio largè accepto, vt est idem quod mouere, qualiter diximus etiam Voluntati competere, imperare sic reperitur in brutis: quod solutione ad primum insinuauit D. Tho. dicens quòd virtus appetitiua dicitur aliquando imperare, verè enim brutum mouet potentiam ad operandum, & sic aliqualiter potest dici imperare. Et per hoc pàtet ad primum, hic enim loquitur strictè de imperio supra autem loquutus fuerat de imperio largè sumpto.

Ad. 2. arg. Ad secundum respondetur, quôd agere propter finem, est nomen commune; vnde sufficit quòd bruta materialiter cognoscant finem, vt dicantur agere propter illum: imperare verò est nomen magis particulare, ex propia ratione formali importans libertatem & dominium actus; quare de brutis verificari nõ potest absolutè loquendo, nisi super addito impropriè & largè.

ARTICVLVS III.

Vtrũ vsus præcedat imperiũ.

SIC ad tertium proceditur. Videtur, quod vsus præcedat imperium. Imperium enim est actus Rationis, præsupponens actũ Voluntatis, vt supra dictum est ✻ sed vsus est actus Voluntatis, vt supra dictum est: ✻ ergo vsus præcedit imperium. Art. 1. q. 16 art. 1.

2. Præterea Imperium est aliquid eorum quæ adfinem ordinantur: eorum autem quæ sunt adfinem, est vsus: ergo videtur, quòd vsus sit priùs quàm imperium.

3. Præterea Omnis actus potentiæ motæ à Voluntate, vsus dicitur; quia Voluntas vtitur alijs potentijs, vt suprà dictum est: sed imperium est actus Rationis, prout mota est à Voluntate, sicut dictum est: ✻ ergo imperium est quidam vsus: commune autem est prius proprio: ergo vsus est priùs quàm imperium. Quæst. 16. art. 1.

Sed contra est quod Dam. dicit, quòd impetus ad operationem, præcedit vsum, sed impetus ad operationẽ fit per imperium: ergo imperium præcedit vsum. Li. 2 ortbod. fidei c. 22.

Respondeo, dicendum, quod vsus eius quod est ad finem, secundum quod est in Ratione referente ipsum in finem, præcedit electionem, vt supra dictum est: ✻ Vnde multo magis præcedit imperiũ: sed vsus eius, quòd est adfinem, secundùm quòd subditur potẽtiæ exequutiuæ, sequitur imperium, eo quod vsus vtentis cõiunctus est cum actu eius quoquis vtitur: Non enim vtitur aliquis baculo, ante quàm aliquo modo per baculũ operetur: imperiũ autẽ nõ est simul cum actu eius cui imperatur, sed naturaliter prius est imperiũ quã imperio obediatur, & aliquãdo etiam est prius tempore: vnde manifestum est quod imperium est prius quàm vsus. Quæst. præced. art. 4

Ad

Ad primum ergo, dicēdum, quòd non omnis actus Voluntatis præcedit hunc actum Rationis qui est imperium; sed aliquis præcedit, scilicet electio, & aliquis sequitur, scilicet vsus, quia post determinationem consilij, quæ est iudicium Rationis, Voluntas eligit, & post electionem Ratio imperat ei per quod agendum est quod eligitur; & tunc demum Voluntas alicuius incipit vti, exequendo imperium Rationis; quādoque quidem Voluntas alterius, cùm aliquis imperat alteri; quandoque autem Voluntas ipsius imperantis, cùm aliquis imperat sibi ipsi.

Ad secundum, dicendum, quòd sicut actus sunt præuij potentijs, ita obiecta actibus, obiectum autem vsus est id quod est ad finem: ex hoc ergo quòd ipsum imperium est ad finem, magis potest concludi, quòd imperium sit prius vsu, quàm quòd sit posterius.

Ad tertium, dicendum, quòd sicut actus Voluntatis vtentis Ratione ad imperandū, præcedit ipsum imperium: ita etiam potest dici, quòd & istum vsum Voluntatis præcedit aliquod imperium Rationis, eo quòd actus harum potentiarum supra se ipsos inuicem reflectuntur.

1. *Concl.* Prima conclusio. Vsus actiuus, quo Voluntas applicat Intellectum ad consiliandum, & iudicandum de medijs, est prior quàm imperium.

2. *Concl.* Secunda conclusio. Vsus quo Voluntas applicat potentias exequutiuas ad operationem, est posterior imperio.

DVBIVM I.

Vtrùm imperium sequatur immediatè ad actum electionis.

PArs affirmativa probatur primò ex D. Tho. hic ad primum, dicēte, quòd statim post electionem Intellectus imperat quod agendum est: ergo immediatè sequitur imperium ad electionem. 1. *Arg.*

Secundò argumentor. Ex omni volitione efficaci sequitur immediatè aliquis effectus: sed electio est efficax volitio: ergo ad illam aliquis effectus debet sequi: sed non potest assignari alius immediatior, quàm imperium: ergo. 2. *Arg.*

Dico primo, quòd probabiliter potest asseri quod probant argumenta: sic enim tenet Soto. 1. de iustitia, q. 1. ar. 1. ad secundum, &, vt videtur, Caiet. & Medina q. præcedenti ar. 4. vbi enumerantes actus cōcurrentes ad operationem externam, nullum assignant intermediū actū inter electionem & imperiū: & huic sententiæ videtur fauere D. Tho. ibidem, & hic, statim post electionem assignans imperium. 1. *Sentent.* *Soto.* *Caiet.* *Medin.*

Dico secundò, probabiliter etiam, immò forsan probabiliùs, dicitur quòd imperium non sequitur immediatè ad electionem, sed mediat alius actus Voluntatis, quo applicat Intellectum ad imperandum, & sic actus medians erit vsus. Probatur primò, nam applicare aliquam potentiam ad operandum, est vsus, vt suprà diximus: ergo quòd Intellectus applicetur ad imperandum, per vsum debet fieri, & non per electionem: ergo inter electionem & imperium mediabit vsus. Secundò probatur. Voluntas per vsum applicat Intellectum ad consultandum, & cōsiliandū, & eligendum: ergo similiter ad imperandum: ergo sicut præcedit vsus aliquis ad consilium & electionē, vt suprà diximus, sic etiam & aliquis vsus præcedet ad imperiū post electionem: quod & insinuat D. Tho. hic ad tertiū, vbi ait, quòd actus Volūtatis vtentis Ratione ad imperādū, præcedit ipsum imperiū: vnde standoin hac secunda conclusione, respondetur 2. *Sent.*

Ad primum, quòd cùm D. Tho. dicit, quòd post electionē sequitur imperium, nō excludit, sed supponit vsum actiuum Voluntatis, qui immediatius se habet ad *Ad 1. arg.*

imperium, sicut & ad quemlibet alium actum: enumerat enim actus speciales, supponit autem generalem ad exercitium cuiuscũque actus: enumerãdo autẽ speciales, bene enumerat post electionem imperiũ.

Ad 2. arg. Ad secundũ respondetur, quòd efficacia electionis stat in eo, quòd ex ea sequatur vsus, & ex illo imperium, non autem quòd imperium sequatur immediatè ad electionem.

Ad funda. 2. Sent. Sed tenendo priorem sententiã, quam diximus probabilem, respondetur ad fundamentum secundæ sententiæ, quòd vsus est induplici differentia, vt suprà diximus, alter perfectus, alter verò imperfectus. Perfectus quidem distinguitur ab electione, & talis sequitur ad imperium, per quem applicantur potentiæ ad exequutionem actus imperati. Secundus autẽ non differt ab electione, sed ipsa electio quodammodò habet rationem vsus, vt ex illa sequatur imperium; itaque electio habet rationem electionis, in quantum est præacceptatio vnius relicto alio: habet autem quodammodò rationem vsus, inquantum efficaciter mouet Intellectum ad imperandum; & sic poterunt conciliari diuersa loca D. Th. *D. Tho.* Quando enim ait, vsum non mediare, sed sequi ad imperium, loquitur de vsu perfecto, & applicatione ad opus; quãdo autẽ insinuat, vsum præcedere ad imperiũ, loquitur de vsu imperfecto & applicatione ad imperandum; qui vsus secundũ priorẽ sententiã non distinguitur ab electione nisi formaliter, & iuxta secundam sententiã est actus distinctus realiter medians inter electionem & imperium.

DVBIVM II.

Vtrùm imperium semper sequatur post electionem.

1. Arg. PArs affirmatiua probatur. Primò ex D. Tho. hic, vbi ait: Nec omnis actus Volũtatis præcedit imperiũ, nec omnis sequitur, sed antecedit aliquis, nẽpe electio, & sequitur aliquis, nẽpe vsus: ergo de mẽte D. Tho. imperiũ semper sequitur electionem & est posterius illa.

2. Arg. Secũdò arg. Per imperiũ applicãtur potẽtiæ ad exequutionẽ eorũ quæ præiudicata sunt cõcurrere ad finẽ: sed talis applicatio præsupponit electionẽ, antequã fiat iudiciũ conueniẽtiũ ad finẽ: ergò & imperium supponit iam electionem factam.

1. Sent. Hãc sententiã tenet Soto. 7. de iustitia. q. 1. ar. 2. & cũ ipso aliqui Thomistæ existimãtes hanc esse mẽtẽ D. Th. Oppositã tenet Caiet. 2. 2. q. 88. art. 1. & Medinahic, & alij Thomistæ cum ipso. *Soto. 2. Sent. Caiet. Medin.*

Pro resolutione notãdũ, imperiũ esse duplex. Vnum, quòd versatur circa potẽtias exequutiuas, eas applicando ad vsum passiuũ. Aliud verò, quod versatur circa ipsam Voluntatẽ, applicãdo eã ad actum electionis. *Not.*

Hoc supposito, dicimus, imperiũ quod versatur circa potẽtias exequutiuas, semper esse post electionẽ: & hoc probant argũmẽta posita: imperiũ autẽ secũdo modo antecedit electionẽ. Hæc est communior Thomistarũ, & probatur primò ex D. Tho. hic ad. 3. vbi ait: Vsus actus Volũtatis, quo applicat Intellectũ ad operãdũ, præcedit imperium: sed ad illũ vsum præcedit aliquod aliud imperiũ: ergo de mẽte D. Th. aliquod imperiũ præcedit electionẽ; nã ille vsus actiuus prior est electione: ergo si illũ præcedit aliquod imperiũ, hoc antecedit ipsam electionẽ. Secũdò probatur. Actus qui cadunt sub nostra potestate, cadunt etiam sub imperio, imperiũq; illos præcedit: sed electio est actus cadens sub nostra potestate, cũ sit actus maximè liber: ergo illa cadit sub imperio, & consequenter imperiũ præcedit illã. Tertiò probatur. Electio multo magis est actus virtutis moralis, quã actus potẽtiæ exequutiuę: sed vt iste secũdus sit actꝰ virtutis, oportet dimanare ex imperio Rationis: ergo multo magis electio prærequirit eiusmodi imperiũ. Confirmatur, quia actus Prudentiæ præcedunt rectã electionẽ quãfaciunt virtutes morales: sed actus Prudentiæ est imperare: ergo imperium præcedit electionem. Maior probatur ex definitione virtutis, quod virtus est habitus electiuus in mediocritate consistens, prout sapiens determinauerit. Minor patet ex differentia supra posita inter Prudentiam & Synesim. Confirmatur secundò, quia Prudentia est ductrix omniũ virtutũ moraliũ: ergo virtutes morales nõ possunt facere electionẽ, nisi præuio imperiò & ducatu Prudẽtiæ. Vltimò probatur, quia absurdũ videtur, dicere quòd præceptũ Prudẽtiæ sit necessariũ ad exequutionẽ operis, quæ in moralibus tenet vltimũ locũ; & quòd nõ prærequiratur ad electionẽ rectã & efficacẽ, quæ in moralibus tenet primã sedẽ: ergo. Et per hoc patet ad argumẽta posita à principio; probãt enim de imperio

perio sumpto primo modo in notabili, respectu potentiæ exequutiuæ.

DVBIVM III.

Vtrùm imperium quod ponitur respectu potētiæ exequutiuæ, quod diximus esse post electionē & ad illā sequi, sequatur necessariò; an verò libere ex tali electione.

1. *Arg. Almayn.* RAtio dubitandi est, quam ponit Almayn loco citato, nā si sequitur necessariò, nō habebit nouam libertatē neque nouum meritum atque habet electio: & cū vsus necessariò sequatur ad imperiū, similiter nec in illo erit noua libertas, nec meritum, & consequenter nec imperium dandi eleemosynam, nec ipsa datio eleemosynæ erunt meritoria nouo merito. Si autem imperium sequitur liberè ad electionem, cùm vsus sequatur necessariò ad imperiū, tūc tota ratio meriti erit in imperio, & nulla in vsu & exequutione operis. Sed certè hoc argumētū Almayn nullā habet difficultatē, siue imperiū sequatur necessariò, siue liberè ad electionē: si enim necessariò sequit, poterit dici nōesse incōueniens nō esse nouū meritū in imperio atq; in electione; sicuti nec est nouū meritū in actu exteriori, atq; in interiori. Vel potest etiā dici, q̄ sequi necessariò, nō tollit nouā rationē meriti ab imperio, quia illa necessitas tātū est ex suppositione electionis; q̄d nō tollit absolutè esse liberū, sicut suprà diximus de electione medij vnici & necessarij, quæ necessariò sequitur ex intentione finis. Si autem dicatur, imperiū sequi liberè ad electionē. idē potest dici de vsu respectu imperij, cū vsus ad imperiū necessario sequat, vel q̄ nō habeat nouū meritū, vel quòd non desinit habere; quia tātū est necessitas ex suppositione imperij; tūc autē ipsum imperiū nouā rationē meriti habebit ab electione, & nō refundetur ratio meriti vltimatè ad imperium, sed ad ipsam Volūtatē, à qua per proprīū actū liberum applicatur Intellectus ad imperandū post electionē. Habebit autē maiores vires argumentum Almayn hoc modo propositum; nam si imperiū sequitur ex necessitate ad electionē tūc nō esset necessaria Prudētia ad imperādū; quod est cōtra veritatē & Arist. vt iā diximus. Sequella probatur, nā si sequitur necessariò ex electione, sufficiet illa virtus moralis, quæ facit rectā electionē; nā q̄d sufficit ad antecedēs, sufficit etiā ad consequēs necessariò sequutū ex antecedenti. Et etiā videtur cōtra experiētiā, quòd imperium ex necessitate sequatur, quia postquā quis elegit, multoties ad huc manet segnis ac deses ad operandum ex defectu imperij; quæ dicitur inconstātia à D. Th. 2. 2. q. 53. art. 1. Si autēdicatur, quòd imperiū sequitur liberè; tunc vel sequitur immediatè, vel medio alio actu. Primum nō potest dici, quia nō posset assignari ratio quare aliquādo sequatur imperium ad electionem, aliquādo verò nō: dicere autē quòd mediet actus, & tūc ratione actus mediātis sequitur imperiū, & defectu talis actus non sequitur; hoc non apparet verum, quia videtur fictitius talis actus medians.

Conclus. Respondetur tamē ad dubiū, quòd imperium sequitur liberè ex electione; vnde modò sequitur, modò nō sequitur, vt probatum videtur experiētia. Quare autē modò sequatur, modò verò non, & sit in potestate eligētis imperare, vel nō imperare, diuersimodè explicat à diuersis: qui enim tenēt, electionē & imperiū esse act⁹ immediatos, dicūt ex eo prouenire, q̄ nō sequat aliquādo imperiū; quia electio est lāguida, tepida, & remissa: tūc verò sequit, quando electio est fortis & concitata, seu efficax. Vel aliter potest dici, quòd quādo electio est solùm in generali de aliquo medio, nō determinādo cōditiones particulares, tūc non sequitur imperium: si autē electio sit in particulari cū omnibus circunstantijs, vt, Volo hic & nunc scribere, tūc sequitur imperium: ad hoc autem ponitur Prudentia, vt electio fiat efficax vel nō, & sic cōsequatur, vel non consequatur imperium. Qui autem sentiunt nobiscum, inter electionem & imperium mediare vsum & applicationem, dicunt, aliquando sequi imperium, aliquando verò non: quia aliquando ponitur talis vsus & applicatio post electionem, aliquando verò non ponitur. Sed certè idem potest interrogari de tali vsu & applicatione, sicut de imperio, quare ponatur aliquando, quare verò aliquando non ponatur, stante electione: vnde recurrendum erit ad priorem solutionem de efficacia, vel non efficacia electionis: quod enim alij dicunt de electione in ordine ad imperium, quòd quando est efficax electio, sequitur imperium; nō verò quando est inefficax; id ipsum nos possumus dicere de electione in

ordine ad vsum qui mediat ante imperiū, quòd si electio est efficax, sequitur talis vsus, nō autē si electio sit inefficax. Vel melius potest dici, quòd sequi vel non sequi vsum & applicationem ad imperium stante electione, prouenit ex natura ipsius libertatis, quæ in eo consistit, vt positis omnibus requisitis ad operandum, possit operari, vel non operari; pro suo libito dumtaxat: si ergo diximus, quòd imperiū, vel applicatio ad ipsum, sequitur liberè ad electionem, non necessarium est quærere specialem causam, quare modò sequatur, modò verò non, præter ipsam libertatem.

DVBIVM IIII.

Vtrùm posito imperio, necessariò sequatur vsus & applicatio ad opus in potentia exequutiua.

1. Sentent. Salas. IN hac re est sententia quam tenet Salas hic tract.a.6. disp.2.sect.5. quòd etiam stante imperio, nō sequitur necessariò vsus & exequutio operis. Eandem tenet *Adrian. Suarez.* Adrianus quodlibeto.4. circa principiū, litera A. in fine, & idem insinuat Suarez tom.1.Metaph.disp.19.sect.6.

Not. Pro intelligentia notādum, vt suprà diximus, quòd vsus actiuus Voluntatis distinguitur realiter ab vsu passiuo cęterarū potentiarum, vt ab vsu oculorum, auriū, &c. cùm vsus actiuus sit operatio elicita à Voluntate immanens subiectiuè in illa: vsus autem passiuus aliarum potentiarum sit actus subiectiuè existēs in alijs potētijs. Hoc supposito,

1. Concl. Dico primò. Vsus Voluntatis necessariò sequitur ex imperio efficaci. Ita D. Tho.ar.5.ad primum, & probatur; nam illud imperium & præceptum dicitur efficax, quod mouet ad operandum, & in re inducit effectum: si ergo imperium est efficax, effectus in re debet poni, & consequenter necessariò vsus & applicatio præ requisita ad exercitium talis effectus. Vbi *Not.Capr.* notandum cum Capreolo in 3. dist. 33. quòd aliqui falsò imponunt D. Tho. ex hac ratione ipsum docere, quòd ex iudicio practico Intellectus necessariò sequatur aliqua volitio Voluntatis: nunquàm enim hoc somniauit D.Tho.sed tantūasserit, quòd ex imperio sequitur vsus: imperium autem, vt iam diximus, à iudicio practico distinguitur; & asserere, aliquod iudicium practicum in Via necessitare Volūtatem ad aliquē actū, est contra quendam articulū Parisiensem. Sed de hoc dicto videatur Capreolus in.3.d.36.ad secūdū argumētū Scoti. Hāc cōclusionē etiā tenet Valentia disput.2.q.4.puncto.1.& q.12. *Valent.* puncto.1.& Carthusianus in summa Fidei, cap.141. *Carthus.*

Dico secundò, quòd licèt probabiliter posset dici, in vsu qui necessariò sequitur ad imperium, non esse per se laudē & meritum distinctum à laude & merito ipsius imperij; quia necessarijs nō meremur: probabilē & verius dicitur iuxta supra dicta à nobis, talem vsum habere per se meritum & laudē; quia licèt ex suppositione sit actus necessarius, absolutè tamen habet per se suam libertatē simpliciter; quia simpliciter potest cessari ab illo, cessando simul ab imperio: & hoc sufficit ad meritū distinctum, quod per se suam distinctam habeat libertatē, licèt ex suppositione necessariò connexam cum altera imperij; sicut suprà diximus de electione medij necessarij in ordine ad intentionem. Ex quo *Corolar.* sequitur, quòd in vsu passiuo externorū mēbrorū non est ponēdū nouū meritum vel laus distincta ab vsu actiuo Volūtatis; quia talis vsus passiuus nō habet per se nouā bonitatem, vel malitiam, vel libertatem, præter bonitatē, vel libertatē actus interioris, & ipsius vsus actiui Voluntatis vel imperij efficacis, ad quod, mediāte vsu, necessariò sequitur simpliciter opus externū. Et sicōtra facias argumētū cōtra id qđ prę*Obiectio.* supponit, imperiū necessariò requiri ad opus humanū, ex D.Tho.2.2.q.53.ar.5.vbi di*D.Tho.* cit, quòd sicut præcipitatio est ex defectu circa actū consilij, & inconsideratio circa actum iudicij, ita incōstantia circa actum imperij: ergo sicut colligitur ex hoc, quòd aliquando sequitur actus sine consilio in præcipato, ita etiā quòd sequatur actus sine imperio in incōstanti: Respōdetur, tātū *Solutio.* intēdere D.Tho. quòd sicut effectus præcipitationis tollit cōsilū, ita defectus incōstātiæ tollit imperiū; nō autē intēdit, quod sine imperio possit operari; sicut potest sine cōsilio; quia ablata cōsideratione cōsilij per præcipitationem, adhuc possunt poni actus interni sufficientes ad operandū bene vel malè, & inconsideratè: ablato tamē imperio, nō remanet ex quo possit prorūpere ad opus: cū tota efficacia motionis ad opus proueniat ab imperio: qua ratione diximus, opus externū necessariā cōnexionē habere cū imperio & vsu interiori, ita vt opus externū nō superaddat nouā boni-

bonitatē, vel libertatem: quapropter in cō fessione explicato actu exteriori, nihil remanet amplius explicādū, quia in illo cōfi teturtotam malitiam actus interioris, cùm non habeat aliam prēter illam.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm imperium & actus imperatus sint vnus actus.

Inf. q. 20. arti. 3. cor. & ad 1. & 3. q. 29. ar. 2.

AD quartum sic proceditur. *Videtur quòd actus imperatus nō est vnus actus cū imperio. Diuersarū enim potētiarū diuersi sunt actus: sed alterius potentiæ est actus imperatus, & alterius ipsum imperiū; quia alia est potētia quæ imperat, & alia cui imperatur: ergo nō est idē actus imperatus cum imperio.*

2. Præt. Quæcūq; posūt ab inuicē separari, sunt diuersa: nihil enim separatur à se ipso: sed aliquādo actus imperatus separatur ab imperio: præcedit enim quādoque imperiū, & nō sequitur actus imperatus: ergo alius actus est imperiū ab actu imperato.

3. Præt. Quæcūque se habēt secūdū prius & posterius, sunt diuersa: sed imperium naturaliter præcedit actū imperatum: ergo sunt diuersa.

Sed contra est quod Philosophus dicit †, quòd vbi est vnum propter alterum, ibi est vnum tantùm: sed actus imperatus non est nisi propter imperium: ergo sunt vnum.

Lib. 2. Topic. c. 2. parum â principio, to. 1.

Respondeo, dicendū, quòd nihil prohibet, aliqua esse secundùm quid multa, & secundum quid vnum. Quinimmò omnia multa sunt secūdùm aliquid vnū, vt Dionys. dicit vltim. c. de diuin. nom. † Est tamen differentia attendenda in hoc, quòd quædam sunt simpliciter multa, & secundùm quid vnum; quædā verò è conuerso. Vnum autē hoc modo dicitur, sicut & ens. Ens autē simpliciter est substantia: sed ens secundū quid est accidens, vel etiam entis ratio nis; & ideò quæcunque sunt vnum secundū substantiam, sunt vnum simpliciter, & multa secūdùmquid: sicut totum in genere substantiæ compositum ex suis partibus, vel integralibus, vel essentialibus, est vnū simpliciter: nam totū est ens & substantia simpliciter: partes verò sunt entia & substantiæ in toto. Quæ verò sunt diuersa secundùm substātiā, & vnum secundūm accidens, sunt diuersa simpliciter, & vnum secundùm quid: sicut multi homines sunt vnus populus, & multi lapides sunt vnus aceruus; quæ est vnitas compositionis, aut ordinis. Similiter etiā multa indiuidua, quæ sunt vnum genere vel specie, sunt simpliciter multa, & secundùm quid vnū: nā esse vnum genere vel specie, est esse vnum secundùm rationē. Sicut autem in genere rerum naturalium aliquod totum componitur ex materia & forma, vt homo ex anima & corpore, qui est vnum ens naturale, licèt habeat multitudinem partiū: ita etiam in actibus humanis actus inferioris potētiæ materialiter se habet ad actum superioris, in quantū inferior potentia agit in virtute superioris mouentis ipsam; sic enim & actus mouentis primi formaliter se habet ad actū instrumēti: vnde patet, quòd imperium & actus imperatus sunt vnus actus humanus, si-

Cap. vlti. paulò post principium

cut quoddam totum est vnū, sed est secundùm partes multa.

Ad primum ergo, dicēdum, quòd si essent potentiæ diuersæ ad inuicē non ordinatæ, actus earū essent simpliciter diuersi; sed quādo vna potētia est mouens alteram, tunc actus earum sunt quodammodò vnus; nā idem est actus mouentis & moti; vt dicitur in.3. Phys.†

Text. 20. & 21. & proximo præcedent. tom.2.

Ad secundum, dicendum, quòd ex hoc quòd imperium & actus imperatus possūt ab inuicem separari, habetur quòd sunt multa partibus; nam partes hominis possunt ab inuicem separari; quæ tamen sunt vnum toto.

Ad tertium, dicendum, quòd nihil prohibet, in his quæ sunt multa partibus & vnum toto, vnum esse prius alio: sicut anima quodāmodò est prius corpore, & cor est prius alijs membris.

Cōclusio est, quòd in genere entis sunt duo, in genere autē moris sunt vnus actus.

Vnde pro hac cōclusione teneatur doctrina vltimò tradita in præcedenti articulo, & amplior disputatio remittatur infrà ad quæstionem 20. vbi de hoc iterum redibit sermo, & similiter in materia de merito: modò autem habeatur vt certa doctrina huius articuli, quam acceptat Vazquez hic, & Valentia disp. 2. q. 12. punct. 4. Salas hic, D. Antoninus 1. p. titulo 4. c. 10. §. 1. & omnes discipuli D. Tho. cū illo. Interim tamē notādū, quare peculiariter D. Tho. quæsierit de imperio & actu imperato, cū sint vnus actus: & hoc nō quæsierit de alijs actibus, puta de electione & imperio, vel de intētione, & electione. Respōdetur tamē, hoc fuisse necesse inquirere, quia vt diximus, ita necessariò sequitur in exercitio actus imperatus ex imperio sine noua libertate, vt merito possit dubitari, vtrū sit idē actus vel nō: vnde in cōfessione nō est opus explicare duo, sed sufficit vnū explicare; vt si, verbi gratia, occidit hominē, sufficit hoc dicere, & nō tenetur explicare habuisse imperiū talis occisionis, vel applicuisse potētias vel arma ad occisionē, quia omnia ista ex necessitate cōnectūtur.

Vazquez. Valentia. Salas. D. Anton.

Circa regulā quā tradit D. Tho vt dignoscatur quādo res aliqua est simpliciter vna, vel simpliciter plura, nēpe ꝙ quando est vna substātia, est simpliciter vna, licèt sit plura in alio genere; aduertēdū, hoc debere intelligi in genere entis, nā absolutè loquēdo, regula generalis debet esse, inspicere ad propriā significationem nominū. Verbi gratia, domus simpliciter est vna, licèt sunt plures substātiæ, quia ex propria significatione nō significat formaliter substantiam, sed formam accidētalē, quæ vna est in pluribus substātijs. Similiter si quæratur, vtrùm humanitas sit vna simpliciter in omnibus hominibus, licèt Scotus in .3. dist. 1. q. 1. dicat, quòd est vna simpliciter per indifferentiam quam habet respectu omnium: nihilominus absolutè dicendū est, hoc esse falsum, quia humanitas ex propria significatione importat substantiam, & nō est in omnibus hominibus vna substātia, sed plures; siue humanitas distinguatur formaliter â suppositis, vt vult Scotus, siue non: est autē humanitas vna secundū quid tantùm propter vnitatē rationis speciei, vel vniuersalis, quæ est vnitas secundùm quid.

ARTICVLVS V.

Vtrùm actus Voluntatis possit esse imperatus.

Sic ad quintum proceditur. Videtur, quòd actus Voluntatis nō sit imperatus. Dicit enim Augustin. in 8.† Confes. Imperat animus: vt velit animus, nec tamen facit: velle autē, est actus Voluntatis: ergo actus Voluntatis non imperatur.

2. d. 24. q. 1. art. 1. cor. 1 Mal. q. 3. art. 3. ad 5. Cai. 9 parum ante medium tom. 1.

Secundò præterea. Ei conuenit imperari, cui conuenit imperium intelligere: sed Volūtatis non est intelligere imperium; differt enim Voluntas ab Intellectu, cuius est intelligere: ergo actus Voluntatis non imperatur.

Tertiò

Tertiò præterea Si aliquis actus Voluntatis imperatur, pari ratione omnes imperãtur: sed si omnes actus Voluntatis imperãtur, necesse est in infinitum procedere, quia actus Voluntatis præcedit actum imperantis Rationis, vt † dictum est; qui Volũ- Art. 1. *tatis actus si iterum imperatur, illud iterum imperium præcedet aliquis Rationis actus, & sic in infinitum: hoc autẽ est inconueniens quòd procedatur in infinitum: non ergo actus Voluntatis imperatur.*

Sed contra. Omne quod est in potestate nostra, subiacet imperio nostro: sed actus Voluntatis sunt maximè in potestate nostra: nam omnes actus nostri in tantum dicuntur in potestate nostra esse, in quantum voluntarij sunt: ergo actus Voluntatis imperantur à nobis.

Respondeo, dicendum, quòd, sicut † dictum est, imperium nihil aliud est, quàm actus Rationis ordinantis cum quadam motione aliquid ad agendum. Manifestum est autem, quòd Ratio potest ordinare de actu Voluntatis: sicut enim potest iudicare quòd bonum sit aliquid velle, ita potest ordinare imperando quòd homo vellit: ex quo patet, quòd actus Voluntatis potest esse imperatus. Art. 1.

Ad primum ergo, dicendum, quòd sicut † Aug. ibidem dicit, Animus quando perfectè imperat sibi vt velit, tunc iam vult: sed quòd aliquando imperet, & non velit, hoc contingit ex hoc, quòd non perfectè imperat: imperfectum autem imperium contingit ex hoc, quòd Ratio ex diuersis partibus mouetur ad imperandũ, vel ad non imperãdum; vnde fluctuat inter duo, & non perfectè imperat. Lib. 8. confes. c. 9. circa med. tomo 1.

Ad secundum, dicendum, quòd sicut in membris corporalibus quodlibet membrum operatur nõ sibi soli, sed toti corpori: vt oculus videt toti corpori: ita etiam est in potentijs animæ. nam Intellectus intelligit non solùm sibi, sed omnibus potentijs; & Voluntas vult non solum sibi, sed omnibus potentijs: & ideò homo imperat sibi ipsi actum Voluntatis, in quantum est intelligens & volens.

Ad tertium, dicendum, quòd cùm imperium sit actus Rationis, ille actus imperatur, qui Rationi subditur: primus autem Voluntatis actus ex Rationis ordinatione nõ est, sed ex instinctu naturæ, aut superioris causæ, vt † supra dictum est: & ideò non oportet quòd in infinitum procedatur. q. 9. ar. 4.

Conclusio est affirmatiua. 1. Arg.

Sed primò argumentor contra ilam ex ipso D. Tho. 2. sententiarum dist. 24. ar. 1. q. 1. vbi ait, quòd Voluntas imperat omnibus potentijs; ipsa autem à nulla imperatur: ergo sibi contradicit, vel ista cõclusio est falsa.

Secundò argumentor. Imperium non est sine virtute motiua, vt diximus: sed Intellectus nullam potest habere virtutẽ motiuã respectu Volũtatis: ergo Volũtas nõ potest imperari ab Intellectu. Minor patet, quia omnis virtus motiua est in Voluntate: ergo non potest esse in Intellectu respectu ipsius Voluntatis. 2. Arg.

Tertiò argumentor, quia aliàs sequeretur, quòd idẽ esset mouens & motũ respectu eiusdẽ; quod est impossibile. Sequella probatur, quia Volũtas mouet Intellectũ ad exercitium: ergo si è contra Intellectus 3. Arg.

mouet Voluntatē etiam ad exercitiū; tam Intellectus, quàm Voluntas sunt ad inuicem mouens & motum.

Not. 1. Pro intelligētia notādum primò, quòd actus Voluntatis sunt in duplici differentia: quidam naturales, non subiecti imperio Rationis, in quibus Volūtas agit vt natura; qualis est primus actus, & alij subiti motus: alij verò sunt actus subiecti ordinationi Rationis, & imperio illius. D. Th. nō loquitur de prioribus, sed de secūdis.

Not. 2. Secundò notandum, quòd sicut in actionibus quod primò & perse agit tanquam quod, est suppositum, quia actiones sunt suppositorum, aut subsistentium, potentia autem actiua est agens quo: sic etiā in passionibus quod primò & per se patitur, est suppositum: potentia autē passiua est principium quo, patiendi: sic ergo contingit in imperio; quando enim dicitur, quòd Intellectus imperat & Volūtas imperatur, loquimur de imperante & imperato quo, nam quod imperat, est homo per Intellectū, & quod imperatur, est homo per Voluntatem.

Conclus. Conclusio ergo. D. Tho. est certa, & probatur primò; nam Voluntas non tantùm est motiua aliarum potentiarum, sed etiam & præcipuè sui ipsius; quia nihil est magis in sua potestate, quàm actus eiusdē: sed, vt est dictum, imperium est eorū quæ sunt in nostra potestate: ergo & actus Voluntatis cadit sub imperio. Secundò probatur. Actus Volūtatis dirigiturà Ratione; quia ex cōformitate vel deformitate ad illā, habet bonitatem vel malitiam: ergo & à Ratione imperatur. Patet cōsequentia, quia quod est gubernatiuū alterius, est etiā imperatiuū illius, vt ait *Arist.* 2. Polit. c. 3. ergo si Intellectus ex sua natura habet dirigere & gubernare actus Voluntatis, consequenter & illos imperare.

Ad 1. arg. Ad primū argumentū respondetur, quòd ibi loquitur D. Tho. de motione actiua, quā diximus etiā appellari imperiū, & sic ait, soli Voluntati competere imperare, & nulli alteri agēti creato, nisi virtute ipsius Volūtatis. Vel loquitur de imperio & motione coactiua, qua Volūtas nullo modo potest moueri ad actus elicitos; alię autē potētiæ sic. Ita explicat Bergomensis dub. 725. Vel loquitur de prima radice imperādi, quæ solū est in Volūtate, & nō in alia potētia: ex virtute autem Volūtatis potest ab Intellectu imperari, & alijs potētijs, & ipsi Voluntati.

Ad secūdū resp. quòd licèt Intellectus nō habeat ex proprijs virtutem motiuam, sufficit habere illam participatam à Volūtate, vt illam & alias potentias possit mouere, & imperare. *Ad 2. arg.*

Ad tertiū resp. bene posse idē esse mouēs & motū, etiā respectu eiusdē, diuerso genere motus: Volūtas ergo mouet Intellectū, illū applicādo: Intellectus autē Voluntatem, illam dirigendo. *Ad 3. arg.*

ARTICVLVS VI.

Vtrū actus Rationis imperetur.

AD sextum sic proceditur. *Videtur quòd actus Rationis non possit esse imperatus. Inconueniens enim videtur, quòd aliquid imperet sibi ipsi: sed Ratio est quæ imperat, vt † supra dictum est: ergo Rationis actus non imperatur.* 1. q. 112. a. 1. ad 1. *Art. 1.*

Secūdò præterea. Id quod est per essentiam, diuersum est ab eo quod est per participationem: sed potentia cuius actus imperatur à Ratione, est Ratio per participationē, vt dicitur in. 1. † Ethic. ergo illius potentiæ actus non imperatur, quæ est Ratio per essentiam. *Cap. vlt. to. mo 5.*

3. Præt. Ille actus imperatur, qui est in potestate nostra: sed cognoscere & iudicare verū, quod est actus Rationis, nō est semper in potestate nostra: nō ergo actus Rationis potest esse imperatus.

Sed contra. Id quod libero arbitrio agimus, nostro imperio agi potest: sed actus Rationis exercētur per liberū arbitriū; dicit enim Dam. † quòd libero arbitrio homo exquirit, & scrutatur, & iudicat & disponit: ergo actus Rationis possunt esse imperati. *Libr. 2. de Fide c. 22.*

Respon-

Respondeo, dicendum, quòd quia Ratio supra se ipsam reflectitur, sicut ordinat de actibus aliarum potentiarum, ita etiam potest ordinare de suo actu: vnde etiam actus suus potest esse imperatus. Sed attendendum est, quòd actus Rationis potest considerari dupliciter. Vno modo quantum ad exercitium actus, & sic actus Rationis semper imperari potest; sicut cùm indicitur alicui quòd attendat, & ratione vtatur. Alio modo quantum ad obiectum, respectu cuius duo actus Rationis attenduntur. Primò quidem, vt veritatem circa aliquid apprehendat; & hoc non est in potestate nostra; hoc enim contingit per virtutem alicuius luminis vel naturalis, vel supernaturalis: & ideò quantum ad hoc actus Rationis non est in potestate nostra, nec imperari potest. Alius autem actus Rationis est, dum his quæ apprehendit, assentit; si igitur fuerint talia apprehensa, quibus naturaliter Intellectus assentiat: sicut prima principia; assensus talium vel dissensus, non est in potestate nostra, sed in ordine naturæ; & ideò propriè loquendo, naturæ imperio subiacet. Sunt autem quædam apprehensa, quæ non adeò conuincunt Intellectum, quin possit assentire vel dissentire, vel saltem assensum vel dissensum suspendere propter aliquam causam, & in talibus assensus ipse vel dissensus in potestate nostra est, & sub imperio cadit.

Ad primum ergo, dicēdum, quòd Ratio hoc modo imperat sibi ipsi, sicut & Voluntas mouet se ipsam, vt † *suprà dictum est, in quantum scilicet vtraque potentia reflectitur supra suum actum, & ex vno in aliud tendit.* † 1.9.art.3.

Ad secundum, dicendum, quòd propter diuersitatē obiectorum quæ actui Rationis subduntur, nihil prohibet, Rationem se ipsam participare, sicut in cognitione conclusionum participatur cognitio principiorum.

Ad tertium, patet responsio ex dictis.

Prima conclusio est affirmatiua. 1.Concl.

Secunda cōclusio. Omnis actus Rationis cadit sub imperio quoad exercitium. 2.Concl.

Tertia conclusio. Notitia apprehensiua non subest imperio Rationis quoad specificationem, si sit de re excedente facultatem Intellectus; non enim potest Intellectus sibi ipsi imperare in Via, vt apprehendat Angelum vt est in se; hoc enim non est in nostra potestate. 3.Concl.

Quarta conclusio. Assensus qui est circa propositiones quæ conuincunt manifestè Intellectum, non cadit sub imperio quoad specificationem; non enim potest Intellectus sibi imperare vt assentiat vel dissentiat huic propositioni, Omne totum est maius sua parte; sed supposito quòd habeat actum, necessariò debet esse assensus. 4.Concl.

Quinta conclusio. Assensus circa propositiones probabiles cadit sub imperio, etiam quoad specificationem. Circa secundam conclusionem, sit 5.Concl.

DVBIVM I.

Vtrùm detur aliquod imperium naturale omnem actum Voluntatis antecedens.

PRobatur primò pars affirmatiua; nam primum imperium non cadit sub imperio, quia deueniendum est ad primum: ergo illud non erit imperatū quoad exercitium, & consequenter non omnis actus Rationis cadit sub imperio quoad exercitium. Minor probatur, quia Intellectus semper mouet Voluntatem per im- 1.Arg.

perium:ergo etiam mouet eam per imperium ad primum actum: ergo huiusmodi imperium à nullo actu Voluntatis præceditur,& consequenter non est actus liber,sed naturalis.Confirmatur, quia si nō deueniretur ad primū imperium naturale, sequeretur, dari processum in infinitum; quod implicat. Sequella probatur, quia si non datur primus actus Voluntatis naturalis, sequitur processus in infinitū, vt ait D.Th.art.præcedenti ad 3. ergo eadem ratione si non datur primum imperium naturale,procedetur in infinitum.

Confir.

2.Arg. Secundò arg.Aliquis actus Voluntatis datur non procedens ex libera motione Voluntatis,purè naturalis:ergo etiam potest dari imperiū naturale,quod non procedat ab Intellectu ex libera motione Voluntatis.Patet cōsequentia,quia nō magis est de ratione actus imperij, quòd procedat ab Intellectu ex motione Voluntatis, quā de ratione volitionis, quòd procedat à Voluntate:ergo sicut potest esse volitio naturalis, sic etiam & imperium naturale omnem actum Voluntatis antecedens.

1. Sentent. Valent. Salas. Propter argumenta posita tenent hanc sentētiam aliqui,vt Valentia disp.2. q. 12. pūcto 5.& Salas in præsenti tracta.6.disp. 2.sect.6.dicit enim,quòd etiāsi regulariter imperiū supponat actum Voluntatis,aliquando tamen potest ex alijs causis quàm à Voluntate prouenire.

Sed oppositā tuentur alij,vtCōrad.hic. *2.Sentent. Conrad. Not.1.* Notandū primò ex D.Th.suprà, quòd licèt omnem actū Volūtatis antecedat aliquis actus Intellectus;non tamen omnem actū Intellectus antecedit aliquis actus Voluntatis; quia posterius supponit primū: primū autē non supponit necessariò posterius;vnde cū Intellectus habeat rationē prioris,deueniendū est ad actū Intellectus præuenientem omnem actum Volūtatis.

2.Not. Secūdò notandū ex dictis art. 1. quòd imperiū nō est quicūque actus Intellect⁹, sed habens virtutē motiuā ad exercitium, quā habere non potest in quantū est ab Intellectu:quia Intellectus ex se non mouet ad exercitium:oportet ergo, talem virtutem habere à potentia per se motiua ad exercitium,qualis est Voluntas.

Conclus. Conclusio est. Nō datur actus imperij naturalis omnem actum Voluntatis præcedens.Probatur primò ex D. Th. suprà, art. 1.asserente,imperium esse actum Intellectus præsupponentem motionem liberam Voluntatis:ergo nequit esse imperiū naturale,si formaliter sumatur,vt imperiū dicit dependentiam ab actu libero Voluntatis,non minùs quàm electio ab actu Rationis:sicut ergo electio esse non potest sine præuio actu Rationis,sic nec imperium sine præuio actu Volūtatis.Secundò probatur ex notabili secundo,nam imperium habet virtutem mouendi ad exercitium: sed hanc non habet ex proprijs Intellectus,qui vt sic,ad exercitium mouere non potest:ergo illam habet à Voluntate:ergo nequit intelligi imperium ad quod non præcedat actus liber Voluntatis,quia aliàs non haberet vnde participaret tale imperium illam virtutem mouendi. Tertiò probatur.Actus per quem homo est dominus suorum actuum, necessariò debet esse liber:sed per imperium est dominus, vel per illud ostenditur & exercetur dominium:ergo imperium debet esse liberum: ergo non potest esse naturale; quia liberū & naturale opponūtur.Quartò probatur. Illud imperium quod à contrarijs ponitur naturale,nec adderet supra actum naturalem,nec supra liberum Voluntatis: ergo frustra ponitur. Prima pars antecedentis probatur., quia actus naturalis non cadit sub imperio. Secunda pars probatur, quia actus imperatus,vt diximus, necessariò sequitur ex imperio:ergo si imperium esset naturale, consequenter & actus imperatus.

Ad 1.arg. Ad primum argumentum respondetur,quòd Intellectus non dirigit Voluntatem ad primum actum per imperium, sed per cognitionem indeliberatam, quæ sufficit ad actus naturales Voluntatis; solùm autē requiritur imperiū ad actus deliberatos. *Ad confir.* Ad confirmationem, negatur sequella;quia vt vitetur processus in infinitum, sufficit deuenire ad primam cognitionem naturalem & indeliberatam, de qua diximus.

Ad 2.arg. Ad secundum argumentum, negatur consequentia;quia cùm Voluntas consideretur non solùm vt libera, sed etiam vt natura,potest habere volitionem naturalem;imperium autem ex sua ratione formali supponit motionem Voluntatis vt libera; vnde imperium non potest esse naturale.

DVBIVM II.

Vtrùm possit Intellectus imperare sibi dissensum primorum principiorum, aut alicuius propositionis per se notæ.

1. Arg. PArs affirmatiua probatur primò. Nã si Catholico rustico dicatur esse reuelatum à Deo quòd sit falsum illud principium, Quodlibet est vel nõ est; statim dissentiet tali principio: ergo dissensus principiorum potest imperari.

2. Arg. Secundò argumẽtor. Per se notum est, periurium esse illicitum; & tamen aliqui dissentiunt existimantes licere pro saluanda vita hominis: ergo.

Confir. Confirmatur, nam qui ex conscientia erronea operantur, sæpe dissentiunt à veritatibus manifestis & euidentibus lumine naturæ: ergo.

3. Arg. Tertiò argumentor. Fidelis dissentit ab hac consequentia, Essentia diuina est Pater; Filius est essentia diuina: ergo Filius est Pater: & tamen illa est euidens lumine naturali: ergo & Philosophus posset dissentire ab hac consequentia; Homo est animal; Petrus est homo: ergo Petrus est animal. Minor probatur, quia illa consequentia non potest solui stando in lumine naturæ. Consequentia verò probatur, quia eadem est ratio, si vtraque consequentia est euidens lumine naturæ.

Sent. Buridani. Propter argumenta posita tenet hanc sententiam Buridanus.

Conclus. Conclusio tamen sit, esse impossibile, quòd qui intelligit terminos primi principij, & scit quid sit esse falsum, quòd imperet sibi dissensum alicuius principij. Hæc

D. Tho. est D. Tho. hic, & probatur primò. Impossibile est, vt imperetur Voluntati odium beatitudinis, aut boni in communi: ergo etiã quòd imperetur Intellectui dissensus primorũ principiorũ. Antecedens patet, quia tale odiũ est impossibile: ergo nõ potest imperari, quia imperiũ est de illoquod est in nostra potestate. Consequentia verò probatur, quia eodem modo necessitatur quoad specificationẽ Intellectus respectu primorũ principiorũ, sicut Volũtas respectu boni in communi. Secũdò probatur, quia Intellectus nõ habet sufficiens principiũ ad dissentiẽdũ tali veritati: ergo nõ potest imperari ad talẽ dissensum. Antecedẽs probatur, quia lumẽ illius Intellectus est immediatè collatũ à Deo, inclinans ad veritatẽ principiorũ: ergo nõ manet principium quo possit Intellectus elicere dissensum illorũ. Cõfirmatur, nã ex eo Fidelis retinẽs Fidẽ nõ potest elicere dissẽsum circa aliquẽ articulũ Fidei; quia cũ Fides immediatè cõferat à Deo, inclinans ad assẽsum Articulorũ, Fide retẽta, nõ potest esse principiũ ad dissensum cõtrariũ: ergo similiter hic, manẽte lumine Intellectus inclinante ad assensum principiorũ nõ potest manere principiũ ad dissensum contrariũ. Tertiò probatur, quia imperiũ supponit efficacẽ motionẽ Voluntatis ad imperandum: sed talis motio nõ potest supponi ad imperiũ dissensus principiorũ: ergo tale imperiũ esse nõ potest respectu principiorum. Minor probatur, quia qua ratione posset mouere Voluntas ad imperandum dissensum vnius principij, posset & ad dissensum omnium principiorum, tam speculabilium, quàm practicorum, & posset mouere ad iudicium quòd beatitudo non sit appetenda, vel quod non est agendum propter finem, & alia eiusmodi absurda.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum respondetur, nos loqui de cognoscente terminos principiorum: vnde si ille rusticus cognoscceret terminos, nunquàm sibi persuaderet tale à Deo esse reuelatum, nec imperaret sibi dissensum talis principij.

Ad 2. arg. Ad secundum similiter, quòd supposita ignorantia, illud potest fieri: nos autem loquimur de cognoscente veritatem principij, & sic patet ad confirmationem.

Ad 3. arg. Ad tertium, negatur minor; licèt enim Philosophus solo lumine naturæ nesciat soluere illam consequentiam; non tamen sequitur, esse euidentem lumine naturæ: nihil enim lumine naturæ potest euidenter concludi contra Fidem, vt habetur in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 8. vbi asseritur, omnia argumenta contra Fidem, esse euidenter solubilia.

Conc. Lat.

DVBIVM III.

Vtrùm reliqua omnia in articulo verum habeant.

1. Arg. PRobatur quòd non. Primò, quia vnus homo non potest imperare sibi ipsi, sicut imperat alteri homini: ergo nec vna potentia, scilicet Ratio, potest imperare sibi ipsi, sicut imperat alijs potentijs; & consequenter prima conclusio erit falsa. Consequentia patet, quia minor distinctio est

est in vna potentia respectu sui, quàm in vno homine respectu ipsius: ergo si defectu distinctionis non potest esse primum imperium, à fortiori nec secundum.

2. Arg. Secundò argumentor, nam si Ratio posset imperare sibi, maximè propter rationem Diui Thomæ, videlicet quia ipsamet Ratio participat se ipsam: vnde potest esse imperata à se ipsa: sed hæc Ratio supponit falsum: ergo. Probatur minor, quia quod est tale per essentiam, non potest esse tale per participationem; vt Petrus nequit esse participatiuè homo, quia essentialiter est talis: nec Christus Dominus per participationem Deus, quia per essentiam est Deus: nec filius adoptiuus, quia est naturalis; vt suo loco dicitur: ergo Intellectus quia essentialiter est Ratio, impossibile est quòd sit talis per participationem.

3. Arg. Tertiò argumentor, quia apprehensio est in nostra potestate, etiam quoad specificationē: ergo potest imperari. Antecedēs patet experientia, quia non solùm est in mea potestate apprehendere vt bonum cessare ab apprehensione, sed etiam apprehendere oppositum, vt apprehēdere album, & apprehendere nigrum.

4. Arg. Quartò argumentor, quia assensus conclusionis quæ sequitur per bonam consequentiam ex principijs, non est in nostra potestate dissentire ab illa: ergo non tantùm coarctanda est doctrina secundùm Diuum Thomam, ad ipsa prima principia, ad veritates per se notas.

5. Arg. Quintò argumentor. Respectu primi imperij non potest assignari actus Voluntatis præsuppositus ad tale imperium, quo imperet sibi: ergo non potest assignari imperium respectu sui. Antecedens patet, nam talis actus Voluntatis vel deberet esse circa media, vel circa finem: sed neutro modo potest esse: ergo. Prima pars istius minoris patet, quia actus circa media, est electio libera, & consequenter imperata: quod non potest habere actus præcedens primum imperium. Secunda pars etiam patet, quia actus præcedens imperium, mouens ad ipsum, debet esse liber etiā quoad specificationem: volitio autem finis non est libera quoad specificationem, vt suprà diximus: ergo ille actus præcedens primū imperium, non est actus circa finem.

Conclus. Conclusio tamen sit, omnia contenta in articulo habere verum. Pro quo sufficiat authoritas D. Tho.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum respondetur, quòd cùm Intellectus sit potentia vniuersalis, & quasi transcendens, est quasi multiplex potentia, & potest reflectere supra se ipsam, & supra suos actus, & consequenter quilibet actus eius potest proponi in obiectum ipsius Intellectus, atque adeò quod ex parte principij essentialiter erat tale, vt se tenet ex parte obiecti, potest quasi participatiuè esse tale; & sic actus Intellectus, consideratus vt obiectum ipsius Intellectus, supra quod potest tendere per reflexionem, potest esse imperatus ab ipso Intellectu: hæc autem reflexio non potest esse eiusdem personæ ad se ipsam, vt imperet sibi imperio quo imperat alteri personæ: bene autem Intellectus potest imperare sibi, sicut alijs potentijs: & per hoc patet ad secundum. *Ad 2. arg.*

Ad tertium argumentum respondetur, quòd tunc iam interuenit aliquod iudicium, quo iudicat apprehendere, vel cessare ab apprehensione, vel apprehendere album, vel nigrum. Diuus autem Thomas loquitur de simplici apprehensione terminorum ante iudicium, & ista non cadit sub imperio, sed necessariò propositis terminis apprehenduntur. *Ad 3. arg.*

Ad quartum respondetur, quòd nomine principiorum etiam intelliguntur conclusiones per euidentem consequentiam illatæ: quod patet ex contrapositione ad prædictam conclusionem, vbi loquitur D. Thom. de veritatibus contingentibus & probabilibus, & de his ait posse imperare sibi Intellectum quantum ad dissensum. *Ad 4. arg.*

Ad quintum argumentum respondetur, quòd ad primum imperium præcedit & appetitio finis, & quidam vsus, quo vtitur Voluntas Intellectu ad imperandum: & istemet vsus dirigitur ab ipso imperio: itaque sunt simul tēpore, & in diuerso genere naturæ mutuò se antecedunt: ille vsus est prior in genere efficientis, imperiū autem præcedit in genere formalis & finalis; & hoc existimo esse D. Tho. art. 5. ad 3. vbi ait, quòd appetitio finis non imperatur, sed antecedit ad imperium: quærebat autem in argumento, quis actus præcederet in Voluntate, virtute cuius primò imperaret Intellectus. Et idem sentit Arist. quòd in virtute actuum circa finem, se moueat homo ad actus circa media. Et si contra arguas, nam tunc sequitur, quòd idem sit causa & effectus in eodem genere efficientis; quod est impossibile: nam motio *Ad 5. arg.* *D. Tho.* *Arist.* *Obiectio.*

ex

ex parte Volũtatis ad primũ imperiũ est efficiens; motio etiã ex parte Intellectus per primũ imperiũ etiã est efficiẽs: ergo quilibet illorũ duorũ actuũ ad inuicẽ consideratus & habet rationem causæ, & effectus in genere efficientis: Respondetur, quòd ille actus, qui est ex parte Intellectus, assumitur à Volũtate, nõ vt ille actus Intellectus est practicus; qua ratione habet efficientiam; sed assumitur vt speculatiuus, qua ratione nullam efficientiam habet: si autem assumptus ad mouendam ipsam Voluntatem, iam ille actus Intellectus habet rationem practicam, & hoc non habet nisi ex virtute Voluntatis assumentis ipsum Intellectum ad imperandum sibi: vnde tota efficientia est ex parte Voluntatis, & totum quod concurrit ex parte actus Intellectus, ex proprijs illius est, in genere causæ formalis & finalis. Et si rursus arguas, quia sequeretur, quòd Voluntas proponeret sibi obiectum; quia cùm propositio sit praxis, si à Voluntate prouenit praxis, Voluntas sibi proponit: Respondetur, non esse concedendum, quòd Voluntas proponat, sed quòd Intellectus: bene tamen conceditur quòd Voluntas mouet, & efficit vt Intellectus Voluntati proponat. Et si rursus arguas, quia tunc sequeretur, quòd in illo genere, in quo volitio est prior, sit actus Voluntatis, sine propositione practica Intellectus: Respõdetur, quòd illa volitio potest cõsiderari dupliciter. Primò in ratione effectiua & motiua. Secũdò secũdum totam suam perfectionem. Isto secundo modo non intelligitur sine propositione practica Intellectus; quia non sic intelligitur perfecta in illo priori ante propositionem practicam Intellectus: si verò consideretur primo modo in ratione effectiua & motiua, tunc conceditur, quòd non est ex propositione practica; sed potiùs facit propositionem practicam Intellectus, quia est causa illius: & hoc in omnibus potentijs productiuis sui obiecti reperitur.

Obiectio.

Solutio.

Obiectio.

Solutio.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm actus appetitus sensitiui imperetur.

AD *septimũ sic proceditur. Videtur quòd actus sensitiui appetitus non sit imperatus. Dicit enim Apostolus Rom. 7. Non enim quod volo bonum, hoc ago: & Glos.* † *exponit, quòd homo vult non concupiscere, & tamen concupiscit: sed concupiscere, est actus appetitus sensitiui: ergo actus appetitus sensitiui non subditur imperio nostro.*

Est Gloss. Aug. lib. 3 contra Iul. c. 26. to. 7.

Secundò prætereà. Materia corporalis soli Deo obedit quantum ad transmutationem formalem, vt in primo † *habitum est: sed actus appetitus sensitiui habet quandã formalem transmutationem corporis secũdùm calorem vel frigus: ergo actus appetitus sensitiui non subditur imperio humano.*

1. p. q. 105. art. 1. & q. 110. art. 2.

Tertio prætereà. Proprium motiuum appetitus sensitiui est apprehensum secundùm sensum, vel imaginationem: sed non est in potestate nostra sæpe quod aliquid apprehendamus sensu vel imaginatione: ergo actus appetitus sensitiui non subiacet imperio nostro.

Sed contra est quod † *Gregorius Nyssenus dicit, quòd obediens Rationi diuiditur in duo; in desideratiuum, & irascitiuum; quæ pertinent ad appetitum sensitiuum: ergo actus appetitus sensitiui subiacet imperio Rationis.*

Lib. 4. c. 8. circa med. & c. 9. in princ.

Respon-

Respõdeo, dicẽdũ, quòd secũdũ hoc aliquis actus imperio nostro subiacet
Art. 6. prout est in potestate nostra, vt † supra dictũ est: & ideò ad intelligẽdũ qualiter actꝰ appetitꝰ sensitiui subdatur imperio Rationis, oportet cõsiderare, qualiter sit in potestate nostra. Est autẽ sciẽdũ, quòd appetitus sensitiuus in hoc differt ab appetitu intellectiuo, qui dicitur Voluntas, quòd appetitus sensitiuus est virtus organi corporalis, nõ autẽ Voluntas. Omnis autẽ actus virtutis vtẽtis organo corporali, dependet non solũ ex potentia animæ, sed etiã ex corporalis organi dispositione; sicut visio ex potentia visiua & qualitate oculi, per quã iuuatur, vel impeditur: vnde & actus appetitus sensitiui nõ solũ dependet ex vi appetitiua, sed etiã ex dispositione corporis: illud autẽ quod est ex parte potentiæ animæ sequitur apprehensionẽ: apprehensio autem imaginationis cùm sit particularis, regulatur ab apprehensione Rationis, quæ est vniuersalis, sicut virtus actiua particularis à virtute actiua vniuersali; & ideò ex ista parte actus appetitus sensitiui subiacet imperio Rationis: qualitas autẽ & dispositio corporis non subiacet imperio Rationis, & ideò ex hac parte impeditur, quin motus sensitiui appetitus totaliter subdatur imperio Rationis. Contingit autem etiam quandoque, quòd motꝰ appetitus sensitiui subitò concitatur ad apprehensionẽ imaginationis, vel sensus; & tunc ille motus est præter imperium Rationis, quanuis potuisset impediri à Ratione, si præuidisset: vnde Philosophus dicit in primo † Politicorum, quòd Ratio præest irascibili, & cõcupiscibili, nõ principato despotico, qui est domini ad seruum, sed principatu politico, aut regali, qui est ad liberos, qui non totaliter subduntur imperio. Cap. 3. ad med. tc. 5.

Ad primum ergo, dicẽdum, quòd hoc quòd homo vult non concupiscere, & tamen cõcupiscit, contingit ex dispositione corporis, per quam impeditur appetitus sensitiuus, ne totaliter sequatur imperium Rationis: vnde & Apostolus ibidem subdit: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: hoc enim contingit propter subitum motum concupiscentiæ, vt † dictum est. In cor. art.

Ad secundũ, dicendũ, quòd qualitas corporalis dupliciter se habet ad actum appetitus sensitiui: vno modo vt præcedens, prout aliquis est aliqualiter dispositus secundùm corpus ad hanc, vel illam passionem. Alio modo vt consequens: sicut cùm ex ira aliquis incalescit. Qualitas igitur præcedens non subiacet imperio Rationis, quia vel est ex natura, vel est ex aliqua præcedenti motione, quæ non statim quiescere potest: sed qualitas consequens sequitur imperium Rationis, quia sequitur motum localem cordis, quod diuersimodè mouetur, secundùm diuersos actus sensitiui appetitus.

Ad tertium, dicendum, quòd quia ad apprehensionem sensus requiritur sensibile exterius, non est in potestate nostra apprehendere aliquid sensu, nisi sensibili præsente; cuius præsentia non semper est in potestate

testate nostra: tunc enim homo potest vti sensu cùm voluerit, nisi sit impedimentum ex parte organi. Apprehensio autem imaginationis subiacet ordinationi Rationis secundum modum virtutis, vel debilitatis imaginatiuæ potentiæ. Quòd enim homo non possit imaginari quæ Ratio considerat, contingit, vel ex hoc quòd non sunt imaginabilia, sicut incorporalia, vel propter debilitatem virtutis imaginatiuæ, quæ est ex aliqua indispositione organi.

1. Concl. Prima conclusio. Talis actus, quatenus procedit ex ipsa potentia appetitiua, subiacet imperio Rationis.

2. Concl. Secunda cõclusio. Quatenus talis actus dependet ex dispositione & qualitate organi corporei, non subiacet tali imperio.

3. Concl. Tertia conclusio. Si actus appetitus sensitiui sit subitus, ex subita imaginatione procedens præueniente vsum Rationis, non imperatur à Ratione.

1. Arg. Contrà primam conclusionem argumentor primò. Quia sæpe vult homo tristari de peccatis, & dolere appetitu; & tamẽ non dolet: ergo.

2. Arg. Secundò argumentor. Appetitus sensitiuus non est capax intimationis: ergo nec imperij; quia imperium non est sine intimatione. Antecedens verò probatur, quia appetitus non potest percipere talem intimationem.

3. Arg. Tertiò argumentor. Tristitia Voluntatis non est in nostra potestate carere illa, præsente obiecto tristabili: ergo nec tristitia appetitus sensitiui. Patet consequentia, quia Voluntas cùm sit appetitus rationalis, magis est aptus obedire Rationi, quàm sensitiuus. Antecedens verò probatur ex

Augustin. illo Augustin. Impossibile est, quin visis tangamur: ergo similiter impossibile est quin propositis tristabilibus tristemur.

Not. 1. Notandũ primò ex Philosopho. 1. Politicorum, cap. 3. quòd Ratio dupliciter potest imperare inferioribus. Primò despoticè, hoc est, cum pleno dominio, ita vt imperato nulla sit potestas resistendi, vt in seruo respectu sui domini. Secundò verò politicè & regaliter, hoc est, cùm imperato est aliquid peculiare & propriũ, quo possit resistere mandato; vt cùm Rex imperat ciuibus.

Not. 2. Secundò notandum, quòd in homine appetitus sensitiuus natus est moueri à cogitatiua, quæ dicitur Ratio particularis, eo quòd est collatiua particularium intentionum: ipsa verò particularis Ratio nata est moueri à Ratione vniuersali: sicut enim ex propositionibus vniuersalibus potest concludi propositio particularis, ita ex Ratione vniuersali potest moueri Ratio particularis. Vnde Aristotel. aiebat tertio Arist. de anima, quòd appetitus superior mouet inferiorem, sicut sphæra superior inferiorem.

1. Concl. Prima conclusio. Ratio imperat appetitui sensitiuo, imperio tamen politico & regali. Prima pars patet ex rationibus Diui Thomæ hic, & præterea quia experientia constat, quòd cùm quis tristatur, vel timet, tunc bonis rationibus sedatur, & alacrior & firmior redditur: ergo signum euidens est, quòd appetitus sensitiuus obedit imperio Rationis. Secundò probatur. In appetitu sensitiuo sunt aliquæ virtutes morales: ergo obedit Rationi. Patet cõsequentia, quia actus virtutum moralium acquisitarum ex eo habent quòd sint studiosi, quia Ratione regulantur, & illi sunt cõformes. Antecedens verò probatur in Fortitudine & Temperantia. Secunda pars probatur, quia appetitus sensitiuus habet vnde possit Rationi repugnare: ergo dominium Rationis supra appetitum non est despoticum, sed politicum. Consequentia patet ex primo notabili. Antecedens verò probatur experientia; nam aliquando præcipiente Ratione sedationem affectuum, appetitus sensitiui adhuc perseuerant. Secũdò probatur, quia appetitus sensitiuus nõ solùm mouetur à Ratione, sed etiam à sensu & phantasia: ergo ex ista potest causari aliqua qualitas opposita ei, ad quod appetitus à Ratione mouebatur; & ratione talis qualitatis repugnare Rationi, & ei nõ obedire. Confirmatur ex illo Pauli, Caro concupiscit aduersus spiritum; & ex illo: Sentio aliam legem in membris, &c.

2. Conclus. Secunda conclusio. Si imperium Rationis sit perfectum & perseuerans, & in organo appetitus sensitiui non sit impedimentum qualitatis contrariæ malè disponentis, tunc appetitus in omnibus obediet Rationi. Hæc probatur. Passio tristitiæ (verbi gratia) causatur ex apprehensione sensi-

sensitiua: sed talis apprehensio potest à Ratione imperari: ergo & passio appetitus: vnde & Philosophi hortantur ad mitigationem, & temperandum eiusmodi inordinatos affectus, vt Cicero in Tusculanis, præcipuè tertio de ægritudine lenienda; & Boetius de consolatione Philosophica, libr. 1. metro. 7. & Seneca in tragedia Thyestis. Immò & stante tali qualitate opposita; si imperium sit perfectum & perseuerans, potest remouere passionē & actum appetitus, licèt immediatum effectum talis qualitatis Ratio impedire non possit. Verum est, hoc esse difficile; nihilominus per perseuerantiam hoc potest facere: immò & qualitatem ipsam destruere per causalitatem contrariæ qualitatis. Vnde cautè procedant confessores, non de facili admittentes passiones venereas, vel distillationes, cum excusatione quòd hæc sit infirmitas, & naturalis complexio, & quòd non sit in sua potestate.

Cicero. Boet. Seneca.

Not. Pro cuius ampliori intelligentia notandum, quòd appetitus sensitiuus habet suū organū corporeū, sicut oculus: sedes autem illius maximè est in corde; vnde motus ex passionibus appetitus causati maximè sentiuntur circa cor; vnde potest esse, quòd in aliquibus ex complexione corporali sit tam durum cor, vt non facilè recipiat tristitiam vel lætitiam, vt altera per alteram excludatur; vnde per metaphoram Voluntas peccatorum impœnitentium obdurata, in sacris literis cor lapideum, ferreum & adamantinum appellatur: & in Psalmo, Coagulatum est sicut lac cor eorum. Et idem dicitur de imaginatiua, quòd vtitur organo corporeo; & sic à rebus corporeis & qualitatib⁹ potest disponi, vt Rationi repugnet. Et per hoc patet ad primum à principio, illud prouenire, vel ex inefficacia imperij vel ex opposita qualitate, ratione cuius non despoticè obedit appetitus Rationi.

Ad 1. arg.

Ad 2. arg. Ad secundum respondetur, sufficere quòd suppositum in quo est appetitus sensitiuus, sit capax intimationis; nec enim Voluntas agnoscit denuntiationem imperij, cum sit cæca; & tamen per illud mouetur.

Ad 3. arg. Ad tertium respondetur, quòd non loquimur de actibus appetitus subitis & preuenientibus Rationem; sed de his qui præueniri possunt à Ratione.

DVBIVM II.

Vtrùm eodem modo imperet Ratio vtrique appetitui; hoc est, vtrùm non solum imperet politicè appetitui sensitiuo, sed etiam rationali, scilicet Voluntati.

PROBATVR quòd non. Nam, vt suprà diximus, posito imperio, necessariò sequitur vsus in Voluntate: ergo ad nutum obedit Rationi imperanti. *1. Arg.*

Secundò argumentor. Nam hac Ratione appetitus sensitiuus potest resistere, quia vtitur organo corporeo, & potest habere qualitatem inclinantem ad oppositum: sed Voluntas non vtitur organo corporeo, nec talem qualitatem potest habere: ergo nec potest resistere. *2. Arg.*

Conclusio tamen sit, quòd Ratio etiam politicè imperat Voluntati. Hæc probatur ex supra dictis, vbi ostendimus, qualiter Voluntas liberè operatur ex imperio Rationis. Vnde *Concl.*

Ad primum argumentum respondetur, quòd licèt posito imperio, necessariò sequatur vsus; quia tamen imperium habet vim ex ipsa Voluntate, ipsa Voluntas pro suo libito potest tollere imperium: vnde licèt in sensu composito necessariò obediat, simpliciter tamen potest non obedire. *Ad 1. arg.*

Ad secundum argumentum respondetur, quòd licèt Voluntas non habeat qualitatem illam; habet tamen ex sua natura libertatem vt possit amouere imperiū: itaque differentia sola est, quòd in sensu composito, stante imperio, Voluntas non potest non obedire; appetitus autem sensitiuus, etiam in sensu composito, & stante iudicio Rationis, potest dissentire per contrariam qualitatem: in hoc tamen conueniunt, quòd absolutè & simpliciter, tam appetitus sensitiuus, quàm rationalis, politicè obedit, & potest non obedire. *Ad 2. arg.*

ARTI-

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm actus potentiæ vegetatiuæ imperetur.

Inf. q. 50. art. 3. ad 1. & 22. q. 14. 8. ar. 1. ad. 3. & 3. q. 15. ar. 2. ad 1. & q. 19. art. 2. cor. & 2. d. 20. q. 1. ar. 2. ad 3. & ver. q. 13. ar. 4. cor. 4. & quol. 4. ar. 21. cor. & 1. & hic fin.

AD octauum sic proceditur. Videtur quòd actus vegetabilis animæ imperio Rationis subdatur. *Vires enim sensitiuæ nobiliores sunt viribus animæ vegetabilis: sed vires animæ sensitiuæ subduntur imperio Rationis: ergo multo magis vires animæ vegetabilis.*

Secundò præterea. Homo dicitur minor mundus, quia sic est anima in corpore, sicut Deus in mundo: sed Deus sic est in mundo, quòd omnia quæ sunt in mundo, obediunt eius imperio: ergo & omnia qua sunt in homine, obediunt imperio Rationis, etiam vires vegetabilis animæ.

Tertiò præterea. Laus & vituperium non contingit nisi in actibus qui subduntur imperio Rationis: sed in actibus nutritiuæ & generatiuæ potentiæ contingit esse laudem & vituperium, & virtutem & vitium, sicut patet in gula & luxuria, & virtutibus oppositis: ergo actus harum potentiarum subduntur imperio Rationis.

Lib. 4. ca. 15. princi. *Sed contra est quod Gregor. Nyssenus, dicit, quòd id quod non persuadetur à Ratione, est nutritiuum & generatiuum.*

Respondeo, dicendum, quòd actuum quidam procedunt ex appetitu naturali; quidam autem ex appetitu animali vel intellectuali; omne enim agens aliquo modo appetit finem: appetitus autem naturalis non consequitur aliquam apprehensionem, sicut sequitur appetitus naturalis animalis & intellectualis. Ratio autem imperat per modum apprehensiuæ virtutis, & ideò actus illi qui procedunt ab appetitu intellectiuo vel animali, possunt à Ratione imperari; non autem actus illi qui procedunt ex appetitu naturali; huiusmodi enim actus sunt vegetabilis animæ. Vnde, vt Gregorius Nyssenus dicit, quod vocatur naturale, quod generatiuum, & nutritiuum; & propter hoc actus vegetabilis animæ non subduntur imperio Rationis. Lib. 4. & 15. in prin.

Ad primum ergo, dicendum, quòd quanto aliquis actus est immaterialior; tanto est nobilior, & magis subditus imperio Rationis; vnde ex hoc ipso quòd vires animæ vegetabilis non obediunt Rationi, apparet, has vires infimas esse.

Ad secundum, dicendum, quòd similitudo attenditur quantum ad aliquid: quia scilicet sicut Deus mouet mundum, ita anima mouet corpus, non autem quantum ad omnia: non enim anima creauit corpus ex nihilo, sicut Deus mundum, propter quod totaliter subditur eius imperio.

Ad tertiũ, dicẽdũ, quòd virtus & vitiũ, laus & vituperiũ, nõ debẽtur ipsis actibus nutritiuæ vel generatiuæ potẽtiæ, quæ sunt digestio & formatio

matio corporis humani, sed actibus sensitiuæ partis ordinatis ad actus generatiuæ vel nutritiuæ, puta in concupiscendo delectationem cibi & venereorum, & vtendo secundum quòd oportet, vel non secundũ quòd oportet.

Conclusio est negatiua.

1. *Arg.* Argumentor primo contra illam. Si propter aliquam rationem actus vegetabilis nõ imperaretur, maximè propter suam materialitatem, quia, vt inquit D. Thom. quo actus est immaterialior, tanto nobilior, & magis subditur Rationi; sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor, quia membra exteriora magis materialia sunt, quàm potentia vegetabilis; & tamen subijciuntur Rationi: ergo.

2. *Arg.* Secundò argumentor. Actus Temperãtiæ vel Intemperantiæ imperantur à Ratione: ergo & actus vegetabilis; quia non fit actus Temperantiæ vel Intemperantię nisi per actum vel cessationem actus potẽtiæ vegetabilis, quod est conuertere cibum in substantiam aliti. Si respondeatur cum D. Thom. quòd actus Temperantiæ non consistit in actu potentiæ vegetabilis, sed in actu appetitus sensitiui, vnde actus Temperantiæ potest subdi Rationi, licèt actus

Impug. vegetabilis non subdatur: Contra argumentor, quia ad illum actum Temperantiæ appetitus sensitiui sequitur actus potentiæ vegetabilis; ergo si primus imperatur, etiam secundus. Antecedens patet, quia ex eo quòd accipiatur vel non accipiatur cibus secundum appetitum, sequitur quòd conuertatur vel non conuertatur in substantiam aliti per vegetabilem.

Ad 1. arg. Ad primum respondetur, illam rationem D. Thomæ habere locum inter ipsas potentias; ipsæ enim sunt quæ à Ratione imperantur vt principia principalia operationum; nam membra exteriora solùm sunt instrumenta; vnde secundum se nec habent obedire, vel non obedire; sed quatenus à proprijs potentijs mouentur; vnde membra quæ à potentia vegetabili mouentur, non subduntur Rationi, sicut nec ipsa potentia vegetabilis: membra autem quæ mouentur ab appetitu sensitiuo, vel ab ipsa Ratione imperantur, sicut & ipse appetitus à quo mouentur.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum bene responsum est. Ad replicã dicitur, quòd ille actus Intemperantię, qui est appetitus sensitiui, & sumptio cibi; solum est conditio applicans respectu actus potentiæ vegetabilis, & ideo non sequatur, quod si primus actus imperatur, imperetur secundus, nam iste sequitur iuxta propriam naturam potentiæ vegetabilis cuius est actus, quæ Rationi non habet subdi. Et si rursus arguas, *Obiectio.* quia potentia motiua secundum locum est imperfectior, quam potentia vegetabilis: quia ista excellentiorem terminum habet, quàm illa; cùm ista terminetur ad substantiam & quantitatem; illa vero tantùm terminatur ad Vbi, & nihilominus potentia motiua secundum locum, subditur Rationi: ergo etiam potentia vegetabilis; vel ratio D. Thomæ posita in primo argumento est nulla. Confirmatur, quia potentia *Conf.* motiua secundum locum, minus perfecta est, quàm potentia sensitiua; & tamen prima magis subditur Rationi: ergo illud fundamentum D. Thomæ nullum est. Res- *Solutio.* pondetur, quòd licèt terminus potentiæ vegetabilis materialiter & in esse entis sit perfectior, quàm terminus potentiæ motiuę secundum locum; tamen in esse termini perfectior est terminus potentiæ motiuæ secundum locum; quia supponit terminum potentiæ vegetabilis, & superaddit nouam excellentiam & perfectionem, & sic est minus materialis, quàm terminus vegetabilis, in quo fundatur ratio D. Tho. vt magis debeat subdi Rationi: & hæc est doctrina communis Philosophica, quòd motus localis est excellentior quàm motus augmentationis & alterationis. Ad confir- *Ad conf.* mationem respondetur, quòd appetitus sensitiuus perfectior est quàm potẽtia motiua secundum locum, & ideo appetitus magis subditur Rationi, quia licèt potentia motiua secundum locum, magis obediat, materialiter loquendo, quia nunquàm dissentit; formaliter tamen appetitus dicitur magis subditus, quia obedit per obedientiam formalem, per intrinsecam libertatem quam habet; quam non habet potentia motiua secundum locum, sed solùm extrinsecam: sicut (verbi gratia) homo dicitur magis obediens Deo, quàm creatura irrationalis, licèt homo aliquando dissentiat, nunquam autem creatura irrationalis; quia homo subditur per libertatem, ideò formaliter habet magis obedire.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm actus exteriorum membrorum imperentur.

1.q.81. ar. 3. ad 2. & 22.q.168. a.1.cor. & 2.d.20.q. 1.art.2.ad 3. & viri. q.25.ar.4. ad.5.ar.5. ad 14. & mal. q.7. ar.2.ad.15

AD Nonum sic proceditur. Videtur quòd membra corporis non obediant Rationi, quantum ad actus suos. Constat enim, quòd membra corporis magis distant à Ratione, quàm vires animæ vegetabilis: sed vires animæ vegetabilis nō obediunt Rationi, vt dictum est: ergo multo minùs membra corporis.

Secundò præterea. Cor est principium motus animalis: sed motus cordis non subditur imperio Rationis; Ar. præce. lib.4.c.15. dicit enim Gregorius Nyssenus, quòd pulsatiuum non est persuasibile ratione: ergo motus membrorum corporalium non subiacet imperio Rationis.

ca.16.non prosni.â fine tom.5. Tertiò præterea. August. dicit 14.de ciui.Dei, quòd motus membrorum genitalium aliquando importunus est nullo poscente: aliquando autem destituit inhiantem; & cùm in animo concupiscenti ferueat, friget in corpore: ergo motus membrorū non obediunt Rationi.

Sed contra est quod Augustin. Cap.9.parum â prin. tom.1. dicit 8. Confes. Imperat animus vt moueatur manus, & tanta est facultas, vt vix à seruitio discernatur imperium. Respondeo, dicendum, quòd membra corporis sunt organa quædam potentiarum animæ; vnde eo modo quo potentiæ animæ se habent ad hoc quòd obediant Rationi, hoc modo se habent etiam corporis membra. Quia igitur vires sensitiuæ subduntur imperio Rationis, non autem vires naturales, ideò omnes motus membrorum quæ mouentur à potentijs sensitiuis, subduntur imperio Rationis. Motus autem membrorum qui consequuntur vires naturales, non subdūtur imperio Rationis.

Ad primum ergo, dicendum, quòd membra non mouent seipsa, sed mouentur per potentias animæ, quarum quædam sunt Rationi viciniores, quàm vires animæ vegetabilis.

Ad secundum, dicendum, quòd in his quæ ad Intellectum & Voluntem pertinent, primum inuenitur id quod est secundùm naturam, ex quo alia deriuantur, vt à cognitione principiorum naturaliter notorum cognitio conclusionum, & à voluntate finis naturaliter desiderati, deriuatur electio eorum quæ sunt ad finem: ita etiam in corporalibus motibus principium est secundùm naturam, principium autem corporalis motus est à motu cordis; vnde motus cordis secundùm naturam est, & non secundùm voluntatem; consequitur enim sicut per se accidens vitam, quæ est ex vnione corporis & animæ, sicut motus grauium & leuium consequitur formam substantialem ipsorum: vnde & à generante moueri dicuntur secundùm Philosophum in 8. Phys & propter hoc motus

Tex.9.& sequētibus lib.4.c.5. in princ. & c.16.

tus iste vitalis dicitur. Vnde Gregorio Nyssenus dicit, quòd sicut generatiuum & nutritiuum non obedit Rationi, ita nec pulsatiuum, quod est vitale. Pulsatiuum autē appellat motum cordis, qui manifestatur per venas pulsatiles.

Cap.16.20 non procul â fine to.5.

Ad tertium, dicendum, quòd sicut Augustin. dicit in 14. de ciui. Dei, hoc quòd motus genitaliū membrorum Rationi non obedit, est ex pœna peccati, vt scilicet anima suæ inobedientiæ ad Deum in illo præcipuè membro pœnam in obedientiæ patiatur, per quod peccatum originale ad posteros traducitur: sed quia per peccatum primi parentis, vt infrà dicetur, natura est sibi relicta subtracto supernaturali dono, quod homini diuinitus erat collatum, ideò consideranda est ratio naturalis, quare motus huiusmodi membrorum specialiter Rationi nō obedit: cuius causam assignat Arist. in lib. de causis motus animalium, dicens, inuoluntarios esse motus cordis, & membri pudendi, scilicet, quia ex aliqua apprehensione huiusmodi membra commouentur, in quantum scilicet Intellectus & phantasia repræsentant aliqua ex quibus consequuntur passiones animæ, ad quas consequitur motus horum membrorum, non tamen mouentur secundum iussum Rationis, aut Intellectus; quia scilicet ad motum horum membrorum requiritur aliqua alteratio naturalis, scilicèt caliditatis, & frigiditatis; quæ quidem alteratio non subiacet imperio Rationis. Specialiter autem hoc accidit in his duobus membris, quia vtrumque istorum membrorum est quasi quoddam animal separatum, in quantum est principiū vitæ: Principium autem est virtute totum: cor enim principium est sensuum, & ex membro genitali virtus exit seminalis, quæ est virtute totum animal; & ideò habent proprios motus naturaliter, quia principia oportet esse naturalia, sic vt dictum est.

q.85.ar.3. c.8.in prin.

In solu. ad 2.

Prima conclusio. Motus membrorum quæ mouentur à potentijs sensitiuis, subduntur imperio Rationis. 1. Concl.

Secunda conclusio. Motus membrorū quæ mouentur à viribus naturalibus, non subduntur imperio Rationis. 2. Concl.

DVBITATVR.

Vtrùm membra obediant Rationi ciuiliter & regaliter.

PRobatur quòd sic. Primò. Ex eo Ratio imperat mēbris, quia imperat appetitui sensitiuo per quē mouentur; sed appetitui sensitiuo Ratio imperat regaliter: ergo & membris. 1. Argu.

Secundò argumentor. Appetitus sensitiuus est nobilior quàm membra: ergo mēbra minus obediunt; quia vt diximus, potentia quo nobilior, magis est subdita Rationi: ergo mēbra nō obediunt ad nutū & despoticè; quia hoc esset magis obedire. 2. Argu. Conclu. Aristot.

Conclusio sit, quòd membra imperātur à Ratione despoticè. Hæc est Arist. 1. Politic. cap. 3. vbi ait, quòd Ratio imperat appetitui regaliter, sed membris corporis despoticè: & vocat corpus mancipium animæ; quapropter non stat quòd ponatur imperium Rationis, & quòd non sequatur vsus membrorum, nisi sint ligata vel impedita; quia cæcus quantumcunque imperet oculis, non videbit, nec qui est sine neruis, ambulabit; & hæc est differentia inter appetitum sensituum & membra, quòd appetitus habet per se motum, & sic potest tendere in contrarium Rationis, & imperante Ratione, Non concupiscas cibū prohibitum, appetitus potest appetere illum, quia sibi conueniens & dulcis; mēbra autē non habent per se proprium motum, sed parata sunt â natura vt ad motum obediant

obediant; nec propterea sunt perfectiora, vt diximus articulo præcedēti. Et per hoc patet ad secundum argumentum.

Ad 1. arg. Ad primum respōdetur, quòd licèt Voluntas sæpe moueat membra mediāte appetitu sensitiuo; tamen appetitus non potest resistere Voluntati in exteriori actu membrorum, sed solùm in proprio actu concupiscentiæ: quare quamuis appetitus concupiscat sedere, si Ratio præcipit ambulare, quandiu sunt vires, subsequetur ambulatio.

Nota. Notandum tamen, quòd inter membra duo excipiuntur ab hoc dominio despoti co Rationis. Primum est cor, cuius pulsatio non est in potestate nostra. Secundum est membrum pudendum, quod etiam est aptum moueri per actum sensitiuū: hoc etiam in suo motu non despoticè obedit, quia aliquando mouetur nullo poscente, & aliquando deserit inhiantem, vt ait Augustin. 14. de Ciuitate, c. 16. Ratio autem exceptionis horum duorum est, quia in corde est principium vitæ; vnde motus eius debet esse naturalis; sicut in operibus Rationis supponitur vnum fundamentū naturale; sicut assensus principiorum naturalis est, ex quo discurritur ad conclusiones; & etiam volitio finis est naturalis, per quā Volūtas posteà liberè mouetur ad media; ita in motibus animalis motus cordis est principium aliorum, & ideò debet esse naturalis, & non subditus Rationi; vt hac ratione, vt ait Arist. in de motibus animalis, motus cordis sit perpetuus, sicut motus cæli; quia non durat vita, nisi quandiu durat talis motus, vt ostenditur in pulsu venarū. Ratio autem de membro pudendo (inquit Augustin. loco citato) est in pœnam peccati originalis, quę particulariter ostenditur in illo, quia est membrum generationis, per quam traducitur peccatum originale; & ita dicunt aliqui, quòd primi parentes statim post peccatum, quando cognouerunt se nudos esse cum erubescentia, illud fuit, quia passi sunt illum motum fœdum inuiti & ideo præ verecundia cooperuerūt se.

D. Thom. Tamen D. Tho. inquit, quòd licèt sit vera ratio Augustin. assignanda est ratio naturalis, quia pœna peccati originalis non fuit aliquid superadditum naturæ, sed quædā destitutio per absentiam iustitiæ originalis, per quam mansit in suis naturalibus, à quibus per iustitiam præseruabatur. Causam ergo naturalem assignat Aris. lib. de causis motus animalium, dicit enim, quòd particulariter illa duo membra excipiuntur ab imperio Rationis, quia cor est principium vitæ animalis in indiuiduo; membrum autem pudendum est principiū conseruationis speciei per generationem; vnde debent esse quædam animalia separata non subdita Rationi, ne possit homo pro sua voluntate impedire huiusmodi conseruationes, vel naturales operationes pertur bare; sed quòd illa moueātur quando opus fuerit ad finem.

QVAESTIO XVIII.

De bonitate & malitia humanorum actuum in generali.

ARTICVLVS I.

Vtrùm omnis actio humana sit bona, vel aliqua sit mala.

AD primum sic proceditur. Videtur quòd omnis actio hominis sit bona, & nulla sit mala. Dicit enim Dionys. 4. cap. de diuinis nominib. quòd malum non agit nisi virtute boni; sed virtute boni non fit malum: ergo nulla actio est mala. *Infr. 1. 2. Cor. & q. 73. art. 7. ad 1. & mal. q. 2. art. 1. 2. & 3. & 5. co. Tex. 20.*

Secundò præterea. Nihil agit nisi secundùm quod est actu: non est autem aliquid malum secundùm quod est actu, sed secundùm quòd potentia priuatur actu; in quantum autem potentia perficitur per actum, est bonum; vt dicitur in 9. Metaphysi. nihil ergo agit in quantum est malum, sed solùm in quantum est bonum: omnis ergo actio est bona, & nulla mala.

Tertiò præterea. Malum non po-

test esse causa nisi per accidens; vt patet per Dionys. 4 cap. de di no sed omnis actionis est aliquis per se effectus: nulla ergo actio est mala, sed omnis actio est bona.

Sed contra est quod Dominus dicit Ioan. 3. Omnis qui malè agit, odit lucem; est ergo aliqua actio hominis mala.

Respondeo, dicendum, quòd de bono & malo in actionibus, oportet loqui sicut de bono & malo in rebus, eo quòd vnaquæq; res talem actionem producit, qualis est ipsa. In rebus autem vnumquodque tantum habet de bono, quantum habet de esse; bonum enim & ens conuertuntur, q. 5. ar. 3. vt in primo dictum est: solus autem Deus habet totam plenitudinem sui esse secundùm aliquod vnum, & simplex: vnaquæque res verò habet plenitudinem essendi sibi conuenientem, secundum diuersa: vnde in aliquibus contingit, quòd quantum ad aliquid habent esse, & tamen eis aliquid deficit, ad plenitudinem essendi eis debitam: sicut ad plenitudinem esse humani, requiritur quòd sit quoddam compositum ex anima & corpore, habens omnes potentias & instrumenta cognitionis & motus: vnde si aliquid horum deficiat alicui homini, deficit ei aliquid de plenitudine sui esse; quantum igitur habet de esse, tantum habet de bonitate; in quantum verò ei aliquid deficit de plenitudine essendi, in tantum deficit à bonitate & dicitur malum: sicut homo cæcus habet de bonitate quòd viuit, & malum est ei quod caret visu. Si verò nihil haberet de entitate vel bonitate, nec malum neque bonum dici posset. Sed quia de ratione boni est ipsa plenitudo essendi, siquidem si alicui aliquid defuerit de debita essendi plenitudine, non dicitur simpliciter bonum, sed secundùm quid, in quantum est ens: poterit tamen dici simpliciter ens, & secundùm quid ens; vt in primo dictum est. Sic igitur dicendum est, q. 5. art. 1. quòd omnis actio in quantum habet aliquid de esse, intantum habet de bonitate; in quantum verò deficit ei aliquid de plenitudine essendi, quæ debetur actioni humanæ, in tantum deficit à bonitate, & sic dicitur mala: puta si deficiat ei vel determinata quantitas secundùm rationem, vel debitus locus, vel aliquid huiusmodi.

Ad primum ergo, dicēdum, quòd malum agit in virtute boni deficientis: si enim nihil esset ibi de bono, nec esset ens, neq; agere posset: si autē nō esset deficiēs, nō esset malū: vnde & actio causata, est quoddā bonū deficiens; quia secūdum quid est bonū, simpliciter autem est malum.

Ad secundū, dicendū, quòd nihil prohibet aliquid esse secūdū quid in actu vnde agere possit, & secundū aliud priuari actu, vnde causet deficientem actionē; sicut homo cæcus actu habet virtutem gressiuam per quam ambulare potest; sed in quantum caret visu, qui dirigit in ambulando, patitur defectum in ambulā-lando, dum ambulat cespitando.

Ad tertium, dicendum, quòd actio

actio mala potest habere aliquem effectum per se, secundùm quod habet de bonitate & entitate; sicut adulterium est causa generationis humanæ, in quantum habet commixtionē maris & fœminæ; nō autem in quātum caret ordine rationis.

Conclusio. Neque omnis actio humana est bona, neque omnis mala; sed aliqua bona, aliqua mala. De hac materia videantur scholastici cum Magistro in 2. d. 40. licèt aliqui, vt Duran. tractent illam d. 38.

DVBIVM I.

Vtrū omnis actio humana, sit mala.

1. *Sent. Greg.* IN hac re est prima sententia Gregorij Arimin. in 2. dist. 38. vsque ad 41. quod omnis actio idololatræ est mala & peccatum: immò d. 26. asserit, quòd omnis in vniuersum peccator sine auxilio supernaturali Dei, aliquod opus bonum facere nō potest, sed in omni suo opere absque tali auxilio facto peccat necessariò. Verū est (inquit) tamen, quòd etiam existens in peccato, potest habere tale auxilium supernaturale, ex quo possit bonum agere.

Hæc sentētia probatur. Nam quidquid homo operatur, operatur propter vltimū finem, vt supra dixit D Thom. ergò idololatra vel peccator, cùm sit affectus (velut vltimo fini) idòlo, vel alteri creaturę, quidquid operatur, propter talem vltimum finem operatur, & per cōsequens quidquid operatur, est malum; malitia enim præcipuè sumitur ex fine: si ergo omnis actio talis hominis habet malum finem, omnis

Solutio. actio eius erit mala. Si respondeatur, quòd idololatra vel peccator, quando facit opus secundùm se bonum, vt eleemosynam, si non referat in malum finem cui est affectus, opus manet bonum ex propria natura, & ab authore naturæ in bonum finē dirigitur: Contra arguitur, quia ad bonitatē moralem requiritur relatio moralis in bonum finem: quòd autem illud opus ab authore naturæ dirigitur in bonū finem, nō

Obiectio. est relatio moralis illius actionis vt humanę, & vt ab hoc homine, sed est quædam relatio naturalis ab authore naturæ; sicut relatio nidi hirundinis ad finem naturalem: ergo illud opus non habet bonitatem moralem. Cōfirmatur ex illo Lucæ 11. Si ocu-

Confirm. Lucæ 11. lus tuus fuerit simplex, totū corpus tuū lucidum erit; si autē nequā fuerit, &c. in quo insinuat, quòd ex fine bono vel malo sumitur, totam collectionem operū esse bonā vel malā, nomine enim oculi, intelligitur finis, nomine verò corporis, tota operum collectio: si ergo dicit, Si oculus tuus est nequā, totum corpus est tenebrosum; in infideli vel peccatore in quo oculus finis est, nequissimum totū corpus, & collectio operum tenebrosa erit & mala. Quod insinuatur Rom. 4. Quod nō est ex Fide, peccatū est: nullum autē opus idololatræ est ex Fide, & sic tota operatio eius erit peccatum. Et sic videtur dicere Augustin. lib. 3. de Trinit. c. 19. & lib. 19. c. 25. ibi enim ostendit, nō esse in Gentilibus veras virtutes. Item in præfatione ad Psal. 31. & lib. 1. Retract. c. 3. retractat quod prius dixerat lib. 1. de ordine, Philosophos nō vera pietate præditos virtutis luce fulsisse. Idem dicit Origenes super Iob. Et Clemens Alexan. lib. 3. Pædagogiæ, c. 3. D. Hieron. super cap. 3. ad Galatas, & super caput 29. Ieremiæ, & super 13. Ezechielis, & Gregorius 2. mo ralium, cap. 23. & D Bernar. serm. 24.

Roman. 4. *Augustin.* *Origenes.* *Clem. Al.* *D. Hiero.* *Greg.* *D. Bern.*

Secunda sententia impudentissima & hæretica est, quam tenet Lutherus, quòd homo, siue peccator, siue iustus, siue fidelis, siue Idololatra, siue cum auxilio supernaturali, siue sine illo, in opere suo peccat mortaliter, remittuntur autem à Deo per Christum huiusmodi peccata, per hoc solùm quòd fidamus virtuti suæ passionis; licèt hæc fiducia etiam peccatum sit. Itaque sicut nos dicimus de gratia, quòd omnino datur gratis, sine omni merito præcedenti, neque de condigno, neq; de congruo; ita ille dicit de gloria, quòd ad illam nullū meritum præcedit; distinguitur tamen, quòd nos etiam si ad primam gratiam non ponamus præcedere meritum, ponimus tamen, præcedere dispositiones bonas, ex motione Spiritus sancti, in quibus peccatum esse non potest. Lutherus autem ab omni opere præcedente gloriam non solùm excludit meritum, sed etiam bonitatem; & omne illud dicit esse peccatū; immò in Hispania (vt dicit M. Sot. hic) fuit quidam asserens, quòd omnis, quantuncunq; iustus, etiam Beata Virgo, in omni opere suo peccat venialiter: dicebat tamē, gloriā cadere sub merito, quia & simul stare potest, quòd actio sit venialis & meritoria; licèt posteà iste retractauerit suā sentētiā. Suā autē probat Lutherus multis locis sacrę Scripturæ, Mat. 7 Mala arbor nō potest bonos fructus facere:

2. Sentent. Luther. *Matth. 7.*

sed concupiscentia nostra prona in malũ,
Genes. 6. est mala arbor: non ergo poterit bonos fructus facere. Itẽ Genes. 6. vides Deus quòd multa malitia hominum esset in terra, & cũcta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, &c. vbi etiã habetur illud verbũ, Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: vbi aduertit Lutherus, quòd si Dominus abstulit ab homine spiritum suum,
D. P. Roma. 7. nunquàm poteri operari bonũ. Item si homo appellatur caro, vt Apost. ait Rom. 7. Scio quòd nõ habitat in carne mea bonũ:
Genes. 8. item cap. 8. Genes. habetur, Sensus & cogitatio humani cordis in malum pronasunt ab
Esaiæ 64. adolescentia sua. Item Esaiæ 64. Facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Quid clarius? (inquit Lutherus) sicut enim pannus mundus est, sed menstruata inficit illum, ita opus quod aliquando facimus, licet ex suo genere sit bonum, & iustitia, vt diligere Deum, &c. quia tamen à nobis fit, vt mẽstruatis, inficitur & fit malum Item Eccles. 7. Non est iustus in terra qui faciat
Psal. 142. bonum, & non peccet. Item Psalm. 142. Non iustificabitur in cõspectu tuo omnis
Iob. 9. viuens. Item Iob. 9. Scio quòd non iustificatur homo compositus Deo, & si voluerit contendere cum illo, non respondebit vnum pro mille. Et infrà; Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meę, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta
D. Greg. mea. Adducit etiam loca Sanctorum. Nã D. Greg. 9. Moral. in cap. 11. & 14. super illud, Quis respõdebit ei? ait: Interrogationi illius homo respondere nõ potest, quia si remota tũc pietate discutitur in illo examine, etiam iustorum vita succumbet: & c. 14. super illud Etiamsi habuero quippiam iustum, non respondebo, inquit: Omnis humana iustitia, in iustitia esse cõuincitur,
D. Aug. si districtè iudicetur. Et D. August. lib 9. Confes. cap. 13 ait: Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia, discutias eam. Et super Psalm. 142. plura dicit pro hac sentẽtia, & præcipuè sermone 49. de tẽpore, super illud Psal. Non intres in iudicium cũ seruo tuo, Quid est (inquit) non intres in iudicium cum seruo tuo? Vt nonstes mecum in iudicio, exigendo à me omnia quæ præcepisti, & omnia quę iussisti, nam me inueniens reum, si in iudicium intraueris mecum. Opus est ergo (inquit) misericordia tua, potiùs quàm liquidissimo iudicio tuo. Et infrà, Quandiu viuitur in hac vita, nemo iustificat? est in cõspectu Dei, quia potest esse iustificatus aliquis in conspectu hominum, non autem iustificatur in conspectu tuo omnis viuens. Et D. *D. Bern.* Bern. serm. 1. Omnium sanct. post mediũ, super illud, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, ait: Quid potest esse omnis iustitia nostra coram Deo? Non ne iuxta Esaiam 64. velut pannus menstruatæ reputabitur? & si districtè iudicetur, iniusta inuenietur omnis iustitia nostra, & minus habens? &c. vsque ad illud, Tota humilitate ad misericordiam recurramus, quæ sola potest saluare animas nostras.

Secundò arguitur ratione pro hac sen- *2. Arg.*
tentia. Quodcunque opus faciat homo, transgreditur diuinum præceptum dilectionis Dei: ergo in quocũque opere peccat. Consequẽtia patet & antecedens probatur ex illo Matthęi 22. Diliges Dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo, &c. ibi enim præcipitur perfectissima dilectio Dei, & summa intensione, cùm dicatur, diligendum esse Deum ex propria virtute; nomine autem virtutis significatur vltimum ad quod potest potentia attingere: sic autem diligere non contingit in Via: ergo nõ impletur illud præceptum, & consequenter peccat in omni operatione, cùm omnis illa deberet procedere ex tali dilectione sic intensa.

Tertiò arguitur. Viri etiam sanctissimi *3. Arg.*
operantur ex amore proprię beatitudinis: ergo ex amore mundano. Patet consequẽtia, quia tunc aliquis operatur ex mundano amore, cùm operatur propter aliquid quod non sit Deus, vt propter mercedem: qui autem operatur propter suam beatitudinem, operatur propter aliquid quod nõ est Deus; ergo ex amore mundano, & consequenter in tali operatione peccauit. Antecedens autem est D. Thom. 2. 2. quæst. 19. art. 3.

Prima conclusio. Homo in puris natu- *1. Conc.*
ræ potest aliquod bonum facere: vnde nõ omnis operatio eius necessariò est mala. Hæc conclusio est cognita lumine naturę, & oppositum est magna stultitia & hebetudo. Probatur primò. Natura rationalis inclinatur ad operationes Rationi consentaneas: ergo potest eas efficere. Antecedens patet, quia vnaquæque natura est propter propriam operationem, &, vt ait Arist. Ratio semper deprecatur ad optimum. Consequentia etiam patet, quia id ad quod aliquid

quid inclinatur naturaliter, potest naturaliter efficere, si sit purè naturale: qualia sunt opera moraliter bona, & secundùm rationem. Secundò probatur. Dictamen Rationis, vt, Bonum est faciendum, malum autē fugiendum, Deus est colendus, &c. nō est alicuius impossibilis: ergo ex viribus naturę potest fieri. Antecedēs probatur, quia si tale dictamen esset alicuius impossibilis, esset dictamen falsum; falsum enim esset, dicere, Hoc est faciendum, si facere illud, est impossibile. Tertiò probatur, quia vna ex conditionibus requisitis ad legem, est, vt præcipiat aliquid possibile fieri, vt habetur dist. 4. cap. Erit autem lex, de sumptum ex Isidoro lib. 5. Etymologiarum, cap. 20. & 21. sed præcipua lex est naturalis, cùm ad normam illius leges positiuę condātur: ergo lex naturalis possibilia debet præcipere: præcipit autem studiosa opera: ergo hæc possibilia sunt. Quartò probatur. Homo facultate suæ naturæ cognoscit bonū honestum, & illud discernit: ergo potest illud prosequi per voluntatem, & opere cōplere. Patet consequentia, quia cognitio practica de agibilibus data est à natura propter opus. Quintò probatur, quia si homo non posset aliquando facere bonum, natura humana infelicior esset cunctis quæ ad proprios fines naturales directè possunt tendere; & tūc potiùs videretur natura humana figmentum dæmonis, quam factura. *D. Paul.* Dei. Vltimò probatur, nam D. Paul. Rom. 1. dicit, Philosophos fuisse inexcusabiles quia cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerūt: hoc ergo erat eis possibile per facultatem naturæ, per quam Deum cognouerant; nā aliàs non vt inexcusabiles manerent condemnati. *2. Conc.*

Secunda conclusio. Homo in natura lapsa, etiam in peccato existens, potest aliquod bonum facere, & non necessariò omnia opera eius sunt mala. Hæc est de Fide, *Conc. Trid.* diffinita in Concilio Trident. sess. 6. can. 7. per hæc verba: Qui dixerit, omnia opera ante iustificationem, quacunque ratione sint facta, esse verè peccata, aut odium Dei mereri, anathema sit. Probatur primò, quia metus gehennæ & iræ Dei repertus in peccatore, est bonus secūdùm Fidem; nā Christus Dominus docuit nos vt isto timore perterreamur. Eū (inquit) timete, qui postquàm corpus occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: nō ergo omne opus peccatoris, est malum. Secundò probatur, nam peccatores in delicijs detēti Christiani admonentur de ieiunio, & eleemosyna, vt fecit Daniel cum Rege Babylonico, dicens: Peccata tua eleemosynis redime; nō ergo talia opera peccatoris sunt peccata, nam aliàs non liceret illa consulere. Tertiò probatur. Multa opera exercenda etiā à peccatore cadunt sub præcepto; ergo illa, etiam si à peccatore exerceātur, sunt bona. Cōsequētia patet ex illo Iacobi 1. Deus intentator malorum est. Et Eccles. 16. Nemini mandauit impiè agere. Antecedens autem patet in prȩcepto honoris parentū, & alijs huiusmodi. Confirmatur, nam aliàs Deus simul imperaret, & prohiberet eandem operationem, ita vt homo maneret perplexus, necessitatus simpliciter vt peccet, faciendo, vel non faciendo; nam faciendo peccat, vt Lutherus dicit, & similiter nō faciendo peccabit, cùm sit præceptum vt faciat. Vltimò probatur ex illo 1. Corin. 7. Noli quærere vxorem: si autem acceperis vxorem, non peccasti: actus ergo illevt sic, non est peccatum, & oppositum asserere est contra Fidem. *Iacob. 1. Eccles. 16. 1. ad Cor. 7*

Tertia conclusio. Homo iustus & existens in gratia non peccat in omni opere suo, sed multa opera bona potest facere & facit. Hæc est de Fide, vt habetur ex Concil. Trident. sess. 6. can. 15. vbi sic habetur: Si quis dixerit, iustum in quolibet opere, saltem venialiter peccare, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, anathema sit. Et probatur primo ex sacra Scriptura, Iob 1. Erat autem simplex & rectus, & recedens à malo. Et rursus: In omnibus his non peccauit Iob. Item Eccles. per multa capita in fine illius libri laudat patres antiquos, & eorum opera cum laude recenset. Et similiter D. Paulus in Epistol. ad Hebræos, dicens: Circuierunt in melotis, &c. quorum dignus non erat mundus. Et Dauid de se ait Psalm. 128. Custodiuit anima mea testimonia tua. Et item, Custodiui legem tuam: promittitque se eam obseruaturum, dicens: Viuifica me, & custodiam mandata tua. Et 3. Reg. 14 dicit Dominus ad Hieroboam: Nō fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & ambulauit post me in toto corde suo. Et Lucæ 7. Arborbona bonos fructus facit. Et 1. ad Corint. 15. Euigilate iusti, & nolite peccare. Et 2. Petri 1. numeratis multis virtutibus, inquit: Hæc enim facientes non peccabitis. Ephesi. 2. Creati in operibus bonis, in Christo Iesu, quæ præparauit Deus vt in *3. Conc. Conc. Tri. Iob. 1. Eccles. In Epist. ad Heb. Psal. 128. 3. Reg. 14. Luc. 7. 1. Ad Cor. 15. 2. Pet. 1. Ephes. 2.*

ipsis ambulemus, &c. a. 1. Elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati. Et Roman. c. 2. dicitur, quod in die iudicij Deus reddet vnicuique secundùm opera eius, his quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriã & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam; his autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio in omnem animam hominis operãtis malum, Iudæi primùm & Græci. Gloria autem & honor & pax omni operãti bonũ, Iudæo primùm & Græco. Nihil communius in sacra Scriptura, quàm admoneri ad bona opera. *Esai. 1.* Esai. 1. Lauamini, mũdi estote, auferte malum cogitationum vestrarũ. *Matth. 4.* Matthæi 4. Pœnitentiam agite. Et cap. 5. Beati pauperes, qui lugent, &c. Et cap. 6. perscribitur nobis modus bene operandi, dicendo: Attendite ne iustitiam vestram, &c. Cùm ieiunatis, nolite fieri, &c. Tu autem cùm oraueris, intra, &c. Cũ facis eleemosynam, nesciat, &c. Tandem ad hoc est Incarnatio Verbi, vt ait Apostol. in hoc enim apparet benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, vt abnegantes impietates, & sæcularia desideria, sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc sæculo. Secũdò probatur. *1. Ioan. 3.* Qui manet in Deo, & vt sic operatur, non peccat; vt patet. 1. Ioan. 3. Sed qui manet in Charitate in Deo manet; vt patet 1. Ioan. 4. Ergo qui manet in Charitate, & ex illa operatur, non peccat. *Solutio.* Si respõdeatur, illud intelligendum de illo qui operatur ex Charitate perfecta, vt in Patria, non autem ex imperfecta, vt in Via: *Obiectio.* Contra, nam etiam in Via qui seruat mandata, habet perfectã Charitatem, vt patet ex illo Ioannis vbi supra, Qui seruat verbum Dei, verè in eo perfecta Charitas est. Et Dominus aiebat: Qui seruat mandata mea, ille est qui me diligit: ergo etiam in Via potest quis ex Charitate perfecta operari, & operatio eius erit bona. Itaque licèt Charitas Viæ non sit adeo perfecta, sicut in Patria; est tamen adeò perfecta, vt per quamcunque minimam Charitatẽ possint seruari omnia mãdata; sicut minima gratia sufficit expellere omne peccatum; & consequenter quæcunque minima Charitas est principium sufficiens ad eliciendum opus vndequaque perfectum & bonum, absque vllo defectu.

4. Conc. Quarta conclusio. Homo, quantumcũque iustus, potest peccare, & facere opus malum: immò de facto, quantumcunque sanctus, præter Beatam Virginem, peccat, saltem venialiter. Itaque non omnia opera iusti sunt peccata, vt volebat Lutherus; nihilominus non omnia opera iusti sunt bona, sed aliqua facit bona, & aliqua potest facere & fecit mala. Hęc est de Fide, vt patet ex illo Ioannis, Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Et Ioannis 3. Dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem; erant enim eorum mala opera. Et D. Iacob. In multis offendimus omnes. Et Sapiens ait: Septies in die cadit iustus. Et generaliter supponitur in sacra Scriptura, quemlibet posse peccare: vnde Genes. 4. in persona Cain dicitur omnibus: Si male egeris, statim in foribus peccatũ tuum aderit. Ierem. 9. Vt iniquè agerent, laborauerunt. Esaiæ 1. Quiescite agere peruersè. Et Psal. 24. Confundãtur omnes iniqua agẽtes. Secundò probatur ratione, quia omni homini fit persuasio vt non peccet, vt probauimus in præcedẽtibus; ergo omnis homo potest peccare; aliàs vana erit persuasio. Tertiò probatur. Liberum hominis arbitrium est defectibile, & infirmum, nec in hac vita necessitatur ad bonũ: ergo necessum est aliquãdo deficere. Quartò probatur. Certum est, ab hominibus exerceri multa opera circa obiectum malum, & dissonum rationi; sed stultissimum est, dicere hanc malitiam non prouenire ab homine, sed ab extrinseco dæmone: ergo insanum erit, dicere, hominem non peccare. Minor probatur, quia talis actio, & quicũque modus eius, est vitalis: ergo necessariò debet esse à principio intrinseco vitali, vt docuit D. Thom. suprà quæst. 6. & 2. 2. q. 23. art. 2. Confirmatur, nam si malitia reducitur ad dæmonem, & conceditur dæmonem peccare; quare non reducitur ad hominem, & ille peccabit? quia infirmior est homo dæmone vt peccet. Et certè hoc insinuatur in sacra Scriptura, dum peccatum appellatur tinea, quæ nascitur ex intrinsecis ligni quod redit; vt insinuetur, peccatũ destruens hominem, ex principio intrinseco illius prouenire. Confirmatur secundò, quia si malitia peccati est ab extrinseco, & homo non peccat, ad quid necessaria gratia, & auxilia Dei recepta in homine ad nõ peccandum? & ad quid necessaria pœnitẽtia, quæ de peccatis ab ipso commissis debet esse? Et qualiter poterit Deus punire hominem iustè pœna sensus, si peccatum ab illo non committitur? Tandem patet,

quia

quia dæmon non potest agere in animam, nec mouere Volũtatem, vt suprà diximus: ergo malitia actus Voluntatis ex ipsa Vo-
Obiectio. luntate debet esse, & non à dæmone. Et si contra conclusionem facias argumentum, nam actio humana, & omnis illius ratio in ea reperta, est producta: ergo omnis talis est bona. Antecedens patet, quia omnis talis actio est vitalis & voluntaria, & consequenter producta â Volũtate. Consequẽtia probatur, quia terminus productionis est forma, & finis, & consequenter bonũ:
Solutio. Respondetur, quòd peccatum dupliciter potest significari, & verbaliter, & nominaliter: verbaliter quidem, vt furari, vel furnicari, & sic peccati Deus non est causa; quia nõ verificatur de illo quòd furetur vel furnicetur; nominaliter autẽ significatur per hoc nomen Furtum, vel Adulterium; & sic adhuc sumitur dupliciter: primo pro entitate ipsius furti. secundo nimis formaliter, & connotatiuè, vt importat malitiam furti. Primo modo furtum habet rationẽ producti, & boni, & sic etiam causatur à Deo. Secundo autem modo non habet rationẽ producti, & effectus, sed potiùs defectus, quia tribuitur causæ deficienti, & quantumcunque fiat reduplicatio, quod etiam in quantum peccatum formalissimè sumptum est, ens & productum, & consequenter bonum, adhuc manet locus distinctioni prædictæ, quòd in ra-
Ad 1. arg. tione effectus est bonus, non autem in ratione defectus & peccati; de quo amplius infra, q. 79.

Ad primum argumentum à principio pro prima sententia respondetur, quod finis vltimus sumitur dupliciter. Primo formaliter pro ratione boni in communi. Secundò materialiter, pro re in qua prædicta ratio reperitur, vel ab operante apprehenditur reperiri. In casu ergo argumenti respondetur, quòd omne agens agit propter vltimum finem primo modo, non autem secundo. Vnde August. in Confessio. aiebat, loquens cum peccatore: Quære quod quæris (nempe bonum) sed non in quo quæris, (nempe in creatura.) Vnde D. Th. 3. contra Gent. cap. 17. dicit, quòd omnis actio est propter Deum realiter considerata; quia omnis actio est propter bonum in communi, quæ in Deo reperitur. Licèt non omnis actio sit propter bonum in cõmuni, prout in Deo reperitur ex parte operantis; Idololatra ergo vel peccator faciẽs opus bonum, non referens formaliter vel virtualiter ad Idolum, vel finem sui peccati, nullamque apponens malam circunstantiam, operatur propter vltimum finem formaliter, non verò materialiter sumptum, nempe Idolum. *Ad imp.* Ad impugnationem autẽ respondetur, quòd etiam si illud opus ab authore naturæ referatur ad bonum, nihilominus est relatio moralis, ex eo quòd operans voluntariè & moraliter exercet bonũ opus circa obiectum consonum Rationi; *Ad conf.* quod non reperitur in constructione nidi hirundinis. *Ad loca sent.* Ad confirmationem respondetur, intelligendum de operibus formaliter vel virtualiter relatis in talem malum finem; tunc enim corpus est tenebrosum, si oculus sit nequam. Ad locum autem ex Diuo Paulo, respondetur, bene ibi loqui Apostolum de Fide infusa in Christiano, vt ait August. lib. 4. contra Iulian. cap. 3. sed tunc est sensus, vt explicat D. Thom. super illum locum, esse peccatum quod non est ex Fide; id est, ex infidelitate vel cõtra Fidem; non autem si sit nõ ex Fide purè negatiuè. Ad diuum Augustinum respondetur, intelligendum, tales operationes Philosophorum non esse verè virtutes facientes bonum operantem: non autẽ negat, tales operationes esse bonas moraliter; nã aliàs peius esset quòd infidelis (verbi gratia) solueret debitum, quàm quòd nõ solueret: nam sivtrunque est peccatum, nõ soluere est contra iustitiam; soluere autem haberet malitiam infidelitatis, nulla enim alia potest assignari, nisi malitia finis vltimi operantis: maius autem peccatũ est cõtra Fidem, quàm contra iustitiam: hoc au- *Ad 1. arg.* tem est absurdum. Et eodem modo respõdetur ad reliquos sanctos ibi citatos.

Ad primum autem pro secunda sententia Lutheri, collectum ex diuersis locis sacræ Scripturæ, respondetur. Ad primum quidem, quòd nomine arboris non intelligitur natura nec potentia Volũtatis, sed intelligitur intentio & actus interior Voluntatis; nomine autem fructus intelligitur actus exterior respectu interioris, vel electio respectu intentionis, vt explicat August. in Enchirid. ad Laurent. cap. 15. tomo 3. & tunc verissimum est, quòd ex mala intentione non potest esse bona electio, neque ex malo actu interiori potest esse bona actio exterior; non tamen homo semper operatur ex mala intentione, & sic potest bene operari. Et quòd hæc sit recta interpretatio, patet ex cõtextu, dixit enim Dominus; Aut facite arborem bonam, & *Pro 2. sent.*

fru-

fructus eius bonos, &c. naturam autē aut voluntatem ipsam nos non facimus, sed facimus opera & intentionem. Ad illud autem Genes. dicitur, illud non esse dictum de cunctis hominibus, sed de perditissimis illius ætatis, & quia penè omnes erant huiusmodi, cuncti dicuntur tales: certum est enim, quòd Noe talis non erat, cùm esset vir iustus atque perfectus in generationibus suis, vt ibi dicitur. Ad illud autem, Nō permanebit spiritus meus, &c. respondetur, quòd nomine spiritus intelligitur vita; & sic est sensus; Non viuet generatio hęc in perpetuum, quia carnalis est; vnde illud quod dicitur, Eruntque dies illius centum viginti annorum, non est referendum ad ætatem cuiuscunque hominis, vt ait August. 15. de Ciuit. cap. 24. sed referendum est ad tempus induciarum, quo expectatu rat Deus emendationem hominum, vt notauit Chrysost. ibidem. Sed dato quòd loquatur de Spiritu sancto suo bono, etiā in rigore dialectico, sensus est, non permanebit in æternum spiritus meus in homine, hoc est, non semper permanebit; cum quo stat, quòd āliquādo permaneat. Aliud enim est dicere, in æternum non permanebit, & dicere, non permanebit in æternum; primum enim significat, quòd nunquàm permanebit; secundum autem significat quòd permanentia non erit æterna, sed aliquando deficiet. Ad illud autē, quòd sensus & cogitatio cordis humani prona sunt in malum, dicitur, sensum esse, quòd inclinatio carnis est mala, quia de se allicit in malum: ex quo tamen non sequitur, omnia opera esse mala, sed tantum illa, in quibus homo, deiecta Ratione à cōcupiscentia, consentit cum illa; vt verificetur illud Diui Iacobi, Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Cōcupiscentia autem cùm conceperit, (nimirùm per consensum) parit peccatum; quę explicatio patet ex cōtextu, vbi Deus polliceturnō tam acerbe vlturū scelera; assignans pro motiuo, quòd cogitatio generis humani prona esset ad malum; non enim induxisset in causam suæ clementiæ, quòd omnia opera essent mala; hoc enim potiùs concitaret iram, quàm clementiam. Ad illud autem Esaiæ respondetur similiter, quòd non loquitur generaliter, sed de illis qui tempore ipsius fuerant à Deo grauiter auersi; de illis enim sequitur; Et cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostrę quasi ventus abstulerunt nos; non est qui inuocet nomen tuum, &c. Quòd autem loquatur de omnibus, etiā est per exaggerationem; vt Paulus aiebat, Omnes quæ sua sunt quærunt. Et idem Propheta dixerat, A plantapedis vsque ad verticem non est sanitas, &c. Secundò potest intelligi, nō de operibus personarum, sed de lege antiqua comparata ad nouam; præcepta enim illa & cęremoniæ non iustificabant de se, sicut opera Euangelica, quare comparata ad ista, sunt iustitiæ illæ veteris legis, sicut pannus menstruatæ. Vel etiam si status illius Reipublicæ describatur post aduentū Christi, dicitur quòd illæ cęremoniæ, quæ antea erant iustificationes populi, nunc iā sunt iniustitiæ, & sicut pannus menstruatæ. Ita Hieronymus. Tertiò potest dici, q̄ dato ibi fiat sermo de cunctis hominibus, quòd non intelligatur de singulis operibus seorsum, sed de collectione omnium: quia licèt homo faciat aliqua bona opera, miscentur aliqua mala, scilicet venialia, & sic omnia simul sunt sicut pānus menstruatæ, qui non totus est fædus, sed est maculosus. Ad omnia alia testimonia sacræ Scripturæ & Sanctorum, quæ potissimè nituntur in illo verbo, Non intres in iudicium, &c. respondetur, timere quidem intrare in iudicium, non quia non sciant in iustis esse multa opera bona, & meritoria, sed quia dubitant de propria iustitia, de qua nemo potest esse ita certus, quin semper sit in timore; quia cùm saltem probabiliter, commiserint aliqua mortalia, ignorant an legitimam fecerint pœnitentiā: quare si Deus tantùm esset iudex, & misericors esse nollet, obseruando & inquirendo iniquitates, nec parcendo, quis sustineret eum, vel ante ipsum staret, dicens; Innocens ego sum? Vel id dicunt Sācti propter venialia quæ quotidie committuntur, propter quæ deprecātur, Dimitte nobis debita nostra. Vel id dicunt propter negligentias, quas in omni opere bono admiscemus. Vel idem etiā dicunt, quia bona opera non habent raditem à nobis, sed à gratia & Dei misericordia; quapropter maxima iustitia nostra maximam Dei misericordiam ostendit, dantis, & conseruantis & adiuuantis, & perficientis illam in nobis: sua enim dona in nobis coronat, & nostra vult esse merita, & ideò non potest homo cū Deo contendere quasi ex propriis, sicut cum alio homine, nec potest respondere vnū pro mille; quoniā illud vnū, si bonū est, ex Deo est. Vel etiam id dicunt Sancti, quia iustitia hominis

minis comparata ad iustitiam Dei, vitium, & iniustitia apparet: vnde Augustin. lib. 2. de peccatór. meritis, c. 13. ait: Etiam perfecta nostra iustitia, imperfecta est, si vel cũ Dei, vel cũ hominis Christi, vel spirituum beatorum in cælesti patria commorantiũ iustitia comparetur; nec ideò iusti non sumus, quòd peccato non careamus; nullus enim sanctus & iustus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse sanctus, cùm affectu teneat sanctitatẽ. Vide de Ecclesiast. dogmatibus, cap. 86. & D. Basil. super illud Psalm. Iudica me, Domine, secundum iustitiam. Vel sexto id dicunt Sancti, quia cõtinuo atque homo in strictissimo Dei iudicio, de sua iustitia præsumpserit, statim vt præsumptuosus perdit illam. Ita August. serm. 49. de tempore.

Ad secundum argumentum respondetur, de Fide esse, nos posse implere præceptũ dilectionis Dei in hac vita; de quo D. Thom. 2.2.q.44.art.6. & Soto. 3. de natura & gratia, cap. 3. & 4. & ad implenda alia præcepta, non tenetur semper ex charitate operari; potest enim quis implere præceptũ honorandi parentes, sine charitate, vt dicetur infrà, q. 100. art. 10. vbi dicitur, quòd modus charitatis non cadit sub omni præcepto; vnde étiam gratis cõcesso cõtra Fidem non posse hominẽ implere præceptum Charitatis, non sequitur non posse implere alia præcepta, & consequenter facere bonum.

Ad tertium respondetur, posse aliquẽ operari bene ex amore beatitudinis dupliciter. Primò, vt beatitudo haberetur vt finis qui, cuius gratia fit operatio, & sic operatio esset mala ex fine, & procederet ex amore mũdano, licèt versaretur circa obiectum aliàs bonũ secundũ se. Secundò, ita vt beatitudo habeatur vt finis quo, subordinatus gloriæ Dei, gloriam Dei intendendo per suam beatitudinem: & sic operatio est bona, & nullo modo peccatũ, vt habetur in Concilio Tridentino, sessione 6. c. 11. ad finem.

DVBIVM II.

In quo consistat ratio moralitatis actionis humanæ in communi, prout abstrahit à bona vel mala.

1. Sent. IN hac re est prima sententia, quòd moralitas consistit in libertate, & indifferẽtia, ita quòd idem sit esse morale, quod esse liberum. Hanc tenet Henricus quod. lib. 13. quæst. vndecima. Durandus in 2. dist. 30. quæst. 1. num. 5. Scotus distinct. 40. q. vnica. §. de secundo dico. & quodlibeto. 18. §. de secundo principali, Soto de iustitia & iure, quæst. 7. art. 2. Conradus hic art. 5. Verum est, istos non eadem via procedere; quia Henricus dicit, consistere in libertate ipsius actus, & consequenter in ali quo intrinseco, loquendo de actibus elicitis à Voluntate. Alij autem, consistere in libertate ipsius potentiæ, & ideò actum esse moralem, quia procedit à potentia libera; & consequenter moralitatem esse quid extrinsecum in ipso actu. Rursus aliqui, vt Conradus, dicunt, rationem liberi, esse in quo consistit ratio moralitatis; quia ratio liberi comparatur ad rationem particularis boni & mali, & est subiectum commune vtriusque: & sic etiam est diuisio subiecti in accidentia. Alij autem, rationem liberi vt commune, non solùm vt subiectum, sed etiam vt genus ad bonum & malũ morale, vt ad species. Probatur, hæc sententia quantum ad id in quo omnes conueniũt, quòd ratio moralitatis in communi consistat in ratione liberi. Primò, posita libertate in actione humana, ponitur esse morale, & ablata libertate, aufertur moralitas: ergo consistit in libertate. Consequentia patet, quia in illo consistit essentia rei, quo posito, ponitur, & quo ablato, aufertur. Antecedens autem probatur primò à Durãd. quia morale dicitur à cõsuetudine vel more: ergo in tantum erit morale, in quantum aliquid potest assue fieri; Solùm autem potest esse assue factio in libero, non verò in naturali; non enim dicitur lapis assue factus vt descendat vel ascendat: ergo morale ponitur posito libero. Secundò probatur à Scoto, quia posita libertate in operatione, ponuntur proprietates morales: ergo & essentia moralitatis; quia proprietates poni nõ possunt nisi cum sua essentia. Antecedens probatur, quia eo quòd actio sit libera, habet laudem vel vituperium, & est digna præmij, vel supplicij. Tertiò probatur ex diuersis locis D. Thom. nam infrà, quæst. 21. art. 2. ait, actus esse imputabiles, in quantum homo habet dominium illorũ: certũ est autẽ habere dominiũ actus, eo ipso quòd actus sit liber. Item suprà q. 1. art. 2. & 3. & in hac quæstione, art. 4. sæpe repetit, idem esse actionem humanam & deliberatam: & in actione humana quatuor bonitates assignat: primam naturalẽ,

Henric. *Duran.* *Scotus.* *Soto.* *Conrad.*

1. *Argu.*

2. *Argu.*

3. *Argu.* *D. Tho.*

tres

tres autē morales, scilicet ex obiecto, & ex circunstantijs, & ex fine; quas ait conuenire actui, vt à ratione procedit: quod idē est ac si diceret, conuenire actui vt libero. Et etiam in 2. senten. dist. 40. quæst. 2. ar. 1. dicit, quòd quæ pertinēt per se ad aliquod genus, per se distinguuntur differentijs illius generis: quæ verò per accidens aliquibus differentijs differunt, etiam per accidens pertinent ad illud genus, vt clauis, & cultellus, per accidens pertinent ad genus artificij, per se autē ad genus substantiæ; quia per accidens distinguuntur differentijs artificij; per se verò differentijs substantiæ. Dicit autem, quòd actio Voltūatis per se est in genere moris, atque adeò per se distinguitur differentijs huius generis, scilicet per bonum & malū; sentit ergo, rationem moralem consistere in ratione Volū tatis liberæ, & non esse aliquam rationem accidentalē superadditam. Itē etiā 3. cont. Gent. c. 9. dicit: Secūdùm hoc aliquid pertinet ad genus moris, secundùm quod est voluntariū. Et q. 2. de malo, ar. 6. ait: Actus moralis est actus à Ratione procedens voluntarius. Et 1. 2. q. 20. art. 2. ad 3. concedit argumento, actum esse moralē ex eo quòd est voluntarius. Secundū autem quod addit hæc sententia, quòd ratio liberi est ratio cōmunis moralitatis, non communitate generis, sed cōmunitate subiecti; probat, quia idem numero actus potest de bono fieri malus, & è conuerso: vt qui feria quinta comedit carnes, durans vsque ad feriam sextam, vel incipiēs Sabbatho, durās vsque ad Dominicam; ergo differētiæ morales boni & mali non comparantur ad liberum vt ad genus, sed vt ad cōmune subiectum. Patet consequentia, quia differentię non possunt mutari, manente & incorrupto genere, cùm identificētur cum illo; bene tamē manente subiecto: si ergo manet idem actus quoad libertatem, mutatis differentijs boni & mali, talis ratio libertatis non erit genus, sed commune subiectū vtriusque.

2. Sent. Secūda sententia est aliorum dicentiū, moralitatem non consistere in libertate, licèt illa supponatur, sed in aliquo superaddito ad libertatē. Distinguuntur tamen inter se authores huius sententiæ in assignādo hoc superaddito. *Richar.* Richardus enim q. 2. d. 41. circa 2. principale, dicit, hoc superadditum esse habitudinem realem intrinsecam actui ad suum principium, quatenus est agens morale; hoc est, quatenus est agēs cū subiectione ad rectā rationē, vt ad regulam. Debet enim notari ex Cōrado in hac quæstione articulo quinto, quòd Volūtas potest subordinari Rationi dupliciter. Primò, vt proponenti obiectū eū indifferentia. Secundò, vt regulanti & dictanti quod expediat agere, vel non agere. Et hæc secūda potest esse duplex: vel in actu primo ante actualē operationem, quatenus Volūtas cum tali respectu ad Rationē est in potentia ad sic operandū. Vel etiam in acto secūdo, quando cū tali subiectione actualiter operatur; moralitas ergo cōsistit in prædicta subiectione: moralitas quidē in actu primo, in subiectione in actu primo: moralitas verò in actu secūdo, in subiectione in actu secundo. Hic modus dicendi videtur probari à simili. Actio vitalis habet esse vitale ex ordine ad principiū vitale; & potentia exequutiua habet esse talis, in quantū subordinatur regulis artis, & generaliter quęcunque actio habet rationē actionis ex ordine ad agens. Alij autē, inter quos est Vaz quez 1. 2. disp. 73. c. 9. & disp. 35. c. 10. & disp. 29. c. 7. dicit, illud superadditū ad libertatem, in quo consistit moralitas, esse regulabilitatē actus per Rationē, quę solū est quędā denominatio extrinseca in ipso actu, desumpta ab ipsa regula Rationis, vt à forma extrinseca; posito enim ex vna parte actu libero, & ex alia parte posita regula Rationis, per hoc ille actus est moralis, quia regulabilis est à tali regula: quod in tali actu tantū aliquid extrinsecū dicit, vt esse dextrū, respectu eius quod ad brutum cōparatur, in tali situ. Alij autē, vt Caiet. infrà, q. 46. art. 3. §. Præterea, inquit, illud superadditū, in quo cōsistit moralitas, esse quendā modum realē absolutū & intrinsecum ipsi actioni, licèt non multū explicet talē modū: & hoc probat, quia habitus morales sunt principia operationis, & ipsi etiam vt morales actibus cōparantur; habētque inter se etiā vt morales oppositionem: ergo moralitas quid absolutū est, & non respectiuū. Patet cōsequentia, quia relatio neq; potest esse principiū, nec terminus operationis; cū ad relationē nō sit per se motus, nec etiā relationi est aliquid contrarium.

Vaz quez. *Caiet.*

Prima conclusio. Esse morale in communi, supponit libertatē necessariò: nō tamen formaliter cōsistit in libertate. Prima pars probatur primò. Actio moralis debet procedere ab agēte morali vt sic: sed agēs morale ne quit intelligi nisi supponatur libertas; ergo. Probatur minor. Agens morale *1. Conc.*

rale est cum subiectione ad regulam morum;agens verò non liberum, huiusmodi subiectionem habere non potest. Secundò probatur. Actiones naturales puræ, non sunt capaces meriti vel demeriti,quia naturalibus neq;meremur neque demeremur: ergo nec sunt capaces moralitatis. Patet consequentia, quia huiusmodi sunt proprietates moralitatis:ergo incapax proprietatum, etiam est incapax illius cuius sunt proprietates: vbi ergo non est libertas,neque moralitas.Confirmatur. Ex eo actiones puerorum vel amentium non sunt morales, quia non sunt liberæ: ergo libertas requiritur ad moralitatem. Si respondeatur, actiones puerorum non esse morales,quia non procedunt ex perfecto iudicio; non verò quia non sunt liberæ: Contra, quia in tantum iudicium illorum non est perfectum, in quantum est determinatum ad vnum non habens indifferentiam ad vtrunque: sed hoc ipsum est non esse liberum: ergo idem est dicere in eis iudicium non esse perfectum,&in eis non esse libertatem;si enim perfectè iudicarent cum in differentia de obiecto,libertas esset in eis. Secunda pars conclusionis probatur primò. Idem actus inuariatus in ratione liberi potest simul esse in duplici specie boni & mali moralis:ergo ratio liberi non est ratio superior & communis moralitatis. Antecedens patet. Quando quis vult homicidium propter furtum, idem actus est simul;tamen habensmalitiam,speciemque furti & homicidij. Similiter quando quis vult ieiunare propter pœnitentiam, idem actus est, habens tamen speciem ieiunij & pœnitentiæ. Consequentia probatur.Impossibile est,multiplicare rationem differentialem contrahentem,& determinantem, & non multiplicare rationem contractã, & determinatam; determinare enim nihil aliud est, quàm portionem superioris contracti inferiorẽ assumere; vnde si est duplex ratio contrahens, duplex portio contracti, in inferiori constituto per contrahentem debet esse. Si respondeatur,probare,rationem liberi non comparari ad rationes specificas morales vt genus;non tamen probare,non comparari vt subiectum, vt asserebat prima sententia:idem autem subiectum numero diuersa & opposita potest recipere:Cõtra, quia isti inuoluunt contradictionem in suo dicto:si enim ratio liberi tantùm se habet vt subiectum: ergo non est ratio superior & cõmunis moralitatis.Et si intendunt, ratio

Solutio.

Impug.

Solutio.

Impug.

nem communem abstractam moralitatis consistere in libertate,necessariò tenentur concedere,non posse multiplicarirationes inferiores moralitatis, non multiplicata ratione superiori liberi. Argumentum enim probat de quocunque superiori, siue sit genus, siue non; quia etiam respectu entis quod non est genus,modi inferiores,quia cõparantur ad ipsum vt contrahentes,multiplicãtens,ipsis modis multiplicatis;quia, vt dixi,contractio diuisionem & multiplicationem superioris importat Item etiam hæc solutio supponit falsum;quia quod resultat ex subiecto & accidenti,non est simpliciter vna natura,sed vnum tantùm concretione:actio autem moralis in particulari,comparata ad morale in communi, non facit vnitatem concreti, sed naturæ: ergo vel dicendum est,si ratio liberi habet se vt subiectum, quòd non est idem quod morale in cõmuni;vel si est idem quod morale,non habet se vt subiectum, sed vt ratio superior:&tunc restabit soluendum argumentum propositum. Secundò probatur eadem pars. Idẽ actus numero potest successiuè esse bonus & malus; vt quando incipit non stante prohibitione, continuatur autẽ prohibitione adueniente; vel quãdo incipit cũ ignorantia,& cõtinuatur adueniente scientia malitiæ: ergo ratio liberi nõ est ratio cõmunis moralitatis. Patet consequentia,quia nonpotest,stante incorrupto genere,& ratione superiori, corrũpi & mutari ratio inferior. Si respondeatur,esse impossibile manere rationẽ generis vel superioris,si ratiodifferẽtialis destruatur quãtum ad entitatem; bene tamen posse manere, etiãsi destruatur,manente differentia tãtũ formaliter in esse differentiæ, manente entitate ipsius differentiæ;v.g.quando ternarius transit ad quaternariũ per nouã vnitatẽ,tunc quidẽ manet ratio generica numeri,destructa ratione differentiali ternarij;destructa formaliter in ratione differentiæ,nõ tamen quantũ ad entitatẽ,quæ verè manet materialiter inquaternario. Similiter de virtutibus, destructa Prudentia vel Charitate,manet ratio generica actus, destructa ratione differẽtiali virtutis,quæ necessariò à Prudẽtia dependebat; destructa quidẽ formaliter in esse differentiæ, nam quãtũ ad entitatẽ & materialiter ibi manet: quæ solutio videtur habere fundamẽtum in D.Th.inf.q.65.ar.1.ad 1.& ar.2. incorpore,& ar 4.ad 1.& q.71.ar.4. incorpore, & ad 1.Contra,quia hoc intendit argumẽtum,esse impossibile distrui rationẽ differentia-

Solutio.

rentialē, etiā formaliter, si non destruatur ratio cōmunis eum qua idētificatur: quia si desinit esse differētia, etiā formaliter, est per aduentū alterius differentiæ; quæ cùm noua sit, nouiter debet contrahere, & nouā partem superioris assumere, & consequenter nouā entitatem etiā genericam habere. Et idem dicendū est in exemplis adductis: non enim est eadē entitas numeri, in quaternario, atque erat in ternariò, sed alia distincta numero; sicut distincta species: in exemplo verò virtutis fortè alia erit ratio, quia in his quæ dependent ab aliquo extrinseco, potest esse aliqua mutatio per variationē extrinseci, nulla facta intrinseca mutatione in entitate. Sextò probatur eadem pars. Si non esset lex, actio non esset moralis: & tamen posset esse libera: ergo non est idē morale & liberū. Maior probatur, quia non stante lege, non esset malitia vel bonitas moralis; quia vbi non est lex, nec præuaricatio, nec esset meritum, neque demeritū, quæ necessariò supponunt legem. Minor probatur, quia libertas radicatur in indifferentia iudicij; nihil autē interest, esse vel non esse legem, vt cū indifferentia iudicetur de conuenientia vel disconuenientia rei. Vltimò probatur. Operari liberè, est bonū naturæ rationalis, intra genus naturæ præintellectæ ad genus morale: ergo nō sunt idē morale & liberū. Antecedens autē probatur; quia sicut in qualibet natura assignandus est modus operādi, quo perficiatur in esse naturali; ita in natura rationali assignādus est modus quo perficiatur in suo esse naturali, ante omnē moralitatem: nullus autē talis modus alius potest assignari, nisi modus operandi liberè.

2. Concluſ. Secunda conclusio. Moralitas consistit formaliter in aliquo superaddito ad libertatē, videlicèt in habitudine operationis ad obiectū, vt subiectū regulæ morū, & vt obiectum est prosequēdum vel fugiendum.

Nota. Prò intelligētia notandū, quòd moralitas & est in potētia ipsa, & in obiecto & in actu. In potētia quidē, vtin elicīete; in obiecto autem, vt in termināte; in actione verò formaliter, ꝺ qua quasi extrinsecè potentia & obiectū dicūtur moralia. Prima pars cōclusionis probatur ex Arist. 2. de anima, c. 4. Actus specificātur per obiecta: ergo talis actus, scilicet moralis, specificatur ab obiecto morali; sicut enim ipse actus habet entitatē naturalē, & huic superuenit moralitas; ita in obiecto prius cōsideratur entitas obiecti, in esse obiecti absolutè; secūdò autē ratio obiecti moralis. Stat ergo vis cōsequētiæ in hoc, q̄ sicut ratio actionis in esse naturæ, specificatur ab obiecto absolutè; ita ratio actionis moralis specificatur à ratione obiecti moralis, quia moralitas actionis est intra genus actionis. & sic ad modū actionis ab obiecto sibi accōmodato debet specificari. Secūdò probat. Nā D. Th. ar. sequēti dicit, actionē esse bonā, vel malā, ex obiecto bono, vel malo; iuxta rationē, vel cōtra illā: ergo similiter moralis actio vt sic, ab obiecto, vt abstrahit à cōsono vel dissono, debet specificari. Patet consequētia, nā proportionabiliter explicāda est ratio cōmunis moralitatis, sicut rationes specificæ illius: si ergo in specie moralitas actionis bonæ specificatur ex obiecto bono, & moralitas actionis malæ ex obiecto malo; moralitas in communi, dicetur sumi ex obiecto morali in communi, prout abstrahit à bono & malo; quod quidē nomē propriū nō habet, sed explicatur per disiunctionē, quòd sit obiectū respiciēs regulā Rationis, prout ipsi potest esse cōforme vel difforme. Tertiò probatur. Specificatio moralitatis nō potest esse in operatione per ordinē ad principiū eliciēs, nec in aliquo absoluto ipsius actus, nec in regularitate illius: ergo in habitudine ad obiectū modo explicato. Cōsequētia patet, quia nihil aliud, præter idolatria, potest assignari, nisi habitudo ad obiectū modo explicato. Prima pars antecedētis probatur, quia licèt actio sumat effectiuè specie à principio eliciēte, formaliter tamē nō sumit illā nisi in ordine ad obiectū; moralitas autē operationis intragen⁹ actionis est, vt diximus. Secūda pars eadē ratione patet; nā si de ratione actionis est cōsistere in habitudine ad obiectū, similiter ratio actionis moralis in habitudine debet consistere, & nō in aliquo absoluto; nisi forsan sumas absolutū prout etiā claudit relationes trāscēdētales; nā illa habitudo ad obiectū trāscēdētalis est. Tertia etiā pars probatur; nā illa regulabilitas vel nō est aliud quā libertas, vel est quidā modus intrinsecus illius: ergo moralitas nō cōsistit in illa regulabilitate. Patet cōsequētia, quia sicut artificiatū, licèt recipiatur mentitate naturali, nō tamē est modus naturæ, nec fluit ab illa; ita morale licèt fundetur in naturali, nō tamē est modus naturæ actus, neq; fluit à natura illi⁹: si ergo regulabilitas est modus libertatis pertinētis ad genus naturæ, & ille modus etiā ad genus naturę pertinebit, & cōsequēter nō cōsistet in illo moralitas; qđ supra genus naturæ, distinctum genus constituit.

Tertiò

3. Concl. Tertia conclusio. Prædicta habitudo actus ad obiectum, in qua diximus moralitatem consistere, non est aliquid rationis & denominatio extrinseca, vt volebat Vazquez, sed aliquid reale intrinsecum in ipso actu; si loquamur de actibus elicitis; nam de imperatis non erit ita certum, cum modò non constet de illis, esse intrinsecè voluntarios; de quo infrà erit agendum. Actus autem elicitos, sicut certum est intrinsecè esse voluntarios & liberos, ita & certum debet esse per aliquid intrinsecum & reale esse morales. Probatur, quia quòd actus sint morales, non depēdet ex operatione Intellect⁹, sed ante quācūq; operationē Intellectus est moralitas, & secluſa quacūque cōsideratione, actus in specie est bonus vel malus moraliter: ergo moralitas non est aliquid rationis. Quòd autē non sit denominatio extrinseca, eadem ratione patet; nā denominatio extrinseca est aliquid rationis; si ergo moralitas est aliquid reale, non denominatio extrinseca, sed aliquid intrinsecum erit. Sed quia sunt aliqui qui asserant (licet falsò) non omnem denominationē extrinsecāesse rationis, sed illā esse realē, quæ prouenit à forma reali, licèt extrinseca; aliter probatur; quia moralitas est modus ipsius libertatis, & ipsius actionis: ergo sicut ratio actionis & liberi est aliquid intrinsecum in ipsa operatione, ita similiter moralitas modificans ipsam libertatem & rationem actionis.

Ad 1. arg. 1. sent. Ad argumenta à principio pro prima sententia, respondetur negando antecedens. Ad primam probationem respondetur primò, sufficere, quòd libertas sit necessariò præsuppositа ad actum moralem, vt à libertate sumat denominationem, moris, vel assuefactionis; licèt ratio moris nō formaliter in libertate consistat. Secundò

2. Solut. respondetur, quòd, vt aiunt Summulistæ, aliud est à quo nomen imponitur, & aliud quod nomen significat; licèt ergo nomen moris à libertate sumatur; non significat illam, sed habitudinem ad obiectum, moralem, vt diximus.

Ad 2. prob. Ad secundam probationem respondetur, quòd meritum, vel demeritum, laus vel vituperiū, sunt proprietates specificè immediatè cōsequutæ ad speciē boni, vel mali moralis: mediatè autem conueniunt rationi genericæ moris; habent se autem cōcomitanter, & inseparabiliter ad rationem liberi, tanquàm ad rationem necessariò præsuppositam ad rationem moralem, nō autē ad rationem liberi, vt proprietates dimanant.

Ad 3. prob. Ad tertiam probationem respondetur, D. Thomam non loqui in illis locis formaliter, sed materialiter: omnis enim actio moralis, est libera; & sic pro eodem reputat, licèt non formaliter moralitas in libertate consistat. Sed hæ duæ rationes habent se concomitanter; vnde vt dignoscatur quæ actio sit moralis, vel non, optimè ponitur pro signo, si actio est libera & cum dominio, vel non. Vbi etiam debet aduerti, dominium esse duplex. Aliud quidem naturale, prout est in potestate alicuius operari vel non operari; quod pertinet ad agens liberum, etiā intra genus naturæ. Aliud est dominium morale, secundùm quòd est in potestate alicuius operari, vel non operari, ad præmium vel supplicium, laudem vel vituperium: quando ergo dicit D. Thom. actionem esse moralem, quæ fit cum dominio operantis; Si intelligatur, de dominio naturali, loquitur cōcomitanter, quatenus inter se inseparabilia sunt, vt diximus: vt autem sensus fiat formalis, de dominio morali debet intelligi.

Ad 3. arg. Ad secundum argumentum respondetur, nihil ad nos, quòd ratio liberi præsuppositа habeat se vt subiectum, vel non, dūmodò non assignetur tanquàm ratio formalis, in qua moralitas in communi consistat. Fundamenta autem authorum secundæ sententiæ in his quæ à nobis discedunt, facilè dissoluuntur per ea quæ diximus in corpore dubij.

DVBIVM III.

In quo consistat bonitas moralis.

IN hac re est prima sententia asserentium, rationem formalem bonitatis moralis vt sic, consistere in collectione omnium eorum quæ secundum rectā rationem requiruntur ad actum, cum carentia illorum quæ possunt illum inficere: quæ requisita enumerat D. Tho. ar. 4. sequenti, nēpe præter entitatē actus, bonitatē obiecti, & circunstantiarū, & finis. Hāc tenet Scotus in. 2. dist. 40. quæstione vnica. §. de secundo dico, & quodlib. 18. §. de primo, & ex suis discipulis Leuchetus in. 2. loco citato, Durand. in. 2. dist. 38. q. 1. n. 7. & 8. Greg. dist. 16. q. 2. ar. 1. Gabriel dist. 7. q. 1. art. 2. in principio, & in. 3. dist. 36. q. 1. a. 1. not. 3. Almayn in Moralibus, tractatu. 2. cap. 13. & 14.

1. Sent. Scot. Leucht. Durand. Greg. Gabriel. Almayn.

1. Arg. Quæ sententia probatur primò ex D. Tho. in præsenti, asserente, quòd sicut bonitas naturalis consistit implenitudine essendi in genere naturæ, ita bonitas moralis consistit in plenitudine essendi in genere moris. Dicit autem, plenitudinẽ essendi esse concursum omnium quæ requiruntur, & debẽtur tali naturæ in suo genere: in 3. autem art. & 4. asserit, quòd sicut requisita ad plenitudinem essendi in genere naturæ non solum est forma substantialis, sed etiam sua propria accidentia; ita in genere moris nõ solùm est bonitas obiecti; sed etiam circunstantiarum, quæ habent se sicut accidentia moralia: ex quo sic formatur argumentum. In naturalibus bonitas consistit in collectione eorum quæ debentur tali naturę: ergo etiam in moralibus bonitas consistit in collectione eorum quæ requiruntur & debentur tali naturæ. Patet consequentia, quia bonum dicit rationem communem ad naturale, & artificiale, & morale: ergo pariter loquendum est de omnibus, quòd sicut naturale consistit in collectione eorum quæ debentur naturæ, & artificiale in collectione eorum quæ præcipit ars: ita morale in collectione eorum quæ dictat Ratio actui debere conuenire.

2. Arg. Secundò probatur. Positis omnibus prædictis quæ Ratio dictat debere actui conuenire, ponitur actum esse moraliter bonum; illis autem ablatis, aufertur talis bonitas: ergo bonitas moralis in collectione prædictorum consistit. Secunda pars antecedentis manifesta est, quòd illis deficientibus, actio non possit esse bona moraliter. Prima verò pars patet ex illo Dionys. bonum consurgere ex integra causa; sed positis omnibus prædictis, ponitur integra causa boni moralis: ergo ponitur bonum morale.

2. Sent. Secunda sententia est aliorum asserentium, quòd ratio formalis bonitatis moralis consistit in relatione conformitatis actus ad rectam rationem vel legem. Hanc tenet Conradus in præsenti, ante solutionem argumentorum, & articulo quinto sequenti in principio corporis, & Angestus in moralibus capite sexto in principio commentariorum, & capite septimo in principio textus; & hãc etiam tenent cõmuniter recentiores Thomistæ referẽtes Magistrum Cano, sequitur que illos Vazquez. 1, 2. tomo. 1. disp. 95. cap. 10. quia licèt asserat consistere in relatione conuenientiæ cum natura rationali vt rationalis est; tamen consequenter tenet consistere etiam in conformitate ad rectam rationem; quia ponit in nobis duplicem regulam actuum. Primam dicit esse naturam rationalem vt rationalis est, & hæc est remota: alteram verò esse proximam, scilicet rectam rationem: ponendo ergo, consistere in habitudine conformitatis ad naturam rationalem remotè, ponit consistere proximè in conformitate ad Rationẽ. Hi tamen authores inter se sunt diuisi in eo, quòd priores dicunt, huiusmodi habitudinem esse realem & intrinsecam in ipso actu; Vazquez autem vt non semel integrè veritatẽ affirmet, asserit, huiusmodi habitudinem esse rationis, & denominationem extrinsecam ipsi actui.

Conrad.

Angest.

Vazquez.

Hæc sententia probatur primò. Ratio formalis mẽsuræ & mẽsurabilis cõsistit in relatione mẽsuræ ad mẽsurabile: sed ratio boni moralis est ratio mẽsurabilis actus ad rectam rationem vt mẽsurantem; in hoc enim consistit actum esse bonum, quòd Ratione mẽsuretur: ergo bonitas moralis in habitudine ad rationẽ cõsistit. Maior patet ex prædicamentis; ex eo enim habitus dicit habitudinem ad obiectum, & veritas speculatiua similiter in habitudine adæquationis ad obiectum, quia obiectum ad veritatem, & ad habitum comparatur, vt mẽsura ad mensurabile. 1. Arg.

Secũdò probatur. Variata habitudine ad rectã rationẽ, variatur bonitas moralis actus: ergo in tali habitudine consistit. Patet antecedẽs in actu incipiẽte prohibitionẽ, & cõtinuato post prohibitionẽ, qui antea erat bonꝰ, & postmodũ incipit esse malus, solùm per mutationẽ habitudinis ad legem. Quòd autẽ hæc habitudo sit Rationis & extrinseca, 2. Arg.

Probatur tertiò, quia multoties cõtingit, cõformitatẽ Rationis in ipso actu esse ad obiectũ nõ existens; immò ad impossibile: ergo talis habitudo est Rationis. Patet cõsequẽtia, quia relatio realis debet esse inter extrema realia realiter distincta. 3. Arg.

Quartò probatur idem. Libertas in ipso actu solum est denominatio extrinseca Rationis: ergo & bonitas moralis. Patet consequentia, quia libertas est fundamentum talis bonitatis, & sic non potest esse maioris entitatis, quàm fundamentum. Antecedens verò probatur, quia libertas consistit in indifferentia: 4. Arg.

rentia: hæc autem in ipso actu tantùm est extrinsecè; quia actus nec habet indifferentiam ad operandum, cùm sit ipsa operatio in exercitio, nec indifferentiam ad inhærendum, cùm actualiter inhæreat: solùm ergo indifferentia est in ipsa potentia, & ab illa dicetur actus extrinsecè liber.

5. *Arg.* Quintò probatur. Moralitas actus dependet ex libera hominis voluntate: ergo est denominatio Rationis. Consequentia patet, nam ex eo signum ad placitum est quid rationis, quia ex mera voluntate dependet. Antecedens verò probatur in actibus prohibitis iure naturæ, vt in furto, quod est ablatio rei alienæ inuito domino; quòd enim hic sit dominus, & inuitus in ablatione, ex mera eius voluntate dependet.

3. *Sent.* Tertia sententia est aliorum, quòd bonitas moralis consistat in quodam reali absoluto superaddito ad libertatem, & distincto ab omni relatione & habitudine. *Caiet.* Hanc tenet Caietanus in præsenti, & quæstione 71. art. 6. & quæstione 72. art. 1.

1. *Arg.* Et probatur primò, quia inter actum bonum & malum est oppositio contraria, sicut inter habitum virtutis & vitij: ergo bonitas moralis in aliquo reali absoluto consistit. Patet consequentia, quia relationi nihil est contrarium.

2. *Arg.* Secundò probatur. Bonitas moralis habitus virtutis consistit in aliquo reali absoluto: ergo & bonitas moralis actus. Patet consequentia, quia tam habitus, quàm actus respiciunt obiectum per modum ponderis, sola posita differentia, quòd sit pondus habituale vel actuale. Antecedens verò probatur, quia habitus virtutis secundum vltimam differentiam moralem specificam virtutis pertinet ad prædicamentum qualitatis.

3. *Arg.* Tertiò probatur. Respectu habitudinis, & relationis quam contrarij assignant, debet poni fundamentum, quod sit aliquid absolutum: ergo in illo consistit bonitas moralis, & non in habitudine superaddita. Patet consequentia, quia in tali fundamento intelligitur conformitas ad rationem, saltem radicalis: *Confir.* ergo in illo intelligitur sufficiens ratio bonitatis moralis. Confirmatur, quia licèt delectabile importet relationem ad appetitiuum, & vtile relationem ad finem: tamen ratio delectabilis vel vtilis non consistit in tali relatione, sed in fundamento illius, quod est quid absolutum: ergo similiter hic.

Pro intelligentia huius dubij notandum. Primò, quòd, vt supra diximus, *Not. 1.* bonitas moralis potest esse in principio eliciente, & in obiecto, & in ipsa operatione elicita circa tale obiectum. Hic ergo non quærimus de bonitate morali potentiæ vel obiecti; sed ipsius operationis, quæ formaliter habet talem bonitatem, & ab illa alia denominantur bona, scilicèt potentia & obiectum.

Secundò notandum, quòd sicut in *Not. 2.* naturalibus bonitas est duplex, altera rei in se ipsa; vt quòd facies sit formosa, habet in se ipsa absolutè, & sine respectu ad aliud per partium conformitatem: alia autem est bonitas respectiua rei, quæ consistit in habitudine conuenientiæ ad aliud, vt cibus dicitur bonus in ordine ad comedentem, quatenus ei conueniens est: ita & bonitas moralis est duplex; altera in ordine ad subiectum, quatenus esse est bonum, & consonum suæ naturæ habere illam: alia verò est bonitas moralis, quam intelligimus habere ipsam operationem secundum se, & ex propria specie: hic ergo non quærimus de prima, nam certum est consistere in habitudine conformitatis, sed quærimus de secunda, vtrùm operatio habeat suam bonitatem moralem specificam, ita vt in se sit bona per aliquid respectiuum, vel absolutum, per aliquid rationis, vel per aliquid reale, per aliquid intrinsecum, vel per aliquid extrinsecum.

Prima conclusio. Ad bonitatem mo- *1. Concl.* ralem actus requiritur collectio illorum quæ recta ratio dictat, tam ex parte obiecti, quàm circunstantiarum & finis; non tamen bonitas moralis in tali collectione & aggregatione consistit. Prima pars est omnino certa, nam cùm malum consurgat ex quocunque defectu, ad bonitatem omnia illa debent esse requisita. Secunda verò pars est contra primam sententiam, & probatur primò. Actus Voluntatis in genere naturę requirit obiectũ: tamẽ specificatio & ratio formalis talis actꝰ nõ est obiectũ, nec alia quę cũ obiecto colligãtur: ergo & actus humanus bonꝰ in ge-

nere moris licèt requirat obiectum moraliter bonum, non tamen ſpecificatio, & ratio formalis talis actus conſiſtit in obiecto, nec in collectis cum ipſo. Secundò probatur, nam, vt diximus dubio præcedenti, ratio generica moris licèt reſpiciat obiectum, non conſiſtit in obiecto, ſed in aliquo quod ſit in ipſo actu: ergo & ratio ſpecifica boni moralis in aliquo quod ſit in ipſo actu debet conſiſtere. Patet conſequentia, quia ratio generica & differentialis ſunt idem realiter: ergo non poteſt ratio generica conſiſtere in aliquo quod ſit in ipſo actu, & ratio differentialis conſiſtere in obiecto quod realiter diſtinguitur ab actu & ab omnibus quæ ſunt in ipſo actu. Tertiò probatur, nam ex oppoſita ſententia ſequitur, non propriè dari ſpeciem bonitatis moralis in actibus humanis. Sequella probatur, quia ſpecies dicit vnum per ſe; collectio autem multorum prædictorum eſt vnum per accidens, & tantùm aggregatione vnum.

2. Concl. Secunda concluſio. Ratio formalis bonitatis moralis eſt aliquid reale & intrinſecum exiſtens in ipſo actu humano. Hęc probatur quoad primam partem. Primò, quia ante omnem operationem Intellectus tales actus ſunt boni in tali vel tali ſpecie bonitatis moralis: ergo bonitas illorum actuum eſt aliquid reale, & non rationis, quod ab Intellectu dependet. Si reſpondeatur, aliqua eſſe entia rationis, quæ denominant ante Intellectus conſiderationem propoſitionem ſolius fundamenti, vt eſſe Ducem, vel Regem; & ſic contingere in bonitate morali: Contra arguitur, quia in duobus prædictis non eſt denominatio formalis à forma rationis, quæ nondum eſt ante conſiderationem; ſed eſt denominatio fundamentalis, deſumpta à fundamento: in argumento autem noſtro ponimus, ante omnem conſiderationem eſſe in actu humano formaliſsimam & ſpecificam bonitatem moralem, & non ſolùm fundamentalem: ergo vltima & formaliſsima forma bonitatis moralis eſt à parte rei; quia ante Intellectum non ſolùm fundamentaliter, ſed & formaliter, actus alicuius virtutis eſt moraliter bonus. Secunda pars concluſionis eſt contra Suarez, qui in Metaphyſ. diſputatione 54. ſectione ſecunda, §. decimo, tenet,

Solut.

Impug.

Suarez.

ſtare poſſe, quòd ſit denominatio extrinſeca, & nihilominus, quid reale: quapropter licèt probauerimus bonitatem moralem eſſe quid reale; reſtat probandum, non eſſe denominationem extrinſecam, ſed quid extrinſecum in ipſo actu. Probatur ergo primò ex Diuo Thoma hic aſſerente, quòd ſicut bonitas naturalis conſiſtit in plenitudine eſſendi debita ſecundùm naturam: ita bonitas moralis in plenitudine eſſendi debita in eſſe morali: ex quo videtur clarè conſtituere bonitatem moralem vt quid extrinſecum actui, ſicut bonitatem naturalem. Secundò probatur. Quòd actio humana ſumat bonitatem ex obiecto, non tollit quòd bonitas ſit quid intrinſecum: ergo. Antecedens probatur, nam veritas & actus Intellectus & Voluntatis ſumunt ſpecificationem ab obiectis, vt docet Ariſtoteles ſecundo de anima, capite quarto, & nihilominus ſpecies illorum eſt quid intrinſecum in eſſe naturæ: ergo quòd ſpecificatio moralis ſit ab obiecto morali, non tollit quòd ſit quid intrinſecum in actu morali. Tertiò probatur. Bonitas moralis inhabitu virtutis eſt quid intrinſecum virtuti, vt ab omnibus recipitur in materia de virtutibus: ergo & bonitas moralis actus. Patet conſequentia, quia actus eſt tendentia actualis, ſicut habitus eſt tendentia habitualis in obiectum, & ſolùm in hoc diſtinguuntur. Quartò probatur. Actus boni morales efficienter vel diſpoſitiuè concurrunt ad generationem habitus virtutis moralis: ergo ratio bonitatis moralis in actu eſt quid reale intrinſecum in illo. Conſequentia patet, quia concurſus phyſicus, qualis eſt efficiens, vel diſpoſitiuus, quid intrinſecum rei debet eſſe; per extrinſecam enim denominationem non poteſt res phyſicè influere. Antecedens verò probatur, nam virtus moralis verè eſt acquiſita: ergo actus quo acquiritur, verè concurrit ſecundùm bonitatem moralem: nam ſi actus tantùm concurreret ſecundùm entitatem, non magis concurreret ad virtutem, quàm ad non virtutem, & ad virtutem vnius ſpeciei, quàm alterius: ſi ergo determinatè concurrit talis actus ad producendā virtutem huius ſpeciei, certè talis actus concurrit ſecundùm bonitatem moralem

D. Thom.

quam

quã habet talis virtutis, vt ſic ſit proportio inter vtrumque. Quintò probatur. Deus eſt cauſa efficiens actus virtutis: ergo bonitas moralis actus virtutis, eſt quid intrinſecum, & non denominatio extrinſeca. Patet conſequentia, quia denominatio extrinſeca non habet aliam cauſam, quàm quod eſt cauſa fundamenti ad quod ſequitur talis denominatio: ergo tantùm erit cauſa bonitatis, quod eſt cauſa libertatis, ad quam talis bonitas ſequitur; & cùm ſola Voluntas ſit cauſa vitalis libertatis, vt libertas eſt, Deus autem ſolùm ſit cauſa illius in ratione entitatis; non Deus, ſed Voluntas erit cauſa talis bonitatis, vt denominationis conſequutæ ad vitalem libertatem, cuius Voluntas ipſa eſt cauſa. Iſtud vltimum antecedens patet inductiuè in omni denominatione extrinſeca, vt eſſe viſum colorem, vel non habet cauſam, vel non eſt alia, quàm quod eſt cauſa viſionis, ad quam talis denominatio viſi conſequitur. Si reſpondeatur concedendo intentum argumenti; quòd ſolùm Deus eſt cauſa entitatis, non autem propriè talis bonitatis: & nihilominus ſpecialiter dicitur cauſa, tam bonorum actuum, quàm peccatorum, licèt etiam entitatis peccatorum ſit cauſa: quia ad actus bonos concurrit exhortatione, conſilio & præcepto; qualiter ad peccata non concurrit: Contra argumentor, quia in virtutibus infuſis non ſolùm rarione prædicta, ſed propriè dicitur, Deum phyſicè concurrere per vires gratiæ ad bonitatem actuum illorum; vt patet ex modo loquendi Conciliorum, quòd ad credendum vel pœnitendum ſicut oportet requiruntur vires gratiæ: illud enim verbum, Sicut oportet, denotat, quòd actus ſiat plena bonitate morali debita, & vt ſic fiat, dicitur requiri vires gratiæ: denotatur ergo, Deum per gratiam concurrere etiam ad formaliſsimam rationem bonitatis moralis. Videatur Concil. Triden. ſeſsione ſexta, canon. 5. vbi dicitur, Sine adiutorio gratiæ non poſſe moueri ad iuſtificationem; quia quando dicitur: Conuertimini ad me, ſuperadditur. Et ego conuertar ad vos; vt denotetur, conuerſionem ex adiutorio Dei prouenire: & ſeſsione decimaquarta, canon. 4. dicitur, attritionem etiam prouenientem ex conſideratione turpitudinis, vel pœnarum, eſſe donum Dei, & Spiritus ſancti non adhuc habitantis, ſed tamen mouentis: & canon. 5. Contritionem, ait, non facere hominem hypocritam, &c. vt aſſerat, eſſe bonam moraliter: & ſuperaddit, hanc eſſe Dei donum. Idem etiam eſt videre ſeſſ. 6. can. 3.

Solutio. *Impug.* *Conc. Trid.*

Tertia concluſio. Illud reale intrinſecum ſuperadditum actui in quo bonitas moralis conſiſtit, non eſt ſimpliciter abſolutum, ſed eſt habitudo ad obiectum ſecundùm determinatam rationem boni, & conformis ad regulam rationis. Itaque dixi, non eſſe ſimpliciter abſolutum, quia eſt relatio tranſcendentalis, licèt non prædicamentalis, & talis relatio non vocatur purè abſolutum, cùm explicetur in ordine ad aliud. Hæc ergo concluſio probatur. Nam, vt ſuprà diximus, ratio moralitatis in communi conſiſtit in habitudine ad obiectum morale in communi, vt poteſt eſſe conforme vel difforme rationi: ergo ratio differentialis boni moralis debet conſiſtere in ordine ad obiectum, vt conforme rationi: & ratio differentialis atoma huius vel illius virtutis conſiſtet inhabitudine ad obiectum conforme tali, vel tali conformitate huius vel illius materiæ. Patet conſequentia, quia differentia debet contrahere genus iuxta ſuam naturam: ſi ergo ratio communis moralis eſt habitudo ad obiectum morale, ratio ſpecifica erit ſecundùm determinationem habitudinis ad obiectum morale taliter vel taliter determinatum. Vbi notandum ex Durando in ſecundo, diſtinctione 48. num. 8. quòd nomine obiecti boni non intelligitur nudum òbiectum, ſed etiam circunſtantijs veſtitum, & ſic ab illo ſumi ſpeciem boni moralis. Ex quo ſequitur, quòd habitudo boni moralis ad obiectum, eſt realis; habitudo autem obiecti ad rationem cui conformatur, eſt rationis. Nec inconuenit, quòd bonum morale ſit habitudo realis, & ſpecificetur â termino rationis formaliter ſumpto; hoc enim poſtulat relatio prædicamentalis, quòd vt ſit realis, terminus debet eſſe realis: tranſcendentalis autem, etiam ſi realis ſit, ad terminum rationis poteſt terminari: quia ſolùm reſpicit terminum vt commenſurantem, & vt quod attingit vt obiectum: non autem inconuenit, aliquid reale commenſurari ab aliquo rationis, & reſpicere illud vt obiectum, & ab illo

3. *Conluſ.* *Not.*

sumere speciem, vt patet in Logica, quæ licèt realis sit, & habitudinem realem importet, terminus talis habitudinis est quid rationis; obiectum enim Logicæ ens rationis est, à quo specificatur extrinsecè.

Ad 1. arg. 1. Sent. Ad primum argumentum primæ sententiæ respondetur, ita loquendum esse in moralibus, sicut contingit in naturalibus: in naturalibus autem cum bonũ sit passio entis, ita se habet in ratione boni, sicut in ratione entis; & cùm ens aliud sit absolutum in se ipso, aliud verò relatiuum, quod est ad aliud, ita & bonum: sicut autem ens relatiuum, licèt sit ad aliud, & postulet terminum, non tamen consistit in termino: ita similiter bonum respectiuum importat aliud extrinsecum connotatum; non tamen consistit in illo. Cùm ergo de bonitate morali dixerimus consistere in relatione ad obiectum vestitum circunstantijs, omnia illa connotat, vt extrinseca & terminum, non tamen in collectione illorum consistit: & sic intelligendus est D. Thom. quòd bonitas consistit in plenitudine essendi, quia ad bonitatem plenitudo omnium illorum requiritur; sed non in concursu illorum consistit: quia obiectum & circunstantiæ sunt quid extrinsecum; sed consistit in habitudine ad illa, vt clarè docet Diuus Thomas infra art. 4. ad 2. dicens, quòd quanuis finis sit causa extrinseca, tamen debita proportio ad finem & relatio in ipsum, inhæret actioni, vt insinuet, in tali habitudine consistere bonitatem, & non in collectione illorũ ad quæ talis habitudo terminatur.

Ad 2. arg. Ad secundum argumẽtum respondetur, quòd positis omnibus illis, ponitur bonitas; non quia in illis consistat, sed quia ad illa terminatur; & posito termino, ponitur relatio, & ex maiori perfectione illorum maior perfectio moralis ponitur propter eandem rationem, sicut in scientijs posito meliori obiecto, ponitur melior scientia, non quia in obiecto consistat, sed quia ad obiectum terminatur: & sic est intelligenda sententia Dionys. quòd bonum consurgit ex integra causa, non quòd in tali integritate consistat, sed quòd talis integritas requiritur; & ipsum verbum insinuat, Consurgit; quasi bonum non sit ipsa integritas, sed aliquid ex integritate resultans.

Ad 1. arg. 2. Sent. Ad primum arg. secundæ sententiæ respondetur, quòd mensurabile & importat relationem prædicamentalẽ, & importat etiam fundamentum illius, quod est relatio transcendentalis: bonum ergo morale habet rationem mensurabilis, & vtrumque importat, & relationem prædicamentalem ad rationem, & fundamentum illius, quod est habitudo transcendentalis ad obiectum consonum: essentialiter ergo non consistit in primo, sed in secundo: quapropter cùm dicimus, summam nostram perfectionem consistere in conformitate cum voluntate diuina, non sumitur conformitas pro relatione, sed pro fundamento. Verum est, quòd ipsa relatio conformitatis est signum quo ducimur ad cognoscendam bonitatem, & actum esse bonum significamus per talem conformitatem; cùm talis conformitas necessariò sequatur ad ipsam bonitatem; & in hoc sensu loquimur, cùm dicimus, quòd actio humana in tantum est bona, in quantum est conformis rationi: non autem intendimus, quod ly In quantum, denotet rationem formalem in qua consistat.

Ad 2. arg. Ad secundum arg. respond. quòd etiam in relatione, vel scientia, variato termino, vel obiecto, fit variatio in ipsa scientia, licèt non in obiecto consistat, sed sit connotatum extrinsecum: & ita dicendum est hic, quia omnia illa extrinseca sunt connotata in bonitate morali consistente in habitudine ad illa.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum respondetur, quòd, vt suprà diximus, non semper ad habitudinem moralem requiritur terminus realis, & sic consequentia nihil valet.

Ad 4. arg. Ad quartum argumentum respondetur primò: Transeat antecedens, & negetur consequentia; posset enim dici, quòd libertas est tantum conditio requisita ad moralitatẽ; esse autem rei non sumitur nec pensatur ex natura conditionis: potest enim conditio requisita, esse quid extrinsecum vel rationis; id autem cuius est conditio, esse quid reale & extrinsecum. *2. Solut.* Secundò tamen melius respondetur iuxta veritatem, negando antecedens: libertas enim non tantum est conditio, sed etiam fundamentum moralitatis; non enim tantùm supponitur vt fundamentum entitas actus, sed entitas non determinata est indifferens: quapropter quando Augustinus ait, quòd in tantum est peccatum, in quantum est voluntarium; ly In quãtum, licèt non importet rationem formalem peccati,

peccati; vt supra diximus, importat tamen fundamentum illius: & hoc voluit etiam D. Tho. infrà, q. 20. art. 3. dicens, actum interiorem & exteriorem esse vnum in genere moris; vtique quia fundamentum moralitatis, qualis est libertas, est in vtroque; non enim actus exterior aliam habet libertatem, quàm participatam ab interiori. Quid autem sit libertas in ipsa potentia & in actu elicito ab illa, difficiliter explicatur. Respondetur tamen, in primis supponendum, nō esse naturam distinctam, siue substantialē, siue accidentalem, ab ipsa entitate potentiæ vel actus; est tamen quidam modus vitalis illius; sicut enim intensio nō est quid distinctum ab actione, sed quidam modus eius circa idem obiectum circa quod est & ipsa actio, & similiter contingentia; ita dicēdum est de libertate, quę tamen aliter est in ipsa potentia, & aliter in ipso actu secundo. In ipsa quidem potentia est indifferentia ad operandum, vel non operandum, quatenus positis omnibus requisitis, potest operari & non operari in ipso autem actu: secundo non consistit libertas in prædicta indifferentia; quia tunc iam est determinatio in operando. Licèt autem determinatè sit operatio, ad huc in ipsa operatione manet indifferentia ad inhærendum, vel non inhærendum; non quia de facto non determinatè inhæreat, sed quia adhuc inhærens in sensu diuiso potest non inhærere; non enim eodem modo debet explicari libertas in actu primo, & in actu secundo. Ex quo sequitur, quòd libertas actus secundi debet explicari per habitudinem ad potentiam in qua est libertas in actu primo; per hoc enim actus est liber, quòd procedit à potentia indifferenti potente producere & non producere illū, licèt libertas ipsius actus sit quid intrinsecum in ipso actu; est tamen relatiuum transcendentale, quod per principium extrinsecum talis actus explicatur: vnde actio quādo mutatur de bona in malā, vel è cōuerso, verè est mutatio realis in ipso actu, quia fit mutatio secundùm prædictum modum libertatis. Vt enim in tali modo fiat mutatio, non requiritur quòd obiectum mutetur; quia licèt maneat idem, fit mutatio in actu ex virtute principij operantis aduertentis, vel nō aduertentis; vt patet in intensione operationis, quæ mutatur circa idem obiectum ex diuerso conatu operantis. Verum est, quòd formaliter etiam ipsum obiectum patitur mutationem, quatenus modò proponitur à Ratione cum determinatione, modò autem cum indifferentia. Nec obstat, quòd aduertentia Rationis sit extrinseca, vt non fiat mutatio intrinseca in actu Voluntatis: propter dependentiam enim quam habet Voluntas in operando ab Intellectu, fit, vt variata apprehensione obiecti, aliter realiter se habeat actus Voluntatis operando liberè, vel naturaliter.

Ad quintum argumentum respondetur, quòd in actu morali tria possumus considerare; exercitium actus, bonitatem vel malitiam actus, & obiectum ipsius actus; videlicet quòd sit consonum, vel dissonum Rationi. Dicimus ergo, quòd exercitium actus liberi est ex beneplacito Voluntatis. Similiter etiam multoties obiectum quòd sit consonum, vel dissonum, dependet ex beneplacito; vt in casibus argumenti: quòd autem actu semel elicitus circa tale obiectum, sit bonus, vel malus, non est ex beneplacito, sed ex propria natura habet ipse actus. Verbi gratiā, quòd moneta habeat valorem in commercio, habet ex beneplacito Regis: sed quòd actus immoderatus circa ipsam sit malus, non est ex beneplacito, sed ex natura actus. *Ad 5. arg.*

Ad argumenta tertiæ sententiæ respondetur, bonitatem moralem non consistere in relatione prædicamentali, sed in fundamento illius: hoc autem iam diximus esse relatiuum transcendentale, quod & terminus immediatè productus esse potest, & ei aliquid esse contrarium. Et si quæras, ad quod prędicamentum pertineat illud intrinsecum boni moralis cōsistens in tali habitudine: Respondetur, pertinere ad idem prædicamētū, ad quod pertinet illud in quo reperitur talis bonitas; bonitas enim moralis huius virtutis pertinet ad prædicamētū qualitatis ad latus tanquàm differentia ipsius habitus: bonitas autem moralis actus pertinet ad prędicamentum ad quod pertinet actus, siue ad prædicamentum qualitatis, siue ad prædicamentum actionis, de quo suprà disputauimus. *Ad arg. 3. sent.*

DVBIVM III.

Vtrùm actio humana sit mala propter carentiam rectitudinis rationis debitæ inesse.

1. *Arg.* PRobatur quòd no n. Primò. Nulli actui potest inesse rectitudo, propriè loquendo: ergo non consistit malitia in hoc, quòd illi desit talis rectitudo. Consequentia patet, & antecedens probatur; quia si aliqua rectitudo est in ipso actu, est idem quod actus ipse: ergo non propriè potest dici quòd ei inhæreat; quia quod inest, est aliud, & distinctum ab eo cui inest; nihil enim sibi ipsi potest inesse.

2. *Arg.* Secundò argumentor. Malitia actionis humanæ est aliquid positiuum: ergo in aliquo positiuo debet consistere, & non in carentia rectitudinis. Antecedens patebit infrà, quæst. 71 art. 6. Consequentia verò probatur, quia positiuum non potest constitui nisi per positiuũ, non verò per priuationem, qualis est carentia rectitudinis.

3. *Arg.* Tertiò argumentor. Actio mala est species actionis humanæ: sed actio humana consistit in aliquo positiuo: ergo & actio mala. Maior est D. Tho. in 2. dist. 40. q. 1. art. 1. Minor patet ex supradictis. Consequentia verò probatur, quia species contrahit genus iuxta naturam ipsius generis: si ergo natura generica est quid positiuum, etiam species per aliquid positiuũ debet constitui, per quod contrahatur genus ad esse talis speciei.

4. *Arg.* Quartò argumentor. Actioni humanæ nõ debetur rectitudo: ergo actio mala non potest constitui per carentiam rectitudinis debitæ. Antecedens probatur, nam talis rectitudo nec debetur actioni humanæ in communi, quia vt sic abstrahit à bona & mala, & ita capax est rectitudinis, sicut deformitatis; nec etiam debetur actioni humanæ malæ in specie actionis humanæ constitutæ; verbi gratia, odio Dei, quia in tali specie constituitur per malitiam: ergo non debetur tali speciei rectitudo. Patet ista consequentia, quia non potest alicui esse debitum oppositum illius per quod constituitur, vt equo constituto per irrationale, non potest esse debitum rationale: rectitudo autem & malitia opposita sunt: si ergo species actionis malæ constituitur per malitiam & deformitatem, non potest ei esse debita rectitudo.

5. *Arg.* Quintò argumentor, quia sequeretur, nullam esse distinctionem inter peccatum omissionis, & commissionis: consequens est falsum: ergo. Sequela probatur, quia carentia rectitudinis est priuatio & omissio: si ergo omnis actio mala per talem priuationem constituitur, omnis actio mala erit peccatum omissionis.

6. *Arg.* Sextò probatur, quia etiam sequeretur, quòd peccata extrema, vt prodigalitas, & auaritia, essent eiusdem speciei: quod est falsum. Sequela probatur, nam priuatio formæ eiusdem speciei est cũ eadem specie: cum ergo liberalitas sit vna species, priuatio illius, tam in prodigalitate, quàm in auaritia, erit eiusdem speciei: & consequenter si auaritia & prodigalitas per talem priuationem constituuntur, erunt eiusdem speciei, tanquàm constituta per aliquid eiusdem speciei.

In hac re est prima sententia Almayn tract. primo Moralium, capite 13. & Ocham quodlibeto 30. quæstione 5. quòd propositio D. Thom. indefinitè est vera, non autem vniuersaliter. Itaque aliqua actio humana mala cõstituitur per carentiam rectitudinis debitæ; vt contingit in peccatis omissionis, & etiam in actionibus bonis, quibus deficit aliqua bona circunstantia; vt oratio sine attentione; & eleemosyna minor quàm teneretur hic & nunc erogare. Vniuersaliter autem falsa est propositio, nam aliqua actio est mala, non propter carentiam rationis, sed potiùs per contrarietatẽ positiuam ad rationem, vt furari, vel fornicari. &c. 1. *Sent. Almayn. Ocham.*

Secunda sententia est aliorum vniuersaliter asserentium cum D. Thom. quòd omnis actio humana mala constituitur per carentiam rectitudinis rationis debitę: non tamen omnes inter se conueniũt in assignãda tali carentia: aliqui enim, vt Ocham quodli. 3. quæst. 15. & Gabriel in 2. dist. 35. q. 2. art. 1. & 2. dicunt, quòd carẽtia rectitudinis debitæ, quæ constituit actũ malũ, nõ est rectitudo debita ipsi actui qui est malus, sed est carentia rectitudinis debitę ipsi operanti; qui quidẽ tenebatur hic & nũnc rectè & nõ praue operari: quia licèt hic & nũc nõ ſtet præceptũ operãdi; ex 2. *Sent. Ocham. Gabr.*

ex suppositione tamen quòd operatur, tenetur & debetur ei rectitudo in operando. Alij autem, & rectè, cum D. Thom. vt explicabimus in conclusionibus; dicunt, actum malum constitui per carentiam rectitudinis debitæ ipsi actui deformi & malo.

Not. Pro intelligentia notandum, aliud esse quærere de peccato, aliud verò de actione mala. De peccato disputatur infrà, quæstione 71. artic. 6. vtrum formaliter consistat in priuatione, vel in aliquo positiuo: modò autem non quæritur nisi de actione humana, vtrum sit mala per carentiam rectitudinis, loquendo de malitia simplici, non de malitia morali peccati.

1. Concl. D. Tho. Prima conclusio. Omnis actio humana mala constituitur per defectum & carentiam rectitudinis rationis debitæ in esse. Hæc est Diui Thomæ multis in locis, suprà quæstione 1. artic. 1. & in hac quæstione artic. 5. & 9. & infrà quæstione 19. artic. 1. ad 3. & quæstione 100. artic. 1. & quæstione 104. artic. 1. in corpor. & ad tertium, vbi docet, actionem esse bonam, in quantum subditur rationi rectæ, & consequenter in tantum est mala, in quantum huiusmodi subiectione caret.

Not. Caiet. Pro cuius intelligentia notandum ex Caietano in præsenti, artic. 5. de quo latiùs disputatur infrà quæstione 71. art. 6. quòd actio humana dupliciter potest esse mala, & priuatiuè, & contrariè. Priuatiuè quidem est mala oratio sine attentione, vel eleemosyna minor quàm deberet esse: contrariè autem est actio mala furtum vel adulterium. Sunt ergo aliquæ actionis malæ, quæ tantùm sunt malæ priuatiuè, vt oratio vel eleemosyna assignatæ. Sunt autem aliæ actiones malæ, quæ non solùm priuatiuè, sed etiam contrariè sunt malæ, vt furtum, vel adulterium, in quibus non solùm priuatiua, sed etiam contraria malitia reperitur. Itaque omnis actio mala habet malitiam priuatiuam; sed non omnis actio mala habet malitiam contrariam. Quod ergo dicimus in conclusione est, quòd omnis actio mala, siue in illa reperiatur malitia contraria, siue non, constituitur in esse actionis malæ per malitiam priuatiuam, & non per contrariam, licèt per hanc constituatur in esse peccati commissionis; non enim formaliter est idem actio mala & peccatum, licèt vnum alteri præsupponatur, & alterum alteri superueniat: quod amplius patet in materia de peccatis. Hæc conclusio non aliter probatur, quàm ex supradictis. Si enim bonitas moralis consistit in subiectione ad regulam rationis, vt suprà diximus, consequenter malitia moralis consistit in carentia talis subiectionis; quia bonum & malum priuatiuè opponuntur; loquendo de malo simpliciter, vt infrà dicetur.

2. Concl. Secunda conclusio. Priuatio rationis, per quam constituitur actus malus, non est priuatio rationis & rectitudinis debitæ inesse Voluntati; sed debitæ inesse ipsi actioni humanæ. Hæc est Diui Thom. referentis malitiam ad ipsam actionem, quatenus ei deest aliquid de plenitudine essendi. Videatur in 2. distinct. 37. quæst. 1. artic. 1. ad 4. & 5. & cum D. Thom. tenet D. Bonauentura in 2. distin. 34. quæstione vltima, Richard. & Durand. ibidem, quæst. 2. Ferrara 3. contra Gentes, cap. 9. Petrus de Soto lectio. 5. & 6. de peccatis. Med. hic, & Zumel infrà, q. 71. art. 6. disp. 1. conclus. 2. Et probatur primò. Habitus & priuatio talis habitus sunt circa idem: sed bonitas actus est in ipso actu, vt suprà diximus: ergo & malitia & priuatio talis bonitatis erit in ipso actu. Confirmatur, quia actus intrinsecè & formaliter est malus, & non tantùm extrinsecè à malitia potentiæ defectibilis: ergo in ipso actu assignanda erit priuatio, per quam formaliter sit malus; quia per nihil aliud potest esse malus formaliter, quàm per priuationem rationis quæ sit in ipso. Antecedens verò probatur, quia à potentia defectibili oritur tam actus bonus, quàm malus: ergo ab alio debet esse malus, quàm ab eo quòd oriatur à potentia defectibili. Confirmatur secundò, quia differentia est assignanda inter peccatum commissionis & omissionis, quòd in secundo carentia rectitudinis est in Voluntate; quoniam non est aliud subiectum in quo sit talis carentia; quia omissio fit per non actum: in primo verò cùm sit actus, in ipso debet assignari talis carentia rationis, vt talis actus commissiue sit malus. Secundò probatur. Quòd habitus sit virtutis vel vitij, non est per aliquid quod sit in Voluntate, sed per aliquid quod sit in ipso habitu: ergo similiter quòd actus sit bonus vel malus, debet esse per aliquid quod sit in ipso actu. Consequentia patet ex paritate rationis, & quia actus non est aliud, quàm quidam partus ipsius habitus. Antecedens verò probatur, quia habitus non dicitur bonus vel

D. Thom.

D. Thom. Richar. Durand. Ferrar. Soto. Med. Zumel.

malus â potentia, sed è contra, potentia dicitur bona vel mala ab ipso habitu: ergo bonitas vel malitia habitus est in ipso habitu, & ex illo deriuatur ad potentiam, vt de nominet illam. Confirmatur, quia Voluntas antequàm eliciat actum malum, non intelligitur formaliter mala, sed tantùm causaliter & in potentia, & vt plurimum in ipso fieri intelligitur mala, secundùm applicationē: hoc est, intelligitur applicari ad malū: ergo quòd sit formaliter mala, habet ab ipso actu quē elicit, & cōsequenter malitia per prius & formaliter est in ipso actu tribuente illam Voluntati elicienti talem actum. Et si contra facias argumentū, quia Voluntas non solùm habitualiter, & in actu primo, sed etiam in actu secundo est mala, quando actualiter peccat: ergo assignanda est malitia in ipsa Voluntate, per quam formaliter & in actu secundo sit mala. Confirmatur, quia priuatio referenda est in subiectum formæ, cuius est talis priuatio; subiectum enim aptum ad formam, & non habens illam, dicitur habere carentiam illius: ergo cùm malitia sit priuatio, referenda erit ad subiectum operationis debitæ, nempe ad Voluntatem, & non ad ipsam operationem. Respondetur tamen ad argumentum, quòd malitia, altera est habitualis, altera verò actualis: & hæc dupliciter. Primò imperfectè, prout inest & in applicatione ad malè operandum. Secundo perfectè & in facto esse. Primo modo conuenit Voluntati per se primò. Secundo modo similiter, si consideretur vt dicit applicationem. Sumpta autem malitia in facto esse & formaliter & in actu secundo, conuenit per se primò operationi; per se autem secundò conuenit Voluntati ab ipsa operatione, quatenus elicit illā, & quatenus etiam in ipsa Voluntate, vt in subiecto, recipitur: & isto modo dicitur Voluntas formaliter & in actu secundo mala. Ad confirmationem respondetur, quòd priuatio debet poni in subiecto immediato formæ cuius est priuatio: subiectū autem immediatum rectitudinis rationis (quæ vtique est forma qua priuat malitia) non est Voluntas, sed ipsa operatio: hæc enim est quæ proximè debebat habere rectitudinem, & non habet, ac per consequens in ipsa operatione ponenda est priuatio & malitia per se primò, vt diximus. Notandū tamen, quòd quando dicimus, malitiam consistere in priuatione rectitudinis rationis, non consideratur ratio in ratione elicientis vel proponentis, sed in ratione dictantis & præcipientis obiectum cum omnibus debitis circunstantijs: quapropter malitia actus non consideratur ex parte principij, sed ex parte obiecti, sicut diximus de actione bona, quòd specificatur ab obiecto consono rationi: sic & actio mala ab obiecto dissono: quod clarius dicitur; In tantum actio est mala, in quantum tendit ad obiectum, quod deberet regulis rationis subijci, & non subijcitur.

Obiectio. *Confir.* *Solutio.* *Ad confir.* *Not.*

Ad primum argumentum à principio respondetur, quòd parum attinet ad præsens, quòd rectitudo operis distinguatur vel non distinguatur realiter ab ipso opere, id enim pertinet ad quæstionem logicam vel metaphysicam: certum est autem, quòd rectitudo est qualitas & ornatus ipsius actus; quia non est de essentia illius quòd sit bonus: sicut rectitudo vel curuitas baculi, licèt non sit res distincta à baculo, nihilominus est accidens illius, sufficiens vt affirmetur, quòd inest illi. Ita dicitur de rectitudine actus. *Ad 1. arg.*

Ad secundum argumentum respondetur, quòd, vt patebit infrà, q. 71. art. 6. in peccato cōmissionis duplex malitia reperitur. Altera positiua; & altera priuatiua. Per primam constituitur in esse mali moralis: per secundam in esse mali simpliciter. Prima consistit in conuersione positiua ad obiectum contrarium rationi. Secunda in auersione à regula. Quod insinuatur in illo Ierem. secundo, Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, &c. Istæ autem duæ malitiæ non comparantur inter se taliter, vt altera sit generica, & altera specifica, vt volebat Victoria, & insinuat Bañez prima parte, quæstione 48. articulo primo; quia implicatio est duo inter se comparari, alterum vt genus, alterum verò vt speciem vel differentiam: quorum vnum sit positiuum; alterum verò priuatiuum, vt iam diximus. Nec etiam potest dici, vt volebat Ferrara tertio contra Gentes, capite nono, quòd ex vtraque malitia fiat vna, mixta differentia, propter eandem rationem: non enim positiuum & priuatiuum possunt misceri ad vnitatem vnius differētię. Eo vel maximè, quòd differentia vltima speciei debet esse aliquid simpli- *Ad 2. arg.* *Ierem. 2.* *Impug. Victor. & Bañez.* *Impug. Ferrar.*

simpliciter simplex.Dicēdum ergo,quòd secundùm duplicem malitiam prædictam actus pertinet ad duplex genus; alterum posituū, quod est malum morale;alterum verò priuatiuum,quod est malum simpli
D.Tho. citer,vt docet D. Tho. infra q.72. art.9.
Caiet. ad.1.& 2.2.q.10.art.5.ad.1.& Caietan. in hac q.art.5.& q.71.art.6.&.q.72.artic.1. Sic ergo non datur quòd generis positiui sit differentia priuatiua,vel è contra, sed genus quod est malum simpliciter, & quid priuatiuum, per differentiam priuatiuam talis vel talis auersionis contrahitur: genus verò quod est malum morale, & quid positiuum, per differentiam positiuam talis vel talis conuersionis contrahitur:nec tamen istæ duæ malitiæ inter se sunt disparatæ, sed malitia simpliciter & priuatiua annectitur & habet se vt modus intrinsecè consequutus ad malitiam positiuam moralem,& sic semper ad inuicem concomitantur inseparabiliter: qua ratione licèt peccatum essentialiter consistat in malitia morali positiua, multoties dicitur consistere in priuatione; vtique quia tali priuatiuo complectitur: vt videre est in D.Tho.1.p.quæst.48.art.1.ad 2. & 3.& 2.2.quæst.118.art.5. & quæst.162. art.6.& alibi sæpe,quæ citari solent infrà, quæstione 71.art.6.& per hoc patet ad
Ad 3. arg. tertium argumentum.

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur, prænotando ex.D.Tho.infrà quæst.33.art.4.ad 2.
D.Tho. & quæst.9.de potentia, art.7.ad.11. & in 1.sent.dist.28.quæstione.1.art.1.ad 2. quòd priuatio sumitur dupliciter. Primò pro carentia formæ quæ debetur tali indiuiduo secundùm rationem particularem. Secundò pro carentia formæ quæ debetur ei secundùm rationem genericam; vt communiter dicitur,quòd talpa est cæca, non per priuationem formæ quæ debeatur ei secundùm rationem particularem, sed quæ debeatur secundùm rationem cōmunem animalis; & secundùm opinionem aliquorum etiam hæc pars materiæ dicitur priuata respectu cuiuscunque formæ;non quia omnis forma debeatur huic parti materiæ secundùm rationem particularem, sed secundùm rationem communem,qua conuenit cum alijs partibus materiæ. Sic ergo dicimus in præsenti, quòd actus humanus malus consideratur tripliciter. Primò in esse naturæ. Secundò in ratione humani. Tertio in ratione mali. Secundùm primam & tertiam considerationem non debetur ei rectitudo: est tamen illi debita in secunda consideratione; vt, verbi gratia, claudicatio consideratur in ratione motus, & in ratione ambulationis: & in ratione claudicationis primo & tertio modo non debetur ei rectitudo, quia tertio modo repugnat ei. Primo autem modo indif *Obiectio.*
ferens est ad rectum & curuum; debetur autem ei secundo modo. Nec valet, contra arguere, quia etiam equus dicetur priuatus ratione; quia etiam si non debeatur rationalitas equo in ratione peculiari specifica equi, debetur tamen ei in ratione communi animalis: consequens autem est falsum: ergo. Respondetur, non esse idem, esse in *Solut.*
potentia ad aliquid, & ei esse debitum: genus enim (verbi gratia) animalis est indifferens & in potentia ad rationale, non tamen rationale debetur animali; esse enim debitum alicui naturæ, est, quòd talis natura integra in suo esse non sit sine tali debito: natura autem animalis integra est in suo esse per viuens sensibile, etiamsi non superueniat rationale, licèt magis perficiatur per aduentum illius: vnde rationale non est debitum animali; debetur autem ei visio: quia hæc pertinet ad integritatem illius; vnde animal quod non videt, vt talpa, dicitur cæcum; quia secundùm rationem genericam animalis ei debetur visio: equus autem non dicitur priuatus ratione, quia etiam secundùm rationem animalis non debetur ei rationalitas. Sic ergo in præsenti licèt actioni malæ secundùm rationem specificam malæ repugnet rectitudo, debetur tamen ei secundùm rationem communem actionis humanæ: actio enim humana ex propria natura exposcit subdi rectæ rationi; quia cùm principium actionis humanæ non sit ratio vtcunque, sed ratio practica dictans & præcipiens& huiusmodi ratio perse primò respiciat verū practicum,quod est bonum agibile,quia hoc est eius obiectum, & potentia per se primò respiciat suum obiectū; ideò ratio practica per se respicit bonū,& actioni humanæ,vt procedēti ab hoc principio,debetur bonitas: & si à tali principio procedit malū,hoc est per accidēs,per defectū veri practici;qđ est propriū obiectū rationis practicæ; quapropter etiam actioni ma-

lę in ratione humanę debetur ei rectitudo.

Ad 5. arg. Ad quintum respondetur, quòd talis priuatio rectitudinis non est peccatum, sed ratio formalis peccati in ratione mali: esse autem commissionis vel omissionis, pensandum est ex concreto; est enim peccatum commissionis, quando prædicta priuatio coniungitur cum actu positiuo conuersiuo ad obiectum dissonum.

Ad 6. arg. Ad sextum respondetur, quòd priuationes morales non in omnibus habendæ sunt vt priuationes naturales: istæ enim solùm cosiderantur ad conuenientiam, vel diuersitatem specificam ex parte formæ cuius sunt priuationes; de illis verò alia est ratio; cùm enim priuationes morales sunt voluntariæ, sicut & actus extremi per diuersum volũtarium excessus vel defectus distinguuntur specie, etiamsi forma sit eiusdem speciei, sic & priuationes rectitudinis coniunctæ prædictis actibus; quia licèt forma materialiter sit eadem respectu vtriusque extremi: formaliter tamen diuersimodè comparatur ad defectum, vel excessum, & ad priuationes talis actus excedentis, vel diminuti.

ARTICVLVS II.

Vtrùm actio hominis habeat bonitatem vel malitiam ex obiecto.

Infr. q. 19. ar. 1. & 2. co. & q. 11 ar. 1. co. & 2. dist. 36. ar. 5. co. c. 12. parum à prin. to. 3

Ic ad secundum proceditur. Videtur quòd actio non habeat bonitatem, vel malitiam ex obiecto. Obiectum enim actionis est res: in rebus autem non est malum, sed in vsu peccãtium, vt Aug. dicit in lib. 3. de †. Doct. Christ. ergo actio humana non habet bonitatem vel malitiam ex obiecto.

Secundò præterea. Obiectum cõparatur ad actionem vt materia: bonitas autem rei nõ est ex materia, sed magis ex forma, quæ est actus: ergo bonum & malum non est in actibus ex obiecto.

Tertiò præterea. Obiectum potentiæ actiuæ comparatur ad actionẽ, sicut effectus ad causam: sed bonitas causæ non dependet ex effectu, sed magis è conuerso: ergo actio humana non habet bonitatem vel malitiam ex obiecto.

Sed contra est quod dicitur Oseæ 9. Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt. Fit autẽ homo Deo abominabilis propter malitiam suæ operationis: ergo malitia operationis est secundùm obiecta mala quæ homo diligit: & eadem ratio est de bonitate actionis.

Respondeo, dicendũ, quòd sicut † dictum est, bonum & malum actionis, sicut & cæterarum rerum, attenditur ex plenitudine essendi, vel defectu ipsius. Primum autem quod ad plenitudinem essendi pertinere videtur, est id quod dat rei speciem: sicut autem res naturalis habet speciem ex sua forma, ita actio habet speciem ex obiecto; sicut & motus ex termino; & ideò sicut prima bonitas rei naturalis attenditur ex sua forma, quæ dat speciem ei, ita & prima bonitas actus moralis attenditur ex obiecto conuenienti: vnde & à quibusdam vocatur bonum ex genere, puta, vti re sua. Et sicut in rebus naturalibus primum malum est, si res generata non consequitur formam specificam, puta, si non generetur homo, sed aliquid loco hominis: ita primum malum in actionibus moralibus est, quod est ex obiecto; sicut accipere

Art. 1.

alie-

aliena; & dicitur malum ex genere, genere pro specie accepto, eo modo loquendi, quo dicimus humanum genus totam humanam speciem.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt res exteriores sint in se ipsis bonæ, tamen non semper habent debitam porpotionem ad hanc, vel illam actionem: & ideò in quantum considerantur vt obiecta talium actionum, non habent rationem boni.

Ad secundum, dicendum, quòd obiectum nõ est materia ex qua, sed materia circa quam: & habet quodammodò rationem formæ, in quantum dat speciem.

Ad tertium, dicendum, quòd nõ semper obiectum actionis humanæ est obiectum actiuæ potentiæ. Nam appetitiua potentia est quodammodò passiua, in quantum mouetur ab appetibili; & tamen est principium humanorum actuum. Neque etiam potentiarum actiuarum obiecta semper habent rationem effectus, sed quando iam sunt transmutata; sicut alimentum transmutatũ est effectus nutritiuæ potentiæ; sed alimentum nondum transmutatum comparatur ad potentiam nutritiuam, sicut materia circa quam operatur. Ex hoc autem quòd obiectũ est aliquo modo effectus potentiæ actiuæ, sequitur quòd sit terminus actionis eius, & per consequens quòd det ei formam & speciem; motus enim habet speciem à terminis: & quanuis etiam bonitas actionis non causetur ex bonitate effectus, tamen ex hoc dicitur actio bona, quòd bonum effectum inducere potest: & ita ipsa proportio actionis ad effectum, est ratio bonitatis ipsius.

Prima conclusio. Actio humana habet primam bonitatem vel malitiam ex obiecto. 1. *Concl.*

Secunda conclusio. Bonitas vel malitia actus, quæ sumitur ex obiecto, vocatur bonitas vel malitia generica; sumendo genus pro specie: sicut speciem humanam vocamus genus humanum. Probat D. Thom. hãc conclusionem in argumento Sed contra. 2. *Concl.*

DVBIVM I.

Vtrùm prima conclusio D. Th. verum habeat.

PRobatur quòd nõ. Primò. Actio humana intantum est bona vel mala, in quantum est conformis vel difformis rationi: ergo non habet ex obiecto bonitatem vel malitiam. Consequentia patet, quia obiectum tenet se ex parte termini; ratio autem ex parte principij: ergo si sumitur ex ratione bonitas vel malitia actus, non sumetur ex obiecto. Antecedens verò probatur. Primò ex D. Tho. in. 2. dist. 36. q. 1. art. 5. dicente, primam bonitatem actionis humanæ desumi ex eo, quòd procedit à virtute agentis, & conuenit cũ sua causa, vtiq, morali, quę est recta ratio: ergo per ordinem ad illam est bonitas, vel malitia actionis secundùm D. Tho. Secundò probatur idem antecedens, quia, vt diximus in præcedentibus, actio humana ex propria ratione habet moralitatem ex ordine ad rationem præcipientem vel prohibentem: ergo similiter in specie per ordinem ad illam habebit actio humana bonitatem vel malitiã, quia rationes specificę sunt determinationes rationis genericæ, & sic debent esse secundùm modũ illius. Tertiò probatur idem antecedens, nam in illo priori in quo intelligitur actio procedens à ratione, antequàm intelligatur terminata ad obiectum, intelligitur bona; quia intelligitur conformis rationi: ergo nõ specificatur ab obiecto; quia nõ potest 1. *Arg.*

test intelligi specificatum ante rationem specificantem: si ergo intelligitur actio in specie boni ante obiectum, non specificat obiectum. Confirmatur, quia peccatum in tantum est peccatum, inquantum voluntarium: sed esse voluntarium, non habet ab obiecto, sed à Volũtate: ergo malitia nõ sumitur ab obiecto. Maior est axioma Theologorum ex Augustino. Minor probatur, quia esse voluntarium, est modus agendi potentiæ vitalis: ergo non ab obiecto, sed ab ipso principio vitali debet desumi.

Confir.

2. Arg. Secundò argumentor. Actio, vt docet Diuus Thomas suprà, quæstione 1. artic. 3. specificatur à suo principio: ergo & actio humana. Patet cõsequentia, nam actio humana nõ extrahitur à genere actionis: ergo sicut actio in genere specificatur à principio, ita & actio humana à principio humano. Si respondeatur, quòd actio etiã humana potest considerari dupliciter, & in ratione actionis, & in ratione passionis; & si primo modò specificetur à principio, secundo tamen modo specificatur à termino, & sic ab obiecto, quod est terminus ipsius actionis: Cõtra argumentor, nam ex eo quòd specificetur à termino, non sequitur, quòd ab obiecto: ergo. Antecedens probatur, quia terminus potiùs dicit rationem finis, quàm obiecti; & sic habebit verum, quòd specificatur à fine, non autem quòd ab obiecto. Si respondeatur, quòd, vt suprà patuit ex D. Tho. idem est finis & obiectum Voluntatis, ac per consequẽs idem est specificari à fine, & ab obiecto: Contra argumentor, nam quando quis ieiunat propter Deum, verè Deus concurrit vt finis; nam sicut in agentibus prima & vniuersalissima causa influit in quemcunque effectum; ita & in finibus etiam vltimus concurrit finalizando quencunque actum vltimò tendentem in ipsum: & tamen Deus non habet rationem obiecti: ergo non est idem specificari à fine & ab obiecto. Item etiam hoc patet in virginitate, quæ non ex proprio obiecto, sed ex fine essentialiter specificatur; in hoc enim consistit specifica ratio virginitatis, quòd abstineat à venereis, vt vacet rebus diuinis, vt docet D. Thom. 2. 2 q. 152. art. 3. Item etiam patet in actibus indifferentibus secundùm speciem: fiunt enim boni, vel mali, ex fine, non autem ex obiecto; quia, vt supponimus, ex illo habent in differentiam: nusquàm ergo probatur quòd actio humana etiam in ratione passionis specificetur ab obiecto, sed vt plurimum à fine.

Solut.

Impug.

Solut.

Impug.

Tertiò argumentor, nam multæ sunt actiones humanæ, quæ specificantur vel ex modo tendendi, vel ex duratione, vel aliis circunstantijs: ergo non omnis actio humana specificatur ab obiecto. Antecedens patet in peccato Angelico; nõ enim habuit malitiam ex obiecto, quòd vtique erat bonum; sed ex modo tendendi in ipsum. Similiter patet in amore excessiuo vxoris, vel filiorum, ex quo quis inducitur ad peccandum, cuius obiectum bonũ est, & actus tantùm malus ex modo. Similiter patet in specie gulæ, per hoc enim est mala, quòd intemperatè sumit cibum, non ex cibo quem studiosè posset assumere, vt probat D. Tho. 2. 2. q. 148. art. 4. Idem patet in speciebus iræ, quæ suam distinctionem habent, non ex obiecto, sed ex duratione vel origine, vt docet D. Tho. 2. 2. q. 158. ar. 5. *3. Arg.*

Quartò argumentor. Actus exterior est humanus, quia laudabilis vel vituperabilis; meritorius, vel demeritorius; quæ sunt proprietates actus humani; & tamen non habet primam bonitatem vel malitiam ex obiecto: ergo. Probatur minor. Primò, nam actus exterior multoties non ordinatur ad aliud obiectum distinctum à se, sed in se ipso habet suam bonitatem vel malitiam. Verbi gratia, adulterium non ordinatur ad alienam vt ad obiectum, sed illa tantùm est circunstantia quæ, vt ait Arist. vel circunstantia quid, vt ait D. Tho. Secundò etiam patet, quia bonitas actus interioris non sumitur ab obiecto actus exterioris, sed ab ipso actu exteriori; in tantũ enim volitio furandi est mala, in quantum furari est malum: ergo nec actus exterior habet malitiam ab obiecto à se distincto, sed à se ipso. Patet ista consequentia, quia bonitas vel malitia actus exterioris & interioris est eadem numero: ergo si malitia interioris non sumitur ab obiecto exterioris, nec malitia etiam exterioris sumetur ab obiecto. Tertiò etiam patet, quia actus exterior habet bonitatem vel malitiam ab actu interiori, vt dicetur infrà: ergo non ab obiecto. *4. Arg.*

Quintò argumentor, nam sunt aliqui actus humani, boni vel mali; quibus tamen non potest assignari obiectum: ergo bonitas vel malitia non semper sumitur ab obiecto. *5. Arg.*

cto. Antecedens probatur in istis actibus, Volo esse studiosus, vel Volo esse peccator; quorum primus, vt bonus moraliter, disponit ad gratiam puerum peruenientem ad vsum rationis: secundus autem gratiam destruit. Et item, quia cùm illi actus sint singulares, & in indiuiduo, determinatè debent esse boni vel mali; quia in indiuiduo non datur actus indifferens, vt infrà dicemus. Minor verò probatur, quòd illis actibus non sit assignare obiectum; quia primus actus extenditur ad omnia obiecta virtutum: secundus autem ad omnia obiecta vitiorum: ergo non poterit eis assignari peculiare obiectum, ex quo specificentur.

6. Arg. Sextò argumentor, quia si obiectum specificat & tribuit bonitatem vel malitiam actui, in aliquo genere causæ deberet illam tribuere: sed tale genus causæ assignari non potest: ergo illa non tribuit. Minor probatur, quia certum est, quòd non tribuit illam efficienter, quia obiectum vt obiectum non efficit, nec materialiter intrinsecè, quia non componitur actus ex obiecto vt ex materia: nec etiam finaliter; quia actus non fit gratia obiecti, nec ordinatur ad ipsum tanquàm ad finem; non verò in genere causæ formalis intrinsecæ; quia nec etiam obiectum informat intrinsecè actum. Quòd autem non tribuat speciem vt causa formalis extrinseca, probatur, quia nec extrinseca mediata, nec immediata: non quidem mediata, quia nihil mediat extrinsecum inter actum & obiectum: non etiam est extrinseca immediata, quia immediata identificatur cum effectu formali; vnde debet esse in illo quod recipit talem effectum; obiectum autem non est in ipso actu recipiente effectum formalem: non ergo poterit esse causa formalis, etiam extrinseca immediata.

7. Arg. Septimò argumentor. Obiectum nullam habet in se bonitatem vel malitiam moralem: ergo non poterit illam tribuere actui; quia nemo dat quod non habet. Antecedens probatur, nam obiectum est ipsa res extra actum, vel vnus actus respectu alterius: vt sic autem possunt assignari sine malitia vel bonitate reperta in actibus terminatis ad talia obiecta; vt patet in Deo terminante odium malum, in quo tamen nulla est malitia, & in peccatis terminantibus contritionem bonam, in quibus tamen nulla est bonitas.

8. Arg. Vltimò argumentor. Bonitas vel malitia quæ habet ex obiecto, est determinabilis per alias bonitates vel malitias: ergo est generica & non specifica. Antecedens patet ex D. Thoma 2. 2. q. 154. art. 10. ad primum, vbi ait, quòd luxuria considerata ex obiecto, si rursus ordinetur ad finem alterius vitij, efficitur species illius; vt luxuria personæ religiosæ, vel tangens personam vel locum sanctum, efficitur species Religionis; & quæst. 181. art. 10. ad 1. idem docet de virtutibus, quòd si vna ex obiecto considerata ordinetur ad finem alterius, efficitur species illius; vt castitas ordinata ad cultum Dei cadens sub voto, efficitur species Religionis. Similiter eleemosyna quatenus fit propter Deum, vel in satisfactionem peccatorum, &c. efficitur alterius, vel alterius speciei. *D. Thom.*

In hac re est prima sententia Durand. *1. Sene. Durand.* in 2. dist. 38. quæst. 1. num. 8. quòd non solùm prima, sed tota & integra bonitas desumitur ex obiecto: quia siue sumatur ex fine, vel ex circunstantijs, vel à quolibet alio, est in ratione voliti: volitum autem & obiectum idem sunt.

Secunda sententia est Scoti in 2. dist. *2. Sentent. Scot.* 40. q. vnica, quòd prima bonitas actus desumitur ex conformitate & conuenientia cum sua causa morali: sicut bonitas naturalis actus sumitur ex conformitate cum sua causa naturali.

Tertia sententia est Conradi infra q. *3. Sentent. Conrad.* 72. art. 3. ad secundum, quòd actio humana consideratur dupliciter. Primò vt Via & tendentia ad obiectum, & sic habet primam bonitatem ab illo. Secundò vt est actus agentis voluntarij, & sic habet speciē à fine volito; & hoc habet fundamentum in D. Th. q. 72. art. 1. ad primum.

Quarta sententia est, quòd actus exterior *4. Sentent.* habet primam bonitatē & speciem ab obiecto; actus verò interior à fine vt finis; quod insinuat D. Th. q. 72. art. 3. ad 2. & q. 73. art. 3. ad 1.

Quinta sententia est, quòd si actio humana consideretur in ratione actionis, specificatur ex sua causa à qua procedit, videlicet ex recta ratione: si verò consideretur in ratione passionis, specificatur ab obiecto; quia omnis passio ex termino habet speciem. Hoc etiam habet fundamentum in D. Th. suprà, q. 1. art. 3. *5. Sent.*

Sexta sententia est, quòd bonitas generica sumitur ex ordine ad rectam rationē: *6. Sent.*

speci-

specifica verò, quæ est quasi secunda respectu genericæ, desumitur ex ordine ad obiectum: sicut dici solet de habitibus, quòd ratio generica illorum sumitur ex modo tendendi specifica verò ex obiecto.

7. Sent. vera. Septima sententia est quã docet D. Th. in præsenti articulo in corpore, & ad primum, quòd prima & specifica bonitas vel malitia sumitur ex obiecto, secundaria autem vel completa ex circunstantijs vel aliàs potest prouenire.

1. Concl. Pro cuius declaratione sit prima conclusio. Prima bonitas vel malitia actus humani non potest sumi ex suo principio & causa, scilicet ex libertate. Hęc conclusio est contra Scotum relatum in secũda sententia, si verè habuit illam: nam existimo ipsum non discedere à sententia nostra: nam ipse Scot⁹ etiam in. 2. dist. 7. q. vnica, §. ad solutionem, expresse dicit, quòd prima bonitas moralis conuenit actui, ex eo quòd tendit in obiectum conueniens illi secundùm dictamen rectæ Rationis. Et hoc etiam expresse docet quod lib. 18. ar. 1. §. vlterius. In loco autem adducto in secunda sententia explicandus est Scotus, sicut & D. Tho. idem asserens in. 2. dist. 36. q. vnica, art. 5. in corpore, quòd loquatur de bonitate naturali actionis humanæ vt actio est, non autem de bonitate morali. Bonitatem autem naturalẽ vocat primã, quia illa supponitur bonitati morali, & Voluntas cõsiderata vt agens morale, supponit se ipsam agentem naturaliter. Verbi gratia, cùm quis diligit Deum, vel appetit homicidium, illi actus præsupponunt motum vitalem; quia motus specificatur ab ipsa Voluntate, terminaturque ad obiectum Voluntatis absolutè, & non vt subiectũ regulæ rationis; cui quidem bonitati naturali extrinseca est bonitas vel malitia moralis; accidit enim tali actui occisionis secundùm rationem naturalem considerato, quòd sit bonus vel malus moraliter, vt si fiat à iudice secundùm rectam rationem est bonus: si verò fiat authoritate priuata in vindictam, est malus. Sed quidquid sit de sententia Scoti, probatur nostra cõclusio. Primò, quia actio bona & mala moraliter conueniunt in libertate, & ex parte illius non habent differentiam: ergo ex parte libertatis non possunt habere speciem. Antecedens patet, quia eadem actio quæ à principio erat bona, potest postea esse mala, inuariata libertate talis actionis. Cõsequentia verò probatur, nam ratio differendi non potest desumi ex ratione in qua est conuenientia, vt ratio differendi hominem ab equo, non potest desumi ex ratione animalis in qua conueniunt. Secundò probatur, nam si actioni bonæ conuenit esse bonam in sua specie, à libertate: ergo omnis actio humana necessario est bona; quia omnis illa procedit ex libertate, & cuicunque conuenit ratio specificãdi, & esse talis speciei debet conuenire; vt cuicunque conuenit rationalitas specificans hominem, etiam esse in specie hominis debet conuenire. Tertiò probatur. Actiones humanæ neque recipiunt laudem vel vituperium, eo solùm quòd liberè fiant: ergo non habent bonitatem vel malitiam ex libertate. Patet consequẽtia, nam eo ipso quòd actio est bona, est digna laude, & eo ipso ꝙ sit mala, est digna vituperio: ergo si nõ eo ipso ꝙ est libera, est digna laude vel vituperio, non constituitur per esse liberam in ratione specifica boni vel mali moralis. Quartò probatur, nam si ex libertate sumitur bonitas, vel malitia moralis, sequitur, nullum esse opus morale, quantumcunque malum, etiam odium Dei, quod non habeat aliquam bonitatem; & nullum esse tam bonum, quod non habeat aliquam malitiam; & consequenter quodcunque opus morale esse malum: quia malum ex quocunque defectu. Sequella probatur, nam si ex libertate sumitur bonitas & malitia, omne opus malum ex libertate habebit aliquam bonitatem, & omne opus bonum ex libertate habebit aliquam malitiam.

2. Concl. Secunda conclusio. Prima bonitas vel malitia specifica actus humani desumitur ex obiecto. Probatur primò. Actio humana non habet primam bonitatem moralem ex libertate, neque ex alio se tenente ex parte libertatis, & antecedenti ad ipsum actum: ergo habet talem speciem ex obiecto. Secundò probatur ratione D. Thom. Illud specificat, quod habet rationem formæ; nam forma dat esse & speciem: sed obiectum habet rationem formæ respectu actionis humanæ: ergo specificat illam. Probatur minor, nam forma est quæ dat esse & determinationem, distinctionemque à cæteris sub eodem genere: hæc autem omnia facit obiectum respectu actionis in genere moris: ergo obiectum habet rationem formæ.

Tertiò

Tertiò probatur ex communi axiomate Philosophorũ, quòd habitus specificantur per actus, & actus per obiecta: ergo sicut actus in genere naturæ specificatur ab obiectio in esse naturæ, ita & actus humanus in genere moris specificauitur ab obiecto morali, quia per esse actionẽ humanam non distrahitur à ratione generica actionis poscentis specificationẽ ab obiecto vltimò probatur ex loco adducto à D. Tho & modo loquendi sacræ scripturæ Oseæ 9. c. Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt: quo insinuatur, malitiam ex obiecto refundi in actum & in ipsum operantẽ. Quintò probatur, nã omnis actus Voluntatis moralis est quædam voluntaria tendentia vel fuga: ergo debet specificari ab obiecto, quia omnis tendẽtia vel fuga â termino specificatur, obiectũ autẽ rationẽ termini habet. Sextò probatur, quia, vt docet D. Tho. infra q. 60. art. vltimo, & q. 72 ar. 1. & q. 73. ar. 3. species & distinctio, & dignitas virtutũ & actuũ earum & grauitas essentialis peccatorũ est ex obiectis; nã aliàs non esset necesse in confessione explicare specialia obiecta, contra Concil. Trid. sessione 14. can. 5. ergo ab obiectis desumitur species; ad hoc enim obiecta specialia explicãtur, vt species peccati manifestetur. Nec amplius immorandum in hac cõclusione, quia non solum est D. Tho. hic sed etiam communis, & illam tenet Durãd. in 2. dist. 28. q. 1. Almayn. tract. 1. moralium c. 14. & Gab. in 2. dist. 40. q. vnica ar. 1. & Scotus locis citatis.

Durandus Almayn. Capreolus. Scot.

Tertia conclusio. Bonitas vel malitia quæ desumitur ex obiecto, est specifica specie atoma, licèt habeat aliquẽ modũ rationis genericę. Hęc est cõtra Scot. quod libet. 18. art. 1. & contra Conrad. hic; sed probatur cõclusio ex D. Tho. hic, vbi ait malitiã ex obiecto vocari primã & generică, secũdũ quod genus sumitur pro specie, vt solet dici species humana genus humanũ. & clariùs art. 7. vbi ait, quòd quando quis furatur propter mœchiã, malitia obiecti furti non est determinabilis per malitiã finis mœchiæ; quasi malitia obiecti sit generica & malitia finis sit specifica: sed sunt duæ malitiæ distinctæ specie disparatæ: & in 2. 2. q. 11. art. 1. ad. 2. dicit bonitatẽ ex obiecto esse specificã, ex fine verò genericam: ergo nõ è cõtra; cũ enim bonitas vel malitia ex fine sit magis vniuersalis, quã bonitas vel malitia obiecti, quia actus diuersorũ obiectorum ad eũdem finẽ dirigi possunt, ideò bonitas vel malitia ex fine vniuersalior est, & sic quasi generica, & quæ habetur ex obiecto, erit specifica. Confirmatur, nã aliàs nulla virtus esset vna specie atoma: consequẽs est falsum: ergo. Minor patet in Fide & Charitate, de quo 2. 2. q. 4. art. 6. & q. 23. art. 1. Sequella verò probatur, quia actus cuiuscumque virtutis potest ordinari ad diuersos fiens, & fieri ex voto vel pœnitẽtia, &c. Si ergo determinatio ad diuersos fines, facit bonitatem vel malitiam ex obiecto genericam, etiam quæ libet virtus erit vna genere, & non specie atoma. Itẽ probatur, nam aliàs per actum malum ex fine tantum non impleretur præceptum; verbigratia, per ieiunium factum ex inani gloria: consequens est falsum, vt supponitur ex materia de legibus. Sequella probatur, nam si species atoma est ex fine & non ex obiecto, actus malus ex fine essentialiter erit malus, & consequenter nõ cadit sub præcepto, quia hoc non potest esse de actu essentialiter malo ac proinde per talem actũ præceptũ non impletur; sed de hoc latiùs art. 7. Secunda verò pars conclusionis est D. Tho. in 2. dist. 36. q. 1. art. 5. ad 3. & ratione eius patet, quia sicut genus habet quandã cõmunitatem respectu specierum, prædicaturque de illis, estque determinabile respectu eorum, ita bonitas vel malitia desumpta ex obiecto, quandam comunitatẽ habet, estque determinabilis per bonitatẽ, vel malitiam, quæ ex fine diuerso potest prouenire, licèt hæc determinatio sit accidentalis, & non essentialis, sicut in genere; & forte hoc solũ voluit Scotus, vt insinuat in 2. dist. 7. q. vnica §. de primo.

3. Concl.

D. Tho.

Quarta conclusio. Licèt prima & essentialis & specifica bonitas vel malitia actus moralis sumatur ex obiecto, cõpleta tamẽ & adęquata bonitas, tam in actu interiori, quãm in exteriori, non solum sumitur ex obiecto, sed ex alijs vt circunstantijs, & fine, &c. Hæc est D. Thomę art. 4. seq. & q. 2. de malo art. 4. ad 5. & 6. & 9. & 12. & ratione probatur. Primò, nam aliàs nullus actus vnius virtutis vel vitij posset imperari ab alio vitio vel virtute: consequens est falsum: ergo. Sequella patet, nam imperari ab ab alia virtute vel vitio, est transire & participare bonitatem vel malitiam imperantis: si ergo totam & adæquatam bonitatem vel

4 Concl.

D. Thom.

malitiã haberet ex proprio obiecto, ab alia virtute, vel vitio imperari non posset. Quòd autè consequens sit falsum, probat
Caiet. Caiet, 2.2.q.23.art.8, vbi ostèdit, omnes virtutes exerceri posse ex imperio Charitatis. Secundò probatur, quia, vt dixit D.
D Tho. Tho. art. præcedenti; loquendum est de moralibus per proportionem ad naturalia; sed sic est quod in naturalibus licèt essent alis perfectio desumatur ex forma substantiali adæquata: tamen perfectio sumitur etiam ex accidẽtibus: ergo ita in moralibus, licèt essentialis bonitas sit ex obiecto tribuente speciem, adæquata (amen consurget, etiam ex circunstantijs quæ habent se vt accidentia. Tertiò probatur, nam experientia, patet, quòd idem actus successiue est bonus & malus, cùm tamen obiectum non varietur: ergo adęquata bonitas non est ex obiecto, sed aliunde potest prouenire, ita vt stãte obiecto bono, actus fiat malus ex fine vel circunstantia, vt ostendit D. Tho. infra q. 19.art.2.ad primum. Et quòd hoc etiam reperiatur in actibus internis, patet in actu pœnitentiæ, qui habet bonitatem ex Charitate imperante, & in actu obedientię ex voto, qui habet bonitatem Religionis, & in actu orationis mẽtalis ex iuncta pœnitentia à confessario; & tandem patet, nam aliàs non teneretur aliquis explicare in confessione finem vel circũstãtiã, sed solũ obiectũ, si bonitas, vel malitia: solum ex obiecto adęquatè sumatur.

5.Concl. Quinta conclusio. Obiectum tribuit prædictam bonitatem essentialem vt causa formalis extrinseca, immediata tamen. Prima pars conclusionis patet, nam obiectum nequit esse forma intrinseca actus: ergo tantum concurrit vt forma extrinseca. Antecedens i. p.quæst.3. ostenditur, & patet, nam obiectum multoties est substantia: ergo non potest esse forma intrinseca actus qui est accidẽs; nam forma intrinseca, & id cuius est forma, debent esse eiusdem generis. No
Not. tandum tamen, quòd licèt obiectum sit forma extrinseca actus est tamen quid intrinsecum definitioni actus, vt ait D. Tho. supra q.1.art.3.ad 1. & Conrad. ibi & Caiet. 1.p.quæst.77 art.3.§. ad euidẽtiam quorum, vt verbi gratia in relatiuis, terminus est extrinsecus relatiuo, non tamen definitioni relatiui, quæ cum detur per additamentum, necessario debet dari per terminum. Secunda pars conclusionis est contra aliquos modernos asserentes obiectũ esse formam extrinsecã mediatã, quia immediata est illa quæ per se ipsam formaliter dat esse; quia nihil aliud est immediata forma, quã ipsum esse formale cõmunicatum habenti talẽ formam per vnionẽ ad ipsam; quod quidẽ non habet obiectum respectu actus; non enim per obiectum, sed per aliquid quod est in ipso actu, actus est formaliter bonus vel malus. Sed conclusio probatur primò cõtra istos, quia habitus & actus specificantur ab obiectis immediatis, vt à formis extrinsecis: ergo idem est esse obiectum immediatum, & esse formam extrinsecam immediatã. Confirmatur, quia, vt ait D. Tho. hic ad secũdũ, idem est esse materiã circa quam versatur actus, & esse formam illius extrinsecam, sed obiectum est materia circa quam immediata: ergo & forma extrinseca immediata. Secundò probatur. Illud est forma extrinseca, quòd licèt non constituat intrinsecè, ab illo tamen oritur quod constituit intrinsecè: ergo illud erit forma extrinseca immmediata, à quò immediatè oritur, vt ab aliquo extrinseco, id quod constituit intrinsecè. Tunc vltra: Sed inter extrinseca nihil immediatius potest assignari à quo oriatur id quod intrinsece constituit actum in ratione boni vel mali: ergo obiectũ est causa extrinseca immediata. Tertiò probatur. Ad esse formam extrinsecam immediatam, non requiritur per se ipsam immediatè vniri, vt tribuat esse formale: ergo licèt obiectum non vniatur immediatè actui per se ipsum, erit forma extrinseca immediata. Consequentia patet, quia non alia ratione contrarij excludunt obiectum à ratione formæ extrinsecæ immediatæ, nisi quia non vnitur per se ipsum actui, vt det illi esse formale. Antecedens probatur. Primo ad hominem: Nam ipsi dicunt, quòd visio est causa formalis extrinseca, vt paries sit visus; cùm tamen visio non insit nec vniatur immediatè parieti, vt det ei esse formaliter visum. Secundò probatur ratione, nam est ignorare propriam significationem nominis, dicere, quòd forma sit extrinseca, & quod debeat immediatè vniri per se ipsam: nam hoc secundum iam est esse formam intrinsecam: esse ergo formam extrinsecam, non est immediate vniri, sed quòd ab illa originetur, vt diximus, id quod per vnionem consti-

constituit intrinsece,& illa erit extrinsece immediata,quæ nõ vnita per se ipsam est à qua proxime & immediate originatur id quod intrinsicè constituit.

6.Conclu. Sexta conclusiio. Obiectũ non tribuit bonitatem specificam cõsiderantũ in esse rei & entitatiuo,sed cõsideratum in esse morali,vt consonum vel dissonũ rationi.

D.Thom. Hæc est D.Tho.art.5,in corpore, & ad. 3.& q.19.art.1.ad.3. & rationibus illius patet Primò, nã differentia debet cõtra here genus iuxta naturam illus: ergo genus morale debet contrahi ad speciẽ per liquid morale,ac per consequens vt obiectũ tribuat speciem moralem, moraliter debet considerari. Secundò probatur, quia idem obiectum sumptum in esse rei specificat multoties actus diuersarum virtutum,vel vitiorum:ergo diuersitas specifica actuum non sumitur ex obiecto in esse rei. Consequentia patet,quia non potest specificans esse idem,& specificata diuersa. *Antecedens* vero probatur in actu coniugij & adulterij, quia circa eandem fæminam realiter consideratam esse possunt,& solùm moraliter diuersam in ordine ad proprium,vel alienum. Similiter patet in pecunia,quæ idem obiectum est realiter rapinæ,& liberalitatis, & magnificentiæ,& restitutionis, solùm secundũ diuersam rationem moralem repertã in pecunia. Similiter idem proximus realiter est obiectum odij & amicitiæ, & idẽ cibus obiectum gulæ,& tẽperantię. Tertiò probatur. Obiectũ specificans debet esse nobilius actu specificato,sed obiectũ in esse rei non est nobilius: ergo. Probatur minor,nã actus Volũtatis cũsit spiritualis,& liber & vitalis nobilior est pecunia vel alia huiusmodi edesiderata. Notãdũ tamẽ, quòd quãdo diximus, obiectũ specificare moraliter consideratũ,vt consonũ, vel dissonũ rationi, nõ intelligitur de consonantia secundũ se; sed vt proportionatum tali actui terminato ad ipsum; nam Deus secundùm se bonus est & consonus rationi; specificat tamen odium, quia vt proportionatum tali actui, & vt terminans ipsum, dissonat rationi; & è contra peccata secundùm se dissonant rationi;tamen vt obiectum potentiæ, & vt proportionantur tali actui, specificant illum vt bonum;quia vt sic,peccata consonant rationi. Et si contra facias argumẽtum,nam obiectum esse morale, & dissonum vel consonum, est aliquid rationis in illo:ergo vt sic non potest tribuere speciem realem actui: Respondetur, quòd sicut in obiectis scientiarũ dicitur quòd specificant,non in esse rei,sed in esse scibilis; distinguitur tamen de scibilitate: quòd alia sit fundamentalis & realis,fundata in ente; alia verò sit quasi formalis proueniens ab Intellectu sciente obiectum tale,quæ vttiq; est ens rationis in obiecto, & quòd non habet specificare scientiam obiectum secundùm scibilitatem rationis,hęc enim tantùm est conditio: sed secũdum scibilitatẽ realem.& hæc est ratio formalis specificandi: Ita in obiecto morali distinguendũ est de consonãtia rationis,& quod specificat secundũ consonantiam realem,& non per illã quæ tantum est rationis prouenientem ab actuali cõmensuratione rationis. Vel dicitur secundò,quod specificans intrinsecum alicuius realis,debet esse reale; specificãs verò extrinsecum bene potest esse aliquid rationis,vt patet in Logica specificata extrinsece ab ente rationis;cũ tamen specificatiuũ intrinsecũ sit habitudo trãscendẽtalis realis ad ens rationis: sic potest dici in præsenti. Septima conclusio. Bonitas vel malitia moralis,quã causat obiectũ in ipsa operatione quam specificat, non est formaliter in ipso obiecto, sed primò & formaliter residet in ipsa operatione specificata: & modò non discernimus inter operationem interiorem & exteriorem, sed reputamus vtramque pro eadem actione humana. Itaque obiecta peccatorum dicuntur mala, quia terminant actus malos, & causant malitiam illorum; non quia in ipsis obiectis sit formaliter malitia,sed tãtũ causaliter, formaliter autẽ tãtũ est bonitas vel malitia in ipsis acti bꝰ. Exẽplũ est in veritate,quę formaliter tãtũ est in Intellectu;dicũtur autẽ obiecta & ipse res verę vel falsę,tãtũ obiectiuè vel causaliter. Probatur ergo conclusio, quia bonitas vel malitia moralis est cõditio & qualitas reperta in moribus;sed res ipsa & obiecta non sunt moris: ergo non est in illis formaliter & subiectiuè moralis bonitas vel malitia. Secundò probatur nã genus quod contrahitur ad bonũ vel malũ morale,est actio libera;sed res ipsæ & obiecta nõ sũt actiones liberę:ergo nõ est in illis formaliter ratio specifica bonitatis vel malitię. Et si arguas,quia nemodat quod nõ habet, qualiter ergo obiectũ tribuet malitiã moralẽ actui,si nõ habet illã.

1. Solut.

2. Solutio.

7.Concl.

Obiectio.

1.*Solutio.* Respondetur, quòd obiectum est causa æquiuoca; vnde non eget habere formaliter effectum quem tribuit: sicut medicina tribuit sanitatem, quam nec habet nec potest habere in se, & quia solùm causat, illa, dicitur sana: eadem ratione obiectum dici poterit bonum vel malum, quia causat bonitatem vel malitiam, licèt non habeat illam. Vel dicatur, quòd causa formalis non habet effectũ quẽ tribuit, nisi tantum eminenter; vt albedo non est alba: dictum est autem, quòd obiectum tribuit bonitatem vel malitiam in genere causæ formalis.

2.*Solutio.*

8.*Concl.* Octaua conclusio. Obiectum non solùm tribuit actui humano bonitatem vel malitiam in genere causæ formalis extrinsecæ, sed etiã in genere causæ finalis. Hãc docet Caietanus 1.p.q.77.art.3. & 2.2. q.123.art.7. & Capr.q.1 prologi, ad secũdã improbationem contra sextam cõclusionem Conradus supra q.1.art.3. & q.9 art.1. immò D.Tho. in 1.dist.1.q.2.art.1 ad secundum, & 1.p.q.67.art.3. & 1.2. q. 72.art.1.ad primum, & art.3. & ad secundum, vbi ait, peccata differre specie ex finibus, sicut dixerat de obiectis: quia obiectum habet rationem finis respectu illorum, & q.2.de malo, art.4.ad 9. ait, quod obiectum & finis proximus actus est idẽ & in 2.dist.36.quæst.1.art.5.ad 4. & 5. & in 4.dist.16.q.3.art.1.quæstiuncula 2.ad 3. idem docet, & 1.2.q.11.art.1.ad 2. ait, quòd cũquis furatur propter mœchiam, ibi est species furti ex proprio fine & obiecto, vbi supponit, obiectum proximũ habere rationẽ finis; & hoc supponit illa distinctio cõmunis, quòd alius sit finis operis, & alius operantis; vbi pro cõperto habetur, obiectũ operis esse finem. Et probatur conclusio. Primò, nam actus Volũtatis non solùm est volitio obiecti; quatenus versatur circa illud, & ab illo habet speciem, sed etiam & volitio sui ipsius, vt docet Caietanus supra quæst.9.art.4. & D.Thom.q.16.art.4.ad 3. & 2.2.q.25 art.2. ergo actui Voluntatis, prout est volitio sui, debet assignari aliquis finis, non alius nisi obiectum: ergo obiectum respectu actus Voluntatis habet rationẽ finis. Secundò probatur. Obiectum Voluntatis incommuni, & finis, conuertuntur, vt docuit D.Thom, supra q.1. art.1. ergo etiam in particulari obiectum cuiuscunque actus Voluntatis habet rationem finis respectu illius. Patet consequentia, quia obiecta particularia actuum alicuius potentiæ debent induere rationem obiecti communis talis potentiæ. Tertiò probatur, discurrendo per multos actus humanos in particulari, in quibus manifestè patet, obiectum habere rationem finis, vt docet D.Tho.1.p.q.62.art.2. & 2.2.q.23.art.4.ad 2. & q.24.art.1.ad 3. Et certè ex duobus quæ habet finis, nempe terminare & causare, licèt non probaretur secundum, non tamen potest negari primum, euidens enim est, actum terminari ad obiectum. Diximus autem specialiter de actibus Voluntatis respicere vt finem proprium obiectum, quia de actibus Intellectus non habet verum, intellectio enim chimerę non respicit vt finem chimeram, quam respicit vt obiectum. Et si contra fiat argumentum, quia finis nobilior est his quæ sunt ad finem: sed obiectum non semper est nobilius actu Voluntatis: ergo non semper est finis illius. Maior est D.Thomæ 3.contra Gentes, cap.22. & 1.p.q.44.art.4.ad 2. & 2.2.q.152.art.1. Minor verò probatur, nam pecunia non est adèo nobilis, sicut actus liberalitatis, & magnificentiæ; cũ actus virtutum competentur inter suprema bona, non autem pecuniæ. Respondetur ex D.Tho.2.2.quæst.123.art.7. quòd obiectum non est finis prout in re & secundùm se precisè sumptum, sed pro vt coaptatur actui virtutis, & induit honestatem illius; & prout sic, nobilius est obiectum, quàm actus terminatus ad illud. Et si rursus arguas, quòd talis nobilitas est in ipso actu formaliter, non autẽ in obiecto: ergo non est nobilius. Respõdetur, quòd licèt formaliter consideratum videatur minùs perfectum, eminenter tamen habet maiorem perfectionem; quia sicut species intelligibilis formaliter considerata non habet tantam perfectionem, sicut verbum productum, potest tamen esse causa illius, quia eminenter continet maiorem perfectionem, quatenus concurrit in virtute primæ speciei, quæ est nobilior istis verbis particularibus: ita similiter licet obiectum formaliter non habeat tantam excellentiam sicut actus, absolutè est nobilius, quia concurrit in virtute vltimi finis, & sic eminenter est nobilius ipso actu. Et si rursus dicas, quòd potius debet pensari secundùm illud quod habet formaliter, quàm secundùm

Caietanus. Conrad. Capreol. D.Tho.

Obiectio.

Solutio.

Obiectio.

Solutio.

Obiectio.

dum, quod habet eminenter. Respondetur, hoc non habere verũ in causis æquivocis, quarum nobilitas non consideratur ex continentia, formali, sed eminẽti: obiectũ autẽ diximus esse causã æquivocã bonitatis, vel malitiæ actus humani.

9. Concl. Nona conclusio, obiectum per prius intelligitur causare bonitatem vel malitiam actus humani in genere causæ formalis extrinsecæ, quàm quòd causet illam in ratione finis. Hæc est Caiet. suprà q. 1 art. 4. Probatur, nam obiectum prius intelligitur terminare actũ, quã esse id cuius gratia fit actus: ergo per prius cõparatur vt forma quã vt finis. Patet cõsequẽtia nã per primum habet rationẽ formæ, & per secundum habet rationem finis. Si respõdeatur, non solum pertinere ad finẽ esse cuius gratia aliud appetitur, sed esse etiam appetitum propter se; immò hoc est prius in fine: cũ ergo obiectum habeat terminare actũ, prout est appetitũ obiectũ propter, se, primam causalitatẽ habet respectu actus, etiam in ratione finis, nã prima causalitas est secundũ quòd terminat: si ergo habet terminare vt finis, & vt propter te appetitũ, prima causalitas in obiecto est causalitas finis: Contra argumẽtor, quia prius intelligitur quod actus tẽdat in obiectũ, quã ꝙ obiectũ sit etiã volitũ propter se: ergo prius intelligitur ꝙ terminet actũ obiectũ, quã quod sit volitũ propter se, & cõsequẽter ad omnẽ rationẽ finis repertam in obiecto, præcedit cõcursus formalis ex parte obiecti terminantis ipsum actum. Antecedẽs probatur, quia actus non habet rationẽ voliti nisi per reflexionem: per prius autem consideratur per modum tendentiæ ad obiectum: sed obiectũ non habet rationem finis in ordine ad actum, nisi quatenus actus est volitus quasi reflexè: ergo ante omnẽ rationẽ finis in obiecto præcedit ratio causæ formalis, quam exercet in ordine ad actum, vt dicit tendentiam in ipsum obiectum. Si rursus respondeatur, quòd quãtumcunque fiat præcisio, siue in actu, siue in obiecto, causalitas finis debet esse prior omni alia causalitate: Prima enim omnium causa est finalis, ac per consequens concurrendo in vtroque genere prius debet concurrere vt causa finalis, quàm formalis: Contra argumentor, quia licèt verum habeat solutio considerando causam finalem & formalem in ordine ad eundem effectum; tamen in ordine ad distinctum bene potest præcedere causa formalis vnius effectus ad finalem alterius. Diximus autẽ, quod obiectũ est forma actus, vt dicit tendentiam; est autẽ finis actus, quasi reflexè volitus: isti autẽ sunt duo effectus, quorum prior est tendentia actus, & secũdus est actum esse volitum: respectu prioris cõcurrit obiectũ vt forma; respectu secundi vt finis: cũ ergo ille effectus sit prior isto, consequeter in obiecto est prior concursus formalis, quàm finalis. Vel secundò potest impugnari solutio, nam licèt illa habeat verũ cõparando finẽ ad causam formalem intrinsecam; non tamen si fiat cõparatio ad formalem extrinsecam; vt patet in homine, cuius causa formalis extrinseca est Deus iuxta illud: Faciamus hominem ad imaginem nostrã: nihilominus prædicta causa formalis prior est quã finalis, propria, intrinseca, & formalis hominis; quæ est sua beatitudo. Similiter patet in Theologia cuius causa formalis extrinseca est scientia Dei, finis autẽ est propius actus, & nihilominus prior est scientia Dei, & cõcursus illius quã cõcursus finalis propij actꝰ.

Caiet. *Solutio.* *Impug.* *Solut.* *1. Impug.* *2. impug.*

Corolar. Contra. Suarez. Ex dictis sequitur, quòd obiectum nõ solũ in ratione finis sed etiã formaliter in ratione obiecti; habet rationẽ veræ causæ. Hoc dixerim cõtra Suarez, qui in 1. Metaph. disp. 12. sect. 3. art. 17 quẽ sequũtur alij, dicit, quòd obiectũ concurrit ad speciẽ actus humani in ratione termini, sine vlla prorsus causalitate; nostrum tamẽ corollariũ est Caiet. 1. p. q. 77. art. 3. & ex locis D. Thomæ allegatis, quibus probauimus, obiectũ cõcurrere in ratione formæ patet habere obiectũ causalitatẽ respectu actus; quia concursus formæ, cõcursus est causæ. Et ratione Caietani probatur. Si obiectũ nõ est causa actus, definitio actus per obiectũ nõ erit à priori: cõsequẽs est falsum: ergo: Sequella probatur, quia si obiectũ nõ est causa, non habet per quod sit priꝰ, nã ratio termini; præcisa causalitate potiꝰ dicit rationẽ posterioris. Minor verò patet ex D. Tho 1. p. q. 77. art. 3. per obiectũ ad. 1. vbi ait, definitionẽ actꝰ esse à priori. Secũdò probatur: si obiectũ formaliter, vt obiectũ nõ haberet causalitate respectu actꝰ, maximè quia licèt sit forma; est tamẽ forma extrinseca, vt dixi: talis autẽ forma non videtur habere actionem: sed hæc ratio est nulla: ergo. Minor probatur nã causa exemplaris est vere causa secũdũ D. Tho. q. 8. de veritate art. 8. ad 1.

pertinetq; adgenus causæ formalis, licèt extrinsecè, vt ait Arist.5.Metaph. & Caiet.1.p.q.6.art.4.& q.44.art.3.quia ad esse causam extrinsecam, sufficit esse mẽsuram, quod aliqualem dependentiam effectus dicit ad illam, licet non habeat actionem veram circa effectum; hac enim ratione inter imaginem & exemplar non est mutua relatio realis; quia licèt imago realiter referatur ad exemplar, vt àquo dependet & mensuratur; tamen exemplar non dicit relationem realem ad imaginem, quia circa illam non habet veram actionem, in qua talis relatio fundari possit, dequo D. Thom.q.7. de potentia art. 1, Tertiò probatur, quia alias nulla esset differentia inter correlatiuum respectu relatiui, & inter obiectum & actum cuius est obiectum: consequens est falsum: ergo. Sequella ptobatur, quia relatiuum difinitur per correlatiuum, tanquam per terminum, in quo neque est prioritas nec causalitas respectu relatiui: si ergo obiectum tantúm habet rationem termini, & non prioritatem & causalitatem, non est differentia inter ipsum & correlatiuũ. Minor verò probatur à Caiet.c.7. de ente & essentia, q.17. vbi ostendit differentiã inter relatiua prædicamentalia & transcendentalia, quòd in prioribus terminus non habet causalitatem, bene tamen in posterioribus. *Caiet.*

Ad primũ argumentũ â principio aliqui respondent, vt diximus in principio primę conclusionis, explicãtes D. Tho. & Scotũ, quòd actus humanus in esse naturæ specificetur à suo principio; in esse tamen moris ab obiecto: in locis ergo argumenti loquebatur D. Tho. de actu in esse naturæ, in hoc autẽ articulo loquitur de illo in esse morali, & sic nulla est cõtradictio in D. Tho. Sed certè hęc solutio nõ placet, quia in prædictis locis non ait D. Thom. specificari à principio quocunque, sed à recta ratione dictante & præcipiẽte: actus autẽ prout a ratione dictãte & præcipiente, non consideratur tãtũ in esse natutæ, sed in esse morali: Rsponde tur ergo secundò & melius, vt supra diximus, quòd ratio dictans potest cõsiderari dupliciter. Primò ex partẽ principij elicientis actũ. Secũdò ex parte obiecti, qua tenus actus non respicit obiectum vt cũque sumptum entitatiuè & in esse naturæ sed pro vt consonũ vel dissonũ rationi dictanti & præcepienti: actus ergo humanus non specificatur à ratione, pro vt se tenet ex parte principij, sed provt se tenet ex parte obiecti formaliter sumpti, & sic idem est quod hic ait, specificari ab obiecto, iuxta explicationẽ adhibitã in conclusionibus. Vel tertiò respondetur, quod actus humanus potest dupliciter considerari. Primò incõpletè & initiatiuè, vt solũ dicit ab & prout egreditur ab agente. Secundò cõpletè, secundũ totalẽ eius rationẽ, & vt iam dicit tendentiã ad terminum & obiectũ. Primo modo specificatur a principio, sicut generale hoc est omni actioni. Secundo verò modo specificatur ab obiecto, sicut & hoc habet quęlibet actio: in locis ergo allegatis in argumẽto loquitur D. Tho. de actu humano priori modo: in hoc verò articulo in secũda acceptione. Ad confirmationẽ respondetur ex supra dictis, rationem formalẽ actus humani non consistere in voluntario, sed illud supponere, siue vt conditionem, siue vt fundamentũ: Vnde licèt voluntarium desumatur ex principio Volũtatis, ratio tamẽ formalis actus humani ex obiecto vt cõsono rationi debet sumi. *Solutio. 3.* *Ad confir.*

Ad secũdũ argumentũ bene ibi repõsũ est. *Ad* vltimã replicã, dicimus, q̃ prima bonitas & generica sumitur dupliciter, Primo pro prima & generica, Logicè & in prædicando. Secũdò pro generica & prima moraliter. Dicimus ergo, quòd sicut ex parte agẽtis prior est cõcursus agẽtis primi, quã agẽtis secundi; quapropter primò a gẽti attribuitur actio in ratione communi actionis agenti vero secundo attribuitur actio in ratione determinata talis actionis: ita ex parte finis prior est concursus finis vltimi correspondentis agẽti primo, quam cõcursus finis immediati correspondentis secundo agẽti: sicut ergo ex parte primi agentis dicitur sumi primũ; nõ in prędicãdo, sed quia primò concurrit; ita ex parte finis: quapropter sumendo rationẽ primã bonitatis in prædicando, pro vt importat rationẽ cõmunẽ specificã, desumitur ex obiecto & finè proximo, licet ad hoc præcesserit vt prior, quãtũ ad imperiũ, concursus finis vltimi. Ad illud autẽ de virginitate, respondetur, quòd etiam habet speciẽ ex propio obiecto; nulla tenus autem ex voto vel fine Religionis, nã aliàs in Christo Domino non fuisset virginitas, quia nihil vouit, vt docet D. Tho. 2.2.q. 88. art. 4.ad.3. votum autẽ requiritur, nõ ad speciem, *Ad 1. arg.* *2. Solutio.* *Ad 2. arg.*

ciem, sed ad statum virginitatis, vt docet D. Thom in 4. dist. 33. q. 1. art. 4. quia status dicit immobilitatem, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 183. art. 1. non est autem immobilis virginitas sine voto. Vel secundò respondetur cum Caiet. 2. 2. q. 152. art. 3. quòd votum pertinet ad virginitatem, non vt specificans, sed potiùs vt materia volita ex amore nimio ipsius abstinentiæ: itaque ad immobilitatem abstinentiæ & virginitatis eligitur vt medium & materia votum pertinens ad Religionē: qua propter ab ipso voto specificari non potest. Qualiter autem actus virtutis excellentioris, qualis est Religio, possit assumi vt medium ad finem proprium specificatiuum virtutis inferioris, qualis est abstinentia vel virginitas, docetur in materia de virtutibus. Ad illud autem de obiecto in differenti; aliqui iuniores dicunt sufficere vt actus sit bonus, quòd obiectū non sit malum, licèt etiam non sit bonum sed indifferens. Sed certè isti falluntur, quia iam non esset dare actum ex sua specie indifferentē, si obiectum in differens sufficit actum facere bonum: cuius contrarium dicemus art. 8. est quē contra D. Thom. hic in corpore, & ad primum, & q. 29. art. 2. ad 1. vbi ait, illud obiectū tribuere actui bonitatem, quod est conueniēs & proportionatum appetitui, quod quidem obiectum in differens nō habet: eo vel maxime, quod D. Tho. q. 2. de malo, art. 5. actum in differentem constituit intra genus moris vt tertiam speciem distinctam à bono, & malo. Vnde obiectum in differens non potest cōstituere actū in specie bonum, quia esset destruere tertiā speciem, vel quòd vna species constitueretur per cōstitutiuum alterius: quod est impossibilē; vt quod homo constituatur per constitutiuum equi. Alij ergo respōdent, quòd actus indifferens circa obiectum exercetur propter aliquem finem bonum vel malum, & ille transit in rationem obiecti: vnde accipiendo bonitatem vel malitiam à tali fine, accipit illā ab obiecto. Sed etiam hæc solutio est in sufficiens, quia cuicūque speciei debet assignari aliquod indiuiduū, quod essentialiter sit sub tali specie: vnde si in specie ex obiecto in differēti actus est in differēs, etiā in indiuiduo erit essentialiter in differens ex parte obiecti: quòd autem in indiuiduo tendat in finem bonum vel malū tantùm est ex parte operantis, non autē ex parte ipsius operis, vt docet D. Tho. q. 2. de malo art. 4. ad 9. & art. 6. ad. 9. vnde talis malitia vel bonitas, etiā in indiuiduo, est extra obiectum, & consequenter extra essentiam, quæ tantùm ex obiecto pensatur. Dicendum ergo ad argumentum, quòd actus circa obiectum indifferens essentialiter habet speciem in differētis, quæ est tertia species distincta à bono & malo: accidentaliter autē talis actus erit bonus vel malus ex parte finis operantis, quia nihil inconuenit, quòd vna species participet accidentaliter rationem alterius speciei.

Ad tertium argumentum respōdetur ex D. Tho. negando antecedens, sed sem per specificatio sumenda est ab obiecto. *Ad 3. arg.*

Ad primam probationem respondetur ex D. Tho. 1. p. q. 63. art. 1. ad 4. & q. 15. de malo art. 1. & Caiet. 2. 2. q. 162. art. 4. §. ad hoc breuiter, quod actus dupliciter potest esse inordinatus. Primo modo ex parte obiecti, quia obiectum est malum: vt appetere vxorem alienam. Secūdo ex parte appetentis, etiam si obiectum sit bonum; vt appetere propriam vxorem nimis ardenter. Quando ergo in præsenti dicitur, actū specificari ab obiecto, loquimur de bonitate vel malitia conueniente actui ex genere suo & secundum se; talis enim bonitas vel malitia ex obiecto debet haberi; malitia autē vel bonitas accidentaliter conueniens actui, etiā ex parte appetentis potest ei aduenire; & huiusmodi fuit peccatū Angelicum; ille enim actus non erat ex genere suo malus, sed bonus, & de obiecto bono; accidentaliter autem fuit malus, ex modo tenente se ex parte appetentis.

Ad illud autē de nimio amore vxoris respōdetur quòd esse nimiū, potest esse, vel intensiuè, vel appretiatiuè. Primo modo act' ex genere suo est bonus & de obiecto bono, & solū accidentaliter est malus ex parte appetētis. Secūdo verò modo actus ex suo genere est malus; sed tunc obiectū est etiam malum, quia non est vxor vtcūque sed vt ratio appetendi illicita contra Deum. Ad illud autē de speciebus gulæ, etiam patet ex D. Tho. 2. 2. q. 148. art. 4. qualiter essentialiter distinguantur ex obiectis; nam obiectum gulæ est nimia delectatio ciborum; illi autem modi diuersi, positi in argumento, diuersificant obiectiuè hanc rationem communem de lectationis cibi, & consequenter faciunt di-

diuersa obiecta specifica ad diuersas spe-
species gulæ. Ad illud autem de especie-
bus irę,etiam dicitur,ex obiectis habere
diuersitatem: verum est tamē, quod obie
cta particularia illarum specierum sunt
minus nota & explicabilia, & sic per
illos modos diuersos explicantur, licèt
nō ex illis modis sumatur especificatio.

Adi. 4. 1. Ad quartum argumentum aliqui iu-
solutio. niores dicunt,quòd actus exterior consi-
deratur dupliciter. Primo infieri: secun-
dò in facto esse,& quod in facto esse est o
biectū sui ipsius infieri: vnde stat,quòd
ex se & non ex alio extrinseco actus ha-
beat bonitatem,vel malitiam, & nihilo-
Impug. 1. minus ex obiecto. Sed hæc solutio est cō
solut. tra D. Tho. hic ad secundum. & q. 73. art.
D. Thom. 3. ad 1. & in 2. dist. 36. q. 1. art. 5. ad 4. & q.
2. de malo,art. 4. & 2. 2. q. 118. art. 6. ad 1.
& q. 68. vbi docet,idē esse, obiectū actus,
& materia circa quāversatur, vnde sicut
res exteriores sunt materia circa quā, vt
Deus & proximus respectu amoris, & pecunia respectu auaritiæ: & venerea res
pectu incōtinētiæ,& res exteriores respe
ctu iustitię,& sūt obiecta respectu illorū:
& hoc manifeste patet in obiecto Religio
nis Dullię,& Hyperdulię,quarū obiectū
est excellētia eorū quos honoramus,præ
dicta autē excellentia aliquid extrinsecū
est actui,etiā in facto esse: huiusmodi au-
tē excellentiā esse obiectū Religionis, do
cet D. Tho. 2. 2. q. 81. art. 4. ad, 3. & ratio-
ne manifestum est,nā aliàs obiectū adora
tionis nō esset Deus, neque idolū esset o-
biectum idolatriæ. Item etiam quia obie-
ctum actus est id quod per se est volitū: a
ctus autem in facto esse non est volitus ni
si per reflexionem, vt diximus : directè
autē & per se est volita res âd extra. Itē-
etiam,nā actus in fieri, & in facto esse cū
sint eiusdem speciæ;ab eodem essentiali-
ter debent specificari: cùm autem actus
in facto esse, specificetur ab obiecto ex-
trinseco,idem dicendum erit de actu in-
fieri,& sic quod est obiectum vnius, erit
2. Solutio. etiam obiectum alterius. Respondetur er
& vera. go ad argumentum,quòd specificatio e-
tiam in actibus adductis in argumento
desumitur ab obiecto,vnde in illis nega-
tur quòd solùm habeat rationem circuns
tantiæ, sed vt dixit D. Thom. supra q.
7. art. 3. ad 3. alienum in furto non est cir
cunstantia, sed pertinet ad substantiam;
& idem dicendum est de adulterio, quòd
aliena non est circunstantia,sed pertinet
ad substantiam adulterij: ad circunstan-
tiam autem solùm pertinent conditiones
vxoris alienę, vt quod sit pulchra, vel fę
da. Hoc ipsum docet D. Thom. 2. 2. q. *D. Tho.*
154. art. 1. ad. 1. dicens, fæminam esse a-
lienam vel consanguineam,non pertine-
re ad circunstantiam,sed ad rationem for
malem peccati adulterij vel incestus. Ad
secundam autem improbationem mino-
ris respondetur,quòd licèt actus interior
habeat pro obiecto actum exteriorem,
& actus exterior habeat pro obiecto rem
ad extra; moraliter tamen dicendū est, es
se idē obiectū vtriusque, quia licèt actus
exterior & obiectum eius in esse naturæ
distinguantur, moraliter tamē nō distin-
guūtur; quia, vt suprà diximus, eadē ma-
litia est in actu & in obiecto, licèt in actu
formaliter, & in obiecto tātū causaliter:
sit vnde idē est moraliter q̄ actus inte-
rior habeat pro obiecto actū exteriorē, &
q̄ actus exterior habeat pro obiecto rem
ad extra, vt actus exterior & interior sint
eiusdē speciei quia sunt circa idem obiec
tum in esse moris. Secundò respondetur,
quòd actus interior & exterior reputan-
tur vt vnum; alterum tanquàm materia;
alterum verò tanquam forma: quia actus
interior est forma exterioris: vnde idem
est obiectum vtriusque: ac per consequēs
tam interior, quàm exterior respiciunt
vt obiectum specificans rem ad extra ter
minantem actū exteriorē. Ad tertiā pro-
bationem respondetur,aliud esse, loqui
de malitia vel bonitate essentiali, aliud
verò de malitia vel bonitate,quo ad exer
citium & imputabilitatem, vt attribua-
tur subiecto ad laudē vel vituperiū. Pri-
mò quidē modo,sicut hic loquimur sumi
tur bonitas vel malitia ab obiecto. Secū-
do autē modo nihil ad rem quod malitia
vel bonitas actus exterioris sumatur ab
interiori,per hoc enim actus exterior oc
cisionis imputatur vigilanti & non dor-
mienti vel non deliberanti; quia licèt a-
ctus vtriusque secūdū se & essentialiter
sit peccatū,respectu prioris est actus in-
terior liber Voluntatis acceptans mali-
tiā talis actus,nonverò respectu secundi.

Ad quintum argumentum, quod est *Ad 5. argu.*
dificile,varię à diuersis assignantur solu- *aliqui Resp.*
tiones. Prima est aliquorū,qui dicunt,hu
iusmodi actū. Volo esse studiosus pertine
re ad speciē iustitię legalis,quia cum hæc
sit virtus generalis habet tēdere in obie-
ctū generāle omniū virtutum, & huius-
modi

modi est in quod tẽdit prædictus actus, Volo esse studiosus. Hæc tamen solutio non est vera; quia licet iustitia legalis sit generalis in imperando vel ordinando reliquas virtutes, sicut Charitas vel obedientia; est tamen virtus specialis respiciens speciale obiectum, scilicet bonum commune Reipublicæ, ad quod cæteras virtutes ordinat: Vnde non poterit esse actus eius, nisi qui immediatè respicit vt obiectum, bonum commune Reipublicæ; nam ex obiecto immediato actus habet speciem, & non ex mediato, ad quod actus ordinatur ex ordinatione virtutis imperantis: Cùm ergo actus positus in argumento non versetur, vt circa obiectum immediatum, circa bonum commune Reipublicæ, qualiter poterit esse actus iustitiæ legalis? Et hoc manifestiùs patet in actu qui potest haberi non circa obiectum ita vniuersalissimum, vt, Volo esse studiosus; sed circa obiectum, licèt commune, non tam commune, vt, Volo honestatem virtutum Theologarum: iste enim qualiter dici poterit esse iustitiæ legalis? Et remanet difficultas de illo, ad quam virtutem pertineat; cùm non habeat obiectum particulare alicuius virtutis. Quod ergo dicendum fuerit de isto actu, dicendum erit de alio priori.

Impugn. Solut.

2. Solutio

Secunda solutio est aliorum, quòd ille actus pertinet ad speciem atomam, innominatam tamen, licèt distinctam ab alijs speciebus bonarum operationum; quia sicut cognitio entis, licet sit de obiecto communissimo, est tamen specialis actus distinctus à cæteris; ita prædictus actus, licèt circa communissimum obiectum, est tamen particularis à cæteris distinctus, habens specialem bonitatem moralem; quæ tamen (dicunt) non oritur ab aliqua particulari virtute; quia sicut amor beatitudinis naturalis habet particularem bonitatem, non tamen ortam ab aliqua particulari virtute; ita prædictus actus: quia videtur eadem ratio de illo.

Impugnat.

Hæc solutio etiam est falsa; ad quod sufficeret, quòd nec Arist. nec D. Thom. cognouerint prædictam specialem & specificam bonitatem distinctam & innominatam: sed ratione patet manifestè, quia obiectum commune vt sic non potest dare speciem atomam particularem; sed obiectum illius actus est communissimum, quod vtique prædicatur tanquàm quid superius de obiecto cuiuscunque virtutis particularis, etiam innominatæ: non ergo poterit dare speciem particularem distinctã. Et confirmatur, quia sic posse- *Confirm.* mus assignare penès infinitas species innominatas; vt si dicam volo refrenare passiones, vel Volo honestatem virtutum Theologarũ; ita vt sit circa quid commune istarum virtutum, vel illarũ, & non aliarum; possunt enim sic fieri combinationes quasi infinitæ, vt actus sit circa aliquid commune & non particulare alicuius virtutis: Si ergo obiectum commune sufficit tribuere speciem particularem innominatam distinctam à cæteris virtutibus, cùm per combinationem prædictã possint assignari ferè infinita obiecta cõmunia, poterunt etiam quasi in infinitũ multiplicari species ille innominatę.

Secundò impugnatur, quia, vt docet *Impugn. 2.* D. Thom. infrà quæstio. 94. art. 4. ex eo *D. Thom.* virtutes particulares non sunt de lege naturæ, quia sunt circa obiecta particularia, quæ non sunt de lege naturæ, nec ad illa Voluntas naturaliter est determinata per propensionem; solum autem est de lege naturæ tendentia ab bonum vt sic, commune obiectis aliarum virtutum: quia respectu illius Voluntas realiter est determinata per propensionem, ac per consequens ad huiusmodi tendentiam non ponitur particularis virtus, sed solùm respectu obiectorũ particularium; quia virtus ponitur ad determinandam propensionem Voluntatis: non ergo potest stare, quòd per prædictum actum argumenti tendat Voluntas in obiectum commune obiectis omnium virtutum, & quòd habeat specificam rationem virtutis particularis vel innominatam.

Confirmatur, nam, vt docet D. Tho. *Confirm.* 2.2.q.79.ar.1. licèt sit præceptũ de prosequendo bono, & fugiendo malo, iuxta illud, Declina à malo, & fac bonum; non tamen est præceptum de aliquo pertinẽte ad specialem virtutem, sed tanquàm de aliquo habente se vt principium obseruantiæ omnium præceptorum pertinentium ad speciales virtutes: ergo similiter prædictus actus, Volo esse studiosus, sumptus ex parte obiecti communissimi ad obiecta virtutum, non potest dici pertinere ad aliquam specialem virtutem determinatam, licèt possit assignari vt principium & præambulum ad omnia illa.

3.*Solut.* Tertia solutio est aliorum, quòd prædictus actus licèt in genere naturæ sit vnus; tamen in genere moris & virtualiter est multiplex, secundùm multiplicẽ bonitatem diuersorum obiectorum virtutum. Hæc solutio verum contineret, si prædictus actus terminaretur immediatè ad collectionem multorum obiectorum; sed quia supponimus, quòd terminetur ad aliquid commune obiectis virtutum, prout abstractum ab omnibus illis, prædicta solutio verum habere non potest, quia, vt suprà dixit D. Tho. quæstio. 1. art. 3. ad 3. actus prout semel egreditur ab agente, tantum potest ordinari ad vnum finem proximum, à quo specificetur: actus autẽ prædictus, prout terminatus ad vnum commune & abstractum, est semel egrediens ab agente, & sic vnicum tantum specificatiuum, & speciem habere potest; quapropter huiusmodi actus, etiam sæpius repetitus, nõ potest generare diuersos habitus virtutum; quod vtique faceret, si multiplicem malitiam vel bonitatem diuersarum virtutum contineret; sicut nec actus circa ens in communi repetitus generare potest diuersos habitus scientiarum; quia non terminatur immediatè circa obiecta particularia illarũ, sed circa aliquid cõmune & vnum abstractum ab illis: neque etiam prædictus actus habere potest tantum meritum, vel demeritum, sicut diuersi actus immediatè terminati ad diuersa obiecta virtutum; quod quidem haberet, si multiplicem bonitatem vel malitiam omnium illorum obiectorum contineret prædictus actus, Volo esse studiosus; & in actu opposito, vt, Volo esse prauus, manifestiùs apparet, quòd multiplex malitia omnium obiectorum diuersorum vitiorum in tali actu non contineatur; quia multa vitia sunt opposita & incompossibilia, vt miseria & prodigalitas, & sic simul malitia illorum in eodem actu simul reperiri non potest: & cùm oppositorum eadem sit ratio, si iste actus, Volo esse prauus, non continet multiplicẽ malitiam omniũ obiectorum diuersorum vitiorum; neque etiam ille actus appositus, Volo esse studiosus, continebit multiplicem bonitatem omnium obiectorum virtutum. Tandem prædicta solutio apparet falsa, quia cùm quicunque actus virtutis debeat elici à potentia in qua est talis virtus, & diuersę virtutes sint in diuersis potentijs; si prædictus actus continet multiplicẽ bonitatẽ virtutum, simul à diuersis potentijs, in quibus sunt diuersæ virtutes, deberet elici talis actus, quod est impossibile; quia cũ actus subiectetur in potentia à qua elicitur, sicut non potest subiectari idẽ actus in diuersis potentijs, ita neque elici ab illis.

Impuga. 1. *D. Tho.*

Impugn. 2.

Quarta solutio est Vazquez 1. 2. disputat. 50. cap. 2. num. 11. quòd ille actus etiam si terminetur ad obiectum cõmune, sub ratione communi; habet speciem atomã bonitatis; nihilominus talis actus repetitus habitum generare non potest, quia habitus tantùm generatur ad tollendam difficultatem circa obiectum particulare; quia circa obiectum commune non est difficultas. Sed hæc solutio etiam est insufficiens; nam in primo dicto non explicat qualiter ab obiecto sic in communi possit desumi determinata bonitas in specie atoma. In secundo etiam dicto defecit, nam etiam circa bonum in communi, si non sit propriũ, sed alienum, potest generari habitus; quia Voluntas tantùm circa bonũ proprium est determinata, & sic ad illud non indigens habitu per se loquendo. Dico per se, quia per accidens ratione passionũ insurgentiũ, quæ impedire possunt volitionẽ etiã proprij boni, potest poni habitus ad reprimẽdas huiusmodi passiones, & tollenda talia impedimenta, & sic ponitur continentia: ad bonũ autem aliorũ, siue in particulari; siue in cõmuni, cũ Voluntas non sit determinata naturaliter, indiget habitu, & sic generari poterit etiam circa obiectum sic in communi.

4.*Solut. Vazquez.*

Impugn. Solutio.

Quinta solutio est aliorum, quòd illud obiectum communissimum talis actus, licèt in esse rei habeat communitatem respectu omnium obiectorum virtutum, tamen in esse obiecti habet specialẽ rationẽ appetibilitatis; quatenus terminat talem actum: & hoc videtur habere fundamentum in D. Thom. hìc ad secundum. Sed hæc etiã est insufficiẽs, quia nõ explicat quæ sit illa ratio specialis in obiecto cõmunissimo, vt ex illa desumatur ratio specifica atoma bonitatis in illo actu, continet autem falsum in eo quod insinuat, quòd specialis ratio bonitatis in obiecto proueniat ab actu speciali terminato ad ipsum; quia, vt suprà diximus, priùs intelligitur obiectum bonum, vel malum, quàm sic intelligatur actus; quia

5. *Solut.*

Impug.

potius

potius actus est bonus vel malus, quia obiectum est bonum vel malum, quàm è contra; cùm enim Voluntas creata supponat bonitatem in obiecto, & non faciat illam, idem dicendum est de actibus eius, quòd supponãt bonitatem vel malitiam in obiecto, & ab illo habeat actus esse bonus vel malus.

6. Solutio. Sexta solutio est aliorum, quòd prædictus actus non est alicuius virtutis specialis, sed est actus synderesis; quod præ-

Impugn. supponitur ad omnem virtutem. Hæc etiam est falsa, quia synderesis est in Intellectu; prædictus autem actus est in Voluntate; vnde à synderesi elici nõ potest, quia, vt diximus, actus elicitur ab eadem potentia in qua residet.

Solutio vera. Prætermissis ergo his solutionibus, & alijs quas adhibeat Zumel. q.40. art. 10. disp.4. ad 7. respondetur ad argumentũ, quòd illud obiectum generale & commune illius actus, Volo esse studiosus, dupliciter potest considerari. Primò in communi; communitate vniuersalitatis & prædicationis, abstractum ab obiectis virtutum. Secundò potest sumi vt commune communitate inclusionis, vt aliquid includens & complectens omnia obiecta virtutum. Siquidem loquamur primo modo, si actus sit tan generalis, vt, Volo esse studiosus, cuius obiectum abstrahit non solúm ab his vel illis obiectis virtutum, sed ab omnibus simul obiectis virtutum; tunc talis actus non elicitur ab aliqua speciali virtute, sed ante omnem habitum immediatè â Voluntate per naturalem inclinationem quam habet ad bonum honestum, & consonum naturæ rationali: quapropter sicut prædicta inclinatio est vna secundùm speciem atomam, licèt terminetur ad obiectum communissimum, quale est honestum, & consonum rationi; quia terminatur ad illud sub vna ratione specifica consoni naturæ rationali: ita & actus elicitus â tali inclinatione circa proprium obiectum illius habens specificam rationem desumptam à tali obiecto, prout tribuit specificam rationem naturæ rationali respicienti tale obiectum; de quo vide D. Thom. infra quæstio. 94. artic. 3. Itaque illud obiectum habet duo, & esse consonum, & esse primo consonum, tanquàm adæquatum potentiæ. Secundùm priorem rationem comparatur vt genus ad obiecta virtutum. Secundo autem modo dicit specificam rationem distinctam ab obiectis virtutum, quæ tantùm velut obiecta secundaria potentię habent consonantiam cum illa: & ratio primi consoni illis conuenire nõ potest; secundùm ergo rationem primi consoni bene potest illud obiectum specificare potentiam, & actum egredientem ab illa, secundùm propriã inclinationem, cõmunicando tali actui bonitatem, non alicuius determinatæ virtutis, sed altiorem virtute, habentem se vt principium ad omnes bonitates virtutum. Idẽ dicendum est de actu qui versatur circa obiectum cõmune quibusdam virtutibus, licèt non omnibus; vt qui versatur circa speciem subalternam Iustitiæ, qualis est, Volo seruare iustitiam; iste enim non elicitur à speciali virtute, sed à potentia immediatè per naturalem inclinationem quam habet ad seruandum ius alteri; cùm enim homo sit animal politicum & sotiabile, vt sic, habet inclinationem ad seruandũ ius alteri; de lege enim naturæ est, Quod tibi non vis, alteri ne feceris; in particulari non inclinatur naturaliter ad seruandum ius in hac vel illa materia; Vnde ponitur virtus Iustitię, vt in particulari seruetur ius in hoc vel illo. De actu verò qui potest ferri non in aliquid commune, sed in duo vel tria, quasi per complexionem, vt, Volo temperatè & fortiter viuere; dicendum est, quòd licet appareat vnus, est tamen multiplex actus, saltem virtualiter terminatus ad diuersa obiecta specie diuersa & disparata. Sumendo autem obiectum illius primi actus, Volo esse studiosus, secundo modo, vt diximus in principio solutionis, nempe per inclusionem, dicendum est etiã sufficere ad specificandum illũ actũ, vt distinctum ab actibus omniũ virtutũ; Deus enim per inclusionem est omne bonum, iuxta illud Exod. Ostendam tibi omne bonum; & nihilominus vt obiectũ tribuit speciem Theologiæ distinctã à quocunque alio habitu intellectuali terminato ad particulare bonũ & obiectũ. Et similiter ens includit quẽcunque modũ essendi; & nihilominus vt sic, specificat metaphysicã, vt distinctã ab alijs scié tijs respicientibus entia determinata & inclusa sub ente. Sed interrogabit quis, *Obiectio.* quid sit dicendum de actu qui potest ferri in obiectũ commune obiectis supernaturalibus virtutum infusarum, vt, Volo esse

esse studiosus, modo supernaturali in omni materia virtutum infusarum; iste enim cùm non possit procedere ab inclinatione naturali Voluntatis, quæ ad supernaturalia non extenditur, non apparet cuius sit actus, & â quo obiecto possit

Solutio specificari, Nihilominus tamen respondetur, quòd ille oritur ex inclinatione supernaturali, quæ est per Charitatem, existentis in gratia, vel per Fidem existentis in peccato; Charitas enim & habet rationem particularis virtutis distinctæ ab alijs, prout in Deum tendit sub ratione summi boni & vltimi finis; & habet etiam rationem connaturalis inclinationis in ordine gratiæ, qua ratione potiùs habet rationem potentiæ supernaturalis, quàm habitus: ille ergo actus licet non sit à Charitate, vt specialis virtus, est tamen ab illa, vt potentia vel inclinatio potentiæ supernaturalis in ordine gratiæ, ad illa quę gratiæ sunt consona.

Obiectio. Si autem circa prædicta interroges, si per huiusmodi actus procedentes ab inclinatione, siue naturali, siue supernaturali Voluntatis, generetur aliquis habi-

Solut. tus per repetitionem talis actus: Respondetur, talem habitum non produci; quia, vt diximus, habitus generatur circa difficile; nunquàm autem est difficile tendere in obiectum illud commune, ad quod naturaliter inclinatur. Secus est de actu oppositio; vt, Volo in omnibus esse peccator: cùm enim obiectũ huius actus sit dissonum, & contra naturalem inclinationem Voluntatis, est difficile, sicut, & oppositum bonum, facile; vnde circa ipsum poterit generari habitus per illum actum repetitum, & alis habitus nõ erit speciale vitium oppositum alicui particulari virtuti, sed quid altius omni vitio opposito virtuti particulari, tanquàm assuefactio, & quid oppositum naturali inclinationi Voluntatis.

Ad 6. arg. Ad sextum argumentum patet ex dictis in conclusionibus, qualiter obiectum concurrat in genere causæ formalis & finalis, ad bonitatem, vel malitiam actus. Vbi notandum, quòd quando dicimus, quòd obiectum est causa malitiæ actus, non loquimur formaliter; nam malitia non habet causam per se, sed est causa per accidens, quatenus obiectum est causa tendentiæ ipsius actus, ad quam sequitur talis malitia; Vel dicitur, quòd vt obiectum sit finis malitiæ, satis est, si

Not. malitia acceptetur propter obiectum volitum, etiam si malitia non ordinetur in tale obiectum volitum: hac enim ratione D. Gregor. 31. Moralium, cap. 31. dicit, quòd cæcitas est filia luxuriæ, & oritur ex illa in genere causę finalis, vt dicitur infrà, quæstio. 84. artic. 4. nihilominus cæcitas non ordinatur ad luxuriam, dicitur tamen oriri ex illa finaliter, quia ex effectu ad luxuriam non recusat quis nec timet incurrere cæcitatem.

Ad septimum patet solutio, ex dictis *Ad 7. arg.* in 7. conclusione, & ex notabili 6.

Ad vltimum argumentum, patet etiã *Ad 8. arg.* ex dictis, qualiter licèt obiectum sit determinabile accidentaliter per diuersas malitias vel bonitates, & sic habeat quodammodò rationem generis; absolutè tamẽ & essentialiter tribuit bonitatem vel malitiam specificam; & altera quæ coniungitur, vel ex fine, vel circunstantijs, non habet rationem determinantis per modum speciei, sed tantum coniungitur priori accidentaliter, vt docet Diuus Thomas 2. 2. quæstio. 154. artic. 1. ad 2. & Caiet. ibi. §. vltimo & art. 7. §. ad 2. dubium.

Circa solutionem verò ad tertium Di- *Dubium.* ui Thomæ posset esse difficultas, qualiter cùm obiectum sit effectus, possit tribuere speciem, quod est esse causam. Res- *Concl.* pondetur tamen breuiter ex ipso Diuo Thoma, quòd obiectum Voluntatis non comparatur ad ipsam, vt ad actiuam, sed vt ad passiuam; Vnde ipsum obiectum pręcognitum antecedens actũ Voluntatis, comparatur vt causa elicitiua illius. Secundò dicitur, quòd etiam si Voluntas esset potentia actiua respectu obiecti, posset ex illo sumere speciem; nam obiectum potentiæ actiuæ non est effectus nisi facta transmutatione in illo, vt patet in potentia nutritiua; quapropter antequàm transmutetur, & habeat rationem effectus, consideratur vt habens rationem obiecti & termini tribuentis speciem; vt contingit in alijs motibus. Tertiò dicitur, quòd actus dicitur recipere bonitatem ab obiecto, licèt obiectum sit effectus; quia dicit proportionem ad obiectum; Vnde formaliter bonitas vel malitia sumitur ex tali proportione, & non ex obiecto, nisi forsan extrinsecè, vt suprà diximus; & hoc non repugnat rationi effectus. Quartò respondetur cum Conrado hic, quòd obiectum potest

esse esse

esse effectus potentiæ in genere causæ efficientis; sed hoc non tollit quin possit esse causa in genere causę formalis vel finalis, vt diximus; & sic patet qualiter multi actus fiant mali à suo effectu; sic enim mœchia habet malitiam à furto quod causat efficienter, quod tamen respicit vt finem; & actio quæ est à causa omissionis, est mala ab ipsa omissione; & incauta venatio est mala ab homicidio quod inducit, & intentio boni finis est mala à prana electione quam causat; & simplex fornicatio est mala ex effectu prauæ educationis filiorum quam inducit, vt docet D. Thom. 2.2.q.154.art.2.

ARTICVLVS III.

Vtrũm actio humana sit bona vel mala ex circunstantijs.

Infr.q.42. art.6 cor.& mal.q.2.ar. 5.cor. & q. 7.ar.4.corp. Quol.4. art. 16.cor.& 2. d.36.art.5. cor. q.7. art.1. text.8.to.3.

AD tertium sic proceditur. *Videtur quòd actio non sit bona vel mala ex circunstantia. Circunstantiæ enim circunstant actum, sicut extra ipsum existentes, vt dictum est: sed bonum & malum sunt in ipsis rebus, vt dicitur in 6. † Metaphysic. ergo actio non habet bonitatem vel malitiam ex circunstantia.*

2. Præterea. Bonitas vel malitia actus maximè consideratur in doctrina morum: sed circunstantiæ, cùm sint quædam accidentia actuum, videntur esse præter considerationem artis; quia nulla ars considerat id quod est per accidens, vt dicitur in 6. Metaphysic. ergo bonitas vel malitia actionis non est ex circũstantia. Tex.4.to.3.

*3. Præterea. Id quod conuenit alicui secundum suam substantiam, non attribuitur ei per aliquod accidens: sed bonum & malum conuenit actioni secundùm suam substantiam; quia actio ex suo genere potest esse bona vel mala, * vt dictum est: ergo non conuenit actioni ex circunstantia, quôd sit bona vel mala.* Ar. præced.

*Sed contra est quod Philosophus dicit in lib. * Ethicor. quòd virtuosus operatur secundùm quod oportet, & quando oportet, & secundum alias circunstantias: ergo ex contrario vitiosus secundùm vnumquodque vitium operatur quando non oportet, vbi non oportet, & sic de alijs circunstantijs: ergo actiones humanæ secũdùm circũstantias sunt bonæ vel malæ.* Lib.2.ca.6. to.15.

Respondeo, dicendum, quôd in rebus naturalibus non inuenitur tota plenitudo perfectionis quæ debetur ei ex forma substantiali, quæ dat speciem, sed multum superadditur ex superuenientibus accidentibus; sicut in homine ex figura, ex colore, & sic de alijs, quorum si aliquod desit ad decentem habitudinem, consequitur malum: ita etiam est in actione; Nam plenitudo bonitatis eius non tota consistit in sua specie, sed aliquid additur ex his quæ adueniunt tanquàm accidentia quædam; & huiusmodi sunt circunstantiæ debitæ; vnde si aliquid desit quod requiratur ad debitas circunstantias, erit actio mala.

Ad primum ergo, dicẽdum, quòd circunstantiæ sunt extra actionem in quãtum non sunt de essentia actionis; sunt tamen in ipsa actione velut quæ-

quædam accidentia eius, sicut & accidentia quæ sunt in substantijs naturalibus, sunt extra essentias earũ.

Ad secundùm, dicendum, quòd non omnia accidentia per accidens se habent ad suam substantiam, sed quædam sunt per se accidentia, quæ in vnaquaque arte considerantur, & per hunc modum considerantur circunstantiæ actuum in doctrina morali.

Ad tertium, dicendum, quôd cùm bonum conuertatur cum ente, sicut ens dicitur secundùm substantiam, & secundùm accidens; ita & bonum attribuitur alicui, & secundùm esse suum essentiale, & secundùm esse accidentale, tam in rebus naturalibus, quàm in actionibus moralibus.

Conclusio est affirmatiua. De hac materia aliqua diximus suprà q. 7. & plura manent dicenda, quæ ne multoties repetantur, reseruanda erunt ad articulum decimum & 11. vbi copiosiùs agetur de circunstantijs.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm actio humana sumat bonitatem vel malitiam ex fine.

Infr. q. 72. ar. 1. ad 1. li. 4 in par. 4 aliquantulũ â prin.

AD quartum sic proceditur. Videtur quôd bonum & malum in actibus humanis non sint ex fine. Dicit enim Dionys. 4 c. de diu. no. quôd nihil respiciens ad malum, operatur: si igitur ex fine deriuaretur operatio bona vel mala, nulla actio esset mala, quod patet esse falsum.

2. Præterea. Bonitas actus est aliquid in ipso existens: finis autem est causa extrinseca: non ergo secundùm finem dicitur actio bona vel mala.

3. Præterea. Cõtingit, aliquam bonam operationem ad malũ finem ordinari; sicut cùm aliquis dat eleemosynam propter inanem gloriam; & è cõuerso, aliquam malam operationẽ ordinari ad bonum finẽ; sicut cùm quis furatur vt det pauperi: non ergo est ex fine actio bona vel mala.

Sed cõtra est quod Boetius dicit in Topic. quòd cuius finis bonus est ipsum quoque bonũ est: & cuius finis malus est, ipsum quoque malum est. *Lib. 3. c. 1. non procul à princ.*

Respondeo, dicendum, quôd eadem est dispositio rerum in bonitate & inesse, Sunt enim quædam, quorũ esse ex alio non dependet: & in his sufficit considerare ipsum eorum esse absolute. Quædam verò sunt, quorum esse depẽdet ab alio: vnde oportet, quòd considerentur per considerationem ad causam â qua depẽdẽt. Sicut autem esse rei dependet ab agẽte, & forma, sic bonitas rei depẽdẽt à fine; vnde in personis diuinis, quæ non habent bonitatem dependentem ab alio, non consideratur aliqua ratio bonitatis ex fine: actiones autem humanæ, & alia quorum bonitas dependet ab alio, habent rationem bonitatis ex fine à quo dependẽt, præter bonitatem absolutam, quæ in eis existit. Sic igitur in actione humana bonitas quadruplex considerari potest; Vna quidem secundum genus, prout scilicet est actio, quia quantum habet de actione & entitate, tantum habet de bonitate, vt dictum

Arist. ctum est. * Alia verò secundùm speciem quæ accipitur secundùm obiectum cõueniens. Tertia secundùm circunstantias, quasi secundùm accidentia quædam. Quarta autem secundùm finem, quasi secundùm habitudinem ad bonitatis causam.

Ad primum ergo, dicendũ, quòd bonũ ad quod aliquis respiciens operatur, non semper est verum bonũ, sed quandoque verum bonum, & quandoque apparens; & secundùm hoc ex fine sequitur actio mala.

Ad secundùm, dicendum, quòd quamuis finis sit causa extrinseca, tamen debita proportio ad finem, & relatio in ipsum, inhæret actioni.

Ad tertium, dicendum, quòd nihil prohibet, actioni habenti vnam prædictarum bonitatum, deesse aliam: & secundùm hoc contingit, actionem quæ est bona secundum speciem suam, vel secundùm circunstantias, ordinari ad finem malum, nec è conuerso: non tamen est actio bona simpliciter, nisi omnes bonitates concurrant: quia quilibet singularis defectus causat malum: bonum autem causatur ex integra causa, vt Dionys. dicit 4. c. de diuinis nominibus. *

Part. 4. post medium.

Conclusio est affirmatiua.

DVBIVM I.

De necessitate huius articuli.

1. Argu. ET arguitur, quòd hæc disputatio sit superflua. Primò, nam finis vel est obiectum boni moralis, vel circunstantia: quodcunque dicatur superfluit hæc disputatio: ergo. Probatur minor, quia si est obiectum, egimus de illo articul. 2. Si est circunstantia, egimus de illo artic. præcedenti: ergo superfluit interrogare de fine.

2. Arg. Secundo arguitur, & confirmatur, nam finis de quo hic agitur, vel est proximus, vel remotus: si proximus, coincidit cum obiecto; sic enim habet verum, quòd finis & obiectum sunt idem: si autem remotus coincidit cum circunstantia; nam finis remotus supponit speciem constitutam, ex fine proximo; quod autem supponit speciem constitutam, accidens est, & sic finis remotus erit circunstantia; idem enim est accidens actus humani, & circunstantia illius.

Not. 1. Pro intelligentia notandum primò, quòd hic non agitur de fine immediato & proximo; nam de hoc egit D. Thom. suprà, q. 1. art. 3. sub nomine finis. & in hac quæstio. artic. 2. sub nomine obiecti; sed agitur de fine remoto. Procuius distinctionis claritate.

Not. 2. Notandum secundò ex D. Thom. 1. 2 quæst. 141. art. 6. ad 1. & in 2. d. 36. quæstio. vnica, art. 5. ad. 5. & in 4 d. 16. quæst. 3. artic. 1. quæstiúcula 2. ad 3. & alibi sæpe, quòd finis est duplex: alius operis; alius verò operantis. Sicut solet dici in scientijs, quòd alius est finis scientiæ, & alius scientis. Primus est quem ex propria natura respicit scientia, vel operatio; & talis est finis proximus. Secundus est quem intendit sciens vel operans, licèt ad illum scientia vel operatio ex sua ratione non ordinetur; & talis est finis remotus.

Not. 3. Tertiò notandum, quòd non est necessarium in omni operatione humana interuenire vtrunque finem; potest enim operans nullum alium finem intendere, quàm finem ipsius operis; & tunc idem est finis operis, & operantis; vt cùm quis diligit Deum propter se ipsum. Potest autem vterque finis esse distinctus, & quòd alius sit operis, & alius operantis; & tunc procedit quæstio proposita de tali fine operantis & remoto, si conuertatur cum obiecto, vel cum circunstantijs, & ab illo sumatur aliqua bonitas, quæ non sit ab obiecto vel circunstantijs; nam si non est alia, superfluè agitur de illo.

Not. 4. Quartò notandum, quòd cùm D. Thom. ait, bonitatem ex obiecto esse absolutam, non intendit esse absolutam ab ordine ad rationem; sed esse absolutam, id est,

id est, independentem ab intentione & directione vlteriori ab agente; omnis enim bonitas actionis, siue naturalis, siue moralis, desumitur ex ordine ad obiectum, & est habitudo ad ipsum. Verbi gratia, actio qua filius honorat parentes propter Dei honorem, habet bonitatem duplicem ex obiecto, quia illud obiectum licèt in ratione rei sit vnum, est tamen duplex in ratione obiecti. Primò enim consideratur absolutè, & vt est quoddam obiectum volibile & appetibile actu Voluntatis liberæ, & sic actio habet bonitatem ex illo obiecto in genere naturæ. Secundò consideratur illud obiectum vt appetibile actu Voluntatis liberæ, prout est subiecta Rationi, & ab illa directa; & sic actio in ordine ad obiectum isto secundo modo habet bonitatem moralem. Potest autem rursus supra hanc habere aliam bonitatem per hoc quòd tale obiectum ab agente ordinetur ad vlteriorem finem; qui multiplex potest esse, prout agenti placuerit sibi præstituere hunc vel alterum finem, ad quem ordinet obiectum quod actio de se respiciebat. Hoc supposito.

1. *Modus Caiet.* In hac re est primus modus dicendi Caiet. quòd si finis comparetur ad actum interiorem, non habet rationem circunstantiæ conferentis speciem actui; vt cùm quis vult dare eleemosynam propter Deum, etiam Deus, qui est finis, habet rationem obiecti Voluntatis; quia Voluntas non tantùm vult subleuare miseriam, sed etiam subleuare propter Deum; & ita ab vtroque mouetur Voluntas. Si autem finis comparetur ad actum exteriorem, sic habet rationem circunstantiæ, vt patet in eodem exèmplo: quia ergo finis hoc habet, quòd modò sit obiectum, modò verò circunstantia, peculiariter agendum est de fine, etiam si actum fuerit de obiecto & de circunstantijs; & habet fundamentum in D. Thom. infrà, artic. 6. distinguente inter obiectum actus exterioris & interioris, quòd interioris obiectum est finis, exterioris verò obiectum est id circa quod versatur ipse actus exterior: si ergo D. Thom. supponit quòd finis sit obiectum actus interioris, non verò exterioris, supponit consequenter, quòd sit circunstantia exterioris, non verò interioris; quia circunstantia non est obiectum, sed aliquid adiacens circa obiectum. Hunc etiam modum dicendi sequitur Victoria, contra quem modum sunt aliqua argumenta.

Primò ex D. Thom. infrà, quæstio. 20. artic. 3. vbi ait, actum interiorem & exteriorem esse omnino idem in genere moris: ergo quod est circunstantia vnius, debet esse alterius; nam aliàs non essent idem moraliter, si bonitas ex circunstantia adiacens vni, deesset alteri. 1. *Impugn.* Secundò, nam finis non est volitus respectu actus interioris, sed tantùm est ratio volendi cætera: ergo falsum supponit Caietan. quòd quia finis est volitus ab actu interiori, est obiectum illius, & non circunstantia. Eo vel maximè, quòd etiam si sit volitus, est volitus mediatè; quod non tollit esse circunstantiam; nam mediatè etiam circunstantiæ sunt volitæ, nam si volitæ non essent, non tribuerent bonitatem vel malitiam; quod enim volitum non est, extra genus moris est. 2. *Impugn.*

Respodetur tamen. Ad primum, quòd vt actus interior & exterior sint idem moraliter, sufficit, nihil esse bonitatis, vel malitiæ in vno, quod non sit in alio; non tamen requiritur, esse in eodem sub eadem ratione: Vnde malitia finis est in interiori à fine vt ab obiecto, in exteriori verò vt à circunstantia. *Ad 1. imp.*

Ad secundum respondetur, quòd finis etiam si in actu electionis tantùm sit volitus vt quo, & ratio volendi; tamen in actu intentionis est volitum vt quòd; & dato primo, quòd tantùm sit volitus vt quo, non sequitur, non esse obiectum, sed tantùm sequitur, non esse obiectum materiale; non autem quòd nõ sit obiectum formale. Ad illud autem de circunstantijs respondetur, non eodem modo esse volitum finem & circunstantias; nam finis est volitus vt quid principale, circunstantiæ verò tantùm vt conditiones quædam, *Ad 2. imp.*

Secundus modus dicendi est Magistri Soto & Medinæ in præsenti; quòd si nis etiam respectu actus interioris est circunstantia, nihilominus tamen, vt ait D. Thom. suprà, quæst. 7. artic. 4. est præcipua circũstantia, & vt suprà diximus, est causa extrinseca bonitatis vel malitiæ electionis mediorũ; quod asserit D. Tho in præ- 2. *Modus Soto. Medin. D. Thom.*

in præsenti, dicens, quòd finis non tantùm habet rationē circunstatiæ respectu actus humani, sed etiam rationem principij & causæ: cum ergo peculiaris sit consideratio rei ex causa, quàm ex accidentibus, peculiaris erit consideratio finis inter omnes circunstantias, vt agat de illo in speciali D. Tho. Vterque modus dicendi conciliari potest, vt suprà docuimus, quòd per actū interiorem possumus tendere in obiectū operis exterioris, & in finem operātis, vel vnico actu, vel duobus. Si vnico, habet verum sententia Caiet. quòd etiam finis habet rationem obiecti; immò formaliùs; nā in obiectum operis exterioris tunc tantū tēditur materialiter: si verò feratur in vtrūque duobus actibus, tunc finis qui est obiectum secundi actus, habet rationem circunstantiæ respectu obiecti terminantis priorem actum, & sic habet verum sententia Medinæ suprà. Sed quidquid sit de cō uenientia vel differentia in vtroque modo dicendi, semper saluatur, non esse superfluum istum articulum; nam secundùm vtrumque modum dicendi reperitur peculiaris ratio in fine operantis, de quo loquimur, vt specialiter agatur de illo post tractatum de obiecto & circunstantijs; & per hoc patet ad argumenta posita in principio.

DVBITATVR II.

Vtrùm conclusio D. Thomæ verum habeat.

1. *Arg.* PRobatur quòd non, nam volitio vt est actus distinctus Voluntatis ab electione & intentione, non habet bonitatem vel malitiam ex fine: ergo nō omnis actus, &c. Antecedens probatur, nam si huiusmodi actus haberet malitiam ex fine, esset intentio vel electio; nam si ex fine concurrente vt quo, esset electio; si concurrente vt quod, esset intentio, & sic non esset actus distinctus ab vtroque, vt supponimus.

2. *Arg.* Secundò argumentor, nam aliàs sequeretur, nunquàm aliquem posse peccare vnico solo peccato. Sequella probatur, nam si præter malitiam obiecti necessariò actus habet malitiam ex fine, habebit duplicem malitiam, & duplex peccatum erit.

3. *Arg.* Tertiò argumentor. Nullum est præceptum referendi omnes & singulos actus in aliquem finem extrinsecum: ergo potest actus habere bonitatem vel malitiam specificam à suo obiecto, sine bonitate vel malitia finis. Antecedens probatur, quia non est præceptum diuinum supernaturale, quia hoc tantùm datur de pertinentibus ad legem Gratiæ & Sacramētorum: neque etiam est præceptum naturale, cū ratione naturali non cognoscatur: neque etiam est positiuum, quia istud nunquàm datur vnum obligans omnes gentes, & etiam esset reuocabile.

4. *Arg.* Quartò argumentor, nam infidelis tribuens eleemosynam ex compassione naturali, facit actum bonum ex obiecto, ille tamen non habet bonitatem finis: ergo. Maior probatur, nam ille non refert talem actum ad aliquem bonum finem, neque formaliter, neque virtualiter, quia supponimus, nunquam se retulisse in bonum finem; nec etiam refert illum habitualiter, quia etiam, vt supponimus, non est in gratia, vt habitualiter opus referatur in bonum finem; immò si esset habitualis relatio, esset in malum finem, qui habitualiter per peccatum adhæret: eo vel maximè, quòd talis relatio habitualis, vt suprà diximus, nihil facit ad bonitatem vel malitiam, meritum vel demeritum ipsius operis.

1. *Sent. Greg. Almain.* In hac re est prima sententia Gregor. in 2. distinct. 26. & 38. quæst. vnica, Almayn tractatu. 1. Moralium, c. 11. quòd vt actus sit bonus moraliter, non sufficit bonitas ex obiecto, sed necessariò requiritur in omni actu, etiam simplicis volitionis, vt sit bonus, quòd referatur in alterum finē bonum; vnde eleemosyna, vel ieiunium factum propter honestatem intrinsecam ipsius virtutis, non est actus bonus, sed debet ordinari ad alium finem vlteriorem, scilicet Deum; hoc enim videtur intendere Paulus 1. Corint. 10. Omnia quæ facitis, in gloriam Dei facite. Si ergo ad Deum illud opus ieiunij non referatur, frangitur præceptum Apostoli; & sic manebit actus malus; malum enim ex quocunque defectu; & ad minus erit defectus in illo actu ordinationis ad bonum finem; nam non ordinare illum actum ad Deum, est facere vt maneat in creatura, vt in vltimo fine; quod peruersissimus est defectus. Hæc tamen sententia falsissima est, & ex illa sequeretur, omnia opera infidelis esse peccata; quod falsum su-

1. *Cor.* 10.

Impugn. sent.

prà ostendimus; nam vt opus sit bonum, non requiritur quòd expressè referatur ab operante in bonum finem, sed eo ipso quòd facit actum circa obiectum bonum, nulla apposita mala circunstãtia, opus redditur bonum implicitè & ex natura rei, & sic manet opus bonum.

2. Sent. Scoti. Secunda sententia est Scoti in 1.q.3. & in 4.d.49.q.10. non esse necessarium quòd omnis actus habeat bonitatem vel malitiam ex fine; quia putat ipse, posse dari etiam in indiuiduo actum indifferentem ex obiecto; quapropter tunc actus non habebit bonitatẽ vel malitiam, neque ex fine proximo operis, qui est obiectum, neque ex fine operantis, quia nullum aliũ intendit præter finem operis, qui est obiectum indifferens.

3. Sent. Tertia sententia est aliorum, quòd cùm finis habeat duo: primum, esse appetibile propter se, & non propter aliud: secundũ, quòd alia appetantur propter ipsum, omnis actus habet bonitatem vel malitiam â fine, vno ex his duobus modis, vel quia terminat actum tendentem in finem propter se, vel quia est ratio vt obiectum attingatur ab actu, vt contingit respectu electionis.

4. Sent. Quarta sententia est aliorum, quòd actus semper habet bonitatem vel malitiam ex fine, vel operis vel operantis, non autem semper ex fine operantis.

5. Sent. Quinta sententia est aliorum, quòd D. Thom. non intendit nisi numerare bonitates quas actus habere potest, & sic est, quòd ex fine bonitatem habere potest; nõ autem intendit quòd semper habeat bonitatem ex fine.

6. Sent. Vltima sententia est aliorum tenentiũ cum Scoto, omnem actum habere bonitatem à fine vltimo, non materialiter, sed formaliter sumpto, vt det rationem satiatiui bonæ voluntatis, non autem ab aliquo fine intermedio.

1. Conclu. Prima conclusio. Omnis actus humanus necessario habet bonitatem vel malitiam ex fine. Hæc est contra Scotum; est tamen

Caiet. Caietani, quæst.8. precedẽti in principio, & 1.par. quæst.82.art.2. & probatur clarè, quia omnis actus humanus respicit obiectum, & ab illo sumit bonitatem vel malitiam, vt diximus: ergo & à fine. Patet consequentia, quia obiectum est finis, ad minus ipsius operis. Confirmatur. Omnis actus humanus vel respicit obiectum propter se, vel propter aliud; inter hoc enim non datur medium: ergo necessariò respicit finem. Patet consequentia, quia finis habet duo, & esse propter se amabilem, & quòd alia amentur propter ipsum: ergo si actus respicit obiectum vt propter se, respicit illud vt finem secundum alteram rationem finis: & si respicit obiectum propter aliud, iam respicit illud aliud vt finem ipsius obiecti, & sic semper necessariò respiceret finem, & consequenter â fine necessariò recipit bonitatem vel malitiam.

2. Conclu. Secunda conclusio. Omnis actus humanus necessariò recipit bonitatem vel malitiam à fine vltimo operantis, præter id quod recipit ex ipso fine proximo operis. Probatur. Vltimus finis moralis operantis est causa omnium actuum ipsius: ergo imprimit omni actui aliquam bonitatem. Patet consequentia, quia causalitas moralis est præcommunicatio alicuius bonitatis vel malitiæ. Antecedens verò probatur. Primò ex D. Augustin. 4. de ciuitate, *D. Aug.* cap.23. & Psal.32. & 118. concione. 1. vbi ait, Voluntatem determinari à Deo ad bonum in communi, vel vltimum finem, & ipsam Voluntatem sic determinatam determinare se ad speciales bonitates: ergo vltimus finis verè causat volitionem circa cætera quæ sunt ad ipsum. Idem docet D. Thom. suprà quæst.9.art.3.& 4.& 6.ad 3. *D. Thom.* Et confirmatur ex eodem 3. contra Gentes, cap.17. vbi ait, primum in vnoquoque genere esse causam aliorum: cùm ergo volitio finis vltimi sit prima in genere actuũ voluntariorum & moralium, verè erit causa omnium actuum moralium; aliàs enim si aliquis actus daretur, cuius volitio vltimi finis non esset causa, iam talis actus esset primus in illo genere, si vlteriùs non reducitur, & volitio vltimi finis non esset prima in tali genere, vel essent duæ primæ, si neutra in alteram reducitur. Secundò probatur idem antecedens ex eodem D. Thom. quia sicut implicat in physicis aliquid non causari à causa prima, & consequenter nõ causari ab vltimo fine; ita eadem erit implicatio in moralibus; quia loquendum est in moralibus, sicut in physicis. Similiter patet in speculabilibus; non enim potest esse aliqua conclusio, quæ ex principio vltimo non deducatur. Similiter ergo erit impossibile, esse aliquem actum, qui ex vltimo fine non causetur, quia, vt sæpe diximus, sic se habet finis in moralibus respectu actuum humanorum, sicut in speculabilibus se habet principium respectu

conclu-

conclusionum.Tertiò probatur idem antecedens,quia,vt ait D.Tho.q.84.art. 2.ad 3.amor sui ipsius,est causa omnium peccatorũ,iuxta illud Aug. Amor sui vsque ad contemptum Dei,ędificat ciuitatem Babylonis; & hoc non alia ratione, nisi quia peccator ponit in se ipso vltimum finem:ergo vltimus finis, siue malus, & confictus ab operante,siue bonus & verus, habet communicare vel causare bonitatem vel malitiam in omnibus actibus humanis: immò à fortiori, hoc habet vltimus finis bonus &verus,vel bonum in communi,qnia bonũ potiùs est diffusiuum sui,quàm malum:immò & bonum in cõmuni intãtum diffunditur finaliter,vt etiam actibus malis cõmunicet aliquam bonitatẽ. Quapropter Caiet.infra ar.8.& 9.§.ad 2.& D.Th. ibi ad primum,dicit,quòd priuatio moralis,verbi gratia intemperantiæ, non tollit totum bonum morale actus;quia licèt auferat totam bonitatem temperantiæ,relinquit tamen bonitatem moralem, quam ille actus habet ex ordine ad vltimum finẽ & bonum in communi. Videantur quæ diximus suprà q.1.art.5.& 6.quæ dicuntur. 2. 2.q.20.art.4.

D. Thom. *Caiet.*

Nota. Notandum tamen,hanc conclusionem debere intelligi de omni actu Voluntatis, præter illum qui versatur circa ipsum vltimum finem;nam ille cùm habeat pro obiecto ipsum vltimum finem,tãtùm habet bonitatem â proprio obiecto,& non ab vlteriori fine distincto ab obiecto ipsi⁹ operis.

3. Concl. Tertia conclusio. Omnis actus humanus participat aliquam bonitatem vel malitiam ex fine intermedio operantis,præter illam quam habet ex obiecto & ex vltimo fine. Hæc patet Matth. 6. Si oculus tuus fuerit simplex, &c. qui locus explicatur de fine operantis,quòd tribuat bonitatem vel malitiam omnibus actibus ipsius operantis, à D. Augustin.4.confessio.capit.3.& Psalm.118.ferm.12.& D.Grego. 18. Moral.capit.13. Idem insinuatur Matthæi.5.Cùm ieiunatis,&c. super quæ verba ait D. Maximus: Non vult disciplinæ cælestis magister irreligiosè agi, quod fieri pro religione præcipitur; nec patitur inuocantium se laborem,quibus æternam parat mercedem,infructuosę iactantiæ vitio deperire. Videatur ad longum Chrysosto.homil.19.in Matthæũ. & 19.Imperfecti. Et ratione probatur, nam secundùm D. Thom. 2.2. quæstio.88.art.6.facere aliquid ex voto, est magis meritorium; quia ordinatur ad excellentiorem finem: ergo ex fine habet actus maiorem bonitatem; quia maius meritum requirit maiorem bonitatem; aliàs cùm præmium sit secũdũ meritum, esset maius præmium pro actu non meliori. Secundò probatur. Actus virtutum impositi à confessario, vel facti in satisfactionem peccatorum, verè sunt satisfactorij: ergo habent aliquam bonitatem ex illo fine satisfactionis ad quem ordinantur. Tertiò probatur. Actus Fidei,qui est credere in Deum, habet maiorem bonitatem quàm credere Deo vel Deum; vt patet 2.2. quæstio. 2. articul.2.ad 1.nõ alia ratione,nisi quia credere in Deum, respicit finem Charitatis, quod non respicit credere Deo: ergo ex fine operantis necessariò communicatur actui bonitas vel malitia distincta ab obiecto. Idem patet in actu martyrij, qui ex eo est magis meritorius & melior quocunque actu Fortitudinis, quia respicit finem Charitatis; & hoc est generale cuicunque actui imperato à maiori virtute, vt ex fine maioris virtutis recipiat maiorem bonitatem, quàm haberet ex obiecto propriæ virtutis.

D. Augu. *Psal.* 118. *D.Greg.* *Matth.*5. *D. Maxi.*

4. Conclu. Quarta conclusio.Vt actus habeat bonitatem vel malitiam à fine operantis, sufficit & requiritur relatio virtualis ad talem finem. Hæc est contra aliquos asserentes, sufficere relationem interpretatiuam: eorum tamen sentẽtia est falsa,quia interpretatiua relatio tantùm est sic esse affectũ ad talem finem, quòd si illius recordaretur, ad illum refert actum quem facit: sed illa conditionalis cùm nihil ponat in esse, non potest facere bonitatem vel malitiam in actu: ergo. Probatur minor ex illo Matthæi. 11. Vætibi Corozain, &c. vbi nulla bonitas accrescit Tyro & Sydoni ex conditionali pœnitentia quam egissent. Et Sapient.4.dicitur de Enos, quòd raptus est, ne malitia mutaret cor eius: & tamen ei nulla culpa accrescit ex illa malitia conditionali; vt enim bonitas vel malitia finis communicetur actui, requiritur,vel quòd actus ipse ex se vel ab operante ordinetur ad talem finem: nullum autem horum est per illam cõditionalem voluntatem; quia vt diximus, conditionalis nihil ponit in esse.Est etiam conclusio contra alios asserentes, sufficere relationem habitualem, quæ est in operante per habitum virtutis potentis imperare illum actum ad talem finem. Sic tenet Soto 3. de natura & gratia,

Matth.6. *Matth.11.* *Sapien.4.* *Soto.*

Caiet. tia, cap. 4. conclusio. 2. & Caiet. infra, quæstio. 21. & fauet D. Thom. in 2. distinctio. 26. quæstio. 1. art. 6. & distinctio. 29. quæst. 1. artic. 4. ad primum; & Paul. 1. Corinth. 13. qui ad laudem bonorum operum solũ exposcit habere Charitatem, dicens: Si tradidero corpus meum, &c. Charitatem autem non habeam, nihil sum. Assertum etiã eorum est falsum, & expresse contra D. Thom. in 2. distinct. 38. quæst. 1. artic. 1. ad 4. & quæst. 2. de malo, artic. 1. ad 7. & contra ipsummet Caiet. 1. par. quæst. 63. art. 6. §. ad hoc dicitur dupliciter, & contra Scot. in 2. distinct. 40. quæst. 1. & Adrian. quodlib. 3. articu. 3. & 4. Et probatur, nam aliàs peccata venialia existentis in gratia, referrentur in Deum & finem Charitatis, & essent meritoria; & venialia existẽtis in mortali, referrentur ad vltimum finem mortalis, & essent mortalia; & opera bona moralia in fidelis referrentur ad idolum, & sic haberent malitiam Idololatriæ: cuius oppositum docet D. Thom. 2. 2. quæstio. 10. artic. 4. Immò quodlibet opus haberet circunstantiam bonitatis vel malitiæ omnium habituum, siue bonorum, siue malorũ, existentium in faciente tale opus; & sic omnia illa teneretur explicare in confessione, & dicere quot habitus vitiosos habuit: vt se accuset de fornicatione (verbi gratiã) quod est absurdum. Item sequeretur, quòd qui habet plures maiores & intensiores habitus virtutis, plus mereretur per remississimum actum Temperantiæ, quàm qui habet habitus minùs intẽsos mereatur per actum intensissimum; nã si sufficit relatio habitualis, actui minus intenso communicabitur bonitas habituum magis intensorum, & sic actus ille remissus, erit melior & magis meritorius. Tandem probatur à priori; nam habitus non potest communicare suam bonitatem vel malitiam actui quem non causat, & in quẽ non influit; per concomitantiam autem, & per hoc quòd habitus sit in eodem subiecto à quo elicitur talis actus, nequit intelligi qualis influxus vel causalitas sit ex parte habitus ad illum actum. Est etiam

Durand. conclusio contra alios asserentes cum Durando in 2. distinctione 40. quæstio. 2. numer. 7. requiri quòd actus referatur actualiter ad finem, vt participet bonitatem illius: hæc enim sententia est contra Diuum Thomam suprà, quæst. 1. art 6. ad 3. & 2. 2. quæst. 83. articul. 13. & in 2. distinctio. 38. quæstio. 1. artic. 1. ad 4. & quæstio. vnica de Charitate, artic. 11. ad 2. Et probatur, quia in physicis non requiritur actualis influxus causæ ad effectum, vt patet in proiectione lapidis sursum: ergo nec in moralibus, in quibus loquendum est vt in physicis; aliàs enim qui furatur ex intentione

1. Cor. 13. præcedenti mœchiæ, non teneretur confiteri circunstantiã mœchiæ; quia quãdo furatur, non recordatur mœchiæ, vt ad illam referat actualiter furtum. Item oratio facta ex voto vel præcepto, dum non recordatur voti vel præcepti, etiam si præcesserit intentio implendi illa, non haberet bonitatem Religionis vel Obedientiæ, & sic non impleretur votum; quod manifestè est falsum; quia recitando horas Canonicas nunquam quis impleret præceptum, quia non est in actuali intentione toto tempore recitationis; immò & Martyr nullus esset, quia fere nullus in actuali conflictu mortis distractus doloribus, vel disputatione cum tyranno, recordatur actualiter finis Charitatis, vt referat Martyrium ad illum. Contra omnes ergo probatur conclusio ex D. Thom. 3 contra Gentes, cap. 138. & in 2. distinctio. 16. quæstio. 1. artic. 6. & distinctio. 40. quæstio. 1. articul. 5. in corp. & ad 6. & primæ Corinth. 14. lectio. 3. & 2. 2. quæst. 23. Ratione etiam probatur, nam in Sacramentis & in contractibus, & in alijs huiusmodi, sufficit & requiritur intentio virtualis: ergo. Antecedens patet, nam si quis in vigilia habeat intentionem recipiendi Baptismum, & postea dormiens baptizetur, manet Baptizatus; vt dicit D. Thom. 3. part. quæst. 78. artic. 12. & Augustin. 4. Cõfes. cap. 4. Et idem est ex parte ministri conferentis Sacramentum, in quo sufficit præcessisse intentionem conferendi, vt docet D. Thom. 3. part. quæst. 64. art. 8. ad 3. Et de amentibus docet quæstio. 8. artic. 9. conferendam eis Eucharistiã, si non est periculum irreuerentiæ, & præcessit deuotio recipiendi. Et idem est de Extrema Vnctione, quæ regulariter confertur priuatis vsu Rationis, quia præcessit intentio recipiendi illam. Et etiam in contractibus est manifestum; si enim quis alteri præbeat potestatem, vt vice illius aliquid operetur, vel contractum celebret, hoc manet, quandiu talis potestas concessa non reuocatur. Item patet in actibus virtutum & impletiuis voti, qui vt sint meritorij, & informentur Charitate, non requiritur actualis relatio ad finem Charitatis, vt dicitur infrà, in materia demerito, & longa

1. Cor. 14.

pere-

peregrinatio meritoria est & impletiua vóti, si et non ad quemlibet passum recordetur D. Iacobi, quò tendit. Manet tamen difficultas, quid requiratur temporis præcessisse in relatione actuali ad finem, vt modo dicatur virtualiter hoc opus referri ad talem finem. Quidam dicunt, requiri quòd proximè præcesserit. Ita Cano, & insinuat D. Tho. in 2. d. 30. quæst. 1. art. 4. ad 4. Alij, sufficere quomodocunque præcessisse, etiam per longum tempus. Ita videtur insinuare D. Thom supra quæst. 1. art. 6. ad 3. & in 2. dist 40 q. 1. art. 5. ad 6. & quæst. 1. de Charitate, ar. 11. ad 2. Alij dicunt, manere virtualem relationem, quandiu manet opus imperatum ex præcedenti intentione. si enim imperatur, adhuc manet virtus illius ad imperandum & applicandum ad opus. Isti verum dicunt, sed non explicãt quod interrogamus; hoc enim quærimus, per quantum tempus duret virtus ad imperandum, vt dicatur manere relatio virtualis. Dico ergo, non æqualiter iudicandum esse in omnibus, sed iuxta conditionem cuiuscunque: in aliquibus enim sufficit præcessisse intentionem à principio vitæ, vt si non fuerit interrupta per actum contrarium, dicatur manere, vt est intentio finis vltimi totius vitæ, vt docet D. Th. quæst. 1. ar. 6. ad 3. In aliquibus autem sufficit præcessisse per annũ, vel duos annos; vt si peregrinatio durat per hoc tempus, sufficit intentio implendi votum quando exiuit à sua domo: aliquando autem requiritur tantum præcessisse per vnum diem, vt intentio implendi præceptum recitãdi horas, fortè debet esse quotidianum, & denique regula generalis potest esse, quòd in quolibet negotio sufficit intentio a principio negotij, vt dicatur manere virtualiter per totum tempus negotij, in vnoquoque iuxta naturam & qualitatem ipsius,

5. Concl. Quinta conclusio. Bonitas quam actus humanus habet ex fine extrinseco, est distincta ab illa quam habet ex proprio obiecto. In præsenti non loquimur de actu interiori, nam de hoc agetur infra quæst. 19. artic. 2. sed agitur de actu humano in communi, & est conclusio D. Thom. loco citato, & hic distinguentis plures bonitates ex obiecto, & fine, & circunstantijs: & ratione probatur. Primò, quia bonitas ex obiecto est vnica & essentialis & inuariabilis, vt dicitur art. 10. bonitas autem ex fine extrinseco potest esse multiplex & variabilis, quia modò potest in vnum, modò in alterum finem dirigere opus, & consequenter accidentalis, quia potest adesse & abesse: ergo bonitas finis est distincta à bonitate obiecti. Secundo probatur, quia multoties actus bonus ex obiecto, est malus ex fine; vt cùm quis ieiunat propter vanam gloriam; & è contra, vt cùm quis furatur ad dandam eleemosynam: ergo nõ est eadem bonitas vel malitia ex obiecto & fine. Et si contra facias argumentum, nam bonitas ex fine est generica respectu illius quæ sumitur ex obiecto, vt ait D. Thom. artic. 7. & in 2. dist. 36. quæst. 1. artic. 5. ad 3. ergo non distinguuntur, quia ratio generica & specifica solùm rationis possunt habere distinctionem. Aliqui sic tenuerunt, solùm prædictam bonitatem esse ratione distinctam: sed oppositum tenet D. Thom. hic ad tertium, asserens, alteram bonitatem ab altera esse separabilem. Quapropter respõdetur ad argumentum, bonitatem finis appellari à D. Tho. genericam, loquendo de genere morali, non de genere Logico, quod est per prædicationem, sed quod est per causalitatem, quatenus moraliter ex eodem fine potest quis moueri ad plura diuersa opera circa media, tam bona, quàm mala. Quapropter ex dictis sequitur, quòd bonitas actus humani est diuisibilis & cõposita ex partibus ætherogeneis, hac enim ratione D. Tho. hic ad tertium, & in secundo vbi suprà, & Conradus in præsenti, & infrà q. 72. art. 2. & Scotus in 3. dist. 40. quæstione vnica, & quodlibeto 18. comparant bonitatem actus, sanitati & pulchritudini resultanti ex pluribus partibus. Quòd autem istę partes ætherogeneæ sint, etiam est manifestum, cùm distinguantur specie, & bonitas obiecti sit vnius virtutis; quæ autem est finis, sit alterius; vt qui facit eleèmosinam ex voto, habet ex obiecto bonitatem Misericordiæ, ex fine autem bonitatem Religionis. Patetque euidenter in Fide mortua vel viua, non enim in peccatore est bonitas Fidei viuæ, nec Fides mortua potest iustificare, nec actus Fidei mortuæ est meritorius, sicut actus Fidei viuæ: ergo bonitas quam Fides viua habet ex fine charitatis, alterius rationis est à bonitate Fidei mortuæ quam habet ex obiecto: si enim esset eiusdem rationis, idem posset vna atque alia. Et si contra fiat argumentum, nam duo actus diuersis circunstantijs vestiti possunt esse æqualiter boni & meritorij: ergo bonitas quæ sumitur ex circũstantijs vel fine, non est diuersæ rationis.

Obiectio. *Solutio.* *Corola.* *Obiectio.*

Eo vel maximè, quòd si circunstantia finis causat bonitatem diuersæ rationis & alterius speciei, semper actus ex circunstantia vel fine mutaret speciem, & teneretur quis illud explicare in confessione: Respondetur tamen, verum esse, quòd ex diuersa circunstantia vel fine prouenit bonitas diuersæ rationis: potest tamen esse, quòd licèt duo actus sint diuersę speciei, quantum ad pretium & valorẽ meriti, in ordine ad præmium sint ferè idem; quia licèt species sint sicut numeri; & quantum ad substantiam duæ æquales esse non possint, potest tamẽ actus ex obiecto inferior, ex fine vel circũstantijs, vel intensione, &c. æquare in merito cum actu excellentiori ex obiecto; vt ait Augustinus lib. de bono coniugij, c. 21. quòd virginitas Ioannis, & matrimonium Abrahæ, fuerunt æqualiter bona, & quantum ad meritum & præmium; quia licèt virginitas sit maior ex proprio obiecto, matrimonium ex bonitate circunstantiarum potuit adæquare. Notandum tamen, quòd licèt bonitas adueniens ex circunstantia, sit alterius rationis; non tamen semper mutat speciem, neque est necesse explicari in confessione; quia talis bonitas multoties tantùm est modalis præcedentis bonitatis desumptæ ex obiecto, vt extensio, vel intensio, &c. Quando autem bonitas proueniens ex circunstantia, est completa, tribuitque integram speciem, tunc dicitur transferre bonitatem præcedentem obiecti ad aliam speciem, licèt accidentalẽ, & illa debet explicari in confessione, & talis censenda est malitia circunstantię finis pertinentis vt obiectum ad aliquod speciale vitium ex suo genere mortale.

Solutio. *Augusti.* *Nota.*

6.Concl. Vltima conclusio. Vt actus humanus sit bonus, non sufficit habere obiectum & etiam finem extrinsecum bonum, sed requiritur quòd talis finis sit proportionatus obiecto operis; ideò enim orare vel celebrare propter temporalia, vt propter finem, est malum; quia licèt orare, sit bonũ, & etiam curam habere de temporalibus, seorsum sit bonum; non tamen coaptatur orationi, vt fiat propter tale lucrum; quia finis vt sit aptus mediis, debet esse melior illis, lucrum autem temporale inferioris ordinis est rebus spiritualibus, cuiusmodi sunt oratio & celebratio, de quo videatur D.Thom. 2.2. quæst. 83. art. 6. ad 1. & 3. & 4. & Caiet. q. 88. art. 2. §. sed vt error huius opinionis.

Ad 1.arg. Ad primum argumentum à principio respondetur, quòd finis relatus potest esse absolutè vltimus, vel solùm in peculiari negotio; qui licet in illo negatio sit vltimus, aliàs tamen ad simpliciter vltimum potest ordinari, de quo diximus suprà: simplicẽ ergo volitionem vltimi finis simpliciter vltimi, iam diximus solùm habere bonitatẽ obiecti & finis operis, non autem alicuius finis exterioris, quia talis non est post finẽ vltimum simpliciter vltimum: nostra autem conclusio de reliquis actibus præter istum debet intelligi; qua propter licèt volitio vltimi finis in peculiari negotio, non habeat bonitatem ex vlteriori fine in illo negotio, habet tamen absolutè bonitatem vlterioris finis, saltem vltimi, quia aliàs ad vltimum simpliciter vltimum ordinatur.

Ad 2.arg. Ad secundum argumentum, conceditur, in quolibet actu humano reperiri illã duplicem bonitatem vel malitiam ex proprio obiecto, & ex fine extrinseco; bonitas tamen ex fine vltimo non ponit in numero cum illa quæ est ex obiecto, vt fiat duplex peccatum, sed est quædam conditio generalis, nisi quis expresse formaliter ageret propter talem finem malum. Verbi gratia; omnis qui peccat, facit contra Charitatem & Obedientiam & Prudentiã; quia tamen istæ sunt conditiones generales omnium peccatorum, non ponunt in numero, nisi quis formaliter intendat agere contra Charitatem vel Obedientiam.

Ad 3.arg. Ad tertium argumentum respondetur, esse quidem præceptum naturale secundũ D.Thom. vt quis à principio vitæ referat se & omnia sua in Deum authorem naturæ; & similiter ex illo 2.Corint. 10. Omnia in gloriam Dei facite, extat præceptum supernaturale, vt quis referat se & omnia sua in Deum finem Charitatis, vt ait D. Tho. suprà, quæst. 1. artic. 6. & quæstione vnica de Charitate art. 11. ad 2. Semel autem additæ huiusmodi relationes formales in finem, non est necesse quòd toties formaliter repetantur, quoties aliquod opus debet elici in ordine ad talem finem; manet enim virtualiter relatio formalis præcedens.

2.Corin.1

Ad 4.arg. Ad quartum argumentum respondetur, etiam illud opus infidelis moraliter bonum referri virtualiter in bonum finem; quia vt ait D.Thom. 1.p. quæst. 44. artic. 4. ad 3. de quo etiam diximus suprà, quæst. 1. artic. 6. bonum imperfectum & participatum ex natura sua tendit ad bonũ perfectum & consummatum; vnde infidelis

D.Thom.

lis, qui vult illud bonũ particulare imperfectũ, nulla apposita mala circunstanti, virtualiter ordinat illud ad bonũ perfectum, qui est vltimus finis creaturæ rationalis.

Dubium. Solum autẽ manet difficultas in explicãdo, quæ nã virtus remaneat ex intentione præcedenti, vt modò dicatur opus factum virtualiter referri in finẽ ex illa intentione precedẽti. Aliqui enim dicunt, id quod remanet ex illa intẽtione præcedenti, solùm esse quid rationis, & denominationẽ extrinsecã, nempe quòd fuerit talis intentio. *Solut.* Sed de falsitate istorũ agemus dubio sequẽti, qualiter illa virtus debeat esse realis, vt per illam actus relatus ad finem, participet realiter bonitatem finis ad quem refertur.

2. Solut. Suarez. Alij ergo dicunt cum Suarez tomo 3. 3.p. disp. 13 sect. 3. quod transacto actu intentionis, remanet quidam actus formalis, qui est quasi vsus actiuus, quo mediante applicatur potentia ad eliciẽdum actum imperatum circa talem finem; & quia ex intentione præcedenti manet ille vsus actiuus ad applicationem operis circa finem, dicitur, quòd intentio maneat virtualiter in illo vsu & actu applicatiuo. Sed ista explicatio est etiam falsa, & contra *D. Thom.* D. Tho. 2. 2. q. 83. art. 13. & 3. p. q. 64 art. 8. ad 3. vbi docet, quòd in ratione, vel in actibus Sacramẽtorum manet intentio virtualis sine aliqua actuali attentione: ad actum autem formalẽ, quem dicit Suarez manere, actualis attentio esset requisita, & falsitas eius cõuincitur ratione, quia interueniente somno, omnino cessaret virtualis intentio; quia per somnum cessauit ille actus formalis applicatiuus: ergo si tantùm per durationem illius durat virtualis intentio, cessante per somnum tali actu applicatiuo, cessabit virtualis intentio; quod est falsum, vt suprà diximus de illo qui baptizatur dormiens. Aliam explicationem adhibet ipse in eodem loco, sequens Scotum in 4. dist. 6. q. 6. & Gab. ibidem q. 1. art. 3. dub. 1. quòd virtualis intentio manet ex eo quòd ex formali intentione præcedenti manserunt potẽtiæ applicatæ ad operandum circa talẽ finem; & quia in phantasia mansit quædam actualis motio, ratione cuius potẽtiæ possent prorumpere in actũ. Ista etiam explicatio falsa est; quia si a tempore præcedentis intentionis potentiæ manserunt applicatæ, non esset de nouo necessarius vsus vel imperium, vel consensus vel cõsilium, vt operarentur; contra ea quę diximus suprà, q. 16. ar. 4. cùm enim omnia ista sint ad applicationem potentiæ vt operetur, si a tempore præcedentis intentionis potentia est applicata, superfluit vt pradicti actus: motio autẽ actualis phantasiæ cõuincitur quod sit phantastica, sicut ille actus formalis applicatiuus, quẽ poluerat in secũdo modo dicẽdi, quia per somnũ cessauit motio actualis, & nõ cessauit virtualis intentio.

Dicendum ergo cum Richar. in 4. d. 6. q. 3 ar. 1. ad 2. quod virtus manens ex præcedenti intentione, est quędam dispositio, & veluti impetus impressus potentijs exequutiuis, cessante actuali intentione, sicut in proiectis durat impetus cessante actuali proiectione, Et ratio huius est, quia cùm amor sit quoddã pondus iuxta illud Aug. *D. Aug.* Amor meus, pondus meũ, illo feror, quocũque feror, ideò per amorẽ manet Volũtas quasi quodã pondere inclinata & fixa, vt tendat in rem amatã, si non impediatur; vt lapis per pondus ad descendendũ deorsum; & quia amor circa vltimũ finẽ, est maior, & connaturalior, per amorẽ formalẽ circa vltimũ finẽ, maiori pondere manet inclinata Volũtas, vt circa propriũ motiuum, vt per longius tẽpus dicatur manere virtualiter, vt potentia possit elicere actus circa talẽ finẽ, etiam si illius actualiter non recordetur. Per amorem autẽ finiũ particularũ etiam manet pondus, ratione cuius actus subsequentes virtualiter referantur: hoc tamen pondus & virtualis intentio nõ per tantũ tempus durat, quia non est circa bonũ ita cõnaturale, sicut bonũ vltimi finis. Exẽplũ horum est in Passione & Resurrectione & Ascensionẽ Christi præterita, quæ licèt transactæ, sunt causæ efficiẽtes physicæ nostræ salutis, secundũ D. Th. 3. p q. 48. art. 6. & q. 56. art. 1. & 2. & q. 57. art. 6. quia licèt illa præcesserint, ex illis tamen mãsit humanitas Christi Domini determinata quodã modo reali sufficienti ad huiusmodi causalitatẽ physicã: de quo videatur Caie. ibi, q. 56. art. 1. Idẽ etiã patet in Sacramento informi, quod etiã si præcesserit, recedente tamen fictione, causat physicè gratiã; quia ex Sacramento præterito mansit subiectum determinatum quodam modo reali sufficienti ad prędictam causalitatem.

Solu. Vera. Ricard.

DVBIVM III.

Vtrùm bonitas quam habet actus ex fine extrinseco, quia virtualiter refertur ad ipsum, sit aliquid intrinsecum & formaliter inhærens, vel solum aliqua denominatio extrinseca.

1. *Arg.* *D. Thom.* PRobatur hoc secundũ. Primò, quia, vt ait D. Tho. q. 20. art. 3. ad 3. eadẽ numero bonitas reperitur in actu interiori & exteriori; quia bonitas finis non deriuatur intrinsecè, sed extrinsecè ad exteriorẽ per quãdã proportionẽ, & analogiã; qua ratione etiã est vna numero sanitas in animali, & in vrina. Sẽtit ergo, quòd bonitas cõmunicata actui exteriori, vel imperato ab interiori & imperante, est aliquid extrinsecũ in ipso imperato. Idẽ videtur clarè docere q. 2. de malo, art. 4. ad 2. vbi ait, quòd cùm alicui actui secundùm se bono cõiungitur alius malus, bonus dicitur malificari; non quia in se ipso malus sit, sed secundũ aliũ actum extrinsecũ; vt cùm quis diligit Deũ propter vanam gloriã, actus dilectionis secundũ se est bonus, est autẽ malus extrinsecè, quia adiũgitur actui vanæ gloriæ referenti talẽ dilectionẽ ad inordinatũ finem. Cõfirmatur, quia bonitas vel malitia actus exterioris nõ deriuatur ad interiorẽ, nisi solũ extrinsecè; ergo è cõuerso Consequentia patet ex paritate rationis. Antecedens autẽ probatur, nã actus cõcupiscẽtiæ interior vxoris alienæ, vel cõcupiscentia rei alienæ, diuersõ præcepto prohibetur, atque ipsa mœchia vel furtũ externũ: ergo ille actus interior nõ est formaliter furtum vel mœchia; aliàs enim præcepto furti & mœchiæ contineretur.

Conf.

2. *Arg.* Secũdò argumẽtor. In tantũ habet actus bonitatẽ vel malitiã finis, in quantũ dicit ordinẽ & tendentiã ad finẽ: sed talis tẽdentia nõ est intrinseca: ergo nec talis bonitas vel malitia. Maior patet ex supradictis. Minor verò probatur. Primò, quia quando quis habet actum Charitatis, vt mereatur, tendẽtia ad meritũ non est per illũ actum Charitatis, sed per aliũ cõiunctũ, qui sit amor cõcupiscentiæ: Charitas enim est amicitia, & non tendit ad bonũ proprium: ergo illa tẽdentia ad finẽ, extrinseca est actui Charitatis. Secundò probatur eadẽ minor, quia nõ potest assignari quid entitatis sit illa intrinseca tendẽtia ad finẽ, præter entitatẽ & tendẽtiam ipsius actus ad propriũ obiectum. Si respondeatur, nõ esse entitatẽ superadditam ad entitatẽ & tendentiã in propriũ obiectum, sed tantũ esse quendam modũ realem superadditum tali entitati: Contra, quia modus supponit entitatem & substãtiam rei: sed tẽdentia ad finẽ, est prior quã tendentia ad immediatũ obiectum; prius enim est, quòd Voluntas tendat ad finem, quàm quòd tendat ad obiectũ immediatũ: ergo tendentia in finẽ, non potest esse modus tendentiæ actus ad propriũ obiectũ. Tertiò probatur eadem minor; quia si tendentia ad finẽ, est aliquid intrinsecum ipsi actui, sequitur, quòd actus tẽdens ad obiectum & ad finem, sæpius repetitus generaret duplicẽ habitum, alterũ circa obiectũ, alterum verò circa finem; quia actus generant habitus sibi consimiles: si ergo nactu est duplex habitudo intrinseca, & ad obiectum, & ad finẽ, generabitur circa vtrũque duplex habitus, vel idem qui simul esset Temperantiæ & Iustitiæ (verbi gratia) sicut in eodem actu simul reperiebatur intrinsecè bonitas vtriusque.

Solutio. *Impug.*

Conf.

3. *Arg.* Tertiò argumentor. Non potest assignari causa à qua producatur talis bonitas vel tendentia intrinseca ad finẽ: ergo talis non est nisi solùm extrinseca. Consequentia patet, quia effectus realis & intrinsecus causam realem debet habere. Antecedens autẽ probatur. Verbi gratia, in actu Fortitudinis propter Fidem, illa tendentia ad finem Fidei, neque causatur realiter ab habitu Fortitudinis, neque ab habitu Fidei: ergo à nullo; quia nullus alius potest assignari. Quòd non à Fortitudine, probatur, quia Fortitudo cùm sit in Irascibili, tendit in quidquid tendit sub ratione ardui; illa autem bonitas & tendẽtia ad Fidẽ, non est formaliter aliquid arduũ pertinens ad Irascibilem, sed aliquid verũ pertinens ad Intellectum: ergo non potest elici à Fortitudine. Quòd autem non eliciatur à Fide, etiam probatur, quia Fides est in Intellectu: ergo nõ potest causare realiter id quod est intrinsecum & inhærens actui Fortitudinis existenti in Irascibili, quia habitus nõ causat extra potentiam in qua resident. Confirmatur, nam aliàs esset confundere obiecta formalia potentiarum; nam si Fides attingit realiter actum Fortitudinis, attingit aliquid sub ratione ardui, quæ est ratio formalis Irascibilis; & si Charitas imperando Fidem, attingit realiter actum Fidei, attingit

tingit illum sub ratione veri; cùm actus Fidei sit actus Intellectus, cùm tamen Charitas sit in Voluntate, & sic ponendo virtutem imperantem in vna potentia, & imperatam in altera, si attingit realiter imperans actum imperatæ, dabitur confusio obiectorum formalium, si vna potentia extenditur ad obiectum formale alterius; quod est impossibile. Item probatur idem antecedens, quia etiam sequeretur, quòd potentia morè naturalis per principia naturalia eliceret aliquid supernaturale; quod non est admittendum. Sequella probatur, nam quando quis ex Charitate motus elicit actum misericordiæ naturalis (bene enim potest Charitas imperare misericordiæ naturali) tunc ille actus misericordiæ elicitur viribus naturæ & à misericordia naturali: ergo si esse imperatum à Charitate, quod est aliquid supernaturale, est quid intrinsecum in ipso actu misericordiæ, iam aliquid supernaturale elicitur à principio purè naturali; quia tota entitas illius actus, & quicquid intrinsecum reale est illius, elicitur à misericordia naturali.

4. Arg. Quartò argumentor. Dantur multa media in ordine ad finem supernaturalem, quæ non participent aliquid supernaturalitatis ipsius finis: ergo non eo ipso quòd actus ordinetur ad finem, habet intrinsecè aliquam bonitatem ipsius finis. Antecedēs probatur, nam prædestinatio est, finis ad quem comparātur vt media, paupertas, vel diuitiæ, nobilitas, vel ignobilitas, captiuari, vel mori, immò & pœnę damnatorum, media sunt ad manifestandam gloriam Beatorum; in omnibus autem istis mediis nihilominus supernaturale potest assignari, quod sit intrinsecum proueniens ex fine prædestinationis: ergo.

1. Sent. In hac re est prima sententia, quòd actū esse bonum vel malum ex fine, est solùm extrinseca denominatio in ipso actu ordinato ad finem, vel in imperato respectu imperantis. Ita Caietan. quæstio. 20. artic. 2. & 3. §. ad 3. dicitur & 2. 2. quæstio. 44. artic. 3. Conrad. infrà, quæstio. 20. arti. 3. Durand. in 3. distinct. 23. quæstio. 8. numer. 5. Suarez in Metaph. disput. 23. sect. 4. numero 17.

Cait. Conrad. Durad. Suarez.

2. Sent. Secunda sententia est, quòd respectu finis supernaturalis, actus imperatus & ordinatus ad talem finem, vt actus imperatus à Charitate, ordinatus ad finem Charitatis, habet bonitatem talis finis per aliquid intrinsecum ipsi actui imperato. Ita Caieta. 2, 2. quæstio. 2. artic. 2. & quæstio. 4. artic. 3. & quæstio. 23. artic. 8. hoc enim ait esse proprium Charitatis.

3. Sent. Tertia sententia docet, quòd actus ordinatus ad finem, siuè naturalem, siue supernaturalem, habet intrinsecam & realem bonitatem finis. Dicit tamen, quòd hæc bonitas finis in tali actu ordinato ad finem, est bonitas generica, non autem specifica. Ita Gregorius de Valentia infrà, quæstio. 20. puncto 1. & 2. *Valent.*

4. Sent. Quarta sententia est vniuersaliter asserens, quòd à quocunque fine, siue naturali, siue supernaturali, deriuatur bonitas vel malitia, quæ intrinsecè & realiter sit in ipso actu ordinato ad finem; & quòd talis bonitas nō solùm sit generica in tali actu, sed etiam specifica. Authores tamen huius sententiæ inter se sunt diuisi; aliqui enim dicunt, quòd illa bonitas communicata à fine ipsi actui tendenti ad talem finem, non est in tali actu secundùm perfectam speciem, sicut est in ipso fine vel virtute imperante, sed tantùm secundùm speciem imperfectam; sicut libertas quæ comunicatur à Voluntate appetitui sensitiuo, nō est in appetitu secundùm perfectam speciem, sicut est in Voluntate. Alij verò asserunt, quòd illa bonitas communicata actui imperato vel ordinato ad finē, est omnino eiusdem rationis & speciei cum illa quæ est in fine.

1. Concluſ. Prima conclusio. Actus imperati à Charitate, habent aliquam bonitatem intrinsecam & inhærentem ex tali imperio, quam non haberent, si ab illa non essent imperati. Et idem dicendum est de quocunq; actu imperato respectu imperantis. Prima pars conclusionis de Charitate, est Caiet. locis citatis in secunda sententia, & 2. 2. q. 124. artic. 3. §. ad primum horum, & Alberti in 3. dist. 27. artic. 3. immò D. Thom. in 3. ad Anibaldum, dist. 27. quæst. vnica art. 2. ad 3. & in 3. dist. 23. quæst. 3. art. 1. quæstiuncula 1. & dist. 27. quæst. 2. artic. 4. Ratioq; D. Tho. est manifesta, quia omne mouens reale necessariò debet imprimere aliquid reale in ipso moto: sed Charitas imperans mouet realiter: ergo imprimit aliquid reale in eo quod mouet. Maior patet, quia mouens reale est causa realis, & sic effectum realem debet inducere. Idque patet (ait AEgidius quodlib. 7. q. 23.) in Voluntate mouēte cęteras potentias ad exercitium; imprimit enim illis aliquid reali, quo passiuè sint motæ à Voluntate; nam

Caiet. Alb. Ma. D. Thom. AEgid.

Volũtas applicat & mouet per vsum actuũ, quiverè est actio realis productiua; vnde necessariò debet inducere effectũ realẽ in potẽtia mota & applicata; de quo supra q. 9. ar. 1. & q. 15. ar. 1. & q. 27. art 1. Idẽ ergo erit dicendũ de Charitate mouente aliquã aliã virtutem, & in Intellectu moto à Volũtate id est expressius; per hoc enim quod à Volũtate moueatur, est practicus, & causa rerũ, vt ostẽdit D. Tho. 1. p. q. 14. art. 8. quod nõ habet Intellectus speculatiuus: nõ autẽ potest dici quòd Intellectus sit practicus & causa rerũ per aliquid extrinsecũ; in eo ergo quod mouet, aliquod reale imprimitur à mouẽte. Secundò probatur cõclusio, nã Martyriũ habet aliquã intrinsecã perfectionẽ ex Charitate, quã nõ habent alij actus Fortitudinis nõ imperati à Charitate, vt docet Caiet. & D. Tho. 2. 2. q. 174. ar. 3. & etiã Fides viua, quod nõ habet mortua, vt patet 2. 2. q. 4. art 3. & 4. Et etiam reperitur distinctio perfectionis realis inter hos actus, credere Deo, vel Deũ, vel credere in Deũ; vt dicitur 2. 2. q. 2. art. 2. nã primi actus reperiũtur in peccatoribus, secũdi autẽ solum in iustis, & non dicẽdum est, illos actus peccatoris esse æqualis perfectionis cũ actibus iusti: ergo ex Charitate imperante tales actus iustorum, verè habent illi actus aliquã perfectionẽ intrinsecã. Tertiò probatur conclusio. Id quo aliquid operatur, est forma intrinseca eius, vt supponitur secundo de anima, vbi ex eo Arist. probat, animã esse actũ intrinsecum corporis, quia anima est quo corpus operatur: sed Charitas est quo Fides operatur, vt patet ad Galat. 5. vbi dicitur, Fides quę per Charitatẽ operatur: ergo est aliquid intrinsecum Charitas ipsi Fidei, non loquẽdo de habitu Charitatis, vel actu proprio elicito illius existente in Volũtate; loquendo tamẽ de perfectione Charitatis causata ab illa in ipso actu Fidei elicito ab Intellectu; illa enim perfectio intrinseca Fidei prouenies à Charitate imperante, est per quam, vt per formã intrinsecã, Fides viua operatur. Nec potest respõderi, quòd locus Pauli debeat intelligi, quòd Fides operatur per Charitatem, tanquàm per instrumentum, non autẽ tanquã per formã intrinsecam: Hoc enim est contra D. Tho. 2. 2. q. 23. ar. 6. ad 2. & q. 14. de veritate, art. 5. ad. 9. Et ratio est manifesta, quia instrumentum in eo quòd instrumentũ, est inferius & minus principale, quàm id à quo sumitur vt instrumentũ; Charitas autẽ neutiquã potest

Arist.

Ad Gal. 5.

Obiectio.

Solut.

D. Thom.

dici in ordine ad operationem meritoriam minus principalis quàm Fides; asserit enim Paulus enumerans Fidẽ, Spem & Charitatẽ, quod maior horũ est Charitas: ergo locus citatus, quod Fides per Charitatẽ operatur, non potest intelligi de instrumento: ergo de causa formali. Quarto probatur, nam peccatũ mortale eo ipso quod opponitur actui alicuius virtutis, opponitur etiam intrinsecè Charitati. ergo inquolibet actu virtutis est ordo intrinsecus ad Charitatem. Patet consequentia, nam aliàs peccatum oppositum tali actui virtutis, nõ eo ipso opponeretur intrinsecè Charitati. Ratio est D. Tho. in 3. ad Anib. vbi supra. Quintò probatur. Actus virtutis factus ex imperio Charitatis, est meritorius, non autem secluso tali imperio, vt supponitur ex materia meriti; vt patet ex illo Pauli, Si habuero, &c. Charitatem autem non habeã, nihil sum: ergo talis actus ex imperio Charitatis habet aliquid reale intrinsecũ, quod anteà non haberet sine tali imperio. Patet consequentia, quia esse actum meritorũ, non est per aliquid extrinsecum actui, sed per valorem intrinsecum, ratione cuius habet condignitatem ad præmium, & ei debetur præmium de iustitia. Secunda pars conclusionis probatur, quia in physicis id apparet, quòd in vniuersum omnis potentia inferior ex coniunctione ad superiorẽ, & ex motione illius participat aliquam intrinsecam perfectionem ipsius superioris; vt patet in cogitatiua hominis, quæ ex cõiunctione ad Intellectum participat aliqualem discursum circa singularia & sensibilia: & etiam vt docet Caiet. supra q. 10. art. 3. circa solutionem ad 3. & 1. p. q. 111. art. 2. bonum apprehensum per sensum in homine ex coniunctione ad appetitum rationalem, habet virtutem intrinsecam admouendam Voluntatem, quam alias non haberet; & infrà q. 74. art. 4. dicetur, qualiter appetitus sensitiuus ex cõiunctione ad Voluntatẽ participat aliqualem intrinsecam libertatem: ergo idem dicendum erit de actibus imperatis respectu imperantis; eodem enim modo cõparatur potẽtia vel virtus imperata ad imperantem, sicut potentia inferior ad superiorem. Secundò probatur discurrendo per actus virtutum; Virginitas enim ex voto habet specialem perfectionem Religionis, quam non haberet, si à Religione non imperaretur; melior enim est Virginitas ex voto, quàm non ex illo, & specialẽ laureolam mereretur, quàm

sine

sine voto mereatur: de quo 2.2.quæs.152. artic.3. Similiter audacia, ex eo quòd imperetur à Spe, aliquam perfectionem habet, quam non haberet secundùm se; nam secundùm se audacia respicit mala ardua; vt autem imperatur à Spe, respicit etiam bonum arduum, quod est obiectum ipsius Spei; audacia enim à Spe imperata respicit victoriam, quæ erat bonum arduum, & obiectum Spei; de quo Caiet. 1.p.quæs. 45.art.1. ergo in vniuersum actus imperatus aliquam perfectionem intrinsecam participat ipsius imperantis.

2. Conclu. Secunda conclusio. In vniuersum omnis actus relatus & ordinatus ad finem, etiam extrinsecum ipsius operis, habet bonitatem intrinsecam participatam à fine in quem tendit. Probatur primò conclusio. Concursus finis, est concursus causæ realis: ergo eo ipso quòd aliquis actus sit ad finem, est effectus ipsius finis, & consequẽter habet aliquid causatum & productum ab ipso fine. Explicatur hęc ratio. Idem effectus qui est à causa efficiente, est etiam à finali, nec minus dependet à finali, quàm ab efficiente, licèt in diuerso genere causæ, vtroque tamen reali: ergo sicut est impossibile aliquid produci à causa efficiente, & non habere aliquid reale ab illa, ita erit impossibile esse effectum causæ finalis, & non habere aliquid reale finaliter participatum à tali fine; alàs enim qualiter erit finis causa realis? Secundò probatur, quia alàs daretur actus humanus, qui totaliter esset intrinsecè malus: consequens est falsum: ergo. Sequella probatur, quia si non est totaliter malus, ex eo est, quia ad minus habet bonitatem vltimi finis: si ergo ex fine non communicatur aliqua intrinseca bonitas secundùm omnia intrinseca actus manebit malus. Nec valet, dicere, quòd à fine vltimo talis bonitas intrinseca cõmunicetur, non autem ab alijs finibus intermedijs; non (inquam) valet, quia sicut ex parte efficientis eadem est ratio primæ & secundæ causæ, quantum ad hoc quòd necessariò producunt aliquid reale in effectum, ita ex parte finium quantum ad hoc eadem erit ratio vltimi & intermedij finis, quòd si vnus sua causalitate finali producit aliquid reale intrinsecum in effectum qui ordinatur ad illum, ita similiter ab alio fine, vel à neutro nihil communicabitur. Tertiò probatur, nam per actum ordinatum ad meliorem finem fit operans melior; sicut & per ordinatum ad peiorem finem, fit peior, vt docet D.Thom.2.2.quæstion.88.artic.6.& opus.27.artic.12. quia per huiusmodi actum magis meretur vel demeretur: ergo ex fine habet actus bonitatem vel malitiam intrinsecam, nam per extrinseca nec operans esset melior, nec opus magis meritorium. Cõfirmatur, nam opus virtutis factum in satisfactionem peccati, est intrinsecè satisfactorium, quia per illud fit æqualitas quam intendit pœnitentia ad iniuriam illatam per peccatum: ergo ex fine pœnitentiæ habet actus ille aliquã bonitatem intrinsecam.

Obiectio. *Solutio.*

Corollar. Ex dictis in hac conclusione sequitur, non solùm actus imperatos aliarum potentiarum habere bonitatem intrinsecam ex fine ad quem ordinantur, sed etiam actus elicitos à Voluntate: quia quando quis vult ieiunare ad dandam eleemosynam, vel intendit vtrumque eodem actu, vel diuersis: Si eodem, iam ille actus formaliter terminatur ad finem, & respicit illum vt obiectum: habebit ergo bonitatem à fine, sicut quilibet actus habet ab obiecto; vnde ille actus licèt sit vnus vnitate subiecti, habet tamen multiplicẽ bonitatem, & ieiunij & eleemosynæ; sicut & quãdo vult eodẽ actu furari propter mœchiã, ille actus habet vnitatem subiecti, & nihilominus duplicẽ malitiã, & furti, & mœchię, & vtramque tenetur explicare in cõfessione. Si autẽ hoc velit duplici actu, altero terminato ad ieiuniũ, altero verò terminato ad eleemosynã, ita vt primus imperetur à secundo, omnes rationes prædictæ conclusionis probant, quòd ille actus elicitus Voluntatis imperatus à volitione eleemosynæ, debet habere aliquã intrinsecã bonitatem ex ordinatione ad finem eleemosynæ, quã respicit secundus actus.

3. Conclu. Tertia cõclusio. Actus humanus nõ solũ habet intrinsecã bonitatẽ vel malitiã ex fine principali & primario, sed etiam à fine minùs principali & secundario. Probatur, quia actus ex fine principali bonus, multoties redditur malus ex fine minùs principali: ergo etiã ex minùs principali redundat bonitas vel malitia ad actũ. Antecedens patet in Canonico eũte ad chorũ propter cultum Dei vt propter finem primarium; si tamen velit ire propter auaritiam venialem vt propter finem secundarium. Secundò probatur, quia etiam finis secũdarius mouet & applicat potentiam ad operãdũ: ergo imprimit aliquid actus bonitatis vel malitię; nam hac ratione diximus, deriuari ex

fine

fine principali, estque manifesta cõclusio in operibus Christi Domini; & in passione illius, quæ principaliter erat ad gloriam Dei; & nihilominus habebat bonitatẽ iustitiæ & pietatis, quia ordinabatur ad satisfaciẽdum pro peccatis hominum, licet minus principaliter. Item patet in operibus nostris factis ex Charitate principaliter, secundariò tamen factis ex voto vel obediẽtia, vel pœnitentia; præter bonitatem enim Charitatis habent bonitatem Religionis, vel obediẽtiæ; vnde & sunt impletiua voti & obedientiæ, cùm tamen finis Charitatis sit finis principalis, finis autem obedientiæ vel voti minus principalis, vt dicit D. Thom. quodlibeto 5. artic. 19. Vnde quando quis facit opus propter duos fines malos, alterum magis principalem, alterum verò minus principalem, vtrumque tenetur explicare in confessione.

4. Concl. Quarta conclusio. Bonitas intrinseca, quam habet actus ex fine ad quem ordinatur, non solùm est generica, sed etiam specifica. Probatur, quia ratio generica & specifica sunt idem realiter: ergo non potest *Aristot.* produci vna sine altera; & sic ait Arist. 7. Metaph. nihil posse esse in genere, quin sit etiam in determinata specie. Secundò probatur. Causa efficiens nequit producere aliquid in genere, non producendo in determinata specie & indiuiduo, cùm agens producat effectum secundùm existentiã priùs respicientem indiuiduum & speciẽ, quàm genus, vt ait Arist. 2. Topic. cap. 10. & D. Thom. 1. part. quæst. 7. art. 3. ad 1. & in 2. distinct. 40. q. 1. art. 5. ad 4. & quęst. 4. de potentia, art. 1. ergo & finis nequit communicare bonitatem genericam non determinatam ad aliquam determinatam speciem & indiuiduum. Patet consequentia, quia agens agit propter finem, & finis correspondet agenti: ergo si non est actio agẽtis non terminata ad speciẽ & indiuiduũ, neque etiam finalis ratio, per hoc enim finis amplectitur effectum, finalizãdo illum, quia agens producit effectum ordinando *Nota.* illum ad talem finem. Notandum tamen, quòd negamus, rationes vniuersales & genericas posse attribui vni; rationem verò specificã vel indiuidualem alteri; vt quòd homo quatenus ens dicitur, producatur à prima causa; vt viuens, ab Angelo, vt corpus, à cœlo; vt rationalis, ab homine: negamus tamen ita esse posse, quòd ratio generica sit effectus vnius, à quo etiam non sit effectus ratio specifica; licèt enim secundũm diuersam rationem diuersis attribuatur & accommodetur, in re tamen a quo producitur vna ratio, producitur totus effectus; totus enim homo producitur ab homine & à prima causa, & sic dicendum est de finibus.

Quinta conclusio. Bonitas intrinseca, *5. Concl.* quam diximus communicari à fine actui ordinato ad ipsum finem, non est eadẽ bonitas, atque illa quę est in ipso fine, neque numericè, nec modaliter. Hęc est D. Tho. *D. Thom.* 1. p. q. 20. art. 3. ad 3. vbi expresse ait, bonitatem intentionis finis numero esse distinctam à bonitate actus imperati à tali intentione finis. Quòd etiam modaliter non sit eadem, docet in 3. dist. 27. q. 2. artic. 4. quæstiuncula 3. ad 1. & 5. quia bonitas imperantis communicatur imperatis secũdum modum & capacitatem & naturam imperatorum; & cùm modus vel capacitas imperati, vtique vt inferioris, sit diuersus, etiã modaliter bonitas est diuersa. Idem etiam insinuat 2. 2. q. 23. art. 8. ad 1. dicens, Charitatem imperantem non esse formam exemplarem vitutum quas imperat, sed formã effectiuam: si autem bonitas vtriusque esset eiusdẽ rationis & modi, bonitas imperãtis esset exemplaris. Idem docet in 3. dist. 27. q. 2. art. 4. quæstiuncula 3. ad 1. de Prudentia respectu cæterarum virtutum quas dirigit. Item 2. 2. q. 152. art. 5. docet, quòd Virginitas etiam ex voto est imperfectior Religione, licèt ex voto ordinetur ad Religionem; quia ea quæ sunt ad finem, minùs perfecta sunt quàm finis. Item 2. 2. materia de statibus, docet, non omnes Religiones esse æquales, licèt omnes ordinentur ad finem Charitatis, quia hoc est per diuersa media diuersimodè participantia bonitatem talis finis; quod non esset verum, si bonitas participata, esset eadẽ cũ bonitate finis; hæc enim cùm sit vna, etiã in medijs esset vna, & nõ inæqualis, si bonitas finis & medij esset eadẽ, & eadẽ ratio curreret de omnibus operibus bonis ordinatis ad finẽ Charitatis, essent enim æqualia & æqualis meriti; quod est falsum. Quòd autẽ omnino debeat esse numericè distincta talis bonitas, hac vnica ratione patet, nã talis bonitas est in eodẽ actu quẽ sic facit bonũ, & cũ actus ordinatus ad finẽ, sit distinctus numero, & in diuersa potẽtia multoties ab ea in qua est intentio finis, cõsequẽter & ipsa bonitas numericè & entitatiuè debet esse distincta, tãquãin distincta potẽtia collocata.

Sexta conclusio. Illa bonitas intrinseca *6. Concl.* par-

participata in actu ordinato ad finem, est eiusdem rationis in omnibus imperatis ab eadem virtute, vel ordinatis ad eundem finem, pertinetque reductiuè ad eandē speciem, ad quam pertinet bonitas imperantis, vel finis ad quam ordinantur. Prima pars est D. Thom. infrà art. 6. ad 3. & in 3. dist. 23. q. 3. ar. 1. ad 2. ratioq; est manifesta, nam omnis habitudo & tendentia sumit speciem & rationē à termino & modo tendendi ad illũ: cum ergo omnis virtus imperata eodem modo imperetur ab vna & eadem virtute imperante, & omnis actus ordinatus ad finem, eodē modo ordinetur ad eundem finem, bonitas proueniens illis ex tali imperio vel habitudine ad finem, erit in omnibus eiusdē rationis. Item hoc asserit, quòd sit eiusdem speciei talis bonitas in omnibus illis, D. Tho. supra q. 13. ar. 1. & 22. q. 85. art. 3. & q. 147. art. 2. ad 2. vbi ait, quòd actus de se non malus, ordinatus ad malũ finem, est peccatum per malitiam talis finis. Videatur etiā Caiet. q. 124. ar. 2. cõtra Martinum de Magistris, vbi ostendit, actum virtutis vel vitij trahi ad speciem virtutis vel vitij, cuius fine imperatur. Item patet in Martyrio, quod absolutè appellatur actus Charitatis, iuxta illud, Maiorē Charitatem nemo habet, &c. quod non esset verum, si per bonitatem quā à Charitate participat, ad speciem Charitatis non transferretur. Item patet, quia Arist. 5. Ethicorum, c. 5. docet, quod qui furatur propter mœchiā, magis est mœchus: ergo sentit, quòd ex imperio mœchiæ ille actus habet speciem mœchiæ. Item probatur, quia intentio vel imperans habet se vt formale respectu electionis vel imperati, vt habetur suprà q. 13. art. 1. & q. 17. art. 4. & 3. p. quæst. 19. art. 2. ergo actus imperatus vel ordinatus ad finem, habet speciem imperantis vel finis; quia materia reducitur ad speciē formæ qua informatur. Quòd verò reductiuè pertineant ad speciem finis, & non perfectè, ostendit Caiet. 2. 2. q. 85. art. 2. ex differentia quam ponit D. Tho. ibi inter actus habentes bonitatem alicuius alterius virtutis à Religione, & inter nõ habentes, quòd actus nullam habentes bonitatem alterius virtutis, si ordinentur à Religione ad diuinam reuerentiam, sunt propriè sacrificia; quia tunc aduenit species Religionis illis tanquā materiæ primæ informi & indeterminatæ, actus autem habentes bonitatem alterius virtutis, si ordinentur ad Dei reuerentiam, sunt sacrificia participatiuè; & cõsequenter sentit D. Tho. reductiuè tantùm pertinere ad speciem Religionis; quia species Religionis aduenit illis actibus formatis, & in alia specie bonitatis constitutis.

D. Thom.

Septima conclusio. Illa bonitas intrinseca actus imperati vel ordinati ad finem, licèt sit eiusdem rationis cum bonitate finis vel imperantis; non tamen elicitur effectiuè ab imperante, sed à virtute vel potentia inferiori imperata, vel à quo producitur actus in quo residet talis bonitas participata. Hæc est D. Tho. in 3. dist. 25. q. 1. art. 3. & dist. 27. q. 2. art. 4. quæstiũcula 3. & Caie. 2. 2. q. 124. art. 3. §. ad 1. horum, vbi ostenditur, habitum vel potentiam inferiorē ex coniunctione vel imperio superioris habere vim ad eliciendum aliquid proprij actus pertingens ad obiectum superioris habitus vel potentiæ: & ratione probatur manifestè, nam actus vitalis, & omnis modus intrinsecus illius, recipitur in eadē potentia à qua elicitur; sed ille actus imperatus, & consequenter modus eius intrinsecus, recipitur in inferiori imperata: ergo elicitur ab illa.

7. Conclus. *D. Thom.* *Caiet.*

Ad primum argumentum à principio respondetur, quòd D. Thom. loquitur de bonitate perfecta, quę est in ipso fine, vel in imperante; illa enim extrinsecè conuenit imperato & actui ordinato ad finem; non autem negat, etiam in imperato & ordinato ad finem, esse bonitatem eiusdem rationis intrinsecam, licèt imperfectam: sicut omnes dicimur peccatores extrinsecè à peccato Adam, non tamen tolletur quòd in omnibus sit etiam intrinsecũ peccatum originale participatũ à peccato Adam: & actus appetitus sensitiui dicũtur liberi extrinsecè à libertate Volũtatis; nõ tamē tollitur, quòd in eis sit intrinseca libertas imperfecta & participata: & similiter creaturę dicũtur bonę extrinsecè à bonitate Dei; nihilominus in eis est bonitas intrinseca, licèt imperfecta, & à bonitate Dei participata, vt dicit D. Tho. 1. p. q. 6. art. 4. Similiter in alio loco tantùm intendit D. Thom. ostendere radicē intrinsecā à qua proueniat bonitas vel malitia actui imperato; non autem quòd talis bonitas vel malitia non sit intrinseca actui imperato; sicut solet dici de sex vltimis prædicamentis, quòd ratio eorum importat aliquid extrinsecum, vtique vt radicem à qua desumitur; non autem quòd in illo consistat, sed in aliquo intrinseco, desumpto tamen vt à radice, ab aliquo extrinseco. Ad confirmationem

Ad 1. arg. *Ad conf.*

nem respondetur eodem modo,rationem furti vel mœchiæ perfectam solùm conuenire actui interiori extrinsecè; nihilominus in actu interiori intrinsecè reperitur malitia furti & mœchiæ,licèt imperfecta & extrinsecè desumpta, vt à radice & obiecto,ab actu exteriori:Si autem diuerso præcepto prohibetur actus interior volitionis furti & mœchiæ, non est quia interior non habeat malitiam eiusdem speciei cum exteriori, & consequenter actus interior non sit prohibitus eodem præcepto, quo prohibetur furtum vel adulterium; sed ponitur diuersum præceptum propter rudes, & ad maiorem explicationem, ne aliquis ignoranter existimaret(vt aliquiprauè existimarunt)concupiscere vxorem alienã, non esse peccatum,si ad illam non accederet; contra quos ait Christus Dominus: Amen dico vobis, quòd qui videt mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus,&c.

Ad 2.arg. Ad secundum, negatur minor. Ad secundam probationem respondetur, vtrũque intendere actum Charitatis,&bonum diuinum,& proprium, licèt primum primariò,& secundum secũdariò; atque adeò simul est actus amicitiæ & concupiscentiæ,licèt hoc secundariò. Nec tamen contradicit primo,quia hoc ipsum, quòd vult proprium bonum & esse beatum, ordinat in Dei gloriam, & in finem amicitiæ. Ad secundam probationem, patet ex dictis, qualiter illa bonitas intrinseca sit modus accidentalis actus præsuppositi. Ad replicam respondetur, quòd Voluntas dupliciter potest tendere in finem. Primò immediatè,vt tendit per intentionem.Secundò mediatè,vt tendit per electionem: electio enim immediatè tendit ad propriũ obiectum, mediatè verò ad finem ad quem ordinatur illud obiectum: absolutè ergo loquendo de Voluntate, priùs tendit in finem,quàm in illud proximum obiectũ; quia priùs habet intentionem, quàm electionem: loquendo tamen de Voluntate, prout tendit ad finem per actum electionis,priùs tendit ad obiectum, quàm ad finẽ extrinsecũ, quia in ordine ad illũ actum electionis obiectum cõparatur substantialiter,finis verò accidentaliter & vt circunstantia;substãtia autẽ prior est accidenti. Et exemplũ ex Conrad.infrà,q.57.Intellectus dupliciter potest tẽdere in prima principia.Primò immediatè peractũ qui appellatur Intellectus.Secũdò mediatè,per actũ scientis:actus enim scientificus immediatè terminatur ad conclusionẽ, mediatè autẽ ad principium: Intellectus ergo absolutè priùs tendit in principiũ,quã in conclusionẽ; quia prior est actus Intellectus, quàm actus scientiæ; & primũ est causa secundi. Qua ratione ait Arist. in principio Poster. quòd actus scientię fit ex præexistẽte cognitione;tamẽ Intellectus tẽdens ad principiũ,per actũ scientiæ mediatè & per posterius tendit ad principiũ,immediatius autẽ ad conclusionẽ. Per hoc patet ad tertiam probationẽ,nam actus generat habitũ simile sibi ex parte obiecti,& illius in quo tẽdit immediatè,quia hæc est cõsideratio illius essentialis; nõ autẽ generat similes sibi ex parte illius quod respecit mediatè, quia hoc est illi accidentale:generatio autẽ terminatur ad similẽ in substãtia, non autẽ in accidentibus; Grãmaticus enim generans generat hominẽ,sed non Grãmaticũ;cùm autẽ obiectũ actus semper sit vnum & idẽ, quomodocũque variẽtur finis,quantũcũque actus repetatur,tantũ generat vnicum habitum in ordine ad proprium obiectũ, non autem in ordine ad finem.

Ad tertiũ respondetur ex dictis in vltima cõclusione, quòd illa bonitas efficiẽter elicitur à virtute inferiori & imperata, à qua producitur actus in quo residet talis bonitas, & ibi est explicatũ, qualiter inferior potẽtia vel habitus possit pertingere ad obiectũ alterius superioris ex cõiũctione illius;vnde nõ datur cõfusio obiectorũ formaliũ;seruatur enim distinctio inter illa,per hoc quòd quælibet secundũ se attingit vnũ,& non potest attingere aliud: non autẽ inconuenit,quòd quælibet ex cõiunctione ad alterã,pertingat ad obiectũ alterius,vt ostẽdit Caiet.2.2.q.47.ar.5. & hac ratione Deus etiã pertinẽs ad obiectũ Intellectus, potest attingi ab imaginatiua, & in se formare aliquã Dei similitudinem ex coniũctione ad Intellectũ, vt ostendit D. Tho.1.p.q.12.ar.3.ad.3.&2.2.q.174.n.3. Et eadẽ ratione in parte sensitiua potest esse timor & amor Dei, vt ostendit Medina q.3.art.3.dub.1.cõcl.4. Similiter hac ratione Palud.in 4.d.14.q.3.nu.11.ponit in appetitu sensitiuo quendam habitũ acquisitum pœnitentiæ, potentem elicere dolorem de peccato propter Deum. Per quod patet ad omnes probationes & cõfirmationẽ. Ad vltimã autẽ respõdetur, q̃ille mod⁹ supernaturalis elicitur à misericordia imperata,nec propter hoc elicitur âprincipio

Ad 3.arg.

purè

purè naturali; quia non concurrit miseridia naturalis præcisa & secundum se, sed vt imperata à Charitate, & vt adiuta auxilijs supernaturalibus; & sic formaliter principium eliciens est supernaturale.

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur, quòd media prædestinationis sunt in duplici differentia: quædam eiusdem ordinis, & ex natura rei ordinata ad finē prędestinationis; vt bona opera, & perseuerantia in gratia, &c. alia verò sunt diuersi ordinis, & quę ex sua natura non ordinantur ad finem, & talia sunt cōmunia prædestinatis & reprobis; vt nasci ex nobilibus parentibus, esse diuitem vel pauperem, & quòd infidelis capti uetur à Fideli, &c. Priora media habent aliquid supernaturale intrinsecum ex fine ad quem ex sua natura ordinantur; posteriora verò minimè, quia solùm ordinatur ad talem finem extrinsecè ex speciali Dei prouidentia; & talia sunt posita in argumēto. Vel clariùs dicetur, quòd media priora sūt à principio intrinseco nostræ Voluntatis directa per Charitatem ad finem prædestinationis; vnde participant aliquid intrinsecum illius finis supernaturalis, ex directione Voluntatis ad illum: posteriora verò non sunt à Voluntate directa in talem finem, sed fiunt ab extrinseca prouidentia Dei; vnde à tali fine nihil bonitatis moralis recipiunt: solum enim est capax bonitatis moralis, quod à bonitate & directione illi⁹ procedit: quapropter natiuitas Beatæ Virginis ex Dei prouidentia ordinata ad redemptionem humanam, non habet supernaturalitatem talis finis, bene autem consensus quē præbuit Angelo, quia ex sua voluntate est directus ad talem finem, vnde ex illo participat bonitatem moralem.

Corolar. Ex dictis sequitur, quòd licèt ex Charitate (v.g.) imperante cōmunicetur omnibus imperatis aliqua bonitas intrinsece residens in illis, & consequenter distincta à bonitate ipsius Charitatis, & inter se ipsas quę libet ab alia: non tamen dicendum est, esse plures Charitates, quia, vt diximus, illæ bonitates participatæ, sunt eiusdē rationis, & reducuntur ad speciē ipsius Charitatis, vnde non ponunt in numero cū illa. Secūdò sequitur, illā bonitatem participatā ab imperante, vel à fine, non esse tantùm aliquid morale in imperato, vel in actu ordinato ad finem, sed etiam esse aliquid physicum & reale existens in illo per verā & realē inhærētiā. Itaq, asserimus, esse aliquid morale, si quidē per talē bonitatē participatā actus sit melior vel peior, magis meritorius vel demeritorius. Superaddimus autē, nō solū esse quid morale, sed etiā esse quid physicū, in quo distinguitur â directione mēbrorū exteriorū; actus enim illorum sunt incapaces vt recipiant bonitatem intrinsecam & realem ex directione Rationis, sed tantùm participant illam moraliter, quatenus ex directione extrinseca Rationis tales actus membrorum imputantur ad meritum vel demeritū: actus verò interiorum potentiarum imperati vel directi à superiori, etiam physicè & intrinsecè participant bonitatem vel malitiam imperantis; quia actus imperatus malus ex malo fine, physicè destruit Charitatem; vt de omni peccato habetur 2. 2. quæstion. 24. articul. 10. non autem hoc esset verum, si malitiam imperantis non participaret physicè, quia per talem participationem mali finis destruit Charitatem: si ergo physicè destruit, participatio mali finis, per quam destruit, physica est; qua propter per talem actum malum Voluntas physicè manet inclinata ad creaturam, cùm anteà physice esset inclinata ad Deum vt vltimum finem, & consequenter vt talis inclinatio ad creaturam, causata ex illo peccato, auferatur, requiritur physica & realis transmutatio per iustificationem ad statum gratiæ.

DVBIVM IIII.

Vtrùm verum sit quod ait D. Thomas, fieri posse, vt aliqua actio bona ex obiecto & circunstantijs, ordinetur in malum finē, & ex illo sit mala.

PRo parte negatiua argumētor primò. *1. Arg.* Finis est circunstantia: ergo malè supponit D. Thomas, actum posse esse bonum ex circunstantijs, & malum ex fine; quia si ex fine malus, etiam ex circunstātijs malus; quia finis est circūstantia.

Secundò argumentor, nam si aliqua actio ex obiecto & circunstantijs esset bona, & mala ex fine; vt subueuire parenti propter vanā gloriam, talis actio absolutè & ex maiori parte dicēda esset bona actio, cùm habeat bonitatem essentialem obiecti, & accidentalem circunstantiarum, & solùm secundum quid esset mala: consequens est falsum, quia tunc sequeretur, quòd per tales actus repetitos generarentur *2. Arg.*

rentur habitus boni, aut mali, quia plus posset actus secundum id quod habet ex, maloti parte.

3. *Arg.* Tertio arguimentor, nam bonum & malum morale diuidunt actionem humanã, vt suprà diximus: ergo impossibile est quòd eadem actio simul sit bona ex obiecto & circunstantijs, & mala ex fine.

1. *Modus. Vazquez. Valencia.* In hac re est multiplex modus dicendi. Primus est Vazquez & Valẽtię hic, quòd finis sumitur dupliciter. Primò vt circunstantia & accidens actus. Secũdò, vt id cuius gratia fit actus, & vt obiectum formale quo, actuum qui versantur circa media. In præsenti ergo loquitur D. Thom. de fine secundo modo, cuius bonitas vel malitia distincta est à circunstantijs; non autem primo modo, qualiter inter circunstantias numeratur. Sed hic modus dicendi falsus est, & contra D. Thom. suprà quæst. 7. art. 4. ad 2. vbi assignat vt circunstantiam, finem, vt causa est actus, quod idẽ est quod finis, vt gratia illius aliquid sit. Et Caiet. infrà, quæst. 20. art. 2. ad 3. dub. ostendit, qualiter actus non potest habere malitiam circunstantialem finis, nisi quatenus talis actus sit gratia talis finis; vnde coincidit finis, vt cuius gratia fit actus, & vt circunstantia actus. Vide D. Thom. suprà, quæst. 7. art. 3. ad 3. docet, quòd liberatio patriæ in agente fortiter propter liberationem patriæ, est circunstantia; cùm tamen liberatio patriæ in illo sit cuius gratia fortiter agit & pugnat.

2. *Modus. Vazquez. Caiet.* Secundus modus dicendi est ipsius Vazquez & Caiet. hic, quòd bonitas finis licèt sit circunstantia actus exterioris, est tamen specificatiuum formale actus interioris, & ideò respectu illius bonitas ex fine distinguitur à bonitate circunstantiarum. Sed etiam iste modus est falsus, quia D. Thomas in omni actu, tam interiori, quàm exteriori, distinguit bonitatem finis à bonitate obiecti & circunstantiarum. Isti autem in sua sententia licèt respectu actus interioris separent bonitatem finis à bonitate circunstantiarum; inuoluunt tamen illam, & reducunt ad bonitatem obiecti, & non seruant distinctionem bonitatis finis & obiecti, vt seruent distinctionem bonitatis finis & circunstantiarum.

3. *Modus.* Tertius modus est, quòd D. Thom. loquatur de fine vltimo; talis enim tribuit speciale bonitatem vel malitiam distinctam à circunstantijs; quia cuilibet actui per se & non accidentaliter conuenit respicere talem finem. Sed hic etiam modus non satisfacit, quia D. Thom. hic vniuersaliter agit de fine, & non in particulari de vltimo.

4. *Modus. Caiet.* Quartus modus est etiam Caiet. quòd finis aliquando est pura circunstantia, aliquando verò mutat speciem actus, & transit in rationem obiecti: Diuus ergo Thomas loquitur de fine hoc secundo modo, non primo. Sed nec hoc quidem satisfacit, quia finis mutans speciem, habet rationem obiecti: Diuus autem Thomas loquitur de bonitate finis prout distinguitur ab obiecto.

5. *Modus. Caiet.* Quintus modus est etiam Caiet. hic, quòd finis potest esse multiplex, mediatus & immediatus, etiam respectu eiusdem actionis; potestque actio esse bona ex obiecto & circunstantijs, & ex vno illorum finium comprehensos sub circunstantijs, mala verò ex altero fine. Sed hanc explicationem etiam reijcit ipse Caietans.

Vera solut. Caiet. Conrad. Vera ergo solutio est, quam vltimò tradit Caiet. & Conrad. hic, quòd licèt finis sit circunstantia; tamen, vt diximus dubio primo, est specialissima inter omnes circunstantias; vnde specialiter agitur de fine seorsum à reliquis circunstantijs; & sic est ac si diceret Diuus Thomas, Actio potest esse bona ex obiecto & ex alijs circunstantijs, & mala ex circunstantia finis.

Lorca. Notandum tamen contra Lorcam hic disputati. 28. quòd quando dicitur, quòd actio potest esse mala ex fine, & bona ex obiecto & circunstantijs, ly Bona, non sumitur positiuè, quia bonum & malum cõtrariantur, & simul in eodem esse nõ possunt; qua propter illa actio omnino est mala, quia malũ ex quocũq; defectu, malitiaq; finis refunditur in tendentiam ad obiectũ, & sic actio etiã in ordine ad obiectũ nõ est positiuè bona: dicitur ergo bona ex parte obiecti & circunstantiarum negatiuè, quia malitia non prouenit ex obiecto & circũstantijs secundùm se, sed à fine vel ab obiecto, vt ad finẽ. Sicut è contrasi medium est malũ, etiã si finis sit bonꝰ, actio est mala absolute, quia malitia medij refunditur in finẽ. Dicitur etiam actio bona ex fine negatiuè, quia malitia non sumitur ex illo fine secũdũ se, sed ex medio refuso in finẽ, vel ex fine vt cõsequibili per tale mediũ. Hoc notauerim propter aliquos prauè asserentes, qꝰ si finis est bonus, etiã si mediũ sit malum, actio est bona, iuxta illud; Si oculus tuus fuerit simplex; hoc est, intẽtio; totũ corpus tuũ lucidũ erit, ideſt, omnis actio in talem finem

finem tendens : contra quos disputat Magister sententiarum in 2. dist. 40. cap. 3 Qualiter autem possit eligi malum medium ad bonum finem, vel bonum medium ad malum finem, diximus suprà, quod aliud est loqui de naturis rerum; aliud autem ex de prauatione Voluntatis. Ex natura rei, non potest malum ordinari ad bonum; bene tamen ex de prauatione Voluntatis sicut (verbi gratia) ex natura rei non potest ex vero principio deduci falsa conclusio; bene tamen paralogizante Intellectu, & deficiente in discursu: sic ergo in Voluntate; quia sicut se habet principium in speculabilibus, ita se habet finis in practicis. Et si quæras, vtrùm quando quis facit actum bonum ex obiecto, malum autem ex fine, adimpleatur præceptum impositum de tali operatione: Respōdetur affirmatiuè, quia præceptum datur de substantia actus secundùm bonitatem naturalem quam habet ex obiecto, vt est temperatè comedere; quod vtique saluatur, etiamsi apponatur malus finis: secus est si ipsa bonitas moralis requirens etiam integritatem finis, pertineat ad substantiam præcepti; vt fortè contingit in materia Sacramentorum, vbi præceptum Eucharistiæ vel confessionis non impletur, si talis susceptio Sacramenti sit sacrilega & peccatum, quia & religiosè suscipere, pertinet ad substantiam præcepti; de quo non pertinet agere in præsenti. Et si rursus quæras, vtrùm ad bonitatem actus requiratur quòd apponatur omnis circunstantia bona: Respondetur, hoc requiri negatiuè; id est, quòd nulla apponatur mala, non autem positiuè, quasi omnis possibilis bona debeat apponi; sed solùm quæ moraliter occurrunt. Et si rursus quæras, vtrùm inter apponendas positiuè requiratur bona circunstantia vltimi finis: Respondetur, quòd vt actio sit bona Theologicè requiritur positiuè circunstātia vltimi finis Theologici, qui est finis Charitatis: vt autē actio sit bona moraliter, physicè nō requiritur; sufficit enim, quòd nec formaliter nec virtualiter referatur eleemosyna ab idololatra in idolū, vt talis sit actio bona moraliter; quia ex propria natura illud opus tēdit in bonū finē vltimū, vt suprà diximus. Per hoc patet ad argumenta posita.

Obiectio.

Solutio.

Obiectio.

Solutio.

Ad 1. arg. Ad primū resp quòd licèt finis sit circunstantia, tamē vt præcipua ponitur bonitas eius seorsum à bonitate aliarum circunstantiarum.

Ad 2. arg. Ad secundum resp. quòd illa actio non est ex maiori parte bona positiuè, sed negatiuè; vnde per talem actionē nō potest generari habitus virtutis & bonus; ad hoc enim requirebatur in actione bonitas positiua, quam nō habet; absolutè enim illa actio est mala ex refusione malitiæ finis.

Ad 3. arg Ad tertiū similiter patet, bonū positiuū opponi malo; vnde eadē actio nō potest esse bona positiuè & mala: non autē si opponātur malū & bonū negatiuè; immòcū non detur purū malū, necessariū est, q cū malitia compatiatur bonitas negatiua: hoc est, quòd non vndequaque oriatur malitia eius, sed quòd oriatur ex aliquo vel aliquibus principijs sufficientibus inficere totam actionem.

DVBIVM V.

Vtrùm reliqua omnia quæ dicit D. Thom. in articulo, verum habeant.

1. Arg. PRobatur quòd non. Primò, contra illud quod asserit, quòd actus humanus præter bonitatem absolutam habet bonitatem ex fine à quo dependet. Et argumentor sic. Actus humanus nullam habet bonitatem absolutam: ergo supponit falsum. Antecedens patet ex supra dictis, quòd bonitas actus humani essentialiter est tendentia & via ad terminum & obiectum morale; sicut in esse naturæ essentialiter est via & tendentia ad terminum in esse entitatiuo.

2. Arg. Secundò contrà illud quod ait D. Tho. quòd in actu humano potest considerari quadruplex bonitas, scilicet generica, quatenus est actio, & ex obiecto, & ex circunstantijs, & ex fine, sic argumentor. Bonitas generica actionis, vt est actio, non distinguitur à bonitate ex obiecto: ergo superfluè ponitur vna ab vt alia distincta. Antecedens probatur, nam D. Th. non loquitur de bonitate generica naturali, quia non loqueretur ad propositum, vbi agit de moralitate actuum humanorum. Loquendo autem de bonitate morali, quā habet actio vt actio, & quam habet ex obiecto & circūstātijs, comparātur inter se, vt genus ad speciē, & species ad individuū;

quia quæ ex circunstantijs, cùm sit accidentalis, pertinet ad indiuiduum; quæ ex obiecto, cum sit essentialis, ad speciem; quam autem habet vt actio, pertinet ad genus: ergo inter se non habent distinctionem. Patet consequentia, nam ratio generica non distinguitur à specifica, nec specifica ab indiuiduali, nisi solùm ratione secũdũ quòd altera alterã determinat. Antecedens autem est Diui Thomæ infrà articulo septimo, & in secundo, distinctione 56. quæstione prima, articulo 5. ad 3.

3. Arg. Tertiò argumentor contra idem, nam actus interior Voluntatis est actio humana: sed huiusmodi non habet bonitatem ex circunstantijs: ergo. Minor est Diui Thomæ infrà, quæstione 19. articulo secundo. *Confir.* Confirmatur, nam actus ex obiecto indifferens potest habere bonitatem vel malitiã finis, non autem obiecti: ergo non in quocunque actu humano reperitur illa quadruplex bonitas.

4. Arg. Quartò argumentor contra idem, nam quando actus versatur circa obiectũ & circa finem, specificatio bonitatis vel malitiæ tantùm potest sumi ex fine habente se vt forma, non autem ex obiecto, quod materia comparatur ad finem; quia materia non specificat, sed forma: ergo non in omni actu reperitur distincta bonitas *Confir.* obiecti & finis. Confirmatur in actu qui fertur circa finem vltimum Charitatis, in quo non potest distingui bonitas obiecti & finis.

In contrarium est authoritas D. Tho.

Not. Conrad. Pro cuius intelligentia notandum cum Conrad. hic, quòd bonitas totalis actus humani non est vna vnitate indiuisibilitatis, sed vnitate ordinis; aggregatur enim ex multis, consurgitque expluribus partialibus bonitatibus, extrinsecè quidem ex obiecto & circunstantijs & fine, intrinsecè autem ex relationibus ad hæc tria: quod insinuat D. Tho. hic ad 3. asserens, quòd actio nõ est bona simpliciter, nisi omnes istæ bonitates cõcurrãt, & quòd istæ bonitates possunt ad inuicẽ separari: & alia loca D. Th. adducit ad hoc ipse Conrad. & loca Scoti sentiẽtis cũ D. Th. *Obiectio.* Et si queras, vtrũ in actione humana cõstituẽdæ sint tres relationes realiter distinctæ in ordine ad istos tres terminos: *Solutio. Conrad.* Repõdet Cõradus affirmatiuè, si tamẽ obiectũ proximũ & finis operãtis specie differãt, quia illi termini distinguũtur formaliter in ratione terminorũ, & sic cõsequẽter relationes terminatæ ad ipsos, specie debẽt distingui, & cõsequẽter realiter, quia relationes transcendentales, quales sunt prædictæ, si differunt specie, differũt etiã realiter: vt patet in habitibus & actib⁹ specie differẽtib⁹; vt in habitu Philosophiæ & Metaphysicæ, & in actibus illorum; cũ enim in hoc distinguatur relatio trãscendentalis à prædicamentali, quòd transcendentalis est ipsa entitas rei, & non supponit fundamentum à quo sumat entitatem: prædicamentalis autẽ fundamẽtum supponit: inde est, quòd si relationes transcendentales specie differunt, consequenter & realẽ distinctionẽ debent habere, non quidẽ necessariò tanquã res à re, bene tamen formalem vel modalẽ; vnde prædictæ relationes actus humani, modi reales sunt substãtiæ ipsius actus humani. *Obiectio.* Et si rursus quæras, vtrùm secundũ numerũ circunstantiarũ multiplicandæ sint in actu humano diuersæ relationes & bonitates: *Solutio.* Respondetur, quòd si circunstãtiæ sint mutantes speciem, multiplicãtur relationes & bonitates formaliter; quia & tales circunstantiæ formaliter differũt in ratione terminandi: si autem circũstãtiæ nõ sint mutantes speciem, nec relationes formaliter sunt multiplicandæ; licèt quasi partialẽ distinctionem habeant & materialẽ, sicut in patre non multiplicantur formaliter relationes ad plures filios, nec in eodem habitu scientifico in ordine ad diuersas conclusiones eiusdem scientiæ.

Ad primum argumentum à principio *Ad 1. arg.* respondetur cum Conrad. quòd D. Tho. non vocat bonitatem actus absolutam, vt absolutum opponitur respectiuo, sed vt absolutum opponitur contra illud quod conuenit extra essentiam rei: & hac ratione bonitas ex obiecto, quia essentialis, vocatur absoluta: id est, absolutè & sine respectu ad extrinseca conuenientes; sicut cõuenit bonitas finis & circunstantiarum.

Ad secundum, Conrad. & Vazquez & *Ad 2. arg. Conrad. Vazquez. Valentia.* Valentia respõdent, quòd D. Tho. hic nomine bonitatis cõuenientis actioni vt actio est, intelligit bonitatẽ naturalẽ, nam actus brutorũ habẽt rationem actionis vt actio, & similiter odium Dei, cùm tamen non habeant bonitatem moralem. Bonitas ergo actionis vt actio, est bonitas naturalis, quæ neque etiam prædictis actibus deficit; quod & insinuat D. Thom. dicens, actum tantùm habere de prædicta bonitate,

bonitate, quantum habet de entitate: certum est autem, quòd bonitas moralis non proportionatur nec commensuratur entitati, sed hoc tantum habet bonitas naturali; actus enim remissus odij Dei, vel infidelitatis, minus habent entitatis, quàm longa & intensissima delectatio venerea; cum tamen prior actus maiorem malitiam moralem habeat, quàm delectatio: & similiter remissus actus Charitatis maiorem bonitatem moralem habet, quàm actus intensus Fortitudinis; cùm tamen entitas prioris actus sit minor, quàm entitas secundi. Nec tamen ex hoc Diuus Thomas loquitur extrapropositum, loquendo de bonitate naturali; cùm hæc sit fundamentum bonitatis moralis. Vide Diuum Thomam in secundo, dist. 36. q. 1. art. 5.

2. Solut. Secundo respondetur, quòd, vt sæpe diximus, & docet D. Thomas. 3. contra Gentes, cap. 139. & quæstione secunda de malo, art 9. & in 2. distinctione 37. quæstione 1. & hic quæstione 73. art. 2. nullus actus est ita malus, in quo non maneat aliquis ordo ad rationem & vltimum finem: quia priuatio rationis in peccatis non est in facto esse; aliàs enim omnia peccata essent æqualia, sicut & omnes mortes æquales sunt: vt ergo inæqualia sint peccata, plus, minusue ordinis rationis in vno & in alio peccato debet remanere; & sic nullũ peccatum est purum malum. Eo vel maximè, quòd cùm peccatum secundùm substantiam sit actus quidam, & consequenter à Deo vt prima causa, consequenter vt sic debet fieri propter Deum vt vltimum finem, vt suprà diximus quæstione 1. art. 6. & Caietanus 1. p. quæstio. 103. art. 8. Dirigi autem in Deum vt in vltimum finem, aliqua bonitas moralis est, quia talis directio consonantiam rationis importat. Diuus ergo Thomas nomine bonitatis conuenientis actioni vt actio est, intelligit prædictam bonitatem moralem ex fine vltimo, quæ quidem ab alijs est distincta, sicut & terminus à quo desumitur. Vocat autem prædictam bonitatem genericam, non loquendo de genere Logico, quod est per prędicationẽ, sed de genere morali, quod dicitur tale, quia in actibus pluriũ specierum potest reperiri; actus enim distincti specie ex obiectis in tali bonitate morali vltimi finis possunt cõuenire: genus ergo Logicum quia determinatur substantialiter per speciem, & species per in diuiduũ, ideò genus non est quid distinctum à specie, nec species ab indiuiduo: genus autem morale de quo loquimur, non coniungitur substantialiter cum speciebus in quibus reperitur; accidit enim bonitati ex parte obiecti bonitas finis & circunstantiarum, ac per consequens bene compatitur distinctio inter specificam bonitatem ex obiecto, & genericam moralem ex fine, quæ est bonitas actionis vt actio; non vt ly Vt actio, importet reduplicationem metaphysicam actionis; vt etiam in brutis reperitur; sed reduplicationem moralem secundũquòd hic loquimur de actione nam vltima & suprema bonitas, quæ actioni morali, vt actio moralis est, potest conuenire, est bonitas ex fine vltimo quam prædiximus.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum, latiùs dicetur infrà, quæst. 19. art. 2. vbi explicabitur, quinam actus capaces sint illarum quatuor bonitatum, qui autem non: hic enim Diuus Thomas intẽdit, quod omnibus & singulis actibus humanis illa quadruplex bonitas debeat cõuenire: sed loquitur indefinitè de actu humano; vnde sufficit quòd in aliquo reperiatur: & per hoc patet ad confirmationem: non enim est necesse quòd ille actus habeat etiam bonitatem ex obiecto ex quo habet indifferentiam.

Ad 4. arg. Ad quartum argumentum respondetur, quòd licèt bonitas ex obiecto habeat se materialiter in ordine ad bonitatem ex fine; nihilominus absolutè in ordine ad actum habet se formaliter: bene enim compatitur, quòd forma vnius sit materia respectu alterius. Sic ait D. Thomas supra quæstione 17. art. 4. Vnde speciem vtriusque malitię vel bonitatis obiecti & finis habet talis actus: & idem dicendum est de actu interiori, qui simul fertur in obiectum & finem, quòd malitiam vel bonitatem vtriusque habeat, quia licèt talis actus sit vnus, est tamen virtualiter multiplex: in eodem enim actu reperitur tunc & ratio imperantis, & ratio imperati secundùm diuersam rationem, vt docet Caietanus suprâ, quæstione 8. articulo. 3. Ex quo sequitur, quòd etiamsi tunc per eundem actum feratur in obiectum, quod est medium, & simul in finem; verificatur tamen quòd finis volitio est causa volendi medium. Hæc dixerim contra Vazquez 1. p. quæstione, disp. 82. numero. 1. & 1. 2. dist. 33. capite 2. qui existimat, esse sententiam Vazquez.

tentiam Diui Tho. 1. p. q. 19. art. 5. quòd cũ quis eodem actu vult finem & media, tũc volitio finis non est causa volendi media. Fallitur tamè Vazquez; Diuus enim Thomas non dicit nisi quòd tunc volitio finis non est causa volitionis mediorum, quia in hac propositione denotatur distinctio volitionum, & quòd vna sit causa alterius; quod non reperitur, si eodem actu fertur in vtrumque; bene tamen compatitur, esse veram hanc propositionem; Volitio finis est causa volendi media; quia in hoc non importatur distinctio volitionũ, sed in eodem actu secundùm diuersam rationem vtrumque potest reperiri, vt dixi, & ratio imperantis, & imperati, & quòd illa volitio, vt terminata ad finem, sit causa vt etiam per ipsam Voluntas tendat in me dia. Ad confirmationem respondetur, quòd actus qui immediatè est circa finem vltimum, non habet distinctam bonitatem obiecti & finis; quia tunc finis & obiectum sunt idem; vt docet Diuus Thomas quæstione vnica de Charitate, articulo 5. ad 2. & 1. 2. quæstione 20. articulo 3. Doctrina autem præsentis articuli procedit, quando obiectum & finis distinguuntur; & alius est finis operis, & alius operantis; non tamen quando coincidunt. Et hæc de isto articulo.

Ad confir.

ARTICVLVS V.

Vtrùm actio humana sit bona vel mala in sua specie.

SIC *ad quintum proceditur. Videtur quòd actus morales non differant specie secundùm bonum & malum. Bonum enim & malum in actibus inuenitur conformiter rebus, vt dictum est:* † *sed in rebus bonum & malum non diuersificant speciem; idem enim specie est homo bonus & malus: ergo neque etiam bonum & malum in actibus diuersificant speciem.*

Mal. 4. 2. al. 5. cor. 4. ad 5. & ar. 1.

Secundò præterea. Malum cùm sit priuatio, est quoddam non ens: sed non ens non potest esse differentia secundùm Philosophum in tertio Metaph. † *cùm ergo differentia constituat speciem, videtur quòd aliquis actus ex hoc quòd est malus, non constituatur in aliqua specie; & ita bonum & malum non diuersificant speciem humanorum actuum.* *Tex. 10. to mo 3.*

Tertiò præterea. Diuersorum actuum secundùm speciem diuersi sunt effectus; sed idem specie effectus potest consequi ex actu bono & malo; sicut homo generatur ex adulterio & ex matrimoniali concubitu: ergo actus bonus & malus non differunt specie.

Quartò præterea. Bonum & malum dicitur in actibus quandoque secundùm circunstantiam, vt dictum est: † *sed circunstantia cùm sit accidens, non dat speciem actui: ergo actus humani non differunt specie propter bonitatem & malitiam.* *Art. 3. huius q.*

Sed contra. Secundùm Philosophum in secundo Ethicorum †. *Similes habitus similes actus reddunt: sed habitus bonus & malus differunt specie, vt liberalitas & prodigalitas: ergo & actus bonus & malus differunt specie.* *Cap. 1. & 2. tom. 5.*

Respondeo, dicendum, quòd omnis actus speciem habet ex suo obiecto,

q. 1. ar. 3. obiecto, sicut suprà dictum est; † vnde oportet quòd aliqua differentia obiecti faciat diuersitatem speciei in actibus. Est autem considerandum, quòd aliqua differentia obiecti facit differentiam speciei in actibus secundùm quòd referuntur ad vnum principium actiuum; quod non facit differentiam in actibus secundùm quòd referuntur ad aliud principium actiuum: quia nihil quod est per accidens, constituit speciem, sed solùm quod est per se. Potest autem aliqua differentia obiecti esse per se in comparatione ad vnum principium, & per accidens in comparatione ad aliud: sicut cognoscere colorem & sonum per se, differunt per comparationem ad sensum, non autem per comparationem ad Intellectum. In actibus autem bonum & malum dicitur per comparationem ad rationē: quia, vt Dionysius dicit quarto capite de diuinis nominibus, † Bonum hominis est, secundùm rationem esse: malum autem, quod est præter rationem. Vnicuique enim rei est bonum, quod conuenit ei secundùm suam formam: & malum, quod est ei præter ordinem suæ formæ. Patet ergo, quòd differentia boni & mali circa obiectum considerata comparatur per se ad rationem, scilicet secundùm quòd obiectum est ei conueniens vel non conueniens. Dicuntur autem aliqui actus humani vel morales secundùm quòd sunt à Ratione. Vnde manifestum est, quòd bonum & malum diuersificant speciem in actibus moralibus: differentiæ enim per se diuersificant speciem.

Part. 4. inter med. & finem.

Ad primum ergo, dicendū, quòd etiam in rebus naturalibus bonū & malū, quod est secundùm naturam & contra naturam, diuersificant speciem naturæ. Corpus enim mortuum, & corpus viuum, non sunt eiusdem speciei: & similiter bonum inquantum est secundùm rationem, & malum in quantum est præter rationem, diuersificant speciem moris.

Ad secundum, dicendum, quòd malum importat priuationem, non absolutam, sed consequentem talem potentiam. Dicitur enim malus actus secundùm suam speciem, non ex eo quòd nullum habeat obiectum; sed quia habet obiectum non conuenientes rationi: sicut tollere aliena. Vnde in qnantum obiectum est aliquid positiuè, potest constituere speciem mali actus.

Ad tertium, dicendum, quòd actus coniugalis & adulterium secundùm quòd comparantur ad rationem, differunt specie, & habent effectus specie differentes: quia vnum eorum meretur laudem & præmium: aliud vituperium & pœnam: sed secundùm quòd comparantur ad potentiam generatiuam, non differunt specie, & sic habent vnum effectum secundùm speciem.

Ad quartum, dicendum, quòd circunstantia quandoque sumitur vt differentia essentialis obiecti secundùm quòd ad rationem comparatur, & tunc potest dare speciem actui morali. Et hoc oportet esse, quandocunque circunstantia transmutat actum de bonitate in malitiam; non enim circunstantia faceret actum malum, nisi per hoc quòd rationi repugnat.

1. Concl. Prima conclusio. Bonum & malum in moralibus sunt differentiæ per se & specificæ, ita vt valeat hæc consequentia; Hæc actio humana est bona, & hæc actio humana est mala: ergo differunt specie in genere moris.

2. Concl. Secunda conclusio. Malum morale non est absolutè pura priuatio, sed quid positiuum, non habens conuenientiam ad rationem.

3. Concl. Tertia conclusio. Circunstantia mutans actum de bono in malum, habet rationem differentiæ essentialis ex parte obiecti.

De prima conclusione dubitatur primò,

Vtrùm bonum & malum sint differentiæ essentiales, faciantque actum humanum diuersæ speciei.

1. Arg. PArs negatiua probatur primò. Nihil creatum, est bonum per essentiam: ergo bonitas moralis non potest esse differentia actus humani. Antecedens est Diui Thomæ quæstione vigesimaprima, de veritate, articulo quinto, & prima parte, quæstione quinta, articulo primo. Consequentia verò probatur, quia quod competit alicui per suam differentiam, competit ei per suam essentiam: ideò enim homini competit per suam essentiam esse rationalem, quia id ei conuenit per suam differentiam.

2. Arg. Secundò arguitur. Malum morale non constituit speciem: ergo nec bonum. Consequentia patet, quia bonum & malum exæquò diuidunt genus moris: ergo par erit ratio de vtroque. Antecedens verò probatur, nam malum morale est priuatio: ergo non potest constituere speciem, cum constitutiuum speciei, positiuum debeat esse. Hoc vltimum antecedens probatur primò, quia malum vt abstrahit à naturali & morali, est priuatio, vt docet Diuus Thomas prima parte, quæstione 48. articulo primo, & secundo: ergo & malum morale erit priuatio, quia inferiora seruant naturam sui superioris, solùm superaddendo ad illud intra eandem rationem. Secundò probatur idem antecedens, quia malum naturale, quod est alterum membrum diuisiuum mali, vt sic est priuatio, vt patet inductiuè in tenebris, cæcitate, & morte, &c. ergo idem dicendum erit de malo morali; solùm enim distinguuntur penes pertinere ad genus naturæ vel moris, non autem penes esse alterum priuatiuum, alterum verò positiuum. Tertiò probatur idem antecedens, nam si malitia moralis esset quid positiuum, causaretur à Deo, qui cùm sit primum ens, omnium entium debet esse causa, atque adeò Deus esset causa peccati.

3. Arg. Tertiò arguitur. Idem actus numero & inuariatus potest successiuè esse bonus & malus: ergo bonum & malum non sunt differentiæ essentiales. Patet consequentia, quia quod potest aduenire vel abesse cum integritate subiecti, accidens est illius, & non substantia eius. Antecedens autem patet in multis casibus supra positis.

4. Arg. Quartò arguitur. Nullus actus est ita bonus ex obiecto, qui ex circunstantia non possit esse malus: ergo specie sua nullus est bonus. Antecedens patet in omnibus actibus naturalibus, qui ex fine vitiari possunt: de supernaturalibus enim modò non loquimur. Consequentia verò probatur, quia oppositum eius quod conuenit per essentiam, nec etiam ab extrinseco potest aduenire.

Quintò

5. *Arg.* Quintò arguitur : Nulla virtus ex sua essentia est simpliciter bona ; ergo neque nullus actus moralis . Patet consequentia ex argumento Sed contra, quia, vt dicitur secundo Ethicorum , capite primo & secundo ,actus sapiunt naturam habituum , & proportionabiliter loquendum est de vtrisque . Antecedens autem est Diui Thomæ infrà , quæstione 71 . articulo primo , vbi ait,bonitatem conuenire ex consequenti virtuti, quapropter peccatum non oppponitur virtuti secundùm essentiam , sed secundùm id quod consequitur ad illam.

Confir. Confirmatur , quia bonum in physicis non est essentia , sed passio , & quid consequens : ergo & in moralibus bonum morale non erit essentia moralis, sed passio essentiæ moralis, quia,vt sæpe diximus,proprotionabiliter loquendum est in moralibus ad naturalia.

6. *Arg.* Sextò arguitur . Si propter aliquam rationem haberet verum conclusio,maximè propter rationem Diui Thomæ, quia propria & secunda hominis forma est ratio; bonum autem & malum est per conformitatem vel difformitatem ad rationem , ac per consequens debet esse differentia essentialis actus humani, quia talis habet esse per ordinem ad rationem : sed hæc ratio est nulla : ergo. Probatur minor , nam vel loquitur de ratione speculatiua , vel de practica: quomodocunque sumatur; non concludit : ergo . Hoc antecedens probatur, nam si sumatur pro ratione speculatiua, cùm hæc præcedat omnem actum Voluntatis, non potest bonum & malum, quod pertinet ad Voluntatem , respicere rationem prædicto modo : si autem sumatur pro ratione practica , talis non est propria forma hominis ,quia aliàs quod est contra regulam alicuius artis , esset contra propriam formam hominis , quia est contra rationem practicam , & consequenter esset malum morale : ergo ex eo quod bonum vel malum sit in ordine ad rationem practicam, non sunt differentiæ essentiales, si non sunt contra propriam formam hominis , vel iuxta eam . Confirmatur , nam actus malus ex circunstantijs , est etiam contra rationem hominis : tale autem malum non est differentia essentialis , quia malum ex circunstantia , non est malum ex specie , sed accidentaliter : ergo quòd sit contra rationem homints , non probat esse differentiam essentialem.

Confir.

Septimò arguitur , nam ex prædicta ratione sequeretur , actum bonum simpliciter , esse bonum ex sua specie absolutè sumpta , & non ex aliquo superaddito ; sicut dicitur de virtutibus quæstione 55.articulo quinto ad primum: consequens est falsum : ergo . Probatur minor , nam vt dicit D.Tho.supra, loquendum est in moralibus , sicut in naturalibus : in istis autem docet ipse prima parte, quæstione quinta , articulo primo ad primum, quòd bonitas naturalis licèt inchoatiuè conueniat rei naturali absolutè sumptæ , & secundùm propriam entitatem & essentiam ; completè autem non conuenit nisi ex accidentibus superadditis : ergo ita dicendum est in moralibus. 7. *Arg.*

In hac re in primis reijcienda est hæresis Lutherana , quam supra impugnauimus , nullum actum esse bonum , omnemque esse malum & peccatum ; ex qua vtique sequebatur , bonum & malum non esse differentias essentiales actus humani. Supponendum est enim, multos actus esse bonos simpliciter & absolutè , non solùm ex obiecto , sed etiam ex debitis circunstautijs , vt habet Concilium Tridentinum sessione 6. canone septimo & 25 . & Bulla Leonis contra Lutherum , & Genes. quarto Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius , &c. vbi supponitur esse bona, quia oculi Dei iniquitatem respicere non possunt cognitione affectiua , vt patet prima parte , quæstione 14. artic. 10.Hebr.10. multi numerantur Deo placuisse ; quod non esset , si opera illorum non essent bona, quia odio est Deo impius & impietas eius, & 1 . Cor. 7.dicitur , quòd non peccat quis, si nubat; & secundo Petr . primo. Hæc facientes non peccabitis; & Galat. quinto, numeratis fructibus Spiritus , additur: Aduersus huiusmodi non est lex: est autem lex contra peccata , & vt infrà patebit quæstione 109 . facere opus vndequaque bonum morale , non superat facultatem naturæ . Videatur Soto 3. de natura & gratia , capite quarto & quinto , & Vega lib. 21 . super Tridentinum à capite 26.& lib. 24. capite 14. Rossen. & Ekhius contra Lutherum , & ea

Genes.4. *Hebræ.10* *1.Cor.7.* *2.Pet.1.* *Galat.5.* *Soto.* *Vega.* *Rossen.* *Ekhi.*

quæ ad longum nos diximus suprà articulo primo. Etiam reijcienda est sententia aliorum, quòd licèt non omnis actus sit malus ex sua specie, tamen nullus est qui sit bonus, sed qui malus non est, est indifferens, & ideò apparet bonus, licèt nõ sit; quam sententiam refert, & impugnat Magister Sententiarum in secũdo, distinctione 40. & Diuus Thomas quæstione secunda de malo, articulo quarto. Supposita ergo veritate Fidei, quòd aliqui actus sunt boni ex sua specie, & aliqui mali; vertitur in dubium, vtrùm malitia & bonitas sit differentia essentialis, vel non.

1. *Sentent. Valent.* In qua re est prima sententia, quam tenet Valentia hic puncto tertio, quòd huiusmodi non sunt differentiæ essentiales, sed accidentales; quia differentia essentialis debet esse positiua: malitia autem (inquit ipse) aliquid priuatiuum est: vnde nõ potest esse differẽtia essentialis. Dicitur autem aliquis actus ex sua specie malus, non quia malitia constituat speciem, sed quia priuatio malitiæ adiungitur speciei talis actus.

2. *Sent.* Secunda sententia est huic opposita, quòd malitia moralis sit aliquid positiuũ, & sic potest constituere speciem actus humani, & esse differentia essentialis. Hæc est D. Thom. hic ad secundum, quem optimè explicat Caietanus. Est autem differentia inter discipulos eius in assignando subiecto, respectu cuius bonitas & malitia dicantur differentiæ essentiales. Conradus enim hic, & alij infrà, quæstione 19. articulo primo, dicunt, huiusmodi esse differentias essentiales respectu actus, etiam in esse naturæ considerati, & quòd actus secundum entitatem naturalem potest dici essentialiter & secundùm speciem bonus vel malus. Alij autem, vt Caietanus quæstione 19. articulo primo, contra Conradum, dicunt esse differentias essentiales actus humani, non in esse naturæ, sed in esse humani & moralis considerati: sicut in artificialibus forma gladij vel clauis, non sunt essentiales ferro: in ratione enim ferri sunt eiusdem speciei; sunt tamen essentiales artificiato; vnde in ratione artificiati essentialiter differunt: sic actus bonus & malus in ratione entitatis naturalis possunt esse eiusdem speciei, differre autem specie & essentialiter in ratione humani & moralis.

Not.1. Pro cuius ampliori intelligentia, & veritatis decisione, Notandum, quòd actio humana, vt patet ex iam dictis, potest considerari dupliciter. Primò, secundùm suã entitatem naturalem, vt egreditur ab agente libero, & vt terminatur ad obiectum absolutè consideratum. Secundo modo consideratur vt moralis, & vt attingens obiectum secundùm conformitatem vel deformitatem ad Rationem. Loquẽdo priori modo de actu, verum est (vt iste vltimus modus dicendi asserit) quòd actus non habet ex sua specie formaliter & completiuè esse bonum vel malum moraliter: sic enim docet Diuus Thomas in secundo, distinctione 40. quæstione prima, artic. 1. in corpore, & ad 1. vbi ponit exemplum allatum de forma clauis & gladij respectu ferri; & ratione manifesta probat, quia idẽ actus numero, salua specie suæ entitatis naturalis, potest fieri cum aduertentia vel sine illa, & sic esse moralis, vel non moralis; & potest etiam successiuè esse bonus, & malus moraliter, vt patet in eo qui temperatè comedit carnes feria quinta durans inclusiuè in comestione vsque ad feriam sextam; & etiam quia implicaret, eundem actum habere simul diuersas bonitates vel malitias morales, contra id quod habetur hic articulo quarto, & sexto & septimo, quia idem numero indiuiduum essentialiter non potest contineri sub diuersis speciebus non subordinatis, vt ostendit D. Thom. articulo septimo ad primum: ergo bonitas vel malitia non est ratio essentialis actus sumpti secundùm entitatem: & certè si actus secundùm entitatem essentialiter esset malus, qualiter posset saluari, quòd Deus sit causa etiam actus peccati secundùm entitatem; nam iam etiam esset causa mali. Dicendum ergo cum Diuo Thoma infrà, quæstione decimanona, articulo primo, bonum & malum sic comparari ad actus Voluntatis, sicut verum & falsum ad actus Intellectus: & sicut verum & falsum non comparantur essentialiter ad actum Intellectus secundùm entitatem, quia eadem ratio potest succesiue esse vera & falsa: ita similiter bonum & malum respectu actus Voluntatis. Dixi autem, formaliter & completiuè, quia radicaliter & obiectiuè bene habẽt actus ex propria entitate bonitatem & malitiam, quatenus tendunt in obiectum, quod comparatum Rationi non potest appeti sine malitia; vt idololatria vel blasphemia, vt docet Augustinus lib. secundo de sermone Domini in monte,

monte, c. 28. vt enim supra diximus, obiectum actus extrinsecè boni vel mali, ex propria natura & entitate habet esse radicem consonantiæ vel dissonantiæ Rationis; & talis bonitas vel malitia radicata in obiecto redundat in actum, vt dicatur radicaliter secundum propriam entitatem habere bonitatem vel malitiam.

Not. 2. Secundò notandum, quòd cùm dixerimus actum esse bonum vel malum per ordinem ad Rationem, explicandum manet, quid intelligatur nomine rationis. Ratio ergo ex D. Th. in 3. d. 33. q. 2. art. 2. quæst. 3. ad 3. & ar. 4. quæst. 3. in corp. & ad 2. & q. 22. de veritate, art. 11. ad 2. sumitur dupliciter. Vno modo, vt includit simul Intellectum & Voluntatem. Secundò, vt tantùm importat vim cognoscitiuam informatam lege diuina, naturali vel supernaturali, & sic præcipientẽ. Quòd enim ratio sumatur primo modo, patet, nam ex eo dicitur homo conditus ad imaginẽ Dei, quia factus est Deo similis in Intellectu & Voluntate; vt docet Aug. 3. super Gen. ad literã, c. 2. & 10. de Trin. c. 11. Et hac etiã ratione virtus dicitur bona qualitas mẽtis, licet sit in Volũtate; quia & Volũtas sub acceptione mentis cadit: & sic loquitur D. Th. infrà, q. 55. ar. 4. ad 3. & q. 10. de veritate, ar. 1. Quòd verò sumatur secundo modo, etiam patet; hac enim ratione imperiũ dicitur actus rationis, quia est actus Intellectus, & Voluntas dicitur imperari à Ratione, quia imperatur ab Intellectu: & electio dicitur actus Volũtatis directus à Ratione, quia directꝰ ab Intellectu: vtroque ergo modo sumpta Ratio, est principiũ actus moralis formaliter vt moralis, vt docet D. Th. 3. p. q. 19. ar. 2. ideò enim ait, actiones Christi Domini etiam vegetabiles esse morales, quia procedebant à Volũtate & Ratione illius: hoc enim dicit actꝰ moralis, quòd sit liber; quod pertinet ad Volũtatẽ; & regulatus Ratione; quod pertinet ad Intellectũ: quòdcunque enim illorũ deficiat, siue voluntarium ex parte Volũtatis, siue deliberatio ex parte Rationis, actus non manet moralis; non enim imputabitur ad laudẽ vel vituperiũ, quæ sunt proprietates moralitatis. Specialiter autem etiã sumẽdo Rationem pro vi cognoscitiua, etiam docet D. Th. quòd sit principiũ actus moralis, infrà q. 19. ar. 1. ad 3. & q. 80. ar. 1. & in 4. d. 16. q. 3. ar. 1. quæs. 1. & etiã infrà q. 66. ar. 1. docet, Prudentiã inter Cardinales esse positiuã virtutẽ, quia est in Ratione, quæ est causa totius boni humani; & nomine Rationis intelligit Intellectũ; nã aliàs etiam aliæ Cardinales isto modo dicerẽtur esse in Ratione, quia sunt in Volũtate; & q. 90. docet legẽ esse actum Rationis, quia lex est principiũ & regula actuũ humanorũ, & sic debet esse lex actꝰ illius potẽtiæ, quæ est principiũ humanorũ vt sic, qualis est Ratio: vbi nomine Rationis intelligit Intellectũ, cuius actus est lex: & Rationẽ isto modo dicit esse principiũ humanorũ actuũ. Ratioque D. Th. manifestè probat, Rationẽ in ista acceptione esse principiũ actus humani: quia finis est principiũ exercẽdi actiones humanas, quia finis est ratio eligẽdi media; actio autẽ humana suo modo circa media & deliberata debet esse: sed Ratio sũpta pro Intellectu, est quæ primò ordinat in finẽ: ergo Ratio isto modo est prima radix actus humani: vnde lex, è cuius cõformitate vel dissonãtia actus habet esse bonum vel malũ, ponitur in Intellectu, tanquàm in prima radice, vt sic à prima inceptione & principio actio humana deducatur recta & directa. Quando autem dicimus, Rationẽ sumptã pro vi cognoscitiua, esse principiũ actus humani, sumitur Ratio pro vi cognoscitiua ratiocinãte & deliberãte quoad exercitiũ, nõ autẽ vt nominat purũ Intellectũ; quia actus humanus debet procedere à principio libero & indeterminato potente se determinare ad quamlibet partẽ: talis autem est vis cognoscitiua vt ratiocinatiua, non autẽ Intellectus vt simplici & vnico intuitu fertur in verbũ. Vis etiã cognoscitiua, vt ratiocinatiua & deliberatiua, adhuc dupliciter potest cõsiderari. Primò vt apprehẽsiua. Secũdò vt practicè præcipiens vel prohibens: & vtroq; modo Ratio est principiũ actus humani. Primo quidẽmodo tãtũ radicaliter & obiectiuè, quatenus Ratio sic proponit Volũtati obiectũ radicaliter cõtinens bonitatẽ vel malitiã; qua ratione dixit D. Th. bonitatẽ actus pẽdere à Ratione vt ab obiecto, & nos suprà diximus, qꝰ Ratio ex parte obiecti se tenet, vt simul verificetur quòd actus humanus specificatur ab obiecto, & etiam quòd specificatur â Ratione. Secundo autem modo formaliter est principium actus humani, & verè est causa illius ex parte efficientis, quantũ ad bonitatem & malitiam.

Conclusio. Aliqui actus humani, vt humani & morales, ex se & ex sua specie formaliter & completiuè sunt boni vel mali: itaque bonum & malum sunt differentiæ *Conclus.*

rentiæ essentiales aliquorum actuum humanorum, vt sunt in genere moris, licèt ad entitatem naturalem actuum tales differentiæ formaliter sumptæ comparentur accidentaliter, sicut album & nigrum accidentaliter comparantur ad corpus; in ratione tamen colorati, essentialiter distinguuntur per illa: & similiter figuræ clauis vel cultelli accidentales sunt ferro: sunt autem differentiæ essentiales artificiati; ita ergo moralitas accidit entitati actus, vt figura ferro, & coloratum corpori: semel autem constituta entitate actus in genere moris, bonum & malum possunt esse differentiæ essentiales illius. Hæc est Diui Thomæ hic, & in secundo sententiarum, distinctione 40. quæstione prima citata; & probatur primò. Bonum & malum sunt differentiæ accidentales entitati naturali actus: ergo sunt differentiæ per se illius constitutæ in genere moris. Patet consequentia, quia quod accidit alicui in vno genere per se, debet illi conuenire vt constituto, saltem accidentaliter, in alio, vt homini in genere substantiæ accidit albedo vel nigredo; vt autem constituto in genere colorati, per se conuenit. Secundò probatur, quia quodcunque genus habet differentias per se diuisiuas illius, & constitutiuas specierum sub ipso: sed actio humana & moralis, est quoddam genus: ergo debet habere proprias & per se differentias: sed nullæ aliæ possunt assignari, quàm conforme vel difforme Rationi; quod idem est quod bonum & malum: ergo istæ sunt differentiæ specificæ actus humani. Tertiò probatur, nam aliqui actus sunt, qui ex sua specie & ex se merentur laudem, vel vituperiũ: ergo sunt boni vel mali ex sua specie. Consequentia patet, quia laus vel vituperium sunt proprietates boni & mali: ergo si vnum competit secundùm speciem, etiam alterum. Antecedens autem patet in actu fornicationis vel eleemosynę. Cõfirmatur, quia multi sunt actus ita intrinsecè mali, vt etiam Deus in illis non possit dispensare, vt habetur infrà, quæstione 100. artic. 8. ergo malitia conuenit ex sua specie: si enim esset accidentalis, Deus posset auferre illam. Etiam patet in multis actibus virtutum & vitiorum, qui sunt de lege naturæ vel contra illam; vt dicitur infrà quæstione 94. articulo tertio, qui vtique de lege naturæ non essent, si extrinsecè bonitatem vel malitiam haberent. Item patet in multis habitibus, quia ex sua specie sunt boni, vt iustitia, &c. & multi mali, vt iniustitia, &c. quia cũ ex sua specie sint virtutes vel vitia, ex sua specie debent esse boni vel mali, quia virtus est bona qualitas, &c. sicut & vitium mala: si ergo ex specie habent rationem virtutis, etiam ex specie habent bonitatem. Vltimò probatur. Illæ sunt differentiæ per se & specificæ, distiguentes actum alicuius potentiæ, quæ diuidunt per se & specificè obiectum per se pertinens & specificans talem potentiam: sed bonum & malum per se diuidunt actum moralem, qui vtique est obiectum per se rationis humanæ: ergo per bonum & malum distinguitur specificè actus Rationis. Maior est D. Thom. quæstione secunda de malo, artic. 4. vbi ostendit, quòd album & nigrum non diuersificant specie actum Intellectus, quia album & nigrũ nõ sunt specificæ differentiæ obiecti per se pertinentis ad Intellectum, quale est verum: bene tamen comparantur per se ad actum visionis, quia diuidunt per se obiectum per se pertinens ad visum, quale est coloratũ. Similiter in brutis comestio cibi prohibiti vel non prohibiti, & cognitio propriæ vel alienę vxoris, si comparentur ad gustũ vel ad potentiam generatiuam, non diuersificant specie actum illarum potẽtiarum, quia non diuidunt per se obiectum illarum: bene tamen si comparentur ad Rationem regulantem vel præcipientem vel prohibentem. Minor verò etiam patet ex dictis in principio quæstionis, qualiter bonum & malum morale sint differentiæ specificæ diuidentes morale vt sic: & in secundo notabili huius dubij etiam explicuimus, qualiter Ratio humana sit principiũ actus moralis, & potentia quæ per se respicit vt proprium specificatiuum, actum moralem: erit ergo bona consequentia, quòd actus Rationis humanæ distinguuntur specie per bonum & malum, quia bonum & malum sunt differentiæ per se obiecti per se pertinentis & specificantis Rationem humanam.

Diximus autem notanter in conclusione, quòd aliqui actus humani habent ex propria specie esse bonos vel malos, & per bonum & malum specie distingui, quia hoc non verificatur vniuersaliter de omnibus actibus humanis, sed tantum de illis habentibus bonitatem vel malitiam

litiam ex proprio obiecto, à quo diximus supra desumi speciem actus humani: si autem aliunde bonitas vel malitia proueniat ab extrinseco fine, vel circunstantijs, vel prohibitione; talis bonitas vel malitia habet se vt accidens actus humani, & non diuersificat illum actum specie: certum est enim, quòd actus ex obiecto indifferens, bonus autem vel malus ex fine, non habet ex specie bonitatem vel malitiam; quia non esset iam ex specie indifferens. Similiter actus malus, quia solùm prohibitus (de quo D. Thom. quæstione 94. artic. 3.) certum est non esse ex sua specie malum, vt notauit Caietanus secunda secundæ, quæstione 104. artic. 2. dub. 2. circa solutionem ad primum, explicans Diuum Thomam ibi asserentem quædam cadere sub præcepto, quæ ad nullam aliam virtutem pertinent, & sunt mala quia prohibita; hoc enim intelligendū est (ait Caiet.) de illis actibus secundū se & ex sua specie, nā prout præcipiuntur, vel prohibētur, certū est ad aliquā virtutē pertinere, saltem obedientiæ: secundùm se autem & ex sua specie non pertinent ad aliquam virtutem, quia ex sua specie nullam habent bonitatem vel malitiam, cùm tota malitia proueniat ex prohibitione, vt supponimus; quia si malitia præcederet prohibitionem, non esset tātùm malum quia prohibitum, sed potiùs prohibitum quia malum. Eo vel maximè, cùm supponamus, prohibitionem esse voluntariam prohibentis, neque esse cōnaturalem tali actui; vnde sicut potuit esse vel non esse prohibitio, potuit etiam esse vel non esse talis malitia ex prohibitione proueniens, & consequenter est accidentalis, & non specifica. Et si contra facias argumentum, quòd tales actus repetiti generant habitum virtutis vel vitij ex specie sua bonum vel malum: ergo etiam illi actus habent bonitatem vel malitiam ex specie. Patet consequentia, quia actus & habitus debent assimilari & esse eiusdem speciei ex parte obiecti: Respondetur primò, quòd illi actus neque generant habitum virtutis vel vitij, sed habitum disponentem ad virtutem vel vitium, quia virtus moralis, vt patet infrà, quæstione 66. artic. 1. extenditur ad omnia obiecta participantia rationem specificatiuam eius; habitus autem genitus ex prædictis actibus tantùm extenderetur ad actus similes, nempe bonos quia præcepti: si quis enim semper obseruet ieiunia præceptorum, generabit habitum secundū præcepta ieiunij; poterit tamen manere intemperatus alijs diebus. Similiter poterit generari habitus quo inclinetur ad celebrandum vestibus sacris & ceremonijs præscriptis à lege, & nihilominus non manere habituatus ad reliqua Religionis obseruanda, ad quæ vtique inclinaretur, si habitus genitus esset Religionis. Et similiter si ex actibus prioribus habitus genitus esset temperantiæ, inclinaretur ad temperatè comedendum, etiam diebus non præceptis.

Obiectio.

1. Solut.

Secundò respondetur, quòd vt patet ex Diuo Thoma secunda secundæ, quæstione 123. artic. 7. vt actus sit virtutis, non sufficit substātia actus quomodocūque in illa materia, sed requiritur quòd habeat formam & modum perscriptum à virtute; nam secundùm substantiam potest elici à sola potentia; secundùm autem modum prædictum non nisi à virtute superaddita. Rursus, actus secundùm formam & modum virtutis consideratur dupliciter, vt videre est in Diuo Thoma quæstione 94. art. 3. Primò absolutè. Secundò vt importat determinatum tempus vel circunstantiam. Verbi gratia, ieiunium Quadragesimæ habet moderari passiones secundùm formam perscriptam temperantiæ, & habet hoc facere ex speciali præcepto Ecclesiæ tali tempore: actus ergo absolutè sumptus secundùm illam formam perscriptam temperantiæ, est de lege naturæ, vt ait D. Thom. loco citato, & sic habet intrinsecam bonitatem, & potest generare habitum virtutis, secundùm autem determinationem temporis prouenientem à præcepto Ecclesiæ, non habet intrinsecam bonitatem, nec vt sic habet generare habitum virtutis, nisi forsitan secundùm rationem communem, qua etiam est de lege naturæ seruare præcepta, non autem vt in particulari circa hoc obiectum & in exercitio hic & nunc, qualiter non est bonus vel malus ex natura, sed ex extrinseca prohibitione.

2. Solut.

Notandum tamen circa prædictam conclusionem, illam debere intelligi de specie subalterna; bonum enim morale quod constituit speciem, amplius est diuisibile in diuersas species atomas boni secundùm diuersam habitudinem conformitatis ad Rationem: & idem dicendum est de malo morali.

Not.

Ex dictis sequitur, quòd malum mo- *Corol. 2.*

rale

rale consistit in positiuo, non autem in priuatione, licèt priuatio naturaliter concomitetur & sequatur ad tale positiuum: si enim malum, vt diximus, constituit speciem, aliquid positiuum debet esse; nam priuatio constitutiuum esse non potest. Sed de hoc agetur latiùs infrà, quæstione 71. articulo sexto: videatur D. Thom. in 2. distin. 34. quæst. 1. art. 2. in corpore, & ad 5.

Corollar. 2 Secundò sequitur, prædictam conclusionem habere verum de bonitate essentiali, non autem de completa & perfecta: essentialis enim bonitas est intra speciem; completa autem bonitas & perfecta, etiam ex concomitãtia accidentium quæ perficiunt ipsam speciem debet aduenire; quia, vt ait Diuus Thomas suprà articulo secundo, loquendum est de bonitate morali, sicut de naturali: bonitas autem naturalis non est completa & perfecta nisi ex superadditis accidentibus, vt docet Diuus Thomas prima parte, quæstione quinta, articulo primo in corpore, & ad primum: eodem ergo modo loquendum est de bonitate morali, & sic loquitur D. Thom. articulo tertio ad tertium, & articulo quarto numerat quatuor, ex quibus bonitas actui potest prouenire, quorum aliqua exteriora & accidentalia sunt, vt finis & circunstantiæ; & sic docuit suprà quæstione septima, articulo primo ad primum, quòd etiam actus humanus sua accidentia habet, ex quibus bonitas eius perficiatur & compleatur: estque hoc manifestum in actu Fidei, non enim ita est perfectus & bonus mortuus & sine Charitate, atque viuus informatus per illam; cùm tamen informatio Charitatis accidentalis sit actui Fidei: essentialiter enim manet Fides cum peccato mortali & sine Charitate.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum à principio respondetur, quòd quando Diuus Thomas ait, nihil esse bonum per essentiam, intelligit de bonitate perfecta & completa: hanc enim, vt diximus, habet ex accidentibus: absolutè tamen per essentiam habet suam bonitatem specificam: vnde soli Deo competit sine aliquo addito per suam essentiam esse perfectè bonum; vnde creatura per suam essentiam simpliciter est bona, si ly Simpliciter, sit idem quod absolutè, non autem si ly Simpliciter, sit idem quod omnibus modis: quam distinctionem assignat D. Tho. 3. part. quæstione 50. artic. 5. & sic nobis non placet solutio aliorum, quòd licèt dictum D. Tho. verum habeat de substantia, quòd non sit bona per essentiam, sed per accidentia quæ superueniunt: non tamen habet verum de accidentibus loquendo, nam accidentia se ipsis & per suam essentiam debent esse bona; nam aliàs daretur processus in infinitum. Hoc (inquam) nobis non placet, quia licèt in accidentibus physicis hoc inueniatur, quòd substantia extenditur per quantitatem, quantitas verò per se ipsam, ne detur processus in infinitum: in moralibus autem non ita, nam & actus humani sunt subiectum accidentium moralium, vt circunstantiarũ, &c. vnde in genere moris loquendũ est de actu humano respectu circunstantiarum, sicut in physicis de substantia respectu suorum accidentium; & sic recurrendum ad solutionem prædictam.

Ad 2. arg. Ad secundum, patet ex dictis, qualiter malum morale non sit priuatio, sed aliquid positiuum: quapropter malum in communi non diuiditur vt quid vniuocum per malum naturale & morale, tanquàm per species, vt probat argumentum: quia malum naturale est priuatio, vt cæcitas; malum verò morale, est quid positiuum: sed diuiditur per illa vt quid analogum quodammodo superius, vt signum analogicè quid superius est ad signum naturale, reale, & ad placitum rationis; & relatio ad realem & rationis. Ad illud autem de causalitate Dei respectu mali moralis. Caietanus non trepidat concedere, quòd Deus sit causa mali moralis, licèt non concedat quòd sit causa peccati; quia malum morale importat positiuum; & cuiascunque positiui Deus est causa: peccatum autem connotat etiam priuationem consequutam, cuius Deus causa non est, sed tantùm liberum arbitrium deficiens. Sed certè solutio Caietani intrepida est, nam sicut peccatum, ita & malum morale connotat priuationem, licèt vtrumque essentialiter importet quid positiuum: vnde sicut negatur, Deum esse causam peccati, ita negandum est, esse causam mali moralis, licèt essentia & entitas, & totum positiuum mali moralis à Deo causetur, cum sit prima causa totius entis, & cuiuscunque modi entis. Sed de hoc etiam latiùs infrà q. 71. art. 6. & q. 79. ar. 1. & 2.

Ad

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum respondetur, quòd idem actus numero, manens idem in esse naturæ, poterit successiuè esse bonus & malus, non autem manens idem in esse humani & moralis: quapropter probat argumentum, bonitatem & malitiam accidere actui in esse naturæ, nō autem accidere actui in esse morali; quia tunc verè mutatur species illius moralis, dum transit de bono in malum.

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur, quòd actus bonus ex obiecto, vitiatus ex circunstantia, habet malitiam ab extrinseco & per accidens, nam ex sua specie habebat bonitatem essentialem, quæ attenditur ex obiecto; nec propterea conuenit ei oppositum suæ essentiæ, etiam per accidens; nam oppositum boni ex obiecto, est malum ex obiecto; & hoc malum non conuenit ei etiam per accidens, sed quod conuenit, est malum ex circunstantijs, quod non opponitur bono ex obiecto. Nec est eadem ratio de hinibilitate respectu hominis, quę neque ab intrinseco, neque ab extrinseco potest competere homini, nō solùm quia hinibilitas opponitur rationalitati, sed quia hinibilitas est forma substantialis, & semel suppositа forma substantiali rationali in suppositо, alia forma substantialis simul cum illa, nec intrinsecè, nec extrinsecè compatitur: quapropter non manet Via per quam etiam per accidens hinibilitas possit competere homini: formæ autem accidentales plures sunt compatibiles in eodem subiecto: quapropter effectus oppositi formarum accidentalium non possunt esse simul per se, & vt formaliter opponuntur: potest tamen esse vnus per se, alter verò per accidens, quatenus per accidens potest adiungi in subiecto forma accidentalis ab extrinseco & per accidens, à qua proueniat alter effectus, qui videtur oppositus, licèt non formaliter & vt oppositus conueniat; quia cō uenire ab extrinseco & per accidens, non est oppositum.

Ad 5. arg. Ad quintum respondetur, essentialiter etiam virtutem habere bonitatem; dicitur autem esse bonam ex consequenti, quia conuenit ratione generica & communi, non autem quia conueniat ab extrinseco & accidentaliter: actus autem moralis etiam isto modo habet bonitatem ex ratione specifica subalterna boni, quæ generica est respectu specierum inferiorum, & actus specierum inferiorum pertinentes ad speciales virtutes atomas, etiam isto modo dicentur boni ex consequenti, sicut & virtutes quarum sunt actus; quia licèt bonitas eis sit essentialis, est tamen sibi cōueniens ratione generica & cō muni actus boni; nec modo discutimus, si talis bonitas dicatur conuenire ex specie & essentia, quia sit differentia constitutiua, vel quia sit passio: hoc enim suprà discussimus, & iterum redibit sermo infrà quæstione decimanona, articulo primo; modò enim vt dicatur conuenire secundum essentiam & speciem, sufficit vt vel sit differentia, vel passio consequens ad essentiam.

Ad 6. arg. Ad sextum respondetur ex dictis, qualiter Ratio includat Intellectum & Voluntatem; Intellectum respicientem actū sub ratione veri: Voluntatem verò sub ratione appetibilis & prosequendi: vnde per prius respicitur ab Intellectu, quàm à Voluntate. De quo D. Tho. 1. p. quæst. 79. art. 11. ad 2. & hic quæst. 19. art. 3. ad 1. Sumitur etiam Ratio, vt diximus, solùm pro Intellectu radicaliter quidem speculatiuo, proximè autem practico, vt habet regulam operationum, & vt sic Ratio etiam sumitur antecedenter ad Actum Voluntatis: Intellectus enim ante actum Voluntatis habet syndéresim & principia practica: immò & ante actum Voluntatis possunt esse in Ratione aliqui habitus superioris ordinis, qui non solùm sint speculatiui, sed etiam eminenter practici, vt lumen gloriæ, vel scientia indita Christi. Verum est, quòd Ratio practica non potest explicare se in opus per actualem operationem, nisi suppositо actu Voluntatis à quo dimanet imperium practicum Intellectus, per quod procedatur ad opus: hæc ergo Ratio practica, est propria forma hominis, non quidem considerati in esse substantiali & entitatiuo, sed in esse morali: vnde actus morales secundùm diuersam comparationem ad rationem, vt fit per bonū & malū, diuersificantur specie in genere moris, vt dictum est. Ad impugnationē, dicimus, q Ratio practica potest considerari dupliciter. Primò, in quantum respicit finem cōmunem humanæ vitæ. Secundò, in ordine ad particularia agibilia, & mechanica. Primo modo est forma hominis propria, & principium moralitatis, disponensque de actionibus liberis, vt dicit D. Tho. q. 21. ar. 2. ad 2. quapropter illa dicuntur specie differre

ferre in genere moris, quæ diuersimodè respiciunt Rationem practicam isto modo disponentem de illis in ordine ad finem communem vitæ humanæ: non autem est eadem ratio de alijs agibilibus particularibus. Ad confirmationem respondetur, quòd respicere Rationem practicã, *Ad confir.* stat dupliciter. Primò per se & inuariabiliter, quatenus aliquid ratione sui est prohibitum vel præceptum. Secundo modo per accidens & variabiliter, quatenus ratione alterius extrinseci præcipitur vel prohibetur. Respicere ergo Rationẽ practicam diuersimodè primo modo, facit differentiam specificam, non autem secundo modo. Primum quidem reperitur in actibus humanis ex parte obiecti: vnde ex hoc sumitur differentia essentialis. Secundum reperitur in actibus humanis ex parte finis vel circunstantiarum, & sic ex parte illarum tantùm est differentia accidentalis.

Ad septimum respondetur ex dictis, quòd loquendo de bonitate essentiali & specifica, cõuenit actui humano ab intrinseco; loquendo autem de bonitate completa & perfecta, sumitur etiam ex superadditis circunstantijs & accidentibus, & idem diximus reperiri in rebus naturalibus; & idem dicendum est de virtutibus, vt diximus.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm actio humana desumat speciem ex fine.

AD sextum sic proceditur. *Videtur quòd bonum & malum quod est ex fine, nõ diuersificent speciem in actibus. Actus enim habent species ex obiecto: sed finis est præter rationem obiecti: ergo bonum & malum quod est ex fine, nõ diuersificant speciem actus.*

Inf. q. 19. ar. 1. Et 2. disput. 40. ar. 1.

Secundò præterea. Id quod est per accidens, non constituit speciem, vt dictũ est: † *sed accidit alicui actui quòd ordinetur ad aliquem finem; sicut quòd aliquis det eleemosynam propter inanem gloriam: ergo secundùm bonum & malum quod est ex fine, non diuersificantur actus secundùm speciem.*

Art. 3. huius q.

Tertiò præterea. Diuersi actus secundùm speciem ad vnũ finẽ ordinari possunt; sicut ad finẽ inanis gloriæ ordinari possunt actus diuersarũ virtutum & diuersorum vitiorũ: non ergo bonum & malum quod accipitur secundùm finem, diuersificat speciem actuum.

Sed contra est quod suprà ostensum est, † *quòd actus humani habent speciem à fine: ergo bonum & malum quod accipitur secundùm finem, diuersificat speciem actuum.* q. 1. ar. 3.

Respondeo, dicendum, quòd aliqui actus dicuntur humani, in quantum sunt voluntarij, vt suprà dictũ est. † *In actu autem voluntario inuenitur duplex actus, scilicet & actus interior Voluntatis, & actus exterior: & vterque horum actuum habet suum obiectum: finis autem propriè est obiectum interioris actus voluntarij: id autem circa quod est actio exterior, est obiectũ eius. Sicut igitur actus exterior accipit speciẽ ab obiecto circa quòd est; ita actus interior Voluntatis accipit speciem à fine, sicut à proprio obiecto: id autem quod est ex parte Voluntatis se habet vt formale ad id quod est ex parte exterioris actus: quia Voluntas vtitur membris ad agendum, sicut instrumentis, neque actus exteriores habent rationẽ moralitatis, nisi in quantum sunt voluntarij: & ideò actus humani* q. 1. ar. 1.

species

ſpecies formaliter conſideratur ſecundùm finem, materialiter autem ſecũdùm obiectum exterioris actus.

Ca. 2 paul lò poſt. pri. tom. 5. *Vnde Philoſophus dicit in 5. Ethi.* † *quòd ille qui furatur vt committat adulterium, eſt per ſe loquendo magis adulter quam fur.*

Ad primum ergo, dicendũ, quòd finis habet rationem obiecti, vt dictum eſt. †

In corp. & q. 1. ar. 1.

Ad ſecundum, dicendum, quòd ordinari ad talem finem, etſi accidat exteriori actui, non tamen accidit actui interiori Voluntatis, qui cõparatur ad exteriorem, ſicut formale ad materiale.

Ad tertium, dicendum, quòd quando multi actus ſpecie differentes ordinantur ad vnum finem, eſt quidem diuerſitas ſpeciei ex parte exteriorum actuum, ſed vnitas ſpeciei ex parte actus interioris.

DVBIVM I.

Vtrùm cùm in actu humano concurrunt duæ bonitates vel malitiæ, altera ex obiecto proximo & fine operis, altera verò ex remoto & operantis, talis actus ſit in duplici ſpecie morali; an verò tantùm in vna, & alia ſolùm ſe habeat vt modus vel determinatio illius ſpeciei, in qua talis actus collocatur.

1. Arg. PRobatur primò, quòd ſit in duplici ſpecie morali ex quo. Nam cùm quis vult ieiunare propter Dei amorem, ille actus pertinet ad Temperantiam & ad Charitatem: ergo eſt in duplici ſpecie; Tẽperantia enim & Charitas ſunt diuerſæ ſpeciei. Antecedens probatur, quia pertinet ad Temperantiam, cùm verſetur circa eius obiectum. Quòd verò pertineat ad Charitatem, probatur; nam actus etiam pertinet ad virtutem imperantem, & ex eius motiuo elicitur: talis eſt Charitas reſpectu prædicti actus: ergo.

2. Arg. Secundò arguitur. Quando quis facit opus bonum ex obiecto propter malum finem, ſimul habet bonitatem & malitiam: ergo eſt in duplici ſpecie; nam, vt diximus, bonum & malum ſpecie diſtinguuntur. Antecedens probatur. In primis, ille actus iam habet malitiam ex fine à quo vitiatur. Quòd autem habeat bonitatem ex obiecto, probatur. Ille actus etiamſi ordinetur ad malum finem, elici poteſt aliqua virtute: ergo habebit bonitatem talis virtutis. Iſtud antecedens probatur, tùm in virtutibus intellectualibus; multi enim dicunt 2. 2. q. 4. artic. 5. confeſſionem Fidei propter inanem gloriam procedere à Fide ſupernaturali: tùm etiam patet in moralibus; cùm enim quis ſoluit debitum, vel ieiunat, etiamſi propter inanem gloriam, verè exequitur opus iuſtitiæ; quapropter videtur elici à virtute iuſtitiæ, quia obiectũ formale iuſtitiæ non poteſt attingi niſi per actum elicitum à iuſtitia. Patet etiam in actu orationis, qui progreſſu poteſt referri ad inanem gloriam: nec tamen videtur diſcontinuari primus qui eliciebatur à virtute Religionis, cùm etiam in proſequutione adeò promptè & delectabiliter operetur, ſicut à principio.

3. Arg. Tertiò arguitur. Quando quis è contra facit opus ex obiecto malum, ordinatum tamen ad bonum finem; vt cùm quis furatur ad dandam eleemoſynam; ille actus eſt in duplici ſpecie, boni & mali: ergo. Antecedens probatur, nam iam habet malitiam ex obiecto immediato furti. Quòd autem habeat bonitatem ex fine, videtur manifeſtũ, nam ille actus, vt eſt intentio circa illũ finem, eſt actus humanus: ergo bonus vel malus ex tali fine: non malus, nam eleemoſyna bona eſt, & aliàs ille actus haberet duplicem malitiam, eſſetque duplex peccatum, & ex parte obiecti, & ex parte finis: ergo ex parte talis finis ille actus eſt bonus. *Solutio.* Si reſpondeatur, quòd ille finis licèt ſecundùm ſe ſit bonus, tamen vt eſt cauſa prauæ electionis furti, eſt malus, & ſic non tribuit bonitatem actui: *Impug.* Contra, Si aliquis ex principio vero inferat concluſionem falſam, principium tamen manet verum: ergo etiamſi ex fi-

ne

ne ſecundùm ſe bono eligatur malum medium, finis tamen manebit bonus. Patet conſequentia, quia, vt dicit Ariſtoteles ſeptimo Ethicorum, capite octauo, ſic ſe habet finis in moralibus reſpectu mediorum, ſicut principium in ſpeculabilibus reſpectu concluſionum. *Ariſt.*

Confirmatur. Ieiunare ad dandam eleemoſynam, & furari ad illam, reſpiciunt eundem finem: ergo ſi primo actui ille finis confert bonitatem, ſimiliter & actui ſecundo conferet. *Confir.*

4 Arg. Vltimo arguitur. D. Thom. articulo ſequenti dicit, quòd quando obiectum non eſt per ſe ordinatum ad finem, tunc actus moralis eſt in duabus ſpeciebus quaſi diſparatis; & ponit exemplum, quando quis furatur ad dandam eleemoſynam, furtum non per ſe ordinatur ad eleemoſynam.

In hac re tenentes cum Caietano infrà, quæſtione 55. articulo quarto, poſſe virtutem elicere actum malum ex fine extrinſeco vel circunſtantia; conſequenter dicunt, ieiunium (verbi gratia) factum propter inanem gloriam, eſſe in duplici ſpecie, altera bona virtutis ex obiecto temperantiæ, altera vero mala inanis gloriæ. Alij etiam ſentiunt idem, quando actus contingit per oppoſitum, vt ſit circa obiectum malum, bonum autem finem; vt cum quis furatur ad dandam eleemoſynam, & habet ſpeciem malitiæ furti, & alteram eleemoſynæ, quæ per tale medium intenta etiam tribuit ſpeciem malitiæ diſtinctæ à malitia furti. Qualiter autem finis eleemoſynæ poſsit conferre ſpeciem malitiæ, cum eleemoſyna ſit bona; ſic explicant, quod in qualibet virtute & poteſt peccari per defectum, & per exceſſum; vt in materia liberalitatis, per auaritiam & prodigalitatem: ſic etiam in eleemoſyna, per defectum, non ſubueniendo egeno; & per exceſſum, ſubuemendo mediis illicitis. Sic ergo eleemoſyna ex furto eſt vitium in materia ſubueniendi egeno, & conſequenter poteſt conferre actui ſuam malitiam diſtinctam ſpecie à malitia furti.

Not. 1. Pro intelligentia dubij notandum, quòd finis operantis poteſt eſſe duplex. Primus intraneus ipſi operationi, vt cùm quis honorat patrem propter pietatem, aut colit Deum propter Religionem, illi enim actus ex natura ſua tendunt ad talem finem. Secundus eſt finis operantis extraneus operationi, ad quem operatio ab operante, & non ex natura operationis dirigitur. In præſenti ergo non eſt dubium de fine primo modo; nam ſic non ponit in numero ſpecies bonitatis vel malitiæ finis, cum bonitate vel malitia obiecti; ſed quæritur de fine ſecundo modo, vtrùm tribuat diſtinctam bonitatem vel malitiam ſpecificam à bonitate vel malitia obiecti.

Not. 2. Secundò notandum, quòd obiectum & finis operantis extraneus ſic poſſunt inter ſe ſe habere, quòd vtrumque ſit eiuſdem ordinis; vtrumque bonum, vel vtrumque malum. Secundo verò modo ordine permutato, quòd obiectum operis ſit bonum, & finis operantis ſit malus, vel è conuerſo. Exemplum primi, quando quis ieiunat propter inanem gloriam. Exemplum verò ſecundi, quando quis furatur ad dandam eleemoſynam.

1. Concl. Prima concluſio. Quando obiectum operis eſt bonum, finis autem operantis malus, vt qui ieiunat propter inanem gloriam; tunc actus tantum habet vnicam ſpeciem mali moralis deſumptam ex fine vanæ gloriæ. Hanc tenent omnes dicentes virtutem moralem non poſſe elicere actum malum, etiam ex fine operantis. De quo infrà, quæſtione 55. artic. 4. & 56. art. 3. & Bañez 2. 2. quæſt. 4. art. 5.

Durand. Gabr. Hanc etiam tenet Durandus in 2. diſtinctione 40 quæſtione 3. & Gabriel quæſtione vnica, concluſione 2. artic. 2.

D. Thom. & probatur primo ex Diuo Thoma, articulo præcedenti ad vltimum, vbi ait, quod quando circunſtantia mutat actum de bono in malum, talis circunſtantia eſt differentia eſſentialis obiecti. Sic ergo arguitur. Circunſtantia eſt differentia eſſentialis obiecti in genere moris: ergo malitia conueniens ex tali fine & circunſtantia per ſe primo & eſſentialiter conuenit in genere moris; quia bonitas vel malitia obiecti eſt prima & per ſe & eſſentialis, vt ſuprà diximus: ergo ante malitiam illius finis & circunſtantiæ, non præcedit alia ex obiecto operationis; quia ſi alia præcederet, iam illa quæ ſumitur ex fine, non eſſet prima & per ſe, quia ſupponeret aliam. Idem inſinuat D. Thom. q. ſequenti.

quenti.ar.2.ad 2.vbi ait, quòd cùm quis vult facere aliquid quando nõ debet, ita vt circunstantia referatur ad obiectum volitum, tunc Volũtas nõ est bona, quia velle aliquid facere, quando nõ debet fieri, non est velle bonũ. Si ergo D. Tho. sentit, quòd deficiẽte voluntariè bona circũstantia, obiectũ volitũ non est bonum, licet secũdùm se haberet bonitatẽ; à fortiori quando ponitur mala circunstantia finis, obiectũ quod secundùm se habebat bonitatẽ, tunc non erit bonũ, & sic actus remanebit solùm in specie malitiæ desumptę ex fine. Secũdò probatur. Actus prędictus si esset in duplici specie, esset altera mala ex fine, & altera bona ex obiecto: sed hoc secundũ esse non potest: ergo tantũ est in vna specie mala finis. Probatur minor. Actus moralis non potest sumere speciẽ boni ab obiecto nisi termine tur ad ipsum secundũ quòd bonũ & consonũ rationi; sed in casu conclusionis nõ terminatur ad obiectum ieiunij, vt bonũ & consonum rationi: ergo ex illo non sumit speciem boni. Ista minor probatur. Illud obiectũ ieiunij non terminat illum actũ secũdùm quòd habet bonitatem ieiunij secundùm se & præcisè cõsideratã, sed vt ordinatũ & cõducens, & vt mediũ ad inanẽ gloriam: ergo formaliter terminat vt malũ & non vt bonũ. Patet consequentia, quia mediũ formaliter vt mediũ nõ habet bonitatẽ vel malitiam, nisi finis cuius est mediũ: si ergo actus tendit in ieiunium formaliter, vt medium ad inanẽ gloriã, tendit in ieiunium vt malũ malitia inanis gloriæ. Tertiò probatur. Aliàs idẽ numero actus moralis, esset simul bonus & malus, meritorius & demeritorius; quod est impossibile. Sequella probatur, nam si ex obiecto habet bonitatẽ tẽperãtiæ, & ex fine inanis gloriæ malitiã, sequitur intentũ. Quartò probatur. Illi actui conuenit malitia ex fine: ergo nullo modo est bonus ex obiecto. Patet consequẽtia ex Dionys. c.4. de diuinis nominibus. Malũ ex quocũq; defectu, &c. Si respondeatur, probare argumentũ, q; ille actus totaliter & simpliciter nõ sit bonus, non autẽ quod non sit bonus cũ limitatione, scilicet ex obiecto; & vt simpliciter sit demeritorius, & nullo modo meritorius, sufficit quòd ex aliqua parte sit malus; quia ad meritum requirebatur vnde quaque esse bonũ: Contra fortiter currit argumentũ secũdũ. Illud ieiuniũ non terminat actũ nisi formaliter vt medium ad inanẽ gloriã; vnde nullo modo terminat secundùm propriã bonitatem, sed secundùm malitiam finis cuius est medium.

D. Dionys. Obiectio. Solutio.

Impugn.

Secunda conclusio. Quando actus terminatur ad obiectum malum, & finem operantis bonum, vt cum quis vult furari ad dandam eleemosynam, tunc actus etiam tantùm est in vnica specie mali desumpti ex obiecto, refusique in ipsum finem. Probatur claré. Si ille actus haberet speciem boni & mali, maximè sumendo malitiam ex obiecto furti, & bonitatem ex fine eleemosynæ: sed hoc secundum habere non potest: ergo tantùm habet speciem mali. Probatur minor. Ille finis non est bonus: ergo non potest cõferre actui bonitatem. Antecedẽs probatur. Ille finis non est volitus absolutè secundùm propriã bonitatẽ eleemosynæ, sed formaliter vt finis furti, & vt ratio volendi furtũ, & vt habet rationem finis illius; qua ratione malus est: ergo etiã ille actus ex parte finis est malus. Cõfirmatur primò. Principium speculatiuũ applicatum ad cõclusionẽ per rationẽ probabilẽ, non causat assensum sciẽtificũ, sed tãtùm opinatiuũ: ergo etiam finis bonus, vt sub est medio malo, causabit actum malũ, & non bonum; nam principium sic se habet (vt diximus) vt finis: ergo si causalitas principij attenditur ex medio, similiter & causalitas finis. Confirmatur secundò; nam hic & nunc agens non vult finem aliter quã per hoc mediũ furti, nec vult subuenire egeno, nisi ex alienis; totum autem hoc est contra rationem: ergo formaliter etiam ex parte finis ille actus est malus. *2. Concl. Confir.1. Confir.2.*

Tertia conclusio. Prædictus actus nõ habet malitiam duplicis speciei, sed tantùm vnius, videlicet furti. Hæc probatur, nam ille finis nullam aliam malitiam habet, nisi quòd per furtum intendatur: ergo nullam malitiam præbet actui, nisi malitiam furti: vnde nullo alio præcepto prohibetur illa eleemosyna, nisi præcepto furti. Secundò probatur, nam si ille finis haberet aliquam malitiam distinctam à malitia furti, etiam esset speciale peccatum â peccato furti: consequens est falsum, nam ex hoc sequeretur, quòd qui prodigè largiretur bona sua, vt placeret amicis, committeret duplex peccatum; alterum prodigalitatis; alterũ verò amoris inordinati amici, quod aperte est falsum. Tertiò proba- *3. Concl.*

tur, quia si propter aliquam rationem illa eleemosyna haberet aliquam malitiam distinctã à furto, maximè per excessum, vt dicebat secũda sententia: sed hoc non: ergo nullã habet distinctam à furto. Probatur minor, quia malitia per excessum in ipsa propria materia virtutis deberet reperiri, secluso quocunque medio, per hoc tantùm quòd nimiò vellet subleuari miseriam egeni, vt excessus in materia liberalitatis reperitur per hoc tantũ quòd nimiò vellit elargiri bona, quacunque alia malitia extrinseca remota alterius vitij; sed in præsenti casu non sic contingit, nam eleemosyna illa nõ est mala quia nimia in materia eleemosynæ, secluſa malitia alterius vitij, sed potiùs præcisè ex adiunctione malitiæ furti, nam supponimus, quòd aliàs eleemosyna non erat excessiua in quantitate & in propria materia, sed tãtùm quia fit ex alienis: ergo illa malitia non est distincta à malitia furti; quia vt talis esset, debebat in propria materia esse nimia. Quartò probatur. Isti duo actus, Volo furari ad offerendum in cultum Dei, & volo furari ad dandam eleemosynam; sunt eiusdem speciei in genere moris: ergo nõ aduenit distincta malitia à fine remoto; nam cùm ille sit diuersus, etiam malitia esset diuersa, actusque diuersæ speciei. Antecedens verò probatur; nam si isti duo actus essent diuersæ speciei propter varietatẽ finiũ, ille esset maius peccatũ, qui respicit finem excellẽtioris materiç, vt est religio: cõsequẽs autem nullus audebit cõcedere, quòd magis peccet qui furatur ad cultum Dei, quàm qui furatur ad eleemosynam.

4. Concl. Quarta conclusio. Quando obiectũ & finis sunt eiusdem ordinis, vtrumq; bonum vel vtrumque malum vt ieiunare ad dãdam eleemosynam, vel furari propter mœchiam; talis actus habet distinctã specificam bonitatem vel malitiam, alteram ex obiecto, alteram verò ex fine remoto, & sic talis actus est in duplici specie boni vel mali. Hæc probatur, nam tũc alia est cõformitas rationis ex parte obiecti, & alia ex parte finis: quodlibet enim, vt supponimus, habet suã bonitatẽ nec altera alteram destruit; quia bonum non destruitur à bono, nec malũ à malo, sed potius mutuò se perficiunt: aut inficiunt: ergo verè talis actus retinet bonitatem vel malitiam vtriusque. Nec potest dici, quòd licèt vtrũque sit bonũ vel malum, non tamen est duplex bonitas vel malitia; quia altera se habeat vt determinatiua alterius, vel vna vt genus, & alia vt differẽtia; ita vt ex vtraque resultet vna adæquata. Non (inquam) hoc valet, quia, vt supponimus, finis est extraneus obiecto, & secundũ se disparatus, & solùm ex bonitate vel malitia operãtis habet coordinationẽ cum obiecto. Vtrùm autẽ vtraque bonitas vel malitia sit essentialis, & in vtraque specie essentialiter cõstituatur ille actus: an verò vna illarum tantùm sit essentialis, altera verò accidentalis, disputatum est suprà, q. 1. ar. 3. dub. 2. determinare autem in particulari, quænam illarum sit essentialis, quæ nam verò sit accidentalis, si quæ sumitur ex obiecto, vel quæ sumitur est fine; etiã manet disputatum loco citato, dubio tertio, & latiùs disputabitur hic dubio sequenti.

Ad primum argumẽtum à principio respondetur per vltimam conclusionem, cõcedendo quòd actus bonus ex obiecto & fine duplicẽ habet bonitatẽ specificã. *Ad 1. arg.* *Ad 2. arg.*

Ad secundum argumentum & ad probationem, negatur antecedens; loquẽdo enim de virtutibus moralibus supponimus, vt dicetur infrà, q. 55. ar. 4. & 2. 2. q. 4. ar. 5. nõ posse esse principiũ elicitiuum actus mali, etiam ex fine; nam cùm virtus ex propria ratione sit bona qualitas, non potest esse principium nisi boni actus; & si vitiatur à fine, iam non elicitur à virtute. Loquendo autem de virtute intellectuali, qualis est Fides, idem dicitur, vt ostẽditur à Magistro Bañez loco citato, quia cùm Fides operetur ex speciali motione & cõcursu Spiritꝰ sancti, nõ potest esse principiũ actus mali, etiam ex fine. Dato autem quòd Fides in formis posit elicere talẽ actũ vitiatũ ex fine, nihil contra nos; quia tunc ille actus nullam habet bonitatem; Fides enim viua habet statum virtutis, facitq; bonum actum; mortua autem & ex propria specie respicit verum, abstrahitque à bono, vnde ille actus tantùm habet malitiam, nullamque retinet bonitatem moralem obiectiuam Fidei. Ad illud autem, quòd huiusmodi actus multoties promptè & delectabiliter fiunt; quod videtur ostendere, q procedant ab habitibus virtutũ; Respondetur, illam promptitudinem non prouenire à virtute, sed ab aliqua dispositione habẽte cõformitatem cũ ipsa virtute; vel quia per exercitium virtutis ablata sunt impe-

impedimenta; vt etiam quando operatur non ex virtute, promptè operetur.

Ad. 3. arg. Ad tertium argumentum, etiam patet ex dictis, quòd ille actus vt circa finem est humanus & malus, non per malitiam quam habeat eleemosyna secundùm se, sed prout hic & nunc intenditur per medium furti, & quòd illa malitia non est distincta â malitia medij, sed eadem malitia medij refusa in finem, prout intenditur per tale medium. Ad impugnationem autem respondetur, quòd principium verum nunquàm potest esse causa per se cõclusionis falsæ; quia teste Aristo. 1. Post. tex. 17. ex vero nõ potest sequi nisi verũ; vnde semper principium remanet verũ; quia si infertur falsa cõclusio per malam consequentiam, est ex adiunctione alicuius propositionis falsæ ad principium (in quam) reducitur falsitas conclusionis: finis autem secundùm se bonus potest esse causa prauæ electionis ex malitia operãtis, vnde ex tali causalitate redditur iam ipse finis malus. De quo videatur M. Medina. quæst. sequenti artic. 7. dub. 1. ad 3.

Obiectio. Et si arguas, quòd sicut finis potest esse causa prauæ electionis ex malitia operantis, etiam si finis secundùm se sit bonus: ita principium ex ignorantia inferentis; & sicut principium secundùm se non potest inferre conclusionem falsam; ita nec finis bonus secundùm se, potest esse causa prauæ electionis:

Solutio. Respondetur, ita esse; sed quôd ex malitia operantis ex bono fine, causetur praua electio, facit finẽ esse malum: quòd autem ex ignorãtia inferentis sequatur falsa conclusio, non facit principium esse falsum; quia veritas attenditur ex his quæ conueniunt rebus ex se ipsis, & non ex nobis: bonum autẽ, maximè morale consideratur prout conueniens rebus ex nobis & in ordine ad nos, quia ad motionem Voluntatis concurrit bonũ, siue verum, siue apparẽs: vnde si ex nobis finis bonus applicatur ad eliciendam prauam electionem, finis efficitur moraliter malus, non autem principium falsum ex ignorantia inferentis; quia hęc nõ mutat rem prout in se, quam

Ad confir. vt sic respicit verum. Ad confirmationẽ, patet etiam ex dictis, quòd quando obiectum & finis, vtrumque est bonum, tunc finis potest conferre bonitatem distinctam: quando verò obiectum est malum, tunc finis non remanet bonus, vt bonitatem possit conferre, sed redditur omnino malus, licèt non malitia distincta ab obiecto, vt iam diximus.

Ad 4. arg. Ad vltimum argumentum respondetur, quòd D. Thom. duo intendit. Primũ, docere quòd finis aliquãdo est extraneus & disparatus respectu obiecti, & ad hoc adducit exẽplũ de eleemosyna propter inanem gloriam. Secundum intendit docere, quôd aliquando actus est indu plici specie; altera ex obiecto, & altera ex fine, si finis sit extraneus. Supponit autem, quòd vt hoc fiat, vtrumque debet esse eiusdem ordinis, vel vtrumque bonum, vel vtrumque malum; & ideò adhibuit secundũ exemplum de furto propter mœchiam. In primo autem exemplo de eleemosyna propter inanem gloriam, non intendit plurificare speciem, sed exemplificare finem extraneum respectu obiecti.

DVBIVM II.

Vtrũ actus in duplici specie boni vel mali constitutus, constituatur essentialiter in specie quæ sumitur ex fine operantis; accidentaliter verò in specie quæ sumitur ex obiecto; an verò è conuerso.

1. Sent. Conrad. IN hac re est prima sententia Conradi hic, & suprâ q. 1. art. 3. quòd actus humanus consideratus in esse naturæ sumit speciem essentialem ab obiecto, accidentalem verò â fine. Accidit enim actui in esse naturæ, quòd ad hunc vel ad illum, vel ad nullum finem externũ ordinetur: non enim finis externus comparatur vt differentia per se ad actum in esse naturę, vt mœchia respectu furti; bene autem comparatur per se ad actum in esse naturæ obiectum proximum illius. Si autem talis actus consideretur in esse moris, tunc essentialiter specificatur à fine operantis. Hoc secundum dictum Conradi

1. Arg. probatur primô. Actus voluntatis essen-

1. Sent. tialiter debet specificari ab aliquô per se contento sub obiecto voluntatis; sed talis est finis operantis: ergo. Maior patet, nam actus debet specificari ab obiecto particulari, per se contento sub obiecto cõmuni potentiæ, cuius est actus. Minor etiam patet ex D. Thom. suprâ, q. 12. ar. 4. ad 2. & infra q. 19. art. 2. ad 1. & q. 72.

art. 3. in corp. & ad 2. & 2. 2. quæst. 8. art. 8. & q. 23. art. 8. & q. 122. art. 2. & 1. contra Gent. cap. 72. & in 2. dist. 28. q. 1. art. 4. ad 1.

2. Argu. Secũdò arguitur. Virtutes, siue vitia, essentialiter specificantur à fine operantis, & non ab obiecto immediato: ergo & actus. Patet consequentia, nam actus & habitus ab eodem specificantur. Antecedens verò patet in virginitate, quæ ponitur distincta à castitate, communiter dicta, per hoc quòd virginitas ordinatur ad vacandum rebus diuinis & cultui Dei, vt ait D. Thom. 2. 2. quæstio. 152. artic. 3. Item patet in adulterio & stupro, quæ licèt respiciant obiecta distincta, scilicet alienam vel virginem, sunt tamen eiusdẽ speciei essentialis luxuriæ, quia ordinantur vt ad finem, ad idem, scilicet, ad delectationem veneream. Item patet in eo qui recipit beneficium cum proposito non recipiendi sacros ordines intra annum, vel cũ proposito contrario; primus enim facit actum iniustitiæ, & tenetur restituere fructus, vt habetur in cap. commissa, de electione libro. 6. Secundus autem facit actum iustitiæ, & solùm est differentia ex parte finiũ. Item patet in eutropelia; quæ enim cadunt in iniuriam alicuius si fiant propter delectationem, non est peccatum; immò potest esse virtus, vt ait D. Thom. 2. 2. quæst. 72. art. 2. ad 1. & q. 168. art. 3. ad 1. Et similiter verbũ ociosum dictũ causa delectationis, fit actus bonus & eutropeliæ, secundum D. Tho. in 2. dist. 40. q. 5. ar. 8. Patet etiã in verbis, quæ multoties sumunt malitiam essentialem tantùm ex diuerso fine: idem enim verbum potest esse contumelia vel irrisio vel actus virtutis, solùm ex diuerso fine operantis; nam si tale verbum dicatur à Prælato ex zelo disciplinæ, potest esse actus virtutis punitiuæ: si autem animo auferendi honorem, erit contumelia: si autem animo vt qui audit, irritetur & erubescat, erit irrisio. De quo D. Thom. 2. 2. quæst. 72. art. 2. & quæst. 74 art. 2. & 75. art. 5. & Soto 5. de iustitia q. 90. arti. 2. Item patet in dolore de peccatis, qui si fiat ad satisfaciendum Deo pro iniuria, est actus pœnitentiæ: si autem vt peccatũ erat contra Deum, est actus Charitatis, vt ait D. Thom. 3. p. q. 85. artic. 3. ad 1. Ecce qualiter in omnibus istis sumitur differentia specifica essentialis solùm ex fine operantis.

Tertiò arguitur. Omnis actus Volũtatis, vel versatur circa finem, vel circa media, vt suprà diximus quæst. 8. quia vel versatur circa amabile propter se, vel circa amabile propter aliud: sed quocunque modo istorum specificatur essentialiter à fine: ergo. *3. Arg.* Minor quantum ad actum qui versatur circa finẽ, patet: quantum ad actum autem qui versatur circa media, probatur, Specificatio est ab obiecto non materialiter sed formaliter sumpto: sed medium vt terminat electionem, terminat formaliter vt habet bonitatem finis; quia bonitas finis est ratio volendi tale medium, vt ait D. Thom. in 1. dist. 45. quæst. 1. art. 2. ad 1. & in 2. dist. 24. q. 1. art. 3. ad 3. ergo talis electio à bonitate finis specificatur; hac enim ratione dicimus, quòd credere res Fidei, specificatur â prima veritate, & est eiusdem speciei cum eo quod est credere primæ veritati; quia prima veritas est ratio formalis credendi cætera: & in tantum alia creduntur in quãtum primæ veritati credimus. Secundò probatur eadem minor, nam medium vel habet secundùm se aliquam bonitatem sibi propriam, vel nullam habet, nisi tantùm esse vtile ad finem ad quem assumitur vt medium; vt acuere ensem ad occisionem: De hoc secundo nõ est dubium; si enim nullam habeat bonitatem vel malitiam nisi finis, nullam poterit tribuere specificationẽ, nisi quæ desumitur à fine: si autem medium habeat bonitatem vel malitiam secundùm se, probatur quòd tunc etiam non possit conferre speciem essentialem actui terminato ad ipsum medium vt ad obiectũ proximum: quia si tale medium specificaret essentialiter per propriã bonitatẽ illum actum, talis actus esset essentialiter virtutis per se respicientis talem bonitatem: quod quidẽ est falsum; quia vt actus sit alicuius virtutis requiritur quòd fiat scienter, & propter honestatem ipsius virtutis; vnde sicut quando actus non fit sciẽter, non potest esse actus virtutis: ita nec quando non fit propter honestatem virtutis. Cùm ergo in casu posito actus non tendat in bonitatem medij & obiecti proximi propter se ipsam, sed propter aliud, nempe propter finem, non poterit esse actus virtutis; atque adeò bonitas talis obiecti non specificat essentialiter illũ actum. *Confirm.* Confirmatur, nam de ratione medij est appeti vt vtile, vt ait D. Thom. supra

pra quæstio.7.artic. 2. ad 1.sed implicat quòd vtile ametur propter se, sed propter aliud, vt ait D.Thom.in 3.dist. 35.q. 1.artic.4.quæstiunc.1.in corpore:quia sicut aliquid est bonum,ita est amabile;vnde quod est bonum propter se,vt est honestum, amatur propter se: quod autem est bonum propter aliud,quale est vtile, amatur propter aliud: ergo tota ratio boni & amati pensatur ex fine, & consequenter inde sumitur specificatio: nam si intelligeretur quòd talis actus terminabatur ad bonitatem medij propter se, vt inde sumeretur specificatio, iam ille actus non haberet rationem electionis vlteriùs tendentis ad finem, sed rationem intentionis sistentis in suo obiecto.

4. Arg. Quartò arguitur, quia in casu dubij finis est priùs volitus, quàm obiectum proximum operis: ergo ex illo sumitur specificatio priùs quàm ab obiecto operis. Patet cõsequentia,quia eo modo specificat finis,quo est volitus:si ergo priùs est volitus,priùs specificat,& consequenter specificat essentialiter;nam prima specificatio est essentialis,accidentalis autem superuenit priori præexistenti. Antecedẽs verò probatur,nã finis est ratio volẽdi obiectũ;si quidem vult obiectũ propter talẽ finẽ: ergo priùs est volitus finis, vt sic volitus,sit causa volendi obiectum.

5. Argu. Quintò arguitur. Eadem volitio qua volo pecuniam alienã propter mœchiã, potest continuari & permanere eadem, salua malitia mœchiæ,& destructa malitia furti;& non è contra:ergo malitia mœchiæ est essentialis illi volitioni, & nõ malitia furti; quia illud est essentiale, quod est inuariabile ab eodẽ actu;quod autẽ variabile est,accidentaliter conuenit. Antecedens verò probatur in casu quòd accipere voluisset illã pecuniam existimans esse alienam; postea autẽ cognoscat esse suam; semper tamen manẽs in volitione accipiendi talem pecuniam ad mœchiã. Quòd autẽ è conuerso non possit contingere,patet;nam eo ipso quòd auferretur malitia mœchiæ, consequenter auferretur malitia furti,quia non alia ratione volebat furari; nisi vt vtile ad mœchandũ; vnde cessando à volitione mœchandi,cessaret à volitione furandi: ergo potest manere malitia mœchiæ,ablata malitia furti;non autẽ maneret malitia furti, ablata malitia mœchiæ: & sic malitia mœchiæ erit inuariabilis & essentialis; malitia autem furti,quæ sumitur ex obiecto proximo,erit accidentalis & variabilis.

Sextò arguitur.Primum motiuũ voluntatis ad volendum, est ratio formalis obiectiua primò specificans actũ voluntatis;huiusmodi est finis operantis in casu posito,cùm ab illo moueatur ad volendũ obiectum operis: ergo à tali fine sumitur prima & essentialis specificatio. *6. Argu.*

Septimo arguitur. Species essentialis assensus intellectus desumitur ex medio quo Intellectus determinatur ad assentiẽdum alicui veritati, & non ex ipsa veritate,quæ se habet tatùm materialiter: ergo similiter species essentialis actus voluntatis sumetur à motiuo quo mouetur ad volendum obiectũ, videlicet à fine operãtis, & non ab ipso obiecto quasi materialiter volito. Cõsequentia patet ex paritate rationis. Antecedens verò probatur, quia respectu eiusdem veritatis potest intellectus habere assensus diuersos specie, propter solam diuersitatem mediorũ, vt patet ex Posterioribus. *7. Argu.*

Vltimo arguitur,nam secundùm Aristot.5.Ethic.cap. 2. qui furatur propter mœchiam,magis est mœchus,quàm fur: ergo species essentialis sumitur ex fine operantis,scilicet mœchia, & non ex obiecto, scilicet furto; nam illud verbum Magis,videtur denotare, quòd principalior species & essentialis sit illa quæ desumitur ex fine operantis. *8. Arg.*

Solutio. Si respondeatur,non dixisse Aristo.ipsum actum esse magis mœchiam, quàm furtum; sed quòd operans est magis mœchus;quia ad operantem principaliùs comparatur finis eius, licèt ille sit accidentalis obiecto proximo ipsius operis:Contra,quia operans denominatur fur & mœchus à suo actu: ergo si magis denominatur mœchus, quàm fur, magis & principaliter consideratur in ipso actu malitia mœchiæ,quàm malitia Furti. *Impugn.*

Secunda sententia est,quam tenet M. Soto & Medina hic, quòd vniuersaliter actus humanus,siue interior, siue exterior,specificatur essentialiter ab obiecto immediato ipsius operis; accidentaliter autem à fine operantis: vnde talis finis semper habet rationem circunstantiæ respectu cuiuscunque actus. *2. Senten. Soto. Medin.*

Hæc probatur primò ex D.Thom.suprà.q.7.art.3.ad 3.vbi docet, quòd finis operantis non dat actui speciẽ substantia *1. Argu.*

lem, sed manet circunstantia; vt si quis fortiter pugnet propter libertatem patriæ: finis autem intrinsecus operis dat speciem essentialẽ, vt si quis fortiter pugnet propter bonum fortitudinis. Item in hac quæstione, art. 9. docet, quòd actus secundùm suã speciem indifferens, non potest esse indifferẽs in indiuiduo; quia necessariò habet aliquam circunstantiam, per quam trahatur ad bonum vel malũ, saltem ex intentione finis operantis: sentit ergo, quòd talis finis non tribuit speciem essentialem, sed accidentalem; nam aliàs iam esset bonus vel malus ille actus secundùm speciem, & non tantum in indiuiduo. Item 2.2. quæstio. 11. artic. 1. ad 2. docet, quòd species substantialis sumitur à fine proximo operis, à fine autem remoto tantùm sumitur genus; nam aliàs hæresis substantialiter & essentialiter esset in specie superbiæ vel cupiditatis, ex quibus oritur, & ratione quarum hæreticus deserit Fidem, vt docet August. adductus à Diuo Thoma in illo secundo argumento. Item 2.2 quæst. 32. artic. 1. dicit, quòd dare eleemosynam propter Deum, essentialiter est actus Misericordiæ, & non charitatis. Sentit ergo, quòd ab obiecto proximo, & non à fine remoto operãtis sumitur species essentialis.

2. *Arg.* Secundò arguitur, nam aliàs sequeretur, quòd actus Fidei, Spei & Charitatis, & Pœnitentiæ, concurrentes in iustificatione, essent essentialiter eiusdẽ speciei: cõsequens est falsum: ergo. Sequella probatur, nam omnes illi actus habent eundem finẽ operantis, videlicet satisfacere Deo, in ipsumque cõuerti. *Confirm.* Cõfirmatur, nam actus oppositi possunt ordinari ad eundem finem operantis, verbi gratia, ieiunare & occidere hominem, possunt ordinari ad eundem finem inanis gloriæ: ergo non sumitur species essentialis à fine remoto operantis

3. *Arg.* Tertiò arguitur. Species conueniens inuariabiliter actui, est magis essentialis & prior, quàm quæ conuenit variabiliter: sed quæ conuenit ex obiecto, conuenit inuariabiliter; quæ verò ex fine operantis, variabiliter: ergo prior & essentialis est ex obiecto, quæ verò ex fine, accidentalis. Maior patet, quoniam illo modo conueniendi inuariabiliter diuiduntur prædicationes per se, quæ sunt perpetuæ veritatis & indefectibiles. Minor verò probatur, quia acceptio rei alienæ inuito domino rationabiliter semper manet in specie furti, non tamen semper manet relatio ad eundem finem extrinsecum; potest enim ordinari & non ordinari in illum, vel ordinari in alium & alium, & sic in infinitum: ergo species ex obiecto est inuariabilis & essentialis, quæ autem ex fine, variabilis & accidentalis.

4. *Arg.* Quartò arguitur, quia quod magis est proprium alicui, magis pertinet ad eius speciem: sed finis proximus est magis proprius quàm remotus: ergo proximus operis magis confert speciẽ, quàm remotus operantis. Maior patet, quia species non constituitur per communia, sed per propria quæ illi conueniunt, & non alteri naturæ; sic enim Porphyrius differẽtiam constitutiuam appellat proprijssimam.

5. *Arg.* Quintò arguitur, nam actus pertinet essentialiter ad virtutem elicientem, accidentaliter autem ad imperantem: ergo si militer actus vitij pertinet essentialiter ad habitũ vitij elicientẽ, accidentaliter verò ad imperantem. Cõsequentia patet ex paritate rationis; sicut enim actus subleuandi miseriã, est elicitus à misericordia: ita & acceptio rei alienæ, est actus iniustitiæ: & sicut ex motiuo pœnitentiç & imperio illius exercetur actus misericordiç, ita ex motiuo & imperio intentionis mechiæ exercetur furtũ: ergo sicut actus subleuandi miseriam, pertinet essentialiter ad misericordiam, & accidẽtaliter ad pœnitentiam: ita & furtum propter mœchiam, pertinebit essentialiter ad iniustitiam, accidentaliter verò ad mœchiam; & consequenter cum ex parte elicientis respiciat obiectum proximum, ex parte verò imperantis, finem remotum, ex obiecto proximo habebit speciem essentialem, ex fine verò remoto speciem accidẽtalem. Primum verò antecedens est manifestum, quòd qui cõfert eleemosynam ad placãdum Deum, ille actus essentialiter est misericordiæ, accidentaliter verò pœnitentiæ; & cùm quis debitum vult restituere propter Deum ille actus essentialiter est iustitiæ, debet enim actus qui versatur proximè circa obiectum formale alicuius virtutis, specificari à tali obiecto quod respicitur à virtute elicente talem actum; aliàs enim esset confundere essentias actuum, tam virtutum, quàm vitiorum: quia ex parte finium nihil

nihil est præfixum, vt vnicuique sua essentia tribuatur; solùm autem est præfixum quod se tenet ex parte obiecti proximi. Si respondeatur, probare argumentum, quòd ille actus secundùm se cõsideratus desumit speciem essentialem ab obiecto, considerat us tamen vt subordinatus illi intentioni, & imperanti, habere speciem essentialem à fine imperantis. Contra arguitur, quia illa ordinatio ex parte imperantis ad finem, non tollit naturam actus: ergo si secundùm se consideratus habet speciem essentialem ex obiecto: similiter etiam vt subordinatus tali intentioni vel imperanti, illam retinebit. Et consequentia patet, quia quæ naturaliter & essentialiter competunt, semper & vbique, & subquacunque consideratione permanent. Antecedens verò probatur, quia ex eo quod actus furti ordinetur ad vlteriorem finem, non tollitur quin prius terminetur ad rem alienã: ergo etiam vt stat sub illa intentione, retinet speciem furti.

Solut.

Impug.

6. Arg. Sextò arguitur. Cùm aliquis furatur propter mœchiam, ordinat actum furti ad mœchiam, sed ordinat actum non specificatum: ergo constitutum iam in sua specie: ergo ante ordinationem ad illum finem, intelligitur in sua specie constitutus ex proprio obiecto. Minor patet, maximè in opere bono ordinato ad bonum finem, vt dare eleemosynam ad satisfaciendum Deo; præsupponitur enim, illud opus ordinatum esse bonum moraliter; aliàs enim vellet ordinare vel actum malum vel indifferentem, quod est falsum.

7. Arg. Septimò. Finis operantis non variat essentialiter actũ Intellectus: ergo neque actum Voluntatis. Consequentia patet ex paritate rationis. Antecedẽs verò probatur, nã si quis addiscat scientiã speculatiuam vt lucretur pecunias, non ideò facit illam scientiam practicam, sed manet speculatiua ratione sui obiecti, & proximi ac proprij finis: ergo similiter species quã habet actus voluntatis ex obiecto & fine proximo, non variatur essentialiter ex fine operantis.

8. Arg. Octauò arguitur. Qui furatur propter mœchiam, incurrit pœnas statutas pro furto, non autem inflictas per mœchiã: ergo talis actus essentialiter est furtum, & non mœchia. Patet consequẽtia, quia si tantùm materialiter esset furtum, non incurreret tales pœnas; sicut si furiosus hominem occidat materialiter, non præcedente formali aut virtuali volitione occisionis, non incurrit pœnas homicidij, quia materialiter & non formaliter est homicida. Antecedens verò probatur, quia quando furatur vt postea mœchetur, tunc realiter est fur, & non mœchus: ergo incurrit pœnas furis, & non mœchi.

Vltimò arguitur. Talis actus est electio: ergo essentialiter specificatur à medio; medium autem est acceptio rei alienæ: ergo ab illa specificatur, & erit essentialiter furtum. Confirmatur, quia quælibet potentia ex immediato obiecto specificatur, vt docet D. Thom. 3. de anima: ergo similiter loquendum est de actibus, siue exterioribus, siue interioribus, quòd ab obiecto immediato & proximo specificentur. *9. Arguit.* *Confirm.*

Tertia sententia est media, quam tenet Caietanus hic, & suprà art. 4. & infrà quæstio. 20. artic. 2. dub. 3. quòd si loquamur de actu interiori voluntatis, specificatur à fine operantis, quia ille finis nõ est circunstantia & accidens, sed obiectum proprium talis actus; & sic essentialiter specificat illum: si autem loquamur de actu exteriori, tunc si consideretur materialiter & secundùm se, specificatur essentialiter ab obiecto proximo; finis autem operantis est extrinsecus & accidentalis tali actui: si tamen consideretur etiam actus exterior formaliter vt subordinatus interiori, & ab illo relatus ad finem ipsius interioris, vt sic etiam specificatur essentialiter à fine operantis, quia vt sic, reputatur idem cum actu interiori cui subordinatur. Prima pars huius sententiæ probatur, argumentis positis pro prima sententia: & secunda argumẽtis positis pro secunda. Reputat autem Caietanus hanc esse expressam sententiam D. Thom. hic in corpore, vbi ait, quòd sicut actus exterior accipit speciẽ ab obiecto circa quod est, ita & actus interior Voluntatis accipit speciem à fine, sicut à proprio obiecto. Et solutione ad secundũ, ait, quòd ordinari ad talẽ finem, & si accidat exteriori actui, nõ tamen accidit interiori actui voluntatis. Et solutione ad 3. dicit idem; & suprà quæst. 8. art. 3. & quæst. 12. art. 4 dicit, quod quandò idem numero actus voluntatis terminatur ad medium & ad finem, tunc finis compa- *3. Sent. Caiet.*

ratur ad medium, ſicut terminus motus ad motum, & ſicut ratio formalis ad obiectum: conſtat autem, motum non ſumere ſpeciem à medio, ſed â termino. Item quæſt.13.art.1.dicit, quòd ſi quis faciat actum fortitudinis propter Dei amorẽ, actus ille materialiter eſt fortitudinis, formaliter verò Charitatis. Denique infrà quæſtio.19.artic.2.ad 1. & quæſtio.72. artic.3.in corp. & ad 1. & 2. vtitur prædicta diſtinctione de actibus exterioribus & interioribus.

4.Senten. Quarta ſententia eſt etiã media, quòd electio poteſt conſiderari dupliciter. Primò, vt dictatur à Prudẽtia, vel illi repugnat. Secundô vt eſt actus Volũtatis. Primo modo ſpecificatur â medio & obiecto proximo; quia Prudentia non dictat de fine, ſed de mediis. Secundò autem modo ſpecificatur à fine operantis, quia debet ſpecificari ab aliquo contento ſub obiecto voluntatis, quod eſt finis.

5. Senten. Quinta ſententia eſt etiam media, quòd quælibet electio habet duas partes entitatis, & altera terminatur ad mediũ, altera verô ad finem, vnde & duplicem habet ſpecificationem eſſentialem, alteram à fine, alteram verô à medio, licẽt & ſpecificatio eſſentialis deſumpta à medio, accipiat ſpecificationem eſſentialem à fine.

6.Sent. Vazquez. Sexta ſententia eſt Vazquez diſp. 21 capit.2. qui dicit quatuor. Primò, quòd electio interior Voluntatis ſumit ſpeciem eſſentialem etiam à fine operantis, tanquàm ab obiecto formali. Secundò, quòd actus exterior ſumptus vt medium ad aſſequendum finem, ſumit ſpeciem eſſentialem ab obiecto proximo habente rationem medij. Tertiò, quòd electio bona interior ſumit eſſentialem bonitatem à fine, nullamque ſumit â medio, quia medium non eſt volitum propter ſe: quãdo autem medium eſt malum, ſumit malitiam ab illo, quia ad hoc ſatis eſt quòd ſit virtualiter vel interpretatiue, vel indirectè volitum: & pro hoc dicto adducit Occham & Martinum de Mag. Almayn & Ferraram 5. contra Gent. cap. 38. licèt Ferrara hoc non dicat. Quartò, nullus actus Voluntatis poteſt habere bonitatem vel malitiam, etiam accidentalem, ab alio actu Voluntatis imperante illum. Hoc vltimum probat, quia aliàs actus charitatis poſſet fieri malus ex fine imperantis, cùm poſſet imperari in ordine ad malum finem: quod tamen eſt impoſsibile, cùm actus Charitatis fiat ex auxilio ſupernaturali ſpeciali, quod dari non poteſt ad actum malum. Eo vel maximé, quia iam non eſſet actus Charitatis, quia iſte debet fieri propter Deum ſuper omnia dilectum: ille autem actus propter alium finem malum, non eſſet amor Dei ſuper omnia. Secundò probatur, quia quod actus ſit humanus, & liber, non habet ab extrinſeco, ſed à principio humano & libero intrinſeco: ergo non habet ab imperante bonitatem vel malitiam, quia cùm ab eodẽ debeat ſummi eſſe humanum vel liberum, & eſſe bonum vel malũ, ſi non poteſt ab imperante, quod eſt extrinſecum, habere eſſe humanum & liberũ, nec etiam ab illo poterit habere bonitatẽ vel malitiam. Quòd autem eſſe humanum vel liberũ, non habeat ab extrinſeco, patet ex differentia inter actum interiorem Voluntatis & exteriorem aliarum potentiarũ, quòd iſte eſt humanus & liber ab extrinſeco vt ſubditur voluntati, ille verò à proprio principio intrinſeco eliciente talem actũ. Tertiò probatur. Si ab imperante cõmunicatur actui bonitas vel malitia, tunc ſi quis ieiunet propter lucrum quod ſperat, ille actus ieiunij eſſentialiter eſt actus tẽperantiæ, & eliceretur ab illa, cùm reſpiciat obiectum talis virtutis, & aliàs accidentaliter haberet malitiam cupiditatis imperantis tale ieiunũ: hoc eſt impoſsibile: ergo nulla bonitas vel malitia cõmunicatur actui ab imperãte. Minor probatur. Implicat, dare actum elicitũ alicuius virtutis ſine actu Prudentiæ: eo autẽ ipſo q̃ tali actui Tẽperantiæ cõmunicetur malitia finis cupiditatis, non poteſt dictari â Prudentia, ſed potius ab imprudentia: ergo non ſtat quòd ſit actus Tẽperantiæ eſſentialiter, & habeat accidentaliter malitiam finis cupiditatis.

7.Senten. Septima ſententia etiam dicit duo. Primò, quòd in actibus bonis, quando medium non habet aliquam rationem boni motiuam Voluntatis, tunc talis electio ſumit eſſentialem ſpeciem à fine operantis: ſi verô ipſum medium & proximum obiectum habeat aliquam bonitatem diſtinctã à bonitate finis, tunc ille actus habet ſpeciem eſſentialem bonitatis â medio & obiecto proximo: â fine autẽ operantis ſolùm bonitatem accidentalem; vt cùm quis vult ieiunare propter caſtitatẽ

habet

habet bonitatem essentialem abstinẽtiæ, accidentalem verò castitatis. Secundô dicit, quòd in actibus malis, alia specialis est ratio, quia in illis est considerare duo. Primum, conuersionem ad obiectum. Secundum, auersionem à regula & ratione. Quantum ad primum, specificatur actus essentialiter à primâ ratione motiua ad operandum, siue ista reperiatur in obiecto proximo, siue in fine operantis; vnde indifferenter se habet ad vtrumque. Quantum ad secundum, similiter specificatur essentialiter à prima priuatione conformitatis ad regulam, siue illa reperiatur in obiecto proximo, siue in fine operantis, vnde etiam indifferenter se habet ad vtrũque, tantùm attendens ad illud in quo primo reperta fuerit talis priuatio regulæ rationis.

8. Sent. Valencia. Octaua sententia est Valentiæ hic pũcto 4. quòd electio & actus volũtatis qui versatur circa media, siue sit actus interior, siue exterior, summit bonitatem à medio, & simulà fine ad quem ordinatur, quia vtrumque, siue medium, siue finis, simul est obiectum talis actus. Verũ est (inquit) quòd actus exterior præcipuè sumit specificationem ex obiecto proximo, & minus principalem à fine; è contra in actu interiori, ab vtroque tamen essentialiter.

Not. 1. Pro intelligentia notandum primò, quòd obiectum proximum & finis remotus operantis, de quibus loquimur in ordine ad actum qui versatur circa vnum propter aliud, vt furtum & mœchia, licèt secundùm se considerati, sint species disparatæ, nec inter se habeant ordinẽ, quia diuersorum sunt generum vel quia etiã si sint eiusdem generis, species atomæ nõ sub ordinantur ad inuicem, in ordine tamen ad rationem pergentem ad vnũ per aliud habet subordinationem moralem, & vnum præsupponitur alteri, & alterũ est ratio appetendi alterum, per furtum enim tendit ad mœchiam, & mœchia est ratio furandi.

Not. 2. Secundò notandum, quòd finis operis & finis operantis, dupliciter possunt inter se comparari in ratione prioris & posterioris. Primò prioritate ordinis, & sic certum est finem operis esse priorẽ, quia immediatior: finem verò operantis posteriorem, quia mediatus est. Secundo modo prioritate dignitatis in genere bonitatis vel malitiæ, & isto quidem modo indifferenter se habent: modo enim finis operis potest esse melior vel peior, quàm operantis; modo autem è conuerso; pro libito enim potest ordinare furtũ ad mœchiam, vel è contra. Tertio modo prioritate specificationis: illud enim dicitur prius in specificando, quod tribuit speciẽ essentialem; illud verò dicitur posterius, quod tribuit speciem accidentalem; species enim essentialis est prima; accidentalis verô posterior ad illà: accidentia enim subsantiam & essentiam rei præsupponunt: de hoc ergo quærimus hic, quænã sit prior in specificando, bonitas, vel malitia, vel finis operis, an verò finis operantis.

Tertiô notandum, quôd actus humanus est duplex: alter interior; alter verò exterior, vt dicit D. Thom. hic. Ne autem in æquiuoco nominis interioris & exterioris laboremus, notandum, quòd aliquando actus exterior dicitur ille qui elicitur à potentijs externis & inferioribus ad voluntatem: interior verò, omnis ille qui à voluntate est elicitus, in illaquè manens: non autem isto modo intelligitur hic actus interior & exterior, sed nomine exterioris intelligimus quemcunque actum imperatum vel habentem rationem electionis, vel medij ad aliquem finem, siue talis actus sit elicitus â potentijs inferioribus, siue ab ipsa voluntate. Nomine autem interioris intelligimus actum imperantem, vel intẽtionem à qua proceditur ad electionem mediorum: sic enim loquitur D. Tho. cùm ad secundũ, ait, quod actus interior cõparatur ad exteriorem, vt formalè ad materiale: & ad tertium ait, quòd quando multi actus specie differentes ordinantur ad eundẽ finẽ, est diuersitas specifica ex parte actũ exteriorum; vnitas verò specifica ex parte interiorum; quæ vtiquæ verificari non possunt nisi summendo interiorem pro imperante, exteriorem verô pro imperato; imperans enim habet rationem formalẽ respectu imperati, vt dixi q. 17. art. 4. eodem modo intelligitur supra q. 13. art. 1. dicens martyrium materialiter esse actum fortitudinis: & hac ratione 2. 2. q. 23. art. 8. dicit, Charitatem esse formam omnium virtutum, quia imperat omnes virtutes. Ex quo sequitur, quôd potest appellari actus interior, actus, siue Intellectus, siue Voluntatis, & similiter exterior; quia modò potest esse actus Intelle-

Not. 3.

ctus imperans, Voluntatis autem imperatus, vt actus fidei in Intellectu potest imperare actum pœnitentiæ in Voluntate, vel è conuerso, actus Charitatis in Voluntate potest esse imperans, & actus fidei in Intellectu imperati: & denique saltem ex parte operantis, pro libito eius potest non solùm virtus superior imperare inferiorem, sed etiam inferior potest imperare superiorem: de quo Caiet. 2. 2. q. 123. art. 5. §. ad tertium.

Not.4. Quartò notandum, quòd actus exterior potest dupliciter considerari. Primò secundum se & absolutè. Secundò formaliter, vt imperatur, vel vt ordinatur ad finem imperantis. Primo modo non est dubiũ, quin specificetur essentialiter à proprio & inmediato obiecto. Quod autem vertitur in dubium est, vtrum formaliter vt imperatus, & ordinatus ad finem operantis, habeat speciem essentialem ex tali fine, an verò ex proprio obiecto.

Not.5. Quintò notandum, quòd voluntas potest ferri in furtum, & mœchiam, vel vnico actu in vnum propter aliud, vel diuersis actibus, ita vt primo actu feratur in furtum, & secundo in mœchiam, ordinando iræ existentem furti ad secundum mœchię. De secundo non est dubium, quin prior actus specificetur essentialiter à furto, & secundus actus à mœchia; & quôd ordinari ad mœchiam, accidat actui furti, cũ adueniat actui constituto in specie furti. Remanet ergo dubium de primo modo, quando eodem actu fertur in vtrunque, â quo specificetur essentialiter talis actus à furto & obiecto immediato, an verò â mœchia & fine remoto.

Not.6. Sextò notandum, falsum supponere primam sententiam, quòd actus humanus ab alio sumat speciem in esse naturæ & ab alio in esse moris, vt sic concludat, quôd si specificatio in esse naturæ sumitur ab obiecto immediato, debeat sumi in esse moris à fine operantis licèt enim alia ratione constituatur in specie naturæ & alia in specie morali, non tamen est necesse recurrere ad diuersa specificatiua sed ab eodem diuersimò de sumpto, vel in esse naturæ, vel in esse moris, potest vtraq; specificatio de sumi; vt patet in amore vel odio Dei, quod ab eodem obiecto habet bonitatem vel malitiam in esse naturæ & in esse moris, licèt secundùm diuersam rationem, vt diximus. Similiter patet in omnibus actibus intrinsecè malis; vt mẽdatium ab eodem obiecto specificatur in genere naturæ, & in genere moris; nam aliàs nullus actus esset bonus vel malus moraliter ex suo obiecto immediato, cùm ab illo sumatur specificatio in genere naturæ, si aliunde esset petenda specificatio moralis: quod tamen est falsum, vt ostendimus art. 2. & patet in virtutibus & habitibus, qui ex proprijs obiectis, etiã in genere moris specie distinguũtur, vt dicetur infra q. 54. art. 2. licèt enim habitus immediatè specificentur per actus, vltimatè tamen & radicaliter specificantur per obiecta ipsorum actuum; & cùm eadem ratio sit de actibus, sicut virtutes & habitus speciemorali distinguuntur per obiecta, ita similiter & actus.

Prima conclusio. Actus humanus, siue interior, siue exterior, siue imperans siue imperatus, non sumit speciem essentialẽ in genere moris ex obiecto proximo & fine remôto operantis simul. Hæc est cõtra Valentiam, & probatur primô: Nam essentia cuiuscunque rei debet esse omnino simplex & vna. Vnũ autem simplex non potest ex pluribus, qualia sunt obiectum & finis, coalescere. Secundô probatur, nam aliàs nunquam finis operantis esset circunstantia actus humani, si semper concurrit cum obiecto ad partialiter tribuendam speciem essentialem, quod est falsum, vt suprà diximus; immò & sequeretur, nullum actum esse in indiuiduo in differentem secundùm speciem essentialem, quia cùm in indiuiduo semper cum obiecto sit assignandus finis operãtis, si iste confert semper speciem essentialem, nunquam actus in indiuiduo erit in differens secundùm essentiam; cuius contrarium demonstrabitur infrà art. 8. Tertiô probatur, nam quantum ad specificationem essentialem eadem est ratio de actu & de virtute eliciente talem actũ: sed virtus non potest dici quòd essentialiter specificetur simul ab obiecto & fine operantis: ergo neque actus elicitus à tali virtute. Quartò probatur, quia aliàs nullus actus esset imperatus à virtute respiciente finem vt obiectum: consequens est falsum: ergo. Sequella patet, nam si talis actus specificatur essentialiter ab illo fine, debet elici à virtute respiciente talem finem; & si elicitur, non imperatur ab illa; quia elici, est causari immediate, imperari autem; est causari mediatè, vt docet D. Tho. in 3. dist. 27. q. 2. art. 4. quæstiunc. 3. *1.Concl.*

est

est autē impossibile, quòd ide actus sub eadem ratione causetur mediatè & immediatè ab eodem principio. Quinto probatur,nam aliàs actus fidei informis & fidei formatæ,essent diuersę speciei essentialiter:consequens est contra sanam doctrinam:ergo,Sequella probatur,nam actus fidei informis solùm potest specificari à proprio obiecto, non autem à fine Charitatis,cùm non imperetur ab illa: actus autem fidei formatæ cū imperetur à Charitate secundū cōtrariā sententiā,specificabitur essentialiter etiā à fine Charitatis:cū ergo specificatiua essentialia secūdū istā sententiā sint diuersaetiā illi actus in diuersa specie essentiali erūt cōstituti. Sextò probatur,nam aliàs auaritia (verbi gratia) non solùm esset essentialiter in specie in ordinati amoris pecuniæ tātùm secundùm quòd vtilis,sed etiam esset essentialiter in specie cuiuscunque vitij, vt vanæ gloriæ,luxuriæ,gulæ,&c. Consequens est falsum: ergo. Sequella patet, quia huiusmodi vitium potest ordinari ad finem omnium peccatorū, iuxta illud Pauli. Radix omnium malorum est cupiditas:ergo si ex fine operantis sumitur etiam specificatio essentialis, essentialiter constituetur in specie omnium peccatorum.

2.Concl. Secunda conclusio. Quicunque actus imperatus,siue exterioris potentiæ, siue elicitus à voluntate habens rationem electionis,non potest specificari essentialiter à fine remoto operantis, sed ab obiecto proximo & immediato ipsius operis, Hanc probant argumenta pro secunda sententia facta,& in hac etiam debent cōuenire authores primæ sententiæ, & sic docet Conradus q.71.art.2. ad 1.vbi ait, actum exteriorem specificari essentialiter ex suo proprio obiecto, ex fine autē solum habere especiem accidētalem. Nomine autē actus exterioris iam diximus intelligi quemcunque imperatum , vel habentem rationem electionis. Probatur primò conclusio. Actus electionis eliciti ab aliqua virtute specificantur essentialiter ab obiecto proprio talis virtutis: ergo similiter & actus electionis, quibus talis virtus generatur. Consequentia patet, nam actus generant habitum, consimiles debent esse actibus elicitis ab illo. Antecedens verò probatur,nam actus eliciti à virtute,specificantur ab eodem atque virtus:cùm ergo virtus specificetur ex proprio obiecto , quia per propria obiecta virtutes essentialiter distinguuntur inter se, consequenter & actus eliciti ab illis. Si respondeatur hoc probare de illis actibus materialiter & secundum se,non autem vt imperatis in ordine ad finē. *Solutio.* *Impugn.* Cōtra,quia virtutes ex propria ratione virtutum habent imperari à Charitate: hac enim ratione dicitur esse formam virtutū 2.2.q.23.art.8.ergo si secundùm propriā rationem virtutum constituuntur & distinguuntur essentialiter per obiecta,imperari vel non imperari non tollet,specificationem essentialem desumi ex obiecto proprio.Secundò probatur,nam aliàs sequeretur , omnes actus electionis esse eiusdem speciei atomæ: vnde nec esse diuersa peccata:consequens est falsum: ergo. Sequella patet,nam omnes actus electionis ordinantur ad eundem finem vltimum:ergo si ex fine sumitur specificatio essentialis, cùm finis vltimus sit idem species essentialis omnium electionū erit eadem. *Solutio.* Si respondetur , non hic loqui de fine vltimo in ordine ad quem potest esse diuersitas electionum, sed de fine inter medio particulari ipsius operantis: *Impug.* Contra,quia finis vltimus principaliùs & meliùs habet rationem finis, quàm inter medius,& magis intrinseca est ordinatio ad finem vltimum , quam ad intermedium: ergo si ordinatio ad finem inter medium facit speciem essentialē actus, melius hoc faciet ordinatio ad finē vltimum. Tertiò probatur,quia aliàs nō esset distinctio inter intentionem & electionem;nam si vtraque specificatur à fine,quæ distinctio poterit esse inter vtramque. Nec valet, dicere,ex eo distingui quia intētio attingit immediatē finem;electio verò mediatē. Non(inquam)valet,quia si obiectum formale est idem , quòd attingatur mediatē vel immediate, non facit diuersitatem specificam,vt patet in amore Dei.& proximi , qui eiusdem speciei sunt quia obiectum formale est idem, nempe bonitas diuina , licèt hæc mediatè attingatur ab amore proximi. Et credere, mundum cœpisse,propter primam veritatē & credere primæ veritati, eiusdem speciei fidei sunt. Licèt credere mundum cœpisse, attingat mediatè primam veritatē : quia vtriusque obiectum formale est prima veritas. Quartò probatur. Vt dicebamus in prima conclusione , sequeretur, quòd omnia peccata specificarentur ab vno vltimo

timo fine (verbi gratia) ſuperbiæ & amoris proprij: & ſimiliter omnes virtutes ab vno fine Charitatis, & ſic inter ſe non haberent diſtinctionem ſpecificam. Sequella patet, quia omnia peccata ordinantur ad finem ſuperbiæ, ſecundum D. Thom. q.88.art.8.& 2.2.q.18.art.2.& 8 & q.132.art.4. Et quòd etiam ordinẽtur ad bonum proprium, eſt Diui Auguſt. 14.de ciuit.cap.28. Confirmatur, nam ſimiliter cum hæreſis ordinetur ad vanam gloriam & cupiditatem, vt dicit D.Tho. loco citato, & Auguſt.libro de vtilitate credendi, à principio, & Hier. Amoſ.2. ſuper illud; eo quòd vendiderit iuſtum. Greg.ſuper Iob. 30. radix iuniperorum etiam ſpecificaretur â cupiditate vel vanagloria: conſequens eſt falſum, vt oſtendit D.Thomas 2.2.quæſt.11.art.1, ibi enim manifeſtat, quòd hæreſis eſt ſpecies infidelitatis, quæ directè opponitur fidei. Item ſequeretur, quòd â quolibet vitio capitali eius filiæ non diſtingueren tur ſpecie, verbi gratia, auaritia, proditio, periurium, fraus, &c. quas D.Thom. oſtendit auaritiæ eſſe filias 2.2. q. 118.art. 8. neque â gula, inepta lætitia, ſcurrilitas, hebetudo mẽtis, quæ gulę ſunt filiæ, ſecũdum D.Tho.2.2.q.148.art,2. nec ab inani gloria iactantia, hypocriſis diſcordia quæ inanis gloriæ ſunt filiæ, ſecundũ D. Tho.2.2.q.132.art.5. conſequens autem eſt falſum, nam diſcordia opponitur immediatè Charitati: inanis autem gloria magnitudini, ex Diuo Thom. loco modo dicto art.2. Sequella verò probatur, nam omnia hęc vitia quę ſunt filiæ, oriuntur ex capitalibus per amorẽ finis capitaliũ, vt docet D.Tho.infra q.84.art,3.&.4. ergo habebunt ſpeciẽ eſſentialẽ ipſius capitalis, ſi ſpecies eſſentialis deſumitur ex fine. Itẽ ſequeretur, quòd iuſtus qui retulit ſe & omnia ſua in Deum nullum actũ alterius virtutis exerceret, quàm Charitatis: quia ſi ſpecificatio ſumitur à fine operantis, omnes actus illius ſpecificabuntur à fine Charitatis, & erunt omnes actus Charitatis, & ſic dicendum eſſet, quòd iuſtus nõ exercet actũ fidei viuæ, vt eſt credere in Deũ, vt dicit D.Tho.2.2.q.2.& ſimiliter nec actũ pœnitentiæ, contra D. Thom.3.p.q.85.art.2. & ſimiliter nec in illo eſſent actus eliciti per dona Spiritus Sancti, & ſic omnes virtutes & dona præter Charitatẽ eſſent ſuperflua in hoc iuſto operante ex fine Charitatis. Itẽ ſequeretur, nõ eſſe diſtinctionẽ inter dulliã & latriã, & adorationẽ Sanctorũ, qui adorãtur propter Deũ, cũ finis illorũ ſit idẽ, videlicet Dei reuerẽtia; quod tamẽ eſt contra D.Tho.2.2.q.25.art.1.ad 2.& q.103. art.8.ad.2. Itẽ ſequeretur, nõ eſſe diſtinctionẽ inter actũ elicitũ & imperatũ ab aliqua virtute, cũ etiã imperatus tendat ad finẽ imperãtis, contra D.Tho.2.2.q.33. ar.1.ad.2.& q.124.ar.2.ad.2.& 3.p.q.85 ar.2.ad.1. vbi diſtinguit actus imperatos in propia ſpecie conſtitutos, ab ipſo actu imperãte. Quintò prouatur, nã mediũ formaliter vt vtile, eſt motiuum, & obiectũ voluntatis, ſufficiens ſpecificare actus illius; non quidẽ intẽtionis: ergo electionis, & conſequenter electio vt electio nõ ſpecificabitur à fine, ſed ab obiecto proximo habente rationẽ medij, & vtilis ad finẽ operantis. Antecedens eſt D.Th. 2.2. q.124.art.2.ad.2. vbi ait, martyriũ ſpecificari à bono fortitudinis volito vt mediũ propter Deum: & generaliter id docet de medijs 3.contra Gent.c.2.ratione 4.& q. 24.de veritate art.1.ad 11.& Aug.11.de Ciuit.c. 6.Clem.Alex.lib.7. Stromatũ, ante mediũ, & rurſus D.Tho.2.2.q.118. ar.2.ponit auaritiã peccatũ ſpeciale, quia inordinatè fertur in pecuniã vt vtilẽ, & non vt delectabilem vel honeſtam.

Aug. Hier. Greg. D. Tho. — *Confirm.* — *D. Thom.*

Ex dictis in hac concluſione ſequitur cõtra Vazquez, eodẽ modo loquendũ eſſe de electione bona & mala, quod ſpecificatur ab obiecto proximo pro vt eſt mediũ & vtile ad finẽ operãtis: & differentia quã aſsignat inter mediũ bonũ & malũ, nulla eſt; non enim amplius requiritur eſſe volitum bonũ, quã malũ, vt alterũ tribuat bonitatẽ, & alterũ malitiã, & illud eſt falſum quod aſſerit, quod quãdo mediũ eſt malũ, ſufficit vt tribuat malitiam propriæ ſpeciei, aliquo modo eſſe volitũ; nã qui culpabiliter ignorat aliquã veritatẽ fidei, non habet malitiã hæreſis, etiã ſi talis error quẽ habet, ſit volitus virtualiter & interpretatiuè, cũ ſit culpabilis, vt ſupponimus; quia ad rationẽ hæreſis requiritur velle diſcedere ab Eccleſia, & tenere contra illam, vt oſtendit Bañez 2.2. q.11.art.2. Qui autem per ignorantiam, etiam culpabilẽ, tenet contra Eccleſiã, cũ non teneat ſciẽter & pertinaciter, non incurrit hæreſim ſed facit peccatum contra ſtudioſitatem, vel aliam virtutem. Similiter patet in peccato ſcandali, nam ſi quis ſolicitet fœminam ad libidinem, vir-

Corolar.

virtualiter vultruinam ſpiritualem illius & tamen vt dicitur,2.2.q.43.art.1.&52. art.2.& Medina infra q.72. art.9.non in currit peccatum ſcandali,quia ad hoc requiritur,directè velle ruinam fœminæ.

3.Concl. Tertia concluſio. Actus imperatus,ſiue electio,etiam ſiſit actus interior Volũtatis,licèt eſſentialiter ſpecificetur ab obiecto proximo,nihilominus habet ſpeciẽ accidentalẽ bonitatis vel malitiæ à fine operantis.Hæc etiam eſt contra Vazquez eſt tamen expreſſa D.Tho.nam art.quarto præcedenti vniuerſaliter loquendo de actu humano:enumerat quatuor bonitates vel malitias quæ illi poſſunt conuenire,eſſentialem quidem dicit eſſe ab obiecto;accidentalem verò ex fine,& in 2.diſtinct.40.quæſt.1.art.2.ad.2.dicit, quòd in eleemoſyna propter Deum eſt duplex bonitas,altera miſericordię, & altera Charitatis:& 2.2.quęſt.124,ar.2.ad.2. docet, martyrium habere bonitatem fortitudinis & Charitatis: ex quibus ſic arguitur. Iſta duplex bonitas non poteſt vtraque eſſe eſſentialis,vt diximus in prima concluſione; ſed vt oſtendimus in ſecunda,bonitasquę deſumitur ex obiecto proximo & virtute eliciente,eſt eſſentialis:ergo illaque deſumitur ex fine remoto & virtute imperante,erit accidentalis: Vazquez. Nec valet ſolutio Vazquez, quòd actus martyrij(verbi gratia)imperatus à Charitate,nõ elicitur à fortitudine.ſed à Charitate;vnde non habet bonitatem eſſentialem fortitudinis,ſed Charitatis. Non (inquam)hoc valet, nam eſt contra D. Thom. in illo loco: ait enim,quòd elicitur à fortitudine,& imperatur à Charitate.& vt ſuprà diximus, impoſsibile eſt,actum imperatum elici ab imperante; nã imperare,eſt eſſe cauſam mediatam; elicere verò,eſt eſſe cauſam immediatam; & vna & eadem non poteſt eſſe cauſa mediata & immediata eiuſdem effectus. Et ratione patet,nam ſi actus imperatus elicitur ab imperante,tunc actus pœnitentiæ & Fidei viuæ,& donorũ Spiritus ſancti;cùm neceſſario ſint imperati à Charitate,elicerentur ab illa;& ſic ſuperfluè eſſet pœnitẽtia, vel Fides,vel dona,ſi ad huiuſmodi actus non requiruntur, nec imperatiuè,nec elicitiuè. D.Thom. Item impugnatur,nam,vt ait D.Tho.2.2.q. 23.arti.8. Charitas imperans virtutes,eſt forma illarum;ſed forma quando non eſt violenta, non deſtruit, ſed perficit naturam ſubiecti,maximè quãdo forma eſt ordinis gratię,quia gratia non deſtruit, ſed perficit naturam:ergo Charitas imperans, & habens rationem formę,non deſtruit eſſentialem bonitatem actus imperati,vt ſic talis actus maneat eſſentialiter bonus bonitate Charitatis imperantis,ſed tantũ Charitas perficit bonitatem eſſentialẽ actus imperati, quam habebat ex ſuo obiecto; & ſic bonitas ſuperueniens à Charitate imperante,erit accidentalis,vtique ſuperueniens prę exiſtenti bonitati eſſentiali, quam actus habebat ex proprio obiecto, & ex virtute eliciente. Ex quo ſequitur Color arg. etiam contra Vazquez,quòd quãdo quis facit eleemoſynam propter Deum,vel furatur propter mœchiam,non ſolum malitia mœchię communicatur Formaliter operanti,ſed etiam ipſi operationi furti; ipſum enim furtum eſſentialiter habet malitiam furti,& formaliter etiam, licèt accidentaliter malitiam mœchiæ vt expreſſè docet D.Tho.2.2.q.85.art.3.& 3. contra Gentes,cap.138.& nos iam ſuprà oſtendimus,qualiter actus imperatus participet formaliter & intrinſecè bonitatẽ, vel malitiam ab ipſo imperante. Et D. Thomas ſupra q.13.art.1. ponit regulam generalem, quod actus qui eſſentialiter eſt vnius potentiæ vel habitus, recipit formam vel ſpeciem à potentia vel habitu ſuperiori,ſecundùm quòd inferius ordinatur à ſuperiori;vt contingit in actu Fortitudinis exercito propter Deum.

4.Concl. Quarta concluſio.Quando per vnum actum quis fertur in obiectum proximũ & finem remotum, vt cùm eodem actu vult furari propter mœchiã; tunc ſi talis actus habet rationem electionis, & tendat in furtum in recto,& in mœchiam in obliquo(non tantùm ſecundum nomen, ſed ſecũdùm rem)habet ſpeciem eſſentialem à furto, & accinentalem à fine mæchiæ;quia tunc ille actus eſt imperatus à mœchia,eſtqué actus electionis, de quibus diximus,neceſſariò ſpecificari eſſentialiter ab obiecto proximo habente rationem medij. Si autem ille actus attingens vtrunque, habeat rationem intentionis,attingens in recto finem mœchiæ, & in obliquo rationem furti;ſpecificatur eſſencialiter à mœchia,accidentaliter verò & materialiter continet malitiam furti;intentio enim ſpecificatur à fine,& materialiter reſpicit media:quia autem regulariter actus attingens vtrumque, habet

ratio

rationem intentionis principaliter, & in recto attingens finem mœchiæ, ideò absolutè dicitur, illum actum specificari à fine, & hanc existimo mentem Caietani, dum inquit, quod actus exterior sumit speciem essentialem ab obiecto: actus vero interior à fine, quia vt diximus, nomine actus exterioris intelligitur actus imperatus, seu electio: nomine verò actus interioris intelligitur imperans seu intẽtio, & si nomine actus interioris intelligatur quicunque elicitus à Voluntate, siue per modum intentionis, siue per modũ electionis: ad hoc etiam habebit verum, quòd actus interior specificatur essentialiter à malitia vel bonitate finis: aliud enim est, specificari à fine, & aliud à malitia vel bonitate finis; a fine enim tantum specificatur intentio, à malitia autem vel bonitate finis etiam specificatur electio; quia si specificatur à medio, non est secundùm propriam bonitatem vel malitiam medij absolutè, & secundùm se sumptam, sed ab illa vt vtili formaliter ad illum finem: vnde bonitas vel malitia finis communicata medio specificat electionem; qua propter diximus suprà q. 1. art. 1. finem, pro vt terminat intentionem, esse obiectum adæquatum Voluntatis; quia per omnem actum Voluntatis attingitur finis, siue in recto, siue in obliquo: quia si est intentio, tendit in finem: si autem electio, tendit in mediũ in ordine ad finem; & pro vt participat bonitatem vel malitiam finis: & iuxta hanc conclusionem intelligenda est resolutio quã tradimus suprà, q. 1. art. 3. dub. 3 vbi iterum de hoc egimus, & ibi dicta videantur ad plenam intelligentiam huius dubij.

Corolar. Ex dictis sequitur, quod omnes actus imperati vel ordinati ad eundem finem, formaliter quidem secundùm bonitatem vel malitiam quam participant ab imperante & à fine, sunt eiusdem speciei: hoc tamen est esse eiusdem speciei accidentaliter & in sensu compositò; nam absolutè & insensu diuiso dicendi sunt actus diuersæ speciei essentialiter, si à diuersis virtutibus vel habitibus eliciuntur; quia à diuersis sic elicitis accidit vt ab vno & eodem imperentur. Si autem cum reduplicatione dicatis, quod pro vt imperantur, sunt eiusdem speciei essentialiter, nihil interest; quia hoc est esse eiusdem speciei essentialis secundùm quid, absolutè autẽ sicut eis accidit imperari, ita & accidit esse eiusdem speciei.

Ad argumenta primæ sententiæ respondetur, tantùm probare, prædictum actum specificari à finẽ, quando habet rationem intentionis: quod in plurimum contingit, vt diximus, non autem probãt quôd quando habet rationem electionis, non specificetur essentialiter ab obiecto proximo habente rationem medij. Vnde ad primum argumentum respondetur, quôd obiectum adæquatum Voluntatis est finis, vt abstrahit à fine operis & operantis: vnde etiam si ille actus specificetur ab obiecto proximo, specificatur etiã â fine vtique operis. *Ad 1. arg. 1. sentent.*

Secundo respondetur, posse intelligi; quòd finis sit obiectũ Voluntatis, non prot Voluntas nominat potentiam, sed vt nominat simplicẽ volitionem finis præsuppositam ad intẽtionem; vnde potentia Voluntatis præter hunc actum potest elicere alium electionis specificatum à medio & obiecto proximo. *2. Solucio.*

Tertiò melius respondetur, quod etiam si obiectum adæquatum potentiæ Voluntatis sit finis, vt strictè sumitur pro obiecto intentionis, vt docuimus suprà, q. 1. art. 1. nihilominus non est necesse, quôd omnis actus Voluntatis terminetur immediatè & specificetur essentialiter ab ipso fine; sed sufficit terminari ad finem in obliquo, & specificari ab aliquo in ordine ad finem; quod habet actus electionis, etiã si specificetur à medio: quia in medio attingitur finis in obliquo, & medium terminat electionem prout in ordine ad finem consideratur. *3. Solutio.*

Ad secundum argumentum respondetur, negando antecedẽs. Ad primam probationem, dicitur, quòd virginitas nõ sumit speciem essentialem ex finẽ operantis, sed ex fine operis, videlicet ex omnimoda abstinentia â venereis, & idem est de peccatis luxuriæ; non enim specificãtur nisi à fine operis, videlicet in debita delectatione venerea, quæ quia in diuersis obiectis, videlicet coniugata vel virgine, est diuersæ rationis; ideò stuprum & adulterium specie distinguuntur. Itaque vt colligitur ex Diuo Thoma 2. 2. q. 154. art. 1. coniugata vel virgo est materia; delectatio autem venerea est formale quod quęritur in prædicta materia; quia in tantum quæritur coniugata vel virgo, inquãtam in illis talis delectatio reperitur: quòd ergo predicti actus specificẽtur ab *Ad 2. arg.*

illa

illa delectatione, non est specificari à fine extrinseco operantis, sed à ratione formali ipsius obiecti operis. Ita contingit in dilectione proximi propter Deum, quia ly *Propter*, non denotat finem extrinsecum operantis, sed formale, ratione cuius diligitur proximus; vnde non ponit in numero cum ipso proximo, vt dicatur ille actus specificari à fine ipsius operis. Similiter contingit in adoratione imaginis Dei propter Deum; est enim actus latriæ, quià diuina excellentia non consideratur vt finis, sed vt ratio formalis adorandi imaginem: inquo distinguitur ab adoratione Sanctorum, quæ non est latriæ, sed dulliæ, quia extra non consideratur vt ratio formalis, sed vt finis; qua propter obiectum proximum ipsius operis, secluso fine extrinseco, est diuersæ rationis ab obiecto latriæ. Ad alteram probationem, de illo qui recepit beneficium intentione suscipiendi vel non suspiciendi ordines infra annum, respondetur, quòd ille actus non specificatur ex fine extrinseco operantis, sed ex obiecto operis, nempe ex æqualitate vel in æqualitate rei ad rem. Verum est, quòd intentio conducit ad hoc, vt fiat vel non fiat æqualitas, & irrogetur iniuria Ecclesiæ: nihilominus ex tali iniuria specificatur actus, & non ex fine operantis intento. Ad aliam probationem de Eutropelia, respondetur similiter, specificari ab obiecto operis, per hoc quòd assumatur per modum delectationis & joci; & quamuis ad hoc conducat intentio, non tamen à fine intentionis; sed ab obiecto quod pertalem intentionem fit delectabile & iocosum, sumitur specificatio. Ad alteram probationem de verbis, respondetur. Cum *Magistro Soto.* Magistro Soto loco citato in argumento, hanc esse differentiam inter verba, & opera, quòd opera cùm ex natura sua sint læsiua vel profiqua, nihil conducit ad obiectum specificum ipsius operis intentio operantis; vt occisio hominis quacunque intentione fiat, est damnificatiua illius qua propter intentio operantis est extrinseca; verba autem non sunt damnificatiua secundùm se & ex natura rei, sed secundùm significationem: significatio autem verborum fit diuersa moraliter, ex diuersa intentione proferentis; qua propter verba sumunt speciem moralem essentialem ex intentione dicentis; vt patet ex locis adductis in argumento, & præterea, 2. 2. quæst. 74. art. 1. vbi per hoc distinguit susurrationem à detractione, quia finis est diuersus; quia licèt vtrumque conueniat in eo quod est loqui occultè mala de proximo; tamen susurratio tendit ad dissoluendam amicitiam, & detractio ad obscurandam famam; & quæst. 110. art. 2. ait, quòd mendatium non constituitur in sua specie solùm ex enumeratione falsa, sed ex intentione fallẽdi; qua propter sunt diuersæ species mendacij ex diuerso fine; si enim intenditur nocumentum alterius, est pernicioſum; si autem aliqua vtilitas vel delectatio, est officioſum. *D. Tho.* Nihilominus tamen etiam in peccatis verborum dicendum est sumi speciem essentialem, non ex fine extrinseco, sed ex intrinseco ipsius operis, quia illa intentio proferentis facit obiectum proximum, & finem intrinsecum ipsorum verborum, vt acutè ait Caiet. 2. 2. quæst. 110. art. 4. Ratioque desumitur ex D. Thom. ibidem, art. 1. nam mendatium (verbi gratia) potest dupliciter considerari, & vt est actus rationis, & vt est actus voluntarius. Primo modo consistit in manifestatione alicuius quòd non est, & sic obiectum eius est falsum in re. Secundo modo ordinatur proximè & intrinsecè ad fallendum alterum; qua propter ratio formalis illius includit intentionem fallendi; vnde distingui ex diuersa intentione, est distingui ex proximo obiecto & fine operis: quod non reperitur in peccatis commissis in opere. Similiter patet ad alteram probationem de pœnitentia: fieri enim ex intentione satisfaciendi, non est finis extrinsecus, sed intrinsecus ipsius operis: pœnitentia enim intendit contra peccatum sub ratione recompensabilis; finis autem remotus & operantis erit Deus. Similiter qui dolet de peccato, vt est contra diuinam bonitatem, facit actum Charitatis; quia diuina bonitas, tunc non solum est finis operantis, sed ratio formalis obiecti ipsius operis.

Caiet.

Ad tertium argumentum respondetur, quòd ratio formalis est duplex; alia substantialis & immediata; alia verò accidentalis & mediata: finis ergò operantis est ratio formalis accidentalis, & extrinseca: in ipso autem obiecto proximo *Ad 3. arg.*

mo

mo & medio reperitur ratio formalis immediata substantialis: specificatio ergo debet sumi ab obiecto formali immediato, nõ verò à mediato, & sic actus credẽdi specificatur à prima veritate; nõ quia est obiectũ formale vtcũque, sed quia immediatum respectu omnium veritatũ Fidei.

Ad secundam autem probationem respondetur, quòd siue medium habeat secundùm se aliquam bonitatem vel malitiam, siue non habeat, est sufficiens specificare actum electionis; nam si terminetur ad medium quod secundùm se nullã habet bonitatem vel malitiam, talis actus recipit speciem essentialem in differentis; accidentaliter autem habet speciem boni vel mali ex fine. Vel dicitur, quòd licèt illud medium secundùm se nullam habeat bonitatem vel malitiam, tamen in ratione medij, & vt vtile ad finem habet aliquam bonitatem vel malitiam participatam â fine, secundùm quam prout in medio participatam potest specificare talem actum electionis; quia, vt diximus, non negamus, quòd etiam electio specificetur à bonitate vel malitia finis, cùm hoc fiat dum specificatur à medio, sed negamus specificari à finè, prout importatur in recto contra medium: si autem medium secundùm se habeat aliquam bonitatem vel malitiam, certiùs apparet, qualiter possit talem actum electionis specificare. Nec inconuenit, quòd talis bonitas vel malitia medij vlteriùs ordinetur vt vtilis ad finem, vt talis bonitas medij possit specificare illum actum electionis, & reponere in tali vel tali specie virtutis velvitij; illud enim Arist. dictum, quòd actus virtutis debet fieri propter honestatem talis virtutis, non debet intelligi, vt ly Propter, importet finem vltimum; quia nullum obiectum virtutis, nisi Charitatis, est vltimus finis. Vlteriùs ergo ad vltimũ finem obiectum virtutis debet ordinari; cùm enim habitus virtutis sit electiuus secundùm prudentiam, non debet vltimatè sistere in proprio obiecto: dicitur ergo actum virtutis debere fieri propter honestatem ipsius virtutis; hoc est, nõ propter aliquem finem malum; tunc enim desinit esse virtutis actus; in tragenus autem boni ad aliud potest ordinari; & hoc non tollit fieri propter honestatem virtutis. Vel secundò dicitur, illud intelligi, vt actus virtutis fiat perfectissimo modo quã do autem ordinatur ab operante ad vlteriorem finem, non ita perfectè est actus illius virtutis, quià iam etiam admiscetur specificatio bonitatis finis, licèt accidentaliter; absolutè tamen ille actus secundũ substantiam & essentiam remanet in specie virtutis, quæ de sumitur ex obiecto immediato. Notanter autem dixi, quòd vt actus sit virtutis perfectissimo modo, non debet ab operante ordinari advlteriorem finem; quia quod ex parte ipsius operis advlteriorem finem ordinetur, nõ tollit perfectam rationem virtutis, immò sic ordinari est necesse, quia vt diximus, habitus virtutis est electiuus, & sic ex propria ratione habet vlterius tendere ad finem vltimum Charitatis. Ad tertiam probationem dicitur, ita esse, quòd vtile vt vtile amatur propter aliud: nihilominus ipsum amatur, ipsumq; terminat, ipsumquè habet specificare actum electionis licèt non vtcunque, sed vt participat rationem finis.

Ad quartum argumentum respondetur, quòd comparatio prioris & posterioris potest fieri vel in ordine ad potentiam Voluntatis, vel in ordine ad actũ electionis. Primo modo finis est priùs volitus, quia priùs est intentio quàm electio in ordine tamen ad actũ electionis de quo est disputatio, non prius attingitur finis, quã medium, sed potius priùs & immediatiùs attingitur medium, licèt, vt diximus, finis sit ratio quòd medium attingatur à tali actu. Ita contingit in actu scientifico, priùs enim & immediatiùs terminatur ad conclusionem, quam ad principium, licèt principium sit ratio vt conclusio terminet talem actum. Et si instes, quòd propter quod vnũ quodque tale, illud magis: ergo si mediũ terminat propter finem, magis terminat finis. Respondetur, quod vt statim dicetur, aliud est quod finis magis sit volitus, & aliud quod priùs sit volitus. Primũ est verum, secundum autẽ falsum. Vel dicitur, quòd ratio propter quã aliquid attingitur, priùs attingitur, si sit ratio attingendi intrinseca: non autẽ si extrinseca: ratio autem finis, vt diximus est extrinseca obiecto proximo. Vel dicitur illud, habere verum si vtrumque attingeretur vt quod; tunc enim si vnum attingeretur propter aliud priùs attingeretur illud aliud: respectu autẽ actus electionis non attingitur finis vt quòd, quia hoc fit per intentionem, sed vt

Ad 4. arg.

Obiectio.

Solut.

sed vt quo: quod autem attingitur, est ipsum medium, & sic illud est quod immediate attingitur, & quod immediatam & primam tribuit specificationem.

Ad 5. arg. Ad quintũ argumentum respõdetur, quòd ab illa volitione furti propter mœchiã, manente eadem in genere moris, nõ potest auferri malitia furti: quando enim aduenit scientia, quòd res illa non sit aliena, iam volitio illius rei ad mœchandum, non est eiusdem rationis cum priori, quã do volebat ad fornicandum talem rem vt alienam, vt enim dicebamus, operans ordinat ad finem actum determinatum in specie; prius ergo ordinabat actum furti; modò verò non.

Ad 6. arg. Ad sextum argumentum respondetur quòd licèt finis sit primum motiuum, id est, principale, & quod magis appetitur ab operante; non tamen est primũ, id est immediatum respectu actus electionis: qua propter specificatio sumitur ab obiecto, vt ab immediatè volito, licèt non sit volitum vteũque, sed in ordine ad finem vt diximus.

Ad 7. arg. Ad septimũ argumẽtũ respondetur negãdo cõsequẽtiã, quia diuersa media, qualia sunt demõstratio, aut testimoniũ diuinũ aut humanũ, tribuunt peculiarem modũ cognoscibilitatis obiecto, & ideò media cõducunt ad specificationẽ essentialẽ actus Intellectus, cęterũ obiectũ Voluntatis specificat actũ eius, quatenus tali modo est appetibile; & quia finis operantis nõ tribuit specialẽ appetibilitatẽ intrinsecã, sed tãtũ extrinsecã obiecto proximo; ideò nõ ex fine operãtis sumitur specificatio essentialis actus Voluntatis, qui est electio.

Ad 8. arg. Ad vltimũ argumẽtũ respondetur, præter solutionẽ ibi datã quam non approbamus, argumentũ conuincere, quòd Volũtas magis fertur in męchiã, quã in furtũ, quia in illã tendit propter se, in furtũ verò, vt ordinatur in męchiã: non tamen cõuincit argumentũ, quòd prima & substãtialis species sumatur à męchia, vt cũ quis vnico actu assentitur conclusioni propter principia, magis assentitur principijs, nihilominus ille actus essentialiter specificatur à conclusione, vt infrà docet D. Tho. q. 57. art. 2. ad, 2.

Ad 9. arg. Sent. Caiet. Ad argumẽtũ autẽ pro secunda parte sententię Caietani congestũ ex diuersis locis D. Tho. quod videtur facere pro hac prima sentẽtia, respondetur, quòd in primo loco licèt asserat quòd species ex obiecto, est materialis, quæ autem ex fine, formalis, nõ est contra prędicta, quòd ab obiecto proximo sumatur species essentialis: quia etiã accidens habet se vt forma respectu substantię & essentiæ habẽtis se vt materia recipiens accidẽtia. In secũdo autẽ loco non agit de nostro casu: sed de quo procedebat secundũ argumentũ, videlicet de eo qui dat eleemosynã propter inanem gloriã, in quo casu actus habet tãtũ vnicã speciẽ in genere moris, vt supra diximus; huc autẽ loquimur de actu habẽte duas species. Ad reliqua loca patet sicut ad primũ. Exemplũ autem, de termino motus adducitur quantũ ad terminũ extrinsecum non autem quantum ad intrinsecum; alteratio enim habet terminũ intrinsecum scilicet calorem, à quo specificatur; extrinsecum autem, scilicet formam substantialem geniti, à qua non specificatur alteratio: ita ergo hic obiectum proximum est terminus intrinsecus motus electionis; finis autem operantis est terminus extrinsecus, vnde à primo specificatur essentialiter, non autem à secundo, ex mente D. Thomæ.

Ad 1. arg. 2. sent. Ad argumenta secundæ sententiæ respondetur, probare quidem secundam & tertiam conclusionem, quòd sumitur ab obiecto proximo species essentialis in actibus exterioribus, vel in actu imperato, vel habente rationem electionis, siue feratur in obiectum & finem diuersis actibus, siue eodem: non autem probant de actu qui in vtrumque fertur per modum intentionis; isti enim, vt probauimus, ex fine operantis debet specificari; & sic respondetur ad primum argumentum, quòd Diuus Thomas in illis locis loquitur modis prioribus, non autem hoc vltimo modo, illis enim modis finis est accidens & circunstantia: in hoc autem vltimo modo finis est immediatum obiectum specificans.

Ad 2. arg. Ad secundum respondetur, quòd actus Fidei, Spei & Charitatis, si imperentur à pœnitentia, vt imperantur quatenus præcedunt iustificationem, sunt actus exteriores & imperati; vt diximus: qua propter ab obiecto proximo specificantur, & finis operantis est extrinsecus: si autem per modum intentionis ferretur in finem pœnitentiæ, attingendo tantùm materialiter, & in obliquo, vt medium, rationem Fidei vel Spei

&c. Ille actus specificaretur ab obiecto pœnitentiæ & fine operantis, vt diximus, nec esset actus elicitus Fidei vel Spei, sed actus elicitus pœnitentiæ. Ad confirmationem respondetur, quòd si actus diuersæ speciei secundùm se habeant rationem electionis vel actus imperati, conueniunt in vna ratione specifica accidentali ex fine operantis, quatenus ab eodem imperantur: remanet autem diuersitas specifica essentialis ex proprijs obiectis, vt ait D. Thomas hic ad. 3. si autem in omnia illa diuersa tendat tantum materialiter & in obliquo tendens per modum intentionis ad finem vanæ gloriæ, est vna species essentialis ex fine, & solùm diuersitas accidentalis & materialis ex parte mediorum.

Ad confir.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum respondetur, quòd etiam si bonitas, vel malitia finis sit magis variabilis, quàm quæ sumitur ex obiecto, non sequitur, quod quæ sumitur ex fine, non possit esse essentialis respectu actus intentionis prædictæ; in his enim quæ habent materiale & formale, vt in albo, vel in statua marmorea, magis innariabilis est materia, quàm forma: & nihilominus non sumitur species à materia, sed à forma. Vel secundò respondetur, quòd respectu illius actus intentionis mœchiæ magis inuariabilis est malitia finis, quam medij furti, quia ratio furti habet se materialiter, & mœchia formaliter, & accidit volenti mœchiam assumere vt medium, furtum, vel aliud, & dummodo consequatur mœchiam, faciliter amplectitur vel deserit hoc vel alterum medium; vnde licèt mœchia sit variabilis respectu furti secundùm se, non tamen ab hoc actu intentionis mœchiæ per furtum: destruitur enim iste actus, si desinat à mœchia intenta.

2. Solut.

Ad 4 arg. Ad quartum argumentum respondetur, quòd respectu prædicti actus intentionis mœchiæ, proximiùs & proprius, & prius vt diximus, pertinet malitia finis, quia ille est proprium obiectũ illius actus, quam pertineat obiectum proximum operis exterioris, quod quidem materialiter & minùs principaliter attingitur ab isto actu intentionis.

Ad 5. arg. Ad quintum argumentum respondetur, ita esse, quòd actus pertinet essentialiter ad virtutem elicientem; nihilominus, vt patet ex dictis, si actus furti vel eleemosynæ habeant rationem electionis & imperati, eliciuntur à misericordia vel iniustitia, & sic sunt essentialiter in illis speciebus, & accidentaliter in specie finis, sic enim bene probat argumentum accidere eis ordinationem ad finem; quia aliàs non seruaretur distinctio specifica virtutum & vitiorum, sed esset confusio essentię illorũ: si tamen, vt diximus illa attingantur per modum intentionis finis, materialiter tantum vt media, tunc eleemosyna non elicitur à misericordia, nec volitio furti ab iniustitia, sed elicitur à virtute vel vitio respiciente finẽ: ad illã enim pertinet elicere talem intentionẽ finis; & sic tunc talis actus pertinet essentialiter, ad vitium vel virtutem respicientẽ talem finem, nec ideò est confusio in tertia & virtutes, quia seruatur distinctio prout vnũ quodq; attingit formaliter & per se & directè propriũ obiectũ: quod in vno quoque est distinctum ab alio.

Ad 6. arg. Ad sextum argumentum respondetur, conuincere, quando quis fertur duobus actibus in furtum & mœchiam, quòd prior est iam specificatus à furto, & accidit ordinari ad finem mœchiæ, non autẽ probat, quando eodem actu per modum intentionis fertur in vtrũque; tunc enim non est prius specificatus actus in genere furti; sed primò specificatur à mœchia & materialiter se habet & secundariò ratio furti. Verum est, esse differentiã, quãdo quis intendit bonum vel malum finẽ, quòd quando intendit malum, non necessario supponitur, medium ad talem finẽ, etiam secundùm se esse malum; potest enim cõducere ad talem finem, siue secundùm se habeat, vel non habeat malitiam; vt accidit quòd pecunia sit propria vel aliena ad mœchiam; vnde accidit, quòd sit vel non sit furtum; quando autem intenditur bonus finis, vt placere Deum, supponitur, quod medium assumptum sit secundùm se bonum, quia malum medium non est ordinabile ad bonum finem manentem bonum, nihilominus vt diximus illa bonitas quàm medium habebat secũ dùm se, vt eleemosyna (verbigratia) materialiter tantùm attingitur ab illo actu intentionis talis finis.

Ad 7. arg. Ad septimũ argumẽtũ respõdetur, esse disparẽ rationẽ; quia licet assensus cõclusionis sit propter assensum prẽmissarum, vt ly Propter, dicat causam efficientem, non tamen si dicat causam finalem, quia

quia potius conclusio est finis, & quod principaliter intenditur sciri est conclusio: qui autem vult furtum propter mœchiam, ly Propter dicit finem; vnde licet non sumatur specificatio à præmissis, sumitur tamen à fine operantis, si per modum intentionis feratur in vtrumque: loquendo autem de fine operantis extrinseco, respondetur, adhuc esse differentiam inter finem operantis respectu Intellectus, & respectu Voluntatis, nam respectu Intellectus nunquàm potest finis operantis fieri propriùm obiectum illius actus, vt ab illo specificetur: cæterùm finis operantis potest esse proprium obiectum actus Voluntatis, qualis est intentio, & sic potest specificare talem actum.

Ad 8. arg. Ad octauum respondetur, quòd actibus interioribus volendi furtum & mœchiam, non correspondent pœnæ impositæ furibus & mœchis, quia Ecclesia nõ iudicat de occultis: si autem exteriùs cõmittat furtum & mœchiam, licét furtum sit volitum materialiter propter mœchiam, & mœchia formaliter: nihilominus vtrasque pœnas incurrit furis & mœchi, sufficit enim quo ad substantiam facere furtum, etiam si materialiter faciat illud, dum modò voluntariè sit commissum, vt pœnas furis incurrat. Dixi Dum modò voluntarium sit furtum, quia hic non appellamus furtum materialiter, id est, non voluntariè; vt contingit in eo qui accipit rem alienam, existimans esse suam; sed appellamus illud materialiter, quia licèt sit voluntarium, comparatur tamen vt materia ad rationem mœchiæ formalius se habentem.

Ad 9. arg. Ad vltimum argumentum respondetur, probare vltimam conclusionem, quòd si ille actus habeat rationem electionis, specificatur à medio & obiecto proximo, non autem si habeat rationem intentionis: de quo procedit resolutio nostra. Ad confirmationem respondetur, ita esse, quòd actus, sicut & potentia, debet specificari ab obiecto, proximo; tamẽ respectu illius actus interioris habentis rationem intentionis, habet se finis vt obiectum proximum & immediatum: intentio enim immediatè fertur in finem, vt in obiectum. Ad argumentum autem pro sententia Vazquez iam etiam patet ex dictis, qualiter actus imperatus possit habere speciem accidentalem ex fine imperantis. Ad primam autem improbationẽ respondetur, quòd licèt D. Tho. quæst. 2. de malo art. 4. ad. 2. & in 2. sententiarum ad Anibaldum d. 30. quæst. vnica art. 1. ad 2. & Medina hic art. 8. doceant, dilectionem Dei (non tamen elicitam à Charitate) posse esse malam, si ordinetur ad temporalia; & alij etiam doceant idem de actu Fidei super naturalis, quòd possit fieri ex inani gloria, & sic vitiari; quia licèt talis actus fiat ex auxilio supernaturali; non concurrit auxilium ad malitiam, sed ad substantiam illius actus; sicut & auxilium speciale ordinis naturalis potest esse causa, quantum ad substantiam actus secundùm se boni, vitiati tamen ex fine, de quo modo non disputamus: nihilominus loquendo de actu elicito à Charitate; non potest sustineri, posse vitari ex fine operantis, quia eo ipso quòd à Charitate eliciatur, debet versari circa Deum vt vltimum finem & super omnia dilectum, & sic implicat, quòd in alium finem creatum ordinetur ex quo vitiari possit: statim enim quod propter aliud creatum fieret, non esset actus Charitatis elicitus, quia iam non esset dilectio Dei super omnia. Ad secundam probationem, respondetur, ab alio prouenire libertatem, & ab alio moralitatem; libertas quidem ab indifferentia iuditij; moralitas autem à ratione dictante; vnde bene potest, sumpta libertate à principio intrinseco, sumi moralitas à fine intento: eo vel maximè, quòd finis etiam se tenet ex parte principij intrinseci elicientis ipsum actum electionis vel imperatum; actus enim electionis causatur, non à sola Voluntate, sed ab illa determinata per intentionem finis; sicut assensus conclusionis non causatur à solo intellectu, sed ab illo determinato assensu principiorum, vnde si Voluntas determinata per intentionem vel finem imperantis, elicit actum imperatum, necessariò debet elicere illũ mittẽdo & dirigendo in finem imperantis, & sic ex proprio principio intrinseco eliciente habebit ille actus imperatus bonitatem vel malitiam finis imperantis, licèt accidentaliter, vt diximus. Ad confirmationem respondetur, quòd quando actus electionis vel imperatus secundùm se bonus imperatur vel dirigitur in malum finem, tunc ille actus

Ad confir.

Ad confir.

Ad arg. sentent. Vazquez.

ex immediato obiecto dicitur actus virtutis materialiter, & quantum ad substantiam, non tamen absolutè & formaliter, nec elicitur à tali virtute, quia vt sic eliciatur, debet esse actus cũ omnibus bonis circunstantijs directis à prudentia; vnde si ad malum finem ordinatur, nec à prudentia est, nec à virtute elicitur; vt vide re est in Caietano 2.2.q.123.art.7. vn de actui non elicito â virtute bene potest conuenire malitia finis operantis, licèt accidentaliter, vt iam diximus.

ARTICVLVS VII.

Vtrûm species quæ est ex fine cõtineatur sub illa quæ est ex obiecto, tanquam sub genere vel ê conuerso.

2.2.q. 11. art. 1. ad. 2.

AD *septimum sic proceditur. Videtur, quôd species bonitatis, quæ est ex fine, contineatur sub specie bonitatis quæ est ex obiecto, sicut species sub genere; puta cûm aliquis vult furari; vt det eleemosynam. Actus enim habet speciem ex obiecto, vt dictum est* * *Sed impossibile est quòd aliquid contineatur in aliqua alia specie, quod sub propria specie continetur; quia idem non potest esse in diuersis speciebus non sub alternis: ergo species quæ est ex fine, continetur sub specie quæ est ex obiecto.*

Ar. præc. & 2. & q. 1. art. 3.

2. Præterea. Semper vltima differentia constituit speciem specialissimã: sed differentia quæ est ex fine, videtur esse posterior, quàm differentia quæ est ex obiecto: quia finis habet rationem vltimi; ergo species quæ est ex fine, continetur sub specie quæ est ex obiecto, sicut species specialissima

*3. Præterea, Quanto aliqua differentia est magis formalis, tanto magis est specialis, quia differentia comparatur ad genus, vt forma ad materiam, sed species quæ est ex fine, est formalior ea quæ est ex obiecto, vt dictum est: * ergo species quæ est ex fine, continetur sub specie quæ est ex obiecto, sicut species specialissima sub genere sub alterno.*

Ar. 6. huius quæst.

Sed contra. Cuius libet generis sunt determinatæ differentiæ: sed actus eiusdem speciei ex parte obiecti, potest ad infinitos fines ordinari: puta furtum ad infinita bona, vel mala: ergo species quæ est ex fine, non continetur sub specie quæ est ex obiecto, sicut sub genere.

Respondeo, Dicendum, quòd obiectum exterioris actus dupliciter potest se habere ad finem Voluntatis. Vno modo sicut per se ordinatum ad ipsum: sicut bene pugnare, per se ordinatur ad victoriam. Alio modo per accidens, sicut accipere rem alienam, per accidens ordinatur ad dandum eleemosynam, oportet autem vt Philosophus dicit in 7. Metaphi. quôd differentiæ diuidentes aliquod genus & constituentes speciem illius generis, per se diuidant illud si autem per accidens, non recte procedit diuisio: puta si quis dicat; Animalium, aliud rationale, aliud irrationale: & animalium irrationalium, aliud alatum, aliud non alatum. Alatum enim & non alatum non sunt per se determinatiua eius, quod est irrationale. Oportet autem sic diuidere: Animalium, aliud

Text. 45. 10. mo 3.

habens

habens pedes, aliud non habens pedes, & habentium pedes, aliud habet duos, aliud quatuor, aliud multos: hæc enim per se determinant priorem differentiam. Sic igitur quando obiectum non est per se ordinatũ ad finem, differentia specifica quæ est ex obiecto, non est per se determinatiua eius quod est ex fine, nec è conuerso, vnde vna istarum specierum non est sub alia, sed tunc actus moralis est sub duabus speciebus quasi disparatis, vnde dicimus, quòd ille qui furatur vt mœchetur, committit duas malitias in vno actu: si verò obiectum per se ordinetur ad finẽ, vna dictarum differentiarum est per se determinatiua alterius: vnde vna istarum specierum continebitur sub altera. Considerandum autem restat, quæ sub qua. Ad cuius euidentiam primo considerandum est, quòd quãto aliqua differentia sumitur à forma magis particulari, tanto magis est specifica. Secundò, quòd quanto agens est magis vniuersale, tanto ex eo est forma magis vniuersalis. Tertiò, quòd quanto aliquis finis est posterior, tanto respondet agenti vniuersaliori: sicut victoria, quæ est vltimus finis exercitus, est finis intentus à summo duce: ordinatio autem huius aciei, vel illius, est finis intentus ab aliquo inferiorum ducum. Et existis sequitur, quòd differentia specifica quæ est ex fine, est magis generalis, & differentia quæ est ex obiecto per se ad telem finem ordinato, est specifica respectu eius, voluntas enim, cuius proprium obiectum est finis, est vniuersale motiuum respectu omnium potentiarum animæ, quarum propria obiecta sunt obiecta particularium actuum.

Ad primum ergo, dicendum, quod secundùm substantiam suam non potest aliquod esse in duabus speciebus, quarum vna sub altera non ordinetur; sed secundùm ea quæ rei aduenium, potest aliquid sub diuersis speciebus contineri, sicut hoc pomum secundùm colorem continetur sub hac specie, scilicet albi, & secundùm odorem sub specie bone redolentis: & similiter actus, qui secundùm substantiam suam est in vna specie naturæ, secundùm conditiones morales superuenientes, ad duas species referri potest, vt suprà dictum est. * Lib. 2. tex. 31. tom. 2.

Ad secundùm, dicendum, quòd finis est postremum in exequutione, sed est primum in intentione rationis, secundùm quam accipiuntur moralium actuum species.

Ad tertium, dicendum, quòd differentia comparatur ad genus, vt forma ad materiam, in quantum facit esse genus in actu. Sed etiam genus consideratur vt formalius specie (secundùm quod est absolutius, & minus cotractum) vnde & partes definitionis reducuntur ad genus causæ formalis, vt dicitur in libro Physic. * *& secundum hoc, genus est causa formalis speciei, & tanto erit formalius, quanto communius.*

PRIMA conclusio. Quando obiectũ non ordinatur per se ad finem, tunc 1. Concl.

ſpecies quæ ex obiecto de ſumitur, non eſt contẽta ſub ſpecie quæ de ſumitur ex fine, nec è conuerſo, ſed talis actus eſt in duabus ſpeciebus diſparatis, vt cùm quis furatur propter mœchiam.

2. *Concl.* Secunda concluſio. Quando obiectum eſt per ſe ordinatum ad talem finem, tunc vna ſpecies continetur ſub alia, tanquàm ſpecies ſub genere.

3. *Concl.* Tertia concluſio. Species quæ deſumitur ex obiecto per ſe ordinato ad finem, tanquam magis determinata, continetur ſub ſpecie quæ de ſumitur ex fine tanquã ſpecies ſub genere.

DVBIVM I.

Vtrùm dicta in articulo à Diuo Thoma verum habeant.

1. *Arg.* PRobatur quòd non. Primò contra primam concluſionem, nam D. Tho. oppoſitum docuit 2.2.q.11.art.1.ad 2. vbi ait, quòd cùmquis mœchatur vt furetur, ſpecies mœchiæ continetur ſub ſpecie furti; vt effectus ſub cauſa, vel vt genus ſub ſpecie; cũ tamen illa duo non habeant ordinationem per ſe. Item D. Tho. 2.2.q. 154.art.7.8.& 10.docet, quòd violentia, iniuſtitia & irreligioſitas, ſunt ſpecies luxuriæ, tanquàm generis: per hoc enim cõſtituuntur raptus, adulteriũ, ſacrilegiũ ſpecies luxuriæ, ex eodem D. Tho. cùm tamen prædicta cum libidine luxuriæ nõ habeant coordinationem per ſe. Item ibidem art. 10, dicit, quòd polluere monialẽ, propter iniuriam cultus diuini, licèt ſecũdùm ſe pertineat ad luxuriam, efficitur ſpecies irreligioſitatis, ita vt irreligioſitas habeat rationem generis, luxuria verò ratione ſpeciei contẽtæ ſub illo genere: Conſtat autem, luxuriam & irreligioſitatem nullum per ſe habere ordinem. Item 2.2.q.88.art.6.& q.89. art. 5. ad 1. ait, bona moralia, vt ieiunium, & orationem ordinatam per votum ad cultũ Dei, eſſe actum Religionis, & conſequenter contineri ſub ſpecie illius; cùm tamen prædicta bona aſſumpta vt medium ad finem Religionis, non habeant per ſe ordinationem cum illo: ergo contrarius eſt D. Tho. ſibi in hoc articulo aſſerẽti: quòd quando medium non habet per ſe ordinationem ad finem, actus attingens vtrumque eſt in duplici ſpecie diſparata, & vna non continetur ſub alia.

2. *Arg.* Secundò arguitur ratione. Species quæ de ſumitur ex obiecto proximo, habet ſe materialiter ad ſpeciem de ſumptã ex fine, quæ vtique ſe habet formaliter, etiam ſi ſubiectum & finis non habeant per ſe ordinationem ad inuicem: ergo ſpecies ex obiecto & ex fine etiam in non ordinatis per ſe, non diſparatè ſe habet. Cõſequentia patet, nam quæ ad inuicem cõparantur per modum materiæ & formę, non diſparatè ſe habent, quia nulla maior coordinatio duorum, quã ad inuicem ſe habere per modũ materiæ & formæ. Antecedens verò probatur ex D. Tho. ſupra q.13.art.1. vbi ait, quòd ſiquis exerceat actum fortitudinis propter finem Charitatis (ad quem finem vtique non per ſe ordinatur) quòd talis actus materialiter eſt Fortitudinis, & formaliter Charitatis. Idem ait art.6. præcedenti de illo qui furatur propter mœchiam, cùm tamen furtum non per ſe ordinetur ad mœchiam. *D.Tho.*

3. *Arg.* Tertiò arguitur contra ſecundam concluſionem, nam ſecundùm Diuum Thomam 2.2.q.118.ar.8.ad 1. proditio, fraus, periurium, &c. Sunt filiæ auaritiæ, & cõſequenter per ſe ordinantur ad illam, & nihilominus non ſunt ſpecies illius; quia proditio & fraus, vt ait D. Tho. opponũtur Prudentiæ: periurium verò Religioni; quod non fieret ſi illa tria eſſent ſpecies auaritiæ, ſed opponerentur liberalitati, ſicut ipſa auaritia: ergo etiam ſi obiectum proximum per ſe ordinetur ad finẽ ſpecies obiecti non conſtituitur ſpecies ſub fine: quod autem filiæ vitij capitalis ordinentur ad finem capitalis, docet D. Greg. 3. Moral. c. 3 & D. Thom. in fra q. 84.art.3.& 4. *D.Thom.*

4. *Arg.* Quartò arguitur contra idem, nam ſi media per ſe ordinata ad finẽ, cõſtituerẽt ſpecies ſub ſpecie finis, tunc ſpecies de ſũpta ex medio & obiecto proximo, eſſet atoma, quę verò de ſumitur ex fine, eſſet ſub alterna, & haberet rationem generis: hoc autem eſt falſum: ergo & ſecunda cõcluſio D. Tho. Siquella patet, nam illud ſub quo alię ſpecies collocantur, neceſſario eſt ſpecies ſub alterna, vel genus. Minor verò etiã patet in Charitate, ad cuius finem obiecta omnium virtutum ordinantur per ſe, vt patet ad Thim. 1. finis præcepti eſt Charitas: & nihil ominius ſpecies Charitatis atoma eſt & omnes actus Charitatis eiuſdem ſpeciei

atomæ

atomæ sunt; immô & suprà diximus: quòd omnes actus imperati à Charitate formaliter vt imperati, sunt eiusdem speciei Charitatis,

5. Arg. Quintò arguitur contra tertiam conclusionem, nam illa nec potest verificari; quãdo medium vel obiectũ proximũ per se ordinatũ ad finẽ habet ex se aliquã bonitatẽ vel malitiã, neque etiã quãdo ex se nullã habet: ergo nunquã potest esse vera. Prima pars antecedentis probatur, nam si obiectum proximum habet aliquam bonitatem ex se, tunc actus terminatus ad obiectũ & finem, habet duplicẽ speciem bonitatis: ergo bonitas ex obiecto non cõstituitur sub specie bonitatis finis. Patet illa consequẽtia, nã si ponitur sub bonitate finis tanquã sub genere ex vtraque fiet vna species; quia ex genere, & ex illo, per quod contrahitur genus vna species, conflatur, & sic nõ esset verũ illum actũ terminatum ad obiectũ & finẽ esse in duplici specie bonitatis. Secunda pars antecedentis etiã patet, nã si obiectũ proximũ ex se nullam habet bonitatẽ vel malitiam, non poterit esse verum, quòd bonitas ex obiecto constituatur vt species sub bonitate finis, tanquã sub genere; quia erit de subiecto non supponente.

6. Argu. Sextò arguitur, nam obiectum proximum, etiam per se ordinatum ad finem non diuidit ipsum finem per intranea: ergo bonitas finis non comparatur vt genus ad bonitatem ex obiecto, vt ad speciem: quia species per intranea debet diuidere genus, vt habet D. Tho. hic & 7. Metaph. lect. 12, tex. 43. Antecedẽs autẽ probatur, quia testimoniũ Fidei, vel dolor de peccatis, quãtumuis ordinẽtur per se ad amorẽ Dei, nõ importãt aliquid formaliter pertinens ad rationem amoris: ergo ex propria ratione non diuidunt amorem Charitatis per intranea.

7. Arg. Septimò arguitur. Si propter aliquam rationem bonitas ex fine cõpararetur vt genus ad bonitatem ex obiecto per se ordinato ad finem, maximè quia finis, vel bonitas eius, est forma vniuersalior; quod videtur pertinere ad rationem generis: hæc ratio est nulla, & supponit falsum: ergo. Maior est ratio D. Tho. hic. Minor verò probatur ex eodem in 2. dist. 36. q. 1. art. 2. in corpore & ad 3. vbi ait, potiùs bonitatem ex obiecto esse determinabilem per speciem quæ sumitur ex fine, & ideò prædicari de illa, sicut, superiùs de inferiori; & non è contra: verbi gratia, pascere esurientem propter Deum, est pascere esurientem, non tamen è contra sequitur, Pascit esurientem: ergo propter Deum pascit: ergo bonitas ex obiecto superior est, siquidem non valet subsistendi consequentia; & sic bonitas ex obiecto erit generica ad finem, & non ê cõuerso. Secundò probatur eadem minor, nam ratio entis est medium respectu boni, nã vt ait D. Tho. supra q. 9, art. 1. Voluntas imperat Intellectui ex parte obiecti, quia ens, quod est obiectum Intellectus, ordinat Voluntas ad proprium obiectũ, scilicet bonum, & nihilominus ratio entis est abstractior ratione boni secundùm D. Tho. 1. p. q. 80. art. 3. ergo falsum supponit D. Tho. hic, quòd ratio finis sit vniuersalior, quam ratio medij vel obiecti proximi, & ideò finis debeat habere rationẽ generis respectu obiecti proximi. *D. Thom.*

8. Arg. Vltimò arguitur, nã etiam ex D. Tho. si propter aliquam rationem finis haberet rationem generis maximè quia finis habet se formalius, & genus est id quod formalius se habet respectu speciei, tanquã quid vniuersalius & abstractuis: sed hæc ratio suponit falsum: ergo. Probatur minor, quia genus potius est minùs formale, quã species; genus enim sumitur à materia, differentia verò à forma: si ergo finis formaliùs se habet potiùs videtur habere rationem speciei; quàm generis respectu obiecti proximi. Si respondetur cũ D. Tho. quòd licèt differentia in vna consideratione cõparetur ad genus vt forma ad materiam, quatenus facit ipsum in actu, tamen in alia consideratione genus est quid formalius, quatenus vniuersalius & abstractius: quia per differentiam contrahitur, & determinatur, quod videtur esse munus materiæ: Contra argumentor, quia ex hac solutione sequeretur, quòd differẽtia in aliqua consideratione haberet rationem materiæ & genus rationem formæ: quod est contra totam Metaphysicam, in qua docetur, compositionem generis, & differentiæ esse tanquam ex materia, & forma, ita vt genus sit materia, differẽtia verò forma. Secundo impugnatur, quia etiã sequeretur, quòd materia prima posset dici aliquo modo quid formalius, quam forma, quia de se est minus cõtracta & limitata, & per formam determinatur & limitatur: hoc autẽ nullus dicet: *Solutio.* *Impugn. 1.* *Impug. 2.*

cet: ergo esse minus cõtractũ & vniuersa
Impugnat. lius, non facit esse formalius. Tertiò impugnatur, nam dato quòd genus in vna ratione sit formalius, in alia tamen & absolutè loquendo, debet esse materialius: sed finis in nulla consideratione se habet materialius, quàm obiectum, sed omnibus modis se habet vt forma illius, maximè respectu medij non habentis propriã bonitatem, sed totam participantis à finẽ, ergo nullo modo finis potest habere rationem generis, sed potius obiectum.

1. Concl. Contra. In hac re est prima sententia Conrad. hic, D. Tho. debere intelligi: considerando obiectum proximũ in esse naturæ, & finẽ in esse moris; sic enim bonitas obiecti ponitur sub bonitate finis, tanquã species sub genere, ita vt ex vtroque resultet vna species totalis, vt ex genere & differentia, vt ex animali & rationali, resultat vna species physica: ita ex obiecto in esse naturæ, & fine in esse moris, resultat vna species materialis. Sed certe hęc sentẽtia est cõtra D. Tho. nã loquitur de actu habẽte duas bonitates vel malitias materiales, vt patet ex discursu articuli, & volens illas cõparare ad inuicẽ, dicit, q̃ si ad inuicẽ nõ coordinẽtur, sunt disparatæ, & si coordinẽtur, vna ponitur sub alia, tanquã species sub genere: ergo cõtra D. Tho. est assumere obiectũ in esse naturę, & finẽ in esse moris, & ex vtroq; cõponere vnã speciẽ sed ex D. Tho. supponẽdę sũt duę species, & post modũ coaptãdę erũt inter se. Itẽ hęc sentẽtia asserit impossibile, quòd obiectũ in esse naturę cõparetur vt differẽtia essentialis ad finẽ in esse moris; nã differẽtia debet determinare genus per intranea generis, vt ait D. Tho. hic; obiectũ autẽ in esse naturę nõ potest determinare finẽ in esse moris per intranea, nã naturale per naturale debet determinari, & morale: per morale nã naturale no est intraneũ morali; neq; è cõtra: ergo obiectũ in esse naturæ non potest determinare essentialiter vt differentia finem in esse moris.

2. Sent. Secũda sententia est aliorũ asserentium D. Tho. loqui, quãdo intẽtio versatur circa aliquid vniuersale, & electio circa aliquod particulare inferius cõtẽtũ sub illo vniuersali, tũc enim bonitas obiecti proximi terminãtis electionẽ, cõtinetur sub bonitate finis terminantis intẽtionẽ, tanquã species sub genere; vt cũ quis intendens ingredi religionẽ, eligit ordinẽ Prædicatorũ, bonitas enim electionis huius ordinis, cõparatur vt species ad bonitatẽ ingrediẽdi religionẽ, quia hæc religio electa, cõtinetur sub religione intẽta, vt inferius sub superiori. Sed hæc sentẽtia etiã *Impugn. sent.* est falsa, nã eiusdẽ bonitatis est, velle ingredi religionẽ, & hanc religionẽ; sicut eiusdẽ malitiæ, velle furari aurũ & hoc aurum, non ergo seruatur distinctio bonitatis vel malitiæ, inter quas debeat fieri cõparatio *D.* Tho. eo vel maximè, quòd illę quæ volitiones, vniuersalis & particularis, non se habent vt intẽtio & electio, de quibus loquitur D. Tho. quia sicut non potest dici; hoc furtũ esse meciũ ad furtũ, ita nec ingressus huius religionis, mediũ ad ingressum religionis.

Tertia sententia est cõmunis Thomistarũ, quã etiam sequitur Valentia hic pũto *3. Sent. Valencia.* 4 quòd D. Tho. nõ loquitur de specie & genere p opriè, sed per quandam analogiã, quatenus species desumpta ex fine, est vniuersalior, quã quę desumitur ex obiecto, nam quæ de sumitur ex fine, pluribus potest competere, quàm competat quæ de sumitur ex obiecto.

Pro cuius sententiæ declaratione, quæ *Notab. 1.* habenda est vt conclusio, oportet præmonstrare, quòd D. Thomas hic loquitur de actu habente duplicem bonitatem vel malitiam, alteram ex obiecto, & alteram ex fine, & de huiusmodi ait posse ad inuicem dupliciter se habere; primò cum aliqua ordinatione; secundo autem sine illa: si quidem nullam habeant, sunt species disparatæ: si autem vnum ad alterum ordinetur, vnum ponitur sub alio, tanquàm species sub genere; si (inquam) vnum ordinetur ad aliud, siue ex parte operantis, siue ex natura rei: verbi gratia, virtutes ex natura rei, ordinantur ad finẽ Charitatis, & cũ inter se sint cõnexæ maximã ex natura rei inter se habent coordinationem; & invitijs licèt regulariter sint disparata, aliquã tamen ex natura rei inter se habent connexionem vt vitium capitale & illius filiæ: quæ autẽ ex natura rei disparata sunt, possunt ab operante coordinari; vt mœchia ab operante ordinatur ad furtum, cum quo nullam habet ex natura rei connexionẽ, de quo mox dictũq; ergo ordinatis, siue ex natura rei siue ab operãte, asserit D. Tho. quod vnũ debet poni sub alio, tanquam species sub genere, hoc tamen remanet explicandũ qualiter sit verum. Pro quo.

Secũdò notãdũ, quòd fòrmę duplex est *Not. 2.* con-

cõditio. Prima, quòd sit simplicior & vniuersalior quam materia, cùm ista sit potentia; quapropter materia vt sic, necessariò dicit compositionem cum forma, sine qua esse non potest, forma autem cùm sit actus, non necessariò dicit compositionẽ cum materia, vt existat; vnde etiam prouenit, quòd materia sit principium singularitatis; forma autem vt sic, non potest esse principium illius, quia, vt dictũ est, forma in ratione formæ vniuersalior est; & ex hoc secundo cõpetit formæ actuare, & cõstituere, & dare esse; genus ergo quatenus vniuersalius, forma est speciei, & sic de illa prædicatur directè, & vt sic, quid formalius, quàm species; cùm sit minùs compositum, quàm illa: absolutè tamen species est formalior, cùm sit magis in actu magisque recedens â potẽtia; vnde quod simpliciter habet rationẽ formæ, habet rationem speciei: genus autẽ, absolutè loquendo, habet rationem materiæ: cùm ergo differentia desumpta ex fine absolutè & simpliciter sit formalior, quàm quæ desumitur ex obiecto, & absolutè habeat rationem vniuersalioris, cùm correspondeat agenti vniuersaliori, non potest dici absolutè generica ratio ex fine desumpta, sed potius est ratio specifica atoma & vltima: Vnde restat explicandum, qualiter à D. Tho. ratio sumpta ex fine, appelletur generica.

Not. 3. Pro quo tertiò notãdum, quòd genus dicitur duplex. Primò propriè pro genere logico, quod est superius secundùm prædicationem quidditatiuam, ad ea quæ continentur sub illo. Secundo modo dicitur genus impropriè & largè loquendo; licèt sit acceptio communis inter Philosophos morales, pro eo quod est communicabile multis, vel quod habet vniuersalitatem in imperando & mouendo; quod vtique proprio nomine appellatur genericum vel vniuersale in genere moris, & secundum istam acceptionem loquitur D. Thom. hic, quòd ratio desumpta ex fine, est generica, vtiq; quia pluribus potest cõuenire, quàm ratio obiecti proximi, cùm ad finem hoc & alia multa obiecta proxima operationũ possint ordinari; & ex imperio & motione talis finis, multi actus, tã circa hoc, quàm circa alia obiecta, elici possint; & in hoc

D. Tho. sensu loquitur multoties D. Thom. nam 1. p. q. 1. art. 2. ad 2. & q. 77. art. 3. ad 4. docet, quòd obiectum sensus cõmunis est quid vniuersalius cõtinens obiecta particulariũ sensuum; sed ad inuicẽ sunt obiecta specie distincta specificantia diuersas potentias; sed loquitur de vniuersalitate prædicta quatenus obiectũ sensus cõmunis in pluribus reperitur, quàm obiectũ cuiuscunq; sensus particularis, Item in secundo sententiarũ, dist. 36. q. 1. ar. 3. ad 5. dicit, quòd bonitas vel malitia, quæ est ex obiecto, habet se ad bonitatẽ vel malitiã quæ prouenit ex circunstantijs, tanquàm genus ad speciẽ, quod nequit intelligi de genere & specie propriè dicta, cũ circunstãtię sint accidentia respectu obiecti: non ergo possunt esse species illius, sed quatenus circunstãtiæ determinant rationẽ obiecti; circunstãtia censetur magis determinata, quàm ratio obiecti; vnde ratio obiecti appellatur genus, quod habet rationẽ determinabilis, circunstantia verò appellatur species, quæ habet rationẽ determinantis. Sic etiam loquitur D. Thom. infrâ, q. 60. ar. 3. ad 2. & 2. 2. q. 58. ar. 5. & 6. vbi ait, quòd iustitia legalis est virtus generalis, vidlicet, in quantũ ordinat actus omniũ aliarum virtutũ ad suũ finem, videlicet bonũ cõmune, quod est imperare alias virtutes: sicut & hac ratione (inquit) Charitas potest dici virtus generalis, in quantũ ordinat actus aliarũ omniũ virtutum ad bonũ diuinũ; sic ergo hic finẽ dicit esse genus, & quid vniuersale respectu obiecti, quia ex imperio vel motione finis elicitur actus circa obiectũ; quod & insinuat 2. 2. q. 11 ar. 1. ad 2. dicens, quòd cùm quis mœchatur vt furetur, ibi est species mœchiæ ex proprio obiecto, sed ex fine vltimo ostenditur q mœchia oritur ex furto, & sub eo continetur, sicut effectus sub causa, vel species sub genere, vt patet ex dictis (inquit) suprà de actibus humanis, referẽs se ad istũ articulum; vnde se ipsum explicat, idem esse quòd finis comparetur ad obiectum vt genus, & quòd comparetur vt causa finalis vniuersalior in mouendo, ex qua oritur tẽdentia in obiectum proximum; non autem quòd loquatur de genere Logico & propriè sumpto per prædicationem; bonitas enim ex fine dupliciter potest cõsiderari. Primò, prout manens intrinsecè in ipsa intentione finis tantùm extrinsecè comparata ad electionem mediorũ. Vel secundò prout secũdùm deriuationem & communicationem etiã est intrinsecè in ipsa electione, vt suprà dixi

mus. Quocunq; autẽ modo ſumatur, eſt impoſsibile quòd ſit ratio generica propriè ſumpta,nã quæ manet intrinſecè in intẽtione,non poteſt prædicari quidditatiuè de bonitate electionis, cũ extrinſecè cõparetur ad illã; & genus quid intrinſecũ debet eſſe ſuę ſpeciei;quæ autẽ medijs communicatur,& intrinſecè eſt deriuata a illa,etiã genus eſſe non poteſt;quia,vt etiã diximus,in omnibus medijs ordinatis ad eundem finem, bonitas finis participata,eſt eiuſdem rationis, & omnia talia media prout in communicatione talis finis conueniunt, ſunt eiuſdem ſpeciei; vt ſic autem ſpecie deberent differre, ſi bonitas finis illis communicata, eſſet generica,propriè ſumendo genus.

Ad 1.arg. Ad primum argumentũ à principio, Vazquez,qui de facili conuincitur contra D.Tho. concedit Doctorem ſanctum ſibi eſſe contrariũ,& quòd aliter ipſe nõ poteſt intelligere. Sed non mirum, quia intellectus eius nõ pia, ſed praua affectione diſtrahitur, & non vult intelligere vt bene agat cum D.Tho. Reſpondetur ergo,quòd 2.2.q.11.citata D.Tho.loquutus eſt diſiunctiuè,quòd ſpecies ex obiecto,cõtinetur ſub ſpecie ex fine,tãquàm ſub cauſa vel genere; & cùm ad diſiunctiuam ſufficiat vna pars vera & hæc ſit vera,quòd finis eſt cauſa electionis obiecti; tota diſiuncta eſt vera. Nec contradicit ſibi hic,vbi ait,quòd ſi obiectum non ordinetur per ſe ad finem,eſt ſpecies diſparata ab illo,& finis non eſt genus, quia ad huc manet vt cauſa finis ex parte operantis ad electionem talis obiecti. Et ſi priùs quàm diſiunctiuè loqueretur, loquutus fuerat in eodem articulo copulatiuè, nõ fuit niſi ſumendo ly Et,pro Vel,vt in fine articuli ſe explicuit, quia hic eſt etiã communis modus loquendi ; dicimus enim,quòd omnes qui ſunt in hoc gymnaſio,ſunt clerici & ſeculares, & propoſitio non eſſet vera, niſi ly Et,ſumeretur diſiunctiuè. Nec valet impugnatio Vazquez, nam ſi obiectum non continetur ſub fine,tanquàm ſub genere, ſed tãtùm tanquàm ſub cauſa,ad quid addit diſiunctiuam D.Thom. Vel tanquàm ſub genere; ſuperfluè enim hoc eſſet poſitum. Non(inquã) valet hæc impugnatio,quia obiectum aliquando poteſt cõtineri ſub fine, non ſolùm tanquàm ſub cauſa, ſed etiam tanquam ſub genere, vt quãdo obiectum eſt quid inferius quidditatiuè ad finem;ſed quia hoc non ſemper contingit,contingit autem ſemper quòd contineatur ſub fine tanquàm ſub cauſa, ideò diſiunctiuè loquitur, vt tradat generalẽ doctrinam:in hoc autem articulo,quia loquitur in particulari de obiecto non contento tanquàm quid inferius ſub fine, ideò loquitur aſſerens ſpeciem ex obiecto non contineri ſub fine tanquam ſub genere,licèt,vt dictum eſt,ex parte operantis contineatur ſub fine tanqnàm ſub cauſa ; vnde nulla eſt contradictio in D. Thom. Secundò reſpondetur, quòd eſſe ſub genere,ſtat dupliciter. Primò per ſe: ſecundò per accidens. Quando ergo obiectum per ſe ordinatur ad finem, ponitur ſub illo per ſe,vt ſpecies ſub genere in acceptione prædicta. Quando verò non ordinatur per ſe, non ponitur ſub illo per ſe,licèt per accidens ex ordinatione operantis ponatur ſub illo, Quando ergo D. Thom.hic ait,quòd quando obiectũ non ordinatur per ſe ad finem,ſunt ſpecies diſparatæ, & vna non ponitur ſub alia, loquitur depoſitione per ſe ; quando verò in alijs locis allegatis in argumento, etiã de obiectis non perſe ordinatis ad finem aſſerit poni ſub illo vt ſub genere; loquitur cum extenſione ad poſitionem etiam per accidens. Tertiò reſpondetur ex dictis, quòd ſi loquamur de genere logico & ſuperiori per prædicationem, ſi obiectum non perſe ordinetur ad finem, non ponitur ſub illo tanquam ſub genere,ſed eſt ſpecies logica diſparata ab illo, & ſic loquitur hic:ſumendo autẽ genus pro genere morali vel ſuperiori in imperando, etiã obiectum nõ per ſe ordinatũ ad finẽ, poteſt poni ſub illo,vt ſub genere, ex ordinatione operãtis; & in hoc ſenſu loquitur in alijs locis allegatis in argumẽto: & per hoc reſpondetur ad alia argumenta.

2.Solut. *3.Solutio.*

Ad 2.arg. Ad ſecundũ reſpõdetur,quòd obiectũ nõ per ſe ordinatũ ad finẽ, poteſt eſſe materiale, & finis formale illius ex ordinatione operãtis, & ſic obiectũ ſtabit ſub fine per accidẽs, tãquã ſub genere morali.

Ad 3.arg. Ad tertiũ reſpondetur ſimiliter, quòd filiæ alicuius capitalis ponũtur ſub illo tãquàm ſub genere morali mouẽte & imperante,nõ autẽ tanquàm ſub genere Logico & ſuperiori per prædicationẽ,vnde talia vitia quę ſunt filię,nõ debẽt opponi cõtrario ſui capitalis,ſed alijs pertinentibus ad genus logicũ ſibi oppoſitũ ; & ſic contingit in alegatis in argumento.

Ad quæ

Ad 4. arg. Ad quartum similiter patet; probat enim, quòd finis non sit genus logicũ, nõ autẽ quod non sit morale; vnde Charitas, quæ species est atoma, Logicè loquẽdo, est genus morale in mouendo & imperãdo omnib⁹ virtutib⁹ diuersarũ specierũ.

Ad 5. arg. Ad quintũ, aliqui respondent, verificari etiã de medio non habente propriã bonitatẽ vel malitiam, quia, vt suprà diximus, ex fine vel imperante participatur à medio vel imperato intrinsecè bonitas vel malitia ipsius finis; & quia hæc bonitas vel malitia participata, & vt in medio est, quasi coartata & limitata, tali medio tantùm cõueniens; bonitas autem intrinsecè manens in ipso fine & imperãte, vniuersaliùs se habet, quia potest à pluribus medijs participari; ideò etiam medium de se nullam habens bonitatem, per illam quam participat à fine, potest dici contineri vt species sub bonitate finis, tãquàm sub genere & aliquo vniuersaliori. Sed certè hæc solutio non est ad mentem D. Thom. nam loquitur de actu habente duplicem bonitatẽ vel malitiam, alteram ex obiecto, & alterã ex fine: bonitas autem participata in medio, vt suprà diximus, non est alia, moraliter loquendo, nec ponit in numero cũ bonitate manente in fine: intelligendus est ergo D. Thom. de medio quod de se dicit aliquam bonitatem, & secundùm istam dicitur contineri, tanquàm species sub genere, sub bonitate finis, siue manente in ipso fine, siue participata in ipso medio; quia bonitas finis, siue manens in fine, siue participata in medio, ex se pluribus alijs est cõmunicabilis, quàm isti medio; licèt in sensu cõposito & cum quadã reduplicatione, prout est comunicata intrinsecè isti medio, & alijs cõmunicari non possit. Ad argumentũ ergo respondetur cum Conrado per prædicta, quòd etiamsi mediũ per propriã bonitatẽ habeat suã speciẽ logicam distinctã à specie finis, potest poni sub illa tanquàm sub genere morali mouente & imperante; quia distinctio speciei logicæ non tollit imperiũ vnius respectu alterius. Probat autẽ argumẽtũ, nõ stare sub fine, tãquàm sub genere Logico, quia ex isto genere & sua differẽtia tãtùm resultat vnica species. Et si contra arguas, quia ex hac solutione sequitur, nullã esse differentiã inter obiectũ per se ordinatũ, vel per accidens ordinatũ ad finẽ; quia respectu vtriusq; finis est genus morale mouẽs, & imperans; vnde superfluè posuisset D. Tho. distinctionem de ordinatione, per se, vt responderet, finem habere rationem generis in per se ordinatis, nõ autẽ in alijs: Respondetur per secũ dã solutionẽ positã suprà ad primũ, differẽtiã esse, quòd mediũ per se ordinatum, per se est imperabile à tali fine, & finis est genus morale imperans per se illius; quãdo autẽ obiectũ non per se ordinatur ad finem, tantùm est per accidens imperabile ab illo, & finis tãtùm per accidẽs est gen⁹ morale imperãs respectu talis obiecti.

Obiectio.

Solutio.

Ad 6. arg. Ad sextum etiam patet, quòd species logica diuidit suum genus per intrinseca, non autem species moralis; quia etiam ab aliquo sibi intrinseco, etiam in ratione Logica, potest imperari, & per tale imperium illud dicetur genus morale imperans illius.

Ad 7. arg. Ad septimum respondetur, quòd loquendo de genere, non in rigore logico, sed tantùm per similitudinẽ per aliquam proprietatẽ generis, nõ mirũ quòd idem sit genus & species respectu eiusdẽ; vnde obiectũ quod erat species respectu finis, quatenus finis pluribus potest conuenire quàm obiectum modò etiã ipsum obiectũ dicatur genus respectu finis, etiam similitudine ad genus, quatenus obiectum est materiale determinabile per bonitatẽ finis habentem se formaliter; quia proprietas seu conditio est generis, esse determinabile vt materiã, & differentiæ, determinare vt formam; vnde non est contradictio in D. Thoma.

Ad 8. arg. Ad vltimum respondetur, quòd finis in omni consideratione est formalior, vt diximus secundo notabili; vnde non potest esse genus logicum, bene autẽ propter maiorem amplitudinem prædictam potest esse genus morale. Omnes autem impugnationes positæ in argumẽto procedunt circa genus logicum, de quo non pertinet agere hic.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm aliquis actus sit indifferens secundùm suam speciem.

AD octauum sic proceditur. Videtur quòd non sit aliquis actus indifferens secundùm

cundùm ſuam ſpeciem. Malum eſt enim priuatio boni ſecundùm Auguſtinum. * Sed priuatio & habitus ſunt oppoſita immediata ſecundùm Philoſophum: ergo nõ eſt aliquis actus, qui ſecundùm ſpeciem ſuam ſit indifferens, quaſi medium exiſtens inter bonum & malum.

Augu. Enchi. c. 11. to. 3. in prædic. c. de oppoſ.

2 Præterea. Actus humani habẽt ſpeciem á fine vel obiecto, vt dictũ eſt: * ſed omne obiectum & omnis finis habet rationem boni vel mali: ergo omnis actus humanus ſecundùm ſuam ſpeciem eſt bonus vel malus, nullus ergo eſt indifferens ſecũdùm ſpeciem.

q. 1. ar.

3. Præterea. Sicut dictum eſt, * actus dicitur bonus, qui habet debitam perfectionem bonitatis; malus, cui aliquid de hoc deficit: ſed neceſſe eſt, quòd omnis actus vel habeat totam plenitudinem ſuæ bonitatis, vel aliquid ei deficiat: ergo neceſſe eſt, quòd omnis actus ſecundùm ſpeciem ſuam ſit bonus vel malus, & nullus indifferens.

Art. 1. huius q.

Sed contra eſt quod Auguſt. dicit in lib. de ſerm. Dom. in mont. * quòd ſunt quædã facta media, quæ poſſunt bono vel malo animo fieri, de quibus eſt temerariũ iudicare: ſunt ergo aliqui actus ſecundum ſpeciem ſuam indifferentes

Lib. 2 c. 21. & 28. to. 4.

Reſpondeo, dicẽdum, quòd, ſicut dictum eſt, Actus omnis habet ſpeciẽ ab obiecto, & actus humanus, qui dicitur moralis, habet ſpeciẽ ab obiecto relato ad principium actuum humanorũ, quod eſt ratio. Vnde ſi obiectũ actus includat aliquid quod conueniat ordini rationis, erit actus bonus ſecundùm ſuã ſpeciem; ſicut dare eleemoſynam indigenti: Si autem includat aliquid quod repugnet ordini rationis, erit malus actus ſecundùm ſpeciem, ſicut furari, quod eſt tollere aliena. Contingit autem, quôd obiectum actus non includit aliquid pertinens ad ordinem rationis; ſicut leuare feſtucam de terra, ire ad campum, & huiuſmodi; & talis actus ſecũdùm ſpeciem ſuam ſunt indifferentes.

Ad primum ergo, dicendùm, quòd duplex eſt priuatio; quædam quæ conſiſtit in priuatum eſſe; & hæc nihil relinquit, ſed totum aufert, vt cæcitas totaliter aufert viſum, & tenebræ lucem, & mors vitam. Et inter hanc priuationem & habitum oppoſitum non poteſt eſſe aliquod medium circa proprium ſuſceptibile. Eſt autem alia priuatio, quæ conſiſtit in priuari; ſicut ægritudo eſt priuatio ſanitatis, non quôd tota ſanitas ſit ſublata, ſed quôd eſt quaſi quædam via ad totalem ablationem ſanitatis, quæ fit per mortem; & ideò talis priuatio cum aliquid relinquat, non ſemper eſt immediata cum oppoſito habitu; & hoc modo malum eſt priuatio boni; vt Simplicius dicit in commento ſuper lib. Prædicamentorum; quia non totum bonum aufert, ſed aliquid relinquit; vnde poteſt eſſe aliquid medium inter bonum & malum.

Ad ſecundũ, dicendũ, quôd omne obiectũ vel finis habet aliquã bonitatẽ vel malitiã, ſaltem naturalem; non tamen

*tamen semper importat bonitatem vel malitiam moralem, quæ considerat per comparationem ad rationẽ, vt dictũ est, * & de hac nũc agitur.*

In corp. art.

Ad tertium, dicendum, quòd non quicquid habet actus, pertinet ad speciem eius; vnde & si in ratione suæ speciei non contineatur quicquid pertinet ad plenitudinem bonitatis ipsius, non propter hoc est ex specie sua malus, nec etiam bonus; sicut homo secundùm suam speciem neque virtuosus neque vitiosus est.

Conclusio est affirmatiua.

DVBIVM I.

Vtrùm conclusio Diui Thomæ verum habeat.

1. Arg. PRobatur quòd non. Primò. Non datur habitus indifferens secundùm speciẽ: ergo nec actus. Consequentia patet, quia actus secundùm speciem & ex obiecto est similis habitui, & propterea habitus actibus generatur. Antecedens verò probatur ex Arist. 3. Ethic. c. 3. dicente, quòd habitus est de his quibus homo efficitur melior vel peior.

2. Arg. Secundò arguitur. Si propter aliquam rationẽ inter bonũ & malum datur mediũ, maximè quia non opponũtur priuatiuè, sed contrariè; cùm malũ morale non omnino destruat bonum; & sic nõ potest esse priuatio completa & in facto esse medium non admittens; sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor, quia bonum & malũ secundùm circunstantias opponuntur contrariè & non priuatiuè priuatione completa; tamen inter illa nõ datur mediũ, quia actus in singulari ad minus ex circunstãtijs necessariò est bonus vel malus, vt dicetur articulo sequenti. Item verum & falsum sunt formæ positiuè cõtrariæ, & inter illa non datur medium in proprio susceptiuo, vel in propositione; nulla enim est indifferens, sed omnis necessariò vera vel falsa. Itẽ sanitas & ægritudo contraria sunt, & non priuatiuè priuatione cõpleta, & inter illa nõ datur mediũ, quia necessariò animal est sanum vel ægrotum. Si respondeatur, quòd in præ- Solut.
dictis non datur mediũ in singulari, bene autẽ in specie, propositio enim in specie nec est determinatè vera, nec falsa; neque animal sanũ, vel ægrotum, sed indifferẽs ad vtrũque: Cõtra arguitur, nam isto mo- Impugn.
do etiã datur medium inter formã & priuationẽ cõpletam in facto esse; nam aer (verbi gratia) secũdùm suã speciẽ nec est lucidus nec tenebrosus: ergo si absolutè cõceditur ꝙ inter opposita priuatiuè priuatione cõpleta nõn datur mediũ, similiter etiã, si priuatio sit tantùm in fieri, etiã si secũdùm speciẽ abstrahat ab vtroque. Cõfirmatur, nam ex eo quòd malũ mora- Confirm.
le non auferat totum bonũ, nõ sequitur, quòd actus non sit malus, sed quòd non totaliter sit malus; quia quæcunque pars mali sufficit vt absolutè sit malum; quia hoc cõsurgit ex quocunq; defectu: ergo ex eo quòd malum morale non auferat totaliter bonũ, non sequitur, esse mediũ inter bonũ & malũ, sed tantùm probabit esse mediũ inter bonũ & maius malũ, scilicet minûs malum, non autẽ inter bonũ & malũ sumptum in tota sua latitudine.

3. Arg. Tertiò arguitur. Omnis actꝰ moralis secũdùm suam speciem est propter finẽ; sed quicũq; finis est determinatè bonus vel determinatè malus: ergo & quicunq; actus secundùm suã speciem est determinatè bonus, vel determinatè malus. Maior patet, quia actꝰ humanus dicit intrinsecũ ordinem ad voluntatẽ deliberatã, ac proinde agentẽ formaliter propter finẽ. Minor etiã patet, quia omnis finis vel in re est bonus, vel apparenter. Si primum, actꝰ terminatus ad illũ, erit verè bonus: si secũdũ, erit malus: ergo nullꝰ indifferẽs.

4. Arg. Quarto arguitur. Implicat, dari speciẽ, cuius non possit dari aliquod indiuiduũ; sed nõ potest dari in singulari actus humanus indifferens, vt patet articulo sequenti: ergo nec in specie. Si respondeatur cum D. Thoma, actum non esse secũdùm speciem indifferentem positiuè, quia hoc inquolibet indiuiduo deberet reperiri, sed esse differentem negatiuè, quia secũdùm speciem nec includit bonitatem; Solutio
nec malitiã: Contra arguitur, quia secun- Impugn.
dùm suã speciem talis actus est positiuè moralis: ergo & positiuè debet esse in aliqua specie actus moralis, species autem illius sunt bonũ & malũ: ergo necessariò & positiuè debet esse in aliqua istarũ specierum.

Solutio. rum. Si respondeatur, actũ moralem non diuidi adęquatè per bonũ & malũ; quia est tertiũ membrum, scilicet indifferens:

Impugn. Contra arguitur, quia talis modus diuidendi est cõtra omnes Philosophos, & sequeretur, sic posse procedi inquacunque diuisione; possemus enim dicere, quòd animal, aliud irrationale, aliud rationale, & aliud indifferens, quia animal secundũ rationẽ communem negatiuè se habet ad

Confir.1. rationale & irrationale. Confirmatur, quia quod conuenit superiori negatiuè, non debet poni vt differentia constitutiua alicuius speciei cõtentæ sub tali superiori, sed indifferentia ad bonũ & malum conuenit negatiuè actui humano in communi secundũ D. Tho. q. 2. de malo, ar. 4 vbi ait, q̃ sicut animal est indifferens ad rationale & irrationale, ita & actus moralis est indifferens ad bonũ & malum, quia contrahitur per illa, & per illa diuiditur: ergo talis indifferentia non potest esse cõstitutiua alicuius speciei distinctæ à spe-

Cons.2. cie boni & mali. Confirmatur secundò, quia quod est indifferens, est cõmune, & prædicatur de illis, respectu quorum dicitur indifferẽs: sed illa tertia species quã ponit D. Tho. actus indifferentis, neque est cõmunis ad speciem boni & mali, nec prædicatur de illis, cũ debeat esse species oppositа: ergo talis species est fictitia.

3. Arg. Quintò arguitur, nam si aliquis actus (v.g. leuare festucam) secundũ suam speciẽ est indifferens, sequitur, nullo modo talẽ actum fieri posse bonum vel malum: cõsequens est falsum: ergo. Minor patet ex ipso D. Tho. asserẽte, quòd talis actus in indiuiduo fit bonus vel malus secundùm finẽ operantis. Sequella verò probatur, nam quod conuenit ratione speciei, variari non potest: si ergo talis actus secũdùm speciẽ est indiferens, nũquàm variari poterit, vt in indiuiduo fiat bonus vel

Solutio. malus. Si respondeatur, effici bonum vel malũ ab extrinseco semper tamen remanere indifferentẽ intrinsecè & secundùm suam speciem: Contra arguitur, quia sic

Impug. nulla erit differentia inter actum indifferentem & bonum secundùm suam speciem; quia etiam actus secundùm se bonus, efficitur malus ab extrinseco.

6. Argu. Sexto arguitur. Talis actus leuandi festucam (verbi gratia) vel est indifferens secundùm speciem, quatenus terminatur ad obiectum volitũ propter aliud, vel volitũ propter se: neutrum istorũ: ergo, Probatur minor pro prima parte, quia si terminatur ad obiectũ volitũ propter aliud, si illud aliud est bonum vel malũ, obiectũ etiam est bonũ vel malum: ergo non est indifferens ille actus vt terminatur ad obiectũ volitũ propter aliud. Quòd neq; etiã vt volitũ propter se, probatur, quia si ex eo esset indifferens, quia terminatur ad obiectum vt volitum propter se, etiã in indiuiduo daretur actus indifferens; quia in indiuiduo datur actus terminatus ad obiectum volitum propter se.

Septimò arguitur. Inter ens & nõ ens *7. Arg.* non datur medium & aliquid indifferẽs: ergo nec datur mediũ inter bonũ & malũ. Patet cõsequentia, quia ens & bonum conuertuntur. Tũc vltra: Inter bonũ & malum, vt Conuertuntur cũ ente, non datur medium: ergo nec inter bonũ morale & malũ morale. Patet ista cõsequentia, quia proportionabiliter debẽt se habere, sicut superiora. Confirmatur, nam inter *Confir.* consonũ & dissonũ rationi non est mediũ; omnis enim actus debet versari circa consonũ vel dissonũ obiectũ: ergo omnis actus secundũ suã speciem debet esse determinatè bonus, vel determinatè malus. Antecedens probatur, nam inter rectum & obliquũ non datur medium in linea, sed necessariò etiã ex specie omnis linea debet esse recta vel obliqua; & similiter quicunq; numerus par, vel impar; sed cõsonũ & dissonum habent se sicut rectũ & obliquũ: ergo etiam inter illa nõ erit mediũ. Cõsequentia verò principalis probatur, quia idẽ est esse consonũ vel dissonũ rationi, atq; esse bonũ vel malũ morale.

In hac re est prima sentẽtia, quã refert *1. Sent.* Magister in 2. d. 41. & D. Tho. d. 40. q. 1. ar. 5. & q. 2. de malo, art. 4. asserens, omnẽ actum de se & ex sua specie esse indifferẽtẽ; quia omnis actus potest esse malus, & omnis potest esse bonus; omnis quidẽ potest esse malus ex malo fine, & omnis potest esse bonus; vt si ex ignorantia inuincibili fiat. Sed certè hæc sententia est contra Fidem: ex illa enim cõstat, aliqua opera ex sua specie & ratione esse bona, & aqua mala, vt Matth. 22. laudatur vt bona, *Matth. 22.* oratio, ieiunium, & eleemosyna: & 1. Co- *1. Corint. 7.* rinth. 7. cõtinentia, & Galat. 5. alia numerãtur vt mala, vt blasphemia, idololatria, *& Galat. 5* &c. & aliâs perirent præcepta & prohibitiones legis naturæ, & præcepta naturalia cõnaturalia grãtię; nã lex supernaturalis præcipit secũdùm se bonũ, & prohibet se

bet ſecundùm ſe malũ. Item perirent prę cepta Euangelica de actibus conducenti bus ad beatitudinẽ, & conſequenter ſecũ dùm ſe bonis; de quo infra q. 108. ar. 4. Pe rirẽt etiã actus donorũ Spiritus ſancti, & Beatitudines, de quib⁹ q. 68. & 69. & 70.

2 Sent. Scot. Secũda ſẽtẽtia eſt Scoti in 2. diſt. 7. q. vni ca, & diſt. 41. q. 1. nullũ actum ex ſua ſpe cie eſſe indifferentẽ, ſed omnem bonũ vel malũ: & mirũ eſt, quòd poſtmodùm do ceat Scotus, dari actũ in indiuiduo indif ferentem, & modò neget illum in ſpecie.

3. Sent. Tertiam ſententiã refert Magiſter Io co citato diſtinguentẽ de actibus cõſiſtẽ tibns in opere, vel in verbis. De primis dicit hęc ſentẽtia, poſſe dari indifferentes ſecundùm ſuam ſpeciẽ: de ſecundis verò nequaquã; nam cùm verba ex ſua ratio ne ſint ſigna rerũ & conceptuum, ex pro pria ſpecie habent eſſe bona vel mala; nam ex hac ratione ſigni, habent verba proferri ex honeſto fine, vel otioſẽ, & cõ ſequenter eſſe bona vel mala; quæ ratio non currit de actu conſiſtente in opere.

4. Sent. D. Thom. Quarta ſententia eſt D. Tho. explicã da in concluſione. Pro cuius intelligẽtia notandum, quòd hic tãtùm loquimur de actibus naturalibus, non vt naturale op ponitur morali, ſed vt naturale diſtingui tur à ſupernaturali; nam actus ſupernatu rales neceſſariò ex ſua ſpecie ſunt boni, cùm pertineant ad gratiã, vel gratũ faciẽ tẽ, vel gratis datã (hæc enim eſt adęquata diuiſio gratiæ, vt patet infrà q. 112.) ad quãcunq; autem iſtarum pertineat act⁹ reſpicit rectum finẽ; nam ſi pertineat ad gratũ facientem, reſpicit propriam iuſti ficationem; ſi autem ad gratis datam, reſ picit vtilitatẽ aliorum'; & etiã quia actus ſupernaturalis diſponit ſubiectum vt be ne ſe habet in ordine ad naturam gratiæ; omniſq; huiuſmodi actus pertinet ad pri mam ſpeciẽ qualitis, & non poteſt malè diſponere; cùm hęc ſit differentia gratiæ & naturæ, quòd natura noſtra cùm con ſtet ex duplici ratione, & ſenſitiua & ra tionali, licèt aliquid bene diſponat ad ſen ſitiuam, poteſt malè diſponere ad ratio nalem; & ſic actus naturalis, habẽs etiam primam conſonantiam, poteſt eſſe malus moraliter ex diſſonantia ad ſecundum; actus autẽ ſuper naturalis tãtùm reſpicit partẽ rationalem, bene diſponẽdo illam, & ſic nõ manet aliquid altius ad quod ma lè diſponat, & ratione cuius efficiatur ma lus; vnde neceſſariò ex ſua ſpecie ſemper eſt bonus, tanquãm quid expeciali & ſu pernaturali axilio Dei proueniens. Et ſi *Obiectio.* cõtra inſtes, nam 3. p. q. 63. art. 2. dicitur, characterẽ ſacramentalem non eſſe habi tũ, ſed potentiã, quia eſt indifferens ad be ne vel malè operandum; quod proprium eſt potentiæ; cùm tamen character ſit ali quid ſuper naturale, & ordinis gratiæ: Reſpõdetur, quòd character ideò dicitur potentia, quia poteſt elicere actũ, nõ qui *Solut.* dẽ malũ ex obiecto & ſpecie, ſed malum ex circunſtãtia; quod non poteſt habere habitus ſupernaturalis; Fides enim vel Charitas nõ poteſt elicere actũ malum, etiã ex circũſtãtia; ſacerdos autẽ per cha racterẽ poteſt elicere actum conſecrandi ex ſpecie bonũ, vitioſum tamen ex circũ ſtantia vel fine cupiditatis. Et ſi rurſus in *Obiectio.* ſtes, probabilẽ eſſe ſententiã Caiet. quòd etiã habitus ſupernaturalis, vt Fides, poſ ſit elicere actũ, licèt ex ſpecie bonũ, vitia tũ tamen ex circũſtãtia: ergo hac opinio ne ſuppoſita, character vt ſit potẽtia non ſolùm poteſt elicere actũ malum ex cir cunſtãtia, ſed etiã malũ ex obiecto; nam alias nõ plus poteſt, quãm habitus; & ſic nõ diſtinguitur ab illo vt potẽtia. Reſpõ *Solutio.* detur adhuc ſuppoſita ſententia Caietan. quã tamen exiſtimamus falſam qnôd, vt docet D. Tho. 3. p. q. 82. ar. 4. ad 1. & q. 83 ar. 4. circunſtãtiæ ſunt in duplici differẽ tia; aliæ intrinſecæ & propriæ & cõnatu rales actui, vt ſumentes ſpeciẽ ex ſuo ob iecto, vt actus ſacrificãdi Vero Deo ſacri ficiũ ſupernaturale altaris, habet quidem vt circunſtãtiã connaturalẽ, ꝙ huiuſmo di actus exerceatur in gratia; propterea enim in collatione characteris infundi tur gratia Sacramentalis, vt offerens, in gratia offerat, vel ꝙ cum debitis veſtibus & vaſibus offeratur. Aliæ verò ſunt cir cunſtãtiæ extrinſecæ non propiie intra ſpeciẽ deſumptæ ex obiecto, ſed ab ex trinſeco proueniẽtes ex parte operantis. Dicimus ergo, ꝙ etiã in ſentẽtia Caietani habitus ſupernaturalis neceſſariò elicit actũ bonũ, tã ex obiecto, quàm ex circũ ſtãtijs cõnaturalibus ſuæ ſpeciei. Poteſt autẽ talis actus eſſe mal⁹ ex circunſtãtijs extrinſecis, character autem neceſſariò, quia ſupernaturalis, elicit actũ bonũ ex obiecto: poteſt autẽ elicere malũ, nõ ſolũ ex circũſtãtijs extrinſecis, ſed etiã malũ ex defectu circũſtãtiæ intrinſecę & cõna turalis ſpeciei religionis; vt ſi cõſecret in peccato, & ſine debitis veſtib⁹; & per hoc

eſt

est potentia, distinguiturq; ab habitu.

Conclus. D. Tho. Conclusio ergo D. Tho. omnino est tenenda, q; aliqui sint actus ex sua specie & obiecto indifferẽtes in genere moris. Quę etiam cõclusio videtur expressa Arist. in post prædi. c. de oppositis, tex. 3. vbi ait, esse quędã opposita inter quæ nõ est mediũ, vt par & impar, respectu numeri; alia verò esse, inter quæ medium reperitur, vt albũ & nigrum, respectu coloris; & studiosũ & vitiosũ respectu hominis, inter quę mediat aliquid quod innominatũ est: immò etiã videtur definita contra Ioannem Hus in Cõcilio Cõstantiensi sessione 15. & insinuatur etiã Matth. 7. Nolite iudicare, & nõ iudicabimini; vbi *Aug.* lib. 2. de sermone Dñi in mõte, c. 21. & 28. inquit: Prohibemur iudicare de quibusdam factis medijs, quę possunt bono vel malo animo fieri; nã si determinatè essẽt mala, licitũ esset de eis iudicare; vt de blasphemia vel de homicidio, &c. Et Rom. 14. Qui nõ manducat, manducantẽ non iudicet; vbi insinuatur, actũ manducãdi vel non manducãdi; ex sua specie esse indifferentẽ: vnde non debere iudicari de bonitate vel malitia mãducantis vel non manducantis: & hoc etiã docet D. Hiero. epist. 89. ad Aug. & Aug. epist. 19. ad Hier. esse quidẽ actus ex sua specie indifferentes, vt spuere, & capitis purgamẽta naribus proijcere. Sed ratione etiã probatur. Primò cũ D. Tho. Quale est obiectũ formale, tales est & species actus terminati ad ipsum, sed obiectũ (v.g.) actus leuandi festucã, est indifferẽs, neq; ex se dicẽs ordinẽ conformitatis aut deformitatis ad rationẽ; ergo & talis actus ex sua specie erit indifferens. Secũdò probatur. Si ille actus ex sua specie esset bonus vel malus: ergo pertinet ad aliquam speciem virtutis, aut vitij, aut verò ad aliquid melius virtute, vel peius vitio: hoc nõ potest dici: ergo: talis actus est indifferens ex sua specie. Maior patet, quia omnis actus bonus ad aliquã determinatam virtutẽ debet pertinere, vel ad aliquid altius virtute, vt v. g. actus quo quis vult esse studiosus, aut amat se ipsum, naturaliter pertinet ad propensionẽ voluntatis in bonum. Minor etiam patet, quia talis virtus vel vitiũ nõ poterit assignari, ad quod pertineat leuare festucam, neque etiam pertinebit ad propensionem naturalem Voluntatis. Tertiò probatur, quia nullus iudicabit huiusmodi actum dignum laude, aut vituperio: ergo talis actus ex sua specie nec est bonus vel malus. Patet consequentia, quia secundùm actum bonum vel malum efficitur quis dignus laude vel vituperio. Quartò probatur, quia talis actus neque est secundùm legem diuinam aut naturalem, aut humanam, neque etiam cõtra aliquam illarum ergo nec est bonus vel malus. Antecedens patet, nam esse secundũ legem, est, quòd lex inclinet ad illud esse vtrò contra legẽ, est, q; lex illud prohibeat; sed nulla lex consulit aut prohibet leuare festucam, non ergo erit secundũ legẽ vel contra illã talis actus. Cõsequentia verò probatur, nam esse bonũ, est per conformitatẽ ad legem vel regulã præcipientem; esse verò malum, est esse contra regulam vel legem prohibentem. Vltimò probatur. Dantur aliquæ leges purè humanæ: ergo dantur actus ex sua specie indifferentes. Consequentia patet, nam, vt docet Caietan. quæst. 95. art. 2. in fine, natura legis purè humanæ est præcipere vel prohibere id, quod ante legem nec erat bonum vel malum ex se, sed fit bonum vel malum ex præcepto vel prohibitione legis, & est tantùm bonum vel malum, quia præceptum vel prohibitum, nam si ante talem legem, quod præcipitur, vel prohibetur, erat bonum vel malum, non necesse erat tali lege humana illud præcipere vel prohibere, quia iã supponeretur præceptum vel prohibitum lege naturę; lex enim naturalis dictat quòd bonum est faciendum, malum verò fugiendũ. ¶ Manet tamen difficultas in explicando, qualiter per indifferentiã constituatur species actus moralis. Aliqui enim moderni existimant, actum indifferentem ex obiecto, nõ esse specialem speciẽ actus moralis, sed idem esset dicere, esse actus indifferẽtes ex obiecto, ac dicere esse aliquos actus ex obiecto nõ pertinentes ad genus moris; nam genus moris est per ordinẽ ad rationẽ & regulam, vel secũdũ conformitatẽ, vel secũdũ deformitatẽ: cùm autem actus indifferens nec conformitatem, nec difformitatẽ importet, ad genus moris nõ pertinet; agit tamen de illo D. Thom. ad maiorem explicationẽ moralitatis, quę in bonum & malum est diuisa; indifferentia enim supra entitatem naturalem obiecti solùm addit negationem conformitatis & deformitatis; per negationem autem species positiua, qualis est moralis, cõstitui non potest, nec etiam per positiuum obiecti cui coniungitur talis negatio, cùm

tale

tale positiuũ, vt dictum est, sit ipsa entitas naturalis & extra genus moris. Sic tenet Lorca hic, dispu. 29. dub. vltimo. Nihilominus tamen dicendum est, per indifferentiam prædictam constituí tertiam speciem in genere moris, nec esse adæquatam diuisionem moralitatis per bonum & malum, sed superaddendum esse, vel indifferens. Hoc videtur expressum D. Tho. q. 92. art. 2. & in 2. Sent. ad Anibaldum, dist. 40. q. vnica, art. 3. & q. 2. de malo, articulo quinto, & hic, vbi ait, bonum & malum nõ esse immediatè opposita in genere moris. Sentit ergo, quod species indifferentiæ, quam ponit vt medium inter bonũ & malum, sit species generis moralis; aliàs enim in tali genere immediatè opponerentur bonum & malum: nã quod extra aliquod genus est, non potest esse mediũ inter species illius generis. Quæstione autem 92. articulo 2. ait D. Tho. esse actum legis diuinæ, præcipere actiones bonas, prohibere malas, & permittere indifferẽtes: ergo species indifferentię generis moralis est, cùm sit habitudo inter legem & talem speciem per modum permissi & permittẽtis; quod non solam negationem important, sed aliquid positiuum, cùm dicat D. Th. eiusmodi permissionem esse actũ legis. Et ratione id probatur, nam talis actus leuandi festucam (verbi gratia) qui in individuo est moralis, vel intrat genus & speciem moralem per obiectum, vel per circunstantias: non hoc secundum: ergo illud primũ. Probatur minor, nam circunstantiæ sunt accidentia: ergo non possunt constituere substantiam moralitatis in illo actu: ergo ante tales circunstantias præintelligitur talis actus cõstitutus in genere moris; accidẽtia enim alicuius generis non possunt aduenire nisi constituto iam in tali genere: cùm ergo circunstantiæ sint accidẽtia moralia, nec possunt constituere, nec etiã aduenire, nisi substantialiter cõstituto in genere moris ex suo obiecto.

Corol. Ex dictis sequitur, non esse ponendam quartam speciem in genere morali pro actibus malè sonantibus, qui tamen honestari possunt per aliquã aduenientẽ cõditionẽ. Hoc dixerim cõtra Med. hic cõcl. vlt. & contra Bañez 2. 2. quæst. 40. ar. 1 dub. 1. asserentes oppositum, ex istimantesque hoc esse de mente D. Tho. quodlib. 9. art. 5. vbi distinguit actum in bonum & malum & male sonãtem, tanquàm in species diuersas. Sed nihilominus nostrũ corollarium debet esse certum, nam actus male sonans vel respicit obiectum consonũ vel dissonũ rationi, vel respicit obiectum nec consonũ nec dissonũ rationi: ergo necessariò debet esse bonus vel malus, vel indifferens. Patet consequentia, nã si respicit consonum vel dissonum, est bonum vel malũ: si autem respicit nec dissonum nec consonum, est indifferens. Antecedẽs verò probatur, quia est vna disiunctio constans ex contradictorijs: ergo est necessariò vera: non enim est dare medium inter respicere consonum vel dissonum. Item, nam aliàs etiam esset ponenda alia species pro actibus sonantibus in bonum, qui tamen possunt vitiari ex adueniente cõtradictione; quam speciem nullus adhuc cõcessit. Sequella patet, quia vbi est vnum cõtrarium, debet etiam poni & aliud; & tales actus reperiuntur; verbi gratia, saluare vitã hominis, in bonum sonat; vnde dicitur Prouer. 24. Erue eos qui ducũtur ad mortem; vitiari tamẽ potest, si præter ius intẽdat saluare vitam malefactoris: quare ergo sicut ponitur species distincta pro male sonãtibus, nõ ponetur etiã pro bene sonãtibus? Item sequeretur, quòd si iudex occidat hominem secundùm legem, nõ faciat actum bonum, sed illius quartæ speciei à contrarijs assignatæ: consequens est falsum: ergo. Minor patet, quia nullus negabit illum esse actũ iustitiæ, vt docet Caiet. 2. 2. q. 102. art. 5. Sequella verò, pbatur, nã occidere hominẽ, est de male sonantibus. Ad locum autẽ D. Tho. adductum à contrarijs, facile respondetur, quòd D. Th. nõ intendit assignare distinctam speciem, sed solũ explicare rationẽ actꝰ in esse naturę, qualiter se habeat ad bonitatẽ vel malitiã, quòd natura actus aliquando intrinsecè includit bonitatem; aliquando intrinsecè malitiam; aliquando neutrum, sed indifferenter se habet ad vtrũque; aliquando autem talis actus in esse naturæ licèt sit indifferens ad bonum & malum, & propterea sit indifferens essentialiter; nihilominus in apparentia & secundùm sonum, habet aliquid mali, quousque discutiatur, qua conditione vel intentione fuerit factum; qui quidem sonus est aliquid mali in ipso actu per quod faciat speciẽ distinctã; sed est aliquid ex parte videntium tale opus, nec intelligentiũ conditionẽ vel intentionẽ operantis, eũ fundamẽto tamen in ipsa natura actus, qui de facili potest induere malitiã, licèt ex sua specie non includat illam.

Medin. Bañez.

D. Thom.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum à principio,
Scot. Scotus in 2. dist. 41. q. vnica ad secundum,
Palud. & in 4 dist. 41. q. 6. & Palud in 2. dist. 40.
Vazquez. q. 1. & Vazquez hic disp. 52. infine, dicũt,
posse dari habitum indifferentem, & hoc
D. Tho. existimãt ex D. Tho. q. 55. art. 4. vbi ponit
opinionem, quæ quandoque se habet ad
bonum, & quandoque ad malum; quod vtique est esse indifferentem. Et Conrad.
Conrad. ibidem asserit, dari habitum, qui nec sit virtus nec vitium: & hanc etiam sententiam
tenentur defendere asserentes, dari actus
indifferentes in individuo: nam cùm habitus generetur ex actibus, prout in singulari & in exercitio fiunt, si in exercitio dãtur actus indifferentes, per illos repetitos
generabitur habitus indifferens; qualiter
enim actus indifferentes possent generare habitum determinatè bonum vel malũ,
cùm tales actus indifferenter se habeant ad
vtrumque? Oppositam sentẽtiam tenent
Med. communiter Thomistæ, Medina &
Caiet. Caietanus hic, & 3. p. q. 63. art. 2. immò &
Duran. Durand. in 2. dist. 40. q. 1. n. 7. & communiter Scholastici, & videtur Arist. 2. Ethic.
cap. 5. & lib. 7. cap. 12. & 2. Rhetor. cap. 12.
& 5. Metaph. vbi docet, habitum esse, quo
quis bene vel malè disponitur; & quòd
omnis habitus moralis, est virtus, vel vitiũ:
in hoc enim distinguitur prima species
qualitatis à secunda, quòd prima se habet
determinatè ad bonum vel malum; secunda verò indifferenter se habet ad vtrumque; de quo in Prædicamentis, & infrà q.
49. ar. 2. Ideò enim liberum arbitrium nõ
est habitus, sed potentia, vt probat D. Th.
1. p. q. 83. art. 2. quia non est determinatè
ad bonum vel malum, sed indifferens ad
vtrumque. Et similiter character Sacramẽtalis ideò non est habitus, sed potentia, vt
probat D. Tho. 3. p. q. 63. art. 2. & in 4. dist.
4. q. 1. art. 1. quia se habet indifferenter ad
actũ bonũ vel malũ; habitus autẽ ad bonũ
vel malũ est determinatus. Nec potest responderi, quòd Arist. loquatur de prima specie qualitatis in esse naturæ; talis enim bene vel malè disponit ad naturam, vt sanitas
vel ægritudo; non autẽ loqui de habitibus
in genere moris; Hæc enim solutio nihil valet, quia proportionabiliter loquendũ est
de habitibus moralibus in ordine ad subiectum morale, sicut de habitibus naturalibus in ordine ad subiectum naturale: sicut
ergo habitus naturalis, est determinatus
ad bonum vel malum naturæ; ita similiter
habitus morales debent esse determinati
ad bonum vel malum morale; licèt enim
in homine duplex sit portio, & sensitiua,
& rationalis; habitus tamen moralis non
pertinet ad subiectum secundum portionem sensitiuam, sed secundum rationalem, ad quam spectat moralitas: vnde sicut
ad habitus naturales & Physicos spectantes ad portionem sensitiuam, pertinet bene vel malè afficere sensitiuam naturam;
ita ad habitus morales spectantes ad portionem rationalem pertinet bene vel male afficere talem portionem in suo genere morali. Et si contra fiat argumentum, quòd
habitus & actus sunt eiusdem speciei ex *Obiectio.*
parte obiecti: sicut ergo datur actus indifferens ex obiecto, ita & habitus: Respondetur, quòd habitus non specificatur ab *Solut.*
obiecto actus vtcunque & nudè sumpto,
sed ab illo prout exequitur per actum directum à prudentia vel imprudẽtia, & prout
actus fit in exercitio: vnde cùm actus in
ista consideratione non respiciat obiectũ
nisi determinatè bonum vel malum, ideò
habitus necessariò respicit obiectum determinatè bonum vel malum, & sic indifferens esse non potest. Sed meo videri inter
has duas extremas sententias media via
est procedendum. Pro quo suppono,
quòd hic non agimus de habitibus supernaturalibus; isti enim determinati sunt ad
bonũ; nec etiam loquimur de habitibus Intellectus, & pertinentibus ad speculabilia; isti enim suà ratione moralitatem boni tatis vel malitiæ non includunt; sed loquimur de habitibus pertinentibus ad regimen & motum moralem Voluntatis: sic
ergo habitus morales dupliciter possunt
considerari. Primò ex sua specie. Secundò in individuo & prout de facto dantur
acquisiti. Dico ergo, quòd habitus ex sua
ratione specifica aliqui sunt derminatè boni, vt virtutes; aliqui determinatè mali, vt
vitia; aliqui autem indifferentes; vt consuedo eundi ad agrum: ex suo enim obiecto
nullam bonitatem, malitiamue includit; sicut nec actus eundi ad agrum: si autem habitus in singulari, & prout de facto sunt
acquisiti, cõsiderẽtur, nullus datur indifferens, quia, vt probat secũda sentẽtia, acquiritur per actus, prout & hic & nũc fiunt: &
cũ act⁹ in singulari necessariò sint boni vel
mali, cõsequẽter & habit⁹ acquisiti per hu
iusmodi actus: itaq; habitus & act⁹ specificãtur ab obiecto eodẽ, sumpto eadẽ ratione: habit⁹ in specie, ab obiecto act⁹ in specie: habitus autẽ, put de facto acquisit⁹, ab
obiecto

obiecto actus prout in exercitio facti: vnde falsò astruebat secunda sententia, quòd specificatio habitus sit ab obiecto actus, prout in exercitio fit, directus à prudentia vel imprudentia.

Ad 2. arg. Ad secundũ resp. ꝙ, vt docet Cai. in materia de peccat. immo & D. Th. q. 2. de malo, bonũ & malũ morale, nõ priuatiuè, sed contrariè opponũtur: vnde inter illa medium potest dari, hæc enim est natura contrariorum, admittere medium, vel permissiuè vel positiuè: permissiuè quidem, quia licèt aliquando vnum contrarium totaliter destruat aliud, vt albedo intensa nihil reliquens nigredinis, potest tamen non omnino excludere illã, sed aliquid eius relinquere, per cuius mistionem resultet medium viride, vel pallidum; vel etiam põsitiue potest admittere medium, quatenus natura contrarij hæc est, vt nunquàm in totum aliud contrarium excludat. Sic ergo cùm bonum & malum morale contrariè opponantur, mediũ requiritur vel permittitur inter vtrumque: malum enim morale non omnino destruit bonitatẽ actus, & rectitudinẽ rationis; semper enim retinet ad minus à Voluntate bona procedere, & in commune obiectum Voluntatis, quod est bonum, tendere: quia tamen D. Thomas hic alia via procedit, admittens quòd etiam sit oppositio priuatiua inter bonum & malum, quia vel probabile est, malum morale in priuatione consistere, vel ad minus certum est, priuationem habere intrinsecè annexam, ideò distinguit de priuatione infieri & in facto esse; & ait, quòd priuatio in facto esse, non admittit medium; bene tamen priuatio in fieri, quę non totaliter destruit formam oppositam, & talis est malum morale non omnino destruens rectitudinem rationis, vt dictũ est. *Solut.* Ideò secundò respondetur, quòd bonum & malum morale possunt considerari dupliciter. Vel respectu actus in specie; aut verò in indiuiduo. Si quidem comparẽtur ad actum in indiuiduo, habent se sicut habitus & priuatio in facto esse, nec inter illa potest dari medium, vt dicetur articulo sequenti; quia cùm teneatur operans dirigere talem actum in proximum finem debitum, non est medium: sed si dirigit, facit actum bonum, & si non dirigit, facit actũ malũ, cũ teneretur dirigere. Nec reputãdũ est, dari aliquod mediũ ex eo quòd maneat in tali actu ordo ad vltimũ finẽ vel [illegible]nũ in cõmuni; quia consideratio priuationis illius, nõ est nisi respectu finis proximi recti; cuius nihil remanet; ille autem ordo ad bonũ incõmuni cõuenit actui secũdũ rationẽ cõmunẽ actus humani, nec facit mediũ inter illã priuationẽ vel tẽdẽtiã ad proximũ finẽ rectũ: sicut (verbi gratia) cæcitas & visus priuatione cõpleta opponũtur: quia cũ cæcitate nihil remanet visus & sensus particularis, cui cæcitas opponitur, licèt remaneat in cæco sensus cõmunis cõueniens ei secũdũ rationẽ cõmunẽ animalis. Facta autem cõparatione ad actum humanum in communi, bonum & malũ morale nõ opponũtur priuatione cõpleta; vnde in cõmuni & secũdũ speciẽ relinquitur mediũ inter vtrũque; quia cũ nõ teneatur ad aliquẽ actũ exsua specie consideratum, etiamsi non intelligatur ordo talis actus ad debitum finem, non ideò intelligitur malus, licèt nõ intelligatur bonus, sed omnino potest manere indifferẽs. *3. Solut.* Vel tertiò respondetur, quòd etiam si bonum & malum priuatione completa opponerẽtur, non sequitur, quòd ex ratione specifica nõ daretur actus indifferẽs: quia licèt inter priuatiua non detur medium in subiecto de facto, non tamen cum reduplicatione naturæ subiecti est necesse priuationem vel habitum conuenire; homo enim inquantum homo, nec est cęcus, nec videns: sic ergo licèt de facto non detur actus qui non sit bonus vel malus, actui tamen secundùm speciem non necesse est bonitatẽ, vel malitiã conuenire, sed absque vtroq; intelligi potest; & hæc est explicatio præcedentis solutionis; est enim clarius dicere, quòd bonũ & malũ nõ opponuntur priuatiuè respectu actꝰ humani in cõmuni, licèt priuatiuè opponãtur respectu actus in singulari. Ad illud autem de vero & falso, respondetur ex D. Tho. q. 2. de malo, art. 5. ꝙ verũ & falsum nõ opponũtur contrariè, sed contradictoriè, sicut ens & nõ ens; quia verũ debet cõsonare cũ re significata, falsũ verò nõ cõsonare: inter cõsonare autẽ, & non cõsonare, cũ sint cõtradictoria, nõ datur mediũ. Vel secũdò resp. vt diximus, quòd licèt in singulari nõ detur mediũ inter verũ & falsum; omnis enim propositio in singulari, necessariò est vera vel falsa; tamẽ in specie mediũ datur; nam propositio contingens in specie & ex obiecto, nec est vera, nec falsa, sed indifferens ad vtrumque. Ad illud autem de morbo, respondetur, esse priuationem infieri, & remanere aliquid formæ

contrarię;vsque ad mortem enim excluſi uè ſemper remanet aliquid ſalutis,licet ab ſolutè ſubiectum dicatur infirmũ. Itaque dari medium,non eſt quòd taliter non ſit ſanum, vt nihil habeat ſalutis, & taliter non eſſe infirmum,vt nihil ſit infirmitatis; ſed quòd etiamſi vnum illorum habeat,ali quid tamen oppoſiti retineat: quapropter medium dicitur dupliciter.Primò per participationem,quod ex vtroque extremo aliquid retinet,vt viride,& ſimiliter morbus. Aliud autem eſt medium per negationem,quod neutrum extremum includit,& talis eſt actus indifferens ſecundùm ſpeciem.Dicitur enim medium inter bonum & malum morale; non quia aliquid vtriuſque retineat, ſed quia neutrum ex ſua ratione importat. Et ſi D.Tho. attulit exemplum de morbo, non eſt quantum ad eſſe medium eodem modo, ſed quantum ad hoc,quòd quia morbus eſt priuatio in fieri, admittit medium; vnde quia malum morale etiam eſt priuatio in fieri, mediũ poteſt admittere,licèt, vt diximus, hoc ſit per negationem vtriuſque extremi; illud verò per vtriuſque participationem. Ad confirmationem, patet ex dictis,quòd licèt actus per quamcunque malitiam abſolutè dicatur malum, quia tamen talis malitia non deſtruit omne bonũ actus,intelligitur vt priuatio in fieri,atque adeò poſſe dari medium per negationem boni & mali;ſaltẽ in actu ſecundũ ſpeciẽ.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum reſpõdetur, quòd de actu in ſingulari valet illa conſequentia,quòd ſi ordinatur ad bonum finem, eſt bonus; ſi autem non ordinatur, eſt malus: quia, vt diximus, in exercitio tenetur ordinetur ordinare ad bonum finem,in ſpecie autem & ex obiecto, conſequentia non valet; intelligitur enim actus ex ſpecie non ordinatus ad bonum finem,nec propterea malus,quia in tali tendentia ſpecifica ad obiectum, non eſt obligatio,nec intelligitur etiam eſſe bonum; quia ad hoc requirebatur ordo ad finem bonum.Secundò reſpondetur, quòd loquendo de fine in communi,omnis actus humanus debet eſſe propter finem, & ſic etiam eſt actus indifferens: loquendo autem de fine particulari,bono vel malo,nõ neceſſariò actꝰ eſt propter finẽ, & vt eſſet bonus vel malus,propter finẽ aliquẽ particularem bonum vel malum debebat eſſe.

Ad 4. arg. Ad quartum argumentum reſpondetur, bonam eſſe ſolutionem ibi datam, quòd actio ex ſua ſpecie poſitiuè poſtulat vt ſit indifferens ex obiecto;nec hoc negat D.Tho. etiam enim in indiuiduo actio leuãdi feſtucam, quæ ex ſua ſpecie etiam in indiuiduo erat indifferens,quãtum eſt ex parte obiecti poteſt eſſe bona vel mala ex circunſtantijs ſuperuenientibus; ſicut & actio bona è contra ex ſua ſpecie & obiecto;vt actio orandi, etiam in indiuiduo eſt bona,quantum eſt ex parte obiecti;non tamen poſtulat ex ſua ſpecie vt ſit etiam bona ex circunſtantijs indiuiduãtibus;poteſt enim vitiari ex malo fine: ſicut ergo actui bono ex ſua ſpecie non repugnat eſſe malum indiuidualiter ex circunſtantijs;ita etiam actui indifferenti ex ſua ſpecie,non repugnat indiuidualiter eſſe bonum vel malum ex circunſtantijs, nec ideò licet inferre,reſpectu cuiuſcunque diuiſi poſſe fieri huiuſmodi diuiſionem terminabilem,aſsignando tertiã ſpeciem indifferentem;ſed hoc tantùm reperitur,quando indifferentia ſuperioris aliqualiter participat ab aliquo inferiori; vt aliquale exemplum poteſt eſſe in ſcientia, quæ diuiditur in practicam & ſpeculatiuam,& in ſcientiam comprehendentem vtrumque eminenter;qualis eſt Theologia. Vel dicitur,quòd licèt in phyſicis reperiatur illa determinatio in ſpeciebus,ita vt nulla per indifferentiam conſtituatur; in moralibus tamen hoc reperiri poteſt; quia quæ procedunt à libertate per rationis regulam,non ſic ſunt detetminata, ſicut purè phyſica & naturalia. Ad primam confirmationem reſpondetur, quòd alia eſt indifferentia actus moralis in communi,& alia eſt indifferentia ſpeciei actus indifferentis. Prima non eſt indifferentia ad bonũ & malũ & indifferẽtia;iſta verò ſolũ ad bonũ & malũ. Itẽ illa eſt indifferẽtia ad bonũ & malũ virtutis & vitij ſecundũ ſpeciẽ;illa verò non eſt indifferentia ad bonũ & malum ſecundùm ſpeciem,quia illis opponitur vt ſpecies condiſtincta; ſed eſt indifferentia ad bonum & malum ex circunſtantijs indiuidualiter & accidentaliter. Item illa eſt indifferentia negatiua ad ſpecies inferiores; iſta verò eſt indifferentia poſitiua conſtitutiua ſpeciei ad modum explicatum: & per hoc patet ad ſecundam confirmationem, quòd hæc indifferentia non eſt communitatis & ſuperioritatis ad bonum & malum ſecundũ ſpeciẽ, vt de illis poſſit prædicari;ſed eſt indifferentia ad bonum & *Ad 1. cõf.*

malum

malum ex circũstantijs & indiuidualiter; vnde cum illis non habet coordinationẽ prædicationis, nisi accidentalis.

Ad 5. arg. Ad quintum argumentum, patet ex dictis, quòd ille actus licèt ex sua specie positiuè sit indifferens ad modum explicatum; quia tamen non positiuè habet vt nõ fiat bonum vel malum ex circunstantijs; ideò ex istis potest fieri bon⁹ vel malus actus, qui ex sua specie erat indifferẽs; quiã respectu bonitatis vel malitię ex circunstãtijs, act⁹ qui ex sua specie positiuè habebat in differentiam positiuam specificam, habet indifferentiam negatiuam; sicut & actus bonus ex specie positiuè habet bonitatem specificam; habet tamen indifferentiam negatiuam ad bonitatem vel malitiã indiuidualem prouenientem ex circunstantijs, quatenus actus qui ex specie erat bonus; potest etiam indiuidualiter accidẽ taliter esse malus ex circunstantijs.

Ad 6. arg. Ad sextum argumentum respondetur, q⁹ actus ideò ex sua specie est indifferens, quia terminatur ad obiectum propter se, & non propter aliquem vlteriorem finẽ, bonum vel malum: hoc tamen non sufficit, vt in indiuiduo sit indifferens: quia eo ipso quòd in indiuiduo tendat in obiectũ propter se, & non propter finem bonum, actus est malus; quia in indiuiduo tenetur ordinare ad bonum finem; non tamen est huiusmodi obligatio in tali actu considerato ex sua specie.

Ad 7. arg. Ad septimum argumentum respondetur, quòd quilibet actus moralis, etiam indifferens, ordinatur ad finem vltimum, nõ tamen ideò ille actus est bonus ex specie, quia illa bonitas finis vltimi in communi abstrahit à vero bono vel apparenti; & sic communiter se habet ad bonitatem vel malitiam moralem.

Ad 8. arg. Ad octauum respondetur, quòd sicut non datur medium inter ens & non ens, ita nec inter bonum & malũ simpliciter; bene tamen datur medium inter bonum & malum morale; quia bonum & malum morale contrariè opponuntur, vt diximus, nec sunt inferiora ad bonum & malum simpliciter; vt sit eadem ratio. Et per hoc patet ad confirmationem; id enim asserimus, non omnem actum versari circa consonum, vel dissonum, sed dari medium, quod terminetur ad non consonum; & hoc in specie non est dissonum, quia, vt diximus, in specie non est obligatio consonantiæ.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm aliquis actus sit indifferẽs secundùm indiuiduum.

Sic ad nonum proceditur. Videtur quòd aliquis actus secundùm indiuiduum sit indifferens. Nulla enim species est quæ sub se non contineat, vel continere possit aliquod in diuiduum: sed aliquis actus est indifferens secundùm suam speciem, vt dictum est†: ergo videtur quòd aliquis actus indiuidualis potest esse indifferens. 2. d. 40. ar. 5. cor. & 4. d. 20. q. 1. ar. 4. co. Et mal. q. 2. ar tic. 5. Art. præc.

Secundò præterea. Ex indiuidualibus actibus causantur habitus conformes ipsi, vt dicitur in 2. Ethic.† sed aliquis habitus est indifferens; dicit enim Philosophus 4. Ethic. de quibusdam, sicut de placidis & prodigis, quòd non sunt mali; & tamen constat quòd non sunt boni, cùm recedant à virtute, & sic sunt indifferentes secundùm habitum: ergo aliqui actus indiuiduales sunt indifferentes. C. 1. â medio, & c. 2. in fin. & c. 6. simul tamo 5.

Tertiò præterea. Bonum morale pertinet ad virtutem, malum autem morale pertinet ad vitium: sed contingit quandoque, quòd homo actum, qui ex specie sua est indifferens, non ordinat ad aliquem finem vitij vel virtutis: ergo contingit, aliquem actum indiuidualem esse indifferentem.

Sed contra est, quod Greg. dicit

Lib. 7. Moral. 25. ante med. ibi ab., & hom. 16. in Evang. in fine.

in quadam Homilia † ; *Otiosum verbum est, quod vtilitate rectitudinis, aut ratione iustæ necessitatis, aut piæ vtilitatis caret : sed verbum otiosum est malum, quia de eo reddent homines rationem indie iudicij, vt dicitur Matth. 12. si autē non caret ratione iustæ necessitatis aut piæ vtilitatis, est bonum : ergo omne verbum, aut est bonum, aut malum : pari ergo ratione & quilibet alius actus, vel est bonus, vel malus : nullus ergo indiuidualis actus est indifferens.*

Respondeo, dicendum, quòd contingit quandoque, aliquem actum esse indifferentem secūdùm speciem, qui tamen est bonus vel malus in indiuiduo consideratus; & hoc ideò, Art. 3. *quia actus moralis, sicut dictū est,* † *non solùm habet bonitatem ex obiecto à quo habet speciem, sed etiam ex circunstātijs, quæ sunt quasi quædam accidentia : sicut aliquid conuenit indiuiduo hominis secundùm accidētia indiuidualia, quod nō cōuenit homini secundùm rationem speciei; & oportet quòd quilibet indiuidualis actus habeat aliquam circunstantiam, perquam trahatur ad bonum vel malum, ad minus ex parte intentionis finis : cùm enim Rationis sit ordinare, actus à ratione deliberatiua procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat Rationi, & habet rationem mali : si verò ordinetur ad debitum finem, conuenit cum ordine rationis, vnde habet rationem boni. Necesse est autem, quòd vel ordinetur, vel nō ordinetur ad debitū finem : vnde necesse est, omnem actum hominis à deliberatiua ratione procedentem in indiuiduo considerarum, bonum esse vel malum : si autē non procedit à ratione deliberatiua, sed ex quadam imaginatione, sicut cùm aliquis fricat barbam, vel mouet manum, aut lapidem; talis actus non est, propriè loquendo, moralis, vel humanus, cùm hoc habeat actus à ratione, & sic erit indifferens, quasi extra genus moralium actuum existens.*

Ad primum ergo, dicendum, quòd aliquem actum esse indifferentem secundùm suam speciem, potest esse multipliciter. Vnomodo sic, quòd ex sua specie debeatur ei quòd sit indifferens, & sic procedit ratio. sed tamen isto modo nullus actus ex sua specie est indifferens; non enim est aliquod obiectum humani actus, quod non possit ordinari, vel ad malum, vel ad bonum, per finem vel circunstantiam. Alio modo potest dici indifferens ex sua specie, quia non habet ex sua specie quòd sit bonus vel malus : vnde per aliquid aliud potest fieri bonus vel malus. Sicut homo non habet ex sua specie quòd sit albꝰ vel niger; nec tamē habet ex sua specie, quòd non sit albus, aut niger : potest enim albedo vel nigredo superuenire homini aliunde, quàm à principijs speciei.

Ad secundum, dicendum, quòd Philosophus dicit, illum esse malum propriè, qui est alijs hominibus nociuus; & secundum hoc dicit, prodi-

digum non esse malum; quia nulli alteri nocet, nisi sibi ipsi; & similiter de omnibus alijs qui non sunt proximis nociui. Nos autem hic dicimus malum communiter, omne quod est rationi rectæ repugnans; & secũdũ hoc omnis indiuidualis actus est bonus vel malus, vt dictum est†.

In cor. art.

Ad tertium, dicendum, quòd omnis finis ab ratione deliberatiua intentus pertinet ad bonum alicuius virtutis, vel ad malũ alicuius vitij; nã hoc ipsum quod aliquis agit ordinate ad sustentationem, vel quietem sui corporis, ad bonum virtutis ordinatur in eo qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis; & idem patet in alijs.

1. Concl. Prima conclusio. Necesse est, omnem actum hominis à deliberata ratione procedentem in indiuiduo consideratum, esse bonum vel malum.

2. Concl. Secunda conclusio. Si actus non procedit à ratione deliberata, sed ex quadam imaginatione; vt cum quis fricat barbam, aut mouet manum; talis actus erit indifferens, quasi extra genus moris existens.

DVBIVM I.

Vtrùm prima conclusio D. Tho. verum habeat.

1. Arg. Augustí. PRobatur quòd nõ. Primò, ex D. Hieronym. epist. 89. ad Aug. vbi docet, obseruantiam legis antiquę non licere, neque esse indifferentem post mortem Christi Domini, sed malam; subiũgitque: Sunt namque indifferentiæ inter bonum & malũ, sicut Phisophi disputãt: est enim bonũ continẽtia, & malũ est luxuria; & inter vtrũque indifferẽs ambulare: & subdit: Hoc neque bonũ neq; malũ est; siue enim feceris, siue nõ feceris, neque iustitiã habebis, neque iniustitiam: obseruare autẽ legis ceremonias, non potest esse indifferẽs, sed aut bonum aut malum. Si respondeatur, loqui in specie & ex obiecto; quaratione diximus dari actum indifferentem; nõ autem loqui in exercitio & indiuiduo: Cõtra argumentor, nam illa verba, Siue feceris, siue non feceris, neque iustitiam habebis, neque iniustitiã, ita sonãt, quòd inexercitio fiant & in indiuiduo; facere enim vel nõ facere, imputari, vel non imputari, in indiuiduo contingũt. Idẽ docet super illud Ezech. 20. Iterũ leuaui, &c. vbi subdit Propheta in persona Domini: Ego dedi eis præcepta non bona: ait autẽ Hier. Talia præcepta neque etiam mala esse poterant, quia data à Deo: remanet ergo quòd essent indifferentia etiam in indiuiduo, nam sic dabantur. Et idem probat super illud. 2. Corint. 7. Bonum est hominem mulierem nõ tangere. Idem etiam docet Nazian. oratione 3. quæ est aduersus Iulianum. & ad hæc omnia, vbi sic ait: Quemadmodum enim quisquis supplicio nõ est dignus, nõ ideò statim laudem & præmium meretur: eodem modo neque quisquis laude dignus non est, idem confestim pœnam quoque commeretur; sed philosophiæ nostræ, viriumque humanarum finibus nos ipsos continere; sic quidquid rectè & ex virtute geritur, exhibere debemus: vbi apertè docet, dari actum nec dignum laude, nec vituperio, sed indifferentem.

Solut. Impug. Ezech. 20. Hieron. 2. Cor. 7. Nazian.

2. Arg. Secundò arguitur. Actus (verbi gratia) leuandi festucam, neque est bonus, nec malus: ergo indifferens etiam in indiuiduo. Prima pras antecedentis patet, quia talis actus etiam in indiuiduo non relatus ad vlteriorem finem, sed solùm ad immediatum obiectum (sic enim loquimur de illo) non fit propter honestatem virtutis: ergo non est bonus. Secunda pars antecedentis probatur. Ille actus non relatus ad vlteriorem finem, sed ad immediatum obiectum, non erat malus in specie, sed indifferens: ergo nec etiam in indiuiduo. Patet ista consequentia, nam illud obiectum immediatum eiusdem rationis est, siue actus consideretur in specie, siue in indiuiduo: si ergo illud obiectum non relatum vlteriùs non erat sufficiens vitiare actum in specie; qualiter sufficiet vitiare illum in indiuiduo. Si respondeatur, quòd eo ipso quòd illud obiectum immediatum & de se indifferens, non referatur ad bonum finem, efficitur malum; quia tenebatur illud sic referre, quòd non curet de tali obiecto considerato in specie; sic enim non erat talis obligatio referendi: Contra arguitur dupliciter. Primò, nã si teneretur referre ad bonum finem, ideò esset, ne tale obiectum immediatum maneret malum: sed propter hoc non requiritur, quia, vt

Solut. Impug.

ſupponimus, illud obiectum proximum de ſe eſſe indifferens: nullam habens malitiam: ergo vt non ſit malum, non eſt opus referre illud ad finem bonum. Secundò impugnatur, quia non referre tale obiectum de ſe indifferens ad finem bonum, neque eſt peccatum commiſſionis, nec omiſſionis: ergo nullum. Quòd non commiſſionis, probatur, quia peccatum commiſſionis eſt contra præceptum negatiuum, quòd tale aſſignari non poteſt violatum per talem non relationem ad bonum finem: eo vel maximè, quòd peccãtum commiſſionis conſiſtit in tendentia ad obiectum malum: leuare autem feſtucam, non eſt circa obiectum malum de ſe, nam aliàs etiam in ſpecie actus eſſet malus contra ſupra dicta. Quòd autẽ non ſit peccatum omiſſionis, probatur, quia peccatũ omiſſionis eſt contra præceptum affirmatiuum, non autem eſt præceptum affirmatiuum, faciendi illud opus propter bonũ finem: ergo. Probatur iſta minor, nam de tali actu non eſt præceptum; eſt enim in ſua libertate facere vel non facere: non ergo erit etiam præceptum faciendi ad bonum finem, quia minus cadit ſub præcepto finis, quàm actus: ſi ergo actus ſub præcepto non cadit, à fortiori nec relatio ad bonum finem. Si reſpondeatur, non eſſe præceptum abſolutè leuandi feſtucam, eſſe tamen præceptum ex ſuppoſitione quòd talis actus fiat vt ad bonum ſinem referatur; ſicut modò non eſt præceptum orandi, ex ſuppoſitione tamen quòd aliquis oret, tenetur exprę cepto deuotè & attentè & propter bonũ finem orare, iuxta illud Apoſt. Quidquid facitis, in gloriam Dei facite: Contra arguitur, nam tale præceptum ſic referendi ad bonum finem, nec eſt naturale, cùm non contineatur inter præcepta Decalogi; nec etiam eſt ſupernaturale; quia nulla eſt obligatio referendi omnes actus ad finem ſupernaturalem; nec etiam eſt præceptũ poſitiuum, cùm tale non extet, nec hoc decebat ponere diuinam miſericordiam, cùm adeò oneroſum eſſet; paſſim enim quilibet peccaret, ſaltẽ venialiter, cũ nõ poſsit eſſe in prõptu, penè infinitas actiones exercitas in bonũ finẽ ordinare; & datò quòd tale præceptũ eſſet, ſolũ ſequeretur, qp ipſa omiſsio referẽdi ad bonũ finẽ leuationem feſtucæ, eſſet mala, non autẽ quòd ipſa leuatio feſtucæ, quæ ſolũ ex proprio obiecto debet penſari, ex quo nullam malitiã poteſt habere. Confirmatur, nam ſi ex eo quòd illud obiectum proximum non referatur ad bonum finem, eſt malum, ſequitur, quòd de ſe, eo ipſo quòd ſit propter ſe & nõ propter aliud, ſit malum, & ſic eſt deſtruere hypotheſim, quod ille actꝰ ex proprio obiecto ſit indifferens: immò ſequeretur, quòd illud obiectum etiam in ſpecie eſſet malum, quia in ſpecie conſideratur vt propter ſe, & non propter aliud. Si hoc ergo ſufficit, vt in indiuiduo ſit malũ, cùm hoc originetur ex natura obiecti in ſpecie conſiderati; etiam in ſpecie erit malum vt cauſa materialis.

Impug. 2.

Solut.

Impug.

Tertiò arguitur. Actus conducentes ad cõmoditatẽ naturæ, vt fricare manus, vel deambulare propter frigus, in indiuiduo nec ſunt boni, nec mali: ergo indifferẽtes. Prima pars antecedẽtis patet ex Aug. lib. 4. contra Iulian. c. 3. & lib. 2. de ſermone Domini in mõte, c. 34. & 35. dicẽte, actus factos propter lucrum vel delectationem aut aliquod bonum temporale, non eſſe bonos: huiuſmodi autem commoditas naturæ aliquod temporale eſt. Patet etiam, nam ex Ariſt. 2. Ethic. c. 12. opus bonum meretur laudẽ vel vituperiũ, fitque propter honeſtatem alicuius virtutis; quod de prædictis actibus dici non poteſt; & etiam quia huiuſmodi opus, ſi bonum eſſet, ſemper haberet meritũ in exiſtente in gratia; ſic enim habetur in Trid. ſeſſione 6. cap. 16. quòd bona opera facta ab exiſtente in gratia, ſunt meritoria: hoc autẽ aſſerere de prædictis actibus, ridiculum eſſet: ergo nõ ſunt boni. Secũda pars antecedẽtis probatur, nã ſi huiuſmodi actus eſſent mali, vtique eſſent materia confeſsionis & abſolutionis: hoc autẽ falſum eſt, quia nullus de huiuſmodi ſe accuſat. Nec valet ſolutio huiuſmodi cadere ſub cõfeſsione dicta in cõmuni, accuſando ſe de inutilibus & otioſis. Nõ (inquã) valet, nã ſi eſſet materia confeſsionis, etiam in particulari poſſet, immò & meliùs deberet explicare. Si reſpondeatur, non aliquem ſe accuſare, nec poſſe de huiuſmodi actibus faciendo materiã adæquatã, quia eſt materia dubia, cũ adhuc ſit ſub lite, vtrũ huiuſmodi actus ſint boni vel mali, vel indifferẽtes: Cõtra arguitur, nã aliud eſt, aliquid eſſe dubiũ, & aliud, eſſe probabile. Dubiũ quidẽ non dicit adhæſionẽ alicui⁹ partis: probabile autẽ adhæſionẽ importat vni parti, licèt cũ formidine alterius; quapropter licèt materia dubia nõ debeat poni adequata in Sacra-

3. Arg.

Aug.

Solut.

Impug.

cramento Confessionis; bene tamen materia probabilis: vnde sequitur intentum, quòd si opinio Diui Thomæ esset probabilis, posset quis facere adæquatam materiam Confessionis ex prædictis actibus.

Confir. Confirmatur, nam si huiusmodi actus in indiuiduo necessariò sunt boni vel mali: ergo in indiuiduo erunt materia voti & iuramenti, vel iurando illa facere, vel illa fugere: bonum enim & malum sunt materia voti & iuramenti per modum prosequutionis vel fugæ: consequens autem est falsum, & quilibet irrideret sic facientem votum: ergo.

4. Arg. Quarto arguitur, quia Scotista qui existimat dari actum indifferentem in indiuiduo, si faciat illum actum, quem existimat indifferentem, verè facit actum indifferentem: ergo talis potest dari in indiuiduo, & consequenter etiam Thomista poterit facere illum; nam ridiculum esset, ponere distinctionem inter Thomistam & Scotistam, quòd ille non facit actum indifferentem, iste verò sic. Antecedens supponitur à contrarijs tanquàm certum etiam inter Thomistas, vt dicit Vazquez: nam sententia Diui Thomæ (inquit ille) intelligenda est ex natura rei: nam supposita opinione probabili Scotistæ, vel ignorantia inuincibili, necessariò est concedendum, tunc produci actum indifferentem à Scotista, etiam per rationem delibe ratam. Et ratione probatur, quia talis actus sic factus à Scotista, secundùm suam opinionem, nec est bonus, nec malus: ergo indifferens. Quòd non sit bonus, patet ex D. Tho. asserente requiri ad bonitatem actus, quòd positiuè ordinetur ad bonum finẽ; quod non facit ille Scotista, quia ex sua opinione solùm positiue ordinat ad obiectum indifferens. Quòd etiam actus nõ sit malus, patet, quia qui sequitur opinionem probabilem, vel operatur ex ignorantia inuincibili, non peccat; & sic se habet ille Scotista.

5. Arg. Quintò arg. Si propter aliquam rationẽ actus ex obiecto indifferẽs factus in indiuiduo, sine ordinatione ad bonũ finẽ, iam non esset indifferens, sed malus; maximè quia, vt inquit D. Tho. iam efficitur actus otiosus; & de otiosis reddenda est ratio, vt ait Christus Dñs: sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor, nã Christus Dñs loquebatur de huiusmodi otiositate, nã Mat. 22. postquã dixerat, q̃ reddituri sumus rationẽ de verbo otioso, subiunxit: Ex verbis tuis iudicaberis, aut condemnaberis. Non autem quis condemnatur propter otiosa, vt hic loquimur de otioso, defectu ordinationis ad bonũ finem: ergo non loquebatur Christus Dominus de huiusmodi. Et accedit explicatio Chrys. hom. 34. in Matth. & Theophylact. & Euthymij super illum locum, quòd ibi Christus Dominus loquatur de mendacio pernicioso & calũnia, & hoc appellatur verbum otiosum. Et similiter explicatio D. Basilij regula 23. in breuioribus, verbum otiosum vocari à Christo, quod est bonum ex suo genere, & tamen non ordinatur in ædificationẽ Fidei: malè ergo adducitur à D. Thom. vt probet de otioso indifferenti ex obiectõ, solùmque carente ordinatione ad bonum finem.

Matt. 22.

Sextò arguitur, nam etiamsi propter aliquam rationem huiusmodi actus ex obiecto indifferens non relatus ad bonum finem, esset malus in indiuiduo, maximè quia, vt ait Diuus Thomas, tenetur operans ex deliberata ratione ordinare suos actus ad finem honestum: sed hoc est falsum: ergo. Probatur minor, nam solùm tenetur ordinare secundùm rationem in vltimum finem bonum, non autem in aliquem particularem honestum. *6. Arg.*

Septimò arguitur. Malum etiam ex circunstantijs & defectu boni finis, non est priuatio in facto esse rectitudinis oppositæ: ergo etiam in indiuiduo poterit dari actus medius & indifferens. Consequentia patet, nam hac ratione probauit D. Tho. actum indifferẽtem in specie inter bonum & malum. Antecedens verò probatur, nam huiusmodi malum etiam ex defectu boni finis particularis, non tollit omnem ordinationem rationis ad rectum finem; quia, vt ait D. Th. hic, relinquit ordinationem ad vltimum finem, qui est bonum: ergo non est priuatio in facto esse: nam priuatio in facto esse, nihil relinquit formæ contrariæ. *7. Arg.*

Octauò arguitur. Cùm quis offert eleemosynam, nihil cogitando de fine bono, ac per consequens non ordinando illum actum ad talem finem, talis actus est indifferens: ergo. Probatur antecedens, nam talis actus non est malus, vt concedit D. Th. nec etiam potest dici bonus, ex eodem D. Th. quia secundùm ipsum requiritur relatio in bonum finem, quæ in tali actu non reperitur. *8. Arg.*

Vltimò arguitur. Actus per quos primò generatur habitus virtutis, non sunt boni nec mali, etiam ni in indiuiduo: ergo in differentes. Quòd nõ sint boni, patet ex Philos. 2. Ethicor. c. 4. apud D. Th. vbi ait, quod nõ quicumque actus fortium ad iusta & tẽperata, est iustus & temperatus; sed tantùm ille, qui procedit ex electione prompte & faciliter, & secundum alias circũstantias: actus autem prædicti non habent huiusmodi determinationes ante habitum, per quem acquiritur prompte & faciliter operari. Quòd etiam non sint mali ille actus, patet, quia ex eis generat habitus bonus: actus autẽ generãt cõsimilem habitũ; vnde nec actus bonus potest generare habitum malum, nec actus malus habitum bonum. Cõfirmatur, nam habitibus vtimur cùm volumus, & potest potentia operari non vtendo habitu; quia habitus non requiritur ad simpliciter operari, sed ad melius: sed tunc ille actus quem potentia potest elicere nõ vtendo habitu, non est malus, cùm versetur circa bonum obiectum; neque etiam est bonus & studiosus, cùm non procedat ab habitu virtutis: ergo erit indifferens.

Confir.

1. Sent. Scot. Alex. D. Bonau. Gabr. Almayn. Angest. Aegid. Richard. Palac. Vazquez.

In hac re est prima sententia Scoti in 2. dist. 40. q. 1. & d. 7. q. 1. & d. 41. q. vnica, & quodlib. 18. artic. 1. quam etiam sequitur Alex. 3. p. q. 35. memb. 3. D. Bonauent. in 2. dist. 41. art. 1. q. 3. Gabriel ibidem, q. 1. artic. 2. concl. 5. Almayn in tract. 1. Moral. c. 14. dub. 2. Angelus cap. 8. Moralium, in penultima parte text. Ægidius in 2. dist. 41. q. 2. art. 2. Richardus ibidem, art. 2. quæst. 3. Palac. in 2. dist. 40. disp. vnica. Hos etiã sequitur Vazquez. disp. 52. c. 2. & 3. & 4. nã semper ex more sequitur debiliorẽ partem. Omnes isti tenent, in indiuiduo & in exercitio posse dari actum indifferentem. Verum est, non omnes eodem principio moueri, nec eadem via procedere ad id asserendum. Gabriel enim dicit, quòd vt operatio sit bona moraliter, non sufficit quòd sit de obiecto bono: sed etiam quòd fiat propterea quòd recta ratio dictat ita esse faciendum: nam hoc exigitur ad operationem studiosam, in 2. Ethic. cap. 4. Quãdo ergo fit opus circa obiectum bonum, non tamen propterea quòd ratio recta dictet, defectu huius conditionis illud opus non est bonum, neque etiam malum, cùm versetur circa obiectum bonum. Almayn autem existimat, quòd vt operatio sit bona moraliter, debet esse relata in verum vltimum finem formaliter, vel virtualiter: si ergo aliquis ex pietate naturali conferat eleemosynam, formaliter, nec virtualiter relatam in verum vltimum finem, illa operatio defectu huius relationis non est bona moraliter, neque etiam moraliter semper est mala, quia non semper tenetur facere huiusmodi relationem. Scotus verò diuersis vijs constituit actum medium & indifferẽtem. Primò, quia vt actus sit moraliter bonus & studiosus, requiritur quòd fiat cum medio virtutis: si ergo fiat actus ex vna parte non contrariorum, & ex alia ei deficiat modus virtutis; ex primo non erit mala actio, & ex secundo nõ erit bona; vt contingit in actibus vltimi argumenti. Secundò, alia via constituit indifferentiam actus; nam actus malus in indiuiduo, dupliciter potest opponi actui bono. Primò contrariè per positiuam malam circunstantiam. Secundò priuatiuè, si deficiat aliqua circunstantia bona. Dicit ergo, quòd licèt non sit medium inter bonum ex vna parte, & malum contrariè vel priuatiuè; quia vel habet malam circunstantiam, quod est esse malum contrariè, vel deficit aliqua circunstantia bona, ratione cuius actus non erat bonus, & sic est malum priuatiuè. Nihilominus inter bonum ex vna parte, & malum contrariè ex alia, datur medium, nempe malum priuatiuè, videlicet actus cui deficiat aliqua bona circunstantia; & nihilominus nullam habeat malam. Ratione primi, actus nõ est bonus, & ratione secundi, actus nõ est malus, & sic manet indifferens. Vazquez autem præter modos positos, ad minus existimat necessarium esse ponere actum indifferentem per accidens, ratione opinionis probabilis Scoti, vel ignorantiæ inuincibilis: & hoc inquit omnes teneri concedere; & in hoc conuenit cum illo Lorca hic disp. 29. dub. 1.

2. Sent. vera.

Secunda sententia est, quæ habẽda est vt conclusio. Est impossibile quòd in indiuiduo detur actus procedẽs ex deliberata ratione indifferẽs, qui nec sit bonus, nec malus, sed omnis talis actus necessariò, vel est bonus, vel malus. Hæc est D. Th. qui pro millibus cõputatur. Tenet illã hic, & q. 2. de malo, art. 9. & in 1. Sent. d. 1. q. 3. ad 3. & in 2. Sent. d. 40. q. vnica. ar. 5. Ibidẽ Duran. quæst. 1. & Capr. ibidem, conclusione 1. immò Richard. bene inspectus eadem dist. art. 2. Greg. in 2. dist. 28. & d. 40. Mai. dist. 41. quæstione 2. conclusione 5. Albertus

D. Tho.

Magnus

Magnus dist. 40. art. 4. Caiet. & Conrad. & Med. hic. Immò, vt concedit Vazquez, est expressa sententia Diui Augustini lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. octauo, vbi hoc multoties repetit; & lib. de vtilitate credendi, cap. 12. Immò ali qui intendunt probare huiusmodi sententiam ex Concilio Arausicano, Canon. 22. vbi Concilium ponit diuisionem nostrarum operationum, & dicit, quòd aliqua opera sunt ex nobis; & hæc sunt mala; alia verò ex auxilio Dei; & hæc sunt bona: nullam autem mẽtionem facit. actus indifferentis, & sic videtur reducere omnia opera hominis ad bonum & malum. Nihilominus tamen ex hoc nõ probatur de Fide nostra conclusio, quia Concilium non intendit tradere exactam diuisionem actus humani, sed solùm explicare, qualiter opera quę fiunt ex nobis, id est, ex massa corrupta, sint mala: quæ autem ex auxilio Dei & gratia, sint bona & meritoria vitæ æternæ: vtrùm autem inter hæc detur medium, non determinat Concilium.

Probatur ergo nostra conclusio. Primò ex locis sacræ Scripturæ, vbi insinuat, 2. Cor. 5. licèt non expressè habeatur. 2. Corint. 5. dicitur: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque Psal. 27. prout gessit. Et Psalm. 27. Secundùm opera manuum eorum tribue illis, Eccles. vlt. Ecclesiastes vltimo, Cuncta quę fiunt, adducet Dominus in iudicium. Esai. vltimo: Ego autem Esai. vlt. opera eorum & cogitationes eorum venio vt congregem. Ex quibus hoc conficitur argumentum. De omnibus operibus hominis facienda est discussio, & reddenda ratio in iudicio, vt patet ex prædictis locis: ergo omnia opera hominis sunt bona vel mala. Patet ista consequentia, nam solùm redditur ratio in iudicio in ordine ad præmium vel supplicium: solũm autem bona & mala merentur præmium & supplicium: si ergo omnia facta hominis ex deliberata ratione (de his enim loquimur) debent apparere in iudicio ad præmium vel supplicium, omnia illa sunt bona vel mala. Videatur D. Ambros. super illud 1. 1. Cor. 4. Corint. 4. Illuminabit abscondita tenebrarum & D. Hieron. super locum Esai. allegatum, qui sic intelligunt prædicta loca iuxtà nostram conclusionem. Nec valet Solutio. solutio, quòd non absolutè dicitur, reddẽdam esse rationem de omnibus quę homo gessit; sed subdit Apostolus, Prout gessit, siue bonum, siue malum. Non (inquàm) valet solutio; quia illud non est relinquere locum actibus indifferentibus, qui non debeant apparere in iudicio, sed potiùs est explicare per sufficientem diuisionem quæ gessit homo, distribuendo illa in bonum & malum, & quòd nõ maneat actus indifferens non iudicandus. Quod etiam insinuatur Iob 24. Quis me potest arguere esse mentitum, & ponere ante Deum verba mea? vbi in Hebræo habetur, Et ponere ad nihilum verba mea. Verba ad nihilum, vocat ea quæ ad nullum finem bonum, malumue ordinantur (quæ contrarij indifferentiam vocant) & de his dicit, nullum eum posse arguere ante Deum: vbi supponit etiam hęc ante Deum esse comparenda tanquàm mala, de quibus aliquis possit argui. *Impug.* *Iob 24.*

Secundò probatur cõclusio. Si aliquis act⁹ in indiuiduo esset indifferẽs, maximè qui ex obiecto secundùm se habebat indifferentiam, & in indiuiduo nec refertur ad bonũ vel malũ finem: sed iste talis actus nõ est indifferens, sed necessariò malus, eo ipso quòd non ordinatur ad bonum finẽ: ergo. Minor est D. Hiero. super illud Psal. 16. Non est inuenta in me iniquitas. Et D. Chrys. hom. 4. in Matth. & homil. 11. Imperfecti, D. Greg. 7. Móral. cap. 25. & homil. 16. in Euãgelia, & Euthymij, & Theophylacti, & Remigij, & Anselmi, & Bedæ super cap. 12. Matth. & super cap. vltimũ Ecclesiastici, & Origenis hom. 25. in Num. & hom. 1. in Psal. 38. & Bernard. lib. de triplici custodia: omnes enim isti conueniunt, quòd eo ipso quòd actus non fiat propter finem bonũ, est malus, quia otiosus. Et ratione patet, quia homo tenetur referre in bonum finem quemcunque actum procedentem ex deliberata ratione: ergo eo ipso quòd non referat, frangit hoc præceptum, & facit actum malum. Istud antecedens probatur primò, quia homo vt operãs ex deliberata ratione, distinguitur à brutis & rebus naturalibus: ergo vt sic operans, debet habere proprium & peculiarem finem distinctum à fine brutorum & rerum naturalium; talis autem finis distinctus assignari non potest nisi bonũ rationis: ergo ad hoc tenetur dirigere act⁹ procedentes ex deliberata ratione. Secundò probatur idem antecedens, quia, vt ait D. Tho. q. 91. infrà, art. 2. omnis inclinatio in omni sua operatione debet tendere ad proprium & cõnaturalẽ finem, & aliàs erit deficiens in suo actu: sed ratio naturalis homi- *Psal. 16.* *D. Chrys.* *D. Greg.*

hominis est quædam inclinatio ad bonum consonum rationi:ergo semper quod ratio operatur,ad bonum consonum rationi debet tendere, & sic non facere ,est deficere,& facere actum malum : ratio enim cùm sit quędam inclinatio ordinata ab Authore naturæ,ad bonum consonum rationi debet ordinari,vt sic distinguatur ab ordinatione brutorum ad suos fines;quia in omni inclinatione debet resplendere prouidentia Dei & lex æterna,in quantum ex eius impressione vnumquodque dirigitur ad proprium finem;& à tali directione deficere, malum est;in naturalibus quidem malum naturæ,in rationalibus autem malum morale,vt est videre in D. Dionys. c. 4.de diuinis nominibus,lectione 19.& 20. & 21.Confirmatur,nam in rebus naturalibus si res deficiat à sua regula, aut desit illi pars integralis, aut accidens debitum suæ naturæ,talis res est mala,vt motus progressiuus claudi malus est, quia deficit à regula; sed similiter actus humanus non ordinatus ad bonum finem,deficit à rectitudine regulæ morum:ergo talis actus est malus.Minor patet,quia regula actus humani est finis,iuxta illud Lucæ 11.Si oculus tuus fuerit simplex,&c.iuxta quod explicari potest illud Philosophi 2.Phys.tex. 89.quòd sicut se habent principia in specu labilibus,sic finis in practicis: vt enim principia sunt regula veritatis aut falsitatis conclusionis,sic finis est regula actus moralis. Confirmatur secundò.Quæcunque actio in indiuiduo carẽs circũstantia loci aut tẽporis debiti, est actio mala, etiãsi aliàs talis actio esset ex suo obiecto bona:ergo à fortiori actus ex obiecto indifferens, cui deficiat talis circunstantia,erit malus, quia actus ex obiecto indifferens, aptior videtur ad recipiendam malitiam, quàm actus ex obiecto bonus.Tunc vltra:ergo à fortiori actus cui defecerit circunstantia finis, erit malus,quia finis est præcipua circunstantia: si ergo defectus aliarum circunstantiarum facit actum malum, à fortiori

Solutio. defectus circunstantiæ finis. Si respondeatur ad omnia hæc cum Vazquez loco citato num.38. quòd actus vt non sit malus,non requiritur esse propter bonum finem,sed sufficit esse propter aliquam vtilitatem vel commoditatem naturæ; quod

Impug. tamen non sufficit vt actus sit bonus,& sic manet indifferens: Contra arguitur, nam fieri propter commoditatem naturæ, vel est fieri propter tantum vtile, vel propter delectabile,vel propter honestum.Si quidem sit fieri propter honestum, iam est actum esse bonum:si autem fiat propter tantùm vtile,vel tantùm delectabile, est actũ fieri malum : ergo non remanet locus vt actus sit indifferens.Maior patet, nam illa est sufficiens diuisio boni, vnde quicunque actus Voluntatis cùm debeat esse ad bonum, ad aliquod illorum trium debet esse.Minor verò quantum ad bonum honestum,patet,facere actum bonum,quando fit propter illud; quòd verò actus sit malus,si fiat propter tãtùm vtile, patet ex Diuo Augustino lib.2 de sermone Domi *D.Aug.* ni in monte,cap.20.& 21.& 34.& 35. dicente, actum propter lucrum temporale & vtilitatem,esse malum. Quòd verò si actus fiat propter tantùm delectabile,sit malus,patet etiam ex eodem Augustino lib. de bono coniugali,cap.10.& 19. dicente, actum coniugalem factum propter delectationem tantùm,quæ est quædam naturæ commoditas,esse malum, de quo D. Th.& Scotus in 4.dist. 32. quæst.1.ar. 3. Similiter icognitio creaturarum quædam commod tas est naturæ, & nihilominus si tantùm fiat delectationis gratia, sine relatione ad finem honestum, qualis est Dei cognitio,est mala; vt docet Augustinus libro de vera & falsa religione, cap. 29. & Diuus Bernardus in sermone 38.in Cant. D. Thom.2.2.quæst.167. art. 1. Similiter ioci & ludi de se indifferentes, sunt naturæ commoditas, & si tantùm fiant gratia delectationis , sunt mali, vt docet Diuus Thomas 2.2.quæstione 168.artic.2.ad 2. quia delectatio præcisè sumpta,tantùm est commoditas naturæ animalis; quæ autem ab homine vt homo est,fiunt,debent fieri in commoditatem naturæ rationalis, quæ non seruatur, si propter honestum finem non fiant.Et si dicas ex Diuo Thoma in 2. distin.40.quæstione 1.artic.5. quòd actus qui de se nõ est contrarius rationi, potest fieri in commoditatem corporis,vel rei familiaris: Respondetur, non intelligi D. Thom.posse fieri propter dictam commoditatem,vltimò sistendo in illa, sed posse fieri propter illam, dummodò per illam vlteriùs ad honestum finem progrediatur:quod insinuat Paulus dicens, Omnia vestra sunt,vos autem Christi; ac si dicat, temporalia in vos ordinari possunt, dum modò vos in Christum ordinemini.

Tertiò probatur conclusio. Prouidenia Dei circa actus procedentes ex delibe-

rata

rata ratione, vel est prouidentia concessionis, vel approbationis: ergo omnis talis actus, vel est bonus, vel malus, & nullus indifferens. Consequentia patet, nam concessio vel permissio est de malo; approbatio verò de bono: ergo non remanet sub qua prouidentia cadat actus indifferens. Antecedens verò est Diui Damasceni lib. 2. de Fide, cap. 29. quòd & explicat D. Thom. quæst. 5. de veritate, art. 4. & *Solutio.* in 1. sent. dist. 39. q. 2. art. 2. Si respondeatur, Damascenum tantùm diuisisse prouidentiam circa actus dignos laude, vel vituperio, non autem prouidentiam absolutè sumptam, quæ etiam de indifferentibus *Impug.* potest esse: Contra arguitur, quia nulla alia prouidentia potest remanere, nisi naturalis & generalis, quam Deus habet de omnibus rebus, vel brutorum; sed non potest dici, q̃ actus indifferens tantùm cadat sub hac prouidentia: ergo debet cadere sub prouidentia permissionis vel approbationis, tanquàm quid bonum vel malũ. Ista minor est Diui Thomæ 3. contra Gẽtes, cap. 111. quia huiusmodi actus cùm sit liber & humanus, & in illo homo excedat animalia bruta, specialior prouidentia debet esse de huiusmodi actu, quàm de actibus brutorum: hoc enim insinuat 1. Cor. *1. Cor. 9.* 9. Nunquid de bobus cura est Deo? ac si diceret, actuum humananorũ specialiorẽ esse prouidentiam, quàm actuum brutorum, vt exponit D. Thom. 1. part. quæst. 22. artic. 2. ad 2. & quæst. 103. artic. 5. ad 2.

Quartò probatur conclusio, nam secũdùm D. Thom. 2. 2. quæst. 132. artic. 1. velle laudem & gloriam propriam, licèt ex sua specie sit indifferens; quia potest esse bonum, si sit propter gloriam Dei, vel propter profectum proximi, vel vt ipse qui gloriatur, ampliùs firmetur in bono: aut verò potest esse malum, si ad aliquem prædictum finem non ordinetur, & in indiuiduo talis volitio laudis & gloriæ, non apposito aliquo illorum finium, est malum & vanagloria: ergo actus in indiuiduo non ordinatus ad bonum finem, non est indifferens, sed malus, licèt ex sua specie habeat indifferẽtiã. Quintò probat, quia, vt etiã cõtrarij cõcedunt, facere multoties & ex consuetudine huiusmodi actus, quos ipsi vocant indifferentes, est malum & peccatum: ergo etiam semel facere talem actum, erit peccatum. Patet consequentia, quia sicut quando aliquid est venniale, etiamsi multoties repetatur, non fit mortale, ita similiter si aliquid est indifferens in indiuiduo, etiamsi multoties repetatur, non efficietur malum. Nec aliquid valet instantia illorum, quòd comedere non est peccatũ, & tamen multoties comedere est peccatum: non (inquam) valet, quia in isto exemplo est determinata quãtitas ex parte subiecti & dispositionis illius, quæ transgreditur multoties comedendo; vnde multoties comedere, non est peccatum, quia multoties, sed quia multoties comedendo, transgreditur quantitas debita cibi, & est ac si semel comederet excedenter ad quantitatem debitam: quapropter si propria dispositio postulet patum & sæpe comedere, vt in infirmis contingit; tunc multoties comedere, non est peccatũ: in nostro verò casu nõ datur talis determinatio, & solũ ppter determinatiõ dicunt ipsi huiusmodi fieri malũ: ergo signum euidens est, huiusmodi actum, etiã non repetitum habere malitiam. Sextò probatur ratione Diui Thomæ in argumento Sed contra. Opus ex specie indifferens, factum in indiuiduo sine appositione debiti finis, ad minus est opus otiosum: ergo malum. Consequentia patet ex illo Matth. 12. vbi dicitur, de otioso reddendam esse rationem in iudicio. *Matt. 12.* Antecedens verò probatur ex Diuo Hieronym. super illud Matth. & D. Anselm. ibidem, & D. Hilar. canone 12. in Matth. & D. Chrysost. homil. 46. in Matth. & D. Basil. in regulis, interrogatione 23. D. Greg. lib. 7. Moral. cap. 18. D. Ambr. lib. 1. Officiorum, cap. 2. D. Isidoro in norma viuendi, cap. 6. & D. Bernard. lib. de triplici custodia, & Origen. homil. 1. super Psalm. 38. Si respondeatur, quòd de huiusmodi otioso reddenda est ratio in iudicio, non quia condemnandum sit vt malum, sed examinandum vtrùm sit bonum, vel malum, vt illud Lucæ 16. Redde rationem villicationis tuæ, & ad Hebræos 13. dicitur de Prælatis, quia reddituri sint rationem de animabus subditorũ. Quod idem est ac dicere, quòd sint examinandi. Et si secundò respondeatur, non sumi in illo loco Matth. otiosum pro tantùm carente debito fine, sed pro eo quod aliàs est malum, vt probatur in argumentis à principio ex multis sacris Doctoribus, contra primam solutionem agitur, quia communis est consensus Ecclesiæ, & Fidelis timoratæ conscientiæ se accusare in confessione de otiosis, tanquàm de malo & punibili; quod non facerent, si

D. Hiero. *D. Ansel.* *D. Hilar.* *D. Chrys.* *D. Greg.* *D. Ambr.* *Origen.*

otiosum

otiosum tantùm esset examinandum, & non puniendum: & ex contextu probatur efficaciter, nam ibi Christus Dominus intendebat arguere blasphemiam Iudæorum dicentium, Christum Dominum eijcere dæmonia in Beelzebub, & ad ex aggerandum, qualiter illud peccatum esset puniendum, subdit, quòd de verbo otioso erant reddituri rationem: ergo intelligit, otiosum fore puniendum, vt argumẽtum sit à fortiori; Si otiosum puniendum est in iudicio, quanto magis blasphemia vestra. Si autem non loqueretur de punitione otiosi, non probabat Christus Dominus consequentiam: & locus Lucæ nõ est ad propositum; quia villicus ille veniebat condemnandus, & petitur vt reddat rationem de malefactis, quia diffamatus erat apud dominum, quòd dissiparet bona illius: & si locus Pauli potest habere illam explicationem, non tamen locus Matthęi à nobis adductus, cùm accedat pro nostra intelligentia, vt diximus, communis consensus Fidelium, & explicatio Sãctorum. Secunda etiam solutio locum non habet, quia communis explicatio Sanctorum locis citatis est, quòd ibi loquatur de otioso, vt dicit carentiã debiti finis: si autem aliquando nomine otiosi intelligunt etiam malum, vt mendacium, loquuntur extenso vocabulo otiosi; nam in rigore otiosum solùm significat debito fine carens. Aliqui respondent, quòd verbum dupliciter potest proferri: vno modo ad colloquẽdum cum alijs, & in ordine ad illos: alio modo in ordine ad se. Si ergo verbum proferatur in ordine ad alios, si non sit relatum ad finem proficuum alteri, eo ipso solùm est malum: si autem verbum proferatur solùm ipsi loquenti gratia ioci, etiamsi ad bonum finem non ordinetur, non est malum, sed talis otiositas manet cum sua indifferentia. Sed hæc solutio friuola est; quid enim refert, loqui cum alio, vel cum se ipso? immò cùm verba per se ordinentur ad colloquendum cum alijs, eo ipso quòd loquitur ad se ipsum, verbum est otiosum, magis quàm si alteri loqueretur, si in vtroque casu finis honestus non apponitur. Si autem interroges, vtrùm otiositas non solùm in verbis, sed etiam in factis reperiatur, ita vt ratione otiositatis non solùm dentur verba, sed etiam facta quæ sint mala. Aliqui Theologi, vt refert D. Tho. in 2. distin. 40. & ibi Bonauent. quæst. 1. artic. 5. dicunt, quòd licèt dentur verba otiosa, non tamen facta otiosa; quia in hoc distinguuntur verba à rebus, quòd res sunt propter se ipsas, verba autem ordinantur ad alia: quapropter si verbum non sit propter aliquem finem, est otiosum & malũ, & sic in verbis non datur indifferentia; res autem cùm sint propter se, etiamsi ad aliũ finem non ordinentur, non sunt malæ, vnde si res in se ipsis erant indifferentes, etiã in exercitio factę propter se ipsas retinent suam indifferentiam, & sic in factis indifferens potest reperiri, etiam in indiuiduo. Sed certè hæc sententia est falsa, & sicut verba sunt otiosa & mala, si ad bonum finem non ordinentur, ita & facta: immò peiora sunt facta non ordinata ad bonum finem; quia prius est facere, quàm loqui; vnde si loqui sine bono fine, est malum, facere sine bono fine, erit peius: eo vel maximè, quòd si verbum prolatum sine bono fine, est otiosum, ideò est, quia sine causa vtili cõsumitur tempus: sed non minus consumitur tempus in facto sine causa vtili: non ergo huiusmodi erit minus malum & otiosum, quàm verbum. Et fundamentum contrariorum nullum est, quia verba dupliciter possunt ordinari ad aliud. Primò, tanquàm ad signatum. Secundò tanquàm ad finem. Licèt ergo res non semper habeant ordinationem priorem, & illo modo sint propter se; semper tamen habent ordinationem secundam, & cùm verbũ nõ sit otiosum defectu prioris ordinationis, sed defectu secundæ, cùm etiam res defectu huius ordinationis possint habere, similiter & in rebus otiositas potest reperiri, & ratione illius erunt malæ, sicut & verba. Ex dictis in hac conclusione sequitur primò, quòd actus ex obiecto indifferens factus in exercitio sine appositione debiti finis, non solùm est malus priuatiuè, sed etiam contrarie, contra Scotum loco citato, & contra Conrad. hic, articulo quinto ad tertium, in fine, asserentes, huiusmodi actum, si malus est, esse malum priuatiuè; & consequẽter etiam sequitur, non solùm huiusmodi esse peccatum omissionis, sed commissionis, contra Vazquez etiam loco citato: nostrum enim corollarium est manifestum, quia, vt docet Diuus Thomas secunda secundæ, quæstione 132. articulo secundo, inanis gloria peccatum est commissionis, & malum contrarium magnanimitati; cùm tamen solùm habeat defectum honesti finis, vt diximus. Similiter prodigalitas peccatum est

D. Bonau. *Corol. 1.* *D. Thom.*

est commissionis contrarium liberalitati: cùm tamen malitia eius sit per defectũ debiti finis, vtique quia dat propter quod nõ debebat dare, vt ait Aristotel. 4. Ethic. cap. 1. Item quia, vt docet Diuus Thomas infrà quæstione 71. articulo quinto, omissio non importat actum formaliter etiam in exercitio, sed solùm vel antecedenter, vel concomitanter, vel consequenter: actus autem ex obiecto indifferens factus in exercitio sine debito fine in se formaliter est malus: ergo est peccatum commissionis: itaque non solùm est malum non apponere debitum finem, sed etiam ipse actus (verbi gratia, leuandi festucam) factus sine debito fine, formaliter est malus. Et hoc manifestiùs patet in peccato Angelorum; fuit enim peccatum superbiæ & commissionis; cùm tamen actus illorum solùm fuerit malus ex defectu honesti finis, quia non retulerunt se in tali actu in Deum, sicut debebant referre. Similiter patet in eo qui sacrificat sine vestibus & vasis sacris, est enim peccatum commissionis, & sacrilegium contrarium Religioni, licèt tota eius malitia oriatur ex omissione sacrarum vestium. Similiter iurare sine necessitate, aut orare sine attentione, peccata sunt commissionis contraria Religioni, licèt malitia eorum oriatur ex defectu debitarum circunstantiarum. Similiter ergo hic actus ex obiecto indifferẽs, factus in exercitio sine debito fine, erit malus contrariè & malitia cõmissionis, licèt talis malitia ortum habeat ex omissione & defectu debiti finis.

Corol. 2. Secundò sequitur, ea quæ diximus, debere intelligi de bonitate & malitia morali in ordine ad finem naturalem; sic enim in indiuiduo non datur actus indifferens, sed necessariò bonus vel malus, loquendo de bonitate & malitia morali, & de laude & vituperio naturali: loquendo autem in ordine ad finem supernaturalem, bene potest dari actus indifferens, etiam in indiuiduo, qui nec sit dignus laude vel vituperio, nec meritorius aut demeritorius vitæ æternæ. Verbi gratia, opus bonum moraliter, vt eleemosyna sine mala circunstantia facta ab infideli, non est demeritorium vel puniendum in inferno; nec tamẽ est meritorium vitæ æternæ, vel præmiandum præmio supernaturali; sed tantùm est opus bonum præmiandum bono temporali vt infrà dicetur, materia de merito.

Tertiò etiam sequitur contra Lorcam hic disputatione 29. dub. 2. idem dicendum esse de omissione morali, non posse aliquam in indiuiduo dari indifferentiam, quia etiamsi sit omissio boni non præcepti secundùm causam omittendi, & secundùm actum quem antecedenter, vel concommitanter necessariò includit, in indiuiduo est obligatio referẽdi in finem debitum, & aliàs peccabit in tali omissione; cùm enim talis omissio in indiuiduo sit voluntaria, propter rectum finem debet esse volita, vt patet ex suprà dictis. *Corol. 3.*

Ad primum argumentum à principio respondetur, quòd Diuus Hieronymus tantùm intendit, obseruantiam legis scriptæ post Christum Dominum esse malam ex obiecto, & ad hoc adducit, quòd ex obiecto sunt aliqua indifferentia, & non esse de huiusmodi illam obseruantiam. Ad illud super Ezechielem de præceptis non bonis, respondetur, illa quidem præcepta bona fuisse, cùm essent à Deo: dicuntur autem non bona, hoc est, non perfecta, sicut futura erant præcepta Euangelica. Ita Gregor. 28. Moral. cap. 17. Ambros. epist. 72. & sermone 43. de tempore, vbi diuersis testimonijs sacræ Scripturæ probat, multoties vocari non bonum, quod reuera est bonum, quatenus est minùs perfectum alio perfectiori bono. *Ad 1. arg.*

Vel secundò dicitur, vocari præcepta non bona, quia dura & seuera inducentia mortem non seruantibus illa. Sic Hieronymus ad Galat. 2. Origen. homil. 7. in Exodum. Augustin. quæst. 44. ex veteri Testamento. *2. Solut.* *D. Hiero.* *D. Aug.*

Vel tertiò dicitur, vocari non bona, quia non causabant perfectam iustitiam, vt dicitur ad Hebræos 7. Neminem ad perfectum adduxit lex. Ita Chrysostomus homil. 7. super primam ad Corinth. Sic ergo intelligendus est Hieron. loco allegato, & similiter super illud, Nõ est bonũ homini mulierem tangere: loquitur enim comparatiuè de matrimonio respectu virginitatis, vt ipse se explicat in apologia aduersus Iouinianum. Quod autem superaddit, siue feceris, siue non feceris, non est intendere quòd in exercitio talis indifferentia reperiatur; facere enim vel non facere, non solùm dicit exercitium indiuiduale, sed etiam tendentiam actus in specie circa obiectum: eodem enim tenore loquitur Augustin. lib. 2. de sermone Domini in monte, cap. 28. vbi loquens de indifferentibus, ait, quòd possunt bono aut malo animo *3. Solut.*

fieri,

fieri, & quòd siue fiant, siue non, parum refert ad iustitiam: nihilominus tamen etiam authores oppositæ sententiæ fatentur, D. Augustin. in illo loco tenere nostram sententiam: necessariò ergo ille modus loquẽdi debet explicari de illis actibus indifferentibus secundùm se consideratis; & vt sic, dicit, quòd siue fiant, siue non fiant, nihil conducit ad iustitiam: ergo eodem modo poterit explicari D. Hieron. licèt superaddat, siue feceris, siue non feceris: vel si facere vel non facere, dicat exercitium, sensus illius erit, si feceris, vel non feceris, actus tamen nec est bonus vel malus, vtique ex proprio obiecto, quia etiam actus factus in indiuiduo seruat indifferentiam, quantum est ex parte obiecti. Ad Diuum Nazianzenum respondetur, loqui de magna laude & heroica bonitate ex vna parte, & de supplicio ex altera; sic enim datur medium, si pro fragilitate humana fiat opus virtutis non adeò eximium & heroicum: vnde subdit, quòd debemus nos continere intra vires humanas, & satis est, quòd opera virtutis rectè gerantur; non autem loquitur de laude & bonitate in tota sua extensione ex vna parte, & vituperio ex altera, vt sic enim medium non admittitur.

Ad 2. arg. Ad secundum respondetur, bonas esse solutiones ibi datas. Ad replicas dicitur, teneri referre ad bonum finem, ne obiectum proximum actus maneat malum in indiuiduo; quia licèt supponatur esse indifferens ex sua specie, efficitur tamen malum in indiuiduo defectu talis relationis. Dictum est autem, quale sit illud peccatum, non tantùm omissionis, sed commissionis; importat enim actum malum contrariè, licèt, vt diximus, talis malitia contraria ex omissione relationis originetur: licèt enim absolutè non sit præceptum relationis ad finem bonum in communi loquendo, bene tamen in singulari & in exercitio, ex suppositione quòd hic & nunc vult operari: præceptum autem negatiuum, contra quod fiat peccatum commissionis, potest assignari naturale non operandi otiosè: otiosè autem fit operatio, si non ordinetur ad bonum finem, ad quem ex Dei prouidentia ordinatur. Vel potest dici, esse contra propriam dilectionem, quæ licèt non sit virtus, est aliquid altius virtute, & secundùm id tenetur ordinatè operari propter finem, ne ratio humana, per quam liberè operatur, frustretur à sua inclinatione naturali rectè & propter bonum finem operandi. Vel potest dici, peccare contra præceptum studiositatis, quo tenetur adhibere diligentiam vt cognoscat & faciat quæ pertinent ad proprium statum; quod omittere, peccatum est pigritiæ, vel omittendo quę debebat adhibere, vel operando sine debita diligentia & ordine requisito; vnde non solùm est peccatum illa omissio referendi; sed & ipsum operari circa illud obiectum, non appositа tali relatione. Ad confirmationem respondetur, quòd actus circa obiectum proximum volitum propter se tãtùm, potest esse in specie indifferens, non autem in indiuiduo; quia, vt dictum est, in specie non interuenit obligatio & præceptum, quod currit in indiuiduo referendi ad bonum finem; nec esse volibile illud obiectum in specie tantùm propter se, est causa quòd in indiuiduo illud obiectum sic volitum nõ referatur ad bonum finem: vnde ex eo quòd sic in indiuiduo esse volitum illud obiectum, sine relatione ad bonum finem, sit malum, non sequitur, quòd in specie sic velle illud, sit malum. Et si quæras, qualiter in specie non sit obligatio referendi ad bonum finem, & huiusmodi currat præceptum in indiuiduo: Respondetur, quòd bonitas vel perfectio alicuius consistit in plenitudine essendi, vt suprà dictum est: certum est autem, minus requiri ad plenitudinem essendi in specie, quàm ad plenitudinem essendi in indiuiduo: quia plenitudo essendi in specie, consistit in essentia composita ex suo genere & differentia; plenitudo autem essendi in indiuiduo, vltra hoc importat existentiam & alia accidentia requisita ad singularitatem speciei: ergo actus humani possunt consistere cum habitudine ad obiectum secundùm se indifferens, & per hoc habebit plenitudinem essendi in sua specie; in indiuiduo autem si ad bonum finem non ordinetur, deficit plenitudo essendi requisita ad actum procedentem in exercitio à deliberata ratione, vt dictum est: & iam manet explicatum, quale sit præceptum quo tenetur ad huiusmodi relationes. Et si rursus arguas, quia non potest esse aliquid contra aliquod præceptum, nisi tali præcepto prohibeatur facere vel nõ facere illud; sed actus ex obiecto indifferenti nec præcipitur nec prohibetur aliquo præcepto, quia aliàs teneretur, verbi gratia, leuare festucam: ergo facere talẽ actum

Ad confir.

Obiectio.

Solutio.

Obiectio.

actum circa obiectum indifferens, non referendo ad bonum finem, nullum erit peccatum: Respondetur, bene posse contingere, quòd aliquis actus non præcipiatur ab aliqua virtute, & nihilominus si fiat, sit actus illius virtutis; & ê contra, quòd aliquis actus non prohibeatur fieri aliquo præcepto, & tamen si fiat, sit contra illud præceptum; quia licèt præceptum vel virtus non dicat quòd talis actus fiat, præcipit tamen quòd si fiat, taliter vel taliter fiat, vt iam exp licuimus: immò potest contingere, quòd non solùm aliquid non sit in præcepto alicuius virtutis, sed neque in consilio illius; & tamen si talis actus fiat, pertineat ad illam virtutem. Exemplum istorum sit, ieiunare feria quinta, non est in precepto virtutis temperátiæ; & nihilominus si ieiunet, pertinet ad virtutem temperantiæ. Similiter cænare temperatè nocte non ieiunij, est actus temperantiæ; & nihilominus cænare sic temperatè, non est in præcepto, nec in consilio, si quidem melius esset non cænare: sic ergo potest contingere in actibus circa obiectum indifferens, quòd licèt non sint in præcepto vt in exercitio fiant, est tamen in præcepto, vt si fiant, taliter fiant, & si taliter fiant, erũt actus virtutis; sin autẽ, erunt actus mali contra tale præceptum.

Soluti.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum respondetur, quòd illi actus frequenter fiunt sine deliberatione, & sic nec sunt boni, nec mali, nec laudabiles, nec vituperabiles: si tamen cum aduertentia fiant, necessariò sunt boni vel mali, & si non referantur ad bonum finem, mali sunt. Verum est tamen, sufficere vt fiant propter commoditatem naturæ: nam hoc aliquod bonum est; & licèt vt sic, bona sint, dicuntur non meriri laudẽ, nõ quia bona non sint, sed quia laus de alijs maioribus potest proferri, vel vituperium de alijs peioribus: vbi ergo maiora interueniunt, ineptum videtur, illa tã parua laudare vel vituperare; licèt in rei veritate aliquam laudem, vel vituperium mereantur. Eo vel maximè, quòd vix potest cognosci, si hæc bene vel malè fiant, vt laudentur vel vituperentur. Ad illud autem, si de huiusmodi potest fieri votum vel non, poterat responderi, ad votum non sufficere qualecunque bonum, sed melius bonum; vnde cùm illa sint tam minima bona, non cadunt sub voto. Sed hoc non multum placet, nam in materia de voto, quando dicitur debere esse de meliori bono, non intelligitur positiuè, quasi minora bona non sint materia voti, sed intelligitur negatiuè, hoc est, quòd bonum quod vouetur, non sit impeditiuum maioris boni: vnde si maius non impeditur, quodcunque bonum est materia voti. Quapropter respondetur ad argumentum, quòd de illis ibi positis potest fieri votum, quatenus possunt ordinari ad aliquod bonum vel vtile profectui spirituali operantis, vt docet Caietanus secunda secundæ, quæstione 88. articulo secundo, §. Circa indifferentia verò ad bonum. Verum est tamen, quòd quia difficiliter potest cognosci quam vtilitatem prædicta habeant ad profectum spiritualem, regulariter erit imprudentia de huiusmodi votum facere. Item quando huiusmodi votum fuisset emissum & validum, continget præmanibus quotidie occasio non seruandi tale votum per occupationem maioris boni; vnde cùm illud sit tantùm minimè bonum, quòd ferè nunquàm sit tempus in quo non interueniat aliud maius bonum, ratione cuius exercendi sit melius omittere illud minus bonum; ideò omnino est consulendum tanquàm inutile, non facere huiusmodi votum; & si factum fuerit, de facili erit abolendum. Ad illud autem de confessione, respondetur, quòd cùm de huiusmodi malitia, moraliter loquendo, non possit constare, ideò censetur materia dubia, & non potest poni vt totalis in confessione. Si autem in particulari constaret se non retulisse ad bonum finem, iam esset materia certa, & posset apponi vt totalis in confessione. Vel potest dici, quòd etiamsi in alijs contractibus sufficiat aliquid esse probabile, vt in conscientia sequatur, quia licèt probabilitas non dicat certitudinem veritatis, facit tamen certitudinem securitatis in conscientia; quia certum est & absque controuersia, esse securum sequi opinionem probabilem; tamen in materia Sacramentorum, in his quæ pertinent ad substantiam & existentiam Sacramenti, aliqui probabilissimè tenent, non esse licitum sequi opinionẽ probabilẽ, si potest sequi sententia certa; quia exponitur periculo quòd illa opinio non sit vera, & quòd Sacramentum maneat nullum; quia ex eo quòd opinio esset probabilis, non fiet materia, quod in re non erat materia; vel forma Sacramenti, quæ non erat for-

ma. Vnde etiamſi opinio ſit probabilis, ſi tamen non apponitur materia in re, Sacramentum eſt nullum: verbi gratia, probabile eſt, eſſe ſufficientem formam Baptiſmi; Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab vtroque: & nihilominus certum eſt peccare mortaliter qui vtitur tali forma, potens vti forma certa; quia exponitur periculo, quòd ſi illa opinio probabilis non eſt vera, non apponatur forma, & puer non maneat baptizatus. Sic ergo in præſenti, licèt probabilior ſit opinio Diui Thomę, quòd actus non relatus ad bonum finem, indifferens ex ſuo obiecto, ſit malum & peccatum: tamen hæc eſt opinio, & non certa veritas, vnde apponere vt materiam totalem Sacramenti illum actum, non eſt apponere materiam certam, & ſic ponitur periculo vt Sacramentum ſit nullum: quapropter tenetur apponere aliam materiam certam: vnde ex eo quòd ille actus non poſsit apponi vt materia totalis, non ſequitur, non eſſe probabiliorem ſententiam Diui Thomæ, quòd ille actus ſit malus; quia non poſſe apponi vt materiam totalem, non eſt niſi quia materia totalis debet eſſe certa, & non tantùm probabilis, vel etiam probabilior. Diximus tamen, ſi materiam certam poteſt apponere; nam ſi aliam non poteſt apponere niſi probabilem, immò vel dubiam, bene poterit proferri forma, ſub conditione tamen, non prolata, ſed in corde tacita; quia facit quod poteſt, etiam ſi in re ſit periculum vt Sacramentum ſit nullum; vt verbi gratia, confitetur infans octo annorum, & confeſſarius manet dubius de materia ſufficienti; debet abſoluere ſub conditione. Et ſimiliter agonizans in articulo mortis, ſi proferat ſigna contritionis in communi, materia dubia & multum dubia eſt, quia ferè eſt certa opinio Diui Thomæ. debere proferre ſigna alicuius peccati in particulari: nihilominus ſi non poteſt tunc proferre ſigna peccati in particulari, Sacerdos debet eum abſoluere ſub conditione, etſi materia ſit dubia, vt ſi fortè illa opinio eſt vera, ille obtineat beatitudinem, quam non obtineret aliàs.

Ad 4. arg. Vazquez. Valent. Ad quartum argumentum, Vazquez loco citato, & Valentia hic diſputatione ſecunda, quæſtione 13. puncto 6. quos etiam ſequuntur aliqui moderni Thomiſtæ, dicunt, bene poſſe dari actum indifferentem in indiuiduo per accidens, & ex aliqua ſuppoſitione, vt in caſu argumenti: Diuus autem Thomas loquitur per ſe. Verbi gratia, per ſe loquendo, non poteſt dari bellum iuſtum ex vtraque parte; per accidens tamen poteſt eſſe, ſi interuenit ignorantia. Similiter per ſe non poteſt dari perplexitas, bene tamen per accidens. Sic ergo in præſenti ex ignorantia vel ex opinione probabili poteſt dari indifferens, licèt per ſe non poſsit dari: nam ſi verbi gratia, faciat aliquis ex ignorantia inuincibili aliquid intrinſecè malum, exiſtimans ſe obſequium præſtare Deo, certum eſt, quòd illud opus in indiuiduo non eſt malum, nec imputatur, quia excuſatur illa ignorantia; nec etiam eſt bonum, nec per illud poteſt mereri laudem, ſed ſufficit ei excuſari à malitia operis; per accidens ergo ex ignorantia bene poterit dari indifferens. Sed certè hæc doctrina mihi non placet, ſed abſolutè dicendum ex intentione Diui Thomæ, nec per ſe, nec per accidens dari indifferens in indiuiduo, quantumcunque fiat reflexio probabilitatis ſententiæ Scoti. Vnde ad argumentum reſpondetur, quòd ille Scotiſta ſic operans, facit actum bonum, quia dum ſibi videtur non apponere bonum finem, propter talem operatur, illud enim facit vt ſuam libertatem exerceat; quod aliquando facere, bonum eſt. Dico, aliquando, quia ſi ſæpius hoc faceret, iam eſſet otioſitas & opus malum; ad quid enim toties operari, cum reflexione non apponendi bonum finem, ſed exercendi ſuam libertatem? Idem dico de caſu poſito à contrarijs, quòd opus intrinſecè malum ex ignorantia factum in obſequium Dei, licèt ex ſua ſpecie ſit malum, in indiuiduo & ex parte ſubiecti quantum ad imputabilitatem eſt bonum, vt infrà amplius explicabitur; quia imputabilitas in indiuiduo prouenit ex voluntario, & ex parte ſubiecti; vnde cùm ex hac parte inuincibiliter ſit volitum vt bonum, imputatur vt bonum, licèt ſemper ex parte obiecti remaneat malum: immò forſitan reſpectu finis ſupernaturalis, in ordine ad quem, vt diximus, poteſt eſſe indifferentia, per opus intrinſecè malum factum ex ignorantia inuincibili, poſſet eſſe meritum; vt acceſſus Iacob ad Liam, non ſolum non fuit malus quantum ad imputabilitatem, ſed forſitan fuit meritorius, exiſtimans inuincibiliter

liter accedere ad propriam, cum relatione Charitatis ad vltimum finem supernaturalem.

Ad 5. arg. Ad quintum, patet ex dictis, licèt ille locus possit explicari de mendacio pernicioso, cum Doctoribus allatis in argumento; nihilominus etiam magis ad literam explicatur cum Doctoribus quos nos retulimus, de otioso solùm per defectum relationis ad bonum finem.

Ad 6. arg. Ad sextum respondetur, non sufficere relationem ad vltimum finem & bonum in communi, sed teneri ex præcepto assignato ad relationes in bonum finem particularem.

Ad 7. arg. Ad septimum, etiam diximus articulo præcedenti, qualiter bonum & malum ex circunstantijs non admittant medium, quia ratione præcepti interueniunt duæ cõtradictoriæ, quod est referre ad bonum finem, vel non referre ad illum: quorum primum est bonum; secũdum est malum: cùm ergo inter contradictoria medium non detur, consequenter nec inter bonũ & malum in indiuiduo.

Ad 8. arg. Ad octauum respondetur, quòd bonum ex obiecto, ex propria natura habet conferre bonitatem, quia ex se, si non distrahatur per malam circunstantiam, respicit bonum finem rationis: vnde etiam si vlteriùs non referatur, opus circa ipsum est bonum: quando autem obiectum est indifferens, necesse est vlteriùs ordinari ad bonum, vt bonitatem possit tribuere, & sic non facere, est malum contra obligationem deducendi potentiam deliberatam ad proprium finem, quod est bonum rationis.

Ad 9. arg. Ad vltimum respondetur, quòd illi actus per quos habitus virtutis generantur, sunt boni; quia licèt non eliciantur à virtute, sed â potentia bene ordinata ex auxilio speciali Dei; regulatiuè tamen pertinent ad virtutem genitam, & reducuntur ad illam Sicut prima demonstratio in Logica, licèt non eliciatur ab habitu Logicæ, sed à potentia bene informata præmissis & regulis Dialecticis: nihilominus pertinet regulatiuè ad habitum genitum per talem demonstrationem. *Ad confir.* Ad confirmationem respõdetur, quòd si potentia non vtatur habitu virtutis, sed se ipsa eliciat actum in materia virtuti, non apponendo malam circunstantiam; illud opus est bonum morale ex obiecto bono, licèt non habeat modum virtutis; quia non elicitur ab illa, sicut si tale opus fieret ab existente in peccato, in quo non esset virtus. Vel potest dici, quòd in habente virtutem, & consequenter prudentiam, elicere opus sine virtute & prudentia, est imprudentia, & iam opus est defectuosum ex hac mala circunstantia, quod non contingeret in existente in peccato, quia cùm non teneatur pro quolibet tempore conuerti, & habere prudentiam & virtutes amissas, si in tali tempore operetur sine alia mala circunstantia circa obiectum secundùm se bonum, illud opus est bonum, & non elici tunc à virtute, est negatio, & non priuatio moralis; quia non est debitum in esse pro tunc, elici à virtute.

ARTICVLVS X.

Vtrùm aliqua circunstantia constituat actum moralem in specie boni vel mali.

AD DECIMVM sic proceditur. *Videtur quòd circunstantia non possit constituere aliquam speciem boni vel mali actus. Species enim actus est ex obiecto: sed circunstantiæ differunt ab obiecto: ergo circunstantiæ non dant speciem actus.* *Sup. art. 5. ad 4. & infra art. 11. co & q. 73 ar. 7. cor. & ad 1. & 2. d. 36. ar. 5. cor. & 4. d. 16. q. 3. ar. 2. q. 3. co. & d 41. artic. 4. q. 1. cor. & mal. q. 2. art. 6. per tot. & ar 7. cor. & q. 7. art. 4. co.*

Secundò prætereà. Circunstantiæ comparantur ad actum moralem, sicut accidentia eius, vt dictum est: † *sed accidens non constituit speciem: ergo circunstantia non constituit aliquam speciem boni vel mali.* *q. 7. ar. 1.*

Tertiò prætereà. Vnius rei non sunt plures species; vnius autem actus sunt plures circunstantiæ:

ergo circunstantia non constituit actum moralem in aliqua specie boni vel mali.

Sed contrà. Locus est circunstantia quædam: sed locus constituit actum moralem in quadam specie mali; furari enim aliquid de loco sacro, est sacrilegium: ergo circunstantia constituit actum moralem in aliqua specie boni vel mali.

Respondeo, dicendum, quòd sicut species rerum naturalium constituuntur ex naturalibus formis, ita species moralium actuum constituuntur ex formis prout sunt à ratione conceptæ, sicut ex supra dictis patet. † *Quia verò natura determinata est ad vnum, nec potest esse processus naturæ in infinitum; necesse est peruenire ad aliquam vltimam formam, ex qua sumatur differentia specifica, postquàm alia differentia specifica esse non possit. Et inde est, quòd in rebus naturalibus, quod est accidens alicui rei, non potest accipi vt differentia constituens speciem: sed processus rationis non est determinatus ad aliquid vnum, sed quolibet dato, potest vlteriùs procedere: & ideò quod in actu vno accipitur vt circunstantia superaddita obiecto quod determinat speciem actus, potest iterum accipi à ratione ordinante vt principalis conditio obiecti determinantis speciem actus. Sicut tollere alienum, habet speciem ex ratione alieni: ex hoc enim constituitur in specie furti. Et si consideretur super hoc ratio loci vel temporis, se habebit in ratione circunstantiæ: sed quia ratio etiam de loco vel de tempore, & alijs huiusmodi, ordinare potest, contingit, conditionem loci circa obiectum accipi vt contrariam ordini rationis; puta, quòd ratio ordinat, iniuriam non esse faciendam loco sacro; vnde tollere aliquid alienum de loco sacro, addit specialem repugnantiam ad ordinem rationis; & ideò locus qui priùs considerabatur vt circunstantia, nunc consideratur vt principalis conditio obiecti rationi repugnans; & per hunc modum quandocunque aliqua circunstantia respicit specialem ordinem rationis, vel pro, vel contra, oportet quòd circunstantia det speciem actui morali, vel bono vel malo.*

Art.5.

Ad primum ergo, dicendum, quòd circunstantia secundùm quòd dat speciem actui, consideratur vt quædam conditio obiecti, sicut dictum est, † *& quasi quædam specifica differentia eius.*

In corp.

Ad secundum, dicendum, quòd circunstantia manens in ratione circunstantiæ, cùm habeat rationem accidentis, non dat speciem, sed in quantum mutatur in principalem conditionem obiecti, secundùm hoc dat speciem.

Ad tertium, dicendum, quòd non omnis circunstantia constituit actum moralem in aliqua specie

boni

boni vel mali; cùm non quælibet circunstantia importet aliquam consonantiam vel dissonantiam ad rationem: unde non oportet, licèt sint multæ circunstantiæ unius actus, quòd unus actus sit in pluribus speciebus; licèt etiam non sit inconueniens, quòd unus actus moralis sit in pluribus speciebus moris, etiam disparatis, vt dictum est. †

Art. 8. ad 1. & q. 1. ar. 3. & ad 3.

Conclusio est. Quandocunque aliqua circunstantia respicit specialem ordinem rationis, vel contra, tunc oportet, quòd circunstantia det speciem actui morali, vel bono vel malo.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm omnis circunstantia augens bonitatem vel malitiam, constituat actum moralem in specie boni vel mali.

Inf. q. 73. a. 7. cor. & 4 d. 16. q. 3 ar. 2. q. 3 co. Et mal. q. 2. ar. 7.

AD vndecimum sic proceditur. Videtur quòd omnis circunstantia pertinens ad bonitatem vel malitiam, det speciem actui: bonum enim & malum sunt differentiæ specificæ moralium actuum. Quod enim facit differentiam in bonitate vel malitia moralis actus, facit differre secùndùm differentiam specificam; quod est differre secundùm speciem: sed id quod addit in bonitate vel malitia actus, facit differre secundùm bonitatem & malitiam: ergo facit differre secundùm speciem: ergo omnis circunstantia addēs in bonitate vel malitia actus, constituit speciem.

2. Præterea. Aut circunstātia adueniens habet in se aliquam rationē bonitatis vel malitiæ, aut nō. Si nō, nō potest addere in bonitate vel malitia actus, quia quod nō est bonū, nō potest facere maius bonum: & quod nō est malū, non potest facere maius malū. Si autē habet in se rationē bonitatis vel malitiæ, ex hoc ipso habet quandam speciē boni vel mali: ergo omnis circunstātia augens bonitatē vel malitiā, cōstituit nouā speciem boni vel mali.

3. Præterea. Secundū Dionys. 4 c. de diuin. nom. † *malum causatur ex singularibus defectibus; quælibet autem circūstantia aggrauās malitiā, habet specialē defectū: ergo quælibet circūstātia habet nouā speciē peccati. Et eadē ratione quælibet augēs bonitatē, videtur addere nouā speciē boni, sicut quælibet vnitas addita numero, facit nouā speciē numeri. Bonū enim cōsistit in numero, pondere & mensura.*

In par. 4 à med. illius.

Sed contra. Magis & minus nō diuersificāt speciē; sed magis & min° est circūstātia addens in bonitate & malitia: ergo non omnis circunstātia addens in bonitate vel malitia, constituit actum moralem in specie boni vel mali.

Respondeo, dicendū, quòd, sicut dictū est, † *circunstantia dat speciē boni vel mali actui morali, in quantū respicit specialē ordinē rationis. Contingit autē quādoque, quòd circūstātia nō respicit ordinē rationis in bono vel malo, nisi præsuppositā alia circunstantia, à qua actus moralis habet speciē boni vel mali. Sicut tollere aliquid in magna quantitate vel parua, non respicit ordinē rationis in bono vel malo, nisi præsuppositā ali*

Art. præc.

qua aliacõditione, per quã actus habeat malitiã vel bonitatẽ; puta hoc quodest esse alienũ, quod repugnat ratiõni. Vnde tollere alienũ in magna vel parua quãtitate, nõ diuersificat speciẽ peccati; tamẽ potest aggrauare vel diminuere peccatũ. Et similiter est in alijs malis vel bonis: vnde nõ omnis circunstantia addens in bonitate vel malitia, variat speciem moralis actus.

Ad primũ ergo, dicẽdũ, quod in his quæ intẽduntur & remittuntur, differẽtia intẽsionis & remissionis nõ diuersificat speciẽ: sicut quod differt in albedine, secũdũ magis & minus, nõ differt secũdũ speciẽ coloris. Et similiter quod facit diuersitatẽ in bono vel malo secũdũ intẽsionẽ & remissionẽ, non facit differentiã moralis actus secundùm speciem.

Ad secũdũ, dicẽdũ, quòd circũstãtia aggrauãs peccatũ, vel augẽs bonitatẽ actus, quãdoque nõ habet bonitatẽ vel malitiã secũdũ se, sed per ordinẽ ad aliã conditionẽ actus, vt dictũ est; & ideò nõ datnouã speciẽ, sed auget bonitatẽ vel malitiã quæ est ex alia conditione actus. In corp.

Ad tertiũ, dicẽdũ, quòd nõ quælibet circũstãtia inducit singularẽ defectũ secundũ se ipsam, sed solũ secũdũ ordinẽ ad aliquid aliud. Et similiter nõ superaddit nouã perfectionẽ, nisi per cõparationẽ ad aliquid aliud: & pro tãto licèt augeat bonitatẽ vel malitiã, nõ tamẽ semper variat speciẽ boni vel mali.

Conclusio est affirmatiua.

De materia circũstãtiarũ agunt Doctores in 4. d. 15. vsque ad 18. & D. Th. supra q. 7. & infrà q. 19. art. 1. & 2. & 7. & speciatiùs q. 72. ar. 8. & 9 & q. 73. art. 7. & in additionibus ad 3. p. q. 9. ar. 2. & in hac q. ar. 3. & 10. & 11. Sot. in 4. d. 18. q. 2. ar. 3. & 4. Med. in Sum. libr. 1. cap. 9. & Summistæ verbo Circunstantia, & verbo Confessio integra.

Deinde notãdũ, quod lutherani irridẽt Theologos Christianos, eo quòd maximã adhibeãt diligẽtiã in exquirẽdo circũstãtias humanorũ actuũ, & quia subtiliter inquirũt circũstãtias peccatorũ, vt videre est in Roffense ar. 8. & 9. contra Lutheranos. Quorũ error satis confutatur ex doctrina Ecclesiæ in Cõcilio Lateranensi 1. c. 21. & in Cõcilio Triden. sess. 14. cap. 3. can. 7. Circa quę legãtur regulę & cõclusiones Med. hic, art. 11. & admonitiones M. Soto vbi suprà, & videatur D. Basi. serm. 2. de Baptismo, cap. 8. Not.

DVBIVM I.

Vtrũ actus humanus habeat bonitatẽ vel malitiã ex circũstantijs.

PRobatur quòd nõ. Primò. Si circũstãtiæ tribuerẽt aliquã bonitatẽ vel malitiã, illa esset accidẽtalis; sed hãc nõ possunt tribuere: ergo nullã. Maior patet, nã circũstãtiæ, vt ait D. Th. sunt accidẽtia: accidẽs autẽ nõ potest tribuere esse nisi accidẽtale; & si accidẽs est morale, vt circũstãtia, non poterit tribuere esse morale boni vel mali nisi accidẽtale. Minor verò probatur, nã circũstãtia vel mutat speciẽ, vel nõ: si mutat speciẽ, iã nõ est circũstãtia: si nõ mutat speciẽ, est pars subst ãtię ipsius actus, vel ex parte ipsi⁹ act⁹, vt cõtinuatio & intẽsio, vel ex parte obiecti, vt quãtitas materiæ in furto, & sic malitia vel bonitas talis circũstãtiæ, erit pars bonitatis vel malitiæ substãtialis ipsius actus, & cõsequẽter nõ verificabitur quòd circũstãtia tribuit superaddẽdo bonitatẽ vel malitiã actui humano. 1. *Arg.*

Secũdò arg. Duratio & intẽsio actus, & quãtitas obiecti, sunt circũstãtiæ actus humani, & tamẽ nõ tribuũt bonitatẽ vel malitiã actui humano: ergo. Maior patet ex D. Th. suprà q. 7. Minor verò, pbat quãtũ ad 1. par. scilicèt, durationis. Nã si duratio vel cõtinuatio actus tribuit bonitatem vel malitiã, sequitur, quòd in actu durãte per horã, sit infinita bonitas vel malitia: cõsequẽs est absurdũ: ergo. Sequella probatur, nã si duratio tribuit malitiã, in primo instãti tribuet aliquã, verbi gratia, vtvnũ: cũ ergo eadẽ sit ratio de alijs instãtibus subsequẽtibus, 2. *Arg.*

bus, in quolibet illorũ etiã tribuet bonitatẽ vt vnũ, & cũ in tota hora sint infinita instãtia, in fine horæ habebit infinitã bonitatẽ vel malitiã ex tali cõtinuatione vel duratione. Secũdò probatur eadẽ minor quãtũad intẽsionẽ. Quia intẽsio multoties nõ est cognita ab operãte, & cõsequẽter nec volita: ergo nõ tribuit bonitatẽ vel malitiã. Cõsequẽtia patet, quia vbi nõ est volũtarij, nõ est morale requisitũ ad bonitatẽ vel malitiã. Antecedẽs verò probatur, quia multoties quis operatur sine aduertẽtia ad talẽ intẽsionẽ, & multoties etiã intẽsio prouenit ex maiori propẽsione naturali, vel ex gratia & habitibus supernaturalibus infusis sine industria & dispositione operãtis, vt patet in pueris in Baptismo. *Confir.* Confirmatur idẽ antecedẽs, quia si intẽsio bonitatẽ vel maliã tribueret, sequeretur, quòd si aliquis haberet actũ per horã intensum vt sex, q̃ nullus posset adęquare in bonitate vel malitia, quantũcũq; intra illã horã multiplicaret actus intẽsos vt quatuor, quia intẽsio vt sex, nõ potest adęquari per quãcũq; multiplicationẽ actus minoris intẽsionis, vt patet in calefactione. Si ergo intẽsio vt sex, facit bonitatẽ vel malitiã moralẽ, quãtũcũque multiplicẽtur actus minoris intẽsionis, nõ fiet adęquatio in bonitate vel malitia cũ actu cõtinuato vt sex; quod nullus cõcedet, nec audebit dicere nõ plus mereri qui per horã multiplicat mille actus vt quatuor, quã qui per totã horã solũ habet vnũ actũ continuatũ vt sex. Tertiò probatur eadẽ minor principalis quãtũ ad circũstãtiã quantitatis obiecti, quia si talis circũstãtia tribuit bonitatẽ vel malitiã, sequitur, quòd si ex parte obiecti est quãtitas infinita, actus circa ipsum habeat infinita bonitatẽ vel malitiã, vt iste actus, Volo furari infinitos nummos aureos; vel, Volo elargiri infinitos nummos in eleemosynã; vel, Volo dare eleemosynã infinitis pauperibus, haberet bonitatẽ vel malitiã infinitã: cõsequẽs est falsum: ergo. Ista minor patet, nã sicut infinitas secũdũ essentiã ex parte obiecti nõ facit actũ infinitũ in bonitate vel malitia, vt act⁹ Charitatis nõ est infinitè bon⁹ exeo q̃ sit circa Deũ infinitè bonũ: ita nec infinitas ex parte obiecti secũdũquãtitatẽ poterit tribuere actui infinitã bonitatẽ vel malitiã. Sequella verò probat sicut de duratione: nã si tãta quãtitas obiecti tribuit tantã bonitatẽ actui, maior quãtitas tribuet maiorẽ bonitatẽ, & sic ascẽdẽdo, infinita quãtitas tribuet infinitam bonitatẽ vel malitiam. Confirmatur, quia ex hoc sequeretur, quòd actus sacrificij Missæ esset infinitè bonus, & infinitè meritorius: & similiter actus quo Beata Virgo obtulit filiũ suum in templo, esset infinitus, cùm bonũ oblatum in vtroque casu sit infinitũ: quod quidem est falsum, quia infinitas meriti solùm potest tribui actionibus Christi. *Confir.*

Pro intelligentia notandum, quòd, vt patet ex supra dictis, actus humanus potest cõsiderari, vel in esse naturæ, antecedẽter ad bonitatẽ vel malitiã moralẽ, vel potest cõsiderari, put humanus est, & iã includit bonitatẽ vel malitiã moralẽ. Itẽ ista bonitas vel malitia moralis, est duplex: altera prima & essentialis: altera verò quę huic iã præexistenti potest aduenire vel cõiũgi: quæ quidẽ adhuc duplex esse potest, vel mutãs speciẽ, cõstituẽsque actũ præcedẽtẽ vnius speciei moralis in altera speciẽ moralẽ; vel potest esse nõ mutãs speciẽ, sed manẽs intra speciẽ prioris bonitatis vel malitię. In præsenti ergò inquirimus, nõ de actu cõsiderato in esse naturæ, nã iste nõ reponitur in specie boni vel mali primò per bonitatem vel malitiã ex circũstãtijs, sed ex obiecto, vt diximus. Quærimus ergo de actu humano, qui iã semel habet bonitatẽ vel malitiã, vtrũ ei possit bonitas vel malitia superuenire ex circũstãtijs, siue talis bonitas vel malitia superueniens mutet speciẽ, siue maneat intra priorẽ speciẽ; modò enim hoc nõ discutimus, sed infra tractabitur; sed tãtũ procedimus in cõmuni, vtrùm ex circunstantijs aliqua bonitas vel malitia superueniat. *Not. 1.*

Secundò notandum, ex Diuo Thoma hic, quòd nomen circunstantiæ sumitur per analogiam ad accidentia physica, maximè corporalia, quæ loco circunscribuntur: illa enim habent corpus circũstare, tãquã aliquid extra illius essentiã: sic ergo in moralibus circũstãtiæ appellãtur, quę cũ nõ sint intrinseca act⁹, habẽt se tamẽ circũstãter ad actũ, nõ quomodocũq; sed illũafficiẽdo, & qualitercũque mutãdo in genere moris: nãsi actũ nõ afficiãt, nõ sunt circũstãtię quoad præsens, vt bene notauit Angelus cap. 8. Moral. §. non omnis circunstantia, conclusione prima. *Not. 2.*

Prima conclusio. Actus humanus habet bonitatẽ vel malitiã ex circunstantijs, quodãmodò distincta à præexistẽti, per quã actus erat constitutus in specie actus moralis. Dixi, Quodãmodò, quia nõ semper est distincta realiter, sed sufficit distin- *1. Concl.*

gui à præexiſtenti tã quã modũ eius;vt cõ tingit in circũſtãtia nonmutante ſpeciem, verbi gratia,in intẽſione vel duratione actus. Probatur ergo cõcluſio. Primò. Circũſtãtia(verbi gratia,intenſionis)dicit ſpecialẽ ordinẽ vel contrarietatẽ ad rationẽ: ergo dicit ſpecialem & diſtinctam bonit a tem vel malitiã. Patet cõſequẽtia,quia bonitas vel malitia ſumitur per conformitatem vel difformitatem ad rationem : ergo vbi eſt ſpecialis conformitas vel difformi tas,erit etiam ſpecialis bonitas vel malitia. Antecedẽs verò probat,quia dictamen rationis nõ ſolũ præcipit vel cõſulit actum, quoad obiectũ,ſed etiã quoad circunſtãtias; & Charitas, v. g. non ſolùm præcipit actũ dilectionis Dei quoad obiectum, ſed etiam conſulit feruorem vt circunſtantiam,& non ſolùm præcipitur eleemoſyna quoad obiectum, ſed etiam conſulitur magnitudo;& per oppoſitum contingit in præceptis prohibentibus mala : ergo exercere actum, non ſolùm quoad obiectum,ſed etiam quoad circunſtantias, dicit ſpecialem ordinem vel difformitatem ad rationem . Secundò probatur concluſio. Circunſtantiæ naturales & phyſicæ faciunt aliter ſe habere actum in eſſe phyſico; vt intenſio vel duratio:ergo & circunſtantię morales aliter facient ſehabere actũ moralem in eſſe moris. Patet conſequentia ex analogia poſita à D. Tho.inter circunſtantias & accidentia moraliareſpectu circunſtãtiarũ & accidentiumphyſicorũ. Antecedens verò probatur ,nam intenſio vel remiſsio aliter phyſicè facit ſe habere calefactionem. Similiter duratio in bono vel in malo , aliter facit illud ſe habere;quapropter bonum diuturnum magis amatur,vt beatitudo, & malum perpetuum,vt damnatio inferni, magis timetur. Tertiò probatur , nam circunſtantiæ conducunt ad augmẽtum præmij vel pœnę: & inconfeſsione etiamdebent explicari:ergo conferunt ad bonitatem vel malitiam actus. Cõſequẽtia patet,nam in cõfeſſione non eſt neceſſum explicare quod ad malitiam non attinet. Et ſimiliter præmiũ vel pœna attenditur ſecundũ bonitatẽ vel malitiã quib⁹ correſpõdet;quia intãtũ eſt præmiabile,vel punibile,in quãtũ eſt bonũ vel malũ: vndevbi magis debetur pœnæ vel præmij , magis debet eſſe bonitatis vel malitiæ. Antecedẽs verò ꝓbat,nã qui intenſiùs diligit Deum , vel maiorẽ eleemoſynam tribuit,certũ eſt,maiorẽ gloriã promereri;& qui in peccato maiorem delectationem capit,maiorem etiam damnationẽ acquiret,iuxta illud Apocal. Quãtũ glorificauit ſe in delicijs,tantũ date illi tormentorũ. Quartò probatur cõcluſio, diſcurrẽdo per ſingulas circũſtãtias, de quibus cõſtabit in ſacraScripturacõduceread maiorem bonitatem vel malitiam.

De circunſtantia enim loci patet Iob. 1. vbi laudatur,quòd ſimplex &rectusfuerit interraHus;vtique inter prauos & malos: & 2. Regum. 23. cõmendatur fortitudo Banaię,quòd Leonem interfecerit inmedia ciſterna,vbi locus minus erat aptus. Videatur Chryſoſtomus hom.21.ad populũ & Orig.hom.6.in Hexamerõ , circa finẽ, & hom.9.ſuper Numeros , vbi explicat, qualiter exloco creſcat bonitas actus multoties. Quòd etiam per oppoſitum ex loco accreſcat malitia , patet Eſaię 57. Iuxta me diſcooperuiſti & ſuſcepiſti adulterũ, &c. vſque ad illud , Colebant Baal. &. 2. ad Theſſalon. 2. aggrauatur malitia Antichriſti ex loco , dum dicitur , Ita vt in templo Dei ſedeat , &c. & Oſeæ 6. Ipſi ſicut Adã,&c. vbi aggrauatur peccatũ eorum ex loco,per comparationem ad peccatum Adam in Paradyſo, quòd etiam illi peccauerint colendo idòla in templo,vt ibi explicat Arias Montanus.

Iob 1.
2. Reg. 23
Eſai. 57.
2. Ad Theſſal. 2.
Oſeæ 6.

De circunſtantia etiam temporis patet etiam quòd aggrauet malitiã & peccatũ, Marci. 6. dum notatur quòd Herodes indie natalis ſui decollauit Ioannem , quãdo potiùs tenebatur Deo gratias referre, vt notat Chryſoſt. hom. 27. in Matthęum. Similiter adnotauit D. Leo Papa ſerm. 7. de Paſsione, peccatũ mortis Chriſti Dñi aggrauari,quia cõmiſſum eſt in feſto Paſchali. Per oppoſitum etiam notatur tempus ad maiorem bonitatem actus, Matth. 26. laudantur virgines prudẽtes ex præuentione temporis, quo aliæ adeò fatuæ extiterunt: & confeſsio latronis exaltatur, eo quòd facta fuerit tempore tantæ ignominię & blaſphemiarum. Et Numerorum 14. maximè laudantur Ioſue & Caleb, eo quòd zelauerint gloriam Dei,quando alij murmurabant.

Marc. 6.
D. Chryſ.
D. Leo.
Matt. 26.
Num. 14.

De circũſtantia etiã Quomodò,quæ eſt modus agendi,etiam conſtat augere malitiam, Ieremiæ 2. curſor leuis explicãs vias ſuas,&c. & Pſal. 13. Veloces pedes eorum ad effundẽdum ſanguinem,&c. & Pſalm. 101. aggrauatur peccatum Iudæorũ,quia citò fecerunt; vbi Caſsiodorus; Sũma celeritatę

Ieremi. 2.
Pſal. 13.
Pſal. 101.
Caſsiodor.

ritate mutati sunt à credulitate & laude,vt murmurarent.Et per oppositum etiã notatur circunstantia Quomodò,ad laudem boni operis,vt Genes. 18. laudatur Abraham,quia cucurrit ad oues,&c.& Lucę 7. laudatur Magdalena, quia dilexit multum.

Genes. 18. *Luc.7.*

De circunstantia etiam Quis, quæ pertinet ad qualitatem accidentalem operantis , patet augere malitiam , Matth. 26. Tunc abijt vnus ex duodecim, &c. vbi Chrysostomus homilia 81. & Leo Papa de Passione Domini, explicant, qualiter malitiam auxerit proditionis, qualitas personæ, quia erat vnus ex supremo choro Apostolorum .Et Numer. 25. specialiter culpatur fcortatio Zambri,quia erat Princeps populi ; de quo videatur Oleaster Numer. 31. in illa verba . Et pugnauerunt contra Madian. Quòd etiam augeat bonitatem, patet Lucæ 17. Non est inuentus qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena: & etiam Lucæ 10.laudatur Samaritanus, quòd curasset infirmum ; & Centurio Gentilis laudatur de Fide, quia cùm essent Gentiles, magis in eis resplenduit bonum opus. De quo videatur Chrysostomus homil. 17. super Matthæum . Similiter patet de circunstantia Quid,(quę significat conditionem accidentalem obiecti) quòd augeat malitiam; eo enim aggrauantur peccata commissa contra Sanctos , vt docet Diuus Gregorius libr. 15. Moral. cap. 19. & Chrysostom. hom. 48. in Genesim. Et etiam aggrauatur peccatum ex quantitate obiecti,vt Malachiæ 3. Qui violenter tollitis, &c. vsque, Hostibus eorum ; quo significatur, quòd Principes omnia subditis rapiebant. Auget etiam hæc circunstantia bonitatem : ideò enim Paulus commendat Philemonem, quia per illum viscera Sanctorum requieuerunt, quatenus multos Sanctos iuuauerat, in quos est melior eleemosyna, vt sæpe ostendit Chrysostom. & Ioannes in secunda Canonica laudat magis eleemosynam factam in peregrinos ; vt Christus Dominus laudauit eleemosynam viduæ , quia erogauit in gazophylazium totum suum cibum . Et eadem ratione laudabatur Dauid 1.Paral. cap. 22. quia in paupertate existens præparauit impensas domus Domini,centum millia talenta auri,& millia millium talentorum argenti.

Matt. 26. *D.Chrys. D.Leo.* *Num.* 25. *Luc.* 17. *Luc.*10. *Malach.* 3 *1.Paral.* 22

De circunstantia etiam quæ vocatur Quo,vel Quibus auxilijs,etiã patet,quòd augeat bonitatem ; vt 2. Regum 23. laudatur Banaias,quòd cum virga interfecit Leonem:& 1.Regum 12. laudatur fortitudo Dauid,quia in nomine Domini, & non in hasta & gladio,superauit Philistęũ. Quod etiam augeat malitiam , patet Esaiæ 22. vbi damnantur Iudæi, quia iurabant defendere Ciuitatem, & non diuino auxilio : vnde dicitur : Et non suspexistis ad Deum:confidebant enim in auxilio Ægyptiorum,& curruum illorum.

*2.Reg.*23 *1.Reg.*12 *Esai.*22.

Tandem de circũstantia finis,q̃ augeat bonitatẽ vel malitiã,iã actũ est suprà:& generaliter qualiter circũstãtiæ tribuant bonitatẽ vel malitiã actui humano,in D.Basilio lib.2.de Baptismate,q.8.

Secunda conclusio. Bonitas aut malitia proueniẽs ex circũstantijs,est accidentalis actui humano, nõ solũ cõsiderato secũdũ speciẽ,sed etiãsi in indiuiduo cõsideretur. Prima pars cõclusionis probatur ratione suprà posita,quia sic se habent circunstantiæ in moralibus,sicut accidentia in physicis;suntq̃ circunstantiæ accidentia moralia : quapropter accidentalis est malitia vel bonitas proueniens ex circunstãtijs. Secundò probatur . Circunstantiæ sunt extra essentiam & specificatiuum actus in genere naturæ : ergo etiam in genere moris . Patet consequentia, quia specificatiuum actus,tam in esse naturę,quàm in esse moris,est idẽ, solùm formaliter diuersum,videlicet obiectũ,vel secundũ se, vel prout consonũ vel dissonũ rationi . Si ergo circunstantiæ sunt extra substantiam obiecti specificantis in esse naturæ , sunt etiam extra substantiam illius in genere moris,quia substantia vtriusque est eadẽ. Antecedens verò probatur , quia furari decem vel centum,vel intensè vel remissè operari,non variat actum in esse naturæ; vterq; enim est actus furti. Tertiò probat, Remotis per Intellectum quibuscunque circũstãtijs,manet actus in eadem specie, verbi gratia,furti:ergo quælibet circũstãtia est accidẽtalis. Consequẽtia patet, quia illud est accidẽs, quod potest adesse & abesse præter subiecti corruptionem. Si ergo manet essentia,quacunque circunstãtia destructa,circunstantia nõ pertinet ad essentiã. Antecedẽs verò probatur,quia siue actus sit remissus,siue non, siue duret per multũ tẽpus,siue nõ duret,siue auferat rẽ alienã in parua quãtitate,vel nõ,sed in magna,semper manet furtũ, per hoc tantùm

2.Concl.

quòd sit ablatio rei alienæ. Vltimò probatur ex Diuo Thoma suprà, quæstione septima, artic. tertio ad 3. vbi ait, quòd causa ex qua pendet substantia actus, non est circunstantia: ergo sentit D. Thom. circunstantiam non pertinere ad substantiam; siquidem eo ipso quòd causa actus sit talis, quòd ab ipsa dependeat substantia actus, dicit, non esse circunstantiam: & quòd vt causa sit circunstantia, non debet ab illa pendere substantia actus; vt quòd sit clericus, vel sæcularis, est circunstantia actus fornicationis: quia esse clericum, non est causa substantiæ talis actus; maneret enim substantia actus fornicandi, etiamsi à clerico non fieret. Secunda pars conclusionis, quòd huiusmodi malitia circunstantialis, sit etiam accidentalis actui in indiuiduo considerato, est contra Valentiam tomo secundo, disputatione secunda, quæstione secunda, puncto 1. §. Sed vt rectè intelligatur, & tom. 4. disputatione septima, quæstione prima, §. in primis enim oportet, & infrà; asserit enim, quòd licèt aliquæ circunstantiæ accidentaliter se habeant ad vtramque rationem actus humani, tam specificam, quàm indiuidualem; non tamen omnis circunstantia hoc habet, sed sunt aliquæ, quæ licèt accidentaliter conueniant speciei, pertinent tamen ad substantiam indiuidualẽ actus. Apponit exemplum in duratione, intensione, loco & tempore, & modo; ista enim accidentalia sunt secundùm vtramque rationem. Quòd autem in furto quantitas sit magna vel parua, accidentaliter conuenit speciei furti: pertinet tamen ad substantiam huius actus furti in indiuiduo. Ratio illius est, quia in prioribus potest manere salua substantia specifica & indiuidualis absque illis circunstantijs: in posteriori autem licèt possit manere salua substantia specifica furti sine illa circunstantia; non tamen substantia indiuidualis. Sed certè sua eadem ratione conuincitur, quia sicut potest manere substantia indiuidualis, etiãsi actus fiat remissior, qualiter non manebit substantia etiam indiuidualis, etiamsi actus fiat in minore quantitate obiecti. Immò argumentum currit à fortiori; nam intensio vel remissio proximiùs accedunt ad substantiam indiuidualem, cũ sint aliquid intrinsecũ ipsi actioni; quãtitas autẽ rei ablatæ extrinsecè cõparatur ad actũ, cùm se teneat ex parte obiecti; quod quidem extrinsecum est actui, licèt actus per ordinẽ ad obiectum intrinsecè cõstituatur. Si ergo prior circunstantia intimior substãtiæ indiuiduali, est accidens illius, à fortiori vltima circũstantia est posterior, quæ magis à remotis se habet. Sed ratione ampliùs impugnatur, quia aliquid nõ accidentaliter cõuenit speciei, nisi mediante indiuiduo: ergo per prius debet esse actus indiuidui, quã speciei, & per cõsequens impossibile est ponere quòd circũstantia sit accidens speciei, & substantia indiuidui. Et si contra argumentum fiat, quia hoc obiectum indiuiduale constituit substantiam huius actus in indiuiduo, & nihilominus hoc obiectum indiuiduale est extra essentiam specificã, sicut & hæc materia & ista caro, & hæc ossa, ad substantiã huius indiuidui pertinent; & nihilominus sunt extra essentiam specificam, quia species nõ constituitur per hanc materiam & hæc ossa: ergo bene stat, accidentaliter cõuenire speciei, & nihilominus pertinere ad substantiã indiuidui: Respondetur, quòd licèt hæc materia & hæc ossa, prout hæc, non sint de essentia speciei; absolutè tamẽ materia est de essentia speciei. Et similiter hoc obiectum, licèt prout hoc, non sit de essentia speciei actus humani, tamen obiectũ est de essentia actus humani: vnde nihil potest dari, pertinere ad substãtiam indiuidui, quod absolutè loquendo & in cõmuni, non pertineat ad substantiã speciei: quapropter hæc albedo vel nigredo non pertinẽt ad substantiam indiuidui, quia albedo & nigredo, etiã in cõmuni, nõ pertinẽt ad substãtiã speciei. Cũ ergo quælibet circũstãtia, necin particulari, necin cõmuni, pertineat ad substãtiam speciei, quia de substãtia illius, nec est intẽsio, vel remissio, nec parua vel magna quantitas: ideò nulla circũstantia potest pertinere ad substantiã indiuidualẽ actus; sed sicut absolutè & in cõmuni intensio vel quãtitas rei ablatæ est extra substantiam speciei, ita hæc intensio vel hæc quantitas est extra substantiam huius indiuidualis actus. Et sic manet manifestum, quòd omnis inuniuersum circunstãtia est accidens, & tribuit bonitatẽ, vel malitiam accidentalem, nõ solùm speciei, sed etiam in indiuiduo actus humani.

D. Tho.

Valent.

Obiectio

Solut.

Ad primũ arg. à principio resp negando maiorẽ. Ad probationẽ, dicitur, quòd vtraque, siue mutet, siue nõ mutet speciẽ, potest esse circũstantia, & tribuere malitiã accidentalẽ actui humano: nã vt dicit Caietan. hic, sicut in naturalibus potest esse accidens

Ad 1. arg.

Caiet.

dens alicuius aliquid quod per se sit species cõpleta, vt albedo & nigredo respectu corporis; & etiã potest esse accidẽs alicui⁹, aliquid quod nõ sit extra suã speciẽ, sed solũ modus illius; vt intẽsio vel remissio caloris nõ est species distincta à calore, sed modus ipsius caloris, & nihilominus accidens illius: ita in moralibus potest esse accidens & circũstantia, quæ per se importẽt speciẽ distinctã malitiæ: dicitur tamen accidens, quia talis specifica malitia accidẽtaliter aduenit priori iã existẽti ex proprio obiecto actus, & sunt etiã accidẽtia & circunstãtiæ nõ importãtes speciẽ distinctã malitiç, sed solũ modũ præexistẽtis; vt quãtitas in furto, vel duratio in delectatione venerea: &, vt diximus, nõ solũ sunt huiusmodi circũstãtiç accidẽtia respectu speciei, sed etiam repectu indiuidui; quia licèt sint partes subst ãtiç indiuiduales ipsius actus, sunt tamẽ partes nõ necessariæ subsistẽtiæ indiuidualis actus. Vtrũ autẽ huiusmodi circũstãtiæ sint accidẽtia prædicamentaliter vel prædicabiliter, quæstio est de nomine; de re enim cõstat, quòd malitia circũstãtialis, etiã mutãs speciẽ, est accidẽs prædicamentale. Et de nõ mutãtibus, etiã patet; nã sunt modi ipsius malitiæ prioris per se primò conuenientis actui; & cũ modus sequatur naturã illius, cuius est mod⁹; si malitia etiã prior est accidẽs prædicamentale, similiter & modus illius, quæ est circũstantia. Solet autẽ prima bonitas vel malitia vocari substãtialis, & ei superueniẽs accidẽtalis, non quia vtraque nõ sit accidens, sed quia prior cõstituit actum essentialiter in speciemorali, superueniẽs autẽ nõ ita. Loquẽdo autẽ prædicabiliter, certũ est, omnẽ circũstãtiã, siue mutet, siue nõ mutet speciẽ, esse accidẽs; nã accidẽtaliter & cõtingenter prædicatur de actu morali in sua specie cõstituto quæcunque malitia ex circũstãtia prouenies. Ad illud autẽ quod petebat argumentũ, q̃ si malitia circũstãtiæ mutãtis speciẽ, habeat suã speciem distinctã à priori, qualiter potest esse accidẽs illi⁹; quia quãdo duæ species accidentiũ cõiungũtur in eodẽ subiecto, neutra est accidẽs alterius, sed vtraque est accidẽs subiecti, vt v. g. actio & passio cõiunguntur in eodẽ motu, & neutra est accidẽs alterius, sed vtraq; est accidẽs motus. Similiter generatio & corruptio cõpetunt eidẽ subiecto accidẽtaliter secundũ diuersam formã, & neutra est accidẽs alterius; & intẽsio & remissio accidẽtia sunt qualitatis, & neque remissio est accidẽs intẽsionis, nec è cõtra: ergo similiter in præsenti, cũ prior bonitas ex obiecto, & altera specie distincta prouenies ex circũstãtia, cõiungantur in eodẽ actu naturali, vtraque erit accidens respectu entitatis naturalis actus, & neutra erit accidẽs alterius: Respõdetur, quòd quãdo duo accidẽtia cõiungũtur in subiecto, vtrũque immediatè & sine ordine vnius ad alterũ & sine dependentia, tũc habet intẽtũ argumentũ, vt in exẽplis positis in illo: quãdo autẽ vnũ cõuenit cum dependentia & ordine, & alio mediãte, nõ solũ est accidẽs subiecti, sed etiã est accidẽs alterius accidentis, quo mediãte cõuenit subiecto; quia albedo cõuenit substãtiæ mediãte superficie, nõ solũ est accidẽs substãtiæ, sed etiã superficiei: & sic se habet in præsenti, q̃ malitia ex circũstãtia nõ cõuenit immediatè entitati actus, sed media malitia priori desumpta ex obiecto: quapropter etiam est accidẽs respectu prioris malitiæ, & prior malitia vocatur essentialis, nõ quia essẽtialiter cõueniat entitati naturali actus, sed quia est prima in genere moris, ratione cuius omnis alia bonitas vel malitia debet cõuenire, & respectu cuius omnis alia ex circunstantijs prouenies est accidens.

Ad secundũ resp. negando minorẽ pro omni parte. *Ad 2. arg.* Ad probationẽ prioris partis de duratione, est multiplex modus respõdendi: aliqui enim iuniores dicunt, durationẽ actus nõ valere ad gloriã essentialẽ, sed accidẽtalẽ tantũ. Loquẽdo autẽ de bonitate vel malitia actus, vtrum augeatur à duratione, inter se sunt diuisi & via diuersa procedunt.

Primus modus aliquorũ est, q̃ sola duratio, nisi adiũgat cũ intẽsione act⁹, ita vtquo plus durat, plus intendatur, nõ auget bonitatẽ actus, quia sola duratio est denominatio extrinseca coexistẽtiæ ad tẽpus, & sic nihil ad bonitatẽ vel malitiã potest cõducere. *1. Modus.* Nec est (inquiũt) eadẽ ratio de primo instãti inceptiuo, & de alijs repertis in duratione: quia in primo instanti fit de nouo tota entitas actus, & cõsequẽter tota sua bonitas: in sequẽtibus autẽ sicut non fit entitas, ita nec aliqua bonitas amplior, quã quę fuerat in primo instãti. Dicũt tamẽ, hoc esse verũ, sistẽdo præcisè in ratione durationis, quia si ex maiori duratione augeatur difficultas operis & fatigatio operãtis, tũc bonitas erit maior, non ratione durationis, sed ratione difficultatis & fatigationis operantis, vt docet Victoria relectione

de

de augmento Charitatis, 1. part.num.18.

2. *Modus.* Secundus modus eſt aliorum aſſerentium ſufficere ſolam durationem ad augmentum bonitatis vel malitiæ : hæc tamen bonitas ex duratione proueniens, & accidentaliter conueniens, non eſt per comparationem ad primum inſtans; nam illa duratio primi inſtantis ad ſubſtantialem bonitatem pertinet, quæ ad minus debet eſſe per inſtans; ſed eſt per comparationem ad totam ſucceſsionem temporis ſubſequentis, & non ad aliquod inſtans determinatum ex ſequentibus; nam de quolibet eadem eſt ratio atque de primo: cum autem tota ſucceſsio ſit determinata, conſequenter & bonitas inde proueniẽs, & ſic non poteſt fieri argumentum de infinitate per numerationem inſtantium infinitorum. Sed certè vterque modus dicendi eſt inſufficiens. Primus quidẽ, quia vt induratione intelligatur aliqua bonitas vel malitia, ſufficit peculiaris conformitas vel difformitas rectæ rationi, quæ non eſſet non ſtante tali duratione, etiamſi nõ ſit fatigatio in illa: in ſtatu enim innocentiæ, & Angelus in ſtatu viæ, maiorem bonitatem haberent in opere continuo per aliquod tempus, quàm ſi talis duratio non eſſet: cum tamẽ in eis nulla eſſet fatigatio. Fundamentumque iſtorum falſum eſt; duratio enim non ſolùm eſt denominatio extrinſeca, vt ipſi putãt, ſed aliquid intrinſecum, nempe conſeruatio in eſſe: quod licèt non ſit entitas diſtincta ab ea quæ producitur in primo inſtanti, eſt tamen eadem aliter realiter ſe habens; quod ſufficit vt tribuat bonitatem vel malitiam quam in primo inſtanti præſtare non poterat. Secundus etiam modus dicendi inſufficiens eſt ad ſolutionem argumenti, quia per hoc quòd bonitas accidentalis deſumatur ex duratione ſubſequenti, & non ex primo inſtanti productionis actus, non fugiunt argumentum: nam etiam in illa duratione, excluſo primo inſtanti, ſunt infinita inſtantia: quare ergo bonitas vel malitia non augetur vſque in infinitum?

Impug. 1. modus.

Impug. 2. modus.

2 *Solutio Gregor.* Secunda ſolutio eſt Gregorij in 2. d. 3. q. vnica, ar. 2. ad. 4. quem ſequuntur aliqui Nominales; dicit enim, quòd actus Voluntatis non poteſt durare tantum per inſtans, ſed neceſſariò continuatur per aliquod tempus: quapropter ex duratione per tempus non aggrauatur malitia vel augetur bonitas, quia moralitas boni vel mali ſupponit libertatem: vnde ſi in duratione nõ eſt libertas, ex duratione nõ bene infertur intentũ argumẽti, quod reſultet bonitas vel malitia infinita ex infinitis inſtantibus talis durationis. In explicatione tamẽ illi' neceſſarie durationis, quã ponit Greg. non cõueniũt omnes qui ſequuntur ipſum.

1. *Modus Holcot.* Primus modus explicandi talem neceſſariam durationem, eſt Holcot. q. 3. de Voluntatis libertate, ar. 6. opinione 2. ſolutione ad 3. dicit enim, dari tempus breuiſsimũ à Deo cognitum, per quod neceſſariò durat actus, in cuius inſtanti terminatiuo ex trinſeco poteſt ceſſare: inquo tamen ſi nõ ceſſet, iterũ neceſsitatur per aliud tantum tẽpus vſque ad inſtans terminatiuum extrinſecũ; in quo etiãſi non ceſſet, iterũ neceſsitatur per aliud tantũ tẽpus, & ſic progrediẽdo: quapropter ex duratione illius temporis breuiſsimi, in quo neceſsitatur, nõ augetur bonitas vel malitia, bene tamẽ ex non deſitione in inſtantibus terminantibus, in quibus liberè poterat ceſſare: ſed ex grauitate horum inſtantiũ non infertur grauitas infinita, quia talia inſtantia finita ſunt.

2. *Modus Almayn. Angeſt.* Secũdus modus explicãdi eſt Almayn tract. 1. Moral. c. 9. & Angeſti in Moral. c. 8. in expoſitione partis textus, qui incipit, Duplici habitudine, §. quoad primũ punctũ. Dicunt enim, quòd tempus per quod neceſſariò durat actus poſt primum inſtãs inceptionis eſt tẽpus determinatum: nihilominus licèt intra illud tẽpus non poſsit ceſſari ab actu, poteſt tamen remittere & diminuere eius perfectionẽ & intenſionẽ, ita vt progrediẽte duratione illius temporis, actus ſit remiſsior vſque ad totalẽ deſitionẽ actus in inſtanti extrinſeco illius tẽporis: quapropter ex duratione illius tẽporis nõ poteſt inferri bonitas vel malitia infinita, quia duratio eſt neceſſaria: bene tamẽ infertur bonitas vel malitia ex productione actus in primo inſtanti, quia in illo omnino libere producitur.

3. *Modus Vazquez.* Tertius modus dicendi eſt Vazquez hic diſp. 54. cap. 3. quòd illud tempus per quod neceſſariò durat actus, non eſt tempus determinatum, ſed indeterminatum; quocũque enim ſignato priùs poterat ceſſaſſe ab actu; in cõfuſo tamẽ nũquã potuit ceſſare, quando aliquod tempus non præceſsit. Sed certè hæc ſolutio nititur fundamento falſo, dequo iam ſuprà egimus, & oſtendimus qualiter actus Voluntatis poſsit durare tantùm per inſtans; quia

Impug.

pro

pro omni tempore & instanti durationis peccati mouetur peccator ad pœnitentiam, paratusque est Deus recipere conuersionem illius: quia aliàs pro aliquo tempore vel instanti esset viator extra statum salutis, contra decreta Conciliorum, & veram doctrinam sacræ Scripturæ. Nec valet solutio, hoc sibi debere imputare peccatorem, quia quacunque culpa supposita ex parte illius, ad huc pro quolibet tempore & instanti inclinatur ad pœnitentiam. Et ratio contra Greg. est manifesta, quia quamdiu durat indifferentia iudicij ex parte Intellectus, durat etiam libertas ex parte Voluntatis: sed non solùm in primo instanti, sed etiam inquocunque tempore sequenti, etiam indeterminato, durat indifferentia iudicij, quia non potest assignari à quo determinetur: ergo quocunque tempore ad huc manet indifferentia & libertas ex parte Voluntatis, simpliciter & absolutè loquendo: & si aliqua necessitas assignari potest, solùm est ex suppositione & in sensu composito. Et dato, sententiam Gregorij esse veram, non tamen soluit argumentum propositum de infinitate bonitatis vel malitiæ ex duratione secundùm quemcunque modum ex prædictis explicandi sententiam Gregorij; nam in primo modo explicandi, etiamsi duratio illius temporis breuissimi sit necessaria, desitio tamen in illo instanti extrinseco est libera; sed sic est, quòd in duratione vnius diei potest fieri incisio toties, vt illa instantia terminatiua breuissimi temporis sint penè infinita: ergo adhuc ex duratione in actu per vnum diem, poterit fieri argumentum, vt consurgat infinita malitia ex illis penè infinitis instantibus terminatiuis, in quibus liberè potuit cessare. In secundo etiam modo dicendi non soluitur argumentum, quia etiamsi necessario duret actus per aliquod tempus; nihilominus concedit, continuam intensionem vel remissionem esse liberam: ergo quòd continuetur vniformiter, liberum erit, & pro quolibet instanti continuationis correspondebit noua bonitas, & cùm instantia sint infinita, infinita bonitas resultabit. Eò vel maximè, quòd finito illo tempore necessariæ durationis, tempore sequenti iam duratio est libera, etiam secundùm prædictum modum: de quo quidem tempore currit argumentum de infinitate: ergo sicut ipsi tenentur soluere illud in illo tempore vlteriori, poterit etiam solui de tempore necessariæ durationis ab illis assignato. In tertio etiam modo dicendi non soluitur argumentum, quia si tempus necessariæ durationis est indeterminatum, & pro quolibet instanti determinato actus est liber, cùm possint assignari infinita instantia determinata, adhuc manet argumentum, quòd erit infinita bonitas vel malitia ratione determinatæ durationis liberæ.

Solutio.

Impug.

Tertia solutio est Suarez in relectione de reuiuiscentia meritorum, disputatione secunda, sectione tertia, numero 39. & sequentibus, dicentis, quòd de bonitate vel malitia actus possumus loqui dupliciter. Primò, quantum ad substantiam indeterminatè sumptam. Secundò determinatam & in tali gradu. Primam habet actus in primo instanti, quia tunc producitur, & sunt omnia requisita vt actus producatur vel malus sit indeterminatè; & hanc eandem bonitatem retinet pro quolibet instanti temporis subsequentis. Secundam autem bonitatem, nempe determinatam, & in certo gradu habet actus ratione durationis continuæ & successiuæ temporis sequentis post primum instans; nec est in aliquo instanti determinato illius temporis subsequentis ad primum instans, nisi solùm per continuationem: sicut in his quæ habent esse per motum, sunt quidem formaliter in tota successione motus, sed inmutatis esse continuatiuis motus, non habent esse formaliter, sed tantùm per continuationem: quapropter licèt bonitas quantum ad substantiam & indeterminata habeat esse in primo instanti per primum sui esse, dicendo, Nunc est bonitas, & immediate ante hoc non erat: in illo tamen instanti tantùm habet esse bonitas determinata extrinsecè per vltimum non esse, dicendo, Nunc non est determinata bonitas, sed immediatè post hoc erit, designando in confuso tempus post primum instans. Ex his ergo soluit Suarez argumẽtũ â principio de durationc, quòd cũ duratio sit finita, & partes determinatæ non communicantes sint finitæ, licèt partes

3. Solut. Soarez.

tes indeterminatæ cõmunicantes sint infinitæ, ideò duratio absolute est finita; quia desumitur ex partibus determinatis, & non debet mensurari expartibus indeterminatis. Similiter ergo bonitas ex duratione proueniens erit finita, quia non debet mensurari ex his quæ indeterminatè possunt assignari in duratione, sed ex his quæ determinatè designari possunt. *Impug.* Sed certè hæc solutio licèt exparte verum contineat, multa tamen admiscet falsa. In primis falsum est, quòd bonitas quantum ad substantiam primi instantis sit eadem in quocunque instanti temporis subsequentis; quia in quolibet instanti futuro est causa illius bonitatis, & omnia requisitum ad illam; ergo tali instanti correspondet pecculiaris bonitas ab ea quæ fuerat in primo instanti. *Solut.* Nec valet, dicere, quòd in illo secundo instanti tantùm conseruatur bonitas primi instantis; non (inquam) valet quia si tunc conseruatur; ergo iam habet aliquid durationis, quod nõ habebat in primo instanti, & non durationis vtcũque, sed libere & cõformis rectę rationi: ergo ratione huius aliquid habet bonitatis in instanti sequẽtis tẽporis, quod nõ habet in primo instãti initiatiuo. *Impug.* Itẽ patet hoc esse falsum, nam sequeretur, cæteris paribus, esse melius in illa duratione tẽporis habere actus multiplicatos, quàm vnum continuum: quod videtur falsum. Sequella verò probatur, nam secundùm istũ authorem bonitas substantialis omnino est eadem in primo & sequentibus instãtibus, si actus sit continuus: si autem multoties interrũpatur, quoties incipit, in primo instanti habet nouã bonitatẽ substantialẽ: ergo habet ampliorẽ, quã si fuisset cõtinuatio. *Solutio.* Nec valet responsio, quòd licèt per inceptionẽ noui actus sit de nouo bonitas, quæ nõ esset, si actus continuaretur: iste tamen excessus aliunde diminuitur, quia perditur illud quod haberet bonitatis per continuationẽ inter vnũ & alterũ actũ, in quo intermedio caret bonitate. *Impug.* Non (inquã) hoc valet respondere, quia ponamus casum, quòd instans primũ inceptionis secũdi actus, & primũ esse illius, sit terminus desitionis prioris actus, & primũ nõ esse illius, tũc enim nõ datur instãs in quo nõ habeat actũ, & careat bonitate illius: quia quãdo verificatur quòd nõ est vnus, iam verificatur quòd est alius, & ex alia parte est noua bonitas per inceptionẽ noui actus: ergo cæteris paribus, absolutè est melior actus interruptus, quàm continuatus. *Solut.* Nec valet etiam solutio, quòd in isto casu non est interruptio, quia prioris & posterioris actus est idem terminus communis, quia illud instans intermedium inceptiuum posterioris, est terminatiuum prioris. *Impug.* Non (inquam) hæc solutio valet, quia licèt illud instans sit commune tempore antecedenti & subsequenti, non tamen correspondet tali instanti aliquid commune vtrique actui duranti per illud tempus prius, & posterius ad illud instans; quod sufficit vt dicantur discontinuati actus; vt patet in motu canis descendentis & in via mortui, illi enim motus descensus discontinuantur; quia licèt assignetur in tempore consumpto illius motus vnum instans medium & commune ad tempus motus viui & ad tempus motus mortui: non tamẽ datur aliquid correspondẽs illi instãti, quod sit cõmune vtrique motui, & ideò est discretus talis motus. *Solutio.* Si respõdeatur cũ Suarez, cõcẽdẽdo cõsequentiã, nimirum quòd facta tali interruptione, est maior bonitas, quia ex eo quòd fiat interruptio, nõ sequitur distractio, vel minor libertas in operante, vt minuatur bonitas: immò ex maiori aduertentia & libertate potest vellе interrumpere, & sic bonitas erit maior: *Impug.* Contra arguitur, quia nos non inferimus incõueniens quod putat, quòd per interruptionẽ distrahatur & minuatur libertas, & ideò actus interruptus debeat esse minoris bonitatis: sic enim bene dicit ille, quòd interruptio potest fieri ex maiori aduertẽtia & libertate; & ratione huius actũ interruptũ esse meliorẽ: sed nostra vis argumẽti in eo consistit, quòd solũ ex vi interruptionis actus esset melior, etiãsi cætera omnia essent paria, vt aduertẽtia, libertas, &c. bene enim facta interruptione, posset iterũ redire ad iterũ producere in omnibus æqualẽ actũ cũ priori; & tũc fit nostrũ argumẽtũ esse maiorẽ bonitatẽ per interruptionẽ, cũ sit iã alia bonitas per inceptionẽ secũdi actus; & si fuisset cõtinuatio, solùm esset bonitas primi instantis, in quo primo incepit prior actus: hoc autẽ est falsum, quia cæteris paribus, interruptio potiùs alleuiat, cũ causet varietatẽ: cõtinuatio verò fatigat. *Solutio.* Si respondeatur, quòd etiam cęteris paribus, licet interruptio ęqualiter habeat facilitatẽ prædictam, ratione cuius bonitas potiùs diminuetur: tamẽ ex alia

parte

parte in interruptione surgit maior difficultas, ratione cuius bonitas augeatur: nimirum facta interruptione, debet iterũ de nouo inchoare, & deducere actũ ex nõ actu, quod non fit in continuatione, cũ sit prolongatio & cõseruatio actus iã existẽtis. Minor autem est difficultas actum existentem prolongare, quàm non existentẽ producere: maior enim vis & libertas requiritur ad transitum ex nõ actu ad actũ, quã ex actu ad prolõgationẽ actus; quia illa distantia est maior, quàm ista. Sed contra arguitur, quia illud esse actus, quod prę supponitur ad continuationẽ illius, nõest subiectũ aut terminus à quo, respectu vltterioris adueniẽtis per continuationẽ: ergo nihil iuuat ad sequentem actum continuatũ, magis quã si de nouo facta interruptione produceretur: quapropter dici solet, nõ requiri causam minoris virtutis ad cõseruandum, quàm ad producendum de nouo aliquam rẽ; quia quantũ est ex parte causæ conseruãtis, sic se habet influendo in effectum, ac si de nouo produceret illũ; & per accidẽs est ad talẽ influxum, quòd ex parte effectus esse productum iam supponatur. Si ergo ex vna parte tanta vis requiritur, & libertas ad continuandũ, sicut facta interruptione ad producendũ de nouo; & ex alia parte est peculiaris fatigatio in continuatione actus, non poterit, cæteris paribus, actus interruptus esse melior præcise ratione interruptionis, vt volebat Suarez. Secũdò etiã falsum est quod dicit Suarez, in primo instãti esse bonitatem actus secũdũ substãtiã, nõ tamẽ determinatã in aliquo gradu; sed talem determinationẽ habere ex duratione tẽporis subsequẽtis: Hoc enim impugnat primò, nã in illo primo instãti entitas actus est determinata, cũ omnes causæ entitatis tũc cõcurrãt ad illã producendã, & ponẽdã in rerum natura, & de entitate verificetur, quòd in illo instanti est; siquidẽ incipit per primũ sui esse: ergo eodem modo bonitas habetesse determinatũ in illo primo instanti. Patet consequentia, quia similiter concurrunt omnes causæ requisitæ ad ponendã bonitatẽ in re; & bonitas etiam incipit per primum sui esse in illo instanti, quia non datur tempore præcedere entitatẽ actus ad bonitatẽ illius, si adsint causę moralitatis actus, vt aduertẽtia & libertas: quæ vtique in illo primo instanti concurrunt. Necc valet solutiò, concurrere causas morales in illo instanti ad bonitatẽ moralem; & hoc probat argumentum, non autem ad bonitatem determinatam. Nõ (inquã) hoc valet, quia si causæ morales sufficiũt ponere in re bonitatem moralem actus in illo primo instanti, etiam sufficiunt ad ponendam bonitatatem determinatã, quia indeterminatum & vagum non existit in singulari & hic & nunc: si ergo ex causis moralibus in illo primo instanti ponitur bonitas in re & in singulari, & hic & nũc; cõsequenter ponitur determinata, & nõ vaga & indeterminata. Secũdò impugnatur. In illo primo instãti potest dari malitia determinata & in certo gradu: ergo si militer bonitas. Cõsequẽtia patet exparitate rationis. Antecedẽs verò probatur primò, quia malitia illius primi instãtis cognoscitur à Deo quãtæ pœnæ sit digna: ergo intelligit certũ gradũ talis malitię; culpa enim & pœna correlatiuè se habẽt. Secũdò probatur idẽ antecedẽs, nã supponamus, per posibile vel impossibile (vt nõ refugiatur à cõtrarijs) quòd illa malitia desineret esse per vltimũ sui esse in illo primo instãti, tũc verè illa malitia maneret punienda determinata pœna; nemo enim audebit dicere, illam manere impunibilẽ, & consequenter illa malitia erat determinata: ergo etiamsi duret per durationem temporis sequentis, non tollitur quòd in illo primo instanti habuerit malitiam determinatam. Eo vel maximè, quòd non apparet impossibile, ponere malitiã finibilem in instanti per vltimum sui esse: vt si, verbi gratia, sit præceptum obligans vsque ad instans B. & non vltra: & in illo instanti B. homo eliciat actum repugnantem adimpletioni talis præcepti, in illo instanti frangitur, & malitia tantùm est in illo instanti, & non vltra, loquendo de malitia actuali. Similiter in casu quòd quis baptizetur, & in instanti terminatiuo formæ homo eliciat actum mortalem impedientem effectum Sacramenti, tunc malitia actualis irreuerentiæ & repugnantiæ causalitatis Sacramenti, tantùm durat per illud instans, & non vltra.

Impug. Suarez. Impug. Solut. Impug.

Ommissis ergo his solutionibus, vera solutio & tenẽda, est, quòd tota bonitas actus correspõdet toti durationi, & pars bonitatis parti durationis; & si in infinitum assumãtur partes durationis, etiam in infinitum poterit assumi pars bonitatis correspondens cuilibet parti durationis: quia non est maior ratio de vna parte, quã de Concluſ.

de alia, vt pars bonitatis correspondeat vni parti durationis, & non alteri: & sicut partes durationis non sunt simul, sed successiuè; ita partes bonitatis correspõdẽtis durationi non sunt simul, sed successiuè, iuxta successionẽ partium durationis cui & respondent: quapropter sicut tota duratio est finita, verbi gratia, vnius horæ; ita & bonitas correspondens totiduratio-ni est finita: & similiter quia partes duratio nis in actu sunt finitæ, ita & partes bonita tis illis correspõdentes, sunt finitæ in actu: & similiter sicut partes durationis sunt infinitæ in potentia, ita & partes bonitatis sunt infinitę in potentia; quod non facit bonitatem esse infinitam: quia hoc non debet pensari ex hoc quòd est in potẽtia, sed ex hoc quòd est in actu: sicut & hac ratiõne duratio non est infinita, sed finita. Præ dicta autem comparatio non potest fieri ex parte bonitatis in ordine ad instantia continuatiua durationis, sicut fit ad partes etiam infinitas in potentia ipsius durationis; quia sicut quantitas duration is non correspondet instantibus, cùm ista sint in diuisibilia, duratio autem diuisibilis; sed solùm talia instantia sunt continuatiua durationis: in illis autem non est duratio nisi continuatiuè; ita in bonitate non correspondet aliqua bonitas durationis instãtibus ipsius durationis, sed solùm continuatio bonitatis. Itaq; nõ negamus correspondere bonitatẽ instãtibus durationis, quia instantia sint infinita; quia cũ tantùm sint infinita in potentia, non inferrent infinitã bonitatem, sicut nec infinitæ partes in potentia: sed ratione prædicta, quia instantia non sunt duratio, sed continuatio durationis, & sic illis nõ debet correspondere bonitas durationis, sed cõtinuatiuũ bonitatis

Obiectio. prouenientis à duratione. Et si cõtra facias argumẽtum, quia primo instãti initiatiuo durationis correspondet determinata bonitas durationis, vt probauimus cõtra Suarez: ergo similiter correspõdebit alijs instãtibus, quæ in duratione sequẽti possunt

Solutio. assignari; quia non videtur maior ratio vnius, quã alterius: Respõdetur, esse differẽtiã, quòd primũ instans est in particulari & in actu cognitum, & in illo peculiariter incipit libertas circa actum: & primũ instans non habet rationem præcisam continuatiui, sed vt quoddam totum, in quo absolutè homo hic & nunc se determinat ad operandum. Reliqua autem instãtia futura solùm habent rationem continuatiui & in confuso solùm cognita, nec peculiaris libertas in illis exercetur, sed solùm est continuatio libertatis; vnde ipsis non correspõdet peculiaris gradus bonitatis, sicut correspondet primo instanti. Et si contra facias argumẽtũ, nã ex hoc sequitur, quòd si in alijs instantibus sit peculiaris aduertẽtia, correspõdeat peculiaris bonitas: & sic sicut potest esse aduertẽtia in infinitis instãtibus, ita poterit esse & infinita bonitas: Respondetur, cõcedendo sequellã, quia tunc talia instãtia non se habent solũ vt continuatiua, sed vt quoddam totũ respectu peculiaris aduertentię: & licèt talis aduertentia possit esse in infinitis instanti bus, nũquàm bonitas erit infinita, nisi tãtũ inpotentia, vt dictum est de partibus durationis, quę in infinitum possunt designari. Et si cõtra arguas, quia tunc sequeretur, esse maiorẽ bonitatẽ, quando quis interrũpit actum, quàm si continuet ipsum; nam iam erit peculiaris aduertentia in alio instãti initiatiuo secundi actus, & cõsequenter peculiaris bonitas, quæ non esset, si cõtinuaretur; quia iam illud instãs initiatiuũ secundi actus tantùm maneret vt continuatiuum actus continuati; quod pro incõuenienti inferebamus contra Suarez: Respodetur, ita esse, quòd in interruptione est maior bonitas, sed nõ præcisè ex interruptione; nam hæc potiùs minueret, & continuatio adauget: & hoc inferebamus cõtra Suarez: sed vtique esset maior bonitas in casu interruptionis, quia ratione noui instãtis inceptiui secũdi actus, est noua aduertentia & peculiaris libertas, quæ nõ esset in cõtinuatione: & licèt cõtinuatio aliquam maiorem difficultatẽ habeat, & sic sit maior bonitas continuare, quàm interrũpere, loquẽdo de illis præcisè & secũdũ se; nihilominꝰ in interruptione ex alio capite est maior difficultas, ratione nouæ aduertẽtiæ & nouæ libertatis, quę tã intimè conducunt ad bonitatem moralẽ, vt suprà dictum est. Ad secundam partem secundi argumenti de intensione actus, respõdetur, etiam ex illa desumi bonitatem velmalitiam, tanquam ex circũstantia: quia licèt quis non experiatur intensionem in determinato gradu, experitur tamen illam absolutè, & videt se intensiùs vel remissiùs agere: & hoc sufficit vt sit voluntaria, & possit augere bonitatem vel malitiam. Ad illud autem, quòd multoties intensio prouenit ex causis naturalibus, respondetur, quòd licèt causæ multoties

Obiectio.

Solutio.

Obiectio.

Solutio.

sint

sint omnino naturales quoad substantiã; nihilominus quoad vsum & exercitium sunt liberæ; & hoc sufficit ad bonitatem vel malitiam. Si autem etiam quoad exercitium essent omnino naturales, concedimus, quòd tunc non augerent bonitatem vel malitiam. Ad aliud verò, quòd si intẽsiõ tribuit peculiarem bonitatem vel malitiam, sequeretur; quòd quantumcunque multiplicarentur actus, vt tria nunquàm peruenirent ad valorem actus vt sex: Respõdetur, quòd illi actus possunt considerari dupliciter; vel in esse physico, vel in esse morali. Physicè quidem nũquàm adæquat actus vt tria, quantumcunque multiplicatus cum actu vt sex; bene tamen moraliter adæquare, immò excedere potest, vt moneta ærea quantumcunque multiplicata non adæquat monetam paruam auream, physicè loquẽdo; moraliter tamẽ & in esse pretij potest excedere. Ad tertiã partem secundi argumenti de quantitate ex parte obiecti, respondetur, quòd vt quantitas obiecti augeat, non debet sumi præcisè materialiter & entitatiué, sed formaliter vt cognita & volita: quando ergo quis velet dare in eleemosynam infinitos aureos, vel infinitis pauperibus, licèt videatur obiectum materialiter infinitum, formaliter tamen in ratione obiecti est finita secundùm intellectionem & volitionem. Licèt enim dicat se vele dare infinitos, est per modũ exaggerationis, nam nũquàm vult dare nisi quod apprehendit, & hoc semper in actu est infinitum & nimis confusum, quatenus vult quasi inuoluere infinitatem. Quapropter, vt bene notauit Angestus. 8. Moral. in explicatione particulæ textus quæ incipit, Circunstantia materiæ, &c. concluſ. 2. bene potest contingere, vt melior sit actus tendens in minorem quantitatem obiecti, quàm qui tendit in maiorem; etiam loquendo de bonitate quantitatis obiecti; vt si verbi gratia quis determinatè & in particulari velit dare mille aureos pauperibus, & alius in confuso velit dare decem milliones aureos; certè prior actus esset melior, quia illa quantitas vt in particulari volita & cognita formaliter & in ratione obiecti; est maior quàm sit quantitas secundi obiecti: quapropter ex eo quòd quantitas augeat bonitatem, non sequitur, vt volebat Vazquez disp. 76. num. 14. quòd qualiter duplicatr quaun titas, debeat duplicari bonitas vel malitia; sed hoc tantùm sequitur, cæteris paribus; posita enim duplicatione quantitatis cum æquali voluntario & aduertentia, tunc duplicabitur bonitas; quod non contingit in casu argumenti; nam perditur aduertentia ad quantitatem, quando dicit se velle dare infinitos aureos, & sic ex hac parte minuitur bonitas. Verum est tamen, quòd iste actus semper habet aliqualem infinitatem ex parte infiniti quod intendit: hæc tamen est secundùm quid, nam absolutè actus circa quantitatem finitem potest esse maior, vt diximus. Verum est etiam, quòd quando ex parte obiecti inuoluitur illa infinitas quantitatis, licet in confuso cognita & volita; tamen tenetur quis illam explicare in confessione, quia ex illa manifestatur maximus affectus & proclinitas ad malitiam illius obiecti; vt si quis vno actu velit occidere infinitos homines, non satisfacit, si dicat se voluisse occidere multos, sed tenetur dicere se voluisse occidere infinitos, vt ex hoc maximus affectus homicidæ ostendatur.

DVBIVM II.

Vtrùm actus non solùm exterior, sed etiam interior voluntatis possit habere bonitatem vel malitiã ex circanstantijs.

PRobatur quòd non. Primò ex Diuo Thom. supra art. 6. & q. sequenti. ar. 2. dicente, circunstantiã finis operantis non esse circunstantiam actus interioris, sed tantùm exterioris, quia respectu actus interioris (inquit D. Thom.) transit in rationem obiecti, quod quidem iam nõ est esse circunstãtiam, sed pertinere ad essentialem bonitatem vel malitiam, quæ quidem ex obiecto desumitur. Confirmatur, nam quælibet circunstantia vel est volita vel non. Si non est volita, nullo modo auget bonitatem vel malitiam; siquidem voluntarium, vt diximus, est fundamentum totius moralitatis. Si autem circunstãtia sit volita, iam fit obiectum volitionis qua est volita, & consequenter non tribuit bonitatem vel malitiam accidentalẽ, sed essentialẽ, quia obiectum

1. Argu.

Confirm.

ctum tribuit speciem essentialem, vt suprà diximus.

2. *Argu.* Secundò arguitur etiam ratione D. Thom. quæst. sequenti art. 2. actus interior est principium actuum humanorum, quia nullus actus est humanus, nisi voluntarius: ergo bonitas vel malitia quæ in actu interiori, tantùm potest esse essentialis, & nulla poterit esse accidentalis. Patet consequentia, quia quod est tale per participationem, debet reduci ad illud quod est per se tale, & illud quod est per se tale, non potest in aliud reduci, quia esset processus in infinitum. Si ergo alij actus humani, vt tales, per accidés reducuntur secundùm bonitatem vel malitiam ad actum interiorem, actus interior erit bonus vel malus malitia vel bonitate per se, & non per accidens: nam si aliquã haberet per accidens, ad aliam priorè per se deberet reduci, & sic in infinitum: ergo tandem deuenitur vt ad principium actuum humanorum ad actum interiorem, qui solum habeat bonitatem vel malitiam essentiale ex obiecto, & nullo modo accidentalem ex circunstantijs.

Solut. Conrad. Durand. Gabriel. Martinus In hac re propter argumenta posita Conradus hic, & quæst. sequenti. art. 2. Durandus in 2. dist. 38. quæst. 1. num. 8. & Gabriel in 2 dist. 41. quæst. 1. artic. 2. conclus. & Martinus de Magistris q. 2 de luxuria, tenent, actum exteriorem habere bonitatem vel malitiam accidentalem ex circunstantijs, non autem actum interiorem, sed respectu illius quælibet bonitas vel malitia est essentialis & ex parte obiecti.

Concl. Conclusio tamen sit, omnem actum moralem, siue exteriorem, siue interiorem voluntatis, habere bonitatem vel malitiam accidentalem ex circunstantia: nec aliquis actus dari potest, qui prædictam bonitatem vel malitiam non habeat. *D. Tho.* Hæc conclusio est D. Thom. q. 2. de malo. art. 5 in corp. & probatur clarè ratione ipsius D. Thom. in præsenti, nam implicat, dari substantiam creatam sine accidentibus, sola perfectione essentiali & specifica: ergo etiam implicat, dari actum moralem præcisè secundùm bonitatem vel malitiam specificam & essentialem absque omni circunstantia. Consequentia patet, nam circunstantiæ, vt diximus, sunt accidentia moralia. Antecedens verò probatur, nam ad minus quælibet substantia, vt sit in rerum natura, debet existere; existentia autem extra essentiam est. Item debet habere potentias & alia accidentia, vt sit bona, quia, vt dixit Boetius lib. an omne quod est, sit bonũ, *Boet.* circa medium; in rebus aliud est quòd sint bonæ, & aliud quòd sint, quia, vt dixit D. Thom. 1. p. quæst. 5. art. 1. ad 1. bo- *D. Thom.* num & perfectum sunt idem: perfectum autem importat vltimum actum, vnde ad esse perfectum, non sufficit sola essentia, quæ quidem est actus primus: Consequenter ergo ad esse bonum amplius requiritur, quàm essentia; & quod vltra essentiam est, accidens est. Secundò probatur conclusio, nam implicat, dari actum interiorem vel exteriorem moralem sine duratione & intensione; ad minus ergo implicat, dari actum etiam interiorem sine circunstantijs. Antecedens patet, cõsequentia verò probatur, nam intensio & duratio circunstantiæ sunt, vt suprà diximus, & infrà dicetur. Tertiò probatur. Implicat dari etiam actum interiorem in individuo indifferentem, vt suprà diximus: ergo etiam implicat dari in individuo sine circunstantijs. Patet consequentia, nam actus indifferens ex sua specie, fit in individuo bonus vel malus ex circunstantijs: ergo si implicat manere indifferentem in individuo, etiam implicabit dari sine circunstantijs. *Solutio.* Si respondeatur, quòd respectu actus interioris quælibet circunstantia cùm sit volita per talem actum fit obiectum illius, & consequẽter respectu eius iam non manet circunstantia, sed tribuens bonitatem essentialem, quia hæc ex obiecto desumitur. *Impugn.* Contra tamen arguitur primò, & amplius probatur conclusio; nam si intensio, verbi gratia, quæ est circunstantia actus humani, trãsiret in rationẽ obiecti respectu actus interioris, sequeretur, quòd actus Charitatis intensus vt quatuor, & alius intensus vt sex, different specie, & sic ponendæ essent diuersæ virtutes, à quibus procederent; quod vtique est falsum. Sequela verò probatur, nam actus habentes diuersa obiecta, sunt diuersæ speciei & à diuersis virtutibus: si ergo intẽsio fit, obiectũ respectu actus interioris vbi est intẽsio vt quatuor & vt sex, est diuersum obiectũ, & sic illi actus ex obiecto essent diuersi speciei: itaq; licèt intensio vel remissio sicut & parum & magnum, sint accidentia, nihilominus si ponantur vt obiectũ diuersorum actuum, illi actus erunt

diuer-

diuersæ speciei; hac enim ratione distinguuntur magnificẽtia & magnanimitas, quatenus respiciunt vt obiectum parũ & magnũ in pecunia, licèt pecunia sit eiusdẽ speciei: quia parũ & magnũ sumpta formaliter & in ratione obiectorũ, distinguũtur specie. Similiter in calefactione, gradus caloris vt quatuor & vt sex, absolutè in ratione caloris sũt eiusdẽ speciei; si autẽ sumantur formaliter in ratione intensi & remissi, quatenus terminãt vt sic diuersos motus, diuersificantur specie, sicut & motus terminati ad ipsos. Idẽ ergo fiet in præsenti, quòd si intensio & remissio habet rationẽ obiecti respectu actus interioris, actus erũt diuersi specie, sicut & obiecta formaliter in ratione intensi & remissi. Secundò arguitur contra solutionẽ, nam aliàs Angelus peccasset actu malo ex obiecto, quod est contra D. Thom. actus enim Angeli qui priùs fuit bonus, postea effect⁹ est malus ex praua ordinatione finis: obiectũ enim illi⁹ actus qui erat dilectio sui, bonũ erat: quia tamẽ hanc volitionẽ ordinauit ad se ipsum vt ad finem, effecta est mala. Sequella verò probatur, nam Angelus peccauit ex nimio amore sui, tanquàm vltimi finis: ergo si hæc nimietas transit in obiectum, iam actus est malus ex obiecto. Tertiò arguitur contra eandem solutionem, nam sequeretur etiam hominem non posse cõtinuare actum Charitatis vt duo vsque ad quatuor; quod est falsũ. Sequella probatur, nam illa intensio si transit in obiectum actus interioris, eo ipso quòd fiat intensio, mutatur obiectum, & consequenter mutatur & actus.

Impugn. 2.

Impug. 3.

Ad 1. arg. Ad primum à principio respõdetur, q̃ D. Tho. loquitur de actu intentionis, quẽ supra diximus proprie appellari interiorẽ, & respectu illius, vt iam dixim⁹, finis non est circunstantia, sed obiectũ à quo specificatur; manet tamẽ talis finis vt circunstãtia aliorũ actuum Volũtatis, qui sint imperati, & habeant rationẽ electionis, & ipse actus intentionis licèt hãc circunstantiam non habeat, habet tamen alias: vnde nullus actus interior sumptus in tota latitudine interioris, siue pro intẽtione, siue pro electione, potest dari sine circunstantijs. Ad cõfirmationem respõdetur, quòd dupliciter potest aliquid esse volitum; vel primariò, & per se; vel etiã secundariò; quod aliter dicitur, quòd aliquid potest esse volitum, vel directè, vel indirectè. Vt aliquid tribuat bonitatem vel malitiã, abstrahendo à substãtiali vel accidentali, sufficit esse volitũ aliquo istorũ modorũ: vt autẽ tribuat bonitatem essentialẽ, debet esse volitũ directè & per se primò. Circunstantiæ ergo sunt volitæ per actum interiorẽ, secundariò tamen & indirectè: vnde non transeunt in rationẽ obiecti requirentis esse volitũ primariũ. Quapropter licèt sufficiat tribuere bonitatem vel malitiam accidentalem actui interiori; non tamen bonitatem vel malitiam essentialem.

Ad confir.

Ad secundum argumẽtum respondetur, quòd actus interior qui est intentio, est principium actuũ humanorũ, & ideò bonitas vel malitia aliorum actuũ ad intentionem reducitur, tanquàm ad per se tale, & ipsa intentio secundùm bonitatem vel malitiam non reducitur ad actũ priorem; nam sic esset processus in infinitum: nihilominus in ipso actu intẽtionis potest distingui duplex bonitas vel malitia, alia accidentalis ex secundariò & indirectè volito, alia verò essentialis ex primariò & directè volito; & illa bonitas vel malitia accidentalis & per accidens reducitur ad bonitatem vel malitiam essentialem ipsius actus intentionis, tanquàm in illud quod est per accidẽs tale, ad id quod est per se tale in eodem actu.

Ad 2. arg.

DVBIVM III.

Vtrùm aliquid possit esse circũstãtia actus exterioris & nõ interioris.

IN hac re est prima sententia Medinæ hic, & quæst. sequenti & pro illa refertur Soto, quòd quidquid est circunstãtia actus exterioris, necessariò est etiã circũstantia respectu actus interioris, & quidquid est specificatiuum vnius, est etiam specificatiuum alterius. Hæc sententia probatur primò, nam vt docet D. Thom. q. sequenti. art. 1. actus exterior & interior est idem actus moralis, eadẽque bonitas vel malitia vtriusque: ergo quidquid est circunstãtia vnius, est etiam circunstantia alterius. Secundo probatur. Actus exterior non habet circunstantiã, nisi quaten⁹ stat sub interiori: ergo quod accidit ei, est vt stat sub interiori, & consequenter quod est circunstãtia eius, erit etiã circunstantia interioris. Antecedẽs

1. Sent. Medina.

patet,nam actus exterior, non est humanus,neque volũtarius, nisi quatenus stat sub interiori.Tertiò probatur. Quando quis vult furari propter mœchiã,volitio furti essẽtialiter est electio:ergo specificatur à furto.Cõsequẽtia patet ex supra dictis.q.12. & 13. Tunc vltra:ergo finis mœchiæ manet etiã extra specificatiuũ, & consequenter erit circunstantia & accidens talis actus,etiam interioris. Quartò probatur.Actus interior potest manere idem specie etiam moris, ablata etiam circunstantia finis: ergo illa non specificat,sed est accidens: istud enim est quod potest addesse & abesse præter subiecti corruptionem.Antecedens verò probatur in casu quòd Petrus habeat intentionem occidendi hominem dum est in Ecclesia, & talem intentionem continuet extra Ecclesiam; ille actus est vnus numero, etiam ablata circunstantia loci sacri: ergo similiter de quocumque fine, nam de alijs circunstantijs certum est posse conuenire actui interiori, sicut & exteriori: eadem enim voluntas occidendi hominem potest esse intensa & remissa,&c.

2.Sent: Caiet. Secunda sententia est Caiet.hic art.6. qui de circunstantia finis docet,esse quidem circunstantiam actus exterioris,nõ tamen actus interioris,sed obiectum specificatiuum illius.

Not.1. Pro solutione notãdum primô,quòd, vt suprà docuit D.Thom.art.6.actus humanus componitur ex interiori & exteriori,sicut ex materia & forma,exterior enim habet se vt materiale, interior autẽ vt formale : quapropter sicut homini composito ex materia & anima rationali aliquid conuenit ratione formæ,& nõ ratione materiæ, videlicet esse intellectualem,& etiam aliquid conuenit ei ratione materiæ & nõ ratione formæ, videlicet esse corruptibilẽ; ita similiter actui humano aliquid competit ratione actus interioris habentis rationem formæ,videlicet esse intensum aut remissum; aliud verò competit ei ratione actus exterioris habentis rationem materiæ, videlicet mensurari loco & tempore. Et quidem quãdo D.Thom.distinguit inter actum exteriorem & interiorem, non ita se cernit actum exteriorem ab interiori;vt nullam habitudinem dicat ad illum;sic enim actus exterior nõ esset humanus nec voluntarius,sed sicut anima rationalis dicit intrinsecam habitudinem ad corpus organicum, & istud dicit intrinsecam habitudinem ad animam; ita actus exterior dicit intrinsecam habitudinem ad interiorem,tanquam materia adformam,& etiã tanquâm ad efficientem, & etiam tanquâm ad signatum; effectus enim signũ est suæ causæ;& actus exterior interioris est effectu,si iuxta illud Matth.7.A fructibus eorum cognoscetis eos.

Secundô notandum,quòd cùm omnis causa simplicior & perfectior sit quàm effectus, quia causa efficiens & formalis agit in quantum est in actu; inde fit consequens,quòd ab eadem virtute simplicissima possunt procedere effectus diuersi, etiam specie distincti : aliquando quidem subordinati, aliquando verò non;vt ab vnica virtute Solis procedunt diuersæ plantæ & diuersa animalia specie distincta; & ab eadem anima procedit Intellectus & voluntas, quæ specie differunt in ratione potentiæ, cum subordinatione inter se, & aliæ potentiæ procedunt nullam habentes inter se subordinationem,vt Visus,Auditus.Sic ergo in præsenti cùm actus interior sit causa efficiens & exemplaris exterioris, contingit multoties, vt actus exterior non possit explicare totam virtutem interioris actus propter maximam & ingentem plenitudinem eius;vnde est necessarium, vt sint duo vel plures actus externi,etiam specie distincti, ad explicandam totam virtutem interioris; sicut multi effectus specie diuersi requiruntur ad explicandam virtutem Solis : & hoc quidem contingit(verbi gratia)quãdo quis vult ieiunare propter studium, tunc actus exterior ieiunij & si fiat propter studiũ,non tamen explicat totam virtutem actus interni, sed est necessarius alius actus exterior specie distinctus,nẽpe studium, vt adæquatè explicetur tota virtus actus interioris. Immò aliquando ratio formalis actus interioris non est totaliter explicabilis per quemcunque actum exteriorem: Verbi gratia, si quis vult pati martyriũ propter Deũ summè dilectum; vbi ratio formalis actus exterioris est diuina bonitas:quando ille talis, postea de facto patitur martyrium propter Dei amorem, non explicatur in illo actu exteriori absolutè tota bonitas quã actus interior habebat ex obiecto, nempe ex diuina bonitate,quæ exterioribus

Nota.2.

sensi-

sensibus inexplicabilis est, cùm illis non subdatur. Doctrina huius notabilis videtur esse D.Thom.q.sequenti.art.2.& q. 20.art.3.

Not.3. Tertiò notandũ, quòd voluntas dupliciter potest se habere circa circunstãtias. Primò, vt alio actu velit obiectum cui adiungitur circunstantia, & alio actu velit ipsam circunstantiam; vt si vno actu vult furtum, & alio actu ordinet furtum ad mœchiam. Secundo modo se potest habere voluntas, ita vt vnico & eodem actu velit furari propter mœchiam, vel furari in loco sacro. Et rursus etiam quando vnico actu fertur in vtrumque, dupliciter potest ferri, vt suprà diximus. Primò per modum intentionis, ita vt in recto attingat mœchiam vt finẽ, & in obliquo furtum vt medium. Secundo modo potest ferri per modum electionis, ita vt in recto attingat furtum vt medium, & in obliquo mœchiam vt finem.

Not.4. Quartò notandum, quod hoc dubium mouetur propter circunstantiam finis, nam de alijs certum est etiam actui interiori posse conuenire: de fine autem, qui circunstantia est actus exterioris, vt docet Aristot.3. Ethic.cap.2.& D.Tho. suprà, quæst.7.art.1.dubitatur, si eodem modo sit etiam circunstantia actus interioris.

1.Conclu. Prima conclusio. Quando voluntas diuersis actibus fertur in obiectum & in circunstantiam finis adiunctam obiecto, tunc finis volitus per secundum actum, verè est circunstantia & accidens actus prioris, qui est circa obiectum. Hæc conclusio est Caietani loco citato, & patet ex supradictis in hac quæstione, vbi ostendimus, quòd quando voluntas diuersis actibus fertur in obiectum & in finem; tunc primus actus specificatur ab obiecto, & non â fine, & consequenter bonitas vel malitia ex fine est accidẽtalis tali actui: & hoc probant argumẽta facta à principio: immò est expressa D. Thom.q.1.de malo,art.4.ad 2.dicentis, quòd licèt diligere Deum, sit actus bonus ex se, si per alium actum referatur in prauum finem, totus redditur malus, in quibus verbis insinuat, malitiam finis esse accidentalem: in eo enim quod dicit, priorem actum ex se esse bonum, dicit, bonitatem esse essentialem ex obiecto: maliam autem superuenientem â fine, esse extrinsecam & accidentalem. Idem docet q.sequenti,art.2.ad 1.dicens, quòd in actibus voluntatis aliquando vnus actus pendet ab alio, & finis vnius pendet à fine alterius, in quo insinuat, vnum esse imperatum ab alio, & consequenter (vt suprà docuimus) bonitatem vel malitiam finis imperantis conuenire accidentaliter imperato; nam imperato extrinsecum est imperans, licèt ei communicet accidentaliter suam bonitatem vel malitiam, secundùm D.Tho.suprà, quæst.17.ar.4. Et ratione probatur. Primò, nam actus Charitatis potest habere bonitatem pœnitentiæ, vt finis ad quem ordinatur: ergo actus interior, qualis est Charitatis potest habere, circunstantiã finis, qualis est pœnitentia. Antecedens verò probatur, quia ille actus charitatis verè est satisfactorius ordinatus in finẽ pœnitentiæ: ergo habet bonitatẽ pœnitentiæ. Secundò probatur. Quicumque actus voluntatis semel elicitus potest imperari à virtute vel vitio quantum ad continuationem, &c. Sed talis bonitas vel malitia proueniens à virtute vel vitio imperantis, est accidentalis actui iam existenti & imperato; ergo talis actus interior habet circunstantiã finis. Minor patet, nam præexistenti quidquid aduenit non est essentia, sed accidens. Maior verò probatur experientia, & est manifesta in actu Angeli, qui cùm à principio fuisset bonus, in continuatione effectus est malus; & multoties volitionem furãdi quam quis prius ordinabat in mœchiam, postea desistendo ab hoc fine, ordinat ad vanam gloriam, vt optimè docet Medina quæst. sequenti artic.1.& 3.& Caiet.ibidem. Et ex hac conclusione habet verum illud Augustin. in regula, quòd superbia etiam bonis operibus insidiatur vt pereant, quatenus actui præexistenti bono potest aduenire de nouo, tanquàm accidentalis, malitia finis superbiæ: quod latè prosequitur D.Ambros.epist.84. Vltimò probatur. Quando voluntas altero actu fertur in furtum, & altero fertur in mœchiam; tunc prior actus volendi furtum, adæquatè explicatur per actum exteriorem furti, & adæquate se habent in bonitate vel malitia, tanquàm omnino idem actus in esse moris: sed respectu actus exterioris furti omnino est circunstantia & accidens finis mœchiæ: ergo similiter respectu actus interioris adæquatè correspondentis actui exteriori. *Augustin.*

2. *Concl.* Secunda cõclusio. Quando voluntas eodẽ actu fertur in obiectum & finẽ, tũc si tendat per modũ electionis, respiciens in recto obiectũ, quod habet rationẽ medij, & in obliquo respiciat finẽ; tunc etiã finis habet rationẽ circunstãtiæ, & bonitas finis est accidentalis tali actui interiori: si autẽ talis actus interior sit per modũ intentionis, & in recto respiciat finem, in obliquo autem obiectũ proximũ quod habet rationẽ medij; tunc finis nõ est circunstantia, sed tranfit in obiectũ illius actus interioris. Hæc conclusio patet etiã ex dictis suprà in hac quęstione, vbi ostẽdimus, in primo actu speciem essentialẽ desumi ab obiecto, & accidentalẽ à fine: in secundo verò actu speciem essentialẽ desumi à fine speciẽ verò ex obiecto habere se materialiter. De quo videatur suprà, art. 6. & sic intelligenda est sententia Caietani, & vbicunque D. Tho. dicit, q̃ finis & si accidat actui exteriori, non tamen actui interiori, quia respectu istius finis habet rationẽ obiecti: nomine enim actus interioris intelligitur intẽtio, respectu cuius electio, licẽt sit actus elicitus voluntatis, solet appellari exterior, vt suprà diximus. Et ratione próbatur. Primò, nã si aliqua ratione quod est accidẽs actꝰ exterioris, deberet etiam esse accidens actus interioris, maximẽ quia actus interior & exterior sunt idẽ in esse moris. Sed licẽt hæc ratio concludat, quando actus interior & exterior adæquantur; non tamen quando interior super excedit, & vltra se extendit quàm exterior, vt diximus in secundo notabili: ergo licèt finis qui est circunstantia actus exterioris, sit etiã circunstantia actus interioris adæquantis cũ exteriori, & prout solùm terminatur in recto ad obiectum proximũ, quod erat etiam obiectum actus exterioris; nõ tamen erit circunstantia actus interioris excedentis actum exteriorem, & attingentis per modum intentionis in recto finem, quem actus exterior in recto non attingebat: in quo sensu intelligẽdus est D. Tho. art. 1. cùm dicit, quód bonum & malũ sunt per se differentiæ actus Volũtatis: cùm enim cõtingat multoties, quòd actus voluntatis sit malus ex circunstantia finis, vt cùm quis vult dare eleemosynam propter vanam gloriam: ergo tunc finis debet specificare, secundùm D. Thom. quapropter suprà art. 5. ad 4. docuit, quòd quandocunque circunstantia transmutat actum de bono in malum, tunc circunstantia sumitur vt differentia essentialis obiecti; in isto autem casu finis transmutat actum interiorem de bono in malum. Vltimò probatur conclusio, nam, vt asserũt authores oppositę sententiæ, species ex fine respectu actus prędicti in cõclusione, est formalior & principalior: ergo est essentialis. Patet consequentia, nam actus exterior non dicitur habere formaliorem & principaliorem speciem ex fine, quia respectu illius semper finis est circunstantia: ergo si respectu actus interioris prædicti, species ex fine dicitur formalior & principalior, ideò erit, quia respectu illius actus finis non est circunstantia, sed obiectum; quia D. Tho. supra art. 6. & 2. principalem perfectionem & bonitatem actus semper dicit sumi ex obiecto, & nunquàm dicit sumi ex circunstantijs.

Ex dictis sequitur, vtramque sententiam positam à principio ex parte habere verum. Prima enim probat clarè, esse actus interiores, respectu quorum etiam finis sit circunstantia. Secunda autem sententia manifestè ostendit, dari etiam actum interiorem, respectu cuius finis non sit circunstantia, sed obiectum. Quatenus autem argumenta primæ sententiæ intendunt probare, finem esse circunstantiam respectu cuiuscunque actus interioris, oportet respondere ad illa. *Corol.*

Ad primum argumentum respondetur, quòd licèt actus humanus componatur ex interiori & exteriori; tamen aliquid potest competere vni, quod non alteri; quando videlicet actus exterior non adæquat cum interiori; tunc enim licèt nulla sit bonitas vel malitia in actu exteriori, quę nõ sit in interiori, potest tamẽ aliqua esse in interiori, quæ non sit in exteriori, propter excessum interioris, vt diximus: de quo D. Tho infra quæst. 20. art. 3. *Ad 1. arg.*

Ad secundum argumentum respondetur, quod si actus exterior præcisẽ, vt stat sub interiori, & interior præcise, vt actuat exteriorem; hoc est, si considerentur secundùm adæquationem vtriusque: tunc eadem est bonitas & obiectum vnius & alterius: si autem interior superexcedat, potest se extendere & attingere vt obiectum, quod respectu actus exterioris erat circunstantia. *Ad 2. arg.*

Ad ter-

Ad 3.arg. Ad tertium respondetur, quòd si ille actus volẽdi furtum propter mœchiam, sit per modum electionis, conceditur, respicere finem vt circunstantiam, & tantúm essentialiter specificari ab obiecto: si autem sit per modum intẽtionis, iam diximus quod specificatur â fine, & respicere illum vt obiectum.

Ad 4 arg. Ad quartum respondetur, quòd ille actus potest manere idem entitatiuè & materialiter: formaliter autem sunt duo actus specie differentes propter mutationem circunstantiæ, vt dici solet de notitia intuitiua & abstractiua. Vel clariùs respondetur iuxta dicta, quòd si ille act⁹ respiciat illam circunstantiam vt obiectũ, & per modum intentionis, licèt videatur eadem volitio, in re tamen est diuersa & diuersæ speciei; quia obiectum est diuersum formaliter sumptum; vt phantasma Petri & phantasma Pauli distinguuntur specie, vt docet Caiet. 3. p. quæst. 35. art. 5. ad secundam solutionem primi dubij; quia licèt Petrus & Paulus sint eiusdem speciei materialiter, formaliter tamen vb obiecta phantasmatum specie distinguuntur, quatenus vnum phantasma repræsentat aliquid quod aliud non repræsentat. Ita dicendum est de actibus voluntatis prædictis, distingui specie, si per vnum sit volita vt obiectum circunstantia, quæ non est sic volita per alium actum.

DVBIVM IIII.

Vtrùm circunstantia debeat esse volita, vt conferat bonitatem vel malitiam actui humano.

1. Arg. PRobatur quòd non. Nam circunstantia Quis, quæ est qualitas personæ, auget bonitatem vel malitiam; & tamen nõ semper est volita: ergo. Probatur minor, quia nullus scit, vtrùm sit in gratia, vel non; & consequenter talis circunstantia in ipso actu non potest esse volita; quia nihil est volitum, quod non sit prę-cognitum.

2. Arg. Secundò arguitur, nam etiam intensio & duratio sunt circunstantiæ dantes bonitatem vel malitiam, vt suprà diximus; & nihilominus nõ semper sunt volitæ, quia nec cognitæ; cùm non semper possit quis aduertere ad intensionem vel durationem; immò si aduerteret, nõ tanta esset intensio vel duratio, quia ipsa attentione distraheretur.

Propter hæc argumenta sunt aliqui asserentes, quòd circunstantia Quis, & qualitas personæ, vt quòd sit in gratia, conducit ad meritum, nõ autem ad bonitatem maiorem actus; quia meritũ respicit qualitatem actus quam habet ex gratia, etiam ignota: bonitas autem est quæ bonum facit habentẽ, & quia non potest effici bonus moraliter, nisi voluntariè ideò nec maior bonitas esse potest sine nouo voluntario: & hoc esse nõ potest sine cognitione & aduertẽtia, quæ non potest esse in casibus argumenti. Sed certè hæc differentia falsa est; sicut enim requiritur voluntariũ ad bonitatẽ moralẽ, ita & ad meritũ; quia naturalibus nec meremur nec demeremur; vnde de vtroq; manet explicandum, qualiter ex prædictis circunstãtijs augeatur bonitas, & consequenter meritum, si tales circunstantiæ non sunt cognitæ, quia consequenter videtur nec esse volitionem.

Not. Pro intelligentia notandũ, quòd aliquid potest esse volitum tripliciter. Primò, vt principium actus voluntarij; eo enim ipso quòd actus est volũtarius, sine alio nouo actu, est voluntariũ & principium talis actus. Secundo modo est volũtarius ipsemet actus per modũ actus sine alio actu, sed per se ipsum; nam aliàs esset processus in infinitum; nam si alius actus etiam esset voluntarius, deberet esse per alium, &c. Tertio modo est aliquid volũtarium per modum obiecti terminantis actum voluntatis; qua ratione potest esse voluntarium non solùm obiectum ad extra, sed & ipse actus & principiũ eius, si per reflexionem per alium actum quis tendat in illa. Et adhuc esse volitum per modum obiecti, stat dupliciter. Primò primariò: Secundò secundariò, vt quid cõtentũ vel annexum obiecto primario.

Concl. Cõclusio ergo sit, quòd omnis in vniuersum circunstantia, vt tribuat bonitatem vel malitiam, debet esse volita aliquo istorum modorum. Quod vnica ratione probatur ex supradictis, nam moralitas supponit libertatem: ergo impossibile est quòd circunstantia tribuat bonitatem vel malitiam moralem, si talis circunstantia non sit volita, siue primariò, siue secundariò, siue implicitè,

siue explicite; siue directè, siue indirectè, siue formaliter, siue virtualiter & interpretatiuè: suprà enim q. 6. diximus, quocunque istorum modorum sufficere aliquid esse volitũ vt imputetur. In particulari autem explicatur modò, qualiter omnes circunstantiæ tribuentes bonitatẽ, sint volitæ. Circunstãtia enim Quid, quæ significat quantitatẽ vel qualitatẽ obiecti: Similiter locus & tempus, vt dicit opportunitatem actus; & similiter finis operantis, sunt volita per modum obiecti, saltem secundarij. Similiter & circunstantia Quis, potest prædicto modo esse volita, quando dignitas personæ inuoluitur ex parte obiecti, quatenus conducit ad ipsum opus quod fit quasi per reflexionem supra ipsam qualitatem personæ; verbi gratia, si Rex & rusticus debeant mercenario decem, & vterque soluat; solutio vtriusque est æqualis, & qualitas personæ Regiæ nihil auget bonitatis, quia talis qualitas personæ non inuoluitur quasi per reflexionem ex parte obiecti talis actus: bene autem considerando actum in ratione meriti ad Deum, habet inæqualitatem ex inæqualitate personæ per gratiam conducentis ad rationem meriti, quia ipsa dignitas personæ inuoluitur ex parte obiecti actus meritorij, quatenus per actum meritorium etiã se ipsum refert operans in Deum: vnde magis meritorium est ieiunium Regis, quàm rustici, & opus factum ex maiori gratia; quia qui in gratia operatur, etiam in tali opere, saltem virtualiter & interpretatiuè, refert se ipsum in Deum; vnde talis dignitas personæ est volita ex parte obiecti secũdarij; nam licèt obiectũ principale debeat esse præuisum & intentũ; nõ tamen conditio vel circunstãtia obiectiua, quæ solum addit bonitatem accidẽtalem. Et si contradicas, nam in actu coniugali facto ex delectatione est etiam volitus effectus principalis, saltem implicitè; & nihilominus non auget bonitatem illius actus; nam talis nõ est bonus, sed malus: ergo nõ sufficit circũstãtiam esse volitã prædicto modo: Respondetur, quòd vt circunstãtia bona tribuat bonitatem, sufficit secundario esse volitam, in obiecto tamen bono; nam si obiectũ malũ sit, talis circunstãtia sic volita non tribuit bonitatem, non quidẽ defectu volũtarij, sed defectu capacitatis actus: cùm enim ex primario iam actus sit malus, est incapax recipiendi bonitatẽ aliquã moralem. De circunstãtia etiã Quomodo, quæ dicit intensionẽ vel durationẽ actus, dicimus esse volũtariã per modum actus; quia cùm intensio vel duratio nõ distinguantur à substãtia ipsius actꝰ, sed sint modi illius, eadẽ ratione qua est volitus ipse actus, est etiã & volita talis circunstãtia; & sicut actus non necessariò est volitus per modũ obiecti, quia non est necesse vt fiat reflexio supra ipsum actũ, respectu cuius reflexionis actus habeat rationem obiecti, sed est volitus directè se ipso, per modũ actus procedẽtis à principio voluntario; ita & intensio & duratio licèt possint per reflexionẽ esse volita vt obiectũ, hoc tamen nõ est necesse, sed qua ratione in volitione directa ipse actus est volitus in exercitio, ita similiter intensio & duratio eius. Itaq; ad esse actũ liberũ, non est necesse vt fiat reflexio supra illũ, sed sufficitꝫ procedat à iudicio indifferẽti, vt in exercitio sit liber: aliàs enim daretur processus in infinitũ, & nõ esset primus actꝰ liber supra quẽ non est reflexio; quod vtiq; est falsum. Idẽ ergo dicendũ erit de intẽsione & durationẽ identificatis cum ipsa substantia actus, & quę tantùm sunt modi illius. Eadem de circunstãtia Quibus auxilijs, idem dicimus posse esse volitã per modũ obiecti; vt cùm quis expressè sibi proponit velle operari ex gratia & auxilio Dei; vel cùm sic proponit inferre bellũ ex auxilio hęreticorũ, hoc tamen nõ est necesse, sed sufficit hũc circũstantiã esse volitã in exercitio vt principiũ ipsius actus, eadẽ volitione exercita qua est volitus ipse actus; in qua volitione directa licèt non sit actus expresse reflectens supra ipsum actũ, vel supra modũ vel principiũ eius; est tamen quasi quędã implicita reflexio per actũ præcedẽtẽ, qui est vsus & applicatio potentię ad operandũ, vt acutè ait Caiet. supra. q. 16. ar. 4 per hoc enim quod vtitur & applicat potentiã ad operandũ ex principio indifferenti, est etiam liberè volitus actus, & quæ intrinsecè concomitantur actum, vt modus & principium eius. Et per hoc patet ad argumẽta posita in principio, qualiter illi modi implicitè & in exercitio sint voliti per modum actus, per volitionem exercitam ipsius actus. Et similiter operari ex gratia, eodem modo esse volitum vt principiũ actus meritorij, nec esse necessarium ista expresse esse cognita,

Obiectio.

Solutio.

vt sint

vt sint volita prædicto modo: sed hoc tantum esset requisitum, vt essent volita in particulari & expresse per modum obiecti & per reflexionem.

DVBIVM V.

Vtrùm sint ali quæ circunstantiæ mutantes speciem, dantes que malitiam vel bonitatem specie distinctam àpræexistente in ipso actu, cuius sunt circunstantiæ; an verò omnis circunstantia solùm augeat vel diminuat bonitatem vel malitiam præexistentem intra suam propriam speciem.

1. *Arg.* PRO hac secunda parte arguitur primò. Si aliqua circunstantia mutaret speciem, maximè illa quæ dicit specialẽ ordinem ad rationem, vt dicit D. Tho. in præsenti: sed hæc non; ergo nulla. Proua tur minor, nam congressus viri cum propria vxore supergrediente, dicit specialem ordinem contra rationem, facitquè actum malum secundum D. Tho. 2. 2. q. 154. art. 1. ad 4. & nihilominus non dat nouam speciem tali actui, ex eodem D. Tho. ibidem: nam aliàs vltra sex species luxuriæ, quas ibi enumerat D. Tho. deberet assignari alia, in qua actus prædictus poneretur: si quidem in nulla illarum sex potest reponi. Item congressus coniugalis propter solam delectationem, etiã est circunstantia contra rationem, faciẽs actum malum, & non potest mutare speciem, quia vltra illas sex luxuriæ assignatas, in quibus iste actus non continetur, non potest alia assignari in qua continea tur.

2. *Arg.* Secundò arguitur ad idem, nam solicitare fœminam ad libidinem, dicit specialem circunstantiam contra rationem, vt de se patet nam inducere ad peccatum, dicit specialem oppositionem ad Charitatem; & nihilominus hæc circunstantia non tribuit nouam speciem: ergo. Minor latè probatur â Caietano infra q. 73. art. 8. & 2. 2. q. 43. ar. 1. & q. 53. ar. 2. circa solutionem ad tertium, & in summa, verbo scandalum. Et ratione patet, nam si aliquam nouam speciem tribueret, maximè scandali; istam autẽ non tribuit; quia ruina mulieris est præter intentionem solicitantis; quæ autem præter intentionem sunt, speciem conferre non possunt, vt patet in auersione quæ ideò non specificat, quia est præter intentionem peccãtis. Confirmatur in peccato primi, parentis, quod specialissimam de ordinationẽ dicit à ratione, quatenus infecit totam naturam, & fuit generalissima causa peccandi: & nihilominus prædicta circunstantia non constituit nouam speciem, quià si aliquam conferret, maximè speciem scandali; hanc autem non confert, nam si illam conferret, grauius esset peccatum Adam, quàm peccatũ Euæ; siquidem peccatum Adam infecit naturam, non autem peccatum Euæ: quod tamen est falsum, & contra D. Tho. 2. 2. q. 163. art. 4. vbi docet, Euam grauius peccasse persuadendo virum ad peccatum, & existens causa ruinæ illius. *Confirm.*

In hac re est prima sententia Nauarri in summa, Præludio 9. nu. 7. & 17. quòd quæcunque circunstantia dicens diuersum ordinem ad rationem siue mortalem siue venialem, dicit nouam speciem: quia mortale & veniale specie differunt: vnde si deordinatio super additur etiam venialis, consequenter & super additur noua species. *1. Sent. Nauarro. Prælud.*

Secunda sententia est in Summa Tabiena, verbo Votum 2. §. 2, quòd nõ omnis circunstantia dicens specialem ordinem contra rationem, vel contra virtutẽ specialem, mutat speciem, si aliàs actus est præceptus, vt furari contra votum non mutat speciem, etiam si agat nouam de ordinationem contra rationem & contra virtutem Religionis: quia furtum aliàs est præceptum, & hanc videtur sequi Caiet. 2. 2. q. 53. art. 2. dicens, non sufficere, circunstantiam dicere specialem de ordinationem, vt mutet speciem, sed requiri esse principaliter intentam, vt solicitare fœminam, non pertinet ad speciem scandali, quia ruina mulieris non est per se intenta. *2. sent. Caiet.*

Tertia sententia est Caietani & Durãdi in 4. dist. 16. q. 3. quòd circunstantiæ vt mutent speciem requiritur quòd ex se dicant specialem bonitatem vel malitiã: si autem solùm dicant modum vel conditionem præexistentis bonitatis vel malitiæ vt multum & paucum, magis & minus, non variant speciem. Hæc videtur *3. Sent. Caiet. Murand.*

Diui Thom. q. 2. de malo articulo 7.

4 Sent. Caiet. Quarta sententia est etiam Caietani, 2.2. quæst. 158. art. 5. quod illa circunstãtia sufficit mutare speciem, quæ per se ipsam sufficit mouere appetitum, nam si appetitum non mouet nisi id cuius est circunstantia, illud quidem, & non circustãtia, conferet speciem.

5. Sent. Conrad. Quinta sententia est Conradi hic, & supra art. 3. & art. 5. circa solutionem ad. 3. & q 73. art. 5. & 7. distinguentis de specie actus, vel in esse naturæ, vel in esse moris. Dicit ergo, quòd vt circunstantia cõferat speciem in esse naturæ requiritur, quòd circunstãtia sit motiuum voluntatis, & principalis conditio obiecti, vt docet D. Thom. q. 72. art. 9. & 2. 2. q. 53. art. 2. ad. 3. & q. 92. art. 2, & q. 248. art. 4. & q. 158. art. 5. & q. 24. de ma. art. 2. Vt autem circunstantia conferat speciem actui in esse moris, sufficit quòd circunstantia vel deffectus eius faciat actum malum; nam tunc etiam si actus in esse naturæ maneat idem specie, moraliter tamen mutat illã: quia bonum & malum sunt species morales; vnde mutari de bono in malum, est mutare speciem in esse moris, & hanc putat esse mentem. D. Tho. in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. quæstiunc. 3. in corp. & ad. 2. Omnes quidem iste sententiæ asserunt veritatem ex parte, & nulla integram attingit; vnde pro decisione sit.

1. Concl. Prima conclusio. Aliquando circunstantia mutat speciem actus moralis. Hæc est certa, & communis omnium, & in illa conueniunt omnes sententiæ prædictæ, & solum distinguuntur in assignando quid requiratur vt circũstantia mutet speciem; & hæc veritas insinuatur Leuitici 18. bis verbis: Turpitudinem vxoris *Leuit. 18.* tuæ & filiæ eius non reuelabis. Filiam filij eius, & filiam filię eius non assumes, vt reueles ignominiam eius; quia caro illius sunt, & talis coitus incestus est. Eccequa liter circũstantiã affinitatis personæ dicitur dare actui speciem incestus, & hæc veritas prę supponitur in Concilio Trident. sess. 14. c. 5. & can. 7. vbi diffinitur, confitendas esse circunstantias mutantes speciem. Idquè etiam docet Basilius lib. 2. de Baptismate, q. 8. & August. 15. de ciuit. c. 7. idquè probant ex illo *Genes. 4.* Genesis 4. Non ne si rectè offeras, & non rectè diuidas, peccasti? Vbi insinuatur, actũ ex obiecto bonũ, factũ esse malum ex circũstãtia prauæ diuisionis, sumendo sibi potiorã Cain. Idem docet Glossa super illud Lucæ 17. sicut factũ est in diebus Lot: & *Lucæ 17.* super illud; Edebant & bibebant: vbi cõdenat Christus Dominus actus aliàs bonos, quia per excessum & nimietatem (quę circunstantię sunt) facti sunt mali. Idẽ etiã patet in sacrificijs legis antiquæ, quæ cũ tũc essent actus religionis, modo tamen sunt actus superstitionis Iudaicæ profitentis Christũ vt futurũ; & solũ hęc mutatio ab actu virtutis in actũ vitij facta est per circunstantiam temporis. Idem etiam patet in oblatione thuris, quam fecit Rex Ozias: fuit enim contra religionẽ & actus præsumptionis solũ ex circũstantia personæ laicæ: nã si à Sacerdote offerretur, actus esset religionis. Similiter circunstantia fœminarũ facit diuersas species luxuriæ, vt adulterium, stuprũ, &c. Similiter circunstantia occulti vel manifesti, mutat e speciem furti & rapinæ, & detractionis & contumeliæ.

Secunda conclusio. Circunstantia quæ *2. Concl.* deveniali facit mortale, vel è cõuerso, mutat speciem actus ex parte rationis formalis appetibilis, licèt non ex parte rei obiectiuæ. Itaque vt dicit Caiet. q. 88. art. 5. si *Caiet.* quis faciat actum gulę mortalem, quę de se tantùm erat venialis, ex parte rei obiectiuę eiusdem speciei est: tamen in ratione appetibilis mutatur species in tali obiecto, quatenus modò per mortale ponitur in illo ratio vltimi finis, quæ ante à per veniale non ponebatur, alterius enim rationis est in ratione appetibilis quod proponitur vt finis & propter se amatũ, & quod proponitur vt mediũ amatũ propter aliud: & hoc ipsum importat diuersã dissonantiã ad rationẽ, maior enim dissonantia est, quòd ratio cõstituat in illo obiecto vltimum finem per mortale, quàm quòd non constituat per veniale: & hæc videtur expressa sententia D. Tho. q. 88. art. 5. expresse asserentis, mutare speciẽ circunstantiam quæ facit de veniali mortale; quod ad minus debet intelligi de mutatione specifica obiecti in ratione appetibilis, iam quòd in ratione rei obiectę nõ mutetur. Similiter patet ex eodẽ 2. 2. q. 10. art. 4. ad 5. & q. 2. de malo art. 8. & q. 7. art. 4. dicente, non posse circũstantiã aggrauare in infinitũ, nisi mutet speciẽ: cũ autem circunstantia faciendo de veniali mortale, aggrauet in infinitum secundùm D. Thom. talis mutabit speciem videatur D. Tho. etiã in 4. ad Anibaldum, dist.

dist.16.q.vnica ar.2.ad2. Videatur etiã infra q.72.& q.20.de malo art.3.& q.12 ar.2.& Caiet.infra q. 88.ar.5.& Ricard. in 4.d.16.art.2.q.2. qui docent, qualiter multoties, stãte identitate obiectiua rei, mutetur species per diuersã appetibilitatẽ prædictã, vt inuidia, ira, & furtũ, quæ ex natura sua sunt mortalia, quia contra Charitatẽ proximi: per paruitatẽ materiæ, quæ est circunstantia, fiunt venialia per diuersam rationem appetibilis, manẽte prorsus eadẽ ratione furti vel inuidię,

3. Consl. Tertia conclusio. Omnis circunstantia quæ dicit specialem ordinem ad rationem vel contra illam, mutat speciem actus, siue talis circunstantia trahat actum ad virtutem, ad quam priùs non pertinebat, vel faciat illum opponi virtuti cui antea non opponebatur; siue etiam talis circunstantia sit conditio alterius suppositę bonitatis vel malitiæ, & non moueat appetitum per se solam, nisi suppositа bonitate vel malitia obiecti cuius est conditio.

D.Thom. Hæc cõclusio est D.Tho.& patet, nã, vt suprà diximus, constituitur per cõformitatẽ vel difformitatẽ ad rationẽ: ergo vbi est specialis cõformitas vel difformitas, erit specialis moralitas: ergo circunstantia quæ specialẽ cõformitatẽ vel difformitatem dicit, mutabit speciem moralitatis, & sic rectè apparet, qualiter circunstantia deferens actum ad nouam virtutem vel vitium, tribuat nouam speciem, quia eo ipso quòd transferatur ad nouã specialem virtutẽ dicit nouam conformitatem ad rationẽ, quia cùm virtus specialis specificetur ab obiecto per specialem conformitatem ad rationem, quod intrat de nouo limites alicuius virtutis, de nouo etiam dicit conformitatem ad rationem: quia virtus & actus eius idem obiectum secundum eandem conformitatem ad rationẽ debẽt respicere. Dixi autem, si actus trãsferatur ex circunstantia ad specialem virtutem, vel speciali virtuti de nouo opponatur, quia si tantùm opponatur vituti generali; non mutat speciem actus, verbi gratia, omnis circunstantia de nouo adueniens facit actum malum de nouo esse cõtra obedientiàm, quæ vt generalis virtus frangitur in omni peccato: & tamen non omnis circunstantia de nouo adueniens & faciens prędictam oppositionem, habet mutare speciem, ni si quis de nouo faceret contra obedientiam, contemnendo superiorem vel obedientiam requisitã à prælato per præceptum speciale, tunc enim iam erit peccatũ nouæ speciei, quia non agit contra obedientiam vt generalis sed vt specialis est virtus. Ex quo sequitur, quòd si quis frangat votum quod fecerat, siue de prosequutione boni, siue de fuga alicuius mali, talis actus mutat speciem malitiæ, quia de nouo per votũ opponitur religioni, cui antea ille actus, verbi gratia, furtum de cuius euitatione fecerat votum, non opponebatur. Patet etiã, qualiter circunstantia quæ dicit specialẽ conditionem præsuppositę bonitatis vel malitiæ mutet speciem, nã eo ipso quòd sit specialis conditio, facit, bonitatem vel malitiam præsuppositam specialiter esse conformem vel difformem rationi: quod & docuit D.Tho.q.88.art.5. & q.2. de malo, art.4.& q.7.art.4.& manifestè patet in circunstantia vxoris alienæ, quæ licèt tantùm sit conditio præsuppositæ malitiæ fornicationis, facit nouam speciẽ adulterij: & circunstantia loci sacri Licèt supponat malitiam luxuriæ, & tantũ sit conditio eius, facit nouam speciem sacrilegij. Similiter quòd Princeps inferat minores pœnas reo, quàm deberẽtur per legem, tantùm est conditio præsuppositæ bonitatis iustitiæ vindicatiuę, & nihilominus facis nouam speciem virtutis clementiæ, vt docet Diuus Thomas 2.2.q.157.art.1. Similiter, quòd aliquis faciat magnos sumptus vbi & quomodo oportet, tantum est conditio præsuppositę bonitatis virtutis liberalitatis, & nihilominus quia specialis est conditio dicens specialem conformitatem ad rationem, ideò mutat speciem virtutis, & facit magnificentiam, vt docet D.Tho.2.2.q.134.art.3. Similiter magnum & paruum circa honores, tantùm est conditio præsuppositę bonitatis, & nihilominus ex speciali conformitate per paruum & magnum in honore distinguitur duplex virtus, vt decet Caiet.2.2.q.129.art.4. similiter diu durare in bono opere vt in ieiunio & in oratione, tantùm est conditio præsuppositę bonitatis virtutis religionis & temperantiæ, & nihilominus talis prolongata duratio facit nouam speciem virtutis perseuerantiæ, vt docet D.Tho.2.2.q.137. per totam, & ibi latè Caiet. in vniuersum ergo habet verum, quòd omnis circustantia dicens specialem conformitatem vel difformitatem ad rationem, mutat speciem actus.

Corolar.

Ad

Ad.1.arg. Ad primum respondetur ex Caietano hic, dub. 1. circa solutionem ad. 4. quòd D.Thom.ibi solum nummerat sex species luxuriæ naturales:ille autem actus positus in argumento, est luxuriæ contra naturam,& ideò non debet contineri in illis speciebus nummeratis. Ad alteram partem respondetur ex eodem Caietano ibidem ad.2.dubium,quôd ibi nũmerantur sex species luxuriæ ex parte actus secũdùm se & ex indebita materia; possunt autem esse aliæ species ex parte modi vel finis,& talis est congressus cum propria vxore solúm delectationis causa.

Ad 2.arg. Ad secundum argumentum respondet Siluester verbo scandalũ 2.illud peccatum esse in specie scandali. Melius tamen respondetur sub distinctione, quòd qui solicitat fœminam, vel intendit ruinam, vel solùm delectationẽ. Primo modo fit peccatum scandali & mutatur species. Secundo autem modo minimè; ideô enim omia peccata non sunt directè contra charitatẽ,licèt per quodcunque peccatũ tollatur â Deo ratio vltimi finis, quia hoc non directè intenditur per quodcumque peccatum. Verum est tamen, quod quando quis solicitat fœminam, etiam si non intendat ruinam, nec fiat peccatum scandali aggrauatus tamen intra eandem speciem luxuriæ; vt enim docet Caiet. 2. 2.q.163.art,4.infine, grauius peccat qui inducit adfornicationem, quàm qui solùm fornicatur, non inducendo: vnde hęc circunstantia licèt non mutet speciem, quia tamen aggrauat peccatum, notabiliter debet explicari in confessione. Ad cõfimationem,patet ex dictis,peccatum Adam fuisse grauius intra suam speciem, non tamen mutauit speciem: quia illud nocumentum & ruina posterorum non fuit intenta ab *Adam*; peccatum autem Euę etiam intra eandem speciem grauius fuit,quia non solùm fuit causa occasionalis infectionis naturæ,iuxta illud Eccles. 25. siast,25.â muliere initium peccati: sed etiam quia induxit ad peccandum Adam: dicitur enim Genes. 3. quòd attulit viro, & commedit:Adam autem non induxit Euam.

Caiet. *Eccles. 25.* *Genes. 3.* *Ad confir.*

Dubium. Sed meritó aliquis dubitabit, vtrũ illa bonitas vel malitiam præsuppositа adcirconstantiam mutantem speciem, tanquâ modus & conditio obiecti, debeat esse bonitas vel malitia alterius speciei ab illa quæ prouenit à circunstantia. Respondetur tamen,quôd quando circunstantia nõ mutat speciem, tunc bonitas vel malitia præsuppositа,necessario est eiusdem speciei cum ea quæ prouenit à circunstãtia: hoc enim dicit,quòd circunstantia nõ mutet speciem,vtique quòd malitia circunstantiæ tantùm sit augmentum præexistentis speciei:quando autem circunstantia mutat speciem,tunc necessario bonitas vel malitia præsuppositа debet esse alterius speciei,non tamen semper alterius generis:hoc enim sonat mutare speciem, quod ratione bonitatis vel malitiæ prouenientis ex circunstantia, fit in altera specie: verbi gratia, circunstantia personæ sacræ,ponit malitiam sacrilegij;præsupponit autem malitiam luxuriæ, & circunstantia coniugatæ ponit malitiam iniustitiæ, præsupponit autem malitiam luxuriæ. Dixi autem non necessario præsupponere bonitatem vel malitiam alterius generis,quia in multis exemplis positis in tertia conclusione,ex circunstantia fit mutatio specifica intra idem genus virtutis vel vitij. Ex quo sequitur,quòd magnum & paruum præcisè in ratione magni & parui, non est circunstãtia mutans speciem(sicut magna & parua linea non est diuersæ speciei) quia paruum & magnum ex propria ratione non importat bonitatem vel malitiam alterius rationis â malitia præsuppositа, vnde furtum magnum & paruum solùm est magis & minus intra eandem speciem: Si autẽ paruum & magnum sumantur non præcisse in ratione parui & magni, sed prout possunt habere diuersam rationẽ formalem obiectiuã à præexistenti; tunc possunt variare speciẽ,verbi gratia, quando ipsum paruum & magnũ cum reduplicatione & formalitate parui & magni habent esse obiecta taliũ actuum: verbi gratia, liberalitas & aliæ virtutes morales, quæ consistunt in medio, ex propria ratione excludũt paruum & magnũ excessumque & defectũ, vnde tunc paruũ,& magnũ, quia prout sic habent terminare opposita virtutis,diuersificant speciẽ. Videatur Caiet,2.2.q.129.art.1.& 134.art. 2.vbi optimè explicat ratione prædicta, qualiter per rationem magni cõstituatur ratio virtutis magnanimitatis: & sic etiã patet qualiter virginitas & castitas possint distingui specie; possunt enim dupliciter considerari. Primô prout solùm distin-

Solutio. *Corolar.*

ſtinguuntur in ratione parui & magni intra limites temperantiæ, quatenus virginitas eſt maior continentia, quia eſt etiam à licitis: caſtitas vero eſt minor, quia tantum eſt continentia ab illicitis: & iſto quidem modo non ſunt virtutes ſpecie diſtinctæ, vt optimè docet Ricard. in 4. diſt. 33. Secundo autem modo poſſunt conſiderari, quatenus illa magna continentia virginitatis conducit, vt quis maneat perfectè dicatus diuinis: iſto autem modo iã illud magnum ſuper induit diſtinctam rationem formalem obiectiuam, & ſic poteſt mutare ſpeciem, vt optimè docet Caiet. 2. 2. q. 152. art. 3. dub. 2. Poteſt autem etiam interrogari, vtrùm circunſtantia mutãs ſpeciem neceſſariò & ſemper præſupponat bonitatem vel malitiam alterius ſpeciei, vt prædiximus. Ad hoc autem reſpondet Conradus hic, quòd licèt multoties in exercitio circunſtantia mutans ſpeciem, præſupponat bonitatem vel malitiam; non tamen ſemper hoc eſt neceſſarium; in hoc enim diſtinguitur â circunſtantia non mutãte ſpeciem, quod iſta per ſe & eſſentialiter ſupponit bonitatẽ vel malitiã ſpeciei cuius eſt circunſtãtia, quia ex ſe non habet bonitatẽ vel malitiã vnde neceſſario debet cadere ſupra bonitatẽ vel malitiã præſuppoſitam: illa verò non per ſe; & eſſentialiter præſupponit bonitatem vel malitiam, quia cùm ipſa circunſtantia mutans ſpeciem ex ſe dicat bonitatem vel malitiam, etiam alia non præſupoſita, poteſt ſuam ſpeciem communicare: vt verbigratia, quando iudex ex trahit aliquem à loco ſacro contra immunitatem Eccleſiæ quem in alio loco iuſtè poſſet capere, peccat ſolo peccato ſacrilegij prouenien te ex circunſtantia loci ſacri, nulla alia malitia præſuppoſita, vt docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 99. art. 2. ad. 3. Et ſi contra arguas, nam etiam in hoc caſu præſupponitur alia malitia: non enim tãtùm irrogatur iniuria loco ſacro, ſed etiam ipſi homicidę; ſi quidem habebat ius, ne extraheretur ab Eccleſia: Reſpondetur, hoc ius tantùm prouenire ex immunitate Eccleſiæ, vnde prius intelligatur iniuria Eccleſiæ quàm homicidæ, & ſic formaliter malitia circunſtantiæ loci ſacri aduenit, nulla alia prius præſuppoſita: itaque licèt in re & in exercitio non poſsit circunſtantia mutans ſpeciem reperiri ſine alia bonitate vel malitia concomitante; tamen formaliter loquendo, & ſecundum rationem, aliam malitiam non præſupponit, quæ autem ſpeciem non mutat, no ſolùm in exercitio, ſed etiam ratione & formaliter malitiam præſupponit, quia bonitate vel malitia non præintellecta, non intelligitur, talem circunſtantiam bonitatem vel malitiam commu nicare.

Dubium.

Solut. Durand.

Obiectio.

DVBIVM VI.

Vtrùm ad hoc quòd circũſtantia mutet ſpeciem, conferat que illam actui morali, ſit neceſſe, quòd talis circunſtantia ſit per ſe intenta ab operante.

IN hac re Caietanus tenet partem affirmatiuam 2. 2. q. 53. art. 2. ſuper ſolutionem ad primum D. Tho. quæ probatur primo, nam vt docet D. Thom loco citato, & q. 148. art. 4. & 12, q. 72. art. 8. & 9. vt circunſtantia tribuat diuerſam ſpeciẽ, requiritur habere diuerſam rationẽ moti ui; ſed hoc non per ſe habet niſi ſit per ſe intenta: ergo. Confirmatur primo nam vt docet D. Thom. q. 72. art. 1. propterea peccata non ſpecificantur ex auerſione, quia auerſio non eſt per ſe volita & intenta: ergo eadem ratione, quando circunſtantia non fuerit per ſe intenta, nõ poterit ſpecificare. Quod videtur inſinuare D. Tho. hic art. 10. Confirmatur ſecũdò, nã, vt diximus ſupra, q. 12. art. 2. & 4. propterea intentio ſpecificatur à fine & non à medijs, quia finis eſt per ſe primò volitus per intentionẽ, non autem media. Similiter actus Intellectus circa principia non ſpecificatur à concluſione, quia cõcluſio nõ eſt primo, ſed ſecũdo intellecta, & cognitio Dei nõ ſpecificatur à creaturis, quia ſunt obiectũ ſecũdariũ talis cognitionis: ergo ſimiliter in præſenti, quando circũſtantia tatum fuerit intenta & volita ſecundario, non poterit ſpecificare.

1. Arg. Caiet.

Confirm.

Confir. 2.

2. Arg.

Secundo arguitur, nã quando quis inducit mulierẽ ad fornicandum, ille actus non ſpecificatur à ruina mulieris, vt ſit peccatum oppoſitum correctioni fraternæ: quia talis ruina non eſt per ſe intenta ſed tantum delectatio, ruina autem habet ſe per accidens: ergo neceſſariò requiritur, circunſtantiam eſſe per ſe intentam, vt conferat ſpeciem.

3. Arg.

Ter-

3. *Arg.* Tertiò arguitur. Etiam in casu quòd Petrus occidat clericũ, nollens quòd esset clericus, immò dolens quòd clericus sit: tunc talis occisio tantùm est in specie homicidij, & non sacrilegij; quia circunstantia personę non est per se volita, sed potius formaliter nolita: malitiam autem conferre non potest quod volitum non est, cum secundum Augustinum in tantum aliquid sit peccatum, in quantum voluntarium: ergo idem erit in casu dubij. *Confirm.* Confirmatur in casu quo quis occidat clericum ignorans inuincibiliter esse clericum, ideò enim facit homicidium, & non sacrilegium, quia illa circunstantia cùm non sit cognita, non est per se volita. Similiter confirmatur in eo qui ex pertus est se occidere homines in ebrietate, & in illa occidat patrem tunc enim non est parricida, sed tantùm homicida, quia illa occisio licèt sit volita vt homicidium in causa, non tamen vt patricidiũ: ergo in vniuersum habet verum non conferre speciem, quod non est per se volitum & intentum.

*Not.*1. Pro intelligẽtia notandũ primò, quòd circunstantia vel potest esse scita ab operãte, vel ignorata & ignorata dupliciter. Primò ignorantia inuincibili & in culpabili. Secundò vincibili & culpabili. Si sit ignorantia primo modo, certum est, nullatenus conferre speciem distinctam ab ea quam habebat actus, etiam si talis circunstantia non interueniret, vt communiter doceri solet infrà quæst.76.art. 3. vbi videatur Zumel disp.1. Si autẽ fuerit ignorata secundo modo, tunc quidem si necessariò coniungitur talis circunstãtia cum obiecto, actus, specificat illum, non tamen perfectè & directè & principaliter, sed imperfectè & reductiuè, & minus principaliter. De quo videatur Zumel loco citato, art.4.disp.1. quia nos in præsenti tantùm disputamus de circunstantia cognita ab operante.

*Not.*2. Secundò notandum, quòd esse aliquid per se volitum & intentum, contingit dupliciter; aut per se primò, aut per se secundò vt etiam in naturalibus sæpe contingit talis modus perfectatis. Item potest aliquid esse volitum formaliter, aut virtualiter, seu interpretatiuè.

*Not.*3. Tertiò notandum, quòd circunstantia potest esse volita per se ab operante, siue talis circunstantia non sit per se coniuncta ex natura rei cum ipso opere, vt cùm quis vult ieiunare propter vanã gloriam siue etiam potest esse per se volita, licet per se & ex natura rei sit coniuncta cum ipso opere, secundùm quòd hic & nunc exercetur; vt cùm quis furatur rem sacram vel profanam existentem in loco sacro; licèt tunc operans nullo modo vellet malitiam talis circunstantiæ. Vel potest vtrumque coniungi, & quòd circunstantia sit per se volita ab operante, & simul sit per se coniuncta cum obiecto actus; vt cùm quis intendit occidere Ioannem clericum. Et quidem quandocumque circunstantia per se coniungitur cum obiecto, licèt operans nolit illam inefficaciter & conditionatè; tamen efficaciter & absolutè intendit prædictam circunstantiam, etiam si dicat nolle illam, vt supra diximus de proiiciente merces in mare; si tamen operans det operam rei illicitæ; nam si dat operam rei licitæ, etiam si circunstantia sit per se coniuncta cum obiecto actus, potest esse simpliciter nolita ab operante, & tantum per accidens subsequuta; vt dici solet 2.2.q.64.art.7.& 8.

1. *Concl.* Prima conclusio. Circunstantia mutans speciem, necessariò debet transire in rationem obiecti, saltem vt conditio principalis illius. Sic docet Diuus Thomas hic & quæst.72.art.9.& 2.2. quæst.53.art.2. ad 3.& quæst.92,art.1. & 148.art. 4. & quæst. 2. de malo art. 6. & quæst. 14. art. 3. & idem docet Caietanus hic & quæst.72. art.9.& 2.2. quæst.129.art.4.& quæst.137. art.1. & ratione patet, nam, vt suprà diximus, species desumitur ab obiecto determinato; ergo si circunstancia debet specificare, vel debet transire in rationem obiecti vel effici principalis conditio illius, quia quod extra obiectum est, extra specificatiuum est.

2. *Concl.* Secunda conclusio. Non est necessarium, vt circunstantia mutet speciem moralem, quòd sit primò & per se volita, aut intenta ab operante. Hæc videtur contra Caiet. loco citato. Est tamen communis Theologorum, quam latè docet infra Zumel q.72.art.9.disp.1.& probatur primò, quia, vt communiter Theologi docent cum D.Tho.loco citato, specificatio actus mali desumitur ex ordine positiuo ad obiectum, vt dissonum rationi, & contrarium diuinę legi: sed qui furatur (verbi gratia) non intendit se oppo-

nere

nere, & contra dicere diuinæ legi & rationi (nisi fortè peccet in contemptu explicito legis, tunc enim illam contrarietatem apprehendit sub aliqua ratione boni) ergo specificatiuum actus non est necessarium vt primò & per se & directè intendatur ab operante, & consequenter circunstantia potest specificare actum, etiam si non sit volita & intenta ab operante. Secundò probatur, nam licèt is qui furatur rem sacram, vel occidit clericum, nolit voluntate inefficaci talem circunstantiam interuenire; tamen absolutè & simpliciter hic & nũc censetur voluntate absoluta versari in illa obiecta vestita talibus circunstantijs, & consequenter aduersatur sanctitati rei & loci, & est essentialiter sacrilegium: ergo etiam si circunstantia non sit per se primò & directè volita, poterit tribuere speciem actui morali. Tertiò probatur, nam aliàs sequeretur, quòd qui accederet ad alienam in Ecclæsia, non intentione irrogandi iniuriam loco sacro, sed explendi suam libidinem cum tali muliére casauliter ibi oblata, non committeret sacrilegium: consequens est falsum, & maximè piarum aurium offensiuum: ergo. Sequella patet, nam tunc circunstantia loci sacri non est per se volita & intenta: ergo si requiritur vt circunstantia mutet speciem, esse per se intentam, in isto casu cùm per se intenta non sit, speciem non mutabit. Hoc argumentum est adeò efficax contra Caiet. quòd post quàm loco citato docuerit prædictam sententiam, obijciendo sibi hoc argumentum, reliquit illud insolutum, dicens: In hoc dubio libenter essem discipulus, quoniam docerem me nec alios noui. Quartò probatur, nam si quis accedat ad coniugatam, & ad monialem, & ad solutam, solum motiuo explendi libidinem, committit triplex peccatum specie distinctum, videlicet adulterium, sacrilegium, & simplicem fornicationem: ergo non requiritur esse volitam & intentam circunstantiam, vt conferat speciẽ. Similiter patet in eo qui accedit ad alienã nolens, immò dolẽs quòd esset aliena, imo potius quod esset sua, quia nihilominus cõmittit adulteriũ. Vltimò probatur, quia aliàs sequeretur, sola circunstantiã finis tribuere speciem actui humano, & non circunstantiã loci, temporis, &c. consequens est contra D. Thom. hic art. 10. & contra communẽ sententiam Theologorum: ergo, &c. Sequella probatur, quoniam etiam sola circunstantia finis est per se intenta ab operante, vt suprà docuimus art. 4.

Tertia conclusio. Vt circunstantia tribuat speciem actui morali, sufficit & requiritur, per se loquendo, quòd sit ab operante intenta & volita per se secundo aut virtualiter vel interpretatiuè. Hæc conclusio manifestè sequitur ex præcedentibus, nam si circunstantia debet effici pars, vel principalis conditio obiecti, debet esse volita sicut & obiectum, & si non requiritur esse volitam per se primò, relinquitur, vt debeat esse volita per se secũdo. Et hoc probant argumenta posita à principio. Confirmatur, nam talis circunstantia vt conferat speciem, non sufficit esse effectum per accidens sub sequutum respectu operantis, vt dicitur infra quæst. 71. art. 5. & 2. 2. quæst. 64. art. 7. & 8. relinquitur ergo, quòd debeat esse volita per se, ad minus secundariò. *3. Concl.*

Ex dictis sequitur, falsam esse doctri- *Corolar.*
nam quam docet Vazquez disp. 51. cap. 4. & 5. & Suarez 3. part. tom. 4. disp. 13. sect. 3. num. 6. dicunt enim, quòd actus peccatorum vel virtutum sunt in duplici differentia. Alij qui consummantur opere interiori, vt dilectio vel odium Dei. Alij verò sunt qui consummantur opere exteriori, vt furari & restituere. Dicunt ergo, quòd quando circunstantia conuenit actui secundi generis, potest mutare speciem, etiam si sit volita secundario: quando verò est circunstantia actus primi generis speciem, mutare non potest, nisi sit principaliter & per se primò intenta ab operante: Ista enim doctrina manifestè est falsa, nam gratitudo consummatur in opere exteriori: non enim sufficit ad gratitudinẽ, recognoscere beneficiũ, sed exterius recõpensare illud; & nihilominus nullus peccat contra gratitudinẽ, nisi specialiter cõtẽnat beneficiũ, & id per se primò intẽdat: & ê conuerso peccatũ superbiæ & sacrilegij sunt cõtra virtutes, quarũ actus primarij interiùs cõsummantur, & nihilominus circunstantiæ cõstituentes speciẽ superbiæ vel sacrilegij; nõ requiritur vt sint principaliter & primò intentæ: ergo doctrina istorum non est vera. Maior est D. Tho. qui id docet de religione, 2. 2. q. 81. art. 7. & de humilitate *Impug. Vazquez. & Suarez.*

quæst.16.art.2.Minor,vero probatur in eo qui peccat contra votum castitatis, qui vtique facit sacrilegium,etiam si per se primò non intendat facere contra religionem,sed explere libidinem. Et in eo qui peccat per superbiam,nimium se delectans in sua excellentia,non per se primò intendens contemptum Dei, vt contigit in peccato Angelorum. Dicendum ergo iuxta prædicta, non esse necessarium,siue opus consummetur exterius, siue interius,vt circunstantia sit per se primò intenta sed sufficit per se loquẽdo, esse intentam per se secundò. Dixi, per se loquendo sufficere esse intentam per se secundô; quia quod requiritur vt circunstantia tribuat speciem, est vt sit per se intenta secundum bonitatem vel malitiam propriam & formalem, prout in ipsa circunstantia, & non solùm prout in alijs inuenitur communicata, & participata, verbi gratia, malitia formalis odij proximi, non est malum proximi, prout reperitur participatum in furto, sed est malum proximi secundum se, sub ratione mali illius. Similiter malitia formalis odij Dei non est malum Dei, prout reperitur participatum in quolibet peccato mortali, per quod quãtum est ex parte illius, tendit in destructionem Dei: sed formale odij Dei est malum Dei absolutè,vt malum illius est. Dicimus ergo, quòd vt circũstantia tribuat speciem, non sufficit vt malitia illius sit volita prout participata & imbibita in alijs obiectis,sed requiritur per se & seorsum, & vt formaliter in se consideratur, esse volitam,saltim secundariò;vt malitia odij proximi,vel Dei,vt tribuat speciem odij,sufficit & requiritur esse volitã per se secundò seorsum & vt in se. Similiter contingit,quando quis peccat in die festo,tunc quidẽ circunstantia diei festi non mutat speciem,quia illa circunstantia nõ est per se volita & intẽta: specificaret autem,si expresse peccaret in iniuriam diei festi;quia cum dies festus nõ sit consecratus ad non peccandum,sed ad cessandum ab opere seruili, ideò etiam qui peccat, non censetur per se intendere contra consecrationem festi nisi id expræsse intendat: bene tamen qui opus seruile facit, nam eo ipso virtualiter intendit contra consecrationem festi: Similiter si aliquis in Ecclesia faciat opus seruile, non habet malitiam circunstantiæ loci sacri; quia immunitas Ecclesiæ non excludit opus seruile, nisi id expresse fieret in contemptum loci sacri: habet autem malitam talis circunstantiæ loci; qui in Ecclesia furatur, vel polluit, &c. Quia contra hoc est immunitas Ecclesiæ: vnde eo ipso quod furatur vel polluit in Ecclesia, per se intendit contra immunitatem Ecclesiæ, & per se attingit malitiam illius circunstantiæ formaliter, & pro vt in se consideratam, saltem secundariô. Sic docet D.Tho.q.2.de malo art.6.ad.3.& Conrad. infra quæst. 73.art.7. & Caietanus 2.2.quæst. 122. art.4.& tom.1.opusc.tract.18.quæst.7.

Ad primum argumentum à principio respondetur, ita verum esse, requiri circunstantiam habere diuersam rationem motiui, vt mutet speciem:ad hoc autem non requiritur esse per se primò volitam, sed sufficit per se secundo; nam sic iam transit in rationem obiecti mouentis & specificantis. *Ad 1. arg.* *Ad 1.confi.* Ad primam confirmationem respondetur, quod auersio in peccato nec est intenta per se primò,nec per se secundô, sed per accidens sequitur, & sic non tribuit speciem;nam ad hoc requiritur, vt diximus, esse per se intentam secundariò, & transire in rationem obiecti, faciendo ipsum importare diuersam difformitatem ad rationem;& hoc intendit D.Thom.hic art. 10 allegato in argumento. Ad secundam confirmationem, patet etiam ex dictis, quòd intentio non specificatur à medijs, quia non attingit nec per se primò, nec per se secundô, bonitatem vel malitiam mediorum, prout in medijs & formaliter sumptam, prout spetificat electionem, sed attingit illam prout radicaliter continetur in ipso fine,vt in causa; quod non est aliud, quàm attingere ipsum finem specificantem intentionem; de quo supra q.12.art.4. *Ad 2.conf.* *Ad 3.conf.* Ad tertiam confirmationem respondetur similiter,quòd actus Intellectus circa principia non specificatur â veritate conclusionis,quia nõ attingit etiã per se secundó illã formaliter,prout veritas conclusionis est attingibilis à scientia,sed solũ prout radicaliter continetur in principio,quôd tantũ est attingere principium,& sic tantùm specificatur ab illo. Similiter respondetur ad illud decognitione diuina;nõ est enim attingit per se nec primario,nec secũdario, creaturas in se ipsis, sed prout in essentia diuina, vt

in

in causa. Licèt enim ex parte cogniti attingat creaturas prout in se ipsis, & prout à Deo distinguuntur; ex parte tamen cognitionis non attinguntur nisi in diuina essentia; quod formalissimè loquendo, tantùm est attingere diuinã essentiam perfectè & comprehensiuè: quapropter diuina cognitio à diuina essentia comprehensa tantum specificatur, & nullo modo à creaturis.

2. *Arg.* Ad secundum argumentum respondetur ex eodem Caiet. 2.2. quæst. 43. artic. 1. quòd, vt iam diximus, inducens mulierem, vel potest intendere ruinam eius, vel solũ propriam libidinem. Si primo modo inducat, illud peccatum mutat speciem, & est scandalum, oppositum bono correctionis fraternæ, vt docet D. Thom. ibidem. Si autem secundo modo inducat, solùm est in specie luxuriæ, si tamen solicitatio non sit importuna; nam siquis mulierem pudicã & verecundam plus nimio & molestè soliciteat, iam censetur virtualiter velle per se, saltem secundariò, ruinam illius, & sic tale peccatum erit scandalum: quando autem, siue formaliter, siue virtualiter, intẽdit ruinam mulieris, non intendit illam per se primò, sed suam libidinem; intendere autem per se secundò ruinam eius, sufficit ad mutandam speciem, & fieri peccatũ scandali.

3. *Arg.* Ad tertium argumentum, patet ex dictis, qualiter in illo casu licèt habeat nolleitatem, habet tamen volitionem absolutam occidendi clericum, & sic à tali circunstantia tanquàm à per se intenta secundariò ille actus habet speciem sacrilegij. Ad primã confirmationem etiam patet ex dictis, qualiter si circunstantia inuincibiliter ignoretur, non tribuit speciem, quia talis ignorantia omnino causat inuoluntarium, & consequenter tollit peccatum. Ad secundam confirmationem respondetur, in illo casu esse parricidam, quia saltem in causa (quam poterat & tenebatur vitare) est virtualiter volita per se secũdò: de quo videatur Zumel quæst. 71. art. 5. disp. 7. in dubio appẽdice.

DVBIVM VII.

Vtrùm circunstantia quando mutat speciem, maneat circunstantia.

1. *Argu.* PArs affirmatiua probatur, nam quãdo quis (verbi gratia) iciunat propter vanã gloriam, illa circunstantia vanæ gloriæ, & malitia eius, non conuenit actui ex se: ergo manet respectu illius vt circunstantia, etiam si illi conferat speciem vanæ gloriæ. *Confir.* Confirmatur, nam hoc sonat nomen Circunstantia, quod extra essentiam manet: licèt ergo det speciem, hæc erit alia superueniens præexistenti, tãquàm quid extrinsecum illi, & accidens eius; sic enim ait D. Thom. suprà, quæst. 7. art. 1. quòd circũstantia comparatur ad actum moralem, sicut accidentia phy sica ad substantiam; vtique vt insinuet, quòd sicut albedo est intrinsecum constitutiuum speciei albi, albedo autẽ & species albi est accidens & quid extrinsecum substantiæ; ita circunstantia licèt constituat speciem (verbi gratia, sacrilegij) nihilominus tam circunstantia, quã species constituta per ipsam, erit accidens, & quid extrinsecum respectu speciei præexistentis. *D. Thom.*

Propter hæc argumenta tenet hanc sententiã Conrad. & Medina hic. ar. 10. quòd circunstantia, etiam si constituat suam speciem, manet tamen circunstantia respectu actus quem trahit ad propriam speciem; & ex parte sequitur ipsos Valentia hic, disp. 2. quæst. 13. puncto 5. dicit enim, quòd circunstantia mutans speciem, non manet circunstantia respectu actus cõsiderati in esse moris, siquidem tribuit ei speciem moralem; manet tamen circunstantia & accidẽs respectu actus considerati in esse naturæ, & sic verificatur vtrumque respectu diuersorum, & quòd sit circunstantia, & quòd tribuat speciem. Primum quidẽ respectu entitatis naturalis: secũdum verò respectu actus in esse moris. Immò videtur hęc sententia D. Tho. in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. quæstiunc. 3. ad 1. & q. 4. ad 3. *1. Sent. Conrad. Medin.*

Secunda sententia videtur etiã D. Tho. q. 2. de malo, ad 7. verificari vtrumque, & quòd circunstantia mutans speciem, sit circunstãtia & accidens, & quòd etiã cõstituat speciẽ. Primum quidem respectu speciei moralis, quæ foret in illo actu, si talis circũstantia non interueniret. Secundum verò respectu speciei moralis, quæ modò est de facto in tali actu, prout hic & nunc exercetur cum tali circunstantia. Itaque quando quis furatur in Ecclesia, in illo actu ex parte rei alienæ erat sufficiens materia, vt etiã si non esset locus sacer, nihilominus poneretur in specie furti: hæc tamen species nuda furti non resultat, quia ex interueniẽte circunstantia loci sacri resultat quædam *2. Senten.*

noua ſpecies furti ſacrilegi eſſentialiter cõ ſtituta per talem circunſtantiam. De facto ergo iſte actus habet ſpeciem conſtitutam per circunſtantiam; retinet tamen nomen circunſtantię reſpectu alterius ſpeciei, quę foret, & debita erat iſti actui, ſi circunſtantia loci non interueniret.

3. Sent. Vazquez. Tertia ſententia eſt Vazquez hic diſp. 53.ca.1.quòd in furto in Eccleſia duæ malitiæ reperiuntur. Prima furti; ſecunda ſacrilegij. Prima conſtituitur per rem alienam, ſecunda per locum ſacrum; & prior eſt malitia furti, quàm malitia ſacrilegij: circunſtantia ergo loci ſacri licèt conſtituat eſſentialiter illam ſecundam ſpeciem ſacrilegij, eſt tamen circũſtantia reſpectu prioris ſpeciei furti; accedit enim priori ſpeciei furti ſecũda malitia ſacrilegij ſuperueniẽs ex circunſtantia loci: & hæc etiam ſententia videtur inſinuari à D. Thom. ſuprà artic.5.ad.3.

Nihilominus vt prædicto dubio reſolutionem demus, ſeparentur certa ab incertis; omnes enim debent conuenire cum prima ſententia, quòd malitia ex circunſtantia etiam tribuente ſpeciem, eſt accidens actus in eſſe naturæ cõſiderati: quia & quęcunque moralis ſpecies, quantumcunque prima conſideretur, eſt accidens reſpectu actus in eſſe naturæ. Quæſtio ergo preſens intra genus moris debet procedere, ſi circunſtantia tribuens ſpeciẽ, reſpectu actus etiam moraliter ſumpti, debeat retinere rationem circunſtantiæ. Secundò etiam debet præſupponi, quod ſupra diximus, quòd quis poteſt ferri & in malitiam furti, & in malitiam circunſtantiæ loci ſacri, vel duplici actu, vel vnico tantùm, ſimul volens vtrumque, videlicet furtum prout in loco ſacro. Si quidem feratur primo modo, omnes etiam debent cõuenire cum Vazquez, quòd primus actus ſpecificatur per malitiam furti, & ſecũdus per malitiam ſacrilegij, & quòd locus ſacer eſſentialiter conſtituens ſpeciem ſacrilegij ſecundi actus, manet vt accidens & circunſtantia, & quid extrinſecum reſpectu ſpeciei prioris actus accidentaliter induentis & reſpicientis malitiam ſecundi actus. Sed hoc non eſt venire ad reſolutionem ſtrictam noſtræ quæſtionis, quæ debet reſolui in ſecundo caſu, quando vnico actu fertur in vtrumque. Tertio ergo ſupponendum ad reſolutionem dubij, ex D. Thom. quæſt.2.de malo art.6.in corpore, & ad 3. quòd circunſtantia mutans ſpeciem, eſt in duplici differentia; alia quidem habens cõ ordinationem cum priori malitia cuius dicitur circunſtantia, taliter quòd adiũcta circunſtantia talı malitiæ, conſtituat quidem circunſtantia ſpeciem moralem inferiorem ad illam malitiam, cuius dicebatur circunſtantia; verbi gratia, adulterium eſt circunſtantia luxuriæ, taliter tamen adiungitur circunſtantia vxoris alienæ cum malitia luxuriæ, vt conſtituat ſpeciem inferiorem ad luxuriam. Similiter locus ſacer taliter adiungitur malitiæ furti, vt conſtituat ſpeciem ſacrilegam inferiorem ad furtum. Secundo autem modo circunſtantia poteſt ſe habere diſparatè ad malitiam, cuius dicitur circunſtantia, taliter quòd ſpecies conſtituta per circunſtantiam, non maneat inferior ad malitiam cuius dicebatur circunſtantia. Verbi gratia, quando quis furatur propter vanagloriam, malitia circunſtantiæ vanę gloriæ diſparatè ſe habet ad militiam furti cuius eſt circunſtantia vana gloria, nec ſpecies malitiæ conſtituta per vanam gloriam, manet inferior ad malitiam furti. De circunſtantia ergo primi generis etiam non debet eſſe dubium, ibi enim tantùm eſt vnica ſpecies; nam ex ratione ſuperiori & inferiori tantùm vnica ſpecies poteſt reſultare: vnde ſi ratio circũſtantiæ alienæ eſt inferior ad rationem luxuriæ, ex vtraque vna ſpecies luxuriæ cõflatur, & tunc quidem circunſtantia alienæ abſolutè tribuit ſpeciem eſſentialem illi actui, quia non habet aliam niſi conſtitutam per circunſtantiam alienæ, contrahentem rationem communem luxuriæ. Dicitur autem circunſtantia, non reſpectu alicuius malitiæ ſpecificæ luxuriæ præexiſtẽtis ad malitiam circunſtantiæ adulterij: ſed dicitur circunſtantia reſpectu malitiæ ſuperioris luxuriæ cui accidit quòd per circunſtantiã alienę contrahatur, poſſet enim manere luxuria in alia ſpecie ſimplicis fornicationis. Adhibenda eſt ergo reſolutio de circunſtantia ſecundi generis diſparatè ſe habente ad priorẽ. Dicimus ergo, de tali circunſtantia loquendũ eſſe ſub diſtinctione iuxta duplicẽ ſententiã, quæ dubio ſequenti proponetur: ſi enim teneatur, malitiã circunſtantiæ & priorẽ præexiſtentẽ non eſſe duplicem ſpeciẽ, ſed in exercitio vnicã reſoltare; dicendũ eſt, tunc circunſtantiã formaliter eſſentialiter conſtituere illã vnicã ſpeciem, vocari autẽ circunſtantiã, vel reſpectu rationis cõmunis luxuriæ quã determinat, vel reſpectu alterius ſpeciei

cieiluxuriæ, quæ in tali actu esset, si talis circũstantia non interueniret, vt diximus. Nisi etiam illã vnicam speciem ratione veliis distinguere quasi in duo: primum quod in se habebat præcise in ratione speciei luxuriæ; secundum autem quod ex tali circũstantia prouenit, & quòd proueniens ex circunstantia, licèt absolute constituat illã speciẽ; prout tamen ratione distinctũ, est circunstantia prioris intellecti. Et huic sententiæ fauet D. Tho. hic ar. 10. constituens differentiã internaturalia & moralia, quòd in naturalibus quod est accidens rei, nõpotest illã in specie constituere; bene autẽ in moralibus. Vnde videtur sentire, nullam aliã speciem præcedere, quàm illã quæ per circunstantiã constituitur. Si autem teneatur sententia aliorũ, quòd in tali actu sunt duæ species malitiæ distinctæ; alia in ratione luxuriæ, & alia ex ratione circunstãtię, in ratione adulterij vel sacrilegij; tunc dicendũ est, vtrũq; reperiri, & quod circunstantia constituat speciem; & nihilominus quòd sit circunstantia: habet enim constituere speciẽ secundam; esse autẽ circunstãtiam respectu primæ. Quod autem D. Th. intendit art. 10. citato, tantùm est, quòd in naturalibus accidens semper se habet vt quid secundariũ & minùs principale, licèt & suam speciẽ in prædicamento qualitatis (verbi gratia) cõstituat: in moralibus autẽ licèt circunstantia sit accidens respectu primæ speciei, moraliter tamen species cõstituta per circunstantiã, habetur vt maior & principalior: magis enim attenditur moraliter ad rationẽ adulterij vel sacrilegij, licèt sit secunda species, quàm ad rationem luxuriæ habentis rationẽ primę speciei. Et per hoc patet ad argumẽta in principio.

DVBIVM VIII.

Vtrùm quando circunstantia mutat speciem, tribuitq; secundam bonitatẽ vel malitiam, talis actus reponatur formaliter in duplici specie; an verò ex vtraque bonitate vel malitia vnica species resultet.

1. Sent. Conr.

IN Hac re est prima sententia, quam tenet Conr. hic, art. 1. quòd quando prædicta circũstantia tenet se ex parte obiecti vt conditio illius, contrahit, tanquã differentia ad determinatam speciem, primã bonitatem vel malitiam desumptã ex obiecto; vt si quis furatur in loco sacro, tantùm est vnica species sacrilegij quæ resultat ex furto, & ex circunstantia loci sacri, tãquã ex genere & differentia. Fundamentum huius sententiæ est, quòd quemadmodùm parricidium non est formaliter in specie iniustitiæ, sed in specie impietatis, quæ emenentiori modo continet malitiã iniustitiæ; ita furtum in loco sacro, est tantùm formaliter in specie sacrilegij eminentiori modo continente malitiã iniustitiæ furti. Hæc sententia sic explicata probatur primò ex D. Th. 2. 2. q. 99. art. 2. ad 2. vbi docet, quòd quocũq; genere peccati aliquis faciat contra reuerentiam debitam rebus sacris, sacrilegiũ formaliter cõmittit, licèt sint ibi materialiter diuersa genera peccatorũ; vnde ex argumento & eius solutione videtur concedere D. Th. furtum contineri formaliter sub sacrilegio, tãquam speciem sub genere. Item eadem quæstione art. 3. ad 2. docet, conuenire in specie secundùm vnam rationem formalẽ sacrilegij, si quis sanctimonialem violauerit verberãdo, vel concumbendo: vbi secundùm D. Thom. circũstantia personæ sacrę determinat formaliter peccatũ verberationis & concubitus. Et q. 154. art. 6. & 7. & 10. docet, quòd stuprum, & raptus, & sacrilegium, sunt species luxuriæ: sentit ergo D. Tho. circunstãtiam personæ sacrę determinare luxuriam ad speciem sacrilegij, & consequenter ex malitia desumpta ex obiecto, & ex circunstantia personæ sacræ, resultare vnam speciem, tanquãm ex genere & differentia. Item q. 2. de malo, art. 6. ad 3. expresse docet, quòd species desumpta ex circunstantia, comparatur ad eandem quę desumitur ex obiecto, tanquã species atoma ad genus subalternum. Et solutione ad duodecimum docet, quòd adulterium se habet ad fornicationẽ, vt species eius; ideoque est vnicum peccatum, & non duplex: sicut Petrus non est duæ substãtiæ, ex eo quòd sit homo & sit animal. Item infrà quæstio. 72. art 9. ad 2. docet, quòd circunstantia habens diuersam rationem motiui, transfert actum in aliam speciem. Insinuat ergo, quòd prima species non manet, sed secunda ex circunstantia; hoc enim sonat illud verbum, Transfert. Secundò probatur ratione, nam malitia quæ sumitur ex circunstantia, est determinatiua illius quæ sumi-

tur ex obiecto:ergo vna est generica,& altera specifica. Consequentia patet, nam quod determinat,habet rationem differentiæ;determinabile autem rationem generis. Antecedens verò probatur,nam furtũ quod indifferens erat,determinatur ad speciem sacrilegij per circunstantiam loci sacri. Tertiò probatur,nam quando quis furatur propter mœchiam, ille actus tantùm est in vna specie mœchiæ:& tamen circunstantia mœchiæ dat actui secundam malitiam:ergo. Maior probatur,nam qui furatur propter mœchiam,formaliter loquendo,tantùm est mœchus,materialiter autem fur,vt docet Aristot.5.Ethic.cap. 2. & sic explicat D.Thom.hic artic.6. ad 3.& 2.2. quæstion.11.art.4. ad 2. quòd quãdo quis mœchatur vt furetur,sub furto continetur mœchia,sicut species sub genere.

2.Sent. Caiet. Bergomen. Secunda sententia est Caietani hic, art. 10.& 2.2.quæstion.154.artic.1. circa solutionem ad 2.& articul.7. ad 2.& Petri Bergomensis dub. 84. & aliorum Thomistarum , inter quos etiam refertur Victoria; *Victoria. Vazquez.* immò & illam tenet Vazquez hic disput. 53. c. 3. Dicunt enim,quòd quando actui humano superuenit secunda bonitas vel malitia ex circunstantia,talis actus est in duplici specie disparata; altera quæ sumitur ex obiecto,& est quasi essentialis actui;altera verò quæ sumitur ex circunstantia, & est quasi accidentalis respectu primæ, licet ipsa in se sit quædam species essentialis.

1. Arg. Hæc sententia probatur primò ex D. Thom. infrà, quæstũ.73.artic.5. ad 1.vbi docet,quòd adulterium non solùm pertinet ad peccatum luxuriæ,sed etiam pertinet ad peccatum iniustitiæ. Et 2.2.quæst. 65. artic. 4. ad 3. docet,quòd non solùm opponitur adulterium iustitiæ, sed etiam castitati. Et quæstion.154.artic.1.ad 2.docet,quòd nihil prohibet in eodem actu diuersorum vitiorum difformitates concurrere,& hoc modo adulterium continetur sub luxuria & sub iniustitia;& refert se ipsum ad ea quæ docuerat in ista quęstione, artic.7.

2. Arg. Secũdò probatur ratione.Species actuũ moralium diuersificantur ex diuersa conformitate vel difformitate ad rationem,vt sæpe diximus ex D.Thom.sed in furto sacrilego est alia repugnantia ad rationẽ ex parte obiecti,quia accipitur res aliena contra hoc dictamen rationis,A nullo est auferendũ quod est suũ : alia verò difformitas est ex parte circunstantiæ, quia accipitur in loco sacro, & repugnat cum alio dictamine rationis, videlicet,Non est inferẽda iniuria loco sacro:ergo,&c. Confirmatur. *Conf.* Ille actus est contra duo præcepta omnino distincta in ratione & motiuo præcipiẽ di:ergò est duplex peccatum. Patet consequentia ex his quæ dici solent q. 72.art. 6. circa solutionẽ ad 2.D.Tho.qualiter ex diuerso præcepto diuersum peccatum consurgat. Antecedens verò probatur, nã ille actus est contra hoc præceptum,Non furaberis;& contra hoc;Non inferes iniuriã loco sacro;quæ quidem prohibitiones prouenium ex diuersis motiuis pertinentibus ad diuersas virtutes,videlicet ad Iustitiã & Religionem.

Tertiò probatur,nam,vt docet Arist.in antepręd icamentis, cap.3. genera non sub alternatim posita habent differentias omnino diuersas quibus contrahuntur,& differentia vnius non potest cõtrahere aliud; quia differentia contrahens genus, debet contineri essentialiter sub eodem genere: quapropter genera non subalternatim posita habent species omnino diuersas pene tales diuersas differentias : sed sic est, quòd adulterium continetur sub genere in temperantiæ & sub genere iniustitiæ , vt docet D.Thom.locis allegatis in primo argumento; iniustitia autem & intemperantia sunt duo genera,ita diuersa, vt nullum sub alio contineatur:ergo adulterium habet duas vltimas differentias malitiæ, quibus contineatur in duabus speciebus pertinentibus ad illa duo genera iniustitię & intemperantiæ. Confirmatur, nam intelligi non potest quòd duæ species concurrant formaliter ad constituendam tertiam speciem distinctam : ergo ex furto & sacrilegio sic formaliter distinctis non poterit resultare vnica species. *3. Arg.*

Quartò probatur.Si in tali actu tantùm esset vnica species sacrilegij, nõ teneretur amplius explicare in cõfessione,quã dicẽdo se cõmisisse sacrilegiũ: hoc autẽ est falsum,& cõtra vsum Fideliũ: ergo ideò est, quia prẽter speciẽ sacrilegij,est alia species furti vel luxuriæ,quando violat monialẽ. Maior probatur,quia nõ est necesse explicare incõfessione genus peccati,sed speciẽ atomã illius;vt qui occidit hominem,nõ tenetur dicere se fecisse iniustitiã,quę genus est ad homicidiũ; sed sufficit dicere occidisse hominẽ:si ergo circunstãtia prædicta cõtrahit luxuriã vel furtũ tanquàm genus, sufficiet explicare speciẽ, dicens se cõmi- *4. Arg.*

sisse

Solutio. fisse sacrilegiũ. Si respondeatur, teneri explicare aliud genus, quia cùm sint species diuersæ sacrilegij, non explicatur quæ nã sit species sacrilegij, nisi explicetur genus furti vel luxuriæ cui adiungitur circunstãtia sacrilegij: Contra arguitur, nã, vt diximus ex D. Th. 2. 2. q. 99. art. 3. ad 2. violare sanctimonialem, verberando, vel concumbendo, est formaliter eiusdem speciei sacrilegij: ergo solutio nulla. Cõfirmatur, nam in Concilio Trident. sess. 14. cap. 5. dicitur, necessum esse, explicari in confessione circunstantias mutantes speciem peccati, quales sunt positæ in nostro casu: sentit ergo Concilium, ibi esse diuersam speciem peccati, & non vnicam ex genere & differentia compositam.

Impug.

Conf.

Nota. Pro intelligentia notandum, in præsentĩ dubio non fieri repetitionem illius de quo egimus art. 6. & 7. vbi etiam interrogauimus, si finis constituat speciẽ diuersam; hoc enim ibi tantùm egimus define, quæ præcipua est circunstantia, & per se primò volita ab operante, &, vt diximus, obiectũ interioris actus: qua propter define hoc specialiter debebat tractari. Modò autem generaliter inquirimus de omnibus circũstantijs mutantibus speciem, quę per se primò non sunt volitæ, vt iam diximus. Secũdò etiam recolenda est distinctio posita dubio præcedenti ex D. Tho. quòd prædicta circunstantia, alia habet coordinationẽ cũ prçexistenti, cuius est circũstantia, vt adulterium cum luxuria, vel adulterium cũ furto; alia verò est disparatè se habens, vt vana gloria cũ furto. Tertiò etiam recolendum quod supra diximus, quòd circunstãtia potest esse bona aduenies actui malo; vt quãdo quis furatur ad eleemosynam. Vel potest circunstantia mala aduenire actui per se bono; vt cũ quis dat eleemosynam propter vanam gloriam. Aliquando autem circunstantia est eiusdem generis supremi cũ illo cui aduenit vt circunstantia; quando videlicet circunstãtia mala aduenit actui malo, vel circunstantia bona accedit actui bono. In prçsenti ergo non dubitamus de circunstantijs primi generis; quia quando alterum est bonum ex se, & alterũ malum, tãtum est vnica species mali, nec ibi remanet species boni, vt iam suprà diximus; sed solum inquirimus de circunstantijs secundi generis, quando videlicet vtrumq; tã actus, quàm circunstantia, est malum; vel quandò vtrumque est bonum: in quibus etiam suprà diximus reperiri malitiam vel bonitatem vtriusque: inquirimus enim, vtrùm vtraque malitia vel bonitas maneat distincta, vnaquæque in sua specie diuersa; an verò ex vtraq; componatur & resultet vnica species boni vel mali. Quo supposito, inter vtramque sententiam positam media via procedimus, vt patebit in conclusionibus.

Prima conclusio. Quando circunstantia est conditio terminatiua obiecti, vel habet connexionem cum illo; tunc in tali actu non sunt duæ species distinctæ, sed ex bonitate vel malitia obiecti & circunstantiæ resultat vnica species continens vtramque bonitatẽ vel malitiam; alterã vt genus determinabile, & alteram vt differentiam determinantem. Hæc conclusio patet argumentis positis pro prima sententia Cõradi: immò videtur expressa D. Th. q. 2. de malo, ar. 6. in corp. & ad 12. & 2. 2. q. 154. ar. 6. vsq; ad decimum, vbi expresse ponit, adulterium, incestum, &c. esse species determinantes luxuriam, cõtentas sub illa tãquàm sub genere essentiali superiori: & idem tenet Caiet. ibidem art. 10. in principio, & q. 107. in fine, & modò ampliùs probatur. Nam magnanimitas & magnificentia non dicunt speciem distinctã à liberalitate; sed eminentiùs liberalitas continetur in tali specie magnificentię. Similiter circũstantia patris constituit determinatam speciem iuris ad filium, nec distinctam à iure dominatiuo cõmuni, sed speciem quidem, in qua eminentiori modo ius dominatiuũ continetur, vt docet D. Th. 2. 2. q. 57. ar. 4. & Arist. 3. Eth. c. 6. Cùm enim filius sit aliquid patris, non potest formaliter reperiri inter illos species distincta iuris dominatiui; quod inter diuersa debet esse; sed ius dominatiuum cõmune reperitur eminenter & altiori modo in hac vnica specie iurispaterni. Simliter parricidium est vnica species, in qua eminentiori modo reperitur deformitas iniustitiæ, nec tamen formaliter species distincta iniustitiæ à parricidio reperitur, vt docet Cait. 2. 2. q. 65. art. 4. Similiter detractio, cõtumelia, & irrisio Dei, est determinata species blasphemię, in qua eminenter reperitur, & nõ formaliter, diuersa species iniustitiæ, vt docet Caiet. 2. 2. q. 13. art. 1. in fine. Ecce qualiter in omnibus istis non reperitur distincta species malitiæ, altera ex circunstantia, & altera ex obiecto, sed vnica, in qua vtraq; malitia eminenter reperitur, propterea quòd malitia circunstantiæ coordinationẽ habet intrin-

1. Concln.

secam cum malitia præexistenti, cuius dicitur circunstantia.

2. Conc. Secunda conclusio. Quando circunstãtia disparatè se haber ad bonitatem vel malitiam præexistentem, tunc in tali actu reperitur formaliter & distincta duplex species moralis bonitatis vel malitiæ; altera ex obiecto, & altera ex circunstantia: & probatur manifestè argumentis secundæ sententiæ, & insuper vnica ratione probatur, nam differentia contrahens aliquid vt genus, ad determinatam speciem, debet cõtrahere illud per intrinseca: ergo si simul ponitur, quòd circunstãtia disparatè se habet ad priorem bonitatem vel malitiã, nõ potest habere rationem differentiæ respectu illius: non autem aliter potest intelligi, quòd ex malitia circunstantiæ & ex malitia præexistenti fiat vnica species, nisi altera habeat rationem generis, altera verò rationem differentiæ; quatenus tamen argumenta primæ sententiæ, licèt probent primam conclusionem, possunt militare contra secundam, & argumenta secundæ sententiæ probent secundam conclusionem, possunt militare contra primã: ideò stãdo in prima conclusione, oportet respondere ad argumento secundę sententiæ, & stãdo in secunda conclusione, oportet respõdere ad argumenta primæ sententiæ.

Ad argu. 1. sent. Ad primum ergo primæ sententiæ respondetur, quòd actus homicidij, vel luxuxuriæ, vel furti possunt dupliciter considerari. Primò vt substant sacrilegio, formaliter loquendo, & sic sub sacrilegio cõtinentur quasi materialiter; quidquid enim alteri substernitur, quasi materialiter se habet ad illud: vnde species sacrilegij ibi consideratur formaliter, denominatque alios actus sacrilegos, & illos ad speciem sacrilegij quasi determinat. Secundo modo possunt considerari illi actus secundùm specificam malitiam quam habent ex proprio obiecto, & sic formaliter sunt in specie sibi propria, sicut in naturalibus, si corpus consideretur vt subijcitur albedini, quasi materialiter continetur sub illa, & albedo consideratur formaliter: si verò corpus cõsideretur secundùm propriam rationem diuisibilitatis, est formaliter in specie quantitatis. Similiter potentiæ animæ distingũtur specie secundùm obiecta, vt docet D. Tho. 1. p. q. 77. art. 3. & sic adinuicem specie distinguuntur: si tamen considerentur in ratione principij susceptiui potentię imperfectioris, habent se sicut subiectum & materiale respectu perfectiorum, quia minùs perfecta quasi materialiter sub perfectioribus continentur, vt docet D. Tho. loco citato. Sic ergo in præsenti, maximè quando malitia circunstantiæ disparatè se habet ad priorem; tunc enim solùm ex ordine operantis trahitur prior species quasi materialiter ad speciem circunstantiæ; tamen secundùm se suam speciem distinctã retinet: secus autem est, vt diximus, quando circunstantia coordinationem habet cum præexistenti malitia; & de his loquitur D. Thom. primo loco citato 2. 2. q. 99. Ad 2. locum ex q. 154. similiter patet; loquitur enim de circunstantijs habentibus coordinationem cum priori malitia; quia loquitur de stupro, & raptu, & sacrilegio, respectu luxuriæ; quapropter non placet solutio Caieta. super illum locum articuli 10. quòd luxuria nõ est propriè genus Logicum ad stuprum vel raptum, sicut animal ad hominem, sed tantùm est genus metaphoricum: qua ratione imperans dicitur genus respectu imperati; non (inquam) placet, sed iuxta prædicta dicendum, stuprum & raptum legitimas esse differentias luxuriæ, contrahereque illam vt verum genus ad vnicam determinatam speciem stupri, vel raptus, & sic expresse loquitur in tertio loco q. 2. de malo, dicit enim, ita esse idem luxuriam & adulterium in specie, sicut animal & homo sunt vnica substantia inter se; quia loquitur de circunstãtia adulterij habente cõnexionem intrinsecam cũ priori malitia luxuriæ. Qua propter non habet verum quod aliqui Thomistæ asserunt, D. Thom. mutasse sententiam. Ad vltimum locum ex q. 72. similiter respondetur, intelligendum de circunstantia, habente conditionem per se cum priori malitia; sic enim talis circunstantia transfert priorem malitiam ad aliam speciem; quia, vt diximus, prior malitia in secunda specie circunstantiæ tantùm eminẽter reperitur: loquendo autem de circunstantia disparata, dicitur transferre ad aliam speciem; non quia prior species dissoluatur, sed quia vltra priorem superadditur alia proueniens ex circunstantia.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum, similiter patet ex dictis, quòd quando circunstantia habet coordinationem cum priori malitia, determinat illam vt genus, constituitq; cum illa vnicam speciem: quando autem circunstantia est disparata, id non potest facere, quia, vt dicit Arist. 7. Metaph. text. 43 diffe-

differentia constitutiua speciei, debet per se diuidere genus.

Ad 3.arg. D. Thom. Ad tertium argumentum respondent aliqui moderni,dicentes quòd D.Th.2.2. q.11.ar.1.ad 2.dicit,quòd quãdo quis mœchatur vt furetur,mœchia continetur sub furto,sicut species sub genere:& in hac q. 7.dicit,quòd qui furatur vt mœchetur,cõmittit duas malitias in vno actu morali, qui est sub duabus speciebus quasi disparatis.Respõdent(inquã)sub dolo,dicẽtes,Fateor me nescire solutionẽ manifestæ contradictionis quæ in D.Th.reperitur in hac parte:sed tamen non sequitur, quòd si ipsi nesciant conciliare loca D.Tho.sit in ipso cõstãtissimo Doctore aliqua cõtradictio, præsertim cũ D.Th.loco citato 2.2 referat se ad art.6.& 7.huius quæstionis.Respondetur ergo,quòd in 2.2.intendebat docere,quòd hæresis,quæ ex proprio obiecto est species infidelitatis, oritur ex superbia & cupiditate,& quòd ab eis nõ habet speciẽ; sicut qui mœchatur vt furetur, habet speciẽ ex obiecto mœchiæ,ex furto verò habet causam,& sub illo cõtinetur,sicut effectus sub causa,vel sicut species sub genere.Itaq; vtrobiq; fatetur D.Th in tali actu reperiri duplicẽ malitiã, & hæresis, & superbiæ in primo casu,& mœchiæ & furti in secundo;abstinet tamen se à quæstione præsenti,vtrùm altera malitia sit distincta specie ab altera vel eadẽ;solũ enim ad solutionẽ argumenti sufficiebat ei,quòd altera malitia cõnexionẽ habeat cũ alia quomodocunque; & ideò disiunctiuè,quòd cõtinetur sub illa,sicut effectus sub causa, vel species sub genere, relinquendo examen huius ad articulũ 7.huius quæstionis. Vel secũdo respõdetur,quòd licèt illa duplex malitia ex parte operãtis sic se habeat, q vna sub alia materialiter contineatur; nihilominus secundùm se suã speciem diuersam possunt habere,maximè quando secũdùm se disparatè se habẽt,vt iam diximus. Nec obstat, denominationm desumi à posteriori malitia,quia hoc non est quia prima species non reperiatur,sed quia secunda in ordine ad operantem est formalior.

Ad 1. arg. 2. Sent.

Ad argumenta secũdæ sentẽtiæ, prout militant cõtra primam solutionem,respõdetur,quòd in illis locis D.Th. solum intẽdit,in illis actibus reperiri vtramque malitiam,& adulterij,& luxuriæ: non autem intendit, quòd illæ sint distinctæ species; quia,vt diximus,vtraque malitia reperitur eminenter in vna & eadem specie.

Ad secundum argumetum respondetur, quòd vt actus habeat oppositionem cum diuerso dictamine,non requiritur esse plures species malitiæ formaliter, sed sufficit eminenter duplicem malitiam contineri,vt diuerso dictamini opponatur. *Ad 2.arg.* *Ad 3.arg.*

Ad tertium argumentum respondetur, probare de circunstantia disparatè se habẽte respectu prioris malitiæ; non autem probare,quando connexionem habet cũ illa,vt adulterium cum luxuria,vel sacrilegium cum furto;de his enim loquimur in prima conclusione,non constituere diuersam speciem,quia huiusmodi circunstantia per intranea diuidit priorem malitiam, & sic potest esse differentia illius:intrinsecam enim connexionem habet adulteriũ cum libidine;quia,vt ait D.Th.2.2.q.154. art.1.ad 2.& art.7. ad 1.ex nimia libidine prouenit, quòd quis non refugiat facere iniuriam marito vxoris alienæ. Nec mirũ, quòd circunstantia quæ secundùm propriam rationem pertinebat ad aliam speciem,verbi gratia,iniustitiæ, possit habere sufficiẽtem connexionẽ moralẽ cũ priori malitia,quæ secũdũ se erat alterius speciei, vt secũda malitia possit determinare sicut differentia priorẽ malitiam sicut genus: vt enim docet D.Tho.q.2 de malo,art.6.10. facere magnos sumptus in constructione tẽpli,est actus Religionis:licèt facere magnos sumptus,aliàs pertineret ad liberalitatem vel magnificentiam.Similiter licẽt recognoscere beneficium,pertineat ad virtutem gratitudinis secundum se;tamen recognoscere beneficium Deo,& agere gratias pro illo,pertinet ad virtutẽ Religionis, vt docet Caiet.2.2.q.107.ar 3. quia ratio per quam agimus Deo gratias,est actus Religionis,vt patet ex 2.2.q.83.ar.1.& 7.bene ergo potest intelligi talis connexio vel cõuenientia inter rationes morales diuersarũ specierum,vt quando coniungantur,altera determinet alterã,sicut differẽtia genus. *D. Thom.* *Ad 4. arg.*

Ad quartũ arg.resp.quòd licèt in tali actu, metaphysicè loquendo,tãtũ sit vnica species;quia tamen in illa specie continetur eminenter illa duplex malia prædicta, tenetur vtramque explicare in confessione:itaque non tenetur explicare quamcũque rationẽ genericã malitiæ, dum explicat rationem specificã atomam : qui enim explicat furtum,non tenetur confiteri iniustititiam, sed tunc tenetur explicare rationem genericam, quando illa seorsum & secundùm se pertinebat ad alteram spe-

ciem; vt contingit in noſtro caſu de priori malitia determinata per ſuperueniẽtẽ à circunſtantia; immò & non ſemper talẽ malitiã genericã tenetur explicare, ſed ſolùm quando illa non intelligitur in explicatione ſpeciei atomæ. V. g. ſufficit dicere cõmiſiſſe adulteriũ, nec requiritur dicere cõmiſiſſe fornicationẽ; quia licèt malitia fornicationis ſecundũ ſe ſufficeret cõſtituere aliã ſpeciem ab adulterio; tamen in adulterio determinatè intelligitur fornicatio; quando tamen cõmittitur furtum ſacrilegũ, non ſufficit dicere cõmiſiſſe ſacrilegiũ, ſed tenetur dicere hoc feciſſe in materia furti, quia furtũ non eſt genus vt cũq; reſpectu ſacrilegij ſufficiens ſecundùm ſe cõſtituere aliã ſpeciẽ, ſed eſt tale, quòd in explicatione ſacrilegij non intelligitur malitia furti, quia circunſtantia ſacrilegij non ſolũ eſt determinatiua furti, ſed etiã luxuriæ, &c. vnde eget explicari quòd ſit determinatũ vt genus per circũſtãtiã ſacrilegij.

DVBIVM IX.

Vtrùm circunſtantia mutans ſpeciẽ, tribuenſq; bonitatem vel malitiã, augeat priorẽ bonitatẽ vel malitiã intra latitudinẽ propriæ ſpeciei; vt ſi quis furatur propter mœchiam, non ſolùm ſit maior malitia ex parte mœchiæ aduenientis; ſed etiam vtrùm augeatur malitia furti intra propriam ſpeciem furti ex circunſtantia mœchiæ.

1. *Argu.* PRobatur quòd nõ. Primò, quia D. Th. q. 73. ar. 7. explicans grauitatẽ adulterij ſupra fornicationẽ, dicit, illam prouenire ex eo, quòd illa circunſtantia vxoris alienæ trãsfert fornicationẽ in aliud genus, nẽpe iniuſtitię: ergo tantũponit malitiam iniuſtitiæ ſuperadditã, nõ autẽ ꝙ malitia fornicationis ſit maior in ſe ipſa & augeatur.

2. *Argu.* Secundò arguitur. Quando quis ſoluit debitũ (v. g. centũ aureos) propter inanem gloriã, illa circunſtantia inanis gloriæ non tollit quin ille actus ſit virtutis iuſtitię, cùm conſtituat æqualitatẽ inter creditorẽ & debitorẽ: ergo ſimiliter cũ quis retinet aliena iniuſtè propter inanẽ gloriã, circunſtãtia inanis gloriæ non augebit malitiã iniuſtæ detentionis. Patet conſequentia, nã ſi in caſu antecedentis circunſtantia mala nõ tribuit malitiã præexiſtenti actui, nec circunſtantia mala in caſu cõſequentis tribuet maiorẽ malitiã actui malo præexiſtenti.

Tertiò arguitur. Si quis occidat hominẽ ad furandũ bona illius; homicidiũ in tali caſu non habet rationẽ furti maiorẽ repugnãtiã aut contrarietatẽ cũ ratione intra ſpeciẽ homicidij vt ſic, quàm aliàs haberet, ſi exerceretur ſine circunſtantia furti: ergo furtũ non auget malitiã homicidij ſecundũ ſe. Antecedens probatur, quia tota repugnantia quã habet furtũ cũ ratione, eſt, quia eſt acceptio rei alienę inuito domino, & nullo pacto includit in ſe, ſed potius excludit, repugnãtiã ad rationẽ, quã dicit homicidiũ, ſicut vna ſpecies excludit rationẽ formalẽ alterius ſpeciei, vtcõſtat ex doctrina D. Th. q. 66. ar. 3. ergo cũ nihil poſsit dare quod nõ habet, nõ poterit furtũ tribuere homicidio aliquã quantitatẽ repugnantiæ ad rationẽ intra propriã ſpeciẽ homicidij. 3. *Argu.*

Confirmatur. Eadẽ numero circunſtãtia nõ poteſt duas malitias ſpecie diſtinctas cauſare: ergo circũſtantia furti in caſu argumẽti nequit cauſare malitiã iniuſtitiæ quæ eſt in furto, & malitiã in iuſtitięque eſt in homicidio, neq; augere illã; nã augere aliquã malitiam homicidij, eſt cauſare illam. *Confir.*

Quartò arguitur. Etiã in caſu poſito, quãdo quis occidit alterũ ad furãdũ bona illi⁹, illa efficax intẽtio circunſtãtiæ finis neceſſitat Volũtatẽ ad eligendũ homicidiũ, tanquã mediũ neceſſariũ ad furtũ: ergo circũſtãtia furti no auget, ſed potius minuit malitiã homicidij; ſiquidẽ neceſsitando volũtatẽ ad homicidiũ, minuit voluntariũ & liberũ, quod in illo poterat eſſe; ſicut cõcupiſcentia minuit voluntariũ & liberũ quod poterat reperiri in peccato ex paſsione ſubſequuto. 4. *Argu.*

Cõfirmatur, dato enim quòd intentio efficax circunſtantię malifinis nõ neceſsitet Voluntatẽ ad eligendũ homicidiũ in ordine ad furtũ, multũ minuit devolũtario homicidij: ergo nõ auget eius malitiã, quia in tantũ eſt peccatũ, in quantũ voluntariũ, vnde quod minuit voluntarium, minuet malitiã peccati. Antecedens probatur, quia homicidiũ in illo caſu nõ eſt directè & per ſe volitũ, ſed tantũ in directè, vt mediũ propter aliud: ergo nõ eſt ita volitũ, ſicut furtum, quod eſt directè & propter ſe volitum. *Confirm.*

Vltimò arguitur, nã ſequitur aliàs, quòd quanto malitia circunſtãtiæ eſt grauior, tãto magis augeat malitiã actus cui adiungitur: conſequens eſt falſum: ergo. Sequella 5. *Argu.*

patet

patet ex proportione. Minor verò probatur, nã qui occidit hominẽ, vt ab eo furetur centũ aureos, peiorẽ circunstantiã apponit, quã qui occidit vt furetur decẽ: & tamẽ homicidiũ in primo casu nõ ita aggrauatur sicut in secũdo, vt patet ex cõmuni cõsensu; & quia quãto res furata, est pretiosior, tanto magis attrahet voluntatẽ ad occidendũ possidentẽ illã, atq; adeò motiuũ reipretiosæ minuit malitiã peccati, vt cõstat ex D. Th. q. 73. ar. 5. quod leuius peccat qui accedit ad pulchrã, quã qui ad fœdã; quia pulchritudo est maius motiuũ luxuriæ. Cõfirmatur, nã qui occidit hominẽ ex odio, peiorẽ circũstantiã apponit, quã qui occidit ad furandũ; nã prima circunstantia opponitur Charitati, secunda verò iustitiæ; & sicut Charitas est maior virtus, ita quod ei opponitur, maius peccatũ; & tamẽ maiorẽ malitiã habet homicidiũ propter furtũ, quã homicidiũ ex odio: ergo circunstãtia nõ auget malitiã præexistentẽ. Probatur minor, nam in homicidio ex odio tantũ est vnica malitia homicidij; in homicidio verò propter furtũ, est malitia homicidij & furti: ergo ista est maior quã illa.

Conf.

Not. 1. Pro intelligẽtia notãdũ. Primò, quòd obiectũ actus cui adiũgitur circũstãtia, potest dupliciter cõparari ad illã. Primò taliter, quòd obiectũ sit per se primò intẽtũ tãquã ratio formalis mouens Volũtatẽ: circũstãtia verò sit secũdò volita, tãquã cõditio coniuncta obiecto. V. g. in adulterio delectatio venerea est per se primò intẽta tanquã ratio formalis mouens voluntatẽ; circũstantia verò iniustitiæ tantũ est volita secũdariò, quatenus ex affectu ad delectationẽ venereã quã per se primò intendit, non curat facere iniustitiã marito; vt patet ex Caiet. 2. 2. q. 154. ar. 5. & 2. Secundo modo possunt obiectũ & circunstantia ad inuicẽ cõparari oppositomodo, taliter vt circũstãtia sit per se primò intẽta tanquã finis, & ratio formalis mouens bonitatẽ, vt tendat in obiectũ: qua propter obiectũ erit volitũ secundariò tanquã materia & mediũ respectu circunstãtię. V. g. occidit quis aliquem ad furandũ bona illius; circunstantia furti est finis per se primò volitus, & quasi ratio formalis mouens Voluntatẽ, homicidium verò tantũ est volitũ secundariò, vt materia & medium respectu furti, vt docuit D. Thom. articul. 6. & 7.

Not. 2. Secundò notãdũ ex Caiet. modò citato, quòd in adulterio, vbi duplex malitia reperitur, & luxuriæ, & in iustitię, malitia luxuriæ potest dupliciter considerari. Primò secundũ se & ex obiecto, sine coniunctione ad iniustitiã, vel aliud quodlibet. Secundò quatenus ex magnitudine luxuriæ procedit iniustitia; siquidẽ vt expleat voluptatẽ, nõ curat facere in iustitiã marito. In hac ergo consideratione delectatio in luxuria reperta specialẽ repugnantiã habet ad rationẽ quã haberet ex se, & intensiùs est volita, vt effectus manifestat; si quidem adeò effrænatè ducitur in delectationẽ, vt propter ipsam velit etiam iniustitiam incurrere. Tertiò etiam recolendum quod suprà diximus, quòd medium potest dupliciter considerari. Primò secundùm bonitatem vel malitiam quam in se habet, quod est cõsiderare illud materialiter. Secundò potest considerari formaliter vt vtile ad finem secundùm quòd intentio redundat in electionem medij, vt docet D. Thom. quęstione sequenti, artic. 8. Quartò recolendum etiam quod supra diximus, quòd id quod minuit voluntarium, minuit malitiam; vt etiam dicitur infra quæst. 73. artic. 6. & è contra quod auget voluntarium, auget malitiam actus; quia in tantum aliquid est peccatum, in quantum est voluntarium.

Prima conclusio. Quando obiectum actus moralis, cui coniungitur circunstantia, se habet ad illam vt finis per se intẽtus, & quasi ratio formalis mouens Voluntatem, circunstantia autem solùm se habet vt conditio coniuncta obiecto & secundariò volita; tunc circunstantia auget bonitatem vel malitiam, quam actus habebat ex proprio obiecto intra latitudinem suę speciei; V. g. in adulterio circunstantia iniustitiæ auget malitiã luxuriæ intra suãspeciẽ, quia quod per se primò intenditur, est luxuria. Probatur primò conclusio ex D. Th. 2. 2. q. 154. ar. 1. ad 2. vbi ait, quòd in adulterio est deformitas luxurię & iniustitię; nec deformitas iniustitię omninoper accidens se habet ad luxuriã; ostenditur enim luxuria grauior, quæ in tantum concupiscentiã sequitur, q̃ etiã in iniustitiã ducat. Et ar. 6. ad 3. docet, quòd nihil prohibet vnũ peccatũ ex adiunctione alterius deformius fieri: fit autẽ deformius peccatũ luxuriæ ex peccato iniustitiæ, quia videtur concupiscentia esse inordinatio quæ â delectabili non abstinet, vt iniuriam vitet. Et artic. 7. ad 2. loquendo de raptu, qui est species luxuriæ, inquit, quòd inferre violentiam, videtur procedere ex magnitudine concupiscentiæ, ex qua aliquis non refugit periculo se

1. Conc.

immittere inferendi violentiam. Secundò probatur ratione formata ex his locis Illa circunstantia cum sit de obiecto difficili, retrahit,quantum est ex se, hominem â cõmissione illius:ergo qui ex appetitu & magnitudine luxuriæ non refugit periculum & malitiam illius circunstantiæ,fertur maiori conatu & intensione & magis voluntarie in ipsam luxuriam , vt diximus; & cùm voluntarium augeat peccatum,fit, vt in tali casu augeatur malitia luxuriæ. Confirmatur. Circunstantia quæ vehementer impellit ad aliquod peccatum, minuit voluntarium circa ipsum,& facit illud leuius, ex Diuo Thoma, quæstion. 73. articulo 5. & 6 ergo è contra circunstantia retrahens à peccato, augebit voluntarium, & aggrauabit malitiam peccati. Tertiò probatur. Si quis conferat in eleemosynam centum, illa magna quantitas auget bonitatem specificam eleemosynæ; & qui furatur mille aureos, illa circunstantia magnæ quantitatis auget malitiam specificam furti : ergo idem dicendum erit de circunstantijs de quibus loquimur in conclusione. Si respondeatur,quòd istæ circunstantiæ non mutant speciem , sed sunt intra eandem furti vel eleemosynę,& ideò possunt augere illam:circunstantiæ autem,de quibus in cõclusione, sunt mutãtes speciẽ; vnde cùm sint extra speciem priorem,non possunt augere malitiam illius:Contrapro batur, nam licet circunstantia mutet speciem; tamen absolutè & simpliciter est circunstantia faciens quòd obiectum cui coniungitur,sit magis voluntarium : ergo auget malitiam eius, sicut circunstantia non mutans speciem. Confirmatur,nam etiam si fingamus,circunstantiam loci sacri non tribuere nouam speciem sacrilegij furto; adhuc talis circunstantia aggrauaret malitiam furti : ergo idem faciet, licèt defacto tribuat nouam speciem sacrilegij. Antecedens probatur,quia in illo casu etiam ratio dictaret, bona Ecclesiæ debere esse magis tuta,quàm bona profana,& consequenter irreuentia loci sacri diceret specialem repugnantiam ad rationem,& faceret peccatum furti grauius. Quartò probatur,nam, vt docet D. Thom. hic art. 3. ad bonitatem actus nõ solùm requiritur bonitas ex obiecto, sed etiam ex omnibus circunstantijs: ergo nõ solùm vitiabit actum malitia obiecti,sed etiam intra eandem speciem vitiabit illum malitia cuiusque circunstantiæ:quia licèt circunstantia superaddat nouam malitiam alterius speciei,non tollitur,quin sit mala circunstantia prioris speciei, ratione cuius prior species habeat defectum illius bonæ circunstantiæ quam exposcebat habere. Quintò probatur. Si quis cõferat eleemosynam,quando non debet illa mala circunstantia temporis vitiat actũ aliàs bonũ: ergo etiam augeret malitiam, si actus esset aliàs malus;quia maiorem capacitatem habet actus malus,quàm bonus,ad recipiendam malitiam ex circunstantia mala.

Solutio.

Impug.

Ex hac conclusione sequitur, quòd qui fecit adulterium,vel occidit clericum,non satisfacit in confessione,si ex vna parte cõfiteatur fornicasse, & ex alia parte fateatur feciſse iniustitiã;nec sufficit dicere,ex vna parte fuisse homicidã,&ex alia dicere fecisse sacrilegiũ;quia non explicat grauitatẽ su peruenientẽ luxuriæ ex iniustitia & homicidio & sacrilegio;vnde tenetur dicere,cõmisisse adulteriũ,& occidisse clericum. Ex quo etiã amplius cõprobatur cõclusio, nã si nõ sufficit vtrũq;seorsum cõfiteri, signũ euidens est , ꝙ aliqua maior malitia est in priori specie ratione circunstantiæ,præter illã quã ex se seorsum importat circunstãtia. De quo videatur in additionibus ad 3. p.q.9.ar.2.& Siluc.verbo Cõfessor. 1.q.2. *Corol.*

Secunda conclusio. Quando circunstantia est per se primò intenta,& quasi finis & ratio formalis volendi obiectũ cui adiungitur,tunc è conuerso bonitas vel malitia circũstantiæ augetur ex bonitate vel malitia obiecti actus cui adiungitur; v. g. occidit quis hominẽ ad furandũ bona illius, tunc circunstantia furti aggrauatur ex homicidio. Probatur primò ratione præcedentis cõclusionis,nã in isto casu ex vehemẽti affectu ad furtũ, non refugit homicidiũ:vnde colligitur,quòd furtũ est magis voluntariũ,& cõsequenter eius malicia augetur. Secundò probatur, nã intentio aliàs boni finis vitiatur ex electione mali medij;vtcũ quis furatur ad dandam eleemosynã:ergo malitia intẽtionis mali finis etiã augetur ex electione mali medij , & sic aliæ rationes præcedentis conclusionis vice versa poterunt accomodari præsenti. *2. Conclu.*

Ad primũ respondetur,quòd quãdo D. Thom docet,circunstantiã in iustitiæ trãsferre actũ luxuriæ ad aliã speciẽ , non negat,quin etiã augeat malitiã quã luxuria habebat ex obiecto; sed id docet expresse locis citatis in prima conclusione. *Ad 1.arg.*

Ad secundum,negatur antecedens; nã ille actus non est virtutis iustitiæ ob defectum

finum, debitæ circunstantiæ, vt constat ex doctrina D. Thom. hic, artic. 3. sed tantùm est actus iustitiæ materialiter & in esse naturæ, vnde in casu consequentis retentio iniusta rei alienæ aggrauatur in se ex circunstantia vanæ gloriæ, propter rationem in secunda conclusione.

Ad 3. arg. Ad tertium, patet ex 1. & 2. conclusione, dicitur que, quòd quando furatur quis in loco sacro, licèt circunstantia sacrilegij non contineat rationem formalem furti, sed eã excludat, sicut ratio formalis vnius speciei excludit aliam; tamen aggrauatur furtum intra propriam speciem, quia actus furti vt sic, est magis voluntarius ex adiunctione ad sacrilegium, vt dictum est. Ad

A confirmationem, distinguitur antecedens secundùm eandem rationem; secundùm diuersas negatur, vt patet ex his quæ diximus dubio 2.

Ad 4. arg. Ad quartum, negatur antecedens, nam efficax intentio finis non necessitat Voluntatem ad eligendum aliquod medium in particulari, quando sunt plura quibus potest consequi finis: si tamen sit vnicum tantùm medium, necessitatur Voluntas ad illud, non absolutè, sed suppositâ efficaci intentione finis; vnde absolutè liberè eli-

Ad conf. gitur illud medium, vt dicitur suprà quæst. 13. artic. 6. Ad confirmationem respondetur ex 4. notabili, quòd dato quòd homicidium in casu argumenti non aggrauetur secundùm speciem homicidij, aggrauatur in quantum assumitur vt medium in ordine ad finem furti; malitia enim intentionis finis redundat in electionem medij, vt dicetur q. sequenti art. 8.

Ad 5. arg. Ad quintum respondetur per secũdam conclusionem, quòd circunstantia finis in illo casu aggrauatur ex malitia medij, & in tantum magis aggrauatur, in quantum minor bonitas apparet in ipso furto, quia ostenditur Voluntas magis infrænatè in furtum tendere, & adeò intensè, vt propter illud consequendum non refugiat malitiã homicidij perpetrare, quæ debebat Volũtatem à fine intento retardare & retrahere; vnde homicidium ipsum in tali casu est magis voluntarium, & maius peccatũ, quia participat malitiam ex illo fine, in quo minor bonitas & maior malitia apparet. Et quando dicitur in argumento, quòd quantò circunstantia mali finis est grauior, tantò magis aggrauat malitiam medij qui adiũgitur; debet intelligi, si sint cætera paria; in præsentiarum autem est dispar ratio; nam licèt furtum maioris quantitatis sit grauius ex circunstantia in ratione furti, quàm furtum minoris quantitatis: tamen ex alia parte quando quis occidit hominem, vt furetur ab eo decem aureos, tantùm ostenditur maior contemptus vitæ proximi, quã si occidat ipsum vt furetur mille aureos; & ita licèt circunstantia maioris furti magis aggrauet secundùm quid & in ratione furti, quàm circunstantia minoris furti, tamen simpliciter loquendo, magis aggrauat circunstantia minoris furti propter maiorem vitæ proximi contemptum, qui peior est, quàm furtum. Et ad exemplum allatũ, dicitur, quòd quãdo communiter dicitur, quòd qui maius motiuum habet, leuiùs peccat; intelligitur, si illud motiuum nõ habet aliam maiorem malitiam, vt in exemplo fœminæ ibi allato, cuius maior pulchritudo ita est maius motiuum, quòd non sit maius malum obiectiuè; non tamen intelligitur, quando illud maius motiuum est maius malum obiectiuè, vt contingit in circunstantia minoris furti, in qua est maius malũ obiectiuè, quàm in circunstãtia maioris furti; quia, vt dictum est, relucet ibi maior contẽptus vitæ proximi. De hoc tamen plura dicenda sunt quæstione sequẽti, art. 8. vbi latè ostendetur, quo pacto bonitas vel malitia intentionis finis redũdat in electionem medij; hic enim tantùm intẽdimus explicare, quomodò circunstantia aggrauet in bonitate vel malitia actum cui adiungitur. Ad confirmationem respon- *Ad conf.*

detur, quòd qui occidit hominem ex odio generali, quod virtualiter includitur in omni peccato quod contra proximum committitur, non peccat grauiùs atque si occidat hominem ad furandum bona illius, nã tale odium, nec est specialis circunstantia, nec addit nouam malitiam distinctã à malitia homicidij: si tamen occidat ipsum ex speciali & formali odio, prout est peccatũ speciale contra proximi Charitatẽ tũc grauiùs peccat in homicidio, quia malitia odij est maior quã malitia furti, atque adeò efficitur homicidiũ grauiùs, vt dicetur quæstione sequenti art. 8. Ex dictis sequitur, quòd si quis occidat hominẽ ad furandum bona eius, nõ satisfacit in cõfessione dicendo ex vna parte se fuisse homicidã, & ex altera se comisisse furtũ, sed tenetur explicare habitudinẽ vnius peccati ad aliud, propter grauitatẽ quæ illi accrescit ex adiunctione ad illud, iuxta id quod diximus in fine primę conclusionis.

DVBIVM X. EST,

Vtrum circũstantiæ nõ mutãtes speciẽ, augẽtes tamẽ bonitatẽ vel malitiã actus moralis, tribuant vnã numero bonitatẽ aut malitiã actui; an verò plures distinctas numero.

Argum. RAtio dubitandi est, nam D.Th. infrà, q.73.ar.7.docet, quòd si prodigus det quando non debet, & cui non debet, multipliciùs peccat eodem genere peccati, quã si solũ det cui non debet, & ex hoc ipso peccatũ sit grauius: igitur huiusmodi peccatũ plures habet malitias numero distinctas; nã aliàs non esset verũ, dicere, quòd prodigus ille peccat multipliciùs. Confirmatur, quia si circũstantiæ dant eãdẽ numero malitiã, sequitur, quòd etiã conueniant in vnico & eodẽ numero & modo aggrauante peccatũ, & consequenter frustra D. Tho. & antiqui Theologi distinguerẽt circũstantias istas in ordine ad effectũ aggrauandi peccatũ; siquidẽ omnes aggrauant eodẽ pacto. Idẽ argumentũ potest fieri de bonis circunstantijs, quę non mutant actũ bonũ in aliã speciẽ. In hoc dubio Conr. artic. 11. existimat, quãlibet circunstantiam existis dare actui vnã numero malitiã, numero distinctã ab ea quæ ab altera circunstantia tribuitur; immò putat, quòd in tali actu est multiplex malitia specie partiali distincta; omnes tamen simul constituere peccatũ vnicũ, propter ordinẽ ad finẽ vnũ.

Conclus. Conclusio est. Quando plures circũstãtiæ non mutantes formaliter speciẽ, cõcurrunt ad eundẽ actũ moralẽ, non tribuunt actui plures malitias aut bonitates specie partiali aut numero distinctas, sed tantùm cõferunt eandẽ numero malitiã vel bonitatẽ, ita vt posteriores circunstantiæ augeãt & extendant malitiã vel bonitatẽ prędictẽ. Secunda pars probatur primò, nã, vt cõstat ex ar.2. huius quęstionis, bonitas actus humani consistit in habitudine quadã conformitatis ad obiectũ consonum rectæ rationi; malitia autẽ per oppositũ in habitudine difformitatis ad obiectũ dissonũ eidẽ rectæ rationi; sed quãdo confert quis eleemosynã cui debet, quãdo & quomodò debet, tantũ est in actu eleemosynæ vnica & simplicissima habitudo cõformitatis ad obiectũ & ad regulã rationis: ergo illę circũstantię nõ tribuunt pluresbonitates specie particulari distinctas. Minor probatur, nã omnes illæ circũstantiæ sunt velut cõditio, nes & fundamenta illius habitudinis cõformitatis; sicut plures filij sunt fundamenta eiusdẽ relationis paternitatis; & ita ex omnibus illis circũstãtijs resultat vnica cõformitas ad regulã rationis; nã si aliqua circunstantia deficeret, nõ esset idẽ dictamen rationis, sicut ex omnibus mẽbris rectè inter se dispositis resultat vnica pulchritudo, & ex proportione pluriũ humorum vna sanitas, quæ secundũ probabiliorẽ sententiã sunt simplices qualitates. Cõfirmatur primò, nã obiectũ illius actus habet vnã simpliciſsimãbonitatẽ obiectiuã mensuratam ab vnica & eadẽ regula virtutis: ergo actus habet vnicã & eandẽ bonitatẽ formalẽsim pliciſsimã. Confirmatur secundò, nã actus seu habitus Theologiæ est vnius speciei propter vnicã habitudinẽ ad obiectum, & quantũuis ad plura se extẽdat ille habitus, & sit maximus quantũ ad intensionẽ, tamẽ non dicitur habere plures species partiales: ergo idẽ dicendũ est de actu eleemosynæ in casu argumẽti. Cõfirmatur tertiò, nã aliàs bonitas illius actus nõ haberet maiorẽ vnitatẽ quã habet exercitus. Secunda pars cõclusionis probatur. Malitiæ vel bonitates solo numero distinctæ nequeũt reperiri plures in eodẽ numero actu: ergo quãdo aliquis dat eleemosynã cui debet, quomodò & quãdo debet, in illo actu numero nõ sunt plures bonitates numero distinctæ. Antecedens probatur, nã bonitates autmalitię multiplicãtur secũdũ multiplicationẽ actuũ quantũ ad suã entitatẽ, cũ ipsæ bonitates aut malitię etiã sint positiuæ entitates. Cõfirmatur, nãlicèt in eodẽ actu entitatiuè sumpto sint diuersæ rationes bonitatis, aut malitiæ moralis specie distinctæ secũdũdiuersas formalitates, aut diuersas cõsiderationes; tamẽ nõ est posſibile, quòd illæ moralitates distinguãtur numero entitatiuè, nisi sint in plurib⁹ actib⁹ distinctis numero entitatiuo; quia plura accidẽtia solo numero differẽtia nequeũt esſe in eodẽ subiecto.

Ad arg. Ad arg. resp. quòd ad hoc quòd aliquis dicatur multipliciter peccare, satis est cõmittere peccatum, cuius eadẽ numero malitia aggrauetur ex multiplici circunstantia.

Ad conf. Ad confirmationem respondetur, quòd quia quælibet ex illis circunstantijs est per se sufficiens ad reddendum malum ipsum actum, ideò oportuit eas seorsum considerare: priores autem circunstantiæ valent vitiare actum; posteriores verò aggrauant eandem numero malitiam illius; sicut primus gradus albedinis cõstituit eandem albedinem specie & numero in Petro; posteriores

riores autem gradus intendunt ipsam; & idem est de extensione quantitatis.

QVÆSTIO XIX.

De bonitate & malitia actus interioris Voluntatis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm bonitas Voluntatis depēdeat ex obiecto.

Par. 4. non multum remote ante finem.

AD Primum sic proceditur. Videtur quòd bonitas Voluntatis non depēdeat ex obiecto. Volūtas enim non potest esse nisi boni, quia malum est præter voluntatem, vt Dion dicit 4. cap. de diuin. nomin. si igitur bonitas voluntatis iudicaretur ex obiecto, sequeretur, quòd omnis voluntas esset bona, & nulla esset mala.

Cap. 5. tir. 64 me. to. 5.

Secundò præterea. Bonum prius inuenitur in fine; vnde bonitas finis, in quantum huiusmodi, nō dependet ab aliquo alio: sed secundùm Phil. in 6. Ethic. bona actio est finis, licèt factio nunquàm sit finis; ordinatur enim semper, sicut ad finē, ad aliquid factum: ergo bonitas actus Volūtatis nō depēdet ex aliquo obiecto.

3. Præterea. Vnumquodq; quale est, tale alterū facit: sed obiectū Voluntatis est bonū bonitate naturæ; nō ergo potest præstare Voluntati bonitatem moralem: moralis ergo bonitas

Cap. 1. in prin. tom. 5

Voluntatis non dependet ex obiecto.

Sed contra est quod Philosophus dicit in 5. Ethic. quòd iustitia est secundū quam aliqui volunt iusta, & eadem ratione virtus est secundùm quam aliqui volunt bona: sed bona voluntas est quæ est secundū virtutem: ergo bonitas Voluntatis est ex hoc quòd aliquis vult bonum.

Respondeo, dicendū, quòd bonum & malū sunt per se differētiæ actus Voluntatis; nā bonum & malū per se ad Voluntatē pertinent, sicut verū & falsum ad Rationem, cuius actus per se distinguitur differentia veri & falsi; prout dicimus, opinionē esse verā vel falsam: vnde voluntas bona & mala sunt actus differentes secundū speciē; differentia autē speciei in actibus est secūdū obiecta, vt dictū est: & ideò bonum & malū in actibus Voluntatis proprie attenditur secundùm obiecta.

Ad primū ergo, dicendū, quòd Voluntas non semper est veri boni, sed quandoq; est apparentis boni; quod quidē habet rationē aliquā boni, nō tamen simpliciter conuenientis ad appetendum; & propter hoc actus Voluntatis non est bonus semper, sed aliquando malus.

Ad secundū, dicēdū, quòd quāuis aliquis actus possit esse vltimus finis hominis secundùm aliquem modum, nō tamen talis actus est actus Voluntatis, vt suprà dictum est.

Quæst. 3. ar. tic. 4.

Ad tertiū, dicendum, quòd bonū per Rationē repræsentatur Volūtati vt obiectū: & in quantū cadit sub ordine Rationis, pertinet ad genus moris, & causat bonitatē moralem in actu Voluntatis: Ratio enim principium est humanorum & moralium actuum, vt suprà dictum est.

Incorp. & q. 18. ar. 5.

Conclusio est affirmatiua.

Postquàm Diuus Thomas quæstione præcedēti egit de bonitate & malitia actuū humanorum incōmuni, modò in hac quæstione & sequenti agit de bonitate & malitia actus interioris & exterioris in particulari; & quia actus interior principalem locum obtinet, quia est forma actus exterioris,

ris, quapropter in illo per prius reperitur bonitas vel malitia, quia per prius reperitur in illo ratio voluntarij, quod est fundamentum bonitatis & malitiæ, vt suprà diximus; ideò in hac quæstione prius agit de actu interiori. Et quidem bonitas actus interioris considerari potest secundùm duplicem rationem. Primò secundùm quòd absolutè & sine ordine ad alium actum cõsideratur, & hac ratione agit D. Thom. de bonitate vel malitia illius, vsque ad art. 6. inclusiuè. Secundò potest considerari in ordine ad alium actum, videlicet secundùm bonitatem vel malitiam quam habet (verbi gratia, electio ex intentione, vel è contra) & isto modo agit de illo ab art. 7. vsque ad finem quæstionis. Rursus, actus interior in prima consideratione & secundùm se, potest comparari & ad obiectum, & etiam ad principium; quod quidem duplex est, & intrinsecum, nempe ratio, & extrinsecum, videlicet lex æterna: in articulo ergo primo & secundo agit D. Thom. de bonitate & malitia per ordinem ad obiectum; ab articulo verò tertio, vsq; ad sextum, agit de bonitate & malitia actus per ordinem ad rationem & legem æternam.

DVBIVM I.

Vtrùm bonum & malum sint per se differentiæ actus interioris Voluntatis.

1. *Sent.* IN Hac re est prima sententia asserens, quòd bonum & malum sunt differentiæ per se actus humani, etiam considerati in esse naturæ. Hanc tenet Conradus hic & quæstione sequenti, art. 6. Ferrara 3. contra Gentes, c. 10. Capreolus in 2. dist. 40. q. 1. conclusione 3. Gabriel in 2. q. 41. art. 2. conclusione 4. & pro eadem refertur Richardus ibidem.

Cont. Ferrara. Capreol. Gabriel. Richard.

1. *Arg.* Hæc sententia probatur primò ex D. Thom. in hoc articulo, vbi expressè videtur hoc affirmare. Item etiam in 2. dist. 40. q. vnica, art. 1. in isto enim articulo dicit, eodem modo se habere bonum & malum in ordine ad actum interiorem Voluntatis, sicut verum & falsum in ordine ad actum Intellectus: certum est autem, quòd verum & falsum, saltem fundamentaliter, vt explicat Conradus, sunt per se differentiæ actus Intellectus, etiam in esse naturæ: ergo similiter bonum & malum secundùm D. Thomam erunt differẽtiæ per se actus interioris Voluntatis. In secundo autem sententiarum dicit, quòd ea quę per se pertinent ad aliquod genus, distinguuntur differentijs per se illius generis, sicut nigredo & albedo, quia per se pertinẽt ad genus coloris, distinguuntur per se differentijs illius generis: quæ autem per accidens pertinent ad aliquod genus, distinguũtur per accidens differentijs illius generis; & adducit exemplum de claui & cultello, quæ in esse naturæ sunt eiusdem substantiæ & materiæ; per accidens autem reducuntur ad genus artificiale; quapropter per accidens distinguuntur differentijs artificij. Sic ergo (inquit D. Thom.) actus Voluntatis cũ per se pertineat ad genus moris, per se distinguitur differentijs generis moris, videlicet bono & malo; actus autem aliarum potentiarum, quia per accidens continentur sub actu Voluntatis, & consequenter sub genere moris, ideò per accidens distinguũtur differentijs generis moris, per bonum & malum. Quid clarius in D. Tho? Nec potest dici retractasse sententiam, quia q. 20. sequenti art. 6. interrogans vtrùm idem actus exterior possit esse bonus & malus, diffinit, quòd actus exterior potest esse bonus & malus successiue; in quo insinuat, hoc actui interiori conuenire non posse, & non alia ratione, nisi quia bonum & malũ sunt differentiæ per se actus interioris, & in esse naturæ considerati, & oppositæ differentiæ per se etiam successiue eidem numero conuenire non possunt.

2. *Arg.* Secundò arguitur. Actus interior Volũtatis etiã in esse naturæ intrinsecè est liber: ergo intrinsecè est bonus vel malus. Cõsequentia patet, nã ideò bonũ & malũ nõ cõuenit per se & intrinsecè actui exteriori, quia actui exteriori tantũ conuenit extrinsecè esse liberũ: ergo si interiori intrinsecè conuenit esse liberum, cõsequenter & esse bonum & malum.

3. *Arg.* Tertiò arguitur. Differentia quę desumitur ex obiecto, est differentia per se: sed bonũ & malũ respectu actus interioris desumitur ex obiecto, quia licet desumatur ex fine, hoc ipsum est obiectũ actus interioris, vt suprà diximus: ergo bonũ & malũ differentiæ sunt per se actus interioris.

4. *Arg.* Quartò arguitur. Bonũ & malũ sunt differentiæ per se habitus Volũtatis: ergo & actus illius. Antecedens probatur, quia habitus Voluntatis vel essentialiter inclinat ad bonũ, vel ad malũ, vt dicitur infrà q. 55. art. 3. & 4. Consequentia verò probatur, quia omnis determinatio habitus pronenit

nit ab actu:ergo si habitus intrinsecè est bonus vel malus,similiter & actus.Quintò arguitur.Bonum est differentia per se actus amoris supernaturalis:ergo etiam erit differentia per se cuiuscunque actus boni Voluntatis.Antecedens patet,quia amor Dei essentialiter est bonus moraliter. Consequentia verò probatur,quia quantum ad hoc,omnes actus boni Voluntatis purificantur,proportionabiliter enim specificãtur à suis obiectis bonis . Confirmatur. Actus præceptus quia bonus,& actus prohibitus,quia malus essẽtialiter est bonus,& malus moliter, quãtũcunque cõsiderentur secũdũ naturã actus:ergo absolutè concedendum est,bonum & malum esse differẽtiam per se actus Voluntatis, etiam in esse naturæ.Antecedens probatur, quia prædicti actus inseparabiliter habent bonitatem vel malitiam.

Confir.

2.Senten. Secunda sententia per oppositum affirmat,quòd bonum & malum non sunt per se differentiæ actus interioris in esse naturæ,sed tantùm accidentales; per se autem solùm sunt differentiæ actus considerati in esse moris.Hanc tenẽt comuniter Thomistę(vno Conrado,vel alio excepto)immò Scotus in 1.dist.17.quæst.2. D.Bonauentura in 2.dist.41.ar.1.quæst.2. Duran. in 2.dist.40.q.3.& Maior dist.41.q.2.par. 2.& Iuniores etiam extra scholã D. Tho. sequuntur hanc sententiam.

Conrad. Scotus. D.Bonau. Duran. Maior.

1.Arg. Quæ probatur primò ex D.Thom.suprà quæst.1.art.3.ad 3.vbi docet,quòd idẽ actus in esse naturæ potest pertinere ad diuersas species; vt occidere, quod in esse naturæ semper est eiusdem speciei,si ordinetur ad satisfactionem iustitiæ, pertinet ad species iustitiæ;si verò ordinetur ad vindictam, est in specie oppositа in iustitiæ. Et licèt D.Thom.ibi loquatur de actu exteriori,extendit tamen doctrinam prædictam ad omnem actum; intendebat enim ibi,qualiter actus specificetur à fine; & cũ posuisset tertium argumentum cõtra hoc, quia potest idem actus ordinari ad diuersos fines: ergo specificatio non sumitur à fine,quia tunc actus esset simul in duabus speciebus:Respondet, quòd idem actus in esse naturæ bene potest esse in duabus speciebꝰ moralibus.Vbi generaliter insinuat, moralitatẽ accidere naturæ actus,& sic idẽ in esse naturæ posse habere diuersam speciẽ moralẽ.Et q.præcedenti 18.passim cõparat bonitatẽ vel malitiam moralem entitati naturali actus, sicut cõparatur bonitas naturalis ad substantiã rei. Certũ est autẽ, quòd bonitas vel malitia naturalis, non est differentia per se entis,vt explicat D.Tho. 1.p.q.48.vbi ostendit,bonũ & malũ tantũ esse differentiã per se actus moralis. Hoc ipsum colligitur etiã ex modo procedendi à q.11.superiori vsque ad 16.vbi D.Th. intendit diuidere actum humanũ in esse naturæ,&sic facit diuisionẽ,quòd actus humanus,vel est circa finẽ,vel circa media.Si circa finẽ,vel est simplex volitio vel amor, vel fruitio,vel intensio.Si verò est circa media,vel est electio,vel vsus , vel consensus: nunquàm autẽ meminit in tali diuisione bonitatis vel malitiæ moralis;sentitque manifestè,istas nõ esse differentias per se actus in esse naturæ.

Secundò probatur ratione, nam idem actus numero in esse naturæ potest habere duplicem bonitatẽ aut malitiã diuersæ speciei:ergo non sunt differentiæ per se. Patet consequentia, nã differentiæ per se nõ possunt multiplicari in eodem indiuiduo eiusdem generis. Antecedens verò probatur,namquãdo quis vult furari propter fornicationẽ,ille actus est in duplici specie mali,furti & mœchiæ,vt suprà diximus.Similiter quãdo quis ieiunat, & propter bonũ tẽperantiæ,& propter impletionẽ voti;ille actus est in duplici specie, boni temperantiæ,&religionis,vt etiã suprà diximus. *2.Argu.*

Tertiò probatur,nam,vt inquit D. Th. hic,bonum & malum sic se habent respectu actus in esse naturæ, sicut verũ & falsum respectu actus Intellectus:sed verũ & falsum non sunt differẽtiæ per se actus Intellectus in esse naturæ cõsiderati:ergo nec bonũ & malũ respectu actus Voluntatis. Minor est Arist.in prædicamento substãtiæ,vbi docet,quòd eadẽ opinio potest esse successiuè vera & falsa : quod cõtingere nõ posset,si verũ & falsum essent differentiæ per se,in istis enim nõ potest esse transitus,sed solũ in differẽtijs per accidẽs. Nec valet solutio Cõradi,quòd D.Th.non cõparat bonũ & malũ vero & falso,accipiendo verũ & falsum formaliter, pro relatione cõformitatis aut difformitatis ad Intellectũ;sic enim certũ est , verũ & falsum esse differentias per accidens: sed sumit Diuus Thom. verum & falsum pro fundamento talis relationis ; hoc est pro negatione, & affirmatione ; qua ratione verum & falsum sunt differentiæ per se actus Intellectus. Hæc (inquam) solutio non valet, nam supponit falsum , quòd verum & fal- *3. Arg. D. Thom.* *Solutio.*

& falsum possint accipi pro negatione & affirmatione, cùm eadem negatio possit fundare successiue relationem veritatis & falsitatis, & similiter eadem affirmatio. Itē quia D. Thom. non loquitur de vero & falso fundamentaliter, sed formaliter, vt patet si attentè inspiciatur, quia cùm loquatur de bonitate & malitia formali, sic etiam debet loqui de vero & falso, aliàs autem nō fieret comparatio secundùm eandem rationem. Itaque verum & falsum fundamentaliter per se pertinent ad actum Intellectus: verum autem & falsum formaliter, tantùm pertinent per accidens. Similiter & bonum & malum fundamentaliter per se pertinent ad actum Voluntatis, sicut & esse liberum; nihil enim aliud est bonitas vel malitia fundamentaliter, quàm ipsa libertas actus in esse naturæ; formaliter autem bonitas & malitia, vt dicunt conformitatem & difformitatem ad Rationem, per accidens conueniunt tali actui: & in hoc consistit comparatio D. Thom. boni & mali, ad verum & falsum; quòd sicut verum & falsum, licèt fundamentaliter pertineant per se ad actus Intellectus, formaliter pertinent per accidens: ita similiter bonum & malum, licèt fundamentaliter pertineant per se ad actum Voluntatis in esse naturæ, formaliter tamen pertinēt per accidens. Non est autem ad propositum comparare verum & falsum fundamentaliter cum bono & malo formaliter. Videatur D. Thom. 1. part. quæst. 48. art. 1. ad 2. vbi docet, qualiter bonum & malum non sunt differentiæ constitutiuæ nisi in moralibus: & quæst. 2. de malo art. 6. ad 3 vbi docet, qualiter idem actus potest esse sub diuersis speciebus peccati disparatis, quia species peccati non est species actus secundū suam naturam, sed secundùm esse morale quod comparatur ad naturam actus, sicut qualitas ad substantiā: vel potiùs sicut deformitas qualis; vnde sicut idē homo est surdus & cæcus simul, ita vnus & idem actus Voluntatis potest simul habere diuersos defectus. Immò ad hoc intentum probandum sufficit, quòd etiam successiue idem actus in esse naturæ manens possit habere bonitatem & malitiam, vt apertè inspiciatur, bonitatem & malitiam esse differentiam per accidens; hac enim ratione colligitur clarè, relationem similitudinis & dissimilitudinis per accidens conuenire albedini, quia eadem albedo successiuè potest esse similis & dissimilis: ex quo sic potest confici argumentum: Quando actus successiuè est bonus vel malus, vel fit mutatio secundùm aliquid accidentale, vel secundùm aliquid substātiale. Si dicatur primū, habemus intentum. Si dicatur secundum, non ponitur casus quòd maneat idē actus, nam si mutatur secundùm substantiam, nō erit idem, sed alius actus.

Tertia sententia est media distinguens de actu interiori; qui dupliciter potest cōsiderari. Primò absolutè & secundùm se. Secūdò per ordinem ad alium actū à quo imperatur. Primo modo bonum & malū sunt differentiæ per se actus Volūtatis. Secundo autem modo sunt differentiæ per accidēs; sic enim competit bonitas vel malitia ab extrinseco actui imperato, sicut & actui exteriori. Alij etiam via media procedunt, dicentes quòd per actum interiorem dupliciter potest intendi aliquod obiectū. Primo modo directè. Secundò indirectè. Primo modo bonum & malum sunt differentiæ per se actus interioris. Secundo autem modo sunt differentiæ per accidens, quia indirectè volitum, quasi per accidens est volitum. 3. *Sent.*

Conclusio tamen sit, quòd secunda sententia est vera & tenenda, sunt enim fundamenta eius efficacissima, & pro pleniori intelligentia eius Notandum primò, quòd vt diximus, hic non loquimur de actu exteriori: certum est enim, illi ab extrinseco & accidentaliter conuenire bonitatem vel malitiam; sed loquimur de actu interiori, procedítque nostra conclusio in sententia quam infra docebimus vt veram, formale peccati consistere in positiuo; nam si in priuatione consisteret, tunc dici nō posset, malitiam esse differentiam per se actus humani; quia per priuationem nulli dubium, nihil posse per se & essentialiter constitui: vnde in tali sententia, qui defenderet, bonum & malum esse differentiam per se, ad malitiam radicalē deberet recurrere. Nec etiam hic tantùm disputamus de aliqua bonitate vel malitia in particulari; nam etiam in omni sententia debet concedi, aliquam bonitatem vel malitiam accidentaliter & non per se conuenire etiam actui interiori; verbi gratia, bonitatem vel malitiam cōsequutam ad intensionem vel remissionē actus; sed quod specialiter decernimus cōtra primam sententiam, est, nullam bonitatem vel malitiam esse differentiam per se, sed omnem illam per accidens conuenire actui etiam interiori cōsiderato in esse naturæ. *Concluſ.* *Nota.* 1.

turæ. Secūdò notandū, quòd in actu etiā interiori Voluntatis tria possunt considerari, iuxta triplicem subordinationē quā potest habere respectu Rationis. Primò enim potest subordinari Intellectui tantum vt cognoscenti & proponenti, & sic actus Voluntatis habet esse voluntarium licēt imperfectum; vt in pueris & amentibus, & in actibus primo primis reperitur. Secundo modo subordinatur Intellectui proponenti cum quadam indifferentia, qua ratione actus Voluntatis est liber, quia libertas, vt sepè diximus, in tali indifferentia intellectus radicatur. Tertio modo subordinatur Intellectui, & Rationi mensuranti per dictamen vel prudentiam; quæ quidem tria ordine posito se habent in actu Voluntatis, prior enim est subordinatio Intellectui proponenti: secunda subordinatio Intellectui proponenti cum in differentia; vltimò autem conuenit subordinatio Rationi vt mensuranti. Prima ergo & secunda subordinatio conueniunt actui Voluntatis in esse naturæ. Tertia autem conuenit actui in esse moris; qua propter, vt supra diximus, libertas non constituit moralitatem, est tamen quid præsuppositū superentitatem actus, vt fiat capax recipiendi moralitatem, sicut diaphanеitas in aère ad recipiendam lucem: vnde licēt de facto secundùm probabilem sententiam nū quàm possit reperiri libertas sine moralitate; nihilominus vtrumque est distinguendum modo prædicto, dicimus ergo in conclusione, quòd primum & secundum pertinet ad actum in esse naturę, est què aliquid per se & intrinsecum illi; tertium autem, quod est moralitas, non per se, sed per accidens conuenit actui in esse naturæ constituto etiam in prima & secunda consideratione, quia vt patet ex bona Logica, subiectum alicuius formæ non potest esse genus, nec talis forma potest esse differentia illius, licēt aliquando loco generis soleat poni; verbi gratia, corpus non potest contrahi vt genus per se per differentiam coloris, cum sit subiectum colorum: Cùm ergo actus Voluntatis in prima & secunda consideratione habeat se vt subiectum moralitatis, & bonitatis & malitiæ, bonitas & malitia differentiæ per se actus esse non possunt in esse naturæ considerati dixi; in esse naturæ, quia in esse moris, differentiæ sunt per se. Qua propter cùm D. Thom. in hac quæstione & præcedenti agat de actibus humanis in esse moris, quia in esse naturæ iam egerat à quæstione 8. vsque ad 16. ideò in præsenti semper nominat bonum & malum differentias per se, quia sunt differentiæ intra latitudinem generis moralis, licēt sint extra genus naturæ, sicut corpus licet non per se diuidi possit per differentiam coloris, bene tamen corpus vt coloratum, quia sic tales differentiæ per se sunt intra genus colorati. Quia tamen in præsenti dubio agimus de actu Voluntatis; non vt in genere moris, sed vt in genere naturæ, ideò diximus, bonum & malum non esse differentiam per se, nisi in hoc verbo, Per se, comitatur æquiuocatio, quia, vt inquit Caietanus hic ly Per se, sumitur duplicitur. Primò vt opponitur contra per accidens: Secundò vt opponitur contra per aliud. Dicimus ergo quòd actui in esse naturæ non conuenit bonitas vel malitia per se vt opponitur contra Per accidens; quia non essentialiter actus est bonus vel malus, b̄ netamē per se actus etiā in esse naturæ est bonus vel malus, sumendo per se, vt opponitur contra per aliud; quia hæc est differentia in teractum interiorem Voluntatis & exteriorem, quòd interior immediatè per se ipsum tanquā primū susceptiuum habet bonitatem vel malitiam: at verò actus exterior non immediatè tanquam primum susceptiuum, sed mediante actu interiori habet bonitatem, vel malitiam. Quia tamen hęc loquutio; sumēdo ly Per se, cōtra per aliud, est aliena à proposito D. Tho. & tantū sumendū est ly Per se, contra Per accidens, ideò absolutè diximus, non per se esse differētiā bonū & malum actus interioris Vòluntatis considerati esse naturæ. Et si contra facias argumētū, *Obiectio.* quia adhuc sumendo Per se, vt opponitur cōtra Per aliud, nō potest seruari prędicta distinctio inter actū interiorē & exteriorē, quia etiā interior bonitatē vel malitiā habet per aliud, nēpè à Ratione participatā, immò ab actu exteriori; ideò enim actus interior est malus, quia exterior est malus, vt infra dicemus: Et confirmatur, *Confir.* nam ad minus actus interior imperatus par aliud, habet bonitatem vel malitiam, quia illam habet ab imperante. Respon- *Solutio.* detur tamen, quòd licēt bonitas vel malitia radicaliter prius sit in Ratione, & obiectiuè priùs sit in obiecto, vel in actu

actu exteriori habente rationem obiecti respectu interioris; formaliter tamē immediatè & prius est in actu interiori Voluntatis; & ex illo bonitas vel malitia deriuatur ad exteriorē, vt infrà dicetur; sicut & supra dictū est de libertate: cū autē in præsēti agatur de bonitate & malitia formaliter sūpta, ideò diximus, nō per aliud sed per se cōuenire actui interiori. Ad cō firmationē respōdetur, quòd licet actus imperatus aliquā bonitatē vel malitiā habeat per aliud, nempe ab actu imperante; præsupponitur tamē alia bonitas vel malitia quam habet secūdūm se & ex proprio obiecto, quæ vtiq; illi per se & immediatè, & nō per aliud conuenit. Et si adhuc instes, q̄ actus imperatus potest esse indifferens, nullā de se dicens bonitatē vel malitiā; ad huc nihil cōtra nos, quia non intēdimus propositionē vniuersalē, sed in definitam, quòd actui interiori immediatè & non per aliud conuenit bonitas vel malitia, in quo est differentia ab actu exteriori; de quo verū est vniuersaliter, quod bonitatē vel malitiā habet per aliud, quia nullus actus exterior bonitatē vel malitiam habet immediate; sed quicūque habet illā ab alio, nēpe ab actu interiori: Vel si vniuersaliter velimus docere de actu interiori habere bonitatem vel malitiam per se & immediatè, debet intelligi de immediatione potentiæ, non de immediatione actus. Itaque omnis actus interior Voluntatis licèt habeat bonitatem vel malitiam ab alio actu, non tamen ab alia potentia, sed à propria in qua residet, licèt per aliū actū eiusdē potentiæ; actus autē exterior, & ab alio actu, nempe interiori, & ab alia potentia, nēpe à Voluntate, habet bonitatem vel malitiā; vnde omnibus modis habet illā per aliud, & nullo modo per se immediate. Ex dictis sequitur falsitas tertiæ sententiæ quantū ad vtrāque limitationē, quia, vt diximus, tam de actu imperante, quàm de imperato interiori, habet verū, quòd bonitas vel malitia sit accidens, & non differentia per se, licèt sumendo per se contra per aliud, magis per se sit bonus vel malus actus imperans, quàm imperatus, licèt & ipse imperans etiam aliquando per accidens, per aliud possit habere bonitatem vel malitiam sicut & imperatus. Per aliud (inquam) intra eandem potentiam, nam actus quantuncūque ex obiecto bonus, ex conscientia erronea potest fieri malus, & è contra quantumcūq; actus ex obiecto malus, ex ignorantia inuincibili potest esse bonus, vt patet in accessu Iacob ad Liam. Similiter secunda limitatio nihil valet, nam quòd obiectū sit volitum directè vel indirectè, non tollit actum in esse moris esse eiusdem speciei, quapropter bonum & malū eodē modo se habebit in ordine ad vtrumque actum. Antecedēs verò patet in homicidio, quod siue directe, siue indirectè sit volitū, semper est in eadem specie morali homicidij.

Ad confir.

Ad primum argumentum à principio respondetur ex dictis; diximus enim, quòd verū & falsum potest sumi, vel formaliter, vel fundamentaliter, sicut & bonum & malum, & quòd licèt fundamentaliter per se conueniat actui Intellectus, formaliter tamē conuenit accidentaliter; & quòd D. Tho. non comparat verum & falsum fundamentaliter, cum bono & malo formaliter sumpto, sed vtrumque sumit formaliter: & sic in integrum tenet comparatio: licèt enim sub disiunctione actus Intellectus (sicut est propositio) necessariò debeat esse verum vel falsum, determinatè tamen quodlibet illorū habet accidentaliter, quia, vt aiunt Sūmulistæ, diuisio propositionis in veram vel falsam accidentalis est. Similiter ergo & actus Voluntatis humanus sub disiunctione necessariò est bonus vel malus; quodlibet tamen illorum determinatè accidētaliter conuenit actui, quià sicut eadem propositio successiuè potest esse vera & falsa, ita idem actus humanus successiuè potest esse bonus & malus. Item tenet comparatio, quòd sicut actus Intellectus licèt non sit verus vel falsus per se, id est, necessario, est tamen per se, id est immediatè, & non per aliud; ipse autē est ratio per quā veritas vel falsitas reperiatur in voce vel scriptura; ita & actus humanus interior licet non per se (id est necessariò) sit bonus vel malus; tamen per se & immediatè & non per aliud hoc habet, & ipse est ratio per quam actus exteriores aliarum potentiarum sint boni vel mali. Item tenet comparatio in amplitudine; sicut enim verum & falsum comprehendunt actus intellectus, ita vt nullus possit nō esse verus vel falsus, ita bonum & malum respectu actus Voluntatis; si quidem nullus humanus esse potest, qui non sit bonus vel malus. Ad locum autem secundi sententiarum aliqui respondent, D. Thomam mutasse sen-

Ad 1. arg.

Corolar.

sententiam 1.p.q.48.citata. Meliús tamē respondetur secundò, quod ly Per se, sumitur, vel primo, vel secundo modo dicēdi. Licet ergo esse morale non cōueniat actui in esse naturæ per se primô, quia vt dictū est, non est de essentia illius; bene tamē per se secūdo, quia licèt liberū & morale nō habeant se sicut superius & inferius, vt supra diximus; quod requireba-tur ad primū modum dicēdi per se, habet se tamen liberum vt fundamentū, & morale vt proprietas ex illo consequuta; & hac ratione potuit verificari, bonū & malum per se conuenire actui humano: nec est contra nos, qui in præsenti loquimur de primo modo dicendi per se, vt idem sit quod essentiale. Tertio tamē conformiùs iuxta dicta respōdetur, D. Tho. loqui in illo loco sicut & in ista quęstione de actu humano, prout in genere moris, & sic bonū & malū sunt differentiæ per se illius: nostra autem resolutio procedit de actu humano vt in esse naturæ, & sic diximus, bonū & malū accidētaliter conuenire; vnde D. Tho. nobis non est contrarius.

Ad 2. arg. Ad secundum, negatur antecedens; dicitur enim, quòd esse liberū, non cōuenit essentialiter actui Voluntatis, licèt illi cōueniat essentialiter esse voluntariū, quia, vt diximus, aliunde sumitur esse voluntariū, aliende verò esse liberū: primū à principio intrinseco; secundū verò ab indifferentia iudicij. Primum autē essentiale est actui Voluntatis, non autem secundum; vnde si liberū accidentaliter conuenit, bonum & malum non possunt essentialiter conuenire cùm conueniant actui median-te libertate. *Obiectio.* Et si contra arguas, quia de natura, & essentia Volūtatis est libertas: ergo non est quid accidētale actui illius, esse liberum, quia actus sapit naturam po-tētię à qua elicitur. *Solutio.* Respondetur negando consequentiam, quia licet sit de essentia Voluntatis esse liberam, non tamen circa omne obiectum, vel in omni actu; vnde respectu cuiuslibet actus accidentalis est libertas, necessario enim Voluntas est libera, accidit tamē quòd in hoc vel in altero actu exerceat libertatem; vnde cōtingit sæpe, quòd idem numero actus succesiuè sit liber & necessarius; quod esse *Solut.* nō posset, si aliquod istorum ei essentialiter conueniret. Secundò respōdetur ad argumentum principale negando consequentiam, nam genus liberi, & genus morale, sūt duo genera ex æquo diuersa, quorū neutrū quidditatiuè continetur sub alio, licet alterū præsupponatur vt fundamentum alterius: qua propter licèt genus liberi intrinsecè cōueniat actui, quia pertinet ad naturā eius genus tamē morale extra naturam est actus, & sic moralitas accidentaliter cōuenit actui in esse naturæ, & cōsequitur bonum & malū, quæ sunt differentiæ per se generis moris.

Ad tertium respondetur, ita esse, quòd *Ad 3. arg.* in actibus humanis specificatio sumitur ab obiecto, & quòd bonum & malum tenent se ex parte obiecti: nihilominus cōsequentia non valet, quia sicut actus cōsideratur dupliciter, & in esse naturæ, & in esse moris, per conformitatē, vel difformitatē ad rationē, ita similiter & obiectū cōsideratur & in esse naturæ, & etiā in esse moris, prout conforme, vel difforme Rationi; & sicut moralitas actus accidit entitati naturæ illius, ita & moralitas obiecti accidit entitati naturali illius. Applicāda sunt ergo singula singulis, obiectū in esse naturæ, actui in esse naturæ, & ab illo sic essentialiter specificatur; & obiectū in esse moris, actui in esse moris, & sic actus moralis essentialiter specificatur ab obiecto morali: vtraq; tamē cōsideratio moralitatis, tā ex parte obiecti, quā ex parte actus accidit naturę actus, siue in se, siue ex parte proprij obiecti in esse naturæ considerati; vnde patet, quòd successiue idem actus potest esse moralis & nō moralis; vt actus Charitatis, qui in via moralis est, cōtinuatus in Patria moralis non est, quia licèt obiectum quantum ad entitatem & in esse naturæ maneat idem, mutatur tamē moralitas, dum aufertur libertas; vnde plane constat accidentaliter ei moralitatē conuenire. Et si contra arguas, nam ab illo actu Charitatis inseparabilis est honestas etiam in Patria: ergo & moralitas: Respōdetur, honestum dupliciter sumi: Primò pro cōformi naturę rationali, siue naturaliter siue nō, naturaliter cōueniat illi. Secūdò pro cōformi naturæ rationali cōuenienti ei liberē, iuxta syndęresim vel dictamē Rationis, vel prudentię. Prima honestas inseparabilis est ab actu Charitatis essentialisq; illi: secunda tamen accidentalis est, & separatur; consistitq; moralitas non in prima, sed in secunda honestate.

Ad quartū respōdetur, q̄ sicut in actib⁹ moralitas est aliquid superadditū naturę, sic etiā dicēdū est pro statu⁹ in habitib⁹ qua ratione solēt Theologi distinguere habitū

Charitatis in esse naturę & in esse moris: & aliqui probabiliter solēt affirmare, habitū Fidei in esse naturæ, esse perfectiorē habitu Charitatis, licèt præstet Charitas in esse moris; de quo infr.q.67.art.6. & suprà q.3.art.4. Et quia habitus cōsideratus in esse moris, essentialiter vel est bonus vel malus, & hęc est eius propria cōsideratio; hinc absolutè dicitur, q bonū & malū sunt differētiæ per se habitus Volūtatis. Verū est, esse differētiā inter actū & habitū, quòd habitus bonus non potest inclinare ad actū malū, nec elicere actū, etiā ex circūstātia malū: at verò actus ex intentione operātis potest habere aliquam circunstātiā, ex qua accidētaliter sit malus, de quo amplius dicetur dubio sequēti.

Ad 5.arg. Ad quintū, patet ex dictis, quòd actus Charitatis licèt cōsideratus in genere moris, essentialiter sit bonus, nihilominus moralitas est aliquid accidētali ille cōsiderato in esse naturæ; quia licèt in re bonitas moralis in separabilis sit à tali actu; nihilominus per Intellectū potest adesse & abesse salua essentia naturę actus; quod sufficit, vt sit accidēs illius. *Ad Confir.* Ad cōfirmationem respondetur, quòd actus præceptus quia bonus, & actus prohibitus quia malus, dicitur essentialiter bonus vel malus in genere morali, quia primus nō potest habere malitiā, nec secūdus bonitatē; sed sistēdo in genere morali, primus necessariò & determinatè habet bonitatē, & secūdus malitiā; in quo distinguūtur ab alijs actibus, quia retinētes genus morale, possunt trāsire de bono in malū: verbi gratia, actus qui est malus quia prohibitus, forsitā anteà erat bonus, & posteà ab intrinseco per pręceptū efficitur malus: similiter & actus qui est bonus quia præceptus, non habet bonitatē intrinsecā, etiam manens in genere morali, sed illā habet ab extrinseco præcepto; quo ablato, talis bonitas cessaret, adhuc genus morale retinendo.

DVBIVM II.

Vtrùm idem actus numero interior Voluntatis possit esse successiuè bonus & malus.

CIrca titulū quæstionis præsupponē dū, peculiariter procedere de actu interiori; nā actus exterior, vt dicetur quæstione sequēti art. vltimo, bene potest successiuè esse bonus & malus: habet autem peculiarē difficultatē de actu interiori. Similiter non quærimus de quocunq; actu interiori: quomodocūque cōsideretur, nā actus imperatus, prout ad imperātē cōparatur, bene potest esse bonus & malus, nā sic se habet in ordine ad imperantē, sicut actus exterior in ordine ad interiorē; sed loquimur de actu interiori in ordine ad propriū obiectū vel proprias circunstantias, vtrū sic successiuè possit esse bonus & malus. Vbi etiā aduerte, quòd non quærimus, vtrū ex non malo possit fieri malus; hoc enim manifestū est posse fieri; vt patet in motibus primò primis, qui cū primo mali nō essēt, mali effici possunt accedēte aduertētia & deliberatione: licèt & hoc modo possit dici contingere nō posse esse mutatū in bonitate, vel malitia, quia quando aduenit aduertentia, proponitur aliter obiectū, & in perceptibiliter mutatur actus Volūtatis, & est alius. Nec etiā interrogamus, vtrū actus qui aliàs secundū se ex proprio obiecto erat bonus, fiat ex aliquo adiuncto præcepto malus; hoc enim certū est etiā posse cōtingere, v. g. quando quis recreationis gratia exercet ludū, quādo instat præceptū audiēdi Missam; sed sensus quæstionis est, vtrū idem actus, post quā semel in exercitio & in indiuiduo habuit bonitatem, manens idem in esse naturæ, possit successiuè fieri malus. Diximus successiuè, amittēdo priorē bonitatē, nā simul hābere bonitatē, & malitiā, omnino est impossibile, siue bonū & malū opponātur priuatiuè, siue cōtrariè.

Hoc suppositō, in hac re est prima sententia Caiet. hic, & quæstione sequenti, art.6. & Durandi in 2.dist. 40. q. 3. Capreolii in 2.dist.4.q. vnica ad argumenta Durandi contra tertiam cōclusionem, & Medinæ hic, & quam isti existimant esse communem Thomistarum, quòd videlicet idem numero actus Voluntatis in esse naturæ potest mutari, & successiuè esse bonus & malus. Hanc etiam sequitur Vazquez disp.56.c.2. dicens, quòd etiā aliquis actus ita sit bonus, vt non possit fieri malus, vt amor Dei; & aliquis ita malus, vt non possit fieri bonus, vt odium Dei: regulariter tamen omnis actus bonus potest fieri malus, & è contra manēs idem in esse naturæ. Idem sequitur Salas q.18. tractatu 7.disp.3.sectione 12. *1.Sent. Caiet. Durand. Caprcol. Medina. Vazquez.*

1. Arg. Hęc sententia probatur primò ex D. Tho. hic asserente sic se habere actū Voluntatis ad bonū & malū, sicut actus intellectus ad verū & falsum; ex quo tale sumi

tur

tur argumentū. Idē numero actus intellectus in esse naturæ potest successiue esse verus & falsus: ergo idē actus Volūtatis successiuè bonus & malus. Confirmatur. Bonū & malū, vt diximus dubio præcedēti, sunt differentiæ accidentales Voluntatis, sicut verū & falsum actus intellectus; habetq; se vt subiectū illorū: ergo poterit successiuè mutari ex vno in alterū hæc enim est natura accidentiū contrariorū respectu eiusdē subiecti, vt facilis sit trāsitus ex vno in aliud: hac enim ratione eadē numero materia potest esse successiuè sub diuersis formis artificialibus, & idē numero subiectum sub diuersis qualitatibus.

3. Arg. Secundò probatur etiā ex D. Tho. quæstione sequēti, art. 6. vbilicet in particulari quæsierit tantū de actu exteriori; tamē in corpore articuli absolutè de omni actu humano diffinit, quòd possit esse successiuè bonus & malus; quia, vt dicebamus, bonū & malū respectu cuiuscūq; actus sunt differentiæ accidentales, vnde inquocumque actu facilis erit transitus vnius ad aliud.

3. Arg. Tertiò probatur argumento Durandi, quia fieri potest, vt sacerdos velit celebrare in Ecclesia, & illa perseuerāte volitione, interdicatur Ecclesia, ipso tamē Sacerdote ignorante culpabiliter: sed tūc volitio quæ prius erat bona, modò est mala, manēs eadē in esse naturæ, quia nō apparet per quod in esse naturę sit mutata: ergo, &c. *Solut.* Si respōdeatur, quòd in illo casu est noua Volūtas interpretatiua, qua vult celebrare in Ecclesia interdicta, & sicut mutatur iudiciū Intellectus, & fit nouū interprætatiuè, qui interpretatiuè iudicat celebrādū esse in Ecclesia interdicta ita mutatur interpretatiue voluntas celebrādi. *Impugn.* Cōtra arguitur, quia illud iudiciū, & Volūtas interprætatiua nō sunt formaliter & expresse in illo Sacerdote, sed potius perseuerat actualiter & formaliter iuditiū quo iudicabat celebrandū in Ecclesia: ergo similiter perseuerat idē actus Volūtatis formalis & expressꝰ celebrādi cū mutatione boni in malū; & per hoc tā tū dicetur esse modò de nouo Voluntatē interprætatiuā malā celebrandi in Ecclesia interdicta, nō quia sit aliquis actus de nouo, sed quia ille actꝰ incipit participare nouā malitiā sacrilegij, quæ reducitur ad actū formalē, quo vellet celebrare, quia peccatū comissum ex ignorantia vincibili, vel ex cōscientia erronea, reducitur ad genus peccati quod comittitur ex certa scientia, vt dicetur infrà art. 5. & q. 76. *Solutio.* Si ad huc respondeatur cum aliquibus Thomistis, casum Durādi esse impossibilē, nā vel Sacerdos iste habuit notitiā interdicti aut saltē dubitauit; vel nihil de interdicto audiuit, nec aliquid dubitauit. Si Primū, iam accedit nouū iuditiū quo iudicat celebrādū in Ecclesia interdicta, & per cōsequēs erit nouus actꝰ Volūtatis. Si autē nihil audiuit nec dubitauit, tūc habet ignorantiā inuincibilem, & sic ille actus nō efficitur malus: casus ergo est impossibilis, quòd actus maneat idem, & nouiter incipiat esse malus. Sed cōtra arguitur, quia bene potest esse: quòd ille Sacerdos nec audierit nec dubitauerit de interdicto, & nihilominus culpabiliter fuerit negligēs in cognitione talis interdicti, quod tenebatur scire: ergo casus possibilis est, & sic tunc sine nouo actu incipiet esse malitia in præexistenti actu, qui prius erat bonus immo superauidamus hoc argumentum, & vires illius, quòd etiam si adhuc Sacerdos ille habeat notitiam interdicti, potest dari casus in quo continuetur Volūtas celebrandi in illa Ecclesia, & sic quòd successiuè sit bona & mala; verbi gratia, Sacerdos iste ex motiuo stipendij, ad releuādā eius inopiam, ante interdictum voluit celebrare in illa Ecclesia, & stante hac Voluntate, interdicitur Ecclesia ipso sciente tunc perseuerat idē actus voluntatis; quia dum quis est in aliqua volitione, etiam si Ratio dictet post inceptionem talis volitionis illam esse contra præceptū, nihilominus potest perseuerare in volitione iā in cepta, vt dicetur q. 77 ar. 2. quia nō ex quacunque mutatione iudicij mutatur actus Voluntatis secundùm naturam, quā do in tali iudicio apparet nouum motiuum Voluntatis: cùm ergo in præsenti casu maneat idem motiuum, idem actus voluntatis manebit, & cum iam incipiat esse malus, vtique successiuè idem actus bonus & malus erit.

4. Arg. Quartò arguitur. Idē habitus potest successiuè esse bonꝰ & malus: ergo a fortiori idē actus. Antecedēs probatur, nā habitꝰ, qui in peccatore sunt vitiosi & mali, adueniēte gratia efficiūtur boni; quia cū nō possint manere in esse vitij, nec etiā in differētes, cōsequēter debēt effici boni. *Confirm.* Confirmatur, quia cōtingere potest, q habitꝰ qui in vno tēpore elicit actū malū, in alio tēpore eliciat actū bonū: ergo talis habitꝰ

ſucceſsiuè eſt malus & bonus. Cõſequẽtia patet, quià habitus ex actu producto dignoſcitur, vnde ſi actus eſt bonus, habitus eſt bonus; & ſi actus eſt malus, habitus eſt malus: quia non poteſt arbor bona malos fructus facere, nec, &c. Antecedens verò probatur, nam habitus tẽperantiæ genitus per actum temperantiæ exercitũ propter vanam gloriam, eſt malus; ſi quidem talis actus generans eſt malus, & malus actus non poteſt generare habitum bonũ; ſi autem poſteà ille homo conuertatur, & eliciat actum temperantiæ propter bonũ finem iam ille habitus bonum actum producit: ergo datur quòd idem habitus ſucceſsiuè producat actum bonum & malũ.

2. Sent. Conrad. Gabriel. Alexand. Secunda ſententia eſt, quam tenet Cõradus hic, & q. ſequenti art. 6. & Gabriel. in 2. diſt. 41. q. 1. art. 2. concluſione 4. Alexãder Alenſis, vt refert Dionyſius Charluſianus in 2. diſt. 4. q. 4. licèt ipſe non ſequatur illam, ſed teneat priorem ſententiã. Iſti ergo dicũt, impoſsibile eſſe, quòd idẽ actus in eſſe naturæ ſucceſsiuè ſit bonus & malus, ſed quòd neceſſario quãdo de nouo efficitur malus, eſt diuerſus actus entitatiuè & in eſſe naturæ.

1. Arg. Hæc ſententia probatur primò. Impoſsibile eſt mutari obiectum, & non mutari actum; cùm tota ſubſtantia actus ſumatur ab obiecto, vt ſuprà diximus: ſed quãdo fit mutatio de bono in malum, mutatur obiectum: ergo & mutatur ſubſtantia & entitas actus. Si reſpũdeatur, quòd quando mutatur obiectum ſecundũ ſubſtantiam, eſt euidens argumentũ; non autem ſi tantùm mutetur ſecũdùm aliquid accidentale: mutari autem de bono in malum, mutatio accidentalis eſt, quia vt diximus, bonum & malum non ſunt differẽtiæ per ſe, ſed tantum per accidens. Contra arguitur, quia licèt bonùm & malum ſunt differentiæ accidentales actui in eſſe naturæ, ſunt tamen per ſe differentiæ actus in eſſe moris: ergo mutato obiecto de bono in malum, neceſſariò mutabitur actus in eſſe moris. Tunc vltra: ergo neceſſario etiam mutatur in eſſe naturæ. Patet iſta conſequentia, quia ſi eſt diuerſus in eſſe moris, diuerſimode eſt volitus, & ſi diuerſimodè volitus, diuerſa entitas eſt actus; nõ enim intelligi poteſt, quòd volũtas de nouo velit, & nõ per actũ nouũ, ſiquidẽ velle, eſt per actũ: ſicut nec Intellect⁹ de nouo poteſt intelligere niſi per nouã intellectionem; iterũ enim intelligere per antiquum actum intellectionis, eſt impoſsibile: ergo ſimiliter de Voluntate.

Solutio

Impug.

Secundò probatur. Quãdo mutatur obiectũ de bono in malũ, eſt noua cognitio & iudiciũ intellect⁹: ergo ſimiliter eſt nouus actus Volũtatis. Cõſequẽtia patet, nã actus Volũtatis bonus procedens ex priori iudicio bono, nõ poteſt iterũ procedere ex iudicio malo: ſed nouo iudicio poſito, nouus actus Volũtatis debet poni, ad hoc enim ponitur iuditiũ, vt Volũtas prorũpat in actũ; vnde ſi ponatur iuditiũ nouũ, ad nouũ actũ Volũtatis debet eſſe. Antecedẽs verò probatur, quiâ ſi nõ poneretur noua cognitio & iudiciũ de malitia ſuperueniente obiecto, nõ poneretur, actũ Volũtatis in cipere eſſe malũ, ſi quidẽ ignorantia cauſat involuntariũ, & cõſequẽter tollit peccatum. Si reſpõdeatur, quòd vt mutetur actus de bono in malũ, nec requiritur noua cognitio, quia poteſt fieri actus malus per ignorãtiã craſſã, & etiã ſi requiratur noua cognitio, nõ ſequitur, actũ Voluntatis eſſe nouũ & diſtinctũ; mutatur enim cognitio fidei in cognitionẽ clarã in Patria, & nihilominus actus Voluntatis charitatis nõ mutatur, ſed idẽ numero ſequitur in Patria ad viſionẽ, qui ſequebatur in via ad fidẽ. Contra arguitur, quia quãdo actus fit malus per ignorãtiã craſſam, licèt non ſit noua cognitio formalis, eſt tamen noua virtualis, ſic enim ſe habet, ac ſi ſciret malitiam, cùm teneatur illam aduertere; & hoc ſufficit ad nouitatem actus Voluntatis. Exemplum autem de Charitate non eſt ad propoſitum: non enim dicimus, diuerſam cognitionem vtcumque variare actum Voluntatis, ſed diuerſam cognitionem diuerſi obiecti formalis: cognitio ergo Fidei & claræ viſionis licèt ſit diuerſa per clarum & obſcurum, non tamen eſt diuerſi obiecti formalis in eſſe boni, & vt terminantis actum Voluntatis; ſub eadẽ enim ratione boni cognoſcitur Deus, ſiue per fidem, ſiue per claram viſionẽ; vnde actus Charitatis omnino eſt idẽ, quia obiectum eius, vt pertinet ad Voluntatem, eſt idem: in noſtro autem caſu non eſt vtcunque diuerſa cognitio, ſed diuerſi obiecti formalis in eſſe boni & mali; & prout pertinet ad Voluntatem: vnde Voluntas ſequens hanc diuerſam cognitionem, per diuerſum actum debet ſequi, tanquàm quæ tendit in diuerſum obiectum formale ſibi oſtenſum & propoſi-

2. Arg.

Solut.

Impug.

tum

tum per diuersam illam cognitionem.

3. *Arg.* Tertiò probatur. Vt sit idē actus Volū tatis, non sufficit esse idem obiectū mate riale, sed requiritur, quòd sit idem motiuū ex parte obiecti: ergo actus non est idē. Minor probatur, quia si priùs volebat retinere pecunias vt proprias, modò cognito quòd nō sint suæ, vult retinere illas vt alienas: ergo motiuum mutatur & est

Solut. diuersum. Si respondeatur, non sufficere quòd in re sit diuersum motiuū, sed etiā in apprehensione & cognitione; & hoc non reperitur, quando operatur circa malū ex ignorantia, etiam vincibili; vnde tunc non oportet actum mutari in esse entitatiuo. Contra arguitur, nam vel illa igno-

Impugn. rātia est inuincibilis, vel vincibilis. Si primum, actus Voluntatis non mutatur in malum; quia ignorantia inuincibilis excusat à peccato. Si autē sit vincibilis, iam diximus sic se habere operantem, ac si haberet scientiam, cùm teneretur aduertere: qua propter censendum est moraliter esse diuersum motiuum, non solùm in re sed etiam in apprehensione.

4. *Arg.* Quartò arguitur, nā adminus quando obiectū est intrinsecè malum, non potest variari de bono in malū, cū malitia non sit ab extrinseco sed ab intrinseco & inuariabilis. Si respōdetur, verū esse de aliquibus

Solutio. intrinsecè malis, vt de odio Dei, vel sodomia, &c. non tamen de omnibus; sunt enim aliqua obiecta extrinsecè mala quæ ex aliqua causa extrinseca vel contractu possunt fieri bona, vt accipere alienū intrinsecè malū est: si tamen fiat contractus per quē res fiat propria, tunc accipere talē rem, iam erit bonū. Similiter vult aliquis accedere ad non suam; si tamen cele-

Impugn. bretur cōtractus matrimonij, iam erit bonum accedere ad illam. Sed certè hęc solutio nihil valet, & in exemplis allatis magis apparet veritas secundæ sententiæ; nā quando per contractum res vel mulier aliena, fit propria, non manet idē actus iustificatus, qui prius erat malus, loquendo de actu interiori, sed solū habet verū de actu exteriori; interior autē mutatur, nam

5. *Arg.* priùs volebat surripere alienū, & accedere ad nō suā, modò autē vult accipere rē propriā, & accedere ad suā vxorē; quæ vtiq; diuersę sunt volitiones à præcedentibus.

Quintò probatur. Actus Voluntatis est indiuisibilis, & totus simul: ergo non potest successiuè esse bonus & malus; hoc enim indiuisibili contradicit. Antecedens patet, quia actus Voluntatis mensuratur tempore discreto Angelorum, & non dependet ex tempore nostro.

6. *Argu.* Sextò probatur, nā licèt bonū & malū non sint differentiæ essentiales actus Voluntatis secundùm speciem considerati; bene tamē considerati indiuidualiter: ergo impossibile est, quòd in hoc numero actu fiat mutatio de bono in malum; consequentia patet, nam quæ pertinent ad indiuiduationem substantialem alicuius, inseparabilia sunt ab illo: si ergo bonitas, est indiuidualis differētia huius actus, & malitia alterius, nec ab isto poterit remoueri bonitas, nec ab illo malitia. Antecedens vero explicatur, nam quando quis vult aliquod obiectum bonum, verbi gratia, temperantiæ; licèt bonitas non sit de essentia illius obiecti, est tamen de essentia illius actus numero, prout hic & nunc elicitur à temperantia; per hoc enim actus ille est hic numero, quia talibus circunstantijs elicitur, quibus est bonus. Secundò probatur, nam si idem actus interior secundùm substantiam posset esse bonus & malus successiuè, sequitur quòd attritio possit fieri contritio; vel sequitur etiam, quòd actus Fidei supernaturalis possit fieri naturalis, & quòd actus Fidei diuinæ possit fieri fidei humanæ errantis, & consequenter actus virtutis infusæ possit fieri virtutis ac quisitæ: consequēs est absurdum, & contra Concilium Mileuitanum cap. 5. vbi diffinitur, quòd actus virtutum Theologalium quoad substantiam non possunt esse nisi speciali auxilio diuinæ gratiæ; de quo videatur D. Thom. & Cajetanus 2. 2. quæst. 171. art. 2. ad 3. Sequella verò probatur, nam hac ratione dicunt contrarij, quòd actus interior potest idem successiuè esse bonus & malus; quia potest homo ante horam duodecimam noctis feria 5. habere istam volitionē, volo comedere carnes, & continuare talem volitionem post horam duodecimā, & tunc voluntas, quæ anteà erat bona, fit mala, sed hęc eadem ratio probat, quòd in recensitis casibus maneat idem actus in genere naturæ: nam detur quod Iudæus parum ante natiuitatem Christi haberet hunc actum Christus nascetur, & quòd continuet illū Christo nato; tunc quidem actus qui priùs erat Fidei supernaturalis, fit act⁹ fidei humanę errantis & falsę: & similiter de illis ergo sequuntur posita in consequentia.

Not. 1. Pro intelligentia huius quæstionis notandum, non procedere dubium de omni actu interiori; certũ enim est apud omnes, esse, verbigratia, aliquẽ actum ita malũ, vt nullo modo successiuè, possit esse bonus, vt odium Dei, quia habet intrinsecã malitiam, & similiter esse aliquos actus ita bonos, vt nullo modo successiuè possint fieri mali, vt amor dei: & etiã vt dicitur infra q. 62. art. 2. de actibus virtutũ infusarũ, quòd sint super naturales quantũ ab substãtiam: hac enim sententia suppo sita, impossibile est continuari cũ actu naturali, quod contingeret, si ille actus fieret malus; quæ enim specie vel genere differunt, secundũ Arist. 6. Physicorũ c. 8. con *Arist.* tinuari non possunt; & talia sunt naturale & supernaturale: & si aliquando appa ret huiusmodi continuatio in prædictis actibus, corrigenda est talis apparẽtia, vt in motu de census canis viui & mortui in via: quod & idẽ debet dici de actibus Intellectus, qui sunt supernaturales quãtũ ad substantiã, quodnõ possunt successiuè esse veri & falsi, propter eandẽ rationẽ nam qui secundùm substantiã erat super naturalis, fieret successiuè vsque ad substantiã naturalis, quod implicat. Qua pro pter in hoc non est audiendus Magister *Medina.* Medina, qui in præsenti, & infra loco citato dub. 2. concedit, quòd idem numero actus Fidei potest continuari, ita vt priùs sit vetus & ex Fide infusa, & postea falsus, & ex Fide acquisita. Posset autem sustineri cum prima sentẽtia, de actibus virtutum infusarũ, successiuè esse bonos & malos, stando in alia sententia, quòd prędicti actus non sunt supernaturales quantũ ad substantiã, sed tantũ quantũ admodum; naturales autẽ secundũ substãtiam, tũc enim bene posset dici iuxta primam sententiã, illum actũ successiuè posse esse bonũ & malũ ex aliqua adiuncta circunstantia. Quęstio ergo presens procedit de aliis actibus à prędictis, vtrũ quilibet illorũ possit esse successiuè bonus & malus. *Concl.* Conclusio ergo sit. quòd licèt prima sentẽtia sit probabilis propter rationes & authores illius; secunda tamen est probabilior; rationes enim pro illa efficaciores sũt licęt & in explicatione illius nõ etiã omnes conueniant. Aliqui enim vniuersaliter asserunt de omni actu, esse impossibile eundem numero de bono fieri malum. Alij autem dicunt, prædictam secundam sententiam esse verã regulariter, namsi ponatur casus in solitus, bene poterit idẽ actus transire de bono in malum, vt in casu quo quis ante horã duodecimã veneris velit cænare, & continuato tempore accedẽte prohibitione nolit prorũpere in nouũ actũ, cùm sit liber circa illum, sed persistere in priori: tunc, inquiunt, ex prohibitione accedente prior actus fit malus. Sed est casus quasi metaphysicus. Alij dicunt, secundam sententiam habere verũ, quando quis sciens & videns transgreditur præceptum de nouo aduenies; tunc enim necessario, habet nouum actũ, quo vult transgredi: si autem interueniat ignorantia, vt in casu tertij argumẽti primę sẽtentiæ, actus prior bonus trãsit in malũ, quia alium de nouo circa obiectum malũ habere non potest, nõ stante scientia talis prohibitionis. Et iste mòdus dicẽdi certè mihi non displicet, nam & si quãdo est aduertentia præcepti aduenientis, dicatur, Voluntatem prorumpere in alium actum nouum formaliter vel virtualiter, qui vtique sit fractio talis præcepti: tamẽ quando nulla est aduertentia, sed totalis ignorantia, non apparet per quid prorũpat in nouum actum: vnde si tunc peccat contra præceptum aduenies, vtique deberet esse per malitiam superuenientem actui priori; quatenus ille efficitur malus in quantum tenebatur aduertere ad præceptum, & à tali actu cessare, & non cessat. Alij autem, vt Lorca hic disp. 33. dicunt, hoc esse intelligendum de actibus interioribus imperantibus, nõ autem de exterioribus & imperatis; qui sunt mali ab extrinseco: & hoc non displicet. Sustinendo autem secundam sententiam vt iacet de omni actu, vt communiùs defenditur à Thomistis, debet explicari; quòd etiam in casu ignorantiæ ille peccat, non per malitiam superuenientem actui priori bono, sed per alium actum malum, qui si tunc stante ignorantia non est formalis est tamẽ virtualis & interpretatiuus per voluntarium, saltẽm in causa per quã distrahitur â consideratione præcepti de nouo incipientis: quapropter actus prior si nõ cessat, manet ex suo obiecto bonus; potest autem dici malus ab extrinseco, ratione alterius actus interpretatiui à quo vitiatur; vnde nunquàm datur, quòd idem actus intrinsecè mutetur de bono in malum, nisi etiam dicas, primum actũ à principio fuisse, malum: si quidem incipit cum causa inconsiderationis culpabilis,

secun-

secundùm quam non attenderet ad præceptũ quod posteà poterat superuenire: nam si cum tali causa non incipit, nõ potest posteà ignorantia esse culpabilis, & sic actus perseuerabit bonus.

Ad 1. arg. 1. Sent. Ad primum à principio primę sententiæ respondetur, exemplum de vero & falso tenere in alijs supradictis, non autẽ in ratione de qua disputamus; quia actus Intellectus, sine mutatione ex parte Intellectus, solùm per mutationem extrinsecam obiecti fit verus & falsus; quia ab eo q̃ res est vel non est, sumitur veritas; actus autem Voluntatis non habet esse bonum vel malum, solùm ab obiecto extrinseco, sed per concursum volũtarium Voluntatis acceptãtis tale obiectum: vnde si semel ponitur, actum esse eundem, ponitur etiam, quòd influxus voluntarius est idem, & consequenter quòd obiectum vt tribuens bonitatem, vel malitiã, non mutatur. Ex quo patet ad confirmationem, quòd licèt bonum & malum sint differentiæ accidentales, non tamen omnino sicut verum & falsum, quia verum & falsum sunt separabilia; bonum autẽ & malum sunt inseparabilia, vt iam dixi mus, quia vt mutetur bonitas, debet esse nouus influxus voluntarius, & iste facit nouum actum Voluntatis.

Ad 2. arg. Et per hoc etiam patet ad secundum; si enim accidẽtia sunt inseparabilia, non poterit esse trãsitus ex vno in alterum.

Ad 3. arg. Ad tertium etiam patet ex vltimo dictis in conclusione, quid sit dicendum, quando interuenit ignorantia præcedens.

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur, magis esse impossibile, vt idem habitus successiuè sit bonus & malus; quia, vt docet Diuus Thomas infrà, quæst. 55. bonum & malũ respectu habitus nõ sunt accidẽtia, sed differentiæ per se; vnde dicimus, quòd habitus vitiosi manentes cum gratia, adhuc retinent suam malitiam ex parte obiecti; licèt subiecto non noceant, nec ad culpã tribuantur. Et similiter habitus boni manentes in peccatore, retinent suam bonitatem obiectiuam, licèt amittant rationẽ virtutis.

Nota. Pro cuius intelligentia notandum, quòd habitus potest considerari dupliciter. Primò ex parte obiecti. Secundò ex parte finis. Habitus ergo vitiosus in peccatore duplicem malitiam habet: alteram intrinsecã ex parte obiecti; & alterã extrinsecam ex parte finis operantis. Similiter habitus bonus in existente gratia duplicem habet bonitatem; alterã intrinsecam ex obiecto; & alteram extrinsecã ex parte finis operãtis. Similiter habitus bonus in existente in gratia duplicem habet bonitatem; alteram intrinsecam ex obiecto; & alteram extrinsecam ex fine Charitatis, ratione cuius habet esse virtutis. Quando ergo peccator iustificatur, desinit malitia extrinseca finis, per quam talis habitus subiectum mordebat; & sic licèt maneat ex obiecto malus, subiecto non nocet: quando autẽ iustus amittit gratiã, etiam desinit esse bonitas virtutis extrinseca proueniens ex fine Charitatis; manet tamen intrinseca, quæ sumitur ex obiecto, & nunquam datur quòd habitus bonus sit malus, vel è contra. *Ad confir.* Ad confirmationem respondetur, quòd nunquàm datur, quòd idem habitus successiuè producat actum bonum & malum. Ad probationem autem dicimus, quòd quado fit actus ex obiecto bonus, malus autem ex circunstantia extrinseca, generat habitum bonum; quia non concurrit ad generationem habitus per illud quod est extrinsecum, sed per intrinseca & substãtialia quæ habet ex obiecto. Si autem semel admittatur, quòd per malitiam extrinsecam concurrat ad generationem habitus, generabit habitum malum & inclinabit determinatè ad eliciendum actũ malum ex tali circunstãtia, & nunquàm ad eliciendum actum absolutè bonum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm actus voluntatis in bonitate dependeat à solo obiecto.

AD secundum sic proceditur. *Videtur quòd bonitas Voluntatis non dependeat solùm ex obiecto. Finis enim affinior est Voluntati, quàm alteri potentiæ: sed actus aliarum potentiarum recipiunt bonitatem non solùm ex obiecto, sed etiam ex fine, vt ex supradictis patet:* * *ergo etiam actus* q. 18. art. 4.

Voluntatis recipit bonitatem non solùm ex obiecto, sed etiam ex fine

2. Præterea. Bonitas actus non solùm est ex obiecto, sed etiam ex circunstantijs, vt suprà dictum est; ✻ *sed secundùm diuersitatem circunstantiarum contingit esse diuersitatem bonitatis, & malitiæ in actu Voluntatis, putà quòd aliquis velit quando debet, & vbi debet & quãtum debet, & quomodo debet, vel prout debet: ergo bonitas Voluntatis non solùm dependet ex obiecto, sed etiam ex circunstantijs.* q 18. art. 3.

3. Præterea. Ignorantia circustantiarum excusat malitiam Voluntatis, vt suprà habitum est: ✻ *sed hoc non esset, nisi bonitas & malitia Voluntatis à circunstantijs dependeret: ergo bonitas & malitia Voluntatis dependet ex circunstantijs, & non à solo obiecto.* q. 6. art. 8.

Sed contra, ex circunstantijs, in quantum huiusmodi, actus non habet speciem vt suprà dictum est: ✻ *sed bonum, & malum sunt specificæ differentiæ actus Voluntatis, vt dictum est: ergo bonitas & malitia Voluntatis non dependet ex circunstantijs, sed ex solo obiecto.* q. 18. ar. 10.

Respondeo, dicendum, quôd in quolibet genere, quanto aliquid est prius, tanto est simplicius, & in paucioribus consistens; sicut prima corpora sunt simplicia: & ideò inuenimus, quòd ea quæ sunt prima in quolibet genere, sunt aliquo modo simplicia & in vno consistunt. Principium autem bonitatis & malitiæ humanorum actuum est ex actu Voluntatis, & ideô bonitas & malitia Voluntatis, secundùm aliquid vnum attenditur: aliorum verò actuum bonitas & malitia potest secundùm diuersa attendi. Illud autem vnum, quod est principium in quolibet genere, non est per accidens, sed per se; quia omne quod est per accidens, reducitur ad id quod est per se, sicut ad principium, & ideò bonitas Volũtatis ex solo vno illo dependet, quod per se facit bonitatem in actu; scilicet ex obiecto, & non ex circunstantijs, quæ sunt quædam accidentia actus.

Ad primum ergo, dicendum, quôd finis est obiectum Voluntatis, non autem aliarum uirium; vnde quantum ad actum Voluntatis non differt bonitas quæ est ex obiecto, à bonitate quæ est ex fine: sicut in actibus aliarum virium, nisi forte per accidens, prout finis dependet ex fine, & Voluntas ex voluntate.

Ad secundum, dicendùm, quôd supposito quòd Voluntas sit boni, nulla circunstantia potest eam facere malam. Quod ergo dicitur, quôd aliquis vult aliquod bonum quando non debet, potest intelligi dupliciter. Vno modo ita, quòd ista circunstantia referatur ad volitum, & sic Voluntas non est boni: quia velle facere aliquid quando nõ debet fieri, non est velle bonum. Alio modo ita, quôd referatur ad actum volendi, & sic impossibile est quôd aliquis velit bonum quando non debet; quia semper homo debet velle bonum, nisi fortè per accidens in quantum aliqua

quis volendo hoc bonum, impeditur ne tunc velit aliquod bonum debitum, & tunc non incidit malum ex eo quòd aliquis vult illud bonum, sed ex eo quòd non vult aliud bonum: & similiter dicendum est de alijs circunstantijs.

Ad tertium, dicendum, quôd circunstantiarum ignorantia excusat malitiam Voluntais secundùm quod circunstantiæ se tenent ex parte voliti, in quantum, scilicet, ignorat circunstantias actus, quem vult.

Conclusio est affirmatiua.

Suprà sæpe diximus, quòd actus recipit bonitatem à multis, videlicet ex obiecto & fine & alijs circunstantijs: hic verò dicit Diuus Thomas, quòd actus Voluntatis ex solo obiecto pendet, & sic videtur dicere, quòd tota bonitas est ab obiecto: quod quidē probat ratione desumpta ex naturalibus, nam primum in vnoquoq; genere, simplicius est quàm posteriora; hoc est, per pauciora habet totam suam perfectionem; vt in genere mobilium, primum, quod est cœlum, simplicius est, quàm ista inferiora; nam ista mouentur motu alterationis & augmentationis, & eorum perfectiò dependet ex calore, frigiditate & ex coloribus & multis alijs: cœlum autem vnica substantiali forma est perfectum sine coloribus, siue qualitatibus, & ita cōuenit ei vnicus simplicissimus motus localis: cùm ergo in genere morum principium omnium actuū sit actus Voluntatis, per quē habent omnes quòd sint humani, & inde incipiat operatio, consequenter perfectio actus Voluntatis est simplicior & ex pauciorib⁹ dependens, quàm actus aliarum potentiarum exteriorum; vnde si alij recipiunt bonitatem à fine & circunstantijs, actus Voluntatis debet illam habere ab vnico suo obiecto.

DVBIVM I.

Vtrûm conclusio D. Thomæ verum habeat.

PRobatur quòd nō. Primò, nam amor Dei est actus interior Voluntatis, & tamen nō sumit totam bonitatem ex obiecto: ergo conclusio falsa. Probatur minor, nam ex maiori, intensione sumitur perfectior amor, vt colligitur ex D. Tho. 2. 2. q. 27. art. 8. ad 3. & clariùs, q. 26. de Veritate, art. 6. ad 12. Certum est autem, quòd maior intensio est circunstantia tenens se ex parte subiecti & actus. 1. *Arg.*

Secundò arguitur, nam, vt diximus quæstione præcedenti. art. 11. & dicetur infrà q. 73. art. 7. circnnstantia auget malitiam actus. Cùm tamen circunstantia sit aliquid superadditum obiecto: ergo nō à solo obiecto dependet bonitas actus Voluntatis. 2. *Arg.*

Tertiò arguitur. Peccatum primi Angeli fuit actus interior voluntatis, & non fuit malus ex obiecto, sed potiùs ex circunstantia inconsiderationis, vt docet D. Thom. 1. part. quæst. 63. art. 1. ad 4. ergo. &c. 3. *Arg.*

Quartò arguitur. Bonitas & malitia in actibus exteriorib⁹, vt docet D. Tho. hic, nō solùm sumitur ex obiecto, sed ex circūstantijs: ergo eadem ratione in actu interiori Voluntatis. Patet consequentia, quia actus interior, & exterior complent vnum actum moralem, & habent idem specificatiuum. 4. *Arg.*

Quintò arguitur. Actus interior aliquādo reponitur in duabus specieb⁹ moralibus vitij aut virtutis: sed obiectū simplex & vnicum nō tribuit nisi vnam speciem: ergo non solum desumitur ex obiecto, sed ex fine & alijs circunstantijs. Maior patet in eo qui vult dare eleemosynam propter vitandum strupum, cuius actus habet duplicem bonitatem; & qui vult furari ad mœchandum, cuius volitio continet geminam malitiam diuersorum vitiorum. 5. *Arg.*

Sextò arguitur. Habeat (verbi gratia) laicus voluntatem eundi ad venandum, & monachus habeat eandem voluntatem; illa voluntas in laico est bona, in monacho vero, est mala ex circunstantia operantis, licét opus ex obiecto sit idem: ergo non tantúm ex obiecto, sed etiam ex circunstantijs sumitur bonitas actus Voluntatis; & hoc videtur certum in omni bona Philosophia, quòd actus virtutis non solúm habet bonitatem ex eo quòd operamur iusta, sed etiā ex eo quòd operamur vbi & quando oportet, prōptè & dele- 6. *Arg.*

delectabiliter. Quid ergo sibi vult D. Tho.dicens, quòd actus interior Volũtatis habet bonitatẽ ex obiecto? & alia argumenta, quæ suprà posuimus ad probandum quòd etiam sint circunstantiæ respectu actus interioris, possunt hic adduci ad probandum quòd bonitas actus interioris non sumatur à solo obiecto, sed etiam â circunstantijs: non tamen illa adducimus, sed ibi videantur, ne eadem sæpius repetamus.

In hac re tota difficultas cõsistit in explicatione propositionis D. Tho. in quo discipuli eius sunt diuisi. Prima explicatio est Medinæ hic, quòd D. Tho. loquitur de bonitate essentiali; itaque sensus eius est, quòd bonitas essentialis actus Voluntatis à solo obiecto dependet; Cũ quo stat, quòd dependeat â circunstãtijs in bonitate accidentali. Sed certè hæc explicatio nõ est ad mentem D. Thom. qui intendit assignare differẽtiam inter actũ interiorem & exteriorem, quòd actus interior simplicior est, & ex paucioribus dependet in sua bonitate, quàm actus exterior; at verò secundùm explicationem Medinæ eodem modo se habet actus interior & exterior; nam etiam actus exterior dependet in sua bonitate essentiali â solo obiecto, & in bonitate accidentali à circunstãtijs: si ergo secũdùm Medinam hoc solùm docet D. Tho. de actu interiori, nullam assignat differentiam inter vtrũque. Et confirmatur, nam D. Tho. in calce articuli dicit, quòd actus interior per se pendet ex obiecto in sua bonitate; & non ex circunstãtijs: ergo aliquid peculiare intendit docere de actu interiori. Denique hæc explicatio non potest firma cõsistere in via D. Tho. in qua verius habet, vt supra diximus, & statim explicabimus, q̃ respectu actus interioris priè sumpti non sunt circunstantiæ, sed quidquid cõparatur ad actum interiorẽ, habet rationẽ obiecti; vt etiam hic docet D. Tho. ad 3. quapropter non manet locus distinguendi de bonitate essentiali & accidentali respectu actus interioris.

Medina.

Secunda explicatio est aliorum, inter quos refertur Magister Soto, quæ quidem supponit primũ, quòd D. Tho. non loquitur de quocumque obiecto & re volita, sed de obiecto circa quod. Secũdum supponit, quòd nõ loquitur de qua cunque volitione, sed de simplici volitione circa obiectum, quæ appellatur à D. Tho. simplex volũtas, & simplex velle, de qua egit suprà q. 8. Tertio supponit, quòd aliud est q̃ obiectũ vt sit bonũ, depẽdeat ex circunstãtijs, & illis debeat esse ornatum; aliud verò est, q̃ vt volitio sit bona, depẽdeat ex circunstãtijs; vt patet in volitione ieiunij vel orationis; vt enim ieiuniũ vel oratio sit bona, debet esse ornata circũstãtijs bonis. Secundũ verò est falsum; vt enim volitio interior sit bona, nõ dependet ex circunstãtijs, nec illis oportet esse ornatã, sed solũ dependet ex obiecto & illius bonitate, licet aliàs bonitas obiecti ex circunstãtijs cõsurgat. His ergo suppositis, dicit hæc sententia, q̃ D. Thom. loquitur de actu interiori, qui est simplex velle; quia iste actus simplicior est inter omnes actus Voluntatis, & iste quidem in sua bonitate dependet ex sola bonitate obiecti, & nõ à circunstãtijs; & in hoc distinguitur ab actu exteriori, qui quidẽ dependet in sua bonitate nõ solùm ab obiecto, sed etiã à circũstãtijs. Sed hæc explicatio non etiã attingit mentem D. Tho. nã in ista sententia supponitur, D. Tho. tantùm loqui de simplici volitione; quod quidẽ est contra eius mentẽ; nam in articulo sequenti & 8. satis indicat se loqui etiã de intẽtione & electione; intẽdit enim explicare bonitatẽ & malitiã actus interioris, prout etiã extenditur ad intẽtionẽ & electionem, & de illis ait, dependere in bonitate à solo obiecto: eo vel maximè, quòd hæc sententia nõ sibi cõstat; dicit enim D. Tho. tantùm agere de obiecto circa quod, & statim subdit, obiectũ debere esse ornatum circunstantijs, vt sit bonum; quod quidem non solũ conuenit obiecto circa quod, sed etiã vt obiectum sumitur pro quacunque re volita.

Scot.

Tertia explicatio est Conradi hic, q̃ D. Thom. non solùm loquitur de obiecto circa quod, sed loquitur de obiecto, vt includit etiã finem & alias circunstantias, quæ quidẽ respectu actus interioris habent rationẽ voliti, & consequenter rationem obiecti; licèt respectu actus exterioris solùm habeant rationem circunstantiarum: & sic saluatur optimè sensus D. Tho. quòd bonitas actus interioris à solo obiecto dependeat; quia & ipse circunstantiæ obiectum sunt, & sic habet verũ, quòd id quod est dispersum in actu exteriori, reperitur vnum in interiori. Hæc sententia probabilis est, & videtur mens D. Tho. ad tertium, vbi ait, quòd omnis

Conrad.

circun-

circunstantia habet rationem voliti, & tenet se ex parte obiecti. Itē etiam, nam mens D. Tho. est ostendere, quòd à pluribus sumitur bonitas vel malitia in actu exteriori, quàm in actu interiori; & q̄ id quod est dispersum in actu exteriori, est vnitū in interiori: Hoc autem optimè saluatur, ponendo q̄ actus interior dependeat in bonitate etiam à circunstātijs, nō vtcunque, sed vt trāseunt ad obiectū; actꝰ verò exterior depēdeat ab illis prout extra obiectum sunt, & consequenter prout dispersis; & hoc cōsonat supradictis quæstione præcedenti, art. 11. quòd circunstātia respectu actus interioris tūm sit in rationem obiecti; quod docuit D. Tho. in 2. dist. 38. q. 1. artic. 3. & Gabriel dist. 4. q. vnica ad secundum circa quartā conclusionē. Itaq; in ista sentētia in hoc cōstituit D. Thomas differentiam, vt potest colligi ex articulo & solutionibus argumentorū, quòd ea quæ sunt plura & dispersa in actu exteriori, qui est quid inferius, sunt vnū & simplex respectu actꝰ interioris, qui est quid primum & nobilius; sicut in motu cœli simpliciori & nobiliori adunata sunt eminentiori modo quæ plurificantur in inferioribus; & ita obiectum finis & circunstātię, de quibus per se Ratio dictat, secūdùm quòd ex omnibus illis Ratio præsentat vnum obiectum Voluntati amplectendum, vel reijciendum, sunt vnicum obiectū actus interioris volens omnia illa, vt vnū volibile; in actu verò exteriori illa sunt dispersa, & alterum quidem est obiectum, & materia circa quā; aliud verò est finis propter quem; & aliud sunt circunstantiæ quæ accidentaliter possunt adesse, & abesse, & ideò speciē nō cōferunt per se, sed per accidens; quapropter manente eodē actu exteriori, variari possunt, non autē manēte interiori, cui per se tribuit speciē.

Vazquez. Quarta explicatio est Vazquez hic dipu. 57. qui dum videtur explicare D. Tho. ipsum impugnat; dicit enim, actum interiorem sumere bonitatē vel malitiam à solo obiecto, quatenus obiectū est idē quod volitū, & sic à circunstantijs sumi potest, quia & ipsæ circūstantiæ sunt volitæ; nihilominus ipsæ veræ sunt circunstantiæ, etiā actus interioris, nec sic pertinent ad obiectum eius, vt possit dici, actū interiorē specificare; quia non omnis circunstantia dicit specialem ordinem ad rationem, vt possit specificare, & solùm illa specificare potest, quæ specialē dicit ordinem ad rationē. Ista quidē explicatio nō est, sed contradictio, quia expresse D. Tho. dicit, actū interiorē sumere bonitatē à solo obiecto, & nō à circūstātijs: qualiter autē possit dici, actum interiorē habere circunstātias, & dum sumitur ab illis bonitas, nihilominus sit verū, quòd solū sumitur ab obiecto, quia & ipsæ sunt obiectum, dicetur solutione ad primum.

Quinta explicatio est etiam aliorum, & satis probabilis etiam, quòd actus interior potest dupliciter cōsiderari. Primò absolutē. Secundò, quatenus consideratur in ordine ad actum exteriorē, vt hic & nunc in exercitio fiat. Primo modo vt sit bonus, satis est vt sit de obiecto bono; quia sic tantùm cōsideratur in ordine ad obiectum. Secundo modo dependet in bonitate etiam à circunstantijs; quia isto modo iam respicit etiam circunstantias actus exterioris, vt proprium obiectum, velut modum proprij obiecti, & sic verificatur differentia D. Thomę, nam actus interior primo modo absolutè tātùm pēdet ab obiecto. Secundo etiam modo à paucioribus dependet, licèt dependeat à circunstātijs; quia non respicit illas dispersas vt actus exterior, sed per modum obiecti vnitas, vt docebat Cōradus. Hæc etiam sententia fundamentū habet in D. Tho. ad secundū, vbi docet, q̄ quando aliquis vult aliquod bonū, quando tenetur exercere aliud bonū, q̄ talis volitio non est mala, quia vult illud bonum, sed quia non exercet aliud bonū; in quo docet, q̄ considerādo voluntatem absolutè, ex solo obiecto depēdet in sua bonitate, & nō à circunstātijs. Et solutione ad tertiū, docet, q̄ circunstātiæ tenēt se ex parte obiecti voliti; quod quidē non potest esse tanquàm primò volitū, & tāquā id quod est per se obiectū illius actus. Ecce qualiter indicatur prædicta sentētia à D. Thoma.

Sexta explicatio legitima mentis D. Tho. est iuxta supradicta, quòd actꝰ interior sumitur dupliciter. Primò pro quocunq; actu elicito Voluntatis; actus verò exterior pro eo qui ab alijs potentijs est elicitus. Secūdo modo sumitur pro actu intentionis, vel pro actu imperāte; actus verò exterior appellatur actꝰ electionis, vel imperatus, siue eliciatur ab alijs potētijs, siue etiam ab ipsa Voluntate: loquitur ergo D. Tho. de actu interiori & exteriori isto secundo modo, quia, vt suprà dixi-

diximus, respectu actus interioris sic stricte sumpti, finis (verbi gratia) non habet rationē circunstantiæ, sed transit in rationem obiecti; & in hoc distinguitur ab actu exteriori, quia actus exterior etiam elicitus à Voluntate per modum electionis, potest habere circunstātias, â quibus bonitatem desumat; omne autem illud à quo actus interior stricte sumptus sumit bonitatem, habet rationem obiecti respectu illius actus. Sic explicat Lorca hic disp. 34. Et per hoc facilè respondetur ad argumenta.

Lorca.

Ad 1. arg. Ad primum, quòd siue intensio, siue quantitas magnitudinis vel paruitatis, quę respectu actus exterioris habēt rationē circunstātiæ, respectu actus interioris habent rationē obiecti voliti; siue primariò, siue secundariò, siue formaliter, siue virtualiter, vt suprà diximus. Vnde ex his desumere bonitatem, non est ab alio, quàm ab obiecto illam desumere: itaque prædictæ circunstantiæ sunt extra essentiā, non solùm specificā, sed etiam indiuidualem actus exterioris, quia sunt extra obiectum etiam indiuiduale illius; sunt tamen de essentia indiuiduali actus interioris, quia licèt non pertineant ad obiectum specificum, qua ratione sunt veræ circunstantiæ, pertinent tamen ad obiectū indiuiduale actus interioris, vt sæpe diximus; & sic verificatur, sumere totam bonitatem vel malitiam ab obiecto.

Ad 2. arg Ad secundum respondetur, illud intelligi de actibus moralibus absolutè, non distinguendo inter actum exteriorē vel interiorem; & sic vera est propositio; q̄ circunstantia auget bonitatem vel malitiam; quia hoc reperitur in actibus exterioribus; & sic in illis semper posuit exē pla D. Tho. non autē habet verum in particulari de actu interiori stricte sumpto, respectu cuius, vt diximus, omnis circunstantia transit in rationem obiecti.

Ad 3. arg. Ad tertiū respondetur. Primô, quòd actus ille fuit exterior, quatenꝰ Angelus elegit permanere in amore proprio contra regulā diuinā, quando obligabat præceptū referēdi se & omnia sua in Deum; quod præceptū positū fuerat & acceptatum in primo instanti suę creationis; qua propter talis actus vt exterior potuit habere malitiā ex circunstātia. Sed quia potuit rursus argui de actu interiori; ex quo elegit in proprijs permanere; qui actus ex obiecto videtur bonus, & tamen malus ex circunstātia superbiæ, ideò facilè. Secundô respōdetur, quòd illa circūstantia in ordine ad actum interiorem, habebat rationem obiecti formalis, vt de alijs diximus.

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur, quòd actus interior considerat dupliciter. Primò, vt informat actū exteriorē & ex vtroq; sit vnū, vt ex materia & forma. Secundò cōsideratur prout ab exteriori distingui tur, sicut etiam in naturalibus forma cōsiderat, & prout informat materiā, & facit vnū cōpositum cū illa, & etiā secundū se, vt à materia condistinguitur. Primo modo cùm sint vnū, habent idē specificatiuum. Secundo autē modo seorsum debet assignari specificatiuū vtriusque; & sic D. Thomas dicit, quòd actus exterior sumit bonitatem ex obiecto & circunstātijs; interior verò solùm ab obiecto.

Ad 5. arg. Ad quintū respondetur, quòd illa volitio interior habet pro obiecto totum id accipere alienum ex loco sacro, quod est peius obiectum, quàm accipere ex loco profano; Verū est, quòd licèt obiectū sit vnicū, eminenter continet geminā bonitatem vel malitiā specie distinctam (vt suprà diximus) quia bene stat, quòd actus subiecto sit vnicus & idem numero, & quòd specie sit plures.

Ad 6. arg. Ad sextū respondetur similiter, quòd obiectū illius actus Monachi, est venatio vt à monacho exercenda; & sic est mala, & similiter fit actus interior peior, secundùm quod obiectum magis vel pluribus præceptis est prohibitum, isti quam illi, vel in hoc quàm in illo loco, &c. Ad illud autem, quòd actus virtutis non solum habet bonitatem ex eo quòd sit circa iusta, sed quia etiam vestitur omnibus circunstantijs; respondetur, ita esse, sed nos in præsenti asserimus, quòd omnia ista respectu actus interioris habent rationem obiecti.

DVBIVM II.

Circa solutionem ad primū, quomodô dicat D. Tho. non differre in actibus Voluntatis bonitatem ex obiecto à bonitate finis & obiecti, nec per accidens, prout finis pendet à fine, & volūtas à volūtate.

RAtio dubitandi est, quia D. Tho. vniuersaliter docet q. præcedēti art. 6. q̄ finis *1. Arg.*

finis est obiectum Voluntatis: ergo eadē est bonitas finis & obiecti, nec per accidens potest esse cōtrarium: aliàs enim nō esset vniuersaliter verum, finem esse obiectum Voluntatis.

2. Arg. Secūdò arguitur, quia finis ita est per se appetibilis, vt nō propter aliud, vt dictū est suprà q. 1. art. 4. ergo nec per accidens finis potest pendere ex fine.

Conrad. In hac re Conradus hic circa solutionē ad primū, dicit, ideò finem per se dici obiectū Voluntatis, quia datur aliquis act⁹ Voluntatis circa finē, qui nō potest vlteriùs ordinari in finem; qualis est actus circa vltimum finē; sunt tamē alij actus Voluntatis circa alios fines, qui tamen in vltimorē finem ordinātur; hoc tamē est per accidēs: accidit enim Voluntati; ꝙ sit circa vlterius ordinabile in finē; nam si hoc perse cōueniret Volūtati, omni actui cōueniret; in hoc ergo sensu obiectum & finis non sunt idē, nec bonitas obiecti est bonitas finis, & volūtas accidit volūtati, & finis per accidens pendet ex fine. Sed certè hęc explicatio non est ad mentē D. Tho. Primò, quia D. Tho. vniuersaliter loquitur, quòd finis est obiectū Voluntatis; & hoc etiā habet verū, quando Volūtas operatur circa media, vt suprà docuimus: ergo non ratione hac vnū accidit alteri, ad sensum Conradi, sed semper erit verū, ꝙ bonitas finis & obiecti est eadē. Secundò, quia per se etiā cōuenit Volūtati agere de his quę ordinātur ad finem; sicut enim intētio perse est de fine, ita electio per se est de medijs in ordine ad finē.

Not. 1. Pro explicatione ergo sensus D. Tho. notandū, quòd quando D. Tho. dicit, bonitatē vel malitiam obiecti per accidens distingui à bonitate vel malitia finis, nomine obiecti intelligit obiectū actus exterioris quod assumitur à Voluntate in ordine ad vlteriorē finem; & tunc dicit, quòd bonitas illius obiecti per se est eadē bonitas cum bonitate finis; nam per se loquendo, illud obiectū consideratur vt vtile; vtile autē non aliā importat bonitatē, quàm habeat illud respectu cuius est vtile; potest autem per accidens bonitas illius obiecti differre à bonitate finis.

Not. 2. Pro cuius maiori explicatione notandū secundò, quòd duplex est medium assumptibile à Volūtate in ordine ad finē; Verbi gratia, potio amara in ordine ad sanitatem, quod quidem medium in se nō habet propter quid ametur; aliud autem est medium taliter vtile ad finem, quòd etiam in se habeat sufficientem bonitatē vt propter se ametur; vt quando quis dat eleemosynam propter bonum castitatis; eleemosyna non solùm habet bonitatem vtilem ad finem castitatis, sed etiā habet in se bonitatem honestam, ex qua potest amari propter se, & terminare actū Volūtatis. In hac ergo volitione etiā est volūntas eleemosynę absolute, quę propriè habet se vt forma illius actus exterioris; mens igitur D. Tho. est quòd quādo me diū in se non habet aliquā bonitatē, bonitas finis & bonitas obiecti est eadē bonitas; quia obiectū actus exterioris non habet aliam bonitatē, nisi bonitatem finis: at verò quando medium in se habet propriam bonitatem, tūc licèt formaliter loquendo, accipiendo mediū in ratione medij, eadem sit bonitas medij & finis; tamē considerando mediū secundùm suā propriam bonitatem, diuersa est bonitas medij & obiecti actus exterioris, à bonitate finis; & tunc verificatur, ꝙ volūtas accidētaliter pēdet à volūtate: volūtas enim misericordiæ accidentaliter pendet à voluntate castitatis; & tunc etiam verificatur, quòd finis accidentaliter pendet ex fine; finis enim actus misericordiæ, qui tūc non accipitur vt finis, sed vt medium, accidētaliter pendet ex fine castitatis. Hęc explicatio est Cajetani hic, & legitima D. Thom. quæ proportionabiliter debet applicari actibus malis; vt in exēplo cōmuni volitionis furti propter mœchiā. Aliā explicationem etiā adhibet Caietanus, videlicet quādo Voluntas simul vult plures fines; Verbi gratia miles vult sanitatem propter militiā, & militiā propter victoriā, & victoriā propter honorē, &c. Sic enim etiam verificatur, quòd voluntas pendet accidētaliter à voluntate, & finis ex fine: sed hoc est respectu diuersorum actuum diuersārū quidem intētionum & electionum: hic autē debemus loqui respectu eiusdem actus & volitionis; vnde melior est præcedens explicatio. Caiet.

Ad primum à principio respōdetur, verū esse, ꝙ obiectū Voluntatis, tā in intione, quàm in electione, est finis; electio enim mediorū est propter finē: cum hoc tamen stat, ꝙ alicui medio accidat ordinari in aliquē finē, & cū aliās ipsum habeat bonitatē propriā, quòd verificetur dictū D. Thomæ, vt iam explicuimus. Ad 1. arg.

Ad secundum respondetur, quòd finis vt sic, Ad 2. arg.

vt sic,non potest ordinari in vlteriorem finem:id tamen quod aliâs potest terminare Voluntatem per modum finis, potest ordinari vt medium in vlteriorem finem per accidens.

Corolar. Ex dictis sequitur, qualiter sit accipiẽda prædicta propositio D. Thom. quòd finis dependet ex fine accidentaliter, & voluntas à volũtate, an in sensu formali, an verò in sensu materiali. Aliqui enim putant,intelligendam esse etiam in sensu formali,nam si solùm sumatur materialiter,finis est aliàs medium,medium autem per se & essentialiter pendet ex fine: vt ergo saluetur, quód finis per accidens pẽdet ex fine, debet sumi finis formaliter; sic enim per accidens pẽdet ex alio fine. Melius tamẽ existimo dicendũ, D. Tho. loqui de fine sumpto materialiter;nam finis formaliter vt finis, nec per se,nec per accidens, potest ad aliud ordinari, vt sic dependeat ex fine:intendit ergo D. Thomas, quòd licèt finis formaliter ex fine nõ dependeat; quôd requirebatur vt per se diceretur dependere:tamen quia ratione finis potest cõiungi ratio medij,de cuius ratione est ex fine dependere, ideò dicitur,quòd finis accidentaliter dependet ex fine;quia licèt,habitudo medij ad finẽ sit per se,q tamen ratio medij cõiũgatur cũ ratione finis, est per accidens,& sic finis per accidẽs dependebit ex fine, quia talem depẽdentiã habet rationẽ alicuius sibi adiuncti per accidens; quod vtique non erit,finem formaliter sumptũ depender ex fine,sed tãtùm sumptũ materialiter:quòd alijs verbis ab alijs solet explicari videlicèt,quôd aliquid dupliciter potest habere rationẽ obiecti & finis. Vno modo secũdùm se:alio verô modo vt subordinatur actui Voluntatis. Et quidẽ potest cõtingere,quòd illud quod habet rationem obiecti & finis secundùm se,si cõsideretur vt subordinatur actui Voluntatis,habeat rationẽ medij. Verbi gratia,furari,habet rationem obiecti & finis in ordine ad hunc actum,Volo furari:si tamẽ cõsideretur in ordine ad alium actum, videlicet, Volo furari propter mœchiam, tunc respectu istius actus habet rationẽ medij, licèt secundùm se haberet rationem finis: dicitur ergo finis dependere per accidens ex fine,quia quod erat finis secundùm se,per accidens habet subordinari Voluntati,vt assumatur vt medium in ordine ad aliud,vt ad finem.

ARTICVLVS III.

Vtrùm bonitas Volũtatis pendeat ex Ratione.

AD tertiũ sic proceditur. Videtur, quòd bonitas Volũtatis non dependeat à Ratione. Prius enim non dependet à posteriori: sed bonũ per prius pertinet ad Voluntatem, quàm ad Rationẽ, vt ex supradictis patet: ergo bonum Voluntatis non dependet à Ratione. Infr. q. 21. ar. 1. cor.

2 Prætereà. Philosophus dicit in 6 Eth. eorum, quòd bonitas Intellectus practici est verum conforme appetitui recto;appetitus autem rectus est Voluntas bona: ergo bonitas rationis practicæ magis dependet á bonitate Voluntatis, quám é conuerso. 1.9.ar.1. li. 6 Ethico.2. to.5.

3 Prætereà Mouens non dependet ab eo quod mouetur sed è conuerso:Voluntas autem mouet Rationẽ, & alias vires, vt suprà dictum est: *ergo bonitas Voluntatis non depẽdet à Rratione. *q.9.art.1.

Sed contra est quod Hilarius dicit in decimo de Trinitate, Immoderata est omnis susceptarum voluntatum pertinatia, vbi non Rationi Voluntas subijcitur:sed bonitas Voluntatis consistit in hoc,quòd non sit immoderata: ergo bonitas Voluntatis dependet ex hoc quod sit subiecta Rationi. In principio libri.

Respõdeo dicendũ,quôd sicut dictũ est * Bonitas Volũtatis proprie ex obiecto dependet;obiectum autem Voluntatis proponitur ei per Rationem,nam bonũ intellectum est obiectum Voluntatis proportionatum ei: Ar.1.& 2.

bonum

bonum autē sensibile, vel imaginatium, non est proportionatum Voluntati, sed appetitui sensitiuo; quia Voluntas potest tendere in bonum vniuersale quod ratio apprehendit; appetitus autem sensitiuus non tendit nisi in bonum particulare, quod apprehendit vis sensitiua; & ideò bonitas Voluntatis dependet à Ratione eo modo quo dependet ab obiecto.

Ad primum ergo, dicendum, quòd bonū sub ratione boni, id est, appetibilis, per priùs pertinet ad Voluntatem, quàm ad Rationem: sed tamen per prius pertinet ad Rationem sub ratione veri, quàm ad Voluntatem sub ratione appetibilis: quia appetitus Voluntatis non potest esse de bono, nisi priùs à Ratione apprehendatur.

Ad secundum, dicendum, quòd Philosophus † ibi loquitur de Intellectu practico secundùm quòd est cōsiliatiuus & ratiocinatiuus eorum quæ sunt ad finē: sic enim perficitur per prudentiam: in his autem quæ sunt ad finem, rectitudo Rationis cōsistit in conformitate ad appetitum finis debiti: sed tamen & ipse appetitus finis debiti præsupponit rectā apprehensionem de fine, quæ est per Rationem.

Lib. 6. Ethic. c. 2.

Ad tertium, dicendum, quòd Voluntas quodāmodò mouet Rationē, & Ratio alio modo mouet Voluntatem, ex parte scilicet obiecti, vt suprà dictum est †.

q 9. art. 1.

Conclusio est. Bonitas Volūtatis pēdet ex Ratione, sicut ex obiecto. Hæc cōclusio D. Tho. est indubitata, in qua cōueniūt cū D. Tho. Durād in primo, dist. 38. q. 1. & Scotus dist. 40. in 4. q. vnica, & Gabriel ibi

D. Thom. Durand. Scot. Gabr.

dē, q. vnic. ar. 1. notabili primo, & alij, quos citabimus infrà in hoc articulo. Etenim Voluntas in sua bonitate dependere debet à regula diuina, & à lege æterna, quæ quidem lex manifestatur nobis immediatè per legem naturalem, tanquàm per mēsuram homogeneam, & per Rationem ostendentem nobis prædictam regulam, secundùm illud Psal. 4. Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine; qui locus in hoc sensu explicatur à D. Thoma articulo sequenti: sicut enim artificialia dependent in veritate & rectitudine à forma artificis, & idea illius; ita actiones Voluntatis dependent in sua rectitudine à regula Rationis. Vnde Philosophus definiens virtutem, dicit, quòd est habitus electiuus in mediocritate consistens, prout sapiens determinauerit. Determinatio autem sapientis, quam ponit regula operationum humanarum, est per rationem; per rationem (inquam) practicā, non autem speculatiuam; quia licèt Intellectus speculatiuus & practicus non sint diuersæ potentiæ, vt docet D. Thomas 1. p. q. 79. art. 11. adhuc tamen iudicium speculatiuum nō sufficit ad mensurandam Voluntatem, nec ex tali iudicio præcisè potest Voluntas operari: quapropter cōtingere potest, iudicium speculatiuū esse falsum, & quòd Volūtas bene operetur per iudicium practicum: sicut enim in speculatiuis ex aliqua præmissa falsa potest sequi conclusio vera, vt ex hac propositione, Homo est lapis, sequitur quòd homo est substantia: sic etiā ex alia præmissa speculatiua falsa, si tamē practicè sit vera, potest sequi operatio recta Voluntatis; vt patet in exemplo Iacob, fecit enim istū syllogismū: Licitū est accedere ad propriā vxorem: hæc autem est mea vxor: ergo. Et nihilominus minor speculatiuè erat falsa; vera autem practicè, quia cōformis regulę & rationi practicę; vt enim ait Arist. 6. Ethic. cap. 2. veritas speculatiua sumitur ab eo quòd res est, vel non est; veritas autem Intellectus practici est, conformiter se habere ad appetitū rectum: itaque veritas Intellectus practici non consistit in cognoscere semper verū, sed in dirigere semper ad bonam & studiosam operationem.

Psal. 4. *D. Thom.* *Arist.*

DVBIVM I.

De conformitate supra dicta. Quid requiratur, vt actus dicatur conformis Rationi; vtrùm requiratur quòd iudicium Rationis sit actu præsens, vt actus sit illi conformis; vel vtrùm sufficiat quòd sit conformis iudicio aptitudinali, sci licet quòd sit talis actꝰ Volũtatis, qui sit cõformis iudicio, quod si adesset, esset verum. Verbi gratia, si ego darem eleemosynam sine ali quo iudicio, ille actus eleemosynæ est conformis iudicio, quod si adesset, esset verum; quæritur ergo, vtrum hoc sufficiat, vt ille actus sit bonus.

1.*Sentent. Ocham.* IN hac re Ocham in 3.q.13. ponit tres propositiones. Prima est, quòd vt actus sit moraliter bonus, non sufficit quòd sit conformis iudicio aptitudinali, quod si adesset, esset verũ; nam si, v. g. Iacob putans Liam esse suã, nollet illi reddere debitũ, nolitio illa esset mala: & nihilominus cõformis iudicio, quod si adesset, esset verum: nã si iudicasset illã non esse suam, verum iudicasset. Secunda propoposítio Ocham est, quòd non sufficit iudicium esse prẽsens qualitercunque, ad hoc vt actus dicatur conformis recto dictamini, sed requiritur, vt talis actus elicia tur & procedat ab illo iudicio: verbi gratia si quis iudicaret, bonum esse dare eleesynam; si tamen volitio dandi non causetur ex illo iudicio, sed ex alio: puta quia est delectabile secũdũ sensum, ille actus nõ esset bonus, quia nõ procederet à Ratione; vt enim ait Arist. 2. Ethic. c. 4. actus virtutis debet ex electione & cõsilio fieri: si autem ex illo iudicio bono nõ procedit, nõ est ex electione & cõsilio, & sic actꝰ bonꝰ virtutis esse nõ potest. Tertia propositio Ochã est, non sufficere, iudiciũ esse præsens, & actũ ab illo procedere, sed vltra requiritur, qꝫ cũ reflexa cognitione talis iudicij procedat, ita vt dicat, Volo dare eleemosynã, quia hoc dictatũ est à Ratione & quia honestũ est: & hoc etiã putat Ochã intẽdere Arist. loco citato; nã ad actũ bonũ ponit ibi tres cõditiones, videlicèt qꝫ quis faciat sciẽs, & eligẽs, & propter hoc. In illo verbo, Et propter hoc, intelligit Ochã prædictã aduertẽtiã formalẽ & reflexã iudicij. Hanc etiã sentẽtiam sequitur Almayn in suis Mor. q.13. & in 3. dist. 23. & Gabriel ibidẽ, & in 2. dist. 41. sine alio examine, quàm quòd dixerit Ocham, quem pro oraculo habet.

Arist.

Almayn. Gabr.

Secunda sententia in alio extremo est M. Med. hic, non requiri actuale iudiciũ, vt actus sit bonus & cõformis Rationi, sed sufficere iudicium virtuale. 2.*Sent.*

Tertia sententia est media, quam explicabimus in conclusionibus. 3.*Sent.*

Pro intelligẽtia ergo notãdũ, quòd posumus loqui dupliciter de actibus Volũtatis, vel elicitis ab illa, vt etiã de imperatis ab ea: & etiã notãdũ ex supra dictis, quòd iudicium est duplex; aliud aptitudinale, quod explicatur per cõditionẽ si adesset; aliud verò est actuale, quod est de facto: & hoc etiã duplex; aliud formaliter influens; aliud verò tãtũ virtualiter. Cõcedimꝰ ergo Ochã, qꝫ iudiciũ nõ sufficit esse aptitudinale: sic enim se habet operãs ex tali iudicio, ac si nullũ haberet, & sicut puer vel amẽs in ordine ad illũ actũ. Itẽ cõcedimus illi secũdã ꝓpositionẽ, vltra actualitatẽ iudicij requiri influxũ eius ad actũ; nã alias actꝰ nõ fieret propter hoc. Restat autẽ disputatio, vtrũ illud iudiciũ actualiter influẽs debeat habere influxũ formalẽ vel virtualem, & vtrũ ille influxus sit causę partialis, nã etiã partem affirmatiuã tenet Ochã; & etiam vtrũm debeat esse aduertentia reflexa talis iudicij, vel non. *Not.*

Prima cõclusio. Si loquamur de actibꝰ elicitis à Volũtate, necessariũ est actuale iudiciũ practicum Intellectus formaliter existens, vt Volũtas operetur. Probatur, nam Voluntas ex natura sua est appetitus rationalis, qui sequitur apprehensionẽ Rationis; sicut appetitus sensitiuus sequitur apprehẽsionẽ sensus: hęc autẽ apprehẽsio ita necessaria est, vt per diuinã potẽtiã fieri nõ possit, vt Volũtas operetur absque hac apprehẽsione, vt diximus supra, q.9. ar.1. sed hęc apprehẽsio debet esse perquã proponatur Volũtati bonũ, siquidẽ in ratione cõueniẽtis, quod nequit esse nisi per iudiciũ practicũ: ergo sicut necessaria est actualis & formalis apprehẽsio Intellectꝰ, vt Volũtas operetur, ita erit necessarium actuale & formale iudicium practicum. 1.*Conclus.*

Secunda conclusio. Si loquamur de actionibus imperatis, nõ est necessariũ formale iudiciũ practicũ; sed sufficit virtuale. 2.*Sent.*

Hanc

Hanc existimo esse sententiam Med.non enim ipse loquebatur de actionibus elicitis Voluntatis,sed de imperatis,vt patet in exemplis ab ipso adductis: quæ quidem probant hanc nostram conclusionem;maritus enim quando reddit debitum vxori, non oportet quòd tunc iudicet illud esse rectum,vt actio reddendi debitum;sit bona;sed sufficit hoc prius iudicasse. Et similiter qui temperatè comedit, non requitur vt perseueret in iudicio rectæ comestionis.

3. Concl. Tertia conclusio.Falsa est tertia propositio Ocham,quòd ad operationem bonã requiratur formalis reflexio super rectitudinẽ iudicij de bonitate actionis, vt actio sit bona. Probatur primò, quia rarissimi sunt,etiam exprudentioribus, qui faciant talem reflexionem. Quis enim quãdodat eleemosynã,dicit expresse intra se:Egodo eleemosynã,quia est honestũ,&quia est dictatũ â Ratione:& nihilomin' dicere quòd isti nõ facũt opera virtutũ,esset rediculũ. Secundò probatur,nã Ocham certè deficit in Philosophia morali & naturali;nam quãdo Arist.docuit,quòd ad virtutem requiritur quòd quis faciat propter hoc, intellexit,quòd ratio honesti esset causa talis actus:ad hoc autẽ vt sit causa,sufficitquòd actus feratur in obiectum sub tali ratione, sine reflexione tamen; hoc est, sufficit vt sit propter honestũ in actu exercito, nec requiritur quòd sit propter illud in actu signato;sicut visio fertur in suumobiectum sub ratione coloris sine tali reflexione;nõ enim dicit,Video quia coloratum est;sed ita fit in exercitio, quia color est principiũ formale videndi:& sicut ad hoc quòd famulus rectè obediat,non exigitur quòd habeat reflexionẽ,Facio quia iubet dominus;sed sufficit quòd in exercitio ex obedientia exequatur domini præceptum: ergo in omni Philosophia falsa est sententia Ocham,quòd requiratur reflexio posita ab ipso.

4. Concl. Quarta conclusio.Falsum est etiam,asserere cum Ocham & sequacibus eius, quòd iudiciũ concurrat partialiter ad productionẽ actionis rectæ.Probatur,namvel loquimur de actionibus exterioribus, vel de interioribus:sed respectu nullius potest esse talis concursus:ergo. Prima pars minoris conceditur ab Ocham;non enim est intelligibile, qualiter iudiciũ existens in Intellectu,possit attingere actum exteriorem,vt sit causa partialis illius. Secunda pars probatur, quia licèt iudicium sit probabile esse principium quo, actiuum actus Voluntatis,vt patet suprà q.9.ar.1. de quo Bañez 1.p.q.82.art.2.dub.1.con Bañez. clus.5.tamẽ non est probabile,quòd Intellectus sit causa particularis actus Voluntatis;quia intelligi non potest, qualiter vna pars actus sit â Volũtate, & altera pars sit ab Intellectu:quod requirebatur ad esse causas particulares:ergo.

Sed contra prædictam resolutionem, & præcipuè contra tertiam conclusionẽ, Arg. est argumentum:nam detur homo,qui habuit hæc duo iudicia,Tẽperatè est comedendum propter bonũ honestatis;& temperatè est comedendum propter delectationem;& posteà sequatur comestio,tunc sequitur,quòd illa comestio nec sit bona, nec mala; quia nec magis potest conformari iudicio recto, quàm obliquo: ergo necessarium est,vt comestio sit recta,iudicium reflexũ, quo ille iudicet sic operari, quia est conforme rectę rationi. Ad hoc ar Ad arg. gumentum respondet Medina cum Victoria,non ita esse facile, iudicare, an illa Med. operatio sit recta,vel non;nam si sequitur Victor. à iudicio recto, erit bona; sin autem, erit mala. Hæc solutio non placet Medinæ; dicit enim,quòd potiùs illa oppositio erit bona,quia fortius est iudicium bonum ad rectè operandum,quàm iudicium malam ad malè operandum.Sed reuera prior solutio Victoriæ magis debet placere,& tũc dico,quòd forsitan illa duo iudicia in compossibilia sunt, sed vnũ alterum destruit, nisi operans dubiũ sit;& tunc dato vtroq; iudicio,dicendum est cum Victoria,posse operari ex applicationevnius vel alterius; & si quidem operetur ex applicatione iudicij boni,actio erit bona; si verò ex iudicio malo,actio erit mala. Verum est tamẽ, non ita esse facile experiri ex quo iudicio tunc operetur,licèt ex quolibet possit operari,& ex altero illorum operetur.Quapropter tunc est distinguẽdũ, nã vel operans est studiosus,assuetus rectæ operationi:aut verò est vitiosus, habẽs peruersam consuetudinem operandi. Si primo modo,iudicandum est pro illo, quòd operatio fuerit recta & ex recto iudicio procedens.Si verò secundo modo,iudicandum est contra illum,quòd operatio fuerit mala & ex prauo iudicio consequuta. Alia duo argumenta ponit Medina;sed facilem in illohabent solutionem.

DVBIVM II.

Vtrùm ratio D.Tho. qua ſuam probat concluſionem, ſit bona.

1.*Arg.* PRobatur quòd non. Primò, quia D. Thomas in hoc articulo intendebat probare, Rationem, eſſe menſurã & regulam bonę Voluntatis, ex eo quòd Ratio proponit bonum Volũtati: ſed ex hoc inefficaciter ſequitur: ergo. Probatur minor, nam ex hoc quòd proponitur bonũ Volũtati ab Intellectu, nõ ſequitur, quòd Ratio ſit menſura: poteſt enim proponi ante omnem menſuram Intellectus, vt patet in motibus primo primis: ergo.

2.*Arg.* Secundò arguitur, nam etiam contingit, actum Voluntatis eſſe bonũ, & nihilominus iudicium Intellectus eſſe falſum: ergo Ratio non eſt regula appetitus. Conſequentia patet. Antecedens probatur in caſu acceſſus Iacob ad Liam; ille enim actus ex parte Voluntatis fuit rectus; ex parte tamen Intellectus iudicium fuit falſum; iudicauit enim hanc eſſe ſuam, & non erat. Si reſpõdeatur, quòd in Iacob fuit iſte ſyllogiſmus formatus: Licitum eſt accedere ad vxorem: ſed hæc eſt mea vxor: ergo licitum eſt accedere ad illam. In quo ſyllogiſmo licèt illa minor ſit falſa, concluſio tamen eſt vera, ſufficienter illata ex illa maiori vera: Contra arguitur, nam concluſio ſemper ſequitur debiliorem partem: vnde ſi minor eſt falſa, concluſio non poterit eſſe vera: eo vel maximè, quòd magis debet ſequi ex illa propoſitione particulari minori, quàm ex illa vniuerſali maiori. Erit ergo dicendum, illud iudiciũ ex parte Intellectus, non eſſe regulam actus ex parte Voluntatis, vt ſic actus Volũtatis ſit rectus, etiam deficiẽte iudicio vero ex parte Intellectus.

3.*Arg.* Tertiò arguitur, nam ſi Ratio eſt regula appetitus, ſequitur, dari circulum in ratione D.Tho. conſequens eſt abſurdum: ergo. Sequella probatur, nam ratio recta non aliter poteſt explicari, quàm ex ordine ad appetitum rectum, teſte Ariſt. 6. Ethic. cap. 2. quod ſæpe repetit D. Thomas, maximè infrà q. 57. ar. 5. ad. 3. & q. 64. ar. 3. Si ergo modò dicit D. Tho. quòd rectitudo appetitus ſumitur per cõformitatẽ ad Rationẽ, certè cõmittitur circulus, quẽ ipſe reprobat 1. p. q. 25. ar. 3. Si reſpõdeatur cũ D. Tho. hic ad ſecũdũ, quòd illa ratio, quæ eſt circa media, & eſt conſultiua, & iudicatiua mediorum, ſumit ſuam rectitudinem & veritatem per ordinem ad appetitum rectum: rectum (inquã) non rectitudine electionis, ſed intẽtionis; ipſe verò appetitus rectus ſumit ſuam rectitudinẽ per ordinẽ ad iudiciũ Rationis, quo proponitur finis Voluntati, & ſic non datur circulus; quia ſi ad inuicem dependent in rectitudine, eſt ſecundùm diuerſam rationem: Contra arguitur, nã ſi appetitus rectus circa finem ſumit ſuam rectitudinem per cõformitatem ad Rationem, tunc etiam ipſa Ratio proponens finem, non habet à quo ſumat ſuam rectitudinem, niſi per ordinem ad appetitum rectum; nam cùm tale iudicium ſit verum, debet habere conformitatem ad aliquam menſuram; & alia non poteſt aſsignari, niſi appetitus rectus: ergo adhuc non euaditur circulus.

Soluti. *Impng.*

In hoc dubio duo tanguntur neceſsariò explicanda. Primum quidem, qualiter Ratio ſit regula & menſura appetitus. Secundũ verò, qualiter exiſtente regula appetitus, nõ cõmittatur circulus, cũ aliàs appetitus rectus ſit regula & mẽſura iudicij Rationis. Circa primum dicimus cum Conrado hic; dicit enim, aliud eſſe, quòd obiectũ apprehẽdatur à Ratione; aliud verò, quòd à Ratione proponatur Voluntati. In primo quidem non importatur ratio menſuræ reſpectu Voluntatis; nam hoc fit ab Intellectu practico, cuius quidem eſt proponere obiectum Voluntati, menſurãdo, & regulando: bene ergo infert D. Tho. ex eo quòd Ratio habet proponere obiectum Voluntati, quòd Ratio ſit menſura & regula Voluntatis.

Conrad.

Pro cuius maiori explicatione notãdũ, quòd Volũtas vt rectè operetur, nõ immediatè regulatur à lege Dei; poteſt enim cõtingere, quòd Volũtas rectè operetur, & nihilominus cõtra legẽ Dei ex ignorantia inuincibili; vt patet in acceſſu Iacob ad Liã; & è contra poteſt eſſe, quòd actus Volũtatis ſit prauus, licèt aliàs cõformis Dei legi; vt ſi interueniat conſcientia erronea: proxima ergo & immediata regula rectitudinis actus Volũtatis eſt pſa Ratio: quod explicuit D. Th. ar. 1. q. ſequẽtis. Vnde & ait Ariſt. 3. Ethic. c. 4. virũ ſapientem de omnibus iudicare; quaſi ſit regula & mẽſura omnium. Et cap. 13. cõcludit, apud omnes habitũ eſſe virtutis, qui rectę rationi eſt cõſen-

Not.

Ariſt.

D. Thom.

Ariſt.

sentaneus. In hoc ergo, quòd Ratio proponat Voluntati bonum sequendum, intrinsecè clauditur ratio mensuræ, ita vtnō possit intelligi, Rationem proponere aliquid Voluntati, nisi mensurando & regulando; quia, vt ait Caiet. q. 57. art. 5. dub. 1. in solutione ad 3. D. Tho. propriū est Intellectus practici; & propria eius natura, dirigere & mēsurare: & cùm proponere Voluntati pertineat ad Intellectum practicum, ideò in hoc ipso quod est proponere, inuenitur ratio mensuræ & regulæ. Verum est, quòd cùm proponere contingat dupliciter, & per iudicium quoddam naturale; aut etiam per liberum; ideò & esse mensuram contingit etiam dupliciter, & naturalem, & moralem: quapropter cū supra diximus, subordinationem Voluntatis ad Rationem, vt ad mensuram & regulā, distingui à propositione obiecti per Intellectum, loquuti sumus de mensura & regula morali; nam si extendatur ratio mēsuræ & regulæ etiam ad naturalem, vbicūque est propositio obiecti, est etiam ratio mensuræ, vt dictum est. Et si contra facias argumentum, nam propositio obiecti ex parte Intellectus tantùm est conditio Volūtati vt operetur, vt suprà diximus: ergo non est esse mensuram. Patet consequentia, nam esse mensurā, dicit rationem causæ formalis: Respondetur, quòd quando dicimus, Rationē esse mensuram, nō aliud intendimus, quàm quòd mensura sit obiectū, vt propositum à Ratione, quod & insinuauit D. Tho. dicens, quòd Ratio mensurat ex parte obiecti; hoc est, obiectum vt stat sub Ratione: quapropter licèt ratio ex parte principij sit tantùm conditio, ex parte tamen obiecti potest esse causa formalis & mēsura. Et si adhuc instes, quòd obiectū esse sub Ratione, adhuc reducitur ad ipsam Rationē, vt ad quid formale: ergo si ipsa Ratio tātū est cōditio, obiectū sub Ratione nō poterit esse causa formalis & mēsura actus humani: Respōdetur, quòd sicut respectu Volūtatis dicimus obiectū illius esse bonū nō quodcunq; sed vt apprehēsibile per Intellectū; cū quo tamē stat, quòd actualis apprehēsio sit solū cōditio: ita similiter dicēdū, obiectū esse mēsurā actus humani, quatenus obiectū est conforme Rationi quasi in habitu vel radicaliter: cū quo poterit stare, q actualis propositio Rationis sit solū cōditio; quia actualis propositio se tenet, vt diximus, ex parte principij; Ratio autē vt radicaliter importata in cōformitate obiecti, se tenet ex parte ipsius obiecti.

Caiet. *Obiectio.* *Solutio.* *D.Tho.* *Obiectio.* *Solutio.*

Circa secūdū pūctū difficultatis est vari⁹ modus dicēdi. Aliqui dicūt, nō esse incōueniēs, dari huiusmodi circulū, quia nō est incōueniēs, quòd vnū relatiuū definiatur per aliud, & è cōtra: esset autē incōueniēs, procedere per circulū in absolutis: Ratio autē recta, & appetitus rectus, dicūtur ad cōuertētiā & perhabitudinē vnius ad alterū, quapropter bene poterit explicari vnū per aliud, & è conuerso. Sed certè iste modus dicēdi est cōtra D. Tho. qui solutione ad secūdū, nititur explicare Arist. ne circulū cōcedat; & isti quidem supponūt falsum, quòd recta ratio & appetitus dicātur relatiuè, quia si relatiua sunt, tātū est secūdū dici; qua propter licèt vnū definiatur per aliud, nō tamē è cōtra: sicut potētia & obiectū relatiua sunt secūdū dici: quapropter licèt potētia definiatur per obiectū, nō tamē obiectū in ordine ad potētiā. Si ergo Ratio, vt ait D. Tho. se tenet ex parte obiecti, vt explicuimus, licèt appetitus vt potētia explicetur in ordine ad Rationē, vt ad obiectū; nō tamen Ratio se tenēs ex parte obiecti erit explicanda in ordine ad appetitum rectū: & sic adhuc manebit soluenda difficultas. Eo vel maximè quòd licèt recta ratio & appetitus rectus essent relatiua secundùm esse, essent quidē tertij generis in ratione mensuræ & mensurabilis: quapropter licèt appetitus rectus, vt potentia mensurabilis, definiatur per Rationem, vt per mensuram in ratione obiecti; recta tamen ratio vt mensura, erit indepēdens ab appetitu mensurabili; sicut obiectū mensurans independēs est à potentia mensurata. *1. Modus.*

Secūdus modus explicādi est aliorum cum Medina, qui duplicē adhibet solutionē. Primā quidē, non dari circulū, quia pro eodem accipitur, quòd Ratio mensuret appetitū, vel quòd appetitus mensuret Rationē: tātū enim est circulus in apparētia loquutionis; in re tamen idē importāt, videlicet obiectū cōformiter Rationi propositum Voluntati; quod aliquando explicatur ex parte Rationis ad Voluntatē; aliquando verò ex parte Voluntatis ad Rationem. Secundò dicit Medina, non etiā dari circulum, quia alterū sumitur à priori; alterum verò à posteriori: per Rationem enim explicatur rectitudo à priori; per appetitum verò à posteriori & ab effectu; est enim rectitudo appetit⁹, effectus *2. Modus.* *Medina.*

Rationis rectæ. Sed certè in hoc modo dicendi adhuc manet difficultas, quia in ipsa practica mensura Rationis inuoluitur habitudo ad appetitum rectum, vt optimè explicat Caietanus q.57.art.5.ad 3. D.Th. ergo appetitus rectus nō consideratur solùm vt effectus, vt dicatur, processum ab appetittu ad Rationem, esse à posteriori; processum verò à Ratione ad appetitum, esse à priori. Vera ergo & legitima explicatio D.Tho. est, veritatem practicam duplicem esse; alterā quidem circa media, secundùm quòd Intellectus practicus per prudentiam iudicat & consiliatur de medijs in ordine ad finem. De hac veritate interpretatur D.Tho. Arist. quando dicit, ꝙ veritas practica desumitur per cōformitatem ad appetitū rectū, quia cū tota ratio medij desumatur per conformitatem & proportionem ad finem, tunc Intellectus practicus circa media erit verus, quando iudicat de medio habente proportionem ad finem: vnde iam supponitur exparte appetitus recta intentio finis, & ex cōformitate ad ipsum illa ratio practica de medijs est recta: illa autem recta intentio finis non sumitur ex conformitate ad hanc practicā rationem de medijs; quare nō datur circulus; quia licèt ratio de medijs sit recta ex appetitu recto circa finem; tamē appetitus rectus circa finem non est per conformitatem ad rationem illam practicam circa media, sed per conformitatē ad rationem practicam circa ipsum finē, pertinentem quidem ad synderesim ostēdentem prima principia practica, vt, Bonum est faciendum iustè viuendum, &c. de quo D.Tho. 1.p.q.79.ar.12. Ista autem rectitudo Rationis circa finem & circa principia, non est per conformitatem ad rectitudinē appetitus, sed independens & per se nota: sicut dici solet de Logica, ꝙ sit modus sciendi & alijs scibilibus & sibiipsi, independenter ab alia scientia: ita similiter ratio practica circa principia est prima mēsura & regula aliorum & sui ipsius: nisi clariùs velis procedere ad vitandum circulum, dicens, quòd recta ratio circa media, est per conformitatem ad appetitum rectum circa finem: appetitus autem rectus circa media, est per conformitatem ad rationem practicā circa media, & appetitus rectus circa finem, per conformitatem ad rectam rationem circa finem & principia; ista autem recta ratio circa finem, per conformitatem ad legem æternam, cuius est participatio, in qua, velut in prima regula, est sistendum.

Caiet.

Ad primum à principio respondetur, quòd, vt diximus, dupliciter potest Ratio mensurare appetitū, & naturaliter, & moraliter: sicut & dupliciter potest proponere. D.ergo Thomas quæstione 9.ar.1.egit in cōmuni de mēsura & ꝓpositione Intellectus respectu Volūtatis, prout abstrahit à mēsura naturali vel morali; & in illa ratione motus primoprimi sunt mēsurati per Rationem, nō autem sunt actus morales, quia non habent commensurationem vt hic loquimur de illa, vt mensuratio dicit propositionem Intellectus secundùm regulas morum.

Ad 1.arg.

Ad secundum, in primis supponendū est, quòd ille actus ex ignorantia inuincibili non solùm non est malus & excusationem habens, vt volebat Martinus de Magistris, vt refert Almayn tract.17. Moralium, sed etiam talis actus fuit bonus in indiuiduo, suppositis omnibus circunstātijs, & prout hic & nunc in exercitio fuit factꝰ. Est autem tota difficultas in explicādo iudicio Rationis recto & vero, ex quo procedat ille actus appetitus, vt possit dici rectus & bonus per conformitatem ad rationem rectam. In quo quidem est multiplex modus dicendi.

Ad 2.arg.

Prima sententia est aliquorum moderno rum, inter, quos est Vazquez hic disp. 58.c.2. asserentium, veritatem practicam desumendam esse à rebus enuntiatis; sicut & veritas speculativa; licèt veritas speculativa sumatur à rebus in rei veritate existentibus; veritas autem practica à rebus existētibus secundùm probabilem existimationem: quapropter illud iudicium Iacob; Hæc est mea vxor; erat verum veritate practica desumpta ab existentia rei secundum probabilem existimationem. Rationem huius assignant, quia propria regula actionum humanarum, est natura rationalis, & sic illud dicitur rectum & bonum, quod naturæ rationali est conforme: & illud malum, quod naturę rationali est difforme; sicut & illud dicitur sanū, quod est cōsonū vitæ corporis; illudque nociuū, quod vitæ corpori est dissonum: quia tamen Voluntas hāc cōformitatē ad naturā rationalē percipere nō potest, illāque percipit Ratio, & illā perceptā Volūtati proponit; ideò dicitur mēsura Volūtatis, tanquām iudicans de conformitate vel difformitate ad naturam rationalem: sed quia

1.Sent. Vazquez.

Ratio

Ratio non semper potest percipere hanc conformitatem sine errore, ideò nō dicitur mensura, nisi secundū quod proponit probabiliter existimans de bonitate & cō formitate rei. Ex quo inferunt, frustra distinxisse D.Tho. inter veritatem practicā & speculatiuā infrà q.57.ar.5.ad.3. quòd veritas practica sumitur per conformitatem ad Intellectum; veritas autem speculatiua per conformitatem ad res enuntiatas.

Impug. Sentent. Arist. Sed certè hæc sententia in multis errat, & in primis non solùm cōtradicit D. Th. vt ipsi agnoscunt, sed etiam Arist. qui. 6. Ethic.cap.2.dicit, quòd veritas practica sumitur per ordinem ad appetitum rectum: immò contradicunt communi sententiæ Theologorum & Metaphysicorum, qui omnes prædictam distinctionem assignāt inter veritatem practicam & speculatiuā; domus enim artificiosa vera est per conformitatem ad ideam artificis, res que omnes materiales cōditę à Deo verè sunt per conformitatem ad ideas diuinas, & hoc ex natura Intellectus speculatiui & practici: Intellectus enim practicus ex natura sua est directiuus operationum, & habet rationem mēsuræ: quapropter actiones vt sint veræ, per ordinem ad ipsum debent attendi; mensuratum enim per conformitatem ad mensurā attenditur; Intellectus autem speculatiuus solùm est circa rectam speculationem rerum, nec habet rationem mensuræ respectu illarum; quapropter potiùs veritas ipsius Intellectus sumitur ex conformitate ad res ipsas, & non è contra. Decipiuntur etiam in eo, quòd asserunt, veritatem practicam desumi ex conformitate ad naturam rationalem; nam si loquantur de mensura remota & radicali, nihil noui asserunt: si verò loquantur de mensura proxima, falsa est assertio illorum; mensura enim proxima & formalis actionum humanarum non potest esse nisi Ratio, quia propria mensura actionum appetitus debet esse per modum cognitionis. Immò ex hoc apparet in eis manifesta contradictio, quia ex vna parte docent, quòd veritas practica sumitur per ordinem ad rem enūtiatam, & ex alia parte, quòd desumitur ex conformitate ad naturam rationalem. Et si contra facias argumentum ex D. Tho. infra quæstione 64. articulo 3. vbi ait, quòd verum practicum etiam habet rationem mensurati à rebus: ergo etiā veritas practica à rebus desumitur: Respondetur ex doctrina D.Tho. in eodem loco, quòd Intellectus practicus potest considerari dupliciter. Primò in ratione cognoscentis, & sic etiā à rebus mēsuratur; quod probat ex Arist. 10. Metaphys. cap. 5. dicente, quòd Intellectus absolutè depēdet ex ipsis rebus: quod vtique D. Tho. sine discrimine in consideratione prædicta intelligit, tam de Intellectu practico, quā de speculatiuo. Secūdo modo sumitur Intellectus practicus in ratione mensurantis & dirigētis, & sic veritas practica desumitur per conformitatem ad ipsum Intellectū practicum & Rationem. Nec est mirum, quòd aliquid conueniat illi in ratione cognoscentis, quod absolute illi nō cōueniat: nam D.Tho.q.64.art.4. concedit de Fide, quòd in ratione cognoscentis habet medium; quod tamen illi repugnat absolutè, inquantum est virtus Theologica. Vide Cōrad. super locum citatū, & Caiet. & Med. hic in expositione literæ, explicant enim eleganter rationē D.Tho. quā si authores oppositi legissent, non ita contradicerent D. Tho.

Arist. *D.Tho.*

2.Sent. Med. Secundus ergo modus dicendi est Magistri Medinæ, quòd illud iudicium Intellectus in Iacob licèt fuerit falsum in ratione cognitionis, tamen actus Volūtatis fuit rectus, quia non dependet in sua rectitudine ab illo iudicio in ratione cognitionis considerato, sed in ratione proponentis & dirigentis: licèt autem sit falsum ex ignorantia, tamen rectè proponit & dirigit, vt actus consequutus sit bonus. Sed etiā hic modus explicandi non in integrum satisfacit, quia illud iudicium nō aliter dirigit, quàm per modum cognitionis; vnde semper restat soluēda difficultas, qualiter existente iudicio in ratione cognitionis nō recto, possit rectè proponere & dirigere.

3.Sent. Tertius modus explicandi est aliorum Thomistarum, quòd iudiciū Intellectus est duplex; aliud quidem antecedens electionem, & vocatur consilium; aliud verò consequens electionem, & vocatur imperium. Dicūt ergo, bene stare, quòd primū iudicium sit falsum, & actus Voluntatis rectus, dummodò secundum iudicium sit verū. Ita tenet Lorca hic In explicatione literę art. Sed isti etiam certè falluntur: nā iudicium antecedens electionem, quod vocatur consilium, vt postmodùm ex illo, licèt mediatè, debeat sequi recta operatio, ipsum debet procedere ex recta intētione finis, vt docet D.Tho. hic ad secūdū, expli-

Obiectio. *Solutio.* *Lorca.*

cãs Aristot. 6. Ethic. cap. 2. Vnde & tale iudicium rectitudinẽ debet habere, aliàs enim qualiter ex illo posset sequi electio recta, si ipsum non est rectum? manet enim eadẽ difficultas de tali iudicio in ordine ad electionem, atque de iuditio imperij in ordine ad actum exequutionis: si enim ad exequutionem rectam debet præcedere imperiũ rectum, similiter ad electionem rectã debet præcedere iudicium consilij rectũ: eo vel maximè, quòd n equit intelligi, qualiter iudicium imperij rectũ sit, non præcedente recto iudicio consilij, cùm habeát se ordine quodam, & vnum ex altero originetur & procedat.

Sent. vera Durand. Vera ergo resolutio est, quam ex parte attingit Durãd. in. 2. dist. 38. q. 1. n. 9. quòd in illo syllogismo facto à Iacob sub illa propositione maiori; Licitũ est accedere ad propriam vxorem; sub sumitur quasi duplex minor, videlicet; Hæc est mea vxor, & licitum est accedere ad istam; quapropter ex ista minori bene infertur per modum conclusionis actus & accessus ad Liam: quia licèt illa minor ex parte videatur falsa, dũ asserit, Hæc est mea vxor: est tamen vera ex copulatione & determinatione alterius partis asserentis, Et licitum est accedere ad istam: vnde bene potest sequi & concludi operatio recta. Quod clariùs dicitur, illam minorem propositionẽ posse considerari dupliciter. Primò speculatiuè. Secundò practicè. Speculatiuè quidem propositio est falsa; nam, vt diximus, veritas speculatiua sumitur à rebus; practicè autem illa propositio & iudiciũ est verum; quia veritas practica licèt etiam respiciat res (quod contrarijs negare inintegrũ non possumus) non sumitur tamen à rebus vtcunque, sed prout hic & nunc, secũdum circunstantias & probabilem existimationem; quod potiusest reducere res ad conformitatem Intellectus, quàm Intellectum ad conformitatem rerum: cùm ergo ex parte Intellectus & existimationis Iacob sit conformitas, resultat veritas practica in illo iudicio, vt opus consequutum ex illo, sit rectum. Vt etiam solet dici de adorante Hostiam non consecratam, quam tamen probaliter existimat consecratã esse; practicè enim iudicium de adoratione est verum, licèt speculatiuè est falsum; vnde opus adorationis est rectum, quia nõ procedit ex iudicio vt speculatiuo, sed vt practico, cuius munus est extendere se ad opus.

Ad tertium, iam etiam patet ex resolutione puncti secundi difficultatis, qualiter non detur circulus; sed quòd recta ratio de medijs habet rectitudinem ab appetitu recto circa finem, & appetitus rectus circa finem, iterum à Ratione, non in priori cõsideratione, sed in alia, videlicet per synderesim bene dictante de fine & primis principijs moralibus: huiusmodi autem recta ratio non iterum reducitur ad rectitudinem appetitus; cùm omnem illam præcedat; sed reducitur, vt diximus, ad rectitudinem legis æternę; quapropter D. Thomas postquam in hoc articulo egit de conformitate Rationis, statim procedit in articulo sequenti agere de conformitate ad legẽ ęternam. *Ad 3. arg.*

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm bonitas Voluntatis depẽdeat ex lege æterna.

IC ad quartũ proceditur. Videtur quòd bonitas Volũtatis humanæ non depẽdeat à lege æterna. Vnius enim vna est regula & mensura: sed regula humanæ Voluntatis, ex qua eius bonitas dependet, est ratio recta. ergo non dependet bonitas Voluntatis à lege æterna. *Inf. q. 21. ar. 1. cor.*

Secundò præterea Mensura est homogenea mensurato, vt dicitur 10. Metaph. sed lex æterna non est homogenea Voluntati humanæ: ergo lex æterna non potest esse mensura Voluntatis humanæ, vt ab ea bonitas eius dependeat. *tex. 4. to. 3.*

Tertiò præterea. Mensura debet esse certissima: sed lex æterna est nobis ignota: ergo non potest esse nostræ Volũtatis mensura, vt ab ea bonitas Volũtatis nostræ dependeat.

Sed contra est quod Aug. dicit † 22. lib. contra Faustum, quòd peccatum est factum, dictum vel concupitum † *Cap. 27. in princ. to. 6.*

pitum aliquid contra æternam legē: sed malitia Voluntatis est radix peccati: ergo cùm malitia bonitati opponatur, bonitas Voluntatis dependet à lege æterna.

Respondeo, dicendum, quòd in omnibus causis ordinatis effectus plus dependet à causa prima, quàm à causa secunda: quia causa secunda non agit nisi in virtute primæ causæ. Quòd autem ratio humana sit regula Volūtatis humanæ, ex qua eius bonitas mensuretur, habet ex lege æterna, quæ est ratio diuina; vnde in Psal. 4. dicitur: Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Quasi diceret, Lumen rationis quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona, & nostram Voluntatem regulare, in quantum est lumē vultus tui; id est à vultu tuo deriuatum. Vnde manifestum est, quòd multo magis dependet bonitas Voluntatis humanæ à lege æterna, quàm à ratione humana, & vbi deficit humana ratio, oportet ad rationem æternam recurrere.

Ad primum ergo, dicendū, quòd vnius rei non sunt plures mensuræ proximæ: possunt tamen esse plures mensuræ, quarum vna sub alia ordinetur.

Ad secundum, dicendum, quòd mensura proxima, est † homogenea mēsurato, nō autē mensura remota. d. 13.

Ad tertium, dicendū, quòd licèt lex æterna sit nobis ignota, secundū quòd est in mente diuina; innotescit tamen nobis aliqualiter, vel per rationem naturalem, quæ ab ea deriuatur, vt propria eius imago, vel per aliqualem reuelationem superadditam.

Conclusio est affirmatiua.

Circa istum articulum notandum primò ex D. Tho. 1. p. q. 93. art. 1. & 2. & illud explicat Sot. primo de iustitia & iure, q. 3. ar. 1. & 2. quòd lex æterna non est diuina Voluntas, vt aliqui malè philosophātur: sed est summa ratio diuinæ sapientiæ, per quam dirigit & ordinat omnia, vt latè prosequitur Aug. lib. 1. de libero arbitrio, cap. 22. & lib. 1. contra Faustum, cap. 27. Sicut enim Deus est vnus supremus omnium creator; sic etiam est supremus omnium gubernator: vnde sicut in Deo creatore ponuntur rationes omnium rerū quas creat, quæ vocātur ideæ, de quo D. Tho. 1. p. q. 15. art. 1. sic etiam in Deo gubernatore ponenda est ratio & dictamen quoddam practicum, per quod dirigat, & gubernet omnes in proprios fines. & tandem in suā bonitatem. Et hoc quidem dictamen practicum, dicitur lex æterna, quæ vtique est mensura vniuersalis & ætherogenea, vt ait D. Th. hic. Sicut enim ipse Deus est causa æquiuoca creatorum, ita & lex æterna eorū quę gubernat; ratio verò humana, tāquā quædā participatio legis æternæ, est mēsura proxima & vniuoca actionum humanarum. *Not.* *D. Tho.* *Soto.* *Aug.* *D. Thom.*

Sed cōtra prædictā conclusionē arguitur primò. Nā opus quod nō est ex præcepto, sed ex cōsilio, habet bonitatē; & nihilominus nō per conformitatē ad legem æternā: ergo lex æterna nō est mensura & regula bonitatis. Maior est certa; facere enim eleemosynā, etiā nō stante præcepto, opus est misericordiæ. Minor verò probatur: nā si nō faceret illud opus, nō esset cōtra legē: ergo facere illud, non est secundū legē; nā contrariorū eadē est ratio: immò D. Th. hoc vsus est argumēto; ex eo enim quod malitia est cōtra legē æternā, infert, quòd bonitas sit cōtra legē æternā: ergo pariter sequitur, quòd si cessare ab opere, nō est cōtra legē æternam, quòd facere illud, non est secundum legem æternam. *1. Arg.*

Secūdò arg. Mendaciū, vel odiū Dei ita intrinsecè sunt mala, quòd etiā nō stāte lege æterna, essent mala: sicut è contra amor Dei & alia huiusmodi ita intrinsecè sunt bona, vt etiam non stante lege æterna, in ordine ad quam dicerent conformitatem, essent bona: ergo bonitas *2. Arg.*

vel malitia non sumitur per conformitatē vel difformitatem ad legem æternam.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum, aliqui dicunt, legem æternam aliter se habere ad actum ex præcepto; aliter verò ad actum ex consilio. Ad primum quidem habet se positiuè, præcipiendo: ad secundum verò tantùm permissiuè: vnde licèt vtrumque opus sit bonum, primum tamen est bonū per positiuam cōformitatem ad legem; secundum verò per non repugnantiam ad legem.

Obiectio. Sed hæc doctrina non mihi placet, nam opus ex consilio positiuam conformitatem dicit ad rationem humanam; nam ratio humana positiuè dictat dare eleemosynam indigenti, etiam non currente præcepto: habebit ergo etiam bonitatem per positiuam conformitatem ad legem æternam; nam ratio humana non aliter mensurat, nisi in quantum est participatio legis æternæ. *Solutio.* Respondetur ergo, vtrumq; opus, tam ex præcepto, quàm ex consilio, esse bonum per conformitatem positiuam ad legem æternam, licèt prædicta conformitas in opere ex præcepto sit per necessariam connexionem ad legem, ita vt si non fiat, sit peccatum, & contra talem legem: conformitas verò in opere ex consilio, nō sit per necessariam connexionem ad legem; quia etiam si non fiat, non erit peccatum, nec contra legem; fieri tamen, est conformiter ad legem.

Ad 2. arg. Ad secundum respondetur, quòd lex æterna duo importat. Primum, quòd sit dictamen practicum; alterum verò, quòd sit dictamen superioris præcipientis, ex quo habet lex quòd sit lex: hoc enim dicit lex, dictamen superioris cum intimatione præcepti. Si ergo per impossibile in mente diuina maneret lex æterna in ratione dictaminis solùm, & non in ratione dictaminis superioris præcipientis, illa quæ sunt intrinsecè mala, manerent in ratione mali moralis per discordantiam ab illo dictamine, non tamen manerent in ratione peccati & delicti; quia peccatum plus dicit quàm malum: peccatum enim & delictum est contra legem, quia vbi non est lex, nec præuaricatio, inquit Paulus: cùm ergo in illo casu non maneret dictamen illud in ratione legis, consequenter nec illa mala manerent in ratione peccati. Et si aliquando D.Thom. dicit, in tantum aliquid esse malum, in quantum est contra legem Dei; vt est videre infrà, quæst. 1. artic. 1. & quæst. 71. art. 1. ad 4. vbi pro eòdem accipitur malum & peccatum, cùm hæc inseparabilia sint etiam per Dei potentiam: nihilominus tamen alia est ratio vnius & alterius, vt docet idem D.Thom loco citato: quapropter in illo casu impossibili maneret ratio vnius, etiam non stante ratione alterius. *Obiectio.* Si adhuc arguas, quia in casu impossibili quòd lex æterna non maneret, non solùm in ratione legis, sed nec etiam in ratione dictaminis; nihilominus prædicta in argumento manerent mala: ergo manet soluendum argumentum, quòd bonitas vel malitia non est per conformitatem vel difformitatem ad legem æternam, quacunq; cōsideratione sumatur. *Solutio.* Aliqui respondent, malitiam vel bonitatem illorum actuum ita esse intrinsecam illis actibus, vt etiam in casu maneret: nam ideò dicuntur prohibita quia mala, quia ante omnem prohibitionem & legem, habent intrinsecam & essentialem suam malitiam. Sed hoc certè nō intelligo, quia cū malitia sit defectus & obliquitas, per ordinem ad aliquod habens rationem regulæ, à quo deuient, debet considerari. Si ergo in illo casu nihil potest assignari per modum regulæ, à quo deuiet ille actus, cùm ponamus, neque esse lex, nec dictamen diuinum; qualiter poterit intelligi ille actus deficiens & obliquus? *Conf.* Et confirmatur, quia, vt suprà diximus, bonitas vel malitia actus sumitur ab obiecto, non vtcunque, sed vt consono vel dissono: si ergo non assignatur regula cui consonet vel dissonet obiectum; certè destruitur obiectum specificatiuum actus boni vel mali, & sic actus specificatus in esse boni vel mali manere non potest. Nec potest responderi, tunc posse desumi bonitatem vel malitiam in ordine ad rationem humanā, vt ad regulam; quia, vt diximus, ratio humana non habet esse regulam, nisi in quantum est participatio legis diuinæ; illa enim destructa, ista nō maneret vt posset regulare. Dicendū ergo, ꝙ ex impossibili sequitur quodlibet; vnde nō mirū quòd posito impossibili quòd non esset lex diuina, poneretur aliud impossibile, quòd intrinsecè mala non essent mala; quia si intrinsecè mala sunt, etiā intrinsecū est prohiberi: vnde si ponitur nō stare intrinsecā prohibitionē, nihil mirū quòd nōponatur intrinseca malitia vel bonitas: doctrina autem articuli in quolibet casu erit verificāda, ꝙ bonitas vel malitia per conformitatem vel difformitatem ad legem æternam debet pensari.

ARTI-

ARTICVLVS V.

Vtrùm Voluntas discordans à Ratione errante, sit mala.

2.d.39.q.3.ar.2.cor. & ar.3.per to. & 4.d. 9.ar.3.q.2 ad 2. & mal.q.2.artic.2.ad 8. & art.27. & quodli. 8.ar.13.& 15.& quod lib.9.ar.15 cor.& Ro. 14.lect. 2. & 3.fin.& Gal.5. Ar.præce. in fin.6.de ver.Dom. à med. to. 10.

SIC adquintum proceditur. *Videtur quòd Voluntas discordans à ratione errante, non sit mala. Ratio enim est regula Voluntatis humanæ, in quantum deriuatur à lege æterna, vt dictum est:* † *sed ratio errans non deriuatur à lege æterna: ergo ratio errans non est regula Voluntatis humanæ: non est ergo Voluntas mala, si discordat à ratione errante.*

2. Præt. Secundũ Aug. † *inferioris potestatis præceptum nõ obligat, si contrarietur præcepto potestatis superioris; sicut si Proconsul iubeat aliquid quod Imperator prohibet: sed ratio errans quandoque proponit aliquid, quod est contra præceptũ superioris, scilicet Dei, cuius est summa potestas: ergo dictamen rationis errantis non obligat: non est ergo Voluntas mala, si discordet à ratione errante.*

3. Præt. Omnis Voluntas mala reducitur ad aliquam speciem malitiæ: sed Voluntas discordans à ratione errante, nõ potest reduci ad aliquam speciem malitiæ, puta si ratio errat in hoc quod dicat esse fornicãdum, Voluntas eius qui fornicari nõ vult, ad nullam malitiam reduci potest: ergo Voluntas discordans à ratione errante, non est mala.

Sed contra. Sicut in primo dictũ est, † *Conscientia nihil aliud est quàm applicatio scientiæ ad aliquẽ actum: scientia autẽ in Ratione est: Voluntas ergo discordans à ratione errante, est contra conscientiam; sed omnis talis Voluntas est mala: dicitur enim Rom. 14. Omne quod non est ex Fide, peccatum est, id est, omne quod est contra conscientiam: ergo Voluntas discordans à ratione errãte est mala.* 1.p.q.79.ar.13

Respondeo, dicendum, quòd cùm conscientia sit quodammodò dictamen rationis, est enim quædam applicatio scientiæ ad actum, vt in primo dictũ est, † *idem est quærere, vtrũ Voluntas discordans à ratione errãte, sit mala, quod quærere, vtrum conscientia errans obliget.* 1.p.q.69. art.13.

Circa quod aliqui distinxerunt tria genera actuum. Quidam enim sunt boni ex genere; quidam sunt indifferentes; quidam sunt mali ex genere. Dicunt ergo, quòd si ratio vel conscientia dictat aliquid esse faciendum, quod est bonum ex suo genere, non est ibi error. Similiter si dictat aliquid non esse faciendum, quod est malum ex suo genere; eadem enim ratione præcipiuntur bona, qua prohibentur mala: sed si ratio vel conscientia dictat alicui, quòd illa quæ sunt secundùm se mala, homo teneatur facere ex præcepto, vel quòd illa quæ sunt secundùm se bona, sint prohibita, erit ratio vel conscientia errans. Et similiter si ratio vel conscientia dictat alicui, quòd id quod est secundùm se indifferens, vt leua-

re

re festucam de terra, sit prohibitum, vel præceptum, erit ratio vel conscientia errans. Dicũt ergo, quòd ratio vel conscientia errans circa indifferentia, siue præcipiendo, siue prohibendo, obligat, ita quòd Volũtas discordans à tali ratione errante, erit mala & peccatum: sed ratio vel cõscientia errans præcipiendo ea quæ sunt per se mala, vel prohibendo ea quæ sunt per se bona & necessaria ad salutem, non obligat: vnde in talibus Voluntas discordans à ratione vel conscientia errante, non est mala. Sed hoc irrationabiliter dicitur: in indifferẽtibus etenim Volũtas discordans à ratione vel conscientia errante, est mala aliquo modo propter obiectum à quo bonitas vel malitia Voluntatis dependet, nõ autem propter obiectum secundùm sui naturam, sed secundùm quòd per accidens à ratione apprehenditur vt malum ad faciẽdum vel ad vitãdum: & quia obiectum Voluntatis est id quod proponitur à ratione, vt dictum est, † ex quo aliquid proponitur à ratione vt malum, Volũtas dũ in illud fertur, accipit rationem mali: hoc autem contingit non solùm in indifferentibus, sed etiam in per se bonis vel malis; non solùm enim id quod est indifferens, potest accipere rationẽ boni vel mali per accidens, sed etiam id quod est bonum, potest accipere rationem mali, vel illud quod est malum, rationem boni, propter apprehensionem rationis: puta abstinere à fornicatione, quoddam bonum est: tamen in hoc bonum non fertur Voluntas nisi secundùm quòd à ratione proponitur: si ergo proponatur vt malum à ratione errante, fertur in hoc sub ratione mali; vnde Voluntas erit mala, quia vult malum, non quidem id quod est malum per se, sed id quod est malum per accidens propter apprehensionem rationis. Et similiter credere in Christũ, est per se bonum & necessarium ad salutem: sed Voluntas non fertur in hoc nisi secundũ quòd à ratione proponitur: vnde si à ratione proponatur vt malum, Voluntas feretur in hoc vt malum, non quia illud sit malum secundùm se, sed quia est malũ per accidens ex apprehensione rationis: & ideò Philosophus dicit in 7. Ethic. † quòd per se loquendo, incontinens est, qui non sequitur rationem rectam; per accidens autem qui non sequitur etiam rationem falsam. Vnde dicendum, quòd simpliciter † omnis Voluntas discordans à ratione, siue recta, siue errante, semper est mala.

q. 8. art. 1.

Cap. 1. & libr. 7. c. 9. ante med. tom. 5.

d. 384.

Ad primum ergo, dicẽdum, quòd iudicium rationis errantis licèt non deriuetur à Deo; tamen ratio errans iudicium suum proponit vt verum, & per consequens vt à Deo deriuatum, à quo est omnis veritas.

Ad secundum, dicendum, quòd verbum Aug. habet locum, quando cognoscitur quòd inferior potestas præcipit aliquid cõtra præceptũ superioris potestatis: sed si aliquis crederet, quòd præceptum Proconsulis esset præceptum Imperatoris, contẽnendo præceptum Proconsulis, contẽneret præceptũ Imperatoris. Et similiter si aliquis homo cognosceret

quòd

quòd ratio humana dictaret aliquid contra præceptum Dei, non teneretur rationem sequi, sed tunc ratio nõ totaliter esset errans; sed quando errans proponit aliquid vt præceptũ Dei, tunc idem est cõtenere dictamẽ rationis, & Dei præceptum.

Ad tertium, dicendum, quòd ratio quando apprehendit aliquid vt malum, semper apprehendit illud sub aliqua ratione mali; puta, quia contrariatur diuino præcepto, vel quia est scandalum, vel propter aliquod huiusmodi: & tunc ad talem speciem malitiæ reducitur talis mala Voluntas.

Conclusio est, quòd Voluntas, siue discordans à ratione recta, siue à ratione errante, mala est.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Voluntas concordans rationi erranti, sit bona.

Sup. ar. 5. & locis ibi inductis.

AD sextum sic proceditur. Videtur quòd Voluntas concordãs rationi erranti sit bona. Sicut enim Volũtas discordans à ratione, tẽdit in id quod ratio iudicat malum: ita Voluntas concordans rationi, tendit in id quod ratio iudicat bonuum. Sed Voluntas discordans à ratione, etiã errante, est mala: ergo Volũtas cõcordãs rationi, etiam erranti, est bona.

2. Præt. Voluntas concordans præcepto Dei & legi æternæ semper est bona: sed lex æterna & præceptum Dei proponitur nobis per apprehensionem rationis, etiam errantis: ergo Voluntas concordans etiam rationi erranti est bona.

3. Præt. Voluntas discordans à ratione errãte est mala: si ergo Volũtas concordans rationi erranti, sit etiam mala, videtur quòd omnis Volũtas habens rationem errãtem sit mala, & sic talis homo erit perplexus, & ex necessitate peccabit; quod est inconueniens: ergo Voluntas concordãs rationi erranti est bona.

Sed contra. Voluntas occidentium Apostolos erat mala; sed tamen concordabat rationi erranti ipsorum, secũdùm illud Ioan. 16. Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequiũ se præstare Deo: ergo Voluntas concordans rationi erranti potest esse mala.

Respondeo, dicendum, quòd sicut præmissa quæstio eadem est cum quæstione qua quæritur, vtrũ cõscientia erronea liget; ita ista quæstio eadem est cũ illa qua quæritur, vtrũ conscientia erronea excuset. Hæc autem quæstio dependet ab eo quod supra de ignorantia dictum est. † Dictum est enim suprà, quòd ignorantia quandoque causat inuoluntarium, quandoque verò non: & quia bonum & malum morale consistit in actu, in quantum est voluntarius, vt ex præmissis patet, † manifestũ est, quòd illa ignorantia quæ causat inuolũtariũ, tollit rationẽ boni & mali moralis, nõ autem illa quæ inuolũtariũ nõ causat. Dictũ est etiã suprà, † quòd ignorãtia quæ est ali

q. 6. ar. 8.

Art. 2. huius quæst.

q. 6. ar. 8.

quo

quo modo volita, siue indirectè, siue directè non causat inuoluntariũ. Et dico ignorantiã directè volũtariã; in quã actus Volũtatis fertur; indirectè autẽ propter negligentiam, ex eo quòd aliquis nõ vult illud scire quod
q.6.a.3. *scire tenetur, vt suprà dictũ est.* † *Si igitur ratio vel cõscientia erret errore volũtario, vel directè, vel propter negligentiã, quia est error circa id quod quis scire tenetur: tũc talis error rationis vel cõscientiæ, nõ excusat, quin Volũtas cõcordans rationi vel cõscientiæ sic errãti sit mala. Si autẽ sit error qui causat inuoluntariũ proueniẽs ex ignorãtia alicuius circunstantiæ absque omni negligentia, tũc talis error rationis vel cõscientiæ excusat, vt Volũtas concordans rationi errãti nõ sit mala; puta, si ratio errãs dicat quòd homo teneatur ad vxorẽ alterius accedere, Volũtas cõcordans huic rationi errãti est mala, eo quod error iste prouenit ex ignorãtia legis Dei, quã scire tenetur. Si autem ratio erret in hoc quòd credat aliquã mulierẽ submissam esse suã vxorẽ, & ea petẽte debitũ, velit eam cognoscere, excusatur Voluntas eius, vt non sit mala: quia error iste ex ignorantia circunstantiæ prouenit, quæ excusat & inuoluntarium causat.*

Ad primũ ergo, dicẽdũ, quòd sicut
par. 4. â medio illius. *Dion. dicit in 4 c. de diuin. nom.* † *Bonũ causatur ex integra causa, malũ autẽ ex singularibus defectibus, & ideò ad hoc quòd dicatur malũ id in quod fertur Voluntas, sufficit, siue quod secundũ suã naturã sit malũ, siue quòd apprehendatur vt malũ; sed ad hoc quòd sit bonũ, requiritur quòd vtroque modo sit bonum.*

Ad secundũ, dicẽdũ, quòd lex æterna errare non potest, sed ratio humana potest errare, & ideò Voluntas cõcordans rationi humanæ, non semper est recta, nec semper est concordans legi æternæ.

Ad tertium, dicendũ, quòd sicut in syllogisticis vno incõuenienti dato, necesse est alia sequi; ita in moralibus, vno incõuenienti posito, ex necessitate alia sequuntur: sicut suppositio quòd aliquis quærat inanem gloriã, siue propter inanem gloriam faciat quod facere tenetur, siue dimittat, semper peccabit. Nec tamen est perplexus, quia potest intentionẽ malam dimittere, & similiter supposito errore rationis vel conscientiæ, qui procedit ex ignorantia non excusante, necesse est quòd sequatur malum in Voluntate; nec tamen est homo perplexus, quia potest ab errore recedere, cùm ignorantia sit vincibilis & voluntaria.

Prima conclusio. Voluntas concordãs rationi erranti ex ignorantia culpabili mala est. 1. Concl.

Secunda conclusio. Voluntas concordans rationi erranti ex ignorantia inculpabili, excusatur. 2. Concl.

Tertia conclusio in solutione ad tertiũ. Qui habet conscientiam erroneam culpabilem, perplexus est ex suppositione talis conscientiæ erroneæ; absolutè tamen nõ est perplexus, quia potest deponere illam conscientiam. 3. Concl.

DVBIVM I.

Quid sit conscientia?

IN hac re est prima sententia, quam tenet Henricus quodlibet. 11. q. 18. quòd conscientia pertinet ad Voluntatem. Quod sic pbat, quia in sacra Scriptura cõscientia 1. Sentent. Henric.

scientia semper appellatur bona & mala; bonum autem ad Voluntatem pertinet: ergo. Antecedens patet, primo ad Timotheum primo, Finis præcepti est Charitas de corde puro, & conscientia bona: & etiam capite quarto conscientia eorum qui damnabant secundas nuptias, appellatur mala. Similiter etiam in sacra Scriptura dicitur, conscientiam emundari, quod vtique etiam ad Voluntatem pertinet.

1. ad Tim. 1

2. Sent. Durand.

Secunda sententia est Durandi in secundo, distinctione 39. quòd conscientia pertinet ad vtramque potentiam, & ad Intellectum & ad Voluntatem: quia conscientia secundùm Diuum Thomàm in præsenti nihil aliud est, quàm applicatio scientiæ ad aliquid: cùm autem applicatio, vt supra diximus, pertineat ad Voluntatem, scientia verò ad Intellectum, si conscientia importat applicationem scientiæ, importabit aliquid pertinens ad Intellectum & Voluntatem.

Conclus. D. Thom.

Conclusio tamen sit, quòd conscientia tantùm dicit aliquid pertinens ad Intellectum. Hanc docet Diuus Thomas prima parte, quæstione 79. artic. 13. & extra scholam eius consentiunt communiter Scholastici cum Magistro in secundo, distinctione 39. & Albertus Magnus prima parte, quæstione 99. membr. 3. Alex. Alens. tertia parte, quæstione 27. membr. 2. artic. 3. Ægidius in secundo, distinct. 39. quæstione prima, art. 3. Gabriel quæstione vnica, artic. 2. insinuaturque in sacra Scriptura ad Roman. 9. Testimonium mihi perhibente conscientia mea, & secundo ad Corinth. 1. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Licèt Diuus Bernardus in sermone 2. omnium Sanctorum, hæc verba velit referre ad testimonium quod Spiritus perhibet in nobis: propriè tamen intelligitur de nostra conscientia. Item Genes. 43. Non est in nostra conscientia qui hoc fecerit: & Ecclesiast. 7. Scit enim conscientia tua, quòd crebrò maledixeris alijs, & 1. ad Corint. 10. Vt quid libertas mea iudicatur ab aliena conscientia? Ecce qualiter in prædictis locis ponitur conscientia vt quid Intellectus: nam scire, iudicare, testificari, quæ de conscientia dicuntur, ad Intellectum pertinent. Hanc etiam tenent Doctores Sancti. D. Hieron. super caput primum Ezechielis, appellat conscientiam Synderesim; Synderesis autem ad Intellectum pertinet. Similiter autem Damasc. appellat conscientiam lumen & scintillam rationis. Idem docet Chrysost. hom. 17. super Genesim, vbi vocat conscientiam, iudicem incorruptum, & Diuus Gregorius 26. Moralium, cap. 18. vocat conscientiam testem fidelissimum. Denique ratio est manifesta ex tribus actibus, qui conscientiæ à Theologis tribuuntur, videlicet testificari, ligare & accusare; qui omnes ad Intellectum pertinent. Testificatur enim, in quantum ostendit Voluntati aliquid boni vel mali fecisse. Obligat etiam, in quantum dictat aliquid esse faciendum, vel non faciendum. Accusat verò, in quantum ostendit, aliquid esse factum contra legem Dei, vel contra proprium dictamen.

Rom. 9.
2. ad Cor. 1
D. Bern.
Genes. 43.
Eccles. 7.
1. ad Cor. 10
D. Hier.
D. Damasc.
D. Chrys.
D. Greg.

Ad argumentum ergo primæ sententiæ respondetur, Bonum & malum tribui conscientiæ ex parte obiecti, quia versatur circa bonum vel malum morale, licèt & hoc sub ratione veri proponendo vt sequendum vel fugiendum: ipsi autem conscientiæ formaliter sumptæ non conuenit ratio boni vel mali, sed veri vel falsi. Secundò respondetur, commune esse in sacra Scriptura, appellari actiones Intellectus practici nomine bonitatis, vt patet Psalm. 100. Intellectus bonus omnibus facientibus eum: & 1. Machab. 4. Incidit illis consilium bonũ. In quibus loquutionibus non est sermo formalis, sed per quãdam extensionem, quatenus nomen causæ applicatur effectui, & è contra: vt autẽ suprà dictũ est, Intellectus practicus causa est formalis, & mẽsura bonitatis actus Voluntatis, ad quam pertinet bonum.

Ad arg. 1. Sent.
2. Solut.
Psal. 100.
1. Mac. 4.

Ad argumentum secundæ sententiæ respondetur, conscientiam importare applicationem scientiæ non vt applicatio dicit actum Volũtatis, de quo suprà egimus, sed vt applicatio dicit intimationẽ ex parte Intellectus practici ipsi Voluntati: hæc autem applicatio scientiæ non extrahit conscientiam ab Intellectu. Remanet tamen examinandum, quid sit in Intellectu conscientia. Supponendum est enim, non esse ipsummet Intellectum, quia cùm conscientia dicatur deponi vel non deponi, aliquid præter Intellectum est; nã Intellectus non deponitur. Scotus ergo in 2. d. 39. q. 2. & Gab. ibidem q. 2. & D. Bonau. art. 1. q. 2. dicunt, esse habitum Intellectus distinctum à synderesi.

Ad arg. 2. Sent.
Scot.
Gabr.
D. Bonau.

Nostra

Concl. Nostra tamen sententia est, quòd conscientia non est habitus, sed actus Intellectus. *D. Thom.* Hanc tenet D. Thom. prima parte loco citato, & de veritate, quæstione 17. Et ratione patet, nam conscientia dicitur vera vel erronea: hoc autem ad actum pertinet, & non ad habitum. Item etiam, vt diximus, conscientia dicitur obligare, accusare, & testificari; quæ quidem non habitui, sed actui debent conuenire. *Obiectio.* Et si contra arguas cum Durando, quòd potius ex hoc sequitur oppositum; nam actus non dicitur elicere actum, sed hoc pertinet ad potentiã vel habitum: si ergo conscientia dicitur habere prædictos actus, ipsa non est actus, sed habitus, supposito quòd non est potentia, vt diximus. *Confir.* Confirmatur, nam dormiens dicitur habere conscientiã alicuius obiecti, cùm tamen in dormiente non sit aliquis actus, sed habitus: ergo in habitu & non in actu consistit. *Solut.* Respondetur tamen, quòd quando dicitur, conscientiam habere illos tres actus, non intelligitur quasi ipsa sit principium elicitiuum illorum: sic enim probabat euidenter argumentum, quòd ipsa esset potentia vel habitus: sed dicitur, quòd conscientia habet illos, hoc est, quod consistit in illis; importat enim conscientia illos tres actus, tanquàm ex quibus integratur: dormiens autem dicitur habere conscientiam, sicut habet & actum, videlicet virtualiter ratione actus præcedentis. Verum est tamen, quòd aliquando, largè loquendo, conscientia solet appellari habitus, vt docet Diuus Thomas prima parte loco citato, & D. Bonauent. in secundo, distinct. 39. quæstione prima, art. 1. & ibidem Richard. redditque rationem Diuus Thomas, videlicet, quia sæpissime causa appellatur nomine effectus, vel è contra, vt cùm conscientia sit actus generans habitum, vel productus ab habitu, ideò habitus, vel productus ab actu conscientiæ, vel producens actum conscientiæ, appellatur conscientia, sicut & ipsum obiectum conscientia etiam appellatur: vndè dicitur, quòd pœnitens manifestat suam conscientiam, quia manifestat peccata quæ sunt obiectum conscientiæ. *Obiectio.* Et si quæras, quis nam sit ille habitus eliciens actum qui vocatur conscientia; *Solutio.* Respondetur, quòd actus conscientiæ non semper elicitur ab habitu, quia quando conscientia est actus erroneus, per quem existimat esse obligationem alicuius præcepti, & postea per veram scientiam exit à tali errore; certè ille actus conscientiæ, nec producit habitum, nec fuit productus ab habitu: aliquãdo tamen actus qui est conscientia, elicitur ab habitu; sed iste non est aliquis determinatus: aliquando enim talis habitus est prudentia eliciens iudicium verum, aut etiam falsum cum ignorantia inuincibili, aut etiam â syndaresi vel aliàs potest produci. Et si secundò etiam arguas cum Durando, nam si conscientia esset iudiciũ actuale, nullus posset facere contra conscientiam, quia nullus facit contra iudiciũ actuale quod habet; immò semper operamur ex actuali iudicio, & ita si actualiter iudico aliquid esse malum, non possum illud velle, quia nihil potest esse volitum, nisi sub ratione boni. *Solutio.* Respondetur tamen, posse stare simul duo iudicia contraria; nam cum hoc iudicio, Malum est cœnare in vigilijs, quia prohibitum, potest stare hoc iudicium, Bonum est cœnare, quia delectabile: poterit ergo operari ex secundo iudicio contra primum quod habet rationem cõscientiæ, quam tunc non sequitur.

Obiectio. Notandum tamen, quòd licèt conscientia sit iudicium actuale, non tamen semper requiritur esse formale, sed sufficit esse virtuale, vt cùm quis habuit hoc iudicium erroneum, quòd non licebat intrare gymnasium Theologiæ, & non interrupit illud per contrarium actum: modò tamen huius formaliter non recordatur, & nihilominus intrat gymnasiũ; agit quidem cõtra conscientiam, quia agit contra illud iudicium manens virtualiter, non tamen sufficeret vt faceret contra habitum, vt dicatur agere contra conscientiam; vt si quis habet habitum erroneum ex multis actibus, verbi gratia, licitum esse furari vt subueniat pauperibus, & modò doceatur ab aliquo Doctore id non esse licitum, & id credat: tunc quidem non peccat conformando se huic iudicio, licèt faciat contra habitum erroneum præexistentem: & hoc quidem est maximum argumentum, vt probetur contra Durandum & Scotum, conscientiam consistere in actu, & non in habitu. Et per hoc patet, qualiter intelligatur D. Hieronym. relatus asserens, conscientiam esse syndaresim; hoc enim tantùm dicit, quia conscientia regulariter est actus elicitus à syndaresi. *Not.*

Restat

Dubium. Restat autem inquirendum, vtrùm hoc iudicium actuale, in quo diximus consistere conscientiam, sit iudicium practicum; an verò speculatiuum. Respondetur tamen sub distinctione, nam conscientia vel potest esse in ordine ad præterita, vel in ordine ad futura: si in ordine ad præterita, est iudicium speculatiuum; nam practicum respicit opus faciendum, quod circa præterita non habet locum; quia ad præteritum non est potentia. Si verò conscientia sit in ordine ad futura, est iudicium practicum potiùs quàm speculatiuum; quia tunc respicit opus. Dixi, potius esse iudicium practicum, quia sæpe etiam præsupponit iudicium speculatiuum; Verbi gratia, iudicat aliquis aliquam pecuniam esse suam, & ex hoc iudicat non esse restituendam: vtrumque iudicium importat conscientia. Primum quidem speculatiuum, & secundum practicum, principaliter tamen consistit in secundo practico. Dixi autem, requiri esse iudicium circa futurum, vt sit practicum; quia si aliquando est circa præterita, vt retractabilia & emendanda iam formaliter non est circa præteritum, sed circa futurum, cùm retractatio & emenda in futurum expectetur. Et si contra prædicta facias argumentum, nam ex his sequeretur, nunquàm aliquem posse facere contra conscientiam, quia ad iudicium practicum sequitur infallibiliter opus: si ergo conscientia est iudicium practicum, non stat sine opere, & consequenter non fiet contra conscientiam. Respondetur tamen, quòd iudicium practicum Intellectus, est duplex: aliud consequens intentionem, & antecedens ad electionem, quod appellatur consilium: aliud verò quod ad electionem consequitur, & est imperium. Primum quidem iudicium non habet efficatiam ad opus, sed tantùm secundum. Conscientia ergo licet pertineat ad Intellectum practicum, non consistit in iudicio imperij, sed consilij; vnde non necessariò inducit opus, sed stante iudicio & conscientia contraria, potest quis per imperium oppositum operari. Quod clariùs dicitur, iudicium practicum esse duplex; aliud cui adiungitur imperium; aliud verò cui non adiungitur. Cum priori non stat operari oppositum; bene tamen cum secundo. Et conscientia non consistit formaliter in iudicio imperiali, sed in iudicio absolutè; quod quidem licèt opus non inducat, est iudicium practicum, quia est circa practica & operabilia ex prudentia vel syndereſi proueniens, ex natura sua tendens ad opus, quanuis ex malitia operantis non exequatur. Et si rursus arguas, quòd in isto casu si est duplex iudicium practicum, quorum alterum sequitur, alterum verò deserit, qua re potest dici magis agere contra conscientiam, quàm iuxta illam, quia si facit contra vnum iudicium, facit iuxta aliud, & non est maior ratio, vt id quod deseritur, obtineat sibi nomen conscientiæ, quàm iudicium quod exequitur. Respondetur, quod licèt conscientia importet iudicium practicum abstrahens à vero & falso; non tamen quodcunque iudicium, etiam practicum, dicitur conscientia, sed illud hoc sibi nomen obtinet, siue sit verum, siue falsum, siue exequutum, siue non exequutum quod habet sibi coniunctam existimationem, quòd illud obiectum est conforme rationi rectæ, & legi æternæ. Quapropter diximus, conscientiam semper præsupponere iudicium speculatiuum. Quando ergo ex duobus iudicijs assignatis deseritur illud quod habebat sibi coniunctam existimationem de rectitudine obiecti, tunc fit contra conscientiam etiam si aliud iudicium practicum exequatur, non habens sibi coniunctam talem existimationem. Quando autem exequitur iudicium practicum habens sibi coniunctam prædictam existimationem; tunc agit iuxta conscientiam. Verbi gratia, fornicatur quis: certum est quòd exequitur iudicium practicum, quòd hic & nunc sibi conuenit fornicari, dicitur tamen agere contra conscientiam, quia cum hoc iudicio quod exequitur non habet coniunctam existimationem quòd sit rectum fornicari, sed potiùs cum altero iudicio quod deserit, est coniuncta existimatio, quòd illud opus sit fœdum & difforme rationi: vnde illud iudicium rectum quod deseritur, est conscientia, non autem illud quod exequitur, & sic taliter operans, cõtra conscientiam facit.

Solutio. *Obiectio.* *Solutio* *Obiectio.* *Solut.*

Ex his etiam facilè respondetur; si quæras, vtrùm conscientia sit de præteritis

ritis & futuris, an solùm de præsentibus. Aliqui enim moderni tenent, etiam de præsentibus esse conscientiam: dicitur enim, aliquem actualiter habere conscientiam peccati mortalis, vel quòd hic & nunc de præsenti aliquid sit faciendum. Respondetur tamen, quòd, vt suprà diximus, conscientia potest sumi formaliter pro iudicio, aut verò materialiter pro obiecto circa quod versatur. Si primo modo sumatur, certum est, conscientiam esse præsentem; nam modò formaliter est tale iudicium. Secundo tamen modo tantùm est de præteritis & futuris; nam, vt diximus, conscientia habet testificari, vel accusare: testificari autem est de præteritis; accusare autem est de futuris.

Corolar. Ex dictis sequitur manifestè diuisio conscientiæ: alia enim est conscientia recta conformis legi æternæ dictans bonum vt bonum, & malum vt malum: alia verò est conscientia erronea, iudicans bonum vt malum, vel malum, vt bonum: alia verò est conscientia dubia, quę proponit obiectum, non determinando vtrùm sit bonum vel malum, sed manendo in Intellectu ancipiti inter vtramque partem. Alia verò est conscientia scrupulosa, quæ licèt determinet in vnã partem contradictionis, habet tamen formidinem alterius partis cum quodam remorsu & anxietate circa veritatem partis quam deserit; in quo distinguitur à conscientia opinabili: ista enim licèt cum adhæsione vnius partis dicat formidinem alterius, non tamen prædictum remorsum & anxietatem, quam habet conscientia scrupulosa: vnde scrupulosa conscientia superaddit ad probabilem prædictum remorsum. De omnibus ergo his acceptionibus conscientiæ erit agendum in præsenti.

Et in primis præsupponendum est vt certum, quòd conscientia recta obligat, & quis tenetur illâ sequi, ita vt illam deserere omnino, sit peccatum, vt patet ex illo ad Rom. 14. omne quod non est ex Fide, peccatum est. Licèt enim Augustlib. 1. contra Iulianum, cap. 4. hoc explicet de Fide virtute Theologica; tamen communiter Patres, immò & ipse Aug. hoc explicant de conscientia; cùm enim conscientia recta, vt diximus, sit proxima regula bonitatis actus humani, deuiare à conscientia, peccatum & obliquitatem importabit. Si autem quæras, vtrùm facere contra conscientiam, sit peccatum distinctum ab eo quod est esse contra regulam æternam: Aliqui respondent affirmatiuè, vt refert Corduba quæstio. 3. & hoc tenet Adrianus in 4. materia de Confessione. Sed certè oppositum est tenendum, quia istæ duæ regulæ sunt essentialiter subordinatæ, & vna est participatio alterius: immò lex æterna non mensurat, nisi in quantum proponitur per conscientiam. Vnde vna cum altera non ponit in numero, sed contraire conscientiæ, est contraire legi æternæ. Ex quo sequitur, quòd facere contra conscientiam, non auget malitiam peccati, vt est contra legem æternam, nisi fortè aliquis ex proposito vellet (verbi gratia) furari, vt faceret contra conscientiam, ita vt hoc sit principale motiuum, tunc enim vltra malitiam furti, esset secunda malitia inobedientiæ, secundùm quòd ex proposito vult facere contra conscientiam. Sed de hoc infrà iterum redibit sermo. Et si rursus quæras, vtrùm facere contra conscientiam, ita sit in obligatione, vt etian. de potentia Dei absoluta nequeat â peccato esse liberum facere contra illam: Aliqui quidem asserunt, esse probabile, quòd sicut Deus potest dispensare in præceptis Decalogi, ita etiam vt quis possit facere contra conscientiam sine peccato. Sed quidquid sit de dispensatione in præceptis Decalogi, quam reputo impossibilem, vt ampliùs tractabitur infrà materia de legibus; Dico tamen, omnino esse impossibile, vt Deus possit facere vt non sit peccatum facere contra conscientiam, in hoc enim consistit dispensatio, vt manente obligatione circa alios, non maneat obligatio circa illum cum quo fit dispensatio; nequit autem intelligi, manere conscientiam, & non manere obligationem circa habentem talem conscientiam; quia nihil aliud est conscientia, quàm quædam intimatio & approximatio legis æternæ respectu ipsius habentis talem conscientiam: implicat ergo, in dictis, conscientiam manere, & istum non obligari. His ergo præmissis, restat agere de conscientia erronea, & dubia, & scrupulosa, dubijs sequentibus.

Obiectio. *Solutio.*

DVBIVM II.
Principale.

Vtrùm homo teneatur sequi conscientiam erroneam; verbi gratia, dictat conscientia mentiendum esse propter salutem proximi; Vtrùm teneatur mentiri, & peccet non mentiendo.

1. *Arg.* PARS Negatiua probatur primò. Nam aliâs sequeretur, quòd Deus possit inclinare hominem ad mentiendum, mediante habitu Fidei: consequens est falsum: ergo. Minor est manifesta, quam ostendit Magister Cano. 2. de locis cap. 3. & Magist. Bañez 2. 2. quæstio. 1. art. 3. dub. 1. & 2. sequella verò probatur, nam si Deus mediante dictamine practico erroneo, obligat hominem ad mentiendum; quare etiam mediante habitu Fdei, id non poterit efficere?

2. *Arg.* Secundò arguitur. Conclusio quæ sequitur ex vna præmissa de Fide, & ex altera præmissa falsa, non est conclusio de Fide: sed sic est, quòd iudicium erroneum sequitur ex vna præmissa cognita lumine naturali per synderesim, & ex altera præmissa falsa: ergo non obtinet vim obligandi ex propositione vera naturali, sed potiùs sequetur debiliorem partem præmissæ falsæ, vt non obliget. Minor probatur, nam tale iudicium erroneum sequitur ex his præmissis, Obtemperandum est diuino præcepto: sed hoc est diuinum præceptum: ergo illi est obtemperandum: in quo quidem discursu illa secunda propositio est falsa.

3. *Arg.* Tertiò arguitur. Si aliquis habeat conscientiam erroneam, esse malum diligere Deum super omnia, si faciat contra talem conscientiam, Deum super omnia diligendo non peccat: ergo facere contra conscientiam erroneam, non est peccatum, nec talis conscientia obligat. Antecedens patet, quia in dilectione Dei super omnia, ne quit esse peccatũ: in eo enim quòd sit peccatum, iam aliquid præponitur Deo, & non Deus super omnia diligitur: ergo qui super omnia Deum diligit, non peccat: ergo.

4. *Arg.* Quartò arguitur. Si aliquis habeat conscientiam erroneam, quòd Petrus sit clericus, cùm tamen non sit nisi laicus, & interficiat illum; tunc non peccat peccato sacrilegij: ergo conscientia erronea non obligat. Patet consequentia, quia si obligaret, cum dictaret illum esse clericum, interfectio eius esset sacrilega. Antecedens verò probatur, nam si ille peccaret peccato sacrilegij, maneret excommunicatus, quia occisio exterior sacrilega subexcommunicatione est prohibita: si ergo sacrilega est talis occisio, excommunicationẽ incurrit; quod nullus concedit: ergo illud iudicium erroneum non obligabat.

5. *Arg.* Quintò arguitur. Nullus tenetur facere quòd est illicitum: sed quod dictatur â conscientia erronea, est illicitum & prohibitum lege diuina: ergo nullus tenetur sequi illam. Patet consequentia, quia non potest aliquis obligari ad peccandũ.

6. *Arg.* Sextò arguitur. Quando aduenit scientia certa illius quod dictatur per conscientiam erroneam, non tenetur homo sequi conscientiam erroneam, vt de se patet: ergo anteà non tenebatur. Patet consequentia, quia cognitio obiecti non tollit nec ponit obligationem.

1. *Sent.* In hac re est prima sententia asserentium quòd vniuersaliter conscientia erronea non obligat. Hác refert Glossa super caput omnes 28. q. 1.

2. *Sent.* Secunda sententia est aliorum, quos refert D. Thom. in artic. 5. Dicunt enim quòd conscientia tripliciter, se potest habere. Vno modo vt per illam iudicetur bonum tanquàm bonum, & malum tanquàm malum. Secundo è contra, quòd iudicetur malum tanquàm bonum, vel bonum tanquàm malum. Tertiò ita quòd illud quod est indifferens, iudicetur tanquàm malum vel bonum sub præcepto. Hoc ergo supposito, dicunt, quòd primo & tertio modo tenetur quis sequi cõscientiam. Secundo autem modo non tenetur, nec est peccatum facere contra illam. Aliqui tribuunt hanc sententiam Alexandro Alensi, 1. part. quæstio. 120. membr. 3. licèt ab alijs excusetur ab hac sententia.

3. *Sent. Durand.* Tertia sententia est Durandi in 2. distin. 39. q. 5. ar. 3. dicentis, quòd conscientia erronea ligat operantem, non tamen obligat illum, distinguit enim inter liga

re & obligare in moralibus; tunc enim (inquit) aliquid obligat, quãdo homo absolutè tenetur ad illud operandum, ita vt nunquam cesset obligatio, quousque illud opus faciat: quapropter obligatio esse non potest, nisi quando in rei veritate est præceptum. Ligare autem contingit, quando ex dictamine erroneo sic est dispositus homo, quòd non potest exire in actum secundùm naturam rei, quia tali dictamine erroneo est ligatus. Durandum sequitur Almain tractat. 1. Moral. cap. 5. Sed certè Durandus non dissidet à vera sententia D. Thom. nisi solo nomine; fatetur enim, non posse facere contra conscientiam erroneam; quæstio autem est de nomine, vtrùm hoc sit, quia homo est ligatus vel obligatus sequi talem conscientiam; & Theologi indiscriminatim vtuntur vtroque nomine. Sic
D.Tho. D. Thom. art. 5. dicit, quòd obligat. & artic. 6. dicit quòd ligat; & similiter in 2. distinct. 39. quæst. 3. artic. 3. & quæst. 17 de verit. art. 3. & 4. vtroque nomine indistinctè vtitur.

1. Concl. Prima conclusio. Homo tenetur sequi propriam conscientiam, & facere contra illam, est peccatum. Hanc tenent communiter scolastici omnes in 2. dist.
D.Bona. 39. præcipuè D. Bonauent. artic 1. quæ-
Durand. stio. 3. Durandus quæst. 5. Richardus ar-
Ricard. 2. quæstio. 3. Ægidius art. 3. quæstio. 3.
Ægid. Gabriel quæstio. vnica artic. 3. dub. 2.
Ioan. Mai. Gregor. quæstio. vnica, artic. 1 Ioannes
Enric. Maior quæstio. vnica. Almayn loco cita-
Almain. to. Henricus quodlib. 1. quæst. 18. illam-
D.Thom. que tenet D. Tho. hic, & omnes eius discipuli, & adeò est certa, vt aliqui dicant (vt Adrianus) esse de Fide expressa, ita vt oppositum sit manifesta hæresis. Probatur primò ex illo celebri loco ad Rom.
Ad Rom. 14 14. Scio & confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est. Et infrà; Tu Fidem habes? penes te metipsum, habe coram Deo. Beatus qui non iudicat se metipsum in eo quod probat, qui autem discernit, si manducauerit, damnatus est, quia non ex Fide. Omne autem quod non est ex Fide, peccatum est. In isto quidem loco agit Diuus Paulus cum Gentibus conuersis ad Fidem, exhortaturque eos vt non vescantur idolothytis propter scandalum Iudæorum, & ideò dicit, quòd quamuis in lege Christi non sit aliquid commune, id est, immundum, sicut in lege Moysi, nisi illi qui existimat esse prohibitum; tamen oportet propter scandalum abstinere se ab istis. De illo autem qui discernit, dicit, quòd damnatus est, si manducat, quia sequitur conscientiam erroneã; quia quod non est ex Fide, id est, ex conscientia, peccatum est. Sic explicat D. Ambros. super illum locum. Et D. Chrysostom. hom. 26. super epistol. ad Rom. & Hugo de Sancto Victore in quæstionibus super epistolam ad Rom. q. 320. &
Orig. Origenes lib. 9. super epistolam ad Rom. circa finem, vbi dicit hæc verba: Et si mundus sit cibus, suspicionem tamen alicui quis patiatur quòd idolis immolatus sit, polluitur pro conscientiæ scrupulo. Videatur etiam Theophylactus & Theodoretus super illum, locum, & Gratianus 28. quæst. 1. canone Omnes. Patet etiam
1. Chorin. 8. ex illo 1. ad Chorint. 8. Quidam cum cõscientia idoli, &c. nunc quasi idolothytum manducant, & conscientia illorum, cùm sit infirma, polluitur. Et cap. 10. dicit, si quis infidelium vocat vos ad cœnã, & vultis venire; omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Vbi etiam videatur Chrysostomus hom. 2. & 25. super
Ad Gal. 5. epistolam ad Rom. Item etiam ad Galatas. 5. Testificor autem rursus omni homini circuncidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis. Cuius sensus secundum D. Tho. in illo loco lect. 1. est, quòd ille qui circuncidit se ex conscientia erronea, tenetur obseruare omnem legem Moysi. Confirmatur etiam ex capite Per tuas literas, de Simonia, qui est Innocentij Tertij, estque secundum caput, vbi habetur, quòd agens contra conscientiam, ædificat ad gehennam: & capit. inquisitioni, de sententia excommunicationis, extra, habetur, quòd qui agit contra iudicium conscientiæ, committit offensam. Hoc
D.Damas. ipsum docet D. Damascen. lib. 4. de Fide orthodox. cap. 23. dicens, quòd
D.Chryso. conscientia est lex nostra, & D. Chrysostom. hom. 23. super Genesim, & super Psalm. 142. dicens, quòd conscientia est iudex noster. Idem habet glossa super illud Ecclesiastes. 7. Scit enim cons-
Eccles. 7. cientia tua quòd crebro maledixeris alijs. Vltimò probatur ratione D. Thom. quæ quidem est demonstratio Theologica in moralibus, quia licèt bonitas vel malitia

malitia desumatur ab obiecto, & per ordinem ad legem æternam, quæ est prima regula; tamen totum hoc proponitur â ratione, vt à proxima regula: ergo sic resultat obligatio, sicut per rationem proponitur. Patet consequentia, quia voluntas non potest attendere ad regulam remotam, nisi mediante proxima: ergo ad hanc tenetur attendere; & in tantum erit eius rectitudo, in quantum se conformauerit prædictæ proximæ regulæ. Vbi vt hæc ratio radicitus intelligatur, debet attendi ad supradicta, quòd obiectum mouet Volũtatem illamque finalizat, actusque eius specificat, maximè in genere moris, secũdùm quòd tale obiectum stat sub ratione, & secundum quòd ab Intellectu apprehenditur. In tantum ergo mutabitur specificatio actus Voluntatis, in quantum obiectum apprehẽditur vt bonum vel malum, siue existat, siue nõ existat secundùm illam rationem qua apprehenditur. Nec ad hoc interest, quòd apprehensio sit ratio formalis, vel tãtùm cõditio respectu Voluntatis; si enim esset ratio formalis euidẽtius apparebat argumentum: Sed nihilominus etiamsi tãtùm sit conditio, retinet suas vires, sufficit enim, esse cõditionem intrinsecam & insupplebilem, vt non aliter possit obiectũ reale specificare, nisi tali conditione suppositа. Sicut enim existentibus duabus causis efficientibus, illa tãtùm operatur, quæ applicata fuerit, licèt applicatio sit tantùm conditio; ita illud obiectum tantùm finalizat quod est in apprehensione, licèt apprehensio sit solùm conditio; & variata apprehensione, variabitur finalizatio; maximè, vt dixi, in moralibus, quia in huiusmodi, vt suprà diximus, q. 1. etiam multoties quod se tenet ex parte rationis, non solùm est conditio, sed etiã ratio formalis tribuens speciem actui morali.

Nota. Notandum, hoc debere intelligi, si apprehensio attingat obiectũ iuxta naturã rerũ: nam aliàs non sequitur actus voluntatis, sicut est apprehensio ex parte Intellectus. Verbi gratia, existens in peccato mortali, etiam si proponat suæ voluntati facere opus virtutis perfectæ, adhuc manẽs in peccato, nunquã Voluntas poterit elicere actum virtutis perfectæ, etiã si interueniat ignorantia inuincibilis; quia in re Voluntas, non habet principium elicitiuũ talis actus, quod est virtus; cùm hæc perfecta in peccatore non maneat. Similiter patet in accedente ad Eucharistiam cum existimata contritione, etiam ex ignorantia inuincibili; si vera est sententia, quòd requiritur realis & vera contritio, quantumcunque proponat suæ voluntati obiectum contritionis, non ex tali apprehensione habebit illam. Similiter patet in eo qui suæ Voluntati proponit habere tantam dilectionem Dei, sicut Diuus Petrus; non enim ex tali apprehensione habebit talem actum. Similiter patet in eo qui existimat dari actum indifferentem in indiuiduo, & sic proponit voluntati vt eliciat; verbi gratia, deambulando, non enim ex tali apprehensione eliciet actum indifferentem, sed necessariò bonum vel malum. Et ratio huius est, quia in prædictis attenditur ad illud quod est in re, & sic non fit mutatio per existimationem: secus autem, vt diximus, ad bonitatem vel malitiam moralem, quæ, vt dictum est, attenditur ex conformitate rationis: vnde plurimum valet diuersa rationis existimatio ad varietatem bonitatis vel malitiæ, dummodò talis existimatio, etiam erronea, sit determinata, nullam hæsitationẽ habens; de hac enim loquimur in præsenti; nam de hæsitante vel dubia, infrà dicetur.

Ex dictis sequitur primò, quàm falsa sit illa sententia relata à D. Thom. artic. 5 quòd quando est aliquid intrinsicè malum, & proponitur vt bonum per conscientiam erroneam, non est peccatũ non conformari tali conscientiæ; nam, vt diximus, non solùm est irrationalis, vt dixit D. Thom. sed etiam hæretica, vt ait Adrianus quodlib. 4. art. 2. *1. Corolla.*

Secundo sequitur, quàm falsa sit & aliena ab omni Philosophia sententia illa quam refert Hugo de Sancto Victore in quæstionibus super epistolam ad Rom. quæst. 321. quòd quandoquis habet conscientiam erroneam, quòd tenetur occidere hominem, & de facto occidit, ibi sunt duo, error conscientiæ, & zelus seruandi obligationem, & quòd ratione erroris est malum & peccatum illud homicidium: ratione verò bonæ intentionis & zeli; actus ille est bonus & meritorius: Hoc enim quàm falsum sit in Theologia, ostendit D. Thom. infrà, quæstio. 20. artic. 6. vbi ostendit, esse implicationem, quòd aliquis actus sit malus & me- *2. Corolla.*

ritorius, & quòd idem actus sit bonus & demeritorius.

2. Concl. Secunda conclusio. Ita vniuersaliter est verum, quòd quis tenetur sequi conscientiam erroneam, vt etiam si sit talis error ex ignorantia vincibili & culpabili, nihilominus est obligatio sequendi talẽ conscientiam, quantumcunque aliàs id quod dictat, sit illicitum & prohibitum quacunque lege. Hæc conclusio est contra Angestum in moral. cap. 7. & Cordubam lib. 3. q. 4. & Lorcam hic disput. 33. membro 2. & contra Vazquez disp. 60. cap. 1. Dicunt enim, quòd licèt quis teneatur sequi cõscientiam erroneam prouenientem ex ignorantia inuincibili, nõ tamen prouenientem ex ignorantia vincibili & culpabili, secundùm illud Eccle Ecclesia. 17 siastici, 17. Non demoreris in errore impiorum. Verum est tamen (inquit Vazquez) quòd licèt non teneatur sequi talem conscientiam, tenetur tamen non facere contra illam; quia licét non obliget positiuè, obligat tamen negatiué. Et si inquiratur ab illo, qualiter possit aliquis non facere contra illam conscientiam, nisi exequendo quod iubet: Respondet, id posse facerè faciendo sufficientem diligentiam vt deponatur talis conscientia: itaque dicit, non teneri sequi talem conciẽtiam; tenetur tamen deponere illam. Nihilominus tamen nostra conclusio debet esse certa, sicut & prima; loca enim ibi adducta etiam probãt istam cõclusionem, maximè illud ad Galatas 5. Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis. Vbi quidem Paulus loquitur cum Iudæis habentibus conscientiam erroneam etiam culpabilem circa obligationem circuncisionis. Et ratione patet. Primò, nam quando est ignorantia inculpabilis, conscientia erronea obligat, vt contrarij concedunt: ergo etiam quando ignorantia est culpabilis. Patet consequentia, nam si inculpabilis obligat, in tãtum est, in quantum talis conscientia proponit aliquid vt bonum præceptum, licèt illud sit malum, vel aliquid vt malum prohibitum, licèt illud sit bonum, & iam supposita tali extimatione operans, quantũ est ex parte sui, parui penderet præceptum & legem: hoc autem ipsum currit, etiam si conscientia erronea sit culpabilis, & solùm est differentia, quòd per inculpabilem excusatur â peccato fractionis præcepti oppositi illius quod talis cõscientia dictat; per culpabilem autem minimè, vt infrà dicetur: ergo pariter vtraque conscientia erronea obligat. Confirmatur, nam si prætor etiam culpabiliter proponat aliquid præceptum à Rege, etiam si non sit præceptum ab illo, subditus non seruans tale præceptum, reus esset, Regemque contemneret; quia quantum est ex parte sui, ita trãsgreditur præceptum, ac si esset verum præceptum, sed conscientia est quasi minister & interpres supremi legislatoris: ergo ipsa dictante aliquid ex persona legislatoris, si potentia subdita non exequatur, rebellis & inobediens existet, etiam si aliàs culpabiliter à conscientia proponatur. Secundò probatur conclusio. Homo tenetur non agere contra talem conscientiam culpabilem: ergo tenetur facere quod talis conscientia dictat. Antecedens conceditur à contrarijs. Cõsequentia verò probatur, quia in instanti quo currit præceptum operandi, idem est moraliter operari, & non omittere operationem; & idem est exequi quod dictat præceptum, & non facere contra præceptum: ergo si pro illo tunc tenetur non facere contra illam conscientiam, tenetur facere quod illa dictat; quia non aliter non fit contra illam, nisi exequendo præceptum illius. Nec valet solutio Vazquez, quòd adimplebitur obligatio non faciendi contra conscientiam, deponendo illam, etiam si non exequatur præceptum eius. Non (inquam) valet, nam aliàs sequeretur, quòd quotiescunque aliquis exequitur conscientiam erroneam culpabilem, peccaret peccato eiusdem rationis contra virtutem studiositatis, per quam tenebatur diligentiam facere vt euaderet ignorantiam: consequens autem est falsum, quia pro diuersitate materiæ opus ex conscientia culpabili est peccatum contra virtutem ad quam pertinet opus contrarium, quod ignoranter & culpabiliter omittit, vt sequatur conscientiam erroneam.

3. Concl. Tertia conclusio. Prædicta obligatio conscientiæ erroneæ non est simpliciter & absolutè obligatio, sed tantùm secundùm quid. Probatur primò, quia tantùm est obligatio ex suppositione, & quę adueniente vera scientia cessat: ergo nõ est absoluta, sed secundùm quid. Secundò probatur, Qui habet conscientiam erroneam

neam q̃ tenetur mẽtiri, iſte talis tenetur aliàs abſolutè ex lege naturali ad nõ mentiendũ: ergo non poteſt obligari abſolutè ad mentiendũ. Patet cõſequentia, nam aliàs obligaretur homo abſolutè ad duo contradictoria, quod eſt impoſsibile.

Ex dictis ſequitur primò, non eſſe inconueniens, aliquem obligari per accidẽs ad id quod eſt malum & peccatũ; vtrùm autem ſit ad malum materialiter, vel formaliter, & qualiter Deus poſsit per conſcientiam obligare ad malum, dicetur ſolutione ad primum.

Secundò ſequitur, quòd hęc obligatio radicaliter prouenit à lege æterna, licèt porximè ſit à conſcientia erronea, quatenus in illa repræſentatur, licèt per falſam extimationem, lex naturalis, vel diuina vel humana. Itaque licèt lex æterna directè & per ſe & abſolutè præcipiat non furari; per accidens tamen præcipit actum furti, ex ſuppoſitione quòd operans exiſtimet hec præcipere legem æternam; voluntas enim Dei eſt, vt ſua lex, etiam ſi non vera, ſi tamen exiſtimata, non contemnatur, ne ei, etiam quantum eſt ex parte operantis, fiat iniuria.

4. Conſl. D. Tho. Quarta concluſio. Non eſt ſpeciale peccatum, facere contra conſcientiam erroneam. Hæc eſt D. Thom. hic artic. 5. ad 3. & quæſtio. 17. de veritat. artic. 4. ad 9. vbi dicit, quòd qui non ſequitur conſcientiam erroneam, peccat contra illud præceptum quod proponitur in conſcientia, vt ſi dictat conſcientia teneri hominem ad deambulandum per agrum ex præcepto ſuperioris, qui illud non facit, peccat contra obedientiam. Hæc concluſio probatur primò; quia non eſt ſpeciale præceptum diuinum nec humanum ſequendi conſcientiam erroneam: ergo non eſt ſpeciale peccatum non ſequi illam. Secundò probatur, quia aliàs ſequeretur, peccare duplici peccato qui talem conſcientiam non ſequeretur; altero contra præceptum ſpeciale de ſequenda conſcientia; altero verò contra præceptum apparens in conſcientia, quod exiſtimat hic & nun currere; Verbi gratia, contra præceptum mentiendi quod exiſtimat hîc & nunc currere. Vbi notandum, quòd quando dicimus, non peccare duplici peccato, intelligitur præciſè ex interuentu conſcientiæ, quam non ſequitur; nam ſi aliàs obiectum propoſitum per talem conſcientiam, contineat duplicem bonitatem, & ſub duplici obligatione, tunc non ſequi talem conſcientiam, habebit duplicem malitiam. Verbi gratia, ſi quis habeat conſcientiam quòd tenetur non mentiri pro ſalute proximi ex iuſtitia, tunc mentiendo peccat duplici malitia, & contra veracitatem, & contra iuſtitiam. Et ſi contra concluſionem arguas, quia repetitio fractionis conſcientiæ generat habitum: ergo eſt ſpeciale peccatum; quia non poteſt generari ſpecialis habitus vitij, niſi per ſpecialem actum peccati: Reſpondetur, quòd ſicut malitia fractionis conſcientiæ non eſt ſpecialis, ſed conditio generalis, quæ diuagatur per omnem materiam; ſicut & peccare ex malitia, ita non eſt ſpecialis habitus genitus, ſed tantùm quidam modus adiunctus alijs habitibus vitiorum, vt ex errore contra conſcientiam operentur in ſuis materijs; quod eſt magis inclinari per tales habitus ad materiam illorum, ſicut & quando illis adiungitur vt ex malitia operentur,

Obiectio.

Solutio

Reſtat tamen dubium, quodnam peccatum ſit agere contra conſcientiam erroneam; vtrùm mortale, an verò veniale. Ad hoc quidem reſpondet Corduba quæſtio. 4. citata, concluſione ſexta, & Angeſtus cap. 7. moral. circa 1. part. textus, dub. 3. idem eſſe peccatum, non ſequi conſcientiam, atque decernere in vniuerſum peccare, in quibuſcunque obtulerit ſe occaſio. Sed hoc certè non eſt rationabiliter dictum, grauius enim peccatum eſt, proponere in omni materia deuiare à lege, quàm ſolùm deuiare in materia determinata de qua dictat conſcientia hic & nunc. Secundò reſpondet Corduba, eius modi fractionem conſcientiæ, nec determinatè eſſe mortale, neque determinatè veniale; ſed aliquando mortale, aliquando verò veniale. Hoc etiam inſufficienter eſt dictum; ſiquidem non determinatè reſpondet ad quæſitum. Alij autem dicunt, quòd ſi ſit in parua materia, vel non plena deliberatio, erit peccatum veniale; aliàs autem ſemper mortale. Sed hoc etiam non eſt reſpondere ad peculiare huius materiæ; etiam enim in quacunque materia peccati mortalis ex ſuo genere ex paruitate materiæ vel non plena delibe-

Corduba. Angeſt.

tatione sit veniale. Dicendum ergo, quòd frangere conscientiam, est tale peccatum, quale est bonum & obligatio quæ apparet in ipsa conscientia, si ex conscientia existimabat se teneri ad aliquid sub mortali, non sequi conscientiam, erit mortale; si autem existimabat se teneri sub veniali, non sequi conscientiam, erit veniale: Si autem ex conscientia existimabat se teneri ad aliquid sub peccato, non tamen determinans si illud esset mortale, vel veniale, sed manens anceps & dubius, tunc non sequi conscientiam, est peccatum mortale; quia ratione talis dubij, quantum est ex parte ipsius, exponit se periculo peccandi mortaliter, & sic peccat mortaliter.

5. Concl. Quinta conclusio. Quando conscientia erronea est culpabilis & vincibilis, non solùm est peccatum non sequi illam, sed etiam peccat, si illam sequatur, quando oppositum illius quod dictat, est prohibitum. Verbi gratia, existimat quis ex conscientia erronea culpabili se teneri ad mentiendum; Si non mentiatur, peccat contra conscientiam: si autem mentiatur, peccat contra octauum *D. Thom.* præceptum. Hæc est Diui Thomæ hic articulo. 6. ad vltimum, vbi dicit; quòd quando est ignorantia culpabilis, manet perplexus homo, & quocunque se vertat peccat. Et probatur, nam qui sic mentitur, facit aliquid quod est malum & prohibitum lege naturæ, & ex alia parte non excusatur per ignorantiam, cùm *Obiectio.* illa sit culpabilis. Ergo peccat. Et si contra arguas argumento primo D. Thomę in articulo. 6. quia non conformari dictamini erroneo, est peccatum: ergo sequi tale dictamen, erit licitum & bonum: *Solutio.* Respondetur ex D. Thom. negando consequentiam, quia bonum consurgit ex integra causa, malum verò ex quocũque defectu: quapropter quando id quod bonum est, apprehenditur vt malum, sufficit talis existimatio, vt malitia consurgat; vt autem ille actus dicatur bonus, oportet quòd in rei veritate sit bonum, & apprehendatur vt bonum; vnde quantumcunque appehendatur vt bonum, si non sit à parte rei bonum, actus est malus. Hęc solutio non placet aliquibus modernis, & arguunt cõtra illam, quia ad hoc quòd actus moraliter sit bonus, nõ oportet quòd in rei veritate sit ita, sed quòd existimetur inuincibiliter ita esse: ergo falsò asseritur vtrumq; requiri, & quod in re sit bonum, & quod existimetur bonum. Istis etiam patrocinatur Corduba lib. 3 citato, quæst. 4. dub. 3. in solutione ad replicam primi argumenti: Sed certè isti nõ penetram rationem D. Thom. sic enim est, quòd vt actus sit bonus, vtrumque requiritur, & quòd obiectum sit bonum, & ꝙ existimetur bonũ, & si quodlibet illorum deficiat, actus est malus, nũ quam tamen deficit aliquid illorum, nisi quando conscientia erronea est culpabilis; nam quando conscientia est recta, & obiectum bonum, nulla est difficultas: quando verò conscientia est erronea, inculpabilis tamẽ, tunc quidem ex vna parte dictamen est rectum secundùm regulas prudentiæ, nam aliàs talis error non esset inuincibilis, & ex alia parte etiam obiectum, quod aliâs erat malum, est bonum: quia obtinet conformitatem ad rectam rationem pro illo tunc, vt patet in accessu Iacob ad Liã; ille enim accessus, aliâs malus, pro illo tunc obtinuit veritatem practicam, & per consequens bonitatem moralẽ; vnde obiectũ illius actus existebat moraliter bonum. Ecce qualiter quãdo actus est bonus, verificatur, & obiectum esse bonum, & existimari vt bonũ, etiam in casu conscientiæ erroneæ inuincibilis, quia obiectum vt dicatur â parte rei bonum cum D. Tho. non debet sumi vt in se pręcisè consideratũ, sed per conformitatẽ ad dictamen rectũ, & cùm illud obiectũ, etiã aliàs malum, modò sit cõforme dictamini recto, practicè loquẽdo, licẽt erroneo, loquendo speculatiuè, ideò tale obiectum dicendum est bonum à parte rei, bonitate morali & practica; quando verò conscientia erronea est culpabilis & vincibilis, obiectum, siue aliàs sit bonum, vel malum, protunc absolutè est malum; quia non habet conformitatem ad rationem rectam practicè sumptam; quia cùm sit culpabilis, non solùm speculatiuè, sed etiam practicè Talis ratio & cõscientia est praua, & defectu huius rectitudinis cõsurgit malitia, & actus est malus; & hæc est profunda doctrina D. Thom. in solutione prædicta.

Sed meritò aliquis dubitabit, quod nam sit maius peccatum, agere contra cõscientiam erroneam culpabilem, an verò facere quod illa dictat? *Basolis* in 2. dist. 39. q. vnica. ar. 3. existimat, esse maiꝰ peccatum, *Corduba.* *Basolis.*

catum, sequi talem conscientiam, quia lex inferior minùs obligat,quam lex superior,qui autem conformatur conscientiæ erroneę,sequitur legem inferiorem, nempe ipsam coſciẽtiam, quam diximus habere rationem legis in ordine ad Volũtatem:qui verò operatur contra talẽ conscientiam,sequitur legem superiorem,nẽpe æternam,& tantùm desserit legem inferiorem ipsius conscientiæ:ergo plus peccat qui sequitur talem conscientiam auertens se â lege æterna,quàm qui facit contra talem conscientiam, solùm se auertẽs ab inferiori lege ipsiùs conscieniiæ.

Durand. Almain. Angest. Corduba.

Meliùs tamen dicendum cum Durando in 2.dist.39.q.9.prope finem, & Almayn lib.5.moral.cap.5. & Angesto ca. 7.moral.super.1.p.textus,dub.4.& Corduba lib.3.q.4.dub.2. quòd non potest assignari certa regula, sed aliquando est minus peccatum sequi conscientiam erroneam, aliquando verò maius peccatum, verbigratia,dictat conscientia esse mentiendum ad liberandum hominem à morte;tunc quidem sequi conscientiam minus peccatum est,quia sequi illam,tãtùm est veniale,vt mendacium;sed non sequi talem conscientiam, est mortale iniustitiæ,quam existimat facere proximo circa vitam,non mentiendo:è contra autem si dictat coscientia,esse furandum ad dandam eleemosynam, ita vt dictetur teneri ad furandum sub veniali ad finem eleemosynæ;tunc quidem non sequi talẽ cõscientiam,minus peccatum est, quia tantùm est veniale,sequi verò talem conscientiam,maius peccatum est,quia est mortale. Habenda est ergo pro regula materia quæ proponitur in dictamine & vinculo conscientiæ proponentis, & secundùm hoc erit iudicandum quod sit maius peccatum;& argumentum Basolis nihil valet;quia si tantùm attenderetur ad superioritatem legis, vt colligatur maioritas peccati,probaret, quòd non sequi illam conscientiam erroneam,nullum esset peccatum;quia lex inferior non potest obligare contra legem superioris: vnde dicitur in materia de legibus,quôd leges humanæ non obligant,quando opponuntur legi naturali. Habenda est ergo vt ratio maioris vel minoris peccati, quæ lex appareat & resplendeat in illo dictamine maior,vel minor,quia, vt diximus,illud dictamen obligat ex vi legis resplendentis in illo.

Ad 1.arg. Medina.

Ad primum argumentum à principio aliqui,vt Medina,non reputant in conueniens,quòd lex diuina concurrat per accidẽs ad id quod malum est & peccatum; & idem concedunt aliqui Theologi de habitu Fidei,quod possit inclinare per accidens ad falsum; sicut & prudentia aliquando per accidens ad falsum inclinat, vt ad adorandam Hostiam non consecratam in Missa ex malitia Sacerdotis. Sed certè de Fide hoc concedere, est durum; de quo videatur Bañez 2. 2.q. 1. art.3. dub.2.concluſ.4.Et exemplum prudentiæ non est ad propositum,nam prudentia tantùm inclinat ad verum practicum, & in illo casu practicè est verum,illã Hostiam esse consecratam, Fides autem est ad verum,etiam speculatiuè; vnde sicut prudentia non potest inclinare ad nõ verum practicum,ita nec Fides ad non verũ speculatiuum.Sed quidquid sit de habitu Fidei de conscientia erronea dicimus,quòd in illa sunt duo,alterum quidem malum, & peccatum quod dictat; alterum verò est ratio boni & præcepti, subqua ratione dictat.Ad primum quidem non concurrit Deus,nec potest concurrere, mediante conscientia erronea; benetamẽ ad secundum,sicut dicitur infrà q.79. art.1. quòd Deus concurrit ad substantiam actus peccati,non tamen ad peccatum: sed ille actus vt malus reducitur ad causam deficientem,sicut concurrit ad substantiam gressus cum tibia claudicante;defectus tamen claudicationis reducitur ad tibiam claudam: ita ergo in præsenti mediante conscientia,etiam erronea,inclinat ad id quod proponitur per illam, vt stat sub obligatione,& qua ratione est bonũ conformari tali conscientiæ secundùm quòd in tali conscientia resplendet præceptum diuinum,non autem inclinat addictatum in conscientia culpabili, vt etiã est peccatum illud facere;sed illud reducitur in defectum ipsius concientiæ, vt vincibilis & culpabilis est,& in malitiam ipsius subiecti,quod tenebatur talem conscientiam deponere per sufficientem diligentiam, quam tenebatur adhibere, vt sciret, dictatum in tali conscientia esse malum.

Ad 2.arg

Ad secundum,negatur consequentia; nam quando præmissa est de Fide, & altera est falsa,non potest communicari cõclusioni aliqua virtus præmissæ Fidei; quia non est aliqua conueniẽcia inter illas

duas præmissas, vt faciant aliquod principium totale illius conclusionis: qua propter conclusio tantum sequitur ex præmissa falsa; in præsenti verò licèt quod proponitur per conscientiam erroneam, sit speculatiuè præmissa falsa; proponitur tamen sub quadam ratione boni, & sic potest recipere influxum alterius præmissæ, & concludere conclusionem obligantem non absolutè, sed ex suppositione, vt diximus.

Ad 3. arg. Ad tertiũ respondetur, casum esse impossibilem; licèt enim in exercitio materiæ aliarum virtutum possit esse peccatũ ex conscientia erronea; nõ tamen in exercitio actus Charitatis; quia per actũ Charitatis tendit in Deum, vt in bonum incõmutabile super omnia dilectum; per peccatum verò auertitur à Deo, tenditquè ad bonum commutabile creatum supra Deum: est autem impossibile, tendere in Deum super omnia, & in aliquid supra Deum; qua propter si stante tali existimatione argumenti, vellet prorũpere in dilectionem Dei, non illa esset supernaturalis, sed naturalis, & imperfecta vitiata ex tali conscientia erronea.

Ad 4. arg. Ad quartum respondetur, quòd ille peccat peccato sacrilegij, non tamen manet excommunicatus; quia ex communicatio non fertur nisi propter occisionem sacrilegam in re: iste autem non fecit in re occisionem sacrilegam, licèt propter suam extimationem & conscientiam erroneam sacrilegium imputetur. Verum est tamen, quòd quia ipse credit occidisse clericum, & esse excommunicatum, tenetur seruare leges latas contra excomunicatos & si non seruet, peccabit contra illas ex conscientia erronea. Videatur *Castro.* Castro lib. 1. de lege pœnali, cap. 5. documento 4.

Ad 5. arg. Ad quintum & sextum argumentum patet ex dictis; probant enim, conscientiam erroneam non obligare per se & absolutè; non autem probant, non obligare per accidens & ex suppositione, vt diximus.

DVBIVM III.

Vtrùm conscientia erronea, siue culpabilis, siue inculpabilis, plus obliget, quàm præceptum Prælati.

IN hac re D. Bonau. in 2. dist. 39. art. 1. quæst. 3. ad vltimum, tenet, quòd plus obligat præceptum Prælati, quàm conscientia erronea dictans oppositum. Et probatur primò, quia Prælatus præcipit virtute superiori positus loco Dei, cui tenetur subditus obedire: ergo plus obligat præceptum eius, quàm conscientia erronea subditi. *1. Sent. D. Bonau.*

Secundò probatur. Stante præcepto Prelati, potest deponi conscientia erronea: ergo maior est obligatio præcepti Prælati, quam conscientiæ erroneæ, si quidem ablata obligatione conscientiæ, manet obligatio præcepti Prælati. Tertiò probatur. Ille subditus, ex leui causa credit per conscientiam erroneam, culpabilem, quòd præceptum Prelati sit contra aliquam legem superiorem: ergo tenetur sequi magis præceptum Prælati. Antecedens patet, quia ignorantia culpabilis non potest fundari nisi in rationibus insufficiẽtibus & leuibus; ideo enim culpabilis est. Consequentia verò probatur ex cap. Inquisitioni, de sententia ex communicationis, vbi Innocentius Tertius diffinit, quòd quãdo alter coniugum credit ex leuibus causis non teneri reddere debitum alteri, tunc tenetur reddere: ergo pari ratione quando subditus ex leuibus causis credit non esse obediendum Prælato, tenebitur obedire.

Secunda sententia est D. Thomæ in 2. d. 39. quæst. 3. art. vltimo ad 3. quòd conscientia erronea plus obligat, quam præceptũ Prælati. Idem docet Summa Armilla verbo conscientia erronea, & Adrianus quodlibeto 2. puncto 3. Idem tenet D. Antoninus 1. p. titulo 3. cap. 4. dicit enim, quòd præceptum naturale vel diuinum magis obligat, quàm conscientia erronea: si tamẽ præceptum est humanũ superioris, magis obligat conscientia. Hæc sententia est vera, & tenenda. *2. Sent. D. Thom. Sum. Armi. Adrianus. D. Antoninus. Not. 1.*

Sed pro explicatione illius notandũ primò, quòd hic loquimur de Prælato nõ superiori ad id quod ex cõscientia erronea dictatur; nam si superior sit, non dubium quin magis obliget præceptum eius; vt si Summus Pontifex iubeat aliquid contra institutum meæ Religionis, etiam stãte conscientia erronea, quòd teneor ad statum Religionis contra præceptum Summi Pontificis, tunc maior est obligatio Pontificis, quàm conscientiæ erroneæ. Item loquimur de Prælato solùm exercente officium Prælati in præcipiendo; nam si aliàs sit vir doctus & prudens, magis

gis tenebitur sequi sententiam *Prælati*, & deponere suam conscientiam.

Secundo notandum, ideò facere comparationem conscientiæ erroneę cum oppositio præcepto positiuo humano Pręlati, quia si fiat comparatio cum opposito præcepto diuino, vel naturali, certum debet esse, quòd tale præceptũ plùs obliget, quàm conscientia erronea: quia causa prima perfectiùs operatur, quàm causa secunda: cõscientia autem, etiam erronea, est causa secunda obligans quatenus in se saltem per estimationem, habet influxũ legis diuinæ vel naturalis: magis ergo debet obligare lex diuina, vel naturalis, quia propter quod vnum quodque tale, illud magis. Nec valet, dicere, quòd præceptum diuinum vel naturale obligat mediante propria conscientia; vnde magis obligabit propria conscientia, quia obligatio magis desumitur à regula proxima & particulari. Non (inquam) valet, quia, sicut diximus in causis efficiẽtibus, quòd *Deus* semper est immediatior effectui, quantuncũque operetur media causa secunda; quia secunda operatur in virtutẽ primæ; ita in præsenti diuinum præceptum immediatius est nobis in obligando, quã nostra conscientia, licèt obliget mediante conscientia; quia nostra cõscientia habet obligare in virtute legis diuinæ, vel naturalis, vt dictum est.

Not. 3.

Tertiò notandum, quòd cùm conscientia possit esse triplex, vel certa, vel erronea inuincibilis, aut verò vincibilis, nec quærimus de prima, nec de secunda, sed tantum de tertia. Si enim certò quis sciat, Prælatum præcipere contra ius diuinũ, vel naturale, aut contra ius commune, aut contra præceptum alterius superioris, supra quem non habet potestatem; non dubium, quòd subditus teneatur sequi conscientiam, & non obedire Prælato. Similiter hoc est certum de conscientia erronea inuincibili; cùm enim ex tali conscientia iudicetur interuenire aliud præceptum maius oppositum præcepto Prælati, & ex alia parte talis error sit inuincibilis, talis conscientia obligabit sicut & præceptum dictatum ab illa; & cũ hoc plus obliget, quàm præceptum Prælati, similiter & talis conscientia. De ignorantia culpabili & vincibili procedit dubium, & dicimus cum D. Tho. quòd talis conscientia, cæteris paribus, plus obligat, quàm præceptum Prælati; quia, vt diximus, conscientia obligat iuxta naturam præcepti apparentis in illa; & cùm tale præceptum plus obliget, quàm præceptum Prælati; similiter & talis conscięcia; quia quantum ad obligationem ex præcepto apparente in cõscientia, eadem est ratio de culpabili & inculpabili, vt diximus; & solum est differentia, quòd culpabilem tenetur deponere, & peccat etiam illam sequendo: sed hoc non tollit, quòd illa stante & non deposita, habeat obligationẽ præcepti apparentis in illa; quia, vt diximus, ex suppositione erroris culpabilis, datur perplexitas. Dixi autẽ, cæteris paribus, nam si in conscientia erronea dictetur minus præceptum vel obligatio, quàm præceptum Prælati, magis obligabit præceptum Prælati; vt verbi gratia, præcipit *Prælatus* aliquid sub mortali; subditus tamen per conscientiam erroneam existimat Prælatum præcipere cõtra legem naturalem obligantem sub veniali; tunc quidem magis obligat præceptum Prælati; quia obligat sub mortali, conscientia autem solùm obligat sub veniali.

Ad primum argumentum pro prima sententia respondetur, quòd licèt obligatio humana dependeat radicaliter & originetur ex lege æterna & obligatione diuina vel naturali, tamẽ formaliter & secũdum speciem distinguitur ab illis, & tantùm est statutum humanum & obligatio humana minor quàm obligatio illarum, vnde obligatio cõscientiæ est maior, quia est obligatio ipsius legis naturalis vel diuinæ apparentis in tali conscientia. *Ad 1. arg. 1. Sent.*

Ad secundum argumentum respondetur, tantùm probare, præceptum Prælati obligare absolutè; conscientiam verò erroneam solùm ex suppositione, vt iam diximus; non autem probat, quòd stãte tali conscientia, non plus obliget ratione assignata. *Ad 2. arg.*

Ad tertium argumentum respondetur, subditum ex leuibus causis iudicare contra præceptum Prælati, & sic teneri sequi tale præceptum, & deponere suam conscientiam, & peccare si id non faciat: nihilominus stante tali conscientia, non probatur obligationem illius nõ esse maiorem, licèt ad illam sequendam & ad oppositum teneatur. Et idẽ in casu adducto in argumento; coniux enim qui ex leuibus causis credit teneri non reddere debitum, tenetur deponere tale iudicium, & *Ad 3. arg.*

reddere

reddere debitum, & non reddendo peccat,sed etiã reddendo peccat,& plus peccat, nec oppositum ibi docet Pontifex; cùm aliàs cap.perpetuas literas,de Simonia,docuerit,maiorem esse obligationem de sequenda conscientia erronea.

DVBIVM IIII.

Virùm possit cadere dispensatio supra conscientiam erroneam,ita vt aliquis possit agere contra illam absque peccato.

1.*Arg.* PARS affirmatiua probatur primô. Si propter aliquam rationem non posset esse dispensatio, maximè quia obseruantia illius est de lege naturę:sed hęc ratio est nulla: ergo. Minor probatur, quia votum obligat ex lege naturæ, & illius potest esse dispensatio, etiam ab homine;si quidem Papa potest dispensare in illo,

2.*Arg.* Secundò arguitur. Ita intrinsecè est malum furtum & occisio innocentis, & fornicatio,sicut agere contra conscientiã erroneam:sed in illis potest esse dispensatio,& â Deo est facta:ergo & inconscientia erronea poterit fieri. Minor probatur.De furto quidem Exodi 11.vbi Deus concessit Hebræis,vt aurum & argẽtum ferrent ab Ægiptijs,illis inuitis.De fornicatione autem patet Oseæ cap. 1. ei enim præcepit Dominus, vt accederet ad mulierem fornicariam. De occisione verò innocentis,patet Genes. 22. vbi Dominus Abrahæ præcepit occidere filium suum. *Exodi 11.*

3.*Arg.* Tertio arguitur. Deus potest auferre præceptum de sequenda conscientia erronea,ergo & poterit in illo dispensare. Consequentia patet,nam qui legem potest auferre,à fortiori poterit dispensare in illa.Antecedens verò probatur, quia voluntas Dei non necessitatur ad tale præceptum statuendum;quia diuina voluntas â nullo extrinseco potest necessitari: cùm ergo tale præceptum quid sit extrinsecum,non necessitabitur ad illud statuendum, sed pro suo libito poterit illud auferre.

Not. Scot. Pro intelligentia huius notandum, fuisse peculiarem sententiam Scoti in 3. dist.37.q.vnica,quòd Deus potest dispẽsare in præceptis secundæ tabulæ Decalogi,non minus atque in alijs, quæ non inferuntur ex principijs naturalibus per immediatam consequentiam, de quibus concedit D.Thom. posse fieri dispensationem; quia præcepta secundæ tabulæ (inquit Scotus)non habent intrinsecam bonitatem.Hoc ergo supposito, Corduba lib.3.quæstionum q. 10. licẽt existimet improbabilem sententiam aliquorũ asserentium, etiam authoritate humana posse fieri dispensationem in conscientia erronea;quia,vt diximus, obligatio eius est de lege naturę,supra quam non est humana potestas:nihilominus dicit Corduba,probabile esse,posse fieri â Deo dispẽsationem supra conscientiam erroneam, cùm sit probabile secundùm Scotum, etiam in præceptis naturalibus Deũ posse dispensare,vnde qui sententiam Scoti tenẽt de præceptis Decalogi,& istam de conscientia erronea debent tenere. Sic etiam loquitur Almayn tractatu 3. moralium, cap. 15.& Lorca hic disp.37. dub. vltimo. *Corduba.* *Almain.* *Lorca.*

Conclus. Conclusio tamen sit,per nullam potentiam posse fieri dispensationẽ supra conscientiam erroneam:& oppositum huius non tenentur concedere etiam qui tenẽt sententiam Scoti,Deum posse dispensare in præceptis Decalogi secundæ tabulæ. Itaque vera sententia D.Thom.infrà q.100.art.8.docet,in præceptis Decalogi non posse fieri dispensationem, etiam si sint secundæ tabulæ;quia illa continẽt ordinem iustitiæ,sicut & primæ tabulæ continent rationem boni cõmunis; quæ quidem intrinsecam & essentialem boni tatem important,& consequenter in dispensabilem. Si autem in alijs præceptis naturalibus dispensare potuerit,illa erũt quæ nec continent rationem boni communis,nec ordinem iustitiæ, sed tantum aliquam dispositionem ad ista. Nihilominus dicimus in conclusione, obligationẽ conscientiæ erroneæ ita esse in dispensabilem per potentiam absolutam,vt etiam si concedatur cum Scoto possibilis dispẽsatio in præceptis Decalogi,nihilominus in obligatione conscientiæ talis dispensatio est impossibilis.Quod probatur,nam quod implicat contradictionem, Deus non potest facere; sed talis dispensatio implicat contradictionem: ergo.Minor probatur. Primò, quia implicatio est, quòd stante obligatione & præcepto, quis non teneatur, & non peccet contra illud:stare autem conscientiam erroneam *D.Thom.*

est

est stare obligationem & præceptū; quia vt diximus, talis conscientia præceptum est & lex: ergo illa stante, implicatio est illam non obligare. Itaq; in tantū Deus potest dispensare cum aliquo, in quantū potest abrogare legem pro illo; non autem quòd stante lege illum obligante, ille non peccet contra illam: ergo quandiu non tollit talem conscientiam, nō potest tollere obligationem illius. Secundò probatur eadem minor, quia implicatio est, quòd posito specificatiuo, non sequatur specificatio, vt quòd posita rationalitate, non ponatur esse hominem: sed specificatiuum actus mali, vt suprà diximus est obiectum vt prohibitum: ergo stante obiecto vt prohibito, impossibile est actum circa ipsum non esse malum. Tunc vltra. Sed stante cōscientia erronea, illud obiectum proponitur vt prohibitum: ergo impossibile est, quòd actus ex conscientia erronea procedens circa tale obiectum, non sit malus. Tertio probatur eadem minor, nam qui operantur ex conscientia erronea cum dispensatione (vt volunt contrarij) vel cognoscit talē dispensationem, vel non. Si non cognoscit, sic se habet, ac si non esset dispēsatio, quia quantum est ex parte sui, lædit diuinum præceptum; quod sufficit ad peccādum. Si autem cognoscit talem dispensationem, iam non habet conscientiam erroneam, quod sit peccatum illud facere: ergo implicatio est in dictis, dicere quòd ex conscientia erronea operetur, & quòd ex dispensatione non peccet.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum respondetur, non tantùm esse in dispensabilem cōscientiam erroneam, quia est de lege naturæ; licet hoc sufficeret; sed etiam quia, vt diximus, implicat contradictionem: qua propter licèt quæ sunt de lege naturæ, essent dispensabilia; supra conscientiā tamen erroneam non potest cadere dispensatio.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum respondetur similiter, quòd vt patet ex D. Tho. in 4ā, q. 100. art. 11. nunquam Deus dispensauit in præceptis Decalogi; quia in dispensabilia sunt, quia quando præcepit filijs Israël secum ferre vasa Ægiptiorum, hoc fuit à propriādo illa Hebræis in mercedem laboris eorum; vel quia Dominus omnium potuit transferre dominium ad Hebræos; & sic iam illud non erat furtū; quia non erat ablatio rei alienæ, & sic non verificatur dispensasse in furto. Similiter Abrahæ concessit licentiam occidendi filium, vt Dominus vitæ & mortis, & sic non erat homicidium, quia non erat authoritate priuata: qua propter nō verificatur, dispensasse in homicidio. Similiter dicitur de Osea, quòd Dominus fecit suam, quæ non erat sua, vnde Propheta non accessit ad alienam; quod requirebatur ad fornicationem: qua propter non verificatur dispensasse in fornicatione. Sed dato quòd in huiusmodi dispensasset, iam diximus, qualiter non sequitur posse dispensare in conscientia erronea propter implicationem dictam.

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum similiter patet, qualiter Deus non possit auferre prohibitionem eorum quæ sunt intrinsecè mala: & peculiariter loquendo de obligatione conscientiæ erroneæ, ad impugnationē respondetur ex D. Tho. q. 100. ar. 8. quòd dupliciter potest intelligi esse determinatam diuinam voluntatem in ordine ad extrinseca. Primò quantum ad existere vel non existere rei; & hoc modo concedimus impossibile esse, diuinam voluntatem determinari ad extrinseca. Secundo modo potest intelligi esse determinatam quoad rectitudinem vel obliquitatem; & isto modo dicimus determinatam esse diuinam voluntatem etiam ad extrinseca; quia licèt sit libera in producendo vel non producendo; si tamen producit, sunt aliqua, quæ vt bona, vel tali, vel tali modo debent produci secundùm essentiam vnius cuiusque; quod quidem est (inquit Caiet.) diuinam voluntatem non esse determinatam ad simplicia; bene tamen ad complexa: quod quidem proprie loquendo, non est determinari ab extrinseco, sed potiùs à sua intrinseca bonitate, per quam nec potest approbare mala, nec respuere bona; quia non potest negare seipsum, vt dicitur secundæ ad Timoth. 2.

DVBIVM V.

Vtrùm liceat agere contra conscientiam dubiam.

Not. 1.

IN hac re supponendum, quòd, vt diximus, dubium dicit indeterminationē, excluditque adhæsionem alicuius extremi, manente intellectu ancipite inter vtrum

trũq; estq; huiusmodi dubiũ duplex;alterum speculatiuum;alterũ verò practicum. Speculatiuum quidem, quando quis dubitat de ipsa re secundùm se considerata;vt quando quis dubitat,vtrũ hæc mulier sit sua, vel non, & vtrum hæc hereditas sit propria,vel aliena. Dubium verò practicum est de re in ordine ad nostram operationem hic & nunc exercendam;vt quando quis dubitat, vtrum liceat sibi accedere ad hanc mulierem vel non,ex aliqua ratione dubitandi,vtrùm sit sua,vel non;& quando dubitat,vtrùm liceat sibi retinere,& non restituere aliquam hæreditatem,vel vtrùm nõ liceat: quia licèt Lorca hic disp.38.memb.1.dicat,hanc distinctionem esse ineptam;ineptius tamen est illam excludere, cùm sit communiter ab omnibus recepta;non enim ponitur,vt ipse intelligit, quòd dubium speculatiuum sit dere in communi; practicum verò dere particulari exercẽda;quia sic dubium est idem. Idem enim est dubitare,si accedere ad alienam,est licitum,& si accedere hic & nunc ad istam alienam, est licitum:sed intelligenda est diuisio,vt diximus,quòd dubium speculatiuum sit dere secundùm se;practicum, vero sit de operatione hic & nunc circa talem rem;quia stante dubio vnius, potest esse certitudo alterius ex aliquo accidente vel circũstantia se offerente hic & nunc in exercitio.

Lorca.

Secundò notandum,quòd quãdo quis dubitat,dupliciter se potest habere. Primo positus inter extrema vtraque mala. Secundò inter extrema,quorum tantum alterum est malum;& solum est dubitatio,si exercere illud,est malum,vel non, cum certitudine tamen quòd illud non exercere,est bonum; vt negotiator potest dubitare de aliquo contractu, vtrùm celebrare illum,sit vsura,vel non; certus est tamen, quòd non exercere illum contractum, est bonum in omni euentu:nõ ergo dubitamus,quin in isto casu possit partem certam tenere, non celebrando contractum;sed procedimus,vel quando dubium est inter extrema mala cum necessitate operandi circa aliquod illorum ad quod nam illorum se debeat vertere;& quãdo tantùm est circa vnũ extremum, si stante dubio, possit tendere in illud, vel necessario debeat cessare, v non peccet.

Not.2.

Tertiò notãdũ,quòd dubiũ potest esse,vel ex ignorãtia culpabili,vel inculpabili. Præsens quæstio solũ procedit, quãdo ignorãtia est inculpabilis,nã si culpabilis sit sic etiã si sit necesse ad aliquod extremũ malũ se vertere, peccabit ad quodlibet illorũ conuertatur,verbi gratia,mulier dubitans culpabiliter de morte prioris viri,nec apponens diligentiam vt tale dubium vincat, si secundus vir petat debitum,peccat reddendo & non reddẽdo, quia reddendo ex ponit se periculo fornicandi, & non reddendo exponit se periculo inferendi iniuriam secundo viro,& hoc totum sua culpa. Nec est inconueniẽs esse per plexã ex sua malitia, nec etiã incõuenit ex eadẽ radice,quòd vir licitè petat ex possessione certa supra corpus mulieris, cũ sit possessor bonæ fidei, mulier autẽ nõ possit reddere;quia respectu dubij culpabilis illius & in ordine ad illã, ille vir est quasi possessor malæ fidei. Hoc supposito, sit.

Not.3.

Prima conclusio. Non est licitum facere contra conscientiam dubiam, ita vt si dubium sit de mortali,est mortale, & si de veniali est veniale. Ita communiter tenent Theologi in secundo,dist.39. & Canonistæ seu Iuris periti super caput inquisitioni,de sententia ex communicationis. Et probatur ex illo suprà allato ad Roman.14. omne quod non est ex fide, peccatum est;id est quod non fit ex conscientia sic dictante faciendum, vt ibi explicuimus:quod autem fit ex dubio,non fit ex dictamine certo conscientiæ;& ita peccatum erit. Et ex hoc Iurisconsulti dicunt,quòd quando cum dubio aliquis possidet,non præscribit: quia non habet bonam fidem. Hoc ipsum probatur Eccles.3,Qui amat periculum, peribit in illo. Certum est autem, quòd qui dubitans operatur, est in periculo declinandi ad peccatum:peribit ergo per peccatũ exponendo se tali periculo. Secundò probatur ex ratione amicitiæ, nam ex amicitiæ & charitatis non solùm ex postulat vt caueamus quæ manifestè & directè sunt contra diuinam amicitiam;sed etiam illa, de quibus merito dubitamus, an offendãt & dissoluant amborum amicitiam. Tertiò probat Adrianus quodlibet.2.à simili;nam si quis medicus corporalis dubitaret propter varietatem opinionum,quod propinare vinum aliqua ægritudine laboranti esset periculum mortis,peccaret mortaliter, si cũ tali

1.Concl.

Rom.14.

Eccles.3.

Adrianus.

tali priculo propinaret vinum & moreretur: ergo similiter etiam si non moreretur peccaret peccato homicidij, quia in his quæ sunt peccata, quia periculosa nihil ad rem, quòd sequatur vel non sequatur effectus: sicut qui iacit sagitam vbi est hominum multitudo, peccat peccato homicidij, etiam si nullum occidat; qua propter nullus sanæ mentis suam vitam corporalem exponeret tali periculo & experimento medici dubitantis: quare ergo in spirituali vita ita non fiet? Et certè secundùm iura, qui scit verosimiliter ex suo facto damnum daturum proximo, damnum dedisse iudicatur, vt patet capite finali de iniurijs & damno dato. Cùm ergo talis medicus vero similiter dubitet se damnum daturum; vtique censebitur damnum dedisse; & sic omnino dicendũ de dubia conscientia, Hęc conclusio de dubio practico omnino est vera, & vniuersaliter tenenda; loquendo autem de dubio speculatiuo, assignantur sequentes conclusiones.

2. Concl. Secunda conclusio. Licitum est aliquãdo facere contra dubium speculatiuum vt quando est controuersia, an iste equus est meus vel tuus; vel quando est disceptatio in genere, an tale opus sit licitum, necne; quia hæc dubia pertinent ad Philosophiam moralem; & in particulari possunt assignari multi casus, in quibus licitum est agere contra dubium speculatiuum cum omnimoda certitudine practica, quòd facere contra tale dubiũ, nullũ est peccatum. Sit primum exemplum, nam milites subditi Regi possunt habere dubium speculatiuum, vtrùm vellum quod geritur (verbi gratia, cum Gallis) sit licitum & iustum; & nihilominus licite possunt pugnare; quia sunt certi secũdum prudentiam, quòd ex imperio sui Regis possunt vellum inferre; quandiu non constat de iniustitia, vt diffinit Diuus Augustinus contra Manichæos, & refertur 23. q. 1. cap Quid culpatur, ibi sic ait. Vir iustus, si forte sub Rege & homine sacrilego militet, rectè potest illo inbente bellare, si quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrùm sit, certum non est; ita vt fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi. Et idem est de ministris statutis & conductis ad exequutionem iustitiæ; etiam enim si dubitent de sentẽtia iusta tenentur nihilominus illam exequi. Secundum exemplum est, quando quis habet possessionem alicuius rei, quã bona fide acquisiuit, & incipit dubitare, sit sua nec ne; recte vtitur illa nec statim tenetur reddere, quousq; sit certus quòd sit aliena. Quare non sequitur; est dubiũ an res sit mea: ergo est dubium antenear reddere; nam possessio reddit me certum quòd non renear reddere, quousque constet non esse meam. Ita habetur in vtroq; iure, & solet citari caput. Si virgo. 34. quæst. 2. ex D. Augustino lib. de Fide & operibus. Verum est quod Adrianus tenet oppositum in 4. materia de restitutione, dicit enim, quòd si facta diligentia sufficienti, adhuc manet dubius, tenetur restituere illam rem. Et Magister Soto 4. de iustitia & iure, quæst. 5. art. vltimo, dicit, quod debet diuidere illam rem, & dimidiam dare pauperibus. Quod tamen intelligendum est, si verus dominus non compareat: nam illo comparente, si aliquid debet restitui, vero Domino debet restitui. Sed nihilominus nostra sententia est verior, quam etiam tenet idem Magister Soto in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. & Siluester verbo præscriptio 1. quæst. 3. & patet ex illa regula iuris, quòd in dubijs melior est conditio possidentis, si, vt diximus, possessio sit bona fide habita & pacifica. Aliqui Theologi volunt hoc restringere, quòd licèt possit ille homo talem rem retinere, non tamen illa vti, nec, alienare. Sed in primo improbabiliter loquuntur; ad quid enim retentio, si nõ est vtilis ad vsum? Quantum ad alienationem autem, dicimus illam posse facere; si tamen maneat paratus restituere pretiũ eius, si facta diligentia, dubium cessauerit, dum modò per alienationem non maneat impotens ad restituendum; nõ enim debet tali periculo se exponere illam alienando. Tertium exemplum sit, quando vxor incipit dubitare, si prior vir est mortuus, vel non; vel vtrum præsens maritus est consanguineus, vel non; tũc quidem facta sufficienti diligentia, etiam si maneat dubium, tenetur reddere debitũ viro petenti quia primum dubium est speculatiuum de veritate matrimonij, non autem est dubium practicũ, sed potius certitudo secundùm prudẽtiã, quòd teneatur reddere debitũ; nam ius possessionis viri facit illam certam, quòd teneatur reddere debitum, quousque sit cõpertum

D. Augustinus. *D. Augustinus. Adrianus.* *Magister Soto.* *Magister Soto. Siluester.*

tum non esse legitimum matrimonium. Ita diffinitur capite Dominus, de secundis nuptijs, & in capite Inquisitioni tuæ, de sententia ex communicationis, & capite laudabilem, etiam determinatur, vt litte pendente nihil innouetur. Immò Magister Soto 4. de iustitia, quæst.5. art.5. infine, & in 4. dist. 27. quæst.1. art.3. fol.112. dicit, quòd facta sufficienti diligentia, non solùm potest reddere, sed etiam petere. Tutius tamen est, & consulendum, quòd reddat & non petat; quia in non petendo, nullum est periculum: esset autem maximum in non reddendo, posset enim timere periculum mortis vel discordiarum, vel quod vir incideret in graniora peccata Carnis. Videatur Nauarro in manuali latino, capitulo 16. numero 40. & 41. & capitulo 22. numero 54. & 55. & 82. Quartum exemplum sit de illegitime natis, si enim illegitimus habet dubium, vtrùm sit ex matrimonio, vel ex adulterio natus potest se habere vt legitimum; quia illud dubium est speculatiuum, nec tenetur etiam credere matri sibi dicenti esse ex adulterio. Pro quorum pleniori intelligentia, licet non multum ad Theologum pertineant.

Soto.

Nauarro.

Dico primò, quòd quando dubiũ pro vtraque parte est æquale, vtrum sit primi, vel secundi matrimonij, filius, iudicandus est filius secundi in cuius domo nascitur. Ita Baldus l. si mater, Codice de suis, & legitimis hęredibus, est que communis sententia inter Iuristas.

Secundo dico. Quando est dubium vtrùm filius sit legitimus, vel illegitimus, habendus est tanquàm legitimus. Hæc est cõmunis Iuristarum, & habetur expręsse in l. filius, ff. de hisqui sunt sui, vel alieni iuris. Similiter si est dubium, vtrũ sit filius naturalis, vel spurius, iudicandus est naturalis: semper enim iudicandũ est in fauorem filij; qui vtique habet possessionem. Et idem est iudicandum quantũ ad hæreditatem, quantumcunque alij filij sint in possessione bonorum, quia lex naturalis est, vt nullus in dubio cõdẽnetur. Idẽ dicendũ, quando est dubiũ de filio, ratione patris incerti, vtrũ sit naturalis, vel spurius, vel sacrilegus, iudicãdũ est in fauorẽ filij, vnde & talis pater tenetur ei alimenta tribuere, quia hoc sequitur ad ius ipsius filij. Si verò esse legitimũ, vel illegitimũ, naturalẽ, vel spuriũ, vel sacrilegũ, nõ magis dependet ab isto patre, quã ab illo, quia videlicet vterque est eiusdẽ status, & respectu vtriusque, filius est naturalis, vel respectu vtriusque spurius; tunc, per se loquendo, ad vtrumque pertinet alere filium pro rata; hæc enim est lex naturalis, vt quando est dubium de dominio alicuius rei, & neuter est in possessione, inter illos diuidatur & eadem ratio currit in præsenti. Secus est, si inter illos, etiam si sint eiusdem status, sit notabilis differentia in fama, & sanguine; vt si vnus sit de genere Iudæorum, vel Maurorum; & alter non, tunc enim alimenta diuidantur inter vtrumque pro rata: Nihilominus filius iudicandus est patris nõ Iudæi, quia hoc est in fauorem eius. Et idẽ contingit de filijs expositis, nõ enim habent nobilitatem, nec admittuntur ad ea ad quæ requiritur nobilitas; non tamen habẽt positiuam infamiam, & ideò admittendi sunt ad Collegia & ad similia, quibus priuantur qui sunt de genere Iudæorum: quandiu enim non probatur infamia auorum illorum, ille est in possessione bonæ famæ, non tamen est in possessione nobilitatis; quia cùm illa sit ex priuilegio, quandiu illud non manifestatur, nõ debet tali nobilitate gaudere. De susceptione verò sacrorum ordinum cõtrouersia est inter Iuristas, vtrùm debeat recipi ad sacros ordines fine dispensatione talis expositus: & vtraque opinio est satis probabilis; quapropter licẽt sit bonum consilium, petere dispensationem; si tamen sine illa sacros Ordines receperit, nec debet censeri irregularis, nec suspendi, nec impediri à proprio officio, nec tenetur pro tempore futuro petere dispensationem ad exequutionem officij, licèt sit bonum consilium petere.

Tertia conclusio. Quando altera pars est tuta & secura, tunc debet fieri contra dubium: immo non propriè potest appellari dubium, altera parte existente tuta, & secura, quia certũ est illam esse sequendã. v.g. est dubium, vtrum aliquis contractus sit licitus, & non facere illum, est tutum & securum; tunc quidem, debet nõ facere, & celebrare contractũ, est peccatũ. Similiter præcipit Prelatus alicui studere, vel de seruire infirmis, in quo nullũ est periculũ, nec que imminet damnũ alicuius, tunc licet sit dubium: vtrũ prelatus

3. *Concl.*

tus id iure præcipiat tenetur contra dubium obedire;quia aliàs temere exponeretur periculo faciendi contra obedientiam.Similiter si Prælatus præcipiat fractioné Ieiunij vel non recitare horas Canonicas, tenetur obedire,quia hoc est tutum,etiá stante dubio de infirmitate sufficiēti,non enim desinit esse tutū obedire ex eo,quòd sit periculum frangendi præceptū Ecclesiæ;quia Prælatus est velut interpres Dei,& ideò vbi nō est aliud periculum nisi fractionis legis,tale periculū cessat,quandiu certò de tali fractione non cōstat; quia tūc præceptū *Prælati* habetur pro interpętatione legis.Notandū tamē,hāc conclusionē debere intelligi cōmuniter & regulariter; nam si etiā altera pars sit tuta & secura,quantum ad hoc quòd ex illa non sequatur aliquod nocumentū Rei publicæ,vel personæ priuatæ;sit tamen est resgrauissima,molesta nimis & difficilis valde,nō teneor sequi talē partē,etiā tutam & præceptā à Prælato,stante dubio de iure Prælati ad præcipiendū. Secus est,si ostenderet ius præcipiēdi.Similiter cōtingit,si Petrus petat à *Paulo* fundū quē iustē possidet,& propter rationes Petri incipiat Paulus dubitare de dominio fundi;tunc enim,licēt esset tutū reddere fundū *Petro*, ad id tamē nō tenetur Paulus cum tanto detrimēto suorū bonorū. Qua propter illa regula
Siluester. communissima,quā ponit Siluester verbo
Pallud. dubiū,& verbo Inquisitio §.3.& Palud. in 4.dist.19.q.4.& omnes fere Canonistæ super caput Iuuenis,ex Eugenio, de sponsalibus & matrimonijs,in Decretalibus vbi dicitur: In his quæ dubia sunt, quod certius ęstimamus,tenere debemus, & in Decreto,de pœnitent.dist.7.c.2. §.
D. Augusti. Itē sic. ex D.Aug tene certū, & dimitte incertū. Et c.Dominus,de secūdis nuptijs. Regula(in quam) illa, q̄ in dubijs tutior pars est eligēda;debet intelligi, quando inde non prouenit graue detrimentum.

4.Concl. Quarta conclusio. Quando dubiū est æquale pro vtraq; parte,& necessum est in alterā partē incidire,si neutra pars fuerit tuta, tunc minus periculosa est prosequēda & eligēda:si verò vtraq; pars ęquale habuerit periculū, & neutra est altera securior,si minus dubia est prosequēda,v.g. dubitat quis,an teneatur mētiri pro saluāda vita hominis, & si mētiatur,scit quòd est periculū veniale tantū;si verò nō mētiatur,q̄ est periculū homicidij, tūc ex illa suppositione tenetur mētiri; quia maius est periculū homicidij quā solū mendacij.Similiter etiā,si ex vtraq; parte est periculū peccati mortalis,sed vnū maius altero;vt siquis dubitet,an teneatur peierare pro saluāda vita hominis,scit tamen q̄ grauius peccatū est peierare, quā occidere;tūc tenetur nō peierare,& permittere homicidium;& in neutro casu peccat, nec in primo metiēdo, nec in secūdo permittendo homicidiū,suppositō quòd ignorantia sit inuincibilis:nam illa suppositā,in vtroq; casu fecit quod recta ratio postulabat,eligēs ex duob⁹ malis quod min⁹ est.Tādē idē contingit in casib⁹ allatis in secūda cōclusione, ideò enim illa vxor in dubio mortis prioris viri tenetur reddere debitū virō secūdo petenti, quia min⁹ periculosū est reddere,quā negare; quia negare est cōtra iustitiā habētis possessionē, qua ipsū spoliare nō potest quā diu nō est certa scientia nullitatis matrimonij,& multa plura dāna sequerētur cōtra pacē amborū,aperiretur enim ianua discordiarū,& plurimarū litiū,cū discrimine vitæ:in reddendo verò debitū,solū est periculū adulterādi, quod leuius iudicatur.Et idē est de militibus, qui in dubio tenētur obedire Regi,nā illud præceptū spectat ad bonū publicū defensionis suæ Rei publicæ,quod grauius est trāsgredi, quā exponere se periculo occidēdi innocentes ; aliās enim non posset Princeps bene defendere Rempublicam , si vnicuique ciuium semper deberet rationem reddere belli , nec hoc esset conueniens.

Deniq; pro explicatione huius cōclusionis notandū,quòd res aliqua ex duplici capite potest esse tutior & securior,vel min⁹ periculosa. *Primò* ex parte rei:secūdò ex parte intellectus .Ex parte quidē rei, quia est cōtra leuius præceptū,& sic minus peccatū,vel quia est min⁹ nociua proximo,aut mihi aut præcipue bono cōmuni.Ex parte autē intellectus illud est tutius, quod habet pro se probabiliores rationes.Intelligenda est ergo conclusio, quod ex duobus malis illud est eligendū quod in re est magis tutū;quia minus nociuū,quanuis aliud habeat pro se plures rationes intra rationem dubij.Ita diffinitur ex Cōcilio Toletano octauo 13.dist.c. *Conc. Tolet.* duo mala,vbi dicitur: Duo mala licèt omnino sint cautissimè præcauēda ; tamē si periculi necessitas vnū ex his perpetrare

compulerit, id deuemus resoluere, quod minori nexu noscitur obligari: etenim dum peierare compellimur, creatorem quidem offendimus, & nos ipsos maculamus: cùm verò noxia promissa complemus, & Dei iussa contemnimus, & proximis impia crudelitate nocemus, & nos ipsos crudeliori mortis gladio trucidamus: illinc enim duplici culparum gladio perimus; hinc tripliciter iugulamur. Idem expressius ca. Nerui. ex D. Gregorio 32. Moral. cap. 18. & 19. & 20. & 55. & 56. cuius verba pulchertima libet adducere. Nerui testiculorum Leuiatham perplexi sunt, quia suggestionum illius argumento implicati alligantur, vt plerosque ita peccare faciant, quatenus si fortasse fugere peccatum appetant, hoc fine alio peccati laqueo non euadant, & culpam etiam faciant, dum vitant, atque nequaquam se ab vna valent soluere nisi in aliam consentiant se ligari. Apponit de inde tria exempla, & mirabiliter concludit: Est tamen quod ad destruendas Behemoth versutias subtiliter fiat, vt ùm mens inter minora & maiora peccata constringitur, si omnino nullus fine peccato aditus patet, minora semper eligantur; quia & quimororum vndique ambitu, ne fugiat, clauditur, ibi se in fugam præcipitat, vbi breuior murus inuenitur. Et post pauca iterum addit: Sed cùm indubijs constringimur, vtiliter minimis subdimur, ne in magnis fine venia peccemus. Idem habetur, capite Iuuenis, de sponsalibus, & capite Inquisitioni, de sententia ex communicationis. Et ratio est manifesta, quia si ex duobus malis minus est eligendum, cùm minus nociuum & minus periculosum sit minus malum, illud erit eligendum.

Greg.

Sed quod maiorem ingerit difficultatem, est qualiter quis se debeat habere, quando *Prælatus* præcipit quod sibi manifestetur delictum fratris occultum, & interrogatus dubitat, vtrùm Prælatus iure præcipiat. In quare Adrianus quodl. 1. punct. 2. absolutè dicit, quod cum tali conscientia dubio subditus nulla tenus tenetur respondere. In alio autem extremo Diuus Bonauent. in 2. dist. 39. art. 1. quæst. 3. & Paludanus quæst. 4. & Siluester verbo bellum 3. q. 1. & verbo obedientia, quæst. 2. & Summa Angelica verbo obedientia, num. 61. absolute dicunt, quod quandocunque est dubium, obediendum est Prælato, quia ille in possessione, & in dubijs melior est conditio possidentis. Sed Magist. Medina hic, & Mag. Soto relectione de tegendo & detegendo secreto, limitant if tam secundam sententiam, quòd subditus, quando est dubium, tenetur respondere ad interrogata, communiter loquendo; quod & habetur ex *D.* Antonin. 1. p. tit. 3. c. 10 §. 10. Si tamen maius damnum sequatur sibi, vel proximo, non tenetur respondere cũ tali dubio, reuelando crimen fratris: & hæc est vera sententia, nam minus damnum est in obedientia, quàm in infamia quę suo fratri potest sequi ex responsione. Pro cuius maiori claritate notandum, aliud esse, quôd res sit dubia ante præceptũ Prælati; aliud verò post præceptum, dubitando de iure quo id præcipit: Si dubium sit primo modo, accedente præcepto prudentis & probi Prælati, non agendo de periculo notabili tertij, tenetur respondere; quia per præceptum fit illa pars certa. Si verò sit dubium secũdo modo, sequendæ sunt regulæ supra positæ, nimirũ quòd sequenda est pars minùs periculosa. Nec valet argumẽtum quòd Prælatus est in possesione. Non valet, quia vnusquisque præsumitur bonus quoad vsque probetur malus, & quãdiu est dubium de iure Prælati ad inquirendum aduersus aliquem, nec probatus est malus, nec etiam iure existimatur talis, quoad vsque sit infamia, vel indicia manifesta; quare potius in tali dubio reus est impossessione, & illi est fauendum, & iniustè agitur contra eum, quantumcunque Prælatus interroget sub censura excommunicationis. Immo superaddit Soto, quòd etiam si contra reum sit opinio maior, si pro reo sit alia multo minor, si periculum imminens reo sit graue, sequenda est pars illius. Hoc intelligitur, nisi facinora sint alia, de quibus inquiritur, quòd vergant in pernitiem publicã; tunc enim prospiciendum est bono communi contra priuatam personam; vt in crimine hæresis, Lęsæ Maiestatis, proditionis patrię, & similibus. Et si aliqua regula generalis potest assignari, posito dubio, & interrogatione Prælati, est, expendere qualitatem eius, & subditi, & negotiorum de quibus fit interrogatio: nam si Prælatus sit probus, doctus, prudens, & fine

Medina. Soto.

D. Anton.

Not.

Obiectio. Solutio.

Soto.

Adrianus.

D. Bonau. Pallud. Siluester.

sine passione, si in casu dubij, me exponente illi rationem mei dubij, ille persistit præcipiendo & interrogando, debeo obedire, & respondere ad quæsita. Si verò Prælatus sit iniquus, vel idiota, aut passione affectus, capitosus, vel temerarius, consulendi sunt peritiores: & tandem in casu dubij fœnenaum est reo, quia tutior pars debet eligi. Qua ratione diximus ex capite Quid culpatur 23. quæst. 1. quòd in dubio miles in bello debet obedire Regi; quia tutius est obedire, & solum manet dubium speculatiuum de iustitia belli; non autem est dubium practicum de obedientia Regis. Et similiter diximus de vxorata, quòd licet dubitet speculatiuè de matrimonio, non tamen est dubium practicum de reddendo debitum, propter possessionem viri: & hæc certitudo practica sufficit, ne talis accessus sit fornicatio & peccatum; quia vt esset fornicatio, debebat scienter vel ex dubio culpabili accedere ad non suum; quod in isto casu non reperitur: immo quantum ad istum accessum scit esse suum ratione possessionis. Et si quæras, quid debeat facere qui dubius est in prædictis casibus, & ignorat doctrinam & regulas nostrarum conclusionum: Respondetur, ea quæ docuimus debere fieri secundùm rectam rationem & prudentiam: qui verò fuerit in dubio, & ignorauerit quid faciat, consulat peritos; hoc enim ei ratio naturalis dictabit, ut consilium petat, & si hoc non fecerit, vel consultores non habuerit, faciet quod sibi fuerit propositum à Ratione: & si fuerit ignorantia inuincibilis, excusabitur â peccato. Si verò fuerit vincibilis, peccauit.

Restat tamen examinare, quod nam peccatum sit, stante dubio inuincibili, sequi partem minus tutam; vtrùm sit mortale, supposito quòd dubium sit circa materiam mortalem, verbi gratia, dubitat quis, an teneatur furari ad saluandã vitam hominis, & scit quòd est maius peccatum homicidium, quam furtum: ex sua tamen voluntate sequitur partẽ minus tutam secundùm suam existimationem, nimirum non furatur, & sequitur mors alterius, vtrùm illud sit peccatum mortale.

Quinta conclusio. Quando vna pars est omnino tuta, & sine aliquo notabili damno, vt explicuimus in præcedentibus; tunc sequi partem periculosam in materia mortali est peccatum mortale; vt si stante dubio, possideo vel acquiro plura beneficia, vel non obedio Prælato, quando ex obedientia non sequitur graue damnum, vt diximus. 5. Concl.

Sexta conclusio. Quando altera pars est venialis, & altera mortalis, tunc sequi partem magis periculosam, est mortale; vt si quis dubitet, an teneatur mentiri pro saluanda vita hominis, si non mentiatur, est mortale homicidij. Vtraque conclusio patet, nam operari cum periculo vitæ, corporalis, esset mortale; quanto magis cum periculo vitæ spiritualis. 6. Concl.

Septima conclusio. Quando vtraque pars est dubia de peccato mortali, & vnius ad alteram est notabilis excessus, tunc sequi partem magis periculosam, est peccatum mortale; vt si quis dubitet, an teneatur blasphemare ad saluandã vitam vel famam hominis, tunc blasphemare, esset mortale; quia est notabilis excessus inter blasphemiam & permissionẽ homicidij. Similiter si aliquis surripit rẽ alienam, & cogitur iurare, si iurat falsum peccat mortaliter, nam si verum diceret, solùm faceret contra suam famam; per iurium autem ad infamiam propriam habet magnum excessum; vnde tenetur verum iurare. 7. Concl.

Octaua conclusio. Si non sit notabilis excessus, nõ est peccatum mortale sequi quod videtur minus tutum: vt si quis in dubio, vtrùm teneretur furari ad saluandam vitam hominis, si non furaretur, permittendo mortem alterius, non peccaret mortaliter: nam excessus permissionis homicidij ad furtum, non est ita notabilis; præcipue quòd cùm talis permissio ex dubio inuincibili minuatur, & non sit adeò grauis, ac si procederet ex scientia, & ideò non est mortale, sed veniale eligere illud minus tutum. 8. Concl.

Nona conclusio. Quando vtraque pars est æqualiter periculosa, tenetur in illam inclinare, quæ pro se habuerit maiora argumenta, licet illam nõ sequi, nõ sit mortale, dum modo maneat intra limites rationabilis & apparẽtis respectu alterius: vt si quis dubitet an teneatur furari ad subueniendum pauperi, ne ipse pauper furetur licèt ei sit probabilior altera pars secundum intellectum; quia tamen in re videt æquale periculum & nocumentũ, ex eo quod ipse vel pauper furetur, 9. Conclusio

ideò nō erit mortale sequi partem quam maluerit.

10.Conc. Decima conclusio. Quando vtraque pars quoad omnia æqualiter se habet, quoad pericula & nocumenta, & quoad rationes, tunc nullum erit peccatū, sequi quam maluerit, si, vt diximus, dubium sit ex ignorantia inuincibili. Itaque id vocamus in præsenti dubium, aut magis vel minus periculosum, aut probabile, quod operans ipse tunc ratione dūctus existimat tale ex sua ignorantia inuincibili: nam aliquando excusare poterit ipsum ignorantia, qua existimat id quod grauius est, esse leuius. Similiter debet notari, dicta in his cōclusionibus, debere intelligi, quando necessario est operaturus alteram illarum partium; nam si liberum sit illi vtramque relinquere, tenetur ita facere nam prædicta asseruimus, vt auferatur perplexitas operantis: ista autem non datur, quando non necessario alteram partem debet eligere.

Sed ex dictis insurgit dubium, vtrùm in rebus dubijs teneantur homines consulere sapientiores, & eorum arbitrium sequi in agibilibus, licèt errent. Hoc dubium mouetur, tùm propter ipsius vti-
Caiet. litatem, tum etiam propter Caietanum, qui super articulum quintum ait, quòd ex quacunque causa deponatur conscientia dubia, etiam si ex libito vel passione fiat, satis est, vt sit tutum & licitum: ex quo videtur sequi, quòd non sit necessarium consultare peritos, sed pro libito posset conscientia deponi.

Pro huius tamen declaratione notandum ex dictis supra quæstione 14. & ex
Arist. Aristot. 3. Ethicorum quod consultatio non est de impossibilibus, sed depossibilibus & agibilibus. Neque etiam est de certis & determinatis, sed de dubijs; nullus enim consultat, an sit Deus honorandus, &c. Quæ certa sunt & determinata. Hoc ergo supposito, sit.

11.Concl. Vndecima conclusio in ordine. Quòd in re dubia, vtrùm res sit licita vel illicita, vnusquisque tenetur consultare illos ad quos spectat negotium & iuditium illius rei, in rebus quidem conscientiæ circa Fidem & mores, Theologos, in rebus iustitię, & Canonum & legum, iuris peritos; in rebus belli; duces ac milites veteranos; sicut pro salute corporis, medicos ægritudinum & languorum gnaros inquirimus nam qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescunt. Hæc conclusio probatur, nam ad hoc constituti sunt consiliarij & periti in quacunque Republica recte instituta, vt ab illis requirantur ea quæ dubia sunt; & ideò Deutoronimij 17. Habetur: Si *Deut.17.* difficile & ambiguum apud te iuditium esse prospexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram; & iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, venieśque ad Sacerdotes leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæresquê ab eis, qui indicabunt tibi iuditij veritatem, & facies quodcunque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. Et Malachias *Malach.2.* 2. labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. *Ephesi.4.* Et ad Ephesios 4. & 1. Corinthi. 12. Ip- *1.Corint.12.* se dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Igitur si tales ad hoc constituti sunt ministri, omnes alij tenētur adire illos, nā aliâs frustra essent instituti. Hac enim ratione sacri Doctores probant, quòd habemus præceptum de confessione, quia à Christo Domino instituti sunt iudices ad cōfessionem. Secundò probatur cōclusio ex Philos. 1. *Arist.* Ethic, vbi ait: Optimus ille est, qui per se omnia nouit, & ille bonus, qui paret recta monenti: sed qui per se nescit, neq; porrigit aures, stultùs & demēs est. Vnde Salustius in prologo. Priusquam aliquid e geris, consulito, & post quā consulueris, maturè opus est facto. Qua propter qui in dubijs sine cōsilio operatur, cōmitit vitiū prȩcipitationis, secundū D. Tho. 2.2. q. 53. ar. 3. Tertio probatur. Cōmittere se periculo errandi in materia mortali, est mortale; quia, vt patet Eccles. 3. Qui a- *Eccles.3.* mat periculū, peribit in illo: sed qui operatur sine cōsilio, stāte dubio, exponit se periculo errādi: ergo peccat. Ex quo sequitur primò, q tunc quicquid egerit in dubio

dubio sine cõsilio, siue bonũ, siue malũ nõ excusatur à peccato; quia sẽper talis ignorãtia reputatur culpabilis cũ possit & teneretur, & noluit cõsultare: licèt enim fecerit bonum cõmisit se periculo errandi, quantũ erat ex se, & contra huiusmodi dicitur Esai. 5. vę qui sapiẽtes estis in oculis vestris, & corã vobis met ipsis prudentes qui dicitis bonũ malũ, & malũ bonũ, ponẽtes tenebras lucẽ, & lucẽ tenebras; ponẽtes amarũ in dulce, & dulce in amarũ. Quod & repetit Apost. Rom. 12. Nolite esse prudẽtes apud vos metipsos. Et Prouerb. 3. Ne innitaris sapientiæ tuæ, super quod D. Hieron. Ille innititur prudẽtiæ suæ, qui proprium arbitrium, seniorum sententiæ anteponit. Secundò sequitur; quòd negotiatores & mercatores, qui celebrãt cõtractus dubios de vsura, aut quauis iniustitia, inconsultis viris prudentibus & doctis, non excusantur â peccato; & similiter Parochi aliqui idiotæ, qui de rebus dubijs sine consilio præcipitãt sententiam, non excusantur, & vt in plurimũ, qui sic consueuerũt nũquã inquirere sunt in malo statu, Verum est, quòd in talibus cõsultationibus opus est discretione; non enim in omni negotio & in quacunq; materia requiritur æqualis consultatio: quædam enim sunt ita manifesta, vt per semet ipsum mediocriter prudens facile possit iudicare; alia verò sunt aliquãtulum grauiora, & ambigua, & alia grauissima maximi momenti: pro cuiuscunque ergo qualitate res est consultanda, deferendo maiora maioribus minoraque minoribus.

Esai. 5.

Rom. 12. Prouer. 3. D. Hier.

12. Concl. Duodecima conclusio. Post quàm de re dubia aliquis consuluit viros doctos, tenetur sequi sententiam, & iudiciũ illorum, etiam si errent. Hæc patet, nam si tenetur consulere, est vt iuxta arbitrium prudentium regulet actionem aliàs frustra assumeretur consilium: ergo semel habito, sic tenetur operari. Secundò probatur. Arbitria prudentum sunt habenda pro lege & regula: sed qui non se conformat regulæ & legi, peccat: ergo similiter qui non se conformat arbitrio prudentum. Maior probatur primò, ex Arist. 6. Ethicor. dicẽte. Non minus inniteñdũ est expertorũ & seniorum sententijs, quã demonstrationibus, veluti enim per experientiã visum habentes, principia decernunt. Secũdò probatur eadẽ maior ex articulo tertio superiori, vbi demõstratur, bonitatẽ actionis humanæ depẽdere ex ratione, quæ est velut secũda regula respectu primæ, scilicet rationis æternę, cui se debet cõformarẽ, recta autẽ ratio humana illa est, quæ minus est infecta, & magis pura, qualiter est in viris probis & prudẽtissimis; ergo qui illos consulit, & iuditiũ illorũ non sequitur, est operari non se cõformãdo rectæ rationi. Tertiò probatur conclusio. Iudex tenetur iudicare iuxta allegata & probata, contra propriã particularẽ sciẽtiã, etiã certã; vt docet D. Tho. 2. 2. q. 67. ar. 2. ergo multo magis tenebitur sequi consiliũ prudẽtũ aliquis cõtra propriã sẽtẽtiã dubiã, & respectu illi⁹, prudentiũ consiliũ debet esse lex, vnde solet citari Arist. 3. Polit. c. 9. dicẽs, Iusto nõ est posita lex; ipse enim est lex. Quod & habetur 1. ad Timot. 1. lex iusto nõ est posita. Solet etiã adduci Euaristus Papa, Epist. ad Episcopos Aegipti, dicens, nihil temere agendum, neq; diffiniendũ, sed matura deliberatione & cõsultatione præmissa. In cuius confirmationem adducit illud Genes. 18. quòd ipse Dominus noluit iudicare, etiam si clamor Sodomorum ascendisset ad illum, donec descenderet & videret, vtrũm clamorem opere compleuissent; vt nos in nostris iudicijs instrueret.

D. Thom. *Arist.* *Euarist.* *Genes. 18.*

Ex dictis sequitur, qualiter sit intelligendus Caietanus dicens, posse deponi conscientiam dubiam sine noua ratione, & consultatione, solùm pro libito excludendo dubium, & applicando se ad opus; quia bene stat, prius dubitasse de malitia, & modò sine noua ratione apparere sibi licitum in exercitio, de quo antea dubitabat, vt si mulier audiat à prædicatore esse peccatum mortale vti capillis alienis, quia est quædam simulatio, & mendatium in opere; & illa concipit ita esse vel dubitet; ex aliâ verò parte, etiam si nesciat dissoluere rationem prędicatoris, mota suo appetitu vult vti talibus capillis, proponendo sibi vt certum, etiam sine noua ratione, illud non esse peccatum. Vaquez enim insurgit contra Caiet. existimans quòd Caiet. voluerit, quòd illa mulier iudicat vsum capillorũ esse malum secundũ se, & pro alijs, & quod in exercitio sibi iudicat licitũ sine noua ratione, sed pro suo libito; & hoc sufficere, vt illa nõ peccet. Sed certe Vazquez nõ intellexit vel noluit intelligere Caietan. nullus enim

1. Corol. *Vazquez.*

mente orbatus posset asserere, quod iste existimat asseruisse Caietanum. Mens ergo Caiet. est, conscientiam dubiam posse multoties deponi per cognitionem naturalem, sine noua & speciali ratione; verbi gratia, illa mulier aduertendo quòd illa res sit minima, & quod sit rediculum dicere, quòd sit peccatũ mortale; & hoc dicit fieri per applicationem ad opus, sine noua ratione; qui modus loquendi cõmunis est: si enim scrupulosus interroget à Theologo aliquid de quo dubitat sine fundamento, respõdebitur ei, q̃ deponat scrupulum, cessando à tali cogitatione, & si ille instet, interrogando quaratioui id faciet, respondebitur ei, nullam rationem esse necessariam; hoc est nullã specialem præpter cognitionem naturalem, per quam potest mutare iudiciũ, & iam iuditio certo habito, potest, qui pri⁹ dubitabat, sine nouo consilio licite operari; quia modo iam non dubitat, & hoc docet, si bene inspiciatur, Caietanus. Itaq; non intendit contra nostram doctrinam, quòd stante dubio possit agere sine consultatione, sed quòd potest non consultãdo licitè agere, deponendo tamen dubiũ prius habitũ, ad cuius depositionem non semper requiritur noua ratio aut consultatio; vt contingit in paruis, in quibus apposuit exemplum Caietanus.

2. Corol. Secundò sequitur, quod multoties tenetur homo habere conscientiã erroneã, vt quando consuluit doctos, & prudẽtes, & omnes habebant sententiam falsam, sicut & contigit post Natiuitatem Christi, ante illius manifestationem; tenebantur enim plures Iudæi credere Messiam vẽturum: & similiter si Iudæus ex proprio arbitrio statim post verbum Christi in Cruce, quando dixit: Consumatum est, desineret circumcidire puerum, & seruare legem, sine dubio peccaret; quia tenebatur illam legem seruare, donec constaret illi sufficienter de abrogatione illius; nam vt dicitur Ecclesiast. 19. Qui citò credit, leuis est corde. Et in tantum dicitur leuis (ait Caietanus 2.2.q.1. art.4.) quòd si aliquis Christianus prædicaret Insulanis mysteria supernaturalia, si statim ad primam vocem (vt Hispani volebant) Indus crederet, leuiter crederet, nisi fortè motu Dei interno id instigante fieret repẽtè: nam aliàs debent præcedere sufficientia testimonia, & instructio, prius incipiendo ex naturalibus (licèt naturalia non sint initium Fidei sed hoc ex motione Spiritus Sancti sit petendum; de quo in sua materia) vnde ait Dominus Ioann. 15. si non venissem & opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Corolarium nostrum est Magistri Soto lib.2.de iustitia quæst.5.art.4.colum.11.fol,157, in media; quia obiectum voluntatis rectæ debet esse bonum rationis: bonum verò rationis, aut est euidenter notum, aut supernaturaliter inditum, aut per sententiam Doctorum habitum; & vbi duo priora defecerint, sequendum est tertium.

Ecclesi.19.
Caiet.

Ioann. 15.

Soto.

DVBIVM VI.

Vtrùm liceat sequi quamcumque opinionem probabilem.

PRobatur quòd non. Primò. Non est licitum operari cum dubio, vt supra diximus: ergo nec est licitum sequi opinionem probabilem. Patet consequentia nam in ratione opinionis clauditur dubium, cum opinio importet formidinem alterius partis. *1. Arg.*

Secundò probatur, & confirmatur præcedens. Duæ opiniones oppositæ nõ possunt simul iudicari veræ, sed si vna iudicatur vera, altera est iudicãda impossibilis: ergo qui habet vnã opinionẽ, vel alterã iudicat impossibilẽ, vel si in vtraq; parte reperit æquales rationes probabiles, manebit dubius inter vtrãq; & sic sequendo vnã opinionẽ, est idẽ quod operari cũ dubio. Confirmatur ex D.Tho.quodlib.2. art.13.qui de pluralitate beneficiorũ docet, quòd cùm quis certus est de sua opinione licitum est sibi habere duas præbẽdas: si tamen habet aliquam dubietatem de opposita parte propter contrariam opinionem, manente illa formidine & dubitatione, non potest sequi suam sententiam. In quo duo insinuat, & quòd idem sit formido partis contrariæ, quam importat opinio, & habere dubium, & etiã quòd non stante securitate vnius partis, sed opinione contrariæ non potest aliquis talem partem sequi. *2. Arg.* *Confir.*

Tertio arguitur. Non licet iudici ferre sententiam secundùm opinionem probabilẽ, si altera sit probabilior & tutior: ergo nec in agibilibus licitũ est sequi opinionẽ probabilẽ, sed probabiliorẽ. Cõsequentia *3. Arg.*

quētia patet ex paritate tationis, & quia proferre sententiam, est quædam actio moralis: quare ergo non posset iudex sequi probabilem, si cuicūque id esset licitum. Antecedens verò probatur, nam in speculabilibus Physicæ aut Metaphysicæ vel aliarum speculatiuarum scientiarum extra Fidem, nullum sequitur periculum, quòd aliquis ostentationis, vel ingenij gratia probabilia contra probabiliora defendat; at verò in practicis, quæ aliena iura respiciunt, & aliquando vitam nefas est iudici infirmioris opinionem sectari; quod comprobatur ex medico, qui pessime faceret, si in practica, ex qua salus aut vita pendet in firmi minus securam & probabilem opinionem

Confirm. eligeret; sicuti & Theologus in his quæ sunt Fidei & morum. Confirmatur, quia opinio minùs probabilis, respectu probabilioris est improbabilis, sicut dignus respectu dignioris est indignus: ergo non licet sequi probabilem, stante probabiliori; sicut nec eligere dignum, stante digniori.

Not. 1. Pro intelligentia huius quæstionis, notandum, non esse idem, sententiam & opinionem: sententia enim est, quæ à quolibet affirmatur, vel tenetur, siue cum fundamento, siue sine illo: opinio autem dicit sententiam probabilem cun fundamento rationum & authorum illam defendentium. Nec satis

Arist. est (inquit Aristoteles primo Topicorum capit. 4.) quòd ab vno vel altero Doctore defendatur, sed vt ait capitulo 1. requiritur, quòd à pluribus & sapientioribus approbetur, & si inter illos est discordia, probabilius debet haberi quod approbant ex illis sapientiores, & domesticis magis vsitati; quare inquit. Solicitum esse de quocunque opinante, vel contraria proferente; stultum est. Et subiit: In rebus moralibus non sunt quærendæ demonstrationes; quia quamuis ego non possim deuincere aduersarium, non propterea desinit in moralibus esse demonstratio; quia idem vitium est recipere à Mathematico probabilem rationem, & quærere à Philosopho morali demonstrationem. Inter opiniones autem non est æqualitas, sed vna stante probabili, alia potest esse probabilior, si plures rationes & præcipuos Doctores pro se habeat. Et si rationes & Doctores diuidantur inter se, ita vt altera opinio plures rationes videatur habere; altera verò plures Doctores, illa existimanda est probabilior, quam plures & præcipui Doctores defendunt, etiam si pro illa minorem videatur rationem apparere; nisi forte ratio ita sit conuincens & vrgens, quod pro pluribus authoribus computetur.

Secundò notandum, quòd vt opinio dicatur probabilis, requiritur, non quomodocunque esse receptam inter aliquod genus Doctorum, sed quòd communiter ab omnibus vt probabilis acceptetur. Itaque licèt non requiratur ad esse probabilem, vt ab omnibus communiter habeatur vt vera; bene tamen, vt habeatur vt probabilis etiam à sentientibus oppositum viris doctis & probis; sicut enim dicitur in Logicis, quòd syllogismus opinatibus concludit opinatiuè; debet autem esse euidens, concludere opinatiuè, vt approbetur vt syllogismus opinatiuus: ita similiter opinio non debet esse certa, debet autem haberi pro certo, esse opinionem communiter apud peritos, vt opinionis sedem habeat. Qua propter sententia Bæthicorum, quòd lex de venditione tritici in tali pretio & non vltra, non obligat existimo quòd non est probabilis, quia non recipitur vt talis à Castellanis doctioribus. Neque etiam approbatio vel vsus eorum quorum est commodum sic vel sic agere, sumenda est pro regula ad probabilitatem opinionis, verbi gratia, Generaliter campsores habent opinionem, quòd sua cambia sunt licita, eo quòd alij campsores ita docuerunt; & ita inter illos habet vsus, & ipsi suas rationes fingunt: hoc tamen non facit vt hoc sit probabile, si communiter à Doctoribus vt probabile non approbatur. *Not. 2.*

Tertio est notandum, quod opinio probabilis, licèt omnis illa sit tuta (si est probabilis practicè, vt statim dicemus) vna tamen potest esse tutior altera; minus enim tuta est illa, quæ potest falli, & licentiam concedit vt fiat illud quod forsitan esset peccatum, nisi excusaretur, quia sequitur talem opinionem, si quidem vt dicemus, qui sequitur opinionem probabilé, nō peccat *Not. 3.*

tutior tamen est illa,quæ docet id, quod facere,nullum est peccatum , vel minus peccatum,etiam secluſa execuſatione opinionis probabils. Qua propter non est idem, esse opinionem magis probabilem,& esse magis tutam,verbi gratia. Quòd sit verus Baptismus in nomine Genitoris,Geniti & Procedentis ab vtroq; est opinio magis probabilis, propter rationes & authores id asſerentes:nihilominus est minus tuta;tutius enim est,Baptizare in nomine Patris & Filij,&c.

4.Not. Quartò notandum,quòd esse opinionem probabilem , vel probabiliorem, stat dupliciter. Vel speculatiue,vel practicè.Speculatiue dicitur probabilis, cuius rationes â Doctoribus approbantur vt ſufficientes,vt Intellectus ad hærere posit; nõ tamẽ ab eis cõceditur licẽtia vt ponatur in praxi,quia ex hoc aliquod inconueniens posset oriri,v.g.quòd Baptiſmus fiat in nomine Genitoris,&c. probabile,immò probabilis est vt diximus,ſufficère ad veritatem Baptiſmi,ſpeculatiuè loquendo,de quo Caiet.3.p.q.66. art.5. non tamen talis opinio est probabilis practicè, ita vt sit licitum abſque peccato illam ſequi;nec hoc affirmat Caietanus:opinio verò probabilis practicè illa est, quæ licitè potest poni in exequutione, inquocunque euentu.

Caiet.

5.Not. Quintò notandũ,quòd ad ſtabiliendã aliquã opinionẽ,duplex principiũ potest concurrere. Aliud quidem intrinſecũ: aliud verò extrinſecum. Intrinſecum quidem est conuenientia prædicati cum ſubiecto , & rationes quæ illam probant: principium verò extrinſecum,& cõmune omni opinioni,est authoritas Doctorũ. Potest ergo cõtingere,quòd duæ opiniones ex parte principij intrinſeci ſint æqualiter probabiles,& tũc quidẽ, per intrinſeca,non est per quid Intellectus vni magis, quã alteri ad hæreat;ad hoc enim nõ ſufficit ſolus affectus voluntatis,vt Intellect⁹ rationabiliter ad hęreat alteri parti,verũ est,quòd affectus poterit applicare Intellectũ,vt peculiares rationes conſideret de altera parte,ſed etiã tunc principium intrinſecum erit in æquale; ſtante autem æquali,non habet qualiter per intrinſeca ad alteram partem posſit determinari, remanet tamen via, qualiter ad partem æqualem ex parte principij intrinſeci posſit determinari , nempe per principia extrinſeca & authoritatem Doctorum:immo hoc principium extrinſecum multoties ſufficit,vt etiam ſi ſecundum intrinſeca aliqua opinio excedatur in illam posſit aliquis inclinare.

1. Concl. Prima concluſio. Non ſolum est licitum ex duabus opinionibus æqualiter probabilibus probabilitate practica eligere quam quis maluerit,ſed etiam est licitum,ſequi minus probabilẽ,relicta probabiliori. Prima pars concluſionis est cõtra Caietanum in Summa,verbo,opinio & cõtra ſumã Armillam,verbo.Opinio, n.2.& contra Silueſtrum verbo Opinio, q.1.& 2.& contra Nauarr.in ſumma,ca. 27.nu.186.(quamuis in c.ſiquis,de pœnitent.diſt.7.num.48.doceat,non peccare qui ſequitur minùs tutam, credens bona fide esse probabilem est etiam communiter contra Canoniſtas , & contra Henriq.quodlib.4.q.13.Sed tamen noſtra concluſio communiter recipitur â Theologis cum Medina,ſequente Magiſtrum Soto,lib.3.de iuſti.quæſt.6.art.5. circa ſolutionem ad 4.& in 4.diſtinct.18 quæſt.2.art.5.circa ſolutionem ad.5. & illam tenuit Adrianus quodlibeto 2.art. 3. Et probatur primo , quia in caſu ſupponitur vtranque æqualiter esse probabilem practicè ; ergo æqualiter poteſt ſequi: ergo quam maluerit poterit ſequi ; quia non est maior ratio de vna, quàm de altera. Secundo probatur , quia hæc est differentia inter rationabiliter dubitabile , & inter rationabiliter opinabile , quòd dubitabile non est ſufficiens vt Intellectus ſe determinet ad aliquam partem ; opinabile vero est ſufficiens vt alteri parti fiat adhæſio : ſi ergo vtraque pars est probabilis æqualiter , poterit æqualiter ſe determinare ad quamlibet illarum. Tertiò probatur. Si propter aliquam rationem contrarium esſet verum , maxime quia , vt inquit Caietanus, Intellectus manet dubius : ſed hæc ratio ſupponit falſum , nam , vt probatum est , ex vi probabilitatis vtriuſque partis poteſt adhærere cuicunque parti probabili , vel per principia comunia , vel per propria : ergo. Secunda pars concluſionis est etiam contra Caietanum , & Silueſtrum loco citato ; à fortiori enim tenent , non esſe licitum ſequi minus probabilem. Est etiam contra Conradum lib. de contractibus, parte vltima, & con-

Contra Caietan. & ſumma Armil. & Silueſtr. & Nauar. & Henriq. & contra Canoniſt.

Est comun. cum Medina,& Soto.

2. pars cõcl. *Cõtra Caiet. & Syluest.*

& Soto, & Cordub. & contra Sotolib. 3. de iustit. loco citato, & contra Cordubam lib. 2. quæst. 3. est tamen communis, quam tenet Medina hic, & optimis rationibus probat; & mo-
Communis tum Medin. dò probatur. Primo, sequi probabilem, relicta probabiliori, non est contra synderesim: ergo non est peccatum. Consequentia patet, nam peccatum contra synderesim est, vt ostendit vermis conscientiæ. Antecedens verò probatur, nam qui sequitur in rebus Fidei opinionem probabilẽ, relicta probabiliori, non amittit Fidem, nec peccat contra illam: ergo nec qui sequitur probabilem in moralibus, facit cõtra synderesim; sic enim se habent moralia ad synderesim, sicut res Fidei ad Fidem. Tertiò probatur, nam in alijs rebus pertinentibus ad vitam corporis, licet sequi probabilem, relicta probabiliori: ergo etiam in rebus pertinentibus ad conscientiam & vitam animæ; melius enim debet consuli saluti animæ, quàm corporis. Quartò probatur, nam, vt dicebamus, etiam si sit minus probabilis, supponitur tamen esse probabilem practicè; ergo sunt principia intrinseca rationum, & extrinseca Doctorum, quibus possimus nos determinare ad illam; quia aliàs probabilis non esset: vnde implicatio est in dictis, dicere quòd sit probabilis practicè, & quòd illam non possit quis sequi. Quintò probatur, nam etiã si sit minùs probabilis, potest doceri in scholis à Doctore vt sequenda: ergo qui illam audit, potest sequi in praxi. Patet consequentia, nam aliàs esset perniciosum illam docere, & ponere offendicula audientibus, qui ex hoc faciliter sument occasionem vt talem opinionem exequãtur in praxi. Vltimò probatur, nam aliàs essent infiniti scrupuli Fidelium, vtrùm fecissent, vel nõ fecissent secundùm probabiliorem, vel minus probabilem; & homines probi & timorati semper sunt securi, si probabilem sequantur in quacunque materia vel contractu. *Not.* Notandum tamen, probabilitatem opinionis debere pensari pro tempore; potuit enim aliquãdo fuisse probabilis, modò verò nõ: vt si apud antiquos Doctores non fuit inspecta aliqua ratio, decretum, vel lex; modo autem inspecta, talis probabilitas consistere non potest; & è contra, potuit olim non esse probabilis Doctoribus repugnantibus modo autem probabilis esse, quia Doctores consentiunt ex cognitione alicuius quod antiqui ignorarunt. Pro tempore ergo quo quis est operaturus, debet esse probabilitas, & operans certus de probabilitate; nam si dubius sit de illa, vtrùm sit probabilis, vel non, sequendæ sunt regulæ de conscientia dubia suprapositæ. Hoc docet D. Thom. quodlib. 8. art. 13. si attentè legatur. *D. Thom.*

Ex dictis sequitur, hoc habere verum, non solùm respectu hominis particularis & illiterati, sed etiam respectu Doctoris, ipse enim potest sequi quamcunque opinionem, etiam minus probabilem, & contra illam quam ipse existimat veram; quia licèt in communi habeat formidinem de aliena opinione, in particulari tamen certitudinem habet illius, vt ait Caietanus tom. 1. opusc. tract. 31. responsione 13. hoc est, licèt habeat formidinem speculatiuam, quę est de ratione opinionis, habet tamen securitatem practicam, quod hic & nunc sibi liceat sequi opinionem alterius, etiam minus probabilem; quia licèt ad hoc non habeat principia intrinseca, habet tamen extrinseca, nempe authoritatem illorum qui contrariam sententiam sequuntur; & quia ipse scit certum esse licere sequi opinionem probabilem. Et hic est legitimus sensus Caietani, & non quem illi falsò attribuit Vazquez, vt suprà etiam diximus de dubio. *Corol.*

Secunda conclusio. Etiam iudex in sententijs ferendis potest sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, etiam contra propriam opinionem, dum modò probabilitas sit circa ius, non verò circa factum; quia circa factum tenetur sequi quod probabilius est. Pro cuius intelligentia notandum, quòd in hac re est prima sententia Magist. Soto lib. 3. de iustitia, quæst. 6. art. 5. solutione ad quartũ, fol. 264. quòd necessarium est semper iudicem iudicare secundùm probabiliorem opinionem, & non sufficit sibi sequi tantùm probabilem. Ponit enim discrimen inter iudicem ferentem sententiam quæ subditum obliget, & inter personã particularem in peculiaribus negotijs, quòd cùm iudex positus sit tanquàm lex & æquitas viua inter actorem & reum, vt ex iustitia reddat æquale; vt hoc faciat, non debet constituere victum eum quem vincit; quod faceret, si sequeretur opinionem minùs probabilem; quia qui pro sua parte habet probabiliorem sentẽtiam, vincens est; persona autem particu- *Caiet.* *1. Sent.* *Soto.*

laris cùm non sit constitutus inter duos, vt ex iustitia vtriq; reddat æquale, nulli facit iniuriam si sibi eligat commodiora, dum probabilia sint: sicut infirmus pro suo libito potest sequi in sui curatione opinionem probabilem, relicta probabiliori; id tamen medico non licet, sed tenetur applicare securiorem medicinam. Ita dicitur de iudice, & quòd hoc omnia iura clamãt, q̃ in partem æquiorẽ & mitiorẽ, etiã cæteris paribus, inclinet; & in opposito esset graue scãdalum; immò & hoc in residentia pro crimine ei imputaretur.

2. Sent. Secunda sententia est aliorum, vniuersaliter asserens de quocunque, etiam de iudice, quamcunque probabilem posse sequi, relicta probabiliori, dummodò nõ sequatur scandalum, quam ipsi probant, nam aliàs, si illam non licèt sequi, iam nõ est probabilis practicè; nam vt diximus, hoc est esse practicè probabilem, vt licitè possit sequi: si ergo supponimus semel illam probabilem esse, licitum erit sequi illam. Item quia iudex posset illam alteri consulere, & assessor cum quo innit consilium, potest sequi illam: quare ergo iudex non poterit illam sequi, quia non licet consiliari quod non licet facere

3. Sent. Vazquez. Tertia sententia est media, quam tenet Vazquez; distinguit enim de iudicibus supremis, ex quorum sententia non est fuga nec recursus, & de iudicibus particularibus, ex quorum sententia est recursus ad supremos. Dicit ergo, quòd iudex supremus probabiliorem debet sequi; quia eius sententia est firma; iudex verò inferior probabilem potest sequi, quia si probabiliorem sequatur, exponit se periculo vt nullius sit roboris, sed à superioribus retractetur, & aliquantulũ eius fama minuatur. Sed certè hæc sentẽtia nullam apparẽtiam habet: quod enim est inconueniens, vt eius sententia à superioribus retractetur? cùm hoc quotidie fiat sine discrimine bonæ famæ iudicum inferiorum. Eo vel maximè, quòd in sententia Magist. Soto posset ei responderi, potiùs famam acquirere integerrimi iudicis, quòd meliorem partem sequatur etiam cum discrimine retractionis superiorum. Item per hoc non euadit inconueniens quod adducit Vazquez; iudex enim inferior non scit qualem sentẽtiam habebit vt probabiliorem iudex supremus, vt confirmet vel retractet quam ipse profert, vnde semper est in eodem periculo; immò semper in maiori, quando non sequitur probabiliorem; quia si supremus tenetur sequi probabiliorem, vt dicit Vazquez, securior erit iudex inferior de confirmatione suæ sententiæ, quãdo probabiliorem fuerit sequutus, & si tantùm probabilem sequatur, timere poterit retractationem à superiori sequente probabiliorem; ad quod tenetur secũdum Vazquez.

Impugn.

Quarta ergo sententia media est, quã nos ponimus in ista conclusione. Pro cuius declaratione notandum, quòd probabilitas potest esse, vel de ipso iure circa intelligentiam legis, quia diuersimodè à diuersis Doctoribus explicatur: vel de facto, quæ attenditur ex parte testium, & instrumentorum, & probatione litigantium, quando ergo est inæqualitas, & altera probatio est maior, tenetur iudex sequi talem partem; quia pro illa est maior dignitas: vel si vtraq; probatio æqualis est, reditur causa dubia, & tunc debet sequi regulas de dubio suprapositas, vel debet iudicare pro reo, si est causa criminalis, vel pro possidẽte (cuius melior est cõditio) vel diuidere rem secundùm quãtitatem dubij. Loquimur ergo in præsenti de probabilitate iuris, & sic dicimus, posse sequi minùs probabilem, aut sequi alienam, relinquendo propriam; quia eadem est ratio adque de opinione probabili respectu aliorũ, quãm diximus posse sequi. *4. Sent. vera.*

Tertia conclusio. Licèt aduocatus possit patrocinari in ciuilibus pro altera parte, cui fauet opinio minùs probabilis, si tamen semel sit probabilis; non tamen in criminalibus, vbi agitur de vita vel fama, sed necessariò debet sequi tutam, vel probabiliorem; vnde sequendo minùs, vel æquè probabilem, peccat. Prima pars conclusionis communis est, quam docet Soto lib. 5. de iustitia, q. 8. artic. 3. Sylue-ster in Summa, & Summa Angelica, & Summa Armilla verbo, Aduocatus. Patetque rationibus suprapositis: idẽ enim probant de aduocato, & de alijs. Secunda pars conclusionis est etiam Magist. Soto. Contra illam tamen tenet Vazquez, dicit enim, eandem esse rationem, & solùm differre penes magis & minus, quòd agatur de vita, vel de bonis temporalibus. Eo vel maximè, quòd aduocatus nõ iudicat, sed tãtùm proponit ius vnius cuiusque, adducendo leges quæ illi possunt profi- *3. Conclu.* *Soto.* *Sylueſt.* *Sum. Arm.* *Sum. Ang.* *Soto.* *Vaquez.*

proficere; & mirum est, quòd pars læsa possit petere satisfactionem, & aduocatus non possit adiubare illam. Nostra nihilominus conclusio est tenenda, quia in moralibus alterius rationis est, agere de vita, aut de bonis temporalibus; in causa enim vitæ omnes tenentur ex charitate adiubare reum; & ad hác obligationē non debent aduocati esse exempti: quia omnia iura id clamant, quòd sit fauendum reo in dubijs; quanto magis stante opinione probabiliori pro ipso? verùm est, quòd aduocatus potest adiubare vt fiat satisfactio parti læsæ, & si possit aperire leges fauentes parti læsæ ad mortem, vel infamiam rei; non tamen inducendo iudicem vt ferat sententiam capitis vel infamiæ contra illum.

4. Concl. Quarta conclusio. Non semper est verum, quòd medicus possit sequi opinionem probabilem in curationibus, relicta probabiliori. Pro cuius intelligentia notandum, quòd circa aliquam medicinam diuersimodé potest esse opinio. Primò, vtrùm prosit, vel non prosit. Secundò, vtrùm prosit, vel noceat. Primo modo potest sequi quamcunque probabilem: Secundo autem modo, si nocumentum quod timetur, sit graue, peccabit mortaliter non sequendo partem tutam vel probabiliorem, vt docet Nauarrus cap. si quis autem, num. 58. & 66. & Adrianus quodlib. 2. & in 4. quæst. 5. de confessione, dub. 7. Hoc tamen debet intelligi, si aliud remedium potest adhibere sine tali periculo, nam si nullum aliud remedium suppetat, & ex hoc maius sit periculum moriendi, ex duobus malis minus est eligendum, & poterit adhibere tale remediū. Quam existimo esse sententiam Cordubæ lib. 3. quæstio. 9 & Syluestri verbo Medicus. Idem dicendum est, quando est dubium de effectu medicinæ, si enim solùm sit dubium, an prosit, vel non prosit, poterit facere quod maluerit: si verò dubium, an prosit, vel grauiter noceat, non potest medicinam applicare, nec facere experientiam cum periculo infirmi, si est aliud remedium quod applicare possit, nisi fortè infirmus iam sit desperatus vt alio remedio sanari possit; tunc enim istud poterit intentari. Et similiter etiam si sit aliud remedium, si tamen illud est ita pretiosum, quod infirmus non habeat vnde possit emere, vel nolit emere; tūc enim est quasi aliud remedium non esset.

Nauarro *Adrian.* *Cordub.* *Sylvest.*

Quinta conclusio. Rex non potest indicere bellum alteri Regi habenti possessionem pacificā, per hoc solùm quòd indicens bellū habeat opinionem probabilem; immò nec probabiliorem; sed moraliter debet esse certus quòd sibi tale Regnum debeatur, vel quòd Regnū vel Rex contrarius dederit sufficientem causam belli. Hanc docet Magister Victoria in relectione de iure belli, quæ est posterior, de Indis insulanis, num. 27. & sequē tibus, vbi tria dicit. Primò, non sufficere opinionem probabiliorem, vt vnus Rex alterū pacificè possidentem à suo Regno expellat. Secundò dicit, quòd Rex dubitans de possessione sui Regni, debet audire contrariā partē; vt si fortè illa audita, certò scire possit, Vtrùm Regnū sit propriū, vel non; & an teneatur illud tradere vel retinere. (Nā iudices sunt ipsi Reges in suis proprijs causis.) Quòd si adhuc dubius manet, nō debet tradere Regnū, quia in dubijs melior est conditio possidentis. Tertiò dicit, q̄ si neuter Rex sit in possessione, sed quia ius est dubiū pro vtroque, vterq; intendit illud occupare; tunc nō debet armis capi, sed iuxta quantitatē dubij inter vtrūque diuidi, vel ex cōsensu alterius partis occupādo totum, debet satisfacere quod alteri correspondebat, iuxta quantitatē dubij. Quapropter falsò existimat Vazquez, Victoriā habere contrariū nostrę cōclusionis, & nō est nisi fingere hostē quē feriat. Probatur ergo nostra cōclusio, nā bellū est actus iustitiæ vindicatiuę, vt in sua materia dicitur: ergo solùm potest inferri ab eo qui est iudex alterius cui infertur bellum; quia vindicta solùm potest fieri à iudice, & non authoritate priuata. Tunc vltra: Sed vnus Rex non est iudex alterius, nisi ob delictum alterius: ergo quandiu non est delictum ex parte alterius, iste nō potest infertre bellum illi, quandiu ille est in pacifica possessione, etiā si sit opinio probabilis vel probabilior contra ipsum, si nō est moralis certitudo; quia ad punitionem rei non sufficit probabilitas delicti, sed requiritur certitudo, maximè ad punitionē rei in causa mortis: per bellū autē non vna, sed multę mortes cōsequuntur. Secundò probatur, nam per se loquēdo, non potest dari bellū iustū ex vtraq; parte: hoc autem contingeret, si oppositum

5. Concl. *Victoria.*

nostræ

nostræ conclusionis esset verum : ergo. Probatur minor,nam cùm in dubijs melior sit conditio possidentis, alter pacifice possidens iustè se defendet ; si autem iste ex opinione probabili iustè aggreditur,iam dabitur bellum iustum ex vtra que parte. Tertiò probatur,quia, vt dixi mus,in dubijs fauendum est reo : sed cui indicitur bellum, habetur vt reus : ergo non stante certitudine, sed dubio, standum est pro illo, & condẽnandus est aggressor.

Corol. Ex quo sequitur, quòd si per vim armorum talis pacificè possidens à Regno expellatur,quandocunque potuerit,habet ius ad illud armis recuperandũ ; cùm in casu posito sibi certo constet de inuria recepta,quam potest per arma vindicare.

Obiectio. Et si contrafacias argumentũ, nam suprà diximus,Iudicem rectè procedere sequendo opinionem probabiliorem, & per illam reddentem possessionem vni; & quando est dubium, diuidendo inter vtranque partem:ergo similiter in præsenti,cùm in casu belli vnus Rex sit iudex alterius. Propter hoc argumentum

Bañez. Bañez 2.2 q.40.art. 2.dub.5.concluſ.4. tenet in casu diuidendum esse Regnum.

Solutio. Sed eius sententia non placet. Vnde ad argumentum respondetur,esse differentiam,quod in casu antecedentis ante litẽ erat Iudex, vt possit componere vtranque partem per diuisionem rei litigatæ, vel per possessionem vnius , & exclusionem alterius:in casu verò consequentis,vt diximus, vnus Rex non est iudex alterius, nisi suppositò priùs delicto alterius ; vnde quoadusque certò cognoscatur alterius delictum , quod est iniusta possessio, iste non potest exercere officium iudicis debellando.

Obiectio. Nec valet,si rursus arguas, quod probabilitas possidentis potest in tantum diminui, quòd alter iustè possit debellare.

Solut. Non(inquam) valet, quia quantumcunque minuatur, dum manet intra limites opinionis probabilis, non est conuictus reus , & sic nec alter constitutus iudex; quapropter neque per bellum ad vindictam potest procedere.

6.Concl. Sexta conclusio. Confessarius potest se conformare cum opinione probabili pœnitentis , relicta propria opinione, etiam probabiliori . Hæc est contra

Adrian. Adrianum quodlib. 2. quæstio. 3. fol. 38. vbi ponit conclusionem generalem, nulli vnquàm licere facere contra propriam opinionem , etiam Confessario: & Adrianum sequuntur multi Canonistæ . Probatque suam sententiam. Primò , nam talis operatur contra suam conscientiam , & existimat malefacere: ergo peccat illud faciendo;quia facere contra propriam conscientiam,peccatum est , vt suprâ diximus. Secundò probat , nam si ego habeam contrariam opinionem alicuius , non possum me conformare illi in verbis; quia hoc esset mendacium : ergo nec facto id possum facere ; nam etiam erit mendatium in opere. Tertiò probat ex illo Exodi 23. Non sequeris turbam ad faciendum malum , nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ , vt â vero deuies, vbi iuxta Hæbraicam veritem habetur, Non declinabis post Rabin ad malum , & non respondebis in iudicio post Rabin ad peccatum. Et in prima part. Rabin significat multitudinem : in secunda verò Magistros siue doctos. Sed qui contra propriam opinionem agit , deuiat à vero : ergo contradicit mandato legis , & similiter verbo Sapientis , Ecclesiastici 4. Pro anima tua non confundaris dicere verum. Et ibidem, Non contradicas verbo veritatis vllo modo , & demendatio ineruditionis tuæ confundere. Nihilominus nostra conclusio est tenenda. Et probatur , nam ille confessarius ex alia ratione practica potest exire in conclusionem , quòd hic & nunc sit licitum sequi opinionem probabilem alterius:ergo id poterit facere,quia iam non facit contra dictamen, sed potius iuxta illud quod habet , quòd hic & nunc est licitum sequi opinionem alterius , relicta propria . Antecedens verò probatur, nam potest facere hanc ratiocinationem ; Opinio probabilis licitè amplectitur à scientibus illam esse probabilem : sed ego scio huius pœnitentis opinionem esse probabilem: ergo licitè me possum conformare illi , & iuxta opinionem eius illum absoluere. Vbi notandum , quòd possumus loqui de confessario , vel ante auditam confessionem , vel posteà. Si sit anteà , potest sequi opinionem pœnitentis , non tamen tenetur ; quia potest non audire confessionem , nisi sit proprius parochus : post auditam verò non

Exodi 23.

Ecclesiast

Not.

rò non solùm potest, sed tenetur, quia cùm pœnitens possit sequi suam opinionem probabilem, in illo non peccat, & sic non apponit impedimentum absolutioni: tenetur ergo confessor post peccata audita sequi talem opinionem, quia non potest absolutionem denegare nisi ponenti impedimentum. Eo vel maximè quòd opinari, non semper est in nostra potestate & ratione alicuius impossibilis iniustum esset absolutionem denegare pœnitenti. Vnde ad argumenta Adriani faciliter respondetur. Ad primum, dicitur, non facere contra conscientiam; quia licèt aliàs habeat dictamen speculatiuum, quòd sua opinio sit probabilior; nihilominus practicè habet conscientiam & iudicium, licitum esse, sequi opinionem pœnitentis. Ad secundum, respondetur, quòd etiam si verbis conformetur opinioni pœnitentis, non peccat, nec mendax est; vt si dicat; Tua opinio modò est sequenda, & non mea, mentiretur autem si diceret; Ego non habeo opinionem contrariam, sed tuam; sed hoc non dicit, sed est ac si diceret: licèt meo videri opposita sententia esset sequenda, nihilominus iudico me teneri sequi tuâ, & non meam, & hoc verum est. Ad tertium respondetur, ibi loqui, quando quis est certus de veritate, non debere diuelli ab ea propter multitudinem aut turbam: non autem loquitur de illo, qui tantum probabiliter existimat esse veram suam sententiam.

7. Concluſ. Septima conclusio. Licitum est, etiam in materia Sacramentorum, etiam circa materiam vel formam illorum, sequi opinionem probabilem, si illa practicè sit probabilis, relicta probabiliori. Ista conclusio est contra Petrum de Soto lib. de institutione Sacramentorum, lectione. 2 & Alanum lib. 1. de Eucharistia, cap. 11. & Scotum in 4. dist. 11. q. 6. Pro intelligentia illius tamen notandum, quòd in ordine ad Sacramentum multa possunt considerari. Ex parte quidem materiæ, alia remotè, vt contractus, & alia quæ ad mores pertinent, vt peccata, & de huiusmodi iam diximus posse sequi opinionē probabilem, relicta probabiliori; quia quæcunque sequatur, nihilominus conficitur Sacramētum. Alia verò pertinēt proximè ad Sacramentum, vel ex parte materiæ, vel ex parte formæ, vel ex parte ministri, si loquamur ex parte ministri, certum etiam debet esse, quòd si circa iurisdictionem illius sequatur opinio probabilis practicè, nullum est inconueniens; vt si est opinio, si confessarius expositus in vno Episcopatu, possit per bullam Cruciatæ absoluere in alio Episcopatu: vel si per aliquod priuilegiū possit absoluere, vel non absoluere: quęcumque ex duabus opinionibus sequatur, nullum est inconueniens; quia de facto sacramentum valet; nam etiam si in re nō sit vera illa opinio quam quis sequitur, nihilominus suppletur iurisdictio ab Ecclesia in tali casu; quia cum errore facti iudicandus est in ministro verus titulus, & facta, ab Ecclesia approbari, ex lege Barbarius. ff. de officio Prætoris; de quo videatur Caietanus in Sūma, verbo Absolutionis impedimentum. Si autem loquamur de materia & forma Sacramēti, tunc quidem loquēdum est sub distinctione: si enim habeamus certum & securum quid sit faciendum, non licet sequi oppositum, regulariter loquendo, & nulla stante necessitate; & tunc probabilitas oppositi iudicanda est speculatiua, & nō practica. Verbi gratia, est certa & secura forma Baptismi; Ego te baptizo in nomine Patris & Filij, &c. licèt sit probabile, esse sufficientē, in nomine Genitoris & Geniti, &c. non licèt in praxi baptizare sub illa; quia talis probabilitas iudicanda est speculatiua, stante certitudine veræ formę. Similiter est certa materia Eucharistię panis triticeus; nō licèt in praxi cō secrare in pane confecto extypha, licèt probabilissimū, & ferè certū sit, esse materiā sufficiētem; quia stanti certitudine materiæ, ista probabilitas iudicanda est speculatiua; si autem non sit ex vna parte certitudo omnimoda, sed ex vtraque parte probabilitas, tunc quidē potest sequi probabilem practicè, relicta probabiliori, vt verbi gratia, in materia confessionis est opinio vtrùm sufficiat attritio cognita, vel requiratur existimata cōtritio; tunc quidem quācunq; potest sequi; nam si in re ponitur attritio, quòd cognoscatur attritio, vel existimetur contritio, non tollit realem dispositionem attritionis requisitæ, & ex alia parte non apponit impedimentum, cùm sequatur opinionem probabilem, & in illo non peccet; quapropter verum conficitur Sacramentum. Immò dico, quòd etiam

si in

si in re non sequeretur Sacramentum, licitè tamen sequebatur talem opinionem, non stante certitudine contraria, vt diximus; quia si propter aliquam rationem non liceret sequi talem opinionem, maximè ne Sacramentum esset nullum: hæc autem ratio nulla est, quia etiam si sequatur opinionem oppositam, nō manet de veritate sacramenti securus; quia multa falsa sunt probabiliora veris, & forsitan Sacramentum fieret, si minus probabilem opinionem sequeretur.

Not. Notandum tamen, ideò dixisse, quòd stante certitudine materiæ vel formæ, non potest sequi opinio, & quòd probabilitas eius iudicanda est speculatiua, regulariter loquendo, & si nulla interueniat necessitas; quia in aliquo casu potest fieri oppositū ex necessitate. Verbi gratia, si in aliqua prouintia esset typha, & non triticum, nec aliunde asportari posset, posset sequi opinio probabilis, & consecrare in illo pane. Similiter si alicui imineret mors, si non baptizaret in nomine Genitoris, & Geniti, &c. posset sequi opinionem probabilem, vt illud periculum euaderet, dummodò illa communicatio non esset in irrisionem Fidei, vel vt nouus ritus introduceretur in Ecclesia; nam tunc tenebatur etiam mortē subire.

Not. Item notandum, hoc quod diximus de sequenda parte certa, & non tantùm probabili, strictiùs debere seruari in Sacramentis de necessitate salutis; vt in Baptismo; nam in Confessione, verbi gratia, quando ex sequella alicuius opinionis probabilis Sacramentum esset nullum, in sumptione Eucharistiæ, vel in altera confessione rite facta, cùm cōferatur gratia, resarcitur defectus præcedentis; nec tamen in posteriori confessione tenetur reiterare præcedentem, si fecit illam iuxta opinionem probabilem; nisi fortè sibi certò constaret de nullitate præcedentis; in Sacramento autem Baptismi (verbi gratia) strictius obligat sequi partem certam; quia si Sacramentum fiat nullum, damnum est irreparabile, maximè si fiat in puero, vel in periculo mortis, post quod non expectatur tempus remedij.

Corolar.1. contra Vaz quez. Ex quo sequitur, quòd in tali casu, quando quis cōficit Sacramentum sequendo partem probabilem relicta certa in casu irreparabilitatis damni, vel aliàs, non tantùm peccaret contra Charitatem recipientis Sacramentum, sed etiam peccato irreligionis, contra præceptum diuinum de integritate Sacramenti. Hoc dixerim contra Vazquez, qui dicit, in illo casu teneri ad partem certam, & non posse sequi probabilem ex damno quod infert proximo, quod quidem tenebatur vitare ex Charitate; non autem peccare contra reuerentiam Sacramenti. Hoc mihi non placet, quia non minus obligat præceptum de integritate Sacramēti, quàm præceptum Charitatis proximi; quapropter contra vtrunque peccat.

Secundò sequitur, idem esse dicēdum *Corol.2.* de his quæ immediatè pertinēt ad ipsam substantiam vitæ spiritualis, nimirum quòd tenetur, sequi partem certam, & non potest sequi probabilem; vt si alicui Gentili prędicetur Fides nostra, & simul secta Platonis, iam propositis sufficiētibus motiuis, & sibi apparēte veriori nostra Fide, licèt probabilis appareat ei alia secta, non potest illam sequi; & si sequatur, iam non solùm erit infidelis negatiuè, qualiter esset ante sufficiētia motiua, sed erit infidelis contrariè; quia posita maiori probabilitate per motiua sufficientia, iam non excusabitur per ignorantiā à præcepto Fidei sufficienter proposito. Idem debet dici in materia Doctrinæ; si enim aliqua doctrina sit certa, licèt opposita videatur probabilis, si tamen de illa timetur aliqua censura, nō potest illā sequi; sed debet habere eam quæ certa est.

Ad primum argumentū à principio, *Ad 1.arg.* patet ex dictis qualiter qui sequitur opinionē probabilē practicè, nō est dubius, sed certus; quia licèt opinio non sit certa, est tamen certum illam posse sequi.

Ad secundum argumentum respon- *Ad 2.arg* detur, quòd licèt aliquis simul non possit iudicare vtranque opinionem veram, sed quando vnam iudicat veram, alteram existimat falsam; nihilominus potest adhærere alteri, oppositæ illius quam existimat veram; si nō per principia intrinseca, tamen per extrinseca, vt dictum est. Neque est aliqua oppositio in eo quòd adhæreat vni per intrinseca, & oppo- *Ad confir.* sitæ per extrinseca. Ad confirmationem respondetur, Diuum Thomam loqui de formidine contrariæ partis causante dubium; non autem de formidine opinionis, quæ non tollit determinari ad alteram partem, siue per intrinseca, siue per extrinseca.

Ad ter-

Ad 3. arg. Ad tertium argumẽtum, iam patet ex secunda conclusione, qualiter iudex possit sequi opinionem probabilem, & quãdo id ei non liceat. Ad

Confirm. confirmationem respondetur, quòd licèt dignus respectu dignioris sit indignus; nihilominus tamẽ opinio probabilis, respectu probabilioris, nũ erit improbabilis; differẽtiaque cõsistit in eo, quia dignitas vel indignitas, tenet se ex parte facti; vnde hic & nunc non est dignitas, vbi est maior dignitas: at verò probabilitas tenet se ex parte iuris; vnde semper probabilis retinet suam probabilitatẽ; immò per hoc dicitur probabilis, quia incomparatione ad quamcũque, semper retinet sufficiens fundamentum; quod non habet dignus, quia licèt habeat æqualitatem in ordine ad præbendam, non tamen in ordine ad digniorem; vnde in ordine ad illũ indign⁹ iudicatur.

DVBIVM VII.

Vtrùm sit licitum facere contra conscientiam scrupulosam.

ANtequã difficultas huius dubij aperiatur argumentis, priùs oportet aliqua scire. Primò quidem, quid sit scrupulus, & quotuplex. Secũdò, quæ sunt causæ & radices, vnde scrupuli manare solent. Tertiò, qui sint effectus scrupulorum. Quartò, quæ, & quot, & qualia sint remedia, & medicinæ contra scrupulos. De primo quidem dicimus, quòd scrupulus, est suspicio, formido, aut motio ex leuibus, vel apparentibus rationibus transfertur enim hoc nomen Scrupulus, â Lapillo lædente pedem, & inde dicitur, inijcere scrupulum, qui est remorsus conscientiæ. Sic ergo scrupulus, duplex est. Alius sumitur pro omni hæsitatione vel formidine, seu dubitatione,

Gerson. illius, cuius oppositũ magis existimatur verum à dubitante. Sic Gerson, vt refert Adrianus quòdlib. 2. fol. 28. Alius verò est scrupulus sumptus tantùm pro hęsitatione aut formidine, vel timore, ex leuibus & parum apparentibus irrationabiliter assumpta, vt diximus. Quantum ad secundum, scrupuli ex duplici parte proueniunt. Aliquãdo ex parte appetitiua: aliquando verò ex Intellectu. Ex parte quidem appetitus per nimium timorẽ; ex parte verò Intellectus, per ruditatem, vel optusionem, vel pertinatiam in non credendo, & non subijciendo Intellectũ; timent enim vbi non est timor, & simul ignorantes rationem, credere nolunt. Ille autem timor in appetitu, & ruditas vel pertinatia in Intellectu, ex multis causis prouenire possunt, quas non est opus hic recensere omnes; aliquando enim ista proueniunt ex praua vita prẽterita, vt dicitur Sapient. 17. Frequenter enim occupant pessima, redarguente conscientia; Cùm sit enim timida nequitia, dat testimoniũ cõdẽnata; semper enim præsumit sæua perturbata cõscientia. Vt enim ex præcedentibus patet, etiã appetitus sensitiuus mouet & perturbat Intellectũ, ita vt propter passionẽ vehementẽ rectè iudicare non possit. Quapropter inquit Arist. ꝙ amãtes facili similitudine mouẽtur, & iudicant pulchrum, quod est turpe & deforme; pauidi etiã & timidi rem parũ nociuam existimant valde timẽdã, magnũque nocumentũ illaturam; & sic habet verũ illud, ꝙ qualis vnusquisque est, talis finis sibi videtur, quia iudicat sicut est dispositus. Sic ergo scrupulosi rẽ leuẽ & quæ ferè nullã apparentiam malitię habet iudicant vt magnũ malum. Ista autem maximè fouentur ex dispositione corporea, nẽpe est melancholia terrestri & tristi, prouenienti vel ex ęgritudine frigida & sicca, vel ex abstinentijs & vigilijs, vel ex societate & cõmunicatione scrupulosorũ, vel ex diabolica illusione, Videatur D. Greg. super illud, Nerui

Sap. 17. *Arist.* *D. Greg.*

testiculorũ eius perplexi sunt, quod suprà attulimus. Secunda causa, vnde hæc nutriri solent, sunt quædam rationes apparentes, quibus scrupulosi vexantur; vt quòd in dubijs tutior pars est eligẽda, & quòd tutius est, iterũ confiteri, vel horas canonicas recitare. Item quòd, vt dicitur Eccles. 3. qui amat periculum, peribit in illo; & quòd incedere per viam laxiorẽ, est periculum amare. Item quod vt dicit D. Greg. Bonarũ mentium est ibi culpã agnoscere, vbi culpa nõ est. Item sibi apparet vt bona ratio, quod si essent in periculo mortis, hoc nõ facerent, nec sic vellent mori, & ideò quod modò id etiã non est faciendũ. Tertia causa scrupulorũ est quædam proteruia, seu pertinatia Intellectus nolentis deponere conscientiã per arbitriũ & sententiam viri docti; inditiũ enim est superbiæ, nolle fidem adhibere, nec velle captiuare intellectum in obsequium

Eccles. 3. *D. Greg.*

quiũ Christi. Quarta causa est, ignorãtia error in duobus. Primó incertitudine quam quærunt, Secundò in perfectione quam appetunt; non enim callent, quòd in moralibus non est certitudo Mathematica, sed solúm moralis, & probabilis ratio; & putãt, quòd omnia opera, debẽt esset ita perfecta, vt nihil eis deficiat: quod in hac vita vsque ad futuram esse non potest. Quantum ad tertium, effectus quos parere solent scrupuli, multi & pessimi sunt. Primus quidem fallacia quædam, per quã, accipiunt rationes apparentes tanquàm demonstrationes. Secũdus effectus est, totam agere vitam in mœrore & afflictione spiritus; quia cùm in omni negotio humano non possit esse certitudo, neque perfectio possit in quolibet opere particulari inueniri, consequenter totam vitam transigunt in mœrore & tristitia, quærendo certitudinem & summam perfectionem. Tertius effectus est, scrupulosos iudicare, esse impossibile ferre talem vitam longo tempore, & seruare legem Christi, quia, vt sibi apparet, ablato vno peccato, centum pullulant ex alia parte: quapropter ex tali iudicio veniunt indesperationem, & velut iam damnati perpetrant mala, vel quasi certi de sua condemnatione, per abrupta procedunt, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus, & iugum suauissimum Christi, sibi faciunt asperrimum, & onus leue, faciunt importabile, & impossibile; vnde, vt credo, dicebat *D. Bernar.* Bernardus: Pusillanimitas parat perturbationem, & turbatio desperationẽ, desperatio verò interimit. Quãtum ad quartum cognito morbo, non est difficile parare medicinam; ostendimus enim causas & effectus illius, quod est perfectam cognitionem rei habere, & sic in remedio est procedendum contra causam desumptam ex præteritis. Fortè erit conueniens semel integram & puram & vniuersalem facere confessionem, cum proposito & animo hylari (in oratione obtento) nunquàm recedendi à Deo prædulci amico non paranti offendicula vt quis cadat. Contra prauam dispositionem corporis, necessum est consulere Medicos ad euacuandam melancholiam, & vti bonis cibis & nutrimento salubri, vt bona complexio & sanguis gignatur, versaríque rebus lætis, bonamque conuersationem & societatem prudentium habere. Contra timorem autem diuinæ offensæ & rationes apparentes oportet scrupulosum allicere in spem diuinæ misericordiæ; siquidem miserationes eius super omnia opera eius; ostendendo etiã exemplis & bonis rationibus & authoritatibus sacris, quòd non est nimium fidendum iustitiæ nostræ, sed potissimum Dei misericordię, & quòd nullius est qui non peccet; atque etiam quod est maxima Dei erga nos benignitas & amor; quo medicamine vsus est Apostolus ad Rom.8. vt consolaretur timidos, dicens: *Ad Rom.8.* Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodò non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat; quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est; immo qui & resurrexit, qui & est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis nos separabit à Charitate Christi? &c. Ecce qualiter perfecta Charitas foras mittit timorem. Et illis rationibus apparentibus facilis potest adhiberi responsio, quòd non semper tenemur facere tutius & securius, sed sufficit facere tutum; nec se exponit periculo, quis non admittendo illas rationes debiles, quando animus rationabiliter firmatur in contrariam partem; & si bonarum mentium est culpam timere, vt faciebat Iob, non tamen vt per hoc ab operatione quis cesset; neque etiam in vita oportet multa facere, quæ in morte sunt necessaria; quia aliàs ista cogerent hominem infatuari aut desperare; quare securum erit viris aliâs non nimis idiotis, sed prudentibus & timoratis, nisi ratio clara conuicerit, aut satis probabilis, non reputare peccatum mortale id quod scrupulus dictat. Alijs etiam causis facile est remedium adhibere, credendo sapientibus, & illos consultando; quia cùm scrupulosus non possit veritatem perspicere, optimum remedium est, propriam non habere sententiam, sed sicut cæcus sinere se ab alijs duci, ita scrupulosi faciant, intelligentes quod per humilitatem aperientur oculi eorum, nam nimis inflata facies claudit oculos. Item scrupulosus debet remouere imaginationem ab his ex quibus oriuntur scrupuli. Item saluberrimum consilium

est,

est, frequenter facere contra scrupulum, asserendo contra ipsum vt si proponitur, an aliquid fuerit peccatum mortale, vel vt úm illud deliberatè egerit, an verò si illud est confessus, semper respondeat sibi ipsi, illud peccatum non esse, nec illud deliberatè commisisse, & iam illud confessum esse: quæ tamen moraliter sunt intelligenda, quia sic pro sumitur esse verum in scrupulosis, nam in alijs laxioris conscientiæ, potius oppositum est præsumendum. His suppositis, ad dubium respondetur per sequentes conclusiones.

1. *Conclusio* Prima conclusio. Sic scrupulus accipiatur pro quacunque formidine, etiã si oriatur ex rationabilibus & iustissimis causis, non semper licèt agere contra talem scrupulum, nisi quando oppositum ad scrupulum, est tutum & securum, nec nociuum tertiæ personæ. Verbi gratia, habet quis opinionem, quòd sit licitum possidere plura beneficia, quia putat, Papam esse dominum beneficiorum, sicut docuerunt plures Canonistæ; sed ex alia parte formidat hoc non esse satis tutum; quia videt se non posse rectè ministrare vtrique beneficio; tunc non debet agere contra talem scrupulum, sed potius tenetur se amplius informare, & alterum relinquere. Secundum exemplum sit. Præcipit Prælatus alicui subdito, vt reuelet crimen alicuius personæ notabiliter grauis & vtilis Reipublicæ; interrogatus tamen habet opinionem quòd iuste præcipiat Prælatus: similiter habet probabiliter notabilem formidinem, quod iniustè præcipiat: tunc quidem non est sanum consilium facere contra scrupulum, sed potius obtemperare illi, & celare testimonium; nam periculum graue personæ dignissimæ est in causa vt in moralibus formido præponderet opinioni, vt docet Soto relectione secreti, membr. 3 quæst. 2. iuxta 3. conclusionem. *Soto.*

2. *Concl.* Secunda conclusio. Si scrupulus accipitur pro formidine orta ex rationibus apparentibus, & etiam rationabilibus; si tamen pro alia parte habeatur opinio & assensus probabilis moraliter, tunc licet agere contra scrupulum, & sequi opinionem probabilem; vt si quis habet opinionem se integrè confessum fuisse, non tenetur propter formidinem contrarij iterum confiteri, aut abstinere à communione, vt docet Altisiodorensis & Adrianus quodlibet. 2. fol. 28. & Gerson tractatu de pœnitentia, & tractatu de præparatione ad Missam. Patetque manifestè ex supradictis de opinione probabili sequenda, in præsenti autem formido scrupuli non extrahit oppositum ab opinione probabili. *Altisiodo. Adria. Gerson.*

Tertia conclusio. Si scrupulus accipiatur, vt communiter solet accipi, pro formidine, & pauore timidorum, qui nesciunt quare formidant, non solùm est licitum facere contra scrupulum, sed animandi sunt, vt faciant cõtra ipsum; quia talis pauor temerarius est & sine ratione, & vt dixi, in hac acceptione propriè accipitur scrupulus: sed de his amplius videatur Caietanus opusculo super septem quæsita à Contadu, responsione 7. vbi docet qualiter scrupulus si sit speculatiuus, licet agere contra illum. Quod patet à fortiori; nam, vt diximus, licet etiam agere contra dubium speculatiuum: quando autem scrupulus fuerit practicus, non licet agere contra illum. In quo tantum intendit Caietanus, quòd vt in praxi operetur contra scrupulum, debet illum deponere. Et in hoc differt scrupulus ab opinione & dubio, quia vt deponat scrupulum, non eget tanta consultatione, sicut vt deponat dubium vel opinionem, sed ex sua mediocri prudentia potest scrupulum deponere. Item non est necesse omnino reijcere scrupulum vt agat contra illum, sicut necesse est omnino reijcere dubium, quia rarò contingit in scrupulosis, vt operentur excluſa omni formidine contraria; quapropter ad Rom. 14. non dicitur, Formidanti, illicitum est illi; sed existimanti, illicitum est illi, &c. Et sanctissimus Iob, cum tali formidine operabatur, cùm ait cap. 9. Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parcis delinquenti. Et ad Philippen. 2. Et à Diuo Petro id consulitur; Cum metu & tremore vestram salutem operamini. 3. *Consl.* *AdRom. 14* *Iob. cap. 9.* *Philip. 2.*

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Voluntatis bonitas in his quæ sunt ad finem, dependeat ex intentione finis.

AD *septimum sic proceditur. Videtur quòd bonitas Voluntatis non dependeat ex intentione finis. Dictum est enim suprà,* * *quòd bonitas Voluntatis dependet ex solo obiecto: sed in his quæ sunt ad finem, aliud est obiectum Voluntatis, & aliud finis intentus: ergo in talibus bonitas Voluntatis non dependet ab intentione finis.*

2.d.38.a.4 ad 4 & art. 5.corp.& d. 40 art 2.& in expo. lib. 2.

2. Præterea Velle seruare mandatum Dei, pertinet ad Voluntatem bonam: sed hoc potest referri ad malum finem, scilicet ad finem inanis gloriæ vel cupiditatis, dum aliquis vult obedire Deo propter temporalia consequenda: ergo bonitas Voluntatis non dependet ab intentione finis.

3. Præterea. Bonum & malum sicut diuersificant Voluntatem, ita diuersificant finem: sed malitia Voluntatis non dependet à malitia finis intenti; qui enim vult furari, vt det eleemosynam, voluntatem malam habet, licèt intendat finem bonum: ergo etiam bonitas Voluntatis non dependet â bonitate finis intenti.

Sed contra est quòd Augustinus dicit, 9. Confes. quòd intentio remuneratur à Deo: sed ex eo aliquid remuneratur â Deo, quia est bonum: ergo bonitas voluntatis ex intentione finis dependet.

Respondeo, dicendum, quòd intentio dupliciter se potest habere ad Voluntatem. Vno modo vt præcedens. Alio modo vt consequens. Præcedit quidem causaliter intentio Voluntatem quando aliquid volumus propter intentionem alicuius finis, & tunc ordo ad finem consideratur vt ratio quædam bonitatis ipsius voliti; puta cum aliquis vult ieiunare propter Deum, habet enim ieiunium rationem boni, ex hoc ipso quòd fit propter Deum; vnde cùm bonitas Voluntatis dependeat â bonitate voliti, vt suprà dictum est, * *necesse est quòd dependeat ex intentione finis. Consequitur autem intentio Voluntatem, quando accedit Voluntati præexistenti; puta, si aliquis vellet aliquid facere, & postèa referat illud in Deum, & tunc primæ voluntatis bonitas non dependet ex intentione sequenti, nisi quatenus reiteratur actus Voluntatis cum sequenti intentione.* Ar.1.& 2.

Ad primum ergo, dicendum, quòd quando intentio est causa volendi, ordo ad finem accipitur vt quædam ratio bonitatis in obiecto, vt dictum est. * In corp.art.

Ad secundum, dicendum, quòd Voluntas non potest dici bona, si sit d *intentio mala causa volendi;* D.232. 818. 1200.

lendi; qui enim vult dare eleemosynam propter inanem gloriam consequendam, vult id quod de se est bonum sub ratione mali; & ideò prout est volitum ab ipso, est malum; vnde Voluntas eius est mala: sed si intentio sit consequens tunc Voluntas potuit esse bona, & per intentionem sequentem non depraua tur ille actus Voluntatis qui præcessit, sed actus Voluntatis qui iteratur.

Ad tertium, dicendum, quòd, Ar. 6. ad. 1. *sicut iam dictum est, * malum contingit ex singularibus defectibus; bonum autem ex tota & integra causa: vnde siue Voluntas sit eius quod est secundùm se malum, & sub ratione boni, siue sit bona sub ratione mali, semper voluntas erit mala, sed ad hoc quòd sit voluntas bona, requiritur quod sit boni sub ratione boni, id est, quòd velit bonum, & propter bonum.*

1. Concl. Prima conclusio. Quando intentio finis præcedit electionem, ita vt sit causa illius, tunc bonitas electionis dependet

2. Concl. ex intentione finis.

Secunda conclusio. Quando intentio finis consequitur ad electionem, tunc bonitas electionis non dependet ex intentione finis sequenti, nisi quatenus reiteratur actus Voluntatis cum sequenti intentione.

DVBIVM I.

Vtrùm bona intentio vitietur ex praua electione.

1. Sent. Lorca. IN HAC re est prima sententia, quam tenet Lorca hic disputat. 42. membr. 2. vniuersaliter negans, aliquam bonam intentionem posse vitiari ex praua electione. Hæc sententia:

Probatur primò. Talis intentio supponitur secundùm se & ex proprio obiecto esse bonam: ergo nulla ratione potest effici mala ex praua electione. Patet consequentia, quia actus non potest esse malus nisi ex proprio obiecto, vel ex circunstantia; praua autem electio non solùm non est obiectum, sed nec circunstantia: ergo nullatenus potest vitiare intentionem. 1. Arg.

Secundò probatur. Si sit præceptum dandi eleemosynam, sufficienter adimpletur, etiam si ad illam elargiendam quis furatus fuerit: ergo actus intentionis eleemosynæ non vitiatur ex praua electione furti. Patet consequentia, quia per actum peccaminosum absurdum videtur dicere quòd quis adimpleat præceptum. 2. Arg.

Tertiò probatur. Ille actus intentionis eleemosynæ, etiam ex furto, verè est in specie eleemosynæ: ergo simpliciter est bonus. Consequentia patet, nam eleemosyna in sua specie intrinsicè est bona. Antecedens verò probatur, quia verè subleuatur proximus à miseria. 3. Arg.

Quartò probatur. Ille actus intentionis eleemosynæ non dependet à furto: ergo non est malus ratione furti. Consequentia patet, quia quod vitiat actum, debet esse causa illius. Antecedens verò probatur, quia contingit, quod qui furatur ad eleemosynam, habeat aliàs bona ex quibus posset elargiri pauperi: non ergo dependet eleemosyna à furto. 4. Arg.

Quintò probatur. Intentio secundùm se est prius natura quàm electio: ergo non sumit malitiam ab illa. Patet consequentia, quia prius non dependet à posteriori, vnde quando aduenerit electio, iam intentio erit in sua specie boni completa. Confirmatur, nam hac ratione falsitas conclusionis non redundat in principium, si principium secundùm se erat verum, sed tantum reducitur in malitiã paralogizantis; quia principium prius se habet ad conclusionem. 5. Arg.

Sexto arguitur. Si propter aliquam rationem talis intentio vitiaretur, maximè quia est causa prauæ electionis: sed hoc est falsum: ergo. Probatur minor, quia supponitur esse bonam intentionem: ergo non potest esse causa mali. 6. Arg.

sa mali. Patet consequentia, quia sicut verum non potest esse causa falsi, ita nec bonum potest esse causa mali.

Confir. Confirmatur ex illo Matthæi 7. Arbor bona bonos fructus facit; mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere; vbi nomine arboris intelligitur intentio, nomine verò fructus intelligitur electio. Asserit ergo, bonam intentionem non esse causam pra uæ electionis. Idem dicitur Matth.6 Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Vbi nomine oculi intelligitur intentio, & nomine corporis electio, vt communiter explicant Doctores sancti, vt suprà diximus, præcipuè Augustinus tomo 4. lib. 2. de sermone Domini in monte: vnde est ac si diceret, bonam intentionem prauæ electionis causam existere non posse: & super prædictum locum videatur Diuus Chrysostomus in Imperfecto hom. 19. vbi dicit; Ex proposito bono, etiam quod videtur malum, bonum est; quia propositum bonum malum opus excusat: malum autem opus bonum propositum non condemnat; & hac ratione excusat ille Moysem, quando occidit Ægyptium, quia licèt opus esset malum non seruato ordine iustitiæ, erat tamen bona intentio. Et eadem ratione excusat à peccato Iacob, quando Genesis 33. aliud habebat in corde & aliud exteriùs loquebatur, dicens ad fratrem suum: Sic enim vidi faciem tuam, quasi viderem vultum Dei. Et D. Ambros. lib. 1. Officiorum cap. 30. sic dicit: Nec illa est perfecta liberalitas, si iactantiæ causa magis, quàm misericordiæ largiaris. Affectus tuus nomen imponit operi tuo. Quid clarius, vt doceant intentionem non vitiari ex praua electione, sed potiùs multoties illam excusare? nec posset dici esse causam illius. Si respondeatur, bonum non posse esse causam per se mali; bene tamen causam per accidens ex malitia operantis. Contra arguitur, nam esse effectum per accidens, non est verè esse effectum, nec influxum habere à tali causa: ergo non potest in illam refundere propriam malitiam, sed tantùm in operantem, cuius est effectus.

Matth.7. *Matth.6.* *D.Aug.* *D.Chrys.* *Genes.33.* *D.Ambros.* *Respon.* *Impugn.*

Secunda sententia est, quam refert Magist. in 4. distinct. 40. in fine, & probabilem censent D. Bonauent. ibidem artic. 1. quæstio. 1. Richardus artic. 1. quæstio. 2. Gabriel quæstio. vnica, artic. 1. notabili 2. & artic. 2. conclus. 3 & hanc sequitur Vazquez distin. 68. capit. 1. dicit enim, quòd actus circa finem, vel potest esse circa finem secundùm se, vel circa finem in ordine ad media: & hoc dupliciter, vel in ordine ad media inconfuso, aut verò in ordine ad medium determinatè malum, siue in recto, siue in obliquo respiciat illud. Dicit ergo, quòd actus circa finem secundùm se vel in ordine ad media inconfuso, non vitiatur ex praua electione: si verò respiciat medium determinatè malum, ex praua electione talis medij vitiatur illa intentio. Sed certè hæc sententia licèt ex parte, non tamen in integrum attingit verum, nihil enim interest respicere media inconfuso, vel in particulari, vt intentio sit mala; sed, vt statim dicemus, si intentio est causa prauæ electionis, ipsa intentio est mala; sin autem, minimè. & etiam impropriè loquitur, vocans intentionem actum circa finem secundùm se; ille enim tantùm est simplex volitio; nam intentio necessariò importat ordinem ad media, vt suprà diximus.

2. *Sent.* *Mag.* *D. Bonau.* *Richard.* *Gabriel.* *Vazquez.*

Tertia sententia est Medinæ hic, distinguens de intentione, quòd vel necessitat ad malam electionem, vel non. Si primum, ipsa intentio efficitur mala in se ipsa, malitia electionis, licèt aliàs sit de bono fine; in hoc enim conueniunt communiter Thomistæ, in 2. distin. 38. & idem tenet Almayn tractatu 1. moralium, capit. 11. idque docet August. tomo 1. lib. de moribus Manichæorum, capit. 13. & tomo 8. super Psalm. 118. vbi elegantèr loquitur de hac re; & infrà ostenditur quæstio. 71. qualiter id quod est causa moralis malæ electionis, per se loquendo, in se ipso est malum. Ratioque est manifesta, nam, vt dicit Aristot. 7. Ethicor. capit. 8. sic se habet intentio, & electio, sicut principium & conclusio in speculabilibus: sed quando ex aliquo principio infertur conclusio falsa, non ex par

3. *Sent.* *Medina.* *Almain.* *D. Aug.* *Arist.*

ex parte paralogicantis, sed ex parte ipsius principij, ꝙ est inferri & esse causam per se; tunc principium absolutè est falsum: ergo quando ex vi intentionis, & non solùm per accidens ex malitia operantis sequitur praua electio, ipsa intentio erit mala. Secundò autem dicit Medina, quòd si intẽtio boni finis non est causa necessitans ad prauam electionem, sed per accidens & liberè sequitur; tunc intẽtio non efficitur mala in se ipsa. Hoc dictum etiam putat commune inter Thomistas; immò & ipsius D Thom. in 2. distin. 38. quæst. vnica, art. 5. & distin. 40. art 2. & q. 20. sequenti, ar. 2. concedentis, dari aliquando bonam intentionem simul cum praua electione, quod verificari non potest, nisi quando intentio non est causa necessitans ad prauam electionem, sed tantùm causa per accidens illius. Denique hoc dictum probat argumentis primæ sententiæ. *D. Tho.*

Not. 1. Pro intelligentia notandum, in præcedentibus egisse D. Thom. de bonitate, & malitia actus interioris absolutè, siue sit intentio, siue electio: ab isto vero articulo incipit conferre intentionem cum electione, vt sciamus quid habeat intentio ab electione, & è contra, quid electio ab intentione. Omittimus autem cõparationẽ medij ad finẽ, & qualiter electio ab intentione vitiari possit: quia de hoc egimus supra, interrogantes vtrùm species moralis sumatur à fine; explicauimus enim, qualiter actui attingenti medium, cõmunicetur bonitas vel malitia finis, aliquando essentialiter, aliquando verò accidentaliter: vnde si intentio mala est, non dubium quin & electio sit mala: & similiter, etiam si duos fines respiciat, alterum bonum, & alterum malum, ipsa electio est mala; quia malum ex quocunque defectu; quod quidem intelligitur, quando actus circa medium ordinatur ad talem finem malum, non autem aliàs; potuit enim actus circa medium antea elicitus non ordinari ad finem malum, postea verò ordinari ad illum, tunc quidem actus circa medium, anteà elicitus, semper manet bonus; efficitur autem malus qui postea elicitur cum ordinatione ad malum finem, subitò enim actus mutatur, & est diuersus à priori; quia, vt suprà diximus, idem actꝰ numero in esse naturæ, non potest successiue esse bonus & malus. Restat ergo modò disputandum de comparatione finis ad media, & qualiter intentio ab electione vitiari possit. Pro quo.

Secundò notandum, quòd, vt suprà diximus, in medium & finem potest quis ferri dupliciter. Vel vnico actu in vtrumque: vel altero circa medium, altero verò circa finem. Primo modo nõ est difficultas; sic enim idem met actus attingit malũ finem, etiam si aliàs attingat bonum medium, actus erit malus propter attingentiam mali; quia malum ex quocunque defectu: restat ergo difficultas posteriori modo, cùm sint diuersi actus, qualiter malitia vnius possit in alterum refundi. *Not. 2.*

Conclusio ergo sit. Quandocunque intentio est causa prauæ electionis, siue per se, siue per accidens, si verè est causa illius hic & nunc & in exercitio, ipsa intentio efficitur mala in se ipsa. Hæc videtur mens D. Thom. in isto articulo, dicit enim, quòd si intentio præcedit, communicat bonitatem vel malitiã electioni, nõ autem si subsequatur. Et non alia ratione, nisi quia isto modo est causa vel non est causa: ergo sentit, quòd in eo quod est esse causam, vel non causam, consistit cõmunicatio malitiæ vnius ad alterum. Nec valet, dicere, hoc probare de intentione in ordine ad electionẽ, cùm illius sit causa; & proprium sit causæ, quæ illius sunt, communicare effectui; non autem probare de electione in ordine ad intentionem; nam cùm electio sit effectus, ex cõnexione causæ & effectus non habebit communicare suam malitiam intentioni, quia effectus non habet communicare causæ, sed communicari à causa. Non (inquam) hoc valet, dicere, quia sic etiam probaretur, quòd etiam quando intentio est causa per se electionis malæ, non vitiaretur ab illa. Eo vel maximè, quòd licèt in physicis hæc sit bona ratio, non autem in moralibus; ad imputationẽ enim culpæ præcipuum locum obtinet apud Philosophos morales, esse causam mali; nec in moralibus valet distinctio causæ per se, & per accidens; quia licèt intentioni per se & ex sua specie accidat esse causam, huius prauæ electionis; si tamen hic & nunc & in exercitio ista intentio aliâs de bono est causa huius prauæ electionis, ista intentio hic & nunc est mala; quia hic & nunc ista intentio non potest esse causa huius prauæ electionis, nisi in ipsa intentione, saltem virtualiter, sit volita talis *Conc.* *D. Thom.*

ta talis electio; non enim aliter intentio boni finis potest esse per accidens causa prauæ electionis,nisi quatenus ex malitia operantis talis intentio applicatur vt causa illius prauæ electionis: qualiter ergo poterit illa intentio esse volita vt causa mali,& ipsa prout sic volita in exercitio, non esse mala? Nihil ergo impedit, esse causam per accidens, cùm hoc non tollat rationem voluntarij mali, vt ille actus intentionis non sit malus.

Ad.1.arg. 1. Sent. Ad primum argumentum pro prima sententia respondetur, prauam electionem conferre malitiam intentioni vt circunstantiam Quibus;siquidem est intendere bonum per malum medium.

Ad 2.arg. Ad secundum argumentum respondetur, sufficere bonitatem materialem illius actus;quod est in re subleuare miseriam proximi, vt sit impletiuus præcepti:non tamen ille actus manet bonus,nec in specie virtutis eleemosynæ, quia vitiatus ex praua electione, & vt esset in specie virtutis, ab omni malitia deberet esse alienus. Et per hoc patet ad tertium.

Ad 4.arg. Ad quartum respondetur, quòd licèt ille actus eleemosynæ secundùm se non habeat dependentiam à furto, voluntariè tamen ex malitia operantis hìc & nunc dependet ab illo; quod sufficit, vt hic & nunc ille actus efficiatur malus.

Ad 5.arg. Ad quintum argumentum respondetur,quò licèt intentio vt causa, priùs natura antecedat electionem vt effectum; tamen electio habet rationem termini, quatenus vult finem per illud medium, & sic quatenus hic & nunc terminat voluntarium, potest inficere intentionem isto modo quodammodo subsequentem.

Ad conf. Ad confirmationem respondetur, quòd principium verum, etiam interuenientе ignorantia,non efficitur causa falsi,& sic ipsum non efficitur falsum; quia veritas vel falsitas desumitur à rebus prout sunt in se; intentio autem secundùm se bona ex malitia operantis,hic & nunc efficitur causa mali; & sic ipsa redditur mala, quia ad bonitatem vel malitiam multum debet attendi ex parte operantis.

Ad 6.arg. Ad sextum argumemtum respondetur,in illis locis loqui de bona intentione manente bona; nos autem dicimus, quòd si non interueniat ignorātia inuincibilis, eo ipso quòd sit causa prauæ electionis,ipsa intentio redditur mala.Et per hoc patet ad replicam,qualiter in moralibus effectus per accidens respectu intentionis secundùm se, possit in exercitio per voluntarium operātis inficere ipsam intentionem. Ex quo sequitur, quòd quando dicimus, bonam intentionem vitiari ex praua electione,quia est causa illius;non debet intelligi, vt videtur intelligere Lorca,quòd existens bona,fit causa mali, & ideò vitietur, & postmodùm reddatur mala;sed sensus est per negationem,quòd intentio quæ ex proprio obiecto non habet vnde vitietur, & ex illa parte aliàs foret bona, quia hic & nūc est causa mali,absolutè reditur mala.

DVBIVM II.

Vtrùm bonitas intentionis minuat malitiam electionis. Verbi gratia,furatur quis ad dādam eleemosynā;quæritur, vtrùm minuatur malitia furti ex intentione eleemosynæ,ita vt sit leuius peccatum, quàm si fieret cupiditate pecuniæ.

IN hac re Almayn tractatu 1.Moraliū, cap.12.in solutione ad secundum dubium,& cap.13. tenet partem negatiuā, & hanc dicit fuisse sententiam communem suo tempore. Hanc etiam sequitur Lorca hic dispu.42.memb.3. dicit enim, quòd bona intētio eleemosynæ nihil minuit de malitia intrinseca furti,& sic si dicitur,bonam intentionem minuere malitiam electionis,tātùm est negatiuè, quia illa electio nō habet malitiam mali finis, ad quē posset ordinari; & nō ordinatur, dū intēditur bonus finis. Hæc sententia. *Senten. Almayn. Lorca.*

Probatur primò ex D.August. tom. 10.lib.50.hom. hom. 7. & refertur 14. quæstio. 5. cap. fortè, vbi dicit: Si quis apud se cogitans dicat, Volo furari â diuitibus, vt dem pauperibus;hæc cogitatio à diaboli calliditate suggeritur; nam si totum quod abstulit,tribuat,auget potiùs peccatum,quàm minuat. *1 Arg.*

Secundò probatur. Qui furatur & dat eleemosynam ex alieno, grauius peccat, quàm si solùm furetur, & apud se retineat quod accepit: ergo qui furatur cum intentione dandi eleemosy- *2. Argu.*

nam,

nam, grauius peccat, quàm si furetur sine tali intentione consequentia patet; D. Tho. nam dicit D. Thom. quæstio. sequenti artic. 4. Actus exterior non addit bonitatem vel malitiam supra interiorem: bene ergo sequitur, quòd si furtum & exterior eleemosyna ex alieno, est grauius peccatum, quàm furari tantùm; etiam erit grauius velle furari ad damdam eleemosynam. Antecedens verò probatur, quia si dat eleemosynam ex alieno, irrogat iniuriam nouam vero domino; vt colligitur ex D. Thom. 2. 2. quæstio. 32. artic. 7. quia per illam redditur impotens ad restituendum; retinendo autem alienum, non irrogat huiusmodi iniuriam.

3. Arg. Tertiò probatur. Si intentio boni finis minueret malitiam electionis, esset quia tribuit electioni aliquid bonitatis; sicut calor minuit frigiditatem aquæ, quia frigiditati admiscetur aliquid caloris: sed illa intentio aliquem gradum bonitatis electioni prauæ non potest tribuere: ergo nec potest minuere malitiam eius. Minor probatur; tùm, quia illa intentio eo ipso quòd sit causa illius electionis prauæ, & ipsa est praua, vt diximus, & consequenter non potest tribuere aliquem gradum bonitatis; quia nemo dat quod non habet: tum etiam, quia electio praua incapax est alicuius bonitatis moralis; quia, vt suprà diximus, actus prauus non potest simul bonitatem & malitiam moralem retinere.

4. Arg. Quartò probatur. Qui furatur ad damdam eleemosynam, constituit vltimum finem, non solùm in furto, sed etiam in eleemosyna: ergo peccat duplici peccato, & cõsequenter grauiùs peccat, quàm qui furatur ex sola cupiditate pecuniæ. Prima pars antecedentis patet: secunda verò probatur. Nam tunc constituitur vltimus finis in creatura, quando propter illam contemnitur Deus, & frangitur eius præceptum: sed in casu posito propter eleemosynam frangit præceptum de non furando: ergo constituit vltimum finem in eleemosyna.

5. Arg. Quintò probatur. Si quis vellet furari propter honorem Dei, vouendo Deo furtum, grauiùs peccaret, quàm si tantùm appeteret furtum: ergo bonitas intentionis non minuit malitiam electionis.

6. Arg. Sextò arguitur. Bonitas electionis non minuit, sed potius auget malitiam intentionis: ergo è contra, bonitas intentionis non minuit, sed potiùs auget malitiam electionis. Consequentia patet, quia sicut finis est circunstantia electionis, ita è conuerso, vt diximus; circunstantia autem augere potest vel minuere malitiam peccati, vt dicit D. Tho. infra quæst. 73. artic. 7. Antecedens verò probatur, quia qui intendit furtum vel fornicationem, si eligat orationem vt prosperetur in furto, aggrauat peccatum, vt docet Diuus Chrysostomus tomo 2. hom. 42. super caput 22. Matth. in Imperfecto; quia nescit iustitia Dei patrocinium dare criminibus. Secundo probatur idem antecedẽs; nam qui eligit orationem vt melius furetur, fertur ex maiori inclinatione voluntatis in furtum: sed peccatum eo est grauius, quo procedit ex maiori inclinatione voluntatis ad malum, vt dicit D. Thom. quæst. 78. art. 4. in corp. ergo.

7. Arg. Septimo probatur. Nam, vt dicit Aristot. 7. Ethicor. cap. 8. sic se habet principium & conclusio in speculabilibus, sicut intentio & electio in morabilibus: sed veritas principij non minuit falsitatem cõclusionis quæ ex illo sequitur per accidens: ergo nec bonitas intentionis minuit malitiam electionis.

8. Arg. Octauò probatur. Nam si bonitas intentionis minuit malitiam electionis, sequitur, quòd quanto intentio fuerit melior, tanto fit electio minùs mala, & consequenter poterit dari intentio adeò bona, quòd ex toto auferat malitiam prauæ electionis: hoc autem est impossibile: ergo.

Concl. Conclusio sit. Per se loquendo, intentio boni finis minuit malitiam prauę electionis. Hæc est communis doctrina ferè omnium Theologorum, & eam docet Magister in 2. distin. 40. Caietanus 2. Magist. 2. quæst. 148. art. 2. circa med. commenti, & Maior in 2. distin. 42. quæstio 4. Caiet. im mò Almayn vbi suprà, si attentè legatur; & pro eadem refert Holchot. Et pro Maior. batur primo ex D. August. tom 4. lib. Almain. contra mendacium, cap. 8. vbi ait: Peior Holcoth. est qui concupiscendo, quàm qui miserendo furatur; sed qui furatur ad dandam eleemosynam, furatur miserendo: ergo minus malus est, quàm qui furatur ex cupiditate pecuniæ. Confirmatur, D. Aug. nam Gratianus 2. 2. quæstio. 2. per mul- Gratian.

tos canones, præcipuè canone qui incipit Primum,congerit octo gradus mendacij, & conferens vnum alteri, dicit, mendacium tantò esse leuius, quanto meliorem habet finem. Secundò probatur ratione Caietani vbi suprà, nam qui ex intentione eleemosynæ, vel alterius finis boni, eligit furtum, aut aliud malum medium, habet voluntatem minùs deordinatam, & minus affectam peccato, quàm qui furatur ex cupiditate pecuniæ: ergo leuius peccat. Antecedens probatur, nam ille non habet pro motiuo furtum, vt est malum,sicut alter, sed quatenus induit quandam rationem qua si boni honesti: ergo minus affectus est furto, & consequenter minùs voluntariè fertur in illud, atque adeò peccatum minuitur. Vltimò probatur,quia, vt suprà diximus, circunstantia semper auget vel minuit rationem peccati; sed finis est præcipua circunstantia: ergo ex intentione illius debet minui vel aggrauari peccatum; & cùm ex fine bono non aggrauetur, minuetur: & hic est communis consensus hominum; fatentur enim, leuius esse peccatum, mentiri pro conseruanda vita proximi, quàm ex solo affectu mendacij.

Ad.1.arg. Ad primum argumentum à principio respondetur, Diuum Augustinum ibi loqui contra hæreticos, qui existimant, esse bonum furari ad dandam eleemosynam; in quibus certum est quòd committuntur illa duo peccata:nostra autem conclusio non procedit in illo casu, sed quando quis ignorantia vel alia ratione leui mouetur ad furandum, vt subueniat miseriæ pauperis.

Ad 2.arg. Ad secundum argumentum respondetur, quòd absolutè & simpliciter & cæteris paribus, leuius peccat qui furatur animo dandi eleemosynam, quàm qui furatur ex sola cupiditate pecuniæ, licèt secũdùm quid ex ea parte qualatro, fit impotens ad restituẽdum,dando eleemosynam ex alieno, peccet grauius; sed tunc non sunt cætera paria. Quale autem peccatum sit dare eleemosynam ex iniustè acquisitis, docet D.Thom.2. 2. quæstio. 32. artic. 7. D.August. tom.4. lib. de salutaribus documentis. cap. 53. D.Gregor.lib. 12.moralium cap. 24. & 25.in illa verba Iob 15.Non credet frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit.Et in Pastorali, lib.3.admonitione 22.D.Chrysost.tom.2. hom. 86.super Matth. vbi adducit illa verba Malachiæ 2. Operiebatis lachrymis altare Domini.

D. Thom. *D. Aug.* *D. Greg.* *Iob.15.* *D. Chrysost.* *Malach. 2.*

Ad tertium simul cum confirmatione,respondetur, quòd cùm intentio boni finis, ex qua imperatur malum medium,sit mala in indiuiduo, vt diximus dubio præcedenti, non potest aliquam bonitatem præstare prauæ electioni, vt argumentum probat: at verò quia illa intentio est secundùm se bona, potest ex hac parte minuere malitiam electionis, quatenus facit quòd furtum sit minus voluntarium, & minus per se intentum. *Ad 3.arg.*

Ad quartum respondetur cum Caiet. vbi suprà,quòd dupliciter contingit aliquid amari vt finem vltimum. Primò secundùm se;vt cùm quis fornicatur,amat delectationem illam in se ipsa, tanquàm vltimum finem. Secundo autem modo, quia amatur non vt finis vltimus secundùm se, sed vt ratio alterius operis, in quo finis vltimus constituitur; & isto modo dicitur cõstituere finem vltimum in eleemosyna, qui ex nimio affectu ad illam,furatur; nam eleemosynam ipsam intendit in Deum ordinare; constituit enim vltimum finem in furto, ex quo intentio eleemosynæ vitiatur. Dicitur ergo, quòd quando aliquid amatur vt vltimus finis, isto secundo modo, non habet specialem malitiam in se, distinctam à malitia actus ex quo vitiatur; Vnde furtum propter eleemosynam,solùm habet vnicam malitiam furti. *Ad 4.arg.*

Ad quintum, negatur consequentia; nam quando quis vouet Deo aliquòd peccatum, nullus est ibi finis bonus; quia illud non est facere aliquid propter gloriam Dei, sed potiùs talis promissio est quasi quædam comminatio in illius iniuriam,vt D.Thom.2 2.quæstio. 88.artic.2.& irrogat iniuriam Deo,quia ex ipso opere ostẽdit quòd furtum Deo placeat,quod est quasi blasphemia. *Ad 6.arg.* *D.Tho.*

Ad sextũ,negatur consequentia,nam intentio finis, est ratio eligendi media, vt D.Thom.in corpore huius articuli, & ad 1.& supra,q.8.art. 3.dicit,non autẽ è cõtra, Vnde quando intentio est bona,& volũtas eligit malũ mediũ,tendit in illud quasi per accidẽs,& sub ratione quasi boni honesti;vnde minuit malitiam eius:at verò *Ad 5.arg.* *D. Tho.*

vero quando intentio est mala, voluntas tẽdit per se in malum, & habet idem motiuum, siue eligat ad id malum medium, siue bonum; immo vt dicebamus in confirmatione argumenti, qui eligit bonum medium ad melius consequendum malũ finem, habet voluntatem magis inclinatam ad malum, & eligit illud sub ratione mali terminatiuê, vt dicit D. Tho. hic ad 2. Est etiam alia differentia, qua præcedens magis explicatur; nam intentio finis respectu electionis habet se vt formale respectu materialis; vt dicit D. Thom. quæst. præcedenti, art. 6. in corpore, & ad. 2. bonitas autem vel malitia potius attenditur in actibus humanis ex formali, quàm ex materiali; sicut & in alijs, vt enim docet Arist. 5. Ethicor. c. 2. qui furatur propter mœchiam, magis est mœchus quàm fur: vnde non est vtrobique par ratio.

D. Thom. *Arist.*

Ad septimum, negatur consequentia; nam veritas principij non mutat rem enuntiatam per conclusionem, cùm non sit accidens illius, veritas enim propositionis penes conformitatem ad rem enũtiatam sumitur; at verò bonitas finis cùm sit ratio electionis medij, diuersificat quodammodò ipsum volitum, ex quo bonitas vel malitia actus humani desumitur, ac per consequens auget, vel minuit illam. Et si quis obijciat, nam furtum vitiat intentionem eleemosynæ: ergo intẽtio eleemosynæ non minuit peccatũ furti. Respondetur, quòd sub diuersis rationibus intẽtio eleemosynæ, & minuit peccatum furti, & vitiatur ab illo; nam vt dicit habitudinem ad furtum, tanquã ad effectum necessarium, vitiatur ex illo: at verò quatenus minuit voluntarium in peccato furti, alleuiat ipsum.

Ad 7. arg.

Ad octauum respondebitur dubio sequenti.

Ad 8. arg.

DVBIVM III.

Vtrùm intentio boni finis possit esse ita bona, quòd auferat ex toto malitiam electionis praua quæ subsequitur ex tali intentione.

IN hoc dubio est sententia quam tenuit Ioan. Casianus collatione 17. c. 17, & sequentibus, vbi ait, quòd quãdoq; qui bono fine mentitur, non peccat; vt si pro salute hominis mentiatur. Idem tenent aliqui authores quos refert Syxtus Senensis in Bibliotheca sacra, lib. 5. annot. 253. & alij referuntur in annotatione super collationem 17. citatam. Hęc sententia probatur primo authoritatibus sacræ Scripturæ positis in sexto argumẽto dubij præcedentis, vt est illud, si oculus tuus, &c. & illud. Non potest arbor bona, &c. Et ex D. Ambros. lib. 1. de offitijs dicente: Affectus tuus nomen imponit operi tuo.

1. Arg. Casianus.

Secundò arguitur: occidere se ipsum, est opus malum secundùm se; & tamen redditur aliquando bonum propter bonam intentionem: ergo, &c. Probatur minor, nam Sanson se ipsum occidit, vt habetur Iudic 16. qui tamen non peccauit, quia id fecit ex recta intentione, ad defendendum videlicèt populum Dei à Philistæis. Item etiam Saul irruit super gladium suum, & se occidit, vt habetur 1. Reg. vltimo, & tamen non peccauit, quia id fecit propter gloriam Dei, ne videlicet Christus eius illuderetur ab hostibus; vt enim refert Lyra cap. citato. Hebræi dicunt fuisse saluatum, quod tamẽ non verum esset, si peccasset occidendo se. Denique de Ratia dicitur 2. Machab. 14. quòd propter seruandam continentiam gladio se interemit, eligens nobiliter potius mori, quàm subditus fieri peccatoribus. Confirmatur ex D. Hier. super caput primum Ionæ, & refertur 23. q. 5. cap. Non est nostrum, vbi sic ait: Nõ licet propria perire manu, absque eo vbi castitas periclitatur: ergo propter seruãdam castitatem licitum erit se ipsum occidere. De quo vide Senensem vbi supra.

2. Arg. *Iudic 16.* *1. Reg. vlt.* *Machab. 14* *Hieron.*

Tertiò arguitur. Mendatium est secũdùm se malum, & tamen si referatur in bonum finem, redditur bonũ: ergo. Minor probatur, quia, vt habetur Genes. 20 Abraham dixit de Sara vxore sua; Soror mea est; vbi videtur mentitum fuisse, & tamen non peccauit, vt dicit D. August. tom. 6. lib. 22. contra Faustum, c. 34. quia id dixit ad saluandam propriam vitam. Idem docet Chrysost. homilia 32. super Genes. Item Iacob mentitus est dicens se esse Esau, vt habetur Genes. 27. & tamen excusat illum à peccato D. Chrysost. homil. 52. super Genes. quia non auaritiæ causa, sed pietatis scopo, ad obtinendam benedictionem patris id dixit. Denique

3. Arg. *Genes. 20.* *D. Aug.* *Genes. 27.*

Iudith,plurima mendacia coram Holopherne protulit; & tamen excusatur à peccato,quia id fecit ad saluandum populum Dei.

4. Arg. Quartò arguitur. Omne finitum per diminutionem consumitur: sed malitia mendatij vel homicidij est finita: ergo cũ finis bonus minuat illam,tandem consumetur,si crescat bonitas finis, qui potest esse infinitè bonus, vt est finis Charitatis. Cõfirmatur,nam quia intensio nigredinis est remissio albedinis,in tantum potest augeri nigredo, quòd omnino destruat albedinem: sed intensio bonitatis finis, est remissio malitiæ electionis pravæ: ergo in tantum poterit crescere bonitas finis,quòd ex toto auferatur malitia electionis pravæ.

Oppositam nihilominus sententiam adeò veram existimo,vt illam negare,sit temerarium & fortè erroneum seu hæreticum. Probatur primò,quoniam Innocentius Tertius cap. Super eo, de vsuris, respondens Panormitano Episcopo, decernit,quòd sacra Scriptura prohibet,etiam pro alterius vita seruanda, mentiatur. Secundò probatur authoritate Diui Augustini tomo 4. duobus libris contra mendatium ad Consentium, vbi latissimè disputat contra oppositam sententiam,& eam appellat hæreticam,& ostendit pluribus locis sacræ Scripturæ,mendatium numquàm posse honestari. Idem tenent omnes sancti & omnes Theologi cum D.Tho.2.2.q.110.art.3. Gratianus 2.2.q.2. Immò & Arist.4.Ethicor.cap.7, ait mendatium esse per se prauum. Tertiò probatur ratione Diui Thomę in illo articulo. Illud quod est intrinsecè malum,nullo modo potest honestari: quia bonum consurgit ex integra causa sed mendatium est intrinsecè malum secundũ Arist.loco citato,& similiter homicidiũ,& alia huiusmodi peccata: ergo quãtumuis finis intentio, ad quem referuntur,sit bona, non possunt honestari, & consequenter nunquam erit licitum mẽtiri,vel aliquod malum opus facere,propter intentionem boni finis.

D. Aug. *Gratian.* *Arist.*

Ad 1.arg. Ad primum respondetur, quòd per oculũ simplicem intelligitur intentio boni finis; non tamen quæcunque, sed illa quæ procedit ex Charitate & vero animo placendi Deo. Ita D. Augustinus tomo 3.lib.de opere monachorum,cap. 26. D. Bernardus lib.de præcepto & dispensatione,cap. 17. ex huiusmodi autem intẽtione non potest procedere aliquod malum opus,nec homo potest illud eligere, iuxta illud 1.ad Corinth. 13. Charitas nõ æmulatur,&c. Similiter quòd per arborem bonam intelligitur bona voluntas procedens secundùm intentionem veræ Charitatis. Sic explicat D. August. tom. 7.lib. 1.de gratia Christi, cap. 18. & 19. Respõdetur etiam, quòd D. Ambrosius ibi solũ loquitur de opere aliàs bono ex obiecto,vt de eleemosyna: hoc autem inquit non esse bonum sine boni finis affectu: quod quidem verissimum est. Notãdum tamen, quòd aliquando fieri potest, vt ex intentione boni finis fiat opus bonum, quod aliàs erat malum ex obiecto in hominibus ignorantibus; de quo Imperfectum super Matthęum homil. 19.

D. Aug. *D. Bernard.* *1. Corint. 13*

Ad 2.arg Ad secundum respondetur,negãdo minorem. Ad probationem respondetur, quòd Sanson non se occidit authoritate propria, sed motus à Deo speciali dono & impulsu latentis Spiritus sancti, sicut D. Appollonia,quæ eodem spiritu ducta misit se in ignem, & ideò non peccauit. Ita D.Tho.2. 2. q.64. art.5.ad.4.& D.August.tomo 5.lib.1.de Ciuitate, ca. 21.& 26. Ad illud autem de Saule, respõdetur,illam sententiam Hębræorum assẽrentium, Saulem fuisse saluatum,esse falsam; vt latè ostendit Burgensis in quadã additione quæ habetur in glosa ordinaria 1.Reg.vltimo, vnde consequenter dicendum est,illum peccasse occidendo se, & præcipiendo armigero suo vt interficeret ipsum. Et in hanc sententiam inclinat D.Thom.3.p.q.47.art.6.ad.3. Ad illud verò de Racia,similiter dicendum est quòd ex mollitie animi se occidit,& peccauit, vt D.Thom.dicit 2.2.q.64. art. 3. ad.5. Ad confirmationem respondetur, quòd illa dictio, Absque, non accipitur semper exclusiuè quasi per illam aliquid excipiatur; sed accipitur copulatiuè aliquando, ita vt aliquid per eam includatur,sicut quando dicitur Cant.4. Quàm pulchra es,&c. Absque eo quod intrinsecus latet; non est sensus, quòd latens intrinsecum non sit pulchrum; immo est pulchrius quàm extrinsecum; vt dicitur Psalm.44.omnis gloria eius filiæ Regis ab intus. Ita in præsenti,quando D. Hieronym.asserit,quòd non licet propria perire manu, absq; eo vbi castitas periclitatur; non est sensus,quod liceat se interficere

Cant.4. *Psalm. 44.*

cere, quando castitas periclitatur, sed sensus est, quòd nunquam licet se interficere, etiã vbi castitas periclitatur; vnde pessime errauit Origines, qui vt refert Nizephorus lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, ca. 32. post plurima pro Fide Christi per pessima supplicia, Fidem tandem negauit pro castitate seruanda, ne videlicet iuuenis quidam Æthiops illo per vim abuteretur.

Ad 3. arg. Ad tertium, negatur minor. Ad prouationem respondetur, quòd Abraham Iacob & Iudith non fuere mentiti in illis verbis, vt latè ostendit *D.* Thomas 2. 2. q. 110. art. 3. ad 3. vbi explicat, in quo sensu prædicta verba fuerint vera Vide Banes 2. 2. q. 1. art. 3. dub. 1. in solutione ad primum & secundum.

Ad 4. arg. Ad quartum, omissis multis alijs solutionibus & earum impugnationibus, respondetur, quòd licèt bonitas finis Charitatis possit crescere in infinitum, vt dicit D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 7. tamen quia, vt dicit ipse 2. 2. q. 110. art. 3, mendatium habet intrinsecam malitiam ex suo obiecto non potest totaliter extrahi ab illa, mendatio manente, licèt possit minui ex intẽtione boni finis. Exemplum est, Frigiditas quæ est aquæ intrinseca, non potest per augmentum caloris totaliter minui manente aqua, ita similiter quia malitia est intrinseca mendatio, non potest ipso manente per augmentũ bonitatis finis ex toto auferri. Et per hoc patet ad cõfirmationem, albedo enim non est intrinseca subiecto, & ideò per intensionem nigredinis potest totaliter minui, ipso subiecto manente. Sed contra nã licet ignis per calorem non possit in tantum minuere frigiditatẽ, vt manente aqua, in totũ auferat illam frigiditatem; tamen potest facere destructionem aquæ, & ita ad destructionem eius, consequenter destruere in totum frigiditatem: ergo similiter licèt bona intentio finis non possit in tantum minuere malitiam mendatij, verbi gratia, vt ipsam totaliter destruat; quia malitia est intrinseca mẽdatio, poterit destruere subiectum talis malitiæ, scilicet ipsum mendatium, & facere quod non sit mendatium, & consequenter in totum auferre malitiam eius. Respondetur, quòd ignis potest destruere per calorem ipsam aquam, cùm calor disponat ad formam ignis, quæ introducta expellit formam aquæ; cum non possint esse simul. Bonitas tamen finis cùm non introducat bonitatem in tale medium, per cuius augmentum totaliter destruatur malitia eius destruendo eius subiectum, sed solùm auferat malitiam, ideò non potest fieri, vt totaliter auferatur, quia si auferretur, tota malitia esset per introductionem bonitatis, quæ est est forma contraria, & hæc deberet introduci à bonitate finis: sed, vt dicebamus, talis non introducitur à tali intentione, sed solum per ipsam minuitur malitia: ergo non potest in tantum minui, vt totaliter auferatur; quia maneret ille actus sine malitia, siquidem auferebatur ab illa intentione, & sine bonitate, cùm non introduceretur ab illa, & per consequens sine aliqua forma morali; quod in indiuiduo est impossibile.

Obiectio.

Solutio.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm quantitas bonitatis vel malitiæ in voluntate, sequatur quantitatem boni vel mali in intentione.

Sup. art. 7. ad. 2. & ma. q. 2. art. 2. ad. 3.

AD octauum sic proceditur. *Videtur quòd quantitas bonitatis in voluntate dependeat ex bonitatis quantitate in intentione. Quia super illud Matth. 12. Bonus homo de thesauro bono cordis sui profert bona, dicit Glossa:* ✠ *tantum boni quis facit, quantum intendit: sed intentio non solùm dat bonitatem actui exteriori, sed etiam Voluntati, vt dictum est:* ✠ *ergo tantum aliquis habet bonam voluntatem, quantum intendit.*

** Glosta in Lin. ibid.*

Art. præc.

2. Præterea Augmentata causa, augmentatur effectus: sed intentionis bonitas est causa bonæ voluntatis: ergo quantum quis intendit de bono, tantum Voluntas est bona.

3. Præterea in malis quantum aliquis intendit, tantum peccat. Si enim

nim aliquis proijciens lapidem, intenderet facere homicidium, reus esset homicidij: ergo pari ratione in bonis tantum est bona voluntas, quantum aliquis bonum intendit.

Sed contra. Potest esse intentio bona, & voluntas mala: ergo pari ratione potest esse intentio magis bona, & voluntas minus bona.

Respondeo, dicendum, quòd circa actum & intentionem finis duplex quantitas potest considerari una ex parte obiecti, quia vult maius bonum vel agit. Alia ex intentione actus, quia intensè vult, vel agit, quod est maius ex parte agentis. Si igitur loquamur de quantitate utriusque quantum ad obiectum, manifestum est, quôd quantitas actus non sequitur quantitatem intentionis: quod quidem ex parte actus exterioris contingere potest dupliciter. Vno modo, quia obiectum quod ordinatur ad finem intentum, non est proportionatum fini illi: sicut si quis daret decem libras, non posset consequi suam intentionem, si intenderet emere rem valentem centum libras. Alio modo propter impedimenta quæ supervenire possunt circa exteriorem actum, quæ non est in potestate nostra removere; puta, aliquis intendit ire usque Romam & occurrunt ei impedimenta quôd non potest hoc facere. Sed ex parte interioris actus voluntatis, non est nisi uno modo; quia interiores actus voluntatis sunt in potestate nostra, non autem exteriores actus, sed Voluntas potest velle aliquod obiectum non proportionatum fini intento, & sic voluntas quæ fertur in illud obiectum absolutè consideratum non est tantum bona, quantum est intentio. Sed quia etiam ipsa intentio quodammodò pertinet ad actum voluntatis, in quantum scilicet est ratio eius, propter hoc redundat quantitas bonæ intentionis in Voluntatem, in quantum scilicet voluntas vult aliquod bonum magnum ut finem: licet illud, per quod vult consequi tantum bonum, non sit dignum illo bono. Si verò considereturquantitas intentionis & actus secundùm intensionem utriusque, sic intensio intentionis redundat in actum interiorem & exteriorem voluntatis; quia ipsa intentio quodammodò se habet formaliter ad utrumq; ut ex supra dictis patet, licèt materialiter intentione recta existente intensa, possit esse actus interior vel exterior non ita intensus, materialiter loquendo; puta cùm aliquis non ita intensè vult medicinam sumere, sicut vult sanitatem tamen hoc ipsum quod est intensè intendere sanitatem, redundat formaliter in hoc quod est intẽsè, velle medicari. Sed tamen hoc est considerandum, quòd intensio actus interioris vel exterioris potest referri ad intentionem ut obiectum; puta cum aliquis intendit intensè velle, vel aliquid intensè operari; & tamen non propter hoc intensè vult vel operatur, quia quantitatẽ intenti boni non sequitur bonitas actus interioris vel exterioris, ut dictum est. ✻ *Et inde est, quòd non quantum aliquis intendit* In isto art.

dit mereri, meretur; quia quantitas meriti consistit in intensione actus, q.114.ar.4 *vt infrà dicetur.**

Ad primum ergo, dicendum, quòd Glossa illa loquitur quantum ad reputationem Dei, qua præcipuè considerat intentionem finis. Vnde alia Glossa dicit ibidem, quòd thesaurus cordis, intentio est, ex qua Deus iudicat opera: bonitas enim intentionis art. *vt dictum est,* * *redundat quodammodò in bonitatem voluntatis, quæ facit etiam exteriorem actum apud Deum meritorium.*

Ad secundum, dicendum, quòd sola bonitas intentionis non est tota causa bonæ voluntatis: vnde ratio non sequitur.

Ad tertium dicendum, quòd sola malitia intentionis sufficit ad malitiam voluntatis: & ideò etiam quantum mala est intentio, tantum etiam mala est voluntas: sed non est eadem ratio de bonitate, Art.7.ad.2 & 7. *vt dictum est.**

Prima conclusio. Si loquamur de quantitate bonitatis actus, quæ tenet se ex parte obiecti, non tota bonitas intentionis communicatur electioni.

Secunda conclusio. Si intentio accipiatur vt est ratio electionis, bonitas intentionis communicatur electioni.

Tertia conclusio. Si loquamur de bonitate ratione intensionis actus, tota bonitas intensionis communicatur electioni: secus est, si consideretur intentio, non vt est causa electionis.

Quarta conclusio, Si intensio actus cõsideretur ex parte obiecti, non tota bonitas intentionis communicatur electioni.

Quinta conclusio. Non tantum meretur homo, quantum intendit homo mereri.

Sexta conclusio ad tertium. Tota malitia intentionis redundat in electionẽ.

Circa istum articulum est difficultas, nam prima & secunda conclusio videntur sibi repugnantes. In prima enim dicit D. Tho. quòd tota bonitas intentionis non communicatur electioni: in secũda verò conclusione videtur dicere, quòd tota bonitas intentionis communicatur electioni: hæc autem inter se contraria videntur.

In hac re sunt multi modi dicendi. Prima sententia est Lorcæ hic, quòd de bonitate intentionis & electionis possumus loquiduplicitèr. Primò, quantum ad genus. Secundò, quantum ad speciem. Quãdo ergo D. Tho. dicit, esse eadẽ bonitatẽ intentionis, & electionis, intelligit quòd sint eiusdẽ generis eiusdẽq; virtutis, ratione eiusdẽ obiecti: ponit autem illã diuersam quantum ad speciem, & etiam quantum ad quantitatem, inæqualiter enim est in intentione & electione. 1.Sent. Lorcã.

Secunda explicatio est Conradi hic, quòd in prima conclusione loquitur D. Tho. de medio materialiter, & de intentione non secundùm, quòd est causa electionis; in secunda verò loquitur de medio formaliter, & de intentione vt est causa electionis. 2.Sent. Conrad.

Tertia explicatio est Medinæ suppo nit enim, quod non tota bonitas obiecti intentionis cõmunicatur intentioni; qui enim intenderet mereri quantum D. Petrus ex vno ieiunio, non tanta bonitas esset in intentione, quanta est in obiecto; Dicit ergo, quòd in prima conclusione loquitur D. Tho. de intentione considerando bonitatem obiecti, & secundum hanc rationẽ dicit quod non tota bonitas obiecti intentionis communicatur electioni: in secunda verò conclusione loquitur de bonitate ipsius intentionis, & dicit, quod tota communicatur electioni. Hæc explicatio videtur habere fundamentũ in fine articuli, vbi dicit D. Tho. Quantitatem boni intenti non sequitur bonitas actus exterioris, vel interioris, vt dictum est; vbi refert se ad dicta in prima cõclusione. Sed hęc explicatio communiter non recipitur à Thomistis; nam si est certum, totam bonitatem obiecti non cõmunicari intentioni, à fortiori erit certũ non communicari electioni, cum illi cõmunicetur media intẽtione; vnde aliquid difficilius voluit docere D. Tho. 3.Sent Medinã.

Pro cuius intelligentia supponendũ, manifestum esse, multoties plus boni re- Not.1.

peri-

periri in intentione, quam in electione vel opere. Cum enim quis dat eleemosynam propter amorem Dei, maius bonũ est amor Dei, quàm datio eleemosynæ: immò commune proloquium habetur, quòd non tantum quis facit boni, quantum intendit facere: vt patet in operibus malis factis bona intentione, vel in operibus bonis, quæ non sunt proportionata intentioni.

Not.2. Secundo notandum, quôd quãdo quis intendit efficaciter facere opus magnum vndique bonum, & non suppetunt vires faciendi illud, tunc tantum bonum facit coram Deo, quantum intendit facere, vnde habet verum illud prouerbium, volũtas pro facto reputatur: & quæst. sequẽti, art. 4. dicetur, quòd actus exterior non addit bonitatem vel malitiam super actũ interiorem efficacem; quod tamen debet intelligi in his quæ sunt omnino ab homine, & quoad præmium essentiale: nõ autem habet verum in Sacramẽtis à quorum facto dependet gratia Sacramentalis illorum. Nec similiter habet verum quoad præmium accidẽtale, à facto enim martirij (verbi gratia) dependet aureola martyris, de quo Tabula dub. 120.

Not.3. Tertiô notãdum, idem debere dici de malis operibus, quod dictum est in bonis; non enim tantum quis demeretur, quantum intendit demereri; nam aliquãdo homo intendit emere Sacerdotium (quod esset magna simonia) & tantûm offert preces; tunc quidem non est tãtum malum in electione, sicut in intentione. Similiter aliquando homo intendit intẽ sissimè adulterari, & remissè ponit scalã, aut suffodit murum, vt ingrediatur ad mulierem. Similiter si homo nequissimus per blasphemiam quam diceret, intenderet tantum demereri, quantum Iudas demeruit, ad huc illa blasphemia nõ tantum demereretur. Qualiter autẽ huic non sit contrarius D. Tho. ad tertium, statim explicabitur.

Not.4. Quartô notandum, quôd medium potest considerari dupliciter. Primò materialiter secundùm suam absolutam bonitatem, non considerando illud in ordine ad finem. Secundo modo cõsideratur per ordinem ad finem, secundùm bonitatem vtilem, quæ attenditur ex proportione quam habet cum fine, verbi gratia, medicina potest considerari secundùm propriam bonitatem dulcis, vel, vt vtilis est, & proportionem habens ad sanitatem, & isto secundo modo adhuc dupliciter. Primò, considerando bonitatem vtilem, prout intrinsecè est in ipso medio. Alio modo considerando illam bonitatem vtilem medij, vt extrinsece participatam à fine: qua ratione intrat limites honesti, pertinetquè formaliter in genere moris ad speciem ipsius finis: bonitas ergo vtilis licet comparetur formaliter ad bonitatẽ medij secundum se; ipsa tamen prout intrinseca in medio, habet se materialiter respectu bonitatis vtilis extrinsecę. Hoc ergo suppositio.

Vera expli. Dicimus, quôd medium secundum bonitatem vtilem intrinsecam non necessario adæquat cum bonitate intẽtionis, sed participat magis vel minus secũdùm maiorem, vel minorem proportionem cum fine, verbi gratia, sunt duo homines, & vterque intendit conuersionem hæreticorum Angliæ, & vnus eligit ieiunium vnius anni, alius verò ieiunare per totam vitam: iste secundus participat magis de bonitate finis, quia medium magis proportionatur fini. Si verò medium considereretur secundum bonitatem extrinsecam participatam â fine, quando finis est ratio volendi medium, tota bonitas finis secundum quod actualiter terminat electionem, communicatur electioni; quia iam intentio non quomodocunque considerator, sed vt applicata & vt in actu primo respectu electionis. Itaque sicut in naturalibus forma non quomodocunque specificat materiam, sed vt limitata per materiam in genere causæ materialis ita intẽtio, quæ forma moralis est electionis, non quomodocunque illam specificat, sed præsuppositа limitatione medij per maiorem vel minorem proportionẽ ipsius ad finem, & vt sic tota bonitas intentionis communicatur electioni. Quapropter bene stat, quòd duo agentia intendant eundem finem, & quod inquacumque electione tota bonitas extrinseca communicetur electioni; & tamẽ vna electio participet magis quàm alia de bonitate finis: vt patet in exemplo vtriusq; intendentis per ieiunium mequale conuersionem hæreticorum; quia licet intentio communicet totam suam bonitatem electioni cuius libet, communicatur tamen inequaliter, quia non communicatur ab intentione nisi vt â forma limitata per ipsum medium; & cùm diuersimodè limite-

Notand.

limitetur, bonitas cõmunicata est diuersa & inæqualis. Sic ergo patet sensus D. Tho.nam in prima conclusione loquitur de medio formaliter,& de intentione vt est causa finalis,& non prout limitata ad medium;& sic dicit,quòd non participatur tota bonitas intentionis in electione, sed magis vel minus, secundum maiorem,vel minorem proportionem mediorum adfinem. At verò in secunda conclusione consideratur medium secundum extrinsecam bonitatem,& ipsa intentio secundùm quòd est ratio formalis electionis hic & nunc determinata,& limitata per electionẽ; & hac ratione tota bonitas intentionis communicatur electioni. Et hoc forte voluit Conradus dicens quòd D.Tho.loquitur de medio materiali;vocat enim materiale,secundùm bonitatem intrinsecam in ordine ad extrinsecam, licet & illa formaliter se habeat in ordine ad bonitatem medij secundùm se sumptam.

Nota. Circa tertiam conclusionem notandũ, quòd intentio & electio multis, modis possunt considerari. Si quidem electio consideretur, vt virtualiter clauditur in intẽtione;& è contra intentio vt virtualiter clauditur in electione, non dubium quin tanta intẽsio actus sit in electione,sicut in intẽtione;& è contra:nec de hoc loquitur D.Thom.alio modo potest considerari intẽtio,& electio,vt formaliter talis,& hoc dupliciter.Primò, vt sint in eodem instanti (siue sint vnus actus, siue duo.)Si isto modo se habeant, tota intensio intentionis refunditur in electionem quia sic intentio est ratio formalis sub qua attingitur medium per electionem: & in isto sensu loquitur.D. Tho.in prima parte tertiæ conclusionis Secundo modo intentio potest tempore præcedere electionem,& tunc si medium habet aliquam difficultatem, non tota intensio intentionis refunditur in electionem immò communiter maiori intensione amatur finis,quã medium;vt patet de sanitate,&de medio ad illã habente difficultatem:& in hoc sensu verificatur secunda pars tertiæ conclusionis;tunc enim consideratur intentio materialiter, & nõ formaliter ; quia non consideratur vt sub qua in exercitio modo assumitur medium.

Not. Circa solutionem ad tertium D.Tho. notandum,quòd sicut intentio bona non communicat totam bonitatem electioni sed secundùm proportionem mediorum sic intentio mala nõ communicat totam suam malitiam electioni ; sed secundùm proportionem mediorum, vt iam suprà diximus.Nec in hoc voluit D.Tho. ponere differentiam inter intentionem bonam & malam;sed differentia in eo consistit,quòd intentio mala semper communicat electioni suam malitiam,ita quòd si intentio est mala,etiam electio est mala, quamuis aliàs ex obiecto esset bona. At verò intentio bona non semper communicat suam bonitatem electioni; sed requiritur quòd electio sit de bono obiecto,& induta bonis circunstantijs,vt illi communicetur bonitas intentionis. Quãtum ad alia verò(vt optime dicit Caiet. hic) eodem modo est philosophandum de intentione bona & mala, non solùm quantum ad malitiam quæ attenditur in intentione ex parte obiecti;sed etiã quo ad malitiã quæ attenditur ex parte intentionis operantis,quæ etiam tota refunditur in electionem,quando intentio accipitur vt causa & formaliter, quando verò accipitur materialiter,non est necessarium quòd refundatur tota intensio malitiæ intentionis in electionem, sicut dictum est de intentione bona.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm bonitas voluntatis dependeat ex conformitate ad voluntatem diuinam.

AD nonum sic proceditur. 1.dist. 48. art. 1.& veri. q. 23. art. 7.cor.

Videtur quòd bonitas voluntatis humanæ non dependeat ex conformitate bonitatis diuinæ.Impossibile est enim, voluntatem hominis conformari voluntati diuinæ; vt patet per id quod dicitur Esai.55.Sicut exaltantur cœli à terra,ita exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris,& cogitationes meæ a cogitationibus vestris.Si ergo ad bonitatẽ voluntatis requireretur conformitas ad diuinam voluntatem, sequere-

queretur, quôd impossibile esset hominis voluntatem esse bonam, quod est inconueniens.

2. Præterea. Sicut voluntas nostra deriuatur à voluntate diuina, ita scientia nostra deriuatur à scientia diuina: sed non requiritur ad scientiam nostram, quòd sit conformis scientiæ diuinæ multa enim Deus scit, quæ nos ignoramus: ergo non requiritur, quod voluntas nostra sit conformis voluntati diuinæ.

3. Præterea Voluntas est actionis principium: sed actio nostra non potest conformari actioni diuinæ: ergo nec voluntas voluntati.

Sed contra est quod dicitur Matth 26. Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Quod dicit, quia rectum vult esse hominem, & ad Deum dirigi, vt Augustin. dicit in Enquirid. * Rectitudo autem voluntatis, est bonitas eius: ergo bonitas voluntatis dependet ex conformitate ad voluntatem diuinam.

Habetur cõ tioõe 1. in Psal. 32. super illud recti decet collaudatio tomo 8.

Respondeo, dicendum, quòd sicut dictum est. * Bonitas voluntatis dependet ex intentione finis; finis autem vltimus voluntatis humanæ est summum bonum, quod est Deus, vt supra dictum est. * Requiritur ergo ad bonitatem humanæ voluntatis, quòd ordinetur ad summum bonum. Hoc autem bonum primô quidem & per se comparatur ad voluntatem diuinam, vt obiectum proprium eius. Illud autem quod est primum in quolibet genere, est mensura & ratio omnium quæ sunt illus generis. Vnũquodque autem rectum & bonum est in quantum attingit ad propriam mensuram: ergo ad hoc quôd voluntas hominis sit bona, requititur, quòd conformetur voluntati diuinæ.

Art. 7. q. 1. art. 8.

Ad primum ergo, dicendum, quòd voluntas hominis non potest conformari voluntati diuinæ per æquiparantiam, sed per imitationem. Et similiter conformatur scientia hominis scientiæ diuinæ, in quantum cognoscit verum; & actio hominis actioni diuinæ, in quantum est agenti conueniens & hoc per imitationem, non autem per æquiparantiam, vnde patet solutio ad secundum & tertium argumentum.

Conclusio est affirmatiua.

ARTICVLVS X.

Vtrûm necessarium sit, voluntatem humanam conformari voluntati diuinæ in volito; ad hoc quod sit bona.

AD decimum sic proceditur. Videtur quôd voluntas hominis non debeat semper conformari diuinæ voluntati in volito. Non enim possumus velle quod ignoramus. Bonum enim apprehensum, est obiectum voluntatis: sed quid Deus velit, ignoramus in plurimis: ergo non potest hamana voluntas diuinæ voluntati conformari in volito.

Infr. q. 39. art. 2. ad. 3. & 2. 2. q. 140. art. 4. ad 3. & 1. dist. 48. art. 3. & 2. & veri. q. 23. art. 7. & 8. & opus. 9. q. 87.

2. Præterea. Deus vult damnare aliquem, quem præscit in mortali peccato moriturum: si ergo homo teneretur

tur conformare voluntatem suam diuinæ voluntati in volito, sequeretur, quòd homo teneretur velle suam damnationem; quod est inconueniens.

3. Præterea. Nullus tenetur velle aliquid quod est contra pietatẽ: sed si homo vellet illud quod Deus vult, hoc esset quãdoq; cõtra pietatem; puta cũ Deus vult mori patrẽ alicuius, si filius hoc idẽ vellet, esset cõtra pietatẽ: ergo nõ tenetur conformare volũtatẽ suam voluntati diuinæ in volito.

Aug. contione 1. de prima parte psal. tom. 8

Sed contra est, quia super illud Psal. 32. Rectos decet collaudatio, dicit gloss.* Rectũ cor habet, qui vult quod Deus vult: sed quilibet tenetur habere rectum cor: ergo quilibet tenetur velle quod Deus vult.

2. Præterea forma volũtatis est obiecto, sicut & cuius libet actus: si ergo tenetur homo cõformare volũtatẽ suam voluntati diuinæ, requiritur quôd teneatur cõformare in volito.

3. Præterea. Repugnantia voluntatũ cõsistit in hoc, quòd homines diuersa volunt. Sed quicũq; habet voluntatẽ repugnãtẽ diuinæ volũtati, habet malã voluntatem: ergo quicũque non conformat voluntatem suã voluntati diuinæ in volito, habet malam voluntatem.

Art. 3.

Respondeo, dicendum, quòd sicut ex prædictis patet.* Voluntas fertur in suum obiectum secundũ quôd â ratione proponitur. Contingit autem aliquid à ratione considerari diuersimode, ita quòd sub vna ratione est bonum, & secundùm aliam rationem non bonum: & ideô si voluntas alicuius velit illud esse, secundùm quod habet rationẽ boni, est bona; & voluntas alterius si velit illud idẽ non esse, secundùm quod habet rationẽ mali erit voluntas etiam bona. Sicut Iudex habet bonã voluntatem, dum vult occisionẽ latronis, quia iusta est: voluntas autem alterius, puta vxoris, vel filij, qui vult nõ occidi ipsum, in quantũ est secundũ naturã mala occisio, est etiam bona. Cum autẽ Voluntas sequatur apprehensionem Rationis vel Intellectus, secundùm quòd ratio boni apprehensi fuerit cõmunior, secundùm hoc & Voluntas fertur in bonum communius: sicut patet in exemplo proposito. Nam Iudex habet curam boni communis, quod est iustitia, & ideò vult occisionem latronis, quæ habet rationem boni secundum relationem ad statum communem. Vxor autem latronis considerare habet bonum priuatum familiæ, & secundùm hoc vult maritum latronem non occidi. Bonum autem totius vniuersi est id quod est apprehensum à Deo, qui est vniuersi factor & gubernator: vnde quidquid vult, vult sub ratione boni communis, quod est sua bonitas, quæ est bonum totius vniuersi. Apprehensio autem creaturæ secũdum suam naturam, est alicuius boni particularis proportionati suæ naturæ. Contingit autẽ, aliquod esse bonum secundum rationẽ particularem, quod non est bonum secundùm rationem vniuersalem, aut è conuerso, vt dictum est.* Et ideô contingit, quôd aliqua volũtas est bona, volens aliquid secundũ

In isto art.

rationem particularem consideratũ, quod tamen Deus non vult secundùm rationem vniuersalem, aut è conuerso. Et inde est etiam, quôd possunt diuersæ voluntates diuersorum hominum circa oppositа esse bonæ, prout sub diuersis rationibus particularibus volunt hoc esse vel non esse. Non est autem recta voluntas alicuius hominis volentis aliquod bonũ particulare, nisi referat illud in bonũ cõmune sicut in finẽ Cùm etiam naturalis appetitus cuiuslibet partis ordinetur in bonum commune totius. Ex fine autem sumitur quasi formalis ratio volendi illud quod ad finẽ ordinatur, vnde ad hoc quôd aliquis recta voluntate velit aliquod particulare bonum oportet quod illud particulare bonum sit volitum materialiter; bonum autem commune diuinum sit volitum formaliter. Voluntas igitur humana tenetur conformari diuinæ voluntati in volito formaliter, tenetur enim velle bonum diuinum & commune; sed non materialiter, ratione iam dicta; ✻ *sed tamen quantum ad vtrumque aliquomodo voluntas humana conformatur voluntati diuinæ quia secundûm quod conformatur voluntati diuinæ in communi ratione voliti; conformatur ei in fine vltimo: secundûm autem quòd non conformatur ei in volito materialiter, conformatur ei secundum rationem causæ efficientis; quia hanc propriam inclinationem consequentem naturam vel apprehensionem particularem huius rei habet res â Deo, sicut à causa effectiua, vnde consueuit dici, quôd conformatur quantum ad hoc voluntas hominis voluntati diuinæ, quia vult hoc quòd Deus vult eum velle. Est & alius modus conformitatis secundum rationem causæ formalis; vt scilicet homo velit aliquid ex Charitate, sicut Deus vult: & ista etiam conformitas reducitur ad cõformitatẽ formalẽ quæ attẽditur ex ordine ad vltimũ finẽ; quod est propriũ obiectũ Charitatis.*

Iniſto art.

Ad primum ergo, dicendum, quôd volitum diuinum secundum rationẽ communem quale sit, scire possumus. Scimus enim quôd Deus quidquid vult, vult sub ratione boni, & ideo quicunque vult aliquid sub quacũq; ratione boni, habet voluntatem conformem voluntati diuinæ, quantũ ad rationẽ voliti, sed in particulari nescimus quid Deus velit: & quantũ ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram voluntati diuinæ. In statu tamẽ gloriæ omnes videbunt in singulis, quæ volent, ordinem eorum ad id quod Deus circa hoc vult: & ideô non solum formaliter, sed materialiter in omnibus suam voluntatem Deo conformabunt.

Ad secundum, dicendum, quòd Deus non vult damnationem alicuius sub ratione damnationis, nec mortem alicuius in quantum est mors, quia ipse vult omnes homines saluos fieri, sed vult ista sub ratione iustitiæ: vnde sufficit circa talia, quòd homo velit iustitiam Dei & ordinem

dinem naturæ seruari; vnde patet solutio ad tertium.

Ad primum ergo, quod incontrarium obijciebatur, dicendū; quòd magis vult quod Deus vult, qui conformat voluntatem suam voluntati diuinæ quantum ad rationem voliti; quàm qui conformat quantū ad ipsam rem volitam: quia voluntas principalius fertur in finem, quàm in id quod est ad finem.

Ad secundùm, dicendum, quòd species & forma actus magis attenditur secundùm rationem obiecti, quàm secundùm id quod est materiale in obiecto.

Ad tertium, dicendum, quòd non est repugnantia voluntatum, quando aliqui diuersa volunt, non secundùm eandem rationem: sed si sub vna ratione esset aliquid ab vno volitum, quod alius nollet, hoc induceret repugnantiam voluntatum, quod tamen non est in proposito.

1. *Concl.* Prima conclusio. Vt voluntas humana sit bona, necessum est quòd conformetur voluntati diuinæ in volito formali; non tamen est necessarium quòd ei cōformetur materialiter.

2. *Concl.* Secunda conclusio. Quodammodo conformatur ei humana voluntas vtroque modo, scilicet in vltimo fine & ex parte causę efficientis; quia scilicet humana voluntas vult id quod Deus vult ipsam velle.

3. *Concl.* Tertia conclusio. Est alius modus conformitatis perfectissimus ex parte causæ formalis, in quantum scilicet homo omnia quæ vult, vult ex Charitate, sicut Deus ipse.

4. *Concl.* Quarta conclusio ad primum. In statu gloriæ conformabitur humana voluntas diuinæ voluntati in omnibus, etiam in volito materiali.

DVBIVM I.

Vtrùm homo teneatur conformari diuinæ voluntati in volito formali.

PARS negatiua probatur primò. Si propter aliquam rationem ad hoc teneretur, maximè quia tenetur referre quod vult in bonum commune, sicut in finem; quæ vtique est ratio formalis volendi: sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor, nam qui peccat mortaliter, ordinat quod vult ad bonum commune, & nihilominus non conformatur Deo in volito formali: ergo illa ratio est insufficiens. 1. *Arg.* *Solutio.* Si Respondeatur, non sufficere ordinare ad bonum commune vtcūque, sed ad bonum commune diuinum. *Impugn.* Cōtra arguitur, quia etiam ad hoc non tenetur, si quidem non tenetur habere Charitatem requisitam ad hoc, vt referat quod vult in bonum diuinum: Cùm enim præcepta nō dentur de habitib⁹, nec de his quæ nō sunt in nostra potestate, cum Charitas sit habitus, habeaturq; ex auxilio supernaturali, præceptum de illa esse nō potuit. *Confirm.* Confirmatur, nam aliàs sequeretur, quòd quæcunque actio, etiam de obiecto bono facta sine Charitate, esset peccatum: consequens est falsum: ergo. Sequella probatur, nam si quis tenetur conformari in volito formali, cū talis conformatio debeat fieri per Charitatē, actio sine Charitate facta peccàtum erit, vt non conformis Deo in volito formali.

Secundò arguitur. Conformari Deo in volito formali, nihil aliud videtur, quā tendere in rem volitam sub eadem ratione formali, qua Deus tendit in illam: sed hoc est impossibile, & consequenter ad illud non tenetur homo: ergo non tenetur conformari Deo in volito formali. 2. *Arg.* Minor probatur, quia diuina voluntas differt ab humana plus quàm specie: ergo non potest humana tendere sub eadem ratione formali, atque diuina.

Tertiò arguitur, Qui cognoscit diuinā voluntatem certam & determinatam ad aliquid faciendum, & ipse vult voluntate absoluta contrarium; non conformatur formaliter diuinæ voluntati: sed est licitum hoc facere, ergo licitum 3. *Arg.*

citum est, & non tenetur conformari Deo in volito formali. Maior patet, nã tũc est oppositio in volitionib⁹: ergo nõ potest tunc vna alteri conformari formaliter. Minor verò probatur, nam, vt infra dicemus, licitum est non conformari Deo in volito materiali: ergo stante voluntate diuina circa vnum, potest voluntas humana tendere circa contrarium. *Confirm.* Confirmatur, quia Deus eodem modo videtur habere rationem mensuræ circa volitum formale, & circa volitum materiale: ergo si est licitum deuiare â Deo circa volitum materiale, similiter & circa formale.

Not.1. Pro intelligentia notandum primò ex supra dictis, art.4. hominem teneri se conformare diuinæ volũtati; cũ diuina volũtas sit norma & regula nostrarũ actionũ. Restat autẽ modo explicare, quanta & qualis debeat esse ista conformitas.

Not.2. Secundò notandum, quòd hic non loquimur de conformitate voluntatis nostræ quantum ad entitatem & in ordine ad creationem, hac enim ratione, solùm est conformitas naturæ per quandam analogam similitudinem & participationem diuini esse, sed loquimur modo de conformitate nostræ voluntatis ad diuinam in ordine ad obiectum, & in ratione potentiæ operantis moraliter: qua ratione quadrupliciter potest intelligi se conformare diuinæ voluntati, secũdùm quatuor genera causarum. Primò modo in quantum voluntas nostra vult idem quod diuina; quod videtur reduci ad genus causæ materialis. Secundò, in quantum vult nostra voluntas propter eundem finem atque diuina; quod quidẽ reducitur ad genus causæ finalis. Tertiò modo, in quantum vult nostra voluntas ex eodem habitu Charitatis vel iustitiæ, atque vult diuina: quod quidem reducitur ad genus causæ formalis. Quartò modo, in quantũ licet humana voluntas nõ velit quod Deus vult, vult tamẽ id quod Deus vult ipsam voluntatem hominis velle. *Durand.* Diuisio est Durandi in 1. dist. 48. quæst. 1. & obiectio contra Durandum quam ponit Lorca hic disp. 43. memb. 1. est nulla; *Lorca.* dicit enim, ineptum esse dicere; voluntatem humanam conformari diuinæ in eo quod velit ex habitu Charitatis; quia in diuina voluntate habitus Charitatis non est. Hæc (inquam) obiectio est nulla; nam Durandus nõ intendit ponere in Deo habitum Charitatis, sed loquitur nostro modo concipiendi, & tantum intendit modum conformitatis voluntatis humanæ ad diuinam, in eo quod ex motiuo & fine Charitatis supernaturali operetur, sicut & diuina voluntas operatur.

Tertiò notandum, in quo consistat cõformitas humanę voluntatis ad diuinam in volito formali; consistit enim, regulariter loquendo, in eo quòd ex parte operis referatur in vltimum finem & ordinetur ad illũ; vt sicut Deus quidquid vult, vult propter suam bonitatem; ita etiam, & voluntas humana volitum velit propter Dei bonitatem & bonum diuinũ ex parte ipsius operis. *Not.3.* Qua ratione peccator quando actualiter peccat, non solùm non se conformat Deo in volito materiali, sed nec in formali; quia licèt quidvult velit propter beatitudinem & bonũ perfectum; quia tamen non vult illam rationem communem boni in aliquo vetò bono, ideò non conformatur Deo formaliter; quia est conformari illi, in ordine ad eundẽ finẽ. Dixi autẽ, requiri ordinationẽ ad finẽ diuinũ ex parte operis, vt sit cõformatio in volito formali, quia ex parte operãtis non requiritur nec relatio formalis, nec virtualis; quia, vt supra diximus, & dici solet 2.2.q.10.art.4 (vbi videatur Bañez) opus moraliter bonum si *Bañez.* ne mala circũstantia, etiã factum ab Idolatra, bonum est, & formaliter conforme diuinæ voluntati, licèt ex parte operantis nullo modo in Deum referatur: refertur tamẽ ex parte operis, quatenus ipsum bonum existens, suo pondere in Deum tendit. Secus est ad rationem meriti: vt enim ait D. Tho. quæst. 24. de veritate art. 12. ad. 16. & q. 2. de malo, art. 5. ad. 7. & infra patebit q. 114. ad meritum etiam requiritur relatio ex parte operantis, siue formalis, siue virtualis. Verũ est, quòd aliquando vt opus cõformetur formaliter diuinæ voluntati; requiritur relatio ex parte operãtis in bonum diuinum; nimirum quando currit præceptũ (verbi gratia) contritionis vel Charitatis, referendi se & omnia sua in Deum. Nostra tamen doctrina regulariter est vera, opus esse conforme diuinæ voluntati formaliter sine relatione operãtis; quia quãdo non est præceptum talis relationis, ipsummet opus ex se ipso potest tẽdere in finem diuinum.

D. Tho.

Quar

Not. 4. Quartò notandum, quòd vt verificetur, voluntatem humanam conformari formaliter voluntati diuinæ, non requiritur vt positiuè & expræsse velit omnem rationem boni; quam Deus vult in tali volito, etiam si constet de diuina voluntate; sed sufficit vt id velit quasi negatiue, ita vt nulla ratio boni nullus finis, nullus ordo diuinæ prouidentiæ circa tale volitum displiceat humanæ voluntati, vel ab illa reprobetur. Ratioquè huius est manifesta, nam cum Deus, sit vniuersalis rerum gubernator, plures rationes conuenientiæ varioſque fines intendit, quos nulla creatura prouidere potest nec tenetur, cùm non possit adæquarè diuinæ prouidētię: si tamen ad omnem conscēdere non potest, fileat & nullum repræhendat, sed vt bonum & à Deo intentum approbet.

Conclusio. Concluſio ergò D. Thom. manifeste patet ex dictis, qualiter quis teneatur conformari diuinæ voluntati in volito formali: non tamen obligatio talis conformitatis est ex aliquo speciali præcepto, vt docet D. Thom. quæst. 23. de verit, art. 7. ad. 2. & 3. nam aliàs, quando quis frangit ieiunium (verbi gratia) committeret duplex peccatum: alterum contra præceptum ieiunij: alterum verò contra præceptum se conformandi cum Deo in volito formali, quod nullus asseruit. Prædicta ergo obligatio potest reduci in naturalibus ad præceptum naturalis dilectionis Dei, in supernaturalibus autem, ad præceptū Charitatis. vel generaliter potest dici reduciad præceptum obedictiæ. Ex quo sequitur, quod cum sit præceptum affirmatiuum non obligat pro semper, sed tempore necessitatis, licèt pro semper teneatur non facere contra diuinum volitum formaliter.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum â principio, bene ibi responsum est: ad conformitatem cum Deo in volito formali non sufficere tendentiam ad bonum in communi sed ad bonum diuinum, quod non fit in peccato: nec requiritur tendentia ad bonum diuinum, vt finis Charitatis, vt fiat relatio per ipsam; sed sufficit ad bonum diuinum, vt intra ordinem naturæ qualiter respicitur etiam per opera bona moraliter, nisi quando specialiter currit præceptum relationis per Charitatem (vt diximus) & per hoc patet ad confirmationem.

Ad secundum argumentum respondetur, ad conformitatem voluntatis humanæ cum diuina sufficere, vt voluntas humana tendat in bonum diuinum tendentia analogicà cum ipsa voluntate diuina, & non requiritur tendere sub eadē ratione formali specifica. *Ad 2. arg.*

Ad tertium respondetur, posse discordare voluntatem humanam à diuina in volito materiali, non tamen in formali: quia primum, non importat repugnantiam ad diuinam voluntatem sicut importat secundum (in quo consistit ratio peccati) quia dum materialiter voluntas humana tendit ad contrarium voluntatis diuinæ, potest esse vt non solum non repugnet voluntati diuinæ, sed potius ipsi conformetur formaliter, quia hoc ipsum vult voluntas diuina, vt voluntas humana ex motiuo humano vel particulari tendat ad oppositum ipsius voliti à voluntate diuina, & per hoc patet ad confirmationem: Voluntas enim diuina non habet rationem mensurę & regulæ in ordine ad volitum materiale, sed in ordine ad formale, cui voluntas humana debet concordare. *Ad 3. arg.* *Ad conf.*

DVBIVM II.

Vtrùm voluntas humana teneatur velle quod diuina voluntas vult ipsam voluntatem humanam velle, quod est voluntatem humanam conformari voluntati diuinæ in genere causæ efficientis.

PARS negatiua probatur, quia cōformitas hæc secundū D. Tho. cōsistit in hoc, quod velimus, quòd Deus vult nos velle; sed ad hoc, non tenemur ergo. Probatur minor ex D. Anſel. lib. de simili, c. 159. vbi dicit, quod non tenemur velle id quod Deus vult nos velle, sed tantum id quod Deus vult nos velle debere & ratione probatur, quia alias sequeretur, quod si modo cessarē ab hac lectione, peccarē, nā me legēte modo, Deus vult quod legā quia me legere est effectus efficacis volūtatis Dei: ergo si tenemur cōformari tali voluntati; peccatum erit cæssare à tali actione, hoc autem est falsum, ergo. *1. Argu.* *D. Anſelm.*

Sed pro parte affirmatiua etiam arguitur. Nam si aliqua ratione non teneremur sic conformari, esset quia non manifestatur nobis diuina voluntas per præceptum; sed hæc ratio est nulla ergo. Maior conceditur ab omnibus, minor verò est D. Thom. quæst. 23, de veritate art. 8 ad. 3. vbi assignans differentiam inter præceptum Prælati & eius voluntatem, & inter voluntatem diuinam, dicit, quod nō tenemur conformari voluntati Prælati, nisi quando nobis manifestatur per præceptum, voluntati verò diuinæ tenemur conformari etiam si præcepto non manifestetur.

Nota. Pro resolutione notandum, quod dici solet 1.p.q 19.art.4. quod diuina voluntas vniuersalissima, est causa omnium effectuum, efficaciter determinans etiā voluntatem hominis, ad quamcunque bonā operationem. Hæc efficax volūtas Dei, aliquando manifestatur præcepto, aliquando uero si ne præcepto solùm manifestatur in ipso effectu. Itaque non dicimus voluntatem Dei præcepto manifestatam esse efficacem nam aliquando per præceptum manifestatur voluntas signi, quæ efficax non est nec ad implenda (vt dicemus dubio sequēti) & patet, quā

Genes. 22. do præcepit Abrahæ Genes. 22. vt immolaret filium, fuit enim voluntas præcepti & signi, non tamen efficax; & idē patet in voluntate præceptorum, quæ quotidie frangimus, non enim frangerē tur, si voluntas illorū esset efficax. Quod ergo dicimus est, quod etiā voluntas Dei efficax potest esse alicuius voliti præcep t & aliquando non præcepti, vt, verbi

Genes. 12. gratia, quando Genes. 12, dixit Deus Abrahę: Exi de terra tua, &c. Volūtas fuit efficax & simul explicata præcepto, at verò me legente, volūtas Dei efficax est vt legam, ipso effectu manifestata, non tamen præcepto aliquo.

1. Concl. *Prima conclusio.* Voluntas humana in omni actione bona necessariò conformatur voluntati diuinæ in genere causæ efficientis, volendo, id quod Deus vult ipsam velle, hæc est D. Tho. hic, & patet ex notabili. Nam si voluntas Dei est causa efficax meę volitionis bonę, necessum est, vt habendo talem volitionem bonam velim, quòd *Deus* vult me velle.

2. Conc. Secunda conclusio. Non tenetur homo conformari voluntati diuinæ in genere causæ efficientis, nisi quando diuina voluntas manifestatur præcepto. Hęc est D. Anselmi loco citato in primo argumento, quo efficaciter probatur hæc cōclusio. Secundò probatur ex D. Aug. *D. Aug.* lib, 22. contra faustum ca. 27. tom. 6. vbi dicit quod peccatum est dictum vel factū vel concupitum contra legem Dei: ergo si voluntas Dei non præcipit aliquid, nō potest homo peccare non se conformando tali voluntati: quia voluntas Dei non habet rationem legis, nisi præcipiendo. Tertiò probatur. Non tenetur quis conformari volūtati Prælati nisi interueni t præceptū: ergo nec voluntati diuinę, nisi præceptū ad sit. Patet consequentia, quia in hoc par ratio est: nec in hoc ponit differentiam D. Tho. vt explicabimus ad secundum.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum à principio, iam diximus probare primam conclusionem, nec esse contra secundam.

Ad 2. arg Ad secundū argumentū, quod directè militat contra secūdā conclusionē, respō detur primò, quòd D. Tho. loquitur de conformitatè cū voluntate diuina in volito formali, qua ratiōne diximus, teneri hominē Deo conformari; etiā non ſtāte speciali præcepto: volūtati verò Prælati non tenemur cōformari, nisi præceptum particulare interueniat, & in hoc ponitur differētia à D. Tho. Secūdo respondetur, quòd D. Tho. loquitur de illis quæ sunt mala quia prohibita, in his enim nō tenemur cōformari Deo, nisi ex interuē tu præcepti, & in hoc est eadem ratio volūtatis diuinę & voluntatis Prelati: dātur tamē aliqua intrinsecè mala & prohibita quia mala, & in his, etiā si non esset præceptum, teneremur conformari voluntati diuinæ, quia licèt non conformari tūc, non esse peccatū, quia, vbi nō est lex, nec præuaricatio, esset tamē malum quia de malo obiecto, vt supra diximus & in hoc ponitur differētia D. Tho. nam in ordine ad voluntatem Prælati non præcipiētē, non est malum non se illi conformare.

2. Sol.

DVBIVM III.

Vtrùm voluntas humana teneatur cō formari voluntati diuinæ etiam in volito materiali.

1. Arg. PArs affirmatiua probatur primò. Peruersitas est, præferre maiori bono quod est min⁹, vnde quis tenetur eligere quod

quod melius est, sed quod Deus vult est melius quocūq; alio cōtrario quod volū tas humana potest velle: ergo tenebitur velle quod Deus vult & non oppositum.

2. Arg. Secundò arguitur. Secundùm D. Gre
D. Greg. gor. Omnis Christi actio, nostra est instructio, sed Christus Dominus conformauit se diuinæ voluntati etiam in volito materiali: ergo id ipsum nos debemus facere. Minor patet ex illis verbis. Nō sicut ego volo sed sicut tu.

3. Arg. Tertiò arguitur. Qui non se conformat diuinæ voluntati etiam in volito materiali, facit contra legem æternam: ergo
D. Aug. peccat. Consequentia patet ex diffinitione peccati iam tradita ab August. Antecedens verò probatur ex eodem ibidem dicente, lex verò æterna est ratio diuina, vel voluntas Dei ordinem naturalem cōseruari iubens, perturbari vetans. Qui ergo facit contra Dei voluntatem,
Confirm. contra legem æternam facit. Confirmatur nam eo ipso quod diuina volūtas aliquid velit, est iustum & sanctum: ergo velle oppositum non potest non esse malum & peccatum.

4. Arg. Quartò arguitur. Omnes tenemur velle in vniuersali, quod diuina voluntas in omnibus impleatur: ergo post quam constiterit in particulari hanc esse Dei voluntatem, tenebitur illi conformari. Consequentia patet, nam alias sicchè & ociosè volebamus, vt voluntas Dei in omnibus impleatur; quia singulares in vniuersali continentur, & ad veritatem vniuersalis, veritas singularium requiritur. Antecedens vero probatur ex
Matth. 6. frequenti voce Iustorum. Matth. 6. fiat voluntas tua, sicut in cœlo & interra. In cœlo autem omnes conformantur volūtati diuinæ etiam in volito materiali, & vniuersaliter in omnibus (vt docet D. Tho. ad primum) ergo sic debemus interra petere & optare vt in omnibus etiam in volito materiali, diuinæ voluntati con
Confirm. formemur. Cōfirmatur, nam hæc est lex amicorum vt idem sit velle & nolle, vt docet Cicero lib. de amititia, sed non dicetur idem velle homo quod Deus, nisi conformetur illi etiam in volito materiali: ergo ex amicitia inter Deum & hominem talis concordia & conformatio requiritur.

5. Arg. Quintò arguitur. Tenemur conformari Deo in volito formali vt iam diximus, sed aliquando non potest esse ista conformitas nisi etiam in volito materiali cōformemur: ergo non semper poterimus discordare à Deo etiam in volito materiali. Minor probatur, quando Deus vult infligere nobis aliquam pœnam, volitum materiale est pœna, volitum vero formale est ratio volendi talem pœnam, sed ratio volendi pœnam est quatenus nobis est malum, quod vtique inseparabile est ab ipsa pœna. Non enim potest velle malum nobis per pœnam & nō velle ipsam pœnam: ergo qua ratione tunc tenetur conformari in volito formali, tenebitur, & conformari in volito materiali: si quidem vnum ab altero est inseparabile.

6. Arg. Sextò arguitur ex illo facto Samuelis
1. Reg. 16. 1. Regum, 16. cui dixit Dominus. Vsque quo mihi luges Saulem quem ego proieci à facie mea, vbi increpat Samuelem, non quia non se conformabat in volito formali (hoc enim de facto Propheta non est præsumendum) ergo quia non se conformabat in volito materiali.

7. Arg. Septimò arguitur. Nam ex opposita sententia sequitur, quod possit homo velle contrarium illius, quod Deus vult, & possit conari ad oppositum, etiam si sibi constet de efficaci voluntate diuina: consequens est falsum ergo. Sequela patet, nam idem est non se conformare & oppositum velle, & qui oppositum velle potest, similiter & ad illud conari. Minor verò probatur, quia videtur vanum & consequenter irrationabile, conari ad oppositum diuinæ voluntatis, nam in eo fateretur Deum esse mutabilem, sicut perinde opere fatetur Deo mendatium placere, quo irrationabilius esse nō potest nec quid magis vanum: quia voluntati eius efficaci, quis resistet?

8. Arg. Vltimò arguitur, quia hæc videtur esse sententia D. Tho. in 1. dist. 48. q. vni-
D. Thom. ca, art. 4. in corp. vbi dicit: quòd licet voluntas vt natura, & appetitus sensitiuus, possint refugere quod Deus vult, voluntate tamen deliberata tenemur conformari diuinæ voluntati in volito, & videtur quod claræ loquatur de volito materiali: & idem videtur sentire D. Aug. Psalm.
D. Aug. 35. in illa verba: & iustitiam tuam his qui recto sunt corde, vbi docet nostram voluntatem rectā non esse, si ei displiceāt mala pœnæ à Deo inflicta, cuius verba sunt. Voluntas tua corrigenda est ad voluntatem Dei, non illa curuanda est adte & rectum habebis cor.

Alexand. D. Bonau. Gabriel. Greg.

Propter hæc argumenta tenent hanc partem affirmatiuam, Alexander 1.p.q. 42.memb.5.D.Bonuanent.in 1.dist.48. art.2.q.2.Gabriel.ibidem q.vnica & super canon,lect.68.Greg.q.1. concluſ.2. & illam approbant vt probabilem, Ricardus art.2.q.1.& Durand.q.2.licèt iſti authores non ita vniuerſaliter idem aſſerant,ſed aliter & aliter limitent prędictam ſententiam. Alexander & D.Bonauent.dicunt ad id teneri ſecundùm volũtatem rationalem,dicet quis poſsit ad cõtrarium diuinæ voluntatis tendere per voluntatem naturæ aut ſenſualitatis. Itẽ Alexander & Gabriel.dicunt,nos teneri ad huiuſmodi conformitatem, niſi nobis conſtet Deum velle vt non conformemur illi in tali volito materiali; vt vere nobis conſtat,quando Deus vult aliquid nobis incongruens vt damnationem, vel

Greg.

ægritudinem, aut mortem. Gregorius verò dicit ad huiuſmodi conformitatem teneri niſi expreſſe à Deo reueletur, vt nos nõ cõformemur illi. Durandus verò, vniuerſaliter aſſerit nos teneri in tali volito conformari negatiuè non diſſentiendo actu poſitiuo, licèt nõ teneamur actu poſitiuo conſentire.

Not.

Pro intelligentia notandum quod in Deo duplex voluntas eſt diſtinguenda noſtro modo concipiendi; vt conſtat ex D.Tho.1.p.q.29.ar.11.& q.12.alia quidem voluntas abſoluta & efficax,quę vocatur bene placiti â D.Tho.q.citata, art. 6.ad.1.quæ quidem ſemper impletur, &

Pſal.113. Ad Rom.9.

de illa verificatur illud Pſal. 113. omnia quæ cumque voluit fecit,& ad Rom. 9. voluntati eius quis reſiſtet,hæc voluntas alio nomine dicitur à Sanctis, voluntas conſequens, licèt etiam in rigore poſsit eſſe voluntas antecedens & beneplaciti; quod bene explicat Gabriel ſuper canõ lect.68.à principio,& hæc quidem volũtas nobis conſtare non poteſt,niſi per diuinam reuelationem, & per opera ipſa quæ fiunt:eſt enim euidens argumentũ, quod ſi aliquid fit in ipſis rebus præter peccatum,id Deus voluntate beneplaciti vult fieri efficaciter;alia vero eſt voluntas in Deo, quæ vocatur voluntas ſigni; quæ quidem tantùm metaphorice vocatur voluntas; quia formaliter non eſt in Deo,ſed talis dicitur tantùm ab effectu, ſecundùm quòd res volita dicitur explicare voluntatem. Quod ergo Deus præcipit,vel prohibet vel cõſiliatur,vel permittit,dicitur velle,quiâ huiuſmodi ſigna ſunt voluntatis, licet in Deo non ſit volũtas efficax eorum quæ præcipit (aliàs enim implerentur & fierent) dicitur tamen Deus illa velle per metaphoram, quia in nobis ita contingit quod vere & realiter volumus id quod præcipimus. Qua propter hæc diuiſio voluntatis, bene placiti & ſigni potius eſt diuiſio quid nominis,quàm quid rei, ſecundũ Caiet. & Gabrielem loco citato:& vt plurimũ poteſt eſſe diuiſio analogi in ſua analogata,alias diuiſiones voluntatis diuinæ aſſignant moderni,quæ modo non attinẽt ad propoſitum.

Not.2.

Secundò notandùm,quòd ex parte noſtra etiam voluntas debet diuidi ſecundùm diuerſam conſiderationem. Primò enim conſideratur voluntas vt natura,ſecundo vt rationalis,& iſta adhuc dupliciter: Primò ſecundum portionem ſuperiorem & regulas diuinas. Secundò, ſecũdùm portionem inferiorem & regulas humanas. Voluntas autem vt natura modo accipitur, ſecundũm quòd includit etiam appetitum ſenſitiuum.

Not.3.

Tertiò notandum, quòd voluntas humana tripliciter poteſt aliquid velle. Primo voluntate conditionata & imperfecta quæ vocatur velleitas,vt volitio retinendi,merces in tempeſtate quas de facto nauta proijcit in mare. Secundò voluntate abſoluta nulla ſuppoſita conditione per complacentiam rei in ſe ipſa. Hæc autem duplex eſſe poteſt, altera inefficax quæ ad opus non extenditur, altera verò efficax quæ in opus prorũpit.

Not.4.

Quartò notãdũ,quòd volitũ âDeo poteſt eſſe vel ignotum vel notum, & notũ quidem vel generali quadam manifeſtatione vt in ipſo opere poteſt manifeſtari vt manifeſtatur voluntas Dei pluendi quando pluit,aut vero poteſt manifeſtari peculiari quadã reuelatione, & hoc adhuc dupliciter. Primò ſolùm manifeſtando,ſecundo cũ manifeſtatione etiã prędicatiõis. Vt ergo â notioribꝰ incipiamꝰ ſit.

1.Concl.

Prima cõcluſio. Quando diuina voluntas nõ innoteſcit nobis in re ſingulari agẽda,nõ ſolũ nõ tenemur cõformari diuinę volũtati in volito materiali;ſed iuſtè, & meritorie poſſumus in cõtrariũ velle.

2.Reg.7.

hoc patet 2.Regu.7. vbi narratur quod Dauid voluerit ędificare tẽplũ Domino, quod tamẽ Deus nolebat per ipſũ ędificari ſed per Salomonẽ:nihilominꝰ tamẽ illa volun-

voluntas Dauid fuit recta, quare ipsum
3. Reg. 8 laudauit Dominus 3. Reg. 8. Quod cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, benefecisti hoc ipsum mente tractans. Item in Ecclesia omnes tenemur orare pro omnibus hominibus & velle illis salutem æternam, cum tamen Fides doceat multos esse reprobos, quibus Deus vult nõ conferre salutem æternam, & hoc ideò, quia non agnoscimus decretum diuinum; vnde sumitur clara ratio pro conclusione, nam aliquis nõ tenetur velle quod non tenetur scire, cum ad velle supponatur scire: sed homo non tenetur scire voluntatẽ beneplaciti Dei,
D. Paul. hoc enim est impossibile iuxta illud Pauli, quis cognouit sensum Domini? ergo nec tenetur velle quod non agnoscit esse à Deo volitum.

2. Concl. Secunda conclu. Quandocumque voluntas Dei nobis innotescit per præceptum vel prohibitionem, tenetur homo se conformare voluntati diuinæ. Hæc manifesta est, nam oppositum velle est contra legem diuinam: ergo peccatum, vt patet ex diffinitione illius. Tota ergo difficultas remanet quando diuina voluntas beneplaciti & absoluta nobis constat, nõ tamen interueniente præcepto peculiari. Vtrum eo ipso quod diuina voluntas sit cognita, teneamur illam sequi: & in primis supponimus non posse agere contra illam murmurando, aut malũ in Deũ dicendo, vel obloquendo, vel sublatrando, sed quod debet æquo animo patienter tolerare quod Deus facit; nam qui cõtra Deum obloquitur, impius est, de quo dicitur quis resistit ei & pacem habuit? in isto enim sensu, omnes Theologi conueniunt, hominem teneri in nullo diformari diuinæ voluntati: quòd explicat
D. Aug. August. tom. 8. super illud Psalm. 100. non adhæsit mihi cor prauum scilicet distortum. Dicitur enim cor hominis rectum quia vult omnia quæ Deus vult saltim negatiuè, per non resistentiam, vt ibi ait August. Remanet autem difficultas, si stante manifesta Dei voluntate, iam quod contra ipsam latrare non possit, possit non stante præcepto, ad obiectum oppositum diuinæ voluntatis, humana voluntas tendere.

3. Concl. Tertia conclusio. Etiam si diuina voluntas nobis innotescat, non tenemur cõformari illi, secundùm appetitum sensitiuum, vel secundum voluntatem, vt est quædam natura. Hęc patet, nam aliquando Deus vult nos ægrotare, & nihilominus sine peccato dolemus de infirmitate vt de inimica naturæ, & corrumpente totum suppositum, quare Christus Dominus, cuius erat rectissima voluntas, abhorrebat mortem, cœpitque pauere & tędere & dicebat: Pater mi, si possibile est transeat, &c.

4. Concl. Quarta conclusio. Voluntas humana etiam vt rationalis, potest velle oppositum illius quod Deus vult, etiam si sibi constet de voluntate diuina, potest (inquam) oppositum velle, voluntate conditionata & inefficaci. In hac conclusione etiam contrarij conueniunt: nam voluntas conditionata est imperfecta, & non opponitur volitioni absolutę, vt patet in proijciẽte merces in mare, qui simul absolutè vult proijcere, & conditionaliter vellet non proijcere. Licèt enim vtraquè volitio versetur circa idem obiectum, nõ tamen sub eadem ratione, vt supra diximus quæst. 6. quare sibi non contrariantur, & conclusio adeò est vera, vt etiam si diuina voluntas non solùm manifestetur, sed etiam interueniat præceptum, posset humana voluntas, circa oppositũ habere huiusmodi volitionem conditionatam, vt patet in Christo. Manifesta enim erat ei diuina volũtas, & simul præceptum moriendi, & nihilominus hac volitione conditionata & imperfecta volebat non mori.

5. Concl. Quinta cõclusio. Etiam si diuina volũtas sit manifesta, si non interueniat præceptum, potest humana voluntas velle oppositum volitione absoluta & perfecta, si talis volitio non sit efficax nec prorumpens in opus ad oppositum. Hanc etiam tenent contrarij bene inspecti, &
Psal. 119. patet Psalm. 119. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, & ad Philip 1
Ad Philip. 1. Cupio dissolui & esse cùm Christo, absolutè volebant mori licet eis esset manifesta diuina voluntas vt viuerent. Id docet
D. Aug. August. in Enchirid. cap. 101. dicens, aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quòd Deus non vult, & ipse bona multo amplius multoque certius voluntate, nam illius mala voluntas esse nunquam potest, tanquam si bonus filius Patrem velit viuere, quem Deus bona volũtate vult mori. Et ratio huius est manifesta, nam in eadem re potest esse diuersa ratio, vt secundùm alteram congruat di-

uinæ prouidentiæ, de quo nihil ad homi nem, & secundùm alteram homini sit no xia, & sic possit illam respuere. Vnde propriè loquendo, non est contrariari di uinæ voluntati, cùm vtraque voluntas, altera volendo & altera respuendo, tendat secundùm diuersam rationem, & certè durum & graue iugum esset, vt in quibuscunque aduersis, homines nō possent habere voluntatem contrariã. Hanc rationem ponit Mag. loco citato dist. 48. & Aug. etiam vbi suprà, dicens: Multum enim interest quid velle homini, quid velle Deo congruat, & ad quem finem suamquisque referat voluntatem. Iam ergo solũ remanet difficultas. Vtrũ homo voluntate absoluta & efficaci possit tẽdere in oppositum illius quod Deus vult, adhibendo diligentiam vt tale oppositum consequatur etiam si sibi constet de voluntate diuina, nõ tamen interueniente præcepto: sit ergo.

D. Aug.

6. Concl. Sexta conclusio. Quando diuina voluntas innotescit solo opere & communi lege qua res fieri solent, potest voluntas humana absolutè & efficaciter velle oppositum, siue possit impedire, siue non, rem à Deo volitam. Pro explicatione notandum, quædam à Deo esse volita & cõmuni lege manifestata, quæ à nobis impediri non possunt vt sunt pluuiæ, &c. Alia verò sunt quæ à nobis sunt impedibilia vt infirmitates, &c. Dico ergo, quòd quomodocumque res à Deo sit volita & ipso opere manifestata eius voluntas siue res sit impedibilis siue non, voluntas humana non tenetur Deo conformari in tali volito. Hæc conclusio iam est contra omnes authores positos in principio; est tamen expressa D. Thom. hìc, quem sequuntur omnes eius discipuli, immò Duradus in 1. dist. 48. quæst. 2. & Marsilius quæst. 47 art. 2. concl. 6. Richardus dist. 48 quæstio. 1. licèt isti etiam oppositum censeant probabile. Hanc conclusionem probat fundamentum præcedentis conclusionis cum D. August. ibi citato. Ratio enim ibi adducta est D. Thom. & elegantissima, vt probet etiam istam cõclusionem. Nam quæ Deus vult, bona sunt, & ab ipso volita sub ratione bona, nempe propter bonum iustitiæ, vel bonum vniuersi, vel propter aliud bonum commune & vniuersale, eadem autem volita à nobis, habere possunt rationem mali, & secundùm particularem rationem nobis disconuenire. Stat ergo quòd simul à Deo sint volita secundùm priorem rationem, & propter posteriorem, secundùm quam sunt mala à nobis detestẽtur, quia in hoc non est contrarietas, cùm sit secundùm diuersam rationem, sicut & de eadẽre secundùm diuersam rationem potest esse gaudium & tristitia, immò vt rectè ait D. Thom. dum videtur voluntatem humanam elongari à Deo, dissentiendo in volito materiali, potiùs conformatur illi conueniendo cum illo in volito formali: nã multoties hoc ipsum vult Deus, vt homo conetur ad oppositum, dummodo de Deo volente contrarium nõ conquęratur, sed taliter in oppositũ tẽdat, vt id ipsum ordinet in bonum diuinũ, & vt Deo placeat, & in hac quasi cõtraria tendẽtia materiali, quia est cõuenientia formalis, non solum nõ dissoluitur amicitia, sed potiùs confirmatur, quia non est discordia sed concordia, vt optimè dicit D. Thom. 2. 2. quæst. 37. art. 1. in corpore & ad 3. ostendit enim qualiter inter Barnabam & Paulum non fuit discordia volũtatũ, licet interse voluerint diuersa, adeò vt ab inuicem separarentur quasi discordes, vt habetur Actorum 15. De quo videatur Chrisostо. Hom. 34. in Acta Apostolorum tom. 3 D. Augustt. tom. 4. libr. de vera amicitia, vbi eleganter loquitur circa hoc. Similiter non fuit discordia voluntatum inter Gabrielem & Angelum Persarum, propter eandem rationem, vt docet D. Thom. 1. part. quæst. 113. art. 8. & D. Greg. lib 17. moral. cap. 7. Deniq; Patet conclusio ex communi vsu fidelium, qui vt talia mala quæ patimur Deo volente, remoueantur, multiplicant preces & obsecrationes publicas, & etiam solemnes in Ecclesia.

Not.

D. Tho. Dnrand. Marsil. Richard.

Act. 15. D. Chris. D. Aug. D. Tho. D. Greg.

7. Conc. Septima cõclusio. Quando diuina voluntas innotescit reuelatione aliqua secũdùm communem modum & legem, non tenemur conformari illi in volito materiali sed possumus velle oppositum. Hęc probatur, diuersis exemplis Sanctorum. Exodi 32. orabat Moyses pro populo ne Dominus mitteret illis mala quæ minabatur: & Deuteronom. 3. orabat pro ingressu in terram promissionis, cùm tamẽ Num. 20. Dominus reuelasset ipsum nõ ingressurum terram promissionis. Item 2. Regum 12. orabit Dauid pro vita filij habiti ex adulterio, cùm tamen Prophęta Natam reuelasset illum moriturum in pœnam

Exod. 32. Deut. 3. Num. 20. 2. Reg. 12.

4. Reg. 20. pœnam peccati, & 4. Reg. 20. orabat Ezechias pro vita cum sibi esset reuelatum migraturum ab illa. Si respondeatur in his locis non constare de efficaci voluntate Dei, quapropter orabant pro contrario, existimantes illam esse comminationem, quam oratione possent euadere; vnde quando Dauid cognouit voluntatem efficacem Dei & vidit paruulum mortuum, cessauit à lachrymis & fletu, fateor posse sic responderi, sed adijciamus loca fortiora, quibus conclusio probetur etiã cognita voluntate efficaci, vt est illud ad Philip. 1. vbi Diuus Paulus certò sciebat voluntatem efficacem Dei esse, quod ipse non migraret â vita; & nihilominus dicit cupio dissolui & esse cum Christo, & Actorum 21. habetur, quòd Agabus Propheta apprehendit zonam D. Pauli & ligabit pedes illius, & dixit. Virum cuius est zona ista, sic alligabunt Iudæi in Hierusalem, & tunc cœperunt omnes fideles adstantes precibus obsecrari Deum, vt à Paulo hæc mala semoueret, super quem locum, D. Augustin. in Enchirid. cap. 101. dicit: Quam bene apparebat voluntas fidelium piorum, qui nolebãt Apostolum ad Hierusalem pergere, ne illic pateretur mala, quæ Propheta Agabus dixit. Ecce qualiter stante cognitione voluntatis efficacis, voluntas humana tendere ad oppositũ potest, & ipse D. Aug. morti propinquus deplorabat qp ciuitas Hipponẽsis obsessa esset ab exercitu Barbarorum, & conabatur lachrymis ad oppositum, licet sciret id fieri ex volũtate efficaci Dei.

Solutio.

Impugn. Philip. 1.

Act. 21.

D. Aug.

1. Concl. Octaua conclusio. Etiam stante particulari reuelatione voluntatis diuinæ, nõ tenetur homo conformari illi, sed potest velle oppositum, vt si alicui Deus reuelaret suam damnationẽ (qui casus possibilis est licet oppositum teneat D. Bonauent. in 1 dist. 48. quæst. 2.) nihilominus posset salutem æternam desiderare. Hæc patet eadem ratione sicut præcedentes, nam effectus, qui in ordine ad voluntatem diuinam est bonus & damnatio, quę diuinę prouidentię vel iustitiæ cõgruit, respectu volũtatis humanę est quodã malũ: ergo sic potest detestari homo quòd à Deo est volitum. Secundò probatur. In illo casu homo teneretur desiderare salutem æternã ex præcepto charitatis, quod tamen per illam reuelationem non tollitur: ergo poterit detestari oppositum: nam eadem est ratio appetendi aliquid, & detestandi oppositum eius. Confirmatur. In illo casu ille tenetur implere alia præcepta: ergo poterit velle oppositum damnationis. Consequentia patet, nam velle impletionem mandatorum, est velle salutem æternam, quæ est finis talis impletionis, iuxta illud. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, & consequenter est detestari damnationem contrariã. Antecedens verò probatur. Nam ex tali reuelatione, vel cessant præcepta, vel nõ: si nõ cessant, potest & tenetur illa implere, si cessant, efficitur casus damnationis impossibilis, nam si non sunt præcepta, ille manet impeccabilis, quia peccatum debet esse contra præceptum, & consequenter si reuelatio est facta existenti in gratia, casus damnationis efficitur impossibilis. Tertiò probatur, etiam mihi facta reuelatione quod sim in peccato, possum velle oppositum: ergo nihil ad rem reuelatio, vt non possim ad contrarium tendere. Si respondeatur cum Lorca quod peccati Deus non est causa, nec habet voluntatem; vnde possum oppositum velle, quia non est contradicere diuinæ voluntati; hoc autem inconueniens sequeretur in alijs volitis â Deo, & quorum ipse est causa. Contra arguitur. Nam ad minus sequeretur teneri velle me non habere gratiam, nam hoc pœna est peccati, & à Deo est volitum, & illius est causa. Ad hoc quidam respondet satis mirabiliter & absurdè, quòd homo pro illo tunc, tenetur velle nõ esse in gratia, quia pro tũc ita placet Deo, absolutê tamen non tenetur velle non esse in gratia, quia pro alio tempore potest velle habere illam. Contra tamen arguitur, quia si pro illo tunc teneor velle esse extra gratiã: ergo pro illo tũc nõ teneor velle exire â peccato, & tũc sit casus qp sim in articulo mortis, vel sit tempus suscipiendi Eucharistiam, quãdo est præceptum contritionis: quomodo tunc teneor velle non esse in gratia, & non potius erit laudabile pro illa Deum obsecrari? Confirmatur. Nam si statim post peccatum pœniteat homo de amissione gratiæ, bene faciet & ex alia parte tenetur velle non habere gratiam: ergo simul stabit ad duo contradictoria. Vltimo probatur conclusio. Ratione efficaci Durandi vbi supra: Nam de obedientia Dei loquendum est admodum obedientiæ Prælatorum; sed certum est, quòd etiam cognita voluntate Prælati, si nõ sit

Solutio.

Impug.

Solut.

Impug.

Confirm.

Durand.

præ-

præceptum,non teneor velle, quod ipse vult,vt si vult comedere,nō teneor velle quod ipse comedat: ergo pariter dicendū est de Deo. Itaque Deus tripliciter potest aliquid velle, vel præcipiendo, vel consiliando, vel neutrum horum faciendo,sed in ordine ad nostram voluntatem volendo ipse quod sibi placet: quando ergo vult præcipiendo, vult vt ex præcepto conformemur illi, & quando vult consiliando, vult vt non amplius quam ex consilio conformemur ei, & quando tertio modo vult,vult vt nostra voluntas libera maneat ad quamlibet partē, & pro suo libito eligat, licèt diuina voluntas determinatè alteram partem elegerit. Itaque diuina reuelatio nec ponit,nec tollit præceptum, sed res manent secundùm proprium statum & naturam vniuscuiusque.

Corolar. Vazquez. Lorca. Ex dictis sequitur fruſtraneam esse distinctionem quam in præsenti assignant Vazquez & Lorca,quòd res potest considerari quātùm ad inceptionem, vel quātum ad cōtinuationem,& quòd licét quātùm ad continuationem,possit homo velle & conari ad oppositum, quia de hoc non constat diuina voluntas;pro tempore tamen quo durat,de quo diuina voluntas constat, ad oppositum conari non potest,probauimus enim quòd siue sit,siue non,siue cognoscatur, siue non cognoscatur diuina volūtas nōstante prȩcepto, homo potest velle quodsibi placuerit.

9.Consl. Nona conclusio.Facta particulari reuelatione determinationis voluntatis diuinæ,non potest homo ita velle oppositum efficaciter, vt diximus in præcedenti,vt conetur formaliter adhibendo media ad oppositum diuinæ voluntatis; bene tamen potest conari ad oppositū materialiter, adhibendo media, quæ ex se sunt contraria effectui ordinato à Deo, non stante præcepto vt diximus, & hoc etiam in casu reuelationis propriæ damnationis,& generaliter in omnibus, siue dependeant, siue non dependeant à nostro libero arbitrio. *Lorca.* Hæc conclusio est contra Lorcam hic, asserentem quod licet quis possit non stante præcepto velle oppositum diuinæ voluntatis,siue volitione conditionata, siue absoluta & perfecta non efficaci, non tamen volitione efficaci apponendo media contraria. *Vazquez.* Est etiam contra Vazquez distinguentem de volito à Deo,quod aliud sit exequendum à nostro libero arbitrio, aliud verò non: dicit ergo quod si volitum à Deo non pertineat ad nostrum liberum arbitrium, non potest homo conari & adhibere media ad contrarium,quia hoc esset intendere impossibile & blasphemum nempe destruere efficaciam diuinæ voluntatis,quando verò volitum à Deo pertinet ad nostrum liberum arbitrium, potest homo ponere media ad contrarium; quia hoc(inquit)nō est conari ad destructionem efficaciæ diuinæ volūtatis,nam talis efficacia non est antecedenter ad liberum arbitrium(sicut est respectu aliorum quæ ab ipso arbitrio non dependēt) quapropter manet locus in arbitrio vt sine læsione efficaciæ Dei,tendat quò voluerit.Supponit enim iste author vnum falsum,quòd efficacia Dei non antecedat ad liberum arbitrium, de quo nos supra quęst.10.egimus,& amplior habetur sermo in materia de auxilijs. Vnde statuto & pro certo habito in præsenti quod efficacia Dei antecedit ad liberum arbitriū, eadem erit ratio de omnibus siue dependeant, siue non, à libero arbitrio. Dicimus ergo primò in conclusione, non licere conari formaliter ad oppositum diuinæ voluntatis,quia hoc est quasi ex intētione tendere in destructionem diuinæ efficatiæ,& ad mutandam diuinam volūtatem,quod maximè esset blasphemum, & hoc probat fundamentum, quod ponit Vazquez & Lorca. Dico autem secūdò in conclusione posse materialiter conari ad oppositum,adhibendo media cōtraria effectui voliti à Deo,quia hoc non est contradicere efficaciæ *Dei*, sed potiùs manifestare affectum vel inclinationem naturalem ad illud quod destituitur per contrariam volitionem diuinam, quare infirmus etiam sciens ex reuelatione se moriturum, potest medicamina applicare,vt contingit in multis Sanctis multò ante prædicentibus obitum suum: & similiter si alicui reueletur sua damnatio, potest adhibere media contraria, immò ad hoc tenetur,quia vt iam dixi, tenetur implere præcepta, quorum impletio medium oppositum est damnationi, & in huiusmodi casibus etiam homo potest orare,vt quod reuelatum est,malum non eueniat,quia vt diximus, finis in applicatione huiusmodi mediorum & orationū,non est mutare diuinam voluntatem, sed ostendere affectum naturalem, per quem

quem fugimus mala. Hoc intendebat Christus Dominus in oratione, cognito decreto diuino moriendi vt ostenderet se verum hominem, vt dicit D. Thom. 3. p. quæst. 21. art. 4. ad 1. & D. Ambros. libr. 10. in Lucam hom. 15. & Orig. hom. 35. & D. Chrisost. super Mattheum hom. 14. videatur etiam D. Thom. 3. part. vbi supra art. 2. vbi dicit, ad hoc orasse Christum Dominum, vt ostenderet licitum esse homini orare etiam pro illo quod Deus non vult, & 2. 2. quæstio. 83. artic. 6. docet licitum esse in oratione petere quod licet desiderare. Cum ergo contrarij concedant licitum desiderium ad oppositum diuinæ voluntatis, quare non concedunt pro illo posse orare? Similiter 2. 2. quæst. 83. art. 17. docet qualiter non semper est necesse vt oratio fiat animo impetrandi.

D. Tho. *D. Ambr.* *Orig.* *D. Chrisost.*

Corolar. Ex dictis sequitur non solum posse fundere huiusmodi preces pro se ipso, sed etiam pro alio quia fraterna charitas extenditur ad proximum sicut ad se ipsum. Diximus autem semper, nisi in prædictis casibus interueniat præceptum, quia aliquando ex modo reuelandi colligitur interuenire præceprum, vt forsitan contigit cum Samuele, dicente Domino: vsquequo luges, &c. Et si contra prædictam conclusionem facias argumentum, quia non licet orare pro damnatis, sicut nec Ecclesia orat, vt docet Aug. lib. 1 de Ciuit. cap. 24. ergo nec licet orare manifestata Dei voluntate ad oppositum. Patet consequentia, quia in tantum non licet orare pro damnatis in quantum manifesta est Dei voluntas circa damnationem illorum, & hac ratione docuit D. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 7. ad 3. quòd in hac vita non est denegandum reprobis beneficium orationis, sicut nec correctionis, quia in hac vita nō sunt distincti prę sciti & prædestinati. Respondetur tamen non licere orare pro damnatis, nō solùm quia manifesta est voluntas Dei circa damnationem illorum, sed quia manifestum est ex consensu Ecclesiæ, Deo non placere, vt oretur pro ipsis. In via autem potest fieri oratio pro præscitis, tunc quia non cogniti, vt ait D. Thom. tum etiam, quia absolutè præscitus potest saluari, & non solùm non placet Deo, vt illis denegetur oratio, sicut nec ipse illis denegat auxilia; quin potiùs ei placet, vt hoc fiat ex charitate fraterna, & vt magis illi conuincantur in iudicio, & iusta fiat illorum damnatio.

Obiectio. *D. Aug.* *D. Tho.* *Solutio.*

Ad primum argumentum à principio respondetur, non semper nos teneri eligere melius, sed quòd sufficit eligere bonum. Bonum autem eligit qui dissentiēdo à Deo in volito materiali, concordat cum ipso in volito formali. *Ad 1. arg.*

Ad secundum respondetur, potiùs esse pro nobis, quia, vt diximus, Christus Dominus, in illa oratione dissentiebat â Deo in volito materiali secundùm partē sensualem, petendo non mori. *Ad 2. arg.*

Ad tertium argumentum respondetur, quòd lex æterna est ratio Dei vel eius voluntas, non quomodocumque sed præcipiens, vt aliquid fiat, vel non fiat. Quapropter dissentire à diuina voluntate non præcipiente, non concordando illi in volito materiali, nullum est peccatum; quia vt sic nō est contra legem. Ad confirmationem respondetur, non semper esse malum facere contra iustum & sanctum, quia & hoc ipsum potest esse bonum, vt patet in consilijs. Sanctum enim est ingredi religionem, & nihilominus bonum facere odpositum, quia secundùm Diuum Paulum, bonum est nubere. *Ad 3. arg.* *Ad confi.*

Ad quartum argumentum, dico primò, quòd licèt teneamur in omnibus cō formari formaliter diuinæ voluntati, vt diximus, non tamen tenemur in omnibus conformari materialiter voluntati beneplaciti, nisi simul sit voluntas præceptiua, vt diximus. Secundò dico, quòd licèt in communi teneamur velle, vt voluntas Dei impleatur, in particulari tamen possumus velle oppositum, quia ignoramus rationem quare id Deus velit, & scimus rationem mali, quare id à nobis sit nolendum, & hoc ipsum est explere diuinam voluntatem, vt iam diximus. Locus autem Matth. 6. multipliciter explicatur. Primo de voluntate præceptiua, exoramus enim vt obedientia præstetur præceptis diuinis. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 9. ad 1. & D. August. epistola 121. cap. 11. tom. 2. & tom. 10. libr. 50. hom. hom. 42. vbi eodem modo explicat Diuus Ciprianus. Secundo modo potest explicari de modo, ita vt petamus vt omnia fiant in terra, ad modum quo fiunt in cœlo, videlicet ex dilectione Dei, sicut & Beati omnia ex charitate in cœlo faciunt, nec propter prædi- *Ad 4. argō* *D. Tho.* *D. Aug.* *D. Cipria.*

ctum

ctum desiderium & petitionem tenemur semper in terra ex Charitate operari, sed solùm, quando de hoc speciale currit præceptum charitatis, vt iam diximus. Tertio potest explicari, quòd deprecemur, vt potiùs fiat in nobis voluntas Dei (quæ est sanctificatio nostra) quàm voluntas nostra, nihil enim est infœlicius, quàm in rebus agendis vti arbitrio carnis nostræ. *Nota.* Vbi, & pro intelligentia aliorum locorum sacræ Scripturæ, notandum, quòd plura, quæ formaliter in nobis sunt & fiunt dicuntur esse Dei, non quia ipsi inhæreant, sed quia non ex nobis, sed ab ipso donantur nobis, vt est illud Psalmi 30. & 70. in tua iustitia libera me. *Psal. 30. Psal. 70.* Vbi dicit Augustinus est iustitia Dei, quæ & nostra fit, cum donatur nobis. *D. Aug.* Ideo autem Dei iustitia dicitur ne homo se putet â se ipso habere iustitiam, & lib. 14. de Trinitat. cap. 12. ait: ignorantes Dei iustitiam, (scilicet quam dat hominibus Deus, qui solus est iustus & iustificans) & suam volentes constituere (scilicet velut â se sibi paratam non ab eo impartitam) iustitiæ Dei non sunt subiecti. Hoc ergo supposito, cum petimus, fiat voluntas tua, petimus vt illa sit nostra, non quam propriã vocamus, quæ non est communis nobis & Deo; sed nostra dicitur & Dei dicitur, quia ipso authore iuuãte & perficiẽte in nobis fit, vt agnoscas (ò homo) quidquid potuerit habere virtutis, non tuum esse, sed Domini, qui largitus est. Vnde idem Augustinus tract. 49. super Ioan. circa illud: si quis ambulauerit in die non offendit, adducit, quod Dominus dixit Simoni, non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominis, & inquit: Nemo ergo se palpet de suo, Sathanas est, de Deo, beatus est, quid est enim de suo nisi de peccato suo; tolle peccatum, quod est tuum, iustitia de Deo est. Quid enim habes quod non accepisti? *1. Corinth. 4* 1. Corinth. 4. Quapropter, vt hæc distingueret Dominus, semel dixit Petro: beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelabit tibi, & iterũ dixit: vade post me Sathana, quia non sapis, &c. Voluntas igitur quam dicimus tua, eadem esset nostra, quã nos facimus, quæ est in nobis, verum quam Deus produxit nobis, sicut aer clarus est, non ea luce quę est in Sole, sed ea quam accepit à Sole: sicut aqua feruet non eo calore, qui est in igne, sed quem recepit ab igne. Per hunc modum etiam intelligetis sensum illarum trium petitionum: sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua; quæ omnia complenda in nobis petimus, & similiter, panem nostrum dicimus, non qui ex nostro noster sit, sed qui diuina largitate fit noster. Vnde D. Greg. lib. 33. moral. cap. 2. ait nostrum dicimus, & tamẽ vt detur oramus: noster quippe fit, cum accipitur, & tamẽ Dei est, quia ab illo datur, & Dei ergo est ex munere, & noster fit veraciter per acceptionem. Hæc dixerim ad intelligentiam huius loci. Sed ad soluendam replicam desumptam ex illo loco, oportet explicare verba sequentia, sicut in cœlo & in terra. Vnde primus sensus est sicut ab Angelis in cœlo, sic ab hominibus in terra. Secundus sensus, sicut in cœlo, scilicet sicut in Christo, qui cœlum dicitur, omnes enim alij terra sunt & in terra viuũt, Christus verò de cœlo cœlestis, ait Paulus. Tertius sensus, sicut in cœlo scilicet, sicut sancti etiam viatores perfecti, qui cœli dicuntur, iuxta illud, Cœli enarrãt gloriam Dei, &c. Quartus sensus est D. Cipriani & Augustini lib. 50. homil. hom. 42. tom. 20. fol. 115. sicut in cœlo, scilicet sicut in mente, ratione superiori, ita in terra, parte inferiori. Accipimus enim præceptum Dei, & placet menti nostræ, condelector legi Dei secundùm interiorem hominem ad Rom. 7. sed sentio aliã legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Caro concupiscit aduersus spiritum, ad Galat. 5. fiat ergo, vt quomodo menti nostræ placet tua iussio, sic ei consentiat caro nostra, vt contra spiritum nõ assurgat caro, & iam facta est voluntas eius in terra. Quintus sensus, sicut in cœlo, scilicet sicut in Ecclesia, quæ regnum cœlorum dicitur, ita in terra scilicet ab infidelibus: petimus ergo dilatationẽ fidei viuæ, quod sicut â fidelibus voluntas Dei fit, sic & à blasphematoribus vt omnes cœlum fiant. Ita enim petebat Salomon 2. Paralip. 6. vt sciant omnes populi terræ nomen tuum, & timeant te, sicut Populus tuus Israel. Ita D. Augustinus vbi supra: per hoc ergo patet ad quartũ argumentum. *D. Cipriani. D. Aug. Ad Rom. 7. Ad Gal. 5. 2. Paralip. 6.* Ad confirmationem respondetur, quòd illud Prouerbium non debet intelligi crassè. Verbi gratia, quòd si amicus meus comedit vnum cibum, eũdem comedam, & si vult aliquem honorem, velim eũdem mihi, sed intelligitur, quòd amicus nihil velit, quod contra ie-

tur

tur amicitiæ, & debet gaudere de rebus illi iocundis & tristari de aduersis. Vel intelligitur, quòd amicus debet obtinere ab amico quidquid petierit, si iustum & iustè petat. Debet etiam intelligi magis ad nostrum propositum, quando amici habent eandem rationem boni pro obiecto, nam aliàs sine discordia, poterit vterque in diuersum tendere, vt Prætor vult occidere iustè propter bonum publicũ fratrem amici, quem ex motiuo particulari vellet viuere nec in hoc est discordia in amicitia. Ita similiter in præsenti.

Ad 5. arg. Ad quintum argumentum respondetur, quòd non solum pœna in se, sed etiam pœna vt malum nostrum, est volitum materiale diuinæ voluntatis. Ordo autem diuinæ iustitiæ, est volitum formale. Vnde quãdo homo detestatur pœnam etiam vt malam sibi, tantúm discordat à diuina voluntate, in volito materiali. *Not.* Vbi notandum, quòd quando Deus vult nobis pœnam & malum: non vult illud ex displicentia personæ. Vnde non dicitur odio habere personam, nam odiũ est velle malum alicui sub ratione mali ex displicentia personæ, quapropter Pater flagellans filiũ vult illi malum vt malum illius est, sed quia id non facit ex displicentia personæ, non odit filium. Sic Deus non odit illa quæ fecit, nec infligit malum homini ex displicentia personæ, sed ex detestatione peccati, attendendo ad ordinem iustitiæ: clarè ergo colligitur, qualiter homo detestans malum & pœnam, non contrariatur formaliter diuinæ voluntati, quia pœna homini displicet ex amore propriæ personæ, quam Deus non odit; Deus autem infligit pœnam ex altiori principio, vt diximus.

Ad 6. arg. Ad sextum respõdetur, quòd Samuel non solum lugebat Saulem, sed orabat pro salute æterna illius, quia nõdum sciebat reprobationem eius, vnde illa nõ est reprehensio, Vsquequo mihi luges, &c. sed manifestatio suæ determinatæ voluntatis, & forsitan adiungens præceptum, *Abulens.* ne lugeret, vt supra diximus. Sic Abulẽsis. 1. Reg. 15. quæst. 36. & 41. & si semel statuamus non adiunctum præceptum, illa tantum fuit reuelatio reprobationis, non tamen inducens obligationem non orandi.

Ad 7. arg. Ad septimum argumentum iam patet ex dictis, qualiter non solum possit homo velle contrarium materialis voliti à Deo; sed etiam conari & orare & adhibere media ad illud; materialiter quidẽ, non formaliter, vt diximus in vltima cõclusione. Quapropter non sequuntur in conuenientia posita in argumento.

Ad 8. arg. Ad vltimum argumentum respondetur, ibi loqui D. Thom. de voluntate superiori, quæ sequitur regulas diuinas & æternas, secundùm quàm tenemur conformari diuinæ voluntati, quia hæc est conformitas in volito formali. In præsenti verò loquitur de voluntate inferiori secundùm regulas humanas, & sic dicit nõ teneri conformari diuinę voluntati, quia hæc est difformitas in volitio materiali. Itaque ad intelligentiam prædicti loci, notandum ex eodem D. Thom. in secundis scriptis ad Annibaldum in 1. dist. 38. quæst. vnica ar. 3. quòd velle quod Deus vult, secundùm ordinem rationis qua est à Deo volitum, non conuenit voluntati sensualitatis, nec voluntati rationis inferioris: nam hæc tantùm attendit rationes temporales; sed hoc pertinet ad voluntatem rationis superioris, quæ nata est ferri secundùm rationes æternas & diuinas. In loco ergo posito in argumento, loquitur de voluntate rationis superioris, in præsenti verò loquitur de voluntate rationis inferioris. Vnde ibi dicit requiri concordiam, in præsenti vero dicit posse discordare, & sic nulla est contrarietas. Eodem modo potest responderi ad locũ D. Augustin. vel secundò respondetur, *2. Solut.* quòd loquitur quando taliter se habet voluntas, vt non solum non conformetur in volito materiali, sed murmuret contra Deum, & habeat se impatienter, sic se explicat ipse super Psalmum 93. in illa verba his qui recto sunt corde.

DVBIVM IIII.

Vtrùm semper sit laudabile cõformari Dei voluntati.

IN hac re Lorca disput. 43. memb. 2. & Vazquez disp. 72. cap. 5. dicunt, quòd *Lorca.* *Vazquez.* semper est licitum immò & melius conformari diuinæ voluntati in volito materiali, dum tamen voluntas humana illud velit ex eodem motiuo & fine atque voluntas diuina. Excipit tamen Lorca permissionem peccati, & carentiam gratiæ. In hijs enim à Deo volitis homo conformari

mari nullo modo potest. Sed certè illa re solutio non attingit punctum difficultatis,nam hoc tantum est dicere esse licitũ & melius conformari Deo in volito formali,ad quod etiam supradiximus teneri:& præsens difficultas est. Vtrum per voluntatem rationis inferioris ex motiuis particularibus,sit melius conformari Deo in volito materiali,quamuis licitum sit in illo discordare.

Medina. Secundus modus dicendi est Medinæ hic dicentis tria. Primò quando volitum materiale non habet rationem mali, nec in ordine ad finẽ vniuersalẽ, nec in ordine ad finem particularẽ,laudabile est cõformari diuinæ voluntati in volito materiali Verbi gratia, Deus vult vt Petrus scribat,laudabile erit me idẽ velle. Secundò dicit,quòd quãdo res volita in ordine ad finẽ particularem habet rationem mali, non semper est laudabile conformari Deo in volito materiali. Tertiò dicit, ꝙ non semper est laudabile conformari in volito materiali, nisi adsit bona circunstantia. Verbi gratia Iudæi occidentes Christum conformauerunt se Deo in volito materiali, & nihilominus peccauerunt defectu circunstãtiæ finis, & rectæ intentionis. *Impug. Medina.* Hæc resolutio cõmuniter recipitur à Thomistis & licet contineat veritatẽ in assertionibus,exẽpla tamen non cõtinent veritatẽ. Quid enim laudis habet me velle quod Petrus scribat,vel nõ, vel faciat opus ex se indifferẽs? Item exẽplum de Iudæis falsum est,quia in tali opere non se conformauerũt Deo in volito materiali,nam vt dicit Mag. in 1.dist. 48.cap.3.Deus nunquã voluit vt Iudæi crucifigerent Christum. *D.Tho.* Vnde D.Tho. 3.p.q.47.art.6.ad 3.dicit quod Christus voluit suam passionem sicut Deus voluit illam;iniquã autem actionem Iudęorum nõ voluit. Nam illa actio fuit homicidiũ, & intrinsecè mala, quapropter à Deo nõ potuit esse volita. *Obiectio. Act.4.* Et si contra obijcias illud Actorum 4.conuenerunt vere in ciuitate ista,&c.facere, quæ manus tua & consilium tuum,decreuerunt fieri: ergô Deus voluit quod Iudęi fecerunt. *1.Solutio D.Chrisost.* Respõdetur primò ex D.Chrisost.hom.12. super Acta Apostolorũ.to.3.quòd verba illa significãt permissionem, qua peruerse vsi sunt Iudæi ad satiandam sitim quam in Christum habebant,vt etiam dicit August.in Enchirid.cap.101. *D.Aug. 2.Solutio.* Secũdô respõdetur ex Caietano super eundem locum quod passio Christi placuit Deo, actio verò Iudæorum displicuit;vnde consiliũ & decretum Dei terminatur ad passionẽ, non vero ad actionem: sit ergo nostra.

Prima conclusio.Non semper est laudabile, sed aliquando poterit esse peccatum mortale conformari Deo in volito materiali.Hãc tenet Abulensis super caput 2.Iosuæ q.35.& super cap.3. Iudicũ q.3.& Mag.Victoria vt refert Medina, & illã insinuat D.Bonauẽt. in 1. dist.48. ar.2.q.2.dicẽs,ꝙ quãdoquis cõformat se in volito materiali; secundũ finem Charitatis,habet sufficientem rationem iustitiæ, conformari vero in volito materiali tantùm,non est sufficiens ratio iustitiæ. Eandem sequitur Gabriel super canon lect. 68. & manifestè patet. Nam Deus vult peccatorem carere gratia,&ipse peccator peccabit contra Charitatem idẽ volendo.Similiter si quis vellet suam damnationem,quam Deus vult.& D.Anselmus lib.de similit.cap.159.dicit,quòd discipuli B.Martini crudeles essent si vellẽt illum mori, & tamen ex voluntate Dei moriebatur:non ergo semper erit laudabile conformari Deo in volito materiali. *1.Concl. Abulens. Victoria. D.Bonau. Gabriel. D.Anselm.*

Secunda conclusio. Quandocumque nobis constat voluntatis absolutaDei,& ex alia parte constat voluntas signi per præceptum oppositi,tunc nõ est licitum conformari etiam in volito materiali cũ volũtate diuina,sed tenetur velle oppositum,& conformari voluntati signi.Verbi gratia,reueletur damnatio futura Patris mei,debet mihi displicere damnatio ex præcepto Charitatis, licet in hoc discordem in volitio materiali à voluntate diuina efficaci. Verum est quod possem vtrique voluntati Dei conformari secundùm diuersam rationem, placente mihi damnatione secũdùm rationem superiorem ordinis iustitiæ,& displicente secundùm rationem particularem dilectionis paternæ. Hoc tamen est periculosum in praxi;vnde securum erit conformari voluntati signi, & dolere de tali damnatione, & sic est communis consensus, vt si oppositum fiat,cõsurgat scandalum, nec admittitur excusatio, si dicat se gaudere de malo proximi propter ordinem iustitiæ diuinæ. *2.Concl.*

Tertia conclusio.Quando nõ est præceptum oppositi illius quod Deus efficaciter vult, & ex alia parte quod Deus vult non est malum proximi: tunc laudabile *3.Concl.*

dabile erit conformari Deo etiam in volito materiali, licèt posset oppositũ facere, & hoc quidẽ melius erit si cõformetur ex eodẽ motiuo diuino. Bonũ autem etiá, si proxime cõformetur ex alio motiuo particulari: quia vltimatè in motiuo diuino debet conuenire, cũ teneatur cõformari in volito formali, etiã quando discordat in materiali, quãtò magis quando cõcordat in illo. Hæc conclusio manifesta est, nam secluso præcepto & malo proximi quid securiùs, quam rectissimę voluntati Dei adhærere?

Corolar. 1. Ex dictis sequitur primò differẽtia inter viatores & cõprehensores, quòd cum illi teneãtur dolere & cõpati malis proximi, tutius est in eis non cõuenire cũ Deo in volito materiali, in his quæ mala sunt proximi, cum autem incomprehensoribus dolor & cõpassio locum non habeat; quid altius & perfectius est in eis in omnibus conformari diuinæ voluntati, etiã in volito materiali.

Corolar. 2. Secundò sequitur, quòd licèt volitũ à Deo semper sit melius respectu ipsius Dei, de quo agitur. 1 p.q.25. non tamen semper est melius respectu nostri, quia nos aliquãdo tenemur attendere ad ratiõẽ aliquã particularem, nocumenti proximi, verbi gratia, qua propter nobis erit melius oppositũ illius quod Deus vult.

QÆSTIO XX.

De bonitate & malitia exteriorum actuum humanorum.

ARTICVLVS I.

Vtrũ Bonitas vel malitia per priùs sit in actu voluntatis vel in actu exteriori?

AD primum sic proceditur, videtur quòd bonũ & malum per priùs consistat in actu exteriori, quàm in actu volũtatis. Voluntas enim habet bonitatem ex obiecto, vt supradictum est. * sed actus exterior est obiectum interioris actus voluntatis. Dicimus enim velle furtum, vel velle dare eleemosynã: ergo malũ & bonũ per priùs est in actu exteriori, quã in actu volũtatis. *q.19.ar.1.*

2. Præterea. Bonum per priùs conuenit fini, quia ea quæ sunt ad finem habent rationem boni ex ordine ad finem; actus autem voluntatis non potest esse finis, vt supra dictum est. * actus autem alterius potentiæ potest esse finis. ergo per prius consistit bonũ in actu potentiæ alterius quàm in actu voluntatis. *q.1.ar.1. ad 2.*

3. Præterea. Actus voluntatis formaliter se habet ad actum exteriorem vt supra dictum est, * sed id quod est formale est posterius, nã forma aduenit materiæ: ergo per prius est bonum & malum in actu exteriori, quam in actu voluntatis. *q.18.ar.6.*

Sed contra est, quòd Augustinus dicit in lib. Retract. quòd voluntas est qua peccatur & recte viuitur: ergo bonum & malum morale per prius consistit in voluntate. *Lib.1.cap.9 circa medium tom.1.*

Respondeo, dicendum, quòd aliqui actus exteriores possũt dici boni vel mali dupliciter. Vno modo secundùm genus suũ & secũdùm circunstãtias in ipsis cõsideratas, sicut dare eleemosynam seruatis debitis circũstãtijs dicitur esse bonũ. Alio modo dicitur aliquid esse bonum vel malũ ex ordine ad finẽ sicut dare eleemosynã propter inanẽ gloriam dicitur esse malum. Cum autem finis sit propriũ obiectũ voluntatis, manifestum est quòd ista ratio boni vel mali quã habet actus exterior ex ordine ad finẽ, per prius inuenitur in actu voluntatis, & ex eo deriuatur ad actum exterio-

teriorem. Bonitas autem vel malitia quã habet actus exterior ſecũdum ſe propter debitã materiã & debitas circũſtãtias, non deriuatur à voluntate ſed magis à ratione. Vnde ſi cõſideretur bonitas exterioris actus ſecũdũm quod eſt in ordinatione & apprehenſione rationis, prior eſt quam bonitas actus voluntatis. Sed ſi conſideretur ſecundũm quòd eſt in executione operis, ſequitur bonitatem voluntatis quæ eſt principium eius.

Ad primũ ergo dicendũ, q̃ actus exterior eſt obiectum voluntatis in quãtũ proponitur voluntati à ratione vt quoddam bonum apprehenſum & ordinatum per rationem, & ſic eſt prius bonum quam actus voluntatis. In quantum vero conſiſtit in executione operis, eſt effectus voluntatis & ſequitur voluntatem.

Ad ſecundum dicendum, quòd finis eſt prior in intentione, ſed eſt poſterior in executione.

Ad tertiũ dicendũ, quòd forma ſecũdũ quod eſt recepta in materia, eſt poſterior via generationis quam materia, licet ſit prior natura: ſed ſecundũ quod eſt in cauſa agente eſt omnibus modis prior. Voluntas autẽ cõparatur ad actũ exteriorẽ ſicut cauſa efficiens, vnde bonitas actus voluntatis, eſt forma exterioris actus ſicut in cauſa agente exiſtens.

1. Concl. Prima cõcluſio. Bonitas & malitia quã actus exterior habet ex ordine ad finem, prius eſt in actu volũtatis, quàm in actu exteriori.

2. Concl. Secũda cõcluſio. Bonitas & malia quã actus exterior habet ſecũdũs genu ſuum & ſecundum circunſtãtias, priũs eſt in ipſo actu exteriori prout eſt in apprehenſione & ordinatione rationis.

Tertia cõcluſio. Prædicta bonitas vel malitia ex obiecto & circũſtãtijs in executione, priũs eſt in actu voluntatis, & inde prouenit ad actum exteriorem. 3. Concl.

Quarta cõcluſio ad primũ. Quãdo actus exterior cõſideratur vt in apprehẽſione priùs habẽs bonitatẽ vel malitiã tunc habet rationem obiecti actus interioris. 4. Concl.

Articulus iſte difficilis eſt intellectu & difficiliorẽ illum reddit explicatio Caietani. Pro intelligẽtia ergo eius, notãdum eſt nomine actus exterioris intelligi quẽcũque actũ alterius potentię etiã intellectus non immediatè elicitũ à voluntate. Not. 1.

Secundò notandũ actũ interiorẽ & exteriorẽ inter ſe habere coordinationem & mutuã habitudinẽ. Actus enim exterior eſt obiectũ & effectꝰ interioris. Interior vero eſt cauſa & forma exterioris, ita vt licèt actus interior & exterior poſsint adinuicẽ conſiderari; vnuſquiſque vt actus humanus: potiùs tamen cõſiderantur ſecundùm mutuã habitudinẽ vt ex vtrò; fit vnũ vt ex materia & forma. Not. 2.

Tertiò notandum de Fide eſſe, quòd actus interior ſeorſum cõſideratus, etiã ſi nullus ſit actꝰ exterior habet verã bonitatem vel malitiam, vt patet ex illo Matth.7. qui viderit mulierẽ ad cõcupiſcendũ eam, iam mœchatus eſt. Et ad Rom.1. digni ſunt morte nõ ſolùm qui talia agunt, ſed qui cõſentiunt facientibus. Etiam certũ eſt ſecundùm Fidem actũ exteriorẽ habere verã bonitatẽ vel malitiam, vt actus exterior fornicandi malitiam habet: & quidẽ malitia vtriuſq; non præſcindit à mutuã habitudine. Actus enim exterior ſi malitiã habet, eſt in ordine ad interiorem à quo dimanat. Et ſi etiam actus interior malitiam habet, eſt per habitudinem ad exteriorem ad cuius patrationẽ tendit (exceptis quibuſdã peccatis, quæ in ipſo actu interiori perficiuntur, vt infidelitas, odium Dei, & virtutes oppoſitæ) ſuppoſito autẽ in vtriſque interiori & exteriori, non æqualiter bonitatem vel malitiã reperiri, ſed cũ dependentia vnius ab altero; reſtat inquirendum, in quo per prius reperiatur vt alter ab illo poſsit participare, & adhoc reſpondet D. Thom. per diſtinctionem quod bonitas vel malitia ex obiecto & circunſtãtijs, per prius conuenit actui exteriori, bonitas verò vel malitia ex fine per prius cõuenit actui interiori, quia cum finis ſit obiectum volũtatis, bonitas vel malitia ex fine per priùs debet compe- Matth.7. Rom.1.

cõpetere actui voluntatis,alijs vero exterioribus,ex ordinatione actus volũtatis.

Dubitatio Restat tamen difficultas de quo fine intelligatur prædicta resolutio. Nam si loquitur de fine intrinseco operis, bonitas vel malitia ex tali fine per prius cõuenit actui exteriori cum talis finis conuertatur cum obiecto cuius bonitatem vel malitiã dixit D. Thom. per prius conuenire actui exteriori. Si vero loquatur de fine extrinseco nõ habet locũ vt bonitas eius per prius conueniat actui interiori, quia respectu actꝰ interioris, finis extrinsecus non est: quidquid enim ad actum interiorem pertinet, habet rationem obiecti & finis intrinseci.

D.Tho.

Resolutio. Dicimus tamen nihilominus D. Tho. loqui de fine extrinseco respectu actus exterioris licet intrinseco respectu actus interioris. Bonitas enim vel malitia ex tali fine proueniẽs per priùs cõuenit actui interiori tanquam proueniens â proprio obiecto ipsius actus interioris, posteriùs autem conuenit actui exteriori extrinsecè tendenti in talem finem intrinsecum actus interioris. Immô si placeat poterit dici id ipsum habere verũ etiam si loquatur de bonitate vel malitia ipsius finis intrinseci operis: quia licèt illa bonitas vel malitia vt obiecti, intimè & per prius cõueniat actui exteriori specificato â tali obiecto: illa tamen bonitas vel malitia finis intrinseci non vt obiecti, sed formaliter vt finis, per priùs conuenit actui interiori & depẽdenter ab illo cõuenit actui exteriori; quia illud obiectũ actus exterioris nõ habet rationem finis nisi prout actus exterior subest interiori voluntatis, ad quam formaliter pertinet respicere finem. Alia autem grauiora quæ hanc difficultatem concernunt tractabuntur articulo sequenti.

ARTICVLVS II.

Vtrùm tota Bonitas & malitia exterioris actus depẽdeat ex Bonitate voluntatis?

AD secũdũ sic proceditur. *Videtur quod tota bonitas & malitia actus exterioris dependeat ex volũtate. Dicitur enim Matth.7. non potest arbor bona malos fructus facere, nec arbor mala facere fructus bonos, per arborẽ autẽ intelligitur volũtas, & per fructum opus, secundũ gloss.* ✻ *ergo nõ potest esse q̃ volũtas interior sit bona & actus exterior sit malus, aut è conuerso.* ✻ *Est Aug. lib 1. cont. Iulian. c. 8. ante medium. tom. 7.*

2. Prat. Aug. dicit in lib. Retract. ✻ *quod nõ nisi voluntate peccatur: si ergo nõ sit peccatum in voluntate non erit peccatũ in exteriori actu, & ideo tota bonitas vel malitia exterioris actus ex voluntate dependet.* ✻ *Lib. 1. c. 9 circa mediũ tom. 1.*

3. Præterea. Bonum & malum de quo nunc loquimur, sunt differentiæ moralis actus. Differentiæ autem per se diuidunt genus secundum Philosophum in 7. Metaphys. ✻ *Cum igitur actus sit moralis ex eo quod est voluntarius, videtur quod bonum & malũ accipitur in actu solum ex parte voluntatis.* ✻ *Lib. 7. Metaph. tex. 42 tom. 4.*

Sed contra est, quòd Aug. dicit in lib. contra Mendaciũ ✻ *quod quædã sunt quæ nullo quasi bono fine, aut bona voluntate possunt bene fieri.* ✻ *Cap. 7. parũ ante medi. tom. 4.*

Respondeo dicendum, quòd sicut iam dictũ est, ✻ *in exteriori actu potest cõsiderari duplex bonitas vel malitia, vna secũdùm debitã materiam & circunstãtias: alia secundùm ordinem ad finẽ, & illa quidẽ quæ est secundùm ordinem ad finem, tota dependet ex voluntate. Illa autem quæ est ex debita materia vel circunstantijs dependet ex ratione, & ex hac dependet bonitas voluntatis secũdùm quod in ipsam fertur.* ✻ *Art. præced.*

Est autem cõsiderandum, quod sicut supradictũ est ✻ *ad hoc quod aliquid sit malum, sufficit vnus singula* ✻ *q. præced. artic. 6. & 7.*

ris defectus; ad hoc autẽ quòd sit simpliciter bonũ nõ sufficit vnum singulare bonũ, sed requiritur integritas bonitatis. Si igitur voluntas sit bona & ex obiecto proprio & ex fine consequens est actum exteriorem esse bonũ, sed non sufficit ad hoc quod actus exterior sit bonus bonitate volũtatis quæ est ex intentione finis: sed si volũtas sit mala siue ex intentione finis, siue ex actu volito, consequens est actum exteriorem esse malum.

Ad primum ergo dicendum, quòd voluntas bona prout significatur per arborem bonam, est accipienda secũdùm quod habet bonitatẽ ex actu volito & ex fine intento.

Ad secundum dicendum, quòd non solum aliquis voluntate peccat quando vult malum sed etiam quãdo vult malum actum.

Ad tertiũ dicendũ quôd voluntariũ dicitur non solũ actus volũtatis, sed etiam actus exteriores prout â voluntate procedũt, & ratione, & ideò circa vtrosque actus potest esse differentia boni & mali.

1. *Concl.* Prima conclusio. Tota bonitas & malitia, quam habet actus exterior ex ordine ad finem, dependet à voluntate.

2. *Concl.* Secunda conclusio. Bonitas & malitia, quam habet actus exterior ex proprio obiecto & debitis circunstantijs, dependet à ratione, & ex illa causatur bonitas & malitia voluntatis secundùm quod in illam tendit voluntas.

3. *Concl.* Tertia conclusio. Vt actus exterior sit bonus, requiritur quôd voluntas sit bona ex ipso actu exteriori & ex fine, vt vero actus exterior sit malus quęcumque malitia istarum sufficit in voluntate.

Nota. Pro intelligentia notãdum quòd licet doctrina huius articuli videatur eadem atque præcedentis, quia tamen res est adeò difficilis, non iudicandus esset articulus iste superfluus ad maiorem explicationẽ præcedẽtis. Eo vel maxime q. post quam in articulo præcedenti explicatur qualiter actus exterior diuersa ratione habeat bonitatẽ prius vel posterius, quã actus interior: in præsenti articulo, restat explicare modum huius prioritatis & posterioritatis, nimirum quôd in executione actus exterior habet posterius bonitatem vel malitiã, quatenus vero actus exterior est obiectum interioris, per prius est bonitas & malitia in actu exteriori. Ad cuius maiorem explicationem.

DVBIVM I.

Vtrũm actus exterior habeat formaliter bonitatem & malitiam?

IN hac re est prima sententia, quã tenet D. Bonauent. in 2. dist. 42. ar. 1. q. 1. & Richard. ibidem, Durand. eadem dist. q. 1. Gabriel q. vnica art. 1. not. 2. & art. 2. Scotus eadem dist. in solutione 2 & 3. q. licèt quodlib. 18. art. 3. omnino sibi cõtra dicat & teneat contrariũ. Isti enim tenent in sola voluntate esse formalem bonitatẽ vel malitiam. In alijs vero potentijs solum participatiuè ab actu voluntatis secundùm aliquam denominationem. *1. Senten. D. Bonau. Richard. Durand. Gabriel. Scotus.*

Hæc sentẽtia probatur primò ex Augustin. lib. de duabus animabus cap. 20. dicente, peccatum esse voluntatẽ cõsequendi vel retinendi, vbi subdit: nõ nisi voluntate peccatur, quæ verba adducit D. Th. infra q. 74. ar. 2. in 1. argum. idem habet D. Anselmus lib. de cõcep. virginali. c. 4. dicens: habet vsus vt actiones quas facit iniusta voluntas vocemus peccata, quia in voluntate qua fiunt, est peccatum. *1. Arg. D. Aug. D. Anscl.*

Secundò arguitur ex illo Matth. 7. arbor bona bonos fructꝰ facit & arbor mala malos fructus facit. Vbi secũdùm communẽ explicationẽ Sanctorum nomine arboris intelligitur voluntas, & nomine fructus actus exterior, & consequenter erit sensus, in voluntate esse bonitatem vel malitiam formalem, in actu vero exteriori solum participatiuè. *2. Arg. Matth. 7.*

Tertiò arguitur. Bonitas & malitia & tota moralitas vel est ipsa libertas, vel supponit essentialiter libertatem, vt supradiximus, vt patet ex August. quod in tãtum aliquid est peccatum, in quantum est voluntarium, sed actui exteriori tantùm *3. Arg.*

tùm conuenit participatiuè libertas: ergo & bonitas vel malitia.

4. Arg. Quartò arguitur. Quando intenditur tantũ vnum obiectũ,tãtum est vnica bonitas vel malitia: sed illa est formaliter in actu interiori:ergo in exteriori tantũ poterit esse extrinsecè & denominatiuè. Patet cõsequentia,quia idẽ accidens nõ potest formaliter esse in diuersis subiectis. Quapropter sanitas, quia formaliter est in animali, tantũ potest esse in vrina extrinsecè. *Confirm.* Cõfirmatur. Nam si actus exterior haberet bonitatẽ vel malitiã formalẽ & non tantũ participatã extrinsecè: sequeretur quòd ante concursum voluntatis haberet talem bonitatem etiã in exercitio& executione,quod est impossibile.

5. Arg. Quintô arguitur. Nam si actꝰ exterior haberet bonitatẽ vel malitiam nõ tãtum prouenientẽ extrinsecè à voluntate: sequeretur ꝙ actus exterior semel procedens malus,semper esset malus, nec posset fieri bonus & è cõtra, consequens est falsum:ergo. Sequella probatur,nam si illa bonitas vel malitia est propria actꝰ exterioris non habet per quid possit mutari,& sic manẽs actꝰ exterior retinebit immutabiliter suam bonitatẽ vel malitiam. Minorverò probatur,nam aliàs posset esse simul in gratia & peccato,vt si iacto lapide ad percutiendum, interim durante *Confirm.* actu exteriori, cõteratur. Confirmatur, quia nõ poterit assignari in actu exteriori quid sit talis bonitas vel malitia formaliter in illo si substantia actus,vel accidẽs absolutum vel relatiuum.

2. Sent. Lorca. Secunda sententia in alio extremo est quã tenet Lorca hic disp. 44. quòd actus exterior etiã antecedenter ad volũtatem & solum prout in apprehẽsione rationis habet bonitatẽ vel malitiam formalẽ & intrinsecã nõ minus quàm actus volũtatis. Argumenta huius sententiæ nõ sunt alia,quã quę nos ponemus in cõclusioni bus ad probandũ contra primã sententiã etiã actui exteriori cõuenire formaliter bonitatẽ vel malitiã: nec probant intẽtũ huius sentẽtię quod talẽ bonitatẽ vel malitiã formalem habeat actus exterior antecedenter ad actũ volũtatis,nisi solũ obiectiuè & radicaliter, vt statim dicemus.

3. Sent. Vazquez. Tertia sentẽtia est Vazquez disp.103. & disp.73. cap. 5.& 6.distinguit enim de bonitate & malitia, ꝙ licet malitia quæ est ex fine, primariò conueniat actui interiori,& ex illo deriuetur ad exteriorẽ; malitia tamẽ quæ sumitur ex obiecto & circunstantijs,primò & per se & formaliter conuenit actui exteriori, & inde deriuatur ad interiorẽ. De bonitate autem, dicit primò & perse cõuenire actui interiori,& ratione illius actui exteriori,necessariòq; (inquit)est cõstituẽda hæc differentia inter bonitatẽ & malitiam, quia plura requiruntur ad bonitatẽ quam ad malitiã: quia vt dicit Arist. 2.Ethic.cap. *Arist.* 4.vt actus sit bonus moraliter,non sufficit esse circa bonũ obiectum;sed debet directè ferri in bonitatem obiecti propter ipsam,hoc est,nõ propter aliquẽ finẽ mælũ,sed si ad aliũ finem ordinetur, ille debet esse bonus. Cùm ergo prædicta ordinatio sit â voluntate: ideo bonitas priús est in voluntate, cum tamen hoc non requiratur ad rationem mali, sed sufficiat esse volitum id quod malum est, licêt malitia nõ sit intenta,immò nec cognita,dũmodo ignorantia sit vincibilis; ideò malitia per prius potest esse in actu exteriori,quia non requirit illam ordinationem propriam voluntatis.

1. Argu. Primam partem huius sententiæ sic probat Vazquez. Illa actio primariò est mala quę primariò prohibetur:sed actus exterior in ordine ad obiectũ & circunstãtias primariò prohibetur: ergo actus exterior primario est malus. Minor probatur, quia si actus interior prohibetur, non est ratione sui,sed ratione actus exterioris ad cuius executionem tendit. Et præcipue id patet in præceptis humanis quæ ad actus exteriores ad minus immediatè non se extendunt. Immò de præceptis diuinis patet idẽ ex forma illorum,nõ enim dicitur ne velis occidere, &c.sed nõ occides,quod actum exteriorẽ sonat: & si nono & decimo præcepto directe prohibetur actus interior, non est quia directè præceptũ tendat in actũ interiorẽ & secundariò in exteriorẽ, sed tantũ factũ est ad tollẽdũ errorẽ existimantium actũ interiorẽ sine exteriori nõ esse peccatũ. Cõfirmatur,nam in illo est primariò malitia,in quo est primario dissonantia rationis,sed dissonãtia est primariò in actu exteriori:ergo. Minorprobatur. Nam in tantum velle furari est malum, in quantum furari est malum & non è contra: ergo dissonantia primario est in actu exteriori furti.

2. Arg. Secundo probat suam sententiam ex D.Thom.supra q.19.art.7.ad 3.dicente,

quòd vt voluntas sit bona debet esse bo-
ni sub ratione boni, vt vero sit mala suffi
cit quod sit mali, licèt non sub ratione ma
li. Idem videtur dicere in hoc articulo &
artic. 3. sequenti, immò art. 1. præceden-
ti videtur id clarè docere, dicens, quòd
malitia quam habet actus exterior ex ob
iecto & circunstantijs, non deriuatur ab
Solutio. actu interiori voluntatis. Nec valet re-
sponsio (inquit Vazquez) si dicatur D.
Thom. loqui de bonitate vel malitia ob-
iectiua & radicali, non vero de malitia
formali; nam hæc ab actu interiori debet
Impugn. dimanare. Non, inquam, valet solutio;
nam eodem modo loquitur de malitia ex
fine & obiecto & circunstantijs, sed quan
do dicit, malitiam ex fine per priùs esse
in actu interiori, loquitur de malitia for-
mali: ergo quando dicit malitiam ex ob-
iecto per prius esse in actu exteriori, e-
tiam loquitur de malitia formali. Qua-
propter licet actus interior sit causa ma-
litiæ formalis actus exterioris, non ta-
men est necesse quòd per prius sit in a-
ctu interiori, sed potest ab ipso effectu
communicari causæ denominatio forma
lis, quia & contingit causam solum deno
minari analogicè à suo effectu, vt medici
na denominatur analogicè sana, à sanita-
te animalis, cuius est causa. Vnde D.
Thom. nunquam dixit, quòd malitia ex
obiecto in actu exteriori deriuatur ab a-
ctu interiori, sed tãtùm à ratione. Pro re-
solutione ergo sit.

1. Concl. Prima conclusio. Actus exterior verè
& formaliter habet bonitatem vel mali-
tiam. Hæc conclusio patet ex sacra Scrip
tura, in qua quidem actus exteriores lau-
dantur vel prohibentur. Octo enim prio
ra præcepta Decalogi, de actibus exte-
rioribus dantur, & sic Doctores sancti,
non solùm actus interiores, sed etiam ex
ter iores cõprehendunt sub ratione pec-
D. Aug. cati. Vnde illud dicit Aug. esse, dictũ, vel
D. Greg. factũ, vel concupitũ, & Greg. & Hieron.
D. Hieron peccatũ diuiserunt in peccatum cordis,
oris, & operis: ergo in ipsis actibus exte-
rioribus, est malitia vel bonitas moralis.
Patet cõsequentia, quia nihil præcipitur
nisi ratione bonitatis, nec prohibetur, ni
si ratione malitiæ: si ergo actus exterior
præcipitur vel prohibetur, in ipso est bo
nitas vel malitia, ratione cuius præcipia-
tur vel prohibeatur. Secũdò probatur, ad
bonitatẽ vel malitiam formalẽ duo requi
runtur cõformitas vel difformitas à ratio
ne ex parte act⁹, & libertas ex parte sub
iecti; sed vtrumq; reperitur respectu a-
ctus exterioris: ergo in illo est bonitas
vel malitia formalis. Minor patet, Nam
ratio non solùm regulat actus internos,
sed etiam externos, & libertas non solum
exercetur in actibus elicitis à voluntate,
sed etiam aliarum potentiarum, quæ vo-
luntati subdũtur. Nec valet, dicere liber *Solut.*
tatem esse quid extrinsecũ actibus aliarũ
potentiarũ, & consequenter bonitatẽ vel
malitiam, quæ libertatẽ requirit. Non (in *Impug.*
quam) hoc valet, quia, vt supra probaui-
mus, etiã actus aliarũ potentiarũ sunt in-
trinsecè liberi, licet libertas eorũ à volun
tate deriuetur, & dato oppositò quod est
falsum, adhuc nihil cõtra nos, quia vt di-
ximus, libertas nõ est ipsa moralitas, sed
fundamentũ vel conditio ex parte subie
cti: vnde suppositâ libertate ex parte sub
iecti, etiã si non sit intrinseca actui exte-
riori; nihilominus talis actus exterior in-
trinsecam moralitatẽ bonitatis vel mali-
tiæ potest habere. Tertiò probatur, quia
ampliùs est tribuenda bonitas vel mali-
tia actui fornicationis vel gulæ, quam ob
iecto talis actionis, nempe corpori vel ci-
bo, sed obiecto actionis cõuenit bonitas
vel malitia obiectiuè: ergo ipsi actui etiã
exteriori conuenit formaliter.

Secunda conclusio. Non solum bo- *2. Concl.*
nitas sed etiam malitia formalis si su-
matur in executione per priùs conue-
nit actui interiori, posterius autem actui
exteriori participanti bonitatem vel ma
litiam ab actu interiori. Si autem loqua-
mur de bonitate vel malitia obiectiuè &
radicaliter, per prius conuenit actui exte
riori, & ab illo communicatur actui inte-
riori, quod clarius dicitur. Bonitas vel ma
litia consideratur dupliciter. Primò qua-
si specificè, vt cõsideratur ex obiecto. Se
cundò, indiuidualiter, & in exercitio, &
imputabiliter, prout subiecto operanti
tribuitur. Isto secũdo modo, bonitas vel
malitia per pri⁹ est in actu interiori. Ideo
enim actus exterior imputatur operãti,
in quantùm præcessit actus interior vo-
luntatis. Si enim non præcessisset; nec a-
ctus exterior imputaretur. Vnde ideò
exterior est malus vel bonus, quia in-
terior est talis. Primo autem modo, boni
tas vel malitia per priùs conuenit actui
exteriori specificato ab obiecto dissono
vel cõsono, & in tãtùm actus interior ho
micidij est malus, in quantùm tendit ad

exterio-

exteriorem, malũ ex obiecto. Quapropter dixit D. Tho. actum exteriorẽ habere bonitatẽ vel malitiã ex obiecto antecedẽter ad voluntatẽ, prout tantũ est in apprehẽsione rationis. Notandũ tamen, ꝙ sicut dicimus de vero posse sumi vel formaliter, vel radicaliter; si formaliter, consistit in habitudine ad intellectum; si autem radicaliter, minimè quod tamen intelligitur nõ consistere in habitudine actuali (non autẽ negamus habitudinem quasi habitualẽ & radicalem) ita in præsenti, bonitatẽ vel malitiam formalem & quantũm ad imputationem, dicimus cõuenire actui exteriori per habitudinem actualẽ ad actũ voluntatis; antecedẽter tamen ad actũ voluntatis habet actus exterior bonitatẽ vel malitiam specificam ex obiecto, non tamen sine habitudine radicali & quasi in habitu ad ipsam volũtatẽ. Quapropter si interrogttur, vtrum malitia sit essentialis vel accidentalis actui exteriori fornicationis: dicendũ est quòd intrinseca & essentialis, quia supponit pro specifica ex obiecto. Loquẽdo tamen determinatè de malitia formali in executione & imputabili, accidẽtalis est actui exteriori, prout accidit ei vt liberè vel non liberè fiat, posset enim sine aduertẽtia & non liberè fieri & sic nec imputari.

D. Tho.

Not.

Hæc cõclusio sic explicata videtur ex presse D. Tho. & quidẽ quantum ad hoc, quod bonitas vel malitia formalis, per prius sit in actu interiori & ex illo deriuetur ad actũ exteriorem, videtur intentũ ab authoribus primæ sententiæ. Non enim intendunt contra primã conclusionẽ, ꝙ bonitas vel malitia non sit formaliter in actu exteriori, sed quòd non est in illo primariò, sed participatiuè ab actu interiori, in quo primo residet talis bonitas vel malitia: & argumenta illorũ, hoc efficaciter probant. Nullas autẽ vires habẽt ad probãdũ, ꝙ bonitas vel malitia ex obiecto non sit per prius in actu exteriori, & ex illo deriuetur ad interiorem. Vnde argumenta illorũ manent soluta per distinctionẽ propositam, quã doctrinã existimo esse D. Tho. in isto articulo & præcedenti, & q. 74. ar. 2. & 3. & 6. & q. 50. & 56. & q. 2. de malo, ar. 2. & 3. & in 2. dist. 41. q. 2. ar. 2. & dist. 42. q. 1. art. 1. & q. vnica de virtutibus, ar. 4. & in 3. dist. 33. q. 2. ar. 4. quęstiũc. 2. & sic interpretantur D. Thom. veri interpretes illius, Capreolus in 2. dist. 42. q. vnica, & in 3. dist. 33. Cajet. & Conrad. locis allegatis ex hac parte, immò extra scholam D. Tho. Alexander Alens. 4. p. q. 77. memb. 3. ar. 5. Cartusianus in 2. dist. 42. Valẽtia 12. disp. 2. q. 15. pũct. 1. & disp. 5. q. 2. pũct. 1. & disp. 6. q. 4. punct. 1. omnes enim isti consentiunt bonitatem & malitiam formaliter conuenire actibus exterioribus, licèt per prius conueniat actibus interioribus, ꝙ autem sit ponenda bonitas vel malitia obiectiua per prius cõueniens actib⁹ exterioribus; est cõmune Thomistarum & verũ in doctrina D. Tho. quidquid reclamet hic Lorca sine argumento alicuius momenti. De quo videatur Ferrara 3. cõtra Gent. cap. 10. Sed prima pars conclusionis efficaciter probatur, nam actus exterior ante interiorẽ non est liber formaliter: ergo nec moralis formaliter, & cõsequenter nec formaliter bonus vel malus. Cõsequentia patet, quia excluſa libertate nõ manet moralitas. Antecedens vero probatur. Nam libertas solùm à volũtate quæ essentialiter est libera potest prouenire. Confirmatur, nam ab illo habet aliquid formaliter esse tale, quo posito, ponitur tale, & quo ablato aufertur. Sed sic est quod posito actu volũtatis, ponitur, ꝙ actus exterior sit bonus vel malus formaliter, & nõ stante actu voluntatis non stat actus exterior formaliter bonus vel malus: ergo bonitas vel malitia formalis, per priùs est in actu interiori & ab illo participatur in exteriori actu.

Caiet.
Conrad.
Alexand.
Valentia.
Cartus.

Modo ergo solùm nobis restat colluctatio aduersus Vazquez, qui licèt id cõcedat de bonitate, non tamen de malitia. Hanc enim etiam formalem per priùs dicit conuenire actui exteriori antecedenter ad voluntatem. Sed certè eius sententia est noua, & fictitia, & improbabilis â nullóque recipitur etiam â sapientibus consodalibus suis. Probatuŕque primo contra ipsum, voluntas est primum principium bonitatis & malitię moralis: ergo bonitas vel malitia moralis formaliter sumpta primariò pertinet ad ipsam. Antecedens probatur, nam vt dicebamus, sicut excluso concursu voluntatis actus exterior non potest esse bonus, ita nec malus formaliter & imputabiliter, sed manebit occisio, verbi gratia, sicut si fieret â tauro. Secundo probatur. Habitus virtutis vel vitij primariô pertinent ad voluntatem, quia si in alijs potentijs collocãtur, est per specialem subiectionem

D. Tho.

Capreol.

ad ipsam voluntatem: ergo & actum esse bonum vel malum primariò pertinet ad voluntatem. Patet consequentia, nam ad illam potentiam pertinet primariò ratio actus, ad quam pertinet & habitus, si quidem habitus sunt propter actus & dãtur ad operandum. Si respõdeatur cum Vazquez libertatem tantum esse fundamentum moralitatis, non autem idem cum illa, quia genus moris non est substantia actionis liberæ, sed quædam relatio & denominatio extrinseca regulabilitatis ad rationem; quapropter ratio liberi potest desumi ab vno nempe à voluntate, moralitas verò poterit desumi ab alio, & sic malitia poterit esse per difformitatem ad rationem antecedenter ad libertatẽ. Contra tamen arguitur, quia ista solutio supponit vnum falsum quòd moralitas sit denominatio extrinseca quod iam supra impugnauimus, & dato illud esse verum, impertinens est ad propositum: nam ex illo principio, non magis probatur malitiam posse conuenire antecedenter ad voluntatem, quam quòd bonitas, siquidem moralitas vtriusque secúdum Vazquez erit ab extrinseco. Nec valet solutio Vazquez plus requiri ad bonitatem, quàm ad malitiam, non inquam, valet, quia licet ita sit verũ, vnde probat quod inter illa minora requisita ad malitiam, non sit vnum requisitum actus voluntarius vt malitia actus exterioris, sit formalis & imputabilis operanti. Tertiò principaliter arguitur contra Vazquez: nam contratia proxima & immediata semper sunt in eodem subiecto. Hoc enim compertum est in Diuo Thoma & Aristot. & in omni bona philosophia: quapropter vitium semper ponitur in eadem potentia in qua ponitur virtus, sed bonitas & malitia moralis sunt immediatè oppositа: ergo si bonitas primariò pertinet ad voluntatem, similiter & malitia, & habebit maiores vires hoc argumentum, si bonitas & malitia opponerentur priuatiue vt aliqui volunt, cùm priuatio sit negatio in subiecto apto ad formam contrariam, sic enim impossibile est esse priuationem nisi in eodem subiecto formæ. Quartò probatur. Namvt ipse concedit, libertas est fundamentũ moralitatis: ergo ad quod primò pertinet fundamentũ, debet pertinere & moralitas; quia relatio non potest esse, nisi vbi fuerit fundamentũ: sed libertas pertinet primariò ad volũtatem: ergo & moralitas, si quidẽ secũdũ Vazquez est relatio fundata supra libertatẽ. Denique ridiculum est, quod iste author intendat suam sententiam esse D. Tho, cum expresse doceat contrarium in isto articulo & præcedenti; semper enim expresse loquitur de bonitate & malitia. Nec valet dicere cum Vazquez D. Thomam loqui gratia exẽpli: non (inquam) valet, cum ista sit doctrina, quã principaliter intendit docere in vtroque articulo.

Solut.

Impug.

Ad primũ argumentum pro sententia Vazquez respõdetur, quòd licet lex humana immediatè prohibeat actus exteriores; nõ est quia malitia formalis nõ sit per priùs in actu interiori; sed quia ad ipsam nõ pertinẽt interiora, Ecclesia enim non iudicat de interioribus, vel etiã quia Reipublicæ humanę non nocẽt, nisi exteriora. Cum autẽ Deus intueatur cor, lege diuina; per prius prohibet actũ interiorem. Si autem ponuntur præcepta in verbis in ordine ad actus exteriores, est quia magis actus exteriores cognoscuntur ab hominibus. Ad cõfirmationem negatur minor, ad probationẽ respondetur quod dissonãtia obiectiua per priùs est in actu exteriori, & ideo velle furari est malum. quia furari est malũ. Dissonãtia verò formalis per priùs est in actu interiori, & ideo furari est malum, quia voluntate acceptatur. Si enim actus voluntatis nõ præcessisset, actus exterior formaliter malus non esset.

Ad 1. arg. 3. Sent

Ad 2. arg.

Ad secundũ argumẽtum bene ibi respõdetur. Ad replicã dicitur, nõ eodẽ modo sumere D. Tho. malitiam, sed nomine malitię ex fine, intelligit malitiam formalem, & hanc prius dicit esse in actu interiori, nomine verò malitiæ ex obiecto, intelligit malitiam obiectiuam & specificam, & hanc dicit per priùs conuenire actui exteriori, nec propterea procedit æquiuocè, quia malitia his duobus modis analogicè dicitur, quatenùs vna præsupponit & radicatur in alia, & illud exẽplũ de medicina nõ est ad propositũ: nam medicina solũ denominatiuè & extrinsecè est sana; voluntas autẽ formaliter est bona vel mala. Quapropter si voluntas est causa bonitatis vel malitię actus exterioris, & ipsa voluntas etiã formaliter habet bonitatẽ vel malitiam; per priùs debet esse in ipsa volũtate, quàm in actu exteriori: quia propter quod vnumquodq; tale illud magis, si vtrumque est tale.

AR-

ARTICVLVS III.

Vtrùm Bonitas & malitia sit eadem exterioris & interioris actus.

Infr. art. 4. ad. 1.

AD tertium sic proceditur. *Videtur quòd non eadem sit bonitas vel malitia actus interioris voluntatis & exterioris actus. Actus enim interioris principium est vis animæ interior apprehensiua vel appetatiua. Actus autem exterioris principium est potẽtia exequens motum: vbi autem sunt diuersa principia actionis, ibi sunt diuersi actus, actus autem est subiectum bonitatis vel malitiæ. Non potest autem esse idem accidens in diuersis subiectis: ergo non potest esse eadem bonitas interioris & exterioris actus.*

Capit. 6. in princ. to. 5.

2 *Præterea virtus est quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit vt dicitur in 2. ethi.* * *sed alia est virtus intellectualis in potentia imperante, & alia virtus moralis in potẽtia imperata, vt patet in principio 2 Ethi.* * *ergo alia est bonitas actus interioris quæ est potentiæ imperantis, & alia est bonitas actus exterioris quæ est potentiæ imperatæ.*

Lib. 2. ethi. c. 1. tom. 4.

3. *Præterea. Causa & effectus idem esse non possunt. Nihil enim est causa sui ipsius, sed bonitas actus interioris, est causa bonitatis actus exterioris, aut é conuerso vt dictum est: ergo non potest esse eadem bonitas vtriusque.*

Art. 1. & 2. huius quæst. & q. 18. ar. 6

Sed contrà est quod supra * *ostensum est, quòd actus voluntatis se habet vt formale ad actum exteriorem: ex formali autem & materiali fit vnum: ergo est vna bonitas actus interioris & exterioris.*

Quæst. 17. art. 4. & q. 18. art. 6.

Respondeo dicendum, quòd sicut supra dictum est. * *Actus interior voluntatis & actus exterior prout considerantur in genere moris, sunt vnus actus. Contingit autem quandoque actum qui est vnus subiecto, habere plures rationes bonitatis, vel malitiæ & quandoque vnam tantum. Sic ergo dicendum est quod quandoque est eadem bonitas vel malitia interioris actus & exterioris, quandoque alia & alia; sicut enim dictum est* * *prædictæ duæ bonitates vel malitiæ, scilicet interioris & exterioris actus, ad inuicem ordinantur: contingit autem in his quæ ad aliud ordinãtur, quòd aliquid est bonum ex hoc solum quod ad aliud ordinatur: sicut potio amara ex hoc solũ est bena quod est sanatiua. Vnde non est alia bonitas sanitatis, & potionis, sed vna & eadem: quandoque vero illud quod ad aliud ordinatur habet in se aliquam rationem boni etiam præter ordinem ad aliud bonum: sicut medicina saporosa habet rationem boni delectabilis præter hoc, quod est sanatiua. Sic ergo dicendum, quòd quãdocumque actus exterior est bonus, vel malus solum ex ordine ad finem: tunc est omnino eadem bonitas & malitia actus voluntatis quæ per se respicit finem, & actus exterioris, qui respicit finem mediante actu voluntatis.*

Quæst. 18. art. 6.

*tis. Cum autem actus exterior habet bonitatem vel malitiam secundùm se scilicèt secundum materiam vel circunstantiam: Tunc bonitas exterioris actus est vna & bonitas voluntatis quæ est ex fine est alia. Ita tamen, quòd bonitas finis ex voluntate redundat in actum exteriorem & bonitas materiæ & circunstantiarũ redundat in actum voluntatis, sicut iam dictum est.**

Art.2. *Ad primum ergo dicendum, quòd ratio illa probat quod actus interior & exterior, sunt diuersi secundum genus naturæ. Sed tamen ex eis sic diuersis constituitur vnum in genere moris vt supra dictum est.**

Quæst. 17. art.4.c.1.in fine tom. 5.

*Ad secundum dicendum, quòd sicut dicitur in 6. Ethi. * Virtutes morales ordinantur ad ipsos actus virtutum qui sunt quasi fines. Prudentia autem quæ est in ratione ad ea quæ sunt ad finem, & propter hoc requiruntur diuersæ virtutes. Sed ratio recta de ipso fine virtutum non habet aliam bonitatem, quam bonitatem virtutis, secundùm quod bonitàs rationis participatur in qualibet virtute.*

Ad tertium dicendum, quòd quando aliquid ex vno deriuatur in alterum sicut ex causa agente vniuoca, tunc aliud est quod est in vtroque sicut cum calidum calefacit, alius numero est calor calefacientis, & calor calefacti, licèt idem specie, sed quando aliquid deriuatur ab vno in alterum secundùm analogiã vel proportionem, tunc est tantum vnum numero: sicut a sano quod est in corpore animalis deriuatur sanum ad medicinam & vrinam. Nec alia sanitas est medicinæ & vrinæ, quàm sanitas animalis quam medicina facit & vrina significat, & hoc modo à bonitate voluntatis deriuatur bonitas actus exterioris & è conuerso, scilicèt secundùm ordinem vnius ad alterum.

Prima conclusio. Quando actus exterior habet tantum bonitatem vel malitiam ex ordine ad finem: eadem est bonitas actus exterioris & interioris. *1.Concl.*

Secunda conclusio. Quando vero actus exterior habet bonitatem vel malitiam ex obiecto & debitis circunstãtijs: tunc bonitas actus exterioris est alia à bonitate, quam habet voluntas ex ordine ad finem. *2.Concl.*

Tertia conclusio ad 2. Recta ratio de fine non habet bonitatem distinctam â bonitate virtutis moralis de eodem fine. *3.Concl.*

Quarta conclusio ad 3. Bonitas vel malitia actus interioris causatur ab actu exteriori tanquã à causa æquiuoca & è conuerso, & propterea in vtroque est vna & eadem bonitas. *4.Concl.*

Pro intelligentia huius articuli notandum, quòd cum natura sit proprium subiectũ moralitatis ideò ad cognoscendam vnitatem, vel diuersitatem, vel causalitatem moralem, non erit abs re agere de vnitate vel diuersitate bonitatis & malitiæ actus interioris & exterioris Secundùm quòd in esse entis est eadem vel diuersa, vt postea agatur qualiter bonitas vel malitia actus interioris & exterioris sit eadem vel diuersa moraliter loquendo. *Nota.*

Ad decisionem ergo prioris notandũ, quod actus interior, & exterior tripliciter possunt se habere inter se. Primò ita, vt actus exterior ex parte proprij obiecti nullam habeat bonitatem vel malitiã, sed tantùm illam habeat ex parte vlterioris finis terminantis actum interiorem. Isto quidem modo certum est non esse diuersam sed eiusdem speciei bonitatem vel malitiam actus interioris & exterioris, tantum enim est bonitas vel malitia *Not.*

ex par-

ex parte finis primò & per se conueniẽs actui interiori, secundario autem exteriori. Secundo modo sic se possunt habere, quòd actus exterior habeat vt obiectũ proximum ipsum finem actus interioris, ita vt sit idem finis operis & operantis, nec operans ordinet actum exteriorẽ in alium finem, quàm in ipsum obiectũ, & finem operis. Isto etiam secundo modo, certum est esse eandem & eiusdẽ speciei bonitatem vel malitiam actus interioris, & exterioris, primatiò vtrique cõueniens licèt secundùm diuersam rationem, exteriori quidem obiectiuè, interiori autem formaliter, & quoad exercitium vt supra diximus. Tertio modo sic se possunt habere, quod actus exterior ex proprio obiecto habeat bonitatem vel malitiam, & vltra hoc ab operante ordinetur in vlteriorem finem quem actus interior respicit vt proprium & immediatum obiectum sui. Isto etiam tertio modo certũ debet esse, esse distinctam & diuersæ speciei bonitatem vel malitiam actus interioris & exterioris, cum in vtroque desumatur ex diuerso specificatiuo, in interiori quidem à fine, in exteriori autẽ ab obiecto proximo, quæ diuersa sunt specificatiua. Verum est tamen quòd licet bonitas vel malitia prædicta diuersa sit & cuilibet sua propria, ad inuicẽ tamen mutuantur. Participat enim actus interior malitiam vel bonitatem exterioris, & è contra. Itaque malitia vel bonitas quæ propria est actus interioris communicatur exteriori; & è contra quæ propria est exterioris communicatur interiori. Et ista quidem communicatio est extrinseca quia non potest idem accidens numero esse intrinsecè in diuersis subiectis, qualia sunt actus interior, & exterior. Sed bonitas vel malitia formalis & ex parte finis est intrinsece in actu interiori, extrinsecè autem & denominatiuè in actu exteriori, & è contra bonitas vel malitia obiectiua est intrinsece in actu exteriori, extrinsecè autem & denominatiuè in actu interiori. Qua propter vterque tam interior, quam exterior secundum diuersam rationem, est intrinsecè & extrinsecè bonus vel malus, intrinsecè quidem per sibi propriam bonitatem vel malitiam, extrinsecè autem per illam quam ab altero participat. Et licet bonitas formalis ex fine & in exercitio sit quæ proprie denominat actum malum, & talis bonitas vel malitia tantùm sit intrinsece in actu interiori, & solum extrinsecè in exteriori, nihilominus actus exterior ex obiecto malus, verbi gratia, furtum, non debet dici extrinsecè malus, sed intrinsecè, quia in ipso est intrinsecè obiectiua malitia, aqua radicaliter ortũ habuit malitia formalis actus interioris, aqua ipse exterior extrinsece denominatur. Secus est in actu exteriori primi generis nõ habẽte bonitatem vel malitiam ex proprio obiecto, sed tantum communicatam extrinsecè ex fine actus interioris; tunc enim talis actus exterior absolutè dicitur extrinsicè bonus vel malus.

Restat autem explicare, qualiter fiat prædicta denominatio extrinseca in actu exteriori ab interiori, & è conuerso. Pro cuius explicatione notandum, quòd tripliciter potest aliquod subiectum denominari ab aliqua forma reali. Primò absolutè & intrinsecè vt album ab albedine, & calidum à calore. Secundo modo omnino ab extrinseco vt colũna dextra à dexteritate animalis. Tertio modo potest subiectum denominari partim ab intrinseco, & partim ab extrinseco, quatenus licèt importetur forma intrinsicè recepta, tamen propter sui imperfectionem, dicit habitudinem & dependentiam ab aliquo extrinseco, vt locatum dicitur esse in loco per vbicationem passiuã intrinsice receptam in ipso locato, est tamẽ vbicatio forma adeò imperfecta, vt sine dependentia ab extrinseco loco non consistat. Dicimus ergò quod actus exterior denominatur bonus vel malus formaliter, non per aliquam bonitatem formalẽ intrinsice receptam in illo, etiam dependentem ab actu interiori; sed omnino extrinsicè denominatur bonus vel malus formaliter à bonitate vel malitia formali intrinsece existente in actu interiori. Et nõ disputamus vtrum ad minus actus exterior ex subordinatione ad interiorẽ debeat habere aliquem modum realem: de hoc enim egimus supra, & iterum infra redibit sermo: modo enim dicimus, quòd etiam si in actu exteriori talis modus realis assignetur, non sufficit intrinsecè denominare bonum vel malum actum externum, sed talis denominatio omnino est extrinseca à bonitate vel malitia formali intrinsecè existente in actu interiori. *Not.*

Ex dictis sequitur, quòd secundùm entitatem *Corolar.*

titatem & metaphysicè loquendo,quando actus exterior nullam habet bonitatẽ vel malitiam ex proprio obiecto,sed solùm extrinsecam denominationem ab actu interiori,tantùm est vna numero bonitas vel malitia in vtroque, sicut eadem numero est sanitas intrinseca animali, & extrinseca virnæ. Loquendo etiam de actu exteriori habente bonitatem vel malitiam ex proprio obiecto, siue tendat in vlterio rem finem ab actu interiori,siue etiam actus interior sistat vt in fine in obiecto actus exterioris, tũc bonitas vel malitia interioris, & exterioris vnicuiq; propria & intrinseca,numero& realiter distinguitur,quia, vt diximꝰ, nõ potest eadem forma intrinsice recipi in diuerso subiecto.Hoc dixerim de bonitatevel malitia intrinseca interioris & exterioris inter se comparata, nam intrinseca interioris eadem est numero cum extrinseca exterioris; & intrinseca exterioris, eadem est numero cum extrinseca interioris,quia vt diximus denominatio in exteriori actu ab interiori,est omnino extrinseca & sic potest esse ab eadem numero bonitate vel malitia intrinsicè existente in actu interiori,quia nullum est inconueniens,vt eadem numero forma denominet intrinsecé vnum subiectum,& extrinsecè alterum,vt eadem numero sanitas denominat intrinsecé animal & extrinsecè vrinam. Restabit ergo examinare qualiter bonitas vel malitia actus interioris & exterioris sit eadem vel diuersa moraliter loquendo.

1.Sent. Greg. Gabriel. Scoto.

In hac re Gregorius in 2.dist.42.q.5. tenet,quòd sunt duo actus & duo peccata interior scilicet,& exterior, consentit que cum eo Gabriel.eadem distinctione q.3.& eiusdem sentẽtiæ videtur esse Scotus q.18.§.de tertio,& probat Greg.Velle occidere est peccatũ,&occidere est peccatũ,& occidere nonest velle occidere:ergo sunt duo actus &duo peccata.Et secũdò.Nihil est causa,& medium &ratio sui ipsius: sed actus interior est causa bonitatis vel malitiæ in actu externovt supra diximus;ergo suntdistincta peccata.

Vera sent. D.Tho.

In oppositum est diui Thomæ sententia conclusione prima vbi ait,quòd actus interior & exterior sunt vnus actus in genere moris,& hoc est generaliter verũ etiam si essent distinctæ bonitates & malitiæ in actu interiori & exteriori, vt siquis vult occidere hominem propter desprædandum ipsum; itaque sua intentio non est occidere,sed tantum de prædari, & tũc idem est actus velle occidere adsurandum & ipsum occidere,idem inquam sunt actus in genere moris licet sint duæ malitiç, vna quç cõuenit actui exteriori ex obiecto, & alia quæ ei prouenit ex intentione finis:itaque secundum D.Tho. aliud est quòd idem actui conueniãt duæ bonitates vel malitiæ altera ex obiecto altera ex parte finis,& aliud quod actus exterior & interior sint distincti actus,nam D.Thom.primum concedit, & secundũ negat, & probatur ipsius sententia primò. Nullus cõfitetur quod voluit occidere & occidit sed solum quod occidit:ergo signum est quod actus interior & exterior repræsentatur idem actus in genere moris.Secundò,actus exterior nullam habet bonitatem aut malitiam, nullũ meritum aut de meritum nisi ratione actus interni:ergo actus exterior non censetur actus distinctus ab interno. Tertio,actus exterior habet se velut materiale respectu interni qui est velut forma,sed ex materia & forma resultat vnum ergo.

Ad 1. arg.

Ad primum argumentum respondetur cum D.Tho.quod stat idem esse plura in vno genere & vnum in alio genere sicut domus est plura lignа & lapides etiam in genere substantiæ: & tamen est vna domus in genere qualitatis & figurç, quia illa omnia destinantur ad conficiendam vnam formam, sicut etiam in hominibus,quis dicat nisi quod ego sum vnus homo? dato quod sint plures partes. Isti tamen dicunt quod sunt plures homines partiales,istos tamen irrideret Arist.quia partes quando actualiter faciunt vnũ nõ recipiunt per se singulæ denominationem illius totius, nam aliud est quod sit pars hominis aliud quod sit homo, & sic volitio & actus exterior sunt vnus actus moraliter,sicut & materia,& forma vnus homo,quare in via D.Thom.non est dubium quod volitio faciendi & ipsum facere sint vnus actus & vnum peccatum. Itaque actus exterior comparatus ad interiorem non est diuersum sed idem peccatum. Vtrùm autem idem actus exterior habens diuersam malitiam vel bonitatem specificam debeat dici vnum vel multiplex peccatum, quæstio est de nomine. Potest enim dici metaphysice loquendo idem peccatum propter vnitatẽ subiecti,moraliter tamen & in ordine ad confes-

confessionem est duplex quatenus non sufficit vnã sed requiritur duplicem malitiam explicare.

Ad 2. arg. Ad secundùm argumentum negatur consequentia; quia causalitas prouenit ratione distinctionis entitatis physicæ, & licet actus exterior habeat causare interiorem in genere moris, hoc solum est radicaliter & fundamentaliter in illo genere, & ideo non constituit distinctum peccatum licet ipse actus exterior quando postea efficitur vere sit peccatum.

Circa solutionem ad secundum D. Tho. videatur Conrad. & Caiet. qui aliqualiter differunt inter se, & magis mihi placet Conradus qui clarius loquitur ad mentem D. Thom. dicit enim, quod D. Thom. ad argumentum negat antecedẽs quod ideo requiratur alia virtus in potẽtia imperante, & imperata quia est alietas bonitatis vel malitiæ: sed tantum propter hoc quia virtus imperans qualis est prudentia quæ respicit medium, repicit medium, vt medium est: & inter medium & finem est sufficiens differentia ad causandum diuersitatem specificã inter prudentiam & virtutes morales, quatenus à prudentia respicitur ratio medij vt ordinabile per rationem, quod & optimis verbis dicit Caietanus quod responsio primo percutit radicem & intendit quod nõ propter diuersitatem inter actum interiorem & exteriorem, requiritur diuersa virtus, sed propter diuersitatem finis, & eius quod est ad finem, deinde vero D. Thom. negat consequentiam: ergo ita cõtingit in actu interiori & exteriori; si quidem inter illos non est hęc diuersitas quę inuenitur inter prudẽtia & inter virtutes morales. Notãdũ est ergo quod prudẽtia quę ordinat de medijs & etiã synderesis quæ ordinat de ipso fine virtutũ possunt cõsiderari dupliciter, vno modo secundũ quod sunt virtutes pertinẽtes ad intellectũ alio modo secũdũ quod ordinãtur, & secũdũ, quod sunt quæ dã viæ ad actũ virtutis moralis. In prima consideratione distinguntur specie immo vero vt ita dicã distinguũtur genere synderesis & prudentia ex vna parte & temperantia, verbi gratia, ex alia quia respiciunt, quod est proprium partis intellectualis, ad intellectum enim pertinet ordinare, quia est rationale per essentiam, ad appetitum vero esse ordinatũ quia est rationale per participationem & hoc est quod dicit D. Thom. in prima parte solutionis quod virtutes morales ordinantur ad ipsos actus virtutũ qui sunt quasi fines, prudentiæ quæ est in ratione. Nota illud verbum quę est in ratione, nam explicat ea quæ modo dicimus quod ideo distinguitur prudentia à virtute morali, quia est in ratione & non quomodocumque, quia subiectatur in ratione sed quia respicit bonum morale quod potest conuenire rationi, quod est vt diximus ordinare & mensurare, at vero in alio genere secũdum scilicet quod ordinantur virtutes intellectuales ad moralem possunt dici in genere moris habere eandem bonitatem, & hoc dicit D. Tho. in vltimis verbis. Sed ratio recta de ipso fine virtutum non habet aliam bonitatem, quam bonitatẽ virtutis, secundum quod bonitas rationis participatur in qualibet virtute, & hoc non solũ dicit D. Tho. de synderesi quę versatur circa finem virtutis moralis sed etiam de prudẽtia quæ versatur circa media vt patet infra q. 58. art. 2. ad 2. vbi dicit D. Thom. quod secundum, quod D. Aug. dicit, quod virtus est ars recte viuẽdi essentialiter conuenit prudentiæ, participatiue autem alijs virtutibus prout secundum prudentiam diriguntur, idem dicit q. 64. art. 2. in corp. quod medium rationis dupliciter potest intelligi: vno modo secundum quod medium in ipso actu rationis existit quasi ipse actus rationis ad medium reducatur, & sic quia virtus moralis non perficit actum rationis sed actum virtutis appetitiuæ medium virtutis moralis non est medium rationis. Alio modo potest dici medium rationis id quod à ratione ponitur in aliqua materia, & sic omne medium virtutis moralis est medium rationis, idem dicit D. Tho. 2. 2. q. 47. art. 5. ad 1. quod prudentia ponitur in diffinitione virtutis moralis quãdo dicitur in 2. Ethic. cap. 5. quod virtus est habitus electiuus in medietate existens determinata à ratione prout sapiens determinauerit quod illa diffinitio non datur de virtute in communi sed de virtute morali, in cuius diffinitione conueniẽter ponitur virtus intellectualis communicans in materia cum ipsa scilicet prudẽtia. Quia sicut subiectum virtutis moralis est aliquid participans rationẽ, ita virtus moralis habet rationẽ virtutis inquãtum participat virtutem intellectualem, itaque vt ex omnibus istis coligamus veri-

D. Thom.

veritatem,temperantia, verbi gratia,nihil aliud est quam quædam prudētia participata,& in vniuersum quælibet virtus imperata nihil aliud est quam participatio virtutis imperantis, quod optime explicatur per illud Euangelij, maiorem Charitatem nemo habet quam vt animā suam ponatquis pro amicis suis,certū est quod ponere animam pertinet ad virtutem fortitudinis elicitiuæ, nihilominus secundum quod iste actus imperatur â Charitate,ipsemet vocatur Charitas.Non enim inquit Christus Dominus maiorem fortitudinem nemo habet, sed maiorem Charitatem. Quamuis ergo differant in modo essendi bonitas virtutis imperantis, & virtutis imperatæ, tamen formaliter sunt eiusdem speciei in esse moris sicut homo existens aparte rei & secundum quod repræsentatur in specie intelligibili differt in modo essendi,quia ibi habet esse reale,hic verò esse intentionale, nihilominus formaliter loquendo est idem homo & species intelligibilis hominis & ipse homo eiusdem speciei.Hoc optime quadrat cum proposito argumēti,ad quod respondet D.Tho.& per hanc doctrinam sic intellectam optime manifestatur veritas intenta in hoc articulo, quod eadem est bonitas actus interioris, & exterioris. Nam etiam est eadem bonitas actus imperantis & imperati.

ARTICVLVS IV.

Vtrūm actus exterior aliquid addat de bonitate, & malitia supra actum interiorem.

*Infra q.24. art.3.cor.& 22.q.76.ar. 4.ad.2.& 2 dist.40.a..3 & ma.q.2. art.2.ad.8. *Ex hom.c. 19.in math. aliqnantulū â princ.to.2*

AD quartum sic procedi-
tur videtur quod exterior actus non addat in bonitate vel malitia supra actum interiorem.Dicit enim Chrisost.super Mattheum.* Voluntas est quæ aut remuneratur pro bono aut condemnatur pro malo : opera autem, testimonia sunt voluntatis. Non ergo quærit Deus opera propter se vt sciat quomodo iudicet, sed propter alios vt omnes intelligant quia iustus est Deus:sed malum vel bonum magis est æstimandum secundum iudicium Dei quam secundum iudicium hominum:ergo actus exterior nihil addit ad bonitatem vel malitiā super actum interiorem.

2. Præterea.Vna & eadem est bonitas interioris & exterioris actus vt dictum est. * Sed augmentum fit per additionem vnius ad alterum: ergo actus exterior non addit in bonitate vel malitia super actum interiorem. Art.[præce]

3. Præterea.Tota bonitas creaturæ nihil addit supra bonitatem diuinam quia tota deriuatur â bonitate diuina:sed bonitas actus exterioris, quandoque tota deriuatur ex bonitate actus interioris, quandoque autē ê conuerso vt dictum est. * Non ergo vnum eorum addit in bonitate vel malitia super alterum. Art.præc

Sed contra, omne agens intendit consequi bonum: & vitare malum, si ergo per actum exteriorem nihil additur de bonitate vel malitia, frustra qui habet bonam voluntatem vel malam facit opus bonum aut desistit à malo opere quod est inconueniens.

Respondeo dicendum,quod si loquamur de bonitate exterioris actus quam habet ex bonitate finis:tunc actus exterior nihil addit ad bonitatem nisi contingat ipsam voluntatem secundum se fieri meliorem in bonis vel peiorem in malis,quod quidem videtur,posse contingere tripli-

citer.

citer. Uno modo secundum numerum puta cum aliquis vult aliquid facere bono fine vel malo: & tunc quidē non facit: post modum autem vult & facit duplicatur actus voluntatis & sic fit duplex bonum vel duplex malum. Alio modo quantum ad extensionem puta cum aliquis vult facere aliquid bono fine vel malo, & propter aliquod impedimentum desistit: alius autem continuat motum voluntatis quousque opus perficiat, manifestum est quod huiusmodi voluntas est diuturnior in bono vel malo & secundum hoc est peior vel melior. Tertiò secundum intensionem: sunt enim quidam actus exteriores, qui inquantum sunt delectabiles vel pœnosi nati sunt intendere voluntatem vel remittere. Constat autem quod quanto voluntas intensius tendit in bonum vel malum, tanto est melior vel peior. Si autem loquamur de bonitate actus exterioris quam habet secundum materiam, & debitas circunstantias, sic comparatur ad voluntatem vt terminus & finis, & hoc modo addit ad bonitatem vel malitiam voluntatis quia omnis inclinatio, vel motus perficitur in hoc quod consequitur finem vel attingit terminum, vnde non est perfecta voluntas nisi sit talis quæ opportunitate data operetur. Si verò possibilitas desit voluntate existente perfecta vt operaretur si posset defectus perfectionis, quæ est ex actu exteriori, est simpliciter inuoluntarium: inuoluntarium autem sicut non meretur pœnam vel premium in operando bonum aut malum: ita non d tollit aliquid de premio vel de pœna si homo inuoluntarie simpliciter deficiat ad faciendum bonum vel malum. Dist. 79 I 202.

Ad primum ergo dicendum quod Chrisost. loquitur quando voluntas hominis est consummata & non cessatur ab actu nisi propter impotentiam faciendi.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de bonitate actus exterioris, quam habet â bonitate finis: sed bonitas actus exterioris quã habet ex materia, & circunstantijs est alia à bonitate voluntatis quæ est ex fine non autem alia à bonitate voluntatis quam habet ex ipso actu volito, sed comparatur ad ipsam vt ratio & causa eius, sicut supra dictũ est. * Et per hoc etiam patet solutio ad tertium. Art. 1.

Prima conclusio. Si loquamur de bonitate vel malitia quam habet actus exterior ex ordine ad finem; nihil addit ipse actus exterior per se loquendo. 1. Concl.

Secunda conclusio. Contingit tamen per accidens quod aliquid addat quia cõtingit ipsam voluntatem fieri meliorem, vel peiorem per multiplicationem actus vel per continuationem vel per intensionem, quæ omnia quandoque fiunt occasione ipsius actus exterioris. 2. Concl.

Tertia conclusio. Si loquamur de bonitate vel malitia quam habet actus exterior ex propria materia & debitis circũstantijs, addit ad bonitatem vel malitiam actus interioris. 3. Concl.

Quarta conclusio. Si de fit possibilitas operandi voluntate existente perfecta ad operandum, defectus actus exterioris nihil tollit de præmio vel de pœna quia talis defectus est in voluntarius certum est idem esse etiam de bonitate & malitia atque adeo D. Tho. negatiuè respõdet ad titulum quęstionis. 4. Concl.

DVBIVM I.

Vtrùm ita sit quod actus exterior non addat bonitatem vel malitiam quando voluntas est efficax & determinata.

Sent. Scoto. IN hac re Scot.quodlib.18.art.4.tenet quod actus exterior addit bonitatẽ vel malitiam quem refert, Aureolus vt refert Capreolus in 2.dist.42.q.1.contra quartam conclusionem:idem tenet quidam frater Franciscanus nomine Polentius lib.1.de iustificatione cap.15.& etiã quædam glossa super caput sicui etiam de pœnitentia q.1. Hæc sententia probatur primo, actus interior, & exterior prohibẽtur diuersis decalogi præceptis. *1.Argu.* *Exod.20.* Dicitur enim Exodi 20.non furtum facies, & rursus non concupisces rem proximi tui,non domum,non seruum, non ancillam,non bobem,non asinum, nec omnia quæ illius sunt. Item dicitur non mœchaberis, & iterum non concupisces,vxorem proximi tui:ergo si diuersis præceptis prohibentur signum est quod actus interior,& exterior habent distinctas malitias.

2.Arg. Secundo arguitur ex D. August.13. de Trinit.cap.5.tomo 3.vbi ait,mala voluntate vel sola quisque miser efficitur, sed miserior potestate qua desideriũ malę volũtatis impletur,ergo executio prauæ voluntatis addit malitiam supra interiorem actum nam alias non haberet verum quod per talem executionem miserior quis efficiatur.

3. Arg. Tertio arguitur. Alia integritas rationis requiritur ad rectitudinem actus interioris,& alia ad rectitudinem exterioris, quia illi actus habẽt diuersas naturas, cum vnus sit elicitus à voluntate & alius sit aliarum potentiarum ergo alia bonitas vel malitia est in actu exteriori, & alia in interiori.

4.Arg. Quartò arguitur. Nam sententia D. Thom. videtur esse condemnata contra Petrum Abaylardum hæreticum cuius meminit D.Bernard.Epist.187.& sequẽtibus, qui inter alios errores asserebat quod sola voluntas remuneratur vel punitur à Deo, nec propter opera externa fit homo peior vel melior: contra quod extat Concilium Trident.sess.6. can.24. hijs verbis siquis dixerit iustitiam acceptam non augeri coram Deo,per bona opera,sed opera ipsa fructus solummodo & signa esse iustificationis adeptæ, anathema sit.

5.Arg. Quintò arguitur. Actus exteriores puniuntur,& premiantur, suspenditur enim qui furatur non qui vult furari, & premiatur, qui vadit ad bellum non qui vult ire etiam si efficaciter vellit:ergo actus exteriores per se habent bonitatem præter bonitatem interioris. *Solutio.* Si respondeatur hoc contingere in republica humana qui non potest iudicare de interioribus nisi per actus exteriores. *Impugn.* Contra arguitur;quia etiam si constaret per reuelationem quod aliquis voluit occidere hominem non suspenderetur,& licet cõstaret quod voluit ire ad bellum si nõ iuit non premiaretur:ergo ideo hoc erit,quia actus exterior per se est bonus vel malus. *Solut.* Si iterum respondeatur quod respublica solum respicit, vtilia vel nociua, actus autem interior nisi per exteriorem, nec est vtilis nec nociuus, & ideo solum exterior punitur vel premiatur licet apud Deum non sit maioris premij,vel supplicij essentialis actus exterior quam interior. *Impug.* Contra arguitur ex communi animi conceptione, exorremus enim actus exteriores supra interiores, vt si quis audiat in confessione consensum determinatum occidendi, nõ tantum exorret ac si dixisset quod occidit,& si puella dicat habuisse consensum interiorem stupri,non tantum exorremus ac si dixisset admisisse stuprum,& multo maiores pœnitentias iniungimus pro actibus exterioribus etiam secluso damno restitutionis:qua propter pœnitens non satis explicat suam culpam & malitiam si solum dicat se voluisse occidere si tamen occidit: ergo actus exterior bonitatem vel malitiam addit.

6. Arg. Sextò arguitur. Pluribus exemplis, verbi gratia,si quis efficaciter vult mortem pro Christo,& illam non est perpessus alius vero sic,iste apud Deum & homines maiorem habet laudem quam ille, & itidem iste est martyr non verò ille,& iste per opus martyrij sine contritione potest consequi remissionem omniũ peccatorum,ille vero minime. Et hoc argumentum maiores vires habet si teneatur, quod martyrium habet suum valorẽ ex opere

opere,operantis & non tantum ex priui legio.Secundum exemplum sit in Sacramentis, non enim tam bonum est velle efficaciter baptizari sicut baptizari neq; velle confiteri,sicut cõfiteri neq; velle sũmere eucharistiã sicut sũmere: nã qui de facto suscipit Sacramentum, maiorem gratiam consequitur imò aliquando qui solum voluit recipere, gratiam non consequitur vt si solum habebat attritionem cum illa tamen qui Sacramentum recepit obtinuit gratiam. Tertiũ exemplũ sit de duobus morientibus qui æqualiter præceperunt quilibet pro se offerri viginti missas,si pro vno illorum dicantur exhibit à purgatorio remanebit autem alius pro quo missæ non sunt dictæ. Quartum exemplum sit de duobus quorum primus voluit ieiunare, vel se flagellare in satisfactionem peccatorum,id tamen non fecit impeditus. Secundus autem id fecit de facto certè iste secundus magis satisfecit quam primus. Ergo ex hijs omnibus constat quod actus exterior bonitatem addit ad interiorem.

7. Arg. Septimo arguitur. Qui vult occidere, & non occidit, non est causa efficax damni sicut qui de facto occidit; ergo magis peccat qui occidit, patet consequentia nam hac ratione aliqui dicunt quod qui vult efficaciter mortem spiritualem alterius minus peccat quam qui occidit corporaliter, nam ille non potest esse causa efficax damni quod est mors spiritualis, iste vero sic;ergo ex nocumento actus exterioris bene colligitur maius peccatum. *Confir.* Cõfirmatur. Nã supra docuimus,quòd qui per actum internum odij efficaciter vult tantũ demereri,quantum demeruit Iudas,& omnes damnati, non tantum demerebitur;ergo sola volũtas sine facto,non est tam de meritoria,& *8. Arg.* consequenter nec tam mala.

Octauo arguitur. Si actus exterior non addit bonitatem supra interiorem, sequitur quod neque electio medij necessarij addat bonitatem supra intentionem finis & sic velle fodere terram ad lucrandum victum patris,non esset maius meritum quam sola volitio,vel intẽtio subueniendi Patris. Sequela probatur. Nam sicut actus exterior necessariò sequitur ad interiorẽ efficacẽ,ita & electio medij necessarij,necessariò sequitur ex intẽtione. *9. Arg.*

Nono arguitur. Stat quòd actus exterior sit bonus, vel malus sine præsentia interioris; ergo exterior per se addit bonitatem. Probatur antecedens. Si quis ex deliberatione incipit recitare horas, vel ire ad Ecclesiam, aliquando adhuc cessante actu interiori continuat exteriorem. Ita namque contingit,quãdo attẽtè incipimus recitare horas,& postea euolat attentio. Confirmatur hoc argumentum. *Confir.* In actionibus subitis est actus exterior bonus,vel malus sine interiori, vt si quis viso hoste subitò occidit illum, sine alia deliberatione;tunc ille actus exterior est malus & nullius est interior malus; ergo exterior per se est malus.

Decimo arguitur. Suppositò, quòd *10. Arg.* potest quis ignorare actum interiorem esse malum, quando non ignorat, quòd exterior est malus (vt notantur Iudæi Matth. 5. Putabant enim, quòd mæchari est malum, sed velle mæchari non nisi subsecuto opere) siue sit ignorantia vincibilis siue inuincibilis, tunc ignorantia *Matth.5.* etiam si sit vincibilis excusat aliquo modo. Demus ergo quòd occidere sit malum vt quattuor,arguitur sic, velle occidere licèt ex natura sua sit malum vt quattuor,tamen per ignorantiam aliquo modo excusatur, & actus exterior non excusatur, à tota sua malitia: ergo tunc actus exterior peior est quam interior. Et confirmatur,saltem si quis teneat opi- *Confir.* nionem Scoti,quòd actus exterior simul cum interiori: est peior quàm solus interior(quæ est opinio sustentabilis) ille ad minus excusaretur à tanta malitia in interiori,sicut est in exteriori; ergo exterior addit malitam de facto.

Vndecimo arguitur. Velit aliquis actu *11. Arg.* interiori furari assem(& pono quod sint distincti asses)prima enim vice voluit furari assem Petri,verbi gratia, secũda assẽ Pauli, &c. Mutãdo semper dominos in omnibus istis vicibus; nũquam peccauit nisi venialiter, quia nunquã excessit paruitatẽ materię. Si vero exierit ad actũ exteriorẽ statim atq; accesserit ad materiam grauẽ,peccabit mortaliter, v. g. postquã furatus est cẽtum,vel ducẽtos asses. Ergo actus exterior addit malitiã, quia nõ paruum aditamentũ est, si ex veniali facit peccatum mortale minor est certissima, & admittitur ab omnibus Theologis. *Conclus.* Conclusio tamen D. Tho. est omnino *D. Thom.* certa, quòd actus exterior nullam addit bonitatẽ vel malitiã supra actum interiorẽ. Hanc tenet hic & in 2. dist. 40. q. 1. a. 3.

& q.2.de malo art.3. Illam tenet Mag.in 2.d.42.& cum illo cõmuniter omnes Doctores,Greg.& Gabr.ibidem q.1.licèt in alijs soleant esse cũ Scoto. Almain in suis moralibus tract.3.c.18.Ocham in 1.d.1. & in quodlib.vt citat Almain.D.Bonau. Richard.AEgidius in 2.d.42.arti.1.q.2. Duran.q.1.Hugo de Sancto Victore,libro.2.de Sacramentis,p.4.c.6. Capreol. in 2.d.42.q.1.ar.1.Alber.Mag.ibidẽ Caiet.Conrad.Medina, & omnes moderni super hunc articulum. Quapropter Scotus ab omnibus derelictus non facit suã sententiã probabilem. Nostra ergo conclusio,probatur primò authoritate Sanctorũ.Illam tenet Aug.lib.1.de libero ar-
D.Aug. bitrio c.3.to.1.fo,140. & habetur de pœnitentia,dist.1.capit. si cui etiam, inquit enim,si cui etiam non contingat facultas concubendi cum coniuge aliena,planum tamen aliquo modo sit,id eum cupere, & si potestas detur facturum esse, non minus reus est, quàm si in ipsofacto deprehenderetur,& epist.49. de sex quæstionibus ad quendam presbyterum nomine Deo gratias q.4.circa medium explicans
Matth.7. illud Matt.7. In qua mẽsura mensi fueritis,& inquo iudicio iudicaueritis in eo iudicabimi inquit. In qua voluntate venefeceritis,in ipsa liberamini, vel in qua voluntate malefeceritis, in ipsa puniemini,& paulò inferius inquit,in voluntate quippe propria metitur bonus homobona facta,&in ea metietur ei beatitudo.Itẽ quia in mala voluntate propria metitur malus homo mala opera, & in ea metietur ei miseria, quoniam ibi quisquam bonus est,cum benevult,ibi etiam malus cum male vult, ac per hoc ibi etiã fit,vel beatus, vel miser, hoc est, in ipso suæ voluntatis affectu, quæ omnium factorum meritorumquè mensura est. Itẽ epist.29.ait:Non colitur Deus nisi amãdo;sed hic amor otiosus non est, & quàm uis in voluntate consistat, externis tamẽ quibusdam seprodit inditijs, quæ quidẽ non perinde Deus attendit, atque illam ipsam,vnde prodeunt inditia voluntatẽ. Quamobrem non quid adferatur â nobis ad colendum Deus,sed qua mente adferatur, attendit Deus:affectus est, qui
D.Ambr. pretium rebus imponit, & Ambros.lib. 1.de offitijs cap.30. Affectus tuus nomẽ imponit operi tuo, quomodo à te proficiscitur,sic æstimatur,&lib.7.super Lucam.Dominus non obsequiorum speciẽ, sed puritatem quærit affectus,&D.Ber- *D.Bern.*
nardus epis.69. lib.3. nonexitus actuũ, sed intentionis propositum,culpas discernit & merita,& epistо.77.Quid planius, quàm quod voluntas profacto reputatur quando factum excludit necessitas.Et alibi:Deus cuius oculis nuda,&aperta sunt omnia cor intuetur, cor,non manum in- *D.Greg.*
terrogat,& D.Greg.hom.5.in Euangelia. Nemo dicat imitari volo huiusmodi contemptores, sed quid relinquam non habeo:exteriora enim nostra Deo,quantumlibet parua,sufficiunt;cor namq;, nõ substantiam pensat;neq; perpendit quãtum in eius amorem, sed ex quanto pro- *D.Chryso.*
feratur.Et D.Chrysostomus hom.19 in Matth.parum à principio,to.2. Voluntas est quæ aut remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo;opera autem testimonia sunt voluntatis,& super illud Matth.10. Qui dederit potum aquę frigidæ,ait:Non enim pretium dati,sed dignitas,& affectus dantium,facit opus dignum mercede. Vbi etiam glossa: Deus respicit ad purum affectum dantis non ad quantitatem rei datæ, & eadem glossa 2.ad Chor. 8. Diues qui multum dat, & pauper qui parum, si æqua voluntas est, æqualem mercedem habebunt, aliâs enim fortuna Sanctis nocuisset. Alia multa loca Sanctorum adducit Osius tomo.2.confessionis fidei, capit.13. Secundo probatur ratione. Vbi non est noua libertas, non est nouum meritum aut demeritum, sed posita voluntate efficaci, si ad sit facultas, naturaliter Sequitur opus externum; nam membra externa ad nutum obediunt voluntati:ergo in opere externo non potest esse noua laus, & vituperium. & confirmatur. Si actus exterior adderet bonitatem vel malitiam interno, sequeretur, quòd esset in potestate alterius nostra voluntate repugnante, per vim adimere bonã partem meriti,& boni honesti impedien do opera externa.Cõsequens est falsum, nã virtutes,& bona honesta omnino dicuntur maxima bona rõ subiecta fortunæ, quia nobis inuitis eripi non possunt nec minuir Sequela verò est manifesta, si velim dare eleæmosynã, & alius auferat âme per vim pecunias,&si vado adEcclesiam,& alius abscindit crura,&c. Tertiò probatur eodẽ præcepto prohibetur act⁹ interior,& exterior,& ad eandem virtutem vel vitium pertinent actus interior,

& ex-

exterior: ergo reputantur idem actus, cuius eadem sit bonitas, vel malitia. Confirmatur. Nam in hoc verissimum est illud prouerbium. Apud Deum voluntas profacto reputatur, iuxta illud. Iam mæchatus est in corde suo, & qui odit fratrẽ suũ homicida est. Quartò arguitur. Subiectum in hæsionis bonitatis vel malitiæ moralis in actu exercito, cui debetur laus vel vituperiũ, est actus interior, & nõ exterior, qui dicitur bonus, vel malus in actu exercito denominatione extrinseca, quia est effectꝰ, vel signũ malę, vel bonę volũtatis, sicut orina dicitur sana, quia est effectus sanitatis: ergo actus exterior nullã addit bonitatem supra interiorem. Quintò arguitur manifesto argumento. Nã videtur implicatio in opinione Scoti. Nam demus, quòd volitio efficax occidẽdi sit, verbi gratia, mala vt quatuor; probo quòd aggregatum ex illa & occisione exteriori non sit peius; nã tunc sequitur, vt concedit ipse Scotus, quod est aliqua malitia in occisione exteriori, præter malitiam vt quattuor quæ est in volitione aliàs totũ nõ esset peius. Sed quòd hoc sit falsum probo. Illa alia, vel est maior quã vt quattuor, vel minor, vel ęqualis; nullũ istorũ; ergo probatur minor, quòd nõ sit maior. Nã si exterior actus habet malitiã vt quinq; velle occidere efficaciter, esset malum vt quinq; bene enim valet, volo efficaciter malũ vt quinque ergo mea voluntas est mala vt quinque, tùm quia voluntas profacto reputatur, tũ etiã, quia tota malitia obiecti deriuatur ad actum interiorem quem specificat, & quantificat. Rursus non est minor quam vt quattuor eadem ratione, quia si occidere nõ est malum nisi vt tria, velle occidere nõ potest esse malum nisi vt tria. Tota enim malitia volitionis est, quia est causa talis operis, vel quia est de tali obiectio. Quòd vero non sit ęqualis, distincta à malitia volitionis probatur, quia tunc sequeretur quod actus exterior semper augebit induplo supra interiorẽ quod est in opinabile, quòd quoties cumquè volo efficaciter audire missam, & per vim impedior minus induplo merear quàm si audirem. *Not.1.*

Pro maiori tamen explicatione huius conclusionis, & solutione argumentorum, aliqua sunt notanda. Primò, quòd actus exterior potest dupliciter cõsiderari. Vno modo secundũ quod apprehenditur â ratione, & proponitur voluntati tã quam faciendus, sicut qui apprehenderet concubitũ alienę vxoris, & cõsentiret in illo actu; & de hoc est certum, quòd ille actus vt sic cõmunicat totã suã malitiam volũtati, si erat malitia mortalis facit actũ mortalem ex parte actus sic oblati per rationẽ. Alio modo potest ille actus cõsiderari, secũdũ quòd in re exercetur actus ille exterior manente eadẽ volũtate, & sic est quæstio præsens an ille actus vt exercetur addat malitiam aliã supra illam quã addit apprehensus per rationem? & D. Thom. respondet quod non.

Secũdò notandũ, quod regulariter operatio exterior exhibita intẽdit volũtatẽ, si est delectabilis, & remissam facit si est laboriosa aut difficilis, nec omnino manet immota volũtas, sicut antea manebat, & tũc crescit bonitas ratione maioris intensionis volũtatis, non ratione operis, nam etiã sine opere sic posset crescere. Et hæc patet experientia. Et authoritate D. Greg. hom. Pẽtecostes. Probatio nãque dilectionis est operis exhibitio ad quod propositũ adduci solet illud Psal. 77. filij ephrem intẽdentes & mittentes arcũ, conuersi sunt in die belli, scilicet, in executione operis (in) sacra enim Scriptura filij Ephrẽ signant malos, & tepidos, & opera dicũtur dies belli, &c. Conuerti ergo in die belli, deficere est in die operis iuxta illud Euangelij quòd exorto sole aruit &c. Et illud. 4 Reg. 19. venerũt filij vsq; ad partũ, & vires non habebat parturiẽs, quia in tempore operis laborioſi regulariter remittitur propositum. *Nota.2.* *D.Greg. Psal.77.* *4.Reg.19.*

Tertiò notandũ, quòd duo sunt ordines cõsiderãdi in operibus exercẽdis, & duæ sunt perfectiones quibus vterq; ordo cõpletur, & clauditur in se. Primus ordo est interior qui perficitur, & cõsummatur in efficaci, & deliberato firmo proposito. Secũdus est executionis exterioris, qui perficitur ipsa executione operis, in quo ordine cõferũtur tres aut plures magnæ vtilitates interiori. Prima, quòd est testimoniũ opus externũ perfectionis interioris ordinis, & operis. Secũda, quòd addit quãdã accidẽtalem bonitatẽ, vel malitiã, præmiũ, vel suppliciũ, quid autẽ dicatur bonitas, & præmiũ accidẽtale, quid essentiale patet in martyrio propter aureolã, & propter satisfactionẽ maiorẽ pro pœna tẽporali. De qua distinctione Doctores. 2. distin. 42. D. Thom. distin. 40. art. 3. Caietan. hic, & Capreol. dist. 42. q. 1. conc. 4.

Tertia vtilitas quam addit, est extẽsio & duratio & aliquando intensio, vnde faciliùs in generantur habitus in appetitu & voluntate & fit homo promptior ad eadẽ opera iterũ exercenda, vnde si bona sunt potentiæ etiã externæ, & sensus ordinãtur, & magis remouẽtur impedimẽta ex fomite proueniẽtia propter quę homo retardabatur in via Dei; si verò mala sint opera, deordinantur potentię externæ, & sensus proniores multô reddũtur ad malum, oritur etiam malum, & bonum exemplum ex opere exteriori. Itemque si sunt in proximum, nocent, si mala; si verô bona vtiliora sunt potiùs, quàm interna. Vnde D. Thom. sententia intelligitur quando voluntas non variatur, sed habet eandem efficatiam cum opere, & sine opere existens æquè perfecta, intelligitur etiam de bonitate essentiali cui correspondet gratia & gloria quæ beatos facit, aut de malitia essentiali, cui correspondet æterni supplicij damnatio. Ex quibus respondetur ad argumenta.

Ad 1. arg. Ad primum respondetur, quòd id est peculiare in illis duobus præceptis. Primum, eo quod quidem vt rei euentus probauit, errare præuisi sunt, ita vt asserent quod actus exterior fornicationis erat malus, interior verò non. Quorum sentiã damnauit Dominus Matth. 9. Ego autem dico vobis, quicumque viderit mulierem ad concupiscendum eam, &c. *Matth. 5.* Vnde optima Dei prouidẽtia prouisum est, quia sunt aliqui tam rudes non intelligentes idem esse præceptũ, quia actus interior est ratio exteriori actui, cuius est velut forma, vt fiat. Sed specialiter de hijs duobus apposuit, quod de omnibus intelligi debet, quia regulariter horum duorũ concupiscentia magis viget, & naturaliter magis inclinantur homines ad venerea, & ad aliena appetenda; qua propter peculiariter sunt specificata, nec enim alia habẽt rationem tantum appetibilis, sed potius horribilis. De quo vide D. Tho. 2.2.q.122.ar.vlt.ad vltimum.

Ad 2. argu. D. Aug. Ad secundũ argumentũ respondetur quòd D. Aug. dicit aliquẽ fieri peiorem per actũ exteriorem, quia actus exterior, habet ea quæ diximus in notabilibus superadditis ad conclusionẽ, videlicet, quia per actũ exteriorẽ magis intenditur, vel reduplicatur, vel continuatur, vel magis efficax redditur actus interior. Vel secũdò per actum exteriorẽ fit animus peior quantùm ad bonitatẽ, vel malitiam accidentalẽ, quatenus actus exterior si malus est cedit in maius nocumentũ proximi, vt in homicidio, & furto, & si bonus est, magis est vtilis excitans ad bonũ exemplũ, & quatenus pœnæ, vel præmia humanæ nõ correspõdent fine opere externo, nec incurritur excõmunicatio, vel infamia sine illo. Tertiò quia ex opere externo ordinatur potẽtię exteriores, & generantur habitus ad mala opera perpetrãda, & prõptiores redduntur sensus quos vt plurimũ sequimur. Quartô ideò dixit Aug. in fœliciſsimũ esse implere desideria praua, quia horum permissione solet Deus punire quos maximè odit, iuxta illud ad Rom. 1. tradidit illos Deus in reprobũ sensum, & Psal. 80. dimisit eos in desideria cordis eorũ. *Ad Rom. 1. Psal. 80.* De quo eleganter loquitur D. Chrisost. hom. 37. imperfecti super cap. 12. Matth. & D. Bernard. serm. 42. super cantica. Ecõtra autẽ magna Dei misericordia reputatur, quòd Deus tollat ab hominibus facultatẽ peccãdi secundũ illud, Oseæ 2. sæpiam vias tuas Spinis, & 2. Machab. 6. non sinere multotẽpore ex sententia agere, maximi beneficij inditiũ est hijs enim rationibus dixit Aug. opere externo aliquẽ fieri peiorẽ, non autẽ intendit, quòd actus exterior superaddat ad bonitatẽ, vel meritũ, vel premium essentiale super actum interiorem. *Oseæ. 2. 2. Mach. 6.*

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum respondetur, eandem rectitudinem, & integritatem requiri ad actum interiorem, & exteriorem, siquidem vt diximus, actus interior, & exterior reputãtur vnus actus vniusquè rectitudinis.

Ad 4. arg. Ad argumentum respondetur, non omnino esse certum quod Petrus Abaylardus habuerit illum: errorem, nam D. Bernard. ab Epistola 187. vsque ad 194. diligenter numerat errores illius, & non meminit istius prædicti, & Alfonsus de Castro magna diligentia enumerat sententias condemnatas istius, & prædictæ non meminit, sed quidquid sit de erroribus eius, dicimus quod D. Thom. non negat quòd opus exterius sit formaliter bonum virtus, & peccatum, & quod propter illud præmietur, vel puniatur homo: sed asserit quòd vtrũ què opus internum, & externum est bonum eadẽ bonitate, quod ex dictis Sanctorum

ctorum iam probauimus. Error autem allegatus in argumẽto, asserit sufficere bonã intentionẽ volũtatis vt homo præmietur, quod vtique est damnatum. Vel forte error consistebat quòd oppera ipsa externa per se non sunt bona vel mala, & quod non sunt necessaria, nec præcepta aut prohibita nec meritoria, quæ omnia aperte sunt hæretica.

Ad 5. arg. Ad quintũ argumẽtũ respondetur bonã esse vltimam solutionẽ ibi datã. Ad replicã dicitur: quòd ideo magis exhorremus actũ externũ quia raro volitio est efficax quoadusq; executioni mandetur. Multi enim putãt se habere cõsensum efficacẽ operis qui tamen decipiũtur, siqui dẽ adueniente articulo operandi, non faciũt, maxime in rebus arduis siue bonis siue malis. Putat enim quis in lecto quod pateretur martiriũ, & videtur sibi id desiderare & forsitã si esset præsens lictor, fugeret. Nã vt quidã dicebat, quid si vidises guttur inter gladiũ & lapidem; similiter quis decreuit occidere hostẽ & illo oblato id nõ facit, quæ vtiq; signa sũt, vel ꝙ illevolitiones nõ fuerũt efficaces, vel ꝙ ita efficaces non sunt sicut si adesset opus, ad quod facit illud Isaię 37. Venerũt filii vsq; adpartũ & virtus nõ est pariẽdi. Hac ergo ratione magis exhorremꝰ opꝰ externũ, quia illo secluso nõ credimus internũ omnino fuisse efficacẽ. Vel etiã quia vt diximus, per externũ cognoscitur internũ fuisse mutatũ vel secũdũ numerũ vel extẽsionẽ, vel intensionem & efficaciã. Debet etiã opus externũ in cõfessione explicari propter multa. Primô quia est peccatũ, & malum & aquo voluntas habet suã malitiam. Secundò, quia intendit vẽl remittit actum interiorem, estque testimonium efficax ad explicandam malitiam voluntatis, ista enim non sufficienter explicatur nisi per actum exteriorem. Vnde non sufficit dicere dedisse causam vt pollutio in somnis sequeretur, sed tenetur dicere si de facto fuit secuta. Similiter non sufficit dicere se fecisse foueam fictam vbi possent homines interfici, sed tenetur dicere si de facto aliquis fuit occisus, quia ex effectu sub secuto maior malitia causæ discernitur, nisi forsam antequam eueniret effectus pœnitentiam ageret de causa. Tunc enim non tenetur de effectu confiteri, vt siquis alicui consulit vt clericum occidat si ante factum pœniteat & & id dissuadeat, licèt occisio sequatur, illi non imputatur, nec ex communicationem incurrit. Denique tenetur explicare in confessione actum exteriorem, quia Sacerdos est iudex & medicus & tenetur omnia scire, vt possit iniũgere satisfationem & modum restitutionis, & mederi infirmitatibus futuris reliquijsque ægritudinis præteritæ.

Ad sextum argumentum respõdetur *Ad 6. arg.* ad primum quidem exemplum de martyrio, quòd quantum ad meritum & præmium essentiale dequo hic loquimur, tantum meritũ est, velle efficaciter mori pro Christo, ac si re vera moreretur: ceterùm quantùm ad præmium & gloriam accidentalem, nõ est æqualitas: nam qui in re patitur habebit aureolam martyrij, quã non habebit qui in re non patitur & qui patitur, habet remissionem totius pœne, quam non semper habet qui in re non patitur, dico ergo quôd huiusmodi prærogatiuæ remittendi totam pœnam, etiam sine expressa pœnitentia remittendi peccatum si memoriæ non occurrant, expeculari priuilegio, tributæ sunt martyrio externo, & vt alij dicunt, ex opere operato, vel ad modum operis operati. Qui autem contrariam sententiam sequitur, id non habere ex priuilegio & ex opere operato, soluat argumentũ. Ad secundũ exemplum de sacramentis respondetur, quòd sacramenta conferunt gratiã ex opere operato, & ideo in re susceptа magis conferunt. Cęterũ quantũ ad meritũ essentiale quod prouenit ex parte operãtis, tantũ meritum est velle efficaciter susscipere Sacramentum, ac si susciperet. Itaque quantum ad meritum essentiale operis operantis idem valet, velle efficaciter susscipere, & realiter susscipere, licêt ex opere operato, sicut datur peculiaris gratia sacramẽtalis per realẽ susceptionẽ Sacramẽti, ita & peculiaris gloria. Sed nihil cõtra nos qui loquimur de prẹmio & merĩto ex opere operantis. Ad tertiũ exẽplũ de missis respõdetur eodẽ modo quod habẽt effectũ ex opere operato. Qua propter pro quo offeruntur exibit de purgatorio alius vero detinebitur, licèt quantũ ad meritũ essentiale sit ęqualitas si vterq; erat in ęquali charitate. Similiter respõdetur ad aliud de operibus pęnalibꝰ, ꝙ volũtas reputatur pro facto quãtum ad meritũ essẽtiale, licèt nõ reputetur pro facto quãtũ ad meritũ accidẽtale, & alias vtilitates: satisfatio vero pro pęna tẽporali repu-

tatur inter merita acidētalia,vel vt meli⁹ dicā, nō est mereri,sed soluere pęnā:qua propter multa opera magis mœritoria quia sunt min⁹ pęnalia,sunt min⁹ satisfactoria, vtpatet in materia de indulgētijs.

Ad 7.arg Ad septimum respondetur,quòd damnum in re subsecutum non addit malitiā essentialem nisi ratione actus interni. Nā si in voluntariè detur damnum non peccatur. Vnde ad argumentum negatur cō sequētia. Ad probationem dicitur, quòd qui corporaliter occidit dat dānū irreparabile,& quod alius cū iniuria inuitus & in volūtarius patitur. Qui vero spiritualiter occidit aliū, dat dānum reparabile, quod alius nō incurrit,nisi scīēs & volēs, si quidem nemo lœditur nisi à seipso. Et ideo minus peccat in singulari,qui spiritualiter occidit,vel etiā potest dici magis peccare qui occidit spiritualiter: de quo videatur Caiet.infra q.73.art.8.sed quid quid sit maius peccatū,nō est ex præcisa additione nocumenti ex terni sed potius quia maior malitia in actu interiori reperitur. Ad cōfirmationē respōdetur, quòd ille nō tantū demerebitur,quia act⁹ interior illius,nūquā est tā mal⁹ quod sit proportionatus ad tantū de meritū, & licèt etiā prorūperet in actū exteriorē,nō tantū demereretur propter eandē impro portionē. Nunquā enim posset adęquare multitudini & durationi,& extēsioni,& intēsioni omniū dānatorum. Sicut,v. g.si quis velit ieiunare totā quadragesimam & prima die moriatur,non tantū merebitur,sicut si ieiunasset totā quadragesimā non quia actus exterior ieiunandi addat bonitatē essentialē,sed quia actus interior nō ieiunantis nō habet tantā durationē,sicut actus interior ieiunantis,qui durauit per totā quadragesimā. Qua propter si cætera essent paria, & vterq; actus interior duraret per quadragesimam esset æqualitas meriti essentialis,etiam si alter ex aliquo exteriori prohibente de facto non ieiunasset,quia vt diximus præcisse ratione actus externi non superaditur bonitas essentialis.

Ad conf.

Ad 8.arg. Ad octauū argumētū aliqui concedūt sequelā,quòd quando medium est vnicū & necessarium, nō est nouum meritū in electiōe, nec propterea perditur aliquid de merito, quia totū quod alij ponerent esse in intentione & electione, isti ponunt esse in intentione prout causa illius electionis. Secundò tamē iuxta supra dicta,melius respondetur,nō esse eadē ratiō nē de electione illa respectu intentionis, atq; de actu exteriori respectu interioris actus enim exterior non addit essentialē bonitatē ad interiorē,non solū quia sequitur naturaliter & necessario ad efficaciā interioris,sed quia sunt omnino idē act⁹, & exterior nullam habet ampliorem libertatē quam interior;electio vero etiā si necessariò sequatur ex intentione, tamē per se est libera, quatenus etiam secluſa intentione,illa electio libera & meritoria posset esse. Actus tamen exterior núquā liber esse potest interiori secluso: vtraq; solutio est Almayn & Ocham locis supra citatis.

2.Solut.

Ad nonū argumētū respōdet Almayn quòd cessante volitione interiori, exterior actus neq; est bonus nec malus. Hoc tamē debet intelligi si interior taliter cesset,vt nec etiā maneat virtualiter,vt enim supra diximus,qui vadit ad D. Iacobum vel recitat horas, nō semper requiritur, vt sit in formali cōsideratione vel intētione. Si autē interroges qualiter potest cōtinuari actus exterior,cessante interiori, quia mēbra exteriora non mouētur, nisi per appetitū? Ad hoc aliqui dicūt quod ab actu interiori præcedenti imprimitur impetus in lingua,vel in alijs mēbris, per quē mouētur,etiā cessante actu interiori. Sed quia hoc videtur ponere mēbra moueri sicut in sensibilia proiecta per impetum,vt sagitta vel lapis,ideo alij aliter dicunt,quòd licèt actus interior deliberat⁹ præcesserit,manet tamen formaliter aliqua volitio indeliberata (quā propterea nō experimur)mouēs ad actū exteriorē, quæ quidē volitio nec actus exterior addūt aliquā bonitatē ad actū interiorē deliberatū præcedentē manentē virtualiter in tali formali volitione indeliberata. *Ad 9.arg.* *Obiectio.* *1.Solutio.* *2.Solut.*

Ad confir. *Ad confirmationem respondet Almayn, quòd ille actus exterior est malus solum omissiuè dicit enim, quod membrum exterius potest moueri per motum appetitus sensitiui sine actu voluntatis,& tunc solum est omissio, non reprimere illum motum per voluntatem. Sed contra hoc tenet Magist. Soto quòd solus appetitus sensitiuus non sufficit mouere membra in homine,sed semper requiritur aliqua volitio saltē indeliberata, & in hoc potest esse deceptio, quia cū volitio sit subita & indeliberata, putat quis quod sit solus motus appetit⁹ sensi-*

sensitiui. Meo tamen videri licèt rugulariter vera sit sententia Mag. Soto, aliquãdo tamen contingit quod ait Almain, vt quãdo fricamus barbam, vel dormientes mouem⁹ crura, hoc fit solũ per actũ appetitus sensitiui. Fallitur tamen Almain in eo quod asserit, quòd ille act⁹ sit peccatũ ommissionis, quia nõ reprimitur per voluntatẽ ad quod tenebatur, licèt etiam sit peccatũ commissionis in ipso actu quem facit, & sic sunt duo peccata, inquit, alterũ omissionis & alterum cõmissionis, hęc enim fabulosa sunt. Sed his omissis ad cõfirmationẽ prædictã respondetur, quòd si act⁹ interior omnino excludatur à motibus primò primis nulla manet ratio bonitatis vel malitię in ipso actu exteriori, sed manet pure naturalis. Et hoc potius est maximũ argumentũ pro nostra sententia, quòd actus exterior nullam addit bonitatẽ supra interiorem, si quidem nõ stante interiori deliberato, motus primô primus manet omnino naturalis nullam retinens bonitatem vel malitiam.

Ad 10. arg. Ad decimũ argumentũ respondetur, quòd in illo casu ignorantia nullo modo excusat, debet enim ignorãtia esse vt excuset de ipso obiecto existimans, quod id quod volo facere, nõ est tam malũ. In casu autẽ posito vere scio quod id quod volo facere est tã malum, & nihilominus volo efficaciter facere. Vnde ignorantia nõ est de obiecto sed de actu tendẽte in obiectum. *2. Solutio.* Secundò verius respondetur, quòd illa ignorantia non est ad propositũ, quia licèt voluntas si non esset efficax posset excusari per ignorantiã, quia non habet propositum faciendi opus ipsum externũ: tamen quando voluntas est efficax, si scio opus esse malum vt quatuor, cũ non ignorẽ voluntatem esse de tali opere, cõsequenter talis voluntas habet malitiam, vt quatuor, quam habet id quod vult, licet qui operatur oppositũ opinetur, vel non opinetur. Dixi si volũtas sit efficax. Nam si aliquis existimaret actũ externũ esse malum, vt quatuor, internum autem solum malum vt duo, & ideo vellet abstinere ab actu externo habere tamen actũ interiorẽ voluntatis, iste non esset malus vt quatuor, quia ex abstinentia ab actu exteriori colligitur interiorem nõ esse efficacem, & consequenter esse minus malum: nunquam tamen concedimus etiam per ignorantiam, quòd actus exterior, sit peior, quã interior efficax. *Ad cõf.* Ad cõfirmationẽ respondetur quod nec illa ignorãtia excusaret, quia Scot. bene cõuenit nobiscõ, quòd actus interior per se habet tantã malitiã sicut exterior, docet tamẽ quòd malitia exterioris est distincta à malitia interioris, & sic ambę simul faciũt maius: nos vero dicimus quod vtriusq; malitia est eadẽ, & sic non facit maius. Vnde supposito, quòd illa ignorantia nõ excusat quin interior actus sit tam malus sicut exterior, non potest illa ignorantia facere, quòd sit distincta malitia vnius, & alterius, & si hoc non facit nõ faciet quod sit maius peccatũ totũ, quãm sola volitio. *2. Solut.* Secundò clariùs respondetur, quòd si D. Tho. doceat, homicidiũ esse grauius peccatũ, quã fornicationẽ & aliquis putet è cõtra fornicationẽ esse grauiorẽ, & nihil ominus velit fornicari, grauius peccabit quã si occideret: nec hoc probabit falsũ docuisse D. Tho. ita similiter in præsenti: quamuis D. Tho. & veritas teneat, quod est eadẽ malitia act⁹ interioris & exterioris, nõ erit cõtra ipsũ si quis oppositũ existimãs & ita volẽs facere amplius peccet. Verũ est quòd etiã adhuc illa maior malitia nõ est per additamentũ actus exterioris sed quia tota illa in interiori continetur. Dũ enim per ignorantiã, quasi in actu signato separat malitiã distinctam in actu interiori, & exteriori, & vult vtrãq; se orsum, in actu tamẽ exercito vtrãq; in voluit in actu interiori, & si induplo peccat, ideo est, quia in actu interiori, malitia duplicatur quatenus vult etiam illam quam per ignorantiam existimabat reperiri distinctam in actu exteriori.

Ad 11. arg. Ad vltimũ argumentũ respondetur esse sophisticum: nam quado solũ quis per actũ interiorẽ rem voluit furari, nõ est aliquod damnum in re illatum alteri: at verò quando per actum exteriorem ponitur successiuè in exercitio furtum, statim atq; cõpletur sufficiens materia (v.g. cẽtum) ille actus non solum terminatur ad vnicum assem sed ad totum damnũ illatum per actus præcedentes. Vult enim tunc furari centum asses: quare autem in materia iustitiæ continuentur multę partiæ materiæ & ex illis efficiatur vna materia magna, in alijs autem rebus, verbi gratia in materia religionis non continuantur istæ materiæ, nam etiam similies aliquis non recitauerit, & omisserit mille versus Psamorum, ita vt singuli versus correspondeant singulis

vicibus non peccabit mortaliter magis vice milleſima,quam prima vice,non eſt prę ſentis loci examinare. Veritas breuiter eſt, quòd inquacũq; materia debemus reſpicere illud quod eſt per ſe in illa. In materia autẽ iuſtitiæ eſt per ſe vt ſeruetur æqualitas, ita quod nullus habeat minus in rebus ſuis,nec magis,quam debeat habere. Impertinens antẽ eſt ad hoc quod ipſe habeat mille in rebus ſuis & alter habeat mille plus,quod abſtulerit ſe mel vel ſucceſsiuè. In materia autem religionis quod eſt per ſe eſt reuerentia Dei. Hoc autem ſecundùm iuditiũ prudentiũ cũ ſolũ cõſiſtat in affectu,& deuotione animi ad Deũ;quod nõ lęſerit grauiter iſtã deuotionem,nõ lædit grauiter religionẽ. Nemo autẽ dicet etiã in milleſima omiſione,quod iſte eſt grauiter irreuerẽs, ſed quod eſt aliquantulum negligens, & ita non erit peccatum mortale.

Caiet. Aliud dubium mouet Caietanus in hoc articulo contra illud,quòd actus exterior nihil habet bonitatis ſupra actũ interiorem, quoad bonitatem quæ eſt ex fine. Dicit enim Caietanus,quòd hoc manifeſtè videtur contradicere veritati; & ſecundæ diſtinct. D. Tho. quoniã ſi quis fornicari vult vt furetur, & de inde per fornicationẽ perueniat ad furtũ intentũ, certũm eſt quòd ſicut iſte peior eſt factus fornicando,ita peior factus eſt furando: furtũ autẽ eſt actus exterior, & act⁹ interior volũtatis eſt ex eo mal⁹ malitia quæ eſt ex fine: ergo quoad malititiã quæ eſt ex fine actus exterior addit in malitia ſupra malitiã act⁹ interioris. Videatur ſolutio Caietani quæ aliquãtulũ lõgior & difficilior eſt,quã petat difficultas argumẽti. Planiſsima enim eſt littera D. Thom. quãtũ ad iſtã partẽ: nomine enim act⁹ exterioris nõ intelligit D. Tho. actum exteriorẽ qui ſit obiectũ intentionis,qui in exẽplo argumẽti eſſet act⁹ furandi ſed intelligit actũ exteriorẽ qui ſit obiectũ electionis qui in eodẽ exẽplo eſſet act⁹ fornicãdi. Hoc patet manifeſte in littera,dicit enim D. Thom. in principio corporis quod ſi loquamur de bonitate exterioris act⁹ quã habet ex bonitate finis hoc dicit D. Tho. ſed nullus eſt act⁹ exterior qui participet bonitatẽ finis, niſi act⁹ qui eſt obiectũ electionis,nã qui eſt obiectũ intẽtionis ipſe eſt finis, & ita locutus eſt D. Tho. in tribus articulis præcedentibus & perpetuo hoc intelligit nomine actus exterioris. De hoc autẽ certa eſt prima concluſio quod iſte actus exterior nullã addit bonitatẽ vel malitiã voluntati,ſcilicèt actui intentionis volũtatis, quod ſufficiẽter nos probauimus,in prima cõcluſione articuli,quia nullo modo habet rationem prioris ſecundũ quã poſsit communicare bonitatem actui interiori. Per hoc patet facillimè ad argumentum,aſſumit enim, & præſupponit comparationem, quam non habet D. Tho. Non enim cõparat actũ exteriorẽ furandi ad actum intentionis qui fertur ſupra ipſum: ſed actũ exteriorem fornicandi comparat cũ actu intẽtionis furandi,ſecundùm quod aſſumitur vt medium ad furtum,& de illo dicit veriſsimè & optimè,quòd non habet aliam malitiam ſecundùm iſtam rationem,niſi quam paticipat a furto, & ita ſecundùm eandem rationem non poteſt communicare aliam malitiam.

Secundũ dubiũ mouet Caiet. & meritò quia circa ſecundã cõcluſionẽ videtur eſſe contradictio in littera D. Tho. nam ex vna parte volũtatẽ determinatam vt operaretur ſi poſſet,vocat perfectã voluntatẽ & ex alia parte vocat eam imperfectã, tũ quia circa cõcluſionem ſecundã dicit, voluntatem ſumere perfectionem ab actu exteriori in quantum(aduerte verba) conſequitur finẽ vel attingit terminũ, & rurſus circa tertiã concluſionem expreſsè dicit,quòd defectus perfectionis quæ eſt ex actu exteriori eſt ſimpliciter in voluntarius quod contra ponit illi quod immediatè dixerat. Si verò poſsibilitas deſit voluntate exiſtente perfecta & voluntate adhuc exiſtente perfecta in ſe ipſa poteſt pati defectum perfectionis propter abſentiam actus exterioris.

Satis doctè reſpõdet Caiet. huic dubio & affert doctrinã valde notandã quod voluntas poteſt dici,& eſſe cõpleta dupliciter: vno modo ſecundùm illam habitudinem qua volitum eſt in voluntate. Alio modo ſecundũ illã qua volũtas tendit in realẽ aſſecutionẽ voliti: iuxta primũ modum ſignificatur perfectio volũtatis per hoc quod eſt velle perfectè. Iuxta ſecundum vero modũ,per hoc quod eſt habere perfectè vt dictũ eſt ſupra q. 16,art. 4. vnde voluntas parata operari ſi poſſet, eſt perfecta voluntas quia perfecte vult, & hoc ſpectat ad primę habitudinis perfectionẽ,& eſt imperfecta ſimpliciter quia non peruenit ad hoc quod realiter habea

tur

tur id quod vult & nata est habere: omnis enim motus deficiens à termino est imperfectus per priuationē perfectionis in assecutione termini consistentis, & cū prima perfectio sit alterius rationis â secunda & tota latitudo potentiæ comparetur ad secundam vt imperfectum ad perfectum; consequens est vt quantumcumque crescat & intensissimus sit interior actus volūtatis solus, numquam perueniet ad hoc quod sit perfectus simpliciter sine assecutione exterioris actus, & *Ioann. 15.* adducit Caietanus locum Ioannis 15. Maiorem charitatem nemo habet quam vt aniam suam ponat quis pro amicis suis. Ponat dixit, non velit ponere. Optima est hæc doctrina quam volui ponere eisdem verbis Caietani, quia meliora sunt verba Caietani quā mea: quod dico quia in aliquibus Theologis inuenio duplex vitium primum transcribere ad verbum quæ non sunt transcribenda. Est enim doctrina codicis alicuius manuscripta quæ multo melioribus & simplicioribus poterat dici. Secundum est non transcribere quæ sunt transcribenda si enim afferatur aliqua doctrina D. Thom. vel Caietani mutant verba, & certum est quod erit in peius, non enim accipient pro iniuria quod D. Thom. & Caietanus melius quàm ipsi dicāt. De istis authoribus ita famosis semper inueni verificatum quod ille alter dixit de quodam magno authore, quid si ipsam bestiam audisses tis sua verba resonantem. Ista enim immania ingenia communicant quandam feritatem verbis suis propter quod iste optime appellat bestiam, nam mutata enerbatur ferocitas & desinunt in quandam mā suetudinem frigidam. Rursus optimé tāgit aliam perfectiōnem dicendo sua verba. Nemo enim vnquam ita bene expressit alienos fœtus sicut propria mater.

Doctrina Caietani est satis facilis & aperta nec indiget explicatione vult enim dicere quod in vtraq; habitudine est via quædam per transeunda nō enim statim atque volūtas incipit affici ad aliquod obiectū potest dici perfecte velle illud, sed est necessarium quod per intensionem inclinationis maiorem, & maiorem in illud obiectum vincat difficultatem omnem quousque maneat omnino actuata & totaliter affecta, simile est in secunda habitudine. Ex prima collige, quòd voluntas optimé potest dici efficax etiam si realiter non consequatur effectum, quia si est totaliter inclinata vt diximus; iam expulit quamcumque contradictionem & iam absolutè vult omnibus pēsatis prosequitale obiectum. In isto ergo ordine idem est actus inefficax & actus conditionalis & actus efficax & actus absolutus, quib⁹ autē actibus paulatim progrediatur voluntas vsque ad hanc vltimam & perfectam affectionem & inclinationem est videre in quæstionibus præcedentibus. Requiritur enim prius volitio quædam simplex obiecti sine ordine ad cōsecutionē, & postea intentio, &c. vsque dum veniatur in perfectum consensum.

Sed sunt duo argumenta contra hanc doctrinam Caiet. Primum, quia satis difficile videtur quod D. Tho. in hoc articulo loquatur de perfectione voluntatis quæ consistit in habere & consequi realiter obiectum, nam hæc perfectio omnino est extra propositum D. Thom. quia D. Thom. in his tribus quæstionibus 18. 19. & 20. loquitur de perfectione morali voluntatis ad quam nihil addit nec tollit hęc vltima perfectio consecutionis realis quam rectè vocat Medina perfectionem naturalem. Præcipuè quia vltra hoc non videtur quod posit D. Thom. loqui de ista, quia cum nihil dicat de perfectione morali, quis nomine huius perfectionis non intelligat etiam moralem? nam si in littera D. Thom. inueniretur expressè quod perfectio moralis non sumitur ab ista cōsecutione reali possemus hoc aliud de perfectione naturali intelligere.

Secundum argumentum est contra secundam habitudinem quam ponit Caietanus, tota enim videtur præsupponere hoc falsum quod voluntas habeat & teneat aliquid reale. Hoc enim est cōtra D. Tho. supra q. 3. art. 4. vbi ex eo diffinit D. Tho. quod beatitudo nō potest esse actus volūtatis, quia volūtas non est potē tia apprehensiua, & vt ita dicamus, tensiua sed hoc pertinet ad intellectū, nam voluntas quantùm ad hoc solùm potest habere duos actus, vel actum amoris, & desiderij, vel actū delectationis Desiderium fertur in obiectum nondum habitum delectatio vero præsupponit iam habitum.

Ad primum respondetur, quòd absq; dubio D. Tho. non potest explicari in secunda solutione nisi de perfectione reali, vt explicat eum Caiet. sunt enim manifesta verba ipsius vt patet in argumento,

quod fecimus ante solutionem Caietani. Nihil autem mirũ quod D. Tho. loquatur de hac perfectione naturali, tum quia vt docet Caiet. tota latitudo bonitatis & perfectionis moralis est tanquã quid imperfectum respectu huius perfectionis & ad illã ordinatur; vnde nõ est extrà genus moris cũ cõparetur ad illud, vt cõsummatio & terminus illius, terminus autem & motus ad idem genus pertinent. Tum etiam, quia valde consuetum est in abundantia doctrinæ D. Tho respondere vltra quæsitum, & ita licet hic agat de prędelectione morali nihil mirũ vt respondeat quid veritas habeat etiam de perfectione naturali: falsum autẽ est quod addit argumentũ, quòd D. Tho. non negat perfectionem moralem voluntatis non sumi à reali consecutione obiecti, sed solũ à perfectione inclinationis voluntatis in ipsum: de hoc enim ponitur tertia conclusio D. Tho. vbi dicit, quòd si posibiliter desit voluntate existente perfecta vt operaretur si posset, defectus perfectionis quæ est ex actu exteriori est simpliciter inuoluntarius & subdit; Vnde non meretur nec prędmium nec pœnam.

Ad secundũ respõdetur, quòd quãuis ita sit, quòd voluntati non cõueniat tenere obiectum tanquã principiũ quo & tãquam instrumentum ad hunc finem accommodatum: hoc enim modo solum pertinet ad intellectum respectu obiecti beatifici, vel potentias appræhẽsiuas corporalis respectu obiectorum corporalium; tamen denominatiuè, ipsi voluntati conuenit tenere. Itaq; hæc propositio est vera, voluntas tenet per intellectum, quòd expressè docet D. Tho. supra. q. 4. ar. 3. quod comprehendere quod est obiectũ beatitudinis pertinet ad voluntatem. Correspõdet enim habitudini spei & expresiùs docet idem ad secundum, quòd sicut ad volũtatem pertinet spes & amor quia eiusdem est amare aliquid & tendere in illud quod non est habitum; ita etiã ad voluntatem pertinet comprehensio & delectatio, quia eiusdem est habere aliquid & quiescere in illo.

ARTICVLVS V.

Vtrûm euentus sequens, aliquid addat de bonitate vel malitia ad exteriorẽ actũ.

AD quintum sic proceditur. *Videtur quòd euentus sequens addat ad bonitatẽ vel malitiam actus. Effectus enim virtute præexistit in causa, sed euentus consequuntur actus sicut effectus causas: ergo virtute præexistent in actibus, sed vnũquodque secundùm suã virtutem iudicatur bonum vel malum, nam virtus est quæ bonum facit habentem, vt dicitur in 2. Ethic.* ✻ *ergo euentus addunt aliquid ad bonitatem vel malitiam actus.* Inf. q. 73. a. 8. & mal. q. 1. ar. 3. ad 15. & q. 3. ar. 10. ad 5. ✻ Capit. 6. in princ. tom. 5.

2. Prætereà. Bona quæ faciunt auditores sunt effectus quidã consequẽtes ex prædicatione Doctoris: sed huiusmodi bona redundant ad meritũ prædicatoris, vt patet per id quod dicitur Philippensium 4. fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudiũ meum & corona mea: ergo euentus sequens addit ad bonitatem vel malitiam actus.

3. Prætereà. Pœna non additur nisi crescẽte culpa; Vnde dicitur Deut. 25. Pro mensura peccati erit & plagarum modus: sed euentu sequente additur ad pœnam, dicitur enim Exodi 21. quod si vos fuerit cornupeta aberi & nudius tertius, & contestati sunt dominum eius nec recluserit eum occiderit que virum aut mulierem & bos lapidibus obruetur & dominum illius occidẽt, non autem occideretur si bos non occidisset hominem, etiam non reclusus: ergo euentus sequẽs addit ad bonitatem vel malitiã actus.

4. Prætereà. Si aliquis ingerat causam mortis percutiendo, vel sententiã dando, & mors non sequatur non cõ-

trahitur irregularitas, contraheretur autem si mors sequeretur: ergo euentus sequens addit ad bonitatem vel malitiam actus.

Sed contra, euentus sequens non facit actū malum qui erat bonus, nec bonum qui erat malus: puta si aliquis det eleemosynā pauperi, qua ille abutatur ad peccatum, nihil deperit ei qui eleemosynam facit, & similiter, si aliquis patienter ferat iniuriam sibi factam, non propter hoc excusatur ille qui fecit: ergo euentus sequens nō addit ad bonitatem vel malitiam actus.

Respondeo dicendum, quòd euentus sequens aut est præcogitatus, aut non, si est præcogitatus, manifestum est quôd addit ad bonitatem vel malitiam: cum enim aliquis cogitans q̄ ex opere suo multa mala possunt sequi, nec propter hoc dimittit, ex hoc apparet voluntas eius esse magis inordinata. Si autem euentus sequens non sit præcogitatus: tunc distinguendum est, quia si per se sequitur ex tali actu & vt in pluribus secundum hoc euentus sequens addit ad bonitatem vel malitiam actus. Manifestum est enim meliorem actum esse ex suo genere ex quo possunt plura bona sequi & peiorē, ex quo nata sunt plura mala sequi, si vero per accidens & vt in pautioribus, tunc euentus sequens non addit ad bonitatem vel ad malitiam actus. Nō enim datur iudicium de reliqua secundum illud quod est per accidens, sed solum secundùm illud quod est per se.

Ad primum ergo dicēdum, quôd virtus causæ existimatur secundùm effectus per se, non autem secundùm effectus per accidens.

Ad secundum dicēdum, quòd bona quæ auditores faciunt consequuntur ex prædicatione Doctoris sicut effectus per se; vnde redundant ad præmiū prædicatoris & præcipuè quādo sunt præintenta.

Ad tertiū dicendū, quôd euētus ille pro quo illi pœna infligē da mandatur & per se sequitur ex tali causa, & iterum ponitur, vt præcogitatus, & ideo imputatur ad pœnam.

Ad quartum dicendum, quôd ratio illa procederet si irregularitas sequeretur culpam: non autem sequitur culpam: sed factum propter aliquem defectum sacramenti.

Prima conclusio. Quando euentus est præcogitatus, manifestū quòd est addit ad bonitatem vel malitiam. 1. Concl.

Secūda cōclusio. Si euētus sequens nō est præcogitatus, si per se sequitur ex tali actu addit ad bonitatem vel malitiam illius, si verò per accidens & vt in paucioribus sequitur, euentus non addit ad bonitatem malitiam actus. 2. Concl.

Pro intelligentia huius articuli notandum, nomine euētus in titulo articuli significari id quod sequitur ad actionem exteriorē distinctum ab illa, siue sequatur per se siue per accidens, dūmodo non sit formaliter & per se intentū. Si enim quis furetur ad fornicādum fornicatio nō est euentus, quia est formaliter & per se intenta per furtum. Not. 1.

Secundò notādum, quòd hic non quæritur, vtrum euētus faciat actum malum qui secundum se erat bonus, vel ē cōtra. De hoc enim iam actum est supra: sed solum quæritur, vtrum actus semel bonus, fiat melior per euentum bonum, & actus malus fiat peior per euentum malū, hoc enim significat ly addere. Not. 2.

Tertiò notādum, quòd nomine actus ād quē sequitur euentus intelligitur tam actus interior, quam exterior, quia cū ex Not. 3.

vtrôque

vtroque fiat vnum,malitiaque vel bonitas vtriusque,sit eadem,vt supra diximus non ponit in numero vnum cum altero. Vnde licet in titulo articuli quærat D. Thom.de actu exteriori, in corpore tamen etiam loquitur de interiori , prout prorumpente in exteriorem.In eo quod dicit: Cum aliquis cogitans quod ex ope re suo multa mala possunt sequi neque propter hoc dimittit,apparet voluntas eius magis inordinata.

Not.4. Quartò notandûm istum articulum, non esse superfluum,quia licèt supra docuerit D.Thom.id quod est volitum cõducere ad bonitatem vel malitiam actus, quod autem non est volitum minime ad id conducere,& sic alicui posset videri istum articulum esse superfluum,quia si euentus est volitus,addit,non autem si volitus non est.Nihilominus dicimus , necessarium fuisse tractare,vtrum euentus addat ad bonitatem vel non; quia vt diximus, supponimus euentum non esse formaliter volitum , sed tantum indirectè,vnde de illo peculiaris est difficultas.

Dubium. Caiet. Hijs ergo suppositis mouet Caietan. hic dubium,circa primam conclusionem. Nam,vt iacet videtur minis rigida & falsa, nam esset cõdemnare plura opera quę sunt licita. Dicit enim quod euentus prę uisus etiam si non soleat sequi frequẽter, dummodo moraliter existimemus,quod modo continget facit opus bonum vel malum,sequitur ex hoc quòd si mulier, quæ se decenter adornat vt vadat ad Ecclesiam vel recreationis causa ad visitandos consanguineos, vel causa laboris subleuandi vadit ad pomarium & deambulat ibi,cognoscit tamen quòd adolescẽtes aliqui exardescent & inflãmabũtur in concupiscentiam eius, sequitur quòd hæc peccat eundo aut deambulando, cũ ista nihil huiusmodi intendat neque delectetur in illo,immô displicet sibi quod illud fiat: Consequens est intolerabile, nã sic teneretur numquam exire domũ,&c. Nec tenetur vitare peccata aliorum cum tanto detrimento. Secũdô sequitur quòd artifices armorum maxime qui vendunt illa hominibus gerẽtibus inimicitias,peccarent,quia moraliter vident sequi plura mala. Item peccaret Sacerdos qui daret Eucharistiam peccatori occulto publicê petenti,quia ex sua datione, videt sequi magnum sacrilegium in alio, & similiter peccaret qui peteret Sacramentũ à Sacerdote quem scit administraturum in mortali,atq; item peccaret mulier quę redderet debitum viro petenti si scit ipsum vouisse castitatem. Rursus peccaret qui venderet res communes ad plures vsus in fidelibus,quibus sciunt esse abusuros idolis immolando,atque demũ Apostoli prædicando Euangelium peccassent cum aliquando cognoscerent multa mala inde subsequenda.

Solutio. Respondeo,quod illa prima conclusio habet plures explicationes veras. Prima est hic Domini Caietani, quòd nõ intelligitur conclusio vniuersaliter,sed tantùm quando euentus est præcogitatus & intentus aliquo modo siue directè siue indirectè;tunc auget bonitatem vel malitiam.Itase explicat D.Tho.infra q. 73. art. 8. vbi mouet similem quæstionem vtrum peccatum augeatur ex nocumento quod sequitur,& respondet quod quãdo est præcogitatum,& intentum.Tunc auget peccatum: ita etiam se explicat in solutionibus argumentorum,quapropter forsam textus hic est mendax & trũcus vbi deberet habere euentus prẽcogitatus & intentus,deficit intentus,sed forsam ly Præcogitatus,idem sonat , id est quod sit intentus,nam statim subiungit, quod tunc voluntas est magis de ordinata quasi intendens illum euentum. Sic ergo conclusio vniuersaliter habet verum. Nam si mulier peccatum alterius intendit, clarum est quod peccat ,etsi opus quod facit sit ex genere bonum , vbi aduertite,quod sufficit quod talis euentus sit intentus in directè,verbi gratia, de disti gladium furioso quo se vel alios occidit:illa mors tibi imputatur ad culpam, quoniam ex charitate tenebaris vitare illud damnum. Item Prætor Ciuitatis ibit dormitum statim cũ ad vesperascit, id communiter faciens, commissum est furtum in ciuitate, imputatur Prætori, quia illi incumbebat præcauere ne fierẽt prædæ.Secunda explicatio est, quæ addit aliquantulum priori, videlicèt quod euentus præcogitatus auget bonitatem vel malitiam,quando est intẽtus vel quãdo est volitus formaliter vel interpretatiuè. De intento iam diximus sed propter vim vocabuli dicitur esse volitus, quod est formaliter volitum,quando licet non intendam,placet tamen, vt si mulier illa non intendat adamari placet tamen illi

D. Tho.

quod

quod adametur,illa complacentia est mala,cœterum opus ipsum eundi ad ecclesiã non redditur malum, quia non proficiscitur ab illa mala complatentia.Interpretatiuè autem,euentus præuisus est volitus,quãdo teneor euitare & non euito,vt in illo exemplo iudicis qui interpretatiuè vult mala illa subsecuta,ex eo quôd cito vadit dormire qnod in personis priuatis non dicetur interpretatiuè volitum, & sic de alijs iuxta peculiaria negotia & peculiares obligationes diuersarum personarum, & temporum,&c. Tertia explicatio esse potest,quòd euentus malus præcogitatus semper auget malitiã, quãdo sine vllo detrimento proprio meo vel meorum possum cabere illum, & non caueo,verbi gratia,illa mulier quæ probabiliter credit quod quoties cumque egreditur domum adamatur â procis, non habetis opus exeundi domum, nullo titulo egreditur;peccaret certe exeundo (dicũt aliqui)mortaliter,at vero si habet opus exire vel admissam audiendamvel ad spatiandum seu ad ambulandum:non tenetur seruare clausuram cum damno suo. Sed certe ego non video etiam si exeat si necausa peccatum mortale quando talis euentus sequitur ex aliorum malitia, & non ex fragilitate quia si esset fragilitas notabilis,ex Charitate teneretur succurrere si posset: & tunc si in singulari casu posset permanere hodie in domo etiam cum aliquali detrimento;non video quare non teneatur. Nam si tenetur non exire sub mortali,nulla existẽte causa exeũdi vt aliquivolebat,siminima sit causa nõ video quare possit licite exire,quia minima causa reputatur non causa:sicut quãdo quis tenetur sub mortali dare eleemosynam sine proprio damño,ad idem tenetur cum leuidamno quia reputatur non damnum aliud autem esset in casu prædicto obligare illam feminam vt cum leui causa nunquam egrederetur domum vt ad visitandum vel spatiandum quia licèt semel veliterum ab hoc abstinere sit leue esset tamen grauissimum ab hoc semper abstineri & ideo non tenetur facere, & si scandalum prædictum fuerit secutum, erit Phariseorũ & non pusillorũ, acceptũ & non datũ de quo 1.2.q.43. Idẽ est dicẽdum,quando aliquis in Paschate vult cõfiteri proprio Sacerdoti quem ex fragilitate scit esse in mortali. Si enim sit causa grauis, non tenetur à tali confessione abstinere. Si autem de facili possit declinare ad alterum confessorem ex præuilegio, teneuitur semel vel iterum rationi Charitatis id facere ad euitandum sacrilegium parochi,licet oppositum doceat Soto in 4.dist.1.q.5.art.6.circa 4.concl.fo. 124.Si autem hoc inconueniens & scandalum parochi pluries sequeretur,non teneretur pœnitens semper ad alium declinare;nam hoc esset onus graue & euentus non imputaretur,sed omnino esset accidens & ipse vteretur iure suo.

ARTICVLVS VI.

Vtrûm idem actus exterior possit esse bonus & malus.

AD *sextum sic proceditur. Videtur* † *quòd vnus actus possit esse bonus, & malus. Motus enim est vnus qui est continuus.Vt dicitur in 5. Phisic.* ✣ *Sed vnus motus continuus potest esse bonus & malus, puta si aliquis continuè ad Ecclesiam vadens. Primô quidem intendat in anem gloriam,postea intendat Deo seruire: ergo vnus actus potest esse bonus & malus.* *Infr.q.72. art.6.co. & 22.q.99.ar. 2.ad.2. & art.3. ad.2. Et 2. dist. 40.ar.4. & mal.q.2.ar. 4.& ver.q. 1.art.4. to. & q.2. art. 3.cor. *Tex. 39. & 40.to.2.

2. *Præterea. Secundum Philosophum in 3.Phis.* ✣ *actio & passio sunt vnus actus.Sed potest esse passio bona sicut Christi,& actio mala, sicut Iudæorum:ergo vnus actus potest esse bonus & malus.* *Tex.14.20. 21.tom.2.

3. *Præterea. Cum seruus sit quasi instrumentum Domini,actio serui est actio domini, sicut actio instrumenti est actio artificis:sed potest cõtingere quod actio serui procedat ex bona voluntate domini,& sic sit bona, & ex voluntate mala serui & sit mala: ergo idem actus potest esse bonus, & malus.*

Sed

Sed contrà. Contraria non possunt esse in eodem: sed bonum & malum sunt contraria: ergo vnus actus non potest esse bonus & malus.

Respondeo dicendum quòd nihil prohibet aliquid esse vnum secundùm quod est in vno genere, & esse multiplex secundùm quod refertur ad aliud genus. Sicut superficies continua est vna secundum quod consideratur in genere quantitatis, tamẽ est multiplex secundum quod refertur ad genus coloris, si partim sit alba & partim nigra: & secundum hoc nihil prohibet aliquem actum esse vnum, secundùm quod refertur ad genus naturæ, qui tamen non est vnus secundum quod refertur ad genus moris, sicut & è conuerso vt dictum est. * *Ambulatio enim continua est* Art.3. * *vnus actus secundùm genus naturæ: potest tamen contingere, quòd sint plures secundum genus moris, si mutetur ambulantis voluntas quæ est principium actuum moralium. Si ergo accipiatur vnus actus prout est in genere moris, impossibile est, quòd sit bonus & malus bonitate, & malitia morali: Si tamen sit vnus vnitate* d *naturæ & non vnitate moris.* D.63. *potest esse bonus & malus.*

Ad primum ergo dicendum, quòd ille motus continuus qui procedit ex diuersa intentione, licèt sit vnus vnitate naturæ, non est tamen vnus vnitate moris.

Ad secundum dicendum, quòd actio, & passio pertinent ad genus moris in quantum habent rationem voluntarij, & ideo secundum quod diuersa voluntate dicuntur voluntaria; secundùm hoc sunt duo moraliter, & potest ex vna parte in esse bonum & ex alia malum.

Ad tertium dicendum quod actus serui in quantum procedit ex voluntate serui, non est actus domini; sed solum in quantum procedit ex mandato domini: vnde sic non facit ipsum malum mala voluntas serui.

Prima conclusio. Idem actus in genere naturæ, potest esse bonus & malus successiue. 1. Concl.

Secunda conclusio. Idem actus in genere moris permanendo idem in genere moris, impossibile est quod prius sit bonus, & postea malus, vel e contra. 2. Concl.

De materia huius articuli agunt Doctores in 2. dist. 40. & Gabriel dist. 41. & quidem de prima conclusione, vt iacet, nullus dubitat. Remanet tamen dubium, an possit idem actus exterior (nam de interiori cum supra actum sit nec vllũ verbum in præsenti) esse in eodem instanti simul bonus & malus moraliter, de quo multa dicit Almayn in moralibus tract. 1. cap. 12. nos autem vt breuiter proceda mus sit. Dub.

Prima conclusio. Nullus actus nec exterior nec interior potest esse simul bonus & malus, prout dimanat ab eadẽ persona. Pro cuius intelligentia notandum, Not. quòd idem actus potest cõparari ad eandem personam elicientem, aut vero addi uersam, verbi gratia, datio eleemosynæ per seruum, & comparatur ad dominũ iubentem, & ad seruum exequentem. Similiter suspensio latronis, & comparatur ad lictorem & ad iudicem, & passio Christi Domini simul erat à Deo à Christo à Iudæis, & crucifixoribus, & missa oblata ad petitionem Petri, & est actio Sacerdotis & Ecclesiæ & ipsius Petri. Quia ergo contingit variam esse intentionem diuersorum agentium, non est idem, comparare actionem ad idem agens vel addiuersum, Comparando ergo actionem ad eandem personam agentem, dicimus esse im- 1. Concl.

se impossibile esse simul bonā & malam. Probatur primò, nam bonū cōsurgit ex integra causa, ergo si semel ponitur ex aliquo capite actum esse malum, impossibile est simul esse bonum, licet mille alijs titulis videatur habere bonitatē. Secūdo probatur, nam bonū & malū opponūtur ad minus cōtrariê in moralibus: ergo impossibile est simul esse bonū & malū moraliter, sicut esse simul album, & nigrum. Tertiò probatur nam impossibile est, quòd idē actus intellectus simul sit verus & falsus, ergo & quod idē actus sit bonꝰ & malus: quia vt supra diximus sic se habet bonū & malū in ordine ad actus voluntarios sicut verum & falsum in ordine ad actus intellectus. Itaque bene potest idem actus malus simpliciter esse bonus secundū quid licèt nō è contra bonꝰ simpliciter & malus secūdū quid, quia cū malū cōsurgat exquocūq; defectu; quacumque malitia posita est malus simpliciter, qua propter numquam potest esse simul bonus & malus simpliciter.

2. Concl. Secūda cōclusio. Bene potest idē actus exterior esse bonus & malus simul moraliter respectu diuersarū personarū, vt patet in omnibus exēplis posītis in prima cōclusione. Nā eadē passio simul erat bona respectu Dei & Christi, & mala respectu Iudeorū crucifigentiū, & eadē eleemosyna potest esse mala ex parte serui in tēdētis malū finē, & bona ex parte domini iubentis illā dari ex motiuo pietatis, & pia opera iussa impleri in testamēto possunt esse bona ex parte testantis & mala ex parte filij postea ex vana gloria implētis, & actio celebrādi missam potest esse mala ex parte iniqui Sacerdotis cū tamen sit bona ex parte Ecclesiæ vel ex parte existentis in Charitate offerentis eleemosynam vt pro se missa celebretur. De quibus videatur D. Tho. in 4. dist. 45 q. 2. art. 1. quęstiūc. 3. & in 2. dist. 40. ar. 4. ad 4. verū est q hoc est loqui quasi cras sa Minerba, nam in rigore etiam respectu diuersorum non est eadem actio simul bona & mala; nam alia est actio à domino bona, & à seruo mala, & alia mala à Sacerdote, & alia bona conferente eleemosynam pro missa, & alia est actio bona à Deo & Christo, & alia mala â Iudęis. Dicitur autem large loquendo eadem actio vt iusque, & prout ab vno bona, prout ab alio vero mala.

QVÆSTIO XXI.

De his, quæ consequuntur actus hamanos, ratione bonitatis & malitiæ.

ARTICVLVS I.

Vtrûm actus humanus, in quātum est bonus, vel malus, habeat rationem rectitudinis, vel peccati.

Mal. q. 2. a. 2. ad tertiū.

AD primum sic proceditur. *Videtur, quôd actus humanus in quantum est bonus vel malus, non habeat rationem rectitudinis vel peccati. Peccata enim sunt monstra in natura, vt dicitur in 2. Physic.* * *Monstra autem nō sunt actus, sed sunt quædam res generatæ præter ordinem naturæ. Ea autē quæ sunt, secundùm artem & rationem, imitantur ea quæ sunt secundum naturam, vt ibidem dicitur: ergo actus ex hoc quod est inordinatus, & malus, non habet rationem peccati.* Tex. 82. to. 2.

2. Præterea. Peccatum vt dicitur in 2. Physic. * *accidit in natura & arte cum non peruenitur ad finem intētum â natura vel arte; sed bonitas vel malitia actus humani, maxime cōsistit in intentione finis & eius prosecutione: ergo videtur quôd malitia actus non inducat rationem peccati.*

3. Præterea. Si malitia actus induceret rationem peccati, sequeretur quôd vbicumque esset malum ibi esset peccatum: Hoc autem est falsum nam pœna licèt habeat rationem mali, non tamen habet rationem peccati:

non ergo ex hoc quòd aliquis actus est malus habet rationem peccati.

Sed contra bonitas actus humani 1.2.q.19.art.4. *vt supra ostensum est * principaliter dependet â lege æterna, & per cò sequens malitia eius in hoc consistit, quòd discordat â legæ æterna; sed hoc facit rationẽ peccati, dicit enim Aug. 22.contra factum.* Quod peccatum* Cap. 27. in princ.tom.6 *est factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra legem æternam: ergo actus humanus ex hoc quod est malus, habet rationem peccati.*

Respondetur dicendum, quòd malum in plus est quam peccatum, sicut & bonum in plus est quam rectum. Quælibet enim priuatio boni in quocumq; constituit rationẽ mali sed peccatum propriè consistit in actu qui agitur propter finẽ aliquem, cum non habeat debitũ ordinem ad finem illũ. Debitus autem ordo ad finem secundum aliquam regulam mensuratur, quæ quidem regula in his quæ secundum naturam agunt, est ipsa virtus naturæ quæ inclinat in talem finem. Quando ergo actus procedit à virtute naturali secundùm naturalem inclinationem in finem; tunc seruatur rectitudo in actu: quia medium non exit ab extremis, scilicèt actus ab ordine actiui principij ad finem. Quando autem à rectitudine tali actus aliquis recedit; tunc incidit ratio peccati. In his vero quæ aguntur per voluntatem, regula proxima est ratio humana, regula autem supræma est lex æterna. Quandocumque ergo actus hominis procedit in finem secundum ordinem rationis & legis æternæ; tunc actus est rectus: quando autem ab hac rectitudine obliquatur, tunc dicitur peccatum. Manifestum est autem ex præmissis quod omnis actus voluntarius est malus per hoc quod recedit ab ordine rationis & legis æternæ & omnis actus bonus cõcordat rationi & legi æterne: vnde sequitur quòd actus humanus ex hoc quod est bonus vel malus habeat rationem rectitudinis vel peccati.

Ad primum ergo dicendũ, quôd monstra dicuntur esse peccata, in quãtum producta sunt ex peccato in actu naturæ existente.

Ad secundum dicendum, quôd est finis duplex, scilicet vltimus & propinquus. In peccato autem naturæ deficit quidem actus à fine vltimo qui est perfectio generati: non autem deficit a quocumque fine proximo, operatur enim natura aliquid formãdo. Similiter in peccato voluntatis, semper est defectus ab vltimo fine intento, quia nullus actus volũtatis malus est ordinabilis ad beatitudinem quæ est vltimus finis: licet non deficiat ab aliquo fine proximo, quem voluntas intendit & consequitur. Vnde etiã cum ipsa intentio huius finis ordinetur ad finem vltimum in ipsa intentione huiusmodi finis potest inueniri ratio rectitudinis & peccati.

*Ad tertium dicendum, quôd vnũquodque ordinatur ad finem per actũ suum, & ideo ratio peccati quæ consistit in deuitatione ab ordine ad finem propriè consistit in actu, sed pœna respicit personam peccantem vt in primo dictum est.** 1.p.q.48.

Con-

1. Concl. Conclusio sit. Actus humanus ex hoc quod est bonus vel malus, habet rationē rectitudinis vel peccati.

Not. 1. Pro intelligentia huius articuli notandum responsionem D. Tho. non esse extra quæsitum. Nam licèt interrogauerit, vtrum actus humanus in quantū est bonus. &c. bene potest respondere quod actus humanus ex hoc quod est bon⁹, &c. quia ly In quātū etiā exponitur per causalē. Vnde si actus humanus in quantum bonus vel malus habet rationē rectitudinis vel peccati. Similiter est verū quod actus humanus ex hoc quod est bonus vel malus, habet rationē rectitudinis vel peccati. Vt autē intelligatur qualiter habeat verū, quòd actus humanus in quantū bonus vel malus habeat rationē rectitudinis vel peccati.

Not. 2. Secundò notandū, quòd ly In quantū aliquādo reduplicat rationē primariam, vt quando dicimus homo in quantū homo est rationalis: aliquādo vero reduplicat rationē secundariā, vt quādo dicitur, quod homo in quātū rationalis est risibilis, immo aliquando reduplicat tantū cōditionē, vt quando dicitur quod ignis cōburit in quātū applicatus, vel quod finis mouet in quantū appræhensus. In præsenti ergo quando dicitur quod actus humanus in quantū bonus vel malus habet ratitionem rectitudinis vel peccati, ly In quantū non reduplicat rationē primariā sed secundariā quia rectitudo habet se ad modū passionis respectu bonitatis moralis. Vnde quando bonitas moralis definitur vel explicatur per rectitudinem non explicatur per rationem primariā & quasi à priori. Sed potius per secundariam & consecutam & quasi à posteriori. Pro cuius maiori intelligentia.

Not. 3. Tertio notandum, quòd bonum & rectum & malum & peccatum licēt non distinguantur realiter, alia est tamen ratio vnius & alterius, & habet se quasi superius & inferius, ad plus enim extenditur bonum etiam morale quam rectū, & malum morale ad plus extenditur quam peccatum: quia licet de facto immo forte de possibili vnum sine altero non reperiatur, taliter tamen intelligitur diuersa ratio, vtriusque, vt si per impossibile separaretur ratio legis adictamine diuino opus posset esse bonum per conformitatem ad dictamen nō tamen rectum quia hoc dicitur per cōformitatē ad legē & regulā præceptiuā, & similiter tūc posset esse malū morale per difformitatē à dictamine nō tamē peccatum, quia hoc dicitur per difformitatē ad legē, de quo plura diximꝰ supra q. 18. & infra dicitur in materia de peccatis. Dicitur tamē rectitudo se qui ad bonitatē & peccatū ad malitiā, nō sumēdo bonitatē vel malitiā, prout superiora sunt: quia inferius non dicitur propriè consequi ad superius vt homo ad animal, sed sumitur illa ratio bonitatis vel malitiæ, prout determinata per rectitudinē vel peccatū. Qua ratione si animal cōsideretur prout determinatum ad hominem, potest dici quod Petrus in quātùm tali modo est animal, est rationalis.

ARTICVLVS II.

Vtrū actus humanus in quātū est bonus vel malus habeat rationem laudabilis vel culpabilis.

AD *secundum sic procedi-* 3. dist. 24. art. 3. q. 2. co. & 4. dist. 16. q. 3. art. 1. q. 1. ad 1. & q. 6. ar. 2. ad. 3 Et mal. q. 2. arti. 2. ad. 3.
tur. Videtur quod actus humanus ex hoc quòd est bonus vel malus non habeat rationem laudabilis vel culpabilis, peccatum enim contingit in hijs quæ aguntur â natura vt dicitur in 2. Phyſ. ✲ *Sed tamē ea quæ sunt naturalia non sunt laudabilia nec culpabilia vt dicitur in 3. Ethic.* † *ergo actus hamanus ex hoc quod est malus vel peccatum, non habet rationem culpæ, & per consequens nec ex hoc quod est bonus, habet rationem laudabilis.* Tex. 82. 83 & 84. Cap. 5. tom. 5.

2. *Præterea. Sicut contingit peccatum in actibus moralibus, ita & in actibus artis, quia vt dicitur in 2. Phyſ.* ✲ *peccat grammaticus non recte scribens, & medicus non recte dans potionem, sed non cul* Tex. 82. 10. mo 2.

patur artifex ex hoc quod aliquid malum facit, quia ad industriam artificis pertinet, quod possit & bonum opus facere & malum cum voluerit: ergo videtur quod etiam actus moralis ex hoc quod est malus non habeat rationem culpabilis.

P. 4. â med. 3. Præterea Dionis. dicit in 4. c. de diuino. * Quod malum est infirmum, & impotens: sed infirmitas vel impotentia vel tollit vel diminuit rationem culpæ: non ergo actus humanus est culpabilis ex hoc quod est malus.

Sed contra est quod Philosophus dicit quod laudabilia sũt virtutũ opera, vituperabilia vel autẽ culpabilia opera contraria. Sed actus boni sunt actus virtutis, quia virtus est quæ bonum facit habentem & opus eius bonum reddit, vt dicitur in 2. Ethic. * Vnde actus oppositi sunt actus mali: ergo actus humanus ex hoc quod est bonus vel malus, habet rationem laudabilis vel culpabilis.

Cap. 6. inpr. tom. 5.

Respondeo dicendum, quod sicut malum est in plus, quam peccatum, ita peccatum est in plus quam culpa. Ex hoc enim dicitur actus culpabilis vel laudabilis quod imputatur agenti. Nihil enim est aliud laudari vel culpari, quàm imputari alicui malitiam vel bonitatem sui actus. Tunc enim actus imputatur agenti, quãdo est in potestate ipsius, ita quod habeat dominium sui actus. Hoc autẽ est in omnibus actibus voluntarijs quia per voluntatem homo dominiũ sui actus habet vt ex supra dictis patet. * Vnde relinquitur quod bonum vel malum in solis actibus voluntarijs constituit rationem laudis vel culpæ, in quibus idem est malum, peccatum & culpa.

q. 1. arti. 1. & 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd actus naturales non sunt in potestate naturalis agentis cum natura sit determinata ad vnum, & ideo licet in actibus naturalibus sit peccatum, non tamen est ibi culpa.

Ad secundum dicendum quòd ratio aliter se habet in artificialibus, & aliter in moralibus. In artificialibus enim ratio ordinatur ad finem particularem quod est aliquid per rationem excogitatum. In moralibus autem ordinatur ad finem communem totius humanæ vitæ finis autem particularis ordinatur ad finem communem. Cum enim peccatum sit per deuiationem ab ordine ad finem vt dictum est. * In actu artis contingit dupliciter esse peccatũ. Vno modo per deuiationem â fine particulari intento ab artifice, & hoc peccatum erit proprium arti, puta si artifex intendens facere bonum opus faciat malum, vel intendens malum faciat bonum. Alio modo per deuiationem â fine communi humanæ vitæ, & hoc modo dicetur peccare si intendat facere malum opus, & faciat per quod alius decipiatur. Sed hoc peccatum non est proprium artificis in quantum artifex, sed in quantum homo est. Vnde ex primo peccato culpatur artifex in quantum artifex sed ex secundo culpatur homo in quantũ homo. Sed in moralibus vbi attenditur ordo rationis ad finẽ com-

Art. 1.

communem humanæ vitæ, semper peccatum & malum attenditur per deuiationem ab ordine rationis ad finẽ communem humanæ vitæ: & ideo culpatur ex tali peccato homo, & inquantum est homo, & inquantũ moralis est: vnde Philosophus dicit in 6. Ethic. quod in arte volens peccans est eligibilior, circa prudentiam autem minus: sicut & in virtutibus moralibus quarum prudentia est directiua.*

Cap. 5. circa fin. to. 5.

Ad tertium dicendum quod illa infirmitas quæ est in malis voluntarijs subiacet potestati hominis: & ideo nec tollit nec diminuit rationem culpæ.

Conclusio est affirmatiua.

Suppositio quôd omnis res bona est laudabilis in suo genere, si res est naturalis, laudabilis est in esse naturæ; si artificialis, in esse artis: si vero moralis, in esse moris quod vtique est propriè esse laudabile, vt ait D. Tho. hic. & similiter omnis res mala, est vituperabilis in illo genere, in quo est mala. Solum restat difficultas à quo possit fieri prædicta laus & vituperium vnde.

DVBIVM I.

Vtrùm licitè possit quis laudare se, & suos actus, & vtrum liceat cuicumque vituperare opera mala aliorum.

1. Conc. PRima conclusio. Nõ est intrinsice aut de se malũ quod quis laudet se ipsũ in bonis. Probatur quia hoc nõ est malũ ex obiecto siquidẽ supponimus obiectũ, est se vonum malitia autẽ intrinseca act⁹ ex obiecto debet summi. Secundò probatur exemplo sanctorum qui multoties se laudauerũt vt Paulus 1. Chorintr 5. plus omnibus laborabi & 2. ad Thimot. 4. Bonũ certamen certati. Sed in 2. ad Chorint. 11 longum facit sermonem de suis laudibus existimo nihil me minus feciſſe a magnis Apostolis, nã & si imperit⁹ sermone, sed nõ scientia, & cõcludit: si gloriari oportet quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor, & Iob etiam dicit quod non peccauit c. 17. & c. 31. etiam se laudat, itidem D. Hieronimus commemorans suam ipsius pœnitentiam & austeritatem vitæ.

1. Chor. 15. 2 ad Thim. 4

Secunda conclusio. Laudare se ipsum non etiam est intrinsice bonũ ex natura sua & ex obiecto. Probatur primo, quia hoc nõ probatur à sanctis immo Salomõ Prouerb. 27. ait laudet te alienus, & non ostuũ, & cõmune est prouerbiũ, quod la⁹ in ore proprio vilescit, itaq; quamuis obiectũ, nẽpe bonũ morale sit dignũ laude, tamẽ quod ego ipse faciam & me ipsũ laudẽ non est de se bonũ. Sicut suspendi latronẽ est bonũ, sed ego nõ debeo suspẽdere. Item patet quia in his facilimè se ingerit species superbię, nec inter leuia est cõputandum hoc malũ ponit enim magnum obstaculum vt qui sceresat in bonis, nam talis difficulter de se humilia sentit, sed potius æstimat se non esse sicut cęteri hominum, propter quod, sancti consulunt non laudare etiam alios vsque ad consummationem, lauda post vitã, magnifica post consummationem, lauda nauigantis virtutem, Sed cumperuenerit ad portum, lauda Ducis virtutem, sed cũ peruenerit ad triumphum.

Prob. 27.

Tertia conclusio. Laudare se ipsum potest fieri bene & male, vt si fiat propter vtilitatem publicam, est bonum, sicut laudauit se Paulus apud illos qui eum negabant verum esse Apostolum: & per hoc non credebant illi. Secluſa autem vtilitate aliorum, non est bonum sed magna insipientia & res satis periculosa, nam talis supponitur habere bonam æstimationem sui, & sic erit in periculo non sufferendi nec etiam verbum asperum proximi: quomodo enim sufferet verbum asperum alterius qui inore proprio numquam sentit nisi blandia.

3. Concl.

Quarta conclusio. Vituperare alios etiam malos, non licet nisi habenti authoritatem, vt Prælatus debet reprehendere subditos, vitia tamen in communi sine personis, licitê ab omnibus vituperantur, si cum debitis circunstantijs hoc fiat.

4. Concl.

DVBIVM II.

Vtrûm in homine detur aliquando verum peccatum sine culpa.

1.Sent. IN Hac re inter modernos est duplex sententiam opposita. Prima quidem affirmatiua, quod quando quis etiam ex ignorantia inuincibili facit aliquid, quod est intrinsice malum: tunc vere est peccatum sed non culpa: quia licet peccet nõ tamen ei imputatur peccatum, culpa autem supra peccatum addit imputabilitatem, immo per hoc tunc dicitur excusari quia licet peccatum sit, nõ imputatur ad culpam. Si enim peccatum non esset, nec excusaretur quia nullus excusatur ab eo quod non est, & hanc sententiam conantur probare ex D. Tho. hic dicente peccatum superius esse ad culpam: ergo poterit esse peccatum sine culpa, sicut superiꝰ sine inferiori, vt animal sine homine, & hoc non in alio casu quam in prædicto. Item super addit D. Tho. rationem culpæ solum inueniri in actibus qui sunt in nostra libera potestate, vtiq; vt insinuet supra peccatum culpam addere libertatem per quam imputetur. Item ad primũ dicit inueniri peccatum sine culpa in naturalibus, non tamen in his quæ sunt in nostra libera potestate. Sed in casu prędicto quãdo quis excusatur, talis actus peccam nosus non est in nostra potestate; nã alias non esset excusatio: ergo ibi est verè peccatum sine culpa. Idem docet q. 2. de malo art. 2. & 1. p. q. 63. art. 1. dicẽs peccare esse deficere à regula superioris siue in naturalibus siue in artificialibus, siue in moralibus.

Argum. Ex his ergo sumitur argumentum. In casu posito vere quis deficit a regula superioris: ergo ibi vere est peccatum (licet homini non imputetur) consequẽtia patet à diffinitione ad definitum.

Confirm. Confirmatur, nam illud opus etiam ex ignorantia inuincibili factum: vt supponimus, est intrinsicè malum & peccatum: ergo semper manet peccatum quomodocumque fiat, quia intrinsecum & essentiale separari non potest.

2.Sent. Secunda sententia est in alio extremo negatiua, & moderni qui illam defendũt, cõdenant priorẽ vt male sonantẽ temeratiã & proximam errori. Qua propter dicũt quod in casu posito sicut non est culpa, ita nec peccatũ. Hæc sententia probatur primò ex cõmuni modo loquendi fidelium immo & Sanctorum maxime D. Aug. lib. 1. de libero arb. c. 12. & 13. & 14 & lib. 2. c. 1. & alibi sępe dicentis. Vnum quodque in tantum est peccatum in quãtum est voluntarium & liberum: ergo sentit quod sicut liberum requiritur ad culpam ita etiam ad peccatum.

2. Arg. Secũdò probatur. Nã implicatio est & male sonat dicere esse peccatũ & nõ esse culpã nec imputari, nã peccatũ ex natura sua dicit imputabilitatẽ & quid demeritoriũ & dignũ pœna, recte enim quis respõdet siquæratur quare Petrus punitur in inferno, si dicat, quia peccauit.

3. Arg. Tertio probatur. Nã quando Iacob accessit ad Iyam, talis actus fuit virtutis, & meritorius, vt omnes Sancti fatentur: ergo error erit dicere fuisse peccatũ. Impiũ enim videtur dicere, aliquẽ apud Deum per peccatũ mereri nec valet dicere, vtiũ q; habuisse secũdũ diuersam rationẽ, quia cum hæc sint contraria realia, impossibile est eidem actui etiam secundum diuersam rationem simpliciter conuenire.

4. Arg. Quartò probatur. In casu posito ille nõ facit formaliter cõtra regulã superioris: ergo non est peccatũ. Consequentia patet nã vt diximus, peccare est deuiare a regula. Antecedens probatur, quia iste operatur hic & nunc secundùm prudentiã & bonũ dictamẽ rationis: ergo non solũ nõ facit formaliter contra regulam superioris, sed potius facit formaliter iuxta illã. Nam dictamen nostrum participatio est diuinæ regulæ. Vnde eo ipso quod rationem sequatur etiaã & regulæ diuinæ est cõformis, vt enim supra diximus, bene stat discordãtia materialiscũ cõformitate formali ad diuinã volũtatẽ. Hoc enim ipsum vult Deus vt ego faciam quod inuincibiliter existimo esse bonum, licẽt aliàs & materialiter non sit tale.

Sed certe in hac re meo videri solũ est differentia in modo loquendi: Pro cuius intelligentia notandũ, quod peccatum sumitur dupliciter. Primo in larga acceptione pro quocũq; defectu siue practico, siue speculatiuo, siue libero, siue naturali & sic peccatũ superius est ad culpã quæ solum in moralibus reperitur, & sic bene dicit prima sentẽtia posse reperiri peccatum sine culpa. Secundo modo sumitur peccatũ propriè & strictè vt formaliter

Not.

in

in homine & sic benedicit secunda sententia nunquam peccatum posse reperiri sine culpa. Et quia magis summendum est peccatum in secunda acceptione: ideô magis est tenenda secunda sententia & melior est modus loquendi illius, sicut verbi gratia Arist. 2. Phys. dicit quod si aliquid fiat ex sola cognitione sensitiua dicitur â casu respectu hominis, quia nõ fit ex cognitione intelectiua pertinẽte ad hominẽ, vt homo est, nõ tamẽ est à casu respectu bruti, cũ cognitio sensitiua sit propria bruti. Ita ergo in presenti cũ plꝰ requiratur ad peccatum in homine, quã ad peccatum in naturalibus, quia vt in homine requirit libertatem. Ideò quando fit aliquid ab homine ex ignorantia inuincibili quod aliàs esset peccatum, remanet quidem peccatum cõmuniter prout extenditur ad naturalia quod est esse secundum quid, non tamen remanet peccatum prout in homine & sic debet dici nõ manere peccatum simpliciter sicut quando fit aliquid ex sola cognitione sensitiua ab homine, debet dici simpliciter casuale, licèt tale non sit respectu animalis, quia ista est consideratio secundùm quid illa vero simpliciter.

Ad argumentum tur. 1. sent.

Ad argumentum ergo primæ sententiæ respondetur quod D. Thom. in principio articuli loquitur de peccato in larga acceptione postea vero in fine corporis loquitur de peccato prout in homine, & sic dicit in actibus humanis idem esse peccatum, & culpam, & eodem modo loquitur ad primũ. Nec valet dicere, quòd sunt idem sicut supperius & inferius, nõ in quam valet, quia si D. Thom. distinxit peccatũ in larga acceptione & prout in homine vt assereret quod peccatum prout in homine & culpa sunt idem maiorem identitatem intendit, quam sit inter superius & inferius.

Soluto. Impug.

Ad rationẽ autẽ respõdetur, quòd in casu posito ille actus deficit à regula superioris materialiter, non vero formaliter, quod requirebatur vt esset peccatum prout in homine vt iã explicuimus. Ad confirmationẽ respõdetur, quòd actus ante libertatẽ dicitur intrinsecè malus per malitiam radicalẽ vt supra explicuimus non vero per malitiam formalem quæ libertatem supponit & hoc requiritur vt sit peccatum prout in homine.

ARTICVLVS III.

Vtrûm actus humanus in quã tum est bonus, vel malus habeat rationẽ meriti, vel demeriti?

AD tertium sic proceditur. *Videtur quod actus humanus non habeat rationem meriti, & demeriti propter suam bonitatem, vel malitiam. Meritũ enim & demeritum dicitur per ordinem ad retributionem, quæ locum solûm habet in his quæ ad alterum sunt: sed non omnes actus humani boni, vel mali, sunt ad alterum, sed quidam sunt ad seipsum: ergo nõ omnis actus humanus bonus, vel malus habet rationem meriti, vel demeriti.* A dist. 40. ar. 5. & 4. d. 16. q. 3. a. 1. quæs. 1. ad 2. Et mal. q. 2. ar. 2. ad 3.

2. Præterea. Nullus meretur pœnam vel præmium ex hoc quod disponit vt vult de eo cuius est dominus: sicut si homo destruat rem suam non punitur, sicut si destrueret rem alterius: sed homo est dominus suorum actuum, ergo ex hoc quod bene, vel male disponit de suo actu, non meretur pœnam, vel præmium.

3. Præterea. Ex hoc quod aliquis sibi ipse adquirit bonum, non meretur vt ei benefiat ab alio, & eadem ratio est de malis. Sed ipse actus bonus est quoddam bonum, & perfectio agentis: actus autem inordinatus est quoddam malã ipsius, non ergo ex hoc quod homo facit actum malum, vel bonum, meretur, vel demeretur.

Sed contra est quod dicitur Isai. 3. Dicite iusto quoniam bene, quoniã

fructum adinuentionum suarum comedet. Væ impio in malum, retributio enim eius fiet ei.

Respondeo dicendo: Quòd meritum & demeritum dicuntur inordine ad retributionem, quæ fit secundum iustitiam. Retributio autem secundùm iustitiã fit alicui ex eo quod agit in profectum, vel nocumentum alterius est autem considerandum quod vnusquisque in aliqua societate viuens est aliquomodo pars, & membrum totius societatis. Quicumque ergo, agit aliquid in bonum, vel in malum alicuius in societate existentis, hoc redundat in totam societatem: sicut qui lædit manum, per conse quens lædit hominem. Cum ergo aliquis agit in bonum, vel malum alterius singularis personæ: cadit ibi dupliciter ratio meriti, vel demeriti. Vno modo secundum quod debetur ei retributio â singulari persona quam iuuat, vel offendit. Alio modo secundum quod debetur ei retributio à toto collegio. Quando vero aliquis ordinat actum suum directè in bonum, vel malum totius collegij, debetur ei retributio. Primò quidem, & principaliter â toto collegio: secundariò verò ab omnibus Collegij partibus. Cum vero aliquis agit quod in bonum proprium, vel malum vergit, etiam debetur ei retributio, in quantùm etiam hoc vergit in commune, secundùm quod ipse est pars collegij: licèt non debeatur ei retributio in quantum est bonum, vel malum singulari personæ quæ est eadem agenti nisi forte à seipso secundùm quandam similitudinem, prout est iustitia hominis ad seipsum. Sic igitur patet quod actus bonus, vel malus, habet rationem laudabilis, vel culpabilis, secundùm quod est in potestate voluntatis: rationem verò rectitudinis, & peccati secundùm ordinem ad finem: rationem verò meriti & demeriti secundùm retributionem iustitiæ ad alterum.

Ad primum ergo dicendum: quòd quandoque actus hominis boni, vel mali, & si non ordinantur ad bonum, vel malum alterius singularis personæ, tamen ordinantur ad bonũ, vel malum alterius, quod est ipsa communitas.

Ad secundum dicendum: quòd homo qui habet dominium sui actus ipse etiam in quantùm est alterius, scilicet communitatis cuius est pars, meretur aliquid, vel demeretur, in quantum actus suos bene, vel male disponit: sicut etiam si alia sua de quibus communitati seruire debet, bene vel male dispensat.

Ad tertiũ dicendũ: quòd hoc ipsum bonum, vel malum quod aliquis sibi facit per suum actum, redundat in communitatem vt dictum est. ✻ *In corp. art.*

Conclusio sit. Actio bona, vel mala habet rationem laudabilis, vel culpabilis, secundùm quod est in potestate voluntatis: rationem autem rectitudinis & peccati secundum ordinem ad finem, rationem vero meriti, vel demeriti secundum retributionem iustitiæ?

(?)

AR-

ARTICVLVS IV.

Vtrùm actus humanus in quã tum est bonus, vel malus habeat rationem meriti, vel demeriti apud Deum?

Et Hebr. 6. Lect. 3.

AD quartum sic proceditur. *Videtur quod actus hominis bonus, vel malus non habeat rationem meriti, vel demeriti per comparationem ad Deum*

Art. 3.

quia vt dictum est ✻ *meritum, & demeritum importat ordinem ad recompensationem profectus, vel damni ad alterum illati: sed bonus actus hominis, vel malus non cedit in aliquem perfectum, vel damnum ipsius Dei. Dicitur enim Iob. 35. Si peccaueris quid ei nocebis? porro si iuste egeris, quid donabis ei? ergo actus hominis bonus, vel malus non habet rationem meriti, vel demeriti apud Deum.*

2. *Præterea instrumentum nihil meretur, vel demeretur apud eum qui vtitur instrumento, quia tota actio instrumenti est vtentis ipso: sed homo in agendo, est instrumentum diuinæ virtutis principaliter ipsum mouentis. Vnde dicitur Isaiæ. 10. Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum a quo trahitur? vbi manifestè hominem agentem cõparat instrumento. Ergo homo bene agendo, vel male, non meretur vel demeretur apud Deum.*

3. *Præterea. Actus humanus habet rationem meriti, vel demeriti in quantum ordinatur ad alterum: sed non omnis actus humanus ordinatur ad Deum: ergo non omnes actus boni vel mali habent rationem meriti, vel demeriti apud Deum.*

Sed contra est quod dicitur Eccles. vlt. Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium, siue bonum, siue malum: sed iudicium importat retributionem respectu cuius meritum, vel demeritum dicitur: ergo omnis actus hominis bonus, vel malus, habet rationem meriti, vel demertti apud Deum.

Respondeo dicendum: quòd sicut Art. 3. *dictum est* ✻ *actus alicuius hominis habet rationem meriti, vel demeriti secundum quod ordinatur ad alterum, vel ratione eius, vel ratione communis. Vtroque autem modo actus nostri boni, vel mali, habent rationem meriti, vel demeriti apud Deum. Ratione quidem ipsius in quãtùm est vltimus hominis finis: est autem debitum vt ad finem vltimum, omnes actus referantur vt supra habitum est* ✻ *vnde qui facit* q. 19. ar. 10. *actum malum non referibilem in Deum, non seruat honorem Dei qui vltimo fini qui debetur. Ex parte vero totius communitatis vniuersi, quia in qualibet communicatione ille qui regit communitatem præcipue habet curam boni communis; vnde ad eum pertinet retribuere pro hijs, quæ bene, vel male fiunt in communitate. Est autem Deus gubernator, & rector totius vniuersi; sicut in primo habitũ est,* ✻ *& specialiter rationalium creaturarum. Vnde manifestum est,* q. 103. ar. 6.

quod

quod actus humani habent rationem meriti, vel demeriti per comparationem ad ipsum alioquin sequeretur quod Deus non haberet curam eorum actibus humanis.

Ad primum ergo dicendum: quod per actum hominis, Deo secundum se nihil potest accrescere, vel deperire: sed tamen homo quantum in se est, aliquid subtrahit Deo, vel ei exhibet, cum seruat, vel non seruat ordinem quem Deus instituit.

Ad secundum dicendum quod homo sic mouetur à Deo vt instrumentum, quòd tamen non excludit, quin moueat seipsum per liberum arbitrium vt ex supradictis patet: & ideò per suum actum, meretur, vel demeretur apud Deum.

q. 10. ar. 4.

Ad tertium dicendum: quòd homo non ordinantur ad communitatem politicam secundum se totum, & secundum omnia sua: & ideò non oportet quòd quilibet actus eius sit meritorius, vel demeritorius per ordinem ad communitatem politicam. Sed totum quod homo est, & quod potest, & habet, ordinandum est ad Deum: & ideò omnis actus hominis bonus, vel malus, habet rationem meriti, vel demeriti apud Deum, quantum est ex ipsa ratione actus.

Conclusio est affirmatiua.

Nota. 1. Multæ difficultates demerito quæ hic possent disputari, propriam sedem habent infra quæst. 114. vnde in presenti ab omnibus oportet abstinere & solum est notandum, qualiter ex doctrina huiusmodi articuli magis cõfirmetur quod supradiximus bonitatem, vel malitiam formalem, per prius reperiri in actu interiori, cum vt inquit D. Thom. in præsenti præsupponatur deliberatio quæ actui interiori per prius conuenit, & quidquid reclamet Vazquez intendens explicare litteram vt oppositum doceat, supra satis difusè impugnauimus illum.

Nota. Secundo notandum, quòd opus bonum moraliter dupliciter potest considerari. Primò secundum se in quantum opus virtutis, & sic meritorium est apud Deum, præmiumque illi correspondet in quocumque statu fiat. Etiam enim si fieret in puris naturalibus; ei præmium correspondet obtinendum in alia vita. Nec propterea sequitur resurrectionem mortuorum lumine naturæ posse cognosci etiam si lumine naturæ cognoscatur præmium in alia vita correspondere, quia huiusmodi præmium posset recipi in anima quæ principalis est pars hominis quam tamen lumine naturæ cognoscimus esse immortalem. Secundo modo potest considerari opus bonum moraliter prout efficitur ab existente in peccato mortali, & hac ratione nullatenus est meritorium apud Deum; qui à subiectũ primarium meriti, non est homo vtcumque, sed existens in amicitia Dei, qua propter peccator licèt eliciat operationem secundum se meritoriam: non tamen denominatur ab illa formaliter vt meritoria propter in capacitatem subiecti, nec dicitur per illam mereri, licèt denominetur ab illa materialiter vt quædam operatio est.

Nota. 3. Tertio notandum circa illud quod ait D. Thom. Ad rationem meriti necessariã esse retributionem iustitiæ, quod iustitia sumitur dupliciter. Primò in larga acceptione vt diagatur per omnes virtutes. Secundo stricté pro iustitia commutatiua, præmium ergo correspondet merito ex iustitia primo modo, quia nec etiam apud homines, præmium semper correspondet ex iustitia commutatiua. Qua propter cuicumque actui virtutis ex propria ratione virtutis, correspondet præmium ex iustitia quæ in propria ratione talis virtutis reperitur.

(?)

FINIS

INDEX DVBITATIONVM

quæ in hoc opere continentur ſuper Quæſtiones & Articulos D. Tho. à quæſtione 1. 1 2. vſque ad 21. incluſiuè.

QVAESTIO I. DE VLTIMO fine huius vitæ in communi.

Articulus 1. vtrum homini conueniat agere propter finem, p. 2. c. 1.



DVB. 1. vtrum ſolum illæ actiones ſint humanæ quæ ex deliberata voluntate procedunt. p. 4. c. 1.

Dub. 2. vtrum ſit vera illa propoſitio D. Tho. quod bonum, & finis ſunt idem. p. 8. c. 1.

Dub. 3. vtrum finis ſit voluntatis obiectum. p. 10. c. 2.

Dub. 4. vtrum illa conſequentia D. Tho. ſit bona finis eſt obiectum formale voluntatis, ergo omnes actiones humanæ ſunt propter finem. p. 15. c. 1.

Dub. 5. in quo conſiſtat cauſalitas finis, ibidem c. 2.

Dub. 6. vtrum finis moueat voluntatem ſecundum eſſe apprehenſum, ita vt apprehenſio ſit ratio formalis mouendi. p. 18. c. 1.

Dub. 7. vtrum actus voluntatis poſsit eſſe vltimus finis. p. 27. c. 2.

Dub. 8. vtrum finis ſemper ſit excellentior quam media. p. 30. c. 1.

Dub. 9. vtrum ſit vera illa propoſitio D. Tho. in argumento, ſed contra quod primum in vno quoque genere eſt à quo deriuantur omnia quæ continentur in illo genere. p. 31. c. 1.

Articulus 2. vtrum agere propter finem ſit proprium rationalis naturæ. p. 32. c. 1.

Dub. 1. vtrum prima concluſio D. Tho. verum habeat. p. 34. c. 1.

Dub. 2. vtrum bruta taliter operentur propter finem, vt moueant ſe in finem. p. 44. c. 1.

Articulus 3. vtrum actus humani recipiant ſpeciem à fine. p. 48. c. 2.

Dub. 1. vtrum concluſio D. Tho. verum habeat. p. 50. c. 1.

Dub. 2. vtrum verum ſit quod docet D. Tho. quod actio vt ſemel egreditur ab agente tantum habeat finem proximum à quo ſpecificatur. p. 56. c. 1.

Dub. 3. vtrum actus humanus ſumat ſpeciem eſſentialem à fine proximo; an vero à fine remoto; vt cum quis furatur propter mæchiam, ſpecies eſſentialis ſit furti, an vero mæchiæ. p. 60. c. 2.

Articulus 4. vtrum ſit aliquis vltimus finis humanæ vitæ. p. 64. c. 1.

Dub. 1. vtrum prima concluſio D. Tho. verum habeat. p. 65. c. 1.

Dub. 2. vtrum fines inter medij & proximi habeant veram rationem finis p. 70. c. 1.

Articulus 5. vtrum homo poſsit habere ſimul duos vltimos fines. pag. 73. c. 1.

Dub. 1. vtrum concluſio D. Tho. verum habeat. p. 74. c. 2.

Dub. 2. vtrum qui peccat mortaliter conſtituat vltimum finem in creatura. p. 83. c. 1.

Articulus 6. vtrum omnia quæ vult homo velit propter vltimum finem. p. 88. c. 2.

Dub. 1. vtrum concluſio D. Tho. verum habeat. p. 89. c. 2.

Dub. 2. vtrum ad volitionem quamcunque particularem neceſſario debeat præcedere

¶ *tempore*

tempore, vel natura volitio vltimi finis formalis, & boni in communi. pag. 92. c.1.

Dub. 2. vtrum homo in omnibus suis operationibus humanis operetur, non solum propter vltimum finem formalem, scilicet, bonum in communi, sed etiam propter vltimum finem materialem, scilicet, propter Deum. p.98.c.2.

Articulus 7. vtrum omnium hominum sit vnus vltimus finis. p.101.c.2.

Articulus 8. vtrum in vltimo fine hominis omnia alia conueniant. pag. 102.c.2.

Dub. vtrum in vniuersum omnis causa exerceat suam operationem, cuiuscunque generis sit praeter Deum, tanquam propter vltimum finem. p. 103.c.2.

QVAESTIO II. DE HIS in quibus hominis beatitudo consistit. p.107.c.2.

Articulus 1. vtrum beatitudo hominis consistat in diuitiis. p.108.c.1.

Dub. 1. vtrum secundum fidem catholicam asserendum sit, quod nostra beatitudo non sit ponenda in diuitiis. p.109.c.2.

Dub. 2. num quod beatitudo non consistat in diuitiis quod nam sit vtilius medium ad beatitudinem adipiscendam, sufficientia, & abundantia rerum temporalium, an vero earumdem indigentia, & paupertas. pag. 111. c.1.

Dub. 3. vtrum qui inordinabiliter appetit diuitias peccet mortaliter ex genere suo. p. 116. c.2.

Articulus 2. vtrum beatitudo hominis consistat in honoribus. p. 117. c.2.

Dub. vtrum inordinatus appetitus honoris qui est peccatum ambitionis, sit peccatum mortale ex genere suo. p. 118. c.2.

Articulus 3. vtrum beatitudo hominis consistat in fama, & gloria. pag. 119.c.1.

Dub. vtrum inordinatus appetitus famae, & gloriae sit peccatum mortale ex genere suo. p.120.c.2.

Articulus 4. vtrum beatitudo hominis consistat in potestate. p.121.c.1.

Articulus 5. vtrum beatitudo hominis consistat in aliquo corporis bono. p.123.c.1.

Articulus 6. vtrum beatitudo hominis consistat in voluptate. pag.124. c.2.

Articulus 7. vtrum beatitudo hominis consistat in aliquo bono animae. p.128.c.2.

Articulus 8. vtrum beatitudo hominis consistat in aliquo bono creato. p.130.c.1.

Dub. vtrum si homines conderentur in puris naturalibus haberent aliquam beatitudinem, & vtrum illa consisteret in aliquo bono creato. p.132.c.1.

QVAESTIO III. DE beatitudine quid sit.

Articulus 1. vtrum beatitudo sit aliquid increatum. p.135.c.1.

Dub. 1. vtrum aliqua ratione ostendi possit beatitudinem esse possibilem, aut futuram. p.137.c.1.

Dub. 2. vtrum Deus secluſis omnibus creaturis sit sufficiens obiectum nostrae beatitudinis. p.137.c.2.

Dub. 3. vtrum Deus sit obiectum essentialis beatitudinis, secundum totum illud quod reperitur in ipso Deo, an vero secundum aliquod attributum, vel rationem particularem. p.139.c.1.

Dub. 4. vtrum beatitudo formalis, sit aliquid increatum, quod aliis verbis solet quaeri, vtrum beati, videant Deum per visionem increatam ipsius Dei qua Deus videt seipsum. p.142.c.2.

Dub. 5. vtrum absolute dicendum sit beatitudinem esse aliquid creatum, aut aliquid increatum. p.148.c.2.

Articulus 2. vtrum nostra beatitudo sit operatio. p.149.c.2.

Dub. 1. vtrum conclusio D. Tho. sit vera. pag. 151.c.2.

Dub. 2. vtrum formalis beatitudo consistat in operatione actuali, an vero in habituali. p. 157.c.2.

Dub. 3. vtrum beatitudo quae est operatio sit elicitiuè, & efficienter ab intellectu beati, an vero à solo Deo ipso intellectu solum passiuè se habente. p.160.c.2.

Dub. 4. vtrum de potentia Dei absoluta visio beatifica à solo Deo possit produci intellectu mere passiuè se habente. p.165.c.2.

Dub. 5. vtrum visio beatifica, & in vniuersum

sum actiones, vitales, & immanentes sint adeo propriè, & in rigore actiones, vt reponantur in prædicamento actionis. pag. 168. c. 1.

Dub. 6. vtrum omnia quæ dixit D. Tho. in articulo verum habeant. p. 170. c. 1.

Articulus 3. vtrum beatitudo sit operatio sensitiuæ partis an vero intellectiuæ tantum. p. 172. c. 2.

Dub. 1. vtrum beatitudo consistat essentialiter in operatione partis sensitiuæ. pag. 173. c. 2.

Dub. 2. vtrum in aliqua potentia sensitiua possit esse notitia saltem abstractiua Dei etiam per diuinam potentiam. pag. 174. c. 2.

Dub. 3. vtrum in patria post resurrectionem omnes sensus sint habituri suas proprias operationes. p. 179. c. 1.

Articulus 2. vtrum beatitudo formalis sit in operatione intellectus, an vero in actu voluntatis. p. 184. c. 1.

Dub. 1. vtrum beatitudo sit essentialiter vnica simplex operatio, an vero essentialiter constet ex multis operationibus. pag. 186. c. 1.

Dub. 2. vtrum beatitudo sit operatio intellectus, an vero voluntatis. p. 190. c. 1.

Dub. 3. vtrum visio beatifica habeat rationem essentialis beatitudinis secundum quod præcedit actum amoris prioritate naturæ, an vero secundum quod natura subsequitur. pag. 206. c. 1.

Dub. 4. vtrum beatitudo supernaturalis imperfecta quæ in hac vita haberi potest, consistat in actu intellectus, an vero voluntatis. p. 208. c. 2.

Articulus 5. vtrum beatitudo sit operatio intellectus speculatiui, an practici. p. 213. c. 2.

Dub. 1. vtrum beatitudo formalis, sit operatio intellectus speculatiui solum, an vero intellectus practici solum; vel includat vtrumque, & quod illorum principalius. pag. 215. c. 1.

Dub. 2. vtrum beatitudo sit cognitio clara vel obscura, scientifica, vel topica simplex vel composita; complexa, vel incomplexa; directa, vel reflexa; iudicatiua, vel apprehensiua. p. 223. c. 2.

Dub. 3. vtrum verum sit illud fundamentum quod assumit. D. Tho. in probatione secundæ conclusionis, scilicet quod actus intellectus practici non quæritur propter seipsum, sed propter aliam actionem. vg. voluntatis. p. 226. c. 1.

Articulus 6. vtrum beatitudo hominis consistat in consideratione sciẽtiarum speculatiuarum. p. 228. c. 1.

Dub. 1. vtrum sit vera illa propositio. D. Tho. quod speculatio scientiarum non potest se extendere vltra sensibilia. p. 231. c. 1.

Dub. 2. vtrum vera sit illa propositio quod quid perficitur, perficitur à superiori, vel ab inferiori vt coniungitur superiori ad ipsum perfectibile. p. 232. c. 1.

Dub. 3. vtrum ex illa propositione quod omne quod est tale per participatione debeat reduci ad id quod est per se tale rectè inferat. D. Tho. vltimam perfectionem intellectus, & eius beatitudinem debere reduci ad contemplationem spiritualium, quæ sunt intelligibilia per se. p. 234. c. 1.

Articulus 7. vtrum beatitudo consistat in cognitione substantiarum separatarum, scilicet Angelorum. p. 235. c. 2.

Articulus 8. vtrum beatitudo hominis consistat in sola visione diuinę essentiæ. p. 239. c. 1.

Dub. 1. vtrum ita sit quod nihil extra Deum potest plene satiare appetitum. p. 240. c. 2.

Dub. 2. vtrum Deus clarè visus sit finis naturalis hominis. p. 243. c. 1.

QVAESTIO IV. DE HIS quæ ad beatitudinem requiruntur.

Articulus 1. vtrum delectatio requiratur ad beatitudinem. pag. 252. c. 1.

Dub. 1. vtrum delectatio sit operatio appetitus, an vero solum sit passio recepta in illo. p. 253. c. 1.

Dub. 2. vtrum delectatio sit operatio realiter distincta ab actu amoris. p. 258. c. 2.

Dub. 3. vtrum delectatio sit actus elicitus ab habitu charitatis. p. 262. c. 1.

Dub. 4. vtrum delectatio habeat pro obiecto proximo, & immediato visionẽ beatificam; an vero Deum ipsum. p. 268. c. 1.

Dub. 5. vtrum delectatio visionem beatificam necessario consequatur. p. 272. c. 2.

Articulus 2. vtrum in beatitudine sit principalior visio quam delectatio. p. 275. c. 2.

Dub. 1. vtrum sit excellentior visio quam delectatio. p. 277. c. 1.

Dub. 2. vtrum vera sit illa differentia D. Tho. inter appetitum rationalem & sensitiuum, quod rationalis intendit delectationem propter operationem; sensitiuus vero operationem propter delectationem. p. 280. c. 2.

Articulus 3. vtrum ad beatitudinem, requiratur comprehensio. p. 284. c. 1.

Dub. 1. vtrum comprehensio sit actus intellectus an vero voluntatis. p. 286. c. 2.

Dub. 2. vtrum comprehensio sit ita intrinsecè connexa cum visione, & beatitudine, vt etiam de potentia Dei absoluta nequeant separari. p. 290. c. 1.

Articulus 4. vtrum ad beatitudinem requiratur rectitudo, voluntatis. p. 293. c. 1.

Dub. 1. vtrum sit vniuersaliter verum quod ad consequutionem beatitudinis semper, & in omnibus requiratur rectitudinem, voluntatis antecedere. p. 294. c. 1.

Dub. 2. vtrum de potentia ordinaria possit deficere rectitudo voluntatis concomitans beatitudinem. p. 296. c. 1.

Dub. 3. vtrum ex natura beatitudinis & ab intrinseco proueniat rectitudo voluntatis, & dilectio Dei in beatis, an vero ex aliquo extrinseco, & manu tenentia aut denegatione concursus, ad peccati actum. pag. 300. c. 1.

Dub. 4. vtrum beatus de potentia Dei absoluta possit stante visione cessare ab amore. p. 303. c. 2.

Dub. 5. vtrum de potentia Dei absoluta beatitudo, & peccatum possint esse simul. pag. 305. c. 1.

Dub. 6. vtrum ad beatitudinem naturalem necessario requiratur rectitudo voluntatis. p. 314. c. 1.

Articulus 5. vtrum ad beatitudinem requiratur corpus. p. 317. c. 2.

Dub. 1. vtrum ante diem iudicij, & ante resurrectionem corporum animæ beatificentur. p. 320 c. 2.

Dub. 2. vtrum post resurrectionem beatitudo sit perfectior essentialiter, & intensiuè. pag. 326. c. 2.

Dub. 3. vtrum si homo crearetur impuris naturæ tunc tribueretur beatitudo naturalis non solum in anima, sed etiam in corpore. p. 331. c. 1.

Articulus 6. vtrum ad perfectam beatitudinem requiratur perfecta dispositio corporis. p. 333. c. 1.

Dub. 1. vtrum ad beatitudinem, huius vitæ siue naturalem, siue supernaturalem requiratur corpus bene dispositum. p. 334 c. 2.

Dub. 2. circa secundam conclusionem vtrum sit vera. p. 337. c. 2.

Articulus 7. vtrum ad beatitudinem requirantur aliqua exteriora bona. p. 339. c. 2.

Articulus 8. vtrum ad beatitudinem requiratur societas amicorum. p. 341. c. 1.

QVÆSTIO V. DE ADEPTIONE BEATITUDINIS.

Articulus 1. vtrum homo possit consequi beatitudinem. p. 342. c. 2.

Dub. 1. vtrum sit superfluus D. Tho. in isto articulo. p. 344. c. 1.

Dub. 2. vtrum conclusio D. Tho. sit vera. pag. 345. c. 1.

Dub. 3. vtrum ratione naturali possit demonstrari, esse capacitatem in homine ad beatitudinem supernaturalem, & visionem claram Dei. p. 348. c. 2.

Articulus 2. vtrum vnus homo possit esse beatior altero. p. 351. c. 2.

Dub. 1. vtrum beatitudo formalis sit inæqualis in beatis. p. 353. c. 2.

Dub. 2. vtrum appetitus cuiuscunque beati ita maneat satiatus, vt altiorem gradum beatitudinis alterius non appetat. pag. 361. c. 1.

Articulus 3. vtrum in hac vita possit aliquis consequi beatitudinem. p. 365. c. 1.

Dub. vtrum in hac vita possit homo perfectam beatitudinem obtinere. p. 366. c. 2.

Articulus 4. vtrum beatitudo habita possit amitti. p. 368. c. 2.

Dub. vtrum beatitudo perfecta supernaturalis in patria sit in amissibilia ab intrinseco. p. 370. c. 2.

Articulus 5. vtrum homo per sua naturalia possit acquirere beatitudinem. p. 380. c. 2.

Dub. 1. vtrum beatitudo perfecta hominis possit ab eo acquiri per vires naturæ. pag. 382. c. 2.

Dub. 2. vtrum secundum potentiam Dei absolutam

soluntam sit dabilis aliqua creatura quæ secundum propriam facultatem sibi connaturalem possit clarè videre Deum. pag. 385.c.1.

Articulus 6. vtrum homo consequatur beatitudinem per actionem alicuius creaturæ superioris. p. 391. c.2.

Dub. vtrum beatitudinem perfectam solum possit consequi homo per actionem Dei. pag. 393.c.1.

Articulus 7. vtrum aliqua bona opera requirantur ad hoc vt homo beatitudinem consequatur à Deo. p. 395.c.1.

Articulus 8. vtrum omnis homo appetat beatitudinem. p. 398 c.1.

Dub. vtrum omnes necessario appetant beatitudinem in communi. p. 399.c.2.

Tractatus de potentia obedientiali.

Dub. 1. quid sit potentia obedientialis, vtrum sit in nobis aliquid naturale, vel supernaturale. p. 402.c.2.

Dub. 2. vtrum potentia obedientialis formaliter in ratione potentiæ sit aliquid positiuum & reale; an vero aliquid negatiuum & rationis. p. 404.c.2.

Dub. 3. vtrum potentia obedientialis aliquando sit actiua; an vero semper sit potentia passiua. p. 407.c.1.

Dub. 4. vtrum potentiæ obedientiales differant genere vel specie; an vero omnes illæ sint eiusdem speciei. p. 408.c.1.

QVAESTIO VI. DE VOluntario & inuoluntario.

Articulus 1. vtrum in humanis actibus inueniatur voluntarium. pag. 409.c.1.

Dub. 1. vtrum definitio voluntarij sit bona. p. 412.c.2.

Dub. 2. vtrum sit verum voluntarium, & liberum habere se sicut superius, & inferius. p. 413.c.2.

Dub. 3. vtrum omnia quæ dicit D. Tho. in isto articulo, vera sint. p. 415.c.2.

Articulus 2. vtrũ voluntariũ inueniatur in animalibus brutis. p. 418.c.1.

Dub 1. qualiter intelligatur illa propositio D. Tho. quod perfectam cognitionem finis sequitur voluntarium perfectum in quantum apprehenso fine aliquis deliberans de fine, & de his quæ sunt ad finem vult moueri, vel non moueri. p. 419 c.1.

Dub. 2. vtrum voluntarium perfectum sit idem quod liberum. p. 420.c.2.

Dub. 3. vtrum voluntarium aliquo modo reperiatur in brutis p. 423.c.2.

Articulus 3. vtrum voluntarium possit esse absq; omni actu. p. 426.c.1.

Dub. 1. vtrum vt omissio sit voluntaria requiratur, quod omittens teneatur facere opus omissum. p. 428.c.1.

Dub. 2. vtrum vt omnis omissio sit voluntaria, sufficiãt illæ tres conditiones assignatæ à D. Tho. nempe quod possit, & teneatur, & non faciat. p. 435 c.1.

Articulus 4. vtrum voluntati possit inferri violentia. p. 437.c.1.

Dub. annexum commentario, vtrum motus primo primus sit dicendus violentus, vel naturalis. p. 439.c.2.

Dub. 1. principale vtrum voluntas possit cogi quoad actus elicitos ab illa. p. 441.c.2.

Dub. appendix, vtrum possit voluntas pati violentiam adeo in receptione habituum. p. 447.c.2.

Dub. 2. vtrum iam quod voluntas non possit cogi in elicientia actus, fieri possit vt cogatur inceſſatione ab actu, ita vt ab actu cessare, vel non eliciendo illum, vel ab elicito cessare, sit violentiam pati. p. 449.c.2.

Dub. 3. vtrum voluntas possit cogi in actibus imperatis ab illa, ita vt ipsa renitente, si tales actus eliciantur, dicatur violentiam pati. p. 453.c.2.

Dub. 4. vtrum aliæ potentiæ præter voluntatem possint cogi in actibus immediatè elicitis ab eis. p. 455.c.2.

Dub. 5. vtrum respectu Dei aliqua potentia vel creatura possit pati violẽtiã. p. 458 c.2.

Articulus 5. vtrum violentia causet inuolũtariũ simpliciter. p. 463.c.1.

Dub. 1. vtrum conclusio D. Tho. verum habeat. p. 464.c.2.

Articulus 6. vtrum metus causet inuolũtarium simpliciter. p. 468.c.2.

Dub. 1. vtrum illa quæ fiunt ex metu mixta sint ex voluntario & inuoluntario. p. 471. c.1.

Dub. appendix vtrum proiectio mertium in mari sit mixta voluntario & inuoluntario per hoc quod in eodem actu simul sit vtraque ratio voluntarij & inuoluntarij, an vero per

hoc quod actui voluntario proiiciendi adiungatur alius actus imperfectus & inefficax, videlicet noleitas proiiciendi. p.473.c.2.

Dub. 2. vtrum huiusmodi actus mixtus ex voluntario & inuoluntario sit simpliciter, & absolutè voluntarius & tantum inuoluntarius secundum quid? p.478.c.1.

Articulus 7. vtrum concupiscentia causet inuoluntarium.p.485.c.1.

Dub. 1. vtrum concupiscentia antecedens augeat voluntarium an vero illud aliquo modo minuat aut ipsum omnino tollat. p.488 c.2.

Dub. 2. vtrum habitus existentes in voluntate minuant voluntarium secundum perfectam rationem liberi. p.500.c.2.

Articulus 8. vtrum ignorantia causet inuoluntarium.p.503.c.1.

Dub. 1. respectu cuius actus attendi debeat, aliquam ignorantiam esse concomitantem, consequentem, & antecedentem. p.505.c.2.

Dub. 2. vtrum prima conclusio D. Tho. verum habeat. p.507.c.2.

Dub. 3. vtrum ignorantia consequens causet inuoluntarium simpliciter an vero secundum quid. p.512.c.2.

QVAESTIO VII. DE CIRcunstantiis humanorum actuum.

Articulus 1. vtrum circunstantia sit accidens actus humani. p.518.c.2.

Dub. vtrum littera D. Tho. verum habeat. p.520.c.1.

Articulus 2. vtrum pertineat ad Theologum agere de circunstantiis. p.524.c.1.

Articulus 3. vtrum conuenienter enumerentur circunstantiæ in 3. ethic. p.526.c.2.

Dub. an exum cõmentario vtrum circunstantiæ temporis sacri aggrauet actum sicut loci sacri & an sit semper explicanda in confessione. p.531.c.2.

Articulus 4. vtrum sint principales circunstantiæ propter quid & ea in quibus est operatio. p.532.c.2.

QVAESTIO VIII. DE VOluntate quorum sit vt volitorum.

Articulus 1. vtrum voluntas sit tantum boni. p.534.c.2.

Dub. 1. vtrum voluntas semper quod ferturin aliquod bonum sit necessarium quod sit verum bonum an sufficiat quod sub ratione boni apprehendatur. p.535.c.2.

Dub. 2. vtrum omnis inclinatio sit ad bonum. p.544.c.2.

Articulus 2. vtrum voluntas sit tantum finis, an etiam eorum quæ sunt ad finem. p.546.c.1.

Dub. 1. vtrum detur actus medius inter actum circa finem & actũ circa media. p.547.c.2.

Articulus 3. vtrum voluntas eodem actu moueatur in finem, & in id quod est ad finem. p.552.c.1.

Dub. 1. vtrum loquatur D. Tho. nomine voluntatis de potentia volitiua; an vero de actu illius. p.553.c.2.

Dub. 2. vtrum voluntas possit ferri in finem in quantum huiusmodi sine eo quod feratur in media p.555.c.2.

Dub. 3. vtrum voluntas volendo finem, vt rationem volendi media; possit velle vtrunque vnico, & eodem actu. p.558.c.2.

QVAESTIO IX. DE MOtiuo voluntatis.

Articulus primus vtrum voluntas moueatur ab intellectu. p.567.c.2.

Dub. 1. vtrum omnis in vniuersum potentia, quæ indifferens est ad agere, & non agere; & ad agere hoc vel illud; duplici motore indigeat altero quo ad exercitium, altero quo ad specificationem. p.570.c.1.

Dub. 2. vtrum voluntas moueat intellectum, & reliquas potentias in vniuersum quo ad exercitium. p.573.c.2.

Dub. 3. vtrum voluntas moueat intellectum, & alias potentias sibi subditas efficienter. p.576.c.1.

Dub. 4. vtrum voluntas illas potentias quas mouet ad exercitium, applicet ad operationes immediatè; an vero mediante appetitu, & an voluntas possit applicare tales potentias absque appetitu, & appetitus absque voluntate. p.582.c.2.

Dub. 5. an appetibile moueat appetitum efficienter. p.583.c.1.

Dub. 6. vtrum etiam de potentia Dei absoluta possit aliquid esse volitum quin sit præcognitum. p.596.c.2.

Dub. 7. vtrum id quod requiritur ad volitionem ex parte intellectus, sufficiat quod sit simplex apprehensio boni, an vero requiratur iudicium. p.601.c.2.

Arti-

Articulus 2. vtrũ voluntas moueatur ab appetitu sensitiuo. p.605.c.1.

Dub. 1. vtrum appetitus sensitiuus solum moueat ex parte obiecti, an vero etiam ex parte subiecti. p.606.c.2.

Articulus 3. vtrum voluntas moueat se ipsam. p.612.c.1.

Articulus 4. vtrum voluntas moueatur ab aliquo exteriori principio. p.613.c.2.

Dub. 1. vtrum voluntas in prima volitione totius vitæ circa finem se moueat; an vero applicetur, & moueatur à Deo auctore naturæ concurrente non solum vniuersali concursu, videlicet tanquam causa vniuersalis, sed etiam concursu peculiari, & vt causa particularis. p.614.c.2.

Dub. 2. vtrum in volitionibus finium particularium voluntas etiam moueatur adeo; an vero moueat se ipsam, propriè loquendo. p.623.c.2.

Articulus 5. vtrum voluntas moueatur à corpore cœlesti. p.628.c.1.

Articulus 6. vtrum voluntas moueatur adeo solo, sicut ab exteriori principio. p.633.c.1.

Dub. 1. vtrum sit possibile voluntas moueatur ab alio, quam à Deo solo tanquam ab exteriori principio. p.634.c.2.

Dub. 2. vtrum de potentia Dei absoluta fieri possit, vt voluntas moueatur efficienter quo ad exercitium ab alio exteriori principio, quam à Deo. p.636.c.2.

Dub. 3. vtrum Deus inclinauerit omnes voluntates æqualiter ad bonum. p.638.c.2.

QVAESTIO X. DE MODO QUO VOLUNTAS MOVETUR.

Articulus 1. vtrum volũtas ad aliquid naturaliter moueatur. p.640.c.1.

Dub. 1. vtrum voluntas moueatur naturaliter ad suum proprium obiectum, & finem. pag. 642.c.1.

Articulus 2. vtrum voluntas moueatur de necessitate à suo obiecto. p.648.c.1.

Dub. 1. vtrum voluntas quantum ad exercitium actus, ab aliquo obiecto de necessitate moueatur. p.649.c.1.

Dub. 2. vtrum Deus necessit & voluntatem ad exercitium illius actus per concursum generalem ordinis naturæ, an vero cum concursu supernaturali, & vtrum per concursum supernaturalem generalem, an vero per specialem. p.653.c.2.

Dub. 3. vtrum fieri possit quod voluntas in statu viæ necessario moueatur ad exercitium circa aliquod obiectum. p.655.c.1.

Articulus 3. vtrum voluntas necessario moueatur ab appetitu inferiori. p.660.c.1.

Dub. 1. vtrum passio appetitus possit in tantum crescere, vt superet, & necessario vincat voluntatem. p.661.c.2.

Dub. 2. vnde proueniat quod vnus homo habeat vsum rationis, etiam cum passionibus appetitus sensitiui; alius vero nõ habeat, sed vsu rationis maneat priuatus, vtrum hoc proueniat ex varietate passionum, an ex varietate sensuum, tam interiorum quam exteriorum, vel etiã ex diuersitate habituum. Et item an prouenire possit ex differentia ipsius potentiæ intellectus, aut voluntatis secundum se consideratæ. p.664.c.2.

Dub. 3. vtrum aliqua passio appetitus sensitiui vel quodlibet aliud impedimentum ex prædictis, possit priuare hominem vsu rationis circa aliquam materiam, vel obiectum, & non circa aliam. p.667.c.1.

Dub. 4. vtrum in pueris, & amentibus, & aliis prædictis sint actus aliqui intellectus, & voluntatis liberi. p.670.c.1.

Articulus 4. vtrum voluntas moueatur de necessitate ab exteriori motiuo quod est Deus. p.675.c.2.

Dub. 1. vtrum conclusio D. Tho. verum habeat. p.676.c.1.

Dub. 2. vtrum voluntas non solum sit liberæ ad eliciendum actum, sed etiam ad continuandum illum. p.693.c.1.

Dub. vltimum vtrum confirmati in gratia sint liberi ad peccandum, & non peccandum. p.697.c.1.

QVAESTIO XI. DE FRUITIONE.

Articulus 1. vtrum fruitio sit actus potentiæ appetitiuæ. p.700.c.2.

Dub. 1. vtrum conclusio D. Tho. verum habeat p.701.c.2.

Articulus 2. vtrum fruitio conueniat tantum rationali creaturę; an etiam animalibus brutis. p.705.c.2.

Articulus 3. vtrum fruitio sit tantum vltimi finis. p.707.c.2.

Dub.1.vtrum obiectum immediatum fruitionis sit ipse Deus; an vero visio beatifica, p.709.c.2.

Articulus 4. vtrum fruitio sit tantum finis habiti.p.711.c.2.

Dub.1.vtrum conclusio D.Tho. verum habeat.p.712.c.2.

Dub.2.vtrum fruitio imperfecta,quæ habetur in via, differat specie â fruitione perfecta patriæ.p.713.c.2.

QVAESTIO XII. DE *intentione.*

Articulus 1. vtrum intentio sit actus voluntatis. p.714.c.2.

Dub.1.vtrum conclusio D.Tho. verum habeat. p.715.c.2.

Dub.2.vtrũ simplex volitio intentio,& fruitio differat specie,& essentialiter.p.717.c.1.

Articulus 2. vtrum intentio sit tantum vltimi finis. p.718.c.2.

Articulus 3.vtrum voluntas possit intendere duo. p.719.c.1.

Dub.vtrum voluntas possit intendere duo simul etiam non sub ordinata. p.720.c.2.

Articulus 4. vtrum intentio finis sit, idem actus cum volũtate eius quod est ad finem. p.723.c.1.

Articulus 5. vtrũ intentio conueniat brutis animalibus.p.725.c.2.

QVAESTIO XIII. DE *electione.*

Articulus 1. vtrum electio sit actus voluntatis, an vero sit actus rationis.p.727.c.1.

Dub.1.vtrum electio elicitiuè sit actus voluntatis.p.728.c.1.

Dub.2.vtrum sit proprium electionis vt eius formale pertineat ad intellectum.p.730.c.2.

Articulus 2. vtrum electio conueniat brutis animalibus. p.736.c.1.

Dub.vtrum conclusio D.Tho.sit vera.p.737.c.2.

Articulus 3. vtrum electio sit finis, vel potius eorum quæ sunt ad finem.p.742.c.2.

Dub.vtrum finis vltimus verus,& realis qualis est Deus clarè visus cadat sub electione. p.743.c.2.

Articulus 4. vtrũ electio sit tantũ eorũ quæ per nos aguntur.p.747.c.2.

Articulus 5. vtrum electio sit solum possibilium.p.749.c.2.

Dub.1.vtrum impossibilium possit esse electio saltem in efficax.p.750.c.2.

Dub.2.vtrum id quod est impossibile per accidens possit esse volitum volitione absoluta. p.756.c.2.

Articulus 6. vtrum homo ex necessitate eligat,vel liberè. p.759.c.1.

Dub.1.vtrum supposita efficaci intẽtione finis voluntas necessario eligat medium vnicum si non est aliud ad talem finem. p.760.c.1.

Dub.2. vtrum electio medij vnici,& necessarij sit meritoria nouo merito ab eo quod fuerat innolitione finis.p.764.c.2.

Dub.3. vtrum propositis voluntati duobus bonis æqualibus,æquali quæ iudicio practico possit voluntas eligere aliquod eorum.p.765.c.2.

QVAESTIO XIIII. DE *consilio.*

Articulus 1. vtrum consilium sit inquisitio. p.770.c.1.

Dub.1.vtrum conclusio affirmatiua D.Tho. sit vera.p.771.c.1.

Dub.2.vtrum liceat alicui consilere quod minus malum est.p.773.c.1.

Articulus 2.vtrum consilium sit de fine, vel solum de his quæ sunt ad finem.p.775.c.1.

Articulus 3. vtrum consilium tantum sit de his quæ à nobis aguntur. p.777.c.1.

Articulus 4. vtrum consilium sit de omnibus quæ per nos aguntur. p.779.c.2.

Articulus 5. vtrum consilium procedat modo resolutionis. p.781.c.2.

Articulus 6. vtrum consilium procedat in infinitum. p.784.c.1.

QVAESTIO XV. DE *consensu.*

Articulus 1.vtrum consentire sit actus potentiæ apprehensiuæ; an vero appetitiuæ.p.786.c.1.

Articulus 2. vtrum consensus inue-

niatur in brutis animalibus. p.788. c.1.
Articulus 3. vtrum consensus sit de fine an vero tantum de his quæ sunt ad finem. p.789.c.1.
Articulus 4. vtrum cõsensus in actum pertineat ad superiorem partem animæ. p.792.c.1.
Dub. vtrum dicta in hoc articulo verum habeant. p.793.c.2.

QVAESTIO XVI. DE vsu.

Articulus 1. vtrum vsus sit actus voluntatis. p.797.c.1.
Articulus 2. vtrum vti conueniat brutis animalibus. p.801.c.1.
Articulus 3. vtrum vsus possit esse etiam vltimi finis. p.802.c.1.
Articulus 4. vtrum vsus præcedat electionem. p.804.c.2.

QVAESTIO XVI. DE actibus imperatis à voluntate.

Articulus 1. vtrum imperare sit actus intellectus, vel voluntatis. p.808. c.1.
Dub. 1. vtrum actus imperij sit necessarius & ponendus, p.810.c.1.
Dub. 2. vtrum imperium sit actus elicitus ab intellectu. p.811.c.1.
Dub. 3. vtrum imperium sit idem actus quod iudicium practicum; an vero ab illo distinguatur. p.815.c.2.
Articulus 2. vtrum imperare pertineat ad bruta. p.817.c.1.
Articulus 3. vtrum vsus præcedat imperium. p.818.c.1.
Dub. 1. vtrum imperium sequatur immediatè ad actum electionis. p.819.c.2.
Dub. 2. vtrum imperium semper sequatur post electionem. p.820.c.1.
Dub. 3. vtrum imperium quod ponitur respectu potentiæ executiuæ quod diximus esse post electionem, & ad illam sequi sequatur necessario; an vero libere ex tale electione. p.821.c.1.
Dub. 4. vtrum posito imperio, necessario sequatur vsus, & applicatio ad opus in potentia executiua. p.822.c.1.
Articulus 4. vtrum imperium, & actus imperatus sint vnus actus. p.823.c.1.
Articulus 5. vtrum actus voluntatis possit esse imperatus. p.824.c.2.
Articulus 6. vtrum actus rationis imperetur. p.826.c.2.
Dub. 1. vtrum detur aliquod imperium naturale omnem actum voluntatis antecedens. p.827.c.2.
Dub. 2. vtrum possit intellectus imperare sibi dissensum primorum principiorum, aut alicuius propositionis per se notæ. p.829.c.1.
Dub. 3. vtrum reliqua omnia in articulo verum habeant. p.829.c.2.
Articulus 7. vtrum actus appetitus sensitiui imperetur. p.831.c.2.
Dub. vtrum eodem modo imperet ratio vtrique appetitui scilicet polytice. p.834.c.2.
Articulus 8. vtrum actus potentiæ vegetatiuæ imperetur. p.835.c.1.
Articulus 9. vtrum actus exteriorum membrorum imperentur. p.837. c.1.
Dub. vtrum membra obediant rationi ciuiliter, & regaliter. p.838.c.2.

QVAESTIO XVIII. DE bonitate, & malitia humanorum actuum in generali. p.839. c.2.

Articulus 1. vtrum omnis actio humana sit bona; vel aliqua sit mala. ibidem.
Dub. 1. vtrum omnis actio humana sit mala. p.842.c.1.
Dub. 2. in quo consistat ratio moralitatis actionis humanæ in communi prout abstrahit à bona; vel mala. p.847.c.1.
Dub. 3. in quo consistat bonitas moralis. p.851. c.2.
Dub. 4. vtrum actio humana sit mala propter carentiam rectitudinis rationis debitæ inesse. p.858.c.1.
Articulus 2. vtrum actio hominis habeat bonitatem: vel malitiam ex obiecto. p.862.c.1.
Dub. 1. vtrum actio humana habeat primam bonitatẽ vel malitiã ex obiecto. p.863.c.2.

Dub.

Dub. appendix qualiter cum obiectum sit effectus possit tribuere speciem quod est esse causam. p. 878. c. 2.

Articulus 3. vtrum actio humana sit bona vel mala ex circunstantiis. p. 879. c. 1.

Articulus 4. vtrum actio humana sumat bonitatem, vel malitiam ex fine. p. 880. c. 1.

Dub. 1. de necessitate huius articuli. p. 881. c. 1.

Dub. 2. vtrum conclusio D. Tho. verum habeat. p. 883. c. 1.

Dub. 3. vtrum bonitas quam habet actus ex fine extrinseco, quia virtualiter refertur ad ipsum sit aliquid intrinsecum, & formaliter inhærens; vel solum aliqua denominatio extrinseca. p. 890. c. 1.

Dub. 4. vtrum fieri possit vt aliqua actio bona ex obiecto & circunstantiis ordinetur in malum finem & ex illo sit mala. p. 897. c. 2.

Dub. 5. vtrum reliqua omnia quæ dicit D. Th. in articulo verum habeant. pag. 899. c. 2.

Articulus 5. vtrum actio humana sit bona, vel mala in sua specie. p. 902. c. 1.

Dub. 1. vtrum bonum & malum sint differentiæ essentiales faciantque actum humanum diuersæ speciei. p. 904. c. 1.

Articulus 6. vtrum actio humana desumat speciem ex fine. p. 912. c. 1.

Dub. 1. vtrum cum in actu humano concurrunt duæ bonitates vel malitiæ, altera ex obiecto proximo & fine operis, altera vero ex remoto, & operantis talis actus sit in duplici specie morali, an vero tantum in vna. pag. 913. c. 1.

Dub. 2. vtrum actus in duplici specie boni, vel mali constitutus constituatur essentialiter in specie quæ sumitur ex fine operantis; accidentaliter vero in specie quæ sumitur ex obiecto, an vero econuerso. p. 917. c. 2.

Articulus 7. vtrum species quæ est ex fine contineatur sub illa quæ est ex obiecto tanquam sub genere; vel econuerso. p. 934. c. 1.

Dub. vtrum dicta in articulo à D. Tho. verum habeant. p. 936. c. 1.

Articulus 8. vtrum aliquis actus sit indifferens secundum suam speciem. p. 941. c. 2.

Dub. vtrum conclusio D. Tho. verum habeat. p. 943. c. 1.

Articulus 9. vtrum aliquis actus sit indifferens secundum individuum. p. 951. c. 2.

Dub. vtrum prima conclusio D. Tho. verum habeat. p. 953. c. 1.

Articulus 10. vtrum aliqua circunstantia constituat actum mortalem in specie boni, vel mali. p. 965. c. 2.

Articulus 11. vtrum omnis circunstantia augens bonitatem, vel malitiam constituat actum moralem in specie boni, vel mali. pag. 967. c. 1.

Dub. 1. vtrum actus humanus habeat bonitatem, vel malitiam ex circunstantiis. p. 968. c. 2.

Dub. 2. vtrum actus non solum exterior, sed etiam interior voluntatis possit habere bonitatem vel malitiam ex circunstantiis. p. 979. c. 2.

Dub. 3. vtrum aliquid possit esse circunstantia actus exterioris, & non interioris. p. 981. c. 2.

Dub. 4. vtrum circunstantia debeat esse volita vt conferat bonitatem, vel malitiam actui humano. p. 985. c. 1.

Dub. 5. vtrum sint aliquæ circunstantiæ mutantes speciem. p. 987. c. 1.

Dub. 6. vtrum ad hoc quod circunstantia mutet speciem sit necesse quod talis circunstantia sit per se intenta ab operante. p. 991. c. 2.

Dub. 7. vtrum circunstantia quando mutat speciem maneat circunstantia. p. 995. c. 1.

Dub. 8. vtrum quando circunstantia mutat speciem tribuitque secundam bonitatem, vel malitiam talis actus reponatur formaliter in duplici specie, an vero ex vtraque bonitate, vel malitia vnica species resultet. p. 997. c. 1.

Dub. 9. vtrum circunstantia mutans speciem augeat priorem bonitatem, vel malitiam intra latitudinem propriæ speciei. pag. 1002. c. 1.

QVAESTIO XIX. DE bonitate & malitia actus interioris voluntatis.

Articulus 1. vtrum bonitas voluntatis dependeat ex obiecto. p. 1007. c. 1.

Dub. 1. vtrum bonum & malum sint per se differentiæ actus interioris voluntatis. pag. 1008 c. 1.

Dub. 2. vtrum idem actus numero interior voluntatis

luntatis posſit eſſe ſucceſsibile bonus & malus. p.1014.c.2.

Articulus 2. vtrum actus voluntatis in bonitate dependeat à ſolo obiecto. p.1019.c.2.

Dub. 1. vtrum concluſio Dini Thomæ affirmatiua ſit vera. p.1021.c.1.

Dub. 2. qualiter intelligatur non differre in actibus voluntatis bonitatem ex obiecto à bonitate finis & obiecti, nec per accidens prout finis pendet à fine, & voluntas à voluntate. p.1024.c.2.

Articulus 3. vtrum bonitas voluntatis pendeat ex ratione. pag.1026. c.2.

Dub. 1. quid requiratur vt actus dicatur conformis rationi vtrum requiratur iudicium actuale, vel aptitudinale cui actus conformetur. p.1028.c.1.

Dub. 2. vtrum ratio Dini Thomæ probatiua ſuæ concluſionis ſit bona. pag. 1030. c.1.

Articulus 4. vtrum bonitas voluntatis dependeat ex lege æterna. p.1034. c.2.

Dubitatur de veritate concluſionis affirmatiuæ. p.1035.c.2.

Articulus 5. vtrum voluntas diſcordans à ratione errante ſit mala. p. 1037.c.1.

Articulus 6. vtrum voluntas concordans rationi erranti ſit bona. pag. 1039.c.2.

Dub. 1. quid ſit conſcientia. p.1040.c.2.

Dub. 2. vtrum homo teneatur ſequi conſcientiam erroneam. p.1045.c.1.

Dub. 3. vtrum conſcientia erronea, ſiue culpabilis, ſiue inculpabilis plus obliget quam præceptum prælati. p.1052.c.1.

Dub. 4. vtrum poſsit cadere diſpenſatio ſupra conſcientiam erroneam ita vt aliquis poſsit agere contra illam abſque peccato. p.1054. c.1.

Dub. 5. vtrum liceat agere contra conſcientiam dubiam. p.1055.c.2.

Dub. 6. vtrum liceat ſequi quancumque opinionem probabilem. p.1064.c.2.

Dub. 7. vtrum ſit licitum facere contra conſcientiam ſcrupuloſam. p.1073.c.1.

Articulus 7. vtrum voluntatis bonitas in his quæ ſunt ad finem dependeat ex intentione finis. p.1076.c.1.

Dub. 1. vtrum bona intentio vitietur ex prauæ electione. p.1077.c.1.

Dub. 2. vtrum bonitas intentionis minuat malitiam electionis. p.1080.c.2.

Dub. 3. vtrum intentio boni finis poſsit eſſe ita bona quod auferat ex toto malitiam electionis prauæ quæ ſubſequitur ex tali intentione. p.1083.c.1.

Articulus 8. vtrum quantitas bonitatis vel malitiæ in voluntate ſequatur quantitatem boni, vel mali in intentione. p.1085.c.2.

Dubitatur de concordia primæ, & ſecundæ concluſionis Diui Thomæ. pag. 1087. c.2.

Articulus 9. vtrum bonitas voluntatis dependeat ex conformitate ad voluntatem diuinam. p.1089. c.2.

Articulus 10. vtrum neceſſarium ſit volũtatem humanam conformari voluntati diuinæ in volito ad hoc quod ſit bona. p.1090.c.2.

Dub. 1. vtrum homo teneatur conformari diuinæ voluntati in volito formali. p.1093. c.2.

Dub. 2. vtrum voluntas humana teneatur velle quod Diuina voluntas vult ipſam voluntatem humanam velle, quod eſt voluntatem humanam conformari voluntati diuinæ in genere cauſæ efficientis. p.1095.c.2.

Dub. 3. vtrum voluntas humana teneatur conformari voluntati diuinæ etiam in volito materiali. p.1096.c.2.

Dub. 4. vtrum ſemper ſit laudabile conformari Dei voluntati. p.1105.c.2.

QVAESTIO XX. DE BOnitate, & malitia exteriorum actuum humanorum.

Articulus 1. vtrum bonitas, vel malitia per prius ſit in actu voluntatis, vel in actu exteriori. p.1107.c.1.

Articulus 2. vtrum tota bonitas, & malitia exterioris actus dependeat ex bonita voluntatis. pag. 1109.c.1.

Dub. vtrum actus exterior habeat formaliter bonitatem, & malitiam. pag. 1110.c.2.

Articulus 3. vtrum bonitas, & malitia ſit eadem exterioris, & interioris actus. p.1115.c.1.

Dub.

Dub. vtrum bonitas, vel malitia actus interioris & exterioris sit eadem, vel diuersa moraliter loquendo. p. 1118. c. 1.

Articulus 4. vtrum actus exterior aliquid addat de bonitate, & malitia supra actum interiorem. p. 1120. c. 1.

Dub. 1. vtrum ita sit quod actus exterior non addat bonitatem, vel malitiam quando voluntas est efficax, & determinata. p. 1122. c. 1.

Dub. 2. vtrum actus exterior aliquid addat bonitatis supra interiorem quoad bonitatem quæ est ex fine. p. 1130. c. 1.

Dub. 3. de intelligentia secundæ conclusionis D. Tho. *ibidem c. 2.*

Articulus 5. vtrum euentus sequens aliquid addat de bonitate, vel malitia ad exteriorem actum. p. 1132. c. 1.

Dub. de veritate primæ conclusionis. D. Tho. *p. 1134. c. 1.*

Articulus 6. vtrum idem actus exterior possit esse bonus, & malus. p. 1135. c. 2.

Dub. vtrum conclusio D. Tho. *sit vera. pag. 1136. c. 2.*

QVAESTIO XXI. DE *his quæ consequuntur actus humanos ratione bonitatis, & malitiæ.*

Articulus 1. vtrum actus humanus in quantum est bonus, vel malus habeat rationem rectitudinis, vel peccati. p. 1137. c. 2.

Articulus 2. vtrum actus humanus in quantum est bonus, vel malus habeat rationem laudabilis, vel culpabilis. p. 1139. c. 2.

Dub. 1. vtrum licitè possit quis laudare se, & suos actus, & vtrum liceat cuicunque vituperare opera mala aliorum. p. 1141. c. 1.

Dub. 2. vtrum in homine detur aliquando verum peccatum sine culpa. p. 1142. c. 1.

Articulus 3. vtrum actus humanus in quantum est bonus, vel malus habeat rationem meriti, vel demeriti. p. 1143. c. 2.

Articulus 4. vtrum actus humanus in quantum est bonus, vel malus habeat rationem meriti, vel demeriti apud Deum. p. 1145. c. 1.

FINIS.

INDEX LOCORVM SACRÆ Scripturæ, quæ in hoc volumine continentur.

Litera P. Paginam, C. Vero Columnã designat.

Ex Genesi.

Cap.2. *Cessauit Deus ab omni opere quod creauit, p.* 172.c.1.

Cap.3. *Atulit viro & comedit, p.*990.c.1.

Cap.4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, p.*905.c.2.

*Si male egeris statim in foribus peccatum tuum aderit. p.*844.c.2.

*Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. p.*5.c.1.

Cap.6. *Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, &c. vsque pœnituit eum, pag.* 842.c.1.

Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, ibidem.

Cap.6. *Sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua, pa.* 842. *col.*1.

Cap.12. *Exi de terra tua. p.*1096.c.1.

Cap.17. *Sunt excusati ratione itineris, pag.* 482. *colum.*2.

Cap.19. *Ego protector tuus, & merces tua, pa.*149. *col.*1.

Cap.33. *Sic enim vidi faciem tuam quasi viderem vultum Dei. p.*1078.c.1.

Cap.43. *Nou est in nostra conscientia qui hoc fecerit, p.*1041.c.1.

Ex Exodo.

Cap.2. *Non furtum facies non concupisces, &c. pa.* 1122.c.1.

Cap.23. *Non sequeris turbam ad faciendum malum, &c. vsque, vt â vero debies. pag.* 1070. *colum.*2.

Cap.33. *Ostende mihi te ipsum, pagina,* 383. *columna.* 1,

*Ego ostendam tibi omne bonum, p.*138.*co.*1. *& p.*140.*c.*1.*& p.*251.*c.*2.

*Non videbit me homo, & viuet, p.*339 *c.*1.

Ex Leuitico.

Cap.5. *Non manebit merces mercenarij apud te vsque mane p.*324.*c.*2.

Cap.18. *Turpitudinem vxoris tuæ, & filiæ eius non reuelabis filiam filij eius, & filiam filiæ eius nõ assumes, quia caro illius sunt, p.*988.*c.*1.

Sancti estote quoniam ego sanctus sum. pag. 294.*c.*2. Cap.19.

Ex numeris.

*Et pugnauerunt contra madiam. p.*971. *c.*1. Cap.25.

Ex Deuteronomio.

*Ne forte leuatis oculis ad cœlum videas solem, & lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea, &c. p.*631.*c.*1. Cap.4.

*Si difficile, & ambiguum apud te iuditium esse prosperis, &c. vsque, neque ad sinistram p.*1062,*c.*2. Cap.17.

Dominum Deum tuum elegisti hodie. pag. 746.*c.* 1. Cap.26.

Ex Iosue.

*Non sunt circuncisi filij Israel per quadraginto annos, & cum esset præceptum circuncisionis, p.*482.*c.*2. Cap.5.

1. Regum.

*Immutauit illi Deus cor aliud, p.*454.*c.*2. Cap.10.

*Vsquequo mihi luges saulem quem ego proieci à facie mea. p.*1097.*c.*2. Cap.16.

Dauid comedit panes propositionis in necessitate famis, cum esset præceptum ne illos comederit nisi sacerdos. pagina, 482.*c.* 2. Cap.21.

2. Reg.

Non declinauit ad dexteram neque ad sinistrã omittens persequi Abner, p. 431.*c.*1. Cap.2.

3. Reg.

*Quod cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo benefeciſti hoc ipsum mente tractans, p.*1099.*c.*1. Cap.8.

*Tu enim solus nosti corda filiorum hominũ, p.*632.*c.*1

*Non fuisti sicut meus Dauid qui custodiuit mandata mea, & ambulauit pst me in toto corde suo, p.*843.*c.*2. Cap.14.

4. Reg. Cap.19.

*Venerũt filij vrq; ad partũ, &c. p.*1125.*c.*2.

2. Paralypomenon.

*Tu enim solus nosti corda filiorum hominũ, p.*632.*c.*1. Cop.6,

Tobie.

*Simul inte vno omnia habentes. p.*138.*c.*1. Cap.10.

*Cõmuta cor principum populi, p.*454.*co.*2. Cap.12.

Esther.

Cap.13 *Non est qui tuæ possit resistere voluntati,p. 690.c.1.*

Cap. 14. *Transfere cor illius in odium hostis nostri, p.454.c.2.*

Cap.15. *Cumque eleuasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset,&c. vsque in mansuetudinem,p.685.c.2.*

Iob.

Cap.1. *Erat autem simplex & rectus & recedens à malo,pagina,843.columna.2. & pag.970. col.2.*

Cap.9. *Scio quod non iustificatur homo compositus Deo, &c. vsque vnum pro mille,pag.842. col.1.*

Verebar omnia opera mea sciens quod non parcis delinquenti , pag. 1075. col.2.

Cap.11. *Forsitam vestigia Dei comprehendes,p.285 col.2.*

Cap.15 *Non credet frustra erro'e deceptus quod aliquo præcio redimendus sit , pag.1082.columm.1.*

Cap.19. *Rursus circundabor pelle mea,pag.324.columm.2.*

Cap.21. *Ducunt in bono dies suos,& in puncto ad infernum descendunt,p.324.col.1.*

Cap.24 *Quis me potest arguere esse mentium,& ponere ante Deum verba mea,pag. 957.columna.2.*

Cap.32. *Omisserunt autem tres viri isti dicere Iob,p. 431.c.2.*

Cap.34 *Quasi de industria recesserunt à Deo,p.540. col.1.*

Cap.35. *Vbi est Deus qui fecit me,qui dedit Carmina in nocte,&c. vsque erudit nos , pag.631. col.1.*

Ex Psalterio.

Psal.1. *Beatus vir qui non abijt in consilio impiorũ p.210.c.1.*

Psal.4. *Vt quid diligitis vanitatem,& quæritis mẽdatium.p.540.c.1.*

Psal,13, *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo p.1610.c.2.*

Exultæuit vt gigas adcurrendam viam,pa. 238.c.2.

Psal,14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, &c p.294.c.2*

qui ingreditur sine macula, & operatur instiriam ibi.

Psal. 5. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo,pag. 233.c.1.& p.197.c.1.*

Delectationes in dextera tua vsque in finem p.128.c.1 & p.254.c.2.

Psal 16. *Non est inuenta in me iniquitas,p.957.c.2.*

Satiabor cum apparuerit gloria tua,p.197. c.1 & p.241.c.1.

Quis ascendit in montem Domini,pag.294. Psal.23. col.2.

Innocens manibus , & mundo corde , ibid.

qui non accepit in vano animam suam,pag. 172.c.1.

Confundantur omnes iniqua agentes,p.844 Psal.24. col.2.

Vam petij à Domino hanc requiram , pag. Psal.26. 140.c.1.

Secundum opera manuum eorum tribue illis p.957.c.1. Psal.27.

In tua iustitia libera me,pagina, 1104. co- Psal.30. *gustate & videse quoniam suauis est Dominus,p.598.c.1.*

Gustate,& videte quoniam suauis & Do- Psal.33. *minus,p.593.c.1.*

Inebriabuntur ab vbertate Domus tuæ, & Psal.35. *torrente voluptatis euæ potabis eos quoniam apud te est fons vitæ, & in lumina tuo videbimus lumen , p.241.c.1. & p.254.c.2.& 113.c.2.*

In meditationem ea exardescet ignis,p.529 Psal.38. *c.2.& p.600.c.1.*

Omnis gloria eius filiæ Regis abintus , pag. Psal.44. *1084.c.2.*

Diuitiæ si affluant nolite cor apponere,pag, Psal.61. *110.c.1.*

Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum tran Psal.62. *sierunt in affectum cordis,pag.540. columna.1.*

Ascendisti in altum accepisti captiuitatem, Psal.67. *p.323.c.1. ibi. Beniamin adolescentulus in mentis excessu.p,600.c.1.*

Mei autem pene moti sunt pedes pene effusi Psal.72. *sunt gressus mei , pagina. 110. columna. 2.*

Zelaui super iniquos pocem peccatorum videns,336.c.2,

Quid enim mihi est in cœlo,& à te quid voluit super terram.p.131.c.2.

Filij Ephren mitentes arcum conuersi sunt Psal.77. *sunt in die belli,p.1125.c.2.*

Dimisit eos in desideria cordis eorum , pag. Psal.80. *1126.c.2.*

Gratiam,& gloriam dabit Dominus, pag. Psal83. *393.c.2.*

Nunquid enim vane constituisti omnes fi- Psal.88. *lios hominum,p.133.c.1.*

Longitudine dierum replebo eum & osten- Psal.90. *dam illi salutare meum,pagina.241.columna.1,*

Possuit flumina in desertum & terram fru- Psal. 106. *ctiferam insalsuginem,&c.pag.632.col.1.*

Intel-

Psal. 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum p.1041.c. 2.*

Psal.111. *Beatus vir qui timet dominum in mandatis eiu, cupit nimis,p.210.c.1.*

Psal. 113. *Omnia quæcumque voluit fecit,pag.1098. col.1.*

Psal. 118. *Beati immaculati inuia qui ambulant in lege domini,p.210.c.1.*
Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas,p.486.c.2.
Omnis consumationis vidi finem,pag.4.columm.2.
Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.p.454.c.2.
Custodiuit anima mea testimonia tua, pag. 843.c.2.

Psal. 130. *Habitabunt recti cum vultu tuo, pag.204. col.2.*

Psal. 142. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens,p.842.c.1.*

Psal. 144. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis,& sanctus in omnibus operibus suis, pag. 620. col.1.*

Psal. 149. *Exultabunt sancti in gloria, pagina, 253. col.1.*

Prouerbiorum.

Cap.2. *Lætantur cum male fecerint,& exultant in rebus pessimis,p.540.c.1.*

Cap.3. *Ne imitaric sapientiæ tuæ,p.1063.c.1.*

Cap.4. *Ne læteris in sorte impiorum,p.258.c.1.*

Cap.7. *Venite inebriemur,& fruamur cupitis amplexibus,p,704.c.1*

Cap.9. *Misit ancillas suas vt vocarent ad arcem, p.255.c.1.*

Cap.10. *Expectatio iustrorum lætitia,p.223.col.1. & p.273.c.1.*

Cap.11. *Qui confidit in diuitijs suis corruet,pa.109. co.2.*

Cap.14. *Errant qui operantur malum. pag.604.columm.1.*
Etiam proximo suo pauper odiosus est, p.113 col. 2.

Cap.16. *Omnia propter se metipsum operatus est Dominus,pag.99.col.1.& pag.104.c.2. & p. 36.col,2.*

Cap.17. *Quid prodest stulto habere diuitias cum sapientiam emere non possit,pagina..110.columm.2.*

Cap.18. *Cum obsecrationibus loquitur pauper, & diues assabitur rigide,p.113.c.2.*

Cap.21. *Cor regis in manu Domini, & quocumque voluerit vertet illud,pag. 454.c.1. & pag. 6025.c.2.& p.639.c.1.*

Cap.22. *Melius est nomen bonum quam diuitiæ multæ pagina.110. columna.2.*

Noli laborare vt diteris pagina,110.columna.1. Cap.23.

Septies in die cadit iustus,pag. 844. columna.2. Cap.24.

Laudet te alienum,& non ostuum.pa. 1141. Cap.27.

Gustauit, & vidit, quia bona est negotiatio eius,pag.598.c.1. Cap.31.

Ecclesiastes.

Vanitas vanitatum,& omnia vanitas,pag. 131.col.1. Cap.1.

Vadam,& fruar bonis.p.703.c.2. Cap.2.

Quis ita deuorauit, & delitijs affluet, pag. 131.c.2.

Vnus est interitus hominis, & lumentorum, pag.109.c.2.

Auarus non impleritur pecunia, pag.1011. col.1. Cap.5.

Diuitiæ conseruatæ in malum domini sui, p.100.c.1.

Hoc itaque visum est mihi bonum, vt comedat quis, & bibat, & fruatur letitia, pa. 127.c.1.

Vtilior est sapientia,cum diuitijs, pag.114. col.2. Cap.7.

Sicut protegit sapientia,sic protegit pecunia &c, vsque possessori suo, pagina 110. col.2.

Scit enim conscientia tua quod crebro male diexeris alijs,pag.1041.c.1.& pag.1046. col.2.

Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt quia eadem omnibus eueniunt, pa. 110.c.2. Cap.9.

Si ceciderit lignum sine ad austrum, &c.p. 67.c.1.& p.373.c.2. Cap.11.

Finem docendi pariter omnes audiamus, &c.vsque omnis homo p.128.c,2.& p.131. c.2.& 237.c.2. Cap.12.

Canticorum.

Inueni quem diligit anima mea tenui eum nec dimitam,p.286.c.1. Cap.3.

Quam pulchra es amica mea, quam pulchra oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet, p.1084.c.2. Cap.4.

Surge Aquilo,& veni Auster, & perfla ortum meum & fluent aromata illius,p.621. col.1.

Ego dormio,& cor meum vigilat, p.599. col.2. Cap.5.

Sapientiæ.

Dixerunt impij cogitantes apud se non recte,&c.p.127.c.1. Cap.2.

Vbique relinquamus signa lætitiæ nostræ quoniam hæc est pars nostra,p.128.ci.

Cap. 4. Raptus est ne malitia mutaret cor eius, pag. 887. col. 2.
Cap. 6. Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnũ perpetuum. p. 486. c. 2.
Cap. 7. Nihil inquinatum in eam incurrit, p. 294. c. 2 & p. 297. c. 2.
Cap. 8. Attingit à fine vsque ad finem fortiter, pag. 683. c. 1.
Cap. 9. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, p. 138. c. 1.
Cap. 11. Virtuti brachij tui quis resistet, p. 459. co. 1.
Cap. 17 Frequenter enim occupant pessima redarguẽ te conscientia, p. 070. c. 2.

Ecclesiastici.

Cap. 3 Pro anima tua non confundaris dicere verũ, p. 1070. c. 2.
Qui amat periculũ peribit, in illo, pa, 1056. c. 2. & p. 1061 & p. 1073. c. 2.
Cap. 10. Auaro nihil scælestius, &c. vsque venalem habet, p. 117. c. 1,
Cap. 11. Fili ne in multis sint actus tui, p. 221. c. 1.
Facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundum vias suas, pag. 323. col. 1.
Cap. 15. Ab initio constituit Deus hominem, & reliquit enm in manu consilij sui, p. 5. c. 1. & p. 575. c. 1. & p. 642. c. 1. & p. 685. c. 2.
Cap. 16. Nemini mandauit impie agere, pag. 843. col. 2.
Cap. 17. Non demoreris in errore impiorum, p. 1048. col. 1.
Cap 18. Post concupiscentias tuas non eas, pag. 662. col. 2.
Cap. 19. Qui cito credit leuis est corde, p. 1064. c. 1.
Cap. 24 Qui edunt me adhuc esurient, p. 110. c. 1.
Cap. 25 A muliere initium peccati, p. 990. c. 1.
Cap. 31. Beatus qui post aurum non abijt, &c. p. 109. col. 2.
Qui potuit transgredi, & non est transgressus, p. 5. c. 2.

Isaiæ.

Cap. 1. Lauamini mũdi estote, &c. vsque, quiescite agere peruerse, p. 844. c. 1. & 2.
Cap. 5. Ve qui dicitis malum bonum, & bonum malum. p. 540. c. 1 & p. 1063. c. 1.
Cap. 6. Vidi Dominum sedentem, &c. pag. 175. colum. 1.
Cap. 9. Vocabitur admirabilis consiliarius, &c. pa. 771. c. 1.
Cap. 14. Similis ero altissimo, p. 77. c. 2. & pa 751. col. 2.
Cap. 26. Omnia opera nostra operatus est in nobis Dominus, pagi, 635. col. 1. & pag. 683. col. 1.
Cap. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, &c. vsque requie opulenta, pag. 375. colum. 1.
Via sancta vocabitur, & non transibit per eam polliutus, p. 294. c. 2. Cap. 35.
Omnis caro fœnum, &c. vsque cecidit flos, p. 127. c. 2. Cap. 40.
Annunciate quæ vẽtura sunt in futurum, & sciemns, quia Dij estis, p. 631. c. 2. & p. 388. col 2. Cap. 41.
Gloriam meam alteri non dabo, pag. 121. col. 1. Cap. 42.
Mito te ad gentem abominabilem, p. 225. tol. 1. Cap. 49.
Oblatus est, quia ipse voluit, pag. 683. colum. 1. Cap. 53.
Omnes sitientes venite ad aquas, &c. vsque non in saturitate, p. 131. c. 2. Cap. 55.
Iuxta me dixo operuisti, & suscepisti adulterum, p. 970. c. 2. Cap. 57.
Oculus non vidit, &c. vsque diligentibus te, p. 244. c. 2. & p. 251. c. 2. Cap. 64.
Facti sumus vt immundi omnes nos, &c. vsque iustitiæ nostræ, p. 842. c. 1.
gaudebitis, & exultabitis in sempiternum in his quæ ego creo, p. 173. c. 1. Cap. 65.
Inuentus sum à non quærentibus me, &c. p. 621 c. 1.
Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabnnt, ibidem. Cap. 66.
Ego autem opera eorum. & cogitationes eorum venio vt congregem, p. 657. c. 1. Cap. vlt.

Hieremiæ.

Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, &c. p. 84. c. 1. Cap. 2.
Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. p. 442. c. 1.
Vt inique agerent laborauerunt, pag. 884. col, 2. Cap. 9.
Iuxta vias gentium nolite discere, &c. vsque vanæ sunt. p. 631. c. 1. Cap. 10.
Quare via impiorum properatur, p, 110. c. 2. & p. 336. c. 2. Cap. 12.
Prauum est cor hominis & inscrutabile, &c vsque & probans renes, p, 631. c. 2. Cap. 17.
Ego dedi eis præceptanon bona, pag. 953. col. 2. Cap. 20.
Deus magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu, p. 285. c, 2. Cap. 32.

Threnorum.

Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, p. 683. c. 2. Cap. 5.

Ezechielis.

Dixisti Deus ego sum, & dedisti cor tuum quasi cor Dei, pag. 77. colu. 2. & pag. 751. col. 2. Cap. 28.

Tu cherub, extentus, & protegens, pag. 201. col. 2.

Cap. 34. *Quod fractum fuerat alligabo, & quod infirmum erat consolidabo p. 297. c. 2.*

Cap. 35. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambulatis, pag. 685. c. 2.*

Osee.

Cap. 2. *Sæpiam vias tuas spinis. p. 1126. c. 2.*

Cap. 6. *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, &c. p. 970. c. 2.*

Cap. 9. *facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt, p. 52. c. 1. & p. 295. c. 2.*

Cap. 13. *De manu mortis liberabo eos, &c. vsque, ô inferne, p. 323. c. 1.*

Habacuc.

Cap. 1. *Horribilis, & terribilis est: ex semetipsa iuditium, & onus eius egreditur, p. 442. co. 1. Quare nõ respicis super iniqua agentes, &c. p. 336. c. 2.*

Zachariæ.

Cap. 4. *In die illa erie Dominus vnus, & erit nomen eius vnum. p. 224. c. 2.*

Cap. 9. *Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu in quo non erat aqua, pag. 323. c. 1.*

Cap. 14. *Sedebit Hierusalem secura, p. 375. c. 1.*

Malachiæ.

Cap. 2. *Labia sacerdotis custodient scientiam, &c. vsque exercituum est, p. 1062. c. 2. Operiebatis lacrymis altaria Domini, pag. 1082. c. 2.*

1. Machabeorum.

Cap. 2. *Iudæi bellarunt in die sabbato ne â centrarijs occiderentur, p. 482. c. 2.*

Cap. 4. *Incidit illi consilium bonum, pag. 625. c. 2. & p. 1041. c. 2.*

2. Machabeorum.

Cap. 6. *Non sinere multo tempore ex sententia agere, maximi beneficij indicium est. p. 1126. col. 2.*

Ex Mattheo.

Cap. 3. *Pœnitentiam agite appropinquabit enim regnum cœlorum, p. 323. c. 1. & p. 844. c. 1.*

Cap. 5. *Beati pauperes, p. 109. c. 2.*
Beati qui lugent, p. 844. c. 1.
Beati qui esuriunt, p. 210. c. 1.
Beati mundo corde, p. 210. c. 1. & p. 294. c. 2. & p. 346. c. 1.
Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, &c. p. 795. c. 2. & p. 1108. c. 2. & pa. 1126. c. 1.
Perfecti istote sicut Pater vester cælestis perfectus est. p. 294 c. 2.

Cap. 6. *Atendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, &c. pag. 52. colum. 1. & pa. 121. c. 1. & p. 884. c. 1.*
Cum facis eleæmosynam nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, p. 887. c. 1.
Tu autem cum oraueris, ibidem.
Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra, p. 1097. c. 1.
Cum ieiunatis nolite fieri, &c. p. 887. col. 1.
Thesaurizate vobis Thesauros in cœlo, &c. vsque demolitur. p. 339. c. 2. & p. 373. c. 2.
Lucerna corporis tui est oculus tuus, p. 1078. col. 1.
Si oculus tuus fuerit simplex totum corpus tuum lucidum erit, p. 52. c. 1. & p. 887. c. 1. & p. 1078. c. 1.
Arbor bona bonos fructus facit, &c. mala ar Cap. 7.
bor non potest bonos fructus facere, p. 842. c. 2. p. 1078 c. 1. & p. 1110. c. 2.
In qua mensura mensi fueritis remetietur vobis, p. 1124. c. 1.
Quia nunquam noui vos, p. 209. c. 1.
Qui amat Patrem, aut matrem plusquam Cap. 10.
me non est me dignus, p. 84. c. 1.
Ve tibi corozaim, &c, p. 887. c. 2. Cap. 11.
Nemo nouit filium nisi Pater. & c. vsque reuelare, p. 383. c. 1.
Non homo propter sabbatum, sed sabbatum Cap. 12.
propter hominem, p. 482. c. 2.
Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, p. 113. c. 2. Cap. 14.
Intra in gaudium Domini tui. p. 253. co. 1. Cap. 15.
Beatus es Simon Bariona, &c. 1104. c. 1. Cap. 16.
Angeli eorum semper vident faciem patris Cap. 18.
mei, pag. 140. col. 1. & p. 187. col. 1. & pa. 346 c. 1.
Si vis ad vitam ingredi serua mandata, pa. Cap. 19.
146. c. 1. & p. 112. c. 2.
Si vis perfectus esse vade vende omnia, &c. p. 113 c. 1.
Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu Cap. 20.
p. 757. c. 1.
Ex verbis tuis iudicaueris aut condemna Cap. 22.
ueris p. 955. c. 1.
Hæc oportuit facere, & illa non omittere, Cap. 23.
p. 431. c. 1.
Venite benedicti Patris mei, pagina. 396. Cap. 25.
col. 2.
Tunc abijt vnus ex duodecimi, pagi. 971. Cap. 26.
col. 1.
Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille, pa. 401. c. 2.
Si possibile est transeat â me calix iste, pag. 368. columna. 1.

Ex Luca.

Ve vobis qui saturati estis. &c. vsque luge Cp. 27.

bitis.p.127.c.2.
Arbor bona bonos fructus facit, pag. 843. colum. 2.
Cap.10. Dignus est enim operarius mercede sua, p. 115 col. 2.
Martha Martha solicita est, pagina. 1121 colum. 2.
Cap.11. Si oculus tuus fuerit simplex, &c, pa. 842. c.1. & 2.
Cap.13. Non capit prophetam perire extra Hierusalem, p 685. c.1.
Cap.16. Facite vobis omicos de mamona iniquitatis vsque tabernacula, p. 323. c.1.
Mortuus est diues, & sepultus est in inferno, p.112.c.2. & p.324.c.1.
Cap.17. Non est inuentus qui rediret & daret gloriam Deo nisi hic alienigena, pagina 971. colum.1.
Sicut factum est in diebus Loth, pag. 988. colum.2.
Cap.18. Quam difficile qui pecuniam habent in regnum Dei introibitum, 109. col. 2.
Cap.22. Filius hominis vadit sicut scriptum est de illa, p.688.c.1. & 685.c.1.
Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, &c. p. 181. c. 1. & p. 339. c. 2.
Cap.23. Hodie mecum eris in paradisso, pagina 322. colum. 2.
Cap.24. Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, pagina. 685. columna. 1.

Ex Marco.

Cap.12. Nonne ideò erratis non scientes scripturas? pag. 127. col. 2.

Ex Ioanne.

Cap. 3. Spiritus vbi vult spirat, &c. vsque, aut quo vadat, p. 621. c. 1. & p. 623. 2.
Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, p. 685. c. 1.
Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, p.
Qui credit in filium habet vitam æternam, p. 197. c. 1.
Cap. 5. Qui verbum meum audit, & credit ei habet vitam æternam ibidem, c. 2.
Quomodo vos potestis credere qui gloriam abinuicem accipitis, p. 121. c. 1.
Cap. 6. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, pagina. 294. colum. 2.
Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum pagina. 635. c. 2.
Erunt omnes docibiles Dei, p. 224. c. 1.
Omnis qui audiuit à Patre & didicit venit ad me. p. 713. c. 1.
Cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. p. 140. c. 2. Cap. 8.
Qui facit peccatum seruus est peccati, pag. 5. col. 1.
Cognosco oues meas. & c. p. 325. c. 2.
Nemo potest rapere de manu patris mei, ego & Pater vnum sumus, ibidem. Cap. 10.
Quod dedit mihi Pater maius omnibus est, ibidem.
Non poterant credere, quia Esaias dixit excæca cor populi huius. & c. p. 690. c. 1. Cap. 12.
Multi ex principibus crediderunt in eum, p. 84 c. 1.
Ostende nobis Patrem & sufficit nobis. pag. 38?. c. 2. & p. 140 c. 1. Cap. 13.
In domo Patris mei mansiones multæ sunt, p. 355. c. 1. Cap. 14.
Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, & c. p. 713. c. 1.
Manifestabo ei me ipsum. p. 140. c. 2.
Maiorem charitatem nemo habet quam vt onimam suam, & c. p. 1131. c. 1. Cap. 15.
Si non venissem, & locutus eis fuissem peccatum non haberent, p. 1064. c. 2.
Ego sum vitis qui manet in me, & ego in eo & c. p. 686. c. 2.
Vt gaudium vestrum sit plenum, & c. p. 187 col. 2.
Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrũ p. 253. c. 1. Cap. 16.
Gaudium vestrum nemo tollet à vobis, pag. 373. c. 2.
Hæc est vita æterna vt cognoscant te verum Deum, & c. p. 131. c. 2. & pag. 138. c. 1. & p. 190. col. 1. Cap. 17.
Illi sint mecum, vt videant claritatem quã dedisti mihi. p. 197. c. 2.
Nescis quod potestatem habeo crucifigere te p. 5. c. 2. Cap. 19.

Actuum Apostolorum.

Conuenerunt in ciuitate ista aduersus puerum sanctum Iesum, & c. vsque decreuerunt fieri. p. 683. c. 1. Cap. 4.
Cum vidisset simon, quia per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus sanctus, p. 713. c. 1. Cap. 8.
Ita vt ab inuicem separarentur. p. 1100. colum. 2. Cap. 15.
Agabus Propheta apprehendit Zonam Pauli, & c. vsque sic alligabunt iudæi, pa. 1101. col. 1. Cap. 12.

Ex Epistola ad Romanos.

Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, pa. 348. col. 2. Cap. 1.

Qui cum Deum cognouissent non sicut Deũ glorificauerunt aut gratias egerunt, p. 843. colum. 1.

Tradidit illos Deus in reprobum sensum, pa. 1126. c. 2.

Digni sunt morte non solum qui talia agunt sed qui consentiunt, p. 1108. c. 2.

Cap. 2. *In die iudicij Deus redet vnicuique secundum opera eius, &c. vsque Iudæo primum, & Greco, pagina. 844. columna. 1.*

Cap. 4. *Quod non est ex fide peccatum est, pa. 842. colum. 2.*

Cap. 5. *Charitas Dei diffusa est, in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, p. 713. c. 1.*

Tribulatio patientiam operatur, &c. vsque probatio vero spem, pagina. 336. colum. 1.

Cap. 6. *Gratia Dei vita æterna pagina, 146. columna. 1. & pag. 387. colum. 2. pag. 397. colum. 2.*

Cap. 7. *Passiones peccatorum operabantur in membris nostris, p. 663. c. 1.*

Concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret non concupisces. pa. 486, c. 2.

Scio quod non habitat in carne mea bonum p. 842. c. 1.

Cap. 8. *Quecumque spiritu Dei aguntur hi sunt filii Dei. p. 687. c. 1.*

Quos præuit, & prædestinabit, pa. 682. colum. 2.

Si Deus pro nobis, quis contra nos, pa. 1074. colum. 2.

Cap. 9. *Voluntati eius quis resistet, p. 459. c. 1. & p. 1098. c. 1.*

Cap. 11. *Quis enim cognouit sensum domini, p. 1099 colum. 1.*

Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, p. 36. c. 1.

Cap. 12. *Rationabile sit obsequium vestrum, p. 116. colum. 1.*

Nolite esse prudentes apud vos metipsos; pa. 1063. c. 1.

Credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, p. 273. c. 2.

Cap. 14. *Omne quod non est ex fide peccatum est pa. 1044. c. 1. & p. 1056. c. 2.*

Ex epistola prima ad Corinthios.

Cap. 1. *Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis, &c. pag. 116. colum 2.*

Qui factus est nobis sapientia, & iustitia, p. 149. c. 1.

Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, &c. vsque qui in ipso est, p. 632. c. 1. Cap. 2.

Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suam laborem, pag. 355. c. 2. & p. 67. c. 1. Cap. 3.

Nescitis quia templum Dei estis, & c, vsque quod estis, vos p. 713. c. 1.

Illuminabit abscondita tenebrarum, pag. 957. c. 1. Cap. 4.

Quid enim habes quod non accepisti, p. 1104. col. 1.

Christum per fidem habitare in cordibus nostris, p. 231. c. 1. Cap. 5.

Noli quærere vxorem &c vsque non peccas ti, p. 843. c. 2. Cap. 7.

Quidam cum conscientia idoli, &c. vsque polluitur, pag. 1046. co. 2. Cap. 8.

Nunquid de bobus cura est Deo, pag. 959. col. 1. Cap. 9.

Debet in spe qui arat arare, &c. vsque perciptendi. p. 285. col. 2.

Bonum est mihi magis mori quam vt gloriam meam quis euacuet, pagina 490. colum. 2.

Sic currite vt comprehendatis, pa. 285 co. 2.

Si quis infidelium vocat vos ad cœnam, &c. vsque propter conscientiam, pag. 1084. col. 2. Cap. 10.

Omnia quæ facitis in gloriam Dei facite, p. 883. c. 2 & p. 888. c. 2.

Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro, p. 212. c. 1. Cap. 12.

Si tradidero corpus meum, &c. vsque nihil sum, p. 886. c. 1. Cap. 13.

Charitas non æmulatur, pagina 1084. col. 2.

Charitas nũquã excidit p. 187. c. 1. p. 61, c. 2

Videmus nunc per speculum in enigmate, &c. vsque sicut cognitus sum, pagina 131. col. 2. & pag. 154. col. 2. & pag 197. col. 2. p. 224. col. 1.

Sicut stella differt a stella in claritate sic erit resurrectio mortuorum, pagina 355. colu. 2. Cap. 14.

Alia est claritas Solis alia, claritas Lunæ &c. ibidem.

Abundantius omnibus laboraui, pag. 1141. colum. 1. Cap. 15.

Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus miserabiliores sumus omnibus hominibus, p. 367. c. 1.

Manducemus, & bibamus cras enim moriemur. p. 127. c. 2.

Euigilate iusti, & nolite peccare, pag. 843. colum. 2.

Seminatur corpus animale surget spirituale p. 329. c. 2.

Oportet hoc corruptibile induere incorruptionem, p. 339. c. 1.

Ex 2. ad Corinthios.

Cap. 1. *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ, pa. 1041.c.1.*

Cap.5. *Nolumus spoliari, sed superuestiri. p.368. colum 1.*
Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, p.957.co. 1.& 294.co. 2.355. c 2.& 396.c.2.
Quandiu sumus in corpore peregrinamur à Domino. &c. vsque præsentes esse ad Dominum, p.322.c.2.
Scimus enim quoniam si terrestris Domus nostræ habitationis dissoluatur, &c. vsque æternam in cœlis, ibidem.

Cap. 6. *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. p.172.c.1.*

Cap.7. *Banum est hominem mulierem non agerent p.953.c.2.*

Cap. 9. *Qui parce seminat parce & metet, pa. 355. colum.2.*

Cap.11. *Existimo me nihil minus feciss à magnis Apostolis, p.1141.c 1.*

Ad Galatas.

Cap. 2. *Christo crucifixus sum eruci viuo autem iam non ego, p.114. c.1.*

Cap. 4. *Quando venit plenitudo temporis misit Deus filium suum, pagina 685. co.1.*

Cap. 5. *Testificor autem rursus omni circumcidenti se quoniam debitor est vniuersæ legis, pagina 1046.colum.2. & pagina 1078. colum.1.*
Fides quæ per dilectionem operatur, pag. 892.c.1.
Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis, pag. 662 col.2.

Cap. 6. *Quæcumque seminauerit homo hæc, & metet. pagina.328.col.2.*

Ad Ephesios.

Cap. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionẽ vt essemus sancti, & immaculati. pag. 844. colum.1.*
Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, p.683.co.1.& 734.col. 1. & 2.
Instaurare omnia in Christo, p 685.c.1.

Cap. 2. *Deus qui dives est in misericordia, &c. vsque gratiæ suæ, p.685.c.1.*
Creati in operibus bonis & c. vsque ambulemus p.843.c.2.

Cap.2. *Flecto genua. p.16.c.2.*

Cap.4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, vsque corporis Christi. p.1062.c.2.*
Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, p.323.c.1.

Cap.5. *Ambulate in dilectione. p.212.c.1.*
Auaritia quæ est idolorum seruitus. p. 84. c. 1.

Ad Philippenses.

Cap. 1. *Cupio dissolui & esse cum Christo. p.1099. c.2.& p.1101.c.1.*

Cap.2. *Deus est qui operatur in vobis, velle, & perficere. p.635.c.1.*
Coarctor autem è duobus desiderium habens, &c. vsque propter vos. p.322.c.2.

Cap.3. *Sequor autem si quomodo comprehendam. p.112.c.1. & p.286.c.1.*
Quorum Deus venter est. p.84.c.1.
Nostra conuersatio in cœlis est. p.209.c.2.

Ad Colossenses.

Cap.1. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi. p.682.c.2.*

2. Ad Thessalonicenses

Cap.2. *Ita vt in templo Dei sedeat. p.970.c.2.*

1. Ad Timotheum.

Cap.1. *Finis præcepti est charitas. p. 1041.c.1.& p.1101.c.2.*

Cap.2. *Vult omnes homines saluos fieri. pag.757. c.1.*

Cap.6. *Nihil intulimus in hunc mundum, aut dubium quia nec auferre quid possumus. pag. 1101.c.1.*
Qui volunt diuites fieri, & c. ibidem c.2.
Diuitibus huius sæculi præcipè non sperare in incerto diuitiarum suarum ibidem, & p. 112.c.2.
Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, &c. p.113.c.2.
Lucẽ habitat in accessibilem, &c. p.389.c1.

2. Ad Timotheum.

Cap.2. *Non coronabitur nisi qui legitime certauerit. p.396.c.2.*

Cap.4. *Bonum certamen certaui. p.1141.c.1.*

Ad Titum.

Cap.2. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri. p.844.c.1.*

Ad Philemonem.

Ego te fruar in Domino. p.704.c.1.

Ad Hebræos.

Cap.6. *Qui confugimus ad tenendam propositam spem, &c. vsque introiuit pro nobis Iesus, p.285.c.2.*

Cap.7. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandat &c. vsque proximamus ad Deum. p.323. c.2.*

Cap.10. *Odio est Deo impius, & impietas eius. pag. 905.c.2.*

Cap.11. *Circumierunt in melotis, &c. quibus dignus non erat mundus p.843.c.2.*

Cap.12. *Noli negligere disciplinam Domini, &c. vsque castigat. p.336.c.2.*

Quod

Quod si extra disciplinam estis, &c. vsque non filij estis. p. 336. c. 2.

Iacobi.

Cap. 1. *Omne gaudium existimate fratres cum in varias tentationes incideritis. p. 336. c. 2.*
Deus intentator malorum est. p. 843. c. 2.
Vnusquisque tentatur â concupiscentia sua abstractus & illectus. p. 486. c. 2. & p. 491. c. 1. & p. 63. c. 1.
Voluntariè genuit nos verbo veritatis. pa. 422. c. 2.
Religio munda & immaculata apud Deum vsque ab hoc sæculo. p. 294. c. 2.
Cap. 2. *Quid prodest fratres si fidem quis habeat opera autem non habeat. p. 396. c. 2.*
Cap. 3. *In multis offendimus omnes. pag. 844. c. 2.*
Cap. 4. *Pro eo quod dicatis si Dominus voluerit. p. 762. c. 1.*
Cap. 5. *Agite nunc plorate, vllulantes in miseriis vestris, &c. p. 110. c. 2.*

1. Petri.

Cap. 1. *Regenerauit nos in spem viuam in marcescibilem. p. 297. c. 2.*
Paratam reuelari in tempore nouissimo in quo exultabitis. p. 272. c. 1.
Exultabitis lætitia inenarrabili. p. 253. c. 1.
Satagite per bona opera certam facere vocationem vestram. p. 294. c. 2.
Cap. 3. *Parati semper ad satisfaciendum, &c. vsque & fide. p. 235. c. 1.*
Cap. 4. *Communicantes Christi passionibus gaudete, &c. vsque exultantes. p. 235. c. 1.*

2. Petri.

Cap. 1. *Hæc enim facientes non peccabitis. p. 843. c. 2. & p. 905. c. 2.*
Tradidit illos cruciandos. p. 315. c. 1. Cap. 2.
A quo qui superatus est, huius & seruus est. p. 50. c. 1.

1. Ioannis.

Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt. p. 131. c. 2. & p. 127. c. 2. Cap. 2.
Cum apparuerit similes ei erimus. p. 152. c. 2. & p. 154. c. 2. & p. 163. c. 2. & p. 197. c. 2. & p. 224. c. 1. & p. 346. c. 1. Cap. 3.
Videbimus cum sicuti est. pag. 139. c. 2. & p. 141. c. 1. & p. 187. c. 1.
Omnis qui in Deo manet non peccat. p. 844. c. 1.
Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, &c. vsque quoniam ex Deo natus est. p. 620. c. 2.
Qui manet in charitate in Deo manet. p. 844. c. 1. Cap. 4.

Apocalypsis.

Ego sum alpha, & omega. p. 36. c. 2. & p. 99. c. 1. & p. 104. c. 2. Cap. 2.
Ego sto ad ostium & pulso, p. 621. c. 1. Cap. 3.
Dicis quia dives sum & ditatus & nullius rei egeo. p. 111. c. 1.
Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, &c. vsque accipiunt palmam. p. 323. c. 1. Cap. 7.
Videbunt faciem eius. p. 346. c. 1. Cap. 10.
Beati mortui qui in Domino moriuntur. p. 396. c. 2. Cap. 14.
Opera enim illorum sequuntur illos. p. 294. c. 2. Cap. 20.
Vbi cruciatur die, ac nocte. p. 315. c. 1. Cap. 21.
Non erit amplius neque luctus neque clamor. p. 273. c. 1.
Non intrabit in eam aliquid coinquinatum. p. 294. c. 2.

FINIS.

INDEX PRAECIPVARVM RERVM quæ in hoc volumine continentur, litera, P. paginam litera vero C. columnam denotat.

Litera, A

Actio.



CTIONES humanæ solum sunt illæ quæ ex deliberata voluntate procedunt. p.5.c.2.& p.6.c.1.& 2.

Actio libera circa finem est humana & propter finem. pag.7. c.1.

Actio humana potest esse in instanti. p.7. c.2.

Actio humana qualiter specificetur â suo principio. p.54.c.2.

Actio immanens verè est actio, & non solum grammaticaliter. p.168 c.2.

Actio immanens non est in prædicamento actionis, sed qualitatis. p.169.c.1.

In prædicamento actionis sunt aliquæ actiones spirituales transeuntes, ibidem.

Actio appetitus sensitiui formaliter est immanens, & ad prædicamentum qualitatis pertineat. p.170.c.1.

Non omnis actio vitalis est immanens, sed aliqua est transiens de prædicamento actionis ibidem.

Actio & actus non sunt idem, p.171.c.1.

Actio transiens perfectionem ponit in agente ibidem,

Actio vnius potentiæ ægens actione alterius non remittitur per alteram actionem quam æget p.180.c.2.

Actio libera alterius potentiæ â voluntate non potest esse ex sola applicatione appetitus renitente voluntate p.582.c.2.

Actio humana mala constituitur per carentiam rectitudinis d bitæ inesse ipsi actioni, p.859.c.1,& 2,& p.860. c.1,& p.861.c.1,& 2.

Actus humanus.
Vide bonitas, & finis.

Actus interior, & exterior non semper sunt eiusdem speciei adequatæ, p.68.c.2.

Actus distincti specie possunt elici ab eodem habitu licet non immediatè, p.266.c.2.

Actus neuter potest dari inter finem, & medium vtroque considerato in actu signato, p.549.c.1.

Non tamen potest dari actus neuter vtroque considerato in actu exercito & adequatè, bene tamen sine inadequatè considerato, ibid.col.2.

Absolute dicendum est non dari actum neutrum, p.550.c.2.

Actus ad illam virtutem pertinet cuius obiectum attingit, vt quod p.565,c.1.

Idem actus potest esse simul volitio, & nolitio, p.567.c,1.

Actus primus naturaliter conueniens semper actualiter conuenit, non tamen actus secundus. p.647.c.2.

Actus malus humanus constituitur per malitiam positiuam inesse mali moralis in esse vero mali simpliciter per malitiam priuatiuam, p.861.c.2.

Actus humanus non sumit primam bonitatem, vel malitiam ex libertate, sed ex obiecto. p.866.c.1.& 2.

Actus humanus sumit bonitatem, vel malitiam completam etiam ex circunstantiis. p.867,c.2.

Actus humanus sumit bonitatem, vel malitiam ex obiecto, vt ex causa formali extrinseca immediata. p.868.c.1.& 2.

Actus humanus sumit bonitatem, vel malitiam ex obiecto considerato inesse moris. p.869.c.1.& 2.

Actus humanus summit bonitatem, vel malitiam ex obiecto, etiam vt â causa finali. p.870.& 871.

Actus humanus ab alio, quam ex obiecto potest habere bonitatem, vel malitiam accidentalem. p.873.c.2.

Actus humanus habet bonitatem, vel malitiam ab obiecto etiam vt â causa per accidens p.878.c.1.

Qualiter obiectum sit causa bonitatis, vel malitiæ actus cum sit effectus eius. ib c.2.

Actus humanus necessario habet bonitatem, vel malitiam ex fine non solum operis, sed

ſed etiam operantis, pagina, 884. columna. 1. & 2,

Actus humanus habet bonitatem, vel malitiã ex fine inter medio operantis præter illam quam habet ex obiecta & vltimo fine, pag. 885. c. 1.

Actus humanus habet bonitatem, vel malitiã ex fine operantis ſolum per relationem virtualem, ibi. col. 2. vſque ad pag, 889. colum. 2.

Bonitas, vel malitia ex fine operantis diſtinguitur ab ea quæ eſt ex proprio obiecto, pa. 887. vſque 888. c. 1.

Actus humanus vltra obiectum & finem bonum vt ſic bonus requirit proportionem finis ad obiectum. ibid.

Actus imperatus ſiue à charitate, ſiue ab alio intrinſecam, & inhærentem bonitatem habet ex tali imperio, pag. 891. col. 2. & pag. 892. colum. 1. & 2. & pag. 933. colum, 1. & 2.

Actus humanus ex fine extrinſeco habet bonitatem intrinſecam. p. 893. c. 1. & 2.

Actus humanus habet bonitatem intrinſecam non ſolum ex fine extrinſeco primario, ſed etiam ex ſecundario ibi.

Prædicta bonitas ex fine extrinſeco non ſolum eſt generica, ſed ſpecifica, pagina, 894. colum 1.

Bonitas intrinſeca proueniens actui ex fine non eſt eadem cum bonitate intrinſeca ipſius finis. ibi. c. 2.

Prædicta bonitas actus eiuſdem rationis eſt cũ bonitate ipſius finis ibidem, & pag. 895. col. 1.

Prædicta bonitas actus proueniens ex fine, vel imperante non elicitur ab imperante, ſed à potentia, vel virtute imperata. ibi. c. 2.

Actus humanus poteſt eſſe bonus ex obiectio & aliis circunſtantiis & malus ex fine, pag. 898. c. 1. & 2.

Actus humanus non eſt ſimul bonus & malus poſitiue, ſed negatiue, ibi, & pag. 899. colum. 1.

Actus humanus nunquam eſt ita malus vt nõ habeat aliquam bonitatem, pag. 901. colum. 1.

Aliqui actus humani ex ſua ſpecie ſunt boni, vel mali. pag. 907. vſque ad p. 920.

Actus humanus per bonum & malum conſtituitur in ſpecie ſubalterna, pagina, 909. col. 2.

Actus humanus ex ſua ſpecie bonus, vel malus completur ex accidentibus, pag. 910. col. 1.

Actus humanus ex obiecto bonus & ex fine malus vnicam habet ſpeciem mali moralis ex fine, p. 914. c. 2. & p. 915. 1.

Actus ex obiecto malus & ex fine bonus vnicam habet ſpeciem mali ex obiecto, ibidem, col. 2,

Prædicta malitia non ſolum eſt eadem ſpecie, ſed numero, ibi.

Actus humanus bonus ex obiecto & fine, vel malus ex vtroquè duplicem habet ſpeciem boni, vel mali. p. 916. c. 1.

Actus humanus ab eodem realiter ſummit ſpeciem ineſſe naturæ, & ineſſe moris, p. 924. col. 1..

Actus humanus non ſummit ſpeciem eſſentialem ineſſe moris ex obiecto, & fine operantis ſimul, ibi. c. 2.

Actus humanus electionis ſpecificatur eſſentialiter ex obiecto operis, p. 925. c. 2. & pag. 926. c. 1. & 2.

Prædictus actus habet ſpeciem accidentalem ex fine operantis, p. 927. c. 1.

Actus humanus interior qui ſimul fertur in obiectum operis & finem operantis ſpecificatur eſſentialiter ab eo quod reſpicit in recto non autem ab eo quod reſpicit in obliquo p. 927. c. 2. & p. 928. c. 1.

Actus humanus habet ex fine bonitatem generica ex obiecto vero ſpecificam, ſumendo genus, & ſpeciem moraliter, & tantum per analogiam ad genus, & ſpeciem phyſicam, p. 938. vſque 940.

Aliqui ſunt actus humani ex ſua ſpecie, & obiecto indifferentes in genere moris, p. 946. vſque 947.

Actus indiferens ex ſua ſpecie etiam retinet in indiuiduo indifferentiam ſpecificam, etiã ſi ſit bonus, vel malus indiuidualiter, pag. 950. c. 2.

Non datur in indiuiduo actus indifferens, ſed omnis neceſſario eſt bonus, vel malus, pag. 956. vſque 960.

Actus indifferens ex obiecto factus in exercitio ſine debito fine eſt malus non ſolum priuatiue, ſed etiam contrarie, pagina, 960. colum. 2.

In indiuiduo poteſt dari actus indiferens in ordine ad finem ſupernaturalem, pag. 961. col. 1.

Quod ſit præceptum referendi in indiuiduo in bonum finem actum humanum etiam indifferentem, ex obiecto, p. 962. col. 1. & 2.

Actus ex ſua ſpecie indifferentes vt ſint boni in indiuiduo ſufficit vt fiant in commoditatem naturæ, p. 963. c. 1.

Virum

Vtrum autem de huiusmodi indifferentibus ex sua specie possit fieri votum ibidem, & & 2.

Vtrum etiam prædicti actus in individuo sint sufficiens materia confessionis, ibi. co. 2. & p. 964. c. 1.

Etiam ex suppositione & per accidens non potest dari actus indifferens in individuo, ibi. c. 1. & 2.

Actus humanus generans habitum virtutis ad quam virtutem pertineat, & aquo elicitur. p. 965. c. 1. & 2.

Actus interior, & exterior habent se sicut materia & forma, p. 982. c. 1.

Actus exterior non semper adæquat cum interiori, ibi. c. 2.

Idem actus in esse naturæ manens idem non potest successiue esse bonus, & malus, p. 1016. c. 1. vsque p. 1018. c. 1. & 2.

Actus voluntatis in bonitate dependet â solo obiectio, 1022. c. 1. & 2, & pag. 1023. colu. 1. & 2.

In actu interiori non differt bonitas ex obiecto â bonitate finis, pagina 1023. columna 1. & 2.

Actus humanus dependet in bonitate ex ratione sicut ex obiecto. p. 1027. c. 1. & 2.

Ad conformitatem actus elliciti â voluntate cum ratione necessarium est actuale iuditiũ practicum formaliter existens, pag. 1028. col. 2.

Ad actum imperatum non requiritur iuditiũ practicum formale, sed sufficit virtuale, ibidem.

Ad actum bonum non requiritur formalis reflexio supra rectitudinem iuditij de bonitate actus, p. 1029. c. 1.

Ad productionem actus boni non concurrit partialiter iuditium, ibi. & c. 2.

Qualiter ad actum bonum ex ignorantia inuincibili, qui alias esset malus supponatur iuditiũ verum, & ratio recta, p. 1032. c. 2. vsque, p. 1034.

Actus exterior nullam addit bonitatem, vel malitiam supra interiorem efficacem, pag. 1124. c. 2. vsque, p. 1126.

Qualiter aliquis fiat peior per actum exteriorem, licet non adat bonitatem, vel malitiam supra interiorem, ibi. c. 1. & 2.

Actus exterior Martyrij solum addit ad interierem præmium accidentale, & actus exterior sacramenti solum addit gratiam sacramentalem, non autem essentiale meritum, ibidem, c. 2.

Qualiter manet in actu exteriori bonitas, vel malitia cessante interiori, p. 1128, c. 2.

In actibus exterioribus primo primis secluso actu interiori nulla manet bonitas, vel malitia, ibi. & p. 1129. c. 1.

Quare actus exterior venialis furti multiplicatus perueniat ad mortale non autem si interior tantum multiplicetur, ibi, c. 2. & pag. 1130. c. 1.

Qualiter actus interior potest esse perfectus non perueniendo ad actum exteriorem, ibid. c. 2 & p. 1131. c. 1. & 2.

Qualiter debeat intelligi quod euentus præcogitatus addit ad bonitatem, vel malitiam actus exterioris, p. 1134. c. 1. & pag. 1135. col. 1.

Idem actus siue interior, siue exterior non potest esse simul bonus, & malus, pag. 1136. col. 2.

Idem actus exterior respectu diuersarum personarum simul potest esse bonus, & malus, p. 1137. c. 1.

Quare actus exterior magis exorreatur, p. 1127 col. 1.

Actus exterior vere, & formaliter habet bonitatem, vel malitiam, p. 1112. c. 1.

Non solum bonitas, sed etiam malitia formalis per prius conuenit actui interiori, ibidem. c. 2. & p. 1113. & 1114.

Qualiter actus interior, & exterior comparentur interse, p. 1116. c. 1. & p. 1117. c. 1.

Qualiter actus exterior possit denominari extrinsece ab interiori, & ècontra, ibidem, col. 2.

Actus interior, & exterior sunt idem in esse moris, p. 1118. c. 1. & 2.

Aduocatus vide opinio.

Agens.

Agens naturale est determinatum ad actionẽ & speciem actionis liberum autem omnino indifferens, p. 56. c. 2.

Qualis sit distinctio inter agens, & patiens, p. 164. c. 1.

Agere vide mætus.

Agere propter finem non est idem quod mouere se in finem, p. 416. c. 1.

Amabile.

Amabile propter se, & amabile propter aliud contraditorie opponuntur, pag. 550. col. 1. & 2.

Ambitio.

Ambitio ex proprio genere tantum est veniale, p. 119. c. 1.

Amicitia.

Amicitia Dei consistit in indiuisibili, humana vero latitudinem habet. p. 87. c. 1.

Amicitia etiam diuina non dissoluitur per actum contrarium leuem ibid.

Amor.

In Christo Domino fuit amor necessarius, & liber p.159.c.2.

Amor non est consecutiuus obiecti. p.195.c.1. vsqu. p.196.c.2.

Amor præcedit beatitudinem in viatoribus adultis per modum dispositionis, non autem ex natura rei. p.208.c.1.

Amor Dei ad intra aliqualiter est practicus sine imperfectione p.223.c.2.

Ad amorem in patria etiam posita visione requiritur motio supernaturalis ex parte voluntatis p.653.c.2.

Ad istum amorem requiritur habitus charitatis.p.654.c.1.& 2.

Angelus.

Nomina Angelorum imposita sunt eis viatoribus.p.201.c.2.

Angelus consecutus est beatitudinem vnico motu homo vero pluribus. p.397.c.1.

In Angelis non est inconueniens aliquam totam speciem perire in homine autem sic.pag. 137.c.1.

Anima.

Animæ purgatæ ante reunionem videt Deum per essentiam. pag.322.c.1.& 2,& p.324. c.1.

Anima separata non minus perfectè operatur in supernaturalibus, secus autem in naturalibus p.329.c.2.

Anima separata non ita perfectè operatur extensiuè.p.330.c.1.

Anima separata per appetitum reunionis non retardatur à visione clara Dei, ibid.

Appetitus.

Appetitus naturalis errare non potest, liber autem declinare potest in malum p.80 c.2.

Appetitus inordinatus famæ, & gloriæ ex genere suo tantum est veniale.p.120.c.2.& p. 121.c.1.

Appetitus videndi causam primam ex effectibas est absolutus in eo, cui apparet possibilis talis visio; alias autem solus conditionatus. p.135.c.1.

Appetitus hominis satiari potest ex parte subiecti aliquo creato.p.241.c.2.

In homine non est appetitus naturalis videndi Deum clarè per modum ponderis. pag.245. c.2.

In homine non est appetitus naturalis causaliberum videndi Deum.p.247.c.1.

In homine est appetitus naturalis elicitus tantum conditionatus videndi Deum, ibid.

Idem dicendum est de appetitu videndi Deum auctorem naturæ.ibid.

Idem dicendum de appetitu respectu fidei spei, & charitatis.ibid c.2.

Etiam supposita fide non est appetitus naturalis, videndi Deum ex propriis viribus. ibid.

Oppositaopinio scoti est probabilis.p.248.c.1. & 2.

Appetitus sensitiuus ex se, non est subiectum virtutis, bene autem ex coniunctione ad liberum arbitrium. p.742.c.1.& 2.

Apprehensio.

Apprehensio ex parte potentiæ tantũ est conditio, vt bonum physicum moueat, apprehensio autem ex parte finis potest esse ratio formalis.p.23.c.2.

Per diuersam apprehensionem cognoscitur diuersa ratio formalis finis.p.25.c.1.

Apprehensio est ratio formalis mouendi in bono morali.p.25.c.2.

Apprehensio est conditio intrinseca. pag.26. c.1.

Apprehensio est ratio sub qua ex parte potentiæ vt finis moueat.p.27.c.2.

Arbitrium.

Liberum arbitrium est ponendum in homine.p. 678.c.1.& p.679.c.1.& 2.

Auaritia.

Auaritia ex genere suo tantum est veniale. p. 117.c.1.

Auxilium.

In statu naturæ essent auxilia naturalia sufficientia rectificare potentias, & delere peccatum contra auctorem naturæ. p.134.c.1.

B

Beatificare.

Aliqualiter potest concedi quod homo se beatificat.p 157.c.1.

Beatitudo.

Supposita reuelatione alterius vitæ,& in mortalitate animæ hæresis est dicere beatitudinem consistere in diuitiis p.109.c.2.

Ad beatitudinem naturalem aptissimæ sunt diuitiæ mediocres.p.112.c.2.

Ad beatitudinem supernaturalem præferenda est paupertas diuitiis.p.113.c.1.

Ad beatitudinem melius conducit vita contemplatiua, quam actiua.p.117.c.2.

Beatitudo secundũ epicurum consistebat in voluptate, licet ab aliquibus excusetur, p.126. c.2.

Beatitudo non consistit in voluptate. pag.127. c.2.& p.128.c.1.

Beatitudo in nullo bono creato consistere potest. p.131.c.2.
In puris naturæ esset aliqua beatitudo obtinenda viribus naturæ.p.133.c.1.
Beatitudo obiectiua illius status non consisteret in aliquo bono creato,ibidem.
Beatitudo illius status consisteret in elevatissima contemplatione auctoris naturæ, ibidem c.2.
Illa contemplatio fieret per species infusas.ibid.
Illa contemplatio non haberetur in hac vita,sed in alia ibidem.
Beatitudo illius status esset inæqualis secundum merita.p.134.c.1.
Beatitudo illius status esset in amassibilis ex parte subiecti,licet non ex parte obiecti.ibid. c.2.
Locus prædictæ beatitudinis esset cælum. ibid.
Quies illius beatitudinis non turbaretur per appetitum, reunionis ad corpus non futuræ, ibid.
Beatitudo aliquando sumitur pro collectione bonorum aliquando pro actione qua coniungitur homo summo bono.p.137.c.2.
De diuisione beatitudinis.ibid.
Beatitudo supernaturalis est possibilis. p.137. c.1.
Omnibus secluso Deus est obiectum sufficiens beatitudinis essentialis.p.138.c.1.
Deus est obiectum beatitudinis secundum existentiam realem, & non tantum secundum obiectiuam ibid.c.2.
Obiectum beatitudinis est essentia diuina,vt in se non coarctata ad aliquod attributum,pag. 140.c.2.
Obiectum beatitudinis supernaturalis est essentia diuina secundum absoluta & relatiua, licet in naturali tantum absoluta attingerentur.p.141.c.1.
Creaturæ contentæ in Deo eminenter non pertinent ad obiectum essentialis beatitudinis. ibid.c.2.
Ideæ quantum ad respectum rationis non pertinent ad obiectum primarium beatitudinis. ibidem.
Si essentia videretur sine personis non esset beatitudo essentialis perfecta. p.142.c.1.
Si p rimpossibile videretur vnum attributum, sine alio non esset essentialis beatitudo perfecta,& integra,ibid.c.2.
Loquendo more Sanctorum dicendum est, quod beatitudo est aliquid increatum,quia loquuntur de beatitudine obiectiua,loquendo autem more scholastico dicendum est beatitudinem esse aliquid creatum, quia communiter loquuntur de beatitudine formali. p. 148.c.2. & p.149.c.1.
Necessario in beatitudine ponendus est illapsus, & intima vnio diuinæ essentiæ cum anima beati.p.152.c.2.
Beatitudo formaliter, & essentialiter non consistit in illapsu.sed in operatione. p.154.c.2.
Omnis operatio beatitudinis subsequitur ad illapsum nullaque operatio,etiam imperfecta cognitionis, vel amoris potest præcedere. pag. 155.c.2.
Qualiter licet iustificatio non sit per operationem glorificatio, tamen sit per illam.ibid. c.2.
Beatitudo non consistit in habitu,sed in actu secundo.p.159.c.1.
Etiam hoc habet verum de beatitudine naturali.ibidem.
Beatitudo formalis est ab homine; præmium tamen à Deo.p.160.c.1.
De fide tenendum est beatitudinem non consistere in operatione partis sensitiuæ.pag.174. c.1.
Beatitudo essentialiter tantum consistit in vna simplicissima operatione.p.187.c.2.
Multa reperiuntur in beatitudine concomitanterque nomine beatitudinis gaudere solent, tum in sacra Scriptura, tum apud Doctores Sanctos.p.188 c.1.& 2.
Beatitudo consistit in actu vltimo ordine intentionis,non tamen ordine executionis.p.189. c.1.
Beatitudo non consistit in vnione maxima,vtcumque cum Deo, sed in maxima per modum operationis consecutiuæ.ibid.c.2.
Beatitudo non est maxima vnio extensiua,sed intensiua.ibid.
Beatitudo essentialis non potest consistere in delectatione.p.194.c.1.
Beatitudo essentialis non consistit in actu amoris qui habetur in patria, ibid.c.2.
Beatitudo formalis consistit essentialiter in actu intellectus.p.196.c.2.vsque ad pag.199.
Beatitudo essentialis consistit in actu intellectus non præcise,vt est visio,sed vt comprehensio & consecutio obiecti.p.199.c.1.
Licet beatitudo essentialiter, tantum consistat in visione completiuè, tamen consistit etiam in fruitione,& amore.p.200.c.1.
Beatitudo consistit in vltimo secundum perfectionem non in vltimo secundum executionem ibid.c.2.
Ratio formalissima sub qua beatitudinis est ratio summi veri,ratio autem summi boni tantum est ratio quæ.p.204.c.2.

Bene ſtat quod tendentia ad beatitudinem ſit principaliter per voluntatem, & conſequutio principaliter per intellectum. ibid.

Non omnia quæ pertinent completiuè ad beatitudinem originanter immediatè à viſione, ſed ſufficit radicaliter originari. pag. 205. c. 1.

Beatitudo viæ in ſtatu eleuationis non poteſt conſiſtere in fidei cognitione. p. 211. c. 1.

Beatitudo viæ non poteſt conſiſtere in altiſſima contemplatione per donum ſapientiæ. ibid. c. 2.

Beatitudo viæ conſiſtit in charitate, & conſequenter in actu voluntatis. p. 212. c. 1.

Magis habet rationem conſequutionis charitas quam fides; vt in charitate conſiſtat beatitudo viatoris. ibid. c. 2.

Beatitudo formalis nec tantum eſt practica, nec tantum ſpeculatiua, ſed vtrumque habet in eodem actu. p. 216. c. 2.

Qualiter practicum, & ſpeculatiuum ſimul reperiantur in eodem actu formaliter, vel eminenter. p. 217. c. 2. & p. 218. c. 1. & 2.

Beatitudo conſiſtit eſſentialiter in viſione, vt ſpeculatiua, & non vt practica. p. 220. c. 1. & 2. & p. 221. c. 1. & 2. & p. 222. c. 1.

Beatitudo eſt vna ſimplex notitia, & non compoſita. p. 224. c. 2.

Qualiter beatitudo in cognitione Angelorum conſiſtere non poſsit. p. 237. c. 1. & 2. & pag. 238. c. 1. & 2.

Qualiter in nullare creata poſsit conſiſtere. ibi. & p. 241. c. 1. & 2.

Rectitudo voluntatis requiritur antecedenter, & concomitanter ad beatitudinem. p. 294. c. 2. & p. 295. c. 1. & 2.

Talis rectitudo eſt omnino neceſſaria, ita vt omnino ſit impoſsibile, quod beatus peccet, ſiue mortaliter, ſiue venialiter. p. 297. c. 2. & p. 298. c. 1. & 2.

Beatitudo non eſſet ſimpliciter perfecta ſine amore. p. 304. c. 2.

Cum beatitudine non compatitur peccatum actuale, ſiue mortale, ſiue veniale, etiam de potentia Dei abſoluta. p. 307. c. 1. & 308. c. 1.

Cum beatitudine, & viſione clara Dei poteſt compati peccatum habituale de potentia Dei abſoluta. ibid.

Oppoſitum huius eſt probabile. p. 309. c. 1.

Beatitudo & peccatum magis repugnãt, quam beatitudo, & triſtitia. p. 310. c. 2.

Poſita beatitudine, & viſione in intellectu beati ex ſuppoſitione Deus neceſſario rectificat voluntatem. p. 311. c. 2.

Beatitudo non poteſt conferri exiſtenti in peccato quin conferatur gratia. p. 312. c. 1.

Beatitudo non habet tantam repugnantiam cum peccato ſicut gratia vnionis. pag. 313. c. 2.

Beatitudo naturalis aliqualiter eſt in dæmonibus, non tamen perfecta. p. 315. c. 1.

Idem dicitur de pueris limbi. ibid. c. 2.

Beatitudo naturalis neceſſario habet connexam impeccabilitatem, & rectitudinem voluntatis. p. 316. c. 1.

Beatitudo naturalis eſt in amiſsibilis per ſe, per accidens autem amiſsibilis, ibid. c. 2.

Beatitudo poſt reſurrectionem nullo modo minuetur, erit autem maior extenſiuè, non autem intenſiuè. p. 328. c. 1. & 329. c. 1. & 2.

Beatitudo naturalis in puris naturæ haberetur in anima ſeparata, & non in corpore. p. 331. c. 1.

Hæc beatitudo haberetur per ſpecies inditas ab auctore naturæ. p. 332. c. 1. & 2.

Beatitudo naturalis requirit bonam diſpoſitionem corporis pertinentem quidem ad integritatem ſenſuum neceſſario, non vero ſic pertinentem tantum ad bene eſſe. p. 335. c. 2.

Beatitudo ſupernaturalis imperfecta huius vitæ abſolute conſiderata, non requirit etiam ad bene eſſe bonam diſpoſitionem corporis non pertinentem ad integritatem ſenſuum. p. 336. c. 1.

Prædicta beatitudo conſiderata, vt via ad beatitudinem perfectam gloriæ potius requirit malam corporis diſpoſitionem, vt infirmitates, & dolores. ibid. & c. 2. & p. 337. c. 1.

Beatitudo ſupernaturalis patriæ requirit perfectam corporis diſpoſitionem, & antecedenter, & conſequenter. p. 338. c. 1.

Qualiter beatitudo eſſentialis non minueretur quantum ad intenſionem, etiam ſi beatus exiſteret in corpore corruptibili. ibid. & c. 2.

Beatitudinem poteſt homo conſequi. pag. 346. c. 1.

Beatitudo formalis eſt inæqualis in beatis. pa. 355. c. 1. & 2.

Beatitudo formalis non eſt inæqualis tantum ſecundum extrinſeca, nec etiam ſecundum ſpeciem, ſed eſſentialiter indiuidualiter. ibid. c. 2. & p. 357. c. 1.

Prædicta inæqualitas non eſt per hoc quod vnus beatus videat plura eorum quæ ſunt formaliter in Deo ſed eorum quæ ſunt eminenter in illo. ibid c. 2. & p. 358. c. 1.

Iſta inæqualitas ex parte potentiæ prouenit ex inæqualitate meritorum, & luminis, ibid. c. 2. & p. 359. c. 1.

Beatitudinem perfectam non poteſt homo obtinere

nere in hac vita. p. 367. c. 1.
Beatitudo de facto est in amissibilis secundum fidem. p. 373. c. 1.
Beatitudo ab intrinseco, & ex propria natura est in amissibilis etiam in ratione visionis. p. 374. c. 1 & 2. & p. 375. c. 2.
Beatitudini nihil est contrarium per quod possit corrumpi. p. 376. c. 2.
Beatitudo supernaturalis perfecta non potest acquiri viribus naturæ. p. 383. c. 1. & 2.
Beatitudo non potest consequi, nisi per actionem Dei. p. 393. c. 2.
Ad beatitudinem requiritur aliquod opus bonum absolute. p. 396. c. 1.
Maximum Dei beneficium fuit, vt beatitudinem consequeremur per bona opera. p. 397. c. 1.
Beatitudo conseq uitur ab Angelo vnico motu ab homine vero pluribus. ibid.
Ad beatitudinem in communi necessitatur voluntas, quantum ad specificationem, non vero quantum ad exercitium. p. 400. c. 2.
Beatitudinem in communi appetunt damnati desiderando non esse. p. 401. c. 2. & 402. c. 1.

Beatus, vide visio beatifica.

Vt totus homo sit beatus sufficit quod beatitudo sit in parte superiori illius. p. 174. c. 1.
Beatus neque mortaliter, neque venialiter potest peccare. p. 297. c. 2. & p. 298. c. 1. & 2.
Rectitudo voluntatis, & impeccabilitas conuenit beatis ab intrinseco, ex propria natura voluntatis, & status, & visionis beatificæ. p. 301. c. 1. & 2.
Beatus de potentia Dei absoluta potest videre Deum, & non amare illum. p. 304. c. 1.
Beatus non potest velle non diligere Deum, nec Deus potest illi præcipere. ibid. c. 2.
Beato non potest Deus ponere præceptum operandi, & negare auxilium efficax ad operandum. p. 310. c. 1.
Multi sunt beati æquales in beatitudine formali. p. 356. c. 1.
Quilibet beatus satiatus sua gloria non habet appetitum elicitum conditionatum, vel absolutum maioris gloriæ. p. 362. c. 1. & 2. & p. 363. c. 1.
In minori beato nullus est appetitus naturalis, non satiatus respectu maioris gloriæ. ibid. c. 2. & p. 364. c. 1. & 2.

Bonitas, vide actus.

Bonitas est duplex alia moralis, alia physica, & in quo vtraque consistat. p. 22. c. 2.
Bonitas moralis requirit collectionem eorum, quæ ratio dictat, tam ex parte obiecti, quam circunstantiarum & finis, non tamen in tali collectione consistit. p. 853. c. 2.
Bonitas moralis est aliquid reale intrinsecum existens in ipso actu humano. p. 854. c. 1. & 2. & p. 855. c. 1.
Bonitas moralis consistit in habitudine ad obiectum, vt conforme regulæ rationis. ibid. c. 2.
Bonitas, vel malitia actus humani ex obiecto est specifica specie athoma. p. 867. c. 1.
Bonitas actus humani non est vna vnitate simpliciter, sed vnitate ordinis. p. 900. c. 1.

Bonum.

Bonum morale mouet secundum esse apprehensibile. p. 22. c. 2.
Bonum physicum formaliter mouet secundum esse reale, & apprehensio solum est conditio. p. 23. c. 1.
Vt bonum moueat ad fruitionem, vel delectationem non requiritur esse, vel fore, sed sufficit esse possibile, immo quod apprehendatur, vt possibile. ibid. c. 2.
Bonum licet aliqualem proportionem habeat cum voluntate prout est â parte rei, nihilominus completam habere non potest, nisi per apprehensionem. p. 27. c. 1.
Diuisio boni, & quem locum vnumquodque seruet comparatione ad aliud bonum. p. 107. c. 2.
Bonum honestum, & delectabile habent sufficientem rationem mouendi appetitum ex se ipsis inesse naturæ, non autem bonum vtile, inesse autem morali solum bonum honestum habet sufficientem rationem motiui. p. 281. c. 1.
Existens in gratia potest multa bona facere; immo existens in peccato, & in natura lapsa, & idem posset in puris naturæ. pa. 842. c. 2. & 843. c. 1. & 2.
Bonum, & malum morale contrariè opponuntur, & sic inter illa potest dari medium. pag. 949. vsque 950.
Bonum, & malum sunt differentiæ per se actus humani inesse moris, non tamen inesse naturæ. p. 1009. c. 1. vsque 1012.
Bonum, & malum licet in multis, non tamen in omnibus se habent sicut verum, & falsum. p. 1012. c. 2.
Qualiter bonum, & rectum, sicut & malum, & peccatum licet realiter sint idem formaliter tamen distinguantur. pagin. 1139. c. 1.

Bruta.

Bruta nullo modo cognoscunt proportionem medij cum fine, quia ad hoc requiritur discursus. p. 27. c. 2.
Bruta mouent se physicè, non tamen moraliter etideo

& ideo in rigore, & propriè non dicentur se mouere ibid.

In brutis nullum est vestigium discursus licet in aliquibus sit maior sagacitas, quam in aliis. p. 46. c. 1. & 2.

Appetitus bruti determinatur ab auctore naturæ ad hoc in particulari. ibid.

In brutis non est motio causæ finalis, licet tendant in finem. p. 47. c. 1.

Quid sit instinctus naturæ per quem bruta tendunt in finem. ibid.

Bruta comparatiuè ad non viuentia dicuntur se mouere in finem comparatiue vero ad rationalia dicuntur non se mouere. p. 416. c. 2.

C

Capacitas.

Quod sit capacitas in homine ad visionem clarã Dei, nõ potest ratione naturali demõstrari, bene tamẽ cõgruenter. p. 349. c. 2. & p. 350. c. 1.

Causa.

Causa efficiens materialis, & formalis necessario debent existere vt causent, non autem finalis. p. 24. c. 1.

Causæ efficienti, & finali communia sunt hæc nomina, mouere, influere, & causare, p. 593. c. 1. & 2. & p. 594. c. 1.

Circunstantia.

Ad Theologum pertinet agere de circunstantiis. p. 525. c. 2. & p. 526. c. 1. & 2.

Diuisio circunstantiarum. p. 528. vsque 532.

Actus humanus habet bonitatem, vel malitiam ex circunstantiis. pa. 969. c. 2. vsque 971.

Circunstantia est accidens actus humani, & bonitas ex circunstantia est accidentalis. p. 520. vsque p. 523. & p. 971 & pa. 972. c. 1. & 2. & 973. c. 1 & 2.

Qualiter circunstantia durationis augeat bonitatem, vel malitiam actus humani. pag. 973. vsque p. 979.

Etiam actus interior habet bonitatem, vel malitiam ex circunstantiis. p. 980. c. 1. & 2.

Quando voluntas diuersis actibus fertur in obiectum & finem, tunc finis volitus per secundum actum est circunstantia obiecti voliti per priorem. p. 983. c. 1. & 2.

Quando voluntas eodem actu fertur in obiectum & finem si feratur per modum electionis, tunc finis habet rationem circunstantiæ, non autem si feratur per modum intentionis. pa. 984. c. 1.

Circunstantia vt tribuat bonitatem, vel malitiam debet esse volita p. 985. c. 2. & p. 986. c. 1. & 2.

Circunstantia aliquando mutat speciem actus moralis. p. 988. c. 1.

Circunstantia quæ de veniale facit mortale mutat speciem ex parte rationis formalis appetibilis, licet non ex parte rei obiectiuæ. ibid. c. 2.

Circunstantia quæ dicit specialem ordinem ad rationem, vel contra illam mutat speciem actus p. 989. c. 1 & 2.

Circunstantia mutans speciem importat bonitatem, vel malitiam distinctam ab ea cuius est circunstantia. p. 990 c. 2.

Circunstantia mutans speciem non semper præsupponit bonitatem, vel malitiam alterius speciei in actu cuius est circunstantia. pagin. 991. c. 1.

Circunstantia mutans speciem necessario debet transire in rationem obiecti, saltem vt conditio principalis illius. p. 992. c. 2.

Circunstantia vt mutet speciem non est necesse vt primo, & per se sit volita aut intenta, etiam respectu actus interioris, sed sufficit esse intentam per se secundo. ibid. & pa. 993. c. 1. & 2. & p. 994. c. 1.

Circunstantia etiam si mutet speciem manet circunstantia. p. 996. c. 1. & 2. & pa. 997. c. 1.

Quando circunstantia mutans speciem est conditio terminatiua obiecti, tunc tantum est vnica species boni actus vel malitiæ ex obiecto, & circunstantia. p. 999. c. 2.

Quando circunstantia mutans speciem disparate se habet ad bonitatem, vel malitiam ex obiecto tunc est duplex species bonitatis, vel malitiæ ex obiecto & circunstantia. p. 1000. c. 1.

Quando circunstantia solum se habet secundario volita vt conditio connecta obiecto per se intento vt finis; tunc auget bonitatem, vel malitiam ex obiecto intra suam speciem. pa. 1003. c. 2. & p. 1004. c. 1. & 2.

Quando circunstantia est per se intenta quasi finis obiecti tunc bonitas, vel malitia circunstantiæ augetur intra propriam speciem ex obiecto. ibid. c. 2.

Quando plures circunstantiæ non mutantes speciem simul concurrunt non tribuunt plures bonitates; vel malitias specie, vel numero distinctas, sed eandem, quæ per superuenientes augetur. p. 1006. c. 1. & 2.

Charitas.

Charitas est præstantissimus habitus inuia, non autem in patria. p. 102. c. 1.

Magis habet rationem consequutionis charitas, quam fides vt in charitate consistat beatitudo viatoris. p. 212. c. 2.

Cogere vide voluntas.

Comprehensio.

Comprehensio Dei requiritur ad beatitudinem. p.285.c.2.& p.286.c.1.
Comprehensio non est actus voluntatis, sed intellectus.p.287.c.2.
Comprehensio non distinguitur realiter distinguitur, tamen formaliter à visione.p.288 c. 1.& 2.& p.289.c.1.
Comprehensio etiam de potentia absoluta inseparabilis est à visione beatifica.pa.290.c.2. & p.291.c.1.

Concupiscentia.

Concupiscentia antecedens potest omnino tollere voluntarium, quantum ad rationem perfectam; quantum ad rationem, tamen communem voluntarij quod est à principio intrinseco non potest tollere illud, sed potius auget.p.493.c.1.& 2.& p.494.c.1.& 2.
Absolutè dicendum est quod concupiscentia auget voluntarium. ibid & p.495.c.1.& 2.
Concupiscentia licet aliqualiter minuat voluntarium, non tamen dicitur causare inuoluntarium secundum quid. p.498.c.1.& 2.& p.499.c.1.& 2.

Conscientia.

Conscientia tantum dicit aliquid pertinens ad intellectum p.1041.c.1.& 2.
Conscientia non est habitus sed actus intellectus qui est iudicium actuale.pag.1042.c.1.& 2.
Conscientia in ordine ad præterita est iudicium speculatiuum in ordine vero ad futura potius est practicum.p.1043.c.1.& 2.
Conscientia tantum est de præteritis, & futuris.pa.1044.c.1.
Diuisio conscientiæ ibid.
Facere contra conscientiam non est distinctum peccatum ab eo quod est contra regulam æternam ibid.c.2.
Facere contra conscientiam est peccatum. pag. 1046.c.1.& 2.& p.1047.c.1.& 2.
Etiam si conscientia sit erronea ex ignorantia vincibili, & culpabili nihilominus est obligatio sequendi illam.p.1048.c.1.& 2.
Prædicta obligatio non est simpliciter & absolute, sed secundum quid & ex suppositione. ibid.c.2.
Facere contra conscientiam erroneam non est speciale peccatum.p.1049.c.1.& 2.
Agere contra conscientiam est tale peccatum mortale, vel veniale; qualis est obligatio apparens in ipsa conscientia. ibid.c.2.
Etiam conformari cõscientiæ erroneæ culpabili, & illam sequi est peccatum.p.1050.c.1.& 2.
Aliquando est minus peccatum sequi talem conscientiam erroneam aliquando vero est maius peccatum quam illam deserere; & facere contra illam. pa.1051.c.1.
Qualiter concurrat lex diuina ad malum existimatum bonum, ex conscientia erronea. ib.c.2.
Conscientia erronea plus obligat quam præceptum prælati cæteris paribus. pa.1052.c.2. & p.1053.c.1.& 2.
Supra conscientiam erroneam non potest fieri dispensatio etiam à Deo.p.1054.c.2.

Conscientia dubia, vide dubium.

Non potest quis facere contra conscientiam dubiam, & si dubium est de mortali est mortale, & si est de veniali est veniale facere contra illam.p.1056.c.2.
Stante conscientia dubia vtrum res sit licita, vel illicita tenetur quis consultare ad quos pertinet negotium, & iudicium illius rei. p. 1062.c.1.& 2.
Qualiter possit quis agere secundum conscientiam probabilem, vide opinio.
Non semper est licitum agere contra conscientiam scrupulosam.p.1075.c.1.
Etiam si scrupulus oriatur ex causa rationabili si ex opposito habeatur opinio probabilis, licitum est agere contra scrupulum. ibidem.
Si scrupulus accipiatur communiter pro formidine non fundata, non solum est licitum agere contra illum, sed animandi sunt scrupulosi, vt contra scrupulum operentur. ibid.c.2.

Consensus.

Consensus propriè est actus potentiæ appetitiuæ quia intellectus dicitur assentire non consentire.p.787.c.1.& 2.
Consensus propriè non est in brutis, sed in creatura rationali.p.789.c.1.
Consensus propriè tantum est de mediis, & non de fine.p.790.vsque 792.
Consensus in actum; vel in delectationem actus pertinet ad rationem superiorem; consensus vero in delectationem cogitationis ad rationem inferiorem licet, vt ordinatur ad opus pertineat, etiam ad rationem superiorem.pa. 793.c.1.vsque p.795.
Consensus de cogitatione venerea induit circunstantiam sui obiecti necessario confitendam. p.795.& p.796.

Consilium, & consulere.

Consilium secundum se non dicit inquisitionem bene, tamen prout in homine. pa.771.c.2.& p.772.c.1.
Consilium est actus intellectus licet importet aliquid ex parte voluntatis.ibid.c.2.
Licitum est consulere minus malum inferendum alicui personæ, vt euitetur maius, non autem vt euitetur maius in alia persona. pa. 773.& p.774.

Consilium formaliter semper est de mediis.pag. 776.c.1.& 2.
Consilium tantum est de his quæ â nobis aguntur. pa.778. c.1.& 2.
Consilium non est de omnibus quæ â nobis agũtur. p. 780. c.2. & p.781.c.1.
Consilium procedit modo resolutorio,quia incipit â fine.p 781.vsque p.784.
Consilium habet inquisitionem finitam in actu in potentia,tamen consilium potest esse in infinitum.p.785.c.1.& 2.
Facta consultatione tenetur quis sequi cõsilium, etiamsi consiliatores errent. pagin.1063.c.1. & 2.

Contractus.

Contractus siue votum, siue matrimonium factum ex metu cadente in virum constantem iure naturæ est validum p.484.c.1.
Aliqui contractus vt matrimonium,& votum metu facti, & iure naturæ validi sunt irriti, iure positiuo. ibid.
Contractus ex metu facti,& iure naturæ validi neque irritati iure positiuo aliquando non sunt adimplendi p.485.c.1.

Corpus.

Corpora cœlestia post iudicium splendidiora apparebunt licet in re maiorem claritatem non habeant. p.331.c.1.

Creatura.

Non potest dari creatura cui sit connaturalis gratia,vel lumen gloriæ.pag.387.c.1.& 2. & pa.388.c.1.& 2.
Non potest produci creatura, quæ sine lumine per se ipsam possit videre Deum.p.389.c.1. & 2.

D

Delectatio.

Delectatio tantum potest esse de re præsenti.pa. 24.c.2.
Delectatio non solum reperitur in appetitu sensitiuo,sed etiam in voluntate.pa.254.c.2.
Vtraque delectatio vere est actus, & operatio. p.255.c.2.
Delectatio voluntatis aliquando est libera, aliquando necessaria.p.258.c.1.
Delectatio sequitur ad operationem.ibidem c.1. & 2.
Delectatio distinguitur realiter ab amore qui est peculiaris actus voluntatis.p.259.c.2.
Delectatio non solum distinguitur realiter ab amore amicitiæ, sed etiam concupiscentiæ.p. 261.c.1.
Delectatio in patria non elicitur immediatè â sola voluntate.pa.263.c.2.
Delectatio in patria non elicitur â virtute spei. p.264.c.1.
Talis delectatio non elicitur ab aliqua speciali, virtute succedente loco spei. pa.265.c.1.
Talis delectatio elicitur ab habitu charitatis. ibid.
Qualiter eliciatur in patria â charitate,& inuia â spe.ibid.c.2.
Delectatio in patria consequuta ad amorem cõcupiscentiæ respicit,vt obiectum Deum visum p.269.c.2.
Talis delectatio dicendum est absolutè habere obiectum increatum.pa.271.c.1.
Delectatio in beatis nunquam deficiet.pa.273. c.1.
Delectatio necessario,& ex natura rei sequitur, ad visionem,& amorem.ibid.c.2.
Delectatio consecuta ad amorem amicitiæ, vel concupiscentiæ potest ab illo separari p.274. c.1.
Delectatio amoris concupiscentiæ,non potest stare sine visione.ibid c.2.
Delectatio est minus perfecta quam visio & quam quælibet operatio ad quam consequitur. p.277.c.2.
Delectatio in patria aliqualiter est finis,& aliqualiter propter finem.p.278.c.2.
Delectatio perficit operationem,secundum quid econtra autem simpliciter. p.279.c.2.
Delectatio est propter operationem,vt finem secundum ordinem naturæ. p.281.c.2.
Delectatio in brutis secundum pondus naturæ est propter operationem,vt finem.ibid.
Operatio in brutis per actum elicitum est propter delectationem sumendo ly propter formaliter,& non finaliter.p.282.c.1.
Delectatio aliqualiter potest dici finis operationis in brutis.ibidem.
Probabile est delectationem esse finem operationis appetitus sensitiui.p.288.c.1.& 2.
Delectatio post resurrectionem erit maior extensiuè.p.330.c.2.

Deliberatio.

Deliberatio aliquando sumitur pro ordine mediorum qui est in electione,aliquãdo pro actu libero,qui etiam est in intentione. pagin.7. c.1.

Desiderium.

Qualiter sit desiderium naturale videndi causam ex effectibus.p.250.c.2. & p.251.c.1. & 2.

Deus,vide finis,& beatitudo.

In Deo est maxima perfectio dare in creaturis vero recipere. p.115.c.1.
Deus diligi potest amore amicitiæ, & concupiscentiæ,& isti amores contrarij non sunt.p. 130.c.1.

Dæmon.

Dæmon habet aliquam beetitudinem naturalem imperfectam tamen.p.315.c.1.

Distinctio.

Distinctio sensus compositi, & diuisi necessario est ponenda in D.Tho.pagin.687.c.1.vsque 689.

Diuitiæ, vide beatitudo.

Diuitiæ secundum se, nec sunt bonæ nec malæ, sed hoc est pensandum in ordine ad vsus humanus.p.113.c.1.

Inordinatus appetitus diuitiarum ex genere suo tantum est veniale.p.117.c.1.

Dotes.

Qui sint dotes in patria correspondentes virtutibus Theologicis.p.292.c.1.& 2.

Dubium, vide conscientia dubia.

Stante dubio pro vtraque parte æquali, si necessum est operari, si vtraque pars est tuta minus periculosa est eligenda, si vero vtraque pars æquale habet periculum eligenda est minus dubia.p.1059.c.1.& 2.

Quando est dubium vtrum prælatus iure præcipiat delictum fratris manifestari, quid tunc debeat fieri p.1060.c.1.& 2.

In dubiis si vna pars est omnino tuta,& sine notabili damno tunc sequi periculosam in materia mortali est mortale.p.1062.c.1.

In dubiis si vna pars est venialis,& altera mortalis, tunc sequi magis periculosam est mortale.ibi.c.2.

Quando vtraque pars est dubia de mortali, & vnius ad alteram est notabilis excessus, tunc sequi magis periculosam est mortale, si autem non sit notabilis excessus minime, ibidem.

Quando vtraque pars est æqualiter periculosa illam debet sequi, quæ maiora habuerit argumenta licet oppositum non sit mortale, ibidem.

Quando vtraque pars dubij in omnibus æqualiter se habet potest sequi, quam maluerit, dum modo dubium sit ex ignorantia inuincibili.p.1062.c.1.

E

Electio.

Electio quoad substantiam elicitiue est actus voluntatis p.729.c.1.

Electio supponit aliquid formale ex parte intellectus.p.730.c.1.& 2.

Proprium est electionis inter actus voluntatis supponere formale ex parte intellectus. pag. 733.c.2.& p.734.c.1.& 2.

Quid sit hoc formale in actu electionis. ibid.c.2. & p.335.c.1.

Electio non est in brutis.p.740.c.2.

Electio non potest esse vltimi finis formaliter.p. 744.c.2.

Electio non potest esse visionis beatificæ in beatis.p.745.c.1.

In via potest esse electio visionis beatificæ.ibid.

Etiam Deus potest cadere sub electione in via. & vt obiectum visionis,& secundum se.ibi. c.2.& pa.746.c.1.& 2.

Electio sicut & intentio est eorum, quæ per nos aguntur.p.748.c.2.& p.749.c.1.

Electio potest esse impossibilium si existimantur possibilia.p.754.c.1.

Impossibilium per se non potest esse electio, sicut nec appetitus, bene tamen per accidens. ibid.

Electio per se potest esse impossibilium per accidens.ibi.c.2.

Electio efficax non potest esse impossibilium per se nec impossibilium per accidens.p.735. c.1.

Electio nunquam est necessaria, sed libera. pag. 762.c.2.

Supposita intentione electio vnici medij est necessaria.ib.& p.763.c.1.& 2.

A quo proueniat talis necessitas.ibid.c.2.

Talis electio in existente in gratia est meritoria nouo merito.p.765.c.1.

Electio semper est de meliori bono formaliter loquendo.p.767.c.1.vsque pa.768.

Electio specificatur â medio, siue habeat secundum se bonitatem, vel malitiam suæ non.pa. 930.c.1.

Essentia Diuina vide beatitudo.

Existentia.

Existentia multoties non est separabilis ab essentia, nisi per potentiam Dei absolutam. p. 379.c.2.

F

Finis, vide bonum & actus.

Multiplex diuisio finis.p.4.c.2.

Finis & bonum sunt idem formaliter in actu exercito, non tamen in actus signato. p.9.c.1. & 2.

Prædicta identitas, etiam habet locum in bono imperfecto reperto in fine inter medio pag.10. c.1.

Finis etiam strictè vt terminat intentionem est obiectum voluntatis.pa.11.c.2.& p.12.c.1.

Finis non solum est obiectū motiuum, sed etiam terminatiuum.p.12.c.1.

Qualiter sit bona consequentia finis est obiectum volun-

voluntatis ergo omnes actiones humanæ sunt propter finem.p.15.c.1.& 2.

Causalitas finis consistit in motione metaphorica prius se habente, quam voluntas operetur.p.16.c.1.

Prædicta prioritas non est tempore, sed natura loquendo de actu interiori voluntatis.pa.17.c.1.

Causalitas finis in absoluto consistit licet per relatiuum explicatur.p.17.c.2.

Actus voluntatis non potest esse vltimus finis, bene autem actus intellectus pagin.28.c.1.

Finis vltimus simpliciter est excellentior mediis, non vltimus vero sufficit, quod secundum quid.p.30.c.2.

Probabile est etiam quod finis inter medius debeat esse perfectior.ibi.

Operatio non est finis operantis.ibid.

Omne agens agit propter finem.pag.36.c.1.

Deus in operatione â dextera, vt se tenet ex parte effectus operatur propter finem, vt autem se tenet ex parte Dei non est propter finem extrinsecum, bene tamen intrinsecum. ibid.c.2.

Actionis ex parte Dei non datur causa finalis.p.37.c.1.

Probabilius est actionem Dei ad intra non esse propter finem etiam intrinsecum. ibidem c.2.

Homo in omni actione libera imperata, vel habente rationem electionis, verè & propriè agit propter finem.p.38.c.2.

Etiam homo in appetitione finis verè, & propriè agit propter finem.ibid.c.2.

Etiam pia affectio voluntatis præcedens infusionem fidei est propter finem supernaturalem.p.40.c.1.

Finis vltimus qui, non potest esse propter vltimum finem, bene autem finis vltimus quo. ibid.

Simplex volitio finis proprie est propter finem. ibid.

Effectus per accidens subsequutus non est propter finem. ibid.c.2.

Delectatio, & quies in fine adepto non est propter finem.ibid.

Licet actionis Dei vt se tenet ex parte Dei detur finis in ipso Deo non tamen efficiens. pa.41.c.2.

Etiam quando quis assumit media improportionata ad finem, in illis agit propter finem.pa.42.c.1.

Etiam actiones iocosæ sunt propter finem.ibid.c.2.

Etiam effectus fortuitus est propter finem. ibid.

Etiam peccatum tam mortale quam veniale sit propter finem.ibid.

Ad agere propter finem sufficit tendere in finem siue actiue, sine passiue, siue se mouens, siue motum.p.43.c.1.

Propositiones æternæ veritatis, qualiter sunt entia sunt propter finem. ibid.c.2.

Agentia propter finem sunt in quadruplici differentia.p.44.c.2.

Actus humanus sumit speciem â fine. pag.52.c.1.

Qualiter cum finis sit extrinsecus possit dare speciem actui humano. pagin.53. colum.1.& 2.

Actus humanus consideratus vt actio specificatur â fine vt præconcepto, consideratus autem, vt passio specificatur â fine habente rationem termini, aliquando quidem specificatur immediate aliquando mediate.p.53.c.2.& p.54.c.2.

Qualiter voluntas aliquando feratur vnico actu aliquando vero diuersis in finem proximum & remotum, & â quo illorum sumatur specificatio essentialis.p.57.c.2.& p.58.c.1.& 2.& p.59.c.2.& p.60.c.1.

Actus humanus interior voluntatis specificatur â fine remoto essentialiter, actus vero exterior â fine proximo. p.61.c.2.& pa.62.c.1.& 2.

Finis vt adquisibilis per diuersa media, formaliter est diuersus sufficiens tribuere diuersam speciem.p.64.c.1.

Qualiter sit verum quod in finibus per se ordinatis necessario datur vltimus, non autem in per accidens ordinatis pa.66.c.2.& p.67.c.1.& 2.& p.68.c.1.

Finis inter medius licet respectu vlterioris habeat rationem medij; respectu tamen anterioris vere & proprie habet rationem finis.p.70.c.2.& p.71.c.1.& 2.& p.72.c.1.& 2.

In re tantum potest esse vnus vltimus finis.pa.76.c.1.

Secundum apprehensionem bene potest aliquis successiue habere plures vltimos fines.ibid.

Bene potest aliquis habere plures vltimos fines partiales.& inadæquatos.ibid.

Non potest aliquis efficaciter, simul intendere duos vltimos fines adæquatos; neque copulatiue, neque disiunctiue.p.76.c.2.

Non etiam potest quis intendere duos vltimos fines prædicto modo, etiam intendendo vnum formaliter, & alterum virtualiter. ibid.

Bene potest aliquis intendere duos vltimos fines adæquatos, & non subordinatos etiam formaliter, & copulatiuè si in alterũ tendat efficaciter, & in alterum inefficaciter. pag. 78. c. 1.

In instanti temporis iustificationis, tãtum quis habet vnum vltimum finem, nempe Deum, & nullo modo finem peccati in instanti vero naturæ ante iustificationem nullus vltimus finis intelligitur. ibid.

Si aliquis perfectè cognoscat cum qui in re est vltimus finis nullo modo potest in alio, etiam per apprehensionem rationem vltimi finis constituere; secus est si qui est finis in re imperfectè cognoscatur. pagin. 79. col. 1.

Quilibet cognoscit in actu exercito licet, non in actu signato quod vltimus finis est plene satiatiuus ibid. c. 2.

Voluntas naturaliter est determinata quoad specificationem in omni suo actu in ordine ad vltimum finem. ibid.

Etiam si possit dari duplex causa efficiens totalis non subordinata, non inde sequitur posse dari duos fines vltimos non subordinatos, & totales. p. 80. c. 1.

Existens in peccato, & faciens opus bonum morale respicit vltimum finem honestum in efficaciter tamen. p. 81. c. 1.

Qui plura mortalia committit vnum vltimum finem communem omnibus illis respicit. pa. 82. c. 1.

Angelus auertendo se à fine vltimo supernaturali auersus est, etiam à fine vltimo naturali. ibidem c. 2.

Qui peccat venialiter non ponit vltimum finem in creatura. ibid.

Quod obiectum virtutis sit propter se appetibile non tollit quod ad vlteriorem finem ordinetur. ibid.

Qui peccat mortaliter ponit vltimum finem in creatura. p. 82. c. 2.

Creatura non solum est vltimus finis peccatoris negatiuè sed etiam positiue, si non in actu signato, tamen in actu exercito, & practicè p. 84. c. 2.

Vltimus finis peccatoris in omnibus suis peccatis est ipse peccator. p. 85. c. 2.

Peccator non solum est vltimus finis cui, sed etiam qui sui ipsius. p. 86. c. 1.

Peccator constituit seipsum vltimum finẽ, quãdo tantum practice, & in exercitio de fine cõsiderat, si autem formaliter considerare vellit, in alio quam in se ipso rationem vltimi finis potest constituere. ibid. c. 2.

Si quis moriatur pro fide non manente charitate non habet Deum vltimum finem. pa. 88. c. 1.

Quando quis peccat ex ignorantia vincibili existimans se obsequium præstare Deo habet creaturam vt vltimum finem. ibid.

Qui peccat mortaliter, etiam si habeat propositum post modum penitendi, & qui non peccaret si sciret ante penitentiam moriturum habet creaturam, vt vltimum finem. ibidem c. 2.

Quod quis facit pro amico, quod non faceret pro Deo non est habere amicum, vt vltimum finem positiuè, sed tantum negatiuè. ibid.

Omnia quæ vult homo necessario, vult propter vltimum finem. p. 90. c. 2.

Peccator dum à vero vltimo fine recedit in aliud sibi confictum tendit. pagin. 91. c. 2.

Damnatus appetens non esse, & etiam qui repudiat veram beatitudinem aliquem vltimum finem intendit. ibid.

Vt aliquis in omni sua actione agat propter finem non est necesse quod in omni actione de vltimo fine actu, & formaliter consideret. ibid.

Licet sit probabile ad electionem mediorum sufficere, quod præcedat volitio vltimi finis tantum in exercitio; probabilius tamen est debere præcedere tempore, vel natura volitionem formalem vltimi finis distinctam ab electione. p. 94. c. 2.

Volitio formalis vltimi finis non sufficit, quod præcesserit ad electionem in initio vitæ, sed moraliter proxime ad ipsam electionem. ibid.

Sufficit quod præcedat volitio formalis vltimi finis imperfecta, & non requiritur perfecta. p. 95. c. 1.

Volitio formalis vltimi finis, quæ præcessit manet virtualiter in electione. ibidem c. 2.

Licet finis vltimi omnium non necessario debeat præcedere formalis volitio ad electionem; necessario tamen debet præcedere formalis volitio finis vltimi alicuius peculiaris negotij. p. 97. c. 2.

Etiam si non requiratur quod præcedat formalis volitio vltimi finis, ad electionem bonorum particularium in naturalibus; requiritur tamen quod præcedat formalis volitio vltimi finis supernaturalis ad electionem boni moralis in ordine ad talem finem. p. 98. c. 1.

Vt actus fidei referatur in vltimum finem supernaturalem

naturalem requiritur præcedere formalem volitionem talis finis. ibid.
Actiones bonæ siue naturales siue supernaturales, etiamsi ab infideli fiant sunt propter vltimum finem verum qui est Deus. p. 100. c. 1.
Materiale peccati est propter Deum, vt vltimum finem, etiam si peccatum non sit propter ipsum. ibid. c. 2.
Materiale peccati est propter Deum, vt â Deo non vt ab homine. ibid.
Homo non omnia agit propter vltimum finem particularem etiam sibi confictum. pa. 101. c. 1.
Omnis causa physica agit propter Deum, vt vltimum finem. p. 104. c. 2.
Res naturales non solum respiciunt Deum vt finem qui sed etiam circa ipsum est finis quo per adeptionem licet imperfectè. pag. 105. c. 1.
Damnati appetendo non esse habent Deum, vt vltimum finem, ibid. c. 2.
Causalitas materiæ primæ est propter Deum, vt vltimum finem. p. 106. c. 2.
Finis debet proportionari effectui, non tamen id requiritur ad efficiens. p. 250. c. 1.
Qualiter de fine sit deliberatio. p. 419. c. 2. & p. 420. c. 1.
Non in omnibus se habent finis, & medium sicut principium & conclusio. p. 551 c. 2.
Finis secundum se potest appeti sine mediis, non autem vt est ratio volendi media. pag. 557. c. 2.
Finis & media vt se respiciunt ad inuicem possunt attingi eodem actu, etiam formaliter sumpta p. 560. c. 1. & 2.
Finis redditur malus ex praua electione, licet principium non reddatur falsum, ex prauo discursu. p. 917 c. 1.
Finis dependet â fine accidentaliter. pag. 126. c. 1.

Forma.

Forma perfectior non semper est in subiecto perfectiori. p. 156. c. 1.
Forma qualiter possit habere inæqualitatem accidentalem, vel essentialem p. 355. c. 1.
Forma potest recipi in alieno subiecto in amissibiliter. p. 375. c. 2. & p. 376. c. 1.
Forma in gradu infimo non est communicabilis alteri subiecto. p. 394. c. 1.
Forma recepta secundum potentiam obedientem solum potest causari â Deo, & ipsa non potest causare consimilem in alio subiecto, ib. c. 2.

Fruitio.

Fruitio est actus voluntatis. p. 703. c. 1.
Fruitio non est idem quod amor rei præsentis, sed peculiaris actus de re possessa. ibi. c. 2. & & p. 704. c. 1.
Fruitio est etiam in brutis. p. 706. c. 2. & pag. 707. c. 1.
Fruitio ordinata non potest respicere, vt obiectum creaturam sed Deum vt visum, vel possessum. p. 711. c. 1.
Fruitio perfecte est finis habiti realiter; imperfecta potest esse habiti in spe. p. 712. c. 2.
Probabile est fruitionem viæ non differre specie â fruitione perfecta patriæ. p. 714. c. 1.

G

Genus.

Primum in vno quoque genere est â quo deriuãtur omnia quæ continentur in illo genere. p. 31 c. 1. & 2.

Gratia.

Gratia secundum se est in amissibilis, & in patria etiam ex parte subiecti. p. 177. c. 2.
Gratia est perfectior quacunque substantia naturali. p. 190. c. 2.
In iusto est Spiritus sanctus personaliter, & non solum in suis donis. p. 712. c. 2. & p. 713. c. 1.

H

Habitus.

Obiectum actus, & habitus non possunt adæquare in practicis, bene autem in speculatiuis. pa. 13. c. 2.
Hitus connaturalis excludit habitum, & actum contrarium habitus vero extrinsecus solum habitum, nisi quando in actum proprium prorumpit. p. 96. c. 2.
Quid sit perfectius habitus, & potentia, an vero actus p. 158. c. 2.
Beatitudo non consistit in habitu, sed in actu secundo. p. 159. c. 1.
Actus generans habitum non est via, & imperfectum respectu habitus. p. 159. c. 2.
Habitus non potest manere quantum ad actum secundarium si non manet ad primarium. p. 267. c. 1.
Habitus bonus, vel malus adquisitus, vel infusus ante penitentiam, vel post illam auget voluntarium secundum rationem communem. p. 501. c. 1.
Habitus malus ante penitentiam non minuit liberum, bene tamen post illam. ibid & c. 2.
Habitus bonus adquisitus, vel infusus non minuit liberum p. 502. c. 1.
Habitus etiam malus respicit vt obiectum formale bonum. p. 544. c. 2.
Non potest dari habitus indifferens, sed omnis est bonus, vel malus. pag. 948. c. 1. & 2.

I

Impossibile, vide electio.

Inclinatio.

Inclinatio naturalis non debet expleri in omnibus indiuiduis per se, sed sufficit per aliud. pa. 115. c. 1.

Omnis inclinatio hominis in quantum homo est bona, & ad bonum. p. 545. c. 1.

Nulla inclinatio appetitus per se est mala. ibid. c. 2.

Inclinatio appetitus in homine per accidens tendit in malum. ibid. c. 2.

Indifferens, vide actus, & omissio.

Indiuiduum vide actus.

In his quæ specificantur ab extrinseco, quodlibet indiuiduum generis perfectioris est perfectius quocunque indiuiduo generis imperfecti secus est in his quæ specificantur ab extrinseco. p. 201. c. 2.

Illapsus vide beatitudo.

Illapsus necessario est ponendus in beatitudine. p. 152. c. 2.

In quo consistat illapsus. p. 153. c. 1. & 2. & p. 154. c. 1.

Imperare vide actus.

Ratio politicè imperat voluntati, p. 834. c. 2.

Ratio imperat membris externis despoticè. pag. 838. c. 2. & p. 839. c. 1.

Imperium.

Imperium necessario est ponendum ad exercitium operis. p. 810. c. 1. & 2.

Imperium propriè est actus elicitus intellectus licet supponat actum voluntatis. p. 812. vsque 815.

Imperium est actus, distinctus à iudicio practico. p. 816. c. 1.

Imperium non potest reperiri in brutis. p. 817. c. 2. 818. c. 1.

Imperium non sequitur immediate ad electionem, sed mediat vsus, p. 819. c. 1.

Imperium circa potentias executiuas sequitur post electionem, imperium autem circa voluntatem ad eligendum præcedit electionem. pa. 820. c. 2.

Imperium quod sequitur post electionem libere sequitur. pa. 821. c. 2.

Licet ex imperio efficaci necessario sequatur vsus, tamen in ipso imperio diuersa ratio meriti, vel demeriti reperitur. pag. 822. c. 1. & 2.

Imperium in esse entis est actus distinctus ab imperato, moraliter tamen idem. p. 824. c. 1. & 2.

Imperium potest esse etiam de actibus voluntatis. p. 826. c. 1.

Imperium nunquam est actus naturalis, omnem actum voluntatis præcedens. p. 828. c. 1. & 2.

Non potest esse imperium de dissensu alicuius primi principij cognitis terminis. p. 829. c. 1. & 2.

Imperium potest esse etiam de actibus intellectus. p. 830. c. 2.

Imperium est de actibus appetitus sensitiui non despoticè sed politicè. p. 833. c. 2.

Imperiũ est efficax respectu appetitus sensitiui, si ex parte appetitus non sit impedimentum alicuius malæ qualitatis contrariæ. ibid. & p. 834. c. 1.

Instans.

Actio humana præcise, vt importat actum voluntatis potest esse in instanti, licet quo ad actus antecedentes requirat tempus. pa. 7. c. 2.

Instinctus.

Quid sit instinctus naturæ, per quem bruta tendunt in finem. p. 47. c. 1.

Intellectio.

Intellectio in via non est tantum ab obiecto habente se intellectu passiue, sed efficienter est ab ipso intellectu. p. 162. c. 1. & 2.

Intellectio diuinæ essentiæ in qua beatitudo consistit efficienter est ab intellectu beati. p. 163. c. 1.

Impossibile est quod intellectio creata in ratione intellectionis producatur immediate à solo Deo. p. 166. c. 1.

Etiam est impossibile quod intellectio creata producatur à solo Deo inesse qualitatis. ibid. c. 2. & p. 167. c. 1. & 2.

Intellectio non est via, nec medium ad verbum neque in potentia ad illud, sed econtra. p. 169. c. 2.

In intellectione est vera transmutatio metaphysica, non tamen passio physica. pag. 169. c. 2.

Intellectus.

Intellectus est actio etiam in somnis licet non libertas. p. 178. c. 1.

Intellectus est qui consequitur Deum in beatitudine, non autem voluntas, vnde in intellectu consumatur matrimonium spirituale cum Deo. p. 189. c. 1.

Qualiter actus intellectus sit consequutiuus sui obiecti. p. 198. c. 2. & p. 199. c. 2.

Intellectus speculatiuus dirigit practicum per modum superioris, & non econtra. p. 222. c. 2.

Quale sit obiectum intellectus specificatiuum, & quale proportionatum. p. 347. c. 1. & 2. & p. 348. c. 1.

Intellectus beati non habet priuationem eorum que non cognoscit. p. 377. c. 1.

Intellectus vt illustratus lumine gloriæ naturaliter videt Deum, p. 384. c. 1.
Maior est dependentia intellectus acogitatiua quam voluntatis ab appetitu sensitiuo, pa. 669. c. 1.

Intendere.

Bene potest intendere voluntas plura non subordinata adinuicem, etiam vnico actu si subordinentur vni tertio, p. 721. c. 1. & 2. & p. 722. c. 1. & 2.

Intentio.

Intentio formaliter, & essentialiter consistit in actu voluntatis, pagina. 716. colum. 1. & 2.
Intentio differt specie à simplici volitione, & fruitione. 717. c. 2.
Intentio proprie non conuenit brutis, sed solum creaturæ rationali, pag. 726. columna. 2.
Idem actus non potest esse simul intentio, & electio. p. 565. c. 1.
Intentio quæ causa est prauæ electionis efficitur prauà in seipsa, pagina, 1079. columna. 2,
Intentio boni finis perse loquendo minuit malitiam prauæ electionis, pagina, 1081. colum. 2.
Nunquam potest intentio boni finis in tantum minuere malitiam prauæ electionis vt in totum auferat malitiam eius, p. 1084. c. 1. & 2. & p. 1085. c. 1.
Quantum bonitatis intentionis communicetur electioni, p. 1087. c. 2. & p. 1088. c. 1. & 2. & p. 1089. c. 1. & 2.

Iudex, vide opinio.
Iuditium vide actus.

Laudare.

Laudare seipsum in bonis nõ est intrinsice malum, nec bonum, vnde potest hoc fieri bene, & male, p. 1141. c. 1. & 2.

Libertas.

Libertas formaliter est in voluntate radicaliter tamen in intellectu, pagina. 5. columca. 2.
Non tollitur libertas per decretum efficax extrinsecum Dei, p. 881, c. 2.
Libertas non tollitur nec minuitur per auxilium physicum intrinsecum, & ex natura sua efficax, & infallibiliter prædeterminans voluntatem, ibidem, col. 2. vsque. pa. 687.
Libertas non tollitur etiam in sensu compossito. p. 689. c. 1. & 2.
Libertas qualiter præueniatur per auxilium efficax, pagina, 691. columna. 2. & pagina 692. c. 1.

Liberum.

Licet liberum ad necessarium debeat reduci nõ tamen secundum distinctam actionem, sed in eadem post fieri, pagina, 97. columna. 2.
Actus liberi prædiffiniuntur à Deo in particulari non solum ex parte obiecti, sed etiam ex parte actus, pag. 683. col. 1. vsque, pag. 685. c. 1.

Lumen gloriæ, &c.

M.

Maxima.

Qualiter sit intelligẽda illa propositio, Arist. quod qui furatur propter mœchiam magis est mœchus quam fur. p. 63. c. 1.
Qualiter sit intelligenda illa maxima quod illud est melius cuius oppositum est peius, p. 202. c. 2. & p. 203. c. 1.
Qualiter intelligatur dictum Dionysij quod bonum est diffusiuum sui. pag. 698. col. 1. & 2.
Qualiter intelligatur illud quod medium, & finis sic se habent in practicis sicut principium, & conclusio speculabilibus, pa. 551. col. 2.
Qualiter intelligatur illud quod quidquid est causa causæ, & 2. p. 496. c. 2.
Qualiter intelligatur illud quod primum in vnoquoque genere est mensura aliorum, p. 31. c. 1. & 2.
Qualiter intelligatur quod intelligere est quodam pati, p. 164. c. 1.
Qualiter intelligatur vnumquodque esse propter suam operationem, p. 171. c. 2. & p. 172. col. 1.
Vltimum in executione est primum in intentione. p. 13. c. 1.

Medicus vide opinio.

Medium.

Licet bonitas finis, & medij sit eadem bene stat quod finis sit idem, & media, distinguãtur, p. 14. c. 2.

Meritum.

Meritum necessario præcedit ad præmium, pa. 397. c. 2.
Circa malum sub ratione mali potest esse peccatum meritum, vel demerium, pag. 543. col. 1.

Metus vide in voluntarium.

Agere ex metu (etiam cadente in virum constantem) contra præceptum naturale negatiuum non tollit peccatum intra suam speciem mortalis, vel venialis, p. 482. c. 1.

Agere ex tali metu contra præceptum naturale affirmatiuum regulariter nullum est peccatum ibid.

Agere ex tali metu contra præceptum diuinũ negatiuum, vel affirmatiuum nullum est peccatum regulariter, ibid. c. 2.

Agere ex tali metu contra præcepta positiua pure humana nullum est peccatum. p. 483. c. 1. & 2.

Moralitas.

Moralitas non consistit formaliter in libertate licet supponat illam, pag. 848. vsque, pag. 850.

Moralitas consistit in habitudine actus ad obiectum subiectum regulæ morum, ibi. co. 1, & 2.

Prædicta habitudo non est aliquid rationis extrinsecum, sed reale intrinsecum, pag. 851. col. 1.

Moralitas supponit libertatem non tantum vt conditionem, sed vt fundamentum, p. 856. c. 2. & p. 857. c. 1.

Motus.

Vt motus sit naturalis non sufficit quodcumque principium passiuum in materia, p. 417 col. 1.

Motus primo primus est violentus naturæ rationali. p. 440. c. 1 & 2.

Idem motus voluntatis non potest esse mixtus exn aturali, & violento, bene tamen idẽ motus physicus, p. 475. c. 2. & p. 476 c. 1.

Motus velocior lapidis ab extrinseco etiam ad centrum est violentus p. 497, c. 1.

Mouere.

Mouere physice, & moraliter in quo consistat, p. 45. c. 1.

Bruta mouent se physice non tamen moraliter vnde nec proprie se mouent, ibi.

Mouere se in finem non est idem quod agere propter finem, p. 416. c. 1.

Mors.

Qualiter mors possit appeti vt medium ad beatitudinem, 367. c. 2. & p. 368. c. 1.

N.

Nolleitas, vide inuoluntarium.

Qualiter peccet qui nollet esse præcepta Dei, p. 477. c. 2.

Notitia.

Nulla notitia rerum spiritualium neque intuitiua, nec abstractiua, nec perfecta, nec imperfecta potest esse insensibus exterioribus, p. 176. c. 1.

Insensibus interioribus non potest esse notitia abstractiua Dei perfecta nec absoluta bene tamen connotatiua & imperfecta, ibi, c. 2. & p 177. c. 1. & 2.

Insensibus interioribus etiam per potentiam absolutam non potest esse notitia intuitiua Dei, p. 178. c. 1.

Notitia intuitiua necessario requirit præsentiam realem sui obiecti, p. 291. c. 2.

O.

Obiectum, vide actus, & beatitudo.

Ex parte obiecti non semper requiritur ratio sub qua, p. 23. c. 1.

Quod sit obiectum adæquatum intellectus, & quale sit specificatiuum, vel proportionatũ p. 165. c. 1. & p. 347. c. 1. & 2. & p. 348. col. 1.

Obiectum, actus humani non solum in ratione finis, sed etiam in ratione obiecti est causa, p. 871. c. 2. & 872. c. 1.

Actus humanus specificatur ab obiecto, & nihilominus â ratione, ibi, & c. 2.

Omissio vide voluntarium.

Omissionis effectus tunc tantum est voluntarius quando est præceptum, & obligatio; & qualis debeat esse ista, p. 431. c. 2.

Omissio fractiua præcepti affirmatiui vt sit voluntaria sufficit posse, & teneri, & non facere hoc autem non sufficit ad omissionẽ præcepti negatiui, pag. 435. c. 2. & p. 436. c. 1. & 2.

Operatio.

Operationi supponitur esse. p. 157. c. 1.

Opinio.

Opinio non est idem quod sententia, pa. 1065. col. 1.

Quid requiratur vt opinio sit probabilis, ibid. col. 2.

Inter opiniones probabiles vna potest esse tutior altera. ibid.

Esse opinionem probabilem potest esse speculatiue, vel practice p. 1066. c. 1.

Ex duabus opiniombus probabilibus practicẽ licet sequi minus probabilem. ibi. c. 2. & p. 1067, c. 1. & 2.

Etiam iudex in sententijs ferendis potest sequi minus probabilem si probabilitas est circa ius non vero si est, circa factum, ibi. & pag. 1068. c. 1. & 2.

Aduocatus potest incibilibus sequi minus probabilem non tamen in criminalibus. pa. 1068. c. 2.

Medicus non semper potest sequi probabilem in cura infirmi, p. 1069. c. 1.
Rex non potest indicere bellum alteri secundū opinionem probabilem, sed secundum certā, p. 1069. c. 2.
Confessarius potest conformari opinioni probabili pœnitentis, p. 1070. c. 1. & 2.
Etiam circa materiam, vel formam sacramentorum licet sequi minus probabilem, p. 1071. c. 1. vsque. 1072. c. 1.

Opus.

Opera bona requiruntur absolute ad beatitudinem. p. 396 c. 1.
Opus bonum morale secundum se est meritorium non tamen prout in peccatore. p. 1146. col. 1.

Oratio.

Oratio Dominica explicatur, p. 1103. vsque p. 1105.

Ordo.

Ordo quem seruat D. Tho. in summa Theologiæ p. 1. & 2.

P.

Passiuum.

Passiuum recipit actionem secundum modum ipsius passiui p. 80. c. 1.

Pauper & paupertas.

Vita contemplatiua melius reperitur in pauperibus, p. 113. c. 2.
Nec status paupertatis nec diuitiarum damnabilis est, p. 112. c. 1. & 2.
Qualis paupertas sit apta ad beatitudinem, pa. 114. c. 1.
Quare Deus in lege antiqua contulerit sanctis diuitias in lege vero euangelica paupertatem, ibid. c. 2.
Abdicare omnia â se per paupertatem non est prodigalitas, p. 115. c. 1 & 2.
Paupertas non destruit, sed potius iuuat ad societatem polyticam Republicæ, ibid.
Paupertas nullius peccati est causa, & licet priuet actibus aliquarum virtutum tamen locat in melioribus, ibidem.
Paupertas iuuat ad humilitatem, p. 116. c. 1.
Qualiter debeat fieri abdicatio temporalium per paupertatem, ibi.
Paupertas aptior est ad Beatitudinem ex suppositione malitiæ, sed ex natura rei aptiores sunt diuitiæ, ibi c. 2.

Peccator vide finis.

Peccatum, vide beatitudo.

Peccatum mortale, vel veniale actuale non cōpatitur cum beatitudine de potentia absoluta p. 307. c. 1. & p. 308. c. 1.
Peccatum habituale potest compati cum beatitudine, ibid.
Probabile est quod etiam de potentia absoluta peccatum habituale non posit remanere cū beatitudine. p. 309. c. 1.
Existenti in peccato non potest conferri beatitudo sine gratia p. 312. c. 1.
Qualiter intelligatur quod in tantum est peccatum in quantum voluntarium p. 497. c. 2.
Existens in gratia peccare potest imô nullus est qui non peccauerit præter beatam Virginem. p. 844. c. 1. & 2.

Peior.

Qualiter aliquis fiat peior per actum exteriorem non addentem malitiam ad interiorem p. 1126. c. 1.

Perficere.

Quidquid perficitur perficitur â superiori, vel inferiori vt cōiungitur superiori, p. 232. c. 1. & 2. & p. 233. c. 1. & 2.
Potentia naturalis in ordine ad proprium obiectum perficitur ex coniunctione ad supernaturalia vt posit quod antea non poterat. pag. 248. c. 1.

Pœna.

Summa pœna damnatorum consistit in carentia diuinæ visionis, p. 200. c. 2.
Vt aliquis incurrat pœnas legis sufficit facere quod est prohibitum licet sit volitum materialiter tantum, p. 933. c. 1.

Potentia.

Potentia obedientialis non distinguitur realiter vel formaliter are quæ est in obedientia, p. 403. c. 1.
Potentia obedientialis ex parte subiecti est naturalis ex parte termini supernaturalis, ibi. col. 2.
Potentia obedientialis entitatiue est quid reale positiuum formaliter vero quid rationis & negatiuum, p. 405. c. 1.
Potentia obedientialis in omnibus formaliter est eiusdem speciei athomæ, p. 408. c. 2.
Qualiter debeat intelligi quod omnis potentia indifferens ad agere, & non agere, & agere hoc vel illud indigeat duplici motore quoad exercitium & specificationem, pa. 570. vsque. p. 573.

Potestas.

De potestatibus contemnendis, & qualiter appetitus inordinatus potestatis sit præsumptio. p. 122. c. 2.

Practicum.

Actus intellectus practici non est propter se, sed propter aliam actionem, p. 226. co. 2. & p. 227. c. 1. & 2.

Præceptum.

Agere contra præceptum ex metu non excusat in totum â peccato minuit tamen illud

pagina.481.columna.2.
Quare sextum,& septimum præceptum repetantur in nono,& decimo quantum ad actiũ interiorem,1126.c.1.

Præmium.

Præmium & meritum non possunt esse simul, sed meritum debet præcedere.pag.397.c,2.

Principium.

Actio specificatur â suo principio.pa,54.c.2.

Pueri.

Pueri in limbo habent aliqualem beatitudinẽ naturalem imperfectam,p.315.c.2.
Pueri,& amentes, & dormientes habent aliquos actus intellectus,& voluntatis licet nõ liberos.p.672.c.1.& 2.& p.673.c.1.& 2.

Q.

Qualitas.

Actio immanẽs non est in prædicamento actionis,sed in prædicamento qualitatis. p.169. col.1.
Actio appetitus sensitiui formaliter est immanens & ad prædicamentum qualitatis pertinet,p.170.c.1.

R.

Ratio formalis.

Ratio formalis in scientijs non est abstrahibilitas,p.21.c.2.
Dato quod sit ratio formalis nõ sequitur quod apprehensibilitas sit ratio formalis finis.p. 22.c.1.
Ratio formalis distinguens in bono obiectum appetitus,& voluntatis est aliquid reale ipsius bonitatis ad quod sequitur diuersa apprehensibilitas.p.21.c.2.

Ratis humana.

Rario humana dupliciter potest comparari ad obiectum morale.p.22.c.2.
Quid significet & pro quo accipiatur ratio humana.p.911.c.2.
Ratio est regula appetitus,& appetitus rectus est regula indicij recti nec datur.circulus,p. 1030. vsque 1032.

Rationis vsus.

Quod vsus rationis amittatur non prouenit immediate ex intellectu,vel voluntate,vel habitu naturali,sed ex læsione partis sensitiuæ,p.664.vsque 667.
Priuati vsurationis ad moralia multoties habent sufficientem intellectum ad actes exercendas.ibi.c.2.
Per se loquendo non potest esse vsus rationis circa vnam materiam maralem,& non circaliam.p.668.c.1.

Rectitudo voluntatis.

Rectitudo voluntatis requiritur antecedenter, & concomitanter ad beatitudinem,p. 294. vsque.p.295.c.2.
Rectitudo voluntatis in patria ita est necessaria vt sit impossibile peccare mortaliter vel venialiter.p.297.vsque.pa.298.c.2.
Rectitudo voluntatis conuenit beatis ab intrinseco ex natura voluntatis,& status.p.301. c.1.& 2.
Rectitudo voluntatis prouenit ab intrinseco cuiuscumque beatitudinis quantumcumq; minimæ.p.302.c.1.

Relatio.

Relatio causæ in finali non est realis.p.24.c.1.

Resurrectio,vide beatitudo.

Rex,vide opinio.

S.

Satietas.

Nulla satietas boni creati etiam de potentia absoluta potest pertingere ad satietatem visionis Dei.p.242.c.1.& 2.

Sensus.

Sensus interior hominis ex coniunctione ad rationem aliquid altius potest attingere quã sensus brutorum.178.c.2.
Sensus exteriores post resurrectionem exercebunt suas operationes,p.179.vsq;.p.183.

Scrupulus vide conscientia.

Quid sit scrupulus de effectibus & causa,& remedio illo cum.p.1073.c.1.& 2.& p.1074. c.1.& 2.

Specificans, & specificatum.

Quid sit perfectius specificans,vel specificatũ, 160.c.2.

Species vide actus, & finis, & visio beatifica.

Species impressa non necesse representat intellectui omnia quorum est representatiua. p. 360.c.1.& 2.

Speculatio.

Speculatio scientiarum non potest extendi vltra sensibilia ad spiritualia.p.231.c.1.& 2.

Spes.

Spes non manet in patria.p.264.c. 1.& 2.
In patria non est ponenda aliqua virtus specialis succedens loco spei.p.265.c.1.

Solicitare.

Solicitare fœminam intendendo ruinam eius est peccatum scandali, aliâs autem etiamsi importune,solicitet non extrahitur aspicie luxuriæ,p.990.c.1.

T.

Obiectum doni timoris est malum possibile secundum potentiam absolutam, & non tantum ordinatam, p. 267. c. 2.

V.

Verum.

In re & secundum rectam rationem verum, & bonum conuertuntur nec potest esse summū bonum quod non est summum verum ex perversione tamen operantis separabilia sunt prædicta. p. 28. c. 2.

Viator.

Confirmatus in gratia non est abintrinseco suo impeccabilis, sed suam retinet libertatem ad peccandum. p. 697. vsque. 700.

Violentari.

Omnia viuentia etiam rationalia possunt violentari â Deo quantum ad actus imperatos, p. 460. c. 1.

Aliæ creaturæ violentari non possunt â Deo vt agente vniuersali, ibi. c. 2.

Aliæ creaturæ etiã retinendo suam naturã cogi non possunt â Deo vt â gente particulari, p. 461. c. 1.

Etiam dæmones secundum naturam à Deo violentari non possunt bene tamen secundum voluntatem deprauatam, ibid. c. 2.

Respectu agentis creati non potest lapis in ascensu non violentari etiam de potentia absoluta, p. 462. c. 1. & 2.

In receptione cuiuscunque habitus, vel qualitatis non potest voluntas violentari à Deo phisicè bene tamen moraliter, ibi. c. 2.

Violentia.

Violentia, coactio, necessitas in quo distinguãtur. p. 438. c. 2.

Violentia causat inuiolarium, p. 475. c. 2.

Quæ violentia causet inuoluntarium in puella oppressa, p. 466. c. 1. & 2.

Qualiter violentiam patiatur qui mere se habet negatiue, ibi.

Quæ violentia requiratur vt adoratio idoli sit violenta, p. 467. c. 2.

Quæ violentia requiratur vt quis non maneat baptizatus, p. 468. c. 1. & 2.

Violentum.

Violentũ qualiter diffiniri debeat, p. 439. c. 2.

Motus primo primus qualiter sit violentus naturæ rationali. p. 440. c. 1. & 2.

Violentum non solum est contra principium actiuum, sed etiam contra principium passiuum. p. 441. c. 1.

Virtus.

Virtutes Theologales diuersa ratione attingũt Deum immediatê vt obiectum, in ratione tamen finis solum attingitur â charitate, p. 55. c.

Virtus morales non]es principium ellicitiuum ad actus mali etiam es fine operantis. p. 916 col. 2.

Visio.

Quod visio occularis fiat in tanta, vel tanta distantia non solum metiendum est ex immissione specierum sed etiam ex virtute potentiæ visiuæ p. 182. c. 1.

Visio non impeditur perse per lumen bene tamẽ reflexio specierum visibilium. ibi. c. 2.

Perfectius est obiectum visionis quam amoris, p. 202. c. 2.

Visio beatifica.

Euident est lumine naturæ visionem intellectus esse aliquid creatum. p. 114. c. 2.

Visio beatifica effectiue est ab intellectu beati, p. 168. c. 1.

Contra fidem est dicere quod beati videant Deũ per intellectionem in creatam, p. 145. c. 1.

Visio beatifica absolute est finita, & tantum secundum quid infinitas. p. 146. c. 1.

Qualiter licet Deus possit supplere subsistentiam, vel speciem intelligibilem creatam nõ possit supplere visionem creatam, ibid. c. 2. & p. 147 c. 1,

Diuina essentia vnita intellectui creato non denominat ipsum intelligentem, ibi. c. 2.

Visio beata potest repræsentari per speciem impressam creatam, d. 148. c. 1.

Si visio Pauli poneretur in Petro non facere illum videntem. ibid.

Visio beata potest satiare, vt quo. ibid.

Visio beata creata Christi Domini finita est in esse visionis. ibid. c 2.

Si vnio per visionem sit perfectior quam hypostatica aut per gratiam, p. 159. c. 1. & 2.

Ante visionẽ etiam vnita diuina essentia per modum speciei non est beatitudo formalis. p. 157. c. 1.

Visio beata effectiue est ab intellectu, pa. 163, col. 1.

Quam censurum meatur oppositum huius ibid. col. 2.

Principium actiuum visionis est intellectus illustratus lumine gloriæ, p. 164. c. 2.

Intellectus creatus non potest producere lumẽ gloriæ licet possit producere visionem. ibid.

Tota vitalitas visionis prouenit â lumine gloriæ, p. 165. c. 1.

Cum æquali lumine non potest visio beata esse inæqualis, ibi. c. 2.

Qualiter videatur Corpus Christi â beatis. pa. 181. vsque 182. c 1.

Ratio quietis in patria potius conuenit visioni quam delectationi. p. 200. c. 1.
Videns Deum tantum est in potentia secundū quid ad delectationem. p. 200 c. 2.
Ideo eius est carere visione Dei quam delectatione vnde eligibilior est visio. pa. 201. c. 1.
Visio beati est maius bonum Dei qualiter nostra bonum Dei dicuntur, ibidem.
In carentia visionis Dei consistit pœna essentialis damnatorum p. 200. c. 2.
Visio beata est essentialis beatitudo vt præcedit quēcunque actū voluntatis. p. 207. c. 1.
Visio beata est cognitio clara euidens, & perfecte scientifica subalternans nostræ Theologiæ. p. 223. c. 2.
Visio beata est notitia etiā cōplexa. p. 225. c. 1
Visio beata eminenter est apprehensiua, & iudicatiua. ibi. c. 1.
Visio beata simul est directa & reflexa, ibid.
Quod in homine sit capacitas ad visionem Dei tantum potest ostendi congruenter, pa. 349. vsque p. 350 c. 1.
Visio beata Pauli est eiusdem speciei cum visione beatorum p. 380. c. 1.
Qualiter visio & fruitio beatifica sint actus humani p. 7. c. 2.

Vituperium.

Nullus potest vituperare etiam improbum auctoritate priuata. 1141. c. 2.

Volitio.

Volitio attingens simul medium & finem non necessario attingit formaliter vtrumque, p. 561. c. 2.
Volitio formalis medij & virtualis finis, & è contra ibi.
Eadem volitio potest ferri formaliter in medium & finem. p. 562. c. 1 & 2. & pa. 563. c. 1.
Volitio quæ fertur in medium & finem debet ferri in vnum vt quod in alterum vtquo. p. 563. c. 2. & p. 564. c. 1 & 2.
Ad volitionem non sufficit cognitio habitualis, sed requiritur actualis. p. 892. c. 1. & 2.
Impossibilium per accidens, potest esse volitio conditionata conditione cadente supra obiectum. pa. 757. & p. 758 c. 1.
In quo consistat volitio absoluta, vel conditionata efficax, vel inefficax. p. 761. c. 1. vsq; p. 762.

Voluntas, volitum, & velle.

Voluntas potest tendere in bonum commune appetitus autem solum in bonum particulare, p. 47. & p. 48. c. 1.
Intellectus primo & per se est circa vniuersalia voluntas autem immediate potest tendere circa singularia. p. 97. c. 1. & 2.
Voluntas, & intellectus habent se sicut extendens, & excessum. p. 203. c. 2.
Consecutio aliqualiter pertinet ad voluntatem p. 204. c. 1.
Obiectum voluntatis non solum est beatitudo obiectiua, sed etiam formalis. p. 205. c. 1.
Actus voluntatis non potest esse primum obiectum eius, ibid.
Voluntas magis appetit rationem summi veri quam summi boni ibi c. 2,
Voluntas necessitatur â beatitudine in comuni quoad specificationem non quoad exercitiū p. 400. c. 2.
Quam censuram mereatur oppositum ibi.
Voluntas non potest cogi ad eliciendum actum p. 443. vsque 444. c. 1.
Voluntas â nulla creatura cogi potest in cessatione actus etiam indirecte, ibi. c. 2.
Voluntas bene potest moueri ab alio etiam indirecte, ibi.
Voluntas si per impossibile haberet amorem, & odium circa idem non cogeretur. p. 446. c. 1. vsque. p. 447. c. 2.
Idem dicendum est si duo habitus contrarij ponerentur in eodem, ibi.
Idem dicendum si poneretur habitus cum actu contrario. p. 448. c. 1.
Voluntas quando peccat nō cogitur, p, 449. c. 2
Voluntas non potest cogi in cessatione ab actu elicito. vel imperato simul elicito. p. 451. vsque p. 452. c. 2.
Voluntas potest cogi in actibus imperatis elicitis ab alijs potētijs nō tamē â seipsa. p. 454. c. 1
Aliæ potentiæ â voluntate non possunt cogi secundum se circa proprium obiectum bene tamen vt sub sunt imperio voluntatis, pag. 456 vsque. 457. c. 1.
Idem actus voluntatis non potest esse mixtus ex naturali, & violento, p. 475. vsque 476 col. 1.
Voluntas quidquid vult est sub ratione boni, p. 537. vsque. p. 540 c. 1.
Voluntas etiam quando vult malum ex certa malitia vult sub ratione boni. ibi.
Idem contingit quando quis odit alterum, vel seipsum ibi, c. 2. vsque, p. 542. c. 2.
Idem dicēdum de illo qui vult non esse, p. 543. col. 2.
Voluntas vnico actu potest attingere finem & medium vt adinuicem se respiciunt. p. 560. vsque. p. 561. c. 1. & p. 724. c. 1. vsque. pa. 725. c. 1.
Voluntas sic attingens medium, & finem non necessario attingit formaliter vtrumque. p. 561. c. 2.

Volun-

Voluntas non mouet quoad exercitium potentias vegitatiuæ.p.574.c.1.
A voluntate non dependent perse in operando sensus exteriores.sed peraccidens.ibi.c.2.
Voluntas non semper mouet intellectum,imaginationem appetitum,& potentiam motiuã, vt operentur.ibid.
Voluntas mouet omnes potentias quantum ad actus liberos,& humanos.p.575.c.1.
Voluntas mouet aliquas potentias quantum ad exercitium ingenere causæ efficientis. p. 577.c.2.
Qualis sit ista efficientia phisica, vel moralis. p.580.vsque.581.
Voluntate renitente non possunt aliæ potentia libere operari ex sola applicatione appetitus.p.581.c.2.
Volũtate negatiue se habente possunt aliæ potẽtiæ operari ex applicatione appetitus,ibi.
Voluntas regulariter mouet alias potentias medio appetito sensitiuo,ibi.
Voluntas potest mouere alias potentias etiam renuente appetitu sensitiuo.p.583.c.1.
Voluntas mouetur sinealiter,& non efficiẽter ab obiectio vt est in re.p.588.c.1.
Voluntas in omnibus actibus mouetur â bono apprehenso in eodem genere causæ.ibi.c.2.
Volũtas nõ mouetur efficiẽter ab intellectu,ex proprijs cõsiderato.p.589.c.1.& p.595.c.1. & 2.
Volũtas mouetur â bono apprehẽso formaliter & non efficienter.ibi,c.2.& pag.590.c.1.
Probabile est voluntatem moueri efficienter â bono apprehenso vt â principio quo.ibid.c. 2.vsque.p.593.
Voluntas vt operetur requirit præuiam cognitionem.p.598.c.1.
Idetiam habet verum in ordine gratiæ etiã de potentia Dei absoluta,ibi vsque,p.600.
Vt voluntas operetur non sufficit quæcumq; cognitio,sed requiritur iuditium pract.cum p.602.vsque.p.604.
Voluntas nõ potest moueri ab appetitu nisi medio iuditio sensus.p.609.c.1.
Voluntas non potest moueri ab appetitu, nec mouere appetitum sine iuditio intellectus. ibi.c.2.&.p.510.c.1.
Voluntas vt intensius operetur requirit perfectius iuditium intellectus.ibi.
Voluntas quantum ad actus liberos tantũ mouetur ab appetitu ex parte obiecti, sed quantũ ad necessarios etiã per redundãtiã.ibi.c.2.
Volũtas supposita volitione finis mouet seipsã ad eligenda media.p.617.c.1.
Voluntas in prima volitione finis concurrit actiue.ibi.c.2.vsque.p.618.c.2.
Voluntas respectu primæ volitionis est agens principale,quod & non tantum quo.ibi.c.2. & pa.616.c.1.
Voluntas in prima volitioni finis non semouet nec phisice,nec moraliter,ibi.c.2.vsq; p.621.
Voluntas etiã in nolitione finis particularis nõ semouet,sed mouetur ab auctore naturali si finis est naturalis, vel auctore gratiæ si est supernaturalis.pa.625.c.1 & 2.
Voluntas innolitione finis etiam particularis peccare nonpotest.p.627.c.1.& 2.
Qualiter voluntas moueatur â corpore cœlesti p.630.vsque.633.
Voluntas nõ potest moueri ab alio quam â Deo tanquam ab exteriori principio.p.634.c.2.
Voluntas etiã de potentia absoluta non potest moueri directe â creatura vt causa principali bene tamen vt instrumentali.p.636.vsque.638.
Qualiter voluntas diuersorum in æqualiter inclinetur ad bonum.p.639.c.1.& 2.
Voluntas naturaliter mouetur ad bonum ad esse & viuere,& actus aliorum potentiarum p.643.c.2.
Prædicta necessitas est tantum quoad specificationem.p.644.c.1.
Voluntatis inclinatio ad prædicta est inæqualis.ibi.vsque,p.646.
Voluntas nunquam necessitatur ad exercitiũ ab obiecto bene tamen aliunde.pa.650.vsq. p.653.
Voluntas inuia perse nunquam necessitatur ad exercitium.p.636,c.2.vsque.pa.657.c.2
Per accidens autem necessitari potest etiam in via,p.658.c.2.
Voluntas anulla passione necessitari potest stãte vsu rationis,& aduertentia,p.662.vsq; 664.
Voluntas non ita dependet ab appetitu sicut intellectus â cogitatiua.p.669.c.1.
Voluntatis actus secundum se non necessario durat per tẽpus p.693.c.2.vsque.696.c.1.
Voluntatis actus desinens per aduentũ alterius actus pro isto statu necessario durat per tempus,ibid.c.2.
Voluntatis actus regulariter durat per tempus p.697.c.1.
Voluntas per prius respicit finem quam mediũ actus vero voluntatis prius potest terminari ad medium quam ad finem.p.930.c.2.
Actui voluntatis non conuenit essentialiter esse liberum,sed esse voluntarium,p.1013.c.1.
Voluntatis bonitas dependet ex lege æterna. p.1035.vsque.1036.c.2.

Quid sit voluntatem humanam conformari diuinæ voluntati inuolito formali. pa.1094. col.2.

Quicumque tenetur conformari voluntati diuinæ inuolito formali licet nõ ex speciali præcepto.p.1095.c.1.

Voluntas humana in omni actione bona necessario conformatur voluntati diuinæ ingenere causæ efficientis,p.1096.c.1.

Non tenetur homo confirmari voluntati Dei ingenere causæ efficientis nisi præcepto manifestetur.ibi.

In singulari si Dei voluntas non innotescit nõ tenemur illi conformari inuolito materiali, sed iuste & meritorie possumus velle oppositum.p.1098.c.2.

Stante præcepto tenetur homo conformari Dei voluntati inuolito materiali.p.1099.c.1.

Etiam stante præcepto non tenemur ad hanc cõformitatem secundum appetitum,vel voluntatem vt natura est.ibi.

Etiamsi innotescat Dei voluntas potest quis velle oppositum inefficaciter,ibi,c.2.

Etiam si constet Dei voluntas potest quis velle oppositum volitione absoluta, & perfecta non efficaci.ibi.

Quando diuina voluntas innotescit opere tantum & effectu potest homo velle oppositum absolute & efficaciter etiam si impedire nõ possit rem à Deo volitam.p.1100.c.1.& 2.

Si Dei voluntas innotescit reuelatione secundum communem legem,nõ tenetur quis ei confirmari inuolito materiali.ibi.c.2.

Licet sit reuelatio particularis potest quis velle oppositum.p.1101.c.1.& 2.

Si sit reuelatio particularis non stante præcepto potest quis velle,& conari ad effectum oppositum licet non ad destructionem diuinæ voluntatis.p.1102.vsque.1103.c.1.

Aliquando est peccatum non conformari Deo inuolito materiali p.1106.c.2.

Aliquando est laudabile conformari inuolito materiale si oppositum non sit indamnum proximi.ibi.

Cuius speciei sit iste actus volo occidere omnes qui sunt in foro.p.59.c.1.& 2.

Cuius speciei sit iste actus volo esse studiosus, p.874.vsque.878.

Voluntarium,& inuoluntarium.

Voluntarium multipliciter accipitur. p.411. col.2.

Voluntarium differt à naturali,& libero.pag. 412.c.1.

Voluntarium qualiter comparetur ad voluntatem vt ad principium intrinsecum, ibid.

Voluntarij definitio.ibi.c.2.& p.143.c.1.

Voluntarium,& liberum habent se sicut superius,& inferius,p.414.c.1.vsque.415.c.1.

Voluntarium perfectum potest esse sine libero p.421.vsque.422.c.2.

Voluntarium vnius reperitur in homine,& brutis.p.425.c.1.

Vt sit voluntarius effectus subsequutus ad omissionem requiritur obligatio.p.431.c.2.

Quæ obligatio requiratur,ibid.

Omissio ex aduertentia est voluntaria etiam si non teneatur,p.433.c.1.

Vt sit voluntaria omissio præcepti affirmatiui sufficit posse teneri,& non facere non tamen si præceptum est negatiuum. p.435.c.2 vsque.436.c.2.

Quæ fiunt ex metu sunt mixta ex voluntario, & inuoluntario.p.473.c.1.

Talis mixtio inuoluntarij est per peculiarem actum nolleitatis.p.474.vsque.475.co.1.

Prædita nolleitas non est actus absolutus,sed cõditionatus.p.476.c.1.

Metus est causa inuoluntarij.p.476.co.2.

Metus inferni non facit inuoluntarium.p.477. c.1.& 2.

Quod est mixtum ex voluntario,& inuoluntario simpliciter est voluntarium p.479.c.1. & 2.

Voluptas.

Epicurus tenuit beatitudinem consistere in voluptate licet ab aliquibus defendatur. pag. 126.c.2.

Votum.

Votum ex metu factum est irritum iure positiuo non autem iuramentum.p.484.c.2.

Vsus.

Vsus proprie loquendo est actus voluntatis licet aliqualiter pertineat ad intellectum, & alias potentias exequentes.pa.798.vsque. 801.

Vsus non conuenit brutis.p.802.c.1.

Vsus proprie tantum est mediorum non vero vltimi finis formaliter sumpti.p.803.co.1. & 2.

Vsus potest esse vltimi finis materialiter sumpti.ibid.

Vsus potest esse vltimi finis in ordine ad possessionem eius.ibi.& p.804.c.1.

Vsus quo voluntas applicat intellectum ad cõsultandum est prior electione vsus vero quo mouet potentias executiuas ad operandum electione est posterior, pagina.805.vsque 807.

FINIS

141
7

S. D.

Gregorius

Martinez

in 1.3.4. tom. 1.

9.261